

DE HOMINVM STATIBVS, ET OFFICIIS INSPECTIONES MORALES

Ad vltimas ſeptem Quæſtiones Secundę Secundę D. Thomę

FR. PETRI MARIAE PASSERINI DE SEXTVLA

Magiſtri, ac Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, & in Romana Sapientia S. Theol. Profeſſoris matutini.

TOMVS TERTIVS

In quo de Religionum varietate; De ingreſſu in Religionem; de Nouitiatu; De impedimentis ingreſſus in Religionem ex defectibus perſonalibus, vel ex matrimonio, indigentia Parentum, aut obligatione iuſtitiæ; De voto Religionis; De votis impuberum, & eorum irritatione; De tranſitu de vna ad aliam Religionem; De bonis ſic tranſeuntium; De Apoſtatis; De Fugitiuis à Clauſtro, De Eiectis; De ſtatu Nouitiorum, eorum obligatione, & priuilegijs; De profeſſione tam expreſſa, quam tacita, eius ratificatione, aut contra eam reclamatione; & de eiuſdem effectibus; & de Regularium exemptione, accuratiſſime ad extricandos dubiorum nodos diſſeritur.



ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. M. DC. LXV.

Sumptib. Io. Caionij ſub ſigno S. Pauli. *Superiorum permiſſu.*

Donum Authoris.

Eminentiſsimo D.

D. PASCHASIO DE ARAGON,

EXCELLENTISSIMORVM DVCVM CARDONÆ, & Segobricæ Filio, Archidiacono de los Pedroches, & Canonico Cordubensis Ecclesiæ meritiſſimo, olim Collega maiori in antiquo S. Bartholomæi Salmaticensi Collegio, Archidiacono de Talauera, & Canonico S. Ecclesiæ Toletanæ digniſſimo, Equiti de Alcantara, à Consilijs Catholico Regi, in Supremo Tribunali S. Inquisitionis Fiscali, & in Sacro Supremo Aragoniæ Coronæ Senatu Regenti,

Nunc verò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali innumeris Titulis meritiſsimo. Et Neapolitani Regni Proregi vigilantiſsimo.



MINENTISSIME PRINCEPS, Neutiquam *casu* (: tametsi *Casonius* sim :) sed *consilio* Autoris tertium hunc Tomum eadem qua anteriores duos humili fiducia sisto, submitto, appendo inclito Nomini Tuo: si mea in hoc excedit præfidentia, tuæmet ignosces benigniſſimæ qua priores duos excepisti Humanitati; traxit hæc tertium, imò iure quo optimo sibi depoposcit: eadem quippe *Librorum* quæ *Liberorum* conditio est, vt tam illi quàm isti ament vnico dumtaxat communi Tutori subijci indiuulsi, nec vnitas parentelæ admittit Tutelæ diuersitatem. Ceterà faxo sint *Tomi*, dum hoc solo *indiuisi* maneant, quòd insimul sub vnici Protectoris sui vmbra cohabitent. Sed quid vmbram dico, vbi totum lux & fulgor est qualis micare solet ardentior à *Purpura Regum vincta* (: siue, vt legit Magnus Gregorius) *iuncta canalibus Cant. 7.* Sanè Purpura tua non modò Sacerdotalis sed & Regia est, vtpote Regum Aragonicorum auitis canalibus tam *aduincta* gloriosè quàm *iuncta* proximè: nimirum quæ à canali prosapiæ mox rutilabat ab ortu, superfuso deinde sacratiori murice Vaticano etiam radiare nunc videatur, duplici nempe ostro *Cardinis*, & *Cardonæ*. Singulare augustiſſimi olim Templi decus frequenter Sacræ commendant literæ *Coccum bis tinctum*: hunc verò singulariter in Te fulgere quis neget! bis tin-

ctus est, qui non canali sed *canalibus*, hinc videlicet Regum sanguine, inde Ecclesiasticæ dignitatis aurora purpurascit; bis tinctus est, qui ad pecu haræ Diuini Templi ornamentum semel quidem è seculi Monarchis Serenissimis, iterumque in Ecclesiæ Hierarchis Eminentissimis conchyliatus rubet, *eminet*, splendescit. Næ igitur huic vltimo Tomo à tali aurora bis rutila lucem ego potiùs emendicauero quàm vmbram! hoc esto, siquidem nec alio fine quàm vt in lucem erepat hic liber, Tibi adrepit, meram in sola tui patrocinij vmbra lucem reperturus. Siue igitur Vmbella Aragonia, qua totum hodie Parthenopes Regnum tegis ac protegis *iustissimus Prorex*; inumbrare hanc opellam, siue Purpura qua bis fulges radios illi dignabitur impertire, securus dicam, me meosque labores sub claro tuæ dignationis vmbraculo ita & apricari, & meridiari; vt nec velim nec possim splendidiùs. Vale sublimis Ecclesiæ Cardo, Principum decus, Populi solatium.

Eminentiæ Tuæ

Æternùm deuotus Cliens

Ioannes Casonius:

Nos Fr. Ioannes Baptista de Marinis, Sacræ Theol. Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Seruus.

HArum serie, Nostriq; auctoritate Officij tibi Adm. Reu. P. Magistro Fr. Petro Mariæ Passerino de Sextula, Ord. Nostri Procuratori Generali, concedimus quantum in Nobis est, vt Opus á te compositum, cui Titulus *De Statibus, & Officijs Hominum ad vltimas septem Quæstiones Secundæ Secundæ D. Th. Inspectiones Morales* publicis Typis mandare valeas, dummodò priùs fuerit reuisum, & approbatum à duobus Nostri Ordinis Theologis, seruatisque alijs de iure seruandis iuxtà Decreta Sac. Concilij Tridentini, Constitutiones Nostras, & Ordinationes Capitulorum Generalium. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ 9. Aprilis 1665.

Fr. Io: Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Locus ✠ Sigilli.

Registrata fol. 160.

Fr. Bernardinus de Venetijs Mag. & Socius.

TErtium hunc Tomum *De Statibus, & Officijs hominum* eodem quo duos Priores tum Reuerendissimi nostri Superioris imperio tum animi mei solatio legi sedulò, perspexi accuratè. Placet necessarij Operis sublime argumentum, sententiarum, vbique tuta firmitas; rationum pondus, & robur, quibus *stat* solidè, quidquid *de Statibus* hìc *statuit* Autoris profunda eruditio. Proinde, si *impius* (: vt Prou. 11. deploratur :) *facit opus instabile*, hìc pietatem testabitur ipsa Operis stabilitas: cui cum nihil inesse viderim, quod sanæ Doctrinæ, pijsue moribus officiat, *hominum Officijs* dirigendis vtiliter in lucem emitti posse censeo. Romæ IV. Idus Aprilis 1665.

Fr. Leonardus Hansen Magister, Prouincialis Angliæ, Ord Præd.

OPVS intitulatum, *De Statibus, & Officijs Hominum Inspectiones Morales ad vltimas septem Quæstiones Secundæ Secundæ T. Thomæ* cōpositū à P. Magistro Fr. Petro Maria Passerino de Sextula, Ord. nostri Prædicatorum Procuratore Generali dignissimo enucleatè ad eruditionem cunctorum, & non saniores opiniones eliminandas, quæ animas grassanter ducunt ad perditionem, ab omnibus statibus, iussu Reuerendiss. P. N. Fr. Ioannis Bapt. de Marinis Ord. Præd. Mag. Generalis, vidi, & reuerenter legi, & cum honore tractaui, & ad normam suarum conclusionum tanquam purissimæ, & solidioris veritatis nitorem continentium cum gustu recipi, & haberi, prælo non vulgari excudi in calculo meæ relectionis, & solertis discussionis, censui, vt nihil in eo redoleat, ne minimam impuritatem doctrinæ, sed omnia consona fidei, & dogmatibus orthodoxis conformia, Sacræ Congregationis Decretis, & placitis inhærentia, Angelicis assertionibus confirmata, & suo doctissimo Authore, & Mag. celeberrimo dignissima: quod itàattestor in nostra Pœnitentia S. Mariæ Maioris de Vrbe, hac die 10. Aprilis anni 1665.

Fr. Albertus Fleche Magister, & Pœnitentiarius Apostolicus Ord. Præd.

INDEX



INDEX QVAESTIONVM, ARTICVLORVM, ET DIFFICVLTATVM,

Quæ in hoc Volumine explicantur.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

De Religionum varietate.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

ARTICVLVS IV.

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS VI.

ARTICVLVS VII.

Non

ARTI-

ARTICVLVS V.

ARTICVLVS VI.

ARTICVLVS VII.

ARTICVLVS VIII.

De Apostatis.

De fugitiuis à Claustro.

De eiectis:

De

ARTICVLVS IX.

ARTICVLVS X.

De Statu Nouitiorum.

De Professione.



Imprimatur
Si videbitur à Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apostolici.

O. Archiep. Patracen. Vicesgerens.

Imprimatur

Fr. Hiacynthus Libell. Sac. Palatij Apost. Magister, Ord. Præd.





QVAESTIO CLXXXVIII.

De Religionum varietate, in octo Articulos diuisa.



Einde considerandū est de differentia religionum.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, vtrum sint diuersæ religiones, vel vna tantum?

Secundo, an aliqua religio institui possit ad opera vitæ actiuæ?

Tertio, vtrum aliqua religio possit ordinari ad militandum?

Quarto, vtrum possit institui aliqua religio ad prædicandum, & huiusmodi opera exercenda?

Quintò, vtrum possit aliqua religio institui ad studium scientiæ?

Sexto, vtrum religio, quæ ordinatur ad vitam contemplatiuam, sit potior ea, quæ ordinatur ad vitam actiuam?

Septimo, vtrum habere aliquid in communi, diminuat de perfectione religionis?

Octauo, vtrum religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viuentium.

SVMMARIVM.

1 *Ordo Quæstionis.* num. 1.
2 *Varietas Religionum.* num. 1.

1 VXTA diuisionem sibi propositam in introductione *quæst.* 183. *D. Th.* postquam egit de his, quę competunt Religiosis, agit de Religionum varietate, & distinctione. Quam esse antiquissimam in Ecclesia, ex eo colligitur, quod *Hier. Epis. ad Eustachium de virginit. August. l. 1. de morib. Ecclesiæ cap.* 31. *Cass. collat.* 18. *cap.* 4. plurium generum Monachorum mentionem faciunt, videlicet Anachoretarum, seu Eremitarum, & Cœnobitarum. *Isidorum autem lib.* 2. *de diuin. offic. cap.* 15. non bene distinguere Anachoretas ab Eremitis contendit *Bellar. lib.* 2. *de Monachis cap.* 3. sed quod antiquitus nedum essent Monachi Anachoretæ, & Cœnobitæ, qui contemplationi insisterent, sed essent quoque alij Religiosi, qui vitam actiuam exercerent, habetur ex *Cassiano collat.* 14. *quæ est* 1. *Abbatis Nestoris cap.* 4. vbi ait ex Religiosis sui temporis alios dedisse operam contemplationi, alios curando Xenodochio, alios alendis pauperibus, alios miserorum suscipiendo patrocinio, &c. Et cum *Cass. ib.* dicat quosdam Religiosos dedisse operā instruēdis, & docendis imperitis, quod est contemplata exterius ad aliorum vtilitatem manifestare habetur, quod tunc essent quoque Religiosi, qui vitam mixtam contemplatione, & actione profiterentur. Et quod in Ecclesia adessent viri Religiosi, qui post orationem operibus misericordiæ, & proximis iuuandis incumberent; aduertit etiam *Baronius ad annum* 1308. *num.* 10. & talem putat fuisse Seleucum Monachum, & Martyrem. Sed & ex *Epiphanio in fine librorum contra hæreses*, habemus etiam inter Monachos multam fuisse diffe-

ferentiam, ex eo quod alij ex instituto abstinerent a carnibus, alij etiam ab ouis, alij etiam à piscibus, alij etiam à pane. Rursus alij nudis pedibus incedebant, alij saccum inferius gestabant, alij humi cubabant. Posterioribus verò temporibus magis multiplicatæ sunt Religiones, institutis pluribus Mēdicantium, & Regularium Clericorum Ordinibus. De hac igitur Religionum diuersitate disputat *D. Th. in hac quæst.*

ARTICVLVS I.

Vtrum sit tantum vna Religio?

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd non sit nisi vna tantum Religio. In eo enim quod totaliter, & perfectè habetur, diuersitas esse non potest: propter quod non potest esse nisi vnum primum summū bonum, ut in primo habitum est. Sed sicut Gregor. dicit super Ezecielem. Cum quis omne quod habet, omne, quod viuit, omne, quod sapit, Omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est: sine quo Religio esse non dicitur. Ergo videtur, quòd religiones non sunt multa, sed vna tantum.

2. Præterea ea, quæ in essentialibus conueniunt, non diuersificantur, nisi per accidens. Sed sine tribus votis essentialibus Religionis non est aliqua religio, ut supra habitum est. Ergo videtur, quod ipsæ Religiones specie non diuersificentur, sed solum per accidens.

3. Præterea, Status perfectionis conuenit & Religiosis, & Episcopis, ut supra habitum est. Sed Episcopatus non diuersificatur specie, sed est vnus vbicumque fuerit. Vnde Hieron. dicit ad Euagrium, Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem meriti, eiusdem est, & sacerdotij. Ergo pari ratione vna solā est religio.

4. Præterea, ab Ecclesia tollendum est omne id, quod confusionem inducere potest. Sed ex diuersitate religionum videtur quædā confusio posse induci in populo Christiano, ut quadem decretalis dicit. Ergo videtur, quòd non debeant esse diuersæ religiones.

Sed contra est, quod in Psalm. 44. scribitur ad ornatum Reginæ pertinere, quòd sit circumamicta varietate.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet, status Religionis est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis. Sunt autem diuersa charitatis opera, quibus homo vocare potest: sunt etiā diuersi modi exercitiorum. Et ideò religiones distingui possunt dupliciter. Vno modo, secundum diuersitatem eorum, ad quæ ordinantur; sicut si vna religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiendos, & alia ad visitandos, vel redimendos captiuos. Alio modo potest esse diuersitas religionum secū-dum diuersitatem exercitiorum: puta quòd in vna religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in vnoquoque, maior est religionum diuersitas, quæ attenditur secundum diuersos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quæ attenditur secundum diuersa exercitia.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc est cōmune in omni religione, quòd aliquis totaliter se debet præbere ad seruiendum Deo. Vnde ex hac parte non est diuersitas inter Religiones, ut scilicet in vna religione aliquis retineat aliquid sui, & in alia aliud. Est autem diuersitas secundum diuersa, in quibus homo Deo seruire potest, & secundum quòd ad hoc homo se potest diuersimodè disponere.

Ad secundum dicendum, quòd tria essentialia vota religionis pertinent ad exercitium religionis, sicut quædam principalia ad quæ omnia alia reducuntur, ut supra dictum est. Ad obseruandum autem vnumquodque eorum, diuersimodè aliquis se disponere potest, puta ad votum continentiæ seruandum se disponit aliquis per loci solitudinem, per abstinentiam, per mutuam societatem, & per multa alia huiusmodi. Et secundum hoc patet, quod communitas essentialiū votorum compatitur diuersitatem religionis, tum propter diuersas dispositiones, tum etiam propter diuersos

fines

ibid. *fines, ut ex supradictis patet.*

Ad tertium dicendum, quod in his quæ ad perfectionem pertinēt. Episcopus se habet per modum agentis, Religiosi autem per modum patientis, ut supra dictum est. Agens autem etiam
q. 184. ar. 7. *in naturalibus quanto est superius, tanto est magis vnum: ea verò, quæ patiuntur, sunt diuersa. Vnde rationabiliter est vnus Episcopalis status, religiones verò diuersæ.*

Ad quartum dicendum, quod confusio opponitur distinctioni, & ordini. Sic ergo ex multitudine religionum induceretur confusio, si ad idem & eodem modo diuersæ religiones essent absque vtilitate, & necessitate. Vnde vt hoc non fiat, salubriter institutum est, ne noua religio nisi authoritate Summi Pontificis instituatur.

In hoc citato in arg. nonnisi Summi Pont. authoritate religio instituenda est aliter facto.

SVMMARIVM.

1 *Intentum D. Thomæ.* num. 1.
2 *Resolutio Articuli.* num. 2.

1. INtentum Diui Th. in hoc articulo non est solum ostendere, quod plures sint Religiones; quod quidem est euidens sed est demonstrare quænam sit hæc varietas, & qualis in vno statu Religioso ordinum distinctio, & vnde sit sumenda, quod totum clarè, & manifestè demonstrat in artic.

2. Resolutio verò artic. in hoc consistit, quod ita verum est, quod omnes Religiones sunt vna Religio, si spectetur principalis finis earum, qui est perfectio charitatis, vt acquirenda, & custodienda per separationem à mundo, & obseruantiam trium votorum, quod tamen Religiones distinguuntur inter se ex diuersitate finis proprij, vel ex diuersitate mediorum in ordine ad eūdem finem consequendum.

SVMMARIVM.

1 *Difficultates explicanda.* num. 3.
2 *Sententia Suarez.* num. 4.
3 *Religionum quadam ex finibus, quadam ex medijs distinguenda.* num. 5.
4 *Iuuantium ad perfectionem, quadam sunt virtutes, & quadam res indifferentes.* num. 5.
5 *Aliqua Religiones distinguuntur; quia ad eundem finem diuersa media assumunt.* num. 6.
6 *Non potest dici, quod ha Religiones distinguuntur ex diuersis finibus formaliter.* num. 6.
7 *Finis vt acquisibilis per diuersa media non est plures fines.* num. 6.
8 *Aliqua Religiones distinguuntur, quia pro fine habent distinctos actus charitatis.* num. 7.
9 *Isti actus sunt actus charitatis imperatiuè, sed elicitiuè possunt esse actus aliarum virtutum.* num. 7.
10 *Fines, ex quibus Religiones distinguuntur, non est necesse, quod sint plures formaliter in ratione virtutis.* num. 8.
11 *Religiones omnes conueniunt in eo, quod debeant ordinari ad officium charitatis.* num. 9.
12 *Diluuntur obiectiones num. 3. posita.* num. 10.

3. QVæritur autem primo, an Religiones ex diuerso fine distingui possint? Est verò ratio difficultatis; Nam si vt D. Th. habet. Status religiosus, est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis; igitur quælibet Religio hunc finem habet, & sic omnes in eiusdem finis intentione conueniunt; non igitur ex plurium finiū diuersitate distingui possunt. Et si dicatur, quod dantur plures fines, alius scilicet principalis, & remotus, & alius proximus, & proprius; & quod Religionum idem sit finis primus, & remotus, sed plures sint fines proximi; vt quia vna religiò intendit contemplationi & orationi, alia actioni vt militiæ, curandis infirmis, &c. maiores insurgunt difficultates. Tum quia nulla est Religio, quæ non vacet contemplationi, & orationi, cum oporteat semper orare, vt Dominus dixit, & pariter Religiones omnes, cum studium contemplationis nō possit esse continuum, aliquam etiam externam actionem exercent. Et præterea iam ruit distinctio D. Th. sed potius dicendum est, quod Religiones solùm ex distinctione mediorum distingui debeant; quia isti fines proximi verè sunt media ad perfectionem charitatis obtinendam ordinata, & sunt quædam exercitia ad eum finem electa, & sic Religiones ex sola differentia exercitiorum in ordine ad eundem finem distinguuntur.

4. Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 1. existimat, quod etiam dici possit, quod fines proprij, quibus Religiones ad inuicem distinguuntur sint quasi formales quædam actiones charitatis, quæ vt in se tales sunt, intenduntur vt fines, vt verò per eas comparatur perfectiò charitatis absolutè, & secundum se spectatæ, sic media dici possint. Itaq; si charitas secundum se consideretur plura habet officia, in quibus exercetur, & eisdem proximè augetur, quæ omnia non possunt per se primo à singulis Religionibus intendi, quo factum est, vt aliqua Religio dicatur instituta ad hunc finem proprium, & alia ad alium, idest illa ad hoc officium charitatis, & illa ad aliud, & hac ratione Religiones distinguuntur ex finibus. Aliæ verò Religiones distingui ex diuersis medijs ad eundem finem, & tamē potest dici quod Religiones omnes per fines formaliter distinguuntur quia licet aliquæ in proximo fine realiter conueniant, tamen quatenus illum intendunt per diuersa media, & exercitia etiam in ipso formaliter distingui videntur, quia sub alia ratione, aut modo, aut perfectione illum intendunt. Itaque in hac sententia Religiones distinguuntur ex diuerso fine formaliter, & hoc est commune omnibus, quamuis in aliquibus, finis distinguatur etiam realiter.

5. Dicitur nihilominus, quod propriè loquēdo neque omnes Religiones distinguuntur ex distinctis finibus, sed aliquæ ex exercitijs, quæ media sunt, & aliæ ex finibus, qui

tamen sunt fines proximi, & proprij, & simul sunt media ad finem principalem. Conclusio est *D. Thom. hic. Caiet. & Valentia Palas tract. 16. par. 2. num. 1. Layman. l. 4. tract. 5. cap. 3. num. 1. Anton. de Spiritu Sancto tr. 3. disp. 1. sec. 3 num. 86. Coton l. 4. contr. 2. cap. 1. Philippi à Spiritu Sancto tom. 3. disp. de Relig. dub. 52. & aliorum communiter,* quam idem *Suarez* vocat magis perspicuā, & claram. Ratio autem illius ex hac desumitur, quod eorum, quæ nos adiuuant ad perfectionem charitatis, quædam sunt actus virtutum, sicuti sūt actus misericordiæ siue spirituales, vt docere ignorantes, corripere delinquentes, & huiusmodi; quædam verò sunt actus indifferentes de se, nec mali, nec boni, & intantum boni inquantū sunt vtiles ad virtutem, vt induere habitum huius, vel illius formæ, seu ex hac, vel illa materia, silentium, solitudo, & alia huiusmodi. Distinguuntur verò ista duo, quod prima, quia sunt secundum se, & ex obiecto honesta, possunt esse finis, quia honestum est bonum secundum se amabile. Et licet actus inferiorum virtutum non possint esse vltimus finis, quia finis consistit in vnione nostra cum Deo secundum se, quæ fit, per actum charitatis, vnde hic *D. Th.* præmisit, quod status Religionis est quoddam exercitium, per quod homo exercetur ad acquirendam perfectionem charitatis, & supra q. 184. a. 1. docuit, quod perfectio attenditur specialiter secundum actus charitatis, & a. 3. quod perfectio consistit in obseruantia præcepti charitatis; ideò actus aliarum virtutum sic sunt fines, quod simul sunt media ordinata ad charitatem ipsam, vt ad finem. Hoc tamen habent, quod secundum se non sunt boni solum quia vtiles, sed quia in se sunt honesti, & eorum contrarium est malum, & ideò ipsi sunt per se amabiles, vnde possunt amari, vt fines. Sed aliæ actiones externæ de se indifferentes, non habent bonitatem nisi quatenus sunt vtiles ad virtutem, vnde solum sunt media, & non sunt amabiles vt fines.

6. Dicitur igitur, quod sunt aliquæ Religiones, quæ distinguuntur ex medijs, non vero ex fine, quia habent eumdem finem proximum, & sibi communem, sed distinguuntur, quia ad hūc finem diuersa exercitia assumunt, vt v. g. Religiones Monachorum, quorum finis est contemplari, & vitæ contemplatiuæ per se omnes dant operam principaliter, sed tamen ad hunc finem consequēdum vtuntur diuersis exercitijs tanquā medijs. Nec verò propriè dici potest, quod ex quo ad finem eundem realiter tendunt, respiciāt diuersum finem formaliter, ex eo, quod finis vt acquisibilis per hoc medium sit distinctæ rationis à se ipso, vt est finis acquisibilis per aliud medium. Nam hæc distinctio relatiua, & connotatiua non est secundum intrinsecam rationem finis, nec distinguit finem sub ea ratione, qua finalizat, sed ex diuersitate mediorum redundat in finem, qui sub eadem ratione, & motiuo mouet voluntatem ad electionem cuiuscumque medij: Ergo nòn potest dici, quod duæ religiones, quæ per diuersa media tendunt in eumdem finem, distinguantur ex distincto fine formaliter; Tum quia finis in ratione secundum quam finalizat non est distinctus, cum vtraque Religio finem respiciat ratione suæ formalis, & differentialis, & ideò indiuisibilis bonitatis. Tum quia illa distinctio connotatiua, & relatiua redundat in fine ex medijs; igitur ratio distinguendi religiones est distinctio mediorum; & ideò Religiones distinguuntur, quia assumunt distincta media. Tum quia illa distinctio rationis per connotationem extrinseci consequitur intentionem Religionum, & illarum distinctionem, quia per prius est, quod finis à Religionibus sit intentus, vt acquirendus per diuersa media, quam quod sit distinctus in plures rationes ex talibus intentionibus consurgentes. Et sic illa rationis distinctio supponit intentionem, & electionē diuersam, & ex consequēti diuersitatem intendentium, & eligentiū, & ex consequenti in proposito nostro distinctionem Religionum eumdem finem per diuersa media intendentium, non igitur illa rationis distinctio potest hanc Religionum distinctionem causare.

7. Aliæ verò religiones distinguūtur per fines distinctos per se primo intentos, quia nimirū actiones externæ, quæ sunt actus virtutū, & quatenus sunt actus virtutum plures sunt; igitur si vna Religio per se primo pro fine sibi proprio eligit sibi vnam ex istis actionibus, & alia aliam; duæ istæ Religiones, non conueniunt in fine; ex hac ergo diuersitate distinguuntur, quia status, & officia ex actibus, quos habent pro fine distinguuntur, vt probatum est supra q. 183. a. 3. Non tamen est necesse vt isti actus sint actus charitatis elicitiuè; Nam v. g. militare in defensionē fidei, actus fidei est, & si in defensionem Religionis est actus religionis. Inseruire Xenodochio est actus misericordiæ. Administrare Sacramenta est actus Religionis. Sed tamen isti actus sunt actus charitatis, quatenus sunt ab illa imperati, & sunt actus charitatis finaliter, quatenus ad eam, vt in finem ordinantur. Imò quatenus sunt formati, & sunt actus virtutis simpliciter perfecti, sunt actus charitatis, quæ est forma virtutum, sine qua vetificantur, quæ habet *Paulus 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, &c.*

8. An verò dici possit, quod istæ actiones virtutum sint plures fines formaliter, an solum materialiter? Certum est, quod si in esse virtutum specie distinguantur, simul distinguuntur formaliter etiam in ratione boni, & finis; eo modo, quo fines proximi formaliter suis bonitatibus sunt distincti, si hæc distinctio in ratione boni sit formalis. Sed tamen primo dicitur, quod hæc distinctio non est hic necessaria; quia potest esse, quod plures Religiones habeant fines non distinctos specificè, & formaliter in ratione virtutis, nimirum plures actus, qui sint actus eiusdem virtutis, vt sunt seruire infirmis, & vestire nudos, & hospitio recipere peregrinos. Secundo quia Religio licet respiciat huiusmodi actiones, vt fines proximos, simpliciter tamen respicit illas, vt media ad finem charitatis, vnde non interest an illæ formaliter, vel materialiter distinguantur. Quia imo distinctio earum formalis materialiter hic se habet, vt materia charitatis ordinantis illas in se ipsam, vt in finem.

9. Hinc

9. Hinc deducitur primo, quod Religiones in eo quod est ordinari ad actus, seu officiu charitatis non distinguuntur, sed conueniunt ad inuicē, vt adnotauit *Nicolaus à S. Maria in Apolog. perfectionis propos. 17.* quia hic est communis finis Religionum, & ex charitate agere, & per actiones ex charitate prouenientes ad charitatis perfectionē peruenire. Distinguuntur verò, quia principaliter respiciūt diuersas actiones, quæ sunt media, & instrumēta perfectionis acquirēdæ, siue hæc sint actus charitatis, siue actus alicuius alterius virtutis, siue actus de se indifferentes: vnde distinctio hæc tota est ex diuersitate, quæ materialiter se habet ad finem principalem religiosi status.

10. Ad ea ergo, quæ in oppositum adducta sunt respōdetur, quod Religiones omnes per diuersa exercitia distinguūtur, sed cū hoc discrimine, quod horum exercitiorum aliqua sunt finis, alia verò retinent rationem exercitij, quod sit purum medium ad finem; ideò Religiones dicuntur distingui per diuersos fines, vel per diuersa media. Ad replicam dicitur, quod cum fines ad quos ordinantur Religiones sint actus virtutum, nulla Religio est, quæ illos, vel aliquem illorum excludat, sed distinguuntur per hoc, quod est intendere illos per se primo, & principaliter, ordinando etiam quodammodo alios similes actus ad eum, quem per se primo intendūt. Ideò Religio per se primo intēta orationi distinguitur ab ea, quæ per se primo intēdit militiā, licet ista orationē non excludat, sed præcipiat. Ad aliud dicitur, quod licet omnes huiusmodi actiones sint media, tamen illæ, quæ sunt actus virtutū simul sunt fines, & vt tales per se amabiles. Religiones igitur non aliunde distinguuntur quā ex distinctis finibus, vel medijs. *Suar. d. c. 1. n. 3. Palaus tr. 16. disp. 1. p. 2. n. 1. Layman. l. 4. tr. 5. cap. 3. num. 1. Coton. l. 4. contr. 2. cap. 1. num. 17.*

SVMMARIVM.

1 *Propriè & metaphysicè Religiones non distinguuntur specie.* num. 11.

2 *Metaphoricè, & moraliter specie distinguuntur, quæ ad diuersos fines ordinantur.* num. 12.

11. QVæritur secundo an Religiones specie distinguantur ad inuicem. Affirmat absolutè *Coton. lib. 4. contr. 2. cap. 1. nu. 14.* sed *Philippus à S. Trinitate* hoc restringit ad eas Religiones, quæ distinguuntur finibus. Et hoc idem tenuit *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 1. num. 5.* sed cum limitatione, nimirum quia in substantia physice non distinguuntur, sed moraliter substantialiter dici possunt differre illæ, quæ habent plures fines. Quod probatur. Tum quia in moralibus finis dat speciem. Tum quia artes, quæ tendunt ad diuersos fines specie distinguuntur. Tum quia Respublicæ ex eo, quod leges diuersas habeant distinguuntur specie. Sed rationes huiusmodi non probant. Non prima, quia Religiones omnes conueniant in eodem fine formali, & principali, quem intendunt, & qui est perfectio charitatis, sub cuius ratione alios fines intendunt, & ideò eos eligunt simpliciter vt media ad finem principalem eumdem ab omnibus intentum. Et ideò *D. Th.* hic ad primum inquit, quod omni Religioni hoc est commune, quod Religiosi totos debeant se præbere ad seruiendum Deo; Sic ergo cum omnis Religio pro fine habeat perfectionem, quæ in charitate, & præceptorum obseruantia essentialiter cōsistit, *vt probauit supra q. 184. a. 3.* Et ideò in omni Religione totum se Deo tradat Religiosus, & ob hoc emittat tria vota Religioni substantialia; ideò omnes Religiones conueniunt in fine eodem principali, & imò etiam in medijs principalibus, quæ sunt paupertas, castitas, & obedientia; non est igitur vnde dicantur distingui specie, seu essentialiter in ratione Religiosi status. Nec est eadem ratio de artibus, quæ in fine principali distinguuntur, vnde non mirum si distinguuntur specie. Respublicas verò distingui specie non est verum, nisi simul distinguantur fine. Ideò Respublica politica, & mundana, seu sæcularis specie distinguitur ab Ecclesiastica, quia illa habet pro fine pacem reipublicæ populorum, & sæculare politicum bonum, sed ista respicit finem supernalem, & dirigit suos in vitam æternam. Sed duæ sæculares respublicæ solo numero differunt, quia alias in eodem fine conueniunt, licet ad eum per diuersa media, & leges peruenire contendant. Propriè igitur, & metaphisicè loquendo dicendum est, quod Religiones omnes substantialiter sint vnius speciei in ratione religiosi status, & quod alias solo numero, & accidentaliter distinguantur, vt tradiderunt *Paulus tract. 16. disp. 1. p. 2. num. 1. Layman. l. 4. tr. 5. cap. 3. num. 2. Anton. à Spiritu Sancto tr. 3. disp. 1. sec. 2. num. 86.*

12. Dici nihilominus potest, quod similitudinariè specie distinguantur Religiones, quæ habent distinctos fines proprios. Huiusmodi enim Religiones, vt habet *D. Th.* magis distinguuntur, quam illæ, quæ solum habent distincta media. *Suarez. d. cap. 1. num. 5. Paulus d. p. 2. nu. 1. Coton. d. cap. 1. num. 17.* quia in moralibus distinctio maximè sumitur ex fine: & quia distingui fine est etiam distingui medijs, & exercitijs. Tum quia fines isti sunt simul media, vt talia principaliter electa. Tum quia regulariter ad fines diuersos diuersa requiruntur media, etiam si in aliquibus eorum possit esse conuenientia: Tum quia Religiones, quæ conueniunt in fine habent conuenientiam hanc, quæ est magna, & ideò huiusmodi Religiones, quæ conueniunt in fine proximo, & proprio, magis accedunt ad vnitatem specificam, & habent nonnihil similitudinis illius, sicut magis accedunt ad differentiam specificam, & aliquo modo assimilantur, quæ distinguuntur ex fine. Accidentaliter etiam moraliter, seu quoad effectus quosdam morales nonnullam rationem habent differentiæ specificæ, prout moraliter in ordine ad bonum commune extrinsecum habent, vt magis æstimentur. Sicut enim in ordine ad morales effectus maximè distinguuntur viri à fœminis, nobiles ab ignobilibus, bonæ famæ ab infamibus, sic in ordine ad effectus morales maximè distingui possunt Religiones militares à contemplatiuis; & inter istas, quæ contemplationi, & actioni insistunt, ab illis, quæ puræ sunt contem-

templatiuæ. Sed huiusmodi differentiæ accidentales sunt,& desumuntur per ordinem ad extrinsecum gubernium Ecclesiæ, & nec est necesse, quod metaphysicè sint propriè differentiæ specificæ. Nam maior, vel minor æstimatio non importat distinctionem specificam; neque enim domus valoris ducentum mille aureorum specie distinguitur à domo valoris centum. Huiusmodi tamen differentiæ nonnihil similitudinis specificæ habent in ordine ad morales istos effectus, & æstimationem hominum, vnde potest dici, quod velut specificè moraliter distinguantur. Propterea cum hoc, quod est differre specie propriè nō conueniat Religionibus, sed analogicè, & metaphoricè; ideò esto Religiones non distinguantur fine, sed solum medijs, si tamen distinguuntur regula, & fundatione, seu valdè in medijs distinguantur, hæc distinctio ad specificam accedere videbitur. *Suarez. d.cap. 1. num. 6.* Maximè verò distinguuntur, quæ fine, & medijs differunt.

SVMMARIVM.

1 *Ad vnitatem numericam Religionis necessaria est vnitas finis, & mediorum.* num. 13.
2 *Diuersæ opiniones.* num. 14.
3 *Ad vnitatem Religionis sufficit vnitas finis, & mediorum.* num. 15.
4 *Ad vnitatem Religionis sufficit vnitas Regulæ, & Constitutionum.* num. 15.
5 *Diuersitas legum, quæ est secundum regulam non distinguit Religiones.* num. 15.
6 *Dispensatio in lege facta à religione non mutat numero religionem.* num. 16.
7 *Dispensatio facta à Pontifice si variet substantialia Religionis eam mutat.* num. 17. 18.
8 *Vnitas fundatoris per se non est necessaria ad vnitatem religionis, quamuis non sit possibile eandem Religionem esse à duobus fundatoribus.* num. 19.
9 *Ad vnitatem religionis non est necessaria vnitas Generalis.* num. 20.
10 *Ad vnitatem religionis requiritur proprius habitus.* num. 21.
11 *Vna Religio est, quæ tendit ad eundem finem per easdem leges.* num. 22.
12 *Ordo Cisterciensium distinctus ab ordine Monachorum nigrorum.* num. 22. & 25.
13 *Distinguuntur quæ sub eadem regula habent distinctos fines.* num. 23.
14 *Distinguuntur, qui sub eadem Regula viuunt sub diuersis particularibus legibus.* num. 24.
15 *Religio reformata addens ad regulam distinguitur ab ea, quæ puram regulam seruat.* n. 25.
16 *Religio, quæ viuit sub regula dispensata auctoritate Apostolica, est alia numero ab ea, quæ exactè regulam seruat* num. 26.
17 *Magis, vel minus exacta obseruantia sub eodem Generali non multiplicat ordines.* num. 27.
19 *Vbi Religiones reformata, & non reformata viuunt sub diuersa Generali sunt duæ.* num. 28.

13. QVæritur tertio quid sit necessarium ad hoc vt vna Religio dicatur esse vna numero; seu quid sufficiat ad hoc, vt numero ab alia simpliciter distinguatur? Hoc enim habetur tanquam compertum, quod necessaria est conuenientia in fine. Bonum enim est ex integra causa, vnitas verò habet rationem boni, à quo recedit pluralitas: Nam vt habet *S. Aug. ser. 27. de ver. Domini*, præponitur vnum multis, non enim à multis vnum, sed multa ab vno. Cum verò res morales maximè sumant vnitatem à fine, & distinctionem, erunt proculdubio multæ illæ Religiones, quæ in fine non conueniunt. Requiritur etiam conuenientia in medijs præcipuis, & veluti substantialibus. Quia Religio est quædam via ad perfectionem, ad vnitatem autem viæ non sufficit vnitas finis, sed per diuersa media veluti per diuersas vias ad finem peruenitur. Tum etiam, quia vbi in Religionibus media sunt diuersa, sunt etiam diuersi mores,& consuetudines, & ideò diuersæ numero Religiones.

14. Hoc stante *Caton. lib. 4. contr. 2. cap. 1. n. 19.* putat Religiones habere vnitatem numericam ex complexione circumstantiarum, quæ vni Religioni, & non alteri conueniunt. Putat verò non sufficere vnitatem regulæ, quia plures Ciuitates Romanis viuunt legibus, sicut nec sufficere vnitatem Capitis, si diuersæ sunt leges, quia Regnum Neapolit. & Mediolanen. distinguuntur licet viuant sub eodem Regno. Ideò ait Monachos distingui licet viuant sub eadem S. Benedicti Regula quia sub diuersis capitibus,& constitutionibus viuunt. Capucinos quoque à Conuentualibus ait videri distingui plusquam numero. Non esse verò necessariam vnitatem capitis ad vnitatem Religionis asserit etiam *Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. cap. 1. & tract. 9. l. 1. cap. 2. num. 10.* Ex eo, quod Moniales non desinunt esse eiusdem Religionis ex eo, quod earum quædam per Prælatos Regulares, aliæ per Episcopos regantur. Et addit n. 11. requiri aliquam vnitatem in habitu, quia licet non sit de substantia Religionis, est tamen signum talis, vel talis professionis. Sed tamen hæc conditio nō est adeò necessaria, quin intra eamdem religionem nonnulla diuersitas in exteriori habitu permittatur, vt sentiunt *Gloss. & DD. ex textu in Clem. 1. de Electione* Et ratio est, quia aliquando regula ipsa positiue hanc postulat diuersitatem, vel illam permittit, vt si regula statuat de figura habitus non de colore. Quamuis huiusmodi varietas non erit tanta, quia conseruetur aliqua vnitas, quæ vnitatem talis Religionis indicet. Societas etiam (inquit) non assumpsit peculiarem habitum, sed admittit diuersitatem, quam habitus Clericorum in diuersis regionibus habuerit, seruando tamen eam vnitatem, nimirum, vt vbique in habitu honesto, & ad statum Religiosum decente vtatur. In reliquis autem Religionibus semper seruatur aliqua vnitas, vel in figura, vel in colore, vel in vtroque, vel in aliquo signo, quod seruandum sit, vt vnitas Religionis, quoad habitum retineri censeatur.

15. Consideranti attentè, quæ habet *D. Tho.* in hoc articulo dicendum est, quod ad vnitatem numericam Religionis sufficit vnitas finis, & mediorum assumptorum ad consecutionem proximi finis, & ex consequenti ad consecutionem finis principalis. Sed quia tam finis, quam media determinantur per regulam, & constitutiones Religionis, ideo absolutè horum vnitas sufficit,& potest

test etiam dici quòd sufficit vnitas regulæ, quia sub hoc nomine venire etiam debent leges, quæ regulam determinant, & modificant. Ideò solvitur obiectio, quæ fieri potest ex eo, quòd plures religiones militent sub eadem regula. Ne enim nomen difficultatem faciat, considerandum est, quòd religio præter id, quod dicitur regula, vel ex sui institutione habet leges, vel dispones supra regulam, & sic addentes regulæ, vel finem specialem, vel media specialia, aut diminuentes, & relaxantes regulam in minus, & sic excusantes ab eo, quod regula præcipit. Et si ita est, dicitur quod ad vnitatem Religionis non sufficit vnitas eius, quæ dicitur Regula, sed necessaria etiam est vnitas legum huiusmodi, quæ verè regulam ipsam mutant substantialiter, vel addendo, vt illa sola non sufficiat ad dirigendum talem religionem, vel minuendo, vt regula secundum se tota non obliget. Vnde si est vna Religio, quæ ex constitutione regulam integram seruet, alia vero, quæ præter Regulam, seruet alia ex lege supra Regulam, & alia, quæ ex lege integram regulam non seruet, sed solam partem, istæ religiones distinguuntur numero, quia ad minus distinguuntur medijs. Si verò leges, quibus Religio regitur simpliciter sunt secundum regulam, istæ non ponunt in numerum cum regula, sed sub ea continentur tanquam factæ vel ad regulæ explicationem, vel ad regulæ obseruantiam; & leges huiusmodi non valent, vt religionem numero multiplicent, etiam si sint distinctæ.

16. Sed forsan dicet aliquis, quod ex dispensatione Regulæ non mutatur religio, sed eadem numero manet, sicut manet eadem numero regula, licet mutata; sed dicitur, quod relaxatio regulæ, quæ fit de facto per abusum, regulam non mutat, quia semper remanet vis regulæ, & obligatio religiosorum ad regulæ obedientiam. Relaxatio verò legitima, si fiat per consuetudinem legitimè præscriptam, aut per legem eiusdem Religionis non est relaxatio, sed dispensatio. Et neque hanc dispensationem puto mutare religionem substantialiter, vt sit alia numero, quia adhuc semper manet vis regulæ, vt tollat consuetudinē, vel legem à se factam abroget, & manet in Religiosis obligatio obediendi superioribus volentibus reducere religionem ad pristinum rigorem, & sic semper manet eadem religio, imo eadem regula substantialiter, quia dispensatio legitime facta ipsius regulæ, est secundum eandem regulam, ex cuius vi, & primæua institutione est, vt in Regula ex causa rationabili possit dispensari. Sed tamen vt probatum est supra q. 186. n. 8. dub. 11. & num. 184. semper religio potest se ad pristinum rigorem reducere, & subditi tenentur obedire.

17. Sed si regula sit dispensata per Papam, & votum auctum, vel diminutum, idem videtur dicendum. Tum quia Pontifex, qui est supremus religionum Prælatus nedum in vim Pontificiæ vniuersalis iurisdictionis, sed vt talis Religionis Prælatus potest Religionem ad pristinum rigorem reducere, & tenentur religiosi obedire, sed dispensatio Pontificis fit gratia, & non sit lex mandans, religio ipsa de consensu maioris partis potest tali gratiæ renunciare, & se ad pristinum statum reducere. Et in hoc sensu debet intelligi, quod positum est loco supra citato num. 189. quòd scilicet inferiores non possunt tollere consuetudines approbatas à Superiore, vel à Papa; hoc enim verum est, quatenus illæ sint leges obligantes, & mandantes, non quatenus sint merè gratuitæ permissiones, aut dispensationes. Patet igitur ex his, quod legitimæ dispensationes regulæ, quæ superueniunt religioni iam statutæ, & per Papam confirmatæ, non mutant substantialiter religionē. Sed tamen si ex fundatione, & ab initio, & ortu Religionis, ipsa non totam integram regulam recipiat, & profiteatur, sed legibus contra aliquid contentum in regula editis regulæ, solam partem recipiant, tunc non dispensatur in regula, sed regula non recipitur tota, sed solum pro parte; vnde tunc religio, quæ sic diminutè Regulam recipit, numero distinguitur ab ea, quæ integrā profitetur, vel auctam ex sui fundatione.

18. Verum oppositum est dicendum nimium quòd dispensatio perpetua, & vniuersalis in substantia, vt in materia votorum, & ita quòd professionis materia sit substantialiter mutata, facit vt religiones substantialiter varientur numero. Vt v. g. Cum antiquitus milites S. Iacobi emitterent tria vota substantialia Religionis, nunc ex dispensatione Apostolica non vouent nisi castitatem cōiugalem, & paupertatem admittentem quamplurimum de dominio. At verò, vt dicebam supra quæstione 186. art. 4. hæc dispensatio nedum numero, sed plusquam specie mutauit Religionem illam, quæ modo nec est proprie Religio, vt iterum probabo infra Nec adducta in contrariam obstant. Quia ad vnitatem rei seruandam non sufficit vnitas agentis seu efficientis, si forma rei substantialiter varietur. Igitur ad conseruandam volitatem Religionis non sufficit voitas Pontificis, qui licet sit Prælatus Religionum est tamen extraneus, nec est pars intrinseca, & membrum religionis. Ideò si Pontifex dispensando mutat substantialiter religionem, taliter forma intrinseca religionis, & Religio mutatur vel numero, vel specie, vel plusquam specie. Et quòd Pontifex possit religionem ad pristinum statum reducere facit quidem, & probat, quòd possit religionem mutare, non tamen quòd Religio mutata substantialiter maneat eadem numero. Sic ergo si Pontifex mutet substantialiter materiā votorum vel augendo votum, vel minuendo, mutatur iam etiam professio religiosa substantialiter, nec religiosi antiquam regulam profitentur; Ideò noua est Religio numero. Sed vbi mutatio non sit ab extrinseco, scilicet a Summo Pontifice, sed à religione ipsa, medio Capitulo Generali; hæc mutatio non potest esse substantialis, & vt sic simpliciter vel supra, vel infra regulam, quia Prælati Religionis non possunt supra, vel infra regulam obligare. Neque religio dat, vel Diffinitoribus, vel Prælatis facultatem mutandi substantialiter religionem, seu augendi, vel minuendi substantialiter votum professionis. Ideò variatio legum, quæ fit intra Religionem non mutat eam numero. Si tamen consentiente Pontifice religio ipsa sua vota augeret, vel minueret substantialiter mutaretur, nec eadem numero permaneret. Sic si religio substantialiter mutata in minus vellet huic mutationi renunciare non posset id facere sine Pōtifice, quia illa

illa mutatio facta à Papa non censeretur nudum privilegium, sed lex, secundum quam Religiosi profiterentur, & supra quam non possent obligari, quia supra illam non promiserunt. Vnde dato etiam quòd ipsi sponte possent se ipsis redire ad antiquam regulam, id fieri non posset sine nova professione, & voto, & ita nisi quia ipsi religionem suam relinquerent, & aliam numero distinctam assumerent.

19. Sed nunquid ad unitatem religionis est necessaria unitas fundatoris? Respondetur quòd moraliter impossibile est, quòd vbi sunt diversi fundatores non sint diversæ Regulæ, vel leges fundamentales, & diversæ religiones, nam imò si daretur aliquis, qui regulam, & leges religionis alicuius institutæ sine substantiali mutatione nec addendo, nec minuendo susciperet, non esset religionis fundator, sed religionis iam fundatæ assumptor. Si tamen daretur casus, quod duo, vno de alio non sciente, religionem instituerent sub eadem omninò regula, & legibus, quid esset dicendum? Dicitur quod hoc est impossibile, quia non fundantur religiones inconsulto Romano Pôtifice, & de eius consensu, vnde non potest dari illa nescientia, sed benè ex notitia Curiæ innotesceret, si novus fundator regulam, & leges alterius fundatæ religionis assumeret, & reijceretur, seu remitteretur ad superiores fundatæ religionis, vt si bonum esset, ab eis, ad Religionem iam fundatam reciperetur. Sed dato impossibili casu, licet physicè loquendo idem effectus numero non sit à pluribus efficientibus; hic tamen ordo ad distinctos fundatores se haberet materialiter, & per accidês & vt quid moraliter non æstimabile, vnde vna, & eadem religio iudicanda esset, quæ eisdem precisus legibus viveret; cum ad legem per se spectet quod sit ab habente auctoritatem, materialiter verò, & per accidens se habeat, quod sit à Petro, vel Paulo. Sic & in eo casu impossibili, duæ illæ côgregationes viventes sub eisdem legibus essent duæ materialiter, & per accidens, sed formaliter nô essêt duæ religiones, sed duæ familiæ eiusdê religionis. Nec est eadem ratio de duabus Civitatibus, aut Rebuspublicis, quæ duæ essent etiam si eisdê omninò vterentur legibus. Quia hoc nomen Respublica non significat de formali, & principaliter ordinem hominum in finem, sed significat personas ordinatas, vnde ad eam multiplicandam sufficit materialis distinctio personarum. Cuius signum est, quod plures civitates non sunt vna civitas, nec plures Respublicæ sunt vna respublica, plures verò Conventus sunt vna religio, quia religio significat de formali, & principaliter ordinem in perfectionem charitatis, et assequendæ per observantiam legum, ideò vna est religio vbi est ordo acquirendæ perfectionis per earumdem legum observantiam. Itaque ergo de facto non sunt distinctæ religiones sine distinctis fundatoribus, per se tamen distinctio fundatorum non infert distinctas Religiones, nisi inferat distinctas leges per quas diversimode religiosi ducantur in acquisitionem perfectionis, & sic per se ad vnitatem Religionis sufficit regulæ, & legum vnitas.

20. Hinc est, quod ad vnitatem Religionis neque requiritur vnitas Generalis *Suarez. d. c. 2. num. 10.* Et hoc nedum est verum in Religionibus mulierum, quæ sunt incapaces iurisdictionis spiritualis, & ex consequenti habendi caput eiusdem sexus, & corpori Religionis intrinsecum; sed est vniversaliter verum etiam in viris, quia non est de substantia religionis habere caput intrinsecum, seu quod sit de corpore religionis. Et sic accidit religioni regi per hunc, vel per illum, & per vnum, vel plures, & per Antonium, vel Sempronium. Itaque Religio per intrinsecam formam individuatur, quæ forma est ordo in finem, vt assequendum per harum legum observantiam. Cæterum Generalis nec potest præcipere nisi secundum regulam, & vbi præceptum sit secundum regulam; non interest per se ad substantiam Religionis, vt sit ab vno pro omnibus, vel à pluribus secundum pluralitatem monasteriorum, et patet in monialibus.

21. Requiritur verò vnitas habitus tanta, & talis, quantam, & qualem regula præscribit. Quia habitus est de substantia religionis in quantum est visibilis, vt per illû significetur Ecclesiæ illorû religiosorû professio. Et licet in hoc sit magna differentia inter religiones, ita vt aliquæ vtantur veste clericorum, nihilominus, & in istis habetur in forma, & materia, & alijs aliquid, quod præsefert statum Regularem; & vniformitas in vestitu moderato, & viliori, quam tenent vbique quantum possibile est etiâ regulares Clerici, est aliqua proprietas, & singularitas vestiendi: Et quamvis *Reverendissimus Lucarinus de Episc. regulari. num. 331.* arbitretur posse fundari religionem, quæ non habeat proprium habitum, nec certum suæ professionis signum. Nihilominus, & ipse fatetur, quòd habitus sit de substantia religionum, vt ex pars Ecclesiæ visibilis, & religio, quæ nullum haberet signum ex quo cognosceretur, non esset proportionata Ecclesiæ visibili, quoniam esset status invisibilis. Cæterum quod etiam PP. Societatis habeant proprium habitum talem, vt si illum dimittant incidant in excomm. *cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* Docuit ex eadem Societate *Palaus tom. 3. tract. 16. disp. 4. p. 6. nu. 2.* & idem dixerunt *Bonac. de claus. q. 2. p. 2. nu. 24. & de cens. in part. disp. 2. q. 8. p. 6 num. 2. Diana p. 9. tr. 7. resol. 5. & Lucarinus vbi supra num. 323.* & benè adnotavit *Palaus*, quòd aliud est habere vnicum habitû & aliud est habere proprium. Primum non est necessarium, vt patet in Mercenarijs, qui in Hispania vtuntur cappa nigra, & in Italia veste omninò alba, quæ etiam in figura differt. Sed tamen vterque habitus omnibus pensatis est illorum proprius. Sic & PP. societatis esto non habeant vnicum habitum, vbique habent proprium, talem scilicet, qui significat eorum professionem cum distinctione etiam ab alijs Clericis eiusdem regionis.

22. Dicendum igitur est, quod ea Religio est vna numero, quæ tendit ad eundem finem, per eadem media, nimirum sub legibus eisdem substantialibus, & fundamentalibus. Hinc sequitur, quòd numero distinguantur religiones, nedum quæ fine sunt diversæ, sed etiam quæ sub eadem regula & ad eundem finem, per diversa media tendût. Talium enim diversæ sunt regulæ, vel leges fundamentales. *Caramuel ad Reg. S. Bened. n. 352. & seq.* sciens Religiones distingui specie multos contendit

tendit

tendit probare quod ordo Cistercienſium, & Monachi Cistercienſes ſint Benedictini, ſeu eiuſdem Religionis cum Benedictinis, & ita quod *n.* 385. aſſerat Benedictinos ſine Nouitiatu poſſe tranſire ad Cistercienſes, & è contra. Et *num.*388. addat quemlibet Abbatem Ord. Cistercien. poſſe ſibi eligere Priorem, & alios Officiales ex Monachis nigris, & è contra, quia omnes ſint eiuſdem Religionis, & ſolo Monaſterio diſtinguantur. *Et nu.* 389. In quocumque Monaſterio Cistercienſi poſſe eligi Monachum nigrum in Abbatem, & è contra. Sed certè in *Cap. licet* 18. *de Regular.* tranſitus ad Ordinem Cistercienſem à Monaſterio Dimolienſi conceditur, vt ad ordinem arctiorem. Et in *d. cap. licet* ſupponitur, quod ex dicto Monaſterio Dimolienſi, & ex eius Ordine nullus ad alium tranſire poſſit. Et nihilominus Innoc. Tertius ibidem ſtatuit, vt tranſitus ad arctiorem Ordinem non negetur, & præcipit, vt R. qui tranſierat ad Ordinem Cistercienſem arctiorem non moleſtetur. Et quod Cistercienſes habeant priuilegium, vt nullus ex eorum Ordine tranſire poſſit ad alium niſi obtenta à Superioribus licentia ex *Hoſtien.* refert *Fagnanus* ad *d.c. licet n.*22. Vnde in facto nō ſubſiſtūt, quæ habet *Caram.* & illi Ordines habentur pro diuerſis, & merito, vt infra etiā dicitur, quia diuerſis valde legibus reguntur.

23. Mihi propterea videtur cōſiderādū, quòd eorum, qui cōueniūt in eadem regula multiplex eſſe poteſt diſcrimen, alij enim diſtinguūtur fine, ſicut ſub regula S. Auguſtini conueniunt tàm milites, quàm *multi* Religioſi contemplationi dantes operam, & prædicationi verbi Dei. Nam ſub regula S. Auguſtini militant nedum Canonici Regulares, & Prædicatores, & Eremitæ Auguſtiniani, ſed, & Equites Meliten. & S. Lazari, & ſub regula S. Benedicti Equites Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſiæ, Equites Chriſti, & alij, quos recenſet *Barboſa in ſumma Apoſt. v. Equites,&c.* Huiuſmodi verò Religiones cum aliæ ad vitam actiuam, & militiam, aliæ verò ad contemplatiuam, ſeu mixtam ordinentur, ſub communitate regulæ finibus diſtinguuntur, ideò iſtæ Religiones maximè ſunt diſtinctæ, ita quod moraliter, ſeu ad morales effectus etiam ſpecie poſſunt dici diſtingui.

24. Aliæ etiam ſub eadem regula viuentes, etiam ſi non diſtinguantur fine poſſunt diſtingui fundatione, quia ſcilicet earum fundatores ſic aſſumpſerunt Regulam aliquam, quod intenderunt nouum ordinem fundare, qui ſub illa regula, proprijs legibus regeretur, quæ eſſent velut Regulæ aſſumptæ complementum, & additamentum, & locum nouæ regulæ haberent; quia nimirum addiderunt leges ordinantes, vel quod eſt ſupra, vel quod eſt in parte contra regulam. Vnde iſtæ Religiones non agnoſcunt pro Fundatore auctorem Regulæ, ſed Regulam ab alio dictatam, ſic fundatores elegerunt velut extrinſecam, vt tamen proprijs conſtitutionibus eam ſibi facerent propriam. Et ſic iſtarum Religionum Regula integra cōſtituitur ex regula accepta, & ex proprijs earū legibus, ita vt earū Regula ſit Regula ab extrinſeco accepta, & modificata, & determinata per proprias Conſtitutiones. Minus tamen propriè de iſtis Religionibus dici poteſt, quod ſint diſtinctæ ſpecie, cum conueniant in fine, & regula, & ſolum in aliquibus legibus, & medijs diſconueniant.

25. Sed aliæ ſunt religiones, quæ conueniunt in Regula ex fundatione, & diſtinguuntur ſolum ſecundum exactam, & rigoroſam obſeruantiam regulæ, vel relaxatam, & diminutam, & ex eo, quod aliquarum earum Inſtitutores nō intenderūt nouum Ordinem inſtituere, nec præceperunt aliquid, quod ſimpliciter eſſet ſupra, vel infra regulā, ſed intenderunt regulam relaxatam ad priſtinam obſeruantiam reſtituere, & ſic licet dederint nouas leges, iſtæ fuerunt ſecundum regulam, nec ad aliū finem inſtitutæ, quàm ad hoc vt regula perfectè obſeruaretur. Et ſimilem fuiſſe fundationem Cistercienſium ait *Caramuel num.* 371. & probat quia in exordio Cisterciēſi dicitur, quod quia Primi Patres, qui illum Ordinem fundarunt, neq; in Vita S. Benedicti, neque in eius regula legerunt Sanctum Patrem poſſediſſe Eccleſias, vel Altaria, ſeu oblationes, ſeu ſepulturas, vel decimas aliorum hominum, vel furnos, aut molendinos, aut villas, vel ruſticos, nec fœminas monaſterium eius intraſſe, nec mortuos ibidem (excepta ſorore ſua) ſepeliſſe, ideò per legem ſpecialem hæc omnia à ſe abdicarunt. Vnde finis illorum Patrum non fuit nouum Ordinem fundare, ſed Ordinem à Sancto Benedicto inſtitutum, ideò hæc tanquam de eius mente ſibi ſeruanda propoſuerunt. Verum ex ipſis iſtis colligitur, quod Ordo Cistercienſium ſit numero alius ab Ordine Monachorum nigrorum, ſeu Benedictinorum, quia inſtitutores Cistercienſium addiderunt ad Regulam S. Benedicti ſupradicta ex lege à ſe abdicantes, quæ per Regulam S. Benedicti non ſunt prohibita, & quæ Ordo S. Benedicti non abdicat, & ſic negari non poteſt, quod iſti duo Ordines non diſtinguantur exercitijs, & medijs in ordine ad eumdem finem, & ſint duo Ordines numero. Vnde datur hæc prima Regula, quod vbi Ordinum qui conueniunt in Regula, & fundatore vnus addit ſupra Regulam, etiamſi putet id eſſe conforme regulæ, & de mente fundatoris, ſufficit ad hoc; vt ordo addens ſupra legē diſtinguatur numero ab eo, qui regulam ſine aliqua additione profitetur, & non vult addita ſeruare, ad quæ verè ex Regula non obligatur.

26. Si verò reformatio non addit ad regulam, adhuc conſiderandum eſt an Religio, quæ regulam diſpenſatam ſeruat, id faciat auctoritate Apoſtolica, & ex eius diſpenſatione. Nam hoc ſtante duo numero Ordines erūt Ordo, qui profitetur regulam auctoritate Apoſtolica in parte relaxatam, & ille, qui illam in rigore ſeruat. Non enim poteſt negari quin iſti duo Ordines licet conueniant in fine, & in primo fundatore, & in regula eius non diſtinguantur exercitijs, & medijs, cum vnus ſeruet totam regulam, & alius non. Imò poſſet eſſe, quod iſti Ordines diſtinguerentur genere, ſi tanta eſſet mutatio in materia votorum, vt non remanerent tria ſubſtantialia vota Religionis, vt de Militibus S. Iacobi dictum eſt. Sic non poteſt negari quin inter Minores duo ordines diſtincti ſint Ordo Conuentualium, qui ex diſpenſatione Apoſtolica admittunt dominium poſſeſſionum in communi, & ordo Capuccinorum, qui vouet paupertatē in com-

in communi, ita quòd nec admittit dominium mobilium. Vbi igitur sit mutatio notabilis in materia alicuius voti sine dubio Religio servans in rigore regulam numero distinguitur ab illa, quæ illam servat dispensatam.

27. Vbi verò inter Religionem, quam dicunt reformatam, & aliam relaxatam non est distinctio in votis, neque in aliquo substantiali, sed solum in eo, quod est secundum regulam, vt quia vna liberius vtitur dispensatione secundum regulam, seu in ijs, in quibus Superiores possunt dispensare, vel consuetudo ipsa obtinuit dispensationem, alia verò rigorosiùs regulam spectat. Si cum hac distinctione servatur vnitas Generalis, & dependentia ab eodem Capitulo Generali, non sunt hic duæ Religiones, sed duæ familiæ eiusdem Religionis convenientes in eadem regula, & legibus communibus, & in eodem capite cum distinctione graduali in magis exacta, vel non exacta observantia Regulæ.

28. Sed si cum differentia relaxationis adiungeretur distinctio Generalis, & independentia ab eodem Capitulo Generali; hoc non fieret sine auctoritate Apostolica dispensante cum illa parte, quæ non tam exactè servaret regulam, hæc enim separatio auctoritate ordinaria fieri non potest, & tunc essent duo numero ordines sub eadem Regula, quorum vnus secundum regulam in suo rigore, alius verò secundum illam dispensatam profiteretur. Et quia quòd ordo Prædicatorum non habeat in cõmuni dominium possessionum, non est contra eius regulam. Imo licet Ordo in Capitulo Bononiæ 1220. renunciauerit possessionibus, quia tamen nunquam renunciauit dominio rerum in comuni, non fuit contra regulam, quòd possessiones reassumpserit, quia id potuit facere auctoritate propria, secundùm quam potest constitutiones mutare, vt scripsit *Palud.* ad Hugonem eiusdem ordinis Generalem, & ideò hæc mutatio in hoc ordine, fuit accidentalis. Si verò Religiones conueniant in fine, regula, & fundatione, & constitutionibus, sed ob regionum distinctionem, vel aliam similem rationem differãt capite, & per diuersos Generales regantur, hæc diuisio potius est diuisio eiusdem Religionis in partes, quàm multiplicatio Religionum. Et nihilominus facillimum est, quod transeant in plures Religiones, si aliqua pars nouis legibus, quæ sint supra regulam augeat votum suum. Distinctio autem personarum intra eãdem Religionem, seu distinctio legũ pro diuersis personis Clericis, Laicis, Sacerdotibus, Doctoribus, Prioribus, &c. non multiplicat Religiones; quia omnes istæ leges sunt secundum regulam, & sunt media ad eumdem finem, & media adæquata subordinata. *Suarez. d.c. 1, num. 9. Coton. d. cap. 1. n. 9*

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum error.* *num.* 29.
2 *Varietas Religionum conuenit Ecclesiæ.* *num.* 30.
3 *Vtilis quia sunt plures viæ ad Cælum.* *num.* 31.
4 *Et quia opus fuit Ecclesiam ad varia officia habere Ministros.* *num.* 32. 33.
5 *Varietas Religionum nec schismata parit, nec confusionem.* *num.* 33.
6 *An conueniat esse plura Monasteria eiusdem Ordinis in eodem loco.* *num.* 34.

29. QVæritur quarto, an Religionum multitudo conueniat Ecclesiæ, eique sit vtilis, & in se honesta. Hæreticos, qui summo odio statum religiosum persequuntur damnare varietatem Religionum, aduertit *Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 1. n. 1.* tanquam sit dicere, Ego sum Pauli, ego autem Apollo; quod reprehendit *Paulus 1. Cor. 1. & 3.* Nam est ponere schismata in Ecclesia. Alias enim sicut in Ecclesia est vna fides, & vna perfectio charitatis, ita vna debet esse Religio omnium Christianorum. Maximè cum ex diuisione Religionum oriantur inter Religiosos lites, & æmulationes de præcedentia, fauore, honore, æstimatione apud homines in literis, virtute, & alijs bonis. Quæ confirmantur *auctor. Basil. in regul. fus. disputatis quæst* 35. vbi sentit non conuenire vt in eodem pago sint plures Religiosorũ Conuentus, quia difficile sit plures idoneos Prælatos inuenire, & quia inter eos, qui sunt eiusdem artis facilè oriuntur contentiones, & æmulationes.

30. Sed Catholica veritas est varietatem Religionum ad decorem, & vtilitatem Ecclesiæ, maiusq; Dei obsequium pertinere. Quod quidem fide certum est, & fit manifestum tùm ex consensu Ecclesiæ, & quidem ab eius principio; Nam vt supra in introduc. quæst. ostensum est, varietas Religionum antiquissima est. Tùm quia Sancti fuerunt, qui varias Religiones fundarunt instinctu Dei. Tùm quia id expressè asseruit Gregor. XIII. in Constit. *Ascendente Domino* edita in noua confirmatione Instituti Societatis, quæ in eius Bullario habetur pag. mihi 225. vbi inter alia circa medium habet. *Idcirco cum Diuina Prouidentia pro temporum necessitate, varia, & salutaria Ordinum Instituta in Ecclesiâ sua produxerit, nouisq; in ea nascentibus morbis, noua remedia, nouisq; emergentibus hostium impugnationibus, noua regularium Ordinum auxilia excitarit, & cuiq; illorum iuxta cuiuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quasdam notas, propria insignia, & opportuna ad finem, quem intendit, media suggesserit, &c.* Sic igitur manifestum est varietatem Religionum introductam esse diuina prouidentia, essoque Ecclesiæ opportunam, & vtilem, quod D. Th. in argum. sed contra probat etiam ex illo Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate;* Quoniam maximus est decor, qui ex regularium Ordinum varietate Ecclesiæ prouenit.

31. Et huius etiam ratio est, quia & diuersa sunt consilia, & media, & instrumenta perfectionis acquirendæ, quæ sunt veluti viæ, quæ nos ducant ad illam, & spectato indiuiduali temperamento, & accidentibus humanæ vitæ, non quælibet via est omnibus accommodata, & suauiter proportionata, quod considerauit *S. Greg. lib. 6. mor. cap. 26. aliàs 17.* sic dicens. *Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis accipiat, in ipsa operis occupatione succumbant, & nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint, grauius laborent, quia tanto deteriores tumultus tolerant, quantò eis licentiùs ad cogitationem vocat. Vnde necesse est, vt nec quieta mens*

ad exer-

& exercitationem se immoderati laboris dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Quamobrem vtile Ecclesiæ fuit quasdam esse Religiones ad otium contemplationis, alias ad vtrasque mixtas, vnde singuli haberent, vt quod sibi magis vtile esset eligere possent; Et sic de alijs differentijs dicitur. Nā alij solitudinem, alij socialem vitam diligunt; hi in hoc exercitio delectabiliùs occupantur, quam in alio. Et ad hoc facit etiam illud *Augustini l. 8. Confess. cap. 1.* qui proposuerat ire ad Simplicianum Dei seruum. *Vnde mihi*, inquit, *vt proferret, volebam, conferenti secum astus meos, qui esset aptus modus sic affecto, vt ego eram ambulandum in via tua. Videbam enim plenam Ecclesiam tuam, & alius sic ibat, alius autem sic.* Videns igitur *August.* quod fidelium alius sic ad Deū, alius sic ibat, proposuit consulere Simplicianum, vt eo dirigente disceret, quā via sibi proportionata Deum posset consequi. Sic & prudentes faciūt, qui ad Deum conueniunt, vnde propterea vtilissimum fuit, & necessarium, quod essent plures Religiones, quasi quædam viæ suaui dispositione varijs hominum conditionibus magis accommodatæ, per quas fideles iter ad Deum faciliùs, & fructuosiùs arriperent.

32. Alia etiam est ratio ad idem. Nam quamplures actiones sunt charitatis, & ministeria Religionis, pro quibus vna persona non sufficit. Neque enim qui militat potest in Xenodochio curam habere infirmorum; & qui Xenodochio seruit; non valeat dare operam prædicationi. Fuit ergo necessarium, vt in Ecclesia darentur plures Religiosorum Ordines, vt Ecclesia haberet Ministros ad omnes istas charitatis, & Religionis actiones deputatos. Quod & asseruit *Greg. XIII. loco citato*, & *Bernard.* propterea *in Appel. ad Guillel. Abb.* expressit vsus loco illo *Ps. 44. Astitit Regina à dextris tuis, &c. Nec mirum* (inquit) *si in hoc exilio peregrinante Ecclesia sit hæc pluralis vnitas & vna pluralitas, cum in illa quoq; patria, quando & ipsa regnabit, futura sit aliqua dispar æqualitas, cum scriptum sit in domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

33. Quæ verò in oppositū adducta sunt, reijcit D. Th. in responsione ad argumenta. Ex responsione enim ad 1. habetur nullum hic esse schisma, nullam diuisionem, cum imò Religiones omnes in hoc conueniant, quod Religiosi totaliter se Deo tradant, & offerant, & distinctio solum sit secundum diuersa, per quæ homo Deo potest seruire. Cæterum sicur ob hanc causam, quia diuersa sunt secundum quæ homines possunt inseruire Reipublicæ, ideò non sunt schismata, sed magnus decor, & magna vtilitas ex hoc, quod in ea sunt plura officia, & plures artes, & plures ministri, & plures artifices. Sic ad decorem Ecclesiæ spectat, quod in ea sint plures Religiones secundum diuersa officia Deo seruientes. Et licet vt dicitur ad 2. Omnes Religiones Deo seruiant per obseruantiam votorum, tamen ad hanc obseruantiam aliæ Religiones se disponunt per solitudinem, aliæ per societatem, aliæ vno, aliæ alio modo, & sic in Ecclesia mirabilis splendet ordo charitatis. Neque inconuenientia sequitur. Nulla enim hic est confusio vt dicitur ad quartū, sed ordinata distinctio, vbi est vtilitas opportuna, & necessitas. Quoniam verò in hoc mundo talis est rerū conditio, quòd sine incommodo bona non haberētur, si in Ecclesia non esset varietas Religionum, ob leuia incommoda, quæ gratia materiæ per accidens sequuntur, vtilitas Ecclesiæ tolleretur, quia hic non sunt bona sine malis. Non sunt igitur omittenda bona, maiora ob aliqua inconuenientia, quæ accidunt ex hominum malitia; sed sunt adhibenda remedia, ne eueniant.

34. Basilius verò loquebatur de multitudine Monasteriorum eiusdem Ordinis in eodem pago, & tūc rationabilius potuit sibi videri id nō conuenire, quia tunc Monachi nec Sacerdotes erant, nec docti; Modò autē tales sunt, vnde nō est tàm difficile inuenire plures Prælatos, qui pluribus Monasterijs præsint, & vt non sit inconueniens, si aliquando in eodem loco sint plura Monasteria eiusdem Ordinis. Cæterum vt in his vitentur confusio, & alia inconuenientia, meritò Sedes Apostolica, vt dicitur ad 4. multiplicare Religiones prohibuit, & ordinauit, vt ea inconsulta nulla Religio instituatur. *cap. fin. de Relig. dom. & cap. vnico eod. tit. in 6.*

ARTICVLVS II.

Vtrum aliqua Religio institui debeat ad opera vitæ actiuæ.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd nulla Religio institui debeat ad opera vitæ actiuæ. Omnis enim Religio pertinet ad perfectionis statum, vt ex supradictis patet. Sed perfectio Religiosi status consistit in cōtemplatione diuinorum.* Opusc. 19. *Dicit enim Dionysius sexto capitulo.* 2.2. quæ. 184. ar. 5. *Ecclesiastica Hierarchia, quod nominatur ex Dei puro seruitio, & famulatu, & indiuisibili, & singulari vita vniente eos indiuisibilium sanctis cōuolutionibus, id est contemplationibus ad Deiformem vnitatem, & amabilem Deo perfectionem. Ergo videtur, quod nulla Religio institui possit ad opera vitæ actiuæ.* c. 6. p. 1. ad med. illius.

2. *Præterea, Idem iudicium videtur esse de Monachis, & Canonicis Regularibus, vt habetur extra, de postulando, ex parte, & de statu Monachorum, quod ad Dei timorem. Dicitur enim, quod à sanctorum Monachorum consortio, non putantur seiuncti. Et eadem ratio videtur esse de omnibus alijs Religiosis. Sed Monachorum Religio est instituta ad* in decre. lib. 1. tit. 17. & 2. in fin.

vitam contemplatiuam. Vnde Hieronymus dicit ad Paulinum, Si cupis esse quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in vrbibus? Et idem habetur extra de renuntiatione, nisi cũ pridem, & de Regularibus, Licet quibusdam. Ergo videtur, quod omnis Religio ordinetur ad vitam cõtemplatiuam, & nulla ad actiuam.

Hier. ad Paulinum parũ ante mediũ incipit. Bonus homo to mo 1.

In decr. lib. 3. tit. 35 c. 5. ho. 10. in ec med. & fin.

3. Præterea, Vita actiua ad præsens seculum pertinet. Sed omnes Religiosi seculum deserere dicuntur. Vnde Greg. dicit super Ezechielem, Quĩ præsens seculum deserit, & agit bona, quæ valet, quasi iam Ægypto derelicto sacrificium præbet in eremo. Ergo videtur, quod nulla Religio possit ordinari ad vitam actiuam.

Sed contra est, quod dicitur Iac. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Sed hoc pertinet ad vitam actiuam. Ergo conuenienter Religio potest ordinari ad vitam actiuam.

ar. præc.

Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, Religionis status ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei, & proximi. Ad dilectionẽ autem Dei directè pertinet vita contemplatiua, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directè pertinet vita actiua, quæ deseruit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deũ ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum: secundum illud Matth. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vnde & huiusmodi obsequia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam, secundùm illud ad Hebr. vlt. Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Et quia ad Religionem propriè pertinet sacrificium Deo offerre (vt supra habitum est) consequens est, quod conuenienter religiones quædam ad opera vitæ actiuæ ordinentur. Vnde, & in collationibus patrum Abbas Nesterius distinguens diuersa religionum studia dicit, Quidam summam intentionis suæ erga eremi secreta, & cordis instituunt puritatem, quidam erga institutionem fratrũ, & Cœnobiorum curam, quosdam Xenodochii, id est hospitalitatis delectat obsequium.

q. 81. a. 1. ad 1. & a. 3. ad. 1

In col. 14. c. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod Dei seruitium, & famulatus saluatur etiam in operibus vitæ actiuæ, quibus aliquis seruit proximo propter Deum sicut dictum est: in quibus etiam saluatur singularitas vitæ, non quantum ad hoc quod homo cum hominibus non conuersetur, sed quantum ad hoc, quòd homo singulariter his intendat, quæ ad diuinum obsequium spectant. Et dũ Religiosi operibus vitæ actiuæ insistunt intuitu Dei, consequens est, quod in eis actio ex contemplatione diuinorum deriuetur. Vnde non priuantur omninò fructu contemplatiuæ vitæ.

in corp. art.

Ad secundum dicendum, quod eadẽ est ratio de Monachis, & omnibus aliis religiosis, quantum ad ea, quæ sunt communia omni Religioni: puta quod totaliter se dedicent diuinis obsequiis, & quod essentialia vota Religionis obseruent, & quod à secularibus negotiis se abstineant. Sed non oportet similitudinem esse quantum ad alia, quæ sunt propria monasticæ professioni, quæ specialiter ad vitam contemplatiuam ordinantur. Vnde in prædicta Decretali de postulando, non dicitur simpliciter, quod sit idem iudicium de Canonicis regularibus, quod de monachis, sed quantum ad supradicta scilicet, quod in forensibus causis officio aduocationis non vtãtur. Et in Decretali inducta de statu monachorum, postquam præmiserat quòd non putantur à consortio monachorum seiuncti Canonici regulares, subditur, Regulæ tamen inseruiunt laxiori. Ex quo patet quod nõ ad omnia tenentur ad quæ monachi.

In arg. 1. & habetur supra ead. cit.

in arg. 2.

in Dec. citata in arg. 2.

Ad tertium dicendum, quod dupliciter aliquis potest esse in seculo. Vno modo per præsentiam corporalem, alio modo per mentis affectum. Vnde & Discipulis suis Dominus dixit, Ego elegi vos de mundo. De quibus tamen ad Patrem loquitur dicens, Hi in mũdo sunt, & ego ad te venio. Quamuis ergo religiosi, qui circa opera vitæ actiuæ occupantur, sint in seculo secundum præsentiam corporalem, non tamen sunt in seculo quantum ad mentis affectum, quia in exterioribus occupantur non quasi quærentes aliquid

in mun-

in mundo, sed solum propter diuinum obsequium. Vtuntur enim hoc mundo tamquam non vtentes, vt dicitur 1. ad Cor. 7. Vnde & Iacob. 1. postquam dictum est, Religio munda, & immaculata est visitare pupillos, & viduas in tribulatione: subditur, Et immaculatum se custodire ab hoc seculo: vt scilicet affectus in rebus seculi non detineatur.

SVMMARIVM.

1 *Vita contemplatiua, & actiua.* 1.
2 *Actio virtuosa est, qua diuiditur in actiuam, & contemplatiuam.* num. 2.
3 *Voluptas non est propria hominis.* num. 2.
4 *Contemplatiua quærit contemplationem propter se.* num. 3.
5 *Contemplatio est actus intellectus formaliter, & causaliter voluntatis.* num. 4.
6 *Contemplatio ex amore concupiscentiæ, & amicitiæ.* num. 4.
7 *Contemplatiua vita quæ principaliter intendit contemplationi.* num. 5.
8 *In quo sensu sit verū quod Religio aliqua sit principaliter ad opera actiuæ vitæ.* num. 6.
9 *Ratio quæstionis præsentis.* num. 7.
10 *Conueniens est esse institutas Religiones ad opera charitatis.* num. 8.
11 *Deo etiam sacrificium externæ charitatis offerendum.* num. 9.
12 *Conueniens est quòd inter status religiosos sint etiam, qui sunt faciliores viæ ad salutem* num. 10.
13 *Ecclesia indiget orantibus, & subuenientibus necessitatibus pauperum.* num. 11.
14 *Religiosi dediti actiuæ vitæ non priuantur meritò contemplatiuæ,* num. 12.
15 *Isti sunt in mundo, & non sunt.* num. 13.

1 SVpponit hic articulus distinctionem vitæ in contemplatiuam, & actiuam, de qua tractauit D. Tho. supra qu. 179. & 180. & 181. Hanc quidem diuisionem irrident Lutherani, qui omnia confundunt, & volunt omnes homines Christianos esse eiusdem Ordinis, status, & occupationis, sed dari plures status. & officia Christianorum probatum est supra q. 183. distingui verò Christianam vitam in actiuam, & contemplatiuam probat *D. T. locis citatis.*

2. Et quantum ad rem ipsam, res est de fide certa. Ad diuisionis verò huius intelligentiam considerandū primo est, quòd nomine vitæ venit hic operatio humana homini propria, & in qua ipsa maximè delectatur, vt homo est ratione vtens, quæ operatio est operatio virtutis. Cum viuere sit se mouere, seu per se operari, ideò motus ipse, seu operatio, per quam viuens se mouet dicitur vita. Vnde est quod vita alicuius est motus, & operatio illi propria, & secundum quam maximè ille delectatur. Sic vita plantarum est illas nutriri, & vegetari, & sic frondescere, & florescere, & fructus facere; Et vita animalium est sentire, & appetere, & de sensu perceptis, & appetitis delectari. Cum ergo proprium hominis, vt homo est sit vti ratione; inde est, quod eius viuere est agere ex ratione. Et quia vita voluptuosa ponit finem in corporea delectatione, quæ communis est etiam animalibus irrationalibus, ideò viuere voluptuosè, seu operari pro voluptate non est actio propria hominis, sed communis brutis, Ideò *D. Th. q. 179. a. 2. ad 3.* benè docuit quod studia humanarum actionum, quæ deseruiunt concupiscentiæ cuicumque pertinent ad vitam voluptuosam, vnde illa studia sunt magis propriè humana, tanquam homini propria, quæ ordinantur ad operandum secundum rationem rectam. Et sic vita hominis est operatio virtutis, & hæc est vita, quæ diuiditur in contemplatiuam, & actiuam.

3. Diuisionis autē ratio inde desumitur, quòd cū vita humana sit operari ex ratione, & intellectu, quia intellectus diuiditur in cōtemplatiuum, & actiuum, ideò & vita hominis diuiditur in contemplatiuam, & actiuam, Hæc tamen diuisio non est omninò eadem cùm illa, in qua diuiditur intellectus in speculatiuum, & practicum, quia pura speculatio non dirigit ad opus, neque ad illud mouet, sed contemplatio hic sumitur, quæ sit affectiua, & moueat ad amorem veritatis contemplatæ, scilicet ad amorem Dei. Cum verò dicatur intellectum contemplatiuum esse illum, qui quærit veritatem ob amorem contemplationis veritatis, vnde studium vitæ contemplatiuæ est contemplari veritatem propter ipsum contemplari, ita quod veritatis cognitio sit finis primo intentus; benè infert *D. Th. q. 180. a. 1.* quòd vita contemplatiua consistit in actibus, tàm intellectus, quàm voluntatis, quia adest contemplatio, quæ est actus intellectus, sed & adest intentio contemplationis, quæ est actus voluntatis, & delectatio ad veritatis contemplationem cōsequens quæ pariter est actus voluntatis.

4. Sed omninò considerandum est cum *Caiet. ibid.* quòd hæc intentio, & amor, qui mouet ad contemplandam veritatem potest esse duplex, scilicet amor concupiscentiæ illius boni, quod est contemplatio veritatis quatenus est contemplantis bonum, & hic amor est amor amicitiæ ipsius contemplantis, non verò est amor amicitiæ veritatis contemplatæ. Sed hæc intentio potest esse etiam amor amicitiæ veritatis contemplatæ, quia quando amamus aliquem amore amicitiæ desideramus illum videre, cum illo esse, loqui cum illo, illisque conuiuere, & ab eo non separari. Vterque amor pertinet ad vitam contemplatiuam. Et sic vita contemplatiua essētialiter est operatio intellectus; cuius est veritatem contemplari, Sed causalitèr, & terminatiuè est actus voluntatis. Causaliter quidem, quia contemplatio est ex intentione, quia contemplatiuus ex amore contemplationis veritatis se mouet ad illam. Terminatione etiam est actus voluntatis, tùm ratione delectationis, quæ consequitur ad contemplationem, tùm ratione amoris veritatis contemplatæ, qui crescit ex concontemplata veritate, si homo sit in statu, in quo amor possit augeri: vel si etiam non crescat, conseruatur, & perseuerat, & maior est, saltem formaliter quatenus est ex veritate clarè contemplata, quam sit ex confusiori cognitione, quæ contempla-

templationem antecedit, & ad contemplationem mouet. Et sic in contemplatiuo est amor concupiscentiæ, & amicitiæ. Est amor concupiscentiæ; quia amatur contemplatio, vt ex se, & per se est bonum contemplantis, quæ concupiscentia est ex amore amicitiæ contemplantis ad se ipsum, quo se ipsum amat. Sed adest amor amicitiæ ad Deum veritatem contemplatam, ex quo principaliter contemplationem ipsam secundum se intendit quatenus secundum se est quid summè necessarium ad perfectionē amoris amicitiæ ad Deum, & est quid quod amicitia petit, nimirum amicum videre, & cum illo intelligibiliter esse, & in amore eius confirmari, & de eo delectari. Et propterea *S. Greg. hom. 14. in Ezech. & l. 6 mor. cap. 18.* relatus à *D. Th. supra q. 180. a. 1.* dixit, quòd contemplatiua vita est charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, & soli desiderio conditoris inhærere. Quod modo exposito est verum causaliter, & terminatiuè.

5. Sed cõsiderādū est tertiò, quòd habet *D. T. q. 179. a. 2. ad* *ximirū, quòd mediū cõsistitur ex extremis, & ideò virtute cõtinētur in eis, sicut tepidū in calido, & frigido, & pallidum in albo, & nigro. Et similiter sub actiuo, & contemplatiuo comprehenditur id, quod est ex vtroque compositum. Et tamen sicut in quolibet mixto prædominatur aliquod simplicium. ita & in medio genere vitæ superabundat quandoque quidem contemplatiuum, quandoque verò actiuum.* Et sic dicitur contemplatiua vita, si contemplatio superabundet, quia vt ibidem habet *D. Th. art. 1. Quidam homines præcipuè intendunt contemplationi veritatis, quidam intendunt principaliter exterioribus actionibus, inde est quòd vita hominis conuenienter diuiditur per actiuam, & contemplatiuam.* Sic ergo dicitur vita contemplatiua non per hoc, quòd contemplatiuus non incumbat actioni externæ s sed quia principaliter intendit contemplationi. Et similiter dicitur actiua vita per hoc, quòd studiū hominis principaliter est agere.

6. Adnectit verò *Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. cap. 5. num. 5.* quòd hoc principaliter non consistit in eo, quod est per maiorem partem vitæ, aut diei exercere contemplationem, aut opera virtutum externa, sed in eo, quod est esse finem; quia actiuus v. g. adiungit aliquam orationem, vt opera sancta exercere valeat, & propter generalem rationem diuini cultus. Sed hoc instantiam patitur, quia inordinatè amarentur opera contemplatiuæ vitæ, quæ sunt oratio, & Dei meditatio, eiusq; amor si non amarentur, nisi vt media ad finem operum externorum, cum opera contemplatiuæ vitæ sint perfectiora, quàm externa, & petant amari propter se, & eorū honestatem. Nam & ipse fatetur, quòd huiusmodi opera amantur etiā ratione diuini cultus, vt sic amentur ratione propriæ honestatis secundum quàm habent, vt amētur. Nam datur etiam præceptum de oratione habenda propter suam ipsam bonitatem, & non solum in ordine ad externa opera: Et licet oratio, & meditatio amari possint etiam in ordine ad opera externa, ordinantur tamen ad illa, vt sunt actus virtutis, nimirum v. g. ad impetrandum auxilium ad hoc, vt homo patientèr, fortitèr, & congruè ex Dei puro amore exerceantur; & sic ordinantur, non propriè vt media ad finem, sed vt causæ ad effectum. Non ergo propriè in hoc stat principalitas ista, quod actus contemplatiuæ vitæ sint electi vt media, actiuæ vitæ verò vt finis. Sed hic distingui debent opera contemplatiuæ vitæ, vt sunt de præcepto, & vt sunt de consilio. Primo modo ad omnem statum pertinent, & sic etiam spectant ad Religiones actiuæ vitæ. sed prout sunt de cōsilio sunt minus principaliter considerata, quia vel non sunt electæ, nec Religio ad illas obligat, vel sunt minùs principaliter electæ, quia Religio minus ad illas obligat, & in casu, quòd actus contemplatiuæ vitæ impediant actus vitæ actiuæ, ad quos Religio per se primò obligat, potiùs omittendi sūt illi, quàm isti. Et sic in Religionibus vacantibus actiuæ vitæ oratio, lectio, meditatio, &c. prout sunt de consilio, vel non cadunt sub aliqua obligatione regulæ, vel illarum respectu regula fortiùs obligat ad actus actiuæ vitæ, ad quos principaliter ordinatur. Cōsistere etiam potest hæc principalitas aliquo modo in maiori abundantia, & in maiori tempore. Nam Religiosis ad opera actiuæ vitæ destinatis breues orationes imponuntur, & abundans labor, & exercitium operandi exterius.

7. Cum ergo sit duplex vita contemplatiua, scilicet, & actiua, meritò quærit *D. Th.* an institui debeat Religio ad opera actiuæ vitæ, tāquam supponens nō esse difficultatem an institui debeat Religio ad opera vitæ contemplatiuæ, cum manifestum sit contemplationem diuinorum aptissimū medium esse perfectionis charitatis acquirendæ, sed posse esse difficultatem respectu vitæ actiuæ, quæ propter occupationem, quam fert circa exteriora videtur elongare animum à diuinorum consideratione, & propterea esse instrumentum minus aptum ad perfectionem charitatis Dei obtinendam.

8. Sed nihilominus concludit *D. Th.* conuenienter aliquas Religiones institui ad opera vitæ actiuæ. Quod quidem probatur primò ex eo, quod ad Religionem maximè spectat sacrificium Deo offerre, vt dicit idem *D. Th.* supra *q. 85. ar. 1. ad 1. & ar. 4. ad 1.* igitur valdè conuenienter instituitur Religiosus status ad id, quod est Dei sacrificiū, & hostia per quam promeretur Deus; At verò sic est quod externa opera charitatis, & dilectionis proximi propter Deum, vt sunt curare infirmos, subleuare pauperes, & similia agere sunt sacrificia, & hostiæ Deo gratissimæ, per quæ Deus promeretur, iuxta illud ad Hebr. vlt. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Conueniens igitur est institui Religiones ad opera vitæ actiuæ, nimirum ad externa opera charitatis, & misericordiæ ad subueniendum necessitatibus proximi ob amorem Dei.

9. Sed videri posset alicui hoc non probari ex hac ratione, quia licet opera misericordiæ corporalia sint Deo grata, tamen multò gratiora sunt opera contemplatiuæ vitæ, Deo autem potius reddendum est, quod illi est magis gratum, & ideò ad opera contemplatiuæ vitæ institui debent Religiones, non ad opera vitæ actiuæ. Sed argumentum valdè deficit. Et quidem ad summum probat, quod potius institui debent Religiones ad opera vitæ contemplatiuæ, quàm actiuæ; quia Deo reddendum est quidquid est illi gratum, & cum etiā

gata sint opera actiuæ vitæ, etiam ista reddi debent, & meritò etiam ad ista est conueniens instituí aliquas Religiones, licet pro maiori parte institutæ sint ad opera vitæ contemplatiuæ.

10. Sed duæ rationes speciales sunt ex quibus apparet necessitas institutionis Religionum ad opera actiuæ vitæ. Vnam reddidit *S.Greg.Nazian. orat. 10. in laudem Cæsarij* §. *Age nunc. Philosophori* inquit, eo verbo indicans contemplatiuam vitam, *vt maximum, ita & difficillimum est, nec id aggredi multorum est, nec aliorum, quam quos diuina efficit mentis magnitudo, qua bona hominum voluntati manum porrigere solet. Non paruum quoque æstimandum est, si quis secundum vitæ genus complexus probitati studeat. Vtrumque ergo vitæ genus propria sanctificationi, & perfectioni principaliter studeo*. Itaq; igitur ex hoc sit argumentum ad conclusionem articuli: quia conueniens est, vt in Ecclesia sit nedum id, quod est difficillimum, sed quod est facilius medium ad salutem obtinendam, & nedum id quod non est multorum, sed etiam id quod facilius a pluribus amplecti potest. Religiones enim ad bonum Religiosorum ordinantur, & vt in statu Religioso securius salutem consequi valeant; cum ergo intendere soli contemplationi sit difficillimum, & non sit multorum, quia corporales necessitates non permittunt, quod dentur multi, qui in otio, & quiete contemplationis soli meditationi vacent, alias verò dare operam externis misericordiæ sacrificijs sit facilius, & multitudini magis accommodatum, conueniens est, vt in Ecclesia sint nedum viri ad contemplationem ordinati, & Religiones ad hunc finem institutæ, sed etiam aliæ, in quibus fideles deputentur, & obligentur ad externa opera charitatis.

11. Accedit secundò, quòd in magna domo nedum argentea vasa, & aurea, sed & lignea, & fictilia 2. *Tim.* 2. necessaria sunt, & in vniuersitate bene ordinata conueniens est, vt dentur ministri deputati ad quodcumque opus, quod ad vtilitatem Vniuersitatis sit necessarium; sic & in naturalibus homo constat ex capite, manibus, pedibus, & alijs ignobilioribus partibus. In Ecclesia, in qua inueniuntur proximi multis subiecti necessitatibus, & qui indigent ab alijs adiuuari, & subleuari, perirent multi, si non esset, qui illis opem ferret, seu si omnes pij homines soli contemplationi addicti cum MARIA ad pedes IESV starêt, & quæ ad proximorum necessitatem spectant non curarent. Benè ergo conueniens est, vt in Ecclesia sint etiam Religiones, quæ institutæ sint ad necessitates proximorum subleuandas, & quæ per huiusmodi sacrificia Deum sibi promereantur. Indiget Ecclesia precibus, vnde in periculis subleuetur, sed & indiget, qui curam pauperum habeant. Indiget ieiunijs, sed & indiget doctrina. Optimum igitur est, vt hæc sancta Dei Ciuitas Ecclesia omnibus præsidijs sit instructa, quæ vel ad necessitatem, vel ad commoditatem adipiscendæ salutis pertinere possunt. Nedum igitur ad opera contemplationis, sed & ad opera actiuæ vitæ conueniens est institui Religiones. Et sic praxis ipsa Ecclesiæ hoc obtinuit, vt in ea plures Religiones sint institutæ, quæ ad actiuam vitam ordinantur.

12. Quod & eo ampliùs conueniens ostenditur, quod huiusmodi Religiosi non priuantur fructu contemplatiuæ vitæ, quia vt dicit *D.Th. ad* 1. dum intuitu Dei dilectioni proximi incumbunt, opus ex Dei contemplatione proficiscitur. Quod explicat *Caietanus* verificari non quia actiones istæ misericordiæ corporales sint effectus contemplationis, sed quia sunt effectus Dei contemplati, quia ex Dei contemplati amore fidelium necessitates subleuantur.

13. Et hinc etiam *in respons. ad* 3. soluitur obiectio supra allata, quia nimirum dantes operam actiuæ vitæ se implicant negotijs secularibus, & in seculo manentes à periculis seculi non sunt immunes. Nam huiusmodi sunt in seculo secundum præsentiam corporalem, iuxta id, quod de suis dixit Christus *Io:* 17. In mundo sunt, & ego ad te venio, sed secundum affectum sunt extra mundum, quia non mundum quærunt, sed Deum & sic vtuntur hoc mundo tanquam non vtentes. 1. *Cor.* quod descripsit *Apost. Iacob. cap.* 1. dicens: *Religio munda, & immaculata est visitare pupillos, & viduas in tribulatione, & immundum se custodire ab hoc seculo*. Et sic Religio est charitatis opera exercere, sed propter Deum, & ita quod affectus rebus seculi non detineatur.

SVMMARIVM.

14. REmanet tamen difficultas de sufficientia huius diuisionis Religionis in eam, quæ est ad contemplationem, & in eam, quæ est ad opera actiuæ vitæ, an sit diuisio sufficiens? quia datur tertium membrum, scilicet Religio mixta & ad contemplationem, & actionem ordinata. Hanc enim amplexus fuit Christus nocte pernoctans in oratione, & die docens, prædicans, & pertransiens benefaciendo, & sanando infirmos. Eamdem sequuti sunt Apostoli, qui *Act.* 5. dicebant, *Nos autem orationi, & verbo instantes erimus*. Vnde eorum erat & contemplari orando, & operari ad extra prædicando, quod & confirmatur ex *S. Aug.* hanc distinctionem trimembrem ponente *lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 19. & ex *Prosp. lib.* 1. *de vita contemplat.* vbi cum à *cap.* 13. probet Episcopos, & Prędicatores vitam contemplatiuam debere profiteri, multa ad vitam actiuam spectantia illis tribuit. Non est ergo sufficiens diuisio data in textu, vt Religionum aliæ sint, quæ sunt institutæ ad côtemplationem, aliæ ad actiuam vitam.

15. Sed primo dico, quod hoc non est contra textum, & mentem *D.Th.* qui in hoc articulo non

non intendit dare diuisionem illam Religionis in contemplatiuam, & actiuam, sed intendit docere, sicut docet, & probat, quod præter Religiones institutas ad contemplandum conueniens fuit institui etiam Religiones ad agendum. An verò ex hoc sequatur, quod Religiones sint duorum, vel trium generum, hoc non discutit.

16. Dico tamen 2. de facto dari Religiones, quæ vtrumq; munus contemplandi, & agendi ad vtilitatem proximi exactè colunt, & exequuntur, vnde quæstio erit de nomine, si vel aliqui velint has Religiones spectare ad alterum ex membris positis, ita quod aliquæ sint contemplatiuæ purè, aliæ purè actiuæ, aliæ mixtæ, vel alijs placeat has mixtas dici deberè absolutè, vel contemplatiuas, vel actiuas. Ita *Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 5. num. 17.* Nam Religiones, quæ ordinantur ad opera misericordiæ spiritualia necessario sunt ad contemplationem, quia non possūt exerceri opera spiritualia docendi, prædicandi, corrigendi, confessiones audiendi, consolandi, &c. nisi ab illis, qui diuinas scripturas legerint, & meditati fuerint, & fuerint contemplati, vnde huiusmodi Religiones incumbunt per necesse contemplationi, sub cuius nomine veniunt lectio, meditatio, oratio, contemplatio, de quibus *S. Bernard. in lib. de scala claustrali* dixit. *Ex his possumus colligere, quod lectio sine meditatione arida est, meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione est tepida, meditatio sine oratione infructuosa, oratio cum deuotione contemplationis requisitiua, contemplationis adeptio sine oratione rara, & miraculosa.* Et *S. Bonau. in Pharetra l. 4. c. 36. Omnis profectus ex lectione, & meditatione procedit, quæ enim nescimus ex lectione discimus, meditationibus conseruamus.* Et *S. Vincentius de Vita spirit. Lectio, & oratio sese vicissim excipiunt, mutuoq; iuuant.* Qui ergo spiritualiter volunt iuuare proximos, & ad hoc operam dare, opus est vt legant, meditentur, orent, & contemplentur, ideò Religiones institutæ ad iuuandum spiritualiter proximos contemplationi necessario operam dare necesse est.

17. Quærit autem *Suarez. nu. 18.* An consimilis Religio, quæ vtrumque munus complectitur, vnum ad alterum necessario ordinet, vel vtrumque per se intendat tanquam finem? Et ait, vtrumque munus intendi, vt finem in his Religionibus, quæ ad eam partem vitæ actiuæ ordinātur, quæ in spiritualibus actionibus circa proximum consistit. Quamuis negari non possit, quin actus contemplatiuæ vitæ in tali Religione ad actionem ordinentur; nam studium, lectio, meditatio frequentius ad seruiendum proximis ordinantur: imò etiam ipsa ratio, & vnio cum Deo propter illum finem potest rectissimè desiderari, & procurari, quia eo quisq; est aptius instrumentum Dei in auxilium animarum, quo ipse fuerit Deo magis iunctus. Nihilominus etiam per se debet intendi contemplatio, etiam in tali Religione. Tum primo quia contemplatio non est purè medium sed est per se appetibilis. Secundò quia in tali Religione magis per se intenditur propria perfectio, quàm proximi; At propria perfectio maximè consistit in contemplatione. Tùm tertio quia Religiosus nedum vtitur ea contemplatione, quæ necessaria est ad auxilium proximorum, sed etiam illa fruitur, quæ sibi proficua est, & in Deo delectabilis. Vnde talis Religiosus, vt rectè suo munere fungatur, quoties nō est necesse occupari circa proximum contemplationi se applicat, non propter actionem, sed quia *otium sanctum diligit charitas veritatis,* & ita statim ad illud redit, qui verè amat, quoties *negotium iustum non imponit necessitas charitatis,* vnde subdit *August. lib. 18. de Ciu. cap. 19. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimoda veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas.* Igitur talis Religio per se contēplatiua est, & non tantum propter actionem, sed propter se contemplationem amplectitur.

18. Sed ego existimo, quod huiusmodi Religio respiciat opera contemplatiuæ vitæ, & actiuæ non vt diuersa, nec vt duos fines, sed vt vnum, quod est contemplatio intra, & extra fructificans, seu nedum contemplanti fructificans, sed etiam proximo, & quod opera actiuæ vitæ respiciantur vt fructus contemplationis, non vt quid ab illa diuersum, & principaliter sic intentum, sed benè quod medium principale, & sic finis proximus sit contemplatio; vt imperabilis à dilectione Dei, & proximi, & quia charitas principalius diligit Deū, & proximū propter Deū, sic Religio respiciat cōtēplationē ex dilectione Dei, vt est Dei obsequiū, & mediū aptissimū ad Dei vnionem acquirēdam, & ex dilectione proximi, vt est causa ex qua pullolare potest maxima proximi vtilitas. Et sic opus externum est intentum principaliter, & non principaliter. Est intentum principaliter, quia est quid clausum in principali intento, quod est cōtemplatio vt adæquatè fructificans tàm contemplanti, quàm proximo. Sed non est intentum principaliter comparatiuè ad contemplationem, quia contemplatio ipsa illa est, quæ ex dilectione Dei intenditur; quia vt habet *D. Th. in corp. art.* directè ad dilectionem Dei pertinet contemplatiua vita, vnde opus externum est intentum, vt fructus ex superabbundantia contemplationis colligendus ex dilectione Dei, quæ minùs principaliter ad proximum se extendit.

19. Hinc colligitur an huiusmodi Religio potius dicenda sit contemplatiua, quàm actiua. vel è contra *Suarez. num. 19.* inquit, quod talis Religio solet magis actiua nominari, quàm contemplatiua. Vel quia nomen contemplatiuæ vitæ est quasi exclusiuum, vt ita significet vitam, quæ per se tendit in contemplationem, vt nullo modo intendat actionem, quæ per se tendit, & ordinatur ad proximum. Omnis verò Religio, quæ ordinatur ad actionem, etiam si ad opera misericordiæ spiritualia dici potest actiua, Vel secundo quia Religio potest ordinare contemplationem ad actionē non ita propriè actionem ad contemplationem. Sed oppositum est dicendum; Nam huiusmodi Religio essentialiter, & principaliter est contemplatiua, & superabundanter, & extensiuè actiua. Respicit enim principaliter vitam cum Deo vnitiuam, cum ordinetur ad hoc vt Religiosus fiat perfectus; perfectio verò consistat in vnione cum Deo per charitatem;

tatem;

tatem ; ad hoc autem directè, & principaliter ducit contemplatio. Nec est verum, quod nomen vitæ contemplatiuæ sit exclusiuum, & quatenus esset, adhuc diceretur, quod datur contemplatiuum excellens, quod extensione est simul practicum, nam & intellectus speculatiuus extensione fit practicus, nec inconueniens, quod speculatiuum sit simul practicum. Nam v.g. fides est habitus speculatiuus, & practicus, si ergo huiusmodi Religio modo excellenti est contemplatiua, vt simul se extendat ad praxim, & actionem. Contemplatio vero est causa actionis externæ, quæ habetur ad profectum proximi. Et nihilominus huiusmodi Religio non respicit contemplationem præcisè, vt contemplatio ordinatur ad vitam actiuam; sed imo contemplatio ista ex superabundantia ad actiuam vitam ordinatur, sed Religio huiusmodi per se, & principaliter respicit contemplationem ipsam absolutè, vt est ex amore amicitiæ Dei, & proximi est diligibilis. Itaque propterea talis Religio essentialiter est contemplatiua & principaliter, & ex superabundanti est actiua, ex eo quod excellenti modo est contemplatiua, & ex sua excellentia sui ipsius communicatiua ad proximi vtilitatem.

20. Est tamen aduertendum, quod ad hoc, vt Religio sit hoc modo contemplatiua, & actiua, non sufficit, quod Religiosi se exerceant in operibus misericordiæ spiritualibus, sed opus est, quod id faciant ex *Regulæ præscripto*, quia Religio ad id *ordinat* suos, ad quod per Regulam, aut Constitutiones eos destinat.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliqua Religio ordinari possit ad militandum.

Infra art. 4. ad 2. & 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod nulla Religio ordinari possit ad militandum. Omnis enim Religio pertinet ad Statum perfectionis. Sed ad perfectionem vitæ Christianæ pertinet, quòd Dominus dicit Matth. 5. Ego dico vobis non resistere malo: sed si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram: quod repugnat officio militari. Ergo nulla Religio potest institui ad militandum.

art. præc. argum. 2.

2. Præterea, Grauior est cõpugnatio corporaliũ præliorũ, quàm concertationes verborum, quæ in aduocationibus fiunt. Sed Religiosis interdicitur officio aduocationis vti: vt patet in Decretali, de postulando supra inducta. Ergo videtur, quòd multò minùs aliqua Religio possit institui ad militandum.

q. præc. ar. 6.

3. Præterea, Status Religionis est status pœnitentiæ, vt supra dictum est. Sed pœnitentibus secundum iura interdicitur militia. Dicitur enim in Decretis de pœnitentia distinct. 5. Contrarium omninò est Ecclesiasticis Regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem. Ergo nulla Religio congruè institui potest ad militandum.

De pœn. dist. 5. c. Contrarium.

4. Præterea, Nulla Religio institui potest ad aliquid iniustum. Sed sicut Isidorus dicit in lib. Etimolog. Iustum bellum est quod ex edicto Imperiali geritur. Cum ergò Religiosi sint quædam priuatæ personæ, videtur, quòd non liceat eis bellum gerere: & ita ad hoc non potest institui aliqua Religio.

li. 18. circa prin.

Sed contra est, quòd August. dicit ad Bonifacium, Noli æstimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his enim erat Sanctus Dauid, cui Dominus magnũ testimoniũ perhibuit. Sed ad hoc instituta sũt Religiones, vt homines Deo placeãt. Ergo nihil prohibet aliquã Religionẽ institui ad militãdum.

Habetur in 1. epist. inter 21. quæ sunt in 8. 2. 1. parti ante medium.

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, Religio institui potest non solùm ad opera vitæ cõtemplatiuæ sed etiam ad opera vitæ actiuæ, in quantum pertinent ad subuentionem proximorum, & obsequium Dei, non autem in quantum pertinent ad aliquid mundanum tollendum. Potest autem officium militare ordinari ad subuentionem proximorum, non solùm quantùm ad priuatas personas, sed etiam quantùm ad totius Reipublicæ defensiones. Vndè de Iuda Machabæo 1. Machab. 3. dicitur, quòd præliabatur prælium Israel cum lætitia, & dilatauit populo suo gloriam. Ordinari etiam potest ad conseruationem diuini cultus. Vnde ibidem subditur Iudam dixisse: Nos pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris. Et infra decimotertio dicit Simon, Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus Patris mei fecimus pro legibus, & pro Sanctis prælia. Vnde conuenienter potest institui aliqua Religio ad militandũ, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem Diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiã

art. præc.

al. Tenendũ

pauperum, & oppressorum, secundum illud Ps. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis potest non resistere malo, dupliciter. Vno modo condonando propriam iniuriam. Et sic potest ad perfectionem pertinere, quando ita fieri expedit ad salutem aliorum. Alio modo tolerando patienter iniurias aliorum. Et hoc ad perfectionem pertinet, vel etiam ad vitium, si aliquis potest conuenienter iniurianti resistere. Vnde Ambros. dicit in lib. de Officijs, Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena est iustitia: sicut etiam ibidem Dominus dicit, Quæ tua sunt ne repetas: & tamen si aliquis non repeteret ea, quæ sunt aliorum, si ad eum pertineat, peccaret. Homo enim laudabiliter donat sua, non autem aliena. Et multò minùs ea, quæ sunt Dei, non sunt negligenda: quia vt Chrys. dicit super Matthæum, Iniurias Dei dissimulare nimis est impiũ.

l.1.c.27. post med. to. 1.

ho. 5 In Mat. inter med & fin in imperf. to. 2. oper. 30. 2.

Ad secundum dicendum, quòd exercere aduocationis officium propter aliquid mundanum, repugnat omni Religioni. Non autem si hoc aliquis exerceat secundum dispositionem sui Prælati pro Monasterio suo, vt in eadem Decretali subditur, Neque etiam pro defensione pauperum, aut viduarum. Vnde in Decretis distinct. 88. dicitur, Decreuit sancta Synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se immiscere, nisi propter curam, pupillorum, &c. Et similiter militare propter aliquid mundanum, est omni Religioni contrarium, non autẽ militare propter obsequium Dei.

In decreta. c. 2. pag. 2.

In Dec. d. 88. c. 1. decreuit.

Ad tertium dicendum, quod militia secularis interdicitur pœnitentibus, sed militia, quæ est propter diuinum obsequium, imponitur alicui in pœnitentiam: sicut patet de his, quibus iniungitur, vt militent in subsidium Terræ Sanctæ.

Ad quartum dicendum, quod Religio non sic instituitur ad militandum quòd Religiosis propria auctoritate liceat bella gerere, sed solum auctoritate Principum, vel Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Ratio quæstionis. num. 1.*
2 *Conuenienter institutæ Religiones militares. numer. 2.*
3 *A quo tempore habuerint originem. num. 2.*
4 *Vota Religiosa valdè conueniunt militibus. numer. 3.*
5 *Periculum irregularitatis non obstat Religiosæ militiæ. num. 4.*
6 *Militia vt est Dei obsequium est quid religiosum. num. 5.*
7 *In militibus Religiosis necessaria instructio Religiosa. num. 6.*
8 *Milites non emittentes tria vota substantialia non sunt propriè Religiosi. num. 7.*
9 *Debent deferre habitum, seu signum suæ Religionis. num. 8.*
9 *Gaudent priuilegio fori.*

1 QVamuis in articulo præcedenti *D. Tho.* ostenderit conueniens esse vt in Ecclesia sint institutæ Religiones ad opera vitæ actiuæ, inter quæ numeratur etiã militare, nihilominus opus fuit specialiter quærere, an possit institui Religio ad militandum; quoniam licet militia possit esse iusta, & laudabilis, tamen non videtur medium aptum ad acquirendam perfectionem charitatis, quæ est finis Religiosi status. Quomodo enim scola perfectionis acquirendæ erit militia, cum militare sit munus infinitis periculis peccandi expositum; & milites communicent cum omnium hominum genere, etiam cum illis, qui fidem non profitentur, aut qui regulariter inhonestè viuunt; & ijdem quando non agitur actuale bellum ordinariè otiosi viuunt, & eis innumeræ peccandi occasiones regulariter occurrant? Accedit non esse in militibus ob dictas causas virtutum exercitium, quia nulla vel parua est, aut moraliter esse potest in tali statu institutio magistrorum spiritualium, minorque vigilantia, & custodia Prælatorum. Quomodo ergo militia esse poterit status perfectionis? Videri potest de his *Petrus Blesen. epist. 94.* Meritò propterea *D. Tho.* specialiter quærit an militia aliqua possit esse Religio, quæ est status perfectionis.

Resolutio verò articuli in hac consistit conclusione, scilicet, quod conuenienter potest institui Religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem Diuini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum, iuxta illud *Ps. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Quæ conclusio probatur, quoniam, vt ex artic. præced. constat, conueniens est institui Religiones ad opera actiuæ vitæ inquantum sunt opera charitatis, & virtutis, & in diuinum cultum ordinantur; modò militare si fiat ad defensionem fidei, & Religionis, vel publicæ vtilitatis, vel pauperum, & oppressorum est opus pietatis, & virtutis, vt probatur ex *lib. 1. Machab. cap. 3. 13.* Conuenienter igitur ad huiusmodi militiam institui possunt Religiones. Hæc conclusio *D. Tho.* communiter est recepta, & vsu Ecclesiæ comprobata.

Ab

Ab Vrbano autem II. qui sedit ab anno 1086. vsq; ad 1099. Religiones horum Equitum originem sumpsisse ex *Thoma Bosio tom. 2. de sig. Eccles. l. 19. cap. 1. num. 21.* tradit *Suarez tom. 4. de Relig. tra. 9. l. 1. cap. 3. num. 4.* Sed Equites Sancti Sepulchri institutionē habuisse à tempore S. Helenæ Constātini Matris, postquam Dominicā Crucē inuenit, aliqui voluerunt, alij verò ab Imperio Caroli Magni cum donatione Aaronis Saracenorum Regis sepulchrum Christi accepit. Alij sub Balduino Primo Rege Hierosolym. & Paschali Secundo Pontifice. Quod verius tradit *Barbosa in sum. Apostol. collec. 304. num. 2.*

3. Magis verò *D. Th.* explicatur ex eo, quòd cum ex vna parte non possit negari, quin militare pro defensione Diuini Cultus, seu pro defensione publicæ salutis, & pauperum, vt hæc defensio est opus charitatis, & pietatis sit res sancta, & Deo grata, & ad diuinum pertinens cultum, & ideò obiectum religionis; ex alia parte, manifestum quoque esse debet, quod ad huiusmodi charitatis obsequium habendum cum magna boni communis, & Diuini Cultus dignitate, & profectu, adueniente occasione, aptissima media sunt vota substantialia, quæ Religiosum statum constituunt. Votum enim castitatis est ad eum finem aptissimum, quia obligatio coniugis, & onera matrimonij multum impediunt libertatem necessariam ad bellandum, & exponendum vitam nulla habita cura vxoris, & filiorum. Cum ergo ad militiam conferat Cœlibatus, gratissimum erit Deo si ei per votum consacretur castitas, & valebit hoc non parum ad obtinendum Dei auxilium in tempore belli contra inimicos. Cui additur, quòd cœlibatus vtilis sit nedum ad animæ puritatem, sed & ad conseruandam sanitatem, & vires corporeas ad illud munus maximè necessarias. Paupertas quoque voto consecrata vtilissima est, ad hoc, vt vtiliter ex puro corde Deo se sacrificent, & adueniente bellandi tempore, non ex lucri cupiditate, sed ex virtute pugnent; alias multùm erit periculi, quòd miles potius arma sumat ex cupiditate augendi rem familiarem, ex qua postea tāin semper oriuntur bella iniusta, prædationes, furta, &c. Denique militis fortitudo in hoc maximè consistit, vt despectis mundi rebus, & vita etiam propter Deum contempta, liber sit ab omni terrenarum rerum cura, & totus in Dei obsequium tendat; ad quod consequendum optima dispositio est abdicatio temporalium per paupertatis votum. Obedientia verò maximè ad felicem exitum belli est militibus necessaria, quia sinè illa nec debitus ordo, nec executio opportuna occurrentiū actionum, & mediorum, nec debita solicitudo, & prouida omnium distributio seruari potest. Quando ergo militia sit Religiosa, optimū erit, si eius obedientia fit per vōtum promissa Deo, quia hoc modo, & superiores maiori cum potestate præcipient, & subditi obedient cum maiori promptitudine. Militia quoque maioris erit meriti in milite, & maiori ratione poterit à militibus auxilium Diuinum sperari. Valdè conuenientèr igitur instituti sunt in Ecclesia Ordines militares.

4. Quòd verò *Sarmiens in sua Defens. 1. parte monit. 57.* ex eo contendat probare, quòd Ordines militares, qui nunc sunt non sint veræ Religiones, quia officium militandi tendit ad irregularitatem homicidij, quod opponitur Religioni, quia ex hac ratione sequitur absolutè Ordines militares non posse esse Religiones, meritò reijcitur *à Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 9. l. 1. cap. 3. num. 7.* Nam officium tendens ad irregularitatem homicidij est oppositum Religioni in Clerico ad diuina deputato, sed in laico nihil officit irregularitas huiusmodi, quæ nec peccatum est, nec peccatum supponit, nec est per se intenta, sed accidit ex consequenti. Vnde hæc irregularitatis consecutio valde accidentaria est ad statum perfectionis in laico, cuius status ad sacerdotium non ordinatur.

5. Circa intelligentiam conclusionis tamen mouet dubium Caiet. & obijcit, quia conclusio sibi ipsi contraria videtur, quia negat posse institui Religionem ad militandum propter finem mūdanum, & postea admittit institui posse ad finem publicæ salutis, & defensionis pauperum; at verò publica salus, seu etiam defensio pauperum, quid mundanum est, cum publica salus, & libertas oppressorum sit quid mundanum commune etiam Paganis, apud vtrosque enim est publica salus, & oppressorum defensio. Sed dicitur cum eodem *Caiet.* quòd nulla hic est contradictio. Nam mūdanum est, quod spectat ad dominium temporale, gloriam, honorem temporalem mundi, pecuniam, & quidquid pecunia est æstimabile, sed spirituale, & religiosum est, quod in Dei cultum, & obsequiū præstatur, & ad hoc pertinent quidquid est actus virtutis, & quatenus tale est exercetur in Dei obsequium. Igitur hic non debet attendi res materialis, quæ est occasio belli, sed finis bellantis; qui si sit acquisitio, vel conseruatio boni pecunia æstimabilis, bellum est mundanum, sed si sit pro exercendo actu Religionis, & virtutis, vt scilicet miles actum Religionis exerceat in Dei obsequiū, est bellum religiosum. Et sic licet salus publica sit quid mundanum, seu etiam libertas oppressi, defensio tamen publicæ salutis, vt est Dei obsequium resultans ex actu charitatis, & pietatis exercitæ in defensione publicæ salutis est opus Religiosum. Sic igitur distinguitur militia, quia alia est iniusta, & hæc non potest esse finis religiosi status, alia est iusta, & hæc est duplex, alia enim est mundana, & alia religiosa. Illa est mundana, quæ habet pro fine rem temporalem, & quæ potest esse etiam in Pagano, & Atheo, cum quis bellum gerit vt suum bonum temporale obtineat, vel conseruet. Ita quod nedum quod intenditur obtineri esse temporale, sed vt tale intenditur, & pro eo, vt tali bellum geritur. Sed militia religiosa illa est, quæ habet pro fine Dei cultum, siue hic cultus consistat in fidei defensione, siue in defensione iustitiæ, aut cuiuscumque virtutis, siue in exercitio actus, charitatis vel pietatis, vel misericordiæ, siue alterius virtutis. Et sic militia mundana, & religiosa distinguuntur ex fine, quia illa habet pro fine aliquod temporale, sed militia religiosa habet pro fine Dei obsequium. Et sic militia potest esse finis, ad quem militaris ordo ordinetur.

6. Non obstant verò, quæ in principio adducta sunt. *Suarez. d. cap. 1. num. 10.* dicit ex adductis probari, quod moraliter sit necessarium, quod huiusmodi milites, priusquā actuali militiæ

committantur, in virtute per aliquod tempus exerceantur, tùm quia dignè, & cum debita intentione pugnare est potius opus perfectionis acquisitæ, quàm acquirendæ. Religio verò [est schola perfectionis acquirendæ, vndè condebitus Ordo postulat, vt prius quis perfectionem acquirat, quā exerceat. Tùm secundò quia huiusmodi milites nisi prius sint in virtute radicati non poterunt vitare pericula peccandi, quæ in statu militiæ occurrunt, vt obiectiones factæ ostendunt. Ex quo deducit, moraliter necessarium esse, vt in his ordinibus habeantur Conuentus in quibus milites in via perfectionis instruantur, priusquam militiæ se dent, & ad illos aliquoties recurrant tempore pacis, vt in virtute instaurentur, si pro humana fragilitate lapsi fuerint, vel reparentur, si de virtute aliquid remiserint. Denique colligit valdè expediens esse, vt hæ Religiones non sint puræ militares, sed coniunctionem habeāt cum Religiosis, qui non militent, sed spiritualibus exercitijs, & cultui Diuino incumbant, vt milites à Clericis Religiosis possint in rebus spiritualibus instrui, & iuuari. Quæ quidem rationabiliter dicuntur. Nam vnaquæque Religio nedum debet habere finem proximum bonum ad quem ordinetur, sed ad illum obtinendum debet assumere media proportionata. Ideò Religiones militares nedum vouere debent castitatem, paupertatem, & obedientiam, sed assumere media ad horum votorum obseruantiam, quæ sint illorum statui proportionata, & per quæ vitentur pericula peccandi, & præparetur via secura ad perfectionem. Ideò quæ in obiectionibus tacta sunt habeāt locum in militibus stipendiarijs, & à regularibus lēgibus solutis, non verò in militibus sub disciplina regulari instructis.

7. Cùm verò inter militares Ordines quidam sint, in quibus milites emittunt tria vota substantialia Religionis, sicut faciunt milites S. Io: Hierosolym. Alij verò non vouent castitatem simpliciter, sed solum coniugalem, vt modo faciunt Equites Sancti Iacobi, de Alcantara, S. Stephani, SS. Mauritij, & Sociorum, & alij, sicut nec vouent paupertatem excludentem omne rerum dominium, sicut de huiusmodi militibus asserunt *Sanchez. l. 7. in Decalog. cap. 8. num. 28. Barbosa lib. 2. de iure Eccles. cap. 7. num. 52. Diana p. 5. trac. 14. res. 94. & alij plures apud istos*. Vnde est, quòd in eis materia obedientiæ valdè restricta est. Quærendum hic esset an militiæ huius secundi generis sint propriè Religiosi, sed quæstionem hanc iam tractaui supra *q. 186. a. 4. ad 3. pag. 474.* & nihil dicendum de nouo occurrit. Isti igitur milites propriè, & antonomasticè non sunt Religiosi neque sub hoc nomine veniunt in sacris Canonibus, sub quo tamen comprehenduntur Equites Hierosolym. qui cùm emittant tria vota sunt propriè Religiosi. Quæ etiam pertinent ad vota horum Religiosa, iudicanda sunt ex dictis supra *ead. q. 186. a. 7. & 8.* consultis etiam eorum Constitutionibus, & consuetudinibus legitimè præscriptis. Multa enim priuilegia habent, de quibus quatenus opus erit, dicetur vbi se præsentabit occasio. De illis in specie agit *Barbosa in Summa Apostol. v. Eques coll. 303. & seqq.* & de illorum obligationibus, & priuilegijs *idem Barbosa l. 2. de Iur. Eccles. cap. 8. & Lezana tom. 2. cap. 5.*

8. Hic aduertendum, quòd tenentur deferre patenter habitum, seu signum Religionis, vt decreuit *Sixtus V. Const. 92.* incipien. *Cum Sacrosanctam. 5. Idus Ianuar. 1589. Barbosa v. Eques num. 2.* Sixtus Quintus tamen ibi loquitur de militibus habentibus beneficia, vel pensiones. Canonicum verò, si fuerit Eques Regularis, non posse supra Canonicorum habitum deferre Crucem Ordinis militaris, tanquam decisum à *Sacra Congreg. Rit. 2. Octob. 1661.* asserunt *Sellius in select. Canon. cap. 50. Lezana tom. 2. c. 5. num. 37. Barbosa d. v. Eques num. 1. Vbi nu. 4.* quòd milites omnes gaudent priuilegio fori, & declarauit *S. Congregatio Immunitatis in vna Assisien de mense Decemb. 1627.* & quòd *eadem S. Cong. 25. Septemb. 1617.* censuit Equitem Religionis Christianæ inquisitum, & carceratum a Ministris Ducalibus consignari Episcopo Mantuano vna cum Originali processu facto quamuis nullo, qui vt Delegatus causam cognosceret. Omnes etiam huiusmodi milites esse dicendos Ecclesiasticas personas benè aduertit *Lezana d. cap. 5. num. 14.* Viuunt enim sub Regulis a Sancta Sede Apostolica approbatis in Dei obsequium, & Cultum Religiosum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliqua Religio possit institui ad prædicandum, vel Confessiones audiendùm.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd nulla Religio possit institui ad prædicandum, vel confessiones audiendum. Dicitur enim 7. quæstione 1. Monachorum vita subiectionis habet verbum, & discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. Et eadem ratio esse videtur de alijs Religiosis. Sed prædicare, & confessiones audire, est pascere, vel docere alios. Non ergo ad hoc aliqua Religio potest institui. Op. 10. ca. 14. 7. q. 1. c. Hoc nequaquam.

2. *Præterea, Id ad quod religio instituitur, videtur esse maximè proprium religioni, vt supra dictum est. Sed prædicti actus nō sunt proprij religiosorum, sed potius Prælatorum. Non ergo ad huiusmodi actus potest aliqua Religio institui.* ar. 3. & 1 præ.

3. *Præterea, inconueniens videtur, quòd auctoritas prædicandi, & confessiones audiendi infinitis hominibus committatur. Sed non est certus numerus eorum, qui in Religione aliqua recipiuntur. Ergo inconueniens est, quod aliqua religio instituatur ad actus prædictos.*

4. *Præ-*

4. Præterea, Prædicatoribus debetur victus a fidelibus Christi, vt patet 1. ad Corinth. 9. Si ergo committitur prædicationis officium alicui Religioni ad hoc institutæ, sequitur quòd fideles Christi teneantur ad exhibẽdum sumptus infinitis personis, quod cedit in magnum eorum grauamen. Non ergo debet aliqua Religio institui ad huiusmodi actus exercendos.

5. Præterea, Institutio Ecclesiæ debet sequi institutionem Christi. Sed Christus primò misit ad prædicãdum duodecim Apostolos, vt habetur Luc. 9. & postea misit septuaginta duos Discipulos, vt habetur Luc. 10. Et sicut glo. ibidem dicit, Apostolorum formam tenent Episcopi, septuagintaduorum discipulorum minores presbyteri, scilicet Curati. Ergo præter episcopos, & presbyteros parochiales non debet aliqua Religio institui ad prædicandum, vel ad confessiones audiendum. [et gl. ord. in par. ... cap. sub Lucas Beda ord. c. 1.]

Sed contra est, quod in collationibus Patrum Abbas Nestorius de diuersitate Religionum loquẽs, ait, Quidam eligentes ægrotantium curam, alij intercessionem, quæ pro miseris, atque oppressis impenditur, exequentes, aut doctrinæ insistentes, aut eleemosynas pauperibus largientes, inter magnos, atque summos viros pro affectu suo, ac pietate viguerint. Ergo sicut ad ægrotantium curam aliqua Religio potest institui, ita etiam ad edocendum populum per prædicationem, & alia huiusmodi opera. [in col. 14. c. 4 in fin.]

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, conuenienter Religio institui potest ad opera vitæ actiuæ, secundum quod ordinantur ad vtilitatem proximorum, & ad obsequium Dei, & conseruationem Diuini cultus. Magis autem procuratur vtilitas proximorum per ea, quæ pertinent ad spiritualem animæ salutem, quàm per ea, quæ pertinent ad subueniẽdum corporali necessitati, quantò spiritualia corporalibus sunt potiora. Vnde supra dictũ est, quod eleemosynæ spirituales sunt corporalibus potiores. Hoc etiam pertinet magis ad obsequium Dei, cui nullum sacrificium est magis acceptũ, quàm zelus animarum, vt Greg. dicit super Ezech. Maius etiam est spiritualibus armis contra errores hæreticorum, & tentationes dæmonum, fideles defendere, quàm corporalibus armis populum fidelem tueri. Et ideò conuenientissimum est ad prædicandum, & ad alia huiusmodi, quæ pertinent ad salutem animarum, aliquam Religionem institui. [a2. huius q.] [q 32. a. 3.] [ho. 12 in Ez. al. q. ... an. ...]

Ad primum ergò dicendum, quòd ille qui operatur ex virtute alterius, agit per modum instrumenti; Minister autem est sicut instrumentum animatum, vt Philos. dicit in 1. Polit. Vnde quod aliquis auctoritate Prælatorum prædicet, vel alia huiusmodi faciat, non supergreditur discipulatus, vel subiectionis gradum, qui competit Religiosis. [1 Pol c. 3 ... 8 Eth. c. 11. nõ procul a fin.]

Ad 2. dicẽdũ, quod sicut Religiones aliquæ instituũtur ad militandum, nõ quidẽ, vt militent auctoritate propria sed auctoritate Principũ, vel Ecclesiæ quibus ex officio competit, sicut dictũ est: ita etiam religiones instituuntur ad prædicandum, & confessiones audiendum, non quidem auctoritate propria, sed auctoritate Prælatorum Superiorum, & inferiorum, ad quos ex officio pertinet. Et ita subseruire Prælatis in tali ministerio, est huiusmodi religionis proprium. [art. præc. ad 4.]

Ad tertium dicendum, quòd à Prælatis non conceditur talibus religiosis, vt quilibet indifferenter possit prædicare, vel confessiones audire, sed secundùm moderationem eorum, qui huiusmodi Religionibus præficiũtur, vel secundum taxationem ipsorum Prælatorum.

Ad quartum dicendum, quod plebs fidelis non tenetur ex debito iuris ad sumptus ministrandos, nisi ordinarijs Prælatis, qui propter hoc decimas, & oblationes fidelium recipiunt, & alios Ecclesiasticos redditus. Sed si aliqui in huiusmodi actibus gratis velint fidelibus ministrare, non potestatiuè ab eis sumptus exigentes, non propter hoc grauantur fideles: quia & ipsi possunt liberaliter recompensare temporalem subuentionem, ad quam etsi non teneantur ex debito iuris, tenentur tamen ex debito charitatis, non autem ita quòd eis sit tribulatio, alijs autem remissio, vt dicitur 2. ad Cor. 8. Si tamen non inuenirentur, qui gratis se huiusmodi obsequijs mancipparent, tenerentur Ordinarij Prælati si ipsi

si ipsi non susciperent, alios ad hoc idoneos quærere, quibus sumptus ipsi ministrarent.

Ad quintum dicendum, quod formam septuaginta duorum discipulorũ non solum tenent Presbyteri Curati, sed quicunque alij minoris ordinis, qui Episcopis in eorum officio subseruiunt. Non enim legitur quod sexaginta duobus discipulis Dominus aliquas determinatas parochias assignaret, sed quòd mittebat eos binos antè faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Opportunum autem fuit, ut præter ordinarios Prælatos alij assumerentur ad huiusmodi officia, propter multitudinem fidelis populi, & difficultatem inueniendi sufficientes personas distribuendas singulis plebibus: sicut etiam, & Religiones ad militandum necesse fuit institui propter defectum secularium Principum ad resistendum infidelibus in aliquibus terris.

SVMMARIVM.

1 *Multa de materia articuli remissiuè. num. 1.*
2 *Conuenienter instituta Religiones ad prædicandum, &c. num. 2.*
3 *Locus D. Th. in opusc. 19. num. 3.*
4 *Religiosis conuenit prædicare instrumentaliter. num. 4.*
5 *Conuenit quòd Episcopi habeant Ministros ad prædicandum. num. 5.*
6 *Expedit quod officium prædicationis delegetur. num. 6.*
7 *Expedit quòd officium prædicationis delegetur Religiosis. num. 7.*
8 *Ex Religiosis, solis idoneis committẽdum officium prædicationis. num. 8.*
9 *Plebs de iure non tenetur dare eleemosynam prædicatoribus. num. 9.*
10 *Vbi sit consuetudo dandi eam, debet seruari. numer. 9.*
11 *Prædicatores non possunt pacisci de eleemosyna. num. 10.*
12 *Decretum Concil. Trid. num. 11.*
13 *Episcoporũ est per se ipsos prædicare, vel suis sumptibus mittere prædicatores. num. 12.*
14 *Ad quem spectet eligere, vel alere prædicatorem explicatur in 12. casibus. num. 13. 14. 15. 16. 17. & seqq.*
15 *Vbi sit consuetum Episcopum deputare Prædicatores in Ecclesijs Regularium est seruãdo consuetudo. num. 25.*
16 *Regulares non tenentur ad contribuendum eleemosyna pro Concionatore Cathedralis. num. 26.*
17 *An Parochi teneantur prædicare formaliter, vel suis expensis ducere prædicatorem. num. 26.*
18 *Episcopus potest compellere Regulares ad prædicandum in Parochiis. num. 27.*
19 *Prædicatores tenent locum 72. discipulorum. numer. 28.*

1 CVM in superioribus ad *artic. 1. q. 187.* ex professo tractatum sit de facultate, quam de facto Regulares habent ad prædicandum, & de priuilegijs sibi a Sede Apostolica concessis, & qualiter tàm de iure antiquo, quàm de iure nouo, facultate quàm habent vti possint, & quæ & qualia prædicare debeant, parua hic remanent addenda. Sicut & de facultate audiendi confessiones, & seruandis in hoc abunde ibidem fuit actum.

2. Est verò conclusio textus, quod conuenientissimum est ad prædicandum, & ad alia huiusmodi, quæ pertinent ad salutem animarum, aliquam Religionem institui. Quæ probatur ex præcedentibus articulis; quia cum sit conueniens Religiones institui ad ea, quæ sunt actiuæ vitæ, pro subueniendo corporali necessitati proximorum, multo magis erit conueniens institui Religiones ad actiones, quæ pertinent ad profectum spiritualem animarum, cum anima præstet corpori, & eleemosynæ spirituales sint corporalibus potiores, & nullum Sacrificium Deo sit magis acceptum, quam zelus animarum, vt dixit *S. Greg. hom. 12. in Ezech.*

3. Huius verò articuli textui eruditissimum, & solidissimum commentarium fecit idem *D. Th. opusc. 19. cap. 4.* cuius verba referre libet, quia per illa pluribus medijs asserta Conclusio cõfirmatur. His visis ostendendum est aliquam Religionem, ad hoc specialiter salubriter posse institui, ad cooperandum prælatis Ecclesiarum in prædicatione, & confessionibus audiendis ex commissione Prelatorum. Primò per hoc, quòd omnis Religio ad exemplar vitæ Apostolicæ formata est: vnde dicitur act. 4. super illud. Et erant illis omnia communia. glo. Communia grecè cœna, vndè cœnobitæ, i. communiter viuentes, cœnobia, id est, habitacula eorum. Hæc autem fuit vita apostolica; vt relictis omnibus per mundum discurrerent euangelizando, & prædicando, vt patet Matt. 10. & in regula quadam, quæ eis inscribitur, ergo ad prædicta potest aliqua religio conuenientissimè institui. Item, Ioan. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: sed illa visitatio maximè est necessaria, quæ fit per eos, qui saluti animarum intendunt. ergo conuenientissimè potest religio institui ad visitandum homines, qui consolatione indigent, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeant. Item Act. 6. super illud Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, dicit interlinearis. Meliora sunt fercula mentis, quàm dapes corporis: sed aliquæ Religiones piè, & salubritèr institutæ sũt ad subueniendum pauperibus in corporalibus dapibus, & alijs necessitatibus corporis. ergò multò conuenientius potest aliqua Religio institui ad subueniendum necessitatibus animarum. Item, Augu. Melius est pascere animas in æternum cum Dominò victuras, quàm corpora moritura, nimirum cum salus corporum ex salute dependeat animarum, non è conuerso. Item, spiritualis militia

magis

magis competit Religioso, quàm seculari, sed ad militiam secularem exercendam aliquæ Religiones vtiliter institutæ sunt. ergo multo conuenientiùs institui possunt ad militiam spiritualem, quæ competit prædicatoribus verbi, de qua dicitur 2. Timot.2. Labora sicut bonus miles Christi.glos.in prædicando Euangelium contra hostes fidei. Itē, eis qui procurant salutem animarum necessarium est, vt vi a, & scient[illegible] reant, ex quibus non de fac[illegible] possent inue[illegible], qui [illegible] lis parochijs per vniuersum mundum [illegible] ræficerentur, cum etiam propter [illegible]teratorum inopiam, nec adhuc per seculares potuerit obseruari statutum Lateranēsis Concilij, vt in singulis Ecclesijs Metropolitanis essent aliqui, qui theologiam docerent, quód tamen per Religiosos Dei gratia cernimus multo latius impletum, quàm etiam fuerit statutum, adeó vt impletum videatur illud Isaiæ 2. Repleta est terra scientia Domini; ergo saluberrimè Religio aliqua instituitur, in qua sint homines literati, & studio vacantes ad iuuandum sacerdotes, qui ad hoc minus sufficiunt. Item, hoc euidentissimè ostenditur ex effectu sequente. Videmus enim talibus Religionibus institutis in plur[illegible] partibus hæreticam prauitatem eorum mini[illegible]o extirpatam, infideles etiam nonnullos ad [illegible]m conuersos, multos per vniuersum mūdum in lege Dei instructos, quamplurimos ad [illegible] pœnitētiæ conuersos, ita quód si quis [illegible] ta em religionem mentiatur, manifestè conuinci potest quasi gratiæ inuidus, quæ in eis operatur, in Spiritum Sanctum peccare. Item 25.q.1. d[illegible]. Nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Dec[illegible]a temerare. Cum ergo per Apostolicam Sedem Religiones aliquæ sint institutæ ad prædicta, quód etiam ex ipso nomine ostenditur (Nemo enim, vt dicit August. in lib. de Christiana vita, [illegible]mo sine causa sortitur) manifestè se damnabilem reddit, quicumque talem Religionem damnare conatur.

4. In primis autem duobus argumentis ij, qui Religi[o]nes Prædicatorum, & Minorum impugnabant vim faciebant in hoc, quod prædicare sit proprium munus Episcoporum, & quod officium Religiosorum sit esse discipulos, non verò Magistros. & propterea non conuenit instituere Religiones ad prædicandum. Soluit autem vtrumque argumentum *D.T.* distinguendo munus prædicandi, vt proprium, & vt instrumentale, benè asserens, q[uo]d e[ss]e instrumentum ad prædicandum nō egred[illegible] [illegible]ites discipulatus, & quod licet Prælatorum sit proprium prædicare ex propria auctoritate, benè conuenit, quód instituantur Religiones, vt Religiosi inseruiant Prælatis, & ex eorum cōmissione prædicent. Ex quo benè colligit *Caiet.* quod munus Fratrum Prædicatorum non est prædicare, sed inseruire Episcopis in prædicationis act[u], & [q]uod non conuenit eis prædicare nisi minister[ial]iter, & ideó non nisi vemissis vel à Prælatis in [illegible]bus, vel a Summo Pont[ifi]ce iuxta priuilegia [illegible]s con[illegible]a, & Leges Canonicas.

5. Sed quia duo continent illa argumenta, ex quibus p[illegible] impugnar[i] responsio, si vera essent. Primum [illegible] munus prædicandi sit ita proprium Prælatorum, aut Rectorum Ecclesiarum, vt alijs committi nō debeat. Secundum quod dato, quod munus prædicandi possit delegari, non liceat illud committere Religiosis, vtrumq; horum tanquā falsum impugnat *D.T. in citato opus.19.c.4.* Et quidem primo, quod conueniat, vt Prælati habeāt Ministros pios, ac doctos, quibus committatur prædicandi munus, probat rationibus sequentibus.

Deindè ostendendum est quód aliqui ex commissione Episcoporum possunt prædicare, & confessiones audire in parochijs Sacerdotum. Nā extrà de officio iudic. ordi. c. Inter cætera, dicitur quód Episcopus viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumat. Et infra. Præcipimus tàm in Cathedralibus, quàm in Conuentualibus Ecclesijs viros idoneos ordinari, quos Episcopi coadiutores, & cooperatores habeant non solum in prædicationis officio, verum etiam in confessionibus audiendis, & pœnitentijs iniungendis, & cæteris, quæ pertinent ad salutem animarum. Ex quo patet, quód clerici conuentualium Ecclesiarum alicuius Diœcesis, qui non sunt parochiales Sacerdotes, possunt prædicare, & confessiones audire authoritate Episcopi. Iterum extra de hæreticis, cap. Excommunicamus. §. Quia verò, dicitur. Omnes, qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptum publicè, vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur. Ex quo haberi potest, quód Papa, vel Episcopus potest dare alicui authoritatem prædicandi. Item, constat quód Apostoli, quorum Episcopi sunt successores, per Ciuitates, & castella presbyteros ordinabant, qui continuè eum populis sibi subiectis cōmorabantur, & tamen alios mittebant ad prædicandum, & ad alia exercenda, quæ ad salutem pertinent animarum. 1. Corin.4. Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas quę sūt in Christo Iesu, & 2. ad Corinthios 12. Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem: glos. a. Barnabam, vel Lucam. Et ad Titū. 1. Huius rei gratia reliqui te Crete, &c ergo, & aliqui alij, quàm presbyteri parochiales possunt prædicare, & confessiones audire ex cōmissione Episcoporum. Item prædicare, & confessiones audire sunt iurisdictionis, & ordinis simul: sed ea, quæ sunt huiusmodi possunt cōmitti his saltem, qui ordinem habent, ergo cum Episcopus possit prædicare, & Confessiones audire in parochia non requisito sacerdote, vt supra probatum est, hoc idem, & alius potetit ex eos commissione. Item ad hoc facit cosuetudo Romanæ Ecclesiæ, ad quam accedentes à Pœnitentiarijs Papæ quoscunque sacerdotes literas impetrant, vt eis confiteantur. Item, legati Papæ, & eorum pœnitentiarij confessiones audiunt non petita licentia à parochialibus, & etiam authoritate Papæ vbique prædicant, & ita patet, quód prædicare, & confessiones audire potest alijs committi sine licentia sacerdotum parochialium.

6. Ex his cum solum probatum sit, quod munus prædicandi, & audiendi confessiones possit committi, & delegari, pergit *D. Th.* vlterius, & probat expedire, vt ita fiat.

Nunc restat ostendere, quód saluti animarum expediat etiam alijs, quàm Sacerdotibus Parochiali-

rochialibus prædicationem committi, & alia, quæ ad salutem pertinent animarum. Primò, per hoc quod dicit Dominus Matth.9. Messis quidem multa glos. Turba populorum suscipiendo verbo, & ferendo fructui apta. Operarij autem pauci. gloss. prædicatores ad congregandum electorum Ecclesiam. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ex quo patet quòd salubre est Ecclesiæ per multos Dei prædicari fidelibus, & maxima turba fidelium crescente. Item, potest haberi per illud, quòd dicitur Sapient. 6. Multitudo sapientium. Interlinearis. Cœtus prædicatorum sanitas est Orbis terrarum. Item 2. ad Tim.2. Quæ audisti à me per multos Testes, hæc commenda fidelibus hominibus. glo. id est sanæ fidei. Qui idonei erunt. glo. Vita & scientia, & facundia. Et alios docere. gloss. Illis enim debet committi prædicatio diuina. Iterum 1. Esdræ. 3. super illud. Et omnes qui venerant de captiuitate in Hierusalem. gloss. sic dicit. Non solum Episcopi, & presbyteri plebem fidelium, idest Dei domum debent ædificare, sed etiam populus de captiuitate Iudæorum ad visionem veræ pacis vocatus, ministerium verbi ab his, qui dicere nouerunt, debet exigere. Item, Greg. in 19. mora. super illud Iob 29. Quando lauabam pedes meos butyro, sic dicit. Quid ad hæc nos Episcopi dicimus, qui commissis nobis verba vitæ impendere non curamus, quando coniugatum virum prohibere non valuit ab officio prædicationis, vel sæcularis habitus, vel magnæ occupatio facultatis? Ex quo patet, quòd alij etiam quam Prælati, vel Rectores Ecclesiarum laudabiliter possunt prædicationis officium exercere. Hoc idem potest ostendi per multa exempla veteris testamenti. Dauid enim laudatur de hoc, quod cultum Dei ampliauit, vigintiquatuor sacerdotes constituendo, vt magis posset populis expediri, vt patet 1. Paralippo 23. & 24. Similiter legitur de Ezech. 2. Paralippo. 30. Perrexerunt cursores cum Epistolis ex Regis Imperio, & principum eius in vniuersum Israel, & Iudam, iuxta id, quod rex iusserat prædicantes. Filij Israel reuertimini ad Dominum Deum, &c. Assuerus etiam nuntios celeres misit per prouincias, qui nuntiarent liberationem populi Dei, vt legitur Hester. & ergò multò magis saluberrimè hoc fieri potest, vt alijs quàm sacerdotibus parochialibus prædicationis officium committatur, & alia, quæ pertinent ad salutem animarum. Item Greg. in 5. homil. primæ partis super Ezech. dicit. Hi qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur. Hi autem, qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ eius ignis ardens sunt, quia cum ex eius desiderio per varia loca discurrunt, vnde ipsi ardent, & alios incēdūt. Ex quo patet, quòd conueniens est, vt præter Rectores Ecclesiarū, qui resident in suis Ecclesijs, alijs prædicationis officium committatur, qui per diuersa loca discurrant. Item, quòd hoc vtile sit, & salubre, satis manifestat occupatio Rectorum Ecclesiæ, quos in alijs rebus pijs, & Ecclesiasticis oportet frequenter occupari, cum tamen oporteat prædicatorem verbi Dei ab omni alia occupatione liberum esse. Vnde Apostoli dixerunt Act. 6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Vnde patet quòd satis necessarium est eos ab alijs iuuari.

7. Successiuè verò probat Religiosos esse idoneos, vt illis delegetur munus prædicandi, & confessiones audiendi.

Nunc restat ostendere, quòd Religiosi sunt idonei ad hoc, quod talia eis committantur. Nam 16. q. 1. cap. Peruenit, dicitur quòd Monachi & Abbates absque proprij Episcopi licentia hoc nullatenus præsumere debent, vt videlicet pœnitentiam dent. Ex quo relinquitur, quòd ex authoritate Papæ, & Episcopi monachis, & alijs religiosis liceat confessiones audire. Item, quæstione eadem dicitur ex authoritate huius decreti, quòd Apostolico moderamine, & pietatis officio à nobis est constitutum, quòd sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentias imponere, atque peccata soluere. Item in sequenti cap. Sunt tamen nonnulli, dicit Bonifacius Papa. Credimus à sacerdotibus Monachis ligandi, soluendique officium Deo operante dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotalis potentiæ arcere officio, omninò præcipimus, vt ab huiuscemodi ausibus reprimantur in posterum: quia quanto quisque celsior est, tanto & illis erit potentior. Item, Episcopi debent diuina iudicia imitari, quantum possunt. 1. Corint. 3. Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi: sed diuino iudicio aliqui Religiosi sunt reputati idonei, vt eis immediatè à Deo prædicationis committeretur officium, sicut de Equitio monacho Beatus Gregor. narrat in Dial. & etiam de Beato Benedicto. ergo & in iudicio Episcoporum aliqui religiosi possunt reputari idonei, vt eis prædicatio committatur. Iterum, omnia quæ licent sæcularibus clericis, licent, & religiosis, exceptis eis quæ in sua regula eis prohibentur. Argu. 16. q. 1. Sunt tamen nonnulli, vbi dicitur, quòd monachis licet absoluere, & alia huiusmodi facere. Neque enim Beatus Benedictus Monachorum præceptor almificus huiuscemodi rei fuit interdictor: Sed sæcularibus licet ex commissione episcoporum prædicare, & confessiones audire. ergo, & religiosis cum in nulla regula hoc sit prohibitum. Item, maius est prædicationis officium ex propria authoritate assequi, quàm ex commissione alterius; sed religiosi possunt ad prædicationis gradus sublimari, in quo eis competit prædicare, & alia propria authoritate exequi, quæ ad salutem pertinent animarum, ergo multo magis debent idonei reputari, vt prædicationis officium, & alia huiusmodi ex commissione episcopi exequantur. Item, ad illud quod maxime competit perfectis non redditur aliquis minus idoneus ex hoc, quòd in statu perfectionis se ponit: sed prædicationis officium competit maximè perfectis, quem statum religiosi assumunt. Vnde 1. Esdræ 1. super illud, Omnes reliqui, &c. dicit glo. Omnes electi de potestate tenebrarum eruti ad libertatem pertinent gloriæ filiorum Dei, & gloriæ omnes societati Sanctæ Ciuitatis, idest Ecclesiæ annuntiari lætantur, sed tantum perfectorum est in ædificatione eiusdem Ecclesiæ etiam alijs prædicando laborare.

re, Et quod intelligat de perfectione Religionis patet ex hoc quòd sequitur. Eruditores militorũ cum magis ad cælestia diligenda instituunt, minus pro terrenis curam gerunt, imò acquisita pro spe æternorum relinquunt. Hoc etiam patet, per interlinear. quæ dicit. Omnes reliqui id est diuites, qui prædicare non possunt. ergo religiosi non redduntur minus idonei ad exequendum prædicationis officium, quàm alij: Ita cum alij possunt ex commissione Episcoporum prædicare, & confessiones audire, vt probatum est, & Religiosi possunt hoc idem. Item. s. Esdræ 8. super illud Prouimus ergo à flumine, &c. dicit glos. s. Fratrum quoque cohortem religiosam nobis in auxilium vocamus, qua adiuet animas fidelium ad societatem electorum, & arcè vitæ perfectioris quasi vasa sancta ad templum Domini efficacius transferamus. Ex quo patet idem quod prius. Item & hoc apparet ex communi consuetudine orientalis Ecclesiæ, secundùm quam ferè omnes monachis confitentur. Item, maioris potestatis est legationis officium exercere, Episcopis confirmare, & de eis Ecclesijs prouideri, quàm prædicare, vel confessiones audire: sed primum inuenitur religiosis esse commissum, ergo & secundum eis committi potest. Item magis est remotum à Religiosorum vita causas audire, quàm confessiones, vel prædicare: sed primum eis committi potest. ergo multò fortiùs alia.

8. *Scrupulum* autem, qui potuisset remanere ex eo, quod Religiosorum multitudo magna sit, & veluti infinita, inconueniens verò sit, vt tantum munus infinitæ multitudini committatur, tollit *D. Th. in resp. ad tertium* aduertendo, quòd etiã si aliqua Religio sit instituta ad *prædicãdum*, hoc munus non spectat ad Religiosos omnes sine delectu, sed ijs, qui idonei iudicantur secundum dispositionem Prælatorum. Vnde colligit *Caiet.* quòd ex eo aliquis sit Religiosus Ordinis Prædicatorum, vel alterius similis non propterea præsumere potest statim prædicare, sed ad hoc munus debet esse approbatus in Religione, & vlteriùs iuxtà sui Priuilegia, vel modò iuxtà Decreta *Concilij Tridentini* debet esse acceptus ab Episcopis, vt non prædicet respectiuè sine eorum licentia, vel benedictione, vt supra abundè explicatum est.

9. In responsione ad quartum multa habentur notanda. Primum quod plebs ex debito iuris non tenetur ad sumptus ministrandos nisi ordinarijs Prælatis, secundum quod Prædicatores gratis ministrant verbum Dei, & per hoc non grauantur fideles, quia ipsi liberalitèr possunt recompensare temporalem subuentionem, ad quam tenentur, si non debito iuris, debito charitatis, non ita, quod eis sit tribulatio, alijs verò remissio, secundùm *Apost. in 2. ad. Corinth.* 3. Tertium, quòd vbi non adsunt, qui gratis prædicent, & in huiusmodi exercitijs se occupent, tenentur Prælati, si ipsi non sufficiunt, alios quærere, qui huiusmodi munera obeant, & illis sumptus ministrare. Circa primum autem est aduertẽdum, quòd licet sit absolutè verum, quòd plebs non tenetur debito iuris ad ministrandos sumptus nisi Prælatis ordinarijs, comprehendendo sub istis etiam Rectores Ecclesiarum; tamen vbi adest consuetudo introducta dandi eleemosynam Concionatoribus, plebs illam date tenetur, nec potest eam ad certam paruam quantitatem reducere, vt tanquam declaratum à *Sac. Cong. in Viterbien. Ciuit. Vetula de mense Septemb.* 1650. referunt *Lezana v. Concionari n.* 12. *& Barbosa v. Prædicator num.* 13. Sic enim quòd vniuersitas dare debeat Prædicatoribus mercedẽ exhiberi solitam, si ex consuetudine immemorabili constaret eam olim fuisse exhibitam ex Decreto *S. Congreg. Rit.* tradit *Barbosa ibid. num.* 14. Ad cuius laudabilis consuetudinis obseruantiam Episcopus populum cogere potest. *Sac. Cong.* penes *Franc. Leon. in thes. fori Eccles. p.* 1. *c.* 8. *num.* 6. quem refert *Sgerl. in decis. fori Eccl. dec.* 70. *nu.* 1. si detur illi eiusdem Concionatoris electio. *Eadem S. Congr.* quam adducit *Campan. rubr.* 12. *cap.* 13 *num.* 16. *Hæc Barbosa.*

10. Circa secundũ verò cõsiderãdũ quòd *Prædicator* tenetur gratis prædicare, pro quanto non potest prædicare pro pretio; esset enim hoc simonia. *D. T. supra q.* 100. *a.* 3. *Sot. l.* 9. *de iust. q.* 6. *a.* 2. Tamen licet ei recipere sustentamentum, quia dignus est operarius cibo suo, mercede sua *Matt.* 10. *& Luc.* 10. Sic enim *& Conc. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. hoc sustentamentum vocat mercedem. Addit verò *Lezana v. Concionari*, quòd possit fieri pactum de tali mercede, quia deducere in pactum rem licitam, licitum est, quod idem tenuit *Pax Iordan. lib.* 6. *titul.* 1. *numer.* 70. Sed hoc est impropriissimè dictum; quia pactum non est propriè, nisi vbi adest obligatio iustitiæ, non verò potest sine simonia dari res spiritualis, vt sibi pro ea ex iustitia retribuatur temporale, quia quòd debetur ex iustitia pro re accepta, debetur vt æqualis eius recompensatio. Sed eo modo, quo donatio sub onere, & causa est pactum, impropriè tamẽ, sic prædicator potest dare prædicationem sub onere sustentamenti, sicut datur missa sub onere stipendij consueti. Sed de his abundè dictum est supra *q.* 185. *a.* 7. *n.* 383. Supra etiam *q.* 181. *a.* 1. *n.* 1097. meritò impugnatus est *Barbosa de off. Episc. all.* 76. *n.* 10. qui voluit, quòd prædicator potest exigere pretium pro obligatione ad prædicandũ locando libertatem suam; quoniam hæc obligatio spiritualis est, & præterea plebs petit prædicationem, & pro ea dat emolumentum, quod si recipitur vt pretium, prædicatio venditur, quòd est simonia. Et infra tractando de stipendio missæ iterum expressius hoc explicabitur. Addit verò *Lezana ex Sota loco citato* non esse simoniam, si quando prædicatio non est necessaria, prædicator eligat concionari vbi melius sustẽtetur, nec est culpa nõ prædicare, vbi non speratur sustentamentum, seu alimentum. Sed in his omninò cauendum est scandalum maximè à Religiosis, & nedum à malo, sed ab omni mali specie abstinendum.

11. Circa tertium verò obseruandum est, quòd doctrina huius responsionis approbata fuit *à Concil. Trid. sess.* 5. *cap. de reformat. & sess.* 24. *ca.* 4. *de Reformat.* Priori enim loco sic habet. *Quia verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Euangelij quàm lectio, & hoc est præcipuũ Episcoporum munus; statuit, & decreuit eadem Sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctũ Iesu Christi Euangelium. Si verò*

contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si autem hoc adimplere contempserit, districtè subiaceat vltioni. Posteriori enim loco ita statuit. *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quò frequentiùs possit ad fideliũ salutem exerceri, Canones aliàs super hoc editos, sub fel. rec. Paulo III. optiùs præsentium temporum vsui accommodando, mandat, vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument; in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue ijs impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, deputandos in ciuitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire, saltẽ omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem Ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus Domini quotidiè, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, Diuinamq; legem, annuncient, & alios quotiescunque id opportunè fieri posse iudicauerint.*

12. Teneantur igitur Episcopi si per se ipsos possunt per se ipsos prædicare, quod habetur nedum ex decretis *Concil. Trid.* sed & *Concil. Lateranen. sub Innoc. 3. cap. inter cætera de off. ordin.* Sed si non possunt per se ipsos prædicare, tunc debent eligere alios, & illis præbere sumptus necessarios. Et si contingat Episcopum habere duas Cathedrales vnitas, quòd vtrique debeat prouidere de Prædicatore tanquam decisum *à Sac. Cong. Conci.* tradit *Pax Iordan. l. 6. tit. 1. num. 57. vbi n. 58.* ait idem statuendum de Parocho pluribus Parochialibus Ecclesijs præposito, dummodo vires suppetant, & persona idonea reperiatur. Sed non valet similitudo & consequentia deducta, quia non Parochi, sed Episcopi est prouidere toti Diœcesi de prædicatore. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 4.* prout tradit idem *Pax Iordan. ibid. num. 60.* Quoniam verò variè obseruatur vt detur eleemosyna Prædicatoribus, rem distinctiùs, quàm cæteri explicat *Reuerendissimus Fagnanus ad d. cap. inter cætera,* distinguens sex casus vbi concio habenda est in Cathedrali, & sex alios vbi Prædicatores mittantur ad prædicandum extra Cathedralem.

13. Primus casus est, vbi in Cathedrali non constat de consuetudine eligendi concionatorem, aut præstandi eleemosynam, neque ex parte Episcopi, neque ex parte vniuersitatis, & in hoc enim sancitum habetur *in Congr. Concil.* declarauit electionem Prædicatoris in Cathedrali pertinere ad Episcopum, etiam priuatiuè ad Capitulum. Item sæpiùs censuit Episcopum teneri proprijs expensis alere Prædicatorem in Cathedrali Ecclesia. Et ideò in dubio consuetudinis in contrarium standũ est iuri manifesto, quod obligat ad id Episcopum.

14. Secundus casus est cum Episcopus eligit Prædicatorem in Cathedrali, sed Populus vel alius dat eleemosynam, sed ex consuetudine non immemorabili, & in hoc casu, quia *Concilium Trid. d. cap. 4.* abstulit consuetudinem non immemorabilem secundum quam præstatio eleemosynæ Prædicatori in Cathedrali deputando incumbit alteri quam Episcopo; ideò Episcopi est illam præstare. & ita fuit sæpius resolutum.

15. Tertius casus est cum Episcopus eligit prædicatorem, sed populus, vel alius ex consuetudine immemorabili dat eleemosinam Prædicatori, & in hoc casu iuxta declarationem Gregor. XIII. 19. Maij 1575. qui voluit Concilium non sustulisse immemorabilem consuetudinem, quãuis in aliquibus casibus contrariũ censuisset Pius V. Sacra Congregatio consueuit sæpius respondere seruandam consuetudinem immemorabilem, & sic Episcopum posse deputare Prædicatorem, & compellere populum ad præstandam consuetam eleemosynam Prædicatori.

16. Quartus casus est vbi Episcopus præstat eleemosynam, & populus, vel alius eligit ex quacumque consuetudine. Et in hoc casu Episcopi est præbere sumptus Prædicatoris, ad quos tenetur ex iure: Sed consuetudine etiam immemorabili non obstante, potest Prædicatorem eligere, prout sæpius eadem S. Cong. Concilij declarauit.

17. Quintus casus est, quando populus, vel alius ex consuetudine non immemorabili eligit Prædicatorem in Cathedrali, & ei præbet eleemosynam. Et tunc potest quidem Episcopus consuetudine non obstante Prædicatorem eligere, sed tamen etiam tenetur ad sumptus Prædicatoris, quia Concilium sustulit consuetudinem non immemorabilem, quantum ad obligationem præstandi sũptus, ideò Episcopus non potest compellere populum ad hoc, vt seruet consuetudinem non immemorabilem dandi eleemosynam Cõcionatori.

18. Sextus casus est, quando populus, vel alius ex immemorabili consuetudine eligit Prædicatorem, & præstat illi sumptus, & in hoc casu semper Sacra Congregatio censuit posse quidem Episcopum electionem Prædicatoris, sibi vendicare, sed non posse compellere populum ad præstandum Prædicatori stipendium, quod illi ab immemorabili dare consueuit. Ille autem in electione Episcopi vnum malit Prædicatorem eligere, vel eius electionẽ alteri relinquere, cui conuenit ex immemorabili. Ita tamen vt si Episcopus velit eligere, non possit populum compellere ad erogandum Prædicatori stipendium ab immemorabili consuetum.

19. In alijs verò Ecclesijs primus casus est, quãdo Episcopus eligit Prædicatorem, sed populus, vel alius tenetur, vel solet mercedem Prædicatoris soluere. Et hic casus est clarus & definitus *d. c. 4.* Nam Episcopi est Prædicatores mittere expensis eorum, qui tenentur, vel solent eas facere. Et ita determinauit S. Congreg. in simili casu requisita ab Episc. Melitensi.

20. Secundus casus est, vbi Episcopus eligit Concionatorem, & eleemosynam præstat. Et tunc ad Episcopum vtrumque spectat. Nimirum Concionatorem eligere; quod competit ei etiam de iure communi, & Decreto *Conc. Trid.* & eleemosynam dare; quia hoc de iure communi spectat ad Episcopum, etiam pro tota diœcesi, vt ex *d. ca. inter cætera* post *Bald. & Io. de Anan.* probat idem *Reuerendiss. Fagnan. ibid. nu. 14.* Et amplius in hoc casu Episcopus solet eleemosynam dare; igitur illam dare tenetur, quia ex vi *Conc. Trid. d. cap. 4.* Prædicatores mittendi sunt expensis eorum, qui vel tenentur, vel solent.

21. Ter-

21. Tertius casus est, quando populus eligit Prædicatorem ex consuetudine non immemorabili, sed non dat ei stipendium. Et in hoc casu Congregatio sæpius censuit consuetudinem non immemorabilem esse per *Conc.* sublatam *d. cap.* Et ideò ad Episcopum pertinere eligere Prædicatorem.

22. Quartus casus est, si populus, vel alius ab immemorabili eligit Prædicatores, sed non dat ei sustentamentum. Et in hoc caso Episcopus non potest sibi vsurpare electionem Prædicatoris, quia *Concil. d. c. 4.* non sustulit immemorabilem. Et ita in facti contingentia S. Congreg. declarauit ad fauorem Abbatis Sancti Maioris Ecclesiæ Collegiatæ Neapol.

23. Quintus casus est cum populus, vel alius *solet* præstare sustentamentum, & ex immemorabili eligit Prædicatorem. Et tunc consuetudo est seruanda, & vtrumque spectat ad populum, vel ad alium. Addit tamen *Fagnanus n. 29.* quod quoadvsque populus, vel alius probet immemorabilem per tres conformes Sacra Congregatio censuit Episcopum debere eligere. Sufficit enim Episcopo sola iuris assistentia, per ea, quæ ipse retulerat *nu. 13.* licet quandoque ex aliqua rationabili causa, puta ad vitanda scandala S. Cong. Episc. & Regul. cum imminente iam quadragesima ob angustiam temporis iura partium examinari non possunt, in hoc quinto casu consueuit rescribere, vt ea vice seruetur solitum, per modum tamen prouisionis, & absque præiudicio iurium vtriusque partis tam in petitorio, quàm in possessorio. Sed in hoc casu seruandum puto, quod dispositum est *in cap. sum persona in 6.* & vtendum distinctionibus ibidem positis.

24. Sextus casus est vbi duo concurrunt, quod scilicet populus, vel alius ministrat expensas, & ex consuetudine licet non immemorabili eligit Prædicatorem, & in hoc caso S. Congregatio sæpius respondit, & præcipuè in causa S. Marci posse quidem Episcopum electionem Prædicatoris sibi vendicare, sed non posse compellere Vniuersitatem ad præbendos sumptus, seu eleemosynam Prædicatori, quam ipsa solum à se electo præbere consueuit. Hæc ex *Fagnano*, de quibus videri possunt etiam *Barbosa alleg. 76. de Off. Episc. Pax Iordan. lib 6. tit. 5. Lezana tom. 3. in verbo concionari.*

25. Considerandum est etiam, quòd an sit seruanda consuetudo, secundum quam Episcopus in Monasterijs Regularium Prædicatores deputat, qui aliquando eorum Ordinis non sunt, S. Congregatio censuit consuetudinem esse obseruãdam; si tamen Prædicatores eiusdem Ordinis haberi possint, cæteris paribus esse præferendos. Verumtamen hic in memoriam sunt habenda, quæ supra *nu. 590.* de præscriptione contra iura Regularium dicta sunt.

26. Præterea aduertendum; quod cum Episcopus Eugubinus vellet compellere Regulares Montis Oliueti ad præstandum salarium Prædicatori suæ Cathedralis; aliàs autem comminaretur, se eos compulsurum ad sustentandum proprium Concionatorem in eorum Ecclesijs Curatis, vt idem *Fagnan.* refert *ibid. num. 33.* S. Cong. Concilij censuit Regulares illos non teneri ad contribuendum impensæ Prædicatoris Cathedralis, vt aliàs decisum fuit; & quantum ad secundam partem decreuit, vt Alciatus ore tantum diceret Episcopo Eugubino, vt nollet cogere Regulares ad sustentandum Prædicatorem formatum in suis Parochialibus. Et si alius Episcopus hoc idem quæsierit, aut alia similis quæstio occurrerit, referret Alciatus, & proponeret in Sacra Congregatione nec hanc responsionem datam Eugubino Episcopo daret alijs, nisi facto verbo in Congregatione. Quòd quidem factum est, quia non est visum rationabile dare vniuersale decretum, per quod Parochi declararentur obligati ad prædicandum formiter in suis Parochijs, vel ad sustentandum Prædicatorem, sed neque æquum iudicarunt declarare vniuersaliter, quòd ad id Parochi non teneantur.

27. Sed & ex eodem *Reuerendiss. Fagnan. ibid. nu. 33.* est obseruandum, quòd orta dubitatione an in Parochiali Ecclesia vnita Regularium Monasterio, in qua per Regularem cura animarum exercetur, possit Episcopus compellere Regulares, vt aliquem eiusdem ordinis ad prædicandum in eadem Ecclesia deputent, qui de licentia Episcopi hoc munus explicet, non obstante, quod in Ecclesia Monasterij per eosdem Regulares concio habeatur: Sac. Congregatio censuit posse compellere, sed non posse alium, præterquam eiusdem Ordinis multis fratribus ad prædicandum in dicta Ecclesia deputare.

28. In Responsione ad quintum est consideratione dignum, quòd Prædicatores tenent locū 72. discipulorum, qui à Christo Domino ad prædicandum mittebantur nulla eis assignata Parochia. Paucis verò *D. Th.* in hac responsione ostendit conuenientiam, & necessitatem mittendi Ministros ad spiritualia exercitia in salutem populorum; quòd diffusiùs fecit in *opusc. 19.* in verbis supra *nu. 6. & 7.* recensitis. Vnde *Caiet.* benè aduertit, quòd de facto malè cõsultum populo Christiana inuenitur sine huiusmodi supplemento, quòd Deus dedit, & Romanus Pontifex gratiosè suscipiendo approbauit, sed non omnes capiunt verbum istud.

ARTICVLVS V.

Vtrum sit instituenda aliqua Religio ad studendum.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd non sit instituenda aliqua Religio ad studium scientiæ. Dicitur enim in Ps. 70. Quoniam non cognoui literaturam introibo in potẽtias Domini. Gloss. id est, in virtutem Christianam. Sed perfectio Christiana virtutis maximè videtur ad Religiosos pertinere. Ergo eorum nõ est studio literarum insistere. Gl. interl. ib.

1. *Præterea, Id quod est dissen-*

sionis principium, religiosis non competit, qui ad vnitatem pacis congregantur. Sed studium dissensionem inducit. Vnde & in Philosophis subsecuta est diuersitas sectarum. Vnde & Hieronymus super Epistolam ad Titum, dicit. Antequam diaboli instinctu studia in Religione flerent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, &c. Ergo videtur, quòd nulla Religio debeat institui ad studendum.

[In com. ad Paulum, & Euseb. super illa verba, Et constituas &c.]

3\. *Praeterea, Professio Christianae Religionis differre debet à professione Gentilium. Sed apud Gentiles aliqui Philasaphiam profitebantur, & nunc etiam aliquò seculares dicuntur aliquarum scientiarum professores. Non ergo Religiosis competit studium literarum.*

Sed contra est, quod Hieronymus in epistola ad Paulinum inuitat eum ad discendum in statu monastico dicens, Discamus in terris, quorum nobis scientia perseueret in Cœlis. Et infra, Quicquid quaesieris, tecum scire conabor.

[circa finem illius, & incipit hic epistola Frater Ambrosius mihi c. 2.]

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, religio potest ordinari ad vitam actiuam, & ad vitam contemplatiuam. Inter opera autem vitae actiuae principaliora sunt illa, quae ordinantur directè ad salutem animarũ, sicut praedicare, & alia huiusmodi. Competit ergo studium literarum Religiosis tripliciter. Primò quidẽ quantum ad id, quod est proprium contemplatiuae vitae, ad quam studium literarum dapliciter adiuuat. Vno modo directè coadiuuando ad contemplãdum, illuminando scilicet intellectũ. Vita enim contemplatiua, de qua nũc loquimur, principaliter ordinatur ad considerationem diuinorum, vt supra habitum est; in qua dirigitur homo per studium ad considerandum diuina. Vnde in laudem viri iusti dicitur in Psal. 1. quod in lege Domini meditabitur die, ac nocte. Et Eccl. 39. dicitur, Sapientiam antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Alio modo studium literarum iuuat ad contemplatiuam vitam indirectè, remouendo contemplationis pericula, scelicet errores, qui in contemplatione diuinorum frequenter accidunt his, qui scripturas ignorant,

[a. 1. 2. & 5. & q. 180. a. 4.]

[q. 108. a. 4.]

Sicut in collationibus patrum legitur, quod Abbas Serapion propter simplicitatem incidit in errorem Anthropomorphitarum, id est eorum, qui Deum habere humanam formam arbitrantur. Vnde dicit Greg. in 6. Mor. quod nonnulli, dum plus exquirunt contemplando, quàm capiunt, vsque ad peruersa dogmata erumpunt. Et dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Et propter hoc dicitur Eccl. 2. Cogitaui in corde meo abstrahere a vino carnem meam, vt animum meum transferem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam. Secundo necessarium est studium literarum Religiosis institutis ad praedicandum, & alia huiusmodi exercendum. Vnde Apostolus dicit ad Titum 1. Episcopo, ad cuius officiũ huiusmodi actus pertinent, Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Nec obstat, quòd Apostoli absque studio literarũ ad praedicandum sunt missi: quia vt Hieronymus dicit in epistola ad Paul. Quicquid alijs exercitatio, & quotidiana in lege Dei meditatio tribuere solet, hoc illis Spiritus Sanctus suggerebat. Tertiò studium literarum religioni congruit, quantum ad id, quod est omni religioni commune. Valet enim ad vitandum carnis lasciuiam. Vnde & Hieronymus dicit ad Rusticum monachũ, Ama scripturarũ studia, & carnis vitia non amabis. Auertit enim animum à cogitatione lasciuiae, & carnem macerat propter studij laborem, secundum illud Ecclesiast. 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Valet enim ad auferendum cupiditatem diuitiarum. Vnde Sapient. 7. dicitur Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius. Et prima Machab. decimosecunda dicitur, Nos cum nullo horũ indigeimus, scilicet exteriorum subsidiorum, habentes solatia sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. Valet etiam ad obedientiae documentum. Vnde Aug. dicit lib. de Operibus Monachorum, Quae est ista peruersitas, lectioni nolle obtemperare dum vult ei vacare? Et ideò manifestũ est, quòd cõgruè potest institui Religio ad studiũ literarũ.

[In collat. 10. c. 4.]

[l. 6. c. 26. parum à princ.]

[Inter pr. & me. incipit hic epistola Frater Ambr.]

[De viuendi forma est. 1. c. 4.]

[c. 17. circ. 6. tom. 3. gl. or. ibid.]

Ad pri-

Ad primum ergo dicendum, quòd glossa ibi exponit illud de litera veteris legis, de qua Apostolus dicit 2. ad Corinth. 3. Litera occidit. Vnde non cognoscere literaturam, est non approbare literalem circumcisionem, & cateras carnales obseruantias.

Ad secundum dicendum, quòd studium, quòd ad scientiam ordinatur, sine charitate inflat, & per consequens dissensiones facit, secundum illud prouerb. 13. Inter superbos semper sunt iurgia. Sed cum charitate adificat, & concordiam parit. Vnde prima ad Corinthios primo, Apostolus cum dixisset, Diuites facti estis in omni verbo, & in omni scientia: postmodum subdit, Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Hieronymus tamen non loquitur ibi de literarum studijs, sed de studijs dissensionũ, qua per hareticos, & schismaticos intrauerunt in Religionem Christianam.

Ad tertium dicendum, quod Philosophi profitebantur studia literarum quantum ad seculares doctrinas. Sed Religiosis competit principaliter intendere studio literarum pertinentiũ ad doctrinam, qua secundum pietatẽ est, vt dicitur ad Titum primo. Alijs autem doctrinis intendere, non pertinet ad Religiosos, quorum tota vita diuinis obsequijs mancipatur, nisi in quantum ordinantur ad sacrã doctrinam. Vnde August. dicit in fine Musica. 6. Musicæ à fine. *Nos dum negligentes esse non astimamus, quos haretici rationũ, & scientia fallaci pollicitatione decipiunt, tardiùs incedimus consideratione ipsarum viarum. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesia filios eadem refellendorum hareticorum necessitate fecisse videremus.*

SVMMARIVM.

1 *Quod studium non competat Religiosis dixerunt Impugnatores Religiosorum.* num. 1.
2 *Competere multis probatur.* num. 2.
3 *In Religionibus recipiuntur adolescentes.* nu. 3.
4 *Necessarium studium ad acquirendam scientiam.* num. 4.
5 *Studium necessarium contemplatiua vita.* numer. 4.
6 *Regula Magistri.* num. 5.
7 *Regula S. Benedicti.* num. 6.
8 *Idem ex Patribus.* num. 7.
9 *Idem ex alijs Patribus.* num. 8.
10 *Studium Religionibus ad pradicationem ordinatis necessarium.* num. 9.
11 *Vtile omni Religioni.* num. 10.
12 *Exemplo Patrum probatur.* num. 11.
13 *Vtile etiam studium philosophorum, & literarum humaniorum.* num. 12.
14 *Idem ex Patribus.* num. 13.
15 *Obiecta diluuntur.* num. 14.
16 *Non totum tempus consumendum in studendo.* num. 15.
17 *Nimius affectus ad studium tollendus.* n. 16.
18 *Lectioni iungenda oratio.* num. 17.
19 *Dirigendum studium in Dei honorem.* num. 18.
20 *Humilitas studij fundamentum.* num. 19.
21 *Non omnis affectatio scientia mala.* num. 20.
22 *Iura diuersa explicantur.* num. 21.
23 *Studere ad vanitatem non conuenit.* num. 21.
24 *Studium linguarum necessarium.* num. 22.

EX hac quoque parte Religionum impugnatores tempore D. Thomæ contra eas insurgebant, dicentes alienum esse à statu Religiosorum studium literarum. In quo imitabantur *Vvic eph*, qui vniuersaliter literarum studia damnabat, Religionum tamen impugnatores licet studia secularium dicerent esse conueniẽtia, in statu tamen Religionis esse illicita contendebant. Perzipuè verò studia philosophiæ, & humaniarum literarum dicebant Religiosis esse prohibita. Nam & in iure Canonico Clerici prohibentur nedum leges, sed etiam physicas disciplinas addiscere, *cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. & cap. Non magnopere extra eod. tit.* At in *Cõcil. Cartag. 4. cap. 16.* prohibentur Episcopi Gentilium libros legere vt habetur *dist. 37. cap. 1.* & per *cap. sequent.* plura referuntur Patrum testimonia reprehendentium huiusmodi studia. Sed, & studia literarum inuecta in Religiones instinctu Diaboli dixit *Hier. ad Tit 1. & refertur cap. Olim d. 95.* ibi: *Antequam instinctu Diaboli studia in Religione fierent.*

2. Sed hoc Religiosorum studiorum impugnatores prostrauit *D. Thomas in hoc Artic. & Opusc. 19. cap. 11.* vbi primo in communi contra illos arguens, inquit.

Huius autem cogitationis ipsi authores non sunt, sed Iulianus apostata, qui vt ecclesiastica narrat historia, seruos Christi à studio literarum coercuit, cuius imitatores se ostendunt, qui Religiosis studium interdicunt manifestè contra auctoritatem scripturæ loquentes. Dicitur n. Isa. 5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. gl. Quia noluit habere. Non autẽ voluntarius defectus scientiæ puniretur, nisi studiũ scientiæ laudabile esset. Itẽ, Osee 4. Nocte tacere feci matrẽ tuã, conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiã, quia tu scientiam sepulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. In hoc etiam manifestè ostenditur, quomodo defectus scientiæ grauiter puniatur. Item, in Psalm. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. gl. Bonitatem, idest, charitatem inspira, disciplinam, idest patientiam da, scientiam, idest, mentem illumina. Scientia enim vtilis est, qua

sibi

sibi homo innotescit. Item Hiero. ad Rusticum mon. Nunquam de manu, & oculis tuis recedat liber. Et infra. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Idem in Epistola ad Paulinum mon. Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito ecclesiã Christi, tantùm nocet si contradicentibus non resistat, in quo manifestè sanctorum scientia præfertur Simplicium Sanctitati. Item in eadem, innumeratis sacræ Scripturæ libris subiungit. Oro te frater charissime, inter hæc viuere, ista meditari; nihil aliud nosse, nihilque aliud quærere. Nonne videtur tibi iam hic in terris Regni Cælestis habitaculum? Ex quo patet quòd cælestis conuersatio est in studio sacræ scripturæ commorari.

3. Cum verò scientia summè deceat Religiosos, nō potest illis illicitum esse studium per quod scientia comparatur. Neque enim in Religionibus recipi possunt solum homines ætate prouecti, & eruditione excellentes, atq; doctrina. Qua enim ratione iuuenes à Religione, & perfectionis via arcerentur; vt floridam ætatem, non Deo, sed mundo, & seculi concupiscentijs deuouerent? Quòd verò in Ecclesia ab immemorabili tempore consuetum fuerit recipere ad Clericatum, adolescentes, imò, & impuberes colligitur *ex c. 5. dist. 28. quod est Concil. Tolet. 2. cap. 1. & cap. Omnis 12. q. 1. quod est, Concil. Tolet. 4. cap. 23. & ex Concil. Aquisgranen. cap. 135.* Et modo per Decretum *Conc. Trid. sess. 25.* sufficit, quòd professuri Religionem compleuerint annum ętatis 16. Recipiuntur ergo in Religionibus iuuenes, qui nec ætatem habent; vt scientiam acquirere possint, nec præsumere debent eam sine studio sibi à Deo esse donandam; necessarium est ergo in Religionibus studium, per quod scientiam Religiosi possint acquirere, iuxta illud *Hieron. Epist. 4. ad Rusticum.* *Hæc dico, vt etiam si clericatus te titillat desiderium, discas, quod possis docere, & rationabilem hostiam offeres Christo, ne miles antequam tyro, nec prius magister sis, quam discipulus.* Et infra. *multo tempore disce, quod doceas.* Sic enim *& cap. 4. dist. 61.* habetur illud dictum *Innoc. 3. epis. 12.* scilicet *Miserum est eum Magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit.* Quod & habet *Boetius in lib. de disciplina scholarium cap. 2.*

4. Sed veniamus ad literam præsentis Articuli, cuius conclusio est, quòd studium literarum competit Religiosis tripliciter. Et quidem primo respectu Religionum, quæ profitentur contemplatiuam vitam, quia studium contemplationem iuuat dupliciter, nimirum primo directè illuminando intellectum. Secundò indirectè remouendo contemplationis pericula, nimirum errores, in quos de facili incurrunt, qui scripturas ignorant. Propterea & in antiquis Monachorum Regulis lectio, & meditatio præcipiebatur assignata parte diei ad hunc effectum. Sic in Regula Patrum *ca. 3. apud Menardum in Concordia cap. 65.* præcipiebatur. *Cursus verò orationum, vel psalmorum, sicut dudum statutum est; vel tempus illud meditandi, operandiq; seruabitur. Ita meditationem habeant fratres, vt vsque ad horam secundam legant. Item ibid. Matutino dicto fratres lectioni vacent, vsque ad horam secundam.*

5. Quanti verò fecerint lectionem habetur ex Regula Magistri *c. 57. §. 14.* apud eumdem *Menardum cap. 72.* in qua mandabatur, vt nec itinerantes Monachi à studio, & lectione vacarent. *Frater,* inquit, *qui pro actibus monasterij foras missus fuerit, & quia propter occupationem viæ à prima vsque ad tertiam in hieme, siue à nona vsque ad vesperam in æstate legere, si sub eodem die monasterium reuersus fuerit, quamlibet hora redierit, prandeat, aliquantulum tamen legat, aut meditetur, vt regulam ipso die videatur implere. Si verò in viam longiorem dirigatur codiculum modicum cum aliquibus lectionibus de monasterio secum portet, vt quamuis hora in via repausauerit, aliquantulum tamen legat: Ita tamen si fuerit psalteratus. Si verò non fuerit, tabulas à maiore superpositas psalmis secum portet: vt ad refectionem prandij, aut ad mansionem cum applicauerit aliquantulum, quantum occurrerit, tamen meditetur: vt quotidie Regulæ reddat, quod suum est. Ita & frater qui adhuc literas discit, tabulas superpositas à maiore de monasterio secum portet; vt si cum literam vadit ipse, se ad refectionem, aut mansionem applicauerit, cum eo tamen, aut solus aliquantulum, quantum occurrerit, meditetur, vt suprà diximus, aut ad prandium, aut mansionem aliquantulum tamen meditetur, vt videatur quotidie consuetam regulam adimplere.*

6. Sed & S. Benedictus lectionem, & studium maximè commendauit, vt videre est in Regula eius *cap. 48.* & apud *Menardum cap. 53.* ibi: *A Calendis autem Octobris vsque ad caput quadragesimæ vsque ad horam secundam plenam lectioni vacent: hora secunda agatur Tertia, & vsque ad Nonam omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horæ Nonæ disiungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut psalmis. In quadragesimæ verò diebus à mane vsque ad tertiam plenam vacent lectionibus suis: & vsque ad decimam plenam operentur, quod eis iniungitur. In quibus diebus quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de bibliotheca, quos per ordinem, & integros legant. Qui codices in capite quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputentur vnus, aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni: & videant ne fortè inueniatur frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni: & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel, & secundò: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat taliter, vt cæteri timeant.*

7. Sed & quantum ad hoc Monachi obstringantur demonstrauit *S. Gregorius* qui apud *dictum Menardum* obiurgat Ioannem eo quòd eius monachi huic pio exercitio minimè vacarent. *In ipsis autem fratribus, inquit Monasterij sui, quos video, non inuenio eos ad lectionem vacare, vnde considerare necesse est, quantum peccatum est, vt ex aliena oblatione Deus alimentum vobis transmiserit, & vos mandata Dei discere negligatis.* Sic & *S. Aban. in exhort. ad Monachos* dicebat, quòd sine lectione diuina, nemo ad Deum esse valebit intentus. Et *S. Ephrem Paren. 1. Exercitatio monachi sit meditatio scripturarum,* & similia habet *Paren. 16. & D. Hier. in Regula Monachorum collecta per Lupum de Olmeto. Quid enim eruditione melius? quid soq-*

utius

uas disciplina? quid dulcius Domino? sit autem con- uiuiam Christus, lectio Christus, cogitatio Christus: qui enim patefit esse vita fiae scientia scripturarum, per quem etiam ipse Christus agnoscitur? Qua ubi, qua mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam? Nos enim Deus in lectione docet: Illius beneficio mens à spiritu Sancto illustratur, qui cum Irgente colloquitur, eumq. scientiam Sanctorū docet. *Cum oramus (inquit Smaragdus cap. 5. Diadematis) cum Deo loquimur, cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur.* Et *S. Leander l. de instit. Virginum cap. 6. Lectio te doceat, quid orando petes; postquam verò oraueris, iterum legenda inquire quid postules;* Sic & *Thomas Campensis de disciplina Claust. lib. 5.* dicebat. *Lectio debet esse quasi oratio, & antequam legas praecedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit, errores corrigit, bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad fauorem, acuit timorem, recolligit mentem, recreat fastidiosum animum.* Indubitatum propterea est, lectionem ad meditationem, & contemplationem maximè conferre, Nam mens per lectionem veluti saginata pijs cogitationibus, statim in ipsa oratione, & contemplatione inuenit, quid cogitet, quid cupiat, quid gaudeat; nec varijs cogitationibus subtrahitur, qui statim inuenit, in quo consistat.

8. Sed quod lectio, & studium sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum sit via perducens ad culmen perfectionis Scripsit etiam *S. Benedictus cap. vlt. Regulae. Ceterum, inquit, ad perfectionem qui tendit, sunt doctrina Sanctorum Patrum quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quae enim pagina, aut quis sermo diuinae auctoritatis, veteris, ac noui testamenti non est rectissima norma vitae humanae? aut quis liber Sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu peruenamus ad Creatorem nostrum?* Manifestum propterea est, quòd lectio, & studium Sacrae Scripturae, & Sanctorum Patrum maximè conuenit Religiosis contemplatiuam vitam profitentibus, vt ad culmen perfectionis possint peruenire.

9. Propterea S. Anselmus in carmine de contemptu mundi Monachos hortatus dixit, *A studijs sacris tempora nulla vacent, vtilibus semper studeas, & rebus honestis. Res est segnities perniciosa nimis.* His accedunt, quae scripsit Albinus Flachus Iauensis. *Armate*, inquit, *vos metipsas scientia veritatis, sententijs Euangelicae auctoritatis, vt resistere valeatis contradicentibus vobis*, Cuius subiungit rationem, dicens: *Quomodo pugnat ignorans? vel quomodo docere potest, qui discere nolait? spiritualesi sunt diuitiae scientia in corde.*

Secundò autem *D. Th.* probat lectionem esse necessariam illis Religiosis, qui ex instituto ad praedicandum, & docendum ordinantur, quòd tamen *D. Th.* probauit etiam *opusc. 19. cap. 11.* alijs scripturarum, & Patrum testimonijs, sic dicentem.

Quòd autem illis, qui ad praedicationis officium deputantur, praecipuè studium scripturarum conueniat, patet per illud, quod dicit Apostolus 1. *Tim. 4.* Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinae. Ex quo patet, quòd exhortari, & docere volentibus necessarium est studium lectionis. Item Hiero. ad Rusticum Monac. Multo tempore disce, quae postmodum doceas: & idem ad eumdem, Si clericatus te titillat desiderium, disca, quod possis docere. Item, Grego. in pastorali. Nimirum necesse est, vt qui ad praedicationis officium excubant, à sacrae lectionis studio non recedant. Item, vita religiosorum praecipuè ad contemplationem ordinatur: sed pars contemplationis est lectio, vt Hugo de Sancto Victore dicit; ergo Religiosis studio vacare competit. Item illud, praecipuè sunt ad scientiam capiendam idonei, qui à carnalibus curis magis sunt separati. *Isa.* 28. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, & Comment. dicit in 7. Physi. quod castitas, & aliae virtutes, quibus concupiscentiae carnis reprimuntur, praecipuè valent ad adquirendas scientias speculatiuas. Cum igitur Religiosi concupiscentiae carnis domandae magis inseruiant per continentiam, & abstinentiam, eis praecipuè studium literarum competit.

10. Tertiò verò *D. T.* probat, quod lectio, & studium omni Religioni sit vtile, & conueniens, tanquam medium opportunissimum ad obseruantiam trium votorum, quae Religiosi emittunt, quia studium, concupiscentiam carnis domat, & amorem diuitiarum frenat, & promptam obedientiam reddit, vt clarè probatur in textu.

11. Haec quidem nedum verbis, sed factis comprobarunt. *Nazian.* & *Basilius* de quibus scripsit *Rufin. lib. 11. hist.* Diuina volumina non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate commentando peruoluebant. *Ephrem* de quo dixit *Nissenus*, omnem & antiquam, & nouam scripturam, assiduò studio studiosè versauit *Hier.* de quo narratur, quod corporis aegritudines, & incommoda pijs laboribus, & perpetua lectione, atque scriptione superabat. *August. in epist. ad volus.* de se ipso dixit. Tanta est Christianorum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eos solos ab ineunte aetate vsque ad decrepitam etiam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere. *Beda* qui scripsit de se ipso. Ego septennis monasterium ingressus, ibi tota vita omnem meditandis scripturis operam dedi Chrys. Gregorius, Cirillos, Ildefonsus, Anselmus, Bernardinus, Thomas, Bonauentura, Albertus, Vincentius, Bernardinus, & alij Sancti, & doctissimi, quorum vita Religiosa, fuit oratio, contemplatio, lectio, praedicatio.

12. Sed dicet aliquis, per antedicta probari, quòd studium Sacrae Scripturae, & Patrum, seu etiam Theologiae, & Canonum sit vtile Religiosis, sed tamen illis minimè conuenire studium secularium literarum, Hanc difficultatem tractat *D. T. in respons. ad* 3. & resoluit, quòd principale studium Religiosorum esse quidè debet circa sacras scripturas, & Theologiam, & illa, quae ad componendus mores necessario sciri debent, sed secundario, & quatenus vtile esse potest ad faciliorem, & profundiorem cognitionem diuinorum, & ad ea tuenda contra errantes, vtile etiam, & conueniens est studium secularium literarum, quòd quidem abundantius probauit *D. Th. opusc. 19. cap. 11. ibi.*

Item

Item quód non solum studio literarum sacrarum, sed etiam studio literarum secularium laudabiliter vacare possint, expressè habetur per Hiero. in epistola ad Pammachium mon. si adamaueris captiuam mulierem, scientiam scilicet secularem, & eius pulchritudine captus fueris decalua eam, atque illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum remotis vnguibus seca, laua eam prophetali nitro, & tunc requiescens cum illa, dicito. Sinistra eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israelitis. Ex quo patet, quód & monachis licet sæculares scientias addiscere, dummodo ea ibi, quæ reprehesibilia inueniuntur, secundum regulam sacræ scripturæ resecentur. Item, Augus. in 2. de doctr. Christiana dicit. Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidãda nõ sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Item, Daniel 1. super illud. Posuit autem Daniel in corde suo, &c. dicit gl. Qui de mensa regis non vult comedere, ne polluatur, si sapientiam, & doctrinam Ægyptiorum sciret esse peccatum, nunquam didicisset. Didicit autem, vt non sequatur, sed vt iudicet, atque conuincat. Si quis enim imperitus huius artis aduersus mathematicos scribat, aut expers philosophiæ contra philosophos agat quis etiam ridendus, vel ridendo non rideat? Ex quibus omnibus patet, quód studium in religiosis est commendandum, & præcipuè sanctarum scripturarũ, & maximè in illis, qui ad prædicandum deputantur.

13. His addenda sunt, quæ habet *Clemens Alexandr. lib. 6. strom. cap. 2.*

Vitandus est multus, & planè inutilis abusus; qui consumitur in ijs, in quibus non oportet, eo, qui est cognitione præditus, vtente disciplinis tanquam præexercitationibus, quæ adiuuantium causarum instar habeant, & ad accuratam veritatis traditionem, & quatenus id potest assequi nec ab eo potest diuelli, & ad propulsandãs artificiosas rationes, quæ improbè moliuntur, exscindere veritatem non relinquit erga ea, quæ promouent ad eas, quæ sunt in orbe disciplinas, & Græcam Philosophiam, sed non principali ratione, sed ea, quæ est necessaria, & secunda, & deriuatur à circumstantijs. Et pauló superiùs optimè concluserat, Per consequentiam ergo his quoque attendit, quæ exercent ad cognitionem, sumens ex vnaquaque disciplina id, quod confert ad veritatem.

Et postea per omnes liberales artes discurrendo idẽ latè prosequitur vsus exemplo Abrahæ, qui in Astrologia peritus fuit, & Moysis, qui vt habetur *Act. 7.* fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorũ. Quod quidem diuina dispositione fuit factum, vt innuit *Theophil.* vt Aegyptios confundere posset. Sed & iuuat adiungere quæ habet *Nazian. orat. 20.* quæ est funebris in *Basilium*.

Illud, inquit, inter sanè mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostra solum, ac nobiliori loquor, quæ contempto omnis sermonis lepore, atque ornatu saluti vni, atq; earum rerum, quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissimè hæret: sed etiam de externa, quam plerique Christiani prauo quodam iudicio, vt insidiosam, & periculosam aspernantur. Quod latè prosequitur, & multis illustrat exemplis. Videri etiam potest *Turrecremata d. st. 47. cap. 5. a. 1.* vbi latè tractat de hac materia. Et tandem concludo cum *Ambrosio*, vt habetur *cap. legimus dist. 47. Legimus aliqua, ne negligamus, legimus, ne ignoremus, legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus.*

14. Quæ verò obijciebantur ab impugnatoribus Religionum abundè diluit, & explicat *D. Th.* hic in responsionibus ad argumenta, & *opus. 19. cap. 11. ibi.*

Quód ergo dicitur 2. ad Tim. 3. Semper discentes, & nunquã ad scientiam veritatis peruenientes, non in reprehensionem dicitur, quód semper discant, sed quia ad scientiam veritatis nõ perueniunt: & hoc contingit illis, quorum studium eos à fidei veritate, seu rectitudine errare fecit. Vnde & ibidem sequitur. Homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Ad id, quod Greg. dicit, quód antichristus habebit prædicatores mundi scientiam habentes, dicendum quod intelligit de illis, qui humana vtentes scientia, inducunt populos ad mundi desideria, & peccata, Vnde Greg. statim subiũgit authoritatem Esa. 18. Væ terræ cymbalo alarum, quæ mittit in mari legatos suos. & in vasis papyri super aquas; quod exponens ibidem dicit. Ex papiro quippe charta est. Quid itaque per papyrum, nisi scientia secularis designatur? Vasa igitur papyri sunt præcordia secularium doctorum. In vasis igitur papyri legatos super aquas mittere est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere, & refluentes populos ad culpam vocare. Ad aliud dicendum, quód illa glos. loquitur de prædicatoribus, quos antichristus post suum aduentum per mundum sparget, sicut per multa, quæ ibi dicuntur apparet. Nec tamen propter hoc est scientia duorum testamentorum reprobanda in Religiosis, quia illi ea abutantur, nisi dicatur, quód innocentia, & puritas vitæ sunt reprobandæ, quia illi eam simulabunt, quod est absurdum. Ad illud, quód obijciunt, quod scientia inflat, dicendum, quód intelligendum est, quando scientia est sine charitate: vnde glos. ibid. dicit. Scientia inflat, si sola est. Et infra. Addite ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia: vnde in illis, qui charitatis operibus insistunt, minus est periculosa scientia, si tamen propter hoc vitanda esset, quia inflat quandoque, pari ratione [illegible] opera vitanda essent, quia August. dicit quod superbia bonis operibus insidiatur vt pereant. Ad id, quod 4. obijcitur de Beato Benedicto, dicendum quód ipse non discessit à studio quasi scientiam horrens, aut studium, sed secularem vitam, & societatem formidans. Vnde Greg. de eodem præmittit, quód Romæ liberalibus studijs litterarum traditus fuerat: sed cum in his multos per abrupta vitiorum pergere cerneret, eum, quem quasi in ingressu mũdi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque postmodum quasi in immane præcipitium totus iret: & ideó etiam nunc laudabiliter faciunt, qui seculari vita studentium relicta,

relicta ad Religionem transeunt, in qua studio vacare possunt. Ad vltimum dicendum, quòd curiositas superfluam curam importat, & inordinatam: vnde non solùm in studio literarum, sed in omnibus studijs ad quæ animus occupatur, superflua cura, quæ curiositatem facit, reprehensibilis est. In prædicta tamen auctoritate Apostoli reprehenditur eorum curiositas, qui fœda cura alienis negotijs se ingerebant, vt ventrem pascerent, vt patet per glo. ibidem. Dicere autem eos ocio deditos, qui studio sacræ scripturæ vacant, est contra id quod habetur in glos. supra illud psal. 118. Defecerunt oculi mei; quæ dicit. Sicut non est ociosus, qui verbo Dei tantum studet, nec plus is est, qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ diuinitatis exercet. Ita etiam sapientia maximum opus est, & antefertur Maria, quæ audiebat, Marthæ, quæ ministrabat.

Hic verò in responsione ad secundum specialiter considerari debet interpretatio loci *S. Hier ad Tit.* 1. Ibi enim *Hier.* non loquitur de studijs dissensionum, quæ Diabolo operante per hæreticos, & schismaticos intrauerant Monasteria Monachorum.

15. Est etiam considerandum ex *Caietano* hic ad tertium, quod sic licet Religiosis vacare studio Philosophiæ, diuinæ scientiæ gratia, quod tamen non licet totum ferè tempus in huiusmodi studio consumere. Sed omnia tempus suum habere debent, & studium in Religionibus ordinatè est accipiendum, vt non impediat orationem, & contemplationem, & vt tempus proprium, & sufficiens reseruetur alijs Religiosis occupationibus secundum cuiuscumque Ordinis Regulam, & mensuram.

16. Hoc ergo sit primum obseruandum à Religioso, vt superfluum affectum legendi, & addiscendi rescecet, ne per delectationem lectionis impediatur ab alijs operibus bonis, & necessarijs. In hac enim faciliter labuntur Religiosi, cum & *S. Bernard. in lib. med. cap.* 7. se nimis affectum lectioni lamentaretur dicens. *Væ mihi, quia ista dico, & non facio.* Et infra. *Plus diligo lectionem, quam orationem. Veruntamen, nihil aliud me docet diuina scriptura, nisi Religionem amare, vnitatem seruare, charitatem habere. Ego autem miser, & miserabilis, citius curro ad lectionem, quàm ad orationem, libentius volo legere, quàm missas auscultare. Expectat me aliquis volens de necessitate sua mihi loqui: ego autem librum aliquem accipio, lego in eo, & legendo amitto fructus charitatis.* Debet ergo religiosus non tam diligere lectionem, quod opera charitatis, aut meliora omittat sine necessitate.

17. Ideò secundò obseruare debet, vt orationem lectioni adiungat, & vt dixit *Hier. ad Latam. Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Et *S. Athan. in exartat. monat. Orationis sola intercapedo legendi intercidat.* Et *S. Bernard.* de *Ord. vita. Dei seruum sine intermissione legere, & orare oportet.* quod clarius expressit *in speculo Monach.* Et *D. Anselm. in carm. de contemp. mundi. Distinctius perlegant spatijs operentur, & orent.* De qua re multa apud *S. Nilum in Paren. cap.* 57. *S. Bonau. in reg. nouic.* 2. *Thomam campensem lib.* 5. *discip. c.* 3. *Tritem. h.* 7. & *S. Vincent. de vita spirit. cap. de somno; vbi*

Passerini, Tom. III.

modum studendi talem tradit. Nullus quantumcumque pollens ingenio debet omittere ea, quæ possunt eum ad deuotionem excitare, imò qui legit, & studet debet ad Christum inflectere, cum ipso loquendò, & ab ipso intelligentiam expostulando. Sæpè dum actu studet à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clausis se in Christi plagis abscondere, & iterato se ad librum conuertere. Etiam quandoque debet à studio surgere, & in Cœlum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum breuitate ad Deum fundere, vel Cellam egredi, Ecclesiam, Claustrum, vel Capitulum circumire secundum quod Christus confert, & aliquando oratione formata, vel informi per gemitus, & suspiria, de ebullitione cordis diuinum auxilium implorare, vota sua, & desideria altissimo præsentando, & sanctorum ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoq; agitur sine psalmis, & sine quibuscumque orationibus externis formatis verbo; quamuis hoc aliquando initium sumpserit, vel ex aliquo versu psalmi, vel loco alterius scripturæ siue alicuius Sancti, nobis, interdum Deo inspirante interius. Dum autem ille feruor spiritus transierit, qui cômuniter parum durat, potes ad memoriam reuocare ea, quæ paulò antè studueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus. Quò facto iterato ad studium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & sic alternando commutes. Nam per huiusmodi commutationem in oratione, maiorem reperies deuotionem, & in studio intelligentiam clariorem.

18. Tertiò obseruandum vt studium in Dei honorem, & proximi vtilitatem dirigat *Aug. Epist.* 119. *Scientia ad finem charitatis adhibita multum est vtilis per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. Scientia enim inflat charitas ædificat* 1. *Cor.* 8. vt exposuit *D. Th. locis citatis, S. Bonau. in pharetra c.* 45. *S. Laur. Iust. in Regul. cap.* 6.

19. Quarto obseruandum, vt studium in nihilo humilitatis fundetur. *Bernard. Epist.* 84. *studentes distinguens dixit.* Sunt namq; qui scire volunt, eo tantum fine, vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. [Qui profectò non euadent subsannantem satyricum, & ei qui huiusmodi est decantantem. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant in causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. *Et D. Greg. ad Dioscorum.* Non aliam ad capescendam, & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam viam munias, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc ipsũ dicerem.] Vnde est, quod multorum arrogans, & superba scientia grauiter reprehenditur à *Gregor. l.* 23. *mor. c.* 10. *Bernard. de vita solit. S. Theresia cap.* 5. Sicuti commendantur docti humiles ab *eod. Greg. ib. & Bernar. loco citato, Laurent. Iust. de castit. connug. c.* 14. & de vtrisque S. *Brigitta lib.* 1. *Reuelat. cap.* 33.

20. Quamuis verò Religiosus studendo, & proficiendo in doctrina summopere curare habeat

vt vitet superbiam, quæ cognitionē veritatis commaculat, vt habet *D. Th.* supra *q.* 167. *a.* 1. similiter vt fugiat ostentationem vanæ gloriæ, & iactantiæ, tamen nec omnis ostentatio est mala, sed aliquando vtilis, & necessaria ad conciliandam auctoritatem. Sic *Paulus in 1. ad Timot. cap. 4.* Hæc meditare, inquit, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Vbi *Chrisost.* Vides, inquit, vt in hoc quoque illum magnum fieri velit, atque mirabilem, ea quo scilicet Ecclesiæ commoda prouenire sciebat. Et propterea vult profectum manifestari omnibus; non modo in vitæ rectitudine, ac sanctimonia, verum in sinceritate, atque vbertate doctrinæ. In his ergo seruanda est regula illa *Aug. lib. de bono viduit. cap.* 22. Nobis necessaria vita nostra alijs fama nostra. Et *serm.* 49. *ex diuersis*, Conscientia tibi, fama proximo tuo. Sic ergò vir doctus sit intus spiritu humilis, sed vbi causa pietatis, & charitatis id postulat, scientiam non abscondat. sed ad proximi vtilitatem famam scientis non fugiat.

31. Iura verò quæ ex *tit. Ne Clerici, vel Monachi* adducta sunt supra n. 1. per phisicas disciplinas medicinam intelligunt, vt communiter Canonistæ docent. qualiter autem medicinæ scientia sit Religiosis prohibita explicatum est supra *qu.* 187. *a.* 2. *num.* 260. Alij autem Canones, qui sumpti sunt ex *dist.* 37. *Gratiani* intelliguntur de studio librorum inutilium, & non ordinato ad diuinæ scientiæ intelligentiam, & defensionem. Ideò in ea distinct. vbi per sex capita improbatum fuit studium literarum secularium, in secunda parte eiusdem distinctionis, multis Patrum auctoritatibus idem studium commendatur. Et postea concluditur, quod huiusmodi studium non debet haberi ex curiositate, & cum periculo, & scandalo, & tandem in vltimo cap. improbatur valdè ignorantia Clericorum, qui & de diuinis, & de humanis scire debent, quæ pro se, & alijs dirigendis sunt necessaria. Malum est quòd Religiosi ad vanitatem legere velint Gentilium ineptias, quod reprehendit *Hieron. Epis.* 146. *ad Damasum* dicens. *At nunc etiam Sacerdotes Dei omissis Euangelijs, & Prophetis, videmus comadias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, & id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.* Sed honestæ alicuius recreationis gratia, vel accidentariæ cuiusdam venustatis, & ornatus, nunquam fuit prohibitum etiam Episcopo legere Gentilium libros. Quomodo dixit *Cyrillus libro septimo contra Iulianum.* Sic inquit. *Sufficit quidem diuina Scriptura ad faciendum eos, qui in illa educati sunt, sapientes, & probatissimos, & sufficientissimam habentes intelligentiam, indigentesq; ad hoc nihil prorsus externis magistris. Quoniam autem dulce est omnia scire, idcircò hac ratione & valdè prudenter etiam Gracorum sententias diligenter discutimus, quas de vnaquaque re habuerint, & ante alia de eo. & inde ridendi occasionem accipimus. quòd volunt innumeros Deos, & immundorum Dæmoniorum multitudinem honorare.*

32. Studium autem linguarum præcipuè commendatum fuit in *Clemen.* 1. *de Magis.* & *Paulus Quintus in Const. Apostolica seruitutis anno* 1610. Studium linguarum Græcæ, Hebraicæ, Latinæ, & Arabicæ Regularibus præcipit. De quo est etiam *Decretum Sacra Congregation. de propaganda fide* prout latius dictum est supra *quæst.* 187. *ar.* 1. *num.* 1127.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Religio, quæ vacat vitæ contemplatiuæ, sit potior ea, quæ vacat operibus vitæ actiuæ.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd Religio, qua vacat vita contemplatiua, non sit potior ea, qua vacat operibus vita actiua. Dicitur enim extra de regularibus, & transeuntibus ad religionem, capitulo Licet, Sicut maius bonum minori bono praponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati prafertur. Et in hoc casu rectè praponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti. Sed Religio est melior, qua ad maius bonum ordinatur, ergò videtur quòd Religiones, qua ordinantur ad vitam actiuã, sint potiores illis, qua ordinantur ad vitam contemplatiuam.

Infra qu. 189. a. 8. & ad 1. & opu. 19. c. 1. 6.

In 6. Decret. lib. 3. ti. 31. n. 18. in sec.

2. Praterea omnis Religio ordinatur ad perfectionem charitatis, vt supra habitum est. Vnde supra illud ad Hebraos 12. Nondum vsq; ad sanguinem restitistis; dicit glossa, Perfectior in hac vita dilectio nulla est ea, ad quam Sãcti martires peruenerunt: qui contra peccatum vsque ad sanguinem certarunt. Certare autem vsque ad sanguinem competit Religionibus, qua ad militiam ordinantur: qua tamen pertinēt ad vitam actiuam. Ergo videtur, quòd huiusmodi Religiones sint potissima.

ar. 2. & 3. huius q. & in Aug. in loc. 17. & verb. Ap. lp. 10.

3. Praterea, Tanto videtur esse aliqua Religio perfectior, quanto est arctior. Sed nihil prohibet, aliquas Religiones ad vitam actiuam ordinatas esse, arctioris obseruantia, quam sint illa, qua ordinantur ad vitam contemplatiuam. Ergo sunt potiores.

Sed cõtra est, quòd Dominus Luc. 10. dicit, optimam partem esse Maria, per quam vita contẽplatiua significatur.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, differentia vnius

Religio-

Religionis ad aliã principaliter quidem attenditur ex parte finis, secundario autem ex parte exercitij. Et quia non potest aliquid dici altero potius, nisi secundum id, in quo ab eo differt: ideò excellentia vnius religionis super aliam, principaliter quidem attenditur secũdum Religionis finem, secundario autem secundum exercitium. Diuersimode tamen vtraque comparatio attenditur. Nam comparatio, quæ est secundum finem, est absoluta, eo quod finis propter se quæritur. Comparatio autem, quæ est secundum exercitium, est respectiua: quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem. Et ideò illa Religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia Religionis, non secundum quantitatem exercitij, sed secundum proportionem eius ad finem intentum. Vnde, & in collationibus patrum introducitur sententia Beati Antonij, qui prætulit discretionem, per quam aliquis omnia moderatur & ieiunijs, & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs. Sic ergo dicendum est, quòd opus vitæ actiuæ est duplex. Vnum quidem, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina, & prædicatio. Vnde & Gregor. dicit in 5. hom. super Ezech. quòd de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur psalm. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt. Et hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm, ita maius est contemplata alijs tradere, quàm solum contemplari. Aliud autem opus est actiuæ vitæ, quod totaliter consistit in occupatione exteriori: sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & alia huiusmodi, quæ sunt minora operibus contemplationis, nisi fortè in casu necessitatis, vt ex supra dictis patet. Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt Dionys. dicit septimo capitulo de diu. nom. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundùm quòd vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut inter opera actiuæ vitæ potiùs est redimere captiuos, quàm recipere hospites: Et in operibus vitæ contemplatiuæ potior est oratio, quàm lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si vna earum ad plura horum ordinetur, quàm alia, vel si conuenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Decretalis illa loquitur de vita actiua, prout ordinatur ad salutem animarum.

Ad secundum dicendum, quod religiones, quæ instituuntur propter militiam, directiùs ordinantur ad hoc, quod effundant sanguinem hostium, quam ad hoc, quòd eorum sanguis effundatur: quod propriè martyribus competit. Nihil tamen prohibet huiusmodi Religiosos in aliquo casu meritum martyrij consequi, & secundum hoc præferri alijs Religiosis, sicut & opera actiua interdum in aliquo casu præferuntur contemplationi.

Ad tertium dicendum, quod arctitudo obseruantiarum non est illud, quod præcipuè in Religione commendatur, vt Beatus Antonius dicit. Et Isaiæ quinquagesimo octauo dicitur. Numquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam? Assumitur tamen in Religione, vt necessaria ad carnis macerationem, quæ si sine discretione fit, periculum deficiendi habet annexum, sicut B. Antonius dicit. Et ideò non est potior religio ex hoc quòd habet arctiores obseruãtias, sed hoc, quod ex maiori discretione sunt eius obseruãtiæ ordinatæ ad finem Religionis: sicut ad continentiam efficaciùs ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi, & potus, quæ pertinet ad famem, & sitim, quam per subtractionem vestium, quæ pertinent ad frigus, & ad nuditatem, quàm per corporalem laborem.

SVMMARIVM.

1 *Vita contemplatiua perfectior actiua, num. 1.*
2 *Difficultas quaestionis. num. 2.*
3 *Religionum perfectio sumenda simpliciter ex fine non ex medijs. num. 3.*
4 *Perfectior, quae habet finem perfectiorem. num. 4.*
5 *Finis est potior, qui vel est maius bonum, vel ad plura bona ordinatur. num. 4.*
6 *Religio in fine conueniens est melior, si assumit media magis proportionata. num. 5.*
7 *Religio mixta perfectior, postea contemplatiua, vltimo actiua. num. 6.*
8 *Religio mixta respicit principaliter contemplationem, vt fructificantem ad extra. num. 7.*
9 *Perfectior quia ad plura bona se extendit. numer. 8.*
10 *Obiectio. num. 9.*
11 *Distractio ab explicito Dei amore est omni vita communis. num. 10.*
12 *Gratissima Deo distractio, quae habetur ex occupatione procurandi salutem animarum. num. 10.*
13 *Occupatio in ijs, quae spectant ad salutem animarum non multum distrahit à Dei explicita cognitione, & amore. num. 11.*
14 *Perfectior est charitas, quae se impedit aliqualiter, vt extra fructificet. num. 11. 13. 14.*
15 *Vsura est priuari dulcedine contemplationis propter Deum. num. 13.*
16 *Res grata Deo ei cooperari in salute animarum. num. 14.*
17 *Praedicatio, & alia similia opera sunt actus charitatis. num. 15.*
18 *Assertio probatur ex Bernar. num. 16.*
19 *Nazianzeno. num. 17.*
20 *Augustino. num. 18.*
21 *Isidoro. num. 19.*
22 *Io: Chrysostomo. num. 20.*
23 *Contemplatiua est potior actiua. num. 21.*
24 *In singulis generibus Religionum vna triplici ex causa potest praeminere alteri. num. 22.*
25 *Psalmodia laudes. num. 23.*
26 *Vnde Religiones fiant perfectiores. num. 24.*
27 *Nulla Religio purè actiua excedit mixtam. numer. 25.*
28 *Nisi forsan in discretione mediorum. num. 26.*
29 *Religio contemplatiua securior. num. 27.*
30 *Ex eo, quod contemplatiuus oret pro proximis non adaequat perfectionem eius, qui ad sanctificandum cooperatur Deo. num. 28.*
31 *Milites morientes in bello non sunt martyres, & tamen potest esse, vt merito martyrij non priuentur. num. 30.*
32 *Asperitas instrumentum perfectionis. num. 30.*
33 *Religio perfectior, quae asperitatibus vtitur cum maiori discretione. num. 30.*

1 Vitam contemplatiuam esse perfectiorem actiua, indubitatum esse debet, & probatum ex eo, quod de Magdalena dixit Christus Dominus *Luc. 10. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea* Quem locum ita interpretantur PP. vt per partem, quam sibi elegit Maria, intelligatur contemplatio; ipsa enim stabat ad pedes Domini audiendo verbum illius, & meditando audita, relinquens Marthae sollicitudinem ministrandi, quae opus erant; Dum ergo Dominus dixit, Mariam optimam partem elegisse significauit vitam optimam illam esse, in qua quis vacat contemplationi, alijs relicta sollicitudine eorum, quae spectant ad vitam actiuam, Ita locum illum intellexerunt *Aug. lib. 1. de cons. Euang. c. 5. & lib. 22. contra Faustum cap. 52. & seq. & serm. 57. de verb. Dom. & tract. 127. in Io; Greg. l. 5. in lib. 1. Reg. cap. 4. & hom. 14. in Ezech. & l. 6. mor. cap. 16. alias 28. Hieron. in cap. 3. Thren. & Epist. 22. ad Eustoch. Basil. in Const. Monast. cap. 2. & S. Bernard. serm. 5. de Assum. & 41. in Cant. Rupert. l. 8. in Gen. cap. 81. Richard. de S. Vict. l. 1. de vit. contemplat. cap. 1. Cassian. collat. 1. c. 8. Innoc. 3. l. 1. de Mister. Missae cap. 63. & serm. de Assump. Bonauen. de septem itiner. aetern. d. 6. Antonin. p. 4. tit. 10. cap. §. 4.* & communiter DD. Catholici. Ex hoc autem principio deducitur per consequentiam, quod perfectior sit Religio, quae suos ordinat, & obligat directè, & principaliter ad opera contemplatiuae vitae, quam illa, quae suos ordinat ad opera actiuae vitae.

2 Nihilominus punctum hoc explicatione indiget, & maximè quia datur vita mixta contemplatione, & actione, & difficultatem habere potest an Religio, quae vacat contemplationi, & actioni debeat dici perfectior ea, quae vacat tantum contemplationi. Quoniam licet prima facie videatur dicendum, quòd perfectior sit vita mixta, quae perfectionem contemplatiuae, & actiuae continet; tamen in oppositum vrget grauis difficultas, nec videtur esse eadem ratio de vita contemplatiua, & actiua, & de Religione ordinante ad illam. Nam verum quidem est, quod si pro eodem tempore comparentur contemplatio tantum, & contemplatio, & actio simul, ita quòd dentur duo, quorum vnus tantum contemplatur, & Deũ contemplatum amet, alter verò simul Deum contempletur, & diligat, & vlterius simul propter Deum exterius agat v.g. curando infirmos, perfectius operatur ille, qui simul contemplatur, & extra propter Deum infirmos curat, quàm ille, qui solùm contemplatur; quia totum est maius sua parte; contemplari verò, & agere se habet, vt totum respectu solius contemplationis. Verum non ita debet accipi contemplatio, & actio, quando comparatur Religio ordinata ad contemplatiuam vitam, & ad vitam mixtam contemplatione, & actione; quia Religio ista, quae dicitur mixta, non videtur respicere contemplationem, & actionem coniunctim, & vt quoddam totum semper simul exercendum, sed diuisim, & separatim, & ita vt aliquando contempletur, aliquando contemplata communicet alijs, at verò videtur perfectius esse semper contemplari, quàm aliquando contemplari, & aliquando agere, & communicare contemplata, quia agere est minus bonum, quàm contemplari, agere verò distrahit, & impedit animum à contemplatione, & ita Religio, quae ad vtrumque ordinatur, vacat illis diuisim, & cum distractione à contemplatione pro eo tempore, quo agit, cum Religio contemplatiua tantum pro semper optimam partem sibi elegerit, & contemplationi vacet.

3. Diuus Thomas tamen vt veritatem doceat praemittit

permittit regulas secundùm quas indicanda sit Religionum maior perfectio. Inquit ergo, quòd cum Religiones principaliter differant, si sint ad diuersos fines, minus principaliter verò ex eo, quòd in ordine ad eundem finem assumunt diuersa media, ideò dicendum est, quòd Religio illa sit perfectior simpliciter, quæ ad perfectiorem finem ordinatur, illa vero sit minus principaliter, & secundùm quid perfectior, quæ conuenit cum alia in fine, & solùm distinguitur, quia ad eundẽ finem tendit per media minùs perfecta, seu proportionata. Cum enim vna Religio non sit perfectior alia ratione illius in quo conuenit cum illa, sed secundùm id, per quod ab alia distinguitur, cùm vna ab alia non distinguatur, nisi quia distinguitur, vel fine, vel medijs; vna non potest esse perfectior alia, nisi vel ex maiori perfectione finis, vel ex maiori perfectione mediorum. Et quia Religiones fine distinguuntur principaliter; & minùs principaliter medijs, ideò simpliciter, & principaliter illa est perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem; illa vero est perfectior minus principaliter, quæ conueniens cum alia in fine media assumit ad finem meliora.

4. Secundam Regulam addit *D.T.* respicientem comparationem Religionum ad finem, vt scilicet illa dicatur Religio perfectior, quæ ordinatur ad finem potiorem; sed finis dici potest potior, vel quia sit maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Hanc vero Regulam explicat *Caiet.* vt huius disiunctiuæ propositionis secunda pars non habeat pro subiecto finem, sed Religionem, ità quod non sit sensus *D. Th.* quod finis sit potior, vel quia sit maius bonum, vel quia finis ad plura bona ordinetur, quia finis qui quæritur propter se, non ordinatur ad alia bona, sed hoc est proprium mediorum. Sensus verò est, quòd Religio est perfectior, quæ vel ordinatur ad maius bonum, vel ad plura bona, sicut oratio, quæ ordinatur ad orationem; & lectionem est melior illa, quæ ordinatur ad orationem tantùm. Sed certè *Diu. Thom.* ibi distinguit finem directè, quia vel finis sit maius bonum, vel ad plura bona ordinetur, Hæc enim sunt verba textus. Et ideò illa Religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia est magis bonum, vel quia ad plura bona ordinatur; In diuisione enim idem est diuisum. At verò prioris membri disiunctiui subiectum est finis, vel igitur *D. T.* ineptè loquitur, & distinguit, quòd non est dicendum, vel dici debet, quòd etiam finis sit subiectum alterius membri distinctionis, & quòd finis ipse sit ille, qui ad plura ordinatur. Nec obstat ratio allata ad oppositum, quia non omnis ordo est medij ad finem, sed datur ordo causæ ad effectum. Et ita quòd est finis, potest respici à Religione, vt est causa vnius, vel vt est causa plurium. Et optimè loquitur *D.T.* Neque enim Religio potest respicere vt fines plura bona vt plura, sed respiciet illa, vt in aliquo vno conueniunt, siue vt sunt vnum in aliqua ratione, sub qua ab vna Religione respiciuntur; quia vnitas Religionis non potest esse à pluribus finibus, vt pluribus. Plura autem bona simul vniuntur sub ratione vnius, per ordinem causæ ad effectum. Causa enim & effectus sunt similes, & sunt vnum, quia causa producit sibi simile. Voluit verò *D. Th.* vt aduerteremus, quòd Religiones possunt distingui fine materialiter, & realiter differente, & differente formaliter, & quod stat Religiones conuenire in fine materialiter; quia finis formaliter distinguitur si sumatur vt est causa vnius boni, & vt est causa plurium, & quòd Religiosorum eundem finem respicientium illa est perfectiör, quæ respicit finem vt est causa plurium bonorum, Et hoc modo loquendi vsus est *D.T.* vt tangeret verã radicem distinctionis inter Religionem purè contemplatiuã, & mixtam. Vtraque enim habet pro fine contẽplationem, sed illa respicit eam, in quantum est causa solius internæ dilectionis, & dulcedinis, sed ista eam respicit etiam vt est causa externæ actionis, & ideò finis mixtæ Religionis est potior, quia est contemplatio vt ordinata ad plura bona. Est ergo Regula, quòd finis est potior, qui vel est maius bonum, vel est idem bonum ad plura bona ordinatum.

5. Tertia Regula est, quòd vbi Religionis differentia attenditur secundùm diuersa media, maior, vel minor perfectio non attenditur secundùm maiorem, vel minorem perfectionem illorum secundum se, sed secundum meliorem proportionem ad finem, secundum scilicet quod ad finis acquisitionem sunt magis proportionata, ideòq; magis efficacia, quod & considerauit *Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 6. num. 32.* Ideò non est dicenda ex medijs perfectior, quæ plura media assumit, quia, vt habet *D.T.* hic non attenditur excessus secundùm quantitatem mediorum, sed secundum eorum discretam proportionem. Quoniam enim medium non amatur per se, sed in ordine ad finem, illud est medium melius, quod ad finis acquisitionem est magis proportionatum. Et hic non debent distingui præsidia ab auxilijs, & auxilia à medijs, quia sub nomine mediorum veniunt omnia, quæ præstant commoditatem acquirendi finem, siue ferendo præsidium contra impedimenta, siue dando auxilium ad finis consecutionem, siue quocumque modo conducendo ad acquisitionem finis. Et aduertendum tamen, quòd absolutè, & simpliciter non potest dici, quòd illa Religio sit melior, quæ habet plura, & meliora subsidia, auxilia, media ad finem magis proportionata. Nam vt habetur apud *Cassianum collat. 2. c. 3. S. Antonius* prætulit discretionem per quã aliquis omnia moderatur, ieiunijs, & vigilijs, & omnibus huiusmodi obseruantijs. Tum quia absolutè maior perfectio sumi debet ex fine; vnde melior est Religio, quæ est ad meliorem finem, licet media non sint omni perfectione proportionata, quàm sit illa, quæ est ad finem minus perfectum, cum à fine Religio absolutè dicatur perfectior, vel imperfectior. Tùm quia non à multitudine mediorum Religio sumit perfectionem. Et quia quòd potest fieri per pauciora melius, quam per plura peius fit per plura, quàm per pauciora; & ideò non debet attendi pluralitas, nisi in ordine ad proportionem, vt vbi Religiones conueniũt in fine, illa sit perfectior, quæ est magis discreta circa media, & assumit media magis ad finem proportionata. Vnde est v.g. quod si finis vnius Religionis sit perfectior, & ad eam acquirendam minor paupertas erit proportionata magis erit perfe-

ctior

ctior Religio in ordine ad finem perfectiorem admittens minorem paupertatem, quàm illa, quæ in ordine ad eumdem finem assumit paupertatem maiorem. Et idem de austeritate vitæ dicitur Cæteris tamen paribus nimirum existente eodem fine, & salua eadem proportione mediorum ad finem illa Religio erit melior, quæ assumit media secundum se meliora, vt quæ erit pauperior, vel asperior; quia tunc talis Religio in aliquo aliam superat, & ab ea non superatur. *Suar.d.nu.32.*

6. His regulis præmissis duplici conclusione *D.Th.* respondet ad quæsitum. Prima est, quòd summum gradum in Religionibus tenent Religiones mixtæ, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt statui Episcoporum. Secundùm gradum tenent Religiones, quæ purè sunt contemplatiuæ. Tertium gradum tenent, quæ occupantur circa exteriores actiones. Conclusionem hanc *D. T.* docuit etiam *opusc.19.cap.1. & 4.d.35.q.1.a.4.q.2. & q.2.ar.5,* vbi etiam *Durand.q.2.Caiet.hic & supra q.182.a.1 Palud.4.d.38.c,3.q,3.a.1.in fin. & q.5.a.2.D. Anton.3.p.tit.16.cap.1.§.1. Syl.v.Religio 1.q.4. Tabien.q.5. Suarez.tom.4.de Relig.tr.9.l.1.c.6. num.30. Palaus tr.16.disp.1.punc.2.nu.3. Philippus à Sanctissima Trin.tom.3.disp.5.a.3.*

7. Explicatur autem conclusio aduertendo, quod aliquis potest habere pro fine contemplationem dupliciter, nimirum primo principaliter prout contemplatio est necessaria ad externam actionem, sicut si aliquis incumberet lectioni, & doctrinæ non principaliter secundum se, sed intuitu actiuæ disciplinæ, vt posset docere, & prædicare, & huiusmodi agere. Et tunc huiusmodi studium contemplandi reduceretur ad actiuam vitam, quia finis eius principalis esset actio, externa; meditatio verò ab ea non esset intenta, nisi in ordine ad externam actionẽ, & tale studiũ esset valdè imperfectum, quia non haberet charitatem perfectè ordinatam, quia quod est per se principaliter diligibile non diligeretur, nisi in ordine ad actionem externam; contemplatio enim per se, eo quia est optimum quid in quo maximè consistit perfectio humanæ vitæ, est diligibilis, & non solum per accidens ratione externæ actionis. Alio modo Religio mixta se habet, quia respicit contemplationem ipsam principaliter propter se, & quia de se est optimum medium ad perfectionem charitatis obtinendam, sed quia contemplatio, & charitas perfecta, & probata fructificat Deo, & proximo, erumpens etiam in exteriores actiones, quæ sint in Dei gloriam, & profectum proximi; Ideò hæc Religio respicit contemplationem, non vt interius tantum consummatur, sed vt extensione suæ virtutis erumpat ad ea, quæ sunt Deo gratissima, nimirum ad ea, quæ spectant ad animarum salutem.

8. Quo stante probatur prima pars conclusionis *D. Th.* quia inter contemplatiuas Religiones illa est perfectior, quæ recipit contemplationem in ordine ad plura bona; quia contemplatio ipsa est eo maius bonum, quo plura bona causat. Nam & hoc non est sine aliqua intensione perfectionis eiusdem contemplationis, quia maius bonum est, quod ex se, & sui virtute maiora bona causat, & sine dubio est extensius bonum, quod ad maiora bona se extendit. Et hoc in moralibus est Deo gratius, quòd se ad alios etiam sanctificandos, & Deo vniendos se extendit: Ideò illa contemplatio est maius bonum, quæ ad plura bona causanda se extendit. Talis verò est contemplatio, cui vacat Religio mixta, quæ respicit contemplationem, vt est bonum contemplantis, & vt ex sui superabundantia se extendit ad alios sanctificandos, & perficiendos. Ideo ex hoc eius perfectio manifestè cognoscitur, quod talis fuit contemplatio Christi, & Apostolorum, qui quidem sic contemplationi, & meditationi, aut orationi addicti erant, quod tamen prædicationi, & doctrinæ, & cæteris spiritualibus misericordiæ operibus vacabãt.

9. Sed obstare videtur, quod inter virtutum actus perfectior sit actus charitatis, & amor Dei formalis, qui etiam est magis meritorius, & plus valet ad charitatis perfectionem, nimirum ad eam conseruandam, & in infinitum augendam; At verò in vita purè contemplatiua, sicuti Dei meditatio est diuturnior, & perseuerantior, ita & Dei formalis amor, ex adiunctione verò operum actiuæ vitæ, distrahitur animus ab actuali Dei meditatione, & sic etiam ab actu formali charitatis impeditur, Videtur igitur quòd ex adiunctione operum actiuæ vitæ reddatur imperfectior spiritualis vita, quia distrahitur, & impeditur ab eo, quod summũ est, nimirum à Dei interna meditatione, & Dei formali amore.

10. Verum ex hoc eodem motiuo probatur illa pars conclusionis. Quia illa vita est perfectior, quæ continet totam alterius perfectionem non diminutam, sed addit aliam; talis verò est vita mixta. Quod enim dicitur de distractione, & impedimento actus formalis charitatis, multipliciter deficit. Primò quidem, quia distractio ista est omni vitæ communis, cum in præsenti mundo mens non possit perpetuo occupari in contemplatione Dei, & eius explicito, & distincto amore, tum propter necessitatem vitæ, tum propter laborem contemplationis. Vnde vt patet ex Regula S.Benedicti, & alijs supra relatis Monachis contemplatiuam vitam profitentibus distributæ erant horæ diei pro oratione, pro lectione; pro labore manuum, & alijs exercitijs. Sed & contemplatio ipsa non semper habet pro obiecto immediato, & explicito Deum, sed multa contemplanda sunt, quæ sunt necessaria ad exercitium virtutum, vt vanitas mundi transitoria, pericula quæ in eo sunt, propria infirmitas, & defectus, peccatorum miseria, pœnæ inferni, & similia, quæ necessario consideranda sunt, vt animus sit humilis, & constans, & alienus à mundi amore. Vnde nec tempore pro meditatione, distributo mens semper occupatur in explicita Dei meditatione, sed alia propter Deum cõsiderat, vt in omniũ virtutũ exercitio se exerceat. Distractio igitur est cõmunis; sed quæ Deo gratior distractio, quam vt si homo deficit ab actuali Dei contẽplatione occupetur in opere Deo gratissimo, nimirum in ijs, quæ spectant ad salutem animarũ? Ad fugiendum otium, & recreandum animum fuit per sapientes monachorum legislatores introductus labor manuum, & probatum est q.187.a.3. At quanto melius est loco texendi fiscellas, aut retes, docere ignorantes, persuadere virtutem, & peccatores ad Deum conuertere?

11. Sed

11. Sed secundò deficit ratio illa, quia suppo-nit animum eorum, qui exterius incumbunt saluti animarum magis distrahi, quam verè distrahantur à Dei meditatione, & amore. Nam opus salutis animarum non ita distrahit, quod à Dei meditatione elonget, cum opus hoc consistat præcipuè in exhortando homines ad Dei timorē, & amorē, quod nō fit sine Dei meditatione, & etiam actuali amore, cum totum hoc ex Dei amore procedat. Et amplius tota huiusmodi occupatio in opere salutis nedum admittit, sed requirit frequentes ad Deum conuersiones, & recursus, tum ex parte operantis, vt feruorem suæ charitatis foueat, tum ex parte operis, vt Dei auxilia postulentur, quæ sunt maximè necessaria ad hoc, vt operantis labor non sit inanis. Tùm tertio, quia obiectio in formalitate actus amoris Dei decipitur, si supponit, quòd in eo, qui operatur propter Deum cesset omninò formalis Dei amor. Nam aliud est, quod cessante explicita quadam, seu distincta cognitione Dei cesset amor quidam explicitus, & distinctus, aliud est, quòd omninò amor Dei formalis cesset. Quando enim manet virtus illius prioris intentionis, & amoris Dei, ex quo quis assumpsit opus aliquod agendum manet semper, & in memoria quædam confusa cognitio, & in voluntate amor, & intentio quædam illi correspondens, ex qua operans actu mouetur, & dirigitur in finem. Sic v.g. si quis propter Deum sumit iter versus Romam, licet de Deo, & de Roma distinctè non cogitet, si perueniat ad binium, statim sine deliberatione viam, quæ Romam ducit arripit alia relicta. Hoc verò inde prouenit, quia manet in eo semper confusa aliqua notitia prioris intentionis, & sic confusus aliquis intentionis actus sufficiens adhoc vt viator ex intentione priori explicita in itinere moueatur, & dirigatur: sic ergo opus externum ad Dei gloriam, & ex Dei amore assumptum licet distrahat à distincta Dei meditatione, & amore sibi correspondente, non tamen omnino distrahit cum maneat, vt dicunt virtualiter amor ille, ex quo assumptum est opus, & formaliter maneat etiam licet confusus, & non ita distinctus, sicut prius.

12. Tertiò, valdè deficit obiectio, quia falsum supponit, scilicet quod maior perfectio vitæ huius in statu præsenti consistat in diuturniori, & minus interpollata explicita Dei meditatione, & explicito formali actu charitatis. Nam cum Dei obsequium petat, vt homines nedum sibi, sed alijs vacent ex charitate, & quod nos in Dei gloriam, & proximorum profectum operemur nedū interius in mente, sed ad extra per actiones transeuntes, & corporeas, quod nequit fieri, nisi homo interius à Dei explicita contemplatione, & amore illo explicito distincto, & formali impediatur, ideò obsequium Dei petit, vt ex charitate vnus actus charitatis impediatur, vt alter locum habeat. Mensura autem huius impedimenti non est sumenda ex priuato interesse operantis hominis & ex dulcedine, & quiete, & delectatione operationis, sed ex gloria Dei, & exigentia eiusdem charitatis, quæ est illa, quæ se impedit in vno actu propter maiorem Dei gloriam, & obsequium, & quæ ad sui perfectionem exigit, vt exterius quoque erumpat, & Dei gloriam, & proximi profectum sanctificat. Et sic perfectior longè est charitas, quæ non est otiosa, & non tantum operanti intus fructum facit, sed & intus, & extra Deo, & proximo famulatur, & ideò etiam operanti maius cumulum meriti parit.

13. Sic ergo in præsenti considerandum est, quòd priuatio illa interioris quietis, & otij, & dulcedinis, qua homo ex charitate se priuat vsura est spiritualis, quæ in centuplum fructum afferre eidem, & præferenda est contemplationi secundum quod *D.T.* docuit 3.*d.*35.*q.*1.*a.*4.*q.*2. dicens *Quantum ad intentionem meriti, videtur vita contemplatiua maioris meriti illa parte actiua, quæ circa moderationem studet, maioris autem quantum ad illā partem, quæ profectui aliorum inuigilat, quia hoc ipsum videtur esse fortioris charitatis secundum genus quod homo prætermissa consolatione, qua in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conuersione quærat. Quia etiam in humana amicitia verus amicus quærit magis bonum amici, quam de eius præsentia delectari.* Propterea multum commēdatur charitas Pauli, qui *Rom.*8. cupiebat *anathema esse pro fratribus suis.* Et ad *Philipp.*1. dicebat *Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* In quo commendatur valdè charitas Pauli quòd sibi vtiliua erat postponēs vtilitati proximi. Quod & ponderauit Innoc. III. *in cap. Cum pridem de Translat. Episc.* vbi & commendat charitatem S. Martini, qui dixit *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem.* Quod si protrahere vitam præsentem cum priuatione illius claræ visionis, & charitatis perfectæ, qua Deus in Patria videtur, & diligitur ob charitatem Dei, & proximi commendatur, vt melius, & laudabilius, imò, & operanti vtilius. Ita commendatio charitatis est, vt ad gloriam Dei, & proximorum salutem impediat seruum Dei à dulcedine interioris meditationis, & amoris Dei explicitè, & manifestius meditati.

14. Deindè verò in hoc charitatis impedimento ex charitate debet attendi, quod est Deo magis gratum, & in quo gratius obsequiū sibi fieri protestatur, huiusmodi verò est charitas exterius prorumpens in opus salutis animarum, & hoc ex genere est melius, vt charitas ordinatè, & cum proportione se se impediat operantem ab interiori explicita Dei meditatione, & amoris quiete propter salutem animarum. Quod declarauit *S. Dionys. cap.* 3. *de Calesti Hier.* dicens, *Perfectionem esse ad Dei imitationem totis conatibus eniti: quod est præstantius, atque omnibus diuinius, Dei cooperatores fieri, & ostendere diuinam in se ipso actionem, secundum quod possibile est.* Hac enim ratione supra q.184.*a.*7. probatum fuit cum *D.T.* quod status Episcoporum sit perfectior statu Religiosorum; quia charitas extensa ad opera salutem animarum concernentia est perfectissima, & Deo gratissima, iuxta illud *Greg. hom.* 12. *in Ezech. Nullum sacrificium esse Deo magis acceptum, quam zelus animarum.* In cuius consequentia *lib.*6. *epist.*5. dixit *Si vnigenitus Patris pro explenda vtilitate omnium de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi sumus si secretum nostrum proponimus*

vtili-

vtilitati proximorum. Sed Christus ipse veritatem hanc comprobauit, dum Petro dixit, *Petre amas me?* &c. *Pasce oues meas*. Ex hoc nos docens perfectam Dei dilectionem in hoc consistere, quod quis pascat Dei oues. Quod & considerauit loco citato *S. Greg. & p. 1. pastor. cap. 5. & S. Io. Chrys. lib. 2. de Sacerdotio*.

15. Sed & aliud non verum videtur supponere dicta obiectio, scilicet quod prædicatio, & alia opera concernentia salutem animorum non sint actus charitatis, & amoris Dei, etiam aliquo modo elicitus, quatenus actus externus potest dici elicitus à virtute interius existente in voluntate. Quod non ita est, vt colligitur ex *D. Th. 3. dist. 3. quæst. vn. a. 4. ad 2.* ibi *Dilectio Dei, & proximi quantum ad actum interiorem, ad vitam contemplatiuam pertinet*, vnde *Greg. hom. 14. in Ezech.* dicit, *quod contemplatiua vita insistit dilectioni Dei, & proximi, sed quantum ad actum exteriorem vtraque ad vitam actiuam pertinet; quamuis huiusmodi actus in proximos expendatur, quia Deus operum nostrorum non eget*. Itaq; de mente Sancti Thomæ actus exterior expensus in proximos ad dilectionem Dei pertinet. Nam huiusmodi actus in vtilitatem spiritualem expensus cōtinet Dei gloriam, & sub hac ratione cadit sub obiecto amoris amicitiæ Dei, & sub hac ratione est actus dilectionis Dei formaliter, & ideò pertinet ad perfectionem charitatis. Nec obstat, si dicatur, quòd actus exterior non addit bonitatem ad internum; quia nedum primo hoc non est verum de propria bonitate, quam habet actus exterior ex proprio obiecto, & qua bonitate caret volens interius, sed exterius non operans; sed loquendo etiam de bonitate finis, licet hæc sit eadem in actu externo *D. Tho. p. 2. qu. 20. a. 4.* tamen vt habet *ib. Caiet.* actus externus ponit bonitatem illam actus interni in perfecto modo essendi. Sic non est perfecta voluntas, quæ non operatur. Dilectio igitur si sit merè interna non est perfecta, quia deficit sibi perfectio operis externi. Pertinet igitur ad perfectionem vitæ, quod contemplatio exeat in actum externum, & redundet in opus. Et ideò perfectior est Religio, quæ ordinatur ad contemplationem, vt ordinatam ad exterius etiam procurandam salutem proximorū, quam illa, quæ in sola contemplatione finem suum ponit.

16. Hæc omnia ex SS. PP. comprobantur. S. *Bernard.* ad fratres de Monte Dei, ex hoc ad humilitatem Monachos hortatur, quòd soli contemplatiuæ vitæ vacarent. *Longè* (inquit) *supra nos virtutem eorum suscipientes, & admirantes gloriam, qui ambi dextri fortissimi, sicut Aiod ille fortissimus iudex Israel, qui vtraque manu vtebatur pro dextera, & quandiù licet deuotissimè intus vacare amant charitati contemplandæ veritatis, & cum necessitas vocat, vel officium trahit promptissimè se forat mittunt pro veritate adimplenda charitatis*. Et *serm. 57. in Cant.* egregiè ad hanc rem exponit idē *Bernard.* verba illa *Cant. 2. Surge propera amica mea*: vbi primum ait animæ contemplanti dari interdum latitudinem mentis insolitam, & infusionem luminis illuminantis; *Vel ad scientiam scripturarum, vel ad misteriorum notitiam, quorum alterum, ait propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari*. Et infra. *Post hanc tanta dignationis, ac miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter diuinam insinuans voluntatem quæ non est aliud, quam ipse amor qui otiosus esse non potest de his, quæ Dei sunt solicitans, & suadens; Hoc quidem vera, & casta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo eos, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittant, vt rursum posita votis aliquantulum in hoc parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quanto fructuosius intermisisse meminerit & iterum sumpto contemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat*.

17 *Nazianz. etiam orat. 20.* eundem Basilium ex hoc laudat quod contemplationi actionem sociasset. *Non, inquit, velut muro quopiam interiecto ea distinguens, atque à se inuicem separans, verum propriè coniungens ac dirimens, vt nec contemplatio commemeationis expers esset, nec actio contemplatione careret: sed quemadmodū terra & mare ita etiam & duæ vitæ cōmoda sua inter se cōmunicantes ad vnicam Dei gloriā cōcurrerēt*, & *or. 23.* eadē ratione laudat Neronem philosophum & martyrem, quod esset ambidexter, & vitam elegisset, *quæ ad aliterum vtilitem se diffundit, atque ad diuinam dispensationem propè accedit, quod* (dixerat superius) *præstantissimi animi ac sapientissimi esse indicaret, priuatæ vtilitatis cum publicis commodis coniunctam habere soli rationem, neque enim quemquam nostrum sibi natum esse, sed omnibus, qui eiusdem naturæ participes sunt*, quæ fuit etiam sententia Platonis cuius meminit *Cicero lib. 1. de offic.*

18 August. quoque veritatem hanc dilucidè explicauit *lib. 19. de Ciuit. Dei c. 19. Ex tribus vero illis vitæ generibus otioso, actuoso, & ex vtroq; cōposito: quamuis salua fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere & ad sempiternum præmium peruenire; interest tamen quid amore teneant veritatis, quid officio charitatis impendant. Nec sic quisque debet esse otiosus vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi: nec sic actuosus vt contemplationem non requirat Dei. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inuentio veritatis: vt ea quisque proficiat, & quod inuenerit alteri non inuideat. In actione vero non amandus est honor in hac vita sine potentia: quoniam omnia vana sub sole: sed opus ipsum, quod per eundē honorem, vel potentiam fit, si rectè atque vtiliter fit, id est vt valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundum Deum est; vnde iam superius disputauimus, Propter quod ait Apostolus: qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat*.

19 Sed & Isidorus optimè in eundem sensum disseruit *lib. differ. in 29.* ibi. *Quibusdam, ait, sola contemplatio proficit alijs vero sola actio est cōsoipatio bis media vtrisq; cōposita vtilior est: nam quod Saluator per diem signis & miraculis in villis coruscabat actiuam nobis commēdabat vitam, quod vero in nocte per orationes iugiter pernoctabat vitam contemplatiuam significabat, idcirco Dei seruus iuxta imitationem Christi, nec actualem vitam omittit, & contemplatiuam agit*. Aliter enim incedens offendit, sicut enim per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam amandus est proximus, ac per hoc; sic non possunt sine vtraque esse vita, sicut sine vtraque dilectione.

Ean-

Eandem verò doctrinam latè commendat, & exagerat *Chrysostomus hom.* 34. *ad Popul.* sicut verò *Isidorus* ex necessitate, quæ vrgere eius articulo colligit obligationem adiuuandi proximum, ita ex magna vtilitate, quæ respicit bonum communitatis, & quæ respectu illius est quædam necessitas argumentatur, & infert maiorem perfectionem.

20. Cum verò quamplura in huius cõfirmationem exageret *S. Io: Chrys. hom.* 34 *ad popul.* inter alia sic habet. *Hanc inquit viam teneamus, hac enim est, quæ maximè deducit ad Deum, quæ Christi facit imitatores, & quoad fieri potest, Deo similes reddit.* Et infra. *Sint igitur duæ optimæ viuendi viæ, & earum quidem vna bonum facit obeuntem, altera verò, & proximum. Videamus vtra probabilior, & ad virtutis culmen nos magis perducit.* Postea verò ita respondet, vt priorem comparatione posterioris reprehendere videatur. *Igitur (ait) ille qui sua dumtaxat quærit à Paulo mille accusationes accipiet (cum autem Paulum dixero, Christum significauero) hic autem laudes, & coronas.* Infra verò hoc magis explicans, ait. *Ieiunare quidem, & humi cubare, & exercere virginitatem, temperantiam colere, solis hæc obeuntibus vtilitatem afferunt, quæ verò proximis à nobis exhibentur, vt eleemosyna, doctrina, & charitas, hæc & nobis ipsis, & proximis, ad quos à nobis transeunt, prosunt.* Multa similia habet *Io: Chrys. hom.* 36. *&* 79. *Greg. hom.* 5. *&* 14. *in Ezech. & l.* 5. *in* 1. *Reg. cap.* 4. *& lib.* 1. *Reg. epist.* 5. *Bas. Reg.* 7. *ex fusius disp. & reg.* 37. *& in Const. c.* 1. *&* 5.

21. Ex his ergo satis probata manet prima pars conclusionis, in qua Religio mixta præponitur tàm contemplatiuæ, quàm actiuæ. Secunda verò pars euidés est ex antedictis, scilicet, quòd Religio, quæ vacat contemplatiuæ vitæ sit perfectior, quam illa, quæ vacat actiuæ, nec maiori indiget explicatione.

22. Sequitur secunda conclusio textus, in qua secundum quemcumque gradum comparantur Religiones, & dicitur, quod in singulis ex prædictis gradibus potest attendi præeminentia ex triplici capite. Primo ex parte finis, si aliqua religio ordinetur ad perfectiorem actum, & altiorem in eodem genere, sicut inter opera actiuæ vitæ potius est redimere captiuos, quam peregrinos hospitio recipere, & inter actus contemplatiuæ vitæ potior est oratio, quàm *lectio*. Secundò si vna Religio ad plura horum actuum ordinetur, quàm alia; sic enim illa respicit finem in ordine ad plura bona. Tertiò ex parte mediorum, si conuenientiora statuta habeat ad finem consequendum.

23. Cum verò quidam Theologus ad Magnatem quemdam scribens dixerit illas Religiones pluris esse faciendas, in quibus maius est orationis studium, quàm Psalmodia, meritò hanc propositioné reprehendit *Nicolaus à Iesu Maria* Carmelita discalceatus in Apologia contra epistolam dicti Theologi *propos.* 56. eoquòd dicta propositio sit inepta, friuola, & deceptoria. Tum quia præscindit studium orationis à psalmodia, quasi psalmodia nõ inuoluat orationem nedum vocalem sed mentalem, iuxta illud Pauli 1. Cor. 14. *Psallam spiritu, psallam & mente.* Et ad Ephes. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Et ad Coloss. 3. *Docentes, & commonentes vos metipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris.* Vbi Apost. vocali orationi habitæ cantando, internam iungit orationem, & cantum, vndè ineptè ista duo disiunguntur. Et quamuis possit accidere alicui quod cantando distrahatur, hoc est per accidens, vt habet *D. Th. in epist. ad Ephes. cap.* 5. *lect.* 7. Cæterum quomodo etiam cantus iuuet deuotionem, illamq; excitet, & foueat, docet D. *Th. supra q.* 91. *a.* 2. *ad* 5. Vnde vsus psalmodiæ, & cantus nedum apud Religiones, sed in secularibus Ecclesijs, & collegiatis est in Ecclesia vniuersalis, & antiquissimus. Cęterũ, quòd illa eadẽ propositio sit friuola, & deceptoria ex eo colligitur, quòd cũ iuxta eiusdem Theologi doctrinam illa Religio sit pluris facienda, quæ plura media assumit magis ad suum finem consequendum ordinata, illa religio erit præferenda, quæ simul orationi, & Psalmodiæ studet. Quæ psalmodia, & subseruit perfectioni, & ad Religionis statum spectat. Est enim actus Religionis ex vehementi quadam deuotione erumpens, sicut de oratione vocali dicit *D. T. supra q.* 83. *a.* 12. ibi. *Adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima ad corpus, ex vehementi affectione, secundum illud ps.* 15. *Lætatum est cor meum, & lingua mea.* Et quia benè stat, quod Religio vacet psalmodiæ, & simul exterius prædicationi, & ijs, quæ salutem animarum concernunt. Tum quia vnum non impedit aliud, distributis ordinatè temporibus, tum quia Religiosorum non omnes sunt apti, vel necessarij ad officia actiuæ vitæ, & sic remanent, qui choro, & Psalmodiæ vacent, nec desunt, qui proximis iuuandis dent operam. Vnde est, quod etiam Religiones, quæ profitentur vitam mixtam omnes ferè simul Orationi, Choro, Psalmodiæ, & prædicationi, audiendis confessionibus, & alijs misericordiæ spiritualibus operibus vacant.

24. Sed & vlterius mihi videtur considerandum, quòd vt dicebatur supra *quæst.* 184. *art.* 3. *num.* 92. *& seq.* perfectio ad quam omnes Religiones tendunt consistit in obseruantia præceptorum, & in charitatis tanta extensione, vt pertingat ad vitanda etiam peccata venialia deliberata, seu quantum status naturæ lapsæ conditio patitur. In hoc ergo fine omnes Religiones conueniunt, cum omnes ad perfectionem charitatis sint ordinatæ. Ad hunc verò finem consequendum, qui est primus & principalis, aliæ, fines particulares sibi elegerunt. Hi vero fines in aliquo virtutis actu consistunt. Sed cum actus externus eliciatur à potentijs inferioribus, nihilominus ex *D. T.* supra *qu.* 3. *ar.* 1. considerari debet, quòd actus externi ad illas virtutes pertinent, ad quarum fines secundũ suas species ordinantur, sicut ieiunare est actus abstinentiæ. Et in hoc sensu docere fidem, illamque prædicare erit actus fidei, quia ex sui natura, & specie ad illam ordinatur. Aliam verò similem Regulam tradidit *D. Th.* supra *q.* 32. *ar.* 1. quia nimirum actus externus ad illam virtutem spectat, ex cuius motiuo voluntas mouetur ad imperandum actum illum. In quo sensu eleemosyna est a-

ctus misericordiæ, quia ex motiuo misericordiæ datur. Et hoc modo prædicare, & docere mores, & corrigere charitatiuè delinquentes erit opus misericordiæ. Et sic hujusmodi agere ex motiuo benefaciendi proximo erit actus dilectionis proximi. Et eadem præstare ex motiuo amplificandi gloriā Dei erit actus dilectionis Dei. In hac consequentia dictum est supra, quòd vita mixta ex contemplatione, & actione docendi, & suadendi contemplata, scilicet tradendi doctrinam fidei, & motum est altissima ex fine, quia & contemplatio diuinorum, & eorum communicatio, sunt actus fidei, & charitatis, qui perfectissimi sunt. Sed ad hoc ordinantur quam plures Religiones; quæ cum in hoc conueniant, vt aliqua illarum excedat alias, vt hoc apertè demonstrent, quidam paruipendunt austeritates vitæ, & rigidam paupertatem, imò & Psalmodiam Chori die, noctuque. Alij è contra summè extollunt asperitates vitæ, & mendicitatis rigores, & Chori labores. Sed considerandum est, quòd sic verum est, quod cæteris paribus meliora media ad finis consecutionem sunt actus virtutum, qui sunt de consilio, quam austeritates illæ, quæ de se nullius virtutis sunt actus, quia ad perfectionem proximiores sunt virtutum actus, quàm actiones de se indifferentes. Et inter actus virtutum, actus Religionis, alijs moralium virtutum actibus sunt perfectiores, vt habet *Diu. Thom.* supra *cap.* 81. *art.* 6. Et Religionis antecedunt actus virtutum Theologicarū, vnde melior est oratio, quàm ieiunium, & melior charitatis actus, quàm oratio. Tamen considerandum est, quòd nec sine austeritatibus, & actibus virtutum moralium, & præcipuè temperantiæ tenditur ad perfectionē. Nec perfectio, quæ totalitatem importat, consistit in solis perfectiorum virtutum actibus, sed cælestis harmonia, quam reddit iustus requirit sublimes, & medias, & infimas virtutes simul vnitas cum suauissima proportione. Vndè est, quòd vt bene *D. Thom.* docuit *in hoc art.* perfectio non attenditur ex quantitate harum actionū, quæ sunt instrumenta perfectionis, sed in illarum maiori proportione, vi, & efficacia ad consequendum finem proximum à qualibet Religione electum. Et hæc maior proportio, vis, & efficacia sita est in suauiori harmonia, & concentu virtutum tàm supremarum, quàm infimarū, & aliorum instrumentorum; vt scilicet inter se se sint ordine perfecto hæc omnia collocata, & commensurata.

25. Ex his deducit *Suar. d. cap. 6. an.* 31. contingere posse, quod aliqua contemplatiua superet aliquam mixtā duplici ex causa, prima est si mixta minus participet de cōtemplatione, quā ad perfectionem necessarium sit. Sed talem Religionem sic parum de perfectione participātem inter actiuas numerandam crederem. Harum enim nulla est, quæ aliquo modo contemplationi non vacet, nec per hoc est mixta, quia principaliter intendit actionem, & in ea superabundat actio contemplationi. Cæterum illa est mixta, in qua contemplatio principaliter est intenta, & per contemplationem suos perficit, vt ex superabūdantia redundet in alijs vtilitas. In tali verò Religione contemplatio non potest esse tam parua, quòd ratione illius vitam purè actiuam non excedat.

26. Secunda causa, ex qua actiua contemplatiuæ, vel contemplatiua mixtæ potest præferri est ex parte mediorum. Et hoc verum est, quia potest contingere, quòd vna licet ad finem inferiorem elegerit media magis proportionata, & magis efficacia ad finis sui consecutionem, & sic præstet, & præcellat; Sed hæc est præcedētia secundū quid.

27. Hucusque autem loquuti sumus de perfectione. Nam si loquamur de securitate salutis propriæ cuiuscumque Religiosi securior est Religio contemplatiua purè *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 6 num.* 29. quia in ea cessant multæ occasiones peccandi, quas patitur vita actiua, & multa sunt, quæ ad perfectionem maiorem conducunt Religiosos, & quæ maximè commendata fuerunt à Sanctis Patribus ad perfectionem acquirendam, quæ in Religione, quæ vacat etiam vitæ actiuæ, & saluti proximorum commodè seruari non possunt, vt sunt custodia claustri, tum ne Religiosi exeant, tum ne seculares ad confabulandum admittantur, de quo latè *Basilius in proœm. reg. fus. disput. & duob. sermonibus asceticis*. Item vt omni careant solicitudine, & externa cura, quæ illorum mentem possit distrahere, De quo *Basilius Reg. 5. ex fus. disp.*

28. Posset verò alicui videri, quòd Religio contemplatiua etiam in perfectione præstet mixtæ ex eo quia contineat etiam perfectionem actiuæ, cum orando pro proximis illis prosit securè, & efficaciter, & sic vt dixit *Richard. de S. Vic. p. 2. in Cant. cap.* 8. Contemplatiuus totam mentem occupat orationis auxilio. Et sic *Dionys. Carthus. de vita solit. a.* 55. hortatur vitæ contemplatiuæ deditos, vt quotidiè orent pro proximo. Verum hinc confirmantur dicta, quia habetur, quòd ad perfectionem vitæ contemplatiuæ conducat, & sit necessaria aliqua participatio vitæ mixtæ nimirum aliqua participatio studij salutis proximorum, saltem prò ipsis orando. Sed tamen hoc non adæquat perfectionem vitæ mixtæ; Cum enim Deus decreuerit non per se ipsum immediatè, sed medijs hominibus homines doceri, corrigi, suaderi, conuerti ad pœnitentiam, &c. non sufficit ad hoc oratio fusa apud Deum pro proximo, sed necessaria est actio externa, vt homines nedum sint oratores pro proximo, quòd conuenit etiam ijs, qui vitam mixtam profitentur, sed etiam cooperatores Dei ad proximos sanctificandos, quòd purè contemplatiuis non competit. Vnde *Richar. ibid.* subdit, quòd modus iuuandi proximos per orationes sit imperfectorum, quos exterior occupatio citò commutat, & deijcit, ex quo significat à perfectioribus viris maius auxilium postulari.

29. In responsione ad secundum aduertit *Caiet.* ex ea haberi solutionem illius quæstionis an scilicet euntes recto corde, & opere ad bellum contra infideles sint martyres, si in bello occiduntur. Non esse enim habetur ex *D. Th.* hac ratione, quia martyres propriè sunt, qui ad proprium sanguinem fundendum vsque ad priuationem vitæ tendunt directè, vt testes Christi sint. Isti autem tam Religiosi, quàm seculares directè tendunt ad infidelium sanguinem fundendum, & eos fugandos. Vndè absolutè loquendo non sunt martyres,

si oc-

si occidantur. Verum quia alia est quæstio de merito martyrij, & alia de martyrio, ideò D. T. docet, quòd sicut in casu necessitatis melius est v.g. infirmorum curæ dare operam, quàm contemplationi, ita in artic. necessitatis, si Ecclesia periclitetur, nedum quoad personarum oppressionem, sed quoad fidei libertatem, maioris meriti esset pro Ecclesiæ defensione vsque ad mortem bellando se exponere, quàm contemplari, vel prædicare, & meritò martyrij non carerent, qui in bello sic morerentur. Et tunc milites huiusmodi Religionis præferri deberent, vtpotè in merito æquales martyribus.

30. In responsione ad tertium habetur, quòd altitudo obseruantiarum non est illud, quòd præcipuè in Religione commendatur, vt *Beatus Antonius* dixit. Sic enim & *Is.* 58. dicitur. *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere animam suam?* Asperitas tamen vitæ assumitur, vt medium ad macerandam carnem, sed si assumitur sine discretione, habet annexum deficiendi periculum, sicut dicit *B. Antonius*; ideò non est potior Religio, quæ habet maiores austeritates, sed quæ eis cum maiori discretione, & ordine vtitur ad finem religionis. Sicut ad continentiam efficacius ordinatur maceratio carnis per abstinentiã cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & sitim, quàm per subtractionem vestium, & laborem corporalem. Nam, vt *Coiet.* aduertit, videmus pauperes malè indutos, & laborantes vacare generationi, nequaquam tamen famelicos, quia sine Cerere, & Bacco friget Venus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis.

Opusc. 17. c. 15. & opusc. 10. cap. 6.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis. Dicit enim Dominus Matthæi decimonono, Si vis perfectus esse, vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus. Ex quo patet, quod carere mundanis diuitijs, pertineat ad perfectionem Christianæ vitæ. Sed illi, qui habent aliquid in communi, non carent diuitijs mundanis. Ergo videtur, quòd non attingant omninò ad perfectionem Christianæ vitæ.

2. Præterea. Ad perfectionem consiliorum pertinet, vt homo mundana solicitudine careat. Vnde & Apostolus 1. ad Corinth. 7. dans consilium de virginitate, dicit, Volo vos sine solicitudine esse. Sed ad solicitudinem præsentis vitæ pertinet, quòd aliqui reseruent sibi aliquid in futurum. Quam quidem solicitudinem Dominus discipulis prohibet Matth. 6. dicens, Nolite soliciti esse in crastinum. Ergo videtur, quod habere aliquid in communi diminuat perfectionem Christianæ vitæ.

3. Præterea, Diuitiæ communes quodammodo pertinent ad singulos, qui sunt in communitate. Vnde Hieronym. ad Heliodorum Episcopum dicit de quibusdam, Sunt ditiores monachi, quàm fuerant sæculares. Possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt. Suspirat eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus antè mendicos. Sed quod aliquis habeat diuitias proprias derogat perfectioni Religionis. Ergo etiam perfectioni Religionis derogat, quòd aliquid in communi habeatur. Hieroni. ad Nepotianum de vita Clericorum ante med. to. 1.

4. Præterea, Gregor. in 3. Dialogor. narrat de quodam sanctissimo viro Isaac, quod cum ei discipuli humiliter innuerent, vt pro vsu Monasterij possessiones, quæ offerebantur acciperet, ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat dicens, Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est. Quod intelligitur de cõmunibus possessionibus, quæ pro communi vsu monasterij ei offerebantur. Ergo videtur, quòd habere aliquid in communi tollat perfectionem Religionis. cap. 14. ante med.

5. Præterea, Dominus perfectionẽ Religionis discipulis tradens Matthæi 10. dicit, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via: per quòd vt Hierony. dicit, arguit Philosophos, qui vulgò appellantur Bacchoperitæ, qui quasi contemptores seculi, & omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehebant. Ergo videtur, quòd reseruare aliquid siue in proprio, siue in communi, diminuat perfectionem Religionis. In hoc loco ii. m. 9.

Sed contra est, quòd Prosper dicit in libro de Vita contemplatiua, & habetur 12. quæst. 1. Satis ostenditur, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates (quæ sunt profectò communes) possideri. lib. 2. c. 9. parum a pri. & habetur 12. q. 1. c. Expedit.

q. 184. a. 3. & qu. 185. ar. 6. ad 2.

Respondeo dicendum, quòd sicut supra dictum est, perfectio non consistit essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela, secundùm illud Hieronymi super Matthaeum, Quia non sufficit tantum relinquere, addidit Petrus quòd perfectum est, scilicet, Secuti sumus te. Paupertas autem est sicut instrumentum, vel exercitium perueniendi ad perfectionem. Vnde in collationibus Patrum Abbas Moyses dicit, Ieiunia, vigiliç, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, nō perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. Est autem priuatio omnium facultatum siue paupertas, perfectionis instrumētum, in quantum per remotionem diuitiarum tolluntur quadam charitatis impedimenta, qua sunt pracipuè tria. Quorum primum est solicitudo, quam secum diuitia afferunt. Vnde Dominus dicit Matthai decimotertio Quòd autem seminatum est in spinis hic est, qui verbum Dei audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum. Secundum autem est diuitiarum amor, qui ex diuitijs possessis augetur. Vnde, & Hieronymus dicit super Matthaeum, quòd quia diuitia habita difficultèr contemnuntur, non dixit Dominus Matthai decimo nono, Impossibile est diuitem intrare in Regnum calorum, sed difficile. Tertium autem est inanis gloria, vel elatio, qua ex diuitijs nascitur, secundum illud Ps. 48. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarū gloriantur. Horum ergò trium primum à diuitijs separari non potest totaliter siue sint magna, siue parua: necesse est enim hominem aliqualiter solicitari de acquirendis, vel conseruandis exterioribus rebus. Sed si res exteriores non quarantur, vel habeantur, nisi in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem victum, talis solicitudo non multum impedit hominem. Vnde nec perfectioni repugnat Christiana vita. Non enim omnis solicitudo a Domino interdicitur, sed superflua, & nociua. Vnde super illud Matthai 6. Ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, & catera, dicit Augustinus in libro de serm. Domini in monte, Non hoc dicit, vt ista non procurentur quantum necessitatis est, sed vt non ista intueantur, & propter ista faciant, quicquid in Euangelij pradicatione facere iubentur. Sed abundans diuitiarum possessio abundantiorem solicitudinem ingerit, per quam animus hominis multùm distrahitur, & impeditur, ne totaliter feratur in Dei obsequium, alia verò duo scilicet amor diuitiarum, & elatio, seu gloriatio de diuitijs, non consequuntur, nisi abundantes diuitias. Differt tamen circa hoc vtrum diuitia abundantes, vel moderata in proprio, vel in communi habeantur. Nam solicitudo, qua circa proprias diuitias adhibetur, pertinet ad amorem priuatum, quo quis se temporaliter amat. Sed solicitudo, qua adhibetur circa res cōmunes pertinet ad amorem charitatis, qua non quarit qua sua sunt, sed communibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quàm perficit amor Dei vsq. ad cōtemptum sui, habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis. Sed solicitudo, qua adhibetur circa bona communia, pertinere potest ad charitatem: licet etiam per hoc impediri possit aliquis altior charitatis actus, puta contemplationis diuina, aut instructionis proximorum. Ex quo patet, quod habere superabundantes diuitias in communi, siue in rebus mobilibus, siue in immobilibus est impedimentum perfectionis, licèt non totalitèr excludat eam. Habere autem de rebus exterioribus in communi, siuè mobilibus, siuè immobilibus, quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, si consideretur paupertas per comparationem ad communem finem Religionum, qui est vacare diuinis obsequijs. Si autem consideretur per comparationem ad speciales fines Religionum, sic prasupposito tali fine paupertas maior, vel minor, est Religioni accommoda. Et tanto erit vnaquaq. Religio secundùm paupertatem perfectior, quantò habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Manifestum est enim, quòd ad exteriora, & corporalia opera vita actiua indiget homo copia exteriorum rerum. Ad contemplationem autem

pauca

Supra illud Matth. 19. & habetur sumus tc. 10. 9.

In colla. 1. c. 7. a med.

Hierony. in Mat. 19. sup. illa verba, diues difficile intrabit. to. 9

lib. 2. cap. 26. in 4n. & c. 25 o. 4.

pauca requiruntur. Vnde Philos. dicit in 10. Eth. quod ad actiones multis opus est, & quanto utique maiores sunt, & meliores pluribus. Speculanti autem nulla talium ad operationem est necessitas, sed solis necessarijs indiget: alia verò impedimenta sunt ad speculationem. Sic ergo patet, quòd Religio, quæ ordinatur ad actiones corporales actiuæ vitæ, puta ad militandum, vel ad hospitalitatem sectandam, imperfecta esset, si communibus careret diuitijs. Religiones autem, quæ ad contemplatiuam vitam ordinantur, tantò perfectiores sunt, quantò eorum paupertas minorem eis sollicitudinem temporalium ingerit. Tantò autem sollicitudo temporalium rerum magis impedit Religionem, quantò sollicitudo spiritualium maior ad Religionem requiritur. Manifestum est autem, quòd maiorem sollicitudinem spiritualium requirit Religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata alijs tradendum per doctrinam, & prædicationem, quam illa, quæ est instituta ad contemplandum tantum. Vnde talem Religionem decet paupertas talis, quæ minimam sollicitudinem ingerat. Manifestum est autem, quòd minimam sollicitudinem ingerit cõseruare res vsui hominum necessarias, tempore congruo procuratas. Et ideò tribus gradibus Religionũ suprapositis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat tales Religiosos per se, vel per alios hospitalitatẽ tenere, & pauperibus subuenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata alijs tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruãtur: & hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ cõmissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Ioannis duodecimo. Nec obstat quod Hieronymus dicit super Matthæum, Quod si quis obijcere voluerit, quomodo Iudas pecuniam in loculis portabat, respondemus, quod rem pauperum in vsus suos conuertere, nefas putauit, scilicet soluendo tributum: quia inter illos pauperes præcipuè erant eius discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorum Christi expendebatur. Dicitur enim Ioannis quarto, quod Discipuli abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent, & Ioannis 13. dicitur, quòd discipuli putabant, quod loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut vt egenis aliquid daret. Ex quo patet, quòd conseruare pecuniam, aut quascumq. alias res communes ad sustentationem Religiosorum congregationis eiusdem, vel quorumcumque aliorum pauperum, est perfectioni conforme: quam Christus docuit suo exemplo. Sed etiam discipuli post resurrectionem, à quibus omnis Religio sumpsit originem, pretia prædiorum seruabant, & distribuebant illa, prout cuiq; opus erat.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dictum est, ex illo verbo Domini non intelligitur, quod ipsa paupertas sit perfectio, sed perfectionis instrumentum. Et sicut ostensum est, minimum est inter tria principalia instrumenta perfectionis. Nam votum cõtinentiæ præeminet voto paupertatis, & votum obedientiæ præfertur vtrique. Quia verò instrumentum non propter se quæritur, sed propter finẽ, non tantò aliquid fit melius, quantò maius est instrumentum, sed quantò est magis fini proportionatum. Sicut medicus non tantò magis sanat, quantò maiorem dat medicinam, sed quantò medicina est magis proportionata morbo. Sic ergo non oportet quòd religio tanto sit perfectior, quantò maiorem habet paupertatem, sed quantò eius paupertas est magis proportionata fini communi, & speciali. Et si daretur, quod excessus paupertatis faceret religionem perfectiorem secundum hoc quod est pauperior, non tamen faceret eam perfectiorem simpliciter. Posset enim esse quod alia Religio excederet in his, quæ pertinent ad continentiam, & obedientiam. Et

sic

[Margin notes: cap. 9. (lib. 10. Eth.) — in fine commentarij ad cap. 17. Matt. — q. 184. a. 3. — qu. 186. ar. 8]

sic esset simpliciter perfectior: quia quod in melioribus excedit, est simpliciter melius.

Ad secundum dicendum, quòd per hoc quod Dominus dicit Matt.6. Nolite soliciti esse in crastinum, non intelligitur, quod nihil reseruetur in futurum. Hoc enim periculosum esse Beatus Antonius in collationibus patrum ostendit dicens, quòd priuatione omnium facultatum ita sectantes, vt ex ipsis nec quidem vnius diei victum sibimet, vnumue denarium superesse paterentur, & alia huiusmodi facientes, ita vidimus repente deceptos, vt arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare. Et vt Augustinus dicit in lib. de operibus Monachorum, si hoc verbum Domini, Nolite soliciti esse in crastinũ: ita intelligatur, vt nihil in crastinum reponatur, nõ poterunt ista seruare, qui se per multos dies à conspectu hominum separatos includunt, viuentes in magna intentione orationum. Et postea subdit, An fortè quo sunt sanctiores, eo sunt volucribus dissimiliores? Et postea subdit, Si enim vrgeantur ex Euangelio, vt nihil reponant in crastinum, respondeant, Cur ergo ipse Dominus loculos habuit, vbi pecuniam collectam reponeret? Cur tanto antè fame imminente frumenta sanctis Patribus missa sunt? Cur Apostoli indigentia Sanctorum necessaria procurarunt? Quod ergò dicitur, Nolite soliciti esse in crastinum secũdum Hieronymum, sic exponitur, Sufficit nobis præsentis temporis cogitatio, futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Secundum Chrysostomum sic, Sufficit labor, quem pateris propter necessaria, noli superfluè pro superfluis laborare. Secundum Augustinum sic, Cum aliquid boni operamur, non temporalia, quæ significãtur per crastinum, sed æterna cogitemus.

In collat. 1. Abbatis Moysi c. 3. ... [illegible]

In c. 23. a med. to. 3.

cap. 23. a med.

c. 24. in prin.

gloss ord. ex comm. Ambr. circa fin. ca. 6 Matt.

hom. 16. in Matth. in en. in opere imperfecto. to. 2

lib. 2. de ser. Dom. in monte, c. 25. non procul a fin. to. 4.

Ad tertium dicendum, quòd verbum Hieronymi habet locum, vbi sũt superabundantes diuitiæ, quæ habentur quasi propriæ, vel per quarum abusum etiam singuli de communitate superbiunt, & lasciuiunt. Non autem habet locum in diuitijs moderatis communiter conseruatis ad solam sustentationem vitæ, qua singuli indigent. Eadem enim est ratio, quod singuli vtuntur his, quæ pertinent ad necessaria vitæ, & quod communiter conseruentur.

Ad quartum dicendum, quod Isaac possessiones renuebat accipere, quia timebat ne per hoc ad superfluas diuitias veniretur, per quarum abusum impediretur Religionis perfectio. Vnde Gregor. ibidem subdit, Sic metuebat paupertatem suæ securitatis perdere, sicut auari diuites solent perituras diuitias custodire. Non autem legitur, quod renuerit recipere aliqua necessaria ad vitæ sustentationem cõmuniter conseruandam.

loc. cit. in ar.

Ad quintum dicendum, quòd Philosophus in 1. Polit. dicit, Panem, & vinum, & alia huiusmodi esse diuitias naturales, pecunias verò diuitias esse artificiales. Et inde est, quòd quidam Philosophi nolebant vti pecunia, sed alijs rebus, quasi secundum naturam viuentes. Et ideò Hieronymus ibidem per sententiam Domini, qui similiter vtrumque interdicit, ostendit quod in idem redit habere pecuniam, & alias res vitæ necessarias. Et tamen licet Dominus huiusmodi non portari in via ab his, qui ad prædicandũ mittebantur, ordinauerit, non tamen ea in communi conseruari prohibuit. Qualiter tamen illa verba Domini intelligenda sint, supra ostensum est.

c. 5. & 6. to. 5

Super illud Matt. 10. Nolite possidere aurum, ad finem to. 9

q. 185. ar. 6 ad 2 & 1 1 quæs. ... [illegible]

SVMMARIVM.

1 *Esse diuitem non repugnat perfectioni. num. 1.*
2 *Diuitiæ abundantes comites habent solicitudinem, terrenorum amorem, & superbiam. num. 2.*
3 *Non omnis solicitudo mala. num. 2.*
4 *Dominium in particulari repugnat statui Religioso. num. 3.*
5 *Dominium in communi non repugnat perfectioni. num. 3.*
6 *Dominium in communi conuenit Religioni, si sit suo fini proportionatum. num. 4.*
7 *Religionibus vacantibus vitæ actiuæ conuenit habere diuitias abundantes. num. 5.*
8 *Religionibus vacantibus contemplatiuæ competit habere diuitias moderatas. num. 6.*
9 *Religionibus mixtis competit habere modicas diuitias, scilicet non possidere possessiones, sed modica suo tempore procurata conseruare. numer. 7.*
10 *Hanc paupertatem Christus docuit. num 8.*
11 *Obiectio. num. 9.*
12 *Maiorem solicitudinem habet possessio, quam*

quam mendicitas, quæ collecta conseruat. numer. 10.

13 *Maior numerus laborantium quærit possessionem dominium, quàm mendicitas. num. 11.*

14 *Paupertas excludens dominium immobilium perfectionem non paruum supponit. num. 12.*

15 *Paupertas non excludens Dominium immobilium moderatorum, est medium aptum ad perfectionem. num. 12.*

1 TRiplicem perfectionem vitæ spiritualis distinguit hic *Caiet.* scilicet perfectionem hominis absolutè, perfectionem status Religiosi, & perfectionem status Episcopalis. Cum verò ex diuitibus fuerint sanctissimi, & perfectissimi viri, vt Abraham, Isaach, Dauid, & alij Sancti Reges, tàm veteris, quàm noui testamenti, manifestum est, quod possidere nedum in communi, sed in particulari esse diuitem per se non diminuit perfectionem hominis absolutè. Conueniens quoque & necessarium esse, quòd Episcopi diuitias possideant probatum fuit supra *qu. 185. a. 6.* Verum alia ratio est de perfectione status Religiosi; cum enim de substantia huius status sit votum paupertatis, meritò in quæstionem vertitur, an hæc paupertas talis esse debeat, vt Religiosi, nec in particulari, nec in communi aliquid possideant, vel sufficiat vt non possideant in particulari, possint verò absque diminutione perfectionis status Religiosi possidere bona in communi.

2. Præmittit verò primò *D. Th.* perfectionem non consistere substantialiter in paupertate, sed in sequela Christi; paupertatem verò esse perfectionis instrumentum. Quod confirmat auctor. *Sancti Hier. in Matth. cap. 19. & Abbatis Moysi in Collat. 1. cap. 7.* Addit autem *D. T.* paupertatem triplici ex causa esse Instrumentum perfectionis, quia tria impedimenta charitatis tollit, nimirum solicitudinem diuitiarum, superfluum amorem, qui ex possessis diuitijs augetur, & inanem gloriam, seu elationem, quæ ex diuitijs oritur. Ex his autem tribus impedimentis primum non est omninò separabile à Dominio diuitiarum, siue illæ magnæ sint, siue paruæ, quia aliquo modo solicitari necesse est de acquirendis, vel conseruandis exterioribus rebus. Vnde hic distinguitur necessaria solicitudo, & superflua. Illa est, quam coniunctam habent res temporales necessariæ ad victum, nimirùm moderatæ diuitiæ, & tantæ, quantæ sufficiunt ad vitæ sustentamentum. Et hæc solicitudo non repugnat perfectoni, neque hanc Dominus exclusit, dum *Matt. 6* dixit, Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, vt adnotauit S. *Augustinus lib. 2. de sermon. Domini in monte cap. 26.* sed diuitiarum abundantia superabundantem, & superfluam solicitudinem habet adiunctam, per quam animus distrahitur ab illis, quæ Dei sunt. Neque enim diuitiæ sine magna solicitudine acquiruntur, & conseruantur, vnde dixit *Ambr. lib. de Naboth. c. 6. Saturata diuitijs, non est qui eum sinat dormire. Excitat eum cupiditas, sterilitas prouentuum infæcunda perturbat, fælicitas abundantiæ.* Diuitiæ ergò abundantes, sunt abundantes spinæ, quæ verbum Dei suffocant, ne fructum faciat. Et sic solicitudo superflua, quæ est charitatis Impedimentum comitatur abundantes diuitias, quas etiam consequuntur, alia duo scilicet amor diuitiarum, & elatio animi. Ex ijs ergo concludendum videri posset, quod habere abundantes diuitias repugnet perfectioni status Religionis. Quod tamen non sequitur.

3. Ideò pergit *D. Th.* ponendo aliud fundamentum veritatis definiendæ, & distinguendo dominium, & paupertatem in communi, & dominium, & paupertatem in particulari. Nam solicitudo diuitiarum, quæ possidentur in particulari, & quæ sunt eius, qui illas administrat, est solicitudo ex amore priuato, & proprio proueniens. Et quia perfectio charitatis consistit in dilectione Dei vsque ad contemptum sui, inde est, quòd dominium priuatum diuitiarum, quód consequitur amor temporalium, & superbia, & solicitudo priuata repugnat perfectiòni status Religiosi, vnde supra *qu. 186. a. 3.* probatum est paupertatem esse de substantia Religiosi status. Sed solicitudo bonorum, quæ possidentur in communi est solicitudo charitatis, quæ non quærit, quæ sua sunt, sed benè quærit, quæ sunt communitatis. Et sic huiusmodi dóminium in communi, nec parit amorem diuitiarum, quia diuitiæ à communitate possessæ nullius sunt in particulari, vnde non est, vt in singulis crescat illarum amor, quia non sunt diligibiles, vt propriæ, diligere verò illas vt communes est charitatis. Vnde neque huiusmodi diuitiæ inflant, quia cum non sint propriæ, non est vnde aliquis in eis confidat, cum etiam si aliquis sit de communitate, non possit de illis participare, nisi ad mensuram limitatā, & non excedentem, & nonnisi de manu superioris, aut eius voluntate. Verū quidem est, quòd solicitudo diuitiarum, quæ possidentur in communi potest præbere aliquod impedimentum charitati quatenus potest impedire aliquem perfectiorem actum charitatis, v. g. interiorem contemplationem, vel exteriorem instructionem proximorum. Qui enim attendit diuitijs acquirendis, aut conseruandis ex hoc distrahitur, vt non possit pro tunc vacare contemplationi, aut instructioni proximorum. Verum licet hoc sit aliquale impedimentum charitatis, non tamen tollit eam totaliter. Nedum quia ad diuitias vel acquirendas, vel conseruandas in communitate non est necessaria opera omnium de communitate, sed sufficit opera aliquorum paucorū; sed quia cum quærere, quæ communia sunt spectet ad charitatem, iam charitas est, quæ se impedit ab vno actu, vt alium exerceat, quod non est contrarium charitati. Vnde est, quód diuitiæ etiam abundantes possessæ in communi, licet sint aliquale impedimentum charitatis, & perfectionis, illam tamen non tollunt, nec illi repugnant, vnde nec illam substantialiter, & simpliciter diminuunt, sed secundum quid, & solùm possunt reddere Religionem aliquam imperfectiorem intra genus status perfectionis, non verò eam à statu perfectionis excludere.

4. His sic præmissis, & distinctis diuitijs in abundantibus, moderatis, & modicis, & Religionibus in illis, quæ vacant actiuæ vitæ, & quæ contemplationi, & quæ vitæ mixtæ, seu operibus spiritualibus misericordiæ, concludit *D. T.* quod dóminium rerum in communi conuenit statui Reli-

gioso

gioso, tale, quale sit proportionatum fini Religionis, & quòd Religio quælibet tanto erit secundum paupertatem perfectior, quantò habebit paupertatē magis proportionatam suo fini. Et quod non eadem paupertas conuenit Religioni, quæ vacat actiuæ vitæ, qualis est necessaria illi, quæ vacat contemplatiuæ.

5. Respondetur igitur ad quæsitum, quod Religionibus, quæ incumbunt vitæ actiuæ competit habere abundantiam diuitiarum: sed illis, quæ habent pro fine contemplationem competunt diuitiæ moderatæ, illis verò, quæ profitentur vitam mixtam competunt diuitiæ modicæ. Probatur conclusio primò quantum ad primam partem. quia vita actiua duo habet; Nam ad illius actiones vsus diuitiarum in abundantia est necessarius; non enim sine magnis sumptibus geritur bellum, vel redimuntur captiui, vel nutriuntur hospites, vel curantur infirmi. Secundò status deputatus ad vitam actiuam non requirit tantam solicitudinem circa interna contemplationis, cum finis illius sit externa corporalis actio, seu externum opus misericordiæ. Igitur Religiones istæ ordinatæ ad vitam actiuam, vt Religio militaris imperfecta esset, & minus apta ad consecutionem sui finis, si non haberent abundantes diuitias, quarum vsus est ad militiam necessarius.

6. Probatur secunda pars, quia Religiones purè contemplatiuæ non indigent abundantia diuitiarum, quia earum vsus non est ad contemplandum necessarius. Sufficit igitur, quòd habeant moderatas diuitias, & bona immobilia moderata, quantum sufficere potest ad hoc, vt commodè Religiosi viuant secundum decentiam paupertatis in particulari, quam profitentur.

7. Sed Religiones, quæ ordinantur, ad hoc vt contemplata alijs tradant, quia debent habere minimam solicitudinem circa temporalia, vt toti sint in contemplando diuina, & ea contemplata communicando, minima autem solicitudo est, si tales Religiones possessiones, & prædia immobilia non possideant, sed colligant, quæ Deus illis prouidet, & charitas fidelium tradit, & collecta conseruent ad vsum Religiosorum, ideo talibus Religionibus competit non possidere possessiones, nec in communi, sed modica ad vitam necessaria congruo tempore procurare, & procurata conseruare.

8. Et hanc paupertatem Christus suo exemplo docuit, habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Io. 10. Vnde manifestum est, quod conseruare pecunias, aut quascumque alias res communes ad sustentationem Religiosorum communitatis, & aliorum pauperum est conforme perfectioni, quam Christus docuit suo exemplo. Sicut & Apostoli post resurrectionem pretia prædiorum conseruabant, & distribuebant vnicuique prout opus erat.

9. Dubium autem mouet *Caiet.* circa conclusionem *D. T.* Nam si ijs, qui contemplata alijs communicant, competit minor solicitudo circa temporalia, dicendum erit, quòd illis competat habere moderatas possessiones, quia minor solicitudo est necessaria habentibus bona immobilia in communi, quam mendicantibus, quoniam experientia compertum est, quòd in Religionibus habentibus possessiones in communi solicitudo est paucorum, viuentibus alijs Religiosis sine solicitudine aliqua. Cum tamen in Religionibus, quæ viuunt ex quæstu quamplures Religiosi occupari debeant ad hoc, vt tempore messis, & frugum eleemosynas necessarias quærant. Secundo quia ex multitudine quæstuantium iam impossibile videtur viuere ex mendicitate. Respondet verò hanc maiorem solicitudinem necessariam in Religiosis, qui viuunt in mendicitate esse per accidens ex triplici capite, scilicet multitudine Religiosorum, nimio sumptu in ædificia Religiosis, & defectu à perfectione vitæ Regularis. Sed non videtur ex his solui difficultas, quia nec multitudo Religiosorum est de se mala, aliàs verò nimis difficile est quòd diù duret Religio aliqua in aspertima parsimonia victus, & in perseuerantia illius feruoris charitatis, & perfectionis vitæ, cum qua incepit. At verò ad perfectionem status Religiosi non debet attendi sola inceptio, sed & perseuerantia, nec perfectionis status est assumere media non duratura, quia hæc non sunt proportionata ad statum, quod de sui ratione postulat immobilitatem, & perseuerantiam. Ideo ad Religionis perfectionem spectat, vt assumat minorem solicitudinem, quæ duratura sit, & non indigeat quotidie per nouas reformationes reparari.

10. Respondetur nihilominus ad difficultatem, quod per se loquendo, vt habet D. T. *opus.* 17 *cap.* 15. maiorem solicitudinem petit possessio possessionum cæteris paribus, quam mendicitas, quæ aliquibus temporibus colligit necessaria, & necessaria ad vsum conseruat. Quia cultura possessionum continuam occupationem quærit, & quidem tanto maiorem, & multiplicatam, quò plures, & maiores possidentur possessiones. Secundo crescit solicitudo, quo magis multiplicantur causæ timoris; At vero possessionum fructus quamplurimis subiacent periculis inundationum, imbrium, tempestatum, nebularum, ventorum, latronum. Vnde in ijs, qui viuunt ex possessionibus adest continua solicitudo, & timor, ne fructus pereant ante messem. Quæ solicitudo, & timor etiam singulorum Religiosorum animos potest penetrare, tantò magis, quòd si pereant fructus non habetur tam facilè vnde necessitati succurratur. Tertiò vbi sunt diuitiæ, ibi sunt lites, & contentiones, quæ non parum animum distrahunt a contemplatione, & occupant in eo, quod est valdè alienum à dignitate Status Religiosi. Sed qui viuunt ex mendicitate Religiosi habent, qui pro eis colant campos, & nutriant animalia, & lites pertractent, & habent sponsorem Deum, qui illos certos reddit de sufficienti messe tempore suo ex campis diuinæ prouidentiæ colligenda.

11. Dum ergo dicitur, quòd in monasterijs, qui viuunt ex possessionibus solicitudo est paucorum, sed multorum in illis, qui viuunt ex mendicitate negatur; quia ad colendum agros, & vineas, & litigandum, multò maior numerus personarū est necessarius, itaut, vel ad colendam paruam vineam, plus operis, & solicitudinis sit necessarium, quàm ad colligendum ex eleemosynis fructus pro magno Conuentu. Quòd si dicatur, quòd ad colendas possessiones Religiosi vtuntur ope secularium, & sic interim pauci sunt ex ipsis, qui solici-

solicitudine illa distrahantur, quia pauci sufficiũt, qui superintendant. Respondetur primo non esse contra perfectionem Religionis, si Monasteria per Religiosos colant suos hortos, & vineas, & prædia. Et dicitur secundo, quod Religiones mẽdicantes non quæritant eleemosynas, nisi per Religiosos ad opera deputatos, & ideò nihil deperit in hoc perfectioni Religionis, & est minor solicitudo eorum, qui deputati sunt ad studium, & chorum, & prædicationem. In illis Religionibus, quæ habent possessiones Religiosi, ipsi ad chorum, & studium deputati sont, quibus incumbit solicitudo administrandi bona Monasteriorum, & ad hoc plures, & plures requiruntur in monasterijs diuitibus, qui exigant, colligant, inuigilent super cultura, contractus ineant, emant necessaria, vendant superflua, insistant litibus, &c. Vt verò in Religionibus, quæ possessiones non habent, non est opus, vt aliquis ex fratribus deputatis ad chorum, & studium se ingerat in istis, quæ sunt vitæ actiuæ, quia ad colligendas eleemosynas, & illas conseruandas sufficiunt Religiosi laici, qui cum ad labores, & opera vitæ actiuæ recipiantur non interest an pauci, vel multi occupentur, sed honestum est tot occupari, quot opus est ad tollendam solicitudinem à Religiosis ad chorum, & studium electis.

12. Nihilominus tamen benè considerauit *Caietanus* quòd paupertas excludens dominium mobilium in communi habet non paruam solicitudinem adiunctam, si sit multorum, & eorum, qui non sunt contenti mere necessarijs, & non habent magnam animi perfectionem. Quia vbi multi sunt alendi ex sola mendicitate valdè difficile est, vt pro omnibus etiam necessaria colligãtur. Vnde est, quòd multiplicandi sunt quæstuantes, & necesse est, quòd Religiosi secularium frequentent domos, & facilè est, quod quæstui, abusus coniungantur, & deceptiones, & fraudes. Aliàs verò difficultas augetur, si qui viuunt ex quæstu non sunt contenti purè necessarijs, quia tunc & crescit solicitudo in quærendo, & intus intra claustra inquietudo, & impatientia, & murmuratio. Quamobrem cum non possit negari quòd paupertas viuens ex mendicitate assumpta propter Deum non sit res valdè meritoria, & Deo grata, & vtilis ad perfectionem pro quantò habet coniunctam temperãtiam etiã erga necessaria in victu, & vestitu, vnde fit apta ad reprimendam insolentiam carnis, & etiam ad habendam, & fouendam spem, & fiduciam in diuinam prouidentiam, ad superbiam domandam, & affectum superfluum terrenorum extinguendum. Nihilominus altera ex parte, sicut articulo sequenti dicitùr, quod solitudo est optimum medium ad salutem, sed tamen est paucorum, quia imò est perfectorum, & supponit iam vitæ perfectionem acquisitam. Ita cum proportione dicendum est de paupertate omnino viuente ex mendicitate, & de asperrima parsimonia, & temperantia in victu, & vestitu, vt sit medium proportionatum perfectis, & magnum spiritus feruorem habentibus, non tã proportionatũ vero ad perfectionem in asperitatis assumptæ rigore cõseruandã. Quãobrẽ si res sincerè penseтur apparet, quòd paupertas etiam non excludens dominium immobilium in communi non habet annexam tantam solicitudinem vt non sit medium valdè aptum ad perfectionem acquirendam, & conseruandam etiam in Religionibus ad salutem proximorum ordinatis. Et quod Religiones relaxat est proprietas in particulari: Sed dominium immobilium in communi valdè iuuat ad obseruantiam regulæ, & ad status perfectionis immobilitatem, si diuitiæ sint moderatæ, & victus, & vestitus frugalis, & religiosæ conditioni proportionatus.

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum*, num. 13.
2 *Christus fuit pauper*. num. 14.
3 *Mendicus*. num. 15.
4 *Apostoli pauperes*. num. 16.
5 *Christus paupertatem non vouit*. num. 17.
6 *Christus in cibo, & potu communem vitam sequutus fuit*. num. 18.
7 *Apostolorum victus frugalis*. num. 19.
8 *Abstinentia à carnibus laudatur*. num. 20.
9 *Christi vestes pauperes*. num. 21.
10 *Vestes Apostolorum pauperes*. num. 22.
11 *An Christus incerit discalceatus*. num. 23.
12 *Christus iuit calceatus secundum morem patriæ*. num. 24.
13 *Christus non præcepit discipulis, vt irent nudis pedibus*. num. 25.
14 *Extenditur textus Matth. 10. Nolite possidere*, num. 25.
15 *Sandalium quod calceamentum sit*. num. 26.
16 *Milites an diuiserint calceos Christi*. num. 27.
17 *Magdalena quomodo lacrymis rigauerit pedes Iesu*. num. 28.
18 *Christus vsus Sandalijs*, num. 29.

De Paupertate Christi, & Apostolorum.

13. CVM ergo *D.T.* asserat paupertatem non excludentem dominium in cõmuni, non repugnare perfectioni, & hoc confirmet exemplo Christi, & Apostolorum, & sic definierit etiam *Io: 22. in extrauag.* Ad conditorem, & Cum inter nonnullos, & Quia quorundam, difficultatem facit, quòd habetur à *Nicolao IV. in cap. Exijt, de verborum significationibus in 6.* In præsenti igitur quatuor explicanda sunt. Primum quòd Christus, & Apostoli fuerunt pauperes. Secundùm quod nihilominus aliquod dominium habuerunt. Tertium quomodo decreta Io: 22. cõueniunt, cum decreto Nicolai IV. Et quartum, quod paupertas non excludens dominium in communi non diminuit statum perfectionis.

14. Quantum ad primum Christum pauperem fuisse de fide est certum. Sic enim Apost. in 2. ad Cor. cap. 8. dixit. *Scitis gratiam Domini Nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues.* vbi glossa *Respice pauperimum habitaculum eius, qui ditat Cœlum. Vide præsepe sedentis super Cherubim. Vide pannis obsitum eum, qui pelagus arena iunxit. Vide deorsum paupertatem, diuitias eius sursum considerans.* Sic, & Christus

stus ipse, ei, qui illum sequi promittebat, respondit Matt. 8. & dixit *Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* quasi diceret secundùm Hieronymum. *Quid me propter diuitias, & seculi lucra cupis sequi, cum tanta sim paupertatis, vt nec hospitiolum quidem habeam, & tecta non vtar meo?* vel secundum Chrysost. hom. 28. *Quid pecunias credis collecturum, si me sequaris: nonne vides, nec diuersorium mihi esse, nec tantum quidem, quantum auibus?* Sed vt dixit Glos. Matt. 17. *Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributa solueret, non haberet.*

15. Et tantæ paupertatis fuit, vt aliquando necesse illi fuerit mendicare. Quamuis enim *Caiet. Matt. 5.* dixerit Christum non fuisse mendicum in rei veritate, & *Medina 3. p. q. 40. 3. §. Ad tertium* quoe non legitur Christum mendicasse, tamen oppositum est verum, & id expresse probat *D. Th. opusc. 19. cap. 7. ibi.*

Nunc tertio restat ostendere, quod prædicti non solum viuere possint de eleemosynis spontè oblatis, sed etiam eas petere mendicando, quòd probatur exemplo Christi, in cuius persona in psal. 33. dicitur. Ego autem mendicus sum, & pauper. gl. Hoc dicit Christus de se ex forma serui, & infra. Mendicus est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit. Item alio psal. 69. ego verò egenus, & pauper sum. glos. sum egenus, idest petens; & pauper sum, idest insufficiens mihi: quia, & mundanas copias non habet, & intus vbi est diues, semper ambit, desiderat, accipit: Item in alio psalm. 108. persecutus est hominem, inopem, & mendicum. glo. scilicet Christum, & alia glo. pauperes insequi sola sæuitia est: alij pro diuitijs, & honoribus interdum huiusmodi patiuntur. Istæ duæ vltimæ glossæ ostendunt manifestè, quòd de mendicitate rerum temporalium prædicta verba intelligere oportet. Item 2. Corinth. 8. scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniã propter vos egenus factus est: glos. in mundo, & quòd in hoc Christus sit imitandus, patet per glo. quæ ibidem dicit: nemo se contemnat pauper in Cella, diues in conscientia, securius dormit in terra, quam cum auro diues in purpura. Non ergo expauescas cum tua mẽdicitate ad illũ accedere, qui indutus est nostra paupertate. Item, quòd Dominus virtutum petierit, expresse habetur Luc. 19. vbi Dominus dixit ad Zaccheum Zachee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Glos. non inuitatus inuitat, quia, & si nondum audierat vocem inuitantis, audierat tamen affectum. Item Marci 11. Circumspectis omnibus, si quis eum hospitio susciperet; tantæ enim paupertatis fuit, & ita nullis adulatus, vt in tanta vrbe nullum hospitium inueniret; ex quo patet, quod Christus ita pauper erat, quod hospitium conducere non posset; sed ab alijs hospitium petebat, & expetebat.

Et ideò hoc idem, scilicet Christum in rei veritate mendicasse aliquando docuerunt *Catar. lib. 2. c. Caiet. Sixtus Senen. lib. 6. Bibliot. anno 118. & 137. Albertus Pichius l. 3. contra Erasmum, quos sequitur Suarez. 3. p. q. 40. a. 3. disp. 28. sect. 2. Nicolaus à Iesu Maria Discalceatus in Apologia perfectionis prop. 21. Vualdens lib. 4. doctr. fidei.* Et de paupertate Christi videri possunt Patres, & expositores ad loca scripturæ supra citata. *Anselm. lib. de diuers. sacram. D. Thomas 3. p. qu. 40. ar. 3. & opusc. 17. c. 15. & opusc. 19. cap. 7. & Diuus Bonauentura opusc. de paupertate Christi, & in Apolog. pauperum.*

16. Apostolos quoq; pauperes fuisse colligitur primo ex illis verbis *Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia.* Et iterum *Matth. 10.* dicitur *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* & *Marc. 6. Præcepit eis, ne quid tollerent in via, &c.* & *Luc. 9. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas Tunicas habeatis. Paulus verò ad Corinth. 6.* ait: *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Supra quem locum Ambrosius inquit: *Quantum ad præsentem vitam pertinet pauperes videbantur, sed spirituales diuitias credentibus largiebantur: Egeni in terris in Cœlis diuites. S. verò Thomas lect. 2. supra idem caput* dicit *In his temporalibus sumus sicut egentes, id est ab alijs accipientes: sed tamen quantum ad spiritualia sumus multos locupletantes.* Et post pauca *Tanquam nihil habentes, scilicet, in temporalibus: quia omnia dimiserant propter Christum Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.* sed *interius, & in spiritualibus omnia possidentes, scilicet per interiorem magnitudinem cordis. Et hoc ideò est, quia ipsi viuebant non sibi, sed Christo: & ideò omnia quæ sunt Christi reputabant, vt sua. Vnde cum Christo omnia sint subiecta omnia possidebant, & omnia tendebant in eorum gloriam.* idem quoque Apostolus 1. ad Corin. 4. ait. *Puto enim, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit. tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, Nos infirmi, vos autem fortes: Vos nobiles, nos autem ignobiles,* & demum subdit *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Pauperes ergo fuerunt Apostoli. imò quòd plus est secundum multos paupertatem suam voto firmarunt, quod probant ex illo S. Augustini lib. 17. cap. 4. de Ciu. Dei, vbi sic ait: *Dixerant enim potentes illi. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, Hoc votum potentissimi vouerunt, sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est: Dans votum vouenti? Alioquin ex illis essent potentibus quorum infirmatus est arcus. Dans inquit, votum vouenti. Non enim Domino quisquam ratum vouenti, nisi qui ab illo acciperet, quod voueret.* Sed & *D. Th. supra q. 88. a. 4. ad 3. Apostoli,* inquit, *intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus sunt secuti.* Sed de hoc infra erit sermo.

17. Quod tamen de Apostolis dixit *Diuus Thomas* scilicet, quod vouerint ea, quæ sunt perfectionis, hoc de Christo negauit, cum id, eius non congruat perfectioni, per quam habens voluntatem firmatam in bono, non indigebat voti sacramento, vt illam magis firmaret, & non valet dicere cum Suarez. 3. p. tom. 2. dis. 28. q. 2. §. *Quapropter*, quod votum nec solum, nec præcipuè est ad firmandam voluntatem, sed propter offerendum Deo obsequium, consecrandumque, & ad

& ad sublimiorem ordinem eleuandam materiam voti, & vt actus perfectior sit factus ex voto. Quia Christus, qui semetipsum obtulit Deo in summum sacrificium laudis, & holocaustum amoris, non indigebat obsequio voti, cum per actū Religionis longè perfectiorem se, & omnia sua Deo consecrasset. Et cum Christus ab initio suæ conceptionis viderit voluntatem Patris circa omnia tam magna, quàm parua per ipsum agenda per totam æternitatem, lex verò naturalis dictet hominem debere conformare voluntatem suam voluntati Dei absolutæ de aliquo agendo, si illam cognoscat, iam Christus ex lege naturali supernaturali tenebatur facere, quidquid fecit, & faciet per totam æternitatem, ita quod nihil ipse fecerit, vel facturus sit, nisi id, quod vidit, & videt voluntatem Patris esse, vt fiat, Propter quod de eo dictum fuit in *Ps.* 39. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Et *Paulus ad Hebr.* 10. Ingrediens mundum dicit. Hostiam, & oblationem noluisti. Corpus autem aptasti mihi. holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Et idem Dominus *Ioan.* 4. dixit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*: Et *Io:* 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Christus ergo, qui in primo instanti suæ conceptionis per actum religiosum altissimæ obedientiæ se in perfectissimum holocaustum Patri obtulit, atq; in omnibus omninò obedientiam promisit, habuit in eo actu eminentissimè omnem voti perfectionem, vnde non opus fuit, vt aliquid voueret. Et quamuis ex his non demonstretur, quòd Christus fuerit omninò voti incapax, satis tamen conuincunt in Christo non fuisse necessitatem aliquam vouendi, & quod non habemus vnde dicamus illum ea vouisse, quæ sunt perfectionis.

18. Christi verò, & Apostolorum paupertatem commendant victus, & vestitus eorum, qui non fuit, nisi qualis fuit pauperum. De Christo *Diu. Thom.* 3. *p. q.* 40. *a.* 2. dixit quod cum congruum fuerit fini incarnationis, vt Christus non ageret solitariam vitam, sed cum hominibus conuersaretur, ideò *Conuenientissimum fuit, vt Christus in cibo, & potu communiter se, sicut alij haberet*. Quod tamen explicat idem *D. Th. ibi art.* 3. *ad* 2. dicens *Quod communi vita vti, quantum ad victum, & vestitum, potest aliquis non solum diuitias possidendo, sed etiam a mulieribus, & diuitibus necessaria accipiendo, quod etiam circa Christum factum est; dicitur enim Luc.* 8. *quod mulieres quædam sequebantur Christum, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*, Quamobrem dicendum est Christum communem vitam sequutum fuisse in cibo, & potu, eam scilicet, quam communiter habebant pauperes ex eleemosynis viuentes; Et cum Christus dixerit Discipulis suis *Luc.* 10. *Manducate quæ apponuntur vobis.* & ibid. *edentes, quæ apud illos sunt*, eumdem modum viuendi tenuit Christus. vt comederet, & biberet, quæ sibi apponebantur. Et cum Io. vinum, & sicera non biberet, nec communibus cibis vteretur. sed locusta, & melle syluestri. Christus hanc austeram viuendi rationem non assumpsit, vnde *Matth.* 11. dixit. *Venit Io: non manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini.* Non tam austerum verò viuendi modum Christus assumpsit, vt facilius omnes lucrifaceret, secundùm Chrys. hom. 38. in Matth. & alios Patres. Et vt habet *D. Th. Matth.* 11. Dupliciter homines attrahuntur ad bonam vitam, quidam enim per speciem sanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus, & Io: diuiserunt sibi duas vias. Io: imo Dominus per Io. elegit viam asperitatis per se elegit viam lenitatis, & propterea dixit *Iræneus l.* 4. *c. hæreses cap.* 51. *Christum ita conuersatum esse cum hominibus, vt eorum communibus cibis vteretur, & vinum biberet.* Et de his videndi *Aug. l.* 16. *contra Faustum c.* 31. *&* l. 2. *quæst. Euang. in* 11. *& ad cap.* 11. *Matth. Hieron. & alij PP. Ambr. lib.* 2. *in Lucam cap.* 1.

19. Apostoli quoque eodem modo in cibo, & potu communem viuendi modum habuerunt, qualem tamen decet pauperes valdè frugalem. *Matth.* 12. *Mar.* 2. *&* *Luc.* 6. narratur, quòd Apostoli transeuntes per sata, & esurientes cœperunt vellere spicas, vt crudas segetes manducarent. Vbi *Hieron. Matt.* 12. *Quod spicas segetum manibus confricant, & inediam consolantur vitæ austerioris inditiū est. Non præparatas epulas, sed simplicem cibum quærentium.* Et similia aduertit ibidem *Chrysost.* Et nonnisi frugalissimas mensas instruxisse Apostolos nimirum per appositionem panis, & paucorum pisciculorum, aut faui mellis legimus in Euangelio *Matth.* 14. *&* 15. *Luca* 9. *& Io:* 21. Post Christi autem Resurrectionem, & Ascensionem, quando ab eorum præsentia ablatus fuit sponsus austeriorē viuendi modum eos assumpsisse ex eo colligitur, quod *Nazianz. orat. de amore paupertat.* refert Petrum Apostolum, *lupinis minuto ære venuntibus famem pellere consueuisse.* De Iacobo autem fratre Domini affirmauerit Egesippus apud Eusebium *l.* 2. *c.* 22. ipsum, *nec carnes in cibum, nec vinum in potum vnquam adhibere solitum fuisse.* De Matthæo etiam *Clemens Alexand. l.* 2. *Pedag. c.* 1. ait, quod seminibus baccis, & oleribus absque carnibus vtebatur. Timothæum etiam discipulum Pauli ordinariè à vinò abstinuisse, colligunt *S. Io: Chrys* & alij, ex illo Pauli 1. *ad Tim.* 5. *Noli adhuc aquam bibere sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* Sed & Paulum Apostolum abstemium fuisse colligit *Baron. tom.* 1. *ad annū Christi* 13. Et idem *Paulus ad Rom.* maximè commendat ciborum delectum dicens. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*

20. Et cum aliqui murmurarent contra fratres Ordinis Prædicatorum eo quia ex Constitut. abstinerent à carnibus, ex hoc dicentes eos non sequi vitam Apostolicam, iuxta illud *Luc.* 10. *Edentes quæ apud illos sunt*, respondet Heruæus in opusculo de hac materia, & abstinentiam a carnibus esse conformem abstinentiæ Apostolicæ probauit hoc modo.

☞ Quantum ad secundum articulum sciendum istæ textus *edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*, non sic debet intelligi, vt de omnibus sibi appositis teneantur comedere, Sed quod oblatis

contenti esse deberent, ne propter eorum gulam oporteat superflua lautiora extra domū quærere. Vnde gloss. ibidem. Ecce qui sacculum, & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit; ita tamen vt oblato cibo, & potu sint contenti. Vnde de Beato Iacobo Minore, qui fuit Episcopus Hierosolymitanus narrat Egisippus, qui fuit vicinus Apostolorum temporibus, quod nunquam carnes comedit, cum Apostolus esset, & formam seruaret Apostolicam. Præterea de ipso Saluatore legimus, quòd pisces comedit ante Resurrectionē, & post. Sed dicit Magister in historijs, nunquam legimus ipsum carnes comedisse, nisi de agno paschali, & hoc, vt legem impleret, & determinaret. Item si perfectius esset, & Euangelio magis consonum, & statui Apostolico de omnibus appositis comedere, quàm à carnibus abstinere, nequaquam Paulus dixisset ad Rom. 9. Bonum est non comedere carnes, non bibere vinum. Ideò dicit Hieronymus, & habetur in canone 35. d. cap. Ab exordio conditionis humanæ carnibus vescebamur, nec dabamus repudium, nec præputia circumcidebantur in signum. Hoc cursu ad diluuium vsq; peruenimus. Post diluuium autem carnes ingestæ sunt ad vescendum, & repudij concessa sunt diuortia, cultellus circumcisionis appositus. Postquā autem Christus venit in fine temporis, & reuoluit ad alpha extremitatem, & traxit ad principium; nec repudium nobis dari permittit, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, idest comedere suademus, vt glossat apparatus. Ex his patet, quod quamuis carnes comedere sit licitum: tamē abstinere ab eis magis est perfectum, & vitæ Christi magis consonum, &c.

21. Vestitus etiam tàm Christi, quàm Apostolorum fuit qualem requirit paupertas, licet & quantum ad vestitum Christus vitam communem amplexus fuerit, vt habet *D. Tho. 3. p. q. 40. a. 3. ad 2.* Euthymius autem *in cap. Matt. 27. & Io. 13. & 19.* arbitratur triplici genere vestium Christū fuisse vsum, nimirum interiori tunica, seu subucula, & alio vestimento, quod super indusio gestari solet, & pallio, quòd est exterius operimentum aliarum vestium. Nec hoc esse contrarium ei, quod Christus mandauit Matth. 12. *Neque duas tunicas, &c.* quia ibi Christus loquebatur de vestibus eiusdē generis, scilicet, de mutatorijs, non verò de vestibus diuersorum generum, ex quibus iuxta morem patriæ vnum integrum constituitur vestimentum. Quamuis verò Christus in vestitu communē vitam sequutus fuerit, eius tamē vestes fuerunt pauperes, scilicet, nec pretiosæ, nec viles. Quod vestes eius non fuerint pretiosæ ex eo colligitur, quod non decebat Christum vti pretiosis vestibus, qui pauperem vitam profitebatur, & dixerat *Luc. 7.* Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Non est credibile* inquit *D. Th. opusc. 19. cap. 8. quòd Dominus Iesus Christus pretiosis vestibus indueretur, qui Ioannem commendabilem ostendit, quòd non erat mollibus indutus, alioquin Pharisæi, qui exteriorem sanctitatem ostentabant, sicut de eo dicebant, quòd erat vorax, & potator vini, & publicanorum amator, ita & de eo dixissent, quòd esset mollibus indutus. Milites etiam, qui ei illudebant, non eum veste purpurea induissent in signum regiæ dignitatis, si tunica inconsutilis aurea, & serico contexta fuisset: sed quod tunicam eius milites diuidere noluerunt, hoc non fuit propter pretiositatem vestis, sed propter numerum, quia quatuor partibus superfuerat, quas milites de vestibus Christi fecerunt: & si diuisa fuisset, omnino fuisset inutilis, in quo manifestè apparet, quod non erat de pretiosa materia. Nihilominus tamen secundum glos. ibi notatur sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis.* Sed ex his colligitur vestes Christi intra genus paupertatis, & vestitus communis non fuisse viliora, sed mediocrea, & communes. Alioquin non tantam diligentiam adhibuissent milites, vt eas partirentur inter se se sortem mittentes, vt nec fieret vlli iniuria, nec inter se contenderent, cui pars melior esset tribuenda. Tunicam etiam illam inconsutilem fuisse vestem communem, qua vtebantur pauperes Galilæi aduertit *Isidorus Pelusiota li. 1. epist. 74. ad Crutonem.*

22. Eodem modo, & Apostoli pauperibus vestimentis vsi sunt nō ad luxum, sed ad necessitatē. Quod indicauit Apostolus in 1. *ad Tim. c. 6.* dicens *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his cōtenti simus.* Sic enim Apostoli vestibus ad tegumentū, & pro necessitate vtebantur, sed talibus, quæ humilitatem, abiectionem, & paupertatem redolerent.

23. Est autem difficultas, an Christus nudis pedibus incesserit. Affirmant enim apud Suarium loco infra citando *S. Bonauentura opusc. hac de re*, qui habetur *tom. 1. Lyranus in. p. Replicator Mur. 1. Abulen. q. 68. in cap. 3. Matt. & q. 49. in 20. cap. Exod.* & probatur ex *Hieron. Epist. 72. ad Eustochium de cura virginit.* Tum secundo quia Christus mittens ad prædicandum discipulos iussit ne calceamenta portarent. *Matth. 10. & Luc. 9.* quod *Chrys. hom. 9. super Epist. ad Philippens.* interpretatur ad literam, & vult, quòd tunc id Christus præceperit, sed postea præceptum reuocauerit *Luc. 23* quòd eodem modo intelligit *August. lib. 21. contra Faustum cap. 67.* Tum tertio, quia Magdalena lauit pedes Iesu *Luc. 7.* quod facere non potuisset, nisi ipse nudis pedibus esset. Sed oppositum sentiunt *Burgen. Marc. 1. Caiet. Luc. 3. Iansen. in concordia c. 55. Talatus Cardin. la:1. annot. 65. Suarez. 3. par. tom. 2. disp. 28. sect. 3.* Et cum obiectum fuerit contra Fratres Prædicatores, quòd incedūt calceati, hoc non derogare vitæ Apostol. probat *Herueus in opusc. contra impugn. Or. Præd.* in hunc modū. *Ad primum respondeo, & dico sic. Beatus Petrus Apostolus Princeps Apostolorum legitur habuisse calceamenta. Vnde Actuum 12. dicit Angelus ei incarceratu. Præcingere, & calcea te caligas tuas. Glo. ibi. Caliga genus est calceamenti, & subdit glo. Exemplū datur non ambulandi sine calceamentis Angelo iubente, & Apostolo complente. Dico ergo, quòd calceati sequuntur Angeli imperium, & Apostoli exemplum. Præterea præcipitur, vt quilibet sacerdos perfectiori modo, quo potest, accedat ad sacramentum Eucharistiæ ministrandum. Sed præstat quod nullus accedit discalceatus: propter quod esse calceatum perfectior status est quam esse discalceatum. Præterea vbi nos habemus caligas, litera græca habet sandalia; quæ vt dicit Vgo sunt sotularia, in quibus Papa, & Episcopi solent missas celebrare, quales Beatus Bartholomæus deferebat. Præterea de Beato Thoma Apostolo legitur in vita sua, quòd calceatus incedebat. Similiter de Beato Marco, qui fuit discipulus Beati Petri Apo-*

in Apostoli legitur, quod appropinquante eo Alexandria rupta sunt calceamenta eius, quæ tradidit cuidam sutori reparanda: quem sutorem eidem Ciuitati postmodum ordinauit Episcopum. Præterea de ipso Saluatore apparet, quod calceatus incesserit. Dicitur enim in sermone de messe, & operarijs, qui intitulatur ab Augustino sic. De his calceamentis, quibus calceati ambulamus consolatur me Deus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret. Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Ipso etiam Augu. de consensu, & concordia Euangelistarum li. 2. dicit, quod nulla, vel vana esset consolatio in deportandis calceamentis materialibus, si solum deberent spiritualiter calceamenta intelligi. Præterea in cronicis antiquis legitur, quod Romæ in Ecclesia Lateranensi, vbi est Sedes Papalis inter cæteras sanctas reliquias, calceamenta Saluatoris habeatur. Sed contra hoc obijciunt quidam emuli sic Mat. 10. Præcipitur discipulis, & Apostolis, vt calceamenta non portent: & similiter Lucæ 5. Præcipitur 72. discipulis. Præterea Exo. 3. Solue calceamenta de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est. Præterea vbicunque depinguntur Christus, & Apostoli, sine calceamentis depinguntur. Ad primum respondent magistri dupliciter; vno modo de sic. Nolite portare calceamenta, scilicet vsualia, quæ non sunt tantum ad necessitatem, sed ad superfluitatem, & pompam, & voluptatem. Vnde Matth. 6. dicitur eis, vt essent calceati sandalijs, & dicit magister in historijs, quod sufficit, vt vtereatur soleis, sandalijs, & peronibus; dicit autem Papias, quod perones sunt rustica calceamenta, sicut illa, quæ fiunt ex corio crudo. Alio modo respondetur secundum Aug. de concordia Euangelistarum lib. 2. Et sermone de messe, & operarijs sic. Calceamenta inquit, quibus vtimur coria mortuorum sunt. Quid est ergo nisi quod debemus renunciare operibus mortuis. Quod in figura Moyses admonebatur. Cum enim dictum est ei à Domino, Solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Quæ enim terra tam sancta, sicut Dei Ecclesia? In ea ergo stantes calceamenta soluimus, idest, operibus mortuis renunciamus. Hæc Augustin. Et per hoc patet responsio ad secundum. Præterea si hoc quod dicit nec calceamenta, &c. debet ad literam intelligi, similiter & illud quod sequitur: neminem per viam salutaueritis: ad literam debet intelligi. Si contra euangelium faciunt, qui calceamenta portant, eodem modo, & qui sibi occurrentes salutant. Sicut ergo vltimum spiritualiter debet intelligi, ita & primum. Ideò illos, qui sic verba sacra scripturæ exponunt, reputat, & vocat hæreticos Beatus August. in libro de hæresibus. Est inquit hæresis nudis pedibus perambulantium, eo quod Dominus dixit ad Moysen. Solue calceamenta de pedibus tuis: & quod Esaias legitur nudis pedibus ambulasse. Non est ergo hæresis, quod propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia diuina sic intelligunt. (nimirũ vt sit cõtra Euangeliũ calceaméta deferre) *Ad tertium obiectum de picturis, dico cum Aug. in lib. 2. de concordia Euangelistarum. Dico, inquit, errare meruerunt, qui Christum, & eius Apostolos, non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Qui picturis credunt, credant Christum barbam auream, & Apostolos habuisse, quia cum talibus depinguntur. Dico ergo, quod ambulare sine calceamentis bona præsentia est, sed non est de necessitate perfectionis Apostolicæ: nec facere contrarium derogat perfectioni Apostolicæ. Et super Esa. 11. vt transeant per eam calceati, dicit glo. sub metaphora. Nihilominus diuisus est in partes nilus, dicitur, vt Apostoli calceati securè, & sine impedimento prædicantes liberè possint discurrere ad vltimas partes AEgypti. Item super illud Deuteron. 25. Tolle calceamentum de pedibus eius dicit glo. 1. 1. mercedem prædicationis primatum ostendit doctorum, quorum pedes calceati sunt, & sic patet responsio ad primum articulum.*

24. Mihi duo dicenda in hac parte. Primum quod Christus, & Apostoli in hoc communem vsum pauperum secuti sunt. Sicut enim in victu, & alio vestitu Christus communem pauperum vitam assumpsit, vt *D. Th. docuit 3. p. q. 40. a. 1. & 3.* Ita & in calceamentis se habuit, & pedes iuxta communem pauperum vsum vestiuit. Non est enim vnde ex Euangelio, vel scripturis colligamus, quod Christus habuerit delectum vestimentorum, aut calceamentorum, cum conuenientissimum fuerit, vt *D. T.* citatus probat, vt Christus, qui communiter conuersabatur cum hominibus, vnde & cibo & potu communi vtebatur, noluerit esse singularis in vestitu, vel calceamentis. Secundum est, quod si Christus vsus fuit vel calceamẽtis, vel sandalijs, vel alio genere caligarum, hoc fecit, quia voluit se conformare communi vsui pauperum in his, non vt per hoc confirmaret, quòd maioris perfectionis sit, his, vel illis caligis vti. Quia nec pedum nuditas, nec calceamentum hoc, vel illud per se pertinet ad perfectionem, nisi instrumentaliter; non arguit verò maiorem perfectionem operis qualitas instrumenti, sed eius proportio melior ad illa, quæ perfectionis sunt, & ideò non est hic considerandum, quæ fuerit maior paupertas, vel austeritas, sed quæ fuerit magis proportionata ad finem à Christo intentum, & benè aduertit *D. T. 3. p. q. 40. a. 2. ad 1.* Ideò idem *D. T. super cap. 10. Matthæi* habet quod *pauperes in partibus Orientalibus vadunt discalceati, vtuntur tamen quibusdã, quæ sandalia dicũtur, & fiunt de paleis, & ideò volebat, vt irent sicut pauperes illius patriæ,* & sic victus, & vestitus qui erat in vsu apud pauperes, ille erat, quem vt medium accommodatissimũ ad conuersionem hominum Christus elegerat.

25. Cæterum quoniam magna vis fit in illa auctoritate Christi *Matth. 10. Nolite possidere aurum neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam: dignus est enim operarius cibo suo.* Iuuat hic referre, quod vniuersitas Parisiens. tempore Io: 22. consulta respondit, seu Cardinalis Vicneus. nomine illius respondit. Vt enim habetur apud Odericum Annalium tom. 15. ad annum 1323 num. 57. Vniuersitas Parisien. sic habet.

¶ Nihil prohibet Christus discipulis suis, nisi rerum temporalium superfluitatem, & inordinatam sollicitudinem, sicut patet in toto illo capitulo decimo per textum, & glossam: Nolite solliciti esse, &c. Et ideò secundum veritatem nihil facit ad propositum. Si autem omnino dicatur, quod auctoritas est intelligenda ad literam, oportebit dicere, quod sicut Apostoli habuerũt ex præcepto Christi, & ex voto non habere aurum, nec argentum, ita fuerit in præcepto, & in voto non portare duas tunicas, nec portare calceamenta,

nec portare uirgam in via, quod falsum est; immo contrarium frequenter fecerunt Christus, & Apostoli. Et secundum hoc sequitur, quòd Religiosi, qui reputant se tenere professionem Apostolorum non possent portare duas tunicas, vel calceamenta, neque virgam: vel si in istis admittunt sensum spiritualem, & misticum, eadem ratione debent admittere in hoc, quod dicitur: Nolite possidere aurum, & cum omnia illa verba sub vnico sensu, & in interpositione quacunque contineantur in textu Euangelij. Et quòd prædicta auctoritas non sit intelligenda ad literam, sicut sonant verba grammaticaliter, nec in toto, nec in parte, ego probo in hoc, quòd omnia alia, quæ ibi perhibentur, & accipiuntur negatiuè alibi in euangelijs continentur affirmatiuè, & de facto affirmatiuè inueniuntur facta per Christum, & Apostolos. Verbi gratia nolite possidere aurum, &c. Contrarium legitur de Christo Matth. 2. quò Reges obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, & distinctè, dicit glossa, non Mariæ, nec Ioseph, sed Puero. Item: Neque peram; contrarium Luc. 22. Quando misi vos sine sacculo, & pera nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter, & peram. Item: Nec tunicas habeatis: Contrarium Io: 19. Christus habuit plures tunicas, quia milites, qui crucifixerunt Christum, diuiserunt vestes in quatuor partes; tunicam autem inconsutilem non diuiserunt. Item: Neque calceamenta; contrarium Ioannis 1. Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, scilicet Christi. Item actorum 12. dixit Angelus Petro: Surge calcea te caligas tuas. Item Marc. 6. præcipit eis Christus portare sandalia in pedibus. sandalia episcoporum sunt perfecta calceamenta. Item Ephes. 6. dicitur de Apostolis; Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Neque virgam; contrarium dicitur Marc. 6. Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam. Nec pecuniam in zonis; contra de loculis Iudæ, quos portauit de mandato Christi, vt dispensator eius. Item Io: 6. Discipuli abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent, nonnisi de pecunia, quam portabant. Oportet ergo dicere propter illa, quod illa auctoritas: Nolite possidere, &c. non est intelligenda grammaticaliter: sed ad literam Christus ibi prohibet solam superfluitatem, & solicitudinem rerum temporalium, & permittit, & præcipit temperatum, & parcum vsum.

26. Quantum ergo spectat ad rem nostram dicitur quòd dum Christus mandauit discipulis ne possiderent aurum, &c. calceamenta, &c. loquutus fuit de calceamentis mutatorijs, & noluit, quod deferrent duplices tunicas, vel duplicia calceamenta, vt exponunt *Burgen. & Caiet.* seu ne solicitudinem superfluam in his ponerent. Et quia forsan tunc in vsu erat apud commodiores, vt vterentur diuersis calceamentis in via, & in ciuitatibus, hoc Christus suis inhibuit discipulis, & voluit, vt secum non deferrent, nisi calceamenta, quibus vtebantur in via. Et certè cum Christus *Mar.* 6. mandauerit discipulis, vt ad prædicandum irent calceati sandalijs, satis manifestum est, quòd non præcepit, vt nudis pedibus irent, sed per calceamenta intellexit aliquod genus calceamenti distinctum à sandalijs, & quo forsan vtebantur in Ciuitatibus. Sandalium verò esse muliebris calceamenti genus, ex Luciano habet Calepinus, & ex Victore *l.* 14, *c.* 15. quod esset calceamentum fœminarum, & Beatarum. Nam quod Iudith fuisset calceata sandalijs habemus Iudith 16. vbi quod sandalia eius rapuerunt oculos Holophernis. Et nihilominus, quod etiam viri vterentur sandalijs colligitur ex Terentio in Eunucho apud Calepinum. Vbi quod à sandalijs Apollo dictus fuerit sandalarius.

27. Quod verò non legatur, quod milites non diuiserint, vel sorti commiserint calceos Christi in passione potuit esse, quia essent adeò viles, & veteres, vt nullius valoris essent. Quamuis melius dicatur, quod calceamenta veniunt sub nomine vestium.

28. Quod etiam de Magdalena afferebatur, si Christus tunc vsus fuisset sandalijs ex parte superiori apertis bene contingere potuisset, quod ipsa lachrymis Christi pedes lauisset. Quamuis dicatur, morem fuisse veteribus (quoniam in stragulis accumbebant in conuiuijs) vt recumberent discalceati, ne forte calceorum sordibus pretiosa lectorũ stragula inquinarentur. De quo multa congerit *Dion. Lambinus in scholijs Oratij, satyra vlt. l.* 2. *Guilelmus Philander super Vitruuium l.* 6. *cap.* 5. Et fortasse hac de causa dictum est Iudeis *Exod.* 12. vt manducaturi agnum calceamenta haberent in pedibus, quia nimirum in conuiuijs sine calceis accumbere solerent.

29. Quod verò dicitur Romæ in Ecclesia Lateranen. conseruari quoddam Petri sandalium. Nullam huius rei mentionem inuenio in libro intitulato Basilica Lateranen., edito ab Illustriss. D. Cæsare Raspono, qui tamen lib. 4. cap. 19. pagin. mihi 370. in fine refert, quod in capella S. Laurentij dicta Sancta sanctorum in Arca ærea subtus altare posita multis clauibus occlusa, contineantur Domini vmbilicus, & pars præputij, & sandalia eiusdem Saluatoris. Vnde dicendum est, quod Christus, & Apostoli vsi sint sandalijs secundum morem regionis; sic enim & dicitur reperiri aliud S. Andreæ in Ciuitate Ouetensi, & ita de Apostolis opinatur *Abulen. q.* 60. *&* 83. *in cap.* 10. *Matth. & Dyon. Carthusian. ib.* Nam, & hunc fuisse vsum antiquorũ fidelium colligi potest ex *Tertul. lib. de pallio cap.* 5. *& ex Clem. Alex. l.* 1. *pedagogi cap.* 11. Et quod Christiani antiquitus discalceati irent, vel calceati sandalijs aduertit *Baron. tom.* 1. ad annum 57. *num.* 96. Vnde habetur motiuum satis rationabile ad dicendum, quòd etiã Christus, & Apostoli vsi fuerint Sandalijs. Vnde etiam est, quod auctoritates S. Io: Chrysost. & Hier. quas affert Nicolaus à Iesu Maria, & in quibus dicti Sancti asserunt Apostolos iuisse discalceatos intelligendum est, quod forsan aliquando sic iuerint, vel quia non calceis, sed sandalijs vterentur; Et tandem quod non nisi illo genere caligarum vtebantur, quibus communiter vtebantur pauperes.

S V M M A R I V M.

1 *Definitio Io.* 22. *de paupertate Christi, & Apostolorum. num.* 30.

2 *Defi-*

Christus, & Apostoli aliqua habuerunt, & eorumdem habuerunt dominium.

30. CONtrouersa valdè fuit hæc quæstio tempore *Io:* 22. contendentibus nõnullis, quod Christus, & Apostoli fuerint pauperes etiam per abdicationem proprietatis earum rerum, quæ habuerunt. Item quod Christus, & Apostoli etiam circa necessaria vitæ solum vsum facti omnino sine iure tam in speciali, quàm in communi. Quàm tamen controuersiam consultis vndequaq; grauissimis, & doctissimis viris definiuit, de qua idem Io: 22. *in Extrauag. Cum inter nonnullos de verb. signif.* ibi.

Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expressè, ipsamque scripturam sacram, per quam vtique fidei orthodoxæ probentur articuli quoad præmissa fermentum apertè supponat continere mendacij, ac per consequens quantum in ea est eius in totum fidem euacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam, & incertam, deinceps erroneam fore censendam, hæreticam; de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus in posterum pertinaciter affirmare quòd Redemptori nostro prædicto, eiusque Apostolis ijs, quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ius ipsis vtendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi ius habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expressè: cum talis assertio ipsorum vsum, & gesta euidenter includat, in præmissis non iusta, quod vtique de vsu gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei filij sentire nefas est, sacræ scripturæ contrarium; & doctrinæ catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de fratrũ nostrorum consilio deinceps erroneam fore cẽsendam meritò, ac hæreticam declaramus.

Aduertit verò Odericus *tom. 11. Annalium ad annum* 1323. *num.* 62. quod Pontifici sic decernenti assensere etiam Cardinales, & Prælati illi pauci, qui in consultationibus pro opposita parte steterant, nimirum Vitalis, & Bernardus è Turre Cardinales, Berengarius Episcopus Tusculanus Arnaldus, Royardus, & Monaldus Beneuentanus Archiepiscopi, pariterq; Caphensis, Vlysipponensis, Rigensis, & Pactensis Episcopi, qui plura scripta excutiendæ veritatis causa ediderant. Inter quos eminebat scientia, & doctrina Vitalis Cardinalis? qui tres commentarios confecit, & cuius argumenta Io: Neapolitanus Ord. Prædicatorum insignis Theologus dissoluit.

31. Veritatem hanc à Ioanne 22. definitam probauit Petrus de Arablayo tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis quantum ad vtramque partem, & quantum ad primam probauit multis scripturis, vt videre est apud *Odericum Annal. tom. 15. ad annum* 1322. *num.* 56.

Quod autem Christus habuerit hoc probatur: habebat enim loculos, vt in c. Sicut, & 12. q. 1. c. Exemplum, &c. Habebat; vbi dicitur, quod in loculis illis conseruabat sibi data, & oblata, vt suorum necessitatibus, & aliorum indigentium subueniret debitis temporibus: & est Augustini, & etiam hoc probatur Io: 13. cap. vbi Christus dicit Quod facis, fac citius; quidam enim existimabant, quod diceret, quod emeret cibos propter Pascha. Ergo cõcluditur, quod pecuniã habebat Christus, vnde emeret. Item certum est, quod habuit vestimenta Matt. 27. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, &c. Item in transfiguratione: Vestimenta eius facta sunt candida, sicut nix. Marc. 9. Item de muliere: Si tetigero fimbriam vestimenti eius, Marc. 5. & Matth. 9. Item quando lauit pedes, deposuit vestimenta sua, & post resumpsit Io: 13. Item pisces, & pauca habuit Matth. 14. Item Apostoli habuerunt tunicas: Qui non habet gladium, vendat tunicam suã, & emat gladium; fuit dictum Apostolis per Saluatorem nostrum Luc. 21. Item & Apostoli emebant, & vendebant: Vnde habebimus, vt emamus panes?

panes? Item Paulus Apostolus proprijs manibus laborabat, & vendebat, vt haberet victum. ext. de cen. Cum Apostolus, & de consecrat. di. vt c. Nunquam, & 21. q. 1. c. 1. ibi: Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Et infra: Item videtur, quod Apostoli saltem in communi haberent, 12. q. 1. Dilectissimis, & c. Exemptum. Et cap. Expedit. Erant enim eis omnia communia Act. 4. Patet ergo quod Christus habuit aliquando. Nunc arguo. Indefinita cōmunis locutionis æquipollet vniuersali: vnde valet tantum dicere, Christus non habuit aliquid, sicut dicere, Christus nunquam habuit aliquid. Sed illud est falsum: quia aliquando habuit aliquid, vt est probatum, quia plus negat negatiua, quam affirmet affirmatiua. Et ita dicere, quod Christus non habuit aliquid, dicit sacram scripturam dicere falsum. Sed hoc dicere est hæreticum, & mendosum. vt probatur. Ergo talis pertinaciter sic dicens est hæreticus.)

32. Secundam partem autem probauit ibi. ¶ Patet ergo ex prædictis, Christum habuisse, & eius Apostolos, & sic habuisse, quod in rebus, quas habuerunt, ius habebant: nam dicere, quod Christus habuerit, & eius Apostoli vsum facti simplicem, communis modus loquendi sic dicere reprehendit; nam cum volumus dicere, quod quis faciat iniuriam, dicimus hoc fit de facto: ita quod intelligimus, quod iure non fiat. Sed dicere quod Christus iniuriosè aliquid habuerit, dicit hæreticum; cum ipse sit verum ius, & vera iustitia. Ergo concluditur, quod omninò ius habuerint in rebus, quas habuerunt at. inst. de re di. in prin. de oblig. q. ex. di. nal. §. Placuit. Præterea aut dicemus, quod Christus non habuit ius, aut dicemus, quod habuit ius in rebus, quas habuit: si dicamus, quod ius habuit, habebimus intentum: si dicamus, quod non habuit ius, expressè dicimus contra textum euangelij, & biblia, quia iam probatum est Christum habuisse, & potuisse vendere, & donare. Sed donare non potest, nisi habeat ius dominij, quia dare est accipientis facere; quia si non esset dominus, non transferret ius in alium. Ergo &c. nemo enim plus iuris transfert in alium, quam ipse habeat ff. de acquir. rer. domin l. Traditio. Ergo habet ius, quia aliter esset dicere Christum fuisse furem, & baratorem, & iniuriosum, vt colligitur ex prædictis. Et ideò dico proue mihi videtur, Christum, & eius Apostolos habuisse ius in hoc, quod habuerunt, & contrarium esse hæreticum, & insanum; semper supponendo omnia correctioni vestræ Sanctitatis, & Sanctæ Sedis Ecclesiæ Romanæ.

Eodem verò argumentandi genere multa ad idem probandum attulit Petrus Cardinalis S. Stephani in Cælio monte apud eundem Odericum ib. num. 39. quæ possunt apud ipsum videri, quia nunc sufficit mihi nonnulla alia ex consultatione Vniuersitatis Parisien. seu Cardinal. Vienen. hic afferre, ex quibus Pontificis definitio multam lucem habere potest, & apparet, quod cum maximo fundamento ad sic diffiniendum motus fuit Io: 22.

33. Supponitur igitur, quod Christus in quātum Deus est omnium Dominus, *Domini enim est terra, & plenitudo eius*. Psal. & quòd Christus in quantum homo ex vnione ad diuinitatem, & quia est caput super omnem Ecclesiam habuit ab initio suæ conceptionis plenissimum dominium sibi innatum in omnibus rebus creatis, & quantum ad proprietatem, & quantum ad vsum, vt patet ex illo ad Hebr. 2. *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Et *Matt. vlt.* Christus dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*. Et *Apocal. 19. Habet in vestimento, & fæmore suo scriptum. Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Et pariter supposito quod Christi pauperias non excluserit hoc dominium, quod non repugnat perfectioni vitæ, imò conuenit Christo etiam ratione suæ perfectissimæ virtutis iuxta illud ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*. Tota difficultas erat de Dominio acquisito, & ciuili, quod iure gentium conuenit hominibus aliquid iure proprio possidentibus.

34. De quo dominio acquisito loquitur decretum Io: 22. Nam quòd Christus inquantum homo præter dominium illud excellens, quod sibi cōuenit ratione vnionis hypostaticæ habuerit dominium proprium, ciuile, & acquisitum eorum, quæ sibi collata fuerunt, & quæ sua acceptatione acquisiuit probatum fuit per dictam Vniuersitatē Parisien. seu Cardio. Vienen.

¶ Primò quia non plus repugnat dominium acquisitum aliquarum rerum dominio infuso omnium creaturarum ab instanti cōceptionis Christi, quàm scientia experimentalis acquisita rerum temporalium repugnat scientiæ omnium naturalium, & gratuitorum, vel supernaturalium infusæ animæ Christi à principio suæ creationis. Sed animæ Christi fuit à Deo infusa scientia omnium naturalium, & supernaturalium à principio suæ creationis, & conceptionis; & hoc non obstante Christus præterea acquisiuit lumine intellectus agentis scientiam experimentalem rerum naturalium, sicut dicit Thomas par. vlt. q. 12. at. 11. iuxta illud Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ergo simili causa cū dominio sibi infuso ab instāti suæ conceptionis respectu omnium creaturarum, potuit, & debuit stare dominium de nouo sibi acquisitum per modum naturalem, & communem processu temporis in rebus à deuotis, & fidelibus collatis. Secundò quicunque acquiritur aliquod nouum ius in vsu rei, quæ totaliter consumitur ipso vsu, eidem competit ius, & dominium in proprietate. Sed Christus in quantum homo in rebus sibi à fidelibus collatis, puta in cibo, & potu, collatis sibi à Martha, & Zachæo, & cæteris acquisiuit verum ius, & nouum modum dominij vtendi illo cibo sibi dato; aliàs non plus, nec magis licuisset comedere cibum datum, quam non datum. Ergo tunc acquisiuit nouum ius, & nouum modum dominij in tali proprietate. Tertio quia si Christus non acquisiuisset aliquod nouum ius, vel nouum dominium in rebus sibi de nouo collatis, hoc fuisset, aut quia donantes non potuissent ius suum

dare, aut quia Christus non potuisset recipere: primum non potest fingi ex quo illi erant veri domini rerum collatarum: secundum etiam non potest dari, quia si Christus in quantum homo non potuisset recipere nouum ius rerum donatarum, hoc fuisset, aut ratione diuinæ naturæ, cui vniebatur: aut ratione pleni dominij omnium iam infusi à conceptione, cum quo forsan non posset stare nouum dominium particulare: aut ratione alicuius paupertatis, & abdicationis dominij. Non propter primum, quia humana natura vnita Deitati retinuit omnes proprietates, & conditiones humanas, præter defectus innaturales, & defectibiles passiones secundum Damascenum. Nec etiam obsistit, quòd licet vnus, & idem non possit habere in eadem re plura dominia eiusdem rationis tamen plura dominia diuersarum rationum, & distincta talia iura potest acquirere, & simul habere: sicut dominium altum, & dominium bassum, directum, & vtile; dominium autem humanitati Christi infusum in conceptione, & dominium postea acquisitum ex tempore in rebus collatis non est eiusdem rationis, nec modi: sicut nec scientia Christo infusa cum scientia acquisita experimentali. *Et infra*. Quarto, quia datio, & receptio dicuntur relatiuè, & mutuò se respiciunt; quia non potest esse datio, nisi vbi est receptio, & quantum donans dat, tantum recipiens recipit. Sed dantes Christo bona sua dando priuabant se, & spoliabant iure, & dominio, quod habebant in rebus datis; aliter non fuisset verum donum, sed fictum. Ergo Christus recipiendo eorum dona, illud ius, & dominium sibi acquirebat.

35. Et infra ex sac. scripturis idē probauit dicēs ¶ Et confirmatur auctoritatibus scripturæ, quod Christus fuit verus dominus rerum sibi collatarum. Primo per illud, quòd scribitur Io. 12. Maria vnxit pedes Iesu; sequitur. Dixit ergo vnus ex discipulis suis Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denarijs, & datum est egenis. Dixit autem hoc, nōn quia de egenis pertineret ad eum; sed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat. Glossa interlinearis super illud: Et loculos habens: Domini loculorum custos. Ergo dominus habebat loculos illos, & contenta, quæ in loculos mittebantur, quorum Iudas solus erat custos. Item alia glossa marginalis: Non pertinebat ad eum de egenis, quantum ad intentionem suam, quia non curabat de eis, non quin commissum esset ei dispensare pauperibus. Ergo Christus commiserat dispensationem illarū pecuniarum Iudæ. Sed dispensationem pecuniæ nullus potest alteri committere, nisi ille, qui habet ius in pecunia. Secundò: Est dominus pecuniæ. Ergo Christus habuit ius, & fuit verus dominus pecuniæ. Secundò probatur idem per illud, quod scribitur Ioannis 12. quando post bucellam introiuit in eum sathanas, dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentiū ad quid dixerit ei: quidam autem putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret. Augustinus, vt habetur in glo. Tho. Habebat ergo, & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Ad hoc respondetur, nempe ab aduersarijs, iuxta decretalem, Exijt, quòd Christus loculos habuit non quantum ad statum Apostolicum, quem assumpsit qui fuit status summæ perfectionis, in quo nihil habuit, nec in proprio, nec in communi: sed Christus interdum condescendit infirmis, & tunc loculos habuit. Et hoc videtur expressè dicere quædam glossa marginalis Io. 12. super illud: Et loculos habens. Cui Angeli ministrabant loculos habebat in sumptus pauperum condescendens infirmis. Ad illud dicendum, quod ista responsio non interimit quæstionem nostram, sed magis confirmat; quia dat rationem, & causam, quare Christus habere voluit loculos: certum est enim, quod ille, qui habet loculos, & pecuniam propter infirmos, & pauperes, verè habet loculos, & verè habet pecuniam, & potest habere verum ius habendi, & dominium, sicut patet de hospitalibus, & de domo Dei: constat enim quòd domus non habet pecunias, nec aliqua bona temporalia, nisi propter infirmos, & pauperes; & cum hoc stat, quod domus Dei habet verum ius, & dominium in his, quæ possidet propter subleuationem pauperum. Solum ergo causa redditur in ista glossa, & per similes auctoritates, quare Christus habuit loculos, & pecuniam. Hæc Card. Vien.

Et diligenter aduertenda est hæc doctrina, ex qua habetur, quod dominium loculorum esset apud Christum, qui eius custodiam, & administrationem tradidit Iudæ. Vnde dominium hoc non apud Collegium Apostolorum, sed apud Christum solùm erat, vt ex professo probatur infra.

36. Verum tamen est, quod benè distinguit vniuersitas illa inter bona immobilia, & mobilia. Nam immobilia Christus non habuit, vel certè habuisse non legitur, vt inquit *D. Th. op. 17. c. 15* sed & licet eorum dominium excellens, & innatum haberet, isto dominio Christus non fuit vsus, nec habuit respectu immobilium illius executionem, nisi & quatenus extraneus possit eis vti; vnde non habuit eorum acquisitum dominium.

¶ Quòd (vt subdit idē Card.) patet, quia Matth. 8. dicitur: vulpes foueas habēt, & volucres cæli nidos: filius autē hominis nō habet vbi caput suū reclinet. Sed qui nō habet vbi reclinet caput, nō habet aliquē locū, nec per consequens aliquam rem immobilem. Ergo, &c. Vnde gloss. Hieronymi super prædicta auctoritate: Quid me propter diuitias, & seculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, quod nec hospitiolum quidem habeam, & tecto vtar non meo? Et Chrysostomus super eodem verbo Lucæ 9. in glo. Tho. Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat. Non erat ei mensa, nec candelabrum, nec quidquam talium. Primum autem, quod homines consueuerunt acquirere cōmuniter inter res immobiles, est domus: quare, &c. Est tamen aduertendum, quòd non vti de facto bonis temporalibus maximè immobilibus, nec quantum ad proprietatem, nec quantum ad vsum non minuit verum dominium, nec tollit ius vtendi, quia constat, quod filius paruulus posthumos mortuo patre suo habet verum, & plenum dominium, & verum ius in omnibus patria defuncti, quia si filius, & hæres, & hoc tam in proprietate,

quam in vsufructu, & vsu; & tamen paruulus hæres non potest habere executionem sui dominij, nec vti suo iure. Illo modo loquitur Apostolus Gal. 4. Quantò tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium. Christus igitur noluit vti dominio rerum immobilium propter nostrum exemplum, vt retraheret homines ab affectione, & amore inordinato mundi: rebus enim temporalibus vti pareè est ædificatio viuentium; ideò pauper vsus decuit Christi perfectionem: sed dominium, & eius priuatio, seu carentia est res inuisibilis, & per consequens non est materia ædificationis; ideò non oportuit Christum habere paupertatem dominij, sed pauperem vsum, & vsus paupertatem.

Sed quantum ad mobilia Christus quidem superflua non habuit, sed necessaria habuit, & eorum quæ habuit sibi donata, habuit triplex dominium, scilicet, diuinum, & humanum innatum, & humanum acquisitum.

37. Sic ergo patet, quòd Christus habuit rerum dominium etiam in particulari, licet in Euangelio non habeamus, quod possederit immobilia. Et quidem loquendo de Christo ante Baptismum *Suarez 3. p. tom. 2. disp. 28. sect. 2. §. In modo.* ait quod Christus vixit de bonis parētum, & fortasse aliquid cū suo labore, & fabrili arte peperisse. Nec affirmare satis potest, an aliquid eo tempore, vt proprium possederit, quamquam de bonis immobilibus satis certum videatur, eorum non habuisse dominium, quia neque parentum fuit hæres, neque illis emendis, aut acquirendis nauauit operam. Quod si Beatus Ioseph bona aliqua immobilia reliquit, verisimilius est dono illa dedisse Virgini, si ijs ad vitam transigendam indigebat. Cæterarum autē rerum mobilium potuit fortasse Christus habere dominium aliquod, aut proprietatem, licet etiam fieri potuerit, vt solo vsu contentus sibi a parentibus dato, dominium illis proprietatemq; permiserit. Vel credi etiam potest in illa sanctissima familia Iesu, Mariæ, Ioseph omnia fuisse communia, seruato tamen ordine. Nam Iosepho commissum erat, vt esset dispensator illius domus, & verisimile est Christum semper se se, vt subditum, inferioremq; gessisse, atque adeò nihil, vt proprium toto illo tempore possedisse, sed iuxta parentum arbitrium. Hæc *Suarez*. Ego non dubito Christum dum cum parentibus vixit se habuisse vt subditum, & reliquisse parentibus administrationem temporalium etiam eorum, quæ ipse forsan acquirebat proprio aliquo labore. Sed sicut in pupillo stat dominium rerum suarum, quarum administratio spectat ad tutorem, sic in Christo potuisset esse dominium eorum, cuius administrationem parentibus relinquebat; sicut de facto erat in Christo dominium illud altissimum omnium sibi ex vi vnionis hipostaticæ conueniens, licet bona sibi administrarentur à parentibus. Quamobrem in hoc puncto, de quo non habemus aliquid ex Euangelio non possumus aliquid certū definire. Sicut tamen Christus in victu, & vestitu vitam pauperum communem sequutus est, & hoc præcipuè verificatum fuit de eo ante baptismum. Non sine ratione dici potest, quod iuxta communem gentis Iudeæ legem, & praxim Christus acquireret etiam sibi, quæ acquirebat. Nam & post Baptismum antequam discipulos congregaret, & apud se stabiles haberet, sibi acquirebat, quæ acquirebat. Et quantum ad immobilia, de quibus non legitur, quod Christus ea aliquando habuerit, licet ex scriptura non possit concludenter probari, quòd Christus ea non habuerit, nec possederit. Nihilominus, quia communis sensus Patrum, & DD. est, quod Christus immobilia non possederit, ita credendum est.

38. In contrarium verò principalis assertionis duo præcipua adducuntur ad probandum, quòd Christus nihil proprij habuerit. Primo quod dixerit *Matth.* 8. se non habere tectum, &c. & *Matth.* 17. quod non habebat vnde solueret tributum, & similia. Duplex verò datur responsio. Prima est Vniuers. Paris. vbi supra num. 54., quæ aduertit, quod huiusmodi argumentum peccat, quia arguit à particulari ad vniuersale negatiuè, Non est fortes; ergo non est homo; consequentia inutilis est. Sic falsa est hæc consequentia, Christus non habuit tectum, ergo nihil habuit. Imò & in rigore logico, non valeret consequentia Christus tunc non habuit domum; ergo nunquam alias illam habuit. Quamuis quia nunquam legitur Christum immobilia habuisse, creditur meritò, quod illorum nunquam dominium habuerit. Secunda responsio & melior est, quod omnia illa adducta, & centum millia similia extra rem adducuntur. Paupertas enim accipi potest vel vt dicit abdicationem tam proprietatis, quàm vsus, vt dicit abdicationem non habendi. Et huiusmodi paupertatē velle ponere in Christo respectu omniū est fatuitas; licet enim Christus nō habuerit hoc, vel illud, aliquid tamē habuerit, & nullus est, qui dicat oppositum. Alia est paupertas, quæ non dicit abdicationem habendi, sed dicit abdicationem dominij, & proprietatis eius, quod habetur, & quod de facto ad vsum possidetur, seu etiam consumitur. Et hæc est paupertas de qua est controuersia, & quam fuisse in Christo, nec est probatum, nec ad probandum aliquid valent scripturæ allatæ, vel similes: Nam hæc consequentia luce meridiana est falsa; Christus non habuit tectum, ergo vestimentorum, quæ habuit non habuit dominium. Pontifex Io: 22. definiuit non quod Christus hoc, vel illud habuerit, sed quod habuit ius disponendi pro sua voluntate eorum, quæ habuit, quod est habere dominium.

39. At secundo viget ratio. Nā Christus fuit nobis exēplar perfectionis, quæ in obedientia, castitate, & paupertate consistit, ergo in quolibet istorum Christus debuit supremum gradum obseruare, sicut de facto in obedientia, & castitate seruauit, ergo & debuit obseruare in se ipso summum gradum paupertatis, qui consistit in hoc, quod homo nullum dominium habeat, nec in communi, nec in particulari. Optimè contra hanc consequentiam instat Vniuersitas Paris. vbi supra num. 56. quia si tenet, sequitur, quod Christus non debuerit comedere nisi panem, & aquam, vel imò nisi herbas, & radices, vel aliquid simile, quia hic est summus gradus paupertatis in vtendo rebus. Item sequitur, quod perfectior fuerit Io: Baptista, cuius cibus erant locustæ, & mel syluestre. Christus verò comedit panem, & vinum, pisces, & carnes.

40. Respondetur igitur ad argumentum primo, quod perfectio non consistit in paupertate, nisi instrumentaliter, & quod perfectio non mensuratur secundum magnitudinem instrumenti, sed secundum proportionem ad ea, quæ sunt perfectionis. Christus verò fuit nobis exemplar perfectionis, ideò non fuit necesse quod assumeret summam paupertatem in se ipso, sed tantam, quanta erat conueniens, vt esset nobis exemplum perfectionis. At verò imò conueniens fuit, quòd Christus haberet proprium, & quod ex proprio aluerit Apostolos, discipulos, & pauperes, quia ipse summus Pontifex debebat maximè esse exemplar Pontificum, & Prælatorum Ecclesiæ, quibus competit habere diuitias, vt cum D. T. supra q. 185. a. 6. probatum est, vnde ab initio nascentis Ecclesiæ Episcopi proprium habere cœperunt, vt ostensum est ibidem & artic. 7. Et est discrimen inter statum perfectionis communicandæ, & acquirendæ, quod ad statū perfectionis communicandæ qualis est status Prælatorum spectat habere diuitias, licet paupertas sit instrumentū perfectionis acquirēdæ. Christus verò, qui erat Princeps Ecclesiæ in se ipso debuit dare exemplum Prælatis, quorum est habere diuitias, & quorum est alios sanctificare, ideò non fuit necesse, vt daret exemplum paupertatis abdicantis dominium eorum, quæ habentur. Et si dicatur, cur ergo Christus grandem paupertatem elegit, si voluit exemplo suo confirmare, quod Prælatis liceat habere? Respondetur quod habere contingit, vel ad commodum proprium, vel ad vtilitatem communitatis, & pauperum, & miserabilium personarum. Christus ad commodum proprium nihil habere voluit, nisi purum necessarium victum, & vestitum & in hoc omnibus exemplum summæ paupertatis dedit, sed voluit habere ad cōmoditatem aliorum pro qualitate temporis, & pro præsenti statu, & voluit suo exemplo confirmare, licere, & valdè conuenire, quod Prælati habeant ad suarum Ecclesiarum, & miserabilium personarum sustentationem. Item Christus debuit dare exemplum paupertatis salua sui dignitate, & præeminentia; dominium ergo eorum, quæ sibi dabantur, vel per ipsum, & Apostolos acquirebantur alicuius debebat esse. Vel ergo debebat remanere laicis, qui dabant, vel Collegio Apostolorum, seu Ecclesiæ, vel ipsi Christo. Non debebat remanere laicis, quia, & ex parte eorum cōueniens erat, vt eorum, quæ Deo donabāt, se priuarēt dominio; & quia hoc cessisset in pessimū exēplū, & diceretur ab hæreticis Ecclesiæ non licere aliquid habere, sed dominium decimarum, & bonorum Ecclesiasticorum apud laicos remanere debere, quia sic suo exemplo Christus docuerit; sicut igitur de facto nunc dominiū eorum, quæ dantur Ecclesiæ non remanet apud laicos, sed fit de patrimonio Christi, & hoc Ecclesiæ perfectioni non derogat, sed ad illam conducit: ita Christus noluit, quòd tempore suæ vitæ mortalis eorum, quæ dabantur illi, dominium remaneret apud dantes, sed ea ad patrimonium suum spectabant. At verò vtrē conueniens erat, vt supra probatum est, quod eo viuente, & præsente dominium sui patrimonij spectaret ad Ecclesiam, iustum ergo fuit, vt apud ipsum Christum maneret. Sic ergo Christus quantum ad abdicationem habendi summum omnibus exemplum dedit in propria persona, quia vix necessaria admisit. Sed quantū ad abdicationē dominij eorum, quæ habuit non fuit conueniēs, quod in propria persona eius exemplū daret, id tamen (in sensu, qui infra explicatur) docuit discipulos quatū ad abdicationē proprij in particulari, & quantū ad abdicationem proprij in communi, quamuis huiusmodi paupertas non conueniebat vniuersali Ecclesiæ, quam decet esse dominam bonorum Ecclesiasticorum.

41. Apostoli verò cōsiderari possunt ante Christi mortē, & postea. Quantū autē ad tempus, in quo fuerūt cū Christo ante eius passionē, dicta vniuersitas posuit hāc cōclusionē, scilicet, quòd Apostoli āte Christi passionē habuerunt cū Christo aliqua bona mobilia in communi quantum ad proprietatem, quā probat quatuor rationibus sequentibus. Primò sic: Decimæ accipiendo eas non pro decima parte determinatè secundum quandam determinata, sed accipiendo decimam pro necessaria, & decenti sustentatione ministrorum Ecclesiæ; talis, inquam, decima secundum omnes Theologos, & iuristas, debetur solis Ministris de iure diuino, & naturali, vt patet extra de decimis in multis capitulis, in quibus dicitur, quod de iure diuino debetur. Sed veri Ministri Ecclesiæ primitiuæ fundatæ per Christum fuerunt Christus, & Apostoli, & etiam Discipuli, Christus sicut Summus Pontifex, Apostoli verò vt Episcopi, Discipuli autem tanquam veri Curati, & nullus alius fuit verus minister Ecclesiæ, maximè ex quo legalia cessauerunt, & fuerunt mortifera. Ergo ipsis tanquam veris, & solis ministris Ecclesiæ debebantur iure diuino, & naturali decimæ fidelium, & necessaria vitæ suæ. Sed ille, cui aliquid debetur iure naturali, & diuino, habet verum ius. & verum Dominium in illo; quare, &c. Et confirmatur ista prima ratio per Augustinum lib. de opere Monachorum, & habetur in glos. 1. Corinth. 9. super illo verbo: Nunquid non habemus potestatem manducandi, &c. Euangelistis, & Ministris Dei à plebibus necessaria debentur: Et si quis eo, quod sibi debetur, vti non vult, amplius Ecclesiæ non impendit; sicut Paulus, qui exigendo stipendium debitum, quotidianum victum suis laboribus continuè transigebat. Sequitur. Hoc apparet non esse iussa illa, sed permissa, vt quisquis vti vellet, eo vteretur, quod sibi liceret, & ex Domini constitutione. Si quis autem vti nollet, non contra iussum faceret: sed de iure cederet misericors conuersatus in euangelio, in quo & debitam mercedem nollet accipere. Sed de suo iure cedere non potest, qui non habet verum ius. Ergo Apostoli verum ius habuerunt. Item debita merces, & debita stipendia sonant ius, & dominium illius, cui debentur. Ergo, &c. Secundo Matth. 4. dicitur, quòd Christus, qui non habuit vnde solueret tributum in Capharnaum, dixit Petro: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da eis, scilicet, tributarijs, pro me, & pro te: Tum arguo sic: Illud quod competit homini iure politico, & iure naturali, competit viris Apostolicis absque præiudicio sui status: hoc patet, quia ext. Exijt, dicitur quod in articulo extremæ necessitatis vitæ politica omnia

omnia sunt illis viris apostolicis communia: Sed res vagæ, quæ sub nullius dominio sunt, iure naturali, & diuino competunt occupantibus, & capientibus; vnde & Philosophus etiam 1. polytic. c. 6. dicit, quod prædatiua ferarum, auium cæli, piscium maris est naturalis: Talis, inquit, acquisitio ab ipsa videtur natura data hominibus, sicut secundum primam generationem mox fit, & secundum perfectam. In iure etiam dicitur, quod illud, quod sub nullius dominio continetur, occupanti conceditur, vnde pisces piscati in mari, & gemmæ, & thesaurum inuenta in profundo maris iure naturali competunt inuenientibus. Sed Christus cepit piscem, & staterem in mari. Ergo ille piscis, & stater fuerunt Christi, & Petri iure naturali. Ergo ipsi habuerunt in eis verum ius, & verum dominium in proprietate, & vsu. Tertio Io. 10. cap. dicitur, quod quando Iesus cum Samaritana iuxta fontem loquebatur, quod discipuli eius abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent. Quæro, quis portabat pecuniam illam, & cuius erat, & cuius erant illi cibi empti? Aut Christi, aut Collegij Discipulorum, aut aliena? Si sua, habeo propositum. Si aliena non licebat eis comedere, nec emere de alieno. Apostoli autem quandoque emebant, sicut huiusmodi, aliquando vendebant. Act. 4. Ioseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, cum haberet agrum, vendidit eum. Et de Paulo Act. 20. & ad Thessalon. dicitur, quod ipse operabatur manibus suis, & de pretio viuebat. emere autem, & vendere sunt actus veri dominij, & nulli alteri competunt iure proprio, & auctoritate. Et si dicatur: Apostoli emebant, & vendebant iure alieno, vt procuratores, vel dispensatores tantum, & non vt domini; cum non legatur procuratio ista, nec quis constituerit eos procuratores aut quorum, eadem facilitate contemnitur: quod probatur, quia certum est, quod illos cibos emptos in suam vtilitatem, & commodum comedendo regulariter conuertebant, & non in vtilitatem domini cuiuscumque, cuius possent dici Procuratores. Quarto quæ dicitur super illo verbo Ioannis 13. quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, &c. dicit glossa Augustini: Christus loculos habebat, in quibus oblata conseruabantur suorum necessitatibus, & alijs indigentibus: in quo datur forma Ecclesiæ, seruari necessaria, qua iubetur, non cogitare de crastino, ne pro terrenis seruiant, aut timore inopiæ iustitiam deserant. Et alibi dicit Augustinus, & habetur 12. q. 1. quod in istis loculis primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est. Auctoritates planæ sunt cap. 12. q. 1.

42. Sed circa conclusionem hanc, & rationes pro illa plura sunt consideranda. Et quidem primo circa conclusionem, in qua asseritur, quod Apostoli habuerunt cum Christo aliqua mobilia, in communi considerandum est, quod habet difficultatem non paruam, si intelligatur in sensu, quem prima apparentia facit. Nam tempore antecedente passionem Christi, quod bona, quæ conferebantur Apostolis, & Christo essent Christi, & Apostolorum in communi potest intelligi multipliciter. Et in sensu, quem facit primo aspectu illa conclusio, videtur, quod sensus sit. quod illa bona quantum ad proprietatem essent alicuius collegij, nimirum collegij Apostolorum, & sic quod licet non essent propria aliquorum, erant tamen totius communitatis integratæ ex Christo, et Apostolis. Et sic quod nec Christus, nec Apostoli haberent illorum dominium in particulari, sed dominium esset apud communitatem ex Christo, & Apostolis integratam. Sed & S. Thomas videtur asserere, quod Christus suo exemplo nobis comprobauerit statum habentium dominium in communi, & ad hoc probandum adducit, quod Christus vsum loculorum admisit.

43. Verū difficultas est circa hoc nō spernenda. Nā nō conueniebat dignitati Christi possidere aliquid in communi cū Discipulis. Ratio est, quia nō competit Christo esse priuatū mēbrum Ecclesiæ, vel partem eius, vt docet *D. Tho. 3. d. 13. q. 2. ar. 2. ad 5.* quod probat ex eo, *quod in nomine capitis, importatur principium, & origo alicuius rei. In nomine autem membri importatur particulas, quæ repugnat rationi primæ originis, quia in prima origine sunt omnes virtutes, quæ continentur in originatis, & ideò non potest dici membrum, quia non recipit ab alijs influentiam, &c.* In nobis enim, caput est membrum, quia recipit ab alijs partibus nutrimentum, sed Christus secundum quod homo nihil recipit ab alijs Ecclesiæ membris. Et licet si consideratur Christus secundum diuinitatem, & vt ratione illius est caput Ecclesiæ Christus secundum humanitatem possit dici membrum in quo sensu *D. T.* loco citato, & in 1. *ad Cor.* 12. intelligit verba Apostoli ibidem *Vos estis corpus eius, & membra de membro*; tamen Christus vt est caput secundum humanitatem, sic est caput Ecclesiæ, quod non est eius pars, neque membrum, sed principium, origo, & fundator, vt docet etiam *Suarez. 3. par. quæst. 8. disput. 23. sec. 1.* Cum verò aliquis dicatur possidere aliquod in communi, qui est pars communitatis, quæ sit Domina rei possessæ; hoc nullo modo poterat conuenire Christo: vnde nec dicendum est, quod bona, quæ Christus, & Apostoli habebant, essent, vel Ecclesiæ, vel Collegij Apostolici, in quantum esset multitudo integrata ex Christo, & Apostolis, seu alijs fidelibus, neque quod Christus haberet ista, vt pars, & membrum illius multitudinis, seu ratione illius, aut sibi communicata ab illa, aut cum dependentia ab eadem, sed vnum de duobus dicendum est, vel scilicet quod illa erant solius Christi, etiam quantum ad dominium ciuile, Christus verò per illa Collegium Apostolicum sustentabat; vel quod retento sibi dominio illo altissimo, quod sibi competebat, vt capiti Ecclesiæ, dominium priuatum relinquebat Collegio illo Apostolico, sicut modo de facto Christus sui patrimonij dominium ciuile relinquit Ecclesiæ, sicuti explicatum est supra q. 186. a. 7. n. 37. pag. 280. Nec *Diu. Thom.* contrarium docet, si enim diligenter legatur apparebit, quod *D. Thom.* non assumpsit, quod Dominus habuit loculos ad probandum, quod Christus habuerit in se ipso paupertatem admittentem dominium in communi, sed ad probandum, quod conseruare modica necessaria vitæ tempore congruo procurata sit conforme perfectioni, quā Christus docuit suo exemplo, & ita in quocumque sensu intelligatur quod Christus habuerit loculos, in quibus conseruabat pecuniam, & siue dicatur,

quod

quod pecuniæ collectæ ipse solus fuerit Dominus, siue quod eiusdem dominium fuerit apud Collegium Apostolorum, semper est verum, quod congregata modica procurata ad pauperum Religiosorum, & aliorum sustentamentum est conforme perfectioni, quam Christus docuit suo exemplo, & ex vtroque sensu etiam colligitur, quod Christus approbauit paupertatem admittentem dominium in communi suo exemplo. Non quia ipse hanc paupertatem in propria persona exercuerit, sed quia illam instituit in Apostolis, qui illius capaces erant, vel quia vt communis pastor eos nutriendo, & illis vsum rerum non dominium in particulari concedendo, vel Collegio ipso Apostolorum concedendo dominium eorum, quæ procurabat, & collegium illud sic sustentando. Christus igitur approbator fuit paupertatis admittentis dominium in communi, sed illam in propria persona, non assumpsit, sed vel non fuit Dominus, quia dominium ciuile acceptare noluerit, vel fuit Dominus dominio in particulari, quàm vis etiam dici debeat, quod causaliter, & eminenter hoc fuerit dominium in communi, quia ad bonũ commune ordinatum, & assumptum a Christo, vt à Prælato, vt ex eo Collegium Apostolicum sustentaretur.

44. Ex his autem duobus modis explicandi hanc paupertatem ille verus est, & amplectendus in quo asseritur, quod ante Christi passionem omnium illorum, quæ dabantur Christo, vel Apostolis Christi intuitu, seu ad vtilitatem communem Christi, & Apostolorum dominium ciuile, & acquisitum fuerit, apud solum Christum. Hoc sine difficultate admittent, qui etiam modo asserunt, quod Christus est dominus bonorum Ecclesiasticorum, quos supra retuli q. 185. a. 7. num. 34. sed & absolutè quod sit ita dicendum ex eo colligitur, quod quæ dabantur Christo, & Apostolis, vt supra dabantur Deo principaliter, & sine dubio ad patrimonium Christi Ecclesiæ Capitis, & principis, ac Regis spectabant; Cum ergo Christus esset præsens in terris, & posset immediatè per se ipsum hoc patrimonium gubernare, non apparet ratio, vnde dicamus, quod ipse noluerit accipere dominium acquisitum sui patrimonij. Et eo magis, quod vt optimè animaduertit Vniuersitas Parisien. in consultatione citata apud Odericum ad annum 1323. n. 43. abdicatio dominij in particulari pertinet ad perfectionem, vt instrumentum in quibus possessio diuitiarum potest esse occasio superbiendi, & peccandi. At verò e contrario vtendi ad libitum rebus temporalibus importat perfectionem in eo, qui in vsu diuitiarum excitare non potest, sicuti erat Christus. Melius igitur fuit, quòd ipse sibi dominium rerum necessariarum reseruaret, quam quod illud committeret Collegio Apostolorum, qui aliqualiter in vsu rerum poterat errare. Nam & Iudas fur erat, & commissa sibi iniustè vsurpabat. Item tertio. Non est dubium, quod omnium istorum bonorum administratio viuente Christo ad Christum pertinebat. Et sic de facto Christus iussit Petro, vt ex statere inuento in pisce solueret tributum. *Matth.* 10. & *Io.* 13. cum Christus dixisset Iudæ quod facis, fac citius, Discipuli crediderunt, quod mandasset illi, vt emeret, quæ erant, necessaria ad Paschã, vel vt egenis aliquid daret. Ipse igitur Christus ille erat, qui loculos administrabat, & non certè vt minister, nec ex officio sibi delegato; administrabat igitur illa vt dominus. Item non erat necesse, quod Christus, qui alias erat Dominus omnium, & hoc dominium non poterat abdicare, daret nobis exemplum in propria persona abdicationis dominij etiã in indiuiduo, & in particulari; in hoc enim satis, superq; instruxit Ecclesiã altissimam paupertatẽ ãplecti nolendo habere nisi necessaria ad victum sui, & suorum. igitur ex hoc, quod Christus voluit nobis esse exemplar perfectionis non fuit necesse, quod abdicaret à se dominium eorum, quæ habebat. Ideò quod Christus ipse haberet hoc dominiũ satis indicat *D. T. opusc. 17. c. 15.* dicens *Sic Dominus præcipuè suos discipulos propter ipsum pauperes effectos, & de his, quæ sibi dabantur reseruans sustentabat.* Christus igitur erat Dominus eorum, quæ sibi dabantur, & de quibus ipse erat, qui Apostolos sustentabat.

45. Et si dicatur, ex hoc sequi, quòd Apostoli non habuerint dominium aliquod in communi eorum, quæ habebant, vnde cum illorum neque haberent dominium in particulari sequitur, quod eorum, quæ habebant, nullum habebant dominium, quod est contra decretum *Io.* 22. Obiectio multipliciter dilui potest etiam supponendo quod Apostoli vouerint paupertatẽ Religiosam, & quidem dici potest primò quod hic nõ loquimur de Apostolis absolutè, sed solum pro tempore vitæ Christi. Nam post Christi mortem habuerunt dominium saltem in communi. Secundo Decretum *Io.* 22. non decernit, nisi quod Christus, & Apostoli habuerunt dominium eorum, quæ scriptura narrat illos habuisse; At verò, viuente Christo, scriptura non narrat, quod illi loculos habuerint. Et ita non dicitur, quod Apostoli, sed quod Christus habuerit loculos. *cap. Exijt de verb. signif. in 6 & extrauag. quia quorumdam Io.* 22. *eod. tit. Aug. l. de mendacio cap.* 5. *& D. Th. in hoc art.* & reliqui DD. communiter, igitur stando in vi decreti *Extrauag. Io.* 22. *Cum inter nonnullos*, Christus, qui habebat loculos, erat loculorum dominus. Tertio quia mens *Io.* 22. aperta, & expressa fuit quod in consumptibilibus vsum vitæ non sit sine dominio, & proprietate, & hoc idem tenuerunt Cardinales ab eo consulti, & Vniuersitas Parisien. vt patet ex eorum votis apud Odericum ad annum 1322. nu. 56. & sequent. & 1323. num. 38. & sequent. Et ideò dum definiuit, quòd Christus, & Apostoli eorum, quæ dicuntur habuisse etiam habuerunt ius, debet intelligi cum distributione proportionata, & accõmodata, vt iuxta modum habẽdi esset ius, & dominium. Atque propterea etiam dato, quod ex voto paupertatis Apostoli essent incapaces dominij in particulari; Nihilominus eorum, quæ illis concedebantur ad vsum, aliquod verum ius habebant, quia sine iniustitia poterant eis vti, & vtendo illa consumere, & sic aliquod ius habebant, vt à nullo extraneo impedirentur, ne eis sibi ad vsum concessis vterentur. Et licet multi hoc ius nolint esse dominium propriè, tamen hæc est lis de nomine, & si non placet dicere, quod sit dominiũ, quia erat licentia, & quidem reuocabilis ad Christi placitum, forsan propter hoc, & ad vitandam hanc quæstionem de nomine, *Io.* 22. *in extrauag.*

Cum

Cum inter nonnullos non est vsus nomine dominij, sed est vsus nomine iuris, & sic est verum, quod Apostoli omnium illorum, quæ sibi concessa erãt ad vsum, habuerunt ius, secundum modum concessionis sibi factæ, quod est verissimum.

46. Præterea additur, & respondetur quarto, quod id, quod habebat Christus, vt Prælatus Ecclesiæ, & Pastor Apostolorum, & fidelium censebatur esse communitatis, quia Christus pro communitatis, & pauperum sustentatione illud accipiebat, & conseruabat, & propterea etiam Apostoli censebantur esse eiusdem Domini in communi. Quod eo magis explicatur, quia Apostoli, qui propter Christum relinquerant omnia habebant ius, vt de Christi patrimonio viuerent. Et licet non crediderim, quod hoc ius in Apostolis contra Christum, vel in ordine ad Christum fuerit iustitiæ comutatiuæ, quia inter Apostolos, & Christum non erat æqualitas, & inter Deum, & hominem, Patrem, & Filium non est iustitia commutatiua, & sic nec inter Christum Deum, & hominem summum Patrem, Pastorē, & Caput, & inter Apostolos erat iustitia commutatiua requirens æqualitatem perfectam, sed hoc ius erat veluti filiorum cum Patre, ouium cum Pastore, fidelium cum Summo Sacerdote. Erat tamen tale, ac tantum, vt quodammodo dici posset, quod ipsi pro parte eorum, & in communi essent domini patrimonij Christi ad eorum sustentationem deputati. Sed respondetur quinto, quod, vt probo infra, Apostoli paupertatem Religiosam non vouerunt, & fuerunt domini, nedum in communi, sed in particulari rerum, quas scriptura narrat eos habuisse. Vnde licet non fuerint domini loculorum, qui erant Christi, & quos Christus habebat, fuerunt aliarum rerum domini, quas nomine proprio habuerunt, vt suorum vestimentorū, & in illis, quæ habebant ad vsum habuerunt vsum iuris.

47. Ex his igitur habetur sensus conclusionis, per quam asseritur, quod Apostoli habuerunt cū Christo aliqua mobilia in communi; hoc enim intelligendum est, non quia dominium horum mobilium esset in Collegio Apostolorum, sed quia licet esset apud Christum, ille ea mobilia habebat ad communem vtilitatem, & Apostoli habebant ius, vt nutrirentur, & sustentarentur de altari, cui seruiebant.

48. Ad horum quoq; maiorem euidentiam vlterius est considerandum circa primam rationē allatam ab vniuersitate Parisiens. supra num. 4. recensitam, quod verissimum quidem est, quod de iure diuino Decimæ debentur Ministris Ecclesiæ, & sic verum est, quod Apostolis, & Discipulis Christi debebatur de iure diuino, & naturali sustentatio. Sed dum subdebant, quod ille, cui debetur aliquid de iure naturali, & diuino, habet verum ius, & verum dominium in illo, continet difficultatem. Nam non omne quod, debetur alicui ex iure naturali, & diuino debetur ei ex iustitia commutatiua: Nam & in casu, in quo eleemosyna est in præcepto, vel quomodocunque vrget lex charitatis, aut alterius virtutis, debetur eleemosyna, vel correctio fraterna ex iure naturali, & diuino; & tamen non debetur ex iustitia commutatiua. Sic verò est in præsenti, quod decimæ sunt debitæ ex iustitia commutatiua, sed ex virtute Religionis, ex qua Religiosi ministri sustentari debent. Alias enim sine simonia non potest hic locum habere debitum ex iustitia commutatiua, quia si intraret hæc iustitia, iam daretur temporalis pro spiritualibus ex pacto, & vt æqualia in valore spiritualibus, quia non est iustitia, vbi non est æqualitas. Sic ergo Ecclesiastici, dum decimas sibi debitas recipiunt, fiunt quidem illorum domini. Et sic etiam Beneficiati sunt domini fructuum, præbendarum. Sed ius, quod habent Ecclesiastici, vt recipiant à laicis decimas nō est dominium, neque est ius iustitiæ commutatiuæ, sed est ius Religionum. Sic ergo & Apostoli habebant ius ad suam sustentationem, sed hoc ius non erat iustitiæ commutatiuæ, vt dictum est, & fieret iniuria Christo, si Apostoli iudicandi essent ex æqualitate cum illo; sed in his debet semper considerari, quod iustitia commutatiua est virtus ponens æqualitatem inter data, & accepta, vt habet *D. T.* supra q. 61. a. 2. At verò hic prætendere velle æquare data, & accepta est simonia manifesta. Ecclesiastici enim laicis dant spiritualia, quibus decimæ æqualis valoris non sunt, & dare decimas in æqualem compensationē spiritualium simonia est. Vbi vero non intenditur æqualis recompensatio dati, & accepti, ibi non est iustitia commutatiua. Sic discipuli potius à Christo recipiebant, quam dabant. Et nihilominus quia dabant illi obedientiam; quæ est res spiritualis, si pro illa obedientia exegissent ex iustitia commutatiua victum, & vestitum hoc fuisset exigere victum, & vestitum, vt æqualem compensationem obedientiæ præstitæ, quod fuisset simoniacum, et vlterius fuisset indecens, quod ipsi cum Christo ex æqualitate vellent contractare. Ius ergo quod habebant Apostoli erat iustitiæ altioris nimirum virtutis Religionis. Prima nihilominus ratio illa valet ad probandum intentum, quia quod datur ex iure naturali, et diuino, dum datur transfertur dominium, et acquiritur dominiū ei, cui debetur, et nomine cuius principaliter recipitur. Et sic à soluentibus decimas transfertur dominium in Ecclesiam. Et eorum, quæ dabantur Christo ipsi, vel Apostolis Christi intuitu transferebatur dominium in Christum.

49. At verò loquendo de Apostolis post Christi passionem, Vniuersitas Paris. posuit, et probauit secundam conclusionem sequentem.

Secunda conclusio est, quod post Passionem, et Ascensionem Christi, Apostoli inter se habuerunt aliqua bona immobilia in cōmuni: quod probo multipliciter. Primo quia Actor. 2. dicitur: Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones, et substantias vendebant, et diuidebantur illa omnibus, prout cuique opus erat. Item cap. 4. Nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Sequitur: Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat: vnde glo. Respondetur, quod prædicti textus non loquuntur de Apostolis, sed expresse loquuntur de tota turba fidelium tunc conuersorum

in Iudæa,

in Iudea, quorum erant omnia communia in Ecclesia primitiua. Sed illud non videtur, quia certum est, quod textus expressè loquitur tàm de Apostolis, quàm de quibuscumque alijs, tunc de nouo conuersis in Iudæa; vnde dicit: Omnes, qui credebant, &c. vnde omnes Apostoli, & cæteri fideles conuersi apud Iudæam omnia simul possidebant in communi: quod fortè erat, & propter conuersorum paucitatem, & propter fidei feruoré. Et istam illum seruabant vsq. ad tempus Constantini, sicut videtur dicere decretum 12. q. 1. Et infra Secundo: constat ex diuersis locis scripturæ, quod Beatus Paulus operabatur manibus proprijs, & de hoc viuebat, ne grauaret illos, quibus prædicabat. Sic habetur 1. Thessal. 11. & 11. Thess. 111. Item Act. 20. Ad ea, quæ mihi opus erant. Illa operá, quæ Paulus vendebat, aut sua propria, aut communia Apostolorum, aut alterius. Non propria secundum omnes. Ergo communia Apostolorum, quia non bené potest fingi, cuius alterius essent. Idem posset argui de pretio illorum operum: idem de membranis Pauli. Cuius erant? sicut prius. Tertio: Io: 21. dicitur, quod post Resurrectionem Christi Petrus, & quidam alij discipuli redierunt ad piscationem suam, & solus Petrus traxit rete in terram plenum magnis piscibus; vbi quæro: Cuius erat ius, & dominium illorum piscium, quos ceperunt, & postea comederunt, & fortè partem vendiderunt? Non potest dici, nec fingi, quod alicuius alterius, quàm Apostolorum, qui piscati fuerant; quia pisces existentes in mari, sub nullius dominio continentur; & ideò Philosophus 1. politic. cap. 6. dicit, quod prædatiua piscium maris, & ferarum, & auium cæli competunt homini iure naturali. Ergo isti pisces fuerunt Apostolorũ.

Quartò: Apostoli comederunt, & biberunt post Resurrectionem Domini, & iustè sine iniuria cuiusquam. Ergo habuerunt ius in vsu saltem illius cibi, & potus; quia dicere, quod aliquid sit iustũ, & non sit ibi ius, seu iustitia, est contradictio; sicut dicere, quod aliquid sit album, & non sit ibi albedo: effectus enim formalis ac forma sunt idé, vnde sicut album ad albedinem, ita iustum ad ius vel iustitiam. Ergo si Apostoli iustè comederunt, aliquod ius, & aliquam iustitiam in cibo illo habuerunt, saltē in vsu: & si in vsu, ergo, & in proprietate, quia in talibus non differt vsus a proprietate. Quinto: de Augustino legitur in Ecclesia, quod factus presbyter monasterium clericorum, id est Canonicorum regularium mox instituit, & cœpit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Sed constat, quod Canonici Regulares, secundum regulam Augustini habent in communi multa bona, quorum habent plenum ius, & dominium vendendi, distrahendi, & alienandi. Ergo, & Apostoli habuerunt, secundum quorum regulam fuerunt instituti, vel Beatus Augustinus nesciuit regulam Apostolicam. Sexto: Gregorius, qui fuit Monachus, & cæteri sancti instituerunt Monasteria, & Cœnobia habentium possessiones in communi, vel non seruarunt perfectionem Apostolicam, & vitam Christi, & Apostolorum, vel Apostoli habuerunt aliquid in communi, sicut, & ipsi.

50. Circa verò hanc conclusionem considerandũ est, quod quæ dicta sunt de paupertate Apostolorũ, aliter intelligi debent in suppositione, quod vouerint paupertaté religiosã, & in suppositione, quod illam nõ vouerint. Nã supposito voto paupertatis religiosæ fuerunt illi incapaces dominij in particulari, ideò nihil proprij habuerunt Apostoli post votum. Quia tamen nulla est ratio dicendi, quod dominium eorum, quæ illis dabantur, & maximè quæ dabantur titulo oneroso in pretium rerum venditarum, vel operæ præstitæ remaneret apud dantes, ideò tunc quæ Apostoli acquirebant, Christo acquirebant, seu Ecclesijs particularibus, in quibus reperiebantur, vel Ecclesiæ vniuersali; quamuis eorumdem plena administratio post Christi Passionem, & Ascensioné spectaret ad illos, vt ad Ecclesiæ Prælatos. Sed in suppositione quod Apostoli non vouerint paupertatem religiosam, quamuis pauperrimè viuerent, tamen erant capaces dominij etiam in particulari, vnde est, quod in hoc sensu definitio Io: 22. se extendat etiam ad dominium in particulari, & dici possit eos eorum, quæ dicuntur habuisse, simul habuisse etiam dominium in particulari, si sibi acquisierũt, ita quod si dicuntur habuisse ré, dici possit, quod rei habuerint dominium, vt propriorum vestimétorum, vel si dicuntur habuisse vsum rei, habuerint iuris vsum, seu dominium vtendi. Et ita Apostoli amplexi quidem fuissent vitam pauperem, per abdicationem habendi, quia vale dixerunt diuitijs, & superfluis, non tamen fuissent pauperes per abdicationem dominij etiam in particulari eorum, quæ habebant, & titulo sibi proprio acquirebant.

51. An verò de facto Apostoli vouerint paupertatem res est incerta, & Io: 22. in extr. Quia quorundam de verb. signif. habet Ecclesiasticam, seu Apostolicam historiam non referre, quòd Apostoli expropriationem omnis iuris in cuiuscumq; rei proprietate, & in eius vsu vouerint, sed contrarium euidentius manifestare. Verum hoc non est contrarium asserentibus Apostolos vouisse paupertaté, quia isti nõ asserunt Apostolos vouisse expropriationem omnis iuris, quia imo sentiunt, quod Apostoli fuerint domini rerum in communi. Nihilominus neq; quod paupertatem vouerint apertè, & expressè refertur in scriptura, & oppositum colligitur ex historijs. Quod enim Io: Euangelista ditior alijs Apostolis haberet Hierosol. domum, in quam post mortem Christi Dominam nostram receperit, refert, & tenet *Baron. ad ann. 34. num. 21.* propter ea, quæ de domo Io: Euangelistæ, refert *Niceph. l. 1. cap. 28. & Cedrenus in Annalibus*: Sed & circa mobilia, quod multi verisimiliter credant Apostolos aliquando eorum habuisse priuatum dominium, vt vestimentorum, aut gladij, quod Petrus habebat, iuxta illud Christi, *Mitte gladium tuum in vaginam* refert *Suar. de Relig. t. 3. l. 8. c. 7. num. 26.* Sed supposito etiam voto paupertatis, quod Apostoli fuerint capaces dominij vult idem *Suarez ibid. num. 24.* Sed quod votum paupertatis ferat secum incapacitatem dominij probatum est supra q. 186. a. 7. inspect. 3. pag. 507. Quod igitur Apostoli fuerint verè, & propriè Religiosi emiserint tria vota substantialia probari videtur ex *D. Th.* supra q. 88. ar. 4. ad 3. & q. 186. a. 6. ad 1. vbi quod Apostoli sequuti sunt Christum immobiliter nunquam recessuri, vt *Aug.* habet *l. 2.*

de cons.

de conf. Euang. cap. 17. & subdit immobilitatem hanc haberi per votum. Et *Aug. l.* 17. *de Ciu. cap.* 4. dixit Apostolos hoc magnum votum emisisse. Et *Epist.* 89. *qu.* 4. dixit se Apostolorum exemplo hanc perfectionis viam sequutum fuisse. Et ita quod Apostoli fuerint Religiosi, & paupertatem vouerint dixerunt *Suarez. tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. *Anton. à Spir. San. tract.* 3. *disp.* 1. *num.* 105. *&* 106. *Nicolaus à Iesu Maria in Apolog. perfectionis prop. Donatus p.* 2. *tr.* 5. *q.* 9. *& tom.* 3. *tr.* 1. *q.* 7. *num.* 4. *&* 5. *& tr.* 15. *q.* 3. *num.* 2. Quæ verò ex humanis adducuntur historijs nō tāti fieri debere asserunt vt rationi præualeant: & PP. auctoritati, perfectionem Religiosi status Apostolis tribuenti. Ex hoc verò *Suarez. tom.* 3. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. arbitratur, quod status Apostolorum Religiosus status fuerit, & Collegium fuerit particularis Religio à Christo instituta, cui Christus particularem, & proprium modum vitæ Religiosæ tribuit. Aitq; hanc Religionem fuisse ordinatam ad vitam mixtam, & sic esse vnam, tum ex fine, tum ex modo obligationis sub vno Prelato Christo: non fuisse verò necessarium, quòd quantum ad secundarias obseruantias religiosas præscriberetur ei Regula: tum quia secum habebant viuam Regulam Christum, tum quia ipsi erant perfectissimi.

52. Fatendum est, quod dies diei eructat verbum, & quod nos ipsi in dies proficimus, & ad veritatis perfectionem solum cū magna, & diuturna meditatione, & omnium consideratione peruenimus. Vsque modo in ea sententia fui, quod Apostoli vouerint paupertatem. De hoc tamen incœpi dubitare, quod Io. 22. absolutè tanquam fidei dogma determinauit Christum, & Apostolos habuisse dominium in ijs, quæ scriptura narrat eos habuisse. Considerabam enim quòd satis dura interpretatio illius decreti erat illud exponendo de dominio in communi, quia qui sunt de communitate, eis, quæ habent à communitate non habent ius vtendi, & ea vendendi, & emendi, & ex eis acquirendi; At vero Io. 22. decernit Apostolos eorum, quæ dicuntur habuisse, simul habuisse ius vtendi, & vendendi, & donandi, & ex eis acquirendi, quod est habere dominium proprium, etiam in particulari, & nedum in communi. Nunc verò ex adductis à *Suarez* de statu Religioso Apostolorum, & de eorum instituta Religione, quia video ea nō conuenire principijs communibus, & certis, & traditis ab ipso *Suarez*, mihi videtur ad veritatem paupertatis Christi, & Apostolorum assequendam, & ad videndum qualiter ipsi Apostoli paupertatem vouerint, inspectione diligentiori opus esse.

53. Dicendum igitur est, statum Apostolorum fuisse perfectissimum, sed non ideò cōstare eorum statū fuisse Religionem, & Apostolos Religiosos in proprietate sermonis, quia ipsi à Deo fuerunt vocati, vt Episcopi, & Prælati Ecclesiæ, vnde illorum status fuit altior, quàm status Religiosus, fuit enim status Episcoporum: sed quia ad perfectionem Episcopalis status non conducit paupertas per abdicationem dominij eorum, quæ decet habere Episcopum, ideò Apostoli religiosam paupertatem non vouerint. Explicantur singula; Statum Apostolorum fuisse statum perfectissimum indubitatum est, vnde Apostoli omnium fuere sanctissimi, vt tradit *D. Tho. p.* 3. *q.* 106. *a.* 4. Nam & statum Episcoporum esse perfectiorem statu Religiosorum probauit ex professo *D. Th.* supra *qu.* 184. *a.* 7. Apostoli autem statim ad statum Episcoporum fuerunt vocati. Sic enim *Matth.* 4. Christus dixit Petro, et Andreæ. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*, Nimirum captores hominum, vt eos ad viam salutis reducant. Et *Luca* 9. Cum Christus quemdam vocasset, et ille respondisset. *Permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum*; ipse respondit, *sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, & annuncia regnum Dei*; Constat verò ex *Concil. Trident. sess.* 5. *cap.* 2 *& sess.* 24. *c.* 4. quod Regnum Dei annunciare, et Regnum Dei prædicare est proprium munus Episcoporum. Propterea viuente Christo ab ipso missi fuerunt ad prædicandum. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis gratis date.* Cum ergo status Episcopalis sit alius a statu Religioso, Nam status Religiosus est schola perfectionis, vnde secundum eumdem *Suar l.* 2. *c.* 1. conuertuntur status Religiosus, et status perfectionis acquirendæ. Et secundum *D. T.* supra *q.* 185. *a.* 4. *Status religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via in perfectionem tendendi, status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis magisteriū. Vnde status Religionis comparatur ad statum Episcopalem sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem.* Cū Apostoli à Christo fuerint vocati, vt essent Episcopi, sicuti, & tales fuerunt ab ipso creati, nō fuerūt ipsi vocati ad statum Religionis, sed ad statū Prælationis, & ideò nō est vnde cōcludatur, quod eorum Collegiū fuit propriè Religio, sed, fuit Episcoporū numerus electus à Christo ad mundi conuersionem per doctrinam fidei, vnde *Matth.* 28. illis dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quaecunque mandaui vobis*, Et quia status Episcopalis licet perfectissimus non requirit paupertatem religiosam, vt probauit *D. T.* supra *qu.* 185. *a.* 6. ideo non fuit necesse, quòd Apostoli vouerent hanc paupertatem.

54. Neque quod eam vouerint colligitur ex *D. T.* qui supra *q.* 88. *a.* 4. ad 3. non dixit, quòd Apostoli vouerint paupertatem, sed quod vouerint ea, quæ sunt perfectionis, & hoc est verum, quia quæ sunt Episcopalis perfectionis vouerunt. Et *q.* 186. *a.* 6. ad 1. affirmat, Apostolos immobiliter Christo adhæsisse, & ex eo loco nihil amplius colligi potest, quam quod Apostoli vouerint sequi Christum immobiliter, quód quidem rationabile fuit, sicut quod vouerint ea, quæ sunt perfectionis status Episcopalis, inter quæ est indeficiens cura, & solicitudo gregis. Et quod habet etiam *S. Aug. lib.* 17. *de Ciuit. Dei cap.* 4. *Dixerunt enim* inquit, *illi Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti sumus te: hoc votum potentissimi vouerunt*. Non probat Apostolos vouisse paupertatem religiosam. Nam votum de quo ibi loquitur *August.* non est votum paupertatis, sed est votum sequendi Christum, vnde est votum obedientiæ. Est verò considerandum, quód votum obedientiæ in Religio-

nibus

rebus construct exactum votum paupertatis, quia paupertas vt abdicatiua dominij est instrumentum necessarium perfectionis acquirendæ, ideò est substantiale Religioni, quæ est status perfectionis acquirendæ, seu disciplinæ perfectionis, sed votum obedientiæ status Episcopalis non continet votum paupertatis, quia paupertas non est instrumentum ad munus Episcopale necessarium. Et vt habet *D. Th. supra q. 185. a. 6. ad 3.* Episcoporum est non habere diuitias, si impediant animarum profectum, & curam Animarum. Sic ergo Apostoli vouentes obedientiam non vouerunt abdicationem rerum, & dominij absolutè, sed solum quatenus posset esse impedimentum officio Apostolatus, ad quod assumebantur.

55. Dices cum *Caiet. supra q. 186. a. 4.* Apostolos fuisse ordinatè vocatos ad duplicem perfectionis statum, scilicet ad statum Religionis primo, & postea ad statum Episcopatus: solum enim post Christi mortem facti fuerunt Episcopi. Et quia iuxta *D.T. supra q. 185. a. 8.* status Religiosus ad statum Episcopalem est sicut status disciplinæ ad magisterium, & dispositionis ad perfectionem, & dispositio benè stat cum forma vnde fiat Religiosum fieri Episcopum, vt experientia comprobat, ideò benè affirmari potest, quod Apostoli prius vocati fuerint ad statum Religionis. Et præcipuè quantum ad ea, quæ spectant ad paupertatem, cum voluerit Christus Apostolos derelinquere omnia, vt illum sequerentur. Et de facto Apostoli omnia reliquerunt, vnde & Petrus dixit ei. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Matth. 19.* Et Christus Apostolos voluit pauperes esse, vnde & prohibuit illis diuitias habere dicens *Matth. 10. Nolite possidere aurum, &c.*

56. Verum si benè hæc considerentur, non conuincunt. Nam Religiosus status est dispositio ad Episcopatum, sed non necessaria, & *D. Thom.* eam doctrinam tradit ad hoc, vt probet posse ex statu Religioso assumi aliquos ad statum Episcopalem, non vt probet necesse esse, vt Episcopi fuerint prius Religiosi. Sic ergo dicendum est, quod ea, quæ sunt perfectionis sic absolutè communia sunt ad vtrumque statum, sed horum quædam ad perfectionem ipsam spectant, quia sunt actus virtutum, quædam sunt pura perfectionis instrumenta, sicuti est paupertas; quæ licet sit instrumentum aptum ad propriam perfectionem acquirendam, non tamen est tam aptum, vnde nec est necessariũ ad Prælaturam exercendam, & ad hoc, vt quis sit pater pauperum, & viduarum, qui alat egentes in necessitatibus suis. Verum igitur cum sit, quod Christus eo viuente habuit discipulos suos sub disciplina, sed sub ea, quæ directè, & principaliter duceret eos ad perfectionem Episcopalis status cõsideratis circumstantiis temporis, & qualitatis mũdi; ideò non fuit necesse, quod obligaret eos ad eam disciplinam, quæ ad Episcopalem perfectionem, neque est necessaria, neque vt plurimum requisita, qualis est paupertas abdicans omninò dominium omnium, sicuti facit paupertas religiosa. Exercuit illos igitur in omni genere virtutum. Sed Christus docturus Ecclesiam in assumendo viros ad Episcopatus non obligauit suos Apostolos ad ea, quæ sunt Religiosi status, & fuit conueniens, quod sic faceret, ne si obligasset Apostolos prius ad Religiosum statum, videretur obligata Ecclesia ad non assumendos ad Episcopatum, nisi Religiosos: quamobrem hæc consequentia, scilicet, Conueniens fuit, vt Christus Apostolos suos prius haberet sub disciplina perfectionis, & sic illos habuit, igitur Apostoli prius fuerunt Religiosi, quàm Episcopi, quia Religio est disciplina perfectionis; nil consequentia manifestè non concludens, quia non omnis disciplina perfectionis est Religio, quæ nec etiam est necessaria via ad Episcopatum, & status Episcopalis habet suum nouitiatum proprium, in quo creandi in Episcopos, exerceri possunt in his, quæ sunt perfectionis Episcopalis. Et aliàs, cum Religiosus status non sit nouitiatus necessarius ad Episcopatum, fuit cõueniens, vt Christus non obligaret Apostolos ad ea, quæ sunt propria Religiosi status, ne Ecclesia, quæ pro valdè maiori parte assumit ad Episcopatus non Religiosos iudicaretur ab Hæreticis contra Christi institutionem agere, si ipse Religiosos solos ad Episcopatum elegisset. Quod eò magis est verum, quod multa spectantia ad Religiosum statum repugnent Episcopatui, & inter alia non multum illi conuenit paupertas, quæ importat absolutè abdicationem proprietatis circa omnia.

57. Et cum dicitur, quòd Christus voluit suos Apostolos esse pauperes, si hoc benè attendatur concludit oppositum eius, quod obijciens intendit. Paupertas enim multiplex est. Nam paupertas dicit abdicationem habendi, & dicit abdicationem dominij eius, quod habetur. In primo verò sensu paupertas, si sumatur vniuersaliter est impossibilis, quia à quocumque habendus est victus, & vestitus. Ad perfectionem verò spectat, vt non habeantur superflua ad sui commodum, & vtilitatem. Et hanc paupertatem voluit Christus habere discipulos suos, & illam ipsi habuerunt, & non necessarijs vale omninò dixerunt. Et ideò tunc dicuntur vouisse ea, quæ sunt perfectionis, quando relictis omnibus sequuti sunt Christum, vt *D. T.* dixit *q. 186. a. 4. ad 3.* Est enim considerandum, quod cum Apostoli relicturi essent patriam, & peregrinaturi per mundum multum ab expedito hoc itinere impediti fuissent ab affectu diuitiarum in patria possessarum, vel etiam ab auro, & argento superfluo, quod secum ambulando deferrent cum periculo, vt eo expoliarentur, & cum eo simul a grassatoribus priuarentur vita, & virtus fidei Christi etiam hoc exigebat, vt per pauperes sibi mundi diuites, & potentes subijceret: ideò opus fuit, vt Apostoli omnia dimitterẽt, quæ possidebant, vt expediti Christũ sequerentur, & vt dicebatur Apostolorum votum obedientiæ Episcopalis fuit, quod votum Religiosæ paupertatis non continuit, quia hæc non est necessaria, nec fuit etiam spectatis circumstantijs ad statum Episcopalem, sed sub voto illo comprehensa fuit paupertas vt erat abdicatio thesaurizationis, & superfluæ possessionis rerum. Et quia habere immobilia minus conueniebat illis, qui per mundum diuidendi erant, vt Euangelium prædicarent ideò multi asserunt Christum noluisse Apostolos habere immobilia, quia hæc requirunt præsentiã domini ad eorum vel culturam, vel conseruationem, & absentis animum captiuum detinent, &

sollicitum. Et quamuis non omninò certum sit, quòd Apostoli etiam post vocationẽ illorũ nõ habuerint immobilia, & aliquos illa habuisse probent. Tum quia de Petro *Matth.* 8. & *Luca* 4. legitur habuisse domum, & de domo Io. Euangelistæ prænarrata habent *Baron. Niceph. & Cedrenus* tamen; quia domus illa potuit dici Petri, quia illius fuerat, & quæ de domo Io: dicuntur ex humana historia non conuincunt; ideo multi probabilius credunt, quòd Apostoli immobilia non habuerint; quamuis eos non fuisse huius dominij incapaces dixerit *Suarez. d. tom. 3. l. 8. cap. 7. num.* 24. & hoc mihi certissimum est, quòd Apostoli nihil superflui ad proprium commodũ habuerunt, Sed quod Apostoli fuerint pauperes per abdicationem dominij eorum, quæ habebant, ex scriptura sacra nec habetur, nec potest concludenter deduci, vt constat ex decretis lur 22. & consultationibus Cardinalium apud Odericum vbi supra, quæ etiam recensita sunt, & recensebuntur in hac inspectione. Et tamen hoc est, quo priuat votum paupertatis religiosæ, cuius propria materia est non habere propriũ. Nõ est igitur vnde certè dicamus Apostolos vouisse religiosã paupertatẽ. Quã tamen summè coluerunt contemptis diuitijs, & etiam mobilibus superfluis, & non necessarijs. Vnde & dici facilè potest, quod vouerint paupertatem, quia vouerunt non habere nisi necessaria sibi, & Ecclesiæ; quod exactissimè seruauerunt. Cæterum conueniens fuit vt tales essent Apostoli, qualis fuit eorum Magister Christus, qui habuit loculos, tanquam eorum Dominus, quos habuit pro sustentandis Apostolis, & pauperibus; non erat ergo indecens, quod Apostoli Ecclesiæ Pastores, qui etiã peregrinaturi erant mundũ, & Ecclesias fundare debebant, haberent etiam vnde se, & suos sustentarent.

58. Quod vero Christus prohibuerit eos habere aurum, & argentum *D. Th. supra q. 185. a. 6. ad secundum*, ex *Augustino* id exposuit, vt non fuerit præceptum non habendi, sed permissio eundi absque auro, argento, & cæteris, recepturi necessaria ab his, quibus prædicarent. Et ex *Io: Chrys.* quod fuit mandatum temporale pro illo tempore, & missione ad prædicandum Iudæis. Et præterea solùm voluit, vt illa sicut nec panem deferrent in via *Marc.* 6. vnde non prohibuit absolutè, ne ea haberent, & multò minus prohibuit ne vbi illa haberent eorum domini essent. Non est igitur vnde dicamus manifestum esse Apostolos vouisse religiosam paupertatem, tum quia conueniẽs fuit vt haberent, quæ opportuna erant tàm sibi, quàm pauperibus sustinendis, tum quia fuit etiam conueniens, quod eorum, quæ dicuntur habuisse, domini essent, quod est conforme à Io: 22. diffinitis in Extrauag. Cum inter, qui etiam in Extrauag. Quia quorumdam dixit ex scripturis non probari Apostolos vouisse expropriationem omnis iuris in illa, quæ habuerunt.

59. Concludendo igitur dicitur, quòd Apostoli considerandi sunt, vel in Ecclesiæ initio, vel in progressu, & vlterius, vt eorum collegium considerabatur veluti, vt distinctum corpus ab alijs fidelibus, vel vt ipsi erant partes Ecclesiæ simul cum alijs. Nam Collegium Apostolorum strictè sumptum non habuisse aliqua immobilia, vel certos reditus ex *Aluaro Pelagio lib. 2. de planctu Ecclesiæ* tradit *Suarez. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 8 num. 9.* Sed ego nec credo, quod tale Collegium habuerit mobilia propria, seu alicuius rei dominium proprium. Nam cum tale Collegium haberet vniuersalem administrationem rerum Ecclesiæ, ad quid haberent singularitatem dominij in bonis Ecclesiasticis, si de illis omnibus plenam dispositionẽ habeant, & facultatẽ etiam eis vtendi pro se ipsis. Secundo Collegium Apostolorum non constituebat vnum corpus in eodem loco duraturum, sed imò Apostoli per mundum diuidendi erant; non est igitur vnde illi aliquid proprio Collegio acquirere vellent, vel applicare, cum eo simul, & communiter vti non possent. Et ideò tertio hoc probatur, ex *Act. Apost. cap.* 4. & 5. vbi habetur, quod credentium omnia erant communia, & nullus dicebat hoc, vel illud esse suum. Et quod inter huiusmodi credentes debeant numerari etiam Apostoli probat benè Vniuersitas Paris. in prima ratione ad conclusionem supra relata. Itaque igitur Collegium Apostolorum post Christi mortem, vt poterat considerari tanquam corpus vnum Ecclesiasticum à Reliquis fidelium Collegijs distinctum, nihil proprium habuit quantum ad proprietatem; sed quæ habebantur in illo Ecclesiæ initio, erant illius Ecclesiæ Hierosolym. quæ tunc etiam erat Ecclesia vniuersalis, sed ab Apostolis possidebantur in communi cum reliquis fidelibus. Dilatata verò Ecclesia ad gẽtes, Vita illa cõmunis mutata fuit, & vt aduertit etiã Odericus non durauit vsq; ad Constantinum vt dixit Vniu. Paris. sed statim in ea diuidebantur bona laicalia ab Ecclesiasticis, imo bona propria clericorum, à bonis Ecclesiasticis, quæ tunc, vt communia possidebantur, vt habetur ex *can.* 39. *Apost.* & probatum est supra *q.* 185. *a.* 7. *num.* 8. & *seq.* Et tunc forsan etiam Ecclesia acquisiuit immobilia, ideò Apostoli bona ista possidebant in communi. Illi enim nullius Ecclesiæ particularis mẽbra propria erant, sed cum haberent vniuersalem potestatem in tota Ecclesia illius immediatè partes erant. Et quia hæc potestas vniuersalis erat data Apostolis singulis, ita tamen quod omninò suprema soli Petro competeret, cui soli Christus dixit, *Pasce oues meas Io;* 21. & ideò alij Apostoli Petri oues erant, propterea Ecclesia sub qua immediatè Apostoli continebantur, erat Ecclesia vniuersalis, in qua ipsi præeminebant potestate, & iurisdictione, & ita habebant ius ad bona Ecclesiastica quarumcumque Ecclesiarum, & omnia Ecclesiæ bona possidebant in communi ratione Ecclesiæ habentes vlterius ex officio illorum administrationem. Et sic vbicumq; erant bona Ecclesiarum possidebant in cõmuni, quia tũc bona Ecclesiastica etiã à clericis in communi possidebantur, & quia tãdẽ bona Ecclesiastica omnia erant Ecclesiæ, cuius ipsi immediata, & præcipua mẽbra erant. Et ita post Christi mortem, & Ascensionẽ bona Ecclesiastica, in illo Ecclesiæ initio, in quo non erant mensæ Prælatorum, tanquam bona communia tam quantum ad fundum, quam quantum ad fructus, & sic etiam bona mobilia in communi possidebantur illa administrantibus Prælatis. Et sic Apostoli, qui Ecclesiæ membra præcipua erant bonorum Ecclesiasticorum dominium non habebant nisi in

com-

communi, sed hoc erat apud Ecclesiam; ita tamen quòd proximum dominium erat apud particulares Ecclesias, & vniuersale apud Ecclesiam vniuersalem, cuius soli Apostoli membra erant immediata, licet aliquarum specialem curam habebant. An verò Apostoli eorum, quæ proprio labore acquirebant, habuerint dominium, affirmatiua pars est conformior Decretali d. *Cũ inter* & *Quia quorundam*. Hoc certissimum est, quod nihil habuerunt, nisi ad sui necessitatem, & Ecclesiæ vtilitatem.

60. Quantũ verò ad vsum, si vouerunt religiosã paupertatẽ habuerũt vsum, quod vocant nudi facti, seu qui est licentia sola vtendi etiam reuocabilis, de quo vsu facti infra erit sermo. Et in hoc sensu Apostoli, quæ acquirebant, acquirebãt vel Ecclesiæ alicui particulari, vel Ecclesiæ vniuersali, vel quia habebant Ecclesiæ administrationem acquirebant Ecclesiæ, cui volebant. Sed si non vouerunt religiosam paupertatem, rerum, quibus vtebantur, habuerunt vsum iuris, seu dominium vtendi, quod quidem respectu vsu consumptibilium est etiam dominium proprietatis, & substantiæ rei.

61. Et ex his patet, quod quæ adducũtur ad probandam paupertatẽ Apostolorum per abdicationẽ dominij tam in particulari, quam in communi eorum, quæ habebant, non probant. Quia abdicatio dominij in communi respectu Ecclesiæ, vel particularis, vel vniuersalis, non est rationabilis, nec spectat ad perfectionem, quia ratio dictat, vt Ecclesia bonorum suorum sit Domina. Et vt habet *Sanctus Augustinus* Christus voluit habere loculos, quia Ecclesia illos erat habitura. Et ita, quod ex Christo adducitur *Matth. 10. Nolite possidere, &c.* habet manifestã explicationem, solum enim prohibuit Christus quod illa Apostoli secum deferrẽt in via, non tamen prohibuit, quin ea habere possent. Nam prohibuit deferre panem *Mar. 6.* Nunquid ergo Christus voluit, quod discipuli sui, nec panem manducarent? Sed imò oppositum colligitur ex dictis Christi dicentis, *dignus est enim operarius cibo suo*. Et ideò vt benè aduocauit *Heruens* apud *Odericum* vbi supra *n. 58.* Christus prohibuit, deferre in via pecuniam, peram, panem, eo quia Apostolis sustentamẽtum debebatur ab illis, quibus prædicabant, & ideò superfluum erat illa deferre. Cæterum quæ consequentia est? Christus noluit, vt Apostoli in via deferrent pecuniam, peram, panem, &c. vt clarius apparet *Mar. 6. & Luc. 9.* ergo Christus voluit vt Apostoli eorum, quæ habuerunt nullum haberent dominium, nec in particulari, nec in communi? Dicitur etiam quòd Christus *Matth. 10.* prohibuit, solicitudinem nimiam, & superfluitatem, vt explicauit Vniuersitas Paris. in verbis supra relatis. Nam & conueniens futurum erat, vt Apostoli, & Prædicatores ituri ad gentes per viam deferrent pecuniam, panem, peram, & cæt. ideò benè dicitur, quod Christus intendit prohibere superfluitatem, & nimiam solicitudinem.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Nicolai IV. in Decretali exiit de uer. signif. num. 62.*
2 *Obiectio aliquorum contra Decretalem Io. 22. num. 63.*
3 *Secundum aliquos Nicolaus locutus est opinatiuè. num. 63.*
4 *Christum aliquando nullius rei dominium habuisse aliqui dicunt. num. 64.*
5 *Hoc examinatur. num. 65.*
6 *Christus eius, quod dicitur habuisse, dominium habuit. num. 65.*
7 *Christum habuisse, & eius, quod habuit, non habuisse dominium, non habetur in scriptura. num. 66.*
8 *An in rebus vsu consumptibilibus distinguatur dominium ab vsu. num. 67. 68. 69.*
9 *Io: 22. non negat abnegationem dominij esse meritorium. num. 70.*
10 *Nicolaus Quartus si sensit, vt volunt aliqui, quod Christus eius, quod habuit, non fuit dominus cõtrarius est Io: 22. num. 71.*
11 *Ex scripturis allatis à quibusdam non probatur abdicatio dominij eorum, quæ Christus dicitur habuisse. num. 72. & 73.*
12 *Christus docuit abdicationem proprietatis immobilium. num. 74.*
13 *Christus docuit abdicationem superfluitatis, & thesaurizationis. num. 75.*
14 *Ioann. 22. explicat decretum Nicolai Quarti. num. 76.*
15 *Non sunt contraria decreta Nicolai 4. & Io: 22. num. 77.*
16 *Quæstio an vsus sit seperabilis à dominio, quæstio de nomine est inter Nicolaum 4. & Io: 22. numer. 77.*
17 *Quantum ad paupertatem Apostolorum conueniunt Nicolaus Quartus, & Ioannes 22. numer. 78.*

Non dissident cap. Exiit de Verbor. signif. in 6. & Extrau. Cum inter nonnullos Io: 22. eod. tit.

62. VIdetur, quod Io: 22. directè, & per oppositum ejus, quod de paupertate Christi dixit Nicolaus Papa in cap. Exiit de Verb. signif. in 6. determinauerit in Extrau. *Cum inter nonnullos*, & *Quia quorundam*. Nicolaus enim Papa hæc habet d. cap. Exiit. *Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum non tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè viuere, per doctrinæ, & vitæ exempla in eos deriuarunt. Nec ei quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic Iesus Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis: sic & in nonnullis alijs infirma humanæ carnis assumens (prout Euangelica testatur Historia) non*

tantum carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in proprijs permansit excelsus. Sic & summa charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quod à summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Christus, & docuit opera perfectionis. Egit enim infirma sicut interdum & in fuga patet, & in loculis: sed vtrumque perfectè perfectus existens, vt perfectis, & imperfectis scilicet viam salutis ostenderet, qui vtrosque saluare venerat: qui tandem mori voluit pro vtrisque.

63 Cum verò Io: 22. in Extrauag. Cum inter nonnullos tanquam de fide determinauerit Christum, & Apostolos in ijs, quæ habuisse dicuntur, habuisse ius vtendi, vendendi, donandi, & ex eis acquirendi, *Ludouicus Bauarus, & Fraticelli* sumpserunt inde occasionem calumniandi Io: 22. vt habet, Odericus ad annum 1323. num. 63.

☞ Quorum obstruxit ora (inquit Odericus) Iacobus Nouellus Cardinalis Ordinis Cisterciensis, in Summo Pontificatu Benedicti XII. nomen adeptus, erudito commentario, in quo Theologum agens, respondet Hæreticis, licet statuatur falsa hypothesis, Nicolaum Papam pronunciasse, Christum, & Apostolos abdicasse proprietatem, ius, & dominium omnium rerum, tam immobilium, quam mobilium, atque etiam vestium, cibi, & potus, & in his tantummodo simplicem vsum facti habuisse sine vllo iure ciuili, ac mundano; haud tamen inferendum, Ioannem prolapsum in hæresim, vt effutiebant impij, dum contrarium huic sententiæ postremæ decretoria Constitutione *Cum inter nonnullos* definiuit; locutum enim Nicolaum in sanctione *Exiit* solum opinatiuè: cum dubia illius à successore explanari voluerit, neque illam sententiam veluti articulum fidei credendam proposuerit vniuersæ Ecclesiæ; corrigi itaque potuisse à Ioanne, qui obortam in Ecclesia controuersiam ex sacris oraculis diremit, vti Petrum à Paulo correctum obseruat Augustinus. *Nõ enim, inquit, fuit voluntas in crimine; sed defectus humanæ intelligentiæ: potissimè, quia dominus Nicolaus dicta sua supposuit correctioni sedis Apostolicæ.* Hæc Benedictus apud Eymericum, scilicet ex falsa hypothesi, vt obseruat Pegna, quod Nicolaus ita sensisset, vt hæretici eum sensisse voluerunt: sed nõn ita senserat; quocirca explanatione allata à Ioanne, non correctione eguit. Neque verò Benedicti verba carpi possunt, etiamsi concessisset Nicolaum, dum opinando loquebatur, errasse, Ioannem verò decernendo errare non potuisse contenderet. Respondet enim Ioannes Turrecremata Cardinalis: *Assistentia Spiritus Sancti promissa à Christo non respicit personam Papæ, sed officium siue sedem: & ideò cum opinari sit personæ, iudicare verò sit officij, licet esset possibile Papam malè opinari, errare tamen sententiando in iudicio de his, quæ sunt fidei, non est possibile, stante diuina promissione.*

Hucusque Odericus, ex quo aduertendum, quod qui hanc responsionem dedit, seu qui insinuauit Nicolaum loquutum fuisse opinatiuè, seu vt particularem Doctorem non fuit Benedictus Duodecimus, & aliqui dixerunt, sed fuit Iacobus Nouellus à Benedicto Duodecimo creatus Cardinalis. Hæc tamen responsio supponit definitionem Io: 22. esse contrariam verbis, & sensui Nicolai Quarti, quod meritò negatur: vnde neq; approbatur hæc responsio.

64. Est ergo secunda explicatio Cardinalis S. Cyriaci apud Odericum ad annum 1322. num. 66. dicentis. *Videntur ista duo se posse compati, scilicet Christum nihil habuisse, & Christum aliqua habuisse, hoc ad diuersa tempora referendo; sed ad idem tempus non videtur.* Distinguendo igitur tempora dicitur, quod Christus, & Apostoli aliquando nihil habuerunt, quorum essent domini, & hoc sufficit ad verificandam Decretalem Exijt. Sed aliquando aliquid habuerunt, & hoc est, quod voluit Io: 22. Hanc viam concordiæ sequuti sunt *Bellarminus l. 4. de Sum. Pont. cap. 14. nu. 35. Suarez. 3. p. disp. 28. sect. 2. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 25. q. 8. Barbosa ad d. extrauag. Cum inter nonnullos n. 3. Nicolaus à Iesu Maria in Apologia perfectionis prop.* Et videtur posse suaderi ex eo, quod vt supra probatũ est, Christus adeò fuit pauper, quod coactus fuerit mẽdicare, & constat Christũ vixisse de alienis facultatibus *Luc. 8.* vbi dicitur, quod mulieres aliquæ ministrabãt ei de facultatibus suis. Tunc igitur Xpũs nihil proprij habebat, cũ viueret de alieno.

65. Sed huiusmodi cõcordia, quæ in parte vera est, patitur instantias. In Constit. enim *Cum inter nonnullos* duo de fide definiuit Io: 22. Primũ est, quod Christus, & Apostoli aliqua habuerint, quia scriptura sacra eos nonnulla habuisse asserit. Secundũ est, quod hæreticũ sit pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro, eiusq; Apostolis ijs, quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquã ius ipsis vtẽdi cõpeterit, nec illa vẽdẽdi, seu donãdi ius habuerint: aut ex ipsis alia acquirẽdi. Quãtũ ad horũ primũ concordia illa aptatur: Nã nec Io: 22. dicit, quod Christus, & Apostoli sẽper habuerint, sed solũ definit eos nõnulla habuisse, sicut asserit scriptura sac. Et credo indubitatũ esse, nedũ aliquãdo, sed sæpissimè Christũ, & Apostolos præter vestimẽta, quibus actu induebãtur, nihil aliud habuisse. Et sic verissimũ esse eos fuisse summè pauperes, & ad mẽdicandũ coactos, vt viuerent. Et ita manifestissimũ est, horũ Põtificũ decreta quãtum ad hoc primũ à Io: 22. definitũ nõ cõtrariari. Quia neq; Nicol. 4. negat Christũ, & Apost. aliquando aliquid habuisse, cũ fateatur Christũ habuisse loculos. Neq; Io: 22. fecit, quod Christus, & Apostoli sẽper habuerint, sed solùm, quod nonnulla habuerunt. Sed difficultas est circa secũdũ, an scilicet eorũ, quæ Christus, & Apostoli dicũtur habuisse, habuerint ius, & quidẽ tale, vt etiã ea vẽdere, donare, & ex eis acquirere possẽt. Hoc enim eos habuisse definiuit Io. & sic eius Decretũ vniuersale est; nã cõtendit hæreticũ esse cõiungere hæc duo, scilicet quod Christus dicatur habuisse, & quod eius, quod habuit non fuerit dominus. Et si semel verum est, quod vel vna vice Christus dicatur habuisse, & eius, quod dicitur habuisse non fuit dominus, iam hæc propositio vera est Christus habuit, & habuisse dicitur, & tamen non habuit dominium eius, quod dicitur habuisse, quæ est propositio declarata hæretica, scil. Christus eius, quod dicitur habuisse non habuit dominium, seu ius vtendi, vendendi, donandi, & ex eo acquirendi.

66. Sed hoc magis comprobatur ponderando quod aliud est paupertas abdicans dominium, &

vsum, seu abdicans habere res, etiam ad vsum. quam paupertatem Christus habuit altissimam, cũ noluerit habere, nisi necessaria ad vitam; aliud est paupertas non abdicans vsum, seu habere, & abdicans dominium eius, quod aliunde habetur, & quod scriptura significat Christum, & Apostolos habuisse. De hoc secundo est controuersia. Si ergo sensus Nicolai Quarti esset, quod Christus & Apostoli habuerunt paupertatem non abdicantem habere, & tamen abdicantem dominium, & ius super eo, quod habetur, eius contrarium de fide definiuit Ioannes 22. quod inde magis apparet per Extrauagan. *Quia quorumdam*, vbi cum retulisset, quosdam asseruisse, quod *abdicationem iuris in cuiuscumque rei proprietate, & in vsu mere sancta, & meritoria propter Deum, & à Christo in se ipso seruata Apostolis imposita, & ab ipsis sub voto assumpta, &c.* Io: hanc assertionem falsam esse denuncians, ait. *Qua quidem assertio continet multa falsa; cum neque Christus expropriationem praedictam omnis iuris in cuiuscumque rei proprietate, & in eius vsu in se seruasse, nec eam imposuisse Apostolis, neque sub voto ab ipsis fuisse receptam, Euangelica, seu Apostolica doceat historia. Sed contrarium euidentius manifestat.* Sic enim verè est, quod cum ex Euangelica, & Apostolica historia habeatur Christum fuisse pauperrimum per abdicationem proprietatis, & vsus, quia diuitias, & superflua noluit habere; minimè tamen habetur, vel colligi potest, quod fuerit pauper per abdicationem dominij eius, quæ Christus dicitur habuisse, sed oppositum manifestè deducitur, vt considerauerunt Cardinales, & Theologi de hoc à Io: 22. consulti, & apparet ex eorum consultationibus ab Oderico relatis tom. 15. Annalium, & in parte supra à nobis recensitis. Non est ergo vnde afferatur, quod Christus aliquando eius quod significatur eum habuisse non habuerit dominium.

67. Sed in hac parte, vt magis veritas elucescat, considerandum est, quod *Bellarm. loco citato* existimat, quod decreta ista Nicolai 4. & Io: 22. in omnibus conciliari non possint. Aduertit verò tres quæstiones tractari ab illis Pontificibus. Prima est an in rebus vsu consumptibilibus possit separari vsus à dominio. Secunda an paupertas, quæ omne dominium a se remouet solo vsu relicto sit sancta, & meritoria. Tertiò an Christus talem paupertatem verbo, & exemplo docuerit.

68. Quãtũ ad primã quæstionẽ ait *Bellar.* Io: sensit dominium ab vsu non posse separari, sed Nicolaum ait affirmare id fieri posse, & rectè. Nam idem apertè docuit Clemens Quintus in Clementina Exiui de Paradiso de Verbor. significat. Sed cum hæc non sit materia fidei; potuit esse in eo discordia inter Pontifices salua fide, & dignitate Sedis Apostolicæ. Verum dicas quod in hoc non est, nec esse potest contradictio inter horum Pontificũ cõstitutiones, nisi in verbis, quod nõ displicuit *Vadingo in Annal. Mi. ad an. 1324. n. 21.* Affirmat quidem Nicolaus Minoribus cõcessum esse vsum, quod dicitur facti, & quod hic vsus non importat dominium, quia benè potest esse, vt dominus retento dominio det alteri licentiam vtendi re. Et ita quod in rebus vsu consumptibilibus dominium separari possit ab vsu tenent etiam *Bellarm. ibid. Suarez d. sect. 2. Nauar. Azor. Rodriq. Rebell. Molina.* quos sequitur *Barbosa ad d. Extrauag. Ad conditorem num. 5.* At verò Io: 22. contendit, quod vsus sit ab omni iure, seu dominio inseparabilis, si sit iustus. Cum verò euidens sit, quod in illis, quæ vsu non consumuntur, dominium proprietatis ab vsu distinguitur, & quod potest stare vsus rei, sine rei proprietate, difficultasq. sit respectu rerum, quæ vsu consumuntur, & in quibus ipsa rei substantia per vsum destruitur: Cum negari non possit distinctio, quæ est inter absolutum ius vtendi, & licentiam vtendi, quæ licentia sit ad concedentis nutum reuocabilis, in hoc stat horum Pontificum discrimen, quod Nicolaus licentiam vtendi nõ vult esse dominium proprietatis, aut vsus ipsius rei, quod vult Io: sed hæc quæstio est de nomine. Verum quidẽ est, quod vsuarius ex sola licẽtia vtendi non potest rem vendere, vel donare, vel consumare, nisi iuxta domini reuocabilem licentiam, nec ea potest vti, nisi ad vsum sibi concessum, & ad nutum Domini reuocabilem, vnde contra dominum rei, hic vsuarius non habet dominium, neq; ius vtendi re. Verum inintelligibile est, quod habens licentiam vtendi re, quæ vsu consumitur, non habeat ius illud, quod inseparabiliter secum fert licentia vtendi re vsu consumptibili, quod est ius illam rem consumendi inimpedibiliter ab alio quocumque. Et negari non potest, quod furans aliquid ab eo, qui dicitur habere nudum vsum facti, non faciat illi iniuriam. Et potest quidem huiusmodi habens vsum facti renunciasse litibus, & actionibus in iudicio, non tamen potest non habere illud ius vtendi re aliena. Et ideò fur, qui v.g. à Minoribus abstulit, non satisfacit restituens domino rei, nisi facta mentione, quod abstulit à dictis Religiosis, & ideò quod recta restituendi via sit restituere ipsis fratribus, dixit *Sanchez. li. 7. in Decal. cap. 18. num. 19.* Sed dico teneri satisfacere Religiosis pro iniuria illata auferendo, quod erat ad vsum illorum. Et sic benè Io: 22. vult, quod non possit dari vsus iustus sine aliquo iure, & dominio. Et in hoc sensu vera est sentẽtia eorum, qui dixerunt, quod in rebus consumptibilibus vsu non est vsus sine dominio. Itaque ergo hia sunt duo, quorum vnum non potuit negare Nicolaus, nec negauit, & aliud non potuit Io: non concedere, & concessit. Primum est, quod respectu rei vsu consumptibilis ipse vsus absorbet proprietatem, vnde facultas vtendi essentialiter inseperabiliter est facultas disponendi de rei substantia, quia rei substantia vsu ipso consumitur. Et sic facultas vsus est facultas disponendi de rei substantia; quod quidem est euidentissimum, neque hoc negauit Nicolaus. Ex quo sequitur hoc aliud quod dominium vsus in huiusmodi est dominium proprietatis, & sic si facultas vtendi est dominiũ facultas vtendi necessario in his rebus est etiam dominium proprietatis, quia dominium proprietatis non est nisi dominium disponendi de substãtia ipsius rei, quod dominium habet, qui habet dominium vsus, quia is habet dominium disponẽdi de rei substantia. Sed hoc stante aliud est hic considerandum, an scilicet licentia vtendi sit dominium vtendi. Et quidem quod non sit dominium absolutum etiam admittit Io: 22. quia tamẽ negari non potest, quod licentia aliquod ius non ferat, & aliquam rationem dominij in hac concer-

tatione

tatione de nomine stat controuersia, an scilicet licentia vtendi dominium vsus dici possit, si enim dici potest, non datur in vsu rebus cōsumptibilibus nudus vsus facti iustus sine dominio etiam proprietatis. Sed si hæc licentia vtendi reuocabilis non debet dici dominium vtendi, iam datur vsus facti sine dominio, & hoc est, quod voluit Nicolaus Quartus, & quod in nomine negauit Io: 22.

69. Hinc potest ferri iudicium de eo, quod habet *Suarez. tom. 2. in 3. p. disp. 38. sect. 2. §. Quarto* vbi ait Christum nunquam instituisse eam vitæ rationem, & statum, in quo Apostoli nihil essent habituri, neque in particulari, neq; in communi, nec hanc paupertatē vouisse. Et subdit, quod iuxta hoc possent intelligi, quæ Io: 22. de paupertate Christi docet, quamquā eius fundamētum sibi probare nō sit necesse, Quia Io: existimat vsum, & dominium nō distingui in his, quæ vsu consumuntur, & inde cōcludit, quod si Christus habuit vsum, habuit etiam dominium. Hoc verò principium non pertinet ad doctrinam fidei, & eius oppositum voluit Nicolaus IV. & approbauit Clemens V. in Clem. *Exiui de verb. signif.* Verum aduerti debet, quod Io: 22. non dixit solum, quod Christus non instituerit statū, in quo Apostoli nihil essent habituri nec in speciali, nec in communi, sed absolutè definiuit in eis, quę scriptura narrat eos habuisse, parite habuisse ius vtendi, vendendi, donādi, & ex eis acquirendi. Sed & ratio eius hoc probat, & in eius sensu verum est, quod iustus vsus non est sine vero iure vtendi, quod ius est ius iustitiæ, etiam si sit illud solum ius, quod fert licentia vtendi reuocabilis, & quod ius secundùm illum potest vocari dominium, quamuis quidquid sit de hac quæstione vocis Io: 22. in sua definitione non sit vsus voce dominij, sed voce iuris vtendi, &c. Sed dicitur secundo; quod ratio Pontificis est vera, & certa, & necessaria, sed considerandum est, quod facultas vtendi, quam dat nuda licentia reuocabilis, est potius facultas administrandi rem alienam, quam vtendi illa nomine proprio, vnde in rigore vsus rei, qui habetur ex licentia reuocabili, potius debet dici administratio rei alienæ, quam vsus. Nec obstat, quod vtens vtatur ad sui commodum, quia cum non agat nisi ex facultate delegata, seu aliena, & alieno nomine rem alienam potius administrat, licet ad sui cōmodum, qui ea vtitur Hinc est, quod in maiori proprietate sermonis vsus iustus importat, & supponit facultatē, & dominium vtendi; & non puram vtendi licentiam, sed vt facultas vtendi non sit nisi vtendi dominiū. Quo stante vsus iustus rei consumptibilis vsu continet dominium disponendi de rei substantia. Quoniam verò sermo absolutus, per quem aliquis dicitur habere aliquid ad sui, vel suorum commodum significat vsum, & non solam administrationem, optimè Io: 22. postquam prius determinauit tanquam de fide, quod Christus, & Apostoli habuerunt ad sui commodum, & vsum, intulit quod etiam habuerunt earumdem rerum dominium, quoniam vsus iustus supponit verum dominium vtendi, & ex consequentia in cōsumptibilibus verū dominium etiam proprietatis. Quod si dicatur dari vsum iustum, qui sit ex pura domini licentia etiam reuocabili manente dominio apud concedentem licentiam, dupliciter respondetur, nam dicitur primo, quòd hic vsus non competit ei, de quo simpliciter absolutè dicitur, quod habet rem, de Christo autem, & Apostolis simpliciter dicitur quod habuerunt res, non igitur potest intelligi, quod ex hoc solo habuerint iustū vsum, quod habuerint licentiā nudam vtendi, vel facti vsum, cum hic vsus potius debeat dici administratio alienæ rei, quàm eius vsus. Secundo sine ratione recurritur modo ad vsum licentiæ, manente dominio apud alium; Nam rerum quæ habuerunt Christus, & Apostoli, vel dominium fuit apud laicos dantes, vel apud Collegium Christi, & Apostolorum, vel apud Christum. Primum sine ratione dicitur, nedum quia qui dabant Christo intendebant donare, sed quia in pessimum Ecclesiæ exemplum cessisset, si Christus rerum, quæ religiosè dabantur, dominium reliquisset laicis, vt sic hæreticis, & auaris, daretur occasio dicendi, quod Ecclesia dantibus deberet rerum dominium relinquere, & retinere solum nudum vsum facti. Et præterea vnde nam quis, vel suspicari potest, quod quæ Christo dabantur ei non donarentur? Item quænam conuenientia esset, vt Christus laicorum esset minister, & administrator rerum Deo oblatarum? Alterum verò ex duobus alijs, quod dicatur, iam admittitur, quod Christus, & Apostoli erant domini, vel in particulari, vel in communi. Sed verè numquam concedendum est, quod Christus esset nudus administrator alienæ rei, seu bonorum Ecclesiæ, quæ sūt suum patrimonium, sed dicendum est illum eorū fuisse dominū. Et hoc etiam tertio à posteriori ex hoc potest probari, quod absolutè, & simpliciter dicitur illa habuisse, & quidē vt vsum iustum, qui non est nisi ex dominio vtendi. Et sic, duæ quæstiones cum hic sint, prima an in rebus vsu consumptibilibus distinguatur vsus iustus, & dominium. Secunda, an Christus, & Apostoli habuerint vsum, & dominium, Prima quæstio est de nomine, vel si est de re, verum dixit Io: 22. si enim accipiatur vsus iustus communissimè, vt importat quamcumque facultatem vtendi, etiam si hæc facultas sit nuda licentia, & facultas propriè administrandi rē nomine alieno, de nomine quæstio est, an hic vsus iustus dici possit dominium, & nō potest negari, quod nō sit saltē quoddā dominium administrandi. Et quod non fiat iniuria habenti istam administrationem, si ab ea impediatur. Sed si vsus iustus sumitur magis propriè, vt importat facultatem vtendi distinctam à facultate administrandi nomine alieno; sic iustus vsus in cōsumptibilibus vsu, verè dominium vtendi importat. Et sic Io: 22. bona fuit ratione vsus, quia vbi absolutè de aliquo dicitur, quod habuit aut vsum iustum; debet intelligi de vsu iusto magis propriè dicto, vt distinguitur à nuda iusta administratione rei alienæ, & hoc maximè habet locū in proposito, in quo ratio ipsa nō patitur, vt dicatur Christū in ijs, quæ dicitur habuisse, & vsū fuisse, simul fuisse nudū administratorē bonorum laicorum; & ideò cum absolutè in Euangelio dicatur quod Christus habuerit, & vsus fuerit, hoc debet intelligi de vsu iusto magis propriè dicto, qui est vsus ex facultate vtendi nomine proprio, & nō ex nuda administratione rei nomine alieno; & ideò debet dici, quod Christus dominium habuerit eorum, quæ habuit.

Quan-

70. Quantum ad secundum *Bellar.* ait, quod Nicolaus sentit illam paupertatem abnegantem omne ius esse sanctam, & meritoriam, quod negat Io: tamen, nec Nicolaus hoc definit tanquam articulum fidei, nec directè hoc Io: impugnat. Io: autem in illa *Extrauagan. Ad Conditorem* solum intendit renunciare dominio earum rerum, quæ donantur Franciscanis, renunciare autem huic iuri poterat Io. Verum non video, quod Io: vel directè, vel indirectè negauerit id, quod affirmauit Nicolaus, cuius hæc est propositio. *Abdicatio proprietatis huiusmodi rerum non tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est, & sancta.* Hæc verò propositio sine dubio intelligitur de abdicatione vestita debitis circumstantijs. Nunquam verò hoc negauit Io: Neq; enim indirectè id colligi potest, ex eo quod renunciauerit speciali dominio rerum, quæ dabantur Minoribus; hoc enim fecit, non quia senserit abdicationem proprietatis propter Deum solitariè, & secundum se, præcisa mala circumstantia non esse meritoriam, & sanctam, si fiat propter Deum. Sed quia iudicauit non omne omninò ius dominij posse abdicari, & quia existimauit pensatis circumstantijs Sedi Apostolicæ conuenire non retinere illud dominium priuatum.

71. Quantum ad tertium *Bellarminus* inquit, quod non dissentiunt Nicolaus, & Io: Nam Nicolaus dicit, Christum aliquando perfectissimam illam paupertatem verbo, & exemplo demonstrasse tanquam communem omnium Patrem, & Doctorem? Io: autem definiuit esse hæreticum asserere Christum nihil vnquam hic in terris habuisse proprij nec in speciali, nec in communi. Quæ duo nō pugnant: nam Nicolaus non negat Christum aliquando habuisse aliquid proprij saltem in communi, sed negat talem vitam semper habuisse: Ioannes quoque non negat Christum aliquando nihil habuisse proprij nec in speciali, nec in communi, sed negat talē vitam semper Christū egisse; quod & dixerūt DD. supra citati. Sed si verba Nicolai Papæ intelligantur ab istis DD. vt scilicet faciūt hunc sensum, quod Christus verbò, & exēplo in propria sui persona docuerit, & exercuerit paupertatem abdicantem dominium rerum totū à se habitarū tam in cōmuni, quàm in speciali. Pontifices isti contrarij sunt. Quia Io: tanquam de fide tenendum decreuit, quod Christus eorum, quę legitur habuisse, pariter dominium habuit, seu ius eis vtēdi, ea vendēdi, & donādi, & ex eis acquirēdi. Igitur (vt sup. dictū est) Christus nunquam exēplo suo docuit abdicationē proprietatis, & dominij eorum, quæ habuit; quod est id, quod dicitur asserere Nicolaus. Quia Io: absolutè decreuit, quod Christus in ijs, quæ dicitur habuisse, dominium habuit. Præterea assertio ipsa Nicolai in eo sensu ex nullo loco Historiæ Euangelicæ, vel Apostolicæ probari potest, vt fatetur idem Io. in *Extrauag. Quia quorundam*. Neque hoc probant, quæ adducuntur à *Bellarm.* & alijs, si consideretur, quòd id, quod asseritur probatum non est abdicatio habendi aurum, vel argentum, vel alia, sed abdicatio proprietatis, & dominij auri, vel alterius rei habitæ.

72. Cum ergo adducitur locus *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, & argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram, nec duas tunicas neque calceamenta, neque virgam*, tantum abest, vt probetur intentum, quod probatur oppositum. Nam probatur, quod Christus permittit discipulis habere dominium. Quia si verbum possidere sumitur in magis stricta significatione, vt nedum dicit habere, sed habere vt suum, seu tanquam dominum; cum Christus permiserit discipulis ex vi verborum illorum *possidere vnam tunicam*, cum neget solum possidere duas; igitur ex dicto testimonio habetur quod Christus noluit quidem, vt haberent pecuniam, vel aliqua alia, non tamen prohibuit dominium propriarū vestium, omniūq; aliarum rerum, quas illis habere permisit. Quando ergo dicit, *Nolite possidere aurum, &c.* quod intendit Christus non fuit abdicatio dominij auri, vel argenti in casu, quod illa habere possent ad vsum, sed fuit abdicatio habendi aurum, & argentum etiam ad vsum, vt communiter Patres intelligunt. Vnde propterea *S. Augustinus* voluit quod hoc Christi dictum contineat consilium non præceptum, vt idem Io: 22. aduertit. Sed amplius dicitur secundo, quòd hic possidere idem est, quòd in via deferre. Vnde *Marci 6.* idem Domini mandatum refertur sub his verbis. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum non peram, non panem, neq; in zona æs.* Et Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Manifestum igitur est, quod Dominus ibi mandauit abdicationem ab habendo præfata, & quidem nec absolutè, sed in via; vnde nec prohibuit, quod vbi essent in vrbibus, vel oppidis, ad quæ ibant, reciperent, & haberent enumerata, inter quæ etiam est panis. Quis enim dixerit Christum prohibuisse Apostolis, ne panem reciperent ab illis, quos docebant, & quibus prædicabant, cum panis sit cibus proprius humanus etiam pauperum? Sed prohibuit ne panem, & alia numerata secum deferrent in via, sed expectarent necessaria ab illis, quibus prædicabant, quia dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua, vt dicitur *Luca 9.* Cæterum in locis vbi euangelizabant necessaria habebant. Vnde Dominus ipse *Luca 22.* cum Apostolos interrogasset, & dixisset, *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Illi dixerūt. *Nihil.* Habebant ergo necessaria tūc, & etiam si opus erat, pecuniam, qua necessaria emerēt. Duo ergo vera sūt ex quibus manifestū est, nihil ex his locis haberi, vnde deducatur, quod Christus aliquādo in propria persona docuerit abdicationem proprietatis, respectum eorum, quæ Christus habuit. Tum quia solum prohibuit Apostolis, ne supra narrata tollerent secum in via, non quod necessaria ad victum non haberent. Tum quia aliud est, quod prohibuerit habere in via præfata ad liberum vsū aliud est, quod prohibuerit, vel etiam consuluerit, quod eorū, quæ aliàs licitè habebant ad vsum, non haberent dominium. Hoc enim secundū minimè ex illis locis colligi potest, & tamen hoc est, quod secundum sensum præfatum docuisse Christum suo exemplo dixit Nicolaus Papa, & quod minimè ex aliquo Euangelij loco haberi potest.

73. Alia quoque, quæ adducuntur, vt quod filius hominis non habet vbi caput suum reclinet, vel quod Christo mulieres deuotè ministrabant, signi-

significant Christi paupertatem, & abdicationem rerum. Vnde est, quod aliqui ita interpretantur dictũ Nicolai, vt non asseruerit Christum nihil simpliciter habuisse, sed aliquando nihil habuisse, quod verum esse potuit, saltem dum vestibus spoliatus in Cruce pendebat, si illarum vestium dominium militibus cesserat *Bellar. vbi supra Suar. d. sect. 2. Bonac. de Incara disp. 2. q. 22. p. 2.* quos sequitur *Barbosa ad d. Extrau. Cum inter nonnullos.* Sed vt aduertit *Suarez* non deducitur cum fundamento, quòd Christus dominium suarum vestium cesserit militibus; quia imò oppositum deducitur ex loco illo *Ps. 22. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Nam dictio *mea* proprietatem importans, significat vestimẽta sub dominio Christi remãsisse. Præterea eo cõcesso nõ saluatur illa recẽtita mens Nicolai, nec ostẽditur, quod nõ sit eius dictũ in eo sensu contrariũ decreto Io. 22. Quia non erat disputatio nec quæstio inter hoc, quod est Christum fuisse pauperẽ, vel non fuisse, neque inter hoc, quod est Christum habuisse, vel non habuisse diuitias; cum manifestissimum sit Christum summè egenum fuisse. Neque quæstio erat, si Christus fuisset dominus rerum à se non habitarum, vel à se donatarum alijs, sed an fuisset dominus earum rerum, quas actu habebat ad vsum suũ, aut discipulorum, & ita quod Christus non abdicatis rebus abdicauerit dominium, & proprietatem, & ita vt illarum haberet nudum vsum facti sine dominio. Hoc enim Io. 22. negat & decreuit hæreticum esse asserere, quod Christus non habuerit dominium, & ius vtendi, vendendi, donandi, & acquirendi ex rebus, quas habuit, si ergo Nicolaus hoc affirmauit iam directè Pontifices isti sunt contrarij.

74. Aliter propterea ad concordiam reduxit horum Pontificum decreta, Cardinalis Vienen. seu Vniuers. Parisien. apud Oder. vbi sup. n. 55. ibi.

Ad quartum dicitur primo, quod quando dicitur in decretali, quod illam paupertatem, quæ est non habere nec in proprio, nec in communi, Christus verbo docuit, & exemplo confirmauit, dico quod intelligendum est de paupertate; quæ est non habere in proprio, nec in communi quantum ad dominium acquisitum, sicut patet supra in secunda quæstione; sed de bonis mobilibus non est verum, quia Christus habuit aliqua pauca in communi. Et videtur ista ratio ita esse rationabilis de iure, sicut illa, quam faciunt doctores iuris, & Goffredus quolib. 11. q. 4. super illo verbo Extr. Cum ad monasterium: Abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeò sunt annexa regula monachali, vt contra ea nec summus Pontifex possit licentiam indulgere; quod exponitur, non potest, id est non debet; quia non potest, non dicit ibi impotentiam, sed difficultatem. Et hunc modum conciliandi approbat, vt omnium optimum idem Odericus ad annum 1322. num. 65. in fine. Sed & hæc concordia suas pati videtur difficultates. Nam primo etiam ipsa videtur fugere difficultatem quæstionis. Nam licet dicatur, quod Christus immobilia non habuerit, & domus non habuerit, nisi ad vsum hospitij. Tamen Io. 22. vult quod etiam circa huiusmodi Christus habuerit illud ius ciuile, & acquisitum, quod ex iure & praxi hominum acquiritur ex concesso hospitio. Et præterea quod dispositio Nicolai intelligi debeat de omnibus rebus etiam mobilibus ex eo videtur esse manifestum, quod Regula Sancti Francisci omnium rerum etiam mobilium prohibet proprietatem, & quidem per abdicationem dominij tam in particulari, quàm in communi iuxta declarationem Gregorij IX. & Alexandri IV. de quibus etiam mentio habetur à Io. 22. in Extrauag. *Quia quorundam* Non ergo Nicolaus Quartus loquutus est solum de immobilibus, sed de omnibus rebus etiam mobilibus cum assertionem suam ad probandam sanctitatem, & bonitatem Regulæ sancti Francisci attulerit. Verum vt infra magis explicabitur, dicitur quod interpretatio est legitima, & germana, & aliud est, quod assumitur, & aliud, ad quod probandum assumitur. Quod assumpsit Nicolaus est, quod Christus exemplo docuit abdicationem proprietatis, & hoc est verum respectu immobilium, & sufficit, vt videbitur ad probandum Nicolai intentum.

75. Aliam rationem concordiæ refert idem Odericus ad annum 1322. num. 65. ibi:

☞ Vel vt alij docuerunt, *abdicatio omnium rerum* scilicet quoad curas nimias, quam explanationem adducit Bertrãdus tit. S. Mariæ in Aquiro.

Nec obstat, inquit, *quod vita Christi fuit, quam verbo docuit, & exemplo firmauit, non habere aliquid in communi, nec in speciali, quia illud verum est, quantum ad superfluitatem, seu thesaurizationẽ: non autem intelligitur, quantum ad necessitatem propriam, seu aliorum, quia tale habere, vt puto, non diminuit aliquid de perfectione paupertatis, vt credo cum augeat de perfectione charitatis.*

76. Cum verò, quæ præfati Card. & DD. attulerunt pro interpretanda Decretali Nicolai IV. fuerint data sedi Apostolicæ ante emanationem Extrauag. *Cum inter nonnullos,* & Extrauag. *Quia quorundam,* quia data sunt pro consultatione veritatis discutiendæ, & quam postea Io. 22. definit in d. Extrau. *Cum inter,* & idem Io. 22. in Extrau. *Quia quorundam* explicet mentem Nicolai Quarti in decretali *Exijt,* huic concordiæ erit standum. Primo igitur Io. 22. refert dictum Nicolai, ibi. *Vbi sunt illa sancta Regule professores, qui euangelico fundantur eloquio, vita Christi roborantur exemplo, fundatorumq; militantis Ecclesia Apostolorum eius sermonibus, & actibus firmantur. Et post in eadem declaratione subiunxit dicens, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tàm in speciali, quàm in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit, quamq; primi fundatores militantis Ecclesia, prout ipso fonte hauserant, in volentes perfectè viuere per doctrina, ac vita ipsorum alueos direxerunt.* Hic verò relatis ostendit primo, quòd non fuit mens Nicolai, quod omnia contenta in Regula S. Francisci fuerint exemplo Christi, & Apostolorum roborata, quod & probat. Vnde, & ait dictum Nicolai intelligendum de spectantibus ad tria vota, & alijs in Euangelio contentis, quæ sint expressa in dicta Regula. Deinde ad punctum paupertatis accedens sic ait. *Adhuc non apparet ipsum dixisse sustentationem Christi. & Apostolorum eius in solo, & nudo simplici consistere vsu facti, cum quo ad Christum, & Apostolos, nullam præfatus prædecessor noster Nicolaus in sua declaratione fecerit mentionem: imò sensisse satis videtur*

deinr

ictur expressè, quòd ius aliud à proprietate habuisse patuerunt: cum de sola abdicatione proprietatis non iurit alterius in praefata declaratione, quantum ad ipsas attinet mentis habetur. Adhuc idem Nicolaus Predecessor noster videtur sensisse, quod Christus, & Apostoli etiam quoad proprietatem habuerunt aliquid in communi, cum enim in suo declaratione praedicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens obiectioni tacitae, quae sibi de loculis, quas Christus habuisse in euangelio legitur, poterat fieri, statim quae sequuntur subiunxit: nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera in suis actibus, viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionem condescendens in viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic & infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse. Aliàs impertinens de loculis fuisset obiectio, nisi intellexisset Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Praeterea si diceretur Christum in loculos habuisse tantummodo simplicem vsum facti, frustra diceretur quod in personam infirmorum ipsas Christus habuit loculos: cum secundum eum perfectis etiam conuentus habere simplicem vsum facti. Et si quaeratur propter quos infirmos istas loculas habuerit: Augustinus, cuius dictum insertum est in decretis, respondet, dicens. Habebat Dominus loculas à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat: vnde constat ipsum de suis Discipulis hoc sensisse.

77. Primo ergo Io: 22. distinguens inter dominium proprietatis, seu rei, & dominium vsus affirmat quod Nicolaus locutus est de proprietatis abdicatione, non de abdicatione iuris vtendi. Et ratio est, quia Nicolaus non meminit vsus sed proprietatis. Non ergo dixit quod abdicationem iuris vtendi Christus verbo, & exemplo docuerit. Secũdo ait, quod Nicolaus nec locutus est vniuersaliter de abdicatione omnis proprietatis, & hoc probat manifestè, quia Nicolaus admittit, quod Christus habuerit proprietatem, & dominium loculorum. Ex his duobus autem colligitur manifestè dictum Nicolai non posse intelligi vniuersaliter, nec quantum ad res, nec quãtũ ad tẽpus. Et in hoc Io: videtur approbare interpretat Vniuersit. Parisien. & aliorum supra n. 74. & 75 scilicet quod mẽs Nicolai fuit asserere, quòd Christus verbo, & exemplo in sui persona docuit abdicationem proprietatis aliquarum rerum, quarum noluit habere proprietatem, licet habuerit vsum, nimirum superfluorum, & immobilium, vt domorum, quarum habuit vsum non dominium; quia aliàs idem Nicolaus ibidem fatetur Christũ habuisse dominium mobilium, scilicet loculorũ. Nec obstat si dicatur, quod mens Nicolai est ostendere, quòd sancta est, & meritoria abdicatio proprietatis etiam mobilium, quam profitentur Minores. At verò hoc nõ probaret ex medio exẽpli, & doctrinae Christi, si Christus abdicationem proprietatis mobilium non habuit de facto. Nam respondetur quod Christum habuisse proprietatẽ loculorum, & mobilium est certum etiam ad mẽtem Nicolai. Quando igitur dixit, quod Christus exemplo suo docuit abdicationem proprietatis, si intelligatur, quia ipse non habuerit proprietatem non potest intelligi vniuersaliter: & tamen eius argumentum vim habet ad probandum abdicationem rerum, quam habent Minores esse sanctam, & meritoriam, quia ad hoc vt dicatur quod Christus suo exemplo aliquid docuit sufficit quod Christus aliquid fecerit, ex quo per bonam consequentiam etiam aliud deducatur. Ex quo ergo in aliquibus Christus suo exemplo abdicauit dominium, & proprietatem sequitur, quod abdicatio proprietatis tã immobiliũ, quam mobilium, quam profitentur Minores bona sit, & meritoria, & hoc suo exemplo Christus docuit, si non immediatè, saltem consecutiuè, quatenus suo exemplo abdicauit immobilium, & superfluorum proprietatem. Itaque ergo non sunt contrarij Io: & Nicolaus. Quia Io: non negauit vnquam Christum abdicasse dominium proprietatis aliquarum rerum, nimirum immobilium, & superfluarum. Sicut nec dixit quod Christus omnium eorum, quorum habuit vsum habuerit proprietatem, & dominium, sed dixit quod habuit dominium eorum, quae scriptura narrat eum habuisse. Cuius sensus est, quod si refertur Christum habuisse rem, habuit rei proprietatem, & si refertur habuisse rei vsum, habuit ius vtendi. Et sic de facto non habuit Christus proprietatem domorũ, in quibus recipiebatur, sed nec dicitur illum eas habuisse: imo dicitur, quòd eas non habuerit *Matth.* 8. Sensit igitur Io: 22. quòd Christus aliquarum rerum non habuit dominium, licet habuerit vsum, vt domorum, & sepulchri. Nec amplius voluit Nicolaus, qui confessus fuit Christum habuisse proprietatem aliquorum mobilium, nimirum loculorum. Quod verò Nicolaus sensit Christum suo exemplo docuisse sanctam esse abdicationem proprietatis omnium rerum etiam mobilium, hoc non negatur à Ioanne, si in vero sensu intelligatur, nimirum de doctrina fundamẽtali, seu consecutiua, & ad mentem Nicolai non potest aliter intelligi, cum Nicolaus fateatur Christum aliquorum rerum habuisse proprietatẽ, igitur de mente Nicolai Christus immediatè in se ipso non docuit abdicationem proprietatis, omnium omninò rerum, sed hanc esse bonam docuit consecutiuè in eo, quod abdicauit proprietatem immobilium, & superfluorum, quod non est contrarium Decreto Io: 22.

78. Quod verò dictum est de Christo verificatur cum proportione de Apostolis. Verum est, quod de illis loquendo distinguendum est iuxta duplicem sententiam eorũ, qui sentiũt Apostolos vouisse religiosam paupertatem, & qui hoc negant. Nam in hac sententia negante verum est, quod Apostoli non habuerunt dominium immobilium in particulari, hoc enim eos habuisse non legitur post Christi sequelam, & saltem est certum, quod in rei veritate taliter abdicauerunt proprietatem suarum rerum, quod dicere potuerunt, *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *Matth.* 19. Rerum tamen necessariarũ ad vitam, quas habuerunt, dominiũ etiam habuerunt, vel etiam iuris vsum. Sed in suppositione, quod vouerint paupertatẽ religiosã ante Christi mortem, immobiliũ dominiũ nõ habuerũt etiam in communi, habuerũt verò dominium mobilium in communi, non quia eorum mobilium dominium esset in Collegio

Apostolorum, vel in Ecclesia, sed quia erat in Christo, vt in Ecclesiæ capite, & ea bona ad vtilitatem communem conseruabantur. Quodammodo tamen tunc non habebant dominium nec in particulari, nec in communi, si per commune intelligatur Collegium ipsum Apostolicum, quod tamen sufficeret ad mentem Nicolai IV. Nec negat Io: 22. qui circa hoc non descendit magis ad particularia, nisi quod decernit dominiũ loculorum fuisse Christi, & fuit eius vt Prælati cõmunis, & ad communem vtilitatẽ. Sed post Christi mortem, & Ascensionẽ Apostoli in suppositione quod vouerint religiosam paupertatem, ad sensum Nicolai non habuerunt dominium, vel in particulari, vel in communi ratione Collegij Apostolici, sed bene ratione Ecclesiæ vniuersalis, cuius tamen ipsi erunt membra immediata, & Pastores, quod non negat Nicolaus, nec plus dici posset affirmari à Io: in ea suppositione; sed si non vouerunt Religiosam paupertatem, Apostoli non habuerunt in particulari, nec immobilia, nec superflua, sed eorum, quæ habuerunt simul, vel dominium, vel iuris vsum habuerunt, & iuxtà leges acquirendi sibi acquirebant, & habebant ius, vt vterentur acquisitis, & ea venderent, vel donarent, & ex eis acquirerent, vt definiuit Io: 22.

SVMMARIVM.

1 *Obiectio contra textum. num. 79.*
2 *Dominium immobilium in communi non repugnat perfectioni secundum substantiam. numer. 80.*
3 *Dominium necessariorum in communi non repugnat altissimæ paupertati. num. 81.*
4 *Abdicatio dominij in communi respectu necessariorum non minuit solicitudinem. num. 82.*
5 *Non eo paupertas est perfectior in ratione instrumenti ad perfectionem, quo austerior. num. 82.*
6 *Nulla Religio est, quæ aliquod dominium in communi non habeat. num. 84.*
7 *Collegium Apostolorum cur non habuit bona propria. num. 84.*
8 *Collegia particularia non habere bona in communi non minuit solicitudinem. num. 85.*
9 *Obiectio proponitur. num. 86.*
10 *Non abdicare dominium bonorum mobilium in communi, non est imperfectius. num. 87.*
11 *Non abdicatio præfati dominij est imperfectiorum secundum naturam. num. 88.*
12 *Christus habuit loculos condescendendo naturæ, num. 88.*
13 *Aut condescendendo infirmitati hominum, ne scandalizentur si Ecclesia habet loculos. numer. 89.*
14 *Christum habuisse loculos fuit perfectionis. numer. 90.*
15 *Conseruare necessaria non est prohibitum ex eo, quod non debemus esse soliciti. num. 91.*
16 *Perfectio non in habitu, sed in actu consistit. numer. 92.*
17 *Dominium immobilium in communi solum secundum quid minuit statum perfectionis, numer. 93.*

Possidere aliquid in communi non repugnat altissimæ paupertati.

79. Diminutus videri forsan poterit D. T. in hoc articulo cum mentionem non faciat paupertatis abdicantis omne dominium tam in communi, quàm in particulari, quæ abdicatio videtur dicenda altissima paupertas, quia si abdicatio alicuius dominij spectat ad perfectionem, igitur maioris perfectionis erit totius dominij abdicatio. Et sic resolutio D. Th. est diminuta, imò falsa, quia abdicatio dominij in communi cur non sit dicenda esse maioris perfectionis, cum verum sit, quod paupertas ad perfectionem spectat? Nam non est altissima paupertas, quæ admittit de contrario paupertati, quod est dominium: paupertas igitur admittens dominium in communi, non est altissima paupertas, & sic neque est altissima perfectio non habere dominium rerum, nisi in communi, quia dominium diminuit de perfectione.

80. Sed dicitur quod *Diu. Thomas* non est diminutus imò adæquatè, & verè quæstionem soluit, quia nimirum dominium aliquarum rerum in communi non derogat perfectioni. Nam de perfectione loqui possumus, vel quantum ad substantiam, vel quantum ad gradum illius. Primo modo nec dominium immobilium in communi, imo nec abundantia diuitiarum possessarum in communi derogat perfectioni, vt *D. Tho.* probauit. Quia imo Religiosis militibus conuenit habere in cõmuni abũdãtes diuitias, & Monachis moderatas. Et ita Religiones omnes sunt status perfectionis, & omnes Christũ pauperẽ imitãtur, & Euangelicã, seu Apostolicã profitentur paupertatem, vt benè aduertit, & probat *VVadingus in Annal. Minor. ad ann.* 1324. n. 10. & magis ex dicendis apparebit: Et imò considerandum quòd quia non eo Religio simpliciter est perfectior, quo est pauperior, sed quo ad altiorem finem ordinatur, & ad illum paupertatem magis proportionatam assumit, non ideò asserimus aliquam Religionem esse simpliciter perfectiorem, quo dicitur eius esse perfectiorem paupertatem. Verum spectato gradu perfectionis *D. Th.* hic & latius *opusc. 17. cap. 15. & opusc. 18. cap. 6.* probat quod habere in communi possessiones, seu bona immobilia est minoris perfectionis, quia est maioris solicitudinis.

81. Sed quia paupertas potest comparari vel in ratione paupertatis secundum se, vel in ratione instrumenti ad perfectionem acquirendam, indubitatum est altiorem in genere paupertatis esse illam, quæ dominium tam in particulari, quam in communi abdicat, vt habet *Caiet. in art.* In quo sensu est proculdubio verum, quod dixit Innocent. V. & refertur in *Extrauag. Quia quorundam*, scilicet altam paupertatem esse habere pauca propter Christum; altiorem, quæ nulla habet propria, habet tamen in communi; altissimam, quæ nihil habet in mundo, nec in proprio, nec in communi. Hoc enim verum est, & indubitatum

de pau-

de paupertate in genere paupertatis. Sed paupertas nō est aptius instrumentum ad perfectionem, quo est maior in genere paupertatis, vt docet *D. Th. in artic.* & considerauit etiam *VVadig. in Anal. Min. ad ann.* 1324. *num.* 15. & 17. Considerata igitur paupertate in ratione instrumenti perfectionis, quod modo asseritur est, quod habere dominium aliquarum rerum mobilium in communi, eaq; conuenienti tempore procurata conseruare pro futuris necessitatibus non diminuit perfectionem status Religiosi, nec facit, quod paupertas huiusmodi non possit dici altissima, Euangelica, & Apostolica paupertas. Assertio verò ista ea Io: 22. & Cardinalibus, alijsq; DD. quos Io: vocauit ad consultationem in controuersia de paupertate Christi, & Apostolorum probanda est. Itaque Io: 22. hanc assertionem probans in *Extrauagan. Quia quorundam*, sic habet. *Nec hoc, scilicet, in communi, & quoad proprietatem aliqua habere, derogat, iuxta dictum Gregor. IX prædicti, altissimæ paupertati, qui in quadam sua Decretali dicit expressè, Fratres Prædicatores, & Minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari: & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum Regulæ, & statui non repugnat. Hoc etiam Alexander Prædecessor noster præfatus in commendatione libelli contra Statum Prædicatorum, & Minorum edi videtur sensisse, in quo aliquando de dictis Fratribus quæ sequuntur, subiunxit, cum insuper respondet, quod ijdem Fratres omnia propter Deum dereliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christumq; imitentur pauperem, perfectionem euangelicam amplexando: propter quod euidenter apparet eos non solum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ Religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Euangelicæ tenet formam, in æterna retributionis premia præcellentem gloriam promereri: vbi quidem expressè dicit, Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsosq; perfectionem euangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum, quodque ipsorum Religionis obseruantia perfectionis Euangelicæ tenet formam, & tamen constat ipsos habere posse etiam quoad proprietatem aliqua iuxta eorum Regulam in communi. Nec obstat, quod dicunt Innocen. (alias Colestinum V.) prædecessorem nostrum dixisse: altam paupertatem esse habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi; altissimam, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi: dicimus quidem quod hoc dixerit, non vt Papa, sed vt frater Petrus de Tarantasia in quadam postilla sua, quare dicta præmissorum Summorum Pontificum sunt ei merito præferenda. Dicitur etiam, quod Apostolus de tali altissima loquitur paupertate dicens: Et altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum, quod euidenter est falsum: quia ibi loquitur de paupertate Macedonum, qui etiam in speciali bona temporalia obtinebant, de quibus Apostolus asserit, quod supra vires suas miserant eleemosynas sanctis.*

82. Ratio autem ad hoc probandum manifesta est, qua vsus fuit idem Ioannes Vigesimus secundus in *Extrauagan. Ad conditorem*, ibi. *Cum enim* inquit, *perfectio vitæ Christianæ principaliter, & essentialiter in charitate consistat, quæ ab Apostolo perfectionis vinculum dicitur, & quæ vnit, seu iungit aliqualiter in via hominem suo fini: ad quam per contemptum bonorum temporalium, & ipsorum expropriationem via disponitur, per hoc præcipuè, quod solicitudo, quam temporalia in acquirendo, conseruanda, & dispensando exigunt, quæ plerunque ab actu charitatis retrahit, amputetur.* Quæ est doctrina D. Th. *in artic.* Ex qua habetur hæc Regula, illam scilicet esse in ratione instrumenti ad perfectionem altissimam paupertatem, quæ minimum retinet solicitudinis circa tēporalia. Talis verò est paupertas admittens mobiliū necessariorū dominiū in cōmuni. Nam dum horum necessariorum habentes dominium in cōmuni illa quærunt certis temporibus, & recepta conseruant, non habent solicitudinem quotidie quærendi, & plures & plures habendi occupatos in quærendo quotidie, non sine timore etiam solicitudinem ingerente, ne aut temporum iniuria impediatur quæsta, aut ne inueniantur necessaria, vnde etiam se ingerit magna occasio, hoc vel illo medio asseeurandi quæstam; & non potest negari, quin abdicatio ista dominij necessariorum non habeat satis grauē solicitudinem adiunctam ratione quotidiani, aut frequentioris quæstus. Alias verò quantum ad domos, & hortos, & vtensilia, eadem est omnium solicitudo, ne iniustè auferantur, vel ne à causa intrinseca corrumpantur, sed qui mobilium horū dominium habentes, ea etiam congruo tempore acquisita custodiunt, solicitudinem quærendi nō habent nisi breui tempore messis, & vindemiæ, solicitudo verò conseruandi acquisita pro sustentamento necessario minor valde est, quàm sit solicitudo quærendi, nec requirit plurium personarum multitudinem, nec occupationem; quæ extra Conuentum Religiosos occupet, & distrahat a spiritualibus exercitijs; verum igitur est, quod paupertas excludens immobilia, & superflua sed necessariorum admittens dominium in communi minimum habet de solicitudine.

83. Et si dicatur, quod paupertas abdicans dominium necessariorum, & ea non conseruans habet plurimum de carentia etiam eorum, quæ sunt necessaria, & quæ à mendicantibus quotidie non semper inueniuntur, vnde hæc paupertas est magis pœnalis, & laboriosa. Respondetur, & dicitur primo, quod nihil horum prouenit ex abdicatione dominij eorum, quæ habentur, vel rerū si habeantur, quia vbi res habeantur applicatæ ad solum vsum huius, vel illius Conuentus, aut Religiosi, quod earum dominium sit, vel non sit apud Conuentum, non facit paupertatem magis laboriosam, & pœnalem, quia pœnalitas est ex carentia habendi, non ex carentia dominij eius, quod alias ad liberum vsum habetur. Dicitur secundo, quod huiusmodi maior laboriosa paupertas prouenire potest ex eo, quod res non conseruentur, & retineantur, sed considerandum, quod si paupertas eo censenda esset perfectius instrumentum, quo est magis pœnalis, & laboriosa, sequeretur eam assumendam, quæ abdicat omnem commoditatem, & excludit omnem cibum præter herbas crudas, vel saltem panem, & aquā. Sed non ita est, quia talis paupertas esset valdè improportionata infirmitati humanæ, & esset propterea occasio impatientiæ, murmurum, inquietu-

qoietudinum animi, & abominationis statur Religiosis; sic ergo esto aliqua paupertas sit magis pœnalis, & magis carens quibusdam commoditatibus, & sit asperior, non inde sequitur, quod sit perfectios instrumentum ad perfectionem, sed in hoc praeminet paupertas pauca, & modica suo tempore acquisita conseruans, quæ pœnosa est cū pauca, & necessaria admittat tantum; & aliàs minus habeat de solicitudine. & inquietudine, & abdicatione à diuinis.

84. Dices nullam dari Religionem, quę abdicet dominium in communi respectu Ecclesiæ vniuersalis, quod considerauit etiam *VVadingus vbi supra num.* 18. neque abdicationem huius dominij vniuersalissimi spectare ad perfectionem, quia quæ acquiruntur à Religiosis sunt de Christi patrimonio, cuius dominium secundum aliquos est apud Christum, & secundum alios apud Ecclesiam vniuersalem, & administratio ad Pontificem. Sed abdicatio dominij ab aliquo collegio particulari spectat ad perfectionem, & huius exemplum habemus in Apostolorum Collegio, quod vt tale nihil vnquam possedit, vt dominus. Sed dupliciter soluitur hæc obiectio, Primo quia Collegium Apostolorum non fuit Collegium particulare, sed vniuersale, & non fuit Collegium simul viuentium, sed diuisorum per remotissimas mundi partes, & tale, quod in ratione habendi non debet vniuersali Ecclesiæ contradistingui, sed in hac ratione immediata communitas, sub qua Apostoli vtebantur erat vniuersalis Ecclesia. Quamobrem quod Collegium Apostolicum strictè sumptum non habuerit bona in communi fuit, quia illud non erat Collegium simul viuentium in communi, cum Apostoli per totum mundum fuerint diuisi, & amplius non erat vnde haberet propria bona; Ecclesiastica cum Apostoli omnium Ecclesiasticorum bonorum haberent administrationem, quibus vti possent etiam ad proprium commodum. Alias vero erat Collegium Prælatorum, quibus competebat etiam habere proprium in particulari. Adde quód Apostolorum Collegium, quatenus tale strictè, sicut non habuit dominium commune alicuius rei, sic nec habuit bona applicata ad sui vsum proprium. Quamobrem quod quis non habeat dominium earum rerum, quæ non habet, hoc benè intelligitur. Et in hoc Christus, & Apostoli fuerunt pauperes, quia nec ad vsum voluerunt habere nisi necessaria, sed quod habuerint ad vsum, & nullum habuerint dominium, & quod dicatur maximæ perfectionis esse habere bona applicata ad vsum proprium, & non habere illorum dominium nec in communi, hoc aliud est, Et quod nos dicimus est, quod hæc dominij abdicatio non importat perfectionis excellentiam talem, vt sine ea non sit altissima paupertas, & addimus quod huius abdicationis exemplum non dederunt Apostoli immediatè in se ipsis, quia imo ipsi eorum, quæ ad vsum proprium illis de bonis cōmunibus applicabātur habuerunt iuris vsum, vel si vouerint religiosa paupertatem, habuerunt ita vsum facti, quod tamen etiam habuerunt dominium in communi respectu illius communitatis, sub qua immediatè vtebantur, & cui applicata erant illa bona, nulla bona, nec quantum ad proprietatem, nec quantum ad vsum habentes, quatenus erant Collegium Apostolorū, quód si huiusmodi bona Collegium illud habuisset, saltem ad vsum sibi appropriata, eorū etiam dominiū in cōmuni habuisset.

85. Respondetur secundo, quod cum iam sciam sit non posse in statu perfectionis dari abdicationem dominij saltem respectu Christi, & Ecclesiæ vniuersalis; cum aliàs quæstus immediatè fiat pro Collegio particulari, & ad eiusdem vsum tantum bona quærantur, & recipiantur, & per aliquos de Collegio bona procurari debeát. & dispēsari, aut etiam conseruari, abdicatio ista dominij à Collegio in particulari, eā nō minuat solicitudinē circa temporalia, sed potius maiorem habeat adiunctam, hioc est, quod in ratione instrumenti ad perfectionem acquirendam non reddit paupertatē perfectiorem ea, quæ aliquorum mobilium, quæ sunt necessaria, admittit dominium in communi.

86. At vrget in contrarium, quod Nicolaus IV. in Decretali Exijt; inquit, quod Christus habuit loculos condescendens infirmorum imperfectionibus; igitur Christum habuisse loculos non fuit altissimæ perfectionis, sed condescensus infirmorum imperfectioni.

87. Verum respondetur, quod hæc assertionem positā nō petunt. Nā vis totius argumenti hæc est quod habere dominium in communi sit imperfectionis, & quod Christus eius dedit exemplum cōdescendendo infirmorum imperfectionibus. Hoc argumentum petit principium, quia assumit probandum scilicet quod habere dominium in communi sit imperfectionis. Et certè dum asseritur, quod abdicatio dominij sit quid perfectius, & nō abdicatio imperfectius, si intelligitur hoc merè in genere paupertatis id admittitur, & est indubitatum, sed hic est sermo de perfectione in ratione instrumenti aptioris ad perfectionem acquirendam, Et ve argumentabatur Vniuersitas Paris. apud Odericum ad annum 1323. nom. 56. in genere paupertatis valdè maior est, quæ abdicat omnem cibum, & permittit solum panis, & aquæ vsum. Vnde si spectat ad perfectionem, quod Christus elegerit summam paupertatem in genere paupertatis, debuisset abstinere à vino, carnibus, & piscibus, quod non fecit. Si verò sensus sit, quod non abdicatio dominij in communi, etiam respectu mobilium necessariorum, sit quid imperfectius in genere instrumenti perfectionis, propositio non est probata, nec potuit accipi in hoc in hoc sensu à Nicolao Quarto. Nam si propositio esset vera sequeretur quod Christus, & Apostoli nobis in se ipsis non dedissent exemplum altissimi status paupertatis, & perfectionis, quia quia abdicationis dominij in communi eorum, quæ fuerunt necessaria ad sustentamentum vitæ, Christus, & Apostoli non dederunt in se ipsis, vt pluries est probatum, & dixit Io: 22. in Extrauag. *Quia quorumdam*, & in sua consultatione, & Commentario considerauit Episcopus Aniciensis apud Odericum ad annum 1322. num. 59. sic dicens.

Ad illud, quod dicitur in expositione Regulæ Fratrum Minorum, dicendum est, quod duo ibi dicuntur, primum est, quod abdicationem omnium rerum tam in proprio, quam in cōmuni, Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit. Secundum est, quod Christus infirmorum personam suscepit in loculis

loculis. Primum autem dictum, quantum ad hoc quod dicit, quod Christus verbo docuit abdicationem omnium rerum tam in proprio, quàm in communi, & exemplo firmauit; non inuenio alicubi scriptum in Euangelio, aut in cæteris scripturis noui testamenti, & maximè quod ipse, & Apostoli non habuerunt aliquod dominium, seu proprietatem in vestimentis, & alimentis sibi datis, sed solum vsum facti, remanente dominio, & proprietate penes alium, *Et infra*. Et mirum est quod ad probandum Christum, & Apostolos sic fuisse pauperes, & mendicos, quod nihil proprietatis, & dominij habuerunt in quibuscumque rebus, sed solum simplicem vsum facti adducuntur auctoritates sanctorum: cum primitiui sancti, quorum auctoritates adducuntur, SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Basilius, & cæteri numquam distinxerunt in rebus, quæ vsu consumuntur, inter habere eas quoad dominium, & quoad simplicem vsum facti: nec prædictis sancti, qui sicut veri, & perfecti Religiosi renunciarunt seculo, conati sunt tendere ad statum, in quo nihil habeatur in communi: immo summam paupertatem meritoriam reputauerunt illam, per quam sic renunciator seculo, vt nihil in proprio habeatur. Vnde Basilius in regula sua 90. dicit sic: Communionem vitæ perfectissimam hanc ego voco, à qua possessionum quidem proprietas propulsa esse, communia autem omnia. Ecce quod vitam communem perfectissimam vocat illam, in qua nihil est proprium, sed omnia communia, perfectissimo autem nihil est perfectus: vnde relinquentes propria, quamuis sint in statu habentium aliquid in communi, verè tamen dicuntur nudi, & omnia contempsisse, & nihil præter Christum quærere: & in hoc sensu sunt intelligendæ omnes auctoritates sanctorum, loquentium de contemptu mundi, & rerum temporalium. Vnde illud, quod Augustinus dicit in Epistola ad Ebidiam: Si vis esse perfecta, & in primæ stare fastigio dignitatis fac quod fecerunt Apostoli: vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam, solamq; Crucem nuda sequaris; hæc enim nuditas exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, qui dicit sic: Si non accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, de altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar. Vide ergo, quod etiam clerici viuentes de altari, si victu, & vestitu sint contenti, nudam Crucem sequuntur nudi. Similiter intelligendum est illud Augustini de cathechizandis rudibus, vbi dicit sic: Omnia bona terrena contempsit Christus, vt contemnenda monstraret. Hoc enim solum intelligitur de contemptu rerum mundi, quæ in proprio possidentur, non de communibus bonis Ecclesiæ, vel Monasterij, quæ res non mundi, sed Dei. Vnde Prosper de vita contemplatiua: Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, iam non sunt res mundi credendæ, sed Dei. Item illud, quod dicit Hieronymus in tertia Epistola ad Heliodorum, quod perfectus seruus Christi nihil habet præter Christum, aut si aliquid habet præter Christum, perfectus non est; & sic, vt videtur, qui habet aliquid in communi, perfectus non est, exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, vbi dicit: Qui tantum Ecclesiæ bonis vtitur, nihil habet præter Christum. Et Prosper: Qui tantum de bonis Christi contemnendo omnem proprietatem, nihil in hoc seculo habere quærit, quia hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere. Et simili modo sunt intelligendæ omnes auctoritates quorumcumque sanctorum, loquentium de contemptu mundi, & de renunciatione bonorum temporalium, qui nunquam cogitauerunt, nec locuti sunt de aliquo statu, in quo sic contemneretur ea, quæ sunt necessaria victui, quod in eis haberetur solus vsus facti, proprietate, & dominio penes alium remanentibus. Sic ergo ex his Anicien. Episcopi rationibus benè apparet, dominium in communi non esse imperfectionis, & esse conforme paupertati Apostolorum. Non potest ergo esse sensus Nicolai, quod non abdicatio dominij in communi respectu necessariorum ad vitam sit imperfectius in ratione instrumenti ad perfectionē status verè, & realiter.

88. Multipliciter igitur exponitur decretalis Nicolai. Prima expositio docet, quod non abdicatio necessariorum, & dominij eorum est infirmitatis, & imperfectionis in esse naturæ, & respectu humanitatis nostræ, quæ pro hoc statu sine vsu temporalium in cibo, potu, vestitu, & habitatione non potest consistere.

Quod ergo dicitur in illa decr. Exijt qui seminat (inquit Epis. Anicien.) quòd Christus in loculis accepit personam infirmorum, originem habet à glossa, quæ habetur Io. XIII. quæ dicit sic: cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum condescendendo infirmis. Et istud potest exponi dupliciter vno modo, quod Christus, cum esset Deus, & homo, in quantum erat Deus, maior erat Angelis, & sic non indigebat loculis; sed Angeli vt ministri obsequebantur ei; quantum autem ad naturam humanam infirmus fuit, & minor Angelis, & sic indiguit secundum cursum naturæ cibis, & alimentis, sicut cæteri homines, & pecunia, seu loculis, mediantibus quibus vitæ necessaria emerentur. Infirmitas ergo, de qua loquitur glo. prædicta, non sonat imperfectionē status, sicut alij arguunt; sed notat conditionem humanæ naturæ pro statu mortali.

Eandem expositionem tradidit Episcopus Soranus ibid. num 63.

Si dicatur (inquit) in eo, quod loculos habuit, infirmorum suscepisse personam, ex hac adiectione non sequitur, sed firmatur eum, & Apostolos habuisse aliqua in communi: quamuis si dicatur, eum in hoc monstrasse infirma humanitatis assumptæ, potest dici, quod quidquid Christus gessit in carne, & vt homo non ratione vnionis ad Verbum, sicut quod fugit, fatigabatur ex itinere, esuriuit, & sitiuit, quod fremuit, lacrymatus est, & cætera talia; cōperebat sibi ratione infirmitatis, & naturalis imperfectionis naturæ: permittebat enim naturam humanam, quæ sua sunt facere, & pati: omnia tamen hæc stabant cum apice summe perfectionis in eo. Itaque sicut fugiendo egit, vt infirmus, quia puerili ætati conuenit fugere minantem, vt dicit Chrisostomus: in hoc nihilominus tamen etiam perfectis dedit exemplum,

vt cum

quietudinum animi, & abominationis status Religiosi; sic ergo esto aliqua paupertas, sit magis pœnalis, & magis carens quibusdam commoditatibus, & sit asperior, non inde sequitur, quod sit perfectius instrumentum ad perfectionem, sed in hoc præeminet paupertas pauca, & modica suo tempore acquisita conseruans, quæ pœnosa est cū pauca, & necessaris admittat tantum; & aliàs minus habeat de sollicitudine, & inquietudine, & abdicatione à diuinis.

84. Dices nullam dari Religionem, quę abdicet dominium in communi respectu Ecclesiæ vniuersalis, quod considerauit etiam *VVadingus ubi supra num.* 38. neque abdicationem huius dominij vniuersalissimi spectare ad perfectionem, quia quæ acquiruntur à Religiosis sunt de Christi patrimonio, cuius dominium secundum aliquos est apud Christum, & secundum alios apud Ecclesiam vniuersalem, & administratio ad Pontificem. Sed abdicatio dominij ab aliquo collegio particulari spectat ad perfectionem, & huius exemplum habemus in Apostolorum Collegio, quod vt tale nihil vnquam possedit, vt dominus. Sed dupliciter soluitur hæc obiectio, Primo quia Collegium Apostolorum non fuit Collegium particulare, sed vniuersale, & non fuit Collegium simul viuentium, sed diuisorum per remotissimas mundi partes, & tale, quod in ratione habendi non debet vniuersali Ecclesiæ contradistingui, sed in hac ratione immediata communitas, sub qua Apostoli viuebantur erat vniuersalis Ecclesia. Quamobrem quod Collegium Apostolicum strictè sumptum non habuerit bona in communi fuit, quia illud non erat Collegium simul viuentium in communi, cum Apostoli per totum mundum fuerint diuisi, & amplius non erat vnde haberet propria bona Ecclesiastica cum Apostoli omnium Ecclesiasticorum bonorum haberent administrationem, quibus vti possent etiam ad proprium commodum. Alias vero erat Collegium Prælatorum, quibus competebat etiam habere proprium in particulari. Adde quòd Apostolorum Collegium, quatenus tale strictè, sicut non habuit dominium commune alicuius rei, sic nec habuit bona applicata ad sui vsum proprium. Quamobrem quod quia non habeat dominium earum rerum, quæ non habet, hoc benè intelligitur. Et in hoc Christus, & Apostoli fuerunt pauperes, quia nec ad vsum voluerunt habere nisi necessaria, sed quod habuerint ad vsum, & nullum habuerint dominium, & quod dicatur maximæ perfectionis esse habere bona applicata ad vsum proprium, & non habere illorum dominium nec in communi, hoc aliud est. Et quod nos dicimus est, quod hæc dominij abdicatio non importat perfectionis excellentiam talem, vt sine ea non sit altissima paupertas, & addimus quod huius abdicationis exemplum non dederunt Apostoli immediatè in seipsis, quia imo ipsi eorum, quæ ad vsum proprium illis de bonis cōmunibus applicabātur habuerunt iuris vsum, vel si vouerint religiosa paupertatem, habuerunt ita vsum facti, quod tamen etiam habuerunt dominium in communi respectu illius communitatis, sub qua immediatè viuebantur, & cui applicata erant illa bona, nulla bona, nec quantum ad proprietatem, nec quantum ad vsum habentes, quatenus erant Collegium Apostolorū, quòd si huiusmodi bona Collegium illud habuisset, saltem ad vsum sibi appropriata, eorū etiam dominiū in cōmuni habuisset.

85. Respondetur secundo, quod cum iam verum sit non posse in statu perfectionis dari abdicationem dominij saltem respectu Christi, & Ecclesiæ vniuersalis; cum aliàs quæstus immediatè fiat pro Collegio particulari, & ad eiusdem vsum tantum bona quærantur, & recipiantur, & per aliquos de Collegio bona procurari debeāt, & dispēsari, aut etiam conseruari, abdicatio ista dominij à Collegio in particulari, cū nō minuat solicitudinē circa temporalia, sed potius maiorem habeat adiunctam, hinc est, quod in ratione instrumenti ad perfectionem acquirendam non reddit paupertatē perfectiorem ea, quæ aliquorum mobilium, quæ sunt necessaria, admittit dominium in communi.

86. At vrget in contrarium, quod Nicolaus IV. in Decretali Exiit; inquit, quod Christus habuit loculos condescendens infirmorum imperfectionibus; igitur Christum habuisse loculos non fuit altissimæ perfectionis, sed condescensus infirmorum imperfectioni.

87. Verum respondetur, quod hæc assertionem positā nō petunt. Nā vis totius argumenti hæc est quod habere dominium in communi sit imperfectionis, & quod Christus eius dedit exemplum cōdescendendo infirmorum imperfectionibus. Hoc argumentum petit principium, quia assumit probandum scilicet quod habere dominium in communi sit imperfectionis. Et certè dum asseritur, quod abdicatio dominij sit quid perfectius, & nō abdicatio imperfectius, si intelligitur hoc merè in genere paupertatis id admittitur, & esse indubitatum, sed hic est sermo de perfectiona in ratione instrumenti aptioris ad perfectionem acquirendam. Et vt argumentabatur Vniuersitas Paris. apud Odericum ad annum 1323. num. 56. in genere paupertatis valdè maior est, quæ abdicat omnem cibum, & permittit solum panis, & aquæ vsum. Vnde si spectat ad perfectionem, quod Christus elegerit summam paupertatem in genere paupertatis, debuisset abstinere à vino, carnibus, & piscibus, quod non fecit. Si verò sensus sit, quod non abdicatio dominij in communi, etiam respectu mobilium necessariorum, sit quid imperfectius in genere instrumenti perfectionis, propositio non est probata, nec potuit accipi in hoc in hoc sensu à Nicolao Quarto. Nam si propositio esset vera sequeretur quod Christus, & Apostoli nobis in se ipsis non dedissent exemplum altissimi status paupertatis, & perfectionis, quia quia abdicationis dominij in communi eorum, quæ fuerunt necessaria ad sustentamentum vitæ, Christus, & Apostoli non dederunt in se ipsis, vt pluries est probatum, & dixit Io. 22. in Extrauag. *Quia quorumdam*, & in sua consultatione, & Commentario considerauit Episcopus Aniciensis apud Odericum ad annum 1322. num. 59. sic dicens. ¶ Ad illud, quod dicitur in expositione Regulæ Fratrum Minorum, dicendum est, quod duo ibi dicuntur, primum est, quod abdicationem omnium rerum tam in proprio, quam in cōmuni, Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit. Secundum est, quod Christus infirmorum personam suscepit in

loculis

loculis. Primum autem dictum, quantum ad hoc quod dicit, quod Christus verbo docuit abdicationem omnium rerum tam in proprio, quàm in communi, & exemplo firmauit; non inuenio alicubi scriptum in Euangelio, aut in cæteris scripturis noui testamenti, & maximè quod ipse, & Apostoli non habuerunt aliquod dominium, seu proprietatem in vestimentis, & alimentis sibi datis, sed solum vsum facti, remanente dominio, & proprietate penes alium. *Et infra*. Et mirum est quod ad probandum Christum, & Apostolos sic fuisse pauperes, & mendicos, quod nihil proprietatis, & dominij habuerunt in quibuscumque rebus, sed solum simplicem vsum facti adducuntur auctoritates sanctorum: cum primitiui sancti, quorum auctoritates adducuntur, SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Basilius, & cæteri nunquam distinxerunt in rebus, quæ vsu consumuntur, inter habere eas quoad dominium, & quoad simplicem vsum facti: nec prædictis sancti, qui sicut veri, & perfecti Religiosi renunciauerunt seculo, conati sunt tendere ad statum, in quo nihil habeatur in communi: immo summam paupertatem meritoriam reputauerunt illam, per quam sic renunciatur seculo, vt nihil in proprio habeatur. Vnde Basilius in regula sua 90. dicit sic: Communionem vitæ perfectissimam hanc ego voco, à qua possessionum quidem proprietas propulsa est, communia autem omnia. Ecce quod vitam communem perfectissimam vocat illam, in qua nihil est proprium, sed omnia communia, perfectissimo autem nihil esse perfectus: vnde relinquentes propria, quamuis sint in statu habentium aliquid in communi, verè tamen dicuntur nudi, & omnia contempsisse, & nihil præter Christum quærere: & in hoc sensu sunt intelligēdæ omnes auctoritates sanctorum, loquentium de contemptu mundi, & rerum temporalium. Vnde illud, quod Augustinus dicit in Epistola ad Ebidiam: Si vis esse perfecta, & in primæ stare fastigio dignitatis fac quod fecerunt Apostoli: vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam, solamq; Crucem nuda sequaris; hæc enim nuditas exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, qui dicit sic: Si non accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, de altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar. Vide ergo, quod etiam clerici viuentes de altari, si victu, & vestitu sine contenti, nudam Crucem sequuntur nudi. Similiter intelligendum est illud Augustini de cathechizandis rudibus, vbi dicit sic: Omnia bona terrena contempsit Christus, vt contemnenda monstraret. Hoc enim solum intelligitur de contemptu rerum mundi, quæ in proprio possidentur, non de communibus bonis Ecclesiæ, vel Monasterij, quæ ea non mundi, sed Dei. Vnde Prosper de vita contemplatiua: Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, iam non sunt res mundi credendæ, sed Dei. Item illud, quod dicit Hieronymus in tertia Epistola ad Heliodorum, quod perfectus seruus Christi nihil habet præter Christum, aut si aliquid habet præter Christum, perfectus non est; & sic, vt videtur, qui habet aliquid in communi, perfectus non est, exponitur per Hieronymum ad Nepotianum, vbi dicit: Qui tantum Ecclesiæ bonis vtitur, nihil habet præter Christum. Et Prosper: Qui tantum de bonis Christi contemnendo omnem proprietatem, nihil in hoc seculo habere quærit, quia hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alijs possidere. Et simili modo sunt intelligendæ omnes auctoritates quorumcumque sanctorum, loquentium de contemptu mundi, & de renunciatione bonorum temporalium, qui nunquam cogitauerunt, nec locuti sunt de aliquo statu, in quo sic contemneretur ea, quæ sunt necessaria victui, quod in eis haberetur solus vsus facti, proprietate, & dominio penes alium remanentibus. Sic ergo ex his Anicien. Episcopi rationibus benè apparet, dominium in communi non esse imperfectionis, & esse conforme paupertati Apostolorum. Non potest ergo esse sensus Nicolai, quod non abdicatio dominij in communi respectu necessariorum ad vitam sit imperfectius in ratione instrumenti ad perfectionē status verè, & realiter.

88. Multipliciter igitur exponitur decretalis Nicolai. Prima expositio docet, quod non abdicatio necessariorum, & dominij eorum est infirmitatis, & imperfectionis in esse naturæ, & respectu humanitatis nostræ, quæ pro hoc statu sine vsu temporalium in cibo, potu, vestitu, & habitatione non potest consistere.

☞ Quod ergo dicitur in illa decr. Exijt qui seminat (inquit Epis. Anicien.) quòd Christus in loculis accepit personam infirmorum, originem habet à glosa, quæ habetur Io. XIII. quæ dicit sic: cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum condescendendo infirmis. Et istud potest exponi dupliciter vno modo, quod Christus, cum esset Deus, & homo, in quantum erat Deus, maior erat Angelis, & sic non indigebat loculis; sed Angeli vt ministri obsequebantur ei; quantum autem ad naturam humanam infirmus fuit, & minor Angelis, & sic indiguit secundum cursum naturæ cibis, & alimentis, sicut cæteri homines, & pecunia, seu loculis, mediantibus quibus vitæ necessaria emerentur. Infirmitas ergo, de qua loquitur glo. prædicta, non sonat imperfectionē status, sicut alij arguunt; sed notat conditionem humanæ naturæ pro statu mortali.

Eandem expositionem tradidit Episcopus Soranus ibid. num 63.

☞ Si dicatur (inquit) in eo, quod loculos habuit, infirmorum suscepisse personam, ex hac adiectione non sequitur, sed firmatur eum, & Apostolos habuisse aliqua in communi: quamuis si dicatur, eum in hoc monstrasse infirma humanitatis assumptæ, potest dici, quod quidquid Christus gessit in carne, & vt homo non ratione vnionis ad Verbum, sicut quod fugit, fatigabatur ex itinere, esuriuit, & sitiuit, quod fremuit, lacrymatus est, & cætera talia; cōpetebat sibi ratione infirmitatis, & naturalis imperfectionis naturæ: permittebat enim naturam humanam, quæ sua sunt facere, & pati: omnia tamen hæc stabant cum apice summæ perfectionis in eo. Itaque sicut fugiendo egit, vt infirmus, quia puerili ætati conuenit fugere minantem, vt dicit Chrisostomus: in hoc nihilominus tamen etiam periclitantis dedit exemplum,

vt cum

vt cum necessitas persecutionis euenerit, fugere non erubescant, vt dicit idem Chrysostomus: Fugere, cum oportet, & quando adhibitis alijs circumstantijs, est virtutis; sic etiam quamuis portare loculos sit infirmitatis humanæ, & non competerat sibi ratione deitatis; in hoc tamen exemplum dedit perfectis, Ecclesiæ videlicet Prælatis, vt ad vsus pauperum facultates Ecclesiæ possideant in communi. Hanc eandem expositionem habuit Heruæus in suo egregio commentario apud eundem Odericum. ibid. num. 62. & Caiet. ad hunc articulum, quam probat Auctoritate S. Augustini, & Vniuers. Paris. apud Oder. ad annum 1323. n. 48.

89. Secundo exponitur, vt non sit sensus, quod non abdicatio huiusmodi dominij sit assumpta condescendo infirmis, non vocando infirmos vtentes loculis, sed eos, qui potuissent scandalizari videntes Ecclesiasticos loculis vti. Hanc etiam expositionem tradit Episcopus Aniciensis, vbi supra nu. 61. ibi.

Alio modo exponitur, quod infirmos appellat non illos, qui de loculis Domini viuunt: sed illos, qui scandalizantur, putans scilicet imperfectionis, vel minoris perfectionis esse de loculis domini viuere: talibus enim infirmis condescendens, seu compatiens Dominus, ne forte scandalizarentur, & maiori perfectioni ascriberent, si viderent seruos Dei loculos communes habere, & de illis viuere: ideo loculos habere voluit, vt esset alijs in exemplum, vt legitur 12. q. 1. c. Exemplum accipere. Vnde Augustinus in 2. lib. de sermone Domini in monte; Hoc autem vehementer cauendum est, ne forte cum viderimus aliquem seruũ Dei prouidere, ne ista necessaria desint vel sibi, vel ijs, quorum cura sibi commissa est; iudicemus eum de crastino solicitum esse: nam & ipse Dominus, cui Angeli ministrabant, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cũ aliquem seruum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecunia, de qua vsibus necessarijs quidquid opus fuisset, præberetur; Sicut Paulus Apostolus de crastino potest videri curasse, cum dicit 1. Cor. 16. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui in Ecclesijs Galatiæ, ita, & vos facite: nec ad vnum diem tantum videtur victus iste procuratus. Et in his, & huiusmodi scripturarum locis satis apparet Dominum nostrum non improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis, non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur. Et sic patet, quod glos. non loquitur de infirmitate, quæ sonat imperfectionem status habentium loculos: sed loquitur de infirmitate illorum, qui possent scandalizari, cum viderent seruos Dei, seu Prælatos loculos habere. Hactenus Episc. Aniciens. Et huic similia docuit Vniuers. Paris. d. n. 48.

90. Sed & tertiam considerationem addidit Petrus Columna Cardinalis Diaconus apud eundem Oder. ibid n. 64.

Constitutio (inquit) quæ allegatur in contrariũ, Exijt, qui seminat, manifestè dicit, quod Christus habuit loculos, infirmorum infirmitatibus condescendens: sed ex quacumque causa habuerit, habemus propositum, quia habuit loculos. Et sanè dici posset, quod in hoc, scilicet in habendo loculos, non imperfectorum, sed perfectorum formam assumpsit; quia perfectionis, & prouidentiæ fuit, suorum necessitatibus, & egenis prouidere. Similiter & quod de fuga dicitur, quod infirmorum infirmitatibus condescendit fortè, & hoc ipsum posset dici, perfectionis, & virtutis esse, suo loco, & tempore dare locum iræ, & non aggredi pericula: quod fecit Dominus, fecerunt & Apostoli, vt se ipsos ad tempus aliud vtilius reseruarent. Non enim est verisimile, quod Christus discipulis suis imperfectionem iniunxerit: & tamen dixit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam; Et super illo verbo Matthæi: Si filius Dei es, mitte te deorsum; dicit Chrysostomus: Ad sanam doctrinam pertinet, quod cum homo inuenit, quid faciat, totum Deo non committat. Item auctoritatem illam: Nolite soliciti esse, aliter exponit Augustin. aliter Hieronimus, aliter Chrysostomus. Augustinus de opere monachorum pertractans verbum illud, dicit sic: Si hoc verbum Domini, Nolite soliciti esse in crastino, ita intelligatur, vt nihil in crastinum reponatur, non potuerunt ita seruare, qui se per multos dies à conspectu hominum separatos includunt, viuentes in magna intentione orationum, & contemplationum. Et postea subdit: Si enim vrgeantur ex euangelio, vt nihil reponant in crastino, respondet. Cur ergo ipse Dominus loculos habuit, vbi pecuniam collectam reponeret? cur tanto ante fame imminente frumenta sanctis Patribus missa sunt? Cur Apostoli indigentiæ Sanctorum necessaria procurant? Quod patet etiã in multis sanctis patribus, præsertim in Abraham Isaac, & Iacob, & in Iob, qui beatissimi in temporalibus, pauperes mente erant. Hieronymus autem exponit prædictum verbum: Nolite soliciti esse, &c. dicens sic: Sufficit nobis præsentis temporis cogitatio, vt futura, quæ incerta sunt, Deo relinquamus. Chrisostomus autem exponit sic: Sic sufficit labor quantũ ad nõ superflua; noli de superfluis laborare, &c. Hæc verò Petri responsio explicatur ea doctrina Caiet. in hoc art. & etiam Oderici num. 68. quia non abdicatio dominij licet materialiter in puro genere paupertatis videatur esse quid imperfectius, sicut & in apparentia virtutis, quamuis de se sit res indifferens, tamen videatur habere nonnullam minorem apparentiam virtutis, & secundùm vulgum ita creditur, sicut si hæc duo comparentur, scilicet bibere, & non bibere vinum, videtur, quod non bibere vinum habeat maiorem apparentiam virtutis, quamuis neutrum illorum sit virtus, & vtrumque benè, & malè possit fieri. Sic in hoc sensu intelligi potest decretalis, vt non abdicatio dominij sit quid imperfectius secundum apparentiam, & secundum vulgum, tamen re benè pensata, vt Petrus Columna docet, Christum habuisse loculos fuit actus magnæ perfectionis, & in hoc formam perfectorum assumpsit, quia hoc ad Prælatorum spectat perfectionem, vt suorum, & pauperum occurrant necessitatibus. Et hoc prouidentiæ, & prudentiæ est, vt Religiosæ communitates habeant vnde suis prouideant in Dei obsequio viuentibus.

91. Argumentum verò, quod peti poterat ex eo quod Christus prohibuit suos esse solicitos de crastino, vnde videtur, quod non sit perfectionis habere cellaria, & dolia ad custodiam frumenti,& vini; satis abundè manet solutum ex dictis Episcopi Aniciensis, & Petri Columnæ Cardinalis.

92. Sed & idem Odericus num. 68. obseruat in Vitali Card. & Episc. Albanen. qui in Consultationibus stetit pro parte paupertatis abdicantis dominium etiam in communi, quod à veritate defecit, dum dixit, quod Christus assumpsit personam imperfectorum habendo loculos, & perfectorum nullum dominium in re aliqua sibi retinendo, quia Christus huius abdicationis dominij nullum exemplum dedit, vt probarunt Io: 22. in Extrau. *Quia quorundam*, Episc. Anicien. & Heruæus Magister Generalis Prædicatorum locia citatis, & Parisiens. Vniuers. in sua consultatione. Sed & in alio deficit doctrina Vitalis Cardinalis, quia assumit quod perfectio simpliciter consistat in habitu charitatis, & perfectio secundum quid in actu externo. Vtrumque enim horum deficit, quia vita non est habitus, sed actus, viuere enim est se mouere, ideò perfectio simpliciter consistit non in puro habitu, sed in habitu operante, seu in operatione charitatis interna, & externa. Sed nec in omni opere externo consistit perfectio formaliter, & propriè quia perfectio non consistit in actibus indifferentibus, ideò nec perfectio cõsistit in paupertate, quæ est quid indifferens, quamuis paupertas sit instrumentum perfectionis; sed non eo est perfectius instrumentum quo est maior, sed quo est magis proportionata ad ea, quæ sunt perfectionis.

93. Manet ergo satis probatum, quod non abdicatio dominij necessariorum vitæ non minuit statum altissimæ paupertatis, & perfectionis; sed & loquendo de non abdicatione dominij immobilium habitorum cum moderatione, & sine superfluitate considerandum est, quod solum secundùm quid diminuit statum perfectionis, vt probant quæ supra ex Episcopo Aniciensi relata sunt. Et sic dominium etiam immobiliũ in communi non tollit conditionem perfectissimæ vitæ spiritualis secundum genus, aut speciem, quamuis intra eandem speciem aliquo modo sit perfectior status eorum, qui immobilia non habent.

SVMMARIVM.

1 *Paupertas instrumentum perfectionis.* num. 94.
2 *Durabilitas statui perfectionis conuenit.* numer. 95.
3 *Diuitiæ Regularium debent esse moderatæ.* numer. 96.

94. IN responsione ad primum multa habentur memoria digna. Primũ quod paupertas non est perfectio, sed instrumentum perfectionis. Secundum quod est instrumentum minimum inter instrumenta perfectionis. Tertiũ quod Religio non est melior, quia pauperior, sed quia paupertas eius est magis proportionata bono communi, & spirituali. Quartum quod dato etiam quod excessus paupertatis augeat perfectionem Religionis, hoc est verum secundum quid. Nam esset simpliciter perfectior, quæ excederet in continentia, & obedientia. Naque primo illa est perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem: Deinde inter ordinatas ad eundem finem illa, quæ habet paupertatem magis fini proportionatam: & quatenus excessus paupertatis aliquid perfectionis addat, hic est excessus secundum quid.

95. Circa responsionem ad secundum nota, quod ad perfectionem Religionis spectat etiam perseuerantia, & durabilitas, nimirum, vt assumantur media proportionata, vt perpetuo per illa possit perfectio promoueri. Ex quo benè *D. T.* ex S. Antonio, & S. Augustino deducit, quod paupertas, quæ aliquid reseruat in crastinum est magis proportionata Religionis statui, quia est magis durabilis, & apta, vt eam profitentes ad exitum felicem perueniant.

96. In responsione ad tertium habentur duæ conditiones necessariæ ad Religiosum statum dominium diuitiarum admittentem. Prima est vt diuitiæ sint moderatæ, & non superfluæ; secundum quod earum vsus certis legibus reguletur, vt non seruiat ad lasciuiam, & superbiam. Vnde occasionẽ accipit Caiet. reprehendẽdi superbas, & superfluas fabricas Monasteriorum. Et ob hanc rationem in responsione ad quartum dicitur, quod Abbas Isaach possessiones metuebat accipere, quia timebat, ne ad superfluas diuitias veniretur. Tamen moderatas diuitias, & necessaria vitæ etiam pecuniam habere, & conseruare non dedecet statum Religiosum, vt dicitur in resp. ad quintum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum perfectior sit Religio in societate viuentium, quam agentium solitariam vitam.

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quod perfectior sit Religio in societate viuentium, quam agentium, solitariam vitam. Dicitur enim Ecclesiastæ 4. Melius est duos esse simul, quam vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Igitur videtur perfectior esse Religio in societate viuentium.*

2. *Præterea Matth. 18. dicitur. Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum. Sed nihil potest esse melius quam Christi societas. Ergo videtur, quod viuere in congregatione sit melius, quam ducere solitariam vitam.*

3. *Præterea, Inter alia Religionis vota votum obedientiæ excellen-*

tiam

Ad primum ergo dicendum, quod Salomon ostendit melius esse, quod sint duo simul, quam vnus propter auxilium, quod vnus habet ab alio, vel ad subleuandum, vel ad fouendum, vel ad spiritualiter calefaciendum: quo quidem auxilio iam non indigent, qui sunt perfectionem assecuti.

Ad secundum dicendum, quod dicitur 1. Ioannis 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sicut ergo Christus est in medio eorum, qui sibi inuicem per dilectionem proximi sociantur, ita habitat in corde eius, qui diuinæ contemplationi insistit per dilectionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod actu obedire est necessarium his, qui indigent exerceri secundum directionem aliorum ad perfectionem capiendam. Sed illi, qui iam perfecti sunt, spiritu Dei sufficienter aguntur, vt non indigeant actu alijs obedire. Habent tamen obedientiam in præparatione animi.

Ad quartum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 19. de Ciuit. Dei A studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile pertinet otium. Quod autem aliquis super candelabrum ponatur, non pertinet ad ipsum, sed ad eius superiores. Quæ sarcina si non imponitur, vt Augustinus ibidem subdit, contemplandæ veritati vacandum est, ad quam plurimum valet solitudo. Et tamen illi qui solitariam vitam agunt, multum vtiles sunt generi humano. Vnde August. dicit in lib. de Moribus Ecclesiæ de his loquens, Pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt. Videntur autem nonnullis res humanas plusquam oporteret deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum quorum corpore videre non sinimur.

Ad quintum dicendum, quod homo potest solitarius viuere dupliciter. Vno modo quasi societatem humanã non ferens, propter animi sæuitiam. Et hoc est bestiale. Alio modo per hoc, quod totaliter diuinis rebus inhæret. Et hoc est supra hominem. Et ideò Philosophus dicit in primo Politicorum, quod ille, qui alijs non communicat, est bestia, aut Deus, id est diuinus vir.

SVMMARIVM.

Quæ fuerint antiquitus Religiosorum genera.

1 PRO huius articuli intelligentia hoc primò considerandum, quod multiplicis generis Monachi antiquitus fuerunt. Tria genera distinxit S. Hier. Epist. 22. ad Eustoch. ibi. *Primum Cœnobitæ, quod illi Sauses gentili lingua vocant, nos in commune viuentes possumus appellare: secundum Anachoritæ, qui solum habitant per deserta, & ab eo, quod procul ab hominibus recesserunt, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt teterrimum, atque neglectum.*

2 Sed quatuor genera recenset S. Benedictus in cap. 1. ibi. *Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum Cœnobitarum, hoc est monasteriale militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum, horum, qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, qui didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare, & benè instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi securi iam sine consolatione alterius sola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum Deo auxiliante sufficiunt pugnare. Tertium verò monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus pro lege eis est desideriorum voluptas: cùm quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dictum sanctum; & quod noluerunt, hoc putant non licere. Quartum genus est Monachorum, quod nominatur Gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis, aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur semper vagi, numquam stabiles & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores*

Sarabaitis. De quorum omnium horum misera conuersatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum Domino adiuuante, veniamus. Sed Monachorum sex genera tria bona, & tria mala numerauit S. Isidorus lib. 2. de offic. cap. 15. Sex autem sunt genera Monachorum, tria optima, & praecipua, reliqua vero deterrima, atque omnimodis vitanda. Primum est Cœnobitarum, idest in commune viuentium ad instar Sanctorum illorum, qui temporibus Apostolorum in Hierosolymis venditis, ac distributis omnibus suis dabant indigentibus, qui habitabant in sancta communione vitae, non dicentes aliquid proprium: sed erant illis omnia communia & anima, & cor vnum. Horum institutione Monasteria sumpserunt principium. Secundum genus est Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca, & vastas solitudines sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet, Heliae, & Io: Baptistae, qui eremi secessus penetrarunt. Hi quippe incredibili conuersionis desiderio mundo contempto sola solitudine delectantur, herbis tantum vescentibus, aut pane solo, vel aqua contenti, quod his per certa interualla temporum defertur. Sicque secretissimi penitus ab omni hominum conspectu remoti diuino tantùm colloquio perfruuntur, cui puris mentibus inhaeserunt, & propter cuius amorem non solum mundum, sed etiam hominum consortia reliquerunt. Tertium genus est Anachoretarum, qui iam cœnobiali conuersatione perfecti includunt semetipsos in cellulis procul ab hominum conspectu remoti, nulli ad se praebentes ingressum, sed sola contemplatione Dei viuentes. Quartum genus est, qui sibi Anachoretarum imagine blandiuntur, Ipsi, vt ait Cassianus in primordijs sui feruore quodam breui Cœnobij perfectionem videntur expetere; sed continuò tepefacti, dum pristinos mores, & vitia resecare contemnunt, nec iugum humilitatis, ac patientiae diutius sustinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantes separatas expetunt cellas, & solitariè sedere desiderant, vt à nemine lacessiti, mansueti, & humiles aestimentur. Quae institutio, imò tepor eos, quos semel infecerit, ad perfectionem nunquam permittit accedere. Hoc enim modo non solùm non abscinduntur, verùm etiam interius conualescunt, dum a nemine prouocati, vt quoddam lethale, & intestinum virus, quod quantùm amplius celatum fuerit, tantùm profundiùs serpens insanabilem morbum generat aegrotanti. Pro reuerentia enim cellae nullus iam vitia solitarij audet arguere, quae ille ignorari mauult potius, quam curari. Quintum genus est Circellionum, qui sub habitu monachorum vsquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes prouincias, nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij, quae non viderunt confingunt opiniones suas habentes pro Deo. Alij membra martyrum (si tamen martyrum) venditant. Alij fimbrias, & filacteria sua magnificant, gloriam captantes ab hominibus. Alij crinitis incedunt, ne vilior habeatur tonsa sanctitas, quàm comata: vt videlicet, qui eos viderit, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem, Heliam, & caeteros. Alij honores, quos non acceperunt, habere se profitentur. Alij parentes, & consanguineos in illa regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptum lucrosae egestatis, aut simulatae pretium sanctitatis. Cum interea vbicumque in factis suis malis, ac verbis deprehensi fuerint, vel quomodo innotuerint, sub generali nomine monachorum propositum blasfematur. Sextum genus est monachorum ipsum deterrimum, atque neglectum, quod per Ananiam, & Sapphiram in exordio Ecclesiae pullulauit, & Apostoli Petri seueritate succisum est; quippe ab eo quod semetipsos à cœnobiali disciplina sequestrant, suasque liberi appetunt voluntates Aegyptiorum lingua Sarabaitae, siue Renuita nuncupati sunt. Construunt sibi cellulas, easque falso nomine monasteria nuncupant. Liberique ab imperio seniorum, arbitrio suo viuunt, certatim in operibus laborantes, non vt indigentibus distribuant, sed vt acquirant pecunias, quos recondunt. Et sicut ait de ipsis Hieronymus, quasi ars sit sancta, non vita, quicquid vendiderint, carioris est pretij. Re vera, vt idem dicit, solent certare ieiunijs, & rem secreti, victoriae faciunt. Apud hos affectata sunt omnia fluxae manicae, caligae follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum; & quando dies festus venerit, satiantur ad vomitum.

4 At verò S. Valerius septimum addit caput eorum, qui ex famulitio, & seruitio Monasterij inuiti tondebantur ab Abbatibus paucis tunc ad conuersionem accedentibus. Et ne ipsa Monasteria desolata, desertaque remaneant, tolluntur ex familijs sibi pertinentibus subulci, de diuersisque gregibus dorsenti, atque de possessionibus paruuli, qui pro officio supplendo inuiti tondentur, & nutriuntur per Monasteria, atque falso nomine Monachi nomine nominantur.

Qui dum nec pridem foris in actiua vita mundanis studijs, siue seruitijs, vel operibus excolti, crudisque patescunt, nec postea in monasterijs citra electionem Domini, non vltroneè, sed inuiti sanctae Religioni sociati concipiunt in corde timoris Domini compunctionem, aut desideria Regni Caelestis; non obedientiae humilitate, aut sincera charitatis dilectione fundantur, sed crescunt typo superbiae turgidi, fastu elationis inflati, cupiditatis philargyriaque fomitis insatiabiliter mersi, voracitati gastrimargiae, & temulentiae inexplebiliter dediti, atque atrocissima inuidiae flamma succensi; vt si viderint aliquos toto corde conuertentes, & Domino fideliter seruientes, bonaque opera, & Deo placita exercentes: cum de ipsis monasterij originales serui existant iure suo debito, & sibi pertinentia defendere contendentes, insurgunt superbientes inuidiae atra obscuritate caecati, & aduersus opus assumunt iustum saeuissima crudelitatis odium, atque diuersis publicis, & clandestinis insidijs impedire nitentes.

5. Primum ergo genus Monachorum est Cœnobitarum, sic dictorum ex communione vitae, vt habet loco citato Isidorus, & adnotauit Cassian. collat. 18. cap. 5. Idem verò est Cœnobita, ac Monasteriale, vt dixit loco citato S. Benedictus, quamuis aduertat Reuerendiss. Caramuel super Regulam S. Benedicti num. 307. has voces non habere eandem ethymologiam, & significationem, quamuis modo pro eodem vsurpentur. Nam cum Religiosi illi vt Cassianus habet dicti sint Monachi, seu Monazontes a vitae solitariae districtione, vnde & eorum cellae, seu habitationes dictae sunt Monasteria, ijdem dicti sunt Cœnobitae, ex communione consortij, & diuersoris eorum Cœnobia vocata. Quamobrem hoc esse discrimen inter

Cœnobium, & Monasterium dignoscitur; quod Cœnobium sit habitatio multorum in communi vitæ consortio simul habitantium: sed particularis cella alicuius Religiosi, in qua solus viuebat antiquitus etiam Monasterium dici poterat. Iuxta illud Philonis de vita contemplatiua, de Essenis, seu Therapeutis Alexandrinis dicentis. Singuli habent sacras ædiculas, quas semnia, seu Monasteria vocant, vbi solitarij sanctæ vitæ mysterijs dant operam. Nihilominus modo pro eodem sumitur vtus Cœnobitica, & Monasterialis, quæ est illorum, qui in communibus domibus simul sub aliqua Regula, & Abbate, seu Prælato viuunt. Hi enim simul, & solitarij sunt, & Monachi respectu sæculi a parentum, consanguineorum, amicorum consortio, & mundi conuersatione segregati, intra claustra habitant, & simul sunt Cœnobitæ communem vitam sectantes, quam in Ecclesiæ initio professi sunt fideles.

6. Horum Cœnobitarum vitam describit S. Benedictus dicens eos militare sub Regula, vel Abbate. Cœnobitica enim vita militia est ob exactam obedientiam, quam seruat. Militum enim obedientia exactissima esse debet, quam descripsit *Plato lib. 12. de legibus*, & cuius exempla tradiderunt *Valer. Max. lib. 4. cap. 4. & lib. 9. c. 3. Eutrop. lib. 2. Plin. lib. de viris illust. Oros. l. 3. c. 9. Plutar. in Romanis apophteg. Gellius lib. 1. c. 14. sic Psalmus 102.* nobis Angelos obedientes milites describit ibi: *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute facientes verbum illius ad audiendum vocem sermonum eius.* Et *Zacar. 9. secundum expos. Hier. Ex his, qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Cum ergo Cœnobitæ proprio arbitrio carentes Abbatis, seu superioris arctissima obedientia dirigantur; meritò à Sancto Benedicto dicti sunt militare sub Regula, vel Abbate. Quamuis verò Hugo Menardus *c. 3. Concordia §. 1.* existimet dictionem, vel non sumi ibi disiunctiuè, sed copulatiuè, quia Cœnobitæ Regulæ, & Abbati simul obedire tenentur, tamen benè aduertit *Caramuel n. 308.* posse etiam disiunctiuè sumi, & ideò disiungi Abbatem à Regula, vt intelligamus Abbatem non posse grauare nouis legibus Monachum seruantem Regulam, quia non potest Superior præcipere nisi secundum Regulam.

7. Secundum genus Monachorum est Eremitarum, sic dictorum ab eremi habitatione. Tertium verò genus est Anachoretarum, qui vt habet Cassianus *collat. 18. cap 6.* dicuntur Anachoretæ idest secedentes, eo quod solitarij in solitudinibus viuant. Isidorus igitur distinguens Eremitas ab Anachoretis posuit secundum genus Monachorū esse Eremitarum & tertium Anachoretarum, cū S. Benedictus eosdem dixerit esse Anachoretas, & Eremitas, quod & asserunt *Bellarm. lib. 2. de Monac. cap. 3. Suarez. tom. 4. tract. 9. lib. 1. cap. 2. Gibalinus de claus. Regul. disput. 3. Caramuel ad Regulam S. Benedicti num. 313. Donatus tom. 3. tr. 14. q. 1. num. 6.* Sed *Hugo Menardus in Concordia Regularum cap. 3. §. 6.* aduertit Anachoretas esse in triplici differentia, scilicet primo pro Eremitis, secundo pro Monachis, qui post Cœnobiticam palæstram includebantur in cellis, siuè cellæ intra Cœnobia existerent, de quibus sermo apud Iustinianum nouella quinta, & cantu 31. sextæ Synodi, siue cellæ essent extra septa Monasteriorum, de quibus loquitur Isidorus. Tertio pro illis, qui sine tecto per solitudinem errantes nullo certo loco consistebant, de quibus *Seuerus Sulpitius dialog. 1. Habitant, inquit, illi, pleriq; in eremo sine vllis tabernaculis, quos Anachoretas vocant. Viuunt herbarum radicibus, nullo vnquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur.* Quod & innuit *Cassianus d. collat. 18. c. 6.* ibi. *Ad imitationem quoq; Eliæ, & Elisæi, atque illorum, de quibus Apostolus ait, Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c.* Itaque ergo aliqua distinctio potest haberi Eremitarum, & Anachoretarum. Nam Eremitæ dicuntur ab eremo, & ex eo, quod extra loca habitata in eremis, & solitudinibus soli viuant, quorum sit discrimen, quod alij sub tecto viuant, & in loco certo, sed alij errent per solitudines & sine tecto, & certo loco. Hi enim omnes magis propriè ab eremi vsu Eremitę dici possunt. Sed Cœnobitæ, qui se claudunt intra cellas vel prope, vel intra septa Monasteriorum, cum non colant eremum, non tam propriè dicuntur Eremitæ, sed tamen propriè Anachoretæ dici possunt, seu Hæsicastæ. Dici possunt Anachoretæ, idest discedentes, seu secedentes, quia seorsum à communi contuitio decedunt, & soli inter priuatas cellas viuunt. Dici quoque possunt Hesicastæ, idest quiescentes, quia gaudent quiete, cellæ extra cuiuscumque externæ conuersationis tumultum. Nunc tamen communiter nomina ista Eremitæ, & Anachoretæ, quantum ad id, ad quod significandum sunt imposita accipiuntur vt synonima, & vt significent illos, qui solitariam vitam gerunt extra consortium aliorum.

8. Quarto generi Isidorus nomen non imposuit, sicut nec Cassianus *collat. 18. cap. 9.* sed erant isti Pseudo Monachi recedentes à disciplina Cœnobitica sub prætextu perfectioris vitæ, *Qui Anachoretarum sibi specie, atq; imagine blandiebantur, quiq; in primordijs suis feruore quodam breui Cœnobij perfectionem videbantur expetere, sed continuo tepefacti, dum pristinos mores, ac vitia resecare contemnunt, nec iugum humilitatis, ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdiq; seniorum imperio dedignantur separatas appetunt cellas, ac solitarij sedere desiderant, vt ita scilicet à nemine lacessiti, patientes, mansueti, vel humiles possint ab hominibus æstimari.* Itaque hi erant Cœnobitæ, qui nondum exercitati, & probati, imo detrectantes regulæ, & obedientiæ Prælatorum iugum, vt liberius viuerent sub prætextu maioris perfectionis vitam Anachoreticam assumebant. Quorum stultitiæ vt remedium adhiberetur in *Conc. Tolet. 7. cap. 5.* cautum fuit, ne quis Monachus prius includeretur, quam per multos annos in vita Cœnobitica exercitatus fuisset, & quidem adhibito etiam Episcopi, & Abbatis consensu, vt habetur in *Conc. Francford. c. 13. & Sexta Synodi can. 41.* Statuitur vt qui huiusmodi vitam appetunt quadriennio probentur, nempe vt hi ingrediantur monasterium, & per triennium vitam huiusmodi seclusam subdui Abbati exerceant, & tertio anno euoluto explorata eorum voluntate ab Episcopo, & firma cognita, exeant è cella, & anno integro maneant in Monasterio, vt eorum propositum plenius tenetur,

tur, quibus ita perfectis si modo certa eorum voluntas erat includebantur. Sed aduertendū, quod Canones illi sub nomine S. Synodi, nec sunt sextæ Synodi, nec sunt authentici, sed sunt Canones cuiusdam Conciliabuli in Palatio Imperatoris dicto Trullo celebrati. Vide *Baron. ad ann. 691.*

9. Quintum genus est Circillionum. Dicebātur Cercilliones, seu Circeiliones falsi Anachoretæ secundum Glossas Isidori, secundum quas Circellio etiam dicitur Monachus per cellas vagans. Quæ autem de his Circillionibus dixit Isidorus ferè omnia excepta sunt à *S. Aug. l. de oper. Monach. cap. 28.* qui etiam in *Psal. 132.* de Circillionibus, ait.

Sed tamen dicere consueuerunt: quid sibi vult nomen Monachorum? Quantò melius dicimus nos: quid sibi vult nomen Circillionum? sed non, inquiunt, vocantur Circelliones, fortè corrupto sono nominis eos appellamus. Dicturi sumus vobis nomen ipsorum. Fortè Circumcelliones vocantur, non Circilliones. Planè si hoc vocantur, exponant, quid sint. Nam Circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagantur. Solent enim ire hac, atque illac nusquam habentes sedes, & facere, quæ nostis, & quæ illi norunt, velint, nolint. Sic & de eadem voce *Papias*. Circumcelliones vocantur, qui sub habitu Monachorum vsquequaque vagantur. *Idem*. Circumcellinnes genus Monachorum, dicti, quod circumcellas vagentur.

Sub hoc nomine autem fuerunt etiam Circumcelliones hæretici, qui vt martyres haberentur se ipsos perimebant. Atque etiam passim obuios Christianos. De quibus scripserunt *Aug. in ps. 32 epis. 48. & 67. Ph. last. l. de heres.* Pseudo autem Monachis Circellionibus inter alia *Aug. l. de oper. Monach.* & Isidorus tribuit, quod membra martyrū (si tamen martyrum) venditarent, quæ erat execrabilis nundinatio. De qua plura exempla habentur apud Hugonem Menardum in concordia Regularum *c. 3. §. 6.* vbi etiam explicat, quid essent fimbriæ, & filacteriæ, de quibus mentionem fecit Isidorus. Huiusmodi ergo generis Monachi sub habitu Monachi, pleni hipochrisia, & auaritia vagabantur per orbem sacra venditantes, vt possent argentum, & aurum lucrari. Hos Circelliones esse illos, quos D. Benedictus vocat Gyrouagos, existimat idem Hugo ibid. §. 1. Latè autem prauos illorum mores describit Regula Magistri, & aduertit *Donatus tom. 4. tr. 14. q. 21 nu. 7. quod Concil. Nicæn. 2.* vetuit Episcopis hos Gyrouagos recipere, aut in eorum Diœcesibus retinere, & *Conc. Agaten. c. 27. & 28.* statuit hos Circumcelliones verberibus eliminari. Ipse tamen *Donatus ib. n. 2.* putat eosdem esse cum Sarabaitis, sed vt videbitur multum distinguebantur.

10. Sextum genus igitur erat Sarabaitarum, Hos Isidorus vocat etiam Renuitas, quia quod Ægyptiacè dicitur Sarabaitæ, latinè est Renuitæ, sic enim latini nomen Sarabaitarum interpretati sunt. *Smaragdus in cap. 1. Regula Sancti Benedicti. Sarabaitæ autem interpretantur Renuitæ: eo quod maiorum exempla, vel virtutem sequi renuant.* S. Oddo Abbas Cluniac. collat. 2. *Nos miseri non sumus Monachi, vt falso nominamur, sed Sarabaitæ, Renuitæ, qui iugum Regularis disciplinæ renuimus.* Et vnt Glossæ anonimæ habent apud Hugonem Menardum d. §. 6. *Dicuntur Renuitæ, qui refutant Abbatem habere* Quamobrem Sarabaitæ dicti sunt etiam sibi viuentes, qui enim renuunt Abbatem habere, sibi viuere volunt. Caramuel num. 319. Sarabaitas dicit libidinosam vitam agentes. Cassianus autem collat. 18. c. 7. *Emersit, inquit, Sarabaitarum genus, qui ab eo, quod semetipsos à Cœnobiorum Congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates, Ægyptia lingua proprietate Sarabaitæ nuncupati sunt.* Hi igitur, vt videre est ex S. Benedicto, & Isid. non erant Girouagi, sed manentes in certo loco, vbi ædificabant sibi cellas, seu Monasteria, sed bini, vel in paruo numero simul habitabant, & quidem nulli subditi Regulæ, nulli subiecti Abbati, vel Superiori. In hoc enim eorum consistebat status, vt sine iugo obedientiæ liberi suo arbitrio viuerent, & starent, si vellent, vel quo vellent, irent.

11. Cum Sarabaitis conueniebant Remothiæ de quibus loquitur Hieronymus epist. 22. ad Eustoch. eos sic describens.

Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum, atque neglectum, & quod in nostra prouincia, aut solum, aut primum est. Hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant. suo arbitratu, ac ditione viuentes, & de eo, quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimum in vrbibus, & castellis; & quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint, maioris est pretij: inter hos sæpè sunt iurgia, quia suo viuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos, reuera solent certare ieiunijs, & rem secreti, victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum: & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum.

Hos quoque Sarabaitas reprehendit *D. Tho.* supra *q. 186. a. 5. ad 5.* Auctor autem *ser. 32.* ad Fratres in Eremo sub nomine S. Aug. huiusmodi homines sic describit.

Tales enim in cunctis operibus suis sperant reuerentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, & venerari, vt Deus Sancti ab omnibus vocari desiderant, sola voce paupertatem, & abstinentiam prædicant, sed digito suo non cogitant ea mouere; corpora despectis vestibus tegunt foris, sed intus ad carnem purpura induuntur: in cinere prædicant se iacere, sed excelsa palatia non despiciunt: angelicam faciem foris extendunt, sed lupina corda eos habere non dubitamus. Tales fuerunt illi Sarabaitæ, de quibus tertio nobis scripsit Pater Hieronimus, quorum genus est omni affectu vitandum. Ipsi denique in Aegypto intra foraminibus petrarum habitantes, induti porcorum, & boum pellibus tantum, cincti funibus palmarum, spinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas, discalceati, & sanguine cruentati, cauernas exeuntes, ad festum scenophegiæ pergebant Hierosolymam, & Sancta Sanctorum intrantes, paupertatem, & abstinentiam prædicabant omni affectu screare, barbas postmodum in conspectu hominum sine redemptione euellere festinabant, & sic acquisita fama, & lucro ad propria

pria remeabant, solitariè gaudentes, & epulantes supra id, quod explicare possumus. Hos fratres mei, & filioli mei, quos quotidie parturio in visceribus charitatis, nolite obsecro imitari, quia non beatos, sed damnatos eos esse prædicamus.

Sed hæc esse fictitia optimè aduertit Hugo Menardus d.c.3. §.1. quia nec illi sermones sunt Sancti Augusti. Nec Cassianus, aut S. Hier. alijque Scriptores, quid simile de Sarabaitis retulerunt. Cum etiam tunc non extaret templum Iudæorum nec Sancta Sanctorum, in quæ tamen auctor ille scribit solitos fuisse ingredi Sarabaitas in festo Scenophegiæ. Quæ debuisset aduertere etiam Caramuel, qui nu. 319. loco citato verba illius sermonis refert, & propterea vult, quod à Sancto Benedicto Sarabaitarum genus sit dictũ *deterrimum*. Eleganter etiam S. Benedictus comparat Religionem fornaci, Regularem disciplinam igni, Cœnobitas auro, Sarabaitas plumbo, Abbatem conflatori. Quam similitudinem eruditè ibidem explicat Caramuel.

12. Septimum genus Monachorum secundum Iulianum est eorum, qui inuiti tonduntur. Vtinam nunc etiam non inuenirentur in Religionibus, & virorum, & mulierum præcipuè, ex huiusmodi genere Religiosorum, qui inuiti professionem emittunt, nec sibi proficiunt, nec alios quiescere patiuntur, de quibus dici potest, quod ibidem subdit S. Valerius, nimirum quod isti sunt.

Hippocentauro similes, nec equi, nec hominis facta discretio, vti superius dictum est, aduersus fidelissimos Dei seruos dolosa, & iniqua machinantur odia, atque impijssimæ atrocitatis persecutionem incitant, & quos nouerint esse latrones, homicidas, maleficos, adulteros, atque cætera diabolicæ infanda crudelitatis opera exercentes, eos summi amoris affectione, ex totoque corde charitatis connexione amplectuntur. Hinc procul dubio aperta ratio manifestatur, quia, despecto Deo, diabolo obedeunt, & serui fideles existũt eius satellites amant, amplectuntur, & diligunt: & Domino, cuius fidissimos seruos persequuntur, & odiunt, inimici, refugæ, odibiles, & execri fiunt: qui dixit: *quod fecistis vni ex his minimis meis, mihi fecistis*. Iterum scriptum est: *Ille Dominum odit, & contemnit, qui non solum non timet Deum, sed gratis odit timentes Deum*. Rectores verò eorum etsi existiment se grauiter ante Deum esse culpabiles, sed quia erga gregem sibi creditum negligentes, & mala non prohibentes existunt, non solum propter propria delicta, sed pro subditorum flagitijs dupliciter condemnabuntur. Hinc David deprecans orat. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo*. Quicumque ea senioribus causam delinquentis adornat, maiorem ei insolentiæ fomitem generat: itaut cor eius magis, magisque indurari faciat: & contumaciam delinquentis differendo non discutit, nec humiliatione finit, nec dissimulanter, quæ permittit de satisfactione, & venia cogitare, sed idem denuo iterare, quoniam scriptura nempe testatur. *Quod omne peccatum quod remissum, indisciplinatusq; admiserit frater, ad negligentem protinus retorquetur seniorem, & propter se, & pro illo duplam redditurus est rationem*. Rectè namque censetur, vt cum quo participat errorem, æternam retributionis cum eo sortiatur vltionem. quia

Ipse iubere nefas, ipse perhibetur amare.
Qui prohibere valet, nec prohibere volet.

13. Septem igitur generibus Monachorum sic descriptis, ex quibus quatuor genera mala sunt; his omissis, de quorum misera conditione, vt dixit S. Benedictus, melius est silere, quam loqui, remanent tria Monachorum genera, ex quibus cum modo ex vsu, & communi intelligentia in vnum conueniunt Eremitæ, & Anachoretæ, duo remanent genera, scilicet Cœnobitarum, & Eremitarum, seu Anachoretarum, quæ in hoc articulo comparantur in ratione perfectionis status. Quæritur enim an perfectior sit Religio in societate viuentium, nimirum Cœnobitarum, quàm agentium solitariam vitam, qualem Anachoretæ, seu Eremitæ habent.

14. Sed & vlterius considerandum venit, hoc nomen Eremitæ accipi, & communiter, & propriè. Nam & Cœnobitæ quamplures dicuntur aliquando Eremitæ, si Cœnobia eorum sint in solitudine, vel eremo, & hoc modo Eremitæ fuerunt Monachi S. Basilij, vt insinuat ipse in Regul. 6. ex fusius disputatis, & de huiusmodi Eremitis Hieronimũ epist. 1. ad Eliodorum laudantem vitam solitariam intelligit *Suarez tom.4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 2. num. 3.* Sed isti propriè sunt Cœnobitæ, quia in communione viuunt, licet Cœnobia sint in eremo. Sed alij sunt propriè Eremitæ, qui viuunt verè solitarij. Et isti multiplices esse possunt, nimirum, quia sunt Cœnobitæ, qui ad eremum, seu solitariam vitam transierunt, sicuti sunt Monachi Benedictini Montis serrati in Catalonia. Ibi enim extra Monasterium supra montem illum sunt plures cellæ in quibus viuunt solitarij Monachi, qui ex Monasterio vitam illam eremiticam assumunt. Et sicut Carmelitæ discalceati pluribus in locis similes eremos habent. Sed alij sunt Eremitæ, qui statim ab initio conuersionis eremum petierunt. Aliter etiam distinguuntur, quia alij sunt Eremitæ, qui in Religione approbata à Sede Apostolica tria vota substantialia emittunt, sicut Eremitæ Camaldulenses, Montis coronæ, & Montis Virginis: alij verò sunt, qui habitum Eremiticum deferunt, sed professionem non emittunt. Hic quæstio est de propriè Eremitis, qui propriè Religiosi sunt, & vota substantialia emittunt; Nam alij, qui non sunt propriè Religiosi, cum non sint in statu perfectionis, sunt sine dubio inferiores Cœnobitis quantum ad statum.

SVMMARIVM.

1 *Solitudo est instrumentum perfectionis. numer. 15.*
2 *Solitudo connenit contemplatiuis. num. 16.*
3 *Vita solitaria perfectior directè assumpta. numer. 17.*

15. PRæmittit primo *D. Th.* quod solitudo sicut & ipsa paupertas non est ipsa essentia perfectionis, sed est instrumentum ad perfectionem acquirendam, sicut & ieiunia, & abstinentiæ, & austeritates vitæ. Ex hoc enim deducitur, quod Eremitarum Religio à Cœnobitis non distinguitur ex fine, sed ex medio, quia

solitudo

solitudo cum de se sit quid indiferens, non potest habere rationem finis, sed solum habet rationem medij.

16. Hinc secundo deducit *D. Thom.* quod vita solitaria conuenit solum illis, qui soli contemplationi vacant, quia solitudo non competit illis Religionibus, quæ sunt ordinatæ ad actiones, siue corporales, siue spirituales, ad opera scilicet misericordiæ, nisi ad tempus, sicut de Christo dicitur Lucæ 6. Exijt in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Nam opera charitatis in vtilitatem proximorum sine sociali vita exerceri non possunt. Vnde Religio solitariorum est iam genere distincta à Religione eorum, qui vacant actiuæ vitæ, & eorum, qui vacant contemplatiuæ, & actiuæ simul, & continetur sub genere Religionis vacantium contemplatiuæ vitæ.

17. Respondet veró ad quæsitum *D. T.* duplici conclusione. Prima est, quòd vita solitaria est perfectior, quia quod iam perfectum est præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur. Vita autem solitaria debitè assumpta est perfectorum, qui iam sibi sufficiunt. Secunda conclusio est, quod vita solitaria assumpta absque præcedenti exercitio virtutum est periculosissima, nisi per diuinam prouidentiam suppleatur id, quod in alijs per exercitium acquiritur.

SVMMARVM.

1. *Obiecta contra vitam solitariam.* num. 18.
2. *Laus vita communis.* num. 18.
3. *Vita solitaria bona, & laudabilis.* num. 19.
4. *Vita solitaria non assumenda nisi à perfectis.* numer. 20.
5. *Austeritates eius non contraria saluti.* num. 21.
6. *Eremitæ omnibus vtiles.* num. 22.
7. *Vita solitaria paucis proportionata.* num. 23.

18. QVæri autem potest primo an vita solitaria sit bona, & perfecta? Hæretici enim eam reprehendunt, ex eo quod vitare societatem sit contra charitatem, prout habetur ex *Paulo Heb.* 10. ibi: *Consideremus in prouocationem charitatis, & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram.* Secundo quia Eremitæ ob vitæ asperitatem sunt sui corporis inimici. Tertio, quia Eremitica vita sit inutilis, infructifera, & periculis plena; qui enim sibi ipsi viuunt, alijs sunt inutiles. Et *væ soli*, vt dicitur *Ecclesi.* 3. *Quia cum ceciderit non habet subleuantem se.* Vnde solitarius auxilio, quod ipse negat alijs fugiendo consortium aliorum, priuatus manet, vt in necessitatibus non habeat, qui illum adiuuet.

19. Sed respondetur, quod solitudo vitæ secundum se quidem nec est bona, nec mala, sed est res indifferens, & ideò licet non sit perfectio, cum secundum se non sit actus alicuius virtutis, perfectio verò in actibus, & præceptis virtutum consistit, & maximè in præcepto charitatis, vt docuit *D. Thom. supra q. 184. a. 1. & 3.* Est tamen instrumentum perfectionis, si debitè assumatur. Et ideò debitè assumpta solitaria vita est bona laudabilis, & Deo grata. Hoc probant aliqui exemplo Eliæ, qui ad tempus multoties solitariè vixerit in Carmelo, & in torrente Carith. Melius hoc probatur exemplo Io: Baptistæ, qui in eremo nutritus vitam solitariam duxit vsque ad mortem, quamuis vt muneri præcursoris fungeretur, non recedendo tamen à deserto habuit cum hominibus conuersationem prædicationis, quia erat in deserto prædicans baptismum Pœnitentiæ. Quem imitati postea sunt Paulus primus Eremita, & Antonius, qui fuerunt viri sanctissimi, & Deo amatissimi, vt patet ex ijs, quæ de Antonio narrat Epiphanius, & de Paulo, & Hilarione Hieron. & de alijs Vincent. Bellouac. & alij Historici. Nam Deus Paulum pascebat per coruum, & animam eius ad Cœlum ascendentem vidit Antonius. Et iussu Marij Eremitæ stetisse solem narrat historia libri Sanctorum Patrum cap. 16. Sic enim & Ecclesia Eremitas sanctos colit, eosq; in litanijs inuocat. Vnde de fide est solitudinem esse quid laudabile, & ad perfectionem vitæ conducens, si debitè assumatur.

20. Totum punctum est, quod solitudo debitè assumatur, quia, vt habet *D. Thom.* in secunda conclusione articuli, solitudo nisi præcedat illam perfectio vitæ est periculosissima. Ideò solitudo non est instrumentum perfectionis nisi illis, qui vel per exercitium virtutum sunt assecuti perfectionem, vel Spiritus Sancti interno magisterio supplente, quod in alijs per exercitium acquiritur, vt dicit *D. Thom. in fin. corp.* Et propterea vt dictum fuit supra sancti institutores Religionum, & Concilia non admittebant Religiosos ad eremum, nisi post plures annos probationis in vita Cœnobitica. Et S. Benedictus in Reg. cap. 1. Anachoretas describit eos, *qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, qui didicerunt contra Diabolum multorum solatio iam docti pugnare, & benè instructi ex acie ad singularem pugnam eremi securi, iam sine consolatione alterius sola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante sufficiunt pugnare.* Quod & docuit *Sanctus Hieronymus epist. ad Rusticum*, cuius verba refert *Diuus Thomas* in fine corporis huius articuli.

21. Quæ verò in oppositum adducta sunt, non probant. Nam locus Pauli habuit sensum longè alienum. Vt enim aduertit *Caiet.* ibid. Tunc aliqui superbia, & inuidia moti, quia videbant aliquos alios habere honoratiorem locum, non conueniebant ad Ecclesiam. Hos ergo hortatur Paulus, vt non deserant collectionem, & sic verum est, quod recedere à consortio aliorum ex superbia, & inuidia est malum. Sed cum hoc benè stat, quod consortium relinquere, vt homo longè ab illis occasionibus peccandi, quas fert socialis vita, vt totus Deo vacet, & cum Deo, & Angelis mente conuersetur, & spiritu, non est malum, sed bonum. Ad secundum dicitur quod austeritatem vitæ moderatam, & cuiuscumque temperamento proportionatam non esse inimicam saluti corporali, & longioris vitæ impedimento. ex eo manifestum est, quod Paulus primus Eremita vixit 113. annis, & Antonius 105. & Hilarion, aliiq; sancti Eremitæ in senectute bona obierunt, vt colligitur ex *Collat. Cassian. & libr. de vita Sanctorum Patrum.*

22. Ad tertium dicitur Eremitas solitariè viuentes non esse inutiles, quia alios iuuant maximè oratio-

orationibus, & exemplis ædificant, vt dicit *D.T.* ad quartum, & in necessitate etiam relinquunt eremum, vt fratrum succurrant necessitati. Sic de magno Antonio memoriæ proditum est, quod inualescente hæresi Arianorum relicta solitudine venerit Alexandriam, miramq; Arianis intulerit cladem. Sic de Accepsema Eremita fertur, quod cum sexaginta annis iam maneret inclusus, nullumq; mortalium videret relicta solitudine cucurrerit ad præbendum auxilium, ne salus hominum periclitaretur. De Abbate Appollonio, qui Thebaidem incolebat refert *Nicephorus l.9. c. 14.* quod persecutionis tempore relicta solitudine curam susceperit confirmandi animos Christianorum, multosque ad coronam martyrij consequendam adiuuerit. De Aphraate quoque narrat *Theodoretus l.4. c. 34.* quod cum Valens Imperator aduersus Ecclesiam fureret, ipse ex spelunca sua pallio vili ac sordido indutus, prodijt in publicum, vt causá salutis proximorum, ageret. Sic ergo nec Eremitæ longè sunt ab exercitijs actiuæ vitæ ad vtilitatem proximorum, vbi adsit necessitas, Qua deficiente non debent homines impediri, ne solitudinis quiete gaudeant, & spirituali sanctorum consortio fruantur.

23. Quod verò solitaria vita sit periculis plena, probat quod non sit passim ab omnibus, vel pluribus amplectenda, sed solum à viris perfectis, qui pericula vincere iam sint assueti, & possint singulari certamine congredi contra diabolum. Vnde etiam ex hoc patet, quod rationes S. Basilij non militant contra positam assertionem. Commendat enim & meritò Basilius vitam Cœnobiticam, & ostendit pericula vitæ solitariæ; Sed ex hoc non habetur, nisi quod solitaria vita non est omnium, nec multorum, sed solum est perfectorum, qui iam non indigent illis auxilijs, quæ confert vita socialis. Vnde est, quod vita solitaria non sit à multis practicabilis, & quod regulariter etiam Religiosis salubrior sit Cœnobitica vita.

SVMMARIVM.

1 *Eremitæ communiter, & propriè dicti. nu. 24.*
2 *Eremitæ Cœnobitici sunt propriè Religiosi. n.24.*
3 *Solitudo non petenda nisi ab exercitatis in Cœnobio, & perfectis. num. 7. 25.*
4 *Eremitæ puri possent esse Religiosi. num. 26.*
5 *Incertum an S. Paulus fuerit propriè Religiosus, quamuis fuerit eminenter talis. num. 26.*
6 *Eremitæ puri non sunt propriè Religiosi. numer. 27.*
7 *An sint personæ Ecclesiasticæ. num. 28.*
8 *In vita priuata possunt esse propriè Religiosi. num. 29.*

24. QVæritur secundo an Eremitæ sint veri Religiosi, seu an vita Eremitica importet statū, qui sit verus, & propriè dictus status Religiosus. Sed cum vt dictū est Eremitarū duplex sit genus, aliorum scilicet, qui ex cœnobitico statu cum licentia superioris transeunt ad eremum, seu ad vitam solitariam. Et aliorum, qui nullius cœnobiticæ Religionis vitam professi sunt, sed immediatè vitam solitariam sibi eligunt. Si loquimur de Eremitis, quos possumus vocare cœnobiticos, quia de cœnobijs ex licentia superiorum ad eremum transeunt, & solitarij viuunt, certum est eos esse propriè Religiosos, & pertinere ad easdem Religiones, ex quibus transeunt ad eremum. Per hunc enim transitum non mutatur status Religiosus, sed mutatur accidentaliter modus viuendi Religiosi transeuntis ad eremum. Qui tamen manet ligatus eisdem votis paupertatis, castitatis, & etiam obedientiæ, cum nonnisi sub obedientia ad eremum transierit, à quo ea obedientia reuocari potest, & in quo manet suis Ordinis legibus subiectus, & potest secundum illas à suo superiore corrigi, sicut & superior eidem manenti in eremo potest secundum Regulam præcipere, quæ sibi visa fuerint opportuna.

25. Isti igitur Eremitæ Cœnobitici Religiosi propriè sunt, & horum vitam non esse assumendam, nisi postquam aliquis in Cœnobio per multos annos se exercuerit, & in virtutibus progressum magnum fecerit, vt iam visum fuit, docuerunt Patres, vt Hier. Epist. 22. ad Eustochium de custodia virginit. & Epist. 4. ad Rusticum ibi. *De ludo monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant. August. l. 1. de mor. Eccles. cap. 3. Cassian. collat. 10. cap. 2. Benedictus cap. 7. Regula. Bernard. ser. 1. de dr Circumcis. & Isid. lib. 2. de off. cap. 15.* refert morem fuisse antiquum, vt huiusmodi eremitæ prius per 20. annos, aliàs per 30. probarentur in Cœnobijs, & postea nonnisi per electionem obedientiæ ad solitariam vitam transirent.

26. Loquendo autem de Eremitis non cœnobiticis, qui ab initio conuersionis suæ statim immediatè assumunt vitam solitariam, dicendum est illos potuisse esse verè, & propriè Religiosos, si saltem in manibus Episcopi tria vota substantialia emisissent sub certa aliqua Regula, & modo viuendi approbato, quia tunc huiusmodi eorum vita habuisset permanentiam status Religiosi ea vi votorum, & sub Regula aliqua ad perfectionem ducente sub obedientia Episcoporum viuissent, vt innuit *Diu. Thomas supra q. 186. a. 5. ad tertium, & docet Suarez. d. cap. 3. num. 12.* An verò S. Paulus Eremita, aut alij, qui eremos coluerunt solitarij, talia vota emiserint, & præcipuè votum obedientiæ, sine quo non est status Religiosus perfectus, & integer, est incertum, & ideò incertum est an fuerint propriè Religiosi. Et quidem Paulum, Antonium, Macharium, Hilarionem, Arsenium, & alios commilitones nemine authorizante, & sine certo instituto syluas, & solitudines petijsse, apud *Donatum t. 3. tr. 14. q. 14.* dixerunt *Tapia ad Auth. ingressu, v. Monasteria cap. 6. num. 1. & Riciull. lucubrat. Eccles. l. 3. cap. 3. num. 1. §. Secundus est*, quamuis indubitatum sit eos apud Deum fuisse perfectissimo modo, & eminenti Religiosos idq; eos obtinuisse, ad quod consequendum status Religiosus ordinantur. Habuerunt enim interiorē gratiam Spiritus Sancti in abundantia, quæ fecit illos immobiles in vita solitaria, & direxit eos supplendo directionem obedientiæ, quæ in alios per homines fieri solet; eratque in illis perfectissima obedientia ad Prælatos Ecclesiæ in præparatione animi, vnde meritum, & perfectionem Religiosi status cumulatè habuerunt.

27. Nunc verò Eremitæ si qui inueniuntur, nō

non

non sunt propriè Religiosi, quia nunc emitti non possunt vota religiosa, nec professio valida in statu priuato, sed oportet illam emittere in Religione approbata per Sedem Apostolicam *cap. vlt. de Religiosis domibus, & cap. vnico, eod. tit. in 6.* Nunc igitur Eremitæ Religiosi non sunt, tum quia non vouent obedientiam alicui Prælato, vt aduertit *Diuus Thomas 4. d. 27. in expos. litteræ* nec se alicui tradunt, nec profitentur secundum Regulam aliquam à Sede Apostolica approbatam. Tum quia esto voueant castitatem, hoc votum est simplex, nec sufficiens ad dirimendum matrimoniũ, nec publicè, & coram Ecclesia vouent. Tum quia nec vouent paupertatem, vt habet *Glossa in cap. qui verò 16. q. 1.* & possunt propterea testari, vt supponit *Grat. 19. q. 3. §. E contra.*

28. An verò huiusmodi Eremitæ sint personæ Ecclesiasticæ, & gaudeant priuilegio fori, & canonis, negant *Io: de Lign. in Clem. per litteras, de praben. Abb. in cap. Nullus, de Foro compet. Angelus v. Eremita num. 3.* qui tamen inconsequenter, seu inconstanter admittit eos esse personas Ecclesiasticas, & de foro Ecclesiastico per *cap. Nulla ratione d. 93. & cap. si autem 11. qu. 3.* qui textus nihil de hac re loquuntur. Et si essent personæ Ecclesiasticæ, falsum esset, quod subderentur Imperatori, vt ipse concedit, & sine causa negaretur eis priuilegium Clericale. *Glossa verò in cap. qui verò 16. q. 1.* dicit eos gaudere priuilegio Clericali. Archidiac. autem quem sequitur *Syluest. v. Eremita* ait gaudere si subsint alicui Religioni, vel personæ Religiosæ gaudenti dicto priuilegio. *Suarez autem tomo 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 2.* subdit, quod hoc dato id non erit, quia isti Eremitæ sint Religiosi, sed quia sint vel conuersi, vel obligati Religioni. Vnde asserit tales quatenus sunt Eremitæ, non gaudere priuilegio Canonis *Lezana t. 2. cap. 7.* distinguit inter Eremitas. Nam alij sunt, qui viuunt sub obedientia alicuius Superioris Ecclesiastici, v. Episcopo ex voto, aut pacto alicui Ecclesiæ inseruientes vel loco pio, vel in communitate, vel separatim. Alij sunt, qui ex mera voluntate in Eremis, aut locis desertis commorantur. Primi generis Eremitas ait gaudere priuilegio canonis, fori, & exemptionis à gabellis, non verò secundi generis. De quibus etiam intelligit Decretum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod refert *Barbosa in Sum. v. Eremita* & per quod decernitur Eremitas tam viros, quàm mulieres non esse tolerandos. Et addit num. 9. quod si quis vouisset vitam Eremiticam huius secundi generis votum non teneret, cum sit de vita veluti reprobata ab Ecclesia. Quamuis si quis satis exercitatus, & perfectus in virtutibus amore vitæ solitariæ tale votum emisisset, illud accedente licentia Episcopi seruare teneretur. Cum eadem distinctione quæstionem resoluit *Suarez to. 5. in 3. p. disp. 22. sect. 1. num. 32.* affirmans Eremitas gaudere priuilegio canonis, si ex speciali obligatione, & quasi traditione alicui loco sacro dicati sunt cum speciali subiectione ad Episcopũ siue ex voto, siue ex pacto, siue ex tali munere quasi spirituali proueniat. Quod & tenuit *Bonac. disp. 2. de cens. in partic. q. 2. p. 6. sect. 3. nu. 10. Barbosa* verò *lib. de off. Episc. all. 23. nu. 42.* ait, quod Eremitæ, qui nec sunt Clerici, neque aliquam approbatam Religionem sunt professi, nec habent certum viuendi modum approbatum à Sede Apostolica non sunt exempti à potestate seculari, qua tamen exemptione gaudent, si professionem emittant, vel votum aliquod apud Prælatum Ecclesiasticum, prout in aliquibus Prouincijs extãt multa eorum Monasteria, *Laurens de Franchis 2. p. q. 48.* sentit absolutè Eremitas esse de foro Ecclesiæ, eosque gaudere priuilegio Canonis, & fori, quia subduntur Episcopo. *Pasqualig.* autem *ibid.* ait hoc non verificari in Eremitis voluntariè in eremis degentibus, non de illis, qui Religionem approbatam profitentur, quia illi nullo modo sunt exempti à iurisdictione Episcopi. Subdit verò alios affirmare, eos gaudere priuilegio canonis, alios id negare, nisi Eremitæ ex toto sint Deo dicati, & viuant sub Regula. Et hoc idem tenet *Bellet. int. de disciplina Regul. §. 2. num. 19.* Sed *Reuerendissimus Fagnanus in cap. Nullus de foro compet. n. 54. & sequent.* omnia complectens distinguit quatuor species Eremitarum Primi sunt, qui emittunt tria vota substantialia in Religione approbata, vt Eremitæ Camaldulẽses, Mõtis Coronæ, Montis Senarij, & similes, qui cum sint propriè Religiosi, exempti sunt, & fruuntur sine dubio priuilegio canonis, & fori. Alij sunt Eremitæ, qui viuunt in communi, seu collegialiter sub Regula, & modo viuendi, saltem ab Episcopo approbato; & tales, licet non vouerint paupertatem, sed possint testari, putat nihilominus esse personas Ecclesiasticas, & vtroq; gaudere priuilegio, quod probat multis iuribus, & de talibus putat loqui *D. T. 4. d. 27. in expositione litteræ.* Alij sunt, qui licet non sint Religiosi, nec viuant in communi, tamen auctoritate Episcopi sunt deputati seruitio alicuius Ecclesiæ, vel Oratorij, & de manu Episcopi suscipiunt habitum Eremiticum. Et hos quoque iudicat gaudere priuilegio vtroque. Alij denique sunt, qui liberè viuunt, & portant Eremiticum habitum; & isti nec canonis, nec fori gaudent priuilegio. *Donatus verò tom. 3. tr. 14. q. 21.* admisso quod Eremitæ verè Religiosi gaudeant hoc fori priuilegio, & quod eo minimè gaudent. qui liberè, & sine licentia Episcopi ferunt habitum Eremiticum. Quæ duo sunt certa: de alijs Eremitis non Religiosis, qui deferunt habitum de licẽtia Episcopi loquens disputat latè ad vtramque partem, sed relinquit punctum indecisum.

29. Alterius autem generis Religiosorum meminit idem *Suarez d. cap. 2. num. 6.* qui non sunt solitarij, sed dici possunt priuati, quia tria vota substantialia Religionis vouentes in proprijs domibus habitant. Modò verò huiusmodi Religiosi non sunt, quia nunc non est status Religiosus, nisi vbi tria vota emittuntur in Religione approbata à Sede Apostolica, quæ huiusmodi modum viuendi, & vouendi tria vota, & manendi in domibus priuatis non approbauit. Antiquitus tamen fuisse huiusmodi Religiosos colligitur. Quia licet Moniales viuerent in communitate, vt habetur ex *Ambros. ad Virg. lap. cap. 47. & Hieron. ad Demetr. epist. 8. & 48. ad Sabinam,* tamen aliquas post professionem emissam in manibus Episcopi, in proprijs domibus vixisse colligit *Suarez ex Sancto Aug. serm. 1. de com. vit. Cleric. & ex Conc. Tolet. 4. cap. 8. relato à Grat. 27. q. 1. cap. 7. & ex Conc.*

ex Conc. Carthag. 4. cap. 34. seu cap. Clericus 57. q. 1. & ex Conc. Carthag. 3. c. 33. & ex Conc. Aphrit. cap. 11. & ex Burchar. l. 7. cap. 54. referente decretum Eugenij Quarti dicentis. Mulieres sub obtentu Religionis velatæ, aut in Monasterio regulariter viuant, aut domibus suis susceptum habitum castè obseruent. *In cap. etiam ex parte, & 2. de conuers. coniug.* supponitur posse emitti religiosam professionem in propria domo, quod de facto contigisse, & professionem talem validam fuisse habetur ex *cap. insinuante*. Qui Clerici, vel vouent.

SVMMARIVM.

1 *Quod status Eremiticus sit simpliciter perfectior, quidam tenent. num. 30.*
2 *Eremitæ Cœnobitici non sunt alterius religionis ab ea de qua assumuntur. num. 31.*
3 *Religio, quæ est perfectior fine, est perfectior Eremitica. num. 32.*
4 *Religio mixta est perfectior Eremitica, quæ est purè contemplatiua. n. 32.*
5 *Intra idem genus Eremitica præeminet sociali. n. 33.*
6 *Vita Eremitica per se supponit perfectionem vitæ Religiosæ. n. 33.*
7 *Solitudo regulariter non est apta ad distinguendas Religiones, sed gradus Religiosis. n. 33.*
8 *Qualiter perfectum præemineat ei, quod ad perfectionem exercetur. n. 34.*
9 *Religio mixta est etiam perfectiorum. n. 34.*
10 *Perfectus in genere contemplatiui non excedit statu, & studio proficientem status mixti. numer. 34.*
11 *Incertum an Cœnobitica vita, vel Eremitica sit antiquior. num. 35.*

30. QVæritur secundo an Religiosus status Eremitarum sit simpliciter perfectior quocumque alio statu Religioso *Nicolaus à Iesu Maria Carmelita Discalceatus in Apologia perfectionis propositione 20.* absolutè vult quòd Religio Eremitarum perfectior sit quacunque alia Religione, etiam destinata doctrinæ & prædicationi. Distinguit Religiones in plura genera. Nam alia est Religio perfectorum, & alia est Religio tendentium ad perfectionem. Prior Religio suo genere est perfectior omni Religione tendentium ad perfectionem. In genere vero Religionis perfectorum primum gradum tenet Religio Episcoporum, secundum gradum Religio Eremitarum. Religio verò mixta, quæ vacat prædicationi est quidem perfectior inter Religiones tendentium ad perfectionem, est verò imperfectior Religione Eremitarum, quæ est Religio perfectorum. Quod confirmat quia Eremitæ in præparatione animi habent etiam vitam actiuam, vbi necessitas id postulet, vnde ex solitarijs Sanctus Antonius, Abbas, Appollonius, & alij plures tempore necessitatis promouendæ fidei & adiuuandi proximos relicta eremo ad Ciuitates conuolarunt. Vnde Eremitica vita non excludit laborem actiuæ vitæ. Et secundo hoc confirmatur, quia Eremitæ orationibus, proximos adiuuant. Sed positio ista repugnat veritati, &

doctrinæ Sancti Thomæ in hoc articulo.

31. Distinguendo igitur inter Eremitas Conuentuales, & ex Cœnobijs ad Eremum transeuntes, ab illis, qui ab initio immediatè vitam solitariam profitentur; dicitur, primo quod Religiosi, qui ex Cœnobijs de licentia superiorum ad eremum transeunt, non mutant religiosum statum substantialiter, sed solum accidentaliter, & secundum gradum, eo modo, quo charitas distinguitur in charitatem incipientium, proficientium, & perfectorum, & quomodo Religiosus status distinctus fuit à *D. T.* supra *q. 183. a. 4.* Ita *Suarez d. cap. 2. n. 14.* Et quidem quod huiusmodi Eremitæ non mutent statum, probatur ex eo, quod maneat substantialiter Religio eiusdem Ordinis quia nouũ votũ solemne nõ emittunt, quidquid sit, an centum mille vota simplicia emitterent ex particulari eorum deuotione; sed sub eisdem votis substantialibus, & sub eadem Regula, & Constitutionibus, & sub obedientia eiusdem Superioris cum claustralibus, & socialem vitam habentibus viuunt. Non igitur statum mutant, ideo si status suæ Religionis sit imperfectior statu alterius, nec ipsi sunt in statu perfectiori, sed minus perfecto. Secunda verò pars assertionis probatur. Quia ex Religionibus ad solitariam vitam non sunt licentiandi, nisi qui iam gradum proficientium excesserint, & attigerint gradum perfectorum. Cæterum non possunt Religiosi sine licentia relinquere monasteria, vt transeant ad eremum, quia hoc professioni repugnat.

32. Dicitur secundo quod absolutè loquendo solitudo non fert excessum vnius status Religiosi super alio nisi secundum quid, & ex parte mediorum, vnde semper Religio, quæ ad perfectiorem finem ordinatur est simpliciter perfectior, & ideo Religio mixta est simpliciter perfectior Religione Eremitica, quæ est purè contemplatiua. *Suarez* vbi supra *n. 18.* Probatur verò assertio ex *D. Th.* in hoc articulo. Nam primo quod solitudo sit instrumentum perfectionis, non verò perfectionis essentia, sicut ieiunium est perfectionis instrumentum asseritur in principio corporis, & cum solitudo sicut & ieiunium non sit de se virtus, ideò non potest habere rationem finis, sed puri medij eligibilis propter finem, cum finis sit bonum honestum, solitudo verò sit quid indifferens ad honestum, & non honestum. Ex eo ergo quod Religio excedat solitudine, excedit in eo, quod est medium ad perfectionem, non in eo, quod aliquo modo sit finis propriè. Inde probatur secunda pars; quia est regula certa ex *D. T.* supra *a. 6.* quod Religio illa est simpliciter perfectior, quæ habet finem perfectiorem, & in hoc communissimè DD. conueniunt. Et huiusmodi Religio, quæ excedit fine, simpliciter etiam excedit medio ad finem. Ex quo enim excedit fine, habet pro fine actum virtutis perfectiorem, sed quia huiusmodi actus virtutis simul est instrumentum ad perfectionem charitatis, in qua consistit Religiosa perfectio, sequitur quod Religio excedens fine excedit simul medio ad finem principalem, quia quo actus virtutis est perfectior, est perfectius instrumentum ad perfectionem charitatis assequendam. Ideò Religio, quæ excedit fine simpliciter est perfectior, quia excedit fine, & medio. Religio ergo, quæ

excedit fine Religionem Eremiticam simpliciter est ea perfectior. Religio verò, quæ habet pro fine contemplari, & contemplata communicare, cum habeat finem nobilissimum est perfectior Religione Eremitica. Et hoc manifestè *D.T.* docet, dum in principio corporis solitudinem ait non conuenire Religionibus, quæ vacant vitæ actiuæ, sed solum illis, quæ vacant contemplatiuæ, ex hoc innuens solitudinem esse medium ineptum ad altissimum statum Religiosum, & conueniens solũ Religioni puræ contemplatiuæ, ideoq; maiorem perfectionem non importare.

33. Dicitur tertiò, quòd quando *D. T.* ait, quod vita solitaria debitè sumpta præeminet sociali, loquitur intra idem genus vitæ; quia intra genus status Religiosi habentis eundem finem perfectior est vita solitaria: & sic inter Religiones contemplationi vacantes melior est Eremitica. Etenim primo considerandum, quod *D.T.* in sua conclusione non comparat Religionem Religioni, sed vitam vitæ, quia solitudo potius est apta ad distinguendum gradus eiusdem Religionis, quam Religiones, quia est medium non assumendum nisi ab illis, qui in schola Religionis sunt exercitati, vnde per se regulariter loquendo, solitudo vt sic medium ad perfectionem, supponit in suscipiente Religiosum statum secundum gradum perfectum; potius igitur ad distinctionem graduum eiusdem Religionis spectat, quàm ad diuersas Religiones. Inde est, quod vita solitaria solitariè per se sumpta nec est melior, nec est medium, quod cadat sub prudenti consilio. Vnde etiam est, quod Religio Eremitica, quæ sit purè talis, & statu distincta à Cœnobitica nedum modo non est, sed forsan nunquam fuit. Quia licet fuerint multi Anachoretæ, tamen vt plurimum hi à Cœnobijs transibant ad eremum. De illis verò, qui à principio immediatè fuerunt Eremitæ, non constat, quod fuerint Religiosi per professionem trium votorum sub obedientia alicuius Prælati. Quamobrem solitudo potius est modus per se, & ex se non conueniens regulariter, & secluso speciali Spiritus Sancti instinctu, nisi Religiosis in sociali vita, & Cœnobitica perfectis, & sic non aptum ad distinguendum statum. Secundò quatenus posset esse differentia distinguens statum à statu, hoc non potest esse nisi respectu generis Religionum conuenientium in fine, scilicet respectu Religionis ex suo genere contemplatiuæ, quia ad huius solius perfectionis est medium aptum, vt *D. Th.* inquit. Et ita ad summum sequitur, quod si vnquam in mundo data est Religio Eremitica pura, & nihil habens de Cœnobitica, illa est perfectior inter contemplatiuas, non ex fine, sed ex medio non apto nisi ad quietem contemplatiuæ perfectionis iam assecutæ. Verum regulariter vita eremitica non constituit distinctum statum, sed summum gradum Religionis vacantis vitæ contemplatiuæ.

34. Ad rationes in oppositum respondetur, & dum dicitur ex *D.T.* quod id, quod iam perfectum est præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, est verũ componendo idem sub esse perfecto, ad se ipsum, vt est in via, & ideò est verum non de perfectione status ad diuersum statum comparati, sed de perfectione graduali eiusdem status. Nam alias perfectum in vno genere inferiori non præeminet tendenti in statu perfectiori. Nam ad maiorẽ perfectionẽ equus perfectissimus in specie equi non præeminet homini puero, & infanti. Sic ergo optimè inquit *D. T.* quod id, quod iam perfectum est præeminet illi, quod ad eandem perfectionem exercetur perfectione graduali intra eandem speciem. Et sic vita solitaria in genere contemplatiuæ vitæ præeminet. Cæterum si fiat comparatio ad vitam mixtam; primò argumentũ supponit falsum, quod Religio mixta nõ sit perfectorũ, quia omnis Religio distinguitur secundum gradum incipientium, proficientium, & perfectorum, vt habet *D.T. supra q. 183. ar. 4.* Quod verò Religio mixta excludat solitudinem, est ex perfectissimo fine illius. Vnde nec Episcopi, nec Apostoli, nec Christus vitam solitariam, professi sunt, quia altissimo operi, quod est conari ad alios sanctificandos non est opportuna. Ideò secundò falsum est, quod perfectum in genere contemplatiuæ vitæ excedat in ratione status, & studij, & deputationis, & obligationis statum Religionis mixtæ, quæ perfectionem altissimam ex genere habet pro fine. Itaque si comparentur Eremitæ ad perfectos in statu Religionis mixtæ isti sine dubio excedunt, cum sint perfecti, & in contemplatione, & in actione. Sed si proficientes Religionis mixtæ comparentur ad Eremitas, illi semper excedunt statu, studio, & Religione, personaliter verò exceduntur, & excedunt; exceduntur gradu vitæ vt contemplatiuæ, cuius perfectionem nondum sunt assecuti, excedunt gradu actiuæ vitæ, quæ in Eremitis deest. Nam alias dicere, quod in Eremitis est vita actiua in promptitudine animi, vel etiam de facto, quia Eremitæ tempore necessitatis ad opera vitæ actiuæ conuersi fuerunt, hoc est per accidens, & non est ex vi status, & obligationis, & deputationis ad talia opera ex voto, & virtus in promptitudine non æquiparatur virtuti in se exercitæ. Semper igitur verum est, quòd Eremitica vita est perfecta contemplatio, & in genere cõtemplatiuæ præeminet, sed ex genere non præeminet vitæ contemplatiuæ, & contemplata communicanti. Et sic Eremitica vita inferior est sociali habenti pro fine contemplata communicare. Vnde *Basil.* ex hoc vitam socialem valdè commendat *reg. 7. ex fus. disput.* Sic Io: exemplo suo Eremiticam vitam reliquit, & ad prædicandum accessit, quod non fuit à perfectiore recedere, sed perfectiorem vitam eligere. Et ad hæc comprobanda multum faciunt, quę habet *Innoc. Tertius in cap. Nisi cum pridem, de Translat. Episc.*

35. Quæ verò vita Religiosa fuerit antiquior Cœnobitica, ne vel Anacoretica, prout dixerunt *Baron. ad an. 338. Suarez d. c. 2. num. 19. Gibalin. quem sequitur Donatus l. 3. tr. 14. q. 12.* ignotum est. Et forsan in hoc sunt æquales; & nunquam defuit neutra eorum. Sed & Antonius, & Benedictus relicta solitaria vita Cœnobiticam ad vtilitatem aliorum elegerunt. Tempore etiam Eliæ, & Elisæi fuere Prophetæ, & filij Prophetarum socialiter viuentes. Nec Elias solam vitam solitariam assumpsit. Et Io: post solitariam vitam pœnitentiam prædicauit, vnde *Glos. in cap. si verè, & cap. si clericatus* dixit, quod vita Eremitica transit in Monachatũ, sed quod Samuel primo instituerit

Cœnobia

Cœnobia Monachorum tradidit *S. Hier. epist. 4. ad Rusticum*, quod pluribus firmat *Genebrard. in Chronol. & in hist. l. 1. c. 10.*

S V M M A R I V M.

36. QVæritur vltimo an omnis Religiosus professus in Rligione Cœnobitica possit transire ad vitam solitariam? Respondetur quod vel loquimur de vita solitaria intra eandem Religionem, & sub obedientia ordinaria Prælatorum Religionis, vel de vita solitaria sumenda extra proprium ordinem. Primo modo potest Religiosus, de licentia tamen Sui Superioris vitam solitariam eligere. *Suarez. tom. 4. de Relig. tra. 9. l. 1. c. 8. num. 15. Donatus tom. 3. tr. 14. q. 7.* Quod manifestum est primo in Religionibus, quæ huiusmodi transitum habent ex instituto, vel ex vsu, sicut dictum est de Benedictinis Montis serrati, & de Carmelitis Discalceatis. In Religionibus etiam vbi hic transitus non est in vsu, nihilominus in vsu poni posset in aliquo, quia cum solitaria vita maximè valeat ad perfectionem, quæ est finis cuiuscumq; Religionis, competere potest omni Religioni, nisi sit contraria fini particulari Religionis; ideò ijs Ordinibus, qui ordinantur ad vitam actiuam, seu ad opera misericordiæ siue corporalia, siue spiritualia non competit, sed repugnat vita solitaria. Ideò S. *Thomas in corp. art.* habet, quòd vita solitaria non competit nisi Religionibus, quæ puram contemplatiuam profitentur. Vnde huiusmodi Religiosis, qui vitam actiuam habent pro fine, regulariter, & vt in pluribus non licet amplecti vitam solitariam, nisi ad tempus, & pro quanto vitæ actiuæ exercitia non impediat. Nec superiores possunt suis subditis ad vitam actiuam ordinatis in præiudicium actiuæ vitæ permittere, vt etiam intra Religionem vitam agant solitariam. Si tamen aliquis in senectute, cum iam vitæ actiuæ laboribus non est aptus, & cum non desunt, qui secundum Regulam vitæ actiuæ exercitijs sufficienter incumbant, vellet se in aliqua cella includere, & in quiete solitudinis Deo seruire, posset de licentia Superioris id præstare.

37. Et si quis diceret non esse necessariam licentiam Superioris, quia vita solitaria sit perfectior Cœnobitica, Religiosus verò potest sine obtenta licentia Superioris ad perfectiorem Religionem transire. Respondent *Suarez, & Donatus* citati, quia in transitu de Religione ad aliam mutatur status. Sed in transitu de vita sociali ad solitariam intra eundem Ordinem assumitur certus vitæ modus per Regulam non præscriptus, quem non licet assumere sine Superioris licentia. Sed ego dico, quod argumentum supponit falsum, quod scilicet in Religionibus ad exercitia vitæ actiuæ ordinatis sit perfectior vita solitaria, cum imò illis non competat, sed potius repugnet. An verò in casu particulari personæ congruere possit aliquando vita solitaria ad maiorem perfectionẽ est quid iudicandum ex arbitrio Superioris. Loquendo autem de transitu ad vitam solitariam in alia Religione dicendum est licere sub his conditionibus, sub quibus licet transitus de vna Religione ad aliam. De quo sermo erit in quæst. seq. D. Thomæ 189. a. 8.

38. Mulieribus quoque vita Eremitica non inconuenit, si intra claustra, & Clausuram habeatur de Superiorum licentia, quia instrumenta perfectionis omnibus esse communia conuenit. Et sic si aliqua Monialis intra Monasterium includi vellet in aliqua cella, posset id fieri, seruatis seruandis, & præcipuè stante perfectione eius vitæ iam certa, & firmata, & per annos experimentata. In Religionibus tamen profitentibus Psalmodiam in choro; maior causa esset necessaria, vt liceret Religioso includi in præiudicium chori. Cæterum fœminis extra claustra minimè competit Eremitica vita, nisi intra consanguineorum domos, aut benè custoditam domum. Et nihilominus *S. Cong. Epis. & Regular. in Catanien. 22. Januar. 1582.* prout refert *Barbosa v. Eremita n. 2. Lezana p. 2. cap. 7. num. 8. Donatus t. 3. tr. 14. q. 8. num. 3.* statuit Eremitas tàm viros, quàm mulieres non esse ab Ordinarijs tolerandos præter Eremitas Camald. & S. August. quod tamen esse intelligendum de Eremitis, qui proprio arbitrio sumpto habitu vagantur, quò voluerint, intelligit *Lezana vbi supra*, Nam alias quod sit in potestate Episcopi dare alicui habitum Eremiticum deputando illum ad inseruiendum alicui Ecclesiæ, vel alteri loco pio, supponunt DD. communiter. Ex quibus vt visum est, plurimi existimant similes Eremitas gaudere priuilegio fori.

39. His sic de Religionum varietate, & perfectione in communi recensitis superesset de singulis Ordinibus in particulari disserere. Sed in immensum cresceret opus. Et hæc res est historica nec ad dirigendos mores multum conducens, & quantum ad illorum originem in multis satis incerta, & quantum ad ea, quæ spectant ad singulorum obligationes recondita, & perfectè inexplicabilis, nisi ab eo, qui omnium nedum Regulas, sed Constitutiones, Acta Capitulorum, consuetudines haberet peruias, vnde hoc est opus proprium cuiuscumque Regularis pro suo Ordine. Cæterum qui Ordinum multitudinem, nomina, Originem, & antiquitatem scire cupit consulat, *Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. Barbos. in summa Apostol. & p. 2. de iure Ecclesiast. cap. 41. Bordonum de Præcedentia à quæst. 112. Moronum lib. 4. contr. 1. cap. 2.*



QVÆSTIO CLXXXIX.

De Religionis ingressu, in decem Articulos diuisa.



Deinde considerandū est de ingressu Religionis.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, vtrum illi qui non sunt exercitati in obseruantia præceptorum, debeāt ingredi Religionem.

Secundo, vtrum liceat aliquos voto obligari ad Religionis ingressum?

Tertio, vtrum illi, qui voto obligantur ad Religionis ingressum, teneantur votum implere?

Quartò, vtrum illi, qui veniunt Religionem intrare, teneantur ibi perpetuo remanere?

Quinto, vtrum pueri sint recipiendi in Religione?

Sexto, vtrum propter parentum obsequium aliqui debeant retrahi à Religionis ingressu?

Septimo, vtrum Presbyteri curati, vel Archidiaconi possint ad Religionem transire?

Octauo, vtrum de vna Religione possit aliquis transire ad aliam?

Nono, vtrum aliquis debeat alios inducere ad Religionis ingressum.

Decimo, vtrum requiratur magna deliberatio cum consanguineis, & amicis ad Religionis ingressum.

S V M M A R I V M.

1 *Tractandarum ordo.* num. 1.

1 DE personis, quæ ingredi possunt, aot debent Religionem, & quid facere debeant, vt sanctè Religionis habitum suscipiant tractat *D.T.* in hac quæstione 189. Quoniam tamen post *Diu. Thomam* multa ex iure positiuo statuta sunt spectantia ad huiusmodi ingressum, qui in actu professionis completur, vt vniuersalem de his tractatum habeamus, nonnulla premittenda suot explicationi articulorum *D.T.* & alia post eorum discussionem inquirenda, & determinanda. Tria enim præmittenda sunt, scilicet quid sit, huiusmodi ingressus in Religionem, qui in Nouitiatu integro consistit. Secundo qui ingredi cupientes possunt recipi. Tertio quæ in huiusmodi receptione obseruanda sunt.

S V M M A R I V M.

1 *Qualis locus Nouitiorum.* num. 2.

2 *Ingressus in Religionem non importat solam sumptionem habitus, sed nouitiatum vsque ad professionem,* num. 3.

3 *Nouitiatus cur institutus.* num. 4.

4 *Nouitiatus communiter, & proprie dictus.* numer. 5.

5 *Nouitiatus quid sit.* num. 6.

2. NOuitiatus potest accipi duplicitet, scilicet materialiter pro loco, in quo educantur Nouitij, & formaliter pro experimento Religionis, seu statu, in quo quis deputatur ad experimentum Religionis, in qua profiteri intendit. De Nouitiatu materialiter sumpto videnda sunt, quæ statuit Clemens VIII. in Decreto super instituti. & educat. Nouit. Est verò circa præfata Clementis VIII. statuta hoc considerandum, quòd eorum non obseruantia non inducit nullitatem nouitiatus, cum hanc pœnam Pontifex non imposuerit. *Bord. de profess. cap. 4. q. 29.* Sed hic sermo noster principaliter est de nouitiatu formaliter sumpto.

3. Non consistit omnis ingressus in Religionem in sola habitus susceptione quæ nihil valet professione non succedente, sed totus ille motus, qui ab habitus susceptione exordium sumens to professionem terminatur, nomine ingressus in Religionem significatur. Numquā enim aliquis est in termino ingressus in Religionem, nisi sit in statu Religionis, & hoc habet tunc solum cum professionem emisit, ideò in professione completur ingressus in Religionem. Vnde ingressus in Religionem plures actiones comprehendit, præcipuè verò consistit in Nouitiatu, seu in illis, quæ fieri debent ab exordio susceptionis habitus, vsque ad professionem emissam, in qua Nouitiatus terminatur.

4. Fuit verò Nouitiatus à Sanctis Patribus, vt Benedicto, Gregorio, Basilio, & alijs, prout refertur *in cap. Gansaldus 17. q. 2.* institutus ad fauorem tàm nouitij, quàm Religionis, vt ille, austeritates Religionis, & Religiosorum mores, Religio verò Nouitij inclinationes, & mores, & animum experiatur, vt hoc modo ille prudenter eligere possit perfectionem, & ista illum ad profitendum admittere c. *ad Apostolicam de Regular.*

5. Verum est, quod Nouitiatus largè lumi potest, vt iuxta morem aliquarum Religionum se extendat ad educationem, vel eorum, qui ante pubertatem habitum suscepetunt, vel eorum, qui professi sunt vsque ad certum tempus. Sic enim in Ordine Prædicatorum etiam professi Nouitij dicuntur vsqueque manent sub cura Magistri particularis. Alio modo Nouitiatus magis propriè dicitur, & sic ex vsu communi Canonum, & decretorum Pontificum importat experimentum, quod per annum sumitur de suscipiente habitum Religiosum, Et hoc modo loquimur modo de Nouitiatu.

6. Hu-

6. Huiusmodi verò Nouitiatus diffiniri potest vt sit mutuum experimentum, quod suscipitur in habitu Religionis approbatæ in ætate legitima, in loco debito, & tempore continuato. Dicitur verò mutuum experimentum, quia per illud, & Religio experitur mores, & qualitates Nouitij, vt videat an expediat illum recipere, vel non recipere ad professionem, & Nouitius experitur austeritates, statuta Ordinis, & suam idoneitatem, vt videat, si sibi expedit profiteri; quod experimentum, vt Nouitiatus non sit irritus, iam ex lege positiua debet habere quatuor conditiones, vt infra explicatur.

SVMMARIVM.

1 *Antiquitas habitus non erat de substantia Nouitiatus.* num. 7.
2 *Nouitiatus habendus in habitu Religionis approbata.* num. 8.
3 *Probatur ex Conc. Trid.* num. 9.
4 *Habitus Religiosus est distinctiuus Religionum.* num. 10.
5 *De substantia nouitiatus non est, vt fiat in habitu Nouitiorum proprio.* num. 11.
6 *Intrusi nouitiatus non valet.* num. 12.
7 *In societate non est necesse quod Nouitiatus habeatur in habitu Religioso.* num. 13.

De Nouitiatu habendo in habitu Religioso.

INSPECTIO I.

7. PRima ergò conditio est, vt nouitiatus habeatur in habitu Religioso. Antiquitus hæc conditio non erat de substantia, quia habitus non est de substantia status religiosi. Imo quod probatio habenda esset in habitu laicali statutum fuit à S. Gregorio Papa, vt habetur *cap. legem dist.* 53. *& cap. malos dist.* 54. Et idem decernitur *cap. si quis incognitus* 17. *q.* 2. sed tamen in prædictis locis non est sermo vniuersalis, sed de militibus, & clericis, & incognitis. Et nihilominus quamuis ex antiquissimo vsu, vt habetur in *Regula S. Bened. c.* 58. & apud *Cass. l.* 4. *Inst. c.* 6. nouitij exuerentur vestibus laicis, & induerentur habitu Monacali: hoc tamen non erat de substantia, ideò valebat professio sine susceptione religiosi habitus, vt est casus in *cap. porrectum de Regular.* & docent ibi *Glos.* Io: *Andr. Butr. Panorm. Card.* & omnes *& in cap. Quia ingredientibus de testamen.* vbi Abbatissa declaratur professa, quæ nunquam induit habitũ monialium, vt aduertit ibi *Reuerendiss. Fagnanus n.* 6. *& in d. cap. Porrectũ n.* 17. Nunc tamen ex consuetudine omnium Religionum, quam & supponit *Conc. Tr. sess.* 25. *cap.* 5. habitus est de substantia nouitiatus, & professionis *Sanchez. l.* 5. *in Decal. c.* 4 *num.* 19. *Azor. t.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 3. *Barbos.* 1. *cap. ad Apostol. n.* 7. *de Regular. Tamdar.* 1. 3. 4. 6 *q.* 7. *n.* 20. *Fagnan. vb. supra Rodriq. c.* 3. *q.* 15. *a.* 9. *Mirand. p.* 1. *q.* 22. *n.* 6. *à S. Fausto, Vecch. Regiual. & à Cuana*, quos refert *Barbosa ad cap.* 55. *num.* 36. *sess.* 25. *Bordon. de profess. cap.* 4. *q.* 17. *& par.* 2. *resol.* 54. *n.* 215. *& resol.* 99. *n.* 16. *Peyr. ad Regul. Minim. cap.* 3. §. 6. *num.* 2.

8. Circa conditionem hanc autem duo sunt certa. Primum est, quod debet haberi in Religione approbata à Summo Pontifice, quia cum eius solius sit Religiones approbare, Religio non approbata nec est Religio, nec in ea valet Nouitiatus ad hoc, vt validè Nouitius Religionem profiteatur. Secundum est, quòd Nouitius tempore Nouitiatus deferat habitum religionis illius, quam intendit profiteri. Et hoc est primo respectiuè verum de iure communi *& cap. ad Apostolicam, de Regul. & cap. super eo, & cap. statuimus eod. titulo, & ex cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *& ex Clem. Eos eod. tit.* Ex his enim iuribus saltem de præcepto erat, vt probatio nouitij haberetur in habitu eius Religionis, quam Nouitius profiteri volebat. *Gloss. in cap. Cum legem, & in cap. final.* 17. *q.* 2. *& in cap. super eo in fin. de Regul. & ibid. Io: Andr. Hostien. in sum. tit. de regular. in fine n.* 1. *Angelus v. Nouitius n.* 16. *Tabien. num.* 21. *Syluest. v. Religio* 3. *q.* 5. quia deferre habitum regularem est vna de præcipuis austeritatibus, quæ in regula continentur, quam Nouitius experiri debet.

9. Secundo hoc habetur expressè ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* Vbi tanquam substantiale decernitur annus probationis à susceptione religiosi habitus inchoandus, vt patet ibi. *Nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* Irritat verò professionem antea factam. Igitur ante susceptum Religionis habitum impossibile est annum probationis peragere, cum probationis principium sit habitus susceptio; principium verò est potissima pars rei, sine qua res non est *l.* 1. *ff. de orig. iur. cap. Principatus* 1. *q.* 1. *& cap* 1. *de lit. contest. vbi Gloss. magna.* Ad finem enim sine initio non peruenimus. §. *His igitur Instit. de iust. & iur.* Cum ergo tempus probationis incipiat à susceptione habitus, ante habitus susceptionem nec est probatio, nec est nouitiatus. Vnde cum aliquorum Ordinum mos sit recipere prius per aliquod tempus intra claustra in habitu seculari eos, qui petunt ingredi Religionem ad eorum voluntatem explorandam, & vt illi, si eis displiceat religio possint sine rubore reuerti ad seculum in eodem habitu seculari. Nihilominus etiam in istis Ordinibus nouitiatus incipit à susceptione Religiosi habitus, & non prius.

10. Tertio quia habitus religiosus est vnicum distinctiuum religionum, qui est de substantia cuiuscumq; religionis in quantum est species status Religiosi visibilis, & ad Ecclesiam vt visibilem pertinentis, vt probatum est supra *q.* 187. *artic.* 6. igitur ad substantiam experimenti status religiosi talis, qualem nouitius intendit suscipere pertinet delatio habitus talis religionis, aliter nouitiatus non erit experimentum religionis talis visibile, & in facie Ecclesiæ habitum sufficienter. Et ita quod in habitu seculari non possit haberi Nouitiatus declaratum habemus apud *Nicolium v. Nouitius num.* 26. *per S. Congreg. Episc. & Regul. in Senogallien.* 17. *April.* 1602. *& Mediolanen.* 25. *Octobris* Neque oppositum tenet Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *num.* 10. vt aliqui ei tribuunt, sed imo hoc expressè docet, & probat, & ex hoc in fauorem suæ

sententiæ pro quæstione insta proponenda explicat DD. antiquos.

11. Sed quia in aliquibus Religionibus habitus nouitiorum est aliquo modo distinctus ab habitu professorum, ideò dubium est, an de substantia nouitiatus sit habitus proprius nouitiorum, ita vt si nouitius in anno nouitiatus deferat habitum professorum nouitiatus sit irritus. Et non esse irritum dicunt *Suarez loco citato, & Castro Palaus tract. 16. dub. 1. p. 15. a. §. 4. num. 2. & communiter alij*, & meritò: nam hoc ex vllo iure antiquo necessarium non erat. Vbi enim hoc ius? Concilium autem Tridentinum nullam mentionem facit proprij habitus nouitiorum, vnde ex hac parte nihil innouat, & cum sit res momenti, si innouare voluisset, id clarè expressisset, & alias de se hoc est quid accidentale; & cum talis habitus non sit quem professurus est nouitius, non est necessarius ad experimentum Religionis: & tandem nimis durum esset, quod nouitius habens nouitiatum in habitu professorum, non posset validè profiteri. Ideò etiam, qui habuit Nouitiatum in habitu conuersorum posse sine nouo nouitiatu profiteri statũ clericorum, benè dixit *Lezana ver. professio*. Hoc tamen limitatur, nisi ex Regulæ statuto irritus sit nouitiatus factus in alio habitu, quam in proprio nouitiorum. Tunc enim statutum Regulæ obseruandum esset.

12. Sed & vlterius aduertendum est, quod habitus debet recipi ab habente potestatem illum dandi; nouitiatus enim debet esse admissus ab habente ad id facultatem, cum in nouitiatus susceptione nouitius conueniat cum Religione, & Religio cum nouitio, non datur verò conuentio sine mutuo conuenientium consensu; ideo nouitiatus requirit habitum à legitimo Superiore receptum, quia non est nouitiatus, si nouitius se intrudat, sed si ab habente legitimam facultatem admittatur. *Palaus tr. 16. disp. 1. p. 12. §. 3. num. 1. & 5. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 7. nu. 15. Peyrin. in Prul. q. 3. cap. 1. num. 53. Rodriq. t. 3. q. 17. ar. 12.* quos sequitur *Bordon. de prof. cap. 4. q. 6. & 20. & p. 2. resol. 54. num. 219.*

13. Dubium autem vlterius est, an vniuersaliter verum sit, nouitiatum debere haberi in habitu religioso. Nam quidam tenent, quod in Societate Iesu hoc non sit necessarium, quia cum Societas Iesu nullum particularem habitum profiteatur in nouitijs nullus requiritur habitus susceptio, aut habitus mutatio, sed sufficit mutuus contractus sensibiliter expressus Superioris legitimè acceptantis nouitium ad religionem, & nouitij consentientis. *Sanchez l. 5. mor. c. 4. nu. 29.* Verum licet & Societas habeat proprium habitum, qui est habitus clericorum conformis paupertati religiosæ, & religiosæ modestiæ: Nam aliud est, quod hic habitus non sit omninò vnus vbique, quia sufficit, quod sit secundum morem patriæ, aliud est, quod non sit quodàmodo proprius; Hoc enim non admittitur, quia primo est habitus clericalis, & sic ab habitu laicorum distinctus. Secundo est vniformiter accommodatus religioso statui, & paupertati, & ideò valdè distinctus à communi clericorum habitu. Quia nihilominus teste *Palao tr. 16. disp. 1 p. 13. num. 9.* in Societate est statutum expressè nouitios in habitu sæculari probandos esse, si ita videbitur expedire, vt decisum fuit. *Examen c. 1. §. 13. & in declarat. l. F. & p. 3. const. cap. 2. & p. 6. cap. 2. L. M.* Ideò verum est, quòd in Societate non est de substantia, quod nouitiatus habeatur in habitu religioso, quod docuit *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. c. 4. num. 6.* Et est verum de quacunque Religione, in qua sit simile statutum, vt apud *Sanchez* tradiderunt *Goffredus, Io. And. Anton. Anchar. cap. super eo, de Regular.* Si tamen Religionis statutum sit approbatum à Sede Apostolica.

SVMMARIVM.

1 *Ante pubertatem nequit haberi nouitiatus validus num. 14.*

2 *Vir non potest incipere nouitiatum ante 14. annum completum. num. 15.*

3 *Nouitiatus per menses ante pubertatem, inceptus non est validus. num. 15.*

4 *Concilium Tridentinum nihil innouauit circa hoc. num. 16.*

5 *De iure communi ante pubertatem etiam fœminæ recipi possunt ad habitum religiosum. numer. 17.*

6 *Non tamen de nouo iure possunt recipi Nouitij. num. 17.*

7 *Non potest renunciari, vt nouitiatus incipiat ante 14. annum completum. num. 18.*

8 *In Societate quando incipiat annus nouitiatus. numer. 19.*

9 *Nouitiatus ante pubertatem inchoatus repetendus. num. 20.*

10 *Nouitiatus annus à quo puncto incipiat; nu. 21.*

De ætate ad Nouitiatum necessaria.

INSPECTIO II.

14. SEcunda conditio est legitima ætas; legitimam enim ætatem ad incipiendũ nouitiatum esse pubertatem scilicet in viro ætatem 14. & in muliere 12. annorum, certum est. Licet enim de iure communi, vt videbimus infra *art. 5.* multò ante pubertatem recipi possit habitus religiosus, non tamen potest incipere nouitiatus, quia neque ante pubertatem potest haberi experimentum sufficiens ad ea, quæ ad votum castitatis pertinent. Et ideò pubertatem esse ad nouitiatum necessariam tradunt *Paludanus 3. d. 39. q. 3. q. 2. fine D. Anton. 3. p. t. 16. c. 3. §. 2. Syluest. v. religio 1. q. 12. & 3. q. 5. & 5. q. 1. Tabien. v. nouitius n. 2. Armil. num. 1. Rosel. num. 9. Angelus n. 1. Azor. l. 12. instit. mor. c. 2. q. 4. & q. 7. Sanchez l. 5. mor. cap. 4. n. 22.* & apud eum *Gregorius Lopez, & Anton. Cuccus, Palaus tr. 16. disp. 1. p. 15. §. 3. num. 2. Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 14.* & quidem annum pubertatis 14. in viris, & in fœminis 12. debere esse completum de momento ad momentum, nec posse suppleri ex eo, quod aliquis antea sit doli capax tradunt *Sanchez num. 25. Gloss. in Clement. fin. v. ætate de Regul. Sylu. v. Religio 1. qu. 12. Tabien. num. 2. Armil. num. 1. loco citato, & alij communiter*, de

quo

quo tamen dicendum erit infra cum de quarta condicione tractabitur.

15. Sed aduertit *Barbosa ad cap. 15. num. 23. sess. 25. Conc. Tr.* quod potest profiteri ille, qui cū esset 18. annorum permansit per annum in nouitiatu, & postmodū habitu retento fuit commoratus domui suæ vsq; ad tempus sexdecim annorum, & cum fuerit reuersus ad Religionem petiit admitti ad professionem, si aliud Religio eidem non opponat, & hoc ex Sellio dixit fuisse decisum sub die 20. Martij 1621. Sed si hoc dictum fuisset de fœmina, in qua pubertas incipit de anno duodecimo expleto cum fundamento esset assertum, & quantum sit ex parte ætatis fuisset verum (quidquid sit de necessitate continuationis anni probationis ad professionem, de quo erit sermo infra) sed loquendo de viro, in quo pubertas incipit anno 14. id est prorsus falsum. Et decisio S. Congregationis citata, si data fuit, dicendum est, quod de fœmina, non de viro loquuta fuit. *Bord. quoq; resol. 54. num. 183.* arbitratur, quod nouitiatus susceptus per mensem in fine decimi quarti anni, scilicet ante decimumquartum annum completum sit validus, quia sicut nouitius non tenetur experiri singulas in specie austeritates, ita neque tempus aptum ad experimentum ita continuè considerari debet. quin maior temporis pars apta sufficere possit pro experimento necessario. Citat autem *Sanchez lib. 5. c. 4. n. 22.* Sed *Sanchez* ibi hoc non dicit, & obstat communis consensus DD. qui ad valorem nouitiatus requirunt integrum annum post pubertatem. Quia est necessarius integer annus: Statum verò pubertatis, qui est status pleni vsus rationis, incipere ab anno 14. completo, & esse necessarium ad nouitiatum omnes fatentur. Nec sufficit maior pars anni, vbi integer requiritur, nisi pars, quæ deficit de anno sit tam minima, vt sit pro nihilo forsan reputanda.

16. Nec obest, quod Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de Regular.* statuat, quod Nouitij ante annum 16. non admittantur ad professionem & postea *cap. 16.* præcipit, vt finito tempore Nouitiatus Superiores, quos habiles inuenerint admittant ad professionem, aut è monasterio eijciant; vnde videtur supponere, quod Nouitij suscipiant habitum completo anno 15. aliter euoluto anno probationis non possent profiteri, vt præcipit Concilium. Nam Sancta Synodus nihil innouat in hac parte, in qua cum tractetur de re graui exprimendum clarius fuisset, si quid innouare intendisset, sed Concilium solum vult, vt non admittatur Nouitius ad professionem, nisi compleuerit ætatis 16. annum, vnde ante illum Nouitius non est ad profitendum idoneus, vnde nec habet conditiones à Concilio requisitas. Concilium igitur non interdicere quin nouitiatus ante 15. annum ætatis completum incipi possit tradunt *Nauar. l. 3. Cons. de regul. c. 20. num. 1. Azor. lib. 12. cap. 4. q. 9. Emanuel Sa. v. religio num. 8. Henriq. l. 13. de excom. cap. 40.* 292. *Rodriq. qq. reg. tom. 3. qu. 15. a. 2. fine. Sorbus v. Nouitius notab. 4. Sanchez. l. 5. mor. c. 4. num. 22. Tambur. t. 3. disp. 6. q. q. 2. nu. 7. Bordon. de profess. cap. 4. q. 8. Palaus vbi supra n. 3. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. num. 5. Mirand. q. 22. a. 4 Less. l. 2. c. 41. n. 59.* Et quod S. Congregatio Concilij inclinauerit in hoc, vt in masculis nō sit præfinitum tempus à Concilio Tridentino ad suscipiendum habitum testatur Reuerendiss. *Fagnanus in cap. ad Apostolicam num. 14. de Regularibus.*

17. Vbi num. 33. probauerat non esse contra Concilium, si indutus habitu ante annum quintūdecimum euoluto anno probationis expectet, vt compleat annum sextum decimum ad hoc, vt profiteatur. Sed & in mulieribus quamuis annus probationis non possit incipere nisi post inchoatam pubertatem, nimirum post duodecim annos expletos, quod nihilominus possint ad habitum recipi ante pubertatem, probat latè idem *Fagnan. ad cap. cum virum num. 9. & sequen. de Regularib.* Vbi tamen num 47. aduertit quod ad petitionem Generalis Clericorum Regularium Theatinorum 16. Iulij 1652. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium interdixit ne deinceps in eorum Religione quisquam ad habitum susciperetur, nisi post annum quartumdecimum completum, vel decimum quintum inchoatum, ipsisq; nuper postulantibus, vt huiusmodi prohibitio relaxaretur, Sac. Congregatio abnuit die 5. Iulij 1541. Et similem prohibitionem fecit Clericis ministrantibus infirmis, cum quibus etiam noluit dispensare, vt puerum bonæ indolis ante annum decimum quintum reciperent. Et tamen quod generali constitutione non sit prohibendum, quod pueri recipiantur probat, tum quia Pius Quintus cum constituisset, vt non reciperetur aliquis ad Religionē, nisi post annum decimum octauum, Ordinum verò Procuratores Pontifici representassent incōmoda multa, quæ inde sequerentur, Pontifex remisit rem discutiendam Sac. Cong. Concilij, quæ censuit constitutionem temperandam, & cum aliqui ex Cardinalibus indicarent præfigendam esse ætatem quindecim annorum, maior pars tenuit permittēdum, vt nouitij in ea ætate recipi possent, in qua antea iuxta cuiusq; Ordinis statuta recipiebantur. Tum quia Clemens Octauus de hac re nihil innouauit, sed imo statuit, vt quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari etiam mendicantium in ea sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipitur, instituta requirunt. Nihilominus nouissimè in licentia recipiendi Nouitios data continetur, vt non recipiantur, nisi qui annum quintumdecimum compleuerunt, vt patet in licentia data pro Ordine Prædicatorum, quæ inferius ponitur, & in licentia data Minoribus Conuentualibus, quam per extensum ponit Reuerendiss. *Fagnan. ad cap. relatum n. 80. Ne Clerici, vel Monachi.* Quantum ad Moniales autem quod regulariter recipi non debeant ante quintum decimum annum expletum, & tunc de licentia Sac. Cōgregat. si Nouitia velit esse formaliter Nouitia, decisum fuisse à Sac. Cōgregatione Episcoporum, & Regularium in Perusina 5. Nouembris 1602. refert Nicolius in Flosculis v. Nouitius num. 25. & idem Nicolius ad titulum de Regular. num. 34. vers. Vnde S. Regul. Congregatio, refert aliam declarationem eiusdem Sacræ Congregationis, quæ 23. Maij 1659. rescripsit Nuntio Neapol. in hac forma. *Da qui in poi V.S. non permetta, che sotto qualsiuoglia pretesto le zitelle prendano l' habito di Nouitie, prima d'hauer compito li quindici anni d'età,*

d'età, affinche doppo l'anno della probatione possano professare, secondo che vien prescritto dall'istesso Concilio di Trento: E se prima v'entrarono con titolo d'Educanda, le faccia rimanere fino all'età sudetta nel loro habito Secolare. In Ordine etiam Prædicatorum videtur statutum *dist.* 1. *cap.* 15. *in gloss. tex.* 1 *lit. A.* quód probationis annus debeat incipere ab anno quintodecimo expleto, & ita notat *Fontanara v. professio nu.* 3. Sed verbum *debet* intelligendum est, pro quanto nullus debet admitti ad professionem nisi post annum ab anno quintodecimo numerandum, nimirum nisi expleto anno sextodecimo. Ita quod licet infra annum sextum decimum aliquia terminauerit annum ex quo receptus fuit ad habitum, non tamen infra illum annum potest profiteri. Cæterum si quis in hoc ordine fuerit receptus ad habitum statim post annum quartum decimum, statim euoluto anno, & iam expleto anno quintodecimo annus probationis est completus, quantum ad necessitatem experimenti, prout ius commune disponit, licet Nouitius huiusmodi nō possit profiteri, nisi cōpleto anno sexto decimo. Et dato quod Religiosus aliquis, vel Religiosa post pubertatem illicite esset receptus, vel recepta ad habitum, si receptio non est nulla, sed valida, & nouitiatus incipit ab illa habitus receptione, vt *Concilium Tridentinum disponit cap. illo* 15. *sess.* 25. & euoluto anno finitus est annus probationis quantum ad necessitatem experimenti, licet non sit finitus quantum ad professionem emittendam, sed necesse sit expectare complementum anni sexti decimi. Et sic annus probationis, vt continuus professioni, incipit ab anno quintodecimo expleto.

18. Nec in hoc casu prodesset renontiatio nouitij, & consensus Monasterij ad hoc vt nouitius posset inchoare nouitiatum ante annum quartumdecimum completum, quia cum interdictum hoc ne ante pubertatis annum, qui in viris est 14. fit in publicam vtilitatem ordinatum, non potest nouitius illi renuntiare legitimé, vt tradit *Sanchez loco citata num.* 23. & pluries hoc determinauit Sac. Congregatio Cardinalium.

19. Excipiuntur per *Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 56. à Regula data nouitij Societatis Iesu, quia cum in ea solus Generalis habeat facultatem recipiendi ad habitum vel per se, vel per eum, cui id commiserit: at veró, vt habetur ex Regul. 36. Prouincialis, sit Prouinciali interdictum sine dispensatione Generalis recipere nouitios ad habitum ante quintumdecimum annum expletum, & ad vota biennij ante 17. nouitiatus non potest in ea incipere ante annum quintumdecimum, & si incipiat est irritus. Quando enim alias non habenti potestatem conceditur à principio potestas agendi limitata, actus illam excedens est nullus, etiam si non addatur decretum irritans per *Panorm. cap. ex parte num.* 5. & *Felin. ibid. num.* 1. *vers. secunda limitatia, de Consit.* Cum igitur Prouincialis in Societate de se non habeat potestatem recipiendi ad habitum, & à Generali habeat limitatam, vt non recipiat, nisi eum, qui compleuerit annum quintumdecimum, si recipiat antea, nouitiatus est irritus, nisi sub ratihabitione Generalis recipiat puberem nōdum eiua anno quintodecimo expleto; in quo casu secundum eundem *Sanchez* à die ratihabitionis incipiet valere nouitiatus. Sed post pubertatem tamen à die suscepti habitus putat *Sanchez* incipere, quia simul existimat, quód nouitiatus irritus non sit necessario repetendus. Sed de his quatenus ad communem Religionum doctrinam spectant, dicam in sequentibus.

20. Quando tamen nouitiatus esset irritus ex eo, quod vel in totum, vel in parte habitus ante annum pubertatis semper esset repetendus, ita vt integer haberetur post pubertatem; quia ante pubertatem non habetur experimentum idoneum ad professionem habendam. Et licet modo videatur impossibilis casus huius nouitiatus irriti, quia nouitij non possunt profiteri ante annum sextumdecimum expleto anno probationis, vnde si ad habitum ante pubertatem recipiantur, & in habitu perseuerent habebūt nedum annum integrum, sed duos annos nouitiatus post pubertatem integré perfectos, tamen contingere potest, vt puer ante decimumquartum annum expletum receptus anno completo exeat à religione, & post tempus iterum redeat. In quo casu etiam in sententia eorum, qui tenent quod si quia completo probationis anno exeat à Religione, si redeat possit line alio anno probationis admitti ad professionem. Is, qui habuit annum probationis irritum ex eo, quod ante pubertatem fuit inchoatus tenebitur nouum integrum annum probationis subire, si a Religione egressus ad illam redeat; quia primus fuit inualidus inceptus, & pro qua parte fuit validus non potest modó continuari, quia requiritur annus integer non interruptus, Quod tradit *Sanchez loca citata num.* 25.

21. Hinc deducitur, quod vbi DD. aliqui affirmant Nouitiatum incipere á momento præstiti consensus nouitij admissi, & Prælati admittentis ad nouitiatum intelligi debent vbi nouitius post pubertatem admittitur, Verum absolute dicendum est, quod si nouitius ante pubertatem recipit habitum statim à momento incipientis pubertatis incipit annum nouitiatus, nec requiritur nouus consensus, sed durat ille, qui fuit præstitus in susceptione ipsius habitus, si habitus fuit liberé susceptus, & datus cum animo profitendi suo tempore, & seruatis seruandis, sed si quis ad habitum recipitur post expletam pubertatem, nouitiatus incipit à susceptione habitus, nisi aliud ex instituto Religionis, vel ex mutuo consensu partes disponant. A tempore enim suscepti habitus *incipit* mutuum experimentum, & mutus probatio, vt ex consequenti annus probationis, post quem si nouitius sit idoneus debet admitti ad professionem, iuxta Decretum Concilij Tridentini. Ita *Mirandat.* 1. *q.* 22. *a.* 3. *a S. Fausto q. lib.* 5. *q.* 160. *Barbosa de off. Episc. alleg.* 101. *n.* 19.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiatus debet fieri intra claustro. num.* 22.
2 *De iure antiquo hoc non erat substantiale. numer.* 22.
3 *Et per totum annum poterat haberi extra claustra. num.* 23.
4 *Et hoc verum erat etiam in Manialibus. n.* 24
5 *Etiam si licentia manendi extra claustra non fuisset legitima. n.* 25.

6 *Antiquitus nec annus probationis erat de substantia. num. 26.*

7 *Gestatio habitus extra claustra non inducebat professionem tacitam. num 27.*

8 *Cap. insinuante qui Clerici, vel vouentes. numer. 27.*

9 *Antiquitus fieri poterat professio ab eo, qui non fuit probatus in claustro. num. 28.*

10 *Ex vi Conc. Trid. Nouitiatus debet inchoari intra Claustrum. num. 29.*

11 *Intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium nouitiatus debet fieri in Conuentibus deputatis, num. 30.*

12 *Et toto anno debet haberi in claustro. num. 31.*

13 *Et ab omnibus Regularibus. num. 32.*

14 *Pœna alibi recipientium ad nouitiatum. numer. 33.*

15 *Ex causa necessitatis possunt nouitij de licentia exire à claustro. num. 34.*

16 *Nouitius potest indui habitu in Conuentu non deputato, & postea mitti ad deputatum. numer. 35.*

17 *In hoc tamen casu dubium est an nouitiatus incipiat à receptione habitus. num. 36.*

18 *An professio extra Conuentum deputatum fieri possit: affirmant aliqui. num. 37.*

19 *Alij negant. num. 38.*

20 *Affirmatiua pars eligitur, & probatur. nu. 39. & 40.*

21 *Nouitius dissentiente Capitulo Conuentus designati, in quo habuit annum probationis non potest profiteri. num. 40.*

22 *Defectus nouitiatus in loco designato præbet impedimentum perpetuum. num. 41. & 42.*

23 *Ratificari non potest professio nulliter emissa ex defectu nouitiatus in loco designato, nisi nouam professionem post validum nouitiatum emittendo. num. 42.*

De Nouitiatus loco.

INSPECTIO III.

22. TErtia conditio est, vt nouitiatus habeatur à nouitio intra claustra monasterij. Nouitij enim intra claustra, sed in loco à reliquo monachorum habitatione separato educabantur ex antiquissima monachorum institutione. Ex Regula enim Sancti Benedicti, vt habetur *cap.* 58. nouiter veniens paucis diebus detinebatur in cella hospitum ad hospitium aduenientium famulatum deputatus, vt ex Regula Tarnatensi, & S. Isidori cap. 4. & S. Fructuosi Archiepiscopi cap. 21. Et statuitur in addit. capitul. Ludouici Imperatororis tit. 34. & est conforme ei, quod de Monachis Aegyptijs refert *Cassian. l. 4. Instit. cap.* 7. Postea verò Nouitius introducebatur in cellam Nouitiorum, quæ ab alijs Monasterij locis erat disiuncta, vt patet ex *Beda l. 4. hist. Angl. c. 23 & S. Fructuoso Archiepiscopo cap. 21. Regula, & S. Ferreolo cap.* 5. Et sic etiam alij Ordinum Institutores Nouitios intra claustra in loco separato erudiri voluerunt, prout etiam continetur in decreto Clementis VIII. de Nouit. instit. Circa eandem conditionem ergo aliud dicendum de iure antiquo, aliud verò de iure nouo. Et quidem iure antiquo ex *cap. 1. de Regul. in 6.* ibi. *Quòd si per totum sequentem annum in monasterio permanserit,* colligi videtur de substantia nouitiatus esse, vt nouitius in anno probationis debeat manere intra claustra, quòd & fuisse declaratum à Congregatione Concilij refert *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 13.* Et habet fundamentum *in cap. Monasterij 19. q.* vbi Gregorius prohibet recipi in Monasterijs ad conuersionem, nisi biennium in conuersatione compleant, idest in communione, & consortio fratrum, & sic intra claustra, *Bord c. 4. q. 22.* Verum communis DD. sententia est, vt non sit necessaria materialis existentia Nouitij intra claustra, sed sufficiat existentia in Monasterio formalis, seu fictione iuris. Religiosus enim vbicumque sit dicitur esse in Monasterio dum est sub obedientia sui Superioris, ibique de licentia Superioris existit, vt docuit *Panor. in cap. cum illorum de senten. excom.* Et probatur hæc sententia manifestè ex cap. insinuante. Qui Clerici, vel vouentes, vbi mulier, quæ votum castitatis emisit, & habitum Regularem recepit adiecto pacto, vt sibi liceret manere in domo propria cum tota substantia sua, & nedum nunquam ingressa est Monasterium, sed matrimonium in seculo contraxit, & prolem sustulit, iubetur compelli ad male dimissum habitum reassumendum, & ad seruandum quod vouit. Et in *cap. Viduas 27. q. 1.* viduæ, vel puellæ, quæ in domo propria habitum Religionis assumunt, & vouent castitatem, si postea nubunt debent suspendi a communione Sacramentorum cum suis stupratoribus, donec pœniteant. Et ad idem facit *cap. ex parte ai primo de conuers. coniug.* per quem textum quod locus, seu claustrum non sit de substantia Religionis, & validè profiteatur, qui in seculo manet, si votum professionis emisit, docuerunt *Abbas Siculus Io: Andr. Butr Card. Panorm. & idem dixit Card. ad d. cap. insinuante num. 2. & Fagnan. num. 4. qui idem tenuit ad cap. Porrectum num. 7. de Regular.*

23. Licet verò hoc aliqui limitatè admittant pro aliquo tempore, nimirum per vnum, vel duos menses *Rodriq. sum. tom. 2. c. 8. num. 4.* tamen de iure antiquo nihil officere etiam si per totum annum nouitius extitisset extra Conuentum de Superiorum licentia, tenent expressè *Azor. lib. 12. cap. 2 q. 8. Sanchez l. 5. mor. c. 4. n. 28. Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 14. num. 13. Diana 3. p. tr. 2. resolut. 84. Donatus tom. 2. p. 4. trac. 9. q. 13. num. 4.* Et ratio est, quia viuit sub obedientia Superioris, & in Monasterio censetur esse, qui non est, nisi vbi Superior mandat esse. Et hæc, in re est sententia *Syluestri v. religio 5. q. S. Angeli v. Nouitius n. 16. & Nauar. loco citato, & Canonistarum vbi supra.*

24. Quamuis verò idem *Rodriquez qq. regul. tom. 3. q. 85. a. 10.* hæc non habere locum in Moniali censeat, quia cum inter præcipuas austeritates monialium clausura numeretur, hanc debet monialis experiri, oppositum nihilominus sentit *Sanchez loco citato,* quia DD. communiter indistinctè loquuntur, nec est necesse nouitium omnes austeritates in singulari experiri, & *Suarez loco citato* refert decisum a Congregatione Cardinalium non interrumpi nouitiatum, si Nouitia Monialis

curandæ infirmitatis causa exeat à Monasterio, & in domo parentum maneat, *Barbosa in cap. 15. Concil. Trid. sess. 25. Portel. v.* Nouitia, *Marzilla lib. 1. in concil. Trid. cap. 16.* vbi adducit propria verba Congregationis *Donatus loco citato num. 6.* Et in citatis *cap.* Insinuante, qui Clerici vel vouentes, & *cap.* Viduis de mulieribus est sermo, & approbatur, professio habita extra claustra.

25. Hoc verò ampliatur vt sit verum etiam si licentia superioris data esset sine iusta causa, & per abusum potestatis superioris concedentis, licet *Nauar.* licentiam licitam videatur requirere. Et ratio est, quia numquam deserit monasterium vel Religionem, qui manet extra claustra de licentia, eo magis, quòd esto peccet superior licentiam concedendo, potest esse, quod non peccet Nouitius vtens licentia, cum illius non sit dignoscere an superior legitimè agat, vel non: & prætterea nullum dicitur fieri præiudicium anno probationis, si superior sine causa legitima dispenset cum nouitio in ieiunio, vel alia ordinis obseruantia; igitur neque si sine causa legitima det nouitio licentiam manendi extra Conuentum. Et ita tenent *Sanch. loco citato nu. 14.* Bartholomeus de Vechis *disp. 11. dub. 3. Barbosa de offic. Epis. alleg. 101. num. 27. Diana dicta res. 84. Tambur. t. 3. disp. 6. q. 7. nu. 17. Barbosa ad cap. 15. num. 28. sess. 25. Conc. Trid. Donatus loco citato num. 8.* Huiusmodi verò licentiam concedere conuenit Prouinciali, aut in casu necessitatis etiam superiori locali, vel de consensu Capituli, de consilio Patrum grauiorum, vel absolute iuxta cuiuscumque ordinis statuta, & consuetudine. *Barbos. ubi supra.*

26. Hæc vero manifestiora sunt considerando quòd tunc annus probationis non erat de substantia Religionis, sed poterat illi à partibus renunciari, & censebatur tacitè renunciatum per professionem ante annum emissam pariter & acceptatam, vt in *cap.* Ad Apostolicam *de Regul.* Tunc enim claustrum non erat de substantialibus Monachatus, sed poterat quisque profiteri sine aliqua probatione in ipso ingressu, & erat perpetuo Religioni alligatus. *Cap. Tirinl. 24. quæst. 1. & 27. quæst. 1. per totam, & cap. Eos, qui semel. 20. quæst. 3. & notat Gloss. fin. in cap. ad nostram de regular.* Etiam non data perseuerantia triduo, quæ non requirebatur nisi ad effectum vt quis obligaretur Religioni irreuocabiliter in susceptione habitus professorum infra probationis tempus, vt declarat. *Gloss al.* communiter recepta in *cap. Constitut. ead. tit. in 6.* Itaque his consideratis constat, quòd de iure antiquo claustrum non erat de substantia Monachatus sicut non erat de substantia probatio, & Nouitiatus, cui poterat de partium consensu renunciari,

27. Et nihilominus etiam de iure antiquo, cum sit quòd ex annuali gestatione habitus indistincti, tam à professis, quam à Nouitijs gestari soliti induceretur professio tacita. *cap. 1. de Regula l. in 6.* hoc fallebat, vt professio non induceretur ex gestatione habitus extra Monasterium; Nam habitus Monachalis extra monasterium sumptus non facit Monachum. *Hostien. cap.* statuimus, *de Regular. num. 1. Archid. in cap.* beneficium *num. 1. eod. tit. in 6.* Huiusmodi enim habitus extra Religionem assumptus non solemnizat votum nisi expresse emittatur; & ideo si quis multo tempore portet habitum extra Monasterium, non censetur professus. *cap. Vt Clerici, de Regular.* & ibi Panorm. *Gloss. in Clem. eos, in verbo in aliqua, eod. tit.* Panorm. iterum in *c.* Porrectum *nu. 8. eod. tit. Fagnan. ad cap.* Insinuante *num. 30.* qui Clerici, vel vouentes, vbi quod hanc sententiam videtur olim probasse *S. Cong. sylnec. v. Religio 3. quæst. 19. v. Tertio* quia iste si vellet esse Religiosus ingrederetur monasterium. Et si dicatur quòd obstat *de cap.* Insinuante, in quo mulier deferens habitum in domo propria compellitur ad seruandum votum factum; respondet *Fagnan. d. n. 30.* quòd in eo casu præter susceptionem, & gestationem habitus Religionis præcessit votum castitatis, vnde ex duobus licet imperfectis votum remansit solemnizatum. Sed aliter dicitur, quòd in eo casu mulier illa de consensu Religionis detulit habitum extra claustra & emissa solemni professione; contra quam licet exciperet allegando fuisse coactam, tamen Pontifex considerato quod metus fuerat breuis, & quod patientia, & perseuerantia in habitu per duos annos metum penitus excludebat, decreuit eam mulierem esse compellendam ad votum implendum. Quando ergo habitus antiquitus recipiebatur a superiore cum conuentione viuendi Religiosè extra claustra, tunc delatio habitus per annum inducebat professionem tacitam, quia tunc aderat saltē tacitus consensus tam deferentis habitum quā concedentis; sed tunc delatio habitus extra monasterium non inducebat professionem tacitam quando gestans habitum illum ex se, non vero à Religionis Prælato assumpserat: Vel quando habitum receperat vt illum intra claustra gestaret, sed ille sine expressa vel tacita Religionis licentia, ex solo proprio arbitrio illud extra gestabat. Tunc enim non poterat in eo præsumi voluntas profitendi ex habitus gestatione extra Religionē, cum hoc Religiosis non conueniret regulariter, sed solum ex speciali aliqua licentia, & ex obedientia. Cæterum in casu *d. cap. Insinuante* erat mulieris, quæ solemniter vouerat, & professa fuerat, & perseuerantia illius in habitu inducta fuit ad penitus excludendum metum, & coactionem, de qua illa contra propriam professionem excipiebat.

28. Antiquitus igitur quia vel non erat inductus annus probationis intra claustra, vel quando fuit inductus, poterant Religiosus, & Religio, ei quòd in fauorem illorum censebatur inductum, renunciare. *cap.* Ad Apostolicam, *de Regular.* Si quis sine probatione professus fuisset, valida fuisset professio consentiente Religione. Et si solum per partem anni nouitius probatus fuisset, poterat multo magis de consensu Religionis validè profiteri; Et si per tres, duos, vel vnum mensem fuisset in probatione, & sine licentia, vel etiam animo redeundi ad sæculum habitum exuisset, & à Claustro recessisset, & iterum reuersus fuisset, & receptus ad habitum, licet annus probationis fuisset discontinuatus, nihilominus, quia tunc, hæc continuitas non erat de substantia, si statim in regressu professionem emisisset consentiente Religione, valida fuisset professio, quia tunc nec probatio, nec annus probationis, nec illius continuitas erat de substantia.

29. Sed modo duplex ius nouum habetur, per

quod

quod iuri antiquo fuit additum, & annus probationis inducens est tanquam de forma, & substantia professionis. In concilio enim *Trid.* sic statuitur, *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruantiam, vel ad alios quoscumque effectus.* Quamuis vero Concilium expresse non dicat probationem debere fieri intra claustra, hoc tamen subintelligitur, quia annus probationis à SS. PP. institutoribus Religionum annos probationis institutus fuit vt habendus in monasterijs, vt in Regula S. Benedicti *cap.* 58. Et ea Regula Patrum *cap.* 4. S. Pachomij *cap.* 49. S. Basilij *cap.* 6. S. Fructuosi *cap.* 21. & alijs PP. regulis, apud Hugonem menardum *cap.* 65. & in mendicantium Ordinibus, omnibus huiusmodi nouitiatus ordinatus fuit, & praxi comprobatus & cum annus probationis fuerit institutus vt tam monasterium probet mores recipiendi ad professionem, quam recipiendus experiatur mores Religionis, vt in d. *cap.* Ad Apostolicam, natura huius probationis petit, vt habeatur intra claustra, & amplius quod in solitudine, & silentio fieri debeat probatio *cap.* 1. & 2. 16. *quæst.* 1. & *cap.* Cum ad monasterium, de statu monachor. & notat *Glossa magna in cap.* Beneficium, *vers.* in contrarium debet, *de Regular. in* 6. Et regulæ rigor, & mores nouitij vniuersaliter extra monasterium satis probari non possunt *cap.* Monasterijs 19. q. 3. Dum igitur Concilium Tridentinum petit annum probationis ad valorem professionis loquitur de probatione vt habenda in monasterio, & ideo (quidquid dixerint Suarez *t.* 3. *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 13. *Palaus tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 12. §. 4. *n.* 2. & *Anton. à Spir.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *num.* 54 Et alij, qui non distinxerunt inter ius antiquum, & nouum inductum à *Trid. Concil.*) modo de substantia nouitiatus est quod saltem inchoetur in monasterio, in quo nouitius admittatur ad habitum. *Nauar. Com.* 2. *de Regul. num.* 74. & *cons.* 32. *de regul. num.* 2. *fin. Rodriq. t.* 3. *quæst.* 15. *num.* 10. *Mirand. par.* 1. *q.* 22. *à Barbos. de off. Episcop. all.* 101. *num.* 58. & *ad cap.* ad Apostolicam *num.* 8. *de Regular. Tamburin. tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 7. *num.* 16.

30. Sed intra fines Italiæ, & insularum adiacentium attento iure nouo Clementis octaui, & nouissimo Innocentij Decimi euidentius est Nouitiatum haberi non posse extra claustra, cum enim ex decretis Generalibus Clementis Octaui Nouitiatus non possit haberi extra Conuentus designatos, bene sequitur quod si nouitiatus sit irritus si habeatur in religione extra aliquem conuentum designatum; quod multo magis sit irritus si habeatur in seculo extra Conuentum omnem.

31. Quod intelligitur nedum de toto anno, sed de parte anni Lezana *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 12. *Gratian. discept. for. l.* 1. *cap.* 106. *num.* 14. Donatus dict. *p.* 4. *tr.* 9 *quæst.* 12. *num.* 15. Quia semper nouitiatus non erit in conuentu designato pro ea parte pro qua manebit nouitiatus extra Conuentum. Dum enim requiritur vt receptio ad habitum fiat in Conuentu designato, hoc intelligendum est, cum effectu durabili, & annuali perseueratoria, vt in *cap.* Ad nostram, & *Gloss. ibid. in verb.* statim, de regularibus. Non enim dicitur venisse qui non stetit. *cap.* Si quis autem *dist.* 18. *cap* 11. *c.* Si post quam in v. mente, & *cap. cupientes* § Si per viginti. *ubi Gloss. in v. compareant de elect. in* 6. Quibus, vt notat *Fagnan. ad cap.* Insinuante imo *num.* 49. Qui Clerici, vel vouent accedit, quod mens Clementis fuit vt nouitij educentur in conuentibus strictioris obseruantiæ, & ad hoc destinauit Conuentus, vt in eis nouitij probentur iuxta præscriptum *Concil. Trid.* per annum.

32. Et hoc modo ampliatur vt se extendat etiam ad religiones, quas Clemens octauus in suo 20. Iunij 1599. exceperat, & declarauerat in eo decreto non comprehendi, quia Constitutio Innocentij Decimi vniuersalis est, & prohibet omnibus Religionum Prælatis intra Italiam, & insulas adiacentes existentibus ne recipiant ad habitum &c.

33. Pœna autem, quam incurrunt superiores recipientes ad habitum, aut professionem in conuentibus non designatis ex præscripto Clementis Octaui, est priuationis officiorum, vocis actiuæ & passiuæ, & inhabilitatis ad alia obtinenda. *Fagnan. ad cap.* Nullus *num.* 5. *de Regul.* In terminis vero constit. inter cætera Innocentij Decimi est excommunicatio Papæ reseruata.

34. Nihilominus tamen quia sub lege casus necessitatis non comprehenduntur, adhuc ex causa infirmitatis vel grauis alicuius negotij poterunt nouitij habitu retento, & de licentia superioris è nouitiatu, & Conuentu exire absque timore discontinuandi nouitiatum. Ita Donatus *loco citato num.* 14. Sed de hoc puncto infra diffusius tractatur.

35. Quæri autem potest an valeat receptio nouitij facta extra Conuentum designatum, statim tamen post receptionem transmissi ad præfatum Conuentum designatum, & an huiusmodi receptiones esse irritas, & superiores sic recipientes incurrere in pœnas in dictis decretis latas in transgressores tenet Donatus *p.* 4. *tract.* 8. *de domibus Nouit. quæst.* 2. referens pro hac sententia *sayrum dec.* 40. *de regular. Grat. discep. forens. cap.* 440. *num.* 10. Remigum scrotam *in qq. mor. quæst.* 8. Et videtur hoc apertum colligi ex illa disiunctiua *Non recipiant, aut receptos ad professionem admittant.* Verum hic distingui debet duplex receptio, scilicet materialis consistens in materiali susceptione habitus, & formalis consistens in receptione ad annum probationis, & quæ importat initium anni probationis. Nam euidens est stare receptionem habitus; & eius delationem extra, & antecedenter ad annum probationis, vt patet in pueribus, qui ante pubertatem ad habitum recipiuntur: loquendo igitur de materiali receptione non video vnde prohibeatur per dicta decreta quin possit vbique fieri, quia intentio illorum decretorum est, vt annus probationis fiat in Nouitiatu designato. Ratio enim prædictorum decretorum fuit impedire ne in Conuentibus in quibus non viget obseruantia nouitij ad Religionem profitendam recipiantur, ibi *Quod in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsq; præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad religionem profitendam accedentes passiue ac sine delectu recipiuntur.* Neque vero perfectè ad profiten-

dam Religioouem recipitur aliquis nisi cum recipitur ad annum probationis inchoandum, pura vero receptio habitus materialiter, & remote se habet, & est quid preambulum, & de se imperfectum ad annum probationis, nec de se est receptio ad profitendam Religionem; nisi simul nouitius cum receptione ad habitum, recipiatur ad annum probationis.

36. Et ita hanc partem tenent *Fagnanus ad cap. Insinuante num. 46. & sequitur*, Qui Clerici vel vouen. vbi pluribus eam probat. *Bordon. c.4. q.24. Coton. l.4. tom. 3. cap. 2. n. 52.* Vnde sequitur quod valori nouitiatus multo minus obstet approbatio nouitij habita in alio Conuentu à conuentu deputato pro nouitiatu. Quoniam talis approbatio non est receptio ad habitum, sed est consensus præuius, ex vi cuius approbatus nec est Religiosus, nec persona Ecclesiastica, nec de foro Ecclesiæ, sed illa approbatio est quoddam præambulum necessario præmittendum in illis Religionibus, in quibus est vius affiliationum, & in quibus approbare ad habitum spectat ad illos conuentus, quorum nomine nouitius recipiendus est ad habitum. Dubium ergo solum potest esse de receptione formali ad habitum perfecta, & completa, quæ est receptio ad annum probationis, & in hoc sensu idem Faguanus, *ibidem num. 48.* existimat, quod ad valorem nouitiatus sit necesse, quod Integer habeatur in conuentu designato, & ita quod debeat numerari non à die receptionis habitus in conuentu non deputato, sed à die aduentus & receptionis nouitij in conuento deputato pro nouitiatu. Nam annus nouitiatus debet esse consummatus in totum, vnde si computatio anni fiat à tempore receptionis ad habitum extra monasterium designatum, annus probationis in conuentu deputato non est integer, & ita professio est nulla. *Idem sensit Bardon. de profes. cap. 4. quæst. 26. & resol. 54. num. 3. in fin.* Ego tamen sæpius vidi practicari contrarium. Nunc vero seruandæ sunt conditiones positæ in licentia data cuilibet ordini: & in data pro ordine Prædicatorum expresse ponitur, quod nouitij approbentur quidem à conuentibus quorũ nomine recipi debent, sed postea in conuentu deputato recipiantur ad habitum. Cæterum spectato iure Concil. Trident., & Clem. 8. & Innoc. 10. quatenus præcise requirunt annum probationis in conuentu deputato, si nouitius recipiatur in conuentu non deputato, & statim mittatur ad conuentum deputatum, annus probationis ad mentem Concilij Tridentini est omnino integer, nam & ad probationem spectat iter religiosum; satisfit vero etiam decretis Clem. 8. & Innoc. x. quia simpliciter dici potest annum probationis haberi in conuentu deputato, quia fictione iuris iam in illo conuentu censendus est esse nouitius, qui non nisi de licentia superioris est extra illum conuentum, & iam est in itinere ad illũ *Nauar. cons. 32. num. 3. per Panor. in cap. ex rescripto de iure iurando, & cap. Insinuante. qui Clerici, vel Monachi Vech. disp. 11. num. 3. Bonac. de claus. q. 2. p. 10. diff. 2. §. 2. num. 6.* quos sequitor *Bordon. tom. 2. res. 54. num. 4.*

37. Sed hic oritur alia difficultas. An scilicet in conuentu deputato habenda sit nedum receptio ad habitum, & annus probationis, sed etiam professio, vel potius terminato probationis anno possit nouitius discedere, & in alio conuentu professionem emittere. *Bordon. de profess. cap. 4. quæst. 24.* Existimat nouitium posse in alio conuentu recipi ad professionem. Et probat tum primo, quia Vrbanus Octauus in Constit. Religiosos viros, data 2. April. 1631. in qua dat modum profitendi ijs, qui in conuentu non deputato nouitiatum non perfecerant, dicit professionem eorum fuisse nullam ex non præmisso nouitiatu in conuentu designato; cum vero lex noua declaret antiquam. *l. Non est dubium ff. de lege*, lex Clem. 8. per legem Vrb. 8. declaratur, quod substantia nouitiatus, in anno probationis scilicet cõsistit in hoc quod nouitiatus habeatur in conuentu designato. Tum 2. quia semper spectandum est principale intentum. *l. Rugast. l. Si quis nec causum ff. de si certu pet.* At vero principale intentum Clem. 8. fuit vt nouitij in conuentibus obseruantiæ educarentur, vt hoc modo eidem obseruantiæ assuefierent; ad huiusmodi vero assuefactionem, & conformationem cum obseruantia bene conducit probatio, non vero professio. quæ est actus transitorius; ideo quod intendit Clem. 8. tanquam de substantia fuit, quod annus probationis haberetur in conuentibus designatis, non vero quod ibi haberetur professio, quæ est quid extra annum probationis. Tum 3. quia licet in dicta Constitutione Vrbani Octaui habeantur hæc verba. *Si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quod inuiti aut contracti sunt inualide ab ijs, qui contra dictam constitutionem in domibus non designatis, siue ab eadem sede Apostolica approbatis professi sunt.* Ex quibus manifeste verbis videtur inferri, quod etiam professio haberi debeat in loco designato. Tamen cum verba sequentia declarent præcedentia *l. Si seruum §. fin. ff. de leg. 1.* & ex præcedentibus nullitas professionis tribuatur nouitiatui non præmisso in loco designato, in eodem sensu intelligi debent sequentia, vt professio nulla sit non ex eo, quod ipsa se sola habita est extra locum designatum, sed ex eo quod eam non præcessit nouitiatus habitus in conuentu designato. Bordonum sequitur *Coton. l. 4. const. 3. c. 2.* & quod professio possit vbique fieri, & non sit necesse vt fiat in Monasterio dixerunt. *Panorm. ad cap. Porrectum num. 7. de regular. Sanch. l. 5. in Decalog. cap. 3. num. 12. Greg. & Rodrig. quos sequitur Barbosa adhib. cap. Porrectum num. 8. Angelus v. professio num. 3. Armilla num. 2.*

38. Sed Reuer. *Fagn. in cap. Insinuante n. 51. Qui Clerici vel vouentes* existimat, quod professio sit nulla, si habeatur extra conuentum deputatum. Et hoc nedum si habeatur absque admissione, & approbatione conuentus deputati, in quo casu probatio nouitij in loco deputato nihil valeret, si absque consensu Capituli, eiusdem loci esset in potestate Capituli alterius conuentus laxioris obseruantiæ illum admittere ad professionem sed etiam si habita anno probationis expleto in conuentu designato, nouitius à Capitulo eiusdem conuentus approbatus cum literis testimonialibus transmittatur ad alium conuentum, ibique profitentur. Ratio est, quia obstant verba vtriusque decreti Clementis Octauis in quibus distincte prohibentur

nec non

ne nouitij extra conuentus designatos admittantur ad habitum, & ad professionem, vt patet ibi. *A receptione quorumcumque Nouitiorum siue ad habitum, siue ad professionem admittant* (Et ibi) *Ne qui ad suscipiendum habitum religionis admitteretur, profiteretur ue* (Ac demum ibi) *Ne ad habitum regularem suscipiendum nisi in conuentibus designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant.* In probatione autem alternatiua sufficit alterutrũ verificari, vt sit locus pœnæ *l. si quis ita stipulatus in fin. ff de verbo oblig. Dynus in regula in alternatiuis, de regula iuris in 6.* Idem voluit Donatus *part. 4. tract. 8. quæst. 2.*

39. Harum opinionum licet secunda sit tutior prior tamen de iure est verior, & probabilior, & probatur ex decretis ipsis Clementis Octaui. Nam in 1. decreto edito 12. Martij 1596. Ita habet. *Præcipimus omnibus Generalibus &c. vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant nisi in conuentibus auctoritate nostra designandis,* Hoc est principali. Clementi Octaui præceptum in quo non fit mentio expressa de professione. Et si quis dicat, quod sub nomine admissionis ad habitum regularem venit etiam professio, quia habitus non facit Monachum, sed professio. Primo respondetur instantiam hic non habere locum, quia vt ex verbis Clem. 8. relatis n. super. constat. ipse in suis decretis distinguit inter receptionem ad habitum, & receptionem ad professionem, vt patet maximè ibi *ad suscipiendum habitum* Religionis *admitteretur profiteretur ue.* Et quatenus sub nomine admissionis ad habitum regularem intelligeretur etiam professio, satisfieret decreto Clem. 8. si non nisi in Conuentu designato à Capitulo illius nouitius ad profitendum approbaretur, quod esset illum admittere, & approbare ad professionem. Sed vere in illis decretis Clem. 8. admittere ad habitum regularem distinguitur à professionis nudæ receptione, & importat admissionem ad habitum, & nouitiatum. Quæ vero in contrarium adducuntur licet videantur habere vim magnam, spectatis tamen decretis præfatis apparet non probare intentum. Nam primum continet præceptum conditionale. *In super*, inquit. Vt quoad *huiusmodi Conuentus per nos deputati non fuerint, superueniret &c.* Lex igitur illa euanuit statim ac per Clem. 8. fuerunt designati conuentus, quia sub ea conditione lata fuit. Et adhuc hic considerandum est, quod aliud est recipere ad professionem nouitios in conuentibus designatis, probatos, & aliud est recipere ad professionem nouitios probatos in conuentibus non designatis, hoc secundum, non primum prohibet Clem. 8. Patet hoc verum esse in eo primo decreto, in quo nondum conuentus erant designati, & præcipitur ne nouitij ad professionem admittantur, donec conuentus designentur; ibi igitur nõ potest esse sermo nisi de receptione ad professionem nouitiorum, qui in conuentibus nondum designatis probati fuerant. Et sic euidens est, quod in illo primo decreto, nulla est prohibitio admittendi ad professionem extra conuentus designatos nouitios in conuentibus designatis probatos.

40. Sed neque huiusmodi prohibitio habetur ex secundo decreto dato 20. Iunij 1599. Nam prima verba ex eo relata secundo loco supra num. 38. non sunt nisi relatiua illius prioris præcepti conditionati, & dati in priori decreto, & sic eundem sensum habent quem sensum habent etiam eiusdẽ secundi decreti verba, supra. num. 38. relata. Hæc enim sunt verba decreti, *Nunc denuo præcipit, ne quemquam, nisi per litteras in forma Breuis ad habitum regularem suscipiendum nisi in conuentibus designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant.* Nec tempore igitur huius decreti conuentus erant designati sed designandi, ibi *in conuentibus designandis*; igitur dictio receptos, non refert receptos in conuentibus designatis, quia conuentus nondum erant designati, sed refert receptos in conuentibus non designatis, & apertissimus, & manifestissimus sensus est, quod interim superiores non recipiant aliquem ad habitum, donec conuentus designentur, vel si receperunt, non admittant ad professionem. Et sic prohibitio non admittendi ad professionem semper respicit nouitios in conuentibus non designatis receptos: cæterum absoluta prohibitio respicit solam admissionem ad habitũ regularem, vt consideratum est. Et ita istis præsuppositis magis vrgent quæ considerauit Bordon. Et præcipue quod Vrban. 8. in dicta sua constit. causam nullitatis retulit in eo quod habitus fuerat annus probationis in conuentibus non designatis. Et quod professio est actus transitorius, quem haberi in conuentu non designato parum aut nihil interest respectu assuefactionis ad obseruantiam, quæ est id, quod intendebat Clemens Octauus. Approbatio tamen conuentus designati in quo nouitius habuit annum probationis est omnino necessaria, & intrinseca probationi; eius enim est iudicare de idoneitate nouitij, qui eius mores nouit, & expertus fuit. Et probatio non importat solam apprehensionem sine iudicio, sed imo principaliter importat iudiciũ in quo consistit perfectio cognitionis. Vnde ea necessitate qua est necessarius annus probationis in conuentibus designatis est etiam necessarius cõsensus Capituli dicti conuentus seu iudicium de identitate nouitij ad profitendum; vnde necesse quidem est, quod adsit hic consensus seu iudicium Capituli conuentus designati, in quo nouitius fuit probatus, sed tamen hic consensus positiuus & expressus non est de substatia professionis; vnde etiam in eodem conuentu, si Capitulum omittit discussionem hanc, & non se congregat ad approbandum nouitium, expleto anno nouitius tacitam professionem incurrit. Et sic ad substantiam professionis sufficit, quod capitulum non dissentiat, sed negatiue se habeat. si vero Capitulum conuentus designati dissentiat, iuste nouitius in alio conuentu non potest validè profiteri. Quod tamen asseritur in suppositione quod consensus capituli sit de substantia validæ professionis. Nam vbi hic non sit de substantia, dissensus conuentus designati non irritabit professionem. Et in eo casu sufficeret si superior legitimus informationes acciperet sufficientes de idoneitate Nouitij ad professionem, & tunc non conuentus, sed eius esset ferre iudicium approbationis præmisso nouitiatu in conuentu designato. Imo si consensus conuentus esset de substantia professionis, si iste negaretur

Iniuste,

iniuste, posset superior in gradu appellationis vel compellere conuentum ad consensum, vel conuentu inuito sibi constito de iniustitia, ipsum nouitium admittere ad professionem; vnde est quòd habere nouitiatum in conuentu designato per se ordinatum fuit ad hoc, vt nouitij melius educentur & adiscant mente & facto, quæ sunt obseruantiæ Regularis, sed non per hoc conuentui deputato datum est speciale aliquod ius consentiendi in professionem nouitij, quod sibi non competat ex iure communi, aut vi statutorum Religionis, aut legitima consuetudine sed iudicium de idoneitate nouitij, aut consensus in professionem habendus dependenter à nouitiatu in conuentu deputato spectat ad eum, vel eos, ad quem, vel ad quos alias de iure pertinent. Videantur etiam quæ dicuntur infra *Inspec. 8. quæst. 5. à n. 206. & inspec. 9. dub. 1. n. 358. & seqq.*

41. Sed hic intrat alia difficultas an defectus loci designati sit impedimentum perpetuum emittendæ professionis. Multi enim censent esse temporale. *Bordon. de profes. cap. 6. quæst. 17.* Sustinet non durare nisi pro anno nouitiatus, & probat tum primo, quia impedimentum perpetuum est defectus inhærens personæ, & cum illa perpetuo deambulans, habensque tractum successiuum, & perpetuo impediens emissionem, seu ratificationem professionis, defectus autem loci designati est circumstantia extrinseca præimpediens professionem ad tempus, cum impediat solum pro anno nouitiatus, ad quem tantum refertur. Tum secundo, quia locus & annus nouitiatus omnino æquiparantur, sunt enim inseparabilia, & de iure in idem recidunt, vnde eodem iure censendi sunt *Arg. cap. 19. 12. quæst. 1. & cap. 30. de Decim. & cap. 22. de priuil.* defectus autem anni non præbet impedimentum perpetuum, cum sit quid negatiuum relinquens solam nullitatem professionis, quæ non repugnat ratificationi, igitur idem dicendum de defectu loci. Idem tenuit Donatus *tom. 2. p. 4. tr. 8. q. 3.* quia Vrbanus Octauus vult quod Professi in conuentibus non designatis, si sint idonei debeant ratificare professionem. igitur non sunt impediti ratificare. Et quia praxis curiæ est, vt in rescriptis in quibus conceditur licentia exeundi à Religione ob professionem nullam defectu loci non designati addatur clausula, *nisi ratificauerit professionem.*

42. Sed certe hæc non probant, & quod dicitur de praxi curiæ non subsistit, neque enim curia Romana dat alicui licentiam exeundi ex defectu probationis, in loco non designato cum clausula nisi professionem ratificauerit, sed vt Reuerendis Fagnanus, qui vtriusque Congreg. Episcopor. & Regul. & Concil. fuit secretarius refert ad *cap. Perlatum n. 48. de his quæ vi &c.* Sanctissimus supplicationes eorum, qui petunt restitutionem aduersus lapsum quinquenij ob probationem habitam in conuentibus non designatis solet remittere ad S. Cong. Episcoporum & Regularium quæ acceptis informationibus aliquibus super expositio rescribit esse committendum Episcopo, & superiori ordinis, vt si repererint fuisse habitum annum probationis in conuentu non designato declarent oratorem non esse Religioni alligatum, sed posse libere redire ad seculum, & quatenus poneretur illa clausula nisi intelligenda esset de ratificatione habita ex facultate alias sibi à sede Apostolica tributa; sed nec verum est, quod Vrbanus Octauus iusserit huiusmodi professos si sint idonei debere ratificare professionem, sed bene iussit maiori Pœnitentiariæ, Ordinarijs, & superioribus, vt ratificationes professionum reciperent, sed vt aduertit eidem *Fagnan. loco citato num 56.* non iussit, vt sic professi inuiti cogerentur ratificare professionem. Et neque tamen dedit eis licentiam exeundi à Religione non seruata forma Concilij *sess. 25. cap. 19. de Regular.* Imo ad hunc sensum tollendum expresse decreuit, vt refert *ibid. Fagnan.* quod huiusmodi professi, post elapsum quinquennium non audiantur, & intra quinquenniũ teneantur iura sua deducere coram S. Congregatione quæ facultate ibi super hoc concessa prouidebit. Non est igitur sic professionis impositum vt ratificent professionem, sed illis est liberum exire seruata forma Concilij. Cæterum quod impedimentum ex defectu loci designati sit perpetuum inde habetur, quod numquam potest emitti professio non præsupposito nouitiatu valido, & hæc est inhabilitas, quæ comitatur quemcumque, vbicumque sit, & quantumcumque viuat, ratificatio vero professionis non est nisi noua emissio professionis, & hæc inhabilitas etiam est respectu anni probationis, quia nullus potest profiteri nisi præmisso integro anno probationis. Sed aduertendum, quod inhabilitas profitendi est duplex, alia scilicet absoluta, qualis est inhabilitas mulieris ad profitendum in Religione virorum. Alia est conditionata, qualis est inhabilitas, quæ est ex defectu loci designati, vel anni probationis, sic enim inhabiles possunt profiteri, si præmittant annum probationis in loco designato, aliter sunt inhabiles ad profitendum, & si ea conditione non præmissa profitentur, nulliter profitentur. Et quia etiam si millies nulliter professi fuerint, non possunt esse Religiosi, nisi iterum valide profiteantur, & valide profiteri non possunt, nisi præmisso integro anno nouitiatus, & quidem in loco designato, ideo semper sunt conditionate inhabiles ad profitendum, vel quod idem est ad ratificandum professionem, quæ cum nulla fuerit, non potest proprie ratificari, sed de nouo emitti. Et ita quod impedimentum, quod est ex defectu loci designati sit perpetuum docet Fagnanus vbi supra *num. 39.* & sic. Nam & est aduertendum, quod Vrbanus Octauus in constit. sua Religiosos viros in qua dedit facultatem nulliter professis ex defectu loci designati ad ratificandum professionem, vsus fuit his verbis, *ad professionem denuo seruatis alias seruandis emittendam* (Et infra) *Eosdemque postquam professionem denuo, vt præfertur emiserint &c.* Ex quo loco habetur, quod huiusmodi ratificatio non est nisi nouæ professionis emissio; quæ haberi non potest non præmisso nouitiatu integro in loco designato, nisi ex concessione speciali sedis Apostolicæ. Et in alio simili breui dato ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum die 31. Ianuar. 1635. Vrbanus Octauus vtitur his verbis. *Quod in ratificationibus, siue nouis professionibus faciendis &c.* (Et infra) *supplendo tamen simplici ratificatione, seu noua professione.* Parum enim interest, quod nulliter professus vtatur verbo ta-

bo ta-

ho ratificationis, vel verbo protessionis, quia ratificatio non est hic validæ nisi in quantum est noua professio, vnde nec potest retrotrahi ad producendum effectus veræ professionis à tempore præteritæ nullæ professionis, sed ad hoc vt hæc retrotractio haberet locum, fuit opus speciali concessione Apostolica, data ab Vrbano in Breui Religiosos viros 2. Aprilis 1631. & pro Ord. *Prædic.* 31. Ianuarij 1635. Verè enim sic est quod ratificatio actus inualidi nihil aliud est, quàm actus nouus, *l. asse tota ff. de hered. instit. l. obuenire solet. ff. de verb. signif. Socc. cons. 92. num. 11, lib. 3. Menochi cons. 80. num. 66.* Et propterea omnis forma, & omnis solemnitas, quæ debet interuenire in actu, vt valeat, interuenire debet in dicta ratificatione. Socin. ibid. Rota in vna Romana donationis 13. Ianuarij 1586. coram Seraphino, & in vna Cernetana bonorum, coram Platto. Nec potest deseruire solemnitas per prius secuta; quoniam illa debet concurrere de tempore actus; nec potest ab eo separari; neque iuuare potest fictio aut retrotractio cum non fiat, quando actus est omnino nullus. *Bart. in l. obseruari num. 4. ff. de off. Procon. Alex. cons. 78. num. 14. l. 7. Dec. in l.* Semper qui non prohibet *num. 16. ff. de reg. iur.* Quia tunc retrotractio non inuenit principium conseruabile. *Bal. in l. fin. num. 2. C. ad Velleian. Rota decis. 295. num. 2. coram Greg. 15.* Sic ergo ratificatio professionis nullæ ex defectu nouitiatus habitæ in loco deputato est nouus actus, & noua professio, quæ validè non potest haberi nisi præmisso nouo nouitiatu in loco designato. Ratificatio enim reconciliat ea, quæ pendent ex animo, non quæ pendent ex aliqua forma. Rota. *decis.* 173. *num. 9. coram* Greg. 15.

SVMMARIVM.

1 *Annus probationis debet esse integer.* nu. 43.
2 *Et numerari debet de momento ad momentum.* num. 44.
3 *Quod alij negant.* num. 45.
4 *Quando incipiat annus probationis,* nu. 46.
5 *In anno bissextili annus est 366. dierum.* nu. 47.
6 *Quidquid in contrarium aliqui dixerint, non potest renunciari anno probationis.* n. 48. 49.
7 *Nouitius societatis non potest validè renunciare biennio nouitiatus.* num. 50.
8 *Sine dispensatione Pontificis non contrahitur annus nouitiatus.* num. 51.
9 *Priuilegium Pij quinti profitendi nouitiabus moribundis concessum non est reuocatum.* n. 52.
10 *Professio emissa in vi dicti priuilegij est valida, nec est iteranda.* num. 53.
11 *Priuilegium Pij quinti est communicabile.* numer. 54.
12 *Conuersi non tenentur ad annum probationis.* num. 55.
13 *Sponsus cuius sponsa ingressa est Religionem tenetur expectare professionem illius, nec ipsa potest ante completum annum probationis profiteri.* num. 56.
14 *Professio ex iusta causa potest prorogari post annum nouitiatus,* num. 57.
15 *Maxime in monialibus.* num. 58.
16 *Potest prorogari ad arbitrium viri prudentis;* num. 59.
17 *Quomodo intelligatur declaratio Pij quinti concedentis prorogationem ad semestre.* n. 59.
18 *Si adesset in religione statutum ne prorogetur professio, prorogatio an esset valida.* n. 60.
19 *Statutum Ord. Prædicator. prorogans ad trimestre post annum professionem.* nu. 61.
20 *Huius statuti explicatio secundum aliquos.* numer. 62.
21 *Concilium statuens annum probationis posuit terminum in minus, non in maius.* num. 63.
22 *Expenduntur declarationes S. Congregationis.* num. 64.
23 *Annus probationis prorogari potest ex causa rationabili.* num. 64.
24 *Concilium circa extensionem nouitiatus nihil noui statuit.* num. 64.
25 *Concilium Religionum statua non abrogauit.* num. 65.
26 *Concilium arctiora Religionum statua confirmauit.* num. 66.
27 *In Ord. Prædicator. receptus ad habitum ante 15. annum non profitetur validè nisi per trimestre vltra 16. annum.* num. 67.
28 *Nec ad hoc est necessaria aliqua protestatio.* numer. 68.
29 *Nulla datur lex prohibens extendi annum probationis ex causa.* num. 69.
30 *In quacumque alia Religione detur statutum extendens annum probationis, illud valet.* numer. 70.
31 *Aliud statutum Ord. Prædicatorum de Conuersis.* num. 71.
32 *Triennium probationis esse de substantia in Conuersis, aliqui affirmant.* num. 72.
33 *Oppositum suadetur.* nu. 73.
34 *Professio habita seruato Concil. Triden. ante annum 18. vel 20. in aliquibus Religionibus statutum, est valida.* num. 74.
35 *Qui ab initio accipit facultatem limitatam nulliter agit, si contra limitationem agat,* numer. 75.
36 *Secus si limitatio superuenit facultati ordinariæ.* num. 75.
37 *Ad valorem nouitiatus non est necesse, quòd superior habeat intentionem acceptandi annum pro nouitiatu, sufficit quod illud acceptet sed acceptando nouitium ad professionem.* nu. 76.
38 *Actus præteritus acceptari potest pro valido.* numer. 76.
39 *Ratio difficultatis in aliquo casu.* n. 77.
40 *Ad valorem nouitiatus sufficit ex parte intentionis vt habitus detur, & recipiatur ex intentione profitendi. Non est vero necessaria specialis intentio per quam annus delationis habitus accipiatur vt vltimus, seu vt probationis annus &c.* num. 78.
41 *Primus annus delationis habitus Conuersorum in Ordine Prædicatorum est validus probationis annus.* num. 79.
42 *Conuersus in Ordine Prædicatorum post primum annum legitimæ susceptionis habitus validè admittitur ad professionem etiam si illicitè forsan admittatur.* n. 78. 79. 80.
43 *Statutum Ordinis Prædicatorum de professione Conuersorum non continet decretum irritans.* num. 81.

44 Sta-

44 *Statutum inferioris exigent quid amplius quam lex superioris ad valorem actus, non irritat, nisi id exprimat. num. 82.*
45 *Non semper dictianullus, vel dispositia negatiaa importat nullitatem actus. num. 83.*
46 *Statutum Ord. Prad. de professione Conuersoram non disponit negatiue. num. 84.*

De Anni probationis integritate.

INSPECTIO IV.

43. QVarta conditio est vt nouitiatus duret per annum. Ita enim statuitur *cap. 4. Gansal. 17.q.2. & cap. ad Apost.16.de Regular.& cap.ir qui,& cap. Nonsolum eodem titulo in 6. & in Concil.Trid.sess. 25. cap.15.* Vnicus enim annua dabatur à S. Benedicto ad probationem *cap.58. Regula.* Cuius institutionis mentio fit per Alexandrum 2. Papam in Epis. ad Vdonem Treuirensem, & Theodoricum Verdunensem Episcopos apud Iuonem *p. 6. cap. 428. & causa 17.q.2. cap.1.* Et idem præscripsere spacium S.Cæsarius in Regula *cap. 5. Ferreolus cap. 5. S. Fructuosus Archiepis. cap. 21. Fructuosus alter cap. 18. Magister cap.90.& Regula Tamatensis.* Idem statuitur *in Concil. Aurelianen.5.cap.19.de puellis, quæ Monasterium experiunt. S.Isidorus autem cap. 4.* Regulæ probationem contraxit ad trimestre spatium. Sed in Oriente tres anni requirebantur probationis, antequam Nouitij in Monasterium adscriberentur. *l. Seruis. §. Verum. C. de Episcopis, & Clericis.* Idem statuitur *Nouellas Iustinian.Imper. cap.2.* Ideq; statuit *synodus Constantinopol.prima,& secunda cans. 5. De eadem re agit Photius in Nomocanone tit.11.cap.3. Ia Conc.Aurelianen. 5. cap.19.* Sanctimonialibus, quæ non perpetuo tenentur inclusæ. probationis triennium ante habitus susceptionem decernitur. Idem triennale spatium præscriptum fuit S. Pacomio ab Angelo, vt videre est apud Palladium *cap. 18.* Apud Monachos autem Ægyptios alia fuit ratio circa probationis spacium. Nam candidati non admittebantur in Monasterium prius, quam decem dies aut amplius excubassent pro foribus Monasterij omnium Fratrum ludibrio expositi, qui eos dedita opera conuicijs proscindebant. Post quos dies recipiendus exutus habitu seculari induebatur religioso, sed erudiendus tradebatur seniori, qui non longè à vestibulo Monasterij manens hospitum aduenientium curam habebat. Cumq; ibi anno integro deseruiens absq; vlla querela suam erga peregrinos exhibuisset seruitutem ad Monacorum consortium,& congregationem admittebatur,& tradebatur alteri seniori seu Decano, qui decem iuniorum Monachorum curam habebat, vt fusè tradit *Cassian.l.4.Instit.cap. 3.& sequent.* Ex ijs vero probationis spatijs conuenientius Summis Pontificibus visum fuit annuale spatium quoniam in eo experiri possunt omnia quæ regulariter contingunt in Monasterio. Et ideo statuerunt Nouitios per annum probari. Verùm quia in his textibus expressè nō continentur, quod annus iste debeat esse integer, & continuus, de his duabus conditionibus disserendum est.

44. Quæritur autem primo an annus probationis debeat esse integer, & computari de momento ad momentum, ita vt nec si desit vna dies, nec si dies vltima anni sit incœpta, & nondum terminata, possit Nouitius admitti ad professionem. Nam annum hunc debere esse integrum mathematicè, & de momento ad momentum affirmant. *Suarez 16. 3. de relig. l.5. c.15. n.2. Sanchez l.5.mor.cap.4.n.31. Less.l.2.c.41.d.7.n.59. Barbosa ad cap.15. Concil. Tr. & de offic.& Potes. Epis. alleg. 101. n. 22.* retractans suam priorem sententiam, vbi plures pro hac refert opinione. *Bussaus v. Religia 4. num. 2. Anton. à Spiritu S. tr. 2. disp. 2. num. 51. Tambur. t.3.d.6.q. 7.n.8. Donatus p.4.tr.9.q.4.a.n.1. Peyrin.in R.P.q.3.n.96. Mirand.C.t.q.22.a.3. Palaus tr.16.dis. 2.p.12.§.2.n.2. Tambur.de iure Abbatiss.d.9.q.9. Diana p. 3. trat.2. resol.57. & p.5.tr.5.resol.18. Bordan. cap.4.q.10. Maron.lib.4.contr.3.c.2.n.35. & alij plures.* Quorum fundamentum est. Quia Conc. Trid. assignat initium huius anni à die assumptionis habitus. Vbicumq; autem lex requirit certum tempus incipiendum à die determinata computari debet de momento ad momentum *l. 3. §.minorem ff. de minoribus.* Secundo Quia Concilium Trid. loquitur per verba per annum, quæ adiecta adimplemento temporis significat perfectionem per allegata à *Barbosa in tract.de claus.claus.249.n.3. & 4.*

45. Oppositum tamen sensit *Henriquez l.14.c. 40. n.2. Rodriq. qq.regul.tom.3.q.15 a.4. Grattan.discept. For. c.413.a.n.16. Riccius 3.p.praxis resol.322. a.n. 1. Campanil.in diuers.boris Canon.rub.12.c.13. n.4. Diana p.5. tract.5. resol.18.* & hoc esse in praxi securum ait *Peyr.loco supra citato.* Quod probant, quia in fauorabilibus dies cœpta habetur pro integra. Et in moralibus parum pro integro reputatur, & valde durum esset quod moribundus incœpta die vltima anni probationis independenter à quocumq; priuilegio non posset profiteri; & quod ea quoque occasione Monasterium non posset profitentis lucrari hæreditatem. Præter quam quod huiusmodi differentia moraliter loquendo nihil facit ad finem legis qui est mutua probatio, nihil enim moraliter accidere potest quod vel Religio in Nouitio, vel Nouitius in Religione experiri debeat postquam ex vtraque parte per anni 364. dies & amplius sumptum est experimentum. Et ad rationes in oppositum respondetur, & dicitur primo ad primam, quod Concilium Trid. assignat diem termini à quo ratione qualitatis diei, non ratione integritatis anni; Potest enim esse quòd Nouitius sicut fit in multis Religionibus prius intra Conuentum probetur, quam admittatur ad habitum, Concilium verò statuit non valere probationem quamcumq; ad annum probationis, sed eā quæ fit in habitu Religionis,& ab eius susceptione initiū sumit. Ideo censet annū probationis incipere à die susceptionis habitus non vt in hoc designet annum hunc sumi debere de momento ad momentum, sed vt doceat non valere probationes, quæ fiunt ante susceptionem habitus. *Bordan. etiam resol. 54. n.187.* licet teneat hunc annum numerandum esse de momento ad momentum, tamen si contingat professionem fieri per quadrantem ante annum completum, ait posse sustineri eam esse validam, Consilium enim de incidente super factum melius est fauore animæ profitentis, & quietis Religionis. Sic & ego existimo quod in

praxi

praxi non fit recedendum à ſententia communiori, & quod debeat ſeruari probationis annus integer de momento, ad momentum. Sed ſi contingat factam fuiſſe profeſſionem ante completum mathematicè hunc annum, non video vnde in rigore iuris non ſit admittendus defectus leuis huius integritatis, & non ſufficiat annus moraliter integer. Maxime vbi adſit neceſſitas vrgens, vt ſi in vltimo die anni ante horas aliquas inſtaret mors Nouitij.

46. A quo autem puncto hic annus incipere debet? Respondetur quod in perſona alias habili incipit à die receptionis habitus. *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 15.* Quamuis ſtantibus decretis Clem. VIII. & Innoc. X. de non habendo anno nouitiatus niſi in Conuentibus deſignatis, multi velint, quod ſi recipiatur habitus extra Conuentum deſignatum, annus probationis incipiat ab hora receptionis Nouitij in Conuentu deſignato, vt dictum eſt ſupra n. 36. ſed vbi perſona non ſi habilis ad Nouitiatum, quando recipit habitum, annus probationis incipit à tempore habilitatis obtentæ, ſi alia circumſtantia non deſit. *Tambur. t. 3. diſp. 6. q. 11. n. 11. & tom. 3. diſp. 6. q. 7. n. 7.* Sanchez *l. 5. cap. 4. Palaus tract. 16. diſp. 1. §. 3. n. 1. Anton. à Spir. S. tr. 3. diſp. 2. nu. 53.*

47. Quæritur verò vlterius quid dicendum de anno biſſextili, an tunc probationis annus contineat ſolum decurſum 365. dierum, an potius 366. Et ſic an qui recepit, & habitum die 27. Februarij anni 1659. poſſit profiteri prima die 27. eiuſdem menſis annis 1660. biſſextilis, vel expectare debeat diem 25. ſequentem. *Bordon. de profeſſ. cap. 4. q. 10. referens Rodriq.* & alios à Vechio citatos aſſeruiſſe, quod Nouitius poſſit in anno biſſextili profiteri eadem hora, qua anno tranſacto fuit indutus habitu probationis, inquit, quod poſt factum hoc non damnaret ad vitanda varia incommoda. Sed & *Fanar. de Ord. cap. 3. n. 4. Pria. in praxi. For. Eccl. poſt reſol. 76. à S. Fauſto in Theſ. l. 5. q. 16.* voluiſſe ſatis eſſe ad profitendum, quod Nouitius ſteterit in probatione per 365. dies, refert *Barboſa ad cap. 15. ſeſſ. 25. Concil. Trid. de Regul. n. 27.* & probabile putat. *Diana p. 10. tr. 11. reſ. 67. poſt Leandrum tract. 6. diſp. 6. q. 20. Barboſ. de off. Epiſ. all. 101. n. 13. Martin. à S. Ioſeph in Monit. Confeſſ. c. 1. d. 1. tr. 6. n. 22. Didacum de Narbona in Annal. Iuris n. 25. q. 55. n. 6.* ſed communis ſententia eſt diem anni biſſextili non eſſe demendū, & ſpectare ad integritatem anni, quia politice, & ciuiliter ille annus non cenſetur integer niſi vt conſtans ex 366. diebus. Et apud Eccleſiam, & ius ciuile duo dies qui dicuntur 6. *Calendas Martij pro vna die habentur. l. 3. §. Minorem ff. de minoribus, & l. cum biſſext. ff. de verb. ſignif.* & *capite, quæſiuit, eodem titulo*. Sed imo nec ſolaris annualis circulus cenſetur ante illum diem completus; vnde tam de iure Eccleſiaſtico, quam de iure Ciuili, & communi vſu dies ille qui eſt 25. Februarij in anno biſſextili eſt de anni illius integritate. Vnde illum qui die 27. Februarij 1659. ſuſcipiat habitum, non poſſe profiteri anno ſequenti 1660. prima die 27. Februarij, ſed debere expectare diem alterum 28. docent *Silueſt. v. religio 3. q. 19. Rodriq. tom. 3. qq. Reg. q. 15. a. 4. & 5. Molina de iuſt. d. 573.* Sanchez *l. 2. de matr. d. 24. n. 22. Baſſeus v. Religio 4. n. 2. Coſon. lib. 4. contr. 3. cap. 2. n. 36. Palaus tr. 16. diſp. 2. p. 12. §. 2. n. Tambur. de iure Abbat. d. 4. q. 7. n. 13. Donatus loco citato q. 6. Diana p. 3. tr. 2. reſ. 57. & n. 5. tr. 5. reſ. 18. & p. 7. tr. 11. reſ. 15. Peyrin. R. P. q. 3. n. 97. Barboſa in cap. 15. ſeſſ. 25. Concil. Trid. & de off. Epiſ. Alleg. 101. n. 22.* vbi refert Cong. Cardinalium declaraſſe nullam profeſſionem vnius, qui cum recepiſſet habitum die 27. Februarij in ſequenti anno biſſextili emiſit profeſſionem die 26. eiuſdem menſis. *Diana p 5. tr. 5. reſol. 18.* & apud iſtas DD. plures alij, & quod S. Congregatio in vna *Andegauen.* 21. *Aug.* 1623. declarauerit irritam profeſſionem Fratrum Recollectorum S. Franciſci emiſſam in anno biſſextili non expectato illo die qui illi anno accreſcit, ex *Barboſa refert Tambur. t. 3. diſp. 6. q. 11. n. 13.* Quod tamen intelligitur dictum quantum ſit ex vi integritatis anni biſſextilis, nam alias an ex paruitate differentiæ vnius diei, vel ſaltem ex eo quod vltimus dies fuerit ſolum inceptus excuſari poſſit, qui annum non omnino expleuerit, dictum eſt in ſuper. quæſt.

48. Quæritur vlterius an ex mutuo conſenſu partium ſcilicet Nouitij, & Monaſterij poſſit renunciari anni probationis integritati? In vi enim *Capit. Ad Apoſtolicam de regul.* vbi decernitur annum probationis eſſe inſtitutum ad fauorem priuatum, Nouitij, & Monaſterij, potuiſſe abbreuiari tempus probationis ex conſenſu vtriuſq; partis, habetur pro conſtanti. Hoc tamen quantum ad Prædicatores, & Minores fuit reuocatum in *cap.* Non ſolum, & quoad Mendicantes in *cap. Conſtitutionem de Regular. n. 6.* Et nihilominus ſi in aliquo ex Ordinibus Mendicantium nouitius infra annum probationis expreſſe profeſſus fuiſſet profeſſio licet illicita tamquam facta contra prohibitionem canonis erat nihilominus quoadmmodo valida. Et ſic diſcrimen erat, quod ante illas Decretales, profeſſio ex libera renunciatione anni nouitiatus facta ex vtraq; parte erat licita, & valida. Sed poſt illas licet non eſſet licita erat tamen valida, quodammodo, quia licet non obligaret ad Religionem in ſpecie obligabat tamen ad Religionem in genere, vt patet ex *d. cap. Non ſolum*, & aduertit ibi *Gloſſ. in verſ. veſtra, & in cap. conſtitutionem, in ver. obligat. Sanchez lib. 5. cap. 4. n. 8. Palaus tr. 16. diſp. 2. p. 12. 4. 1.* Sed modo ex vi Concil. Trident. in omni Religione neceſſarius eſt annus probationis ad valorē profeſſionis. Et nihilominùs quòd etiam nunc huic anno probationis poſſit renunciari de conſenſu partium, & ex iuſta cauſa tradidit. *Henriq. l. 13. c. 4. n. 2.* Et quòd lex poſterior generalis, & generaliter loquens non derogat legi priori ſpeciali, ſed per eam limitatur. Cum ergo lex ſpecialis prior contenta in corp. iuris dicto loco det facultatem abreuiandi annum probationis ex renunciatione facta de ambarum partium conſenſu, lex Concil. Trid. quæ eſt generalis, & generaliter loquitur, nō derogat illi legi ſpeciali, ſed per eam limitatur. Cū alias cuiq; licitum ſit renunciare iuri in ſui fauorē introducto à *cap. gratum de off. Delegati, & l. ſi quis C. de pactis. 2. quia Concil. Trid. in cap. 16.* decernens renunciationem Nouitij factam non ſeruato ordine à ſe ſtatuto eſſe irritam; ſimul declarauit nihil prodeſſe renunciationem huius iuris, cum igitur in *cap.* 15. hoc non decernat, non videtur hoc improbaſſe, quòd prius fuerat in Sacris Canonibus

approbatum. Vnde & hanc partem fortè posse disputando defendi tradit Nauar. l. 3. *Consil. de regul. cons. 62. n. 5. in no. edit.*

49. Communis tamen opinio D.D. est Concil. Trid. in hoc derogasse *dict. cap. ad Apostolicam*. Lex enim generalis posterior derogat priori etiam speciali, si de legislatoris mente constet, Hic verò constare de mente Concilij colligitur primo ex causa finali legis consistente in necessitate annalis experimenti, ne professio temere fiat: In quo non tam Concilium respicit fauorem Nouitij, quam totius Religionis, in qua plura damna consequi possunt ex professione temere sine experimento mutuo, & diligenti admissa. Secundo quia lex Concilij frustra esset posita; Nam & ante Concilium irrita erat professio facta ante integrum annum professionis sine mutuo consensu Nouitij, & Monasterij, vnde Concilium nihil noui statueret; lex vero etiam si sit correctiua iuris prioris debet interpretari, vt non sit superflua, *cap. in his, de priuil. & cap. si ciuitas, de sent. excom. in 6.* Tertio quia si nihil aliud voluisset Concilium ordinare, quàm illud, quòd erat de iure communi, non erant necessariæ tot clausulæ, & tam efficaces, quibus vtitur, dicens *in quacumq; Religione*, & iterum, *tàm virorum, quàm mulierum*. Rursus, *non fiat*, & iterum, *non admittatur*, & rursus, *sit nulla*, & tandem *nullum effectum habeat*. Nam tota efficacia huius intentionis facillimè frustrari posset, ex nouitij, & Monasterij renunciatione, & consensu, probant etiam aliqui ex eo quòd in Concilio Trident. adsit decretum irritans, quòd inducit formam, cui renunciari non potest, vt notat *Bald. in l. 1. n. 2. ff. de lib. & posth. & Albertus Brunus in tract. de forma fol. 3. col. 1.* Vbi enim est data forma consensus partium nihil operatur. *Glos. in cap. statutum. in v. committatur, de Rescrip.* Et addit *Bordon. d. q. 4.* quòd cum contra decretum irritans non valeat consuetudo, quæ vim legis habet, multo minus potest habere locum renunciatio. Sed ratio non probat. Tum quia *Decius in cap. Cum accessissent. a 22. de constit.* bene aduertit, quòd etiam formæ, quando respicit priuatam vtilitatem, renunciari potest. Tum quia cum lex munita Decreto irritanti possit per aliam legem abrogari, simul potest tolli consuetudine, quæ est lex non scripta, & vbi Decretum irritans sit positum ad fauorem priuatum, huic fauori priuato potest renunciari. Sed tandem quarto cum consuetudo sit optima legis interpres *cap. Cum dilectus, de consuetud.* hoc vsus obtinuit vt nullus à Concilij promulgatione validam professionem emisisse appareat ex mutuo consensu partium. Et ita hanc partem sequitur, & probat *Nauar. loco citato, Rodriq. qq. reg. tom. 3. q. 15. a. 7. & t. 2. sum. c. 6. n. 10. Bassaus. v. Religio 4. n. 4. Azor. l. 12. c. 4. q. 9. Sanchez l. 5. Mor. c. 4. n. 19. Grat. discep. For. tom. 5. cap. 850 n. 16. Miranda dicta q. 22. a. 7. Barbosa de off. Episc. Alleg. 101. n. 32. & ad cap. 15. sess. 25. conc. Trid. n. 33. Donat. p. 4. tract. 9. q. 13. & apud istos D D. plures alij. Fagnan. ad cap. ad Apostolicam. n. 4. de Regular.* vbi quod sępius Cóg. Cócilij hoc declarauerit. *Bordó. de profess. c. 4. q. 5. Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. n. 50. Palaus tom. 3 tr. 16. disp. 1. p. 1. n. 2.* Vbi quòd nec contrarium putat probabile. *Tambur. t. 3. disp. 6. q. 11. n. 22.*

50. Aduertit vero *Sanchez loco citato n. 20.* Nouitios Societatis Iesu posse valide renunciare biennio necessario ad emittenda vota biennij petita per eorum *constit. p. 4. c. 3. §. 3.* quia cum solus Generalis, vel is cui ille commiserit possit admittere Nouitios ad talia vota, vt per ea fint Religiosi Societatis, nullius alterius consensus sufficit ad renunciandum dicto biennio, & ad acceptandum vota prius emissa. Quamuis vt aduertit etiam *Palaus. tr. 15. disp. 1. p. 13. n. 5.* Generalis possit dispensare valide in vno anno illius biennij, quod supra dispositionem Concilij requiritur antequam Religiosus ad professionem admittatur, quia illud biennium est necessarium ex dispositione constitutionum illius Religionis super quibus in hoc casu Generalis habet facultatem dispensandi: Etsi ex Congregatione Generali 5. prohibeatur vti hac facultate contrahendi spatium biennij ad hoc, quod quispiam ante illud sit vere Religiosus, & scholasticus approbatus per emissa vota Societatis.

51. Hinc sequitur, quod præscindendo à priuilegio Pontificis, & eius dispensatione nullus est dabilis casus, in quo liceat contrahere annum probationis ad citius emittendam professionem, vt docent Nauar. *loco citato, Grat. discept. For. c. 850. n. 16. Mirand. d. q. 22. a. 7. Barbosa de off. Episc. alleg. 101. n. 32.* quia lex Concilij Generalis est per verba negatiua expressa, lex vero vniuersalis negatiue expressa vniuersaliter est intelligenda *cap. solita §. fin. de maior. & obed. l. de pretio. ff. de public. in r. act.* quia negatio totum destruit, quod post se inuenit. Ideo ex hoc colligitur, quod si sponsa de præsenti etiam duodenuis ingrediatur Monasterium, sponsus debeat per quadriénium expectare vsquequo illa facta 16. annorum profiteatur. *Sanchez l. n. de mat. d. 24. n. 7. ex Henriq. Ledesma, Palac. Rodriq. & Vega.*

52. Quæritur nihilominus an ex priuilegio in aliquo casu possit aliquis Religiosus in debita ætate constitutus nondum expleto probationis anno profiteri. Nam Pius V. in sua *Constit. incip. summi Sacerdotij. 23. Aug. 1570.* concessit Monialibus S. Dominici, vt in casu infirmitatis de medici iudicio mortalis, possit Monialis nouitia profiteri etiam anno probationis non expleto. Circa hoc priuilegium vero primo est difficultas an illi derogatum sit per constitutionem *Greg. 13. incip. In tanta rerum, &c.* quæ in bullario habetur 9. in ordine, & in qua Greg. reuocat omnia priuilegia à Pio V. concessa ordinibus mendicantium contra Concil. Trid. decreta. Nam per hanc bullam fuisse huic priuilegio derogatum tenent *Emanuel Sà v. religio n. 16. Cruz. de statu relig. l. 1. c. 8. d. 4. & l. 2. c. 3. d. 6. concl. 3. Verb. disp. 13. d. 11. n. 4. Fagnan. ad cap. Apostolicam n. 33. de Regular.* Verùm hoc priuilegium non esse per *Constit. Gregorij 13.* ablatum docent *Rodriq. qq. Reg. t. 1. q. 8. a. 9. & tom. 3. q. 15. a. 6. Henriq. l. 13. c. 40. n. 2. & in Com. littera R. Meg. 1. 2. l. 2. c. 17. n. 59. Lezana p. 1. c. 25. n. 39. Sanchez l. 5. Moral. c. 4. n. 16. Peyr. tom. 3. Priuil. Ord. Minimor. c. 6. n. 13. Petrus de Ledesma p. 1. de stata religios. c. 7. concl. 2. difficul. 1. Beia* Respons. *casuum conscientiæ p. 4. casu vlt. fin. Miranda q. 22. a. 10. Barbosa de off. Episc. alleg. 101. n. 33. & ad cap. ad Apostolicam tom. 3. n. 4. de Regular. Tambur. disp. 6. de iure Abbatiss.*

batiss. q. 11. *n.* 19. *Donatus p.* 4. *tr.* 9. *q.* 15. *Portel. v.* Nouitius *n.* 5. *Sorbus. v. Abbatis. fol.* 5. *Coton. l.* 4. *contr.* 3. *cap.* 2. *n.* 39. *Anton. à Spir. Sancto tr.* 2. *disp.* 2. *n.* 217. *& tr.* 3. *disp.* 2. *n.* 108. *Palaus. tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 12. *n.* 7. *Nicolius tit. de Regular. n.* 28. *vers. limita.* 5. *Diana p.* 3. *tr.* 2. *vers.* 17. *& p.* 5. *tr.* 3. *res.* 139. *& p.* 7. *tr.* 12. *vers.* 3. *Bassaus. v. Religio* 4. *n.* 3. Et ratio est, quia Greg. 13. non reuocauit vniuersaliter omnes literas à Pio V. datas ad fauorem Regularium, sed eas solas de quibus ibi mentionem facit expresse, & præcipue Bullam, *Etsi mendicantium*, quæ est illa, quæ data fuit. 17. Calend. Iunij Pontificatus Pij anno secundo, cuius mentionem facit expresse ennumeratis, & expressis, quæ in ea continentur, nimirum plura concernentia interesse Ordinariorum, & Parochorum, nimirum facultates audiendi confessiones, & prædicandi, exemptiones à quarta, à decimis, & seu concernentia statum, & regimen Monialium, & alia similia comprehensa in Bulla præfata, *Etsi mendicantium*. In dispositiua vero Greg. 13. se restringit, & reducit ad terminos iuris solum literas Pij V. quæ eisdem de rebus aliquid decernunt. Nihil vero actum fuit de Regularium professione in dictis literis, neq; Episcoporum aliquid interest, si professio emittatur anno probationis expleto, vel non expleto; Neq; huius occasione vnquam orta fuit lis inter Ordinarios aut Regulares; quod fuit motiuum Greg. 13. ad reducendum literas præfatas ad terminos iuris; vnde manifestum est, quod priuilegium hoc concessum Monialibus non comprehenditur sub illa Const. Greg. 13. Addo quod Greg. 13. expresse loquitur de priuilegijs concessis Fratribus, non vero de concessis Monialibus, vt patet legenti eam Constit. *In tanta*. Vnde multo magis dicendum est quod non fuerint reuocatæ gratiæ, & indulgentiæ ipsis Monialibus concessæ, maximè, quæ causa mortis, & in mortis articulo concessæ sunt. Et certe hæc interpretatio sic fundata in casu contingente practicata fuit, Nam rationabiliter etiam præsumitur, quod Concilium ipsum excepisset hunc casum, si illi propositum fuisset, ne ob mortem nouitia priuaretur, & consolatione, & fructu, & merito professionis; vnde multo minus præsumi potest, quod Greg. 13. simile priuilegium voluerit cassare.

53. Hac autem interpretatione stante dubium remanet, an si Monialis nouitia conualescat, teneatur ad integrum annum professionis, & professio illa rata haberi debeat, & valeat ad hoc vt Monasterium succedat in bonis nouitiæ contra iura eorum, qui succedere debent ab intestato. Nam professionem in hoc casu non esse ratam tenent *Rodriq. Miranda, Baia, Barbosa locis citatis, & Donatus q.* 16. *Bordon. cap.* 4. *q.* 49. *&* 50. *& res.* 54. *n.* 49. Verùm hoc sine fundamento asseritur, quia repugnat quempiam esse, & non esse Religiosum, & vouisse, & non vouisse. Priuilegium enim illud est faciendi professionem Religiosam, & ideo emittendi vota solemnia, quæ non sunt vota conditionata, sed absoluta, & per quæ promittitur Deo obedientia Prælatorum vsq; ad mortem; Vnde per huiusmodi vota nouitia vere fit Religiosa, & ad perseuerantiam in Religione obligata, nec habet quod amplius promittat, nec quod vota iteret, & de nouo profiteatur. Vnde nec tenetur ad explendum probationis annum, quia iam est Religiosa, nec potest simul esse extra probationem, & in probatione. Neq; valet dicere quod concessio Pij V. fuit facta solum ad consolationem Nouitiæ quia hæc fuit ratio concedendi priuilegium, sed concessum priuilegium est profitendi, semel vero professus non tenetur de nouo profiteri. Nec fit in hoc iniuria succedentibus ab intestato, quia illi habent ius solum non supposita professione Nouitij qui si non sit prohibitus aliunde, potest quando voluerit ad libitum profiteri. Et quod dicunt DD. contrariæ sententiæ, scilicet priuilegium Pij V. in foro fori esse ablatum à Greg. 13. negatur ratione dicta, & ipsi inconsequenter loquuntur. Quia professio Religiosa in conscientia valida, non potest esse inualida in foro fori, & non habere omnes illas proprietates, quæ ad essentiam professionis consequuntur, Professio enim ratione voti paupertatis priuat professum omni dominio, & iure, & transfert illud in Monasterium; igitur vel Nouitius non vere vouet, nec etiam in conscientia, vel se priuat iure, & transfert illud in Monasterium, vnde Monasterium loco illius succedit. Nec est verum, quod addit *Bordon. d. resol.* 54. *n.* 49. scilicet, quod concessio Pontificis sit conditionata sub conditione mortis; quia per se manifestum est, quod professio illa pendet quidem ab articulo mortis, & quod Monialis iudicio Medici iudicetur moritura, nō tamē pēdet à morte in effectu sequuta. Quod verò concesserit facultatē profitendi inde colligitur, requirit in nouitia ætatem 16. annorum, vt professionem emittat, quod non fuisset necessarium, si solum concessisset indulgentias profitentibus concessas. Item munit literas suas clausula sublata, & decreto irritanti; quod totum respicit forum contentiosum, & quod superflue fuisset dispositum per Pium V. si solum quæ spectant ad indulgentias, & forum conscientiæ concessisset. Sed verè ipse facultatem emittendi professionem concessit professio vero si emittitur semel est æterna, & incorporat Religioni irreuocabiliter, nec est necesse illam reiterare. Et ita hanc partem sustinent. *Sanchez, Peyr Diana Coton* Lezana *Tambur. Palaus n.* 8. *Anton. à Spir. S. locis citatis. Cum vero Texeda Controu. Theol. tom.* 2. *l.* 1. *tr.* 1. *contr.* 8. *n.* 17. Senserit Nouitiam hanc non omni anni tempore posse vti hoc priuilegio, sed solum vel octo diebus ante completum annum nouitiatus, vel secundum alios, quindecim diebus, vel secundum ipsum & alios per mensem, merito refellitur à *Diana p.* 7. *tr.* 12. *res.* 3. Quia in priuilegio Pij V. ad hanc gratiam consequendam solum requiritur articulus mortis, & quandocumq; hic occurrat Nouitia potest profiteri, Et *Caramuel in Reg. S. Bened. disp.* 40. *n.* 463. refert Salmanticæ Patres Cistercienses dedisse professionem in articulo mortis Nouitio sub tres dies habitū suscepti.

54. Quod vero dicitur de Nouitia Moniali S. Dominici dicitur etiam de omni alia Nouitia, aut Nouitio communicante in priuilegio isto. *Sanchez, Mirand. Tambur. Coton. Anton. à Sp. S. Nicolius, Bordon. resol.* 54. *n.* 52. *Donat. loco citato.*

55. Conuertitas quoq; mulieres quæ sunt alicui Religioni addictæ, & solemniter pœnitent, quales sunt Romæ Moniales S. Mariæ Magdalenę

eo ipso quod ingrediuntur Monasterium posse emittere professionem iuxta eorum priuilegia, & statuta ante Concilium emanata docet *Barbosa dicta alleg.* 101. *n.* 33. quia non est huic dispositioni derogatum per *cap. illud* 15. *sess.* 25. *Concil. Trid.* imo cum in eiusdem sessionis *cap.* 18. præseruentur Constitutiones Conuertitarum multo magis præseruatur hoc priuilegium, vt declarauit etiam *Cong. Cardinalium die* 11. *Ianuarij* 1620. Et quod quantum ad huiusmodi pœnitentes seruari debeat ius cõmune, & illarum cõstitutiones asseruit etiam Reuerendiss. *Fagnanus ad d. cap. Ad Apostolicam. n.* 30. *Nam Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 18. *de Regular. in vers. Ab his tamen excipiuntur mulieres*, referendum videtur non tantum ad ea, quæ desuper continentur in *d. cap.* 18. sed etiam ad reliqua, quæ in alijs *capit. præcedent. eiusdem sess. sancita fuere*; & consequenter etiam ad disposita *in cap.* 15. Addit verò *n.* 31. eas hodie teneri ad clausuram formalem, & ad emissionem trium votorum ex decreto Pij V. & Greg. 13. Nec in eorum Monasterijs possunt reponi amplius Moniales aliorum Monasteriorum, quæ sub clausura degunt correctionis causa. Nec amplius egredi ipsæ conuertitæ possunt.

56. Alter casus videri posset addendus, scilicet coniugis, qui post ratum matrimonium sed non consummatum ingressus est Religionem, videtur enim quod statim infra duos menses initi matrimonij debeat profiteri, quia maior dilatio cadit in graue præiudicium alterius coniugis, qui propterea cogeretur expectare integrum annum, ad hoc vt esset liber ad nouum matrimonium contrahendum. Hinc tempus probationis restringi posse, si ex integritate illius sequatur alteri præiudicium voluerunt *Hostien. ad cap. Ad Apostolicam n.* 2. *& Io: And. n.* 1. *& idem Hostien. in cap. Ex publico* §. 1. *de conuers. coniugat.* Verum licet hæc sit iusta causa petendi dispensationem à Sede Apostolica, quæ etiam aliquando eam indulsit, tamen sine dispensatione id fieri non potest, nec ab aliquo inferiori concedi, vt ob illam causam non seruetur annus Nouitiatus integer, & plenus. *Sanchez l.* 2. *de matr. disp.* 24. *q.* 2. *n.* 7. *Rodriq. tom.* 3. *q.* 13. *a.* 4. quos sequitur *Bordon. de profess. cap.* 4. *q.* 4. *Caron. l.* 4. *contr.* 3. *c.* 2. *n.* 42. *Reuerendiss. Fagnan. ad d. cap. Ad Apostolicam. n.* 26. *de Regular. vbi n.* 28. quod S. Cong. Concilij declarauit, quòd si mulier maior 12. annis ingressa fuit Monasterium, & habitum suscepit, & euoluto probationis anno profiteri velit, vir interea expectare teneatur, donec professio sit emissa. *Anton. à Spir. S. tr.* 3. *disp.* 2. *n.* 107. Addunt vero aliqui, quod si coniux Religiosus ante exactum annum probationis habitum dimittat, aliamq; Religionem ingredi velit, possit à iudice cogi peremptorio termino constituto, vt eliga Religionem, in qua post Nouitiatus annum profiteatur, vel ad coniugium redeat, eo quòd videatur dolose agere, & animo fugiendi consortium coniugis de vna ad aliam Religionem transire. *Sanchez l.* 2. *de matrim. disp.* 24. *n.* 9. *Basilius. lib.* 9. *cap.* 9. *n.* 10. *Palaus vbi supra.* Sed hoc non est tutum, & nisi constet de fraude hic coniux non potest compelli ad breuiandum tempus. *Palaus tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 12. *n.* 3. *Barbosa ad cap.* 15. *n.* 8. *sess.* 25. *Conc. Trid. & alleg.* 108. *n.* 11.

57. Stante autem, quod annus nouitiatus non possit contrahi, nisi ex speciali priuilegio, dubium remanet an possit prorogari. Obstare enim videntur verba illa *Concil. Trid. sess.* 25. *c.* 15. *Per annum post susceptum habitum ad professionem admittatur.* Et illa alia verba *cap.* 16. *Finito tempore nouitiatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut Monasterio eijciant.* Videtur enim Concilium decreuisse vnum de duobus, vel scilicet vt finito anno nouitius statim profiteatur, vel à Monasterio eijciatur. *Reuerendiss. Fagnanus in cap. ad Apostolicam n.* 8. *de Regular.* sẽtit, à superioribus Regularibus non posse prorogari tempus probationis vltra annum, cum inferiores Papæ dispensare nequeant in lege Generalis Cõcilij. *extrauag. Sancta Romana.* §. *quidam autem*, & ibi *Gloss. in ver. Concilij, de Relig. domib.* Vnde mos fuit legitima subsistente causa huiusmodi prorogationes obtineri à Sede Apostolica. Et dat exemplum duarum Monialium, vnius scilicet infirmæ, & alterius, cui ex professionis emissione statim post annum imminebat periculum impossibilitatis consequendi bona sua, quæ apud mercatores reperiebantur. Addit tamen *n.* 13. non videri prohibitum superioribus, quin possint prorogare professionẽ ex iusta causa ad breue tẽpus, & quòd ita intelligi potest illa declaratio S. Congregat. Concil. in qua declaratum fuit, tempus probationis esse arbitrarium, & vltra annum prorogari posse, alioquin nimis durum esset, vt nouitius reuoluto anno nulla interiecta mora expellendus esset à Monasterio, si legitimè impeditus profiteri non posset, aut pro qualibet breui mora recurrendum esset ad Sedem Apostolicam præsertim ex longinquis partibus. Addit verò *n.* 13. Regulam hanc fallere in nouitio ad profitendum inhabili ob defectum ætatis, nimirũ quia non excessit annum 16. requisitum à *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* Lex enim quæcumq; generalis semper restringitur ad personas habiles, *cap. vnic. de ætat. & qualit.* 6. *& cap.* 1. *de fil. Presbit. eod. lib. & tenet Decius in cap. Cum omnes, n.* 2. *de Constit. & Iason. in l.* 2. §. *Prætor. n.* 3. *ff. qui satis dat. cog.* Vnde quod Decretũ *Concil. Trid. d. sess. cap.* 16. intelligatur de habilibus ad emittendam professionem, declarauit S. Cong. Concilij, quæ etiam inclinauit in eam sententiam, vt in masculis non sit à Concilio præfinitum tempus ad suscipiendum habitum. Verumtamen qualis sit sensus Concilij habetur ex pluribus declarationibus Congreg. Cardinalium, quas referunt *Bellarm. in nouis declar. S. Concil. Trid. sess.* 25. *c.* 15. *verbo admittatur. Barbosa ibid. n.* 33. *&* 34. *Suarez tom.* 3. *de relig. c.* 12. *n.* 5. *Peyr. P. R. q.* 3. *c.* 2. *n.* 102. *& t.* 1. *priuil. in Const.* 2. *Sixti* 4. *n.* 81. *Anton. à Sp. S. tr.* 3. *disp.* 2. *n.* 81. *Tambar. t.* 3. *disp.* 6. *q.* 7. *n.* 29. *vbi ex Gras. p.* 1. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 16. refert declarationẽ S. Cõg. Cõc. datã sub his verbis. *Cõciliũ noluit quempiã minori tempore, quam per annum stare in probatione, idq; expressim disposuit; ne autem hoc tempus longius extendi possit, non prohibuit, ideoq; arbitrio superioris extendi, & prorogari potest.* Voluit enim Concilium statuere terminum infra quem non admitteretur nouitius ad professionem, sed non vltra quem non se extenderet annus probationis, ideo dicitur, quòd decretum Cõcilij pro hac parte nihil innouat, sed antiquum ius recepit, Nam de iure est, quòd terminato anno probationis nouitius, nisi aliud obstet, admittatur

ad

ad professionem, potestq; propterea differri professio si in singulari casu defectus ætatis, aut scientiæ, aut etiam morum spem emendæ non excludentium petatur maius tempus ad profitendum: præterquamquòd Concilium petit solos habiles admitti, & exconsequenti solum inhabiles excludi, non quidem inhabiles ad tempus, sed inhabiles ad religionem absolutè, Cur enim Concilium voluisset impedire inhabilem secundum quid & ad tempus, ne posset absolutè effici religiosus, & profiteri? Quando igitur defectus inhabilitatis est temporalis & ad tempus, rationabile est, vt detur dilatio, & ex pectetur donec defectus deficiat, vnde Codicilium oppositum non decernit. Amplius consuetudo optima legis interpres hunc fuisse sensum Concilij probat, quia hæc est religionum praxis, vt ex causa annus probationis prorogetur & cum praxis sit approbata à S. Cong. Card. S. Concil. interpretum, vt ad eius etiam instantiam fuisse declaratum tradit *Passarel. in compend. Privileg. Minimorum*. Res in hac parte est secura, accedente etiam communi sensu Doctorum, præter supra citatos enim, ita sentiunt *Nauar. de off. ind. ord. consil. 2. in p. edit. & de regul. in 2. edit. concil. 30. Rodriq. t. 3. quæst. 17. num. 10. Mirand. in Manual. Prel. quæst. 25. a. 11. Diana p. 3. tr. 2. r. 128. Portel. p. 2. casu 7. Bassæus v. Religio 3. num. 10. Donatus part. 4. tr. 9. quæst. 18. Coton. lib. 4. disp. 3. cap. 3. num. 49.*

58. Quod quidem maiorem locum habet in monialibus, quibus ob plures alias causas, & maximè ex causa dotis non solutæ, prorogatur professio. *Rodriquez, & Bassæus loco citato, & Donatus num. 8. Anton. à Spir. S. num. 88.* Aduertit etiam *Nicolaus ad tit. de Regular. num. 28. vers.* Limita 3. quòd non conceditur dilatio professionis sub prætextu, quòd alij nouitij prius vestiti nolint vel non possint professionem emittere, sicut fuit declaratum per S. Cong. Regul. 17. Februarij 1622.

59. Per quantum verò tempus prorogari possit professio expleto probationis anno, standum est statutis cuiuscumq; ordinis, vel ad arbitrium boni viri spectata causa prorogationis. *Donatus 16. num. 6.* Sic in Ordine Prædicatorum ex antiqua Constit. quantitas temporis prorogationis relicta fuit arbitrio superioris. Sic enim *dist. 1. cap. de nouitijs* decernit. *Et si inuentus fuerit multum deficiens in prædictis, vocetur in Capitulo nouitius, & ibidem ei assignetur certum tempus prolixius probationis, vel declaretur ei, quod nunquam veniet probationis terminus, nisi postquam iterum in Capitulo vocato, & pro sufficienti approbato octo ad huc dies ad minus relinquantur.* In his enim verbis datur facultas prorogandi professionem ad tempus indefinitum, & arbitrio superioris determinandum. Videri tamen posset alicui tam hoc tempus esse determinatum ad sex menses, quia in eodem Ordine Prædicatorum adest declaratio ad text. 11. cap. 14. *dist. 1. p. litt. o.* vbi denunciatur Pium Quintum declarasse. *professionem alicuius ad profitendum inepti ad sextum tantummodo mensem posse differri.* Nihilominus vidi oppositum per aliquando fieri ex iusta causa. Cum verò in Glossa illa non dicatur quando, & cui, & qua occasione, seu ad cuius instantiam Pius Quintus eam declarationem dederit, hoc explicat Festus in summario *Constit. par. 2. cap. 15.* dicens, quod difficultas huiusmodi, quæ ex verbis Concilij Tridentini oritur proposita Sanctissimo Domino Pio Quinto à Passarello Ordinis Minimorum, responsum illi fuit à S. Congregatione in hunc modum. *Sanctitas sua dixit, decretum huiusmodi Concilij, procedere tantum in illis nouitijs, quos superiores lapso tempore nouitiatus habiles inuenerint, non in his, quos inhabiles inuenerint, vt sunt illi qui non bene didicerunt. Et ideo, quod attinet ad illos, Sanctitas sua concessit, quod superiores possunt prolongare illorum professionem, dummodo habeant spem probabilem quod efficiantur habiles infra sex menses. Donatus verò par. 4. tr. 9. quæst. 18. num. 8.* loquens de declaratione illa contenta in Constit. Ordinis Prædicatorum; ait eam non procedere in monialibus, quorum professiones ob multas alias causas, & præcipue causa dotis possunt diutius differri. Sed hoc quidem verum esse potest spectata illa declaratione, vt est lex Ordinis Prædicatorum nam, alias declaratio illa Pij Quinti ad omnes se extendit, ad quos se extendit decretum Concilij Tridentini, quod Pontifex declarat, & quod etiam moniales comprehendit. Sed circa illam Sanctissimi Pontificis declarationem considerandum est, quod absolutè, & vniuersaliter decernit, quod Concilium loquitur de habilibus ad profitendum & quod in illo decreto non continentur inhabiles, seu (quod idem est) impediri, vnde istorum professio potest deferri. Sed quia quæstio esse poterat, quantum differri possit, Pontifex arbitratur quod tempus hoc sit sex mensium, sed huiusmodi arbitrium non continet nisi vim directiuam, & id quod regulariter fieri debet, vbi de inhabilitate personali nimirum de defectu scientiæ, vel morum, vel alio simili impedimento, vnde ille dedit exemplum de defectu scientiæ. Quod enim restrictio illa ad sex menses non contineat præceptum, ex eo deducitur, quod lex Concilij Tridentini non prohibet professionis inhabilium dilationem, vt Pontifex ipse declarat; ipse vero nihil præcipit, sed concedit, limitans seu declarans ius ipsum commune, quod petit, vt sine causa non protrahatur professio post legitimam probationem, arbitratur verò quod tempus huius dilationis sit sex mensium, quia hoc est regulariter verum, vbi inhabilitas fit ex defectu scientiæ, vel morum; quia vbi non est spes probabilis emendæ in termino sex mensium, talis nouitius censendus est simpliciter inhabilis; cum quo tamen stat, quod pensatis circumstantijs possit adesse iusta causa maioris dilationis, maximè vbi impedimentum ab extrinseco sine culpa, vel defectu nouitij oritur. Et ideo pensanda est qualitas impedimenti, & consideranda aliæ circumstantiæ, & sic in arbitrio prudentis viri positum est determinare tempus huius dilationis sed de his vberior sermo habebitur inferius vbi tractabitur an professio debeat continuari cum anno probationis.

60. Sed quid dicendum vbi in aliqua religione sit statutum vt professio non prorogetur post expletum nouitiatum? Tale statutum reperiri videtur in Ordine Minimorum in regula *num. 3.* vt *testatur Peyr. in R. P. quæst. 3. cap. 1. num. 102.* Et nihilominus non extare in dicto ordine tale statutum

tum idem Peyr. scotit. Sed quatenus extatet, si non contineret clausulam irritantem, noo reddecet inualidam dilationem, vel professionem post dilationem emissam.

61. Quæritur consequeoter an & quantum valeat statutum speciale alicuius ordinis probationis tempus, seu nouitiatum extendentis vltra annum Est autem difficultas ex duplici statuto Ordinis Prædicatorum, quorum alterum spectat ad Clericos, & alterum ad Conuersos. Primum habetur *dist.1.c.14.§.9.* Et est tale. *Vltra hoc autem ne pueri recepti ad habitum inueniant se potius natos sub iugo religionis, quam illud elegisse, euitenturque inconuenientia multa, statuimus, vt ei, qui cui ante quintumdecimum annum religionis habitus datus est, numquam elabatur annus probationis (quantocumq; de currente temporis spatio) nisi vocatus post annum sextum decimum expletum à Prælato in Capitulo coram Conuentu terminum adminus trium mensium acceperit ad deliberandum, an profiteri velit ita quod annus probationis cum taxato illo termino terminetur, ac per hoc ex tunc incurratur professio tacita; & vt hoc inuiolabiliter obseruetur præsenti statuto, cuilibet ante quintum decimum annum (pro tempore) recepto ad habitum, assignamus annum probationis modo dicto.* Hæc in textu ipso Constitutionis continentur. In Glossa autem dicti textus desumpo ex Capitulo Gennerali Bon. 1564. præcipitur Conuentum Superioribus vt quantum fieri potest non suscipiant ad habitum puttos ante totum quintumdecimum annum inchoatum, & si receperint in receptione protestentur, quod non alio modo quam supradicto silicet tribus mensibus post completos 16. annos statutos à Concilio Tridentino recipientur ad professionem.

62. Hoc vero statuto stante, quæritur si aliquis ex istis Nouitijs terminato 16. anno professionem emittat, hoc trimestri non expectato, an professio sit valida. *Donatus p.4.tr.9.quæst.10.* Respondet non valere si tamen fiat protestatio nouitio, quod ex parte religionis non acceptatur tua professio nisi post illud trimestre; sed si hæc protestatio non fiat, ante 16. annum, in quo terminatur annus probationis ad præscriptum Concilij Tridentini, tunc professionem valere, & talem nouitium statim in complemento anni 16. incurrere professionem tacitam, ideoque protestationem postea factam nullius esse valoris, cum professiooi iam factæ superueniat. Hanc autem 2. partem sui auerti non aliunde probat, nisi quia standum est Conciliari iure, *cap. 3. de regular. & Clem. eos,* eodem titulo, & protestatio illa superueniens professioni tacitæ, nihil operatur contra ius commune, vt doctè. *Nauar. de regular. cons. 30. num. 2. & 3.* Festus autem in summario. *Constit. p.2. cap. 15. fin.* considerans *PP. Diffinitores Capit. Bonon.* 1564. Supra relati post iam celebratum Concilium Tridentinum adhuc statuisse, vt constitutio nostra seruetur, credit, dictos Diffinitores existimasse esse quandam inhabilitatem recipere illico post annum sextumdecimum eos, qui ante quartumdecimum expletum recepti fuissent, & ita reducit vim huius *Constitut.* ad facultatem prorogandi tempus professionis ratione inhabilitatis.

63. Respondetur verò & dicitur primo statutum huius constitutionis nedum non fuisse infirmatum per Concilium Tridentinum, sed ex eo habere robur, & confirmationem, Hoc probatur primo quia Concilium Tridentinum in illo decreto *cap.16.sess.25.* In quo statuit quòd finito anno probationis & supposita ætate 16. annorum nouitij admittantur ad professionem determinat terminum quatum ad minus, ita silicet vt an ante 16. ætatis anoum, nec ante annum integrum probationis possit admitti ad professionem, non verò prohibuit quod non possit requiri maius tempus vel ætatis, vel probationis. Ita habetur ex declaratione Congregationis Cardinalium S. Conc. Interpretum, quam ex Grassio. *par. 1. l. 3. cap. 5. num.16. refert Peyrinus in P.R. quæst.3. cap.1. nu.10.* Et posita est supra nu. 57. In qua declaratur quod. Concilium noluit quempiā minori tempore, quam per anoum stare in probatione, idq; expressum disposuit: ne autē hoc tempus longius extendi possit non prohibuit, ideoq; arbitrio superioris extendi, & prorogari poterit. Et quidem ratio ipsa ostendit huiusmodi decretum non posse aliter intelligi, si debent leges intelligi vt sint rationi conformes, & vt bonum promoueant, non impediant; At verò sic est, quod statuere maius tempus pro nouitiatu quam sit tempus vnius anni, vel prorogare illud de se nullum est malum, ex circumstantijs verò & causis frequenter etiam contigentibus potest fieri bonum, imò necessarium, & præcipuè si fiat de consenso partium; quod quidem in nostro casu est certum, nam valde rationabile est, vt qui ante pubertatem recipiuntur ad habitum per illud trimestre admoneantur vt prudenter deliberent de statu Religionis immobiliter assumendo; sic si sit nouitius quantum ad scientiam, & mores summè idoneus ad Religionem, & ex generis nobilitate allaturus maxima beneficia Religioni, & hic in limine professionis infirmetur infirmitate non mortali sed tamen de qua sit dubium an reddat illum inhabilem ad religionis onera, vt v.g. si sit dubium an sit amissurus visum, nedum ratio dictat decere, sed virtus charitatis imo; & iustitiæ iubet, vt detur tempus tempori, & expectetur infirmitatis incorrabilis, vel sanitatis euentus, & non statim, è Mōnasterio eijciatur. Sic multi similes casus accidere possunt, & frequenter in quibus vel est necessitas, vel magna vtilitas simul & honestas extendere tempus nouitiatus, quos impediret hæc lex, si intelligeretur vt prohibens nouitiatus tempus protrahere. Quod *enim* annus probationis duret per anoum est per se rationabile, & regulariter bonum, quia non tam sufficienter possunt in breuiori tempori experiri asperitates religionis, sed quod per tempus longius duret hoc experimentum præcipue de partium consensu de se nullum malum est, imò sæpius contingere potes, vt sit necessarium, vel valde honestum, sicut est ille casus, quem ex. *Rodriquez t.2. sum.c.8.n.3. refert Sanchez.l.9. Suar. cap.4. num.21.* Quia scilicet pluribus DD. Salmaticinis consulentibus prorogata fuit professio cuiusdam nouitij vsq; ad vigesimum annum, quia illius anni ætate opus erat, vt nouitius ad fauorem Matris indigentis de quibusdam bonis disponere posset. Et ita quod Concilium per tale decretum non prohibeat, extendi tempus probationis docent *DD. num. 57. citati.*

64. Se-

64. Secundo hoc magis probatur ex declaratione, quam refert. *Suarez.tom.3. de relig. l.5.c.13. num.8.* Quæ est talis. *Finito autem tempore nouitiatus &c. Hæc verba respiciunt tantum ad habiles, & ita ex licentia Sanctissimi Domini nostri, explicante hunc textum Illustrissimo Cardinali Clarenallensi censuit Congregatio dictum tempus Nouitiatus esse arbitrarium.* Est vero primo dubium circa hanc declarationem, quia finis videtur contrariari principio: nam si decretum Concilij respicit nouitios habiles, igitur tempus nouitiatus non est arbitrarium, sed data habilitate, nec de partium consensu poterit nouitiatus vltra annum prorogari; & nihilominus quòd Concilium decernat supposita habilitate nouitium expleto anno debere recipi ad professionem, colligi videtur ex declaratione Pij Quinti, quam ex Passarello refert Festua dicta *part.2. cap.15. & supra num.59.* posita fuit. Si igitur harum declarationum sensus germanus colligendus est, dici debet iuxta priorem declarationem supra ex Crassin & Peyrino relatam Concilium nihil noui decreuisse circa extensionem nouitiatus, ideoque hanc eo modo existere in arbitrio prudenti superiorum, quo erat ante Concilium. Nam vel loquimur de habilibus, vel de inhabilibus: si de inhabilibus, isti ex huiusmodi declarationibus non comprehenduntur sub decreto Concilij. Quod tamen adhuc directe videtur contra Concilium decernens finito nouitiatu nouitios aut admitti ad professionem aut eijci, non potest vero intelligi vt habiles eijciantur, quia hoc est contra iustitiam, debet ergo intelligi, vt eijciantur, si sint inhabiles, & sic Concilij decretũ, & habiles, & inhabiles respicit, illos vt admittantur, istos vt eijciantur. Et si dicatur sensuum declarationum esse, quod in prima parte decreti Concilij sit sermo solum de habilibus, vbi præcipuit nouitios admitti ad professionem, instatur, contra quia non fundatur difficultas prorogationis in prima parte illius decreti, sed in secunda in qua subditur, *aut à Monasterio eijciantur*, in qua parte non potest loqui de inuentis habilibus, quia illi volentes admitti debent admitti, & iniustum est eos eijci, vnde in ea secunda parte non potest loqui Concilium nisi de inhabilibus. Si ergo huiusmodi declarationes sustinendæ sunt, vt non contrariæ ex directo textui Concilij dicendum est declarantes respondisse iuxta extentionem quærentium, & quia quæstio erat an liceret prorogare nouitiatum post expletum annum probationis, declarantes responderunt concilium non prohibere prorogationem nouitiatus nisi vbi nouitij expleto probationis anno inueniantur habiles. Verum intantum hæc interpretatio potest sustineri vt non contraria textui, inquantum dicatur Concilium nihil noui in hoc statuere tam respectu habilium, quam inhabilium; quia non potest negari quod Concilium non statuat inhabiles eijci, quia euidens est illam partem decreti aut è monasterio eijciant non respicere nisi inhabiles, & ex consequenti quod si Concilium aliquid noui decernit circa extensionem nouitiatus, decernat non posse extendi nouitiatum inhabilis, sed illum finito anno probationis esse statim eijciendum, nam si dicatur, quod inhabilis, cuius est spes vt fiat habilis sit medius inter habilem, & inhabilem, iam decretum concilij esset deficiens nihil statuendo de eo qui nec est habilis, nec inhabilis, & præterea, si mens eius est loqui de inhabili omnino, iam nihil noui statuit, sed ex iure antiquo tenetur religio inhabilem cuius non est spes, vt fiat habilis eijcere nedum finito anno probationis, sed etiam ante, si cognoscat ante nouitij hanc desperatam inhabilitatem. Et similiter, quod econtra non possit prorogari nouitiatus habilium est ius antiquum non nouum, nisi fiat de partium consensu; igitur si Concilium solum prohibet prorogari nouitiatum habilium nihil noui statuit, & solum aliquid noui statueret si prohiberet extendi nouitiatum eorum qui medij sunt, quia actu non sunt habiles, sed sunt habiles in spe, quod Concilium non prohibuisse declarationes istæ decernunt. Ideo dicendum est iuxta priorem declarationem Concilium nihil noui statuisse circa extensionem nouitiatus vltra annum probationis, sed in hoc antiquum ius ad memoriam reduxisse, quod est ius naturale conforme conuentioni initæ inter religiosum, & religionem, & ex iustitia ex qua superior admictens ad professionem tenetur religioni vt non admictat inhabiles. Ex hac enim iustitia oritur, vt si nouitius sit habilis non extendatur sine eius consensu annus nouitiatus vel nisi ex altera parte adsit magna causa, v. g. magna vtilitas, sic enim sicut si existente ex parte nouitij magna vtilitate, si extendatur nouitiatus æquum erit vt religio illius damnum non causet cogendo ad professionem nouitium cum damno magno illius, vel parentum, ita econtra existente magna vtilitate ex parte religionis, iustum erit, vt nouitius expectet per aliquod tempus, vt professionem emictat. Et sic supposita habilitate nouitij finito tempore nouitiatus, debet admitti nouitius ad professionem ex lege connaturali, & iuxta legem connaturalem mutuæ conuentioni susceptionis ad habitum ex intentione profitendi post lapsum tempus nouitiatus, sicut ex iustitia quam superior debet religioni, tenetur desperatum inhabilẽ statim eijcere, & ex æquitate potest eius habilitatem expectare, si sit spes illam obtinendi. Et quia hoc bene vidit Card. Clareual. ideo in decisione illa relata à Suarez conclusit extensionẽ nouitiatus extra annum probationis esse arbitrariam, quod fuit dicere, ex Concilio determinationem non haberi, sed rem manere in ea determinatione, & indifferentia quam habebat ante Conciliũ. Nec potest esse alius sensus declarationis desumptæ ex Pio Quinto, circa quam respectu restrictionis ad sex menses extensionis considerandum est, quod loquitur solum in casu in quo nouitius sit inhabilis, & eius non disperata habilitate extenditur nouitiatus. Et quia non est verissimile quod ipse voluerit condere nouum ius, & omnes religiones obligare magis, quam obliget Concilium, & certe de tali lege, & obligatione non constat, ideo dicendum est declarationem illam prout sonat continere consilium eius, quod in simili casu frequentius est agendum, non vero habere vim coactiuam. Et ita quod Concilium in eo decreto nihil noui statuat, sed antiquum ius proponat, tenent per necessariam consequentiam DD. communiter, qui ex vna parte iuxta has declarationes dicunt Concilium prohibere solam extensionem

sionem

sionem nouitiatus respectu habiliũ, & ex alia parte vniuersaliter affirmãt hãc extensionẽ de mẽte Concilij posse fieri ex legitima, & rationabili causa,& causas nedum numerãt illas quæ ad inhabilitatem pertinent, sed quæ ad aliquam externam vtilitatẽ spectant, vt est necessitas rectè, & vtiliter etiam in ordine ad consanguineos disponendi de rebus tẽporibus, quam causam sufficere expresse docent *Suarez loco citato, Sanchez l.5.Mor.c.4. n.21. ex Rodriquez tom.1.sum.c.8.n.3.* Item *Peyr.in P.R.q.3.c.1. n. 102.* Quòd si omnem causam rationabilem extendendi nouitiatum reducant ad inhabilitatem vt dicatur inhabilis ad professionem nouitius, si existat causa rationabilis extendendi nouitiatum, semper infertur per necessariam consequentiam, quòd Concilium in hac parte nihil noui decernit, sed antiquum ius proponit, quòd est tale, vt non existente causa rationabili non possit nouitiatus extendi,& nouitio existente desperatè inhabili debeat eijci, alias ad arbitrium prudentis viri nouitiatus possit extendi,& præcipue si adsit partium cõsensus. In nostro vero statuto consensus partium adest, & ex inita conuentione nouitiatus extenditur, quia ad habitum non recipitur nouitius ante pubertatem nisi sub hac conditione, vt post 16. annum expectet per trimestre, & deliberet an profiteri velit. Nullus enim recipitur ad habitum, nisi sub conditione, quòd velit seruare Constitutiones ordinis; At vero hæc est Ordinis Prædicatorum constitutio, vt receptus ante 14. annum expletum, seu 15. inchoatum expectet per tres menses expleto 16. anno vt profiteatur.

65. Tertio, Probatur intentum principale, Nam in Societate Iesu est statutum ex duplici capite contrarium decreto Concilij Trident. si intelligeretur vt condens ius nouum, & prohibens extensionem nouitiatus, quia statuitur vt nouitiatus duret per biennium, Et quod non incipiat ante ætatis annũ 15. expletũ, & ex consequenti nõ terminetur ante 17. cum tamen Concilium vnum annum assignet pro nouitiatu, & pro eius termino annum ætatis 16. Vlterius eadem Societas in examine *cap.4. §. 43.* habet vt nouitiatus possit extendi ad 3. annum, si superior dubitet an nouitius sit admittendus ad vota biennij, per quæ fit religiosus, & incorporatur Societati. Concilium verò, cui nota erant huiusmodi statuta, ab illo decreto *cap. 16.* excipit ipsam Societatem, In hac verò exceptione exceptæ sunt ex eadem causa omnes aliæ Religiones nedum ex vi communicationis rationabilis gratiarũ, sed quia ex hoc habetur quòd mens Concilij non fuit tollere pia statuta, Religionum, & quæ ad finem Concilij conducunt, qui est vt euitentur inconuenientia, quæ oriuntur ex non probata, & facili admissione puerorum ad professionem. Vnde omnia similia statuta virtute confirmauit, quæ rationabilem extensionem nouitiatus concernunt, tamquam magis etiam conducentia ad finem ab eodem Concilio intentum. Quòd inde magis confirmatur, quia cum in ordine Minimorum sit statutum, vt non admittantur nouitij ad professionem ante annum. 18. nihilominùs hoc statutum non esse per Concilium ablatum docet *Sanchez loco citato*, & licet multi teneant professionem valere etiam post illud statutum si fiat ad formam Concil.Trid. solo expleto anno 16. hoc ideo docent non quia illud statutum non sit in suo robore, & virtute, sed quia non continet decretũ irritans, vt patet ex *Barbosa de off. Episc. alleg. 101. n. 15.* alios referente, vnde si illud statutum haberet clausulam irritantem, adhuc valeret etiam, vt nulla esset professio contra illum facta.

66. Quarto, intentum probatur ex eiusdem Concilij aperta dispositione. Cum enim & illa *sess. 25.* & alibi Concilium plura disposuisset pro regularibus quæ communiter, & regulariter esse vtilia iudicauit, videns tamen non omnium religionum esse eadem statuta, & posse aliqua in eius Decretis contineri, quæ relaxent strictiorem institutum aliquarum religionum contra eius intentionem; ideo vniuersaliter ita huic malo occurrens in *cap.22.sess.illius 25.* sic decreuit. *Si qui verò Regulares tàm viri, quàm mulieres sunt, qui sub arctiori regula vel statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in commune, eos ab eorum instituto Sancta Synodus amouere non intendit.* Cum ergo lex nostra ex causa valde rationabili extendens nouitiatum ad trimestre vltra 16. annum respectu nouitiorum, qui recepti sunt ad habitum ante pubertatem sit arctior regula, est enim lex iusta de se, & magis arcta, quàm regula communis, non est per Concilium reuocata, sed confirmata.

67. Stante igitur veritate hac satis probata, quòd Statutum nostrum manet in suo robore per Concilium Tridentinum confirmatum, dicitur secundo quòd professio contra illud statutum emissa est irrita, & nulla, sicuti vere talis est praxis Religionis, vt statutum illud prout sonat obseruetur, & professio contra illud habita pro nulla habeatur, Quia verba statuti clara sunt, & nullitatem professionis aliter factæ expresse continent, & statuunt vt illud trimestre sit de substantia anni probationis, qui non censeatur legitimè completus ante illud. Hoc vero ampliatur vt sit verum etiam nulla facta protestatione. Nam constitutio non petit aliquam protestationem fieri, quæ & superflua esset, cum statuatur primo, vt non obstante cuiuscũq; temporis decursu professionem non incurrat indutus habitu ante 15. annum inchoatum etiam si peruenerit ad annum 16. ætatis completum, sed vlterius expectare debeat per tempus sibi assignandum, vnde cum nouitius non fuerit receptus ad habitum nisi sub conditione profitendi iuxta constitutiones, nulla est necessaria protestatio noua, sed sufficit lex ipsa clare protestans, & exprimens quid agendum, Vult quidem Constitutio vt vocetur nouitius in capitulo, sed non vt fiat illi aliqua protestatio, sed vt assignetur tempus determinatum pro nouitiatus extensione, quòd posset esse etiam maius, quàm trimestre, si superiori videretur. Ideo nec vocandus est nouitius necessario ante expletum 16. annum, sed sufficit vocare illum post annum 16. vt decernit expresse Constitutio ibi. *Nisi vocatus post annum sextum decimum, &c.* quia Constitutio pro non completo habet quodcumq; tempus probationis, quod talem vocationem, & tempus assignatum à superiore antecedit, & ideo habet pro irrita professionem quamcumq; aliter factam. Quòd verò Capitulum Generale Bonon. 1564. decernat vt nouitio dum recipitur ad habitum explicetur hæc constitutio, hoc factum est ad melius, & ad tollendum falsum prætextum, quem

quem posset habere nouitius ex vi decreti Concilij Tridentini non bene intellecti. Ceterum cum ex vi constitutionis superior Conuentus possit dare validum consensum ad professionem nouitij alio modo factam, quàm decernit Constitutio, quæ nunc maius robur habet confirmata per Concilium Trident. qualitercumq; professio alio modo fiat, & siue nouitio cōstitutionem sciente expressè, siue illam ignorante, semper professio est irrita, quia habita sine legitimo consensu Religionis, & contra intentionem quàm debet habere nouitius, quæ est profitendi secundum regulam, & constitutiones, ideoq; & contra formam professionis per quā promittit obedientiam secundum constitutiones, Est ergo talis professio semper irrita. Nisi Generalis super hac Constitutione ex legitima causa dispenset.

69. Ad rationem autem Donati respondetur, quòd falsum supponit, dari scilicet aliquam legem Canonicam, quæ prohibeat extensionem nouitiatus vltra annum probationis, seu quæ auferat Religionibus authoritatem statuendi vt annus probationis duret per spatium maius, quàm sit tempus vnius anni. Et si vera esset eius doctrina Constitutio ista nunquam habuisset robur prout iacet, & sonat, cum nullam protestationem requirat, & velit vt nouitio assignetur trimestre postquam iam in nouitiatu expleuit annum 16. & magis quam per duos aut plures annos nouitiatus. Et valde inconsequenter loquitur, quia vel sentit quòd huiusmodi extensio sit contra Canones, & Concilium, & sic nihil iuuat protestatio; Quia si non est authoritas in ordine extendendi nouitiatum ad hoc trimestre sub pœna nullitatis professionis, omnis protestatio erit inutilis, & nec protestatio, nec extensio valida erit. Si verò nec lege Canonica, nec decreto Concilij hæc extensio est prohibita; igitur constitutio in suo robore manet, quæ cum irritet professionem aliter factam, & professio aliter facta est irrita, etiam nulla protestatione præmissa.

70. Et ita quæ dicta sunt de hac Constitutione Ordinis Prædicatorum dicenda sunt de omni alio statuto alterius Religionis ex causa rationabili extendente nouitiatum vltra annum probationis, quòd si contineat decretum irritans professio aliter facta est nulla.

71. Sic igitur explicato statuto spectante ad Clericos, sequitur examinandum statutum pro Conuersis, quod non est statutum Constitutionis, sed est simplex ordinatio Cap. Gen. Bonon. 1615. emanata longè post Concilium Tridentinum, & est talis. *Vbi est consuetudo recipiendorum Tertiariorum statuimus, vt nullus ad habitum Conuersorum recipiatur, nisi prius per annos duos in habitu Tertiarij Conuentui inseruierit, vt sic spiritus, atq; vires, quibus præcipuè in Fratribus Conuersis Ordo noster opus habet, probentur. Vbi verò consuetudo non est recipiendi tertiarios, ordinamus vt recepti ad habitum Conuersorum primo duobus annis integris habitum Conuersorum deferant, quo biennio eorum vires, & obsequia videantur, & probentur; an idonei sint ad labores. Deinde verò post biennium annus tertius in eodem habitu pro probatione illis assignetur, ita quòd si bene vt par est se gesserint ad professionem post tertium annum recipiantur.* Hæc vero ordinatio reposita est in glossa *Constit. dis. 1. c. 13. §. 4. l. K.* Est autem difficultas an nouitiatus factus contra formam huius ordinationis sit validus, ita vt v. g. si nouitius in debita ætate constitutus post primum annum per quem detulit habitum Conuersorum possit profiteri, cum habere videatur omnia requisita secundum Canones, & Concilium Tridentinum, & alias supponatur idoneus, & habeat ætatem 21. annorum, & per annum in habitu Conuersorum austeritates Religionis expertus fuerit.

72. Nam *Donatus p. 4. tract. 9. q. 23.* tenet professionem Conuersi irritam esse si fiat contra præscriptum præfatæ ordinationis, Quoniam professio facta sine anno probationis est nulla, si verò Conuersus ante tertium annū expletum profitetur id facit sine anno probationis, quoniā solus tertius annus habetur à Religione pro anno probationis. Ideo nec obstat, quòd præfata ordinatio non habeat decretum irritans, quoniam sufficit quòd determinet annum probationis, qui est de substantia nouitiatus, & professionis vt constat ex *Concil. Trid. & cap. ad Apostolicam de Regul.* Tum quia actus factus contra legem prohibentē illum fieri, non valet. *l. non dubium C. de legibus, & docet Nauar. l. 3. Concil. de regul. cons. 22. n. 1.*

73. Ex alia vero parte est, quia in dicta ordinatione non habetur decretum irritans, nec valet, quod in contrarium adducitur, quoniam Prouincialis authoritate sua ordinaria potest recipere Conuersum ad habitum, & ad annum probationis, & ad professionem; Et licet prohibeatur hoc facere, tamen cum in decreto prohibitionis non sit decretum irritans, nec videtur ablata eius potestas ordinaria, aut limitata, vt si contra prohibitionem operetur, factum non teneat. Confirmatur, Nam aliud est acceptare aliquem ad annum probationis, & aliud est statuere qualiter, & quomodo, & quando is debeat acceptari. Primum non pertinet ad Capitulum Generale, sed ad eum, qui recipit Conuersum ad habitum, Secundum autem ad Capitulum Generale spectare potest, sed si non præcipiat irritando attentatum in oppositum, censetur solum prohibere ne aliter fiat, non tamen reddere nullum si id, quòd est prohibitum, fiat. Si ergo Prouincialis, vel Prior de eius licentia accepter primum annum susceptionis ad habitum pro anno probationis, licet hoc sit male factum; & per Capitulum Generale prohibitum, non tamen est vnde dicatur irritum, quia factum est ab habente potestatem faciendi ordinariam, & licet adsit in cōtrarium prohibitio qua prohibetur Prouinciali vti hac facultate, hæc non irritat factum.

75. Quòd secundo probatur, Nam in regula PP. Minimorum cap. 2. prohibetur ne quis admittatur ad professionem ante 18. annum ætatis suæ, & tamen quia hoc statutum non continet decretum irritans, Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum declarauit validam esse professionem eius, qui ætatis 16. annorum iuxta decretum Concil. Trid. post vnum annum probationis professus fuit vt, refert, & affirmat *Barbosa de off. Epis. alleg. 101. n. 15. & ad cap. 15. sess. 25. Conc. Trid. de Regul. in Rodriq. qq. reg. tom. 3. q. 17. a. 10. Miranda q. 24. a. 2. Peyr. in R. S. q. 1. c. 26. § 3. & idem Donatus*

loco citato q. 19. n. 3. Item in Religione Sanct. Trin. redemptionis captiuorum habetur Constitutio ante & post Tridentinum confirmata authoritate Apost. in qua cauetur ne vllus admittatur ad professionem ante 20. annum expletum, & nihilominus, quia hæc constitutio non habet decretum irritans, si in dicta Religione quis ad præscriptum Concil. Trid. post 16. annum completum profiteatur, validè profitetur, vt sæpius declarauit S. Cong. Cardinalium die 20. Aug. 1631. & die 24. Aprilis 1642. prout refert idem *Barbosa ad cap. 15. sess. 25. Concil. Trid. de regul. Et Sell. in select. Canon. cap. 58. n. 3.* & *Donatus ipse loco citato q. 23. n. 7.* Eadem igitur ratione, cum præfata ordinatio non habeat decretum irritans, si Conuersus ad præscriptum Concilij Trid. post annum probationis in habitu Conuersorum, & post 21. annum expletum emittat professionem, illa erit valida.

75. Claritatis gratia distingui potest quæstio; Nam vel Prouincialis aut Prior de eius licentia acceptat primum annum susceptionis habitus Conuersi pro anno probationis, & sic recipit post primum annum nouitiatus eumdem Conuersum ad professionem; Vel Prior aut alius superior inferior admittit hunc eundem ad habitum, & Professionem cum sola communi licentia Prouincialis, & sine eo quòd detur ei licentia specialis ad assignandum primum annum pro anno probationis. In primo casu censeo professionem esse validam, & bene hoc est probatum ex supradictis. Quòd amplius confirmatur, quia quando aliquis non habet facultatem ad aliquid, si primo illam ab alio non accipiat nisi limitatam, actus contra limitationem, & prohibitionem factus est irritus natura sua, vt tradit *Sanchez l. 1. Mor. c. 4. 2.* etiam si prohibitio non contineat decretum irritans: & ratio est, quia tunc agens sine facultate agit, cum non agat nisi ex facultate, vt accepta ab alio, qui illam non dedit nisi limitatam. Sed vbi aliquis authoritate sua ordinaria potest agere & habet extensam facultatem ex sui officij titulo, si postea limitetur per superiorem per simplicem prohibitionem sine clausula irritante, tunc quidem limitatio seu prohibitio reddit actum illicitum, non vero nullum, quia agēs tunc licet non possit licitè, potest tamen validè, quia de se habet potentiam se extendentem ad actum, licet subordinatam alteri. Modo Prior Prouincialis in ordine Prædicatorum sua ordinaria potestate potest accipere vel per se vel per alium ad habitum, & ad annum probationis, & licet prohibeatur immediate acceptare ad annum probationis illum, qui per duos annos non inseruierit Conuentui, vel in habitu Tertiarij vel in habitu Conuersorum, si tamen hoc faciat validè facit, quia capituli illius ordinatio non continet clausulam aliquam irritantem.

76. Imò in hoc casu puto, quòd etiam si in prima susceptione habitus Conuersorum Prouincialis non habuerit intentionem acceptandi primū illum annum pro anno probationis, imo habuerit intentionem contrariam, si tamen post illum primum annum acceptet illum ad professionē, quòd valida sit professio; Quia acceptare aliquem actum pro valido ad aliquem effectum fieri potest etiam post actum transactum, si actus præteritus habeat alias omnes conditiones requisitas, & causauerit effectum necessarium, & prærequisitum ad vlteriorem actum; modo in illo primo anno susceptionis habitus Conuersorum, & nouitius ex parte sua expertus est Religionis austeritates, & Religio mores nouitij, & quidem (vt supponitur) in loco ad educationem nouitiorum deputato, & seruatis alias seruandis; nihil igitur interest quòd ab initio Prouincialis non consenserit in hunc annum, vt in annum probationis, quia sufficit quòd in fine ratum illum habeat, & pro anno probationis illum acceptet, & si recipiat nouitium ad professionem censetur approbare annum, qui præterijt pro anno probationis. Et sic si Prouincialis seruatis alias seruandis acceptet Conuersum ad professionem post primum annum nouitiatus sui in habitu Conuersorum, licet malè faciat, valida tamen est professio. Et hoc a simili probant iura supra citata.

77. In secundo tamen casu, quia Prior etiam simul cum toto Conuentu non habet facultatem recipiendi Conuersum ad habitum nisi de licentia Prouincialis, vt patet ex *Constit. dist. 1. cap. 13. §. 3. fine*, vnde nec habet facultatem recipiendi ad annum probationis, si sine licentia speciali Conuersum indutum habitu ex sola communi licentia Prouincialis post expletum primū Nouitiatus annum seruatis alias seruandis recipiat ad professionem videri poterit, quòd non validè recipiat, quia talis non habuit annum probationis legalem. Sola enim receptio ad habitum non sufficit ad hoc vt sit acceptio ad annum probationis, quia recipi etiam potest habitus alio fine, & ex mutuo consensu, & acceptatione specificantur contractus vnde non censetur aliquis acceptus ad aliquem effectum nisi accipiens consentiat, & velit illud acceptare.

78. Sed hæc ratio nihil valet; Canones enim, & Concilium Tridentin. in anno probationis experimentum mutuum requirunt, & intendunt, nec sub eorum lege continetur, quòd superior regularis recipiat vel non recipiat illud cum hac, vel illa intentione accidentaliter ad probationem se habēte. Nam nouitius accipit habitum ex intentione profitendi si religio sibi placeat, & religio dat habitum ex intentione admittendi illum ad professionem, si sit habilis; siue ex intentione vt ex notitia experimētali possit eligi professio, vel respectiuè concedi, & hæc est intentio per se necessaria ad valorem nouitiatus, & anni probationis quantum est ex vi, & natura conuentionis initæ in susceptione habitus; imo ad valorem nouitiatus, vt infra probo, non est necessaria intentio absoluta profitendi, sed sufficit intentio experimentum sumendi, quæ quidem habet coniunctam virtualiter intentionem cōditionatam profitendi, si placuerit, sed hæc intentio stat simul, cum absoluta intentione non profitendi habita de tempore nouitiatus. Stat enim quòd quis absolutè nolit profiteri, & tamen velit experiri Religionem hoc fine vt si contingat eum mutare voluntatem, sit expeditus vt profiteri possit, & sic ad valorem nouitiatus sufficit, quòd eligatur nouitiatus, & acceptetur. Vide *infra c. 4. n. 32.* Superueniunt modo Canones, & leges, & statuunt quòd hoc experimentum sub cuius conditione datur habitus, duret per annum, & hoc statuunt Canones, & leges, quibus nihil interest ex qua intentione hic vel alius superior hoc experimentum accipiat, & si vel recipit illud vt vl-

timum

timum; quoniam hæc accidentalia sunt nec cadũt sub lege, sed sufficit illa intentio substantialis contenta in receptione ad habitum ea intentione admittendi ad professionem, si post sufficiens experimentum sit idoneus. Itaq; supposita illa prima intentione quæ est intrinseca, & inseparabilis à mutua conuentione inita inter nouitium, & Religionem in susceptione ad habitum Religionis, quę est intentio recipiendi nouitium ad professionem medio mutuo experimento in sufficienti tempore habendo, valor anni probationis non pendet ab hac vel illa intentione superioris particularis, sed ex præscripto legum eius valorem approbantium, vel reprobantium; Vnde si post receptum nouitium ad habitum superior millies protestaretur se non accipere illud tempus pro experimento valido, nisi haberet authoritatem irritandi valorem illius, & irritare vellet, semper experimentum de se valeret physicè, & legaliter; Physicè enim semper valeret, quia semper haberet effectum Physicè experimentalis cognitionis, quem lex intendit, ideo & valeret legaliter, & moraliter, quia non esset contrarium alicui legi eius valorem cassanti, & annullanti.

79. Præterea absolute dicitur, quòd primus annus nouitiatus Conuersi in habitu Cõuersorum si alias habeat necessarias conditiones ex præscripto Canonum, Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum, & legum irritantium attentatum in oppositum est legitimus annus probationis, & validus, etiam si ex præscripto præfatæ ordinationis non irritantis oppositum non habeat durationem quam illa ordinatio requirit; quia habet de facto physicum effectum sub cuius conditione nouitius, & Religio contraxerunt, & tantum effectum habet quantum ceteræ leges præscribunt, quæ irritarent valorem illius, si minorem effectum haberet. Ideo etiam absolute dicitur, quòd si etiam à Priore admittatur Conuersus ad professionem post primum annum nouitiatus in habitu Conuersorum, professio est valida, prædicta ordinatione non obstante, licet enim Prior non possit recipere Conuersum ad habitum sine licentia Prouincialis, receptum tamen & sufficienter probatum potest admittere ad professionem, quantum autem sit ad substantiam valoris anni probationis vnus annus sufficiens etiam in Ordine Prædicatorum, cum præfata ordinatio maius tempus requirens non irritet attentatum in oppositum.

80. Et ita ad rationes in oppositũ dicitur, quòd primus annus nouitiatus Cõuersi in habitu Cõuersorum est annus probationis validus, & sufficiens. Et cum instatur, quòd à Religione non habetur vt talis, quia statuitur vt annus probationis sit tertius à susceptione habitus, dicitur quòd quia in primo anno verè nouitius probatur, & ordinatio illa hoc idem fatetur; quia instituit primum biennium, vt probentur vires Conuersi, ideo nequit negari quòd primus annus non sit annus probationis, quòd verò illa ordinatio non sit contenta vno anno probationis, sed tres requirat, cum non irritet oppositum, non aufert quin primus annus nõ sit sufficiens. Sed secundo dicitur, quòd ipsa ordinatio non assignat, sed præcipit assignari tertiũ annum pro anno probationis, & sic ex consequenti præcipit non haberi primum pro anno probationis sufficiente, ideo si superior assignet primum, vel primum acceptet, malè quidem facit, sed non inualidè, cum ordinatio non inualidet oppositum. Et sic ordinatio illa non habet primum annum pro anno probationis, sed hoc non inualidat sufficientiam illius primi anni, quæ non dependet ab illa ordinatione quantum ad valorem, cum ordinatio illa non inualidet, sed solum prohibeat oppositum fieri; ad hoc verò vt annus probationis, & professio sit valida, sufficit quòd à superiore acceptetur vt talis, etiam si superior malè faciat, non seruando leges suas.

81. Sed iterum dices, quòd ordinatio illa continet æquiualenter decretum irritans. Nam vbi ex verbis legis colligi potest, quòd habuerit intentionem inualidandi factum contra legem, hoc sufficit, etiamsi non fuerit in lege expresè posita clausula irritans; modo manifestè constet de intentione illius Capituli, quæ fuit irritandi primum biennium, ne sit annus probationis legalis, seu à lege approbatus, & ex consequenti sufficiens ad probationem, quia dum præcipit assignari tertium annum pro anno probationis ex hoc ostendit se nolle, quòd aliquis ex prioribus duobus annis sit annus legalis. Sed respondetur hoc non probare intentum. Curreret enim argumentum, si ipsa lex statuisset, quòd annus probationis non finiretur nisi in tertio anno, sicuti fecit Constitutio supra discussa decernendo vt per quemcumq; longi temporis decursum annus probationis non elabatur nisi post trimestre assignatum post 16. annum. Quia hoc modo per verba negatiua statuendo de anno ipso, quòd non elabatur, fit vt probationis annus legalis numquam finiatur, nisi post illud trimestre. Sed hic nõ ita statuitur, tũ primo quia lex illa non respicit immediatè tempus, sed actionem recipientis ad probationem, & non statuit quòd annus probationis non currat nisi expleto triennio sed mandat recipienti ad annum probationis vt assignet tertium annum pro anno probationis, Secundo neq; hoc statuitur per verba negatiua, sed per verbum assignetur tertius annus pro anno probationis. Cum verò superior non obedit huic legi, sed assignat primum annum malè facit, sed nõ inualidè, quia ordinatio illa non irritat sufficienter oppositum factum.

82. Accedit quòd vbi superioris lex approbat aliquod factum, & habet illud pro valido; si inferior aliquid amplius requirit, & statuit, non debet intelligi vt inualidet oppositum habens conditiones statutas à lege superioris, nisi id clarè exprimat; modo ex præscripto Canonum, & Concilij Tridentini nouitiatus seu tempus probationis sufficiens est annus incipiendus à susceptione habitus, vt Concilium decernit in illis verbis *cap. 15. sess. 25.* Per annum post susceptum habitum ad professionem admittatur; Cum ergo via admitti possit, vt in Religione sit facultas exigendi, & ordinandi aliud; hac potestate data possessio stat pro determinato in Concilio, nec est intelligendum, quòd factum ad præscriptum Concilij censeatur inualidum, nisi hoc expresè, & manifestè explicetur.

83. Et si iterum dicas, quòd ordinatio debet intelligi, ac si per verba negatiua statueret, & irritaret factum oppositum, quia in prima sui parte negatiuè disponit, quòd non admittatur ad habitũ

Conuersorum aliquis nisi post bjennium suæ receptionis in habitu Tertiariorum, Eodem verò modo statuitur, in secunda parte, quia eadem est intentio Capituli illius vtrobiq, scilicet quòd Conuersi probentur per triennium. Respondetur nec in prima parte contineri sufficienter decretum irritans. Nam licet hæc dictio Nullus vniuersalis sit, & contineat vim clausulæ irritantis per dicta à *Barbos. Dictione 229. n. 4. ex Glossa, Tiraquel. & Sanchez*, in prædicta verò ordinatione statuitur, vt nullus Tertiariorũ nisi post biennium recipiatur ad habitum Conuersorum; nihilominus regula illa fallit. Quód probatur manifeste in legibus ordinis Minimorum, & ordinis Trinitatis supra relatis statuentibus nullum esse admittendum ad professionem, qui non fuerit ætatis annorum 18. vel 20. & tamen quia non continent clausulam irritantem nedũ DD. sed S. Cõgregatio Cardinalium pluries censuit professionem factam ad præscriptum Concilij Trident. post 16. annum ætatis expletum seruatis alias seruandis etiam in illis ordinibus esse validam.

84. Sed præterea secundo non est eadem ratio de illa prima parte ordinationis, quæ est de secunda, & iure merito modus loquendi mutatus est. Nam circa primam lex Canonica, & Concilium Tridentinum non disposuerunt, quòd enim recipiantur Conuersi prius in habitu Tertiarij, vel non recipiantur non est quid de quo Concilium aliquid determinauerit, imo supponens Religiones varijs modis probare assumendum ad habitum antequã induant illos habitu Religioso, vt patet ex Regula S. Benedicti *cap. 35.* decernente quòd prius extra Monasterium probentur illi, qui habitum petunt, vnde in Religione Clericorum Regulariũ, & etiã in aliquibus alijs isti probãtur prius in habitu Seculari, hoc inquam supponens Concilium, decernit quòd annus probationis incipiat ab habitus susceptione, vbi qui habitũ suscipit sit in debita ætate. Quamobrem cum Capitulum illud Generale disponens Conuersos prius probandos in habitu tertiariorum in hoc non disponat nisi de eo, quod omnino remanet liberæ dispositioni Religionis. Eius dispositio habita per orationem negatiuam, & per dictionem nullus, potest facilius intelligi, vt continens vim irritantem oppositum attentatum. Sed in secunda parte ordinatio illa est restrictiua illius, quod Concilium Tridentinum decreuit, quia ad valorem nouitiatus plus requirit, quam decernat Concilium Tridentinum, quòd vnum annum assignat nouitiatui à susceptione illius habitus sub quo religiosus debet profiteri, & mandat, quòd hoc anno finito nouitius vel admittatur ad professionem, vel ejciatur à Monasterio; illa vero ordinatio vult nouitiatum durare per tres annos ideo quia noluit inualidare, quod Concilium validum decreuit non per verba negatiua, & vniuersalia, imo nec determinando, quod aliter non possit fieri, sed solum per simplicem ordinationem præcipiendo superioribus, vt assignent pro anno probationis istis Conuersis tertium annum; ex hoc magis innuere volens, se non intendere irritare factum in oppositum, si alia necessaria iuxta præscriptum Concilij seruentur,

SVMMARIVM.

mentis. num. 115.

39 *An filio irritet vel interrumpat nouitiatum, fuit diuersimodè opinatum.* num. 116.

40 *Filio nec irritat nec interrumpit nouitiatum* num. 117.

41 *De substantia nouitiatus non est, quòd nouitius intendat profiteri.* num. 117.

42 *Habens occultum impedimentum ad profitendum, non habet nouitiatum nullum.* num. 118.

43 *Nouitiatus ex vi vel metu habitus est validus.* num. 119.

44 *Casus aliqui in quibus nouitiatus est validus.* num. 120.

45 *Intrusi nouitiatus ratihabitione fit validus.* num. 120.

46 *Quid dicendum de eo qui emisit professionem non completo anno nouitiatus?* num. 121.

47 *Nouitius qui petijt, & obtinuit licentiam recedendi, sed non recessit, sed breui pœnituit non discontinuat nouitiatum.* num. 122.

48 *Quòd recessus à Conuentu sine licentia etiam retento habitu discontinuet nouitiatum fuit variè opinatum.* num. 123.

49 *Nouitiatus importat visibilem inchoationem religiosi status.* num. 124.

50 *Interior intentio non mutat nouitiatum.* num. 124.

51 *Nouitiatus interpellatur per visibilem recessum à statu Religionis.* num. 125.

52 *Recessus illicitus à claustro retento habitu non discontinuat nouitiatum, nisi in facie Ecclesiæ sit recessus à Religione.* num. 126.

53 *Recessus à Conuentu retento habitu non ideò discontinuat nouitiatum, quòd sit inobedientia.* num. 126.

54 *Recedens à Conuentu etiam retento habitu discontinuat nouitiatum, si constat eum recessisse à statu, & redijsse ad pristinam libertatem.* num. 127.

55 *Ex solo recessu à Conuentu, si retineatur habitus non discontinuatur nouitiatus.* num. 127.

56 *Nouitius exiens causa fornicandi non discontinuat nouitiatum.* num. 128.

57 *Nouitius exiens à Conuentu, vt declinet Magistri sæuitiam non interrumpit nouitiatum.* num. 129.

58 *Nouitius via appellationis fugiens ad superiores non discontinuat nouitiatum.* num. 130.

59 *Fugiens de vno Conuentu ad alium an discontinuet nouitiatum.* num. 131. & 132.

60 *Nouitiatus de licentia haberi potest in distinctis Conuentibus.* num. 131. & 132.

61 *Etiam designatis.* num. 132.

62 *Ex notabili mora extra Conuentum præsumi potest recessus à statu Religionis.* num. 133.

63 *Nouitius qui cum habitu vagatur extra claustra non est admittendus ad professionem.* num. 134.

64 *An discontinuet nouitiatum.* num. 134.

65 *Recessus à Conuentu discontinuat si sit ex manifesto animo mutandi statum.* num. 135.

66 *Aliud est exuere, & aliud dimittere habitum.* num. 136.

67 *Eiectus iniustè est restituendus ad continuandum nouitiatum.* num. 137.

68 *Dimissio habitus attentata non discontinuat nouitiatum.* num. 138.

69 *Nouitius qui se occultauit animo fugiendi non discontinuauit nouitiatum.* num. 139.

70 *Dimissio habitus consummata an interrumpat nouitiatum; diuersimodè fuit opinatum.* num. 140.

71 *Dimissio habitus simul cum exitu à Conuentu discontinuat nouitiatum.* num. 141.

72 *Dimissio habitus sine recessu non censetur consummata.* num. 141.

73 *Varij casus, in quibus dimissio habitus non discontinuat.* num. 141.

74 *Recessus indeliberatus non discontinuat.* num. 142.

75 *Breuis interpollatio discontinuat moraliter annum probationis.* num. 143.

76 *Eiectus post vnum vel alterum diem receptus tenetur ad nouum integrum nouitiatum.* num. 143.

77 *Quid agendum in praxi.* num. 144.

De continuitate Nouitiatus.

INSPECTIO V.

85. ANnum probationis debere esse continuum negauerunt. *Gloss. in cap. eum qui de reg. iurib. in 6. speculator tit de statu Monachor. §. 1. v. 37. n. 43. Bonif. in cap. Eos de regul. n. 47. Arch. in cap. non solum n. vnico, de regul. in 6. Alexand. cons. 54. nu. 2. & 19. Antonius Gomez de Bulla cruciata claus. 5. n. 7.* & quia in fauorabilibus vbi lex expresse non requirit annum continuum, sufficit annus interpollatus. Sed *Panorm. in cap. Ad Apostolicam n. 9. de Regular.* loquens de mendicantibus existimat annum probationis esse debere cõtinuum. Tum quia grauius est ducere abstinentiã per annum continuum, quam per interpollatum; igitur vbi annus fit interpollatus nouitius non experitur perfectè regulam. Item iura quæ faciunt mentionem de certo tempore debeat intelligi de tempore continuo, quia regulariter omne tempus est continuum vt notat *Gloss. in rubr. de diuer. & tēp. præscrip. sic per Bartol. in l. interdum. §. quoties. ff. de pub.* per illum textum, qui dicit quòd seruus dicitur nouitius, qui non stetit in vrbe per annum continuum. Sic si bannitus pro centum, ex statuto possit impunè offendi, non verificabitur hoc in Titio qui debebat vni quinquaginta, & alij quinquaginta, & alij triginta; nã quinquaginta, & quinquaginta, non sunt centum: vnde nec sex menses, & sex menses, sunt vnus annus. Idem verò absolutè de quocumq; Religioso voluit. *Fagnanus ad cap. insinuante n. 32. Qui Clerici, vel vouen.* vbi n. 35. refert sic decisum fuisse per S. Cong Concilij in causa cuiusdam Michaelis Angeli. Quinimo Procurat. Generali Minimor. quærenti an nouitius, qui vt ingrederetur aliam Religionem egressus fuerat à Conuentu, & per solas duas horas in alio Conuentu moram traxerat teneretur incipere nouum annum probationis: responsum est teneri eo die, quo redijt. Et ita quod annus probationis debeat esse continuus tenuerunt, & tenent *Mebar. d. cap. Ad Apostolicam. n. 7. Franch. cap. 1. n. 3. de Regul. in 6. Nauar. cons. 32. & 34. & 41. de Regul. Mirand. p. 1. q. 22. a. 4. & 5. resp. l. 2. c. 41. dub. 7. n. 59. Suárez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. Diana p. 5. tr. 5. resol. 19. Barbosa ad cap. 15. sess. 25. de Regul.*

& de

& de off. Episc. all. ibi *num.* 23. *Nauar. v. Nouitius num.* 6. *& ad cap.* 15. *com. Triden. Lezana v. professio num.*10. *& p.*1.*cap*,2.*num.Ciarlin.Controu.l.*1. *cap.*108. *num.*14. *Rota decis.*275. *num.*2.*par.*2.*recen. & in Burgen. nullitatis professionis coram Arguelles.* 16. *April.* 1649. *& in Mulcinaua nullitatis Profes. coram Melio*, & communissimè tam Theologi, quam Canonistæ, & Iuristæ, & iure merito, quia secundum communem vsum hoc nomen annus continuum decursum dictum 365. seu 12. mensium significat, & maximè id accipi debet in hac significatione in proposita materia, quia aliter nouitius non est in statu idoneo experiendi omnes asperitates, debet tamen esse in statu idoneo ad hoc vt possit illas experiri, quod nequit haberi sine continuitate anni. Et tandem quia & hoc petit fauor religionis, & publicum bonum exigens ne status religionis temerè assumatur, requirit, vt hic annus communi licet strictiori significatione accipiatur. Hoc autem communi asserto supposito, quod dicitur declaratum per Congregationem Concilij, difficultates plures explicandæ sunt, vt videatur quando, & per quos actus nouitiatus discontinuetur.

86. Quæritur autem primo an nouitiatus discontinuetur per exitum nouitij extra claustra de licentia superioris. Nam quod annus nouitiatus hac de licentia possit interrumpi, voluit Rota *part.*1.*recent.dec.*175.*num.*2. *in Granaten. professionis* 9. *Februar.* 1609. *coram Mortomeatio*, quia continuitas nouitiatus intra Claustra est de forma, & per existentiam illius extra non satisfit iuris dispositioni, quia potest esse vt tempore, quo manet nouitius extra Claustra occurrat aliqua asperitas, quã ipse vel nollet, vel non posset ferre. Et ideo hanc partem vt tutam sequitur Gratianus disceptatione 166, *num.* 16. *post Battal. in l.fin. §. quoties num.* 2. *ff. de public. & vectig. Lap. alleg.*46. *num.*2. *&*, ibi *mandos.ia ver.tempore Alex. cons.*34. *num.*1.*L.*5.*Soc. senens. cons.*118. *num.*6. *l.*4. *Iason. in l. admonendi in repet.num.*266. Verum oppositum senserunt *specul. de stat. Monach.* §.1. *num.*43.*quæst.*37. *Archid. ad cap. Non solum de regular. in* 6. *Nauar.cons.*37. *de regul.* vbi quod S. Cong. censuit valere professionem vt per eum adducta probant. Et idem tenuit. *Nauar.c.*8. *num.*3.*de Cleric.non resid. & comment.*4. *de Regular. super cap. statuimus. num.*15. *Diana p.*3. *tr.*2. *res.*84. *& p.*7.*tr.*11. *res.*38. *Azor.lib.*12. *cap.*2. *quæst.*8. *in fin. Sa v. religio num.*9. *Colon. l.*4.*contr.*3. *cap.*2.*num.*46. *&* 53. *Rodriq. tom.*3. *quæst.*15. *a.* 10. *Mirand.tom.*1. *quæst.*22. *a.*5. *Bordon. cap.*4. *quæst.*14. *Sanchez. lib.* 5. *in decal. cap.* 3. *num.* 25. *Bordon. num.*54.*n.*117. *Donatus par.*4. *tr.*1. *quæst.* 12. *& t.*3. *tr.*11. *quæst.*96. *Tambur. de iur. Abbatiss. dis.*18. *q.*6. *c.*4. *num.* 27. *Fagnan. ad cap. Insinuante, qui clerici vel voueu. num.*38. *Antan. à Spir.*5.*tr.*3.*disp.*2.*n.*75. *&* 91. *Barb. ad cap.*16. *num.*29. *sess.*25.*a.*7. Et probatur tum primo, quia sic declarauit S. Cong. Concilij vt adnotauit. *Nauar. & refert. Fagnan. d. cap. Insinuante num.* 25. Nam proposito dubio. An valeat professio eius, qui sexquimense anni nouitiatus tantum mansit in Monasterio, & residuo illius anni tempore de licentia, & mandato Prælati, sub eius obedientia stetit in quadam Curia agendo grauia sui Monasterij negotia, & in fine per Procuratorem professionem emisit: Responsum est valere. Tum secundo quia licet decretum sit Nouitium debere probari per annum, nullibi tamen statutum fuit Nouitium continuè per annum integrum debere manere intra Claustra, sed potius oppositum cautum fuit in d. cap. Insinuante

87. Tum tertio quia Monachus vbi vis degat de licentia Abbatis fingitur degere intra Claustra. *Panormit. in capitulo ex rescripto num.* 5. *de iure iuran. Syluest. ver. Religio* 3. *quæst.*19.*ver. secundo Nauar.com.*4.*de Regular. super caput statuimus* 19. *quæst.*3. *num.* 74. *& Consil.*3. *de Regul.num.*3. *Fagnan. d.cap. Insinuante num.* 39. Tum tertio quia negari non potest quin Superior Regularis possit subdito suo ad tempus concedere licentiam morandi extra claustra ex rationabili causa, vt ex *Panorm. cap. ex rescripto num.*5.*de iure iur. concludit Fagnan.* Quo stante vt *Nauar.* discurrit absurdum esset, vt nouitij exeuntes de licentia Superioris vel ad visitanda loca Sacra, vel ad visitandos parentes ægrotantes, vel ad testimonium ferendum, vel ex aliqua causa iusta, ex hoc annum probationis interrumperent: Item errarent Magni Magistri militum, qui nouitios milites, frequenter post duos, vel tres menses nouitiatus mittunt ad aliqua oppida defendenda, aut ad bellum contra infideles, vt ibi nouitiatum absoluant. Tum quinto, quia vt ponderant *Nauar. & Fagn.* citati nullibi est cautum, vt nouitius experiatur in specie omnes austeritates Religionis vnde sufficit si illas probet in genere, viuendo sub obedientia superioris. Sed & sæpe contingit, vt nouitij extra Monasterium degentes de mandato Prælati vitã ducant asperiorem, & duriorem, euntes, & redeuntes, laborantes, & malè comedentes, quã in Claustro in quo morantur sub vmbra. Tum sexto quia secundum decreta Clem.8. & Innoc.x. etiam Religiosi Conuersi tenentur ad annum probationis in Conuentibus deputatis, & tamen illi non possunt experiri præcipuas Religionis austeritates ad quas recipiuntur, nisi mittantur extra Claustra ad quæstum etiam extra vrbes, & vbi per multos dies commorari debent extra claustra, & non extra rem esse posset aliquando nouitios Clericos etiam in huiusmodi exercere. Et ideo præter citatos DD. hoc idem tenet *Bassus Religio* 3. *numer.*8.

88. Huiusmodi autem licentiam dare spectat ad Superiorem localem, nisi obstet particulare statutum Religionum, vt in Relig. Minor. obser. *Mirand. Tom* 1. *quæst.*22. *a.*5. *Rod.tom.*3. *quæst.*15. *a.* 8. Et apud Fratres Tertij Ordinis S. Francisci spectare ad Priorem refert *Bardon.* de professione *cap.*4. *quæst.*14. In Ord. Prædicator. Superiores locales extra casum imminentis necessitatis non possunt dare licentiam Fratribus suis extra terminos suorum Conuentuum seu extra dietam, vt habetur *dist.*2. *cap.*13. *text.*2. *lit. C.* Verumtamen etiam potest esse, quod licentia data à Superiori locali valida sit, etiam si ipse illam dare sit prohibitus, non enim omne prohibitum fieri, si fiat, est irritum.

89. Alias vero si licentia valida sit, etiam si sit irrationabilis sufficit vt nouitius non interrumpat nouitiatum, seu annum probationis. Quia nouitius qui ex licentia etiam non iusta exit ex Claustro, non deserit Religionem, neque ex pro-

pria

pria operatur voluntate, sed operatur vt subditus superiori, & licet superior peccet dando licentiā, ipse bona fide exiens non peccat. Sic si superior eximat nouitium sine causa à quocumque onere regulæ non interrumpitur nouitiatus. Alias verò illicita licentia adhuc est licentia vt habet. *Glos. ad cap. Si quæ Monacharum* 18. 27. *quæst.* 1. Vnde in proposito, quod exitus, & commoratio extra Conuentum de licentia Prælati licet illicita non interrumpat nouitiatum volunt, *Suarez. tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 14. num. 14. Diana p. 3. tr. 2. res. 84. Graff. l. 3. cap. 5. num. 18. Bordon. de profess. cap. 4. quæst. 14.* Qui pro contraria sententia referunt. *Nauar. cons. 32. de Regular.* vbi tamen *Nauar.* Vnum dicit, scilicet quòd existentia extra Conuentum ex iusta causa non interrumpit nouitiatum; sed an sufficiat licentia data non ex iusta causa non negat, quia de hoc puncto nō loquitur. Idem sensit etiam *Donatus tom. 3. tr. 11. quæst. 6. num. 4.* Ego autem puto, quod huius quæstionis resolutio pendeat ex sequenti. Inter causas autem iustas numerantur causa peregrinandi ad stationes, vel ad alia loca, visitandi parentes aut cognatos ægrotantes, mendicandi, vel recreandi, vel curandæ infirmitatis. *Tamburin. t. 3. disp. 6. quæst. 7. num. 16. Grat. discep. 166. num. 14. Rodriq. 3. q. l. q. 15. a. 8. Vecch. disp. 11. d. 3. num. 12. Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 29. & 30. Conc. Trid. de Regul.*

90. Quantum verò sit tempus per quod nouitius cum licentia Superioris potest esse extra Claustra sine interruptione Nouitiatus. *Azor. part. 1. l. 12. cap. 2. quæst. 8. in fin.* quem sequitur *Sanchez. lib. 5. cap. 4. num. 28.* Admittit nouitiatum valere etiam si habitum extra claustra per annum integrum. Sed hoc post decretum Clem. 8. & Innoc. x. locum habere non potest, sed necesse est, quòd habitus recipiatur in Conuentu deputato, & ideò non valeret professio eius, qui per totum annum esset extra Claustra. *Fagnan. ad cap. Insinuante num. 28. Qui Clerici, vel vouent. Bordon. d. cap. 3. quæst. 14.* Alij dicunt Nouitium sine interruptione nouitiatus posse de licentia manere extra Conuentum per duos, vel tres menses ad summum. *Ita Rodriq. 6. 2. tom. cap. 8. num. 4. & Coton, lib. 4. contr. 3. cap. 2. num. 56.* Vbi hoc probat ex decreto Clem. 8. de educat. Nouit. In quo iubet nouitios, in via spiritus exerceri, & præscribit illis aliqua opera hebdomadaria, & aliqua quotidiana. Quæ omnia licet non contineant præceptum rigorosum, & irritans nouitiatum aliter factum, interpretantur saltem prædictum decretum de permanentia physica in Monasterio, quæ sit dispositio proxima ad prædicta exercitia. Vnde solum per modicum abesse possunt ex interpretatione veterum Canonum, quod qui aliquantisper absunt non videntur abesse, quod Tridentinum sess. 23. c. 1. quoad residentiam Episcoporum interpretatur de absentia duorum, ac trium mensium. Et nihilominus idem *Coton.* arbitratur, quod si contingat nouitium de licentia abesse per tempus maius duobus, vel tribus mensibus, quod non sit necessarium, vt incipiat nouum nouitiatum, sed sufficiat quod suppleat tempus per quod defuit in Monasterio, quia duæ partes inter quas non mediat actus contrarius continuari possunt. *Tambur. tom. 3. disp. 6. quæst. 7. num. 6.* post Peyrinum non existimat tutum admittere nouitium huiusmodi ad professionem nisi absentia à Conuentu, & nouitiatu sit valde breuis scilicet dierum, non verò mensium.

91. Verùm contra hoc est, quod in casu de quo loquebatur. *Nauar. cons. 32. de Regular.* Nouitius ille solum per sesquimensē, seu per mensem & dimidium fuerat intra Claustra, & per reliquam partem anni mansit in Curia, tamen eius nouitiatus, & professio fuit declarata valida per S. Cong. Concilij, vt supra n. 88. & *Reuerendiss. Fagnanus*, qui fuit Secretarius vtriusque Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Concil. & scripsit post omnia decreta Clem. 8. & Innoc. x. in ea declaratione se fundat, & *d. cap. Insinuante n. 38.* docet, professionem valere nouitij, qui post moram alicuius temporis puta sesquimensis, aut duorum vel trium mensium, de licentia, & mandato Superioris exiuit, ac sub illius obedientia, ex rationabili causa residuum omnis temporis extra Monasterium mansit, & expleto anno professionem emisit. Nec quæ adducuntur à *Coton.* ex decreto Clem. 8. de institut. Nouitiorum oppositionem probare videntur. Datæ enim sunt illæ institutiones, & instructiones non tamquam necessariæ ad valorem nouitiatus, neque tamquam exequendæ nulla admissa exceptione, & limitatione, & ita vt ex iusta causa etiam intra nouitiatum non possint aliquando, & cum aliquo omitti, sed tamquam communiter regulariter obseruandæ, sicut & continuatio Physica per annum intra Claustra regulariter est necessaria tamquam de præcepto, licet non tamquam de forma, & de substantia nouitiatus; quia nullibi est statutum, quod nouitiatus sit irritus, si ex rationabili necessitate nouitius cogatur cum licentia sui Superioris extra reperiri, & viuere. Et ideo eadem ratione instatur contra id, quod dicit. *Bordon. d. quæst. 14.* Scilicet quod post decreta Clem. 8. ad valorem nouitiatus sit necesse quod tempus intraneum, scilicet quo nouitius manet intra Claustra excedat tempus extraneum. Et militat contra omnes similes modos dicendi hæc ratio. Nam quod per aliquod tempus maneat nouitius in Conu. est quidē de forma, quia est de forma vt nouitius nō recipiatur ad habitum nisi in Conuentu etiam deputato iuxta Clem. 8. & Innoc. x. vt ex dictis constat; sed quòd continuo per annum integrum maneat intra Claustra, vel est de forma, vel non est de forma; Si est de forma, ita quòd nec de licentia Superioris possit abesse, igitur per absētiam etiam duorum, mensiū vel vnius, imò hebdomadæ discontinuabitur nouitiatus, quod DD. præfati negant, quia omisso, quod est de forma alicuius actus, irritus est actus. Et sic si ex quo nouitiatus debet haberi in Conuentu deputato, & hoc est de forma, sic etiam est de forma continuatio existentiæ per annum integrum in eodem Conuentu, ita quod nec de licentia superiorum nouitius possit abesse, iam nec ad paucos dies, imo forsan nec ad diem, imò forsan nec ad horam nouitius poterit abesse etiam de licentia superioris, quia vt infra discutietur, secundum multos continuatio nouitiatus prout est de forma nō admittit paruitatem materiæ in interruptione, si verò huiusmodi continuatio non sit de forma, non est vnde DD. illi velint limitare absentiam

ac tem-

ad tempus determinatum, & paruum, vbi agimus non de bonitate morali, sed de valore nouitiatus; quia si continuatio non est de forma, quia possit de licentia materialiter discontinuari, nulla huiusmodi materialis discontinuatio siue per longum tempus, siue per paruum, siue per totum temporis residuum reddit irritum nouitiatum, quia non est contra eius formam, & substantiam.

29. Mihi in hac parte distinguendum videtur: nam vel loquimur in solis terminis antiquorum Canonum, Concilij Tridentini, & sic dicitur continuationem nouitiatus, & anni probationis intra Claustra non esse de substantia nouitiatus, vt tenet communior sententia, & probatum est n.88. *& sequent.* Et in his terminis loquuntur *Nauar. Fagunnus, & plures alij supra num.*88. *& 9*1. *citati*. Ideo ad valorem nouitiatus accidentaliter se habet quod licentia manendi extra claustra sit iusta, & rationabilis vel non, dummodo sit data ab habente facultatem, & sit in se valida. *Gratian disp.* 166. *num.* 16. *& Bald. in Authent. habita num.* 22. *col.*4. *C. ne fil. pro pat.* Quod enim licentia sit irrationabilis valde facit ad culpam concedentis, vel etiam nouitij extra claustra degentis, & qui si in hoc sit malæ fidei puniri debet, si non priuatione habitus, prorogatione nouitiatus, & professionis. Verùm cum huiusmodi exitus de licentia superioris non sit contra substantiam, & formam nouitiatus, non reddit illum irritum.

93. Loquendo autem in terminis Decretor. Clem.8. & Innoc.x. volentium nouitios ad annum probationis non recipi, nisi in Conuentibus deputatis res hæc Leanæ, *part.* 1. *cap.* 24. *num.* 22. *dubia visa est, & mihi apparet difficilis*. Primo autem videtur quód continuatio nouitiatus intra Clausta designata ex vi decretorum Clem.8. sit de substantia nouitiatus. Tum primo, quia esse de forma infrascripta suadent. Pontifices dum volunt nouitios non recipi nisi in Conuentibus designatis intelligunt quòd habitus in illis Conuentibus recipiatur cũ annuali perseuerantia: Nã quòd principaliter intendunt, est optima nouitiorum educatio, & quod annus probationis habeatur in Conuentibus vbi magis vigeat strictior obseruantia; igitur intendunt nedum quod nouitij recipiantur in Conuentibus designatis sed quód in illis probentur per annum probationis. Et confirmatur, Nam aliter lex de nouitiatu in Conuentibus designatis eludi posset de facili, si nouitius receptus ad habitum in Conuentu deputato, postea transmitteretur ad alium Conuentum, quod licet non fierat licitè, si fieret absque causa, fieret tamen validè. Secundo ad idem arguitur, quia Vrbanus 8. in Constitutione Religiosos viros, in qua concessit facultatem ratificandi professionem illis, qui non fuerant recepti in Conuentibus designatis, ex eo asseruit professiones eorum fuisse nullas, quód illi non habuerunt annum probationis in dictis Conuentibus deputatis. Hæc enim sunt verba illius. *Cum itaq; sicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & institutorum Regularium professores ad habitum regularem recepti, probationis annum in Monasterijs, seu Domibus Regularium ad id designatis, vel ab Apostolica sede approbatis minime fecerint, proindeq; iuxta Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ Octaui prædecessoris nostri desuper editam, professio per eos subinde emissa inualida existat &c.* Hic certe ideò professio dictorum Regularium dicitur nulla, quia illi annum probationis non fecerunt in Conuentibus designatis; igitur ex vi decretorum Clem. 8. de substantia anni probationis est, quod habeatur in Conuentibus designatis. Eadem autem verba & explicatio habentur in Breui dato ad fauorem Ord. Prædicatorum, per eumdem Vrbanum Octauum die 31. Ianuarij anno 1635. Et propterea Rota decis. 175. p. quæ data fuit post decreta, & mortem Clem.8. sub Paulo Quinto anno 1609. ex declarationibus S. Cong. Concilij sustinuit nouitiatum continuo habendum esse intra Claustra, & hoc esse de substantia validi nouitiatus. *Et Rotam sequutus fuit Grat. discep.* 166. *num.* 16. *& Tamburin. tom.*3. *disp.* 6. *quæst.* 7. *num.* 6. post Peyrinum non existimat tutum admittere huiusmodi nouitios ad professionem nisi absentia sit non mensium sed dierum, Et Nicolius *ad tit. de Regular. l.*15. *n.*34. *vers.* Limita primo, refert, quod Sacra Congregatio Religiosis vtriusq; sexus, aliquando concedere solet, vt nouitiatum iusta de causa interruptum continuare possint, licet sæpius reincipi mandet prout de iure.

94. Limitanda tamen est assertio ista multipliciter; & quidem primo vt locum non habeat in Conuersis seu laicis, quia isti cum recipiantur ad labores; & vel ad quæstus habendos, vel etiam ad procuranda bona immobilia conuentuum, & ad eorumdem negotia tractanda, licet educandi sint in Conuentibus deputatis non tamen necesse est, vt maneant intra domum nouitiorum neque quòd continuo viuant intra Claustra; quia imo debeant experiri labores, & officia ad quæ recipiuntur debent extra mitti ad ea munera obeunda, quæ sunt, illorum propria, & ad quæ sunt vocati, & recepti.

95. Secundo limitatur, vt existentia diurna extra Monasterium non vitiet nouitiatum, nec illum interrumpat. Non enim nouitiatus est carcer, Nec Religiosis est interdictum exire à Monasterio ob causas iustas, vnde & licet nouitijs exire etiam ad videndos consanguineos, maximè si sint infirmi, & etiam ad honestas recreationes etiam ad campum, vt Religiosorum praxis confirmat. Et ratio est, quia vnusquisq; in eo loco viuere, & degere dicitur vbi manducat, & pernoctat, licet ad sua negotia peragenda extra domum mane, & vespere conuersetur. Et sic cum vnusquisq; censeatur esse Parochianus Ecclesiæ intra cuius fines habitat, & viuit, seu habet domicilium, intra fines illius Parochiæ censetur viuere, & habere domicilium vbi pernoctat, & mensam habet propriam, licet de die ad inseruiendum huic, vel illi, vel ad officium aliquod peragendum extra maneat. Propterea *Bordon. Resolut.*53. *num.*170. ait, quòd licet iuxta decreta Clem.8. de instruc. Nouit. Nouitij intra nouitiatum sint instruendi, & edocendi, si tamen contingeret, quòd nouitius mitteretur ad scholas extra Conuentum, ita tamen vt ad Conuentum rediret, & in Conuentu esset tempore chori, nouitiatus non vitiaretur, quia nouitius de licentia esset extra Conuentum, & sine præiudicio experimenti austeritatum Ordinis, & earum occupationum ad quæ ex regula tenetur &

& quia

& quis huiusmodi existentia extra Claustrum stat cum eo, quod nouitius dicatur in proprietate sermonis viuere, & degere, & commorari, & probari intra Monasterium.

96. Limitatur tertio, vt in hac parte admitti debeat paruitas materiæ, & ita quod detur aliqua parua interruptio, quæ pro nihilo sit iudicanda, & quæ licet physicè interrumpat, non tamen moraliter, & ciuiliter. *Bord. resol. 54. num. 110. & sequent.* arbitratur, quòd manens extra nouitiatum ad quærendas eleemosynas, ad peregrinandum, ad recuperandam sanitatem, ad negotium tractandum, ad inuisendum parentes, non discontinuet probationem. Decreta enim & leges rationabiles recipiunt interpretationes, neque intendunt damnare DD. opiniones, nisi expresse illas reprobent. Et addit non interrumpi nouitiatum quando occasione alicuius Capituli, nouitij mittuntur ad aliũ locum licet non deputatum: si enim non discontinuatur nouitiatus manendo extra apud seculares, multo minus discontinuatur manendo in alio Conuentu. Et ait ista procedere etiam si licentia non sit ita legitima, sed aliquo modo illicita, idest non necessaria ex conditione causæ. Addit verò num. 113. quod deputatio loci ex decreto Clem. 8. de per se non spectatur, sed in ordine ad effectum validæ professionis, ideo forma hæc inducta à Clem. 8. potest per æquipollens suppleri, quia forma potest suppleri per æquipollens, quando lex inducit formam consideratione effectus. *Barbosa Axiom. 100. num. 5.* In præsenti verò licentia Superioris est æquipollens formæ huic habendi nouitiatum in loco designato. Sic ergo concludit quòd absentia trium aut quatuor mensium non irritat nouitiatum, quando huiusmodi tempus est omnino necessarium ad hoc vt nouitius tractet suum negotium, recuperet sanitatem &c. *In tract. autem de profess. cap. 4. quæst. 14.* Sentit quod tempus intraneum, quo scilicet nouitius maneat in loco designato debeat excedere tempus extraneum. Verum ista inter se minimè conueniunt. Nam non subsistit in facto, quod designatio loci nouitiatus sit facta proximæ consideratione professionis, quia immediatè, & per se facta est intuitu optimæ educationis nouitiorum in disciplina regulari; propter quod voluit Clemen. 8. vt Nouitij educarentur in Conuentibus obseruantiæ strictioris, quos designauit, & ita quòd noluit eos educari in alijs Conuentibus à se non designatis. at verò euidens est, quod ad effectum optimæ educationis Nouitiorum, non æquipollent manere extra locum designatum de licentia, & manere in Conuentu designato, cum imò Pontifex nolit haberi pro æquiualenti manere in alio Conuentu non designato. Non ergo est vnde hic habeatur recursus ad regulam de supplendo per æquiualentiam, cum Pontifex velit educationem in loco designato per exclusionem cuiuscumque alterius loci. Vnde apparet manifeste contra decretum Clemen. 8. esse asserere, quod Capitulum possit transferre nouitios de Conuentu deputato, ad non deputatum, cum ipse expresse nolit Nouitios probari in Conuentibus non deputatis. Et propterea sequitur etiam quod absentia quatuor vel trium mensium irritat nouitiatum, quia nec æquipollet educationi intra Conuentum designatum, & Pontifex hanc æquipollentiam excludit, & alias absentia per menses non est quid minimum quod pro nihilo sit reputandum. Et quod dicebatur quod leges non intendunt damnare DD. opiniones, parum valet, Nam leges aliquid de nouo statuentes, nihil præiudicant antiquis DD. oppinionibus, qui voluerunt licere quod tunc non erat prohibitum, & quod per nouam legem prohibetur. Sed bene nouæ leges refrenant libertatem DD. ne post leges latas scribant licere, quod per legem prohibetur. Et ita in præsenti per decreta Clemen. 8 & Inoc. X. nec reprehenduntur DD. qui ante talia decreta, vel etiam post dixerunt & dicunt nouitiatum de licentia superioris posse in parte haberi extra Claustra, vbi decreta illa non se extendunt scilicet extra Italiam, & Insulas adiacentes; sed benè prohibent ne contra illorum tenorem quis opinari velit. Non ergo admitti debet, quod si continuatio nouitiatus intra Claustra sit de forma, sit valida absentia per menses ex paruitate materiæ, quia talis absentia non est res parua: debere tamen admitti paruitatem materiæ inde suadetur, quod leges positiuæ inducentes nullitatem actuum sunt humanæ, & propterea iuxta regulas communes interpretandæ, Leges vero admittunt in humanis negotijs parum pro nihilo computari. Sic enim absentia paucorum dierum de licentia, quid minimum est, quòd nullam notabilem variationem potest facere in ordine ad annualem nouitij educationem, vnde & est verisimile quod Pontifex directè, & primo non prohibeat, nisi quòd nouitij non recipiantur ad habitum in alijs Conuentibus, & licet hoc faciat intuitu probationis habendæ in Conuentibus designatis, iam satisfit illius legi, & mente si nouitius in Conuentu designato receptus ad habitum non permittitur abesse in notabile præiudicium probationis habendæ in dicto Conuentu. Propter quam rationem. *Lezana par. 1. cap. 24. num. 11.* dubius manet, nec omnino excludit posse haberi nouitiatum in parte extra Conuentus designatos, sed dato quòd de hoc non deberet esse dubium, rationabile tamen est, vt hoc non intelligatur in tanto rigore, vt non admittat paruitatem materiæ; quia lex debet intelligi de anno moraliter continuo.

97. Limitatur quarto in casu necessitatis, quia necessitas non habet legem. Nam v.g. si Nouitius omnino moriturus esset, nisi exiret à loco designato ego numquam crediderim mentem Pontificis fuisse, quòd nouitius egredi non posset, quia imò tunc ex lege naturali egredi teneretur; vel quòd Pontifex vellet, quod de nouo ex integro annum probationis inciperet, postquam per 8. vel decem menses in probatione stetisset. Sed vere necessitas non habet legem. *cap. licet, de ferijs, cap. 5. in fine de consuetud. cap. Exijt, colum. 4. & in fin. de verb. signif.* Et ideo casus necessitatis non subduntur legi de anno probationis continuo habendo in loco designato *Donatus tom. 2. par. 4. tract. 9. q. 11. num. 14.* Erit autem casus necessitatis, quotiescunque ex aliquo præcepto legis naturalis aut diuinæ nouitius cogitur ad tempus exire de Monasterio. Lex enim humana non intendit ferre præiudicium legi naturali, aut diuinæ, quia nec potest id facere.

98. Limitatur quinto in casu accidentalis im-

possibilitatis occurrentis, vt si nouitij ex aliqua causa rationabili exictius eodem die reuersuri, & id præstare non possint vel à temporis inclementia impediti, vel per vim detenti, vt quia fuerint facti captiui. *Bardoa. cap.4. quæst.45. Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. num.75.*

99. Limitatur sexo si contingat nouitium de mandato Sedis Apostolicæ vel S. Congregationis detineri extra claustra pro eius voluntate exploranda Nicolius ad tit. *de Regular. num.24. vers. limita 3.*

100. Quantum verò ad moniales, eas non interrumpere nouitiatum, si de licentia maneant extra Claustra voluerunt. *Sanchez. lib. 5. cap. 4. num.28. Peliz. de Monial. cap. 2. num. 49. Donatus tom.3. tr.11. quæst.6.* Nam S.Congregationem declarasse admittendam esse ad professionem nouitiam, quæ de licentia exioit à Monasterio causa infirmitatis referunt. *Suarez. tom. 4. lib. 3. cap. 8. num. 16. & Tambur. de iure Abbatiss. disp. 18. q.6. num.4. Pertel. v. Noattia, Donatus tom. 5. part. 4. tract. 9. quæst. 15. Barbòsa in sum. v. Nouitius num. 10. tract. 11. q. 6.* Nam etiam nouitiæ non subduntur legibus clausuræ, nec decretis Clem.8. de habendo nouitiatu in loco designato. Sed nouitiam exeuntem à Monasterio etiam de licentia teneri ad nouum nouitiatum voluit. *Rodriq. tom.3. quæst.15. a.40.* Et Nicolius v. Nouitius n. 39. hæc habet. Infirma morbo contumaci remittitur curandi domum 1593. Neapoli 14. Decemb. 19. Mart 1597. 4. Augus. Eo pacto, vt reuersa reincipiat nouitiatum à capite 1605. Venetia 14. Decem. 1534. Trani 15. Settem. 1645. 10. Febr 1647. 12. April. Absque tamen cæremonijs ad euitandas expensas 1624. Neapoli 16. Nouem. Et infra n.41. Subdit quòd Nouitia causa infirmitatis egressa cum licentia S. Congregationis non potest amplius recipi in idem, vel aliud Monasterium absq; noua, & expressa licentia eiusdem S.Cong.1604. Neapoli 9. Mart. Videri autem poterit alicui, quòd in hac parte sibi inuicem sint contrariæ declarationes S. Congr. Concilij, & S.Cong. Regularium, sed non ita est. Nam licet Nicolius, sicut & alij DD. plures referant declarationes Sacræ Congregationis Regularium per modum legis vniuersalis, tamen non ita est, sed sæpe sunt resolutiones adaptatæ casibus particularibus non tam ex necessitate alicuius legis positiuæ, quam ex lege prudentiæ, & rationabilis gubernationis. In præsenti ergo materia aliud est quòd ex vi Concil. Trid. & Decretorum Clem. 8 non interrumpatur necessario nouitiatus per exitum Monialis Nouitiæ à Claustro causa infirmitatis, & de licentia Superioris. Et hoc est verum, & est id, quod declarauit S. Cong. Concilij cuius est decernere ea, quæ iuris sunt. Aliud est, an sit necesse nouitiam sic egressam ad professionem admittere post annum ac si non interrupisset nouitiatum. Et hoc non est necessarium, præcipue respectu supremi Principis, qui in casibus particularibus potest propria authoritate decernere ex sua prudentia, quid sit melius, & potest nolle concedere licentiam exeundi nisi sub conditione noui nouitiatus. Et hoc est quod facit S. Cong. Regularium, quæ licentiam exeundi monialibus aliquando, & sæpe non dat nisi sub conditione noui nouitiatus, non quia exitus à Claustro ca iusta causa, & de licentia discontinuet nouitiatum per se loquendo, sed quia in particulari casu consideratis circumstantijs non vult concedere licentiam nisi sub conditione noui nouitiatus; Aliquando vero etiam non conditionatam licentiam concedit, vt fatetur idem Nicolius ad tit. *de Regul. num.34. §. limita primo*, & admittit egressum à Claustro causa infirmitatis de licentia non interrumpere nouitiatum. Sic ergo ex huiusmodi declarationibus non potest, nec debet colligi, quod per se interrumpatur nouitiatus, & quod ex vi Concilij Tridentini, aut Decreti Clemen. 8. & Innoc. x. si contingat nouitium exire de Claustro, causa infirmitatis, & de licentia, teneatur ad nouum integrum nouitiatum. Sed quod ad hunc integrum nouitiatum tenetur si Sacra Congregatio ex causis sibi bene visis ita disponat, sicut prudentia dictat esse disponendum. Et sic nouus nouitiatus in hoc casu est necessarius non ex vi legis vniuersalis alicuius, seu ex vi Concil. Trid. aut decretorum Clem. 8. Sed ex speciali dispositione S. Cong. Regularium.

101. Verum altera ex parte, si mentem Clem.8. attendere velimus, & decretorum eius verba considerare, dicendum videtur per huiusmodi decreta nihil innouari circa continuitatem physicam anni probationis intra claustra, & hoc solum de nouo induci, quod cum antea nouitiatus, qui perit per se haberi intra claustra, sed poterat haberi in quocumq; conuentu, modo ex vi dictorum decretorum haberi non potest nisi intra claustra Conuentus designati. Cæterum sicut tunc, sic & post dicta decreta, continuitas existentiæ physicæ intra claustra est de præcepto, non verò est de substantia nouitiatus, & hoc est de mente illorum DD. ex ijs quos supra retuli, qui tenent absentiam nouitij à Claustro de licentia Superioris non interrumpere nouitiatum, & tamen post decreta Clem.8. scripserunt. Itaque quod nouitiatus habendus sit per annum integrum in habitu Religioso intra claustra est de præcepto ex iure antiquissimo, vt patet *cap. Gensal. 17. quæst. 2. cap. super eo, cap. ad Apostolicam, cap. Statuimus, de Regularibus, cap. Is qui, & cap. Non solum, eod. tit. in 6. Clem. eos eas, tit. & Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regular. & in Superioribus est probatum.* Et præcipuè quòd nouitiatus habendus sit intra Claustra est ex antiqua institutione Religionum, vt patet ex Regulis S. Benedicti, & aliorum Sanctorum, qui Regulares Ordines instituerunt, vt videre est apud Hugonem Medardum in concordia Regularum *cap. 65.* Et hoc natura ipsa nouitiatus requirit, Tum quia cum Religiosi habitent intra Claustra, nec recipiendus in Religiosum optime potest mores, & austeritates Religionum, experiri, nec econtra Religio moras recipiendi nisi simul commorentur, & ideo nisi recipiendus cum Regularibus intra claustra viuat. Tum quia cum inter alias Religionis austeritates non sit parua obligatio ad Clausuram intra Claustra, natura ipsa probationis petit, vt probandus intra Claustra recipiatur, & claustralem vitam experiatur; ideò, quod nouitiatus habendus esset intra Claustra fuit de præcepto seu mandato cuiuscumq; regulæ Religiosorum, approbato per anti-

antiquos Pontificorum Canones, & ab initio Ecclesiæ nascentis, & Cœnobiticæ conuersationis obseruatum. Et ideò Pontificum Canones non hoc expressè præceperunt,& tanquam rem nouam obseruandam statuerunt, sed vt connaturalem Cœnobitico Religiosorum statui suppofuerunt, & approbarunt.

102. Pariter quod probatio duret per annum antiquissimi iuris est, vt patet ex *cap. Gonsaldus* 17. q.2. Verum est quod, & hoc antiquitus erat quidem de præcepto, sed non erat de substantia præmittendus Religioni. Primus Alex.4. induxit annum probationis de substantia respectu tamen mendicantium vt patet *cap. non solum, de Regul. in* 6. Et voluit, quod professio facta infra annum probationis non obligaret ad Religionem in specie. Concilium postea Tridentinum *sess.25. cap. 15. de Regular.* voluit annalem hanc probationem esse vniuersaliter de substantia professionis,& ita quod professio infra annum facta ita sit nulla, vt nec obliget ad Religionem in genere, & voluit Concilium vt hic annus inciperet à receptione habitus, & ex consequenti ab existentia intra claustra, & quidem cum annali perseuerantia, & ita vt hic annus integer esset, & continuus. In hoc enim sensu Concilium intellexerunt DD. & in praxi seruarunt, & seruant Religiones omnes. Et nihilominus vt fert communior DD. sententia à Sacra Cong. Concilij approbata, & practicata existentia illa continua per annum intra claustra si sumatur physicè non est de substantia professionis, sed sufficit existentia formalis, quia nimirum sufficit, quod nouitius non sit extra claustra sine licentia superioris, vnde existens extra claustra de licentia superioris censetur fictione iuris esse intra claustra, quia Religiosus censetur intra claustra, quando viuit sub obedientia Superioris sui. Et sic continuatio per annum intra claustra si sumatur physicè fuit quidem de præcepto dispensabili per Superiores, sed non fuit de substantia professionis, sed sufficiens fuit quod nouitius per annum viueret sub obedientia Prælatorum, seu quòd à statu obedientiæ non recederet.

103. Modò Clemens Octauus non induxit de nouo, quod nouitius reciperetur ad habitum intra claustra, & quod intra claustra maneret per annum,quia non induxit de nouo annum probationis, seu annalem nouitiatum vt habendum intra claustra, neque circa substantiam continuati nouitiatus aliquid innouauit. Sed hoc de nouo induxit, quod cum antea liceret habere nouitiatum intra claustra cuiuscumque Conuentus, modo in Italia, & Insulis adiacentibus non potest haberi nisi in conuentibus deputatis. Et sic circa continuitatem nouitiatus nihil est innouatum, nec est magis de substantia quam antea fuisset, sed sicut prius ita nunc sufficit continuatio moralis existentiæ formalis intra claustra designati conuentus & sicut prius existentiæ physicæ continuatio erat quidem de præcepto dispensabili per superiores, sed non erat de substantia professionis ita nunc ex vi decretor. Clemen. 8. continuatio existentiæ physicæ in conuentu designato est de præcepto dispensabili per superiores, sed non est de substantia, nam de substantia sufficit existentiæ huius formalis continuatio, & moralis.

104. Ad primum eorum quæ in oppositum adducta sunt supra num. 93. dicitur quòd aliud quid est finis intentus à Clem. 8. & aliud est medium intentum, & sub nullitatis professionis pœna præceptum;finis legis huius est optima educatio nouitiorum. Sed hunc eundem finem habuit Concil.Trident. & antiqui Pontifices,& sancti Religiosum institutores. Sed hic finis non cadit sub præcepto legis per modum medij exequendi, sed per modum finis obtinendi. Sed medium de nouo assumptum tanquam de forma est quòd receptio ad habitum, & probationis annus talis qualis de iure communi est habendus, modo non habeatur nisi in Conuentibus deputatis, & sic de nouo inducitur materialis determinatio antiqui iuris, & quòd annus probationis continuus continuitate necessaria ex iure antiquo habeatur nunc in Conuentibus designatis.

105. Et ad confirmationem dicitur nullum imminere periculum, vt eludatur lex Clemen. 8. quia continuitas existentiæ physicæ in Conuentu nouitiatus est de præcepto ex iure antiquo, quod præceptum non nisi ex iusta causa est dispensabile, & ita quòd si superior abutatur facultate in dispensando,puniendus sit; sicut de facto puniretur, si vellet ea facultate abuti. Cæterum huius abusus non sunt exempla nisi forsan valdè rara, sed regulariter nouitij vsq; ad professionem educantur,& existunt physicè intra claustra Conuentuum,quæ illis deputata sunt pro nouitiatu, & de facto non contingit, quod inter centum mille nouitius vni concedatur egredi, & viuere per tempus notabile extra claustra. Vnde non fuit necesse innouare aliquid circa continuitatem physicā existentiæ in nouitiatu, & maximè inducendo illam de substantia nouitiatus, sed satis fuit instituere vt nouitij ad annum probationis non recipiantur nisi in Conuentibus designatis. Hoc enim posito, iam Pontifex certus erat de continuitate nouitiatus in illis conuentibus, quantum opus est ad bonam nouitiorum educationem; & eo magis quod hæc continuatio ab eo in Constitut. de initit. Nouit. speciali iure fuit ordinata. Quod amplius confirmatur, quia, licet de rarò contingere possit necessitas grauis, & iusta causa dandi licentiam nouitio exeundi à claustro, prudentia exigebat vt continuatio ista physica non induceretur de substantia professionis, sed solum de præcepto dispensabili; quia nimis durum, & insuportabile fuisset, quod nouitius necessitate vrgente vel omnino relinquere debuisset Religionem, vel cogeretur nouum annum probationis subire, vel aut (etiam sæpius contra conscientiam) succumbere necessitati, & ab illa opprimi, ne Religionem desereret, aut onus noui nouitiatus subire deberet:propterea Pontifex noluit inducere continuitatem physicam in conuentu nouitiatus tanquam de forma, & substantia, sed satis sibi fuit statuere quòd nouitij ad probationem non reciperentur nisi in Connentibus designatis.

106. Ad secundum dicitur non haberi contrarium ex citatis constit Vrban.8. Quia in casu illarum constitutionum nouitij integrum annum probationis habuerant extra conuentus deputatos vnde non fuit tunc declarata nulla eorum professio, quia interpollatim physicè nouitiatum in

Conuentibus designatis, seu quia non continuauerint existentiam physicam intra claustra designata, sed quia ex integro nouitiatum in Conuentibus non designatis habuerunt, & sic integrum annum probationis contra Clem. 8. decreta fecerunt. Itaq; quid Clem. 8. voluit esse de substantia nouitiatus? Hoc voluit nimirum quod in omni eo casu in quo lex de habendo nouitiatu intra claustra non suscipit validam dispensationem, nouitiatus habeatur intra claustra designata. Huic verò legi ex directo contradicit, qui nulla existente causa, & dispensatione, non partem, sed totum nouitiatum debet extra claustra, & ideo professio eius, est nulla.

107. Sed in contrarium noua se offert instantia. Quia si hæc vera sunt potest dari casus, in quo nouitiatus sit validus, etiam si nouitius recipiatur ad habitum in Conuentu non designato, sed post tempus ad illum transmittatur, vt quia de iure antiquo hoc erat licitum, & quia si semel verum est, quod lex Clem. 8. intelligatur de existentia in claustro morali, nouitius fictione iuris censebitur esse in Conuentu designato, & ibi recipere habitum etiam si physicè illum in alio Conuentu, imò in domo propria recipiat. Imò sequitur posse dari casum, in quo nouitius totum annum probationis habeat extra Conuentum designatum, & quidem validè si id fiat de licentia Superioris, quia ex hoc censebitur habere annum probationis in Conuentu designato. Quod si dicatur nullum ex his casibus sequi posse, quia de substantia est, quod nouitius incipiat nouitiatum in Conuentu designato. Contra nam huc dicitur inconsequenter, quia iam admittitur, quod Clemens Octauus nihil innouauerit circa existentiam physicam in Conuentu designato. Et sic habetur quod Clem. 8. loquitur de existentia physica, & cum loquatur de receptione ad annum probationis, ipse loquitur de habendo existentiam physicam in Conuentu designato in anno probationis, qui cum debeat esse continuus, iam de mente illius est, quod nouitius toto anno physicè existat intra Claustra designata.

108. Sed multipliciter soluitur hæc instantia: dicitur enim primo, quod nullus ex illis casibus sequi potest. Et instantia supponit quod inchoatio nouitiatus intra claustra non sit de substantia etiā ex vi Concil. Trid. cuius oppositum ex sententia communi supra est probatum. Et quo supposito nouitius nedum validè non profitetur si integrum nouitiatum fecit extra claustra sed etiam si illud non inchoauit primo intra claustra. Respondetur secundo, & dato non concesso, quod ex vi Concilij Tridentini non esset de substantia inchoare quam primum nouitiatum intra claustra, & quod quantum ad hoc decreta Clem. 8. inducant ius nouum, quod certum est inducere, si id prius non erat, quia decernunt quòd nouitius non recipiatur ad habitum, seu probationem extra Conuentus designatos, dum infertur, ergo etiam statuunt ius nouum circa continuationem, negatur consequentia, quia longe diuersa est ratio de inchoatione nouitiatus, & de continuatione illius & à diuersis non valet illatio, & Pontifex sic intendit annum probationis haberi integrum intra claustra, quod tamen de substantia non induxit, nisi quod receptio sit intra claustra, relicta continuatione dispositioni iuris naturalis, Canonici, illam iniungentis de præcepto dispensabili.

109. Sic ergo disputata quæstione ad vtramq; partē quia S. Con. Conc. nedum in declaratione supra *num. 66. recensita* (de qua mihi non constat an fuerit data post decreta Clemen. 8.) sed de anno 1617. tempore Pauli Quinti post Clementum Octauum declarauit, quod nouitijs de Superiorum licentia cum habitu extra monasteria egredientibus, non interrumpitur annus nouitiatus prout referunt. *Nauar. in Lucerna Regularium v. Nouitius num. 7. Barbosa in sum. v.* Nouitius *nu. 17.* Cuius declarationis aut similis, ex *Gonzalez, Mendoz, & Vasconzel. meminit Grat. discept. 166. n. 14.* Vnum de duobus mihi videtur dicendum, vel quòd assertio posita n. 93. intelligenda est cum limitationibus positis in numeris sequentibus, vel quod Clemen. 8. quantum ad continuationem nouitiatus intra claustra, non innouauit, nec induxit illam de forma, sed reliquit eam dispositioni iuris illam præcipientis per legem ex iuxta causa dispensabilem. Et hæc sententia mihi videtur verior.

110. Neque vero hinc sequitur, quod nouitius receptus in Conuentu designato possit postea mitti vt compleat nouitiatum in Conuentu non designato; sed solum sequitur, quod in ijs casibus particularibus, & ex causa particulari contingentibus, in quibus posset de licentia mitti nouitius ad domum secularem, possit etiam mitti ad Conuentum non designatum. Quod si superior in arbitranda causa iusta erret ex dolo, & mala fide, seuerè est puniendus. Et si etiam nouitius est in mala fide, & ille puniendus est considerata qualitate delicti, ita vt etiam ad reincipiendum de nouo nouitiatum, vel etiam ad redeundum ad seculum puniri possit. Cæterum cum Clemen. 8. eodem modo decernat de nouitiatu habendo in Conuentibus designatis per Conuersos, ac per Clericos, & tamen Conuersis licet egredi extra claustra de licentia, nec videri possit prohibitum mittere etiam Nouitios Clericos ad quæstam; quia & hæc est vna de asperitatibus Religionis, quæ potest committi Clericis, eo magis confirmatur, quod continuatio physica intra claustra non est adeo necessaria, quin possint nouitij de licentia egredi.

111. Quæritur secundo an & quomodo manente nouitio in Monasterio seu domo nouitiorum in habitu nouitiorum possit nouitiatus discontinuari: Circa quod primo dubium est an infirmitas discontinuet annum probationis, cum nouitius infirmus non possit experiri austeritates ordinis, maximè si per multos menses, vel per totum annum infirmus iaceat lecto in die 31. Decem. 1656. *Bordon. de profess. cap. 4. quæst. 40.* Arbitratur, quòd si Carthusianus, vel Minimus per totum annum ægrotet, ita quod sit necesse eum vesci carnibus, quod non peragat legitimum nouitiatum, nec possit validè profiteri. Bordonum autem sequitur. *Coton. lib. 4. contr. 3. cap. 2. nu. 50.* Quæstio autem procedit de infirmitate, quæ non reddat inhabilem ad profitendum Religionem, seu quæstio procedit per se quantum ad hunc effectum, quod est discontinuare, vel reddere nullū nouitiatum,

uitiatum, quidquid sit postea an ex infirmitate sit inhabilis ad statum Religiosum, & ideo non sit admittendus ad professionem. Et ita communis sententia est, quod infirmitas nouitij nec discontinuat, nec irritat nouitiatum, nec impedit, quin finito anno, si alias sit habilis non possit admitti ad professionem, quasi necessarius illi sit nouus annus probationis. Ratio est, quia non est necesse, vt nouitius in singulari experiatur omnes ordinis asperitates, sed sufficit si ad instar aliorum Religiosorum iuxta regulam viuat, & si non potest viuere vt sanus, experiatur Religionem infirmus. Nam & imò non magis, aut melius experiri quis potest quid sit status Religiosus, & quam aspee, quam in infirmitate; & alias, religio mores infirmi ex modo viuendi in infirmitate potest sufficienter probare. Et ita hoc tenent. *Nauar. lib.3. Consil. de regul. cap.32. num.5. Rodriq. qq. reg. t.3. quæst. 15. a. 10. Suarez tom. 3. de relig. l.5. cap. 14. num. 15. Sanchez lib. 5. mor. cap. 4. num. 52. Peyr. in P.R. quæst. 3. cap. 1. num. 66. Donatus p. 4. tract. 9. quæst. 9. Antsn. à Spir. S. tract. 3. disp. 2. num. 68. Tambur. tom. 3. disp. 6. quæst. 3. num. 25.* & alij communiter.

112. Dubium verò est secundo, si nouitius nedum post susceptum habitum incidat in infirmitatem, sed in amentiam, vnde per aliquod tempus maneat vsu rationis priuatus interrumpat nouitiatum. Nam cum non sit mentis corruptos, non potest humano & morali modo experiri austeritatis Religionis. Supponit dubium amentem esse inhabilem vt recipiatur ad habitum, & ad professionem, vt habetur, *ex cap. sicut tenor 18. de regular. ibi. Nisi postquam mentis suæ factus compos spontanea voluntate professionem fecit monachalem*, sed dubitatur solum an si amentia interueniat habitu suscepto per aliquod tempus discontinuet annum nouitiatus. In quo conueniunt DD. quod si amentia sit accidentalis ex aliqua alia infirmitate proueniens, & breuiter ex cōsequenti durans, vt accidit in phrenesi ex aliqua magna febri interueniente, tunc amentia non interrumpit nouitiatum. Hoc enim patet ex communi praxi religionum, quæ rationabilis est, quia talis phrenesis tunc non habet in nouitio causam stabilem, & durabilem, sed est accidens infirmitatis, & quæ transit ad 8. vel 15. dies, vnde idem est ac si eo tempore laboraret morbo lethargi, & dormiret infirmus.

113. Sed si amentia proueniat ex causis proprijs, aliqui existimant quod si duret ad mensem, quod discontinuet nouitiatum, non tamen omnino, sed illud suspendat ita quòd mensis ille sit supplendus. *Ita enim tenet Sanchez lib. 5. mor. cap. 4. num. 55. Barbosa ad cap. sicut num. 4. de regular.* Quia prout docent *Syluester 1. religios. q.1. Armilla 16. num. 1. Tabien. q. 4.* Furia sic impedit experimentum religionis, sicut impubertas, si igitur per tantum temporis nouitius sit amens, vt pro nihilo non sit computandum, interrumpitur probatio, & experimentum, & ex consequenti annus probationis. Secundo cum in pubere non sufficiat ad nouitiatum legalem habendum quod malitia suppleat ætatem, multo magis contra probationem religionis erit amentia, quæ vsum rationis aufert. *Bordon. de profess. cap. 4. q. 39.* amentiam per mensem *ius per duos. resol. 4. 27. habet pro modica, & quidquid dixerit Bonac. q. 2. de clausf. par. 10. diff. 2. §. 1. num. 2.* Putat dies amentiæ non esse supplendos, sed quòd sufficiat ratum habere pro tempore amentiæ *Et Antsn. à Spir. S. tract. 3. disp. 2. num. 7.* quod dementia per annum vel alterum mensum durans non interrumpit probationem, nec est necesse supplere illud tempus, quia status religiosus non cessat sine voluntate cessandi, quæ hic non est nec in amente, nec in superiore. *Palaus tract. 16. disp. 1. par. 12. §. 2. num. 9.* amentiam per mensem iudicat non interrumpere nec suspendere nouitiatum, & ita illum mensem non esse supplendum, sed alij putant non discontinuari nouitiatum, nisi amentia duret per maiorem anni partem, ita vt alte tempus infirmus numquam patiatur lucis internalla, seu numquam sit Iuris sui. Et ita tenet *Donatus par. 4. tract. 9. quæst.* 10. referens pro eadem sententia. *Barbosam in cap. ad Apostolicam de Regular. num. 5. Sayr. decis. 22. de regul. Ricc. in praxi decis. 110. in p. edit. & Hieron. Rodriq. in compend. resol. 101. num. 42.* Hęc verò opinio monitur ex eo, quod *cap. Sicut tenor 11. de regul.* non requirit nisi quod nouitius non sit amens tempore professionis, vt patet ex supradictis verbis dicti cap. Ex quibus habetur, quod ad hoc vt furiosus possit profiteri, sufficit quòd eo tempore sit sanæ mentis, quod si fuit etiam sanæ mentis tempore suscepti habitus, non est cur negetur nouitiatum esse validum. Tum quia ex eo quod nouitius non steterit sanus, non debet duplici contritione conteri, cum non adsit lex quæ decernat hoc tempus infirmitatis non esse in anno nouitiatus computandum.

114. Sed si vim rationum huius secundæ opinionis expendamus, apparebit eas probare, quod amentia accidens in anno nouitiatus non discontinuat annū probationis quantumcumq; duret, & quod ille qui sanę mentis suscepit habitū, & postea incidit in amentiā duret per etiamsi maiorem partem anni si postea sanetur, & vere sanetur, possit admitti ad professionem. Primo enim ex natura conuentionis quæ fit in assumptione status Religiosi annus probationis non est necessarius, sed bene vt probat D.T. in hac quæ s. a. 5. est necessarius vsus rationis in assumente. Ideò non est eadem ratio de impubere, & de amente: Nam impubes non habet vsum rationis sufficiens vt possit assumere statum Religiosum, quia neque est capax sciendi quid sit id, quod relinquit, & quo se priuat. Et quod dicitur non posse impuberem incipere validè nouitiatum etiam si malitia suppleat ætatem, hoc est lege positiua prohibitum quoniam certum est quod non est prohibitum ex naturali lege assumendi habitum Religiosum, & mutandi statum, quia ad hoc sufficit quod homo sit liber, & habeat vsum rationis plenum, vt plenè sciat quid sit quòd relinquit, & quod assumit, ideò impubes, quia non habet hunc rationis vsum non potest valide assumere statum Religiosum, & nouitiatum inchoare, sed qui post susceptum habitum incidit in amentiam, & est sanæ mentis tempore professionis habet totum id, quod petit natura assumptionis status Religiosi quod verò præcesserit nouitiatus hoc non est necessarium nisi ex præcepto legis positiuæ, quæ si absolutè non

præ

præcipit vt nouitius tempore nouitiatus sit sanus, sed imò præcipiens annum nouitiatus per quem nouitius in habitu ordinis in Monasterio maneat sub obedientia Religionis, & casum amentiæ, quæ contingere potest considerans, solum exigit quod amentia defuerit tēpore professionis; & si nos maiora requirimus, sine fundamento legis loquimur. Nec obstat, quod finis legis instituentis nouitiatum sit experimētum mutuum nouitij & religionis, ne temerè nouitius admittatur ad professionem, quia aliud est finis legis aliud est quòd à lege præcipitur ad consequendum finem, & in proposito id quod lex præcipit est, quòd nouitius per annum in habitu Religioso maneat in Monasterio sub obedientia Religionis, quia per hoc est in statu idoneo de se ad mutuum experimentum, quod lex intendit. Sed quòd nouitius actu hoc, vel illud experiatur, lex non decernit, sicut nec decernit quòd debeat esse sanus, sed bene quod si non sit habilis ad professionem non admittatur; ideò siue nouitius sit infirmus, siue sit sanus, & siue experiatur omnes austeritates Religionis, siue multas, siue paucas, hoc sub lege non cadit, quia hoc lex non præcipit, imò casum amentiæ considerans illum non excipit, sed solum requirit vt amens durante amentia non admittatur ad professionem; alia igitur ratio hic considerari debet ad veritatem habendam. Dicitur igitur quòd de essentia probationis humanæ est vsus rationis, & quod leges petentes annū probationis petunt humanam probationem durantem per annum; Et sic licet leges non exigant absolutè, quod nouitius in hoc anno non sit infirmus, exigunt tamen quòd non sit fatuus, quia fatuitas repugnat humanæ probationi, & sic ad quæstionem dico, quòd fatuitas adueniens nouitio discontinuat nouitiatum. Discontinuat; quia tempus amentiæ non est computandum, quia non est tempus probationis, cum sine vsu rationis experimentum rationale haberi non possit: si tamen absentia sit breuis tempus illius habendum erit pro nullo. Sed rarius erit, quod fatuitas sit ex propria causa nimirum ob cerebri offensionem, & sit breuis. Sed si annus probationis debeat esse physicè integer vt exactè quàmplures volunt, nec breuis morula amentiæ computanda erit, quia illa morula non est tempus nec pars anni probationis, & ea dempta probatio non erit trecentenum sexaginta quinque dierum integrorum physicè. Nec valet dicere, quòd etiam somnus priuat vsu rationis, & tamen non discontinuat nouitiatum, sed eius tempus computatur in anno, quia somnus est de necessarijs ad vitam, & liberè eligitur, & quantum ad durationem etiam aliquo modo per rationem dirigitur, & sic tempus somni sub anno probationis computatur. Sed fatuitas constituit hominem extra statum vsus rationis, & extra statum hominis, vnde fatuus non est in statu probandi. Et si dicatur, quòd fatuus manet in statu vsus rationis, & probationis quia fatuitas est morbus curabilis, & sicut phrænesis non eripit hominem ex statu humano, quia non est affectio stabilis, ita nec dementia, si sit curabilis; respondetur, quòd iam si hoc verum est, dementia non repugnabit probationi etiam si duret per 8. vel decem menses, quia dementia sic durans, non est morbus incurabilis, cum curatus desiceerit. Dico igitur hæc moraliter esse sumenda, & definienda, & quod licet fatuitas per se repugnet probationi si tamen duret per horas, vel paucos dies, tempus illud est computandum in anno probationis, ac si nouitius fuisset sui compos, si nimirum fatuitas duret ad modum phrænesis, vel similis morbi ex febri causata. Sed non credo quod si duret per menses, imò per mensem non discontinuet nouitiatum, quia integritati probationis nimis hoc repugnat vt ex infra dicendis magis apparebit. Nihilominus dico secundo, quod fatuitas superueniens nouitio non discontinuat moraliter, & quod tempora interpollata censenda sunt continua, non computato tempore amentiæ, nisi fuerit breua modo exposito; & hoc satis probatur ex *d. cap. Sicut tenor*; Et quia amentia est morbus inuoluntarius, & lex nouitiatus non obligat ad sanitatem, vnde non est verisimile, quòd Concilium voluerit, quòd miser nouitius inuoluntariè æger, cogatur ex integro nouitiatum incipere toties quoties sibi infirmitas acciderit. Et ideo ad minus hoc concedendum est, quod tempus amentiæ non sit quidem computandum, sed tamen sufficiat supplere illud. *Tambur. tract. 3. disp. 6. q. 3. num. 2.* Sed hic summè considerari debet, quod non est credenda de facili sanitas ab amentia, quæ non sit accidentalis, & consequens infirmitatem sanabilem, sed veniat ex propria causa, quia amentia semel incæpta præsumitur durare, nisi contrarium probetur. *Panorm. cap. Cum inter Canonicos num. 7. de elect. & cap. fin. num. 19. de success. ab intest.* Et quando dementia vel furor non est accidentalis, sed per essentiam talis, ex proprio cerebri morbo, non verò ex febri prouenienseſt morbus talis, vt sicut ex Castrensi adnotauit Paulus Zachias in quæstionibus Medico legalibus *lib. 5. tit. 1. q. 23.* Qui semel insanire cœpit, vix vnquam ad sanam mentem redeat. Ideo si contingat nouitium incidere in amentiam nec sanari in breui tempore, sed per maiorem anni partem aut per plures menses durare in infirmitate, censeo non admittendum esse ad professionem etiam si sanus videatur; vel certe si circumstantiæ petant eum non statim eijciendum, credo debere probari, per tantum imò maius tempus, quam sit illud, in quo dementia laborauit, quia morbus dementiæ est talis, vt vix ab eo aliquis sanetur.

115. In hoc ergo conuenio, in quo omnes video conuenire, nimirum, quòd dato etiam, quòd amentia superueniens nouitiatui tectè incœpto discontinuaret annum probationis, non sit necessarium, vt incipiatur nouus annus probationis, sed sufficiat post annum supplere tempus amentiæ, quia pro tempore amentiæ non cessauit omnino nouitiatus, sed dormiuit, quod probant à simili, quia præscriptio contra Ecclesiam dormit dum Ecclesia vacat Prælato, & præscriptio incœpta contra defunctum cui pupillus succedit, dormit suspensa durante pupillari ætate *l. sicut. C. de præscrip. 30. annor.* Sic enim & annus nouitiatus nouitio amente, & non valente experiri nouitiatum, non est vndequaq; interruptus, sed durat dormiens, ac suspensus, vnde per amentiam non tam discontinuatur annus probationis, quam suspenditur. Et licet Tabien. dicat nouitiatum incipien-

cipiendum amentia deficiente, loquitur in casu amentiæ antecedentis simpliciter nouitiatum, non verò de amentia, quæ contingit nouitio iam existente in Religione sed nihilominus adde, quòd vbi dementia propria superueniat nouitio optimum remedium, & regulariter necessarium est, vt nouitius remittatur ad sua, quoniam semel fatuus vix vnquam sanitatem recuperat.

116. Tertio dubium esse potest de eo qui tempore nouitiatus mutat animum profitendi suo tempore, sine etiam ficto animo ingreditur Religionem cum animo non profitendi, sed finito anno mutat propositum, & intendis profiteri, an in isto casu nouitiatus vel discontinuetur, vel nec legitimè inceperit. Nam ingredientem ficto animo Religionem non posse in conscientia computare in anno nouitiatus illud tempus, per quod ficto animo vixit in religione sustinet probabiliter. *Suarez. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 5. num. 15. & tenet Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 37. num. 56.* Quia ad hoc vt aliquis dici possit nouitius alicuius Religionis necesse est vt habeat animum permanendi in ea Religione, & profitendi suo tempore. Nihilominus num. 16. probabiliter etiam tenet oppositum, quia prior sententia duriuscula est, & exposita grauibus difficultatibus. *Bordonus quoque capitulo quarto quæstione sexta*, tenet quod ad hoc vt nouitiatus sit legitimus necesse sit vt peragatur de Intentione, & consensu Religionis, & nouitij. Quia nouitiatus est actus humanus, & humano modo peragendum est. Tum quia actua agentium non operatur vltra eorum Intentionem. Sed idem *Bordon. quæst. 16.* hanc suam rationem soluit, & benè, quia nimirum actus agentium non operatur vltra Intentionem in ijs in quibus actus dependet ab intentione, modo experimentum ab intentione non pendet, & est actus cognoscitiuarum virium. Et ideo fictio nouitiatum non irritat, vt ibi idem *Bord. n.* probat, & idem docet *Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. disp. 2. num. 57. & 100.* Quia in hoc casu habetur mutua probatio, quæ est id, quod intenditur per annum nouitiatus, & ita cessat omnia ratio repetendi annum probationis sicut etiam matrimonium ex impedimento occulto non est iterandum præsente Parocho, quia de eo satis cōstat in facie Ecclesiæ, ita & de anno probationis satis constat, vnde sufficit auferre occultum impedimentū mutando propositum. Peccat tamen qui sic ficto animo nouitiatum assumit, vel in eo perseuerat.

117. Vt verum fatear non video occasionem validam dubitandi in hoc puncto, & censeo fictionem animi nihil præiudicare validitati nouitiatus, seu anno probationis. Ducor quia distingui hic debet quid esset necessarium ex natura assumptionis status Religiosi ab eo, quòd est necessarium de lege positiua superaddita. Nouitiatus enim non est necessarius ex natura assumptionis status Religiosi, sed nisi lex positiua obstaret in ipsa habitus susceptione posset aliquis profiteri. Lex vero positiua præcipiens nouitiatum non præcipit intentionem, quæ est actus internus, & quæ de se nec est necessaria ad probationem, & mutuum experimentum, quod lex intendit ne temerè assumatur status Religiosus. Et longe alia est ratio de matrimonio & de nouitiatu, quia internus consensus est de essentia matrimonij, sed interior consensus in Religione non est de essentia aut substantia probationis, quæ consistit in materiali experimento asperitatum Religionis, & morum nouitij, quod experimentum in nihilo dependet à nouitij intentione, vel etiam ab intentione Religionis ex cuius etiam parte posset esse fictio, & animus non admittendi nouitium ad professionem dum nouitium recipit. Et quod dicitur, quod existentia nouitij in Monasterio sine animo profitendi non potest dici nouitiatus formaliter, non habet efficaciam suadendi. Tum primo quia hoc negari potest; quia experimentum Religionis per se ex natura rei ordinatur vt medium vtile ad Religionem profitendam, & ex natura rei est quoddam initium Religiosi status, quod sufficit ad hoc vt possit dici nouitiatus. Tum secundo quia nec lex præcipit nouitiatum in hac metaphysica formalitate sumptum, sed quatenus nouitiatus est probatio physica Religionis, & morum nouitij, lex enim positiua Ecclesiastica non præcipit actus internos, qui non sunt necessarij ad valorem actus externi, qui solus directè cadit sub præcepto talis legis, modo actus externus quem præcipit lex nouitiatus est externa, & sensibilis existentia nouitij in habitu Religionis, & in Monasterio seu sub obedientia Superiorum Religionis, ad cuius valorem non pertinet interior intentio aut consensus nouitij cum tam ipsi mores Religionis, quam Religio mores illius probet, eo, vel Religione consentiente in professionem futuram, vel dissentiente, Ideo in hac parte non video vnde possit oriri fundatum dubium, sed censeo quòd ex quocumq; animo quis susceperit habitum Religionis, si exterius seruauit id quod Ecclesia præcipit pro anno nouitiatus quòd nouitius securè, & sine formidine possit expleto anno validè profiteri, si tunc in professionem consentiat: etenim omnis illa intentio professionis, quæ dici possit de substantia probationis est intrinseca voluntario experimento. Nam ad summum de substantia experimenti, & nouitiatus non est nisi Intentio professionis conditionata, si in fine nouitiatus nouitio placuerit profiteri, & sic ad nouitiatum sufficit, quod nouitius intendat experiri Religionem vt sic sit habilis ad hoc, vt ex notitia experimentali possit Religionem suo tempore vltimatè eligere. Hanc verò intentionem habet etiam qui ficto animo Religionem ingreditur, cum animo etiam pro nunc determinato non profitendi, quia cum hoc stat voluntas experimenti, & libertas & habilitas mutandi animum. Et licet voluntas non profitendi videatur absoluta, verè tamen est conditionata, hac conditione, nisi in termino nouitiatus aliter vltimatè voluero habito iam experimento Religionis. Ideò nec bona fides ingredientis est de substantia nouitiatus de qua bona fide vide infra. *dub. 4. num. 32.*

118. Ex dictis tamen aliud dubium solui potest, an scilicet admissus ad habitum cum occulto impedimento ad profitendum si durante nouitiatu cesset impedimentum, an sit validus nouitiatus, an verò sit repetendus. Dicendum est enim impedimenta obstare professioni non nouitiatui; vnde est quod etiam si impedimentum esset manifestum, sed non perpetuum sed spes esset pro-

babilis

habilis vt cessaret breui posset recipi nouitius ad habitum sub conditione, quod impedimentum cessaret. Ideo ea occulto impedimento non redditur irritus nouitiatus. Et semper distingui debet quid sit necessarium ex natura professionis, vel etiam ea lege prohibente admitti ad professionem aliquem, & quid sit necessarium ex noua lege, quæ annum probationis continuum decreuit, & quæ præcipit annum probationis, & cui satisfit si nouitius statum probationis assumat, & in eo per annum continuum duret. Quod verò in hoc habeat impedimentum repugnans professioni hoc non tollit statum probationis, nec mutuam probationem sed repugnat professioni, ideo cessante illo poterit Religiosus profiteri si alia requisita habeat, quia legi nouitiatus satisfecit. Et ideò hanc partem tenet. *Anton. a. Spir. S. tract. 3. disp. 2. num. 79.*

119. Colligitur quoque valere nouitiatum illius, qui habitum suscipit, vel in habitu suscepto vsque ad finem anni nouitiatus durat ex dolo, & metu aut vi, & quòd hic potest validè profiteri, si postea non dolo, aut metu, & vi, sed ex libera sua voluntate profiteatur. *Ita ex Sanchez. lib. 7. de mat. disp. 37. num. 51.* colligunt aliqui, & docuit *Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. disputat. 2. num. 88. Portel. v. nouitius num. 52. Tambur. tract. 3. disput. 6. quæst. 11. num. 14.* Sed ex principijs iam probatis est indubitatum, quoniam aliud est professio, & aliud nouitiatus qui est via ad terminum, neque quod est contrarium termino, est contrarium viæ de cuius essentia non est termini assecutio. Licet verò vis & metus repugnent professioni, non repugnant tamen nouitiatui, cui sufficit, quod nouitius ea quacunque voluntate etiam coacta sit per annum sub habitu Religionis, & obedientia Superioris in statu experiendi tam actiuè, quam passiuè Religionem; quoniam hoc est id, quod præcipit lex nouitiatus.

120. Item quòd, scilicet, nouitiatus sit validus affirmant. *Tambur. tract. 3. disput. 6. q. 11. num. 14. & d. Anton. à Spir. Sanct. d. tract. 3. disput. 2. num. 80. & sequen.* In his casibus, scilicet, quando nouitius est admissus à non habente potestatem. Secundo quando professio fuit nulla ea defectu ætatis. Tertio quando professio facta est non completo anno nouitiatus. Quarto si nouitius erat inhabilis, & fuit dispensatus. Omnes hos casus ponit. *Portel. v. nouitius num. 52.* Præter quartum. Ex his verò casibus secundus est verus, sed in eo non interpollatur nouitiatus, & quartus coincidit cum casu posito num. 108. quia inhabilis est impeditus.

121. Sed primum casum non admittit, *Bordon. de profess. cap. 4. quæst. 20. & tract. 2. resol. 54. num. 219.* Distinguitur verò à seipso, quia *d. quæst. 6.* dixit nouitiatum hunc posse ab eo, ad quem spectat ratificari, sed vult quod valor illius incipiat à die ratificationis. Quod & voluit. *Peyr. de Præl. quæst. 3. cap. 1. num. 23.* Quia vt nouitiatus sit legitimus debet incipere à legitima habitus receptione, per *Rosell. v. nouitius. num. 25. Rodriq. tract. 3. quæst. 17. num. 2. à S. Fausto lib. 5. quæst. 239. num. 1.* sed *resolut. 54.* vult *Bordon.* Quod ratihabitio possit retrotrahi ad diem receptionis habitus, quia experimenti valor non pendet ab his extrinsecis, nec nouitius fit melior, vel peior. Verum ego credo, quod Concilium Tridentinum. *sess. 25. cap. 5.* asserens nouitiatum incipere à die receptionis habitus intelligendum sit de legitima habitus receptione, quam legitimam non potest facere spes vel possibilitas futuræ ratihabitionis. Nec valet dicere quod huiusmodi extrinseca non faciunt ad experimenti valorem, quia multum facit ad moralem valorem experimenti, quod habeatur consentiente, & acceptante illo cum quo est ineundus contractus, vnde, & de partium consensu experimentum haberi debet, & haberi ita iubet. Nihilominus licet hæc vera sint, tamen ratificatio retroacta facere potest, vt ab initio censeatur legitimus actus, qui tunc non fuit legitimus. Effectus enim morales per retrotractionem consequuntur, ac si actus ab initio validus esset aut inualidus. Ideo non iudicarem nullum nouitiatum intrusi, si Superior ratum illum habuerit. Quod maximè verum est, si habitus receptus fuit sub spe ratihabitionis de præsenti. Pariter explicari debet alter casus, eius scilicet, quando professio facta est non completo anno nouitiatus. Hoc enim est expresse contra Concilium, quod valeat professio, quam non præcessit annus integer nouitiatus, quod tunc annus probationis debet compleri quidem, sed non est necesse nouum nouitiatum inchoare, sed sufficit post completum annum professionem prius nulliter factam ratam habere, quia nouitius mansit in Religione sub obedientia sine discontinuitate per totum tempus integram, licet ante præfessionem emiserit; si tamen nouitius emissa professione ante completum annum probationis in Conuentu designato ab eo exierit, non poterit annum nouitiatus complere in alio Conuentu.

122. Quarto dubium est, de nouitio, qui petijt, & obtinuit licentiam recedendi; sed interim habitu non dimisso dum expectat consanguineos, qui illum conducant ad domum, manet in nouitiatu eodem, & altero die, nocte vero sequenti pœnitet, & remanere desiderat, & petit. In hoc enim casu dubium est an discontinuetur nouitiatus, & respondetur non discontinuari, quia non censetur factum, quod parum durat, sicut non censetur natus, qui via natus obijt *cap. Nam. de verb. signif.* Maximè quando actus habet tractum successiuum; in præsenti casu vero nouitius stetit de facto in probatione, quia stetit in nouitiatu, & quidem cum habitu, & sub disciplina Magistri, & solum animo, & proposito recessit, animus verò, & propositum tam parum durauit, vt pro nihilo sit habendum, maximè cum fuerit propositum imprudens, & rationabiliter mutandum; *Bordon. resol. 54. num. 56.* addens hoc verificari etiam si pro interim nouitius illo die extra nouitiatum mansisset cum professis; quia adhuc stetit in Religione, & probatione, quæ non dependet ab illa parte Monasterij quæ dicitur nouitiatus. Et amplius hoc extendit etiam si nouitius habitum dimisisset, quia non ideo exiuit à Monasterio, & probatione, de cuius ratione non est, vt nouitius die noctuq; semper gestet habitum religiosum. Verum quidem est, quòd est necessarius nouus consensus, quia cum ex parte vtriusq; animus, & consensus fuerit mutatus, non solum est

necesse

necesse quòd nouitius pœniteat, & non recedat, sed quòd Conuentus pœnitentiam nouitij approbet sed approbare dicitur, si nouitium non excludit.

123. Cum igitur nouitio manente in nouitiatu in habitu Religioso nouitiatus non discontinuetur, & sic iam constet hunc annum non posse discontinuari nisi per dimissionem habitus vel recessum à Monasterio, hoc remanet inquirendum qualiter, & quando ex habitus dimissione, vel ex recessu à Conuentu interpolletur annus probationis. Quæritur vero tertio an ex solo recessu à Conuentu habitu minimè dimisso discontinuari possit annus probationis. Et quia de recessu à Conuentu de licentia Superioris plura supra dicta sunt. Dubium remanet de recessu à Conuentu sine licentia habitu retento, an discontinuet annum probationis, & illum irritum reddat, teneaturq; nouitius nouum annum inchoare. Affirmant enim aliqui discontinuari probationis annum, si nouitius à Conuentu fugiat etiam habitu retento, & imo etiam animo redeundi, & etiam si regulam obseruet, quia talis iugum obedientiæ fregit manens extra Religionem. Et pro hac sententia *Sanchez. lib.5. mor. cap.4. num.83. refert. Syluest. v. Religio quæst.4. & Rosellam v. nouitius num.09*, Quam ipse explicat, & sequitur vt intelligatur de fuga propriè dicta, quia bene potest Religio deseri animo redeundi. Et hanc sententiam sequitur. *Donatus part.4. tract.9. q 8. num.6. Peyrinus autem in P. R. q.3. cap.1. num.100.* aliquid addit, & limitat per hæc verba, modo talis fuga reputaretur, volens ex hoc, quod fuga debeat esse reputata vt fuga. *Suarez autem tom.3. de Relig. l. 5. cap.14. num.14. quem sequitur Palaus tract. 16. disp. 1. p. 12. §. 2. num. 7.* ait non videri verisimile per omnem exitum extra septa Monasterij retento habitu, & cum animo reuertendi interrumpi nouitiatum, etiam si fiat indebitè, & sine licentia Prælati, quia hoc nullo iure cauetur. Ideo tunc solum nouitius dicitur formaliter seu omnino claustrum dimittere cum recedit animo non redeundi, seu quod perinde est, vt recedat non solum sine licentia, sed & se ponat per exitum extra obedientiam Prælati, nam tunc eo ipso desinet esse nouitius. *Faguan. quoq. ad cap. Insinuauit num. 38. qui Clerici vel vouentes* existimat, quod recessus à Conuentu per tres vel quatuor dies discontinuet nouitiatũ. Ratio est quia *in cap.1. de Regular. in 6.* dicitur quòd nouitius debet manere in probatione per totum sequentem annum; At vero nouitius, qui per aliquos dies absque licentia Prælati in sæculo moratus est non dicitur stetisse in probatione per totum annum, seu per annum continuum. Lapus autem citatus à *Sanchez* dixit interrumpi nouitiatum, per quatuor horas. *Nauar. cons. 32. de Regular.* dixit discontinuari per tres aut quatuor dies sine licentia. *Sorbus v. nouitius, §. 2.* ait interrumpi per tres dies. *Bonac. q. 0. de claus. par. 10. diff. §. 2.* per duos, vel tres dies. Sed quod modicum tempus non discontinuet annum probationis sensit *Truncus ad cap.1. num.7. de Regul. in 6. & Specul. de stat. Monachor. §.1. vers. 37.* Dari etiam in hoc paruitatem materiæ, & ita quod etiam si recessus è Conuentu sit fuga nihilominus recessus per duos, vel tres dies non discontinuet nouitiatum, *tenet Bordon. d. quæst.11.* & apud eum *Les. Nauar. Lerich. & Naldus.* quia parum pro nihilo reputatur. Et qui aliquantisper abest, non videtur abfuisse per doctrinam Sanctorum Canonum vt habetur in Concil. Trid *sess. 20. cap.1. de reform.* & tempus continuari dicitur, licet quis absit per aliquot dies, vt probat *Graff. par.1. lib.0. cap.97.* Et tempus quatuor dierum in iure reputatur modicum l. & si post ff. si quis caut. Sic ergo in hac parte verba Canonum, & Concil. Trident. intelligenda sunt ciuili modo, & moraliter *l. penult. ff. ad exhiben.* Nam & breui reuersurus non censetur recessisse *l. præsens. ff. de Procur. l.3. ff. de diuort. & cap. 25. dist. 1. de pœnit.* Et verba intelligenda sunt ex regula æquitatis *Gloss. in cap. si verba 2. 23. q.1.* æquitas verò non patitur, vt si v.g. Nouitius prope finem anni recedat per duos, vel 3. dies, incipiat de nouo nouitiatum; & hoc posset illum retardare, & mouere ne reuerteretur, sed maneret in seculo. Nec nouitius non experitur sufficienter austeritates Religionis, quod per modicum recedit à Claustro. Hoc idem sensit *Coton. lib. 4. contr. 3. cap. 2. n.47.* Si saltem nouitius redeat eadem die, & si tempus quo abfuit ei non computetur, & cum Lessius *l. 2. cap.4. d.7. num. 59. apud Dianam par. 5. tract. 5. resol.19.* Idem affirmet, si nouitius redeat post aliquos dies, hoc nimis largum iudicat ipse *Coton. sed Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. disp. 0. num. 57.* Putat non interrumpi nouitiatum si nouitius retento habitu discessit, & rediit post duos dies, vel aliquas horas: quia solus animus non perseuerandi non discontinuat nouitiatum, & alias retentio habitus est quædam continuatio Nouitiatus.

124. Sed ad quæstionis solutionẽ mihi videtur præmittendum, quod sicut status Religionis, vt supra q. 183. *antic. primo D. Th.* docuit importat immobilitatem in ijs, quæ perfectionis sunt vt visibilem, & ad forum Ecclesiæ interiora non iudicantis pertinentem, ita & nouitiatus importat inchoationem visibilem status Religionis & annus probationis eiusq; continuitas visibilis esse debet, & Ecclesiæ iurisdictioni subiecta, & ab ea vt per externa sensibila cognoscente dijudicanda, & cognoscenda. Vnde pro principio constanti, & manifesto haberi debet quod nulla interior interpollatio, & discontinuitas, si exterius iudicio Ecclesiæ non appareat, discontinuat annum nouitiatus vel eum irritat, quia nec iudicio Ecclesiæ subijciuntur actus interni, nisi quatenus exterius appareant in actibus externis tamquam causæ in proprijs effectibus, vel tamquam significata per externa sensibilia. Ideo parum refert, quod nouitius interius habeat vel non habeat animum redeundi, vel non redeundi, seu deserendi Religionem, vel non deserendi, seu recedendi à statu Religionis inchoato, vel non recedendi, sed quia interior mutatio si exterius nihil mutet, non potest discontinuare sensibiliter annum probationis, nec illum irritare in facie Ecclesiæ, ex consequenti neque in foro interno, & in conscientia, cum hæc anni continuitas sit necessaria in foro interno, & in conscientia solum ea lege Ecclesiastica quæ actus mere internos non respicit, nec præcipit.

125. Ideo secundo haberi debet pro regula certa per illud externum discontinuari annum probationis, quod pensatis pensandis in facie Ecclesiæ est mutatio status, & est recessus ab inchoato statu Religionis, ad pristinum statum seculi ex ex quo ad nouitiatum, qui est inchoatio status religiosi venerat, vel ad statum à statu illius Religionis, cuius erat nouitius, diuersum. Et sic si nouitius ita se habet ad extra, vt extrinsecus censeri debeat eum recedere à statu Religionis, quem inchoauit per nouitiatum, etiam si intus ipse hoc non intendat, sed velit redire ad claustrum, à quo recessit, & se subijcere omni pœnæ sibi ex recessu à Prælatis imponēdę sicut cōuenit religioso, vel nouitio extāti, & sub obediētia viuēti: Quia nihilominus Ecclesia nō iudicat internū, & externum quod videtur est recessus à statu nouitiatus, ideo talis recessus discontinuat nouitiatum. Et è contra si externa actio nouitij in facie Ecclesiæ non est mutatio de statu ad statum, etiam si nouitius millies intendat recedere, nouitiatum nō discontinuat, quia exterius à statu nouitiatus non recedit. Et sic licet ad interpollationem nouitiatus requiratur internus eius consensus, ad hoc vt censeatur nouitiatus discontinuari necesse est & sufficit quod externa actio nouiti; exterius censeatur voluntarius recessus à statu nouitiatus, quidquid sit de interna voluntate nouitij. Sic enim, & in materia excommunicationis, si exterior actio v. g. percussio clerici non est talis exterius, vt censeatur percussio grauis, & peccatum mortale, percutiens non est excōmunicatus, etiam si ex mortali odio percusserit; Et è contra si percussio exterius omnibus pensatis est grauis, & iniuriosa manet percutiēs in facie Ecclesiæ excōmunicatus, etiā si ex animi leuitate, & non suadente diabolo percusserit. His verò premissis.

126. Dicitur recessum nouitij à Conuentu, retento habitu, & maxime seruatis alijs regulis ordinis, etiam si sit illicitus, & sine licentia, & contra obedientiam, & animo non redeundi, seu etiam animo redeundi omnino ad seculum non discontinuare nouitiatum, nisi sit talis vt ex diuturnitate temporis in redeundo, vel ex aliqua alia circumstantia Ecclesiæ appareat illum à statu nouitiatus, & Religionis recessisse, & non sufficit quod appareat desiderium recedendi, sed quod recesserit, quia voluntas recedendi non est recessus, & desiderium male agendi non subiacet pœnæ in foro externo solis male agentibus infligendæ. Ratio huius asserti est. Quia nouitium recedentem à Conuentu discontinuare nouitiatum potest colligi; vel quia actu est inobediens, & obedientiæ iugum contemnit, & dum est extra claustra non experitur austeritates religiosas, quæ pro illo solo tempore vigēt, quo nouitius manet extra claustra, & certe non experitur continuitatem viuendi in claustro, quæ est asperitas quædam præcipua; vel quia recedit à statu nouitiorum, & ab obligatione obediendi se eximat, & ad pristinam redeat libertatem. Primam ex his causis esse inualidam docent communiter DD. & præcipuè *Suarez cap. illo 14. & 15. & Sanchez capitulo quarto* pluries asserentibus ad nouitiatus substantiam non pertinere, quod nouitius actu experiatur austeritates omnes ordinis, quod idem docent omnes illi, qui vt supra vidimus sentiunt nouitiatum posse haberi extra claustra de licentia Prælati sicuti, & concedunt DD. inobedientiam nouitij non discontinuare nouitiatum. Et aliud est nouitium mereri vt tanquam inobediens eijciatur, quod contingere potest vel ex graui, vel ex repetita sæpius inobedientia, & aliud est nouitium inobedientem non manere nouitium, hoc enim secundum est falsum, & tanquam falsum communi sententia habitum. Et in statu obediendi est, qui si errat, non renuit, vel renuere non vult pœnam inobedientibus conuenientem. Et imo hoc quoq; ad probationem pertinet, vt nouitius experiatur asperitatem pœnarum, quæ inobedientibus dātur. Quare quantumcumq; nouitius sit inobediens, non desinit esse in probatione, vt bene loco citato tradit *Suarez*, & approbant *Doctores* infra citandi. Ac propterea recessus nouitij à Conuentu sine licentia non ex hoc discontinuat nouitiatum, quod sit inobediens, vel quia ex hoc nouitius non experiatur omnes Religionis asperitates. Nam & nouitius qui sine licentia manet à choro, & comedit carnes in cella, & alia huiusmodi contra regulam agit, est inobediens; & non experitur asperitates Religionis, nec per hoc desinit esse nouitius, & in nostro casu nouitius regulam in multis obseruat, & ad minus habitum Religiosum defert.

127. Secunda vero causa, si adesset probaret discontinuitatem nouitiatus, qui non consistit in actuali obedientia, sed in statu obedientiæ, nimirū in deputatione, & obligatione sui ad experimentū obedientiæ secundum regulam; ideo nouitius qui exuit obligationem obediendi secundum regulam à statu nouitiorum recedit, & nouitiatum discontinuat. Sed ex recessu nouitij à monasterio retento habitu, non potest colligi quod nouitius statum mutet, & exuat obligatione obediendi, & subijciendi se fugitiuorum pœnis, & correctioni Prælatorum. Quia imo delatio habitus est vnicum signū permanentiæ in statu religioso; vnde nisi ex alijs signis manifestis ostendatur delationem habitus esse signum mendax, & illa vincant hoc signum, potest quidem Ecclesia nouitium sine licentia vagantem extra claustra habere vt inobedientem, vel vagum, non tamen vt recedentem à statu Religionis, quia habitus delatio est testimonium iuridicū & legale status Religiosi, & nisi aliundè appareat nouitium fictè non dimisisse habitum, haberi debet exterius vt permanens in statu nouitiorum, licet sit nouitius inobediens.

128. Confirmatur verò hæc ratio ex concessis à prædictis Doctoribus. Nam primo nouitium exeuntem à Conuentu causa fornicandi, non discōtinuare professionem tradunt *Sanchez Donatus, & Peyrinus locis citatis, & Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. n. 59. Paulus tr. 16. disp. 1. p. 12. §. 4. n. 3. Tambur. d. q. 7. n. 18.* huius verò nulla ratio alia propria, & efficax esse potest, nisi quia exitus iste à Conuentu licet sit turpis inobedientia, non est tamen recessus à statu nouitiatus.

129. Item nouitium fugientem è Conuentu vt declinet magistri sæuitiam, non interrumpere nouitiatum credunt *Vecchius disp. 12. d. 3. n. 15. Peyrin. & Donatus locis citatis Tambur. t. 3. disp. 6. q. 7. n. 18. Barbosa ad cap. 15. sess. 25. Conc. Trid. n. 31.* Et huius eadem semper est ratio, quia huiusmodi exitus à Conuentu non est exitus ab ordine. Quod idem dixit *Sanchez* esse dicendum de eo, qui

exiret ad conuiuium, vel ob quamcumq; aliam similem causam.

130. Item nouitium fugientem, & appellantem ad superiorem non discontinuare nouitiatum docet *Bordonus q.* 13, cum hic non sit recessus, & fuga ab ordine, sed iustus recursus. Et non sit sine tacita, vel præsumpta licentia superioris, cum recursus ad superiorem sit licitus, & concessus. Idem tenet *Cocon. lib. 4. contr. 3. cap. 2. n. 46.*

131. Ex quo sequitur, quid dicendum, si nouitius fugiat cum habitu ad alium Conuentum eiusdem Religionis. Nam stante nouo iure, si ille alius Conuentus non est deputatus authoritate Apostolica pro nouitiatu, non potest nouitius ibi prosequi nouitiatum, sicut nec si iuxta nouum ius Innocentij licentia suscipiendi habitum, & profitendi data est determinatè pro Conuentu à quo exiuit, vt in illo ad habitum, & professionem recipiatur, sic scilicet determinatio ad talem Conuentū est à superioribus per se intenta, & taliter vt licentia non valeat, nisi pro illo Conuento. In his enim casibus idem est ac si nouitius iret ad domum sæcularis, & ibi maneret, sed si ille alius Conuentus esset Conuentus nouitiatus, neq; licentia suscipiendi habitum, & professionem fuisset illi determinata pro Conuentu à quo exiuit, nouitius posset ibi prosequi suum nouitiatum de licentia superiorum, & suscipi ad professionem, quidquid in contrarium dicat *Donatus p. 4. tr. 9. q. 8. n. 7. & Peyrin. ex Nauar.* Hic enim nouitius non exit à monasterio, quia non exit ab obedientia superiorum. Et vel dicitur quod iste discontinuet nouitiatum quia exit ab illo materiali Conuentu, vel quia ad cum non redit. Si dicatur primum, mirum est, quod exiens à Conuentu vt foruicetur, dicatur non discôtinuare nouitiatum, licut idem *Donatus admittit n. 8.* & qui forsan egressus fuit ex causa rationabili declinans vel malos mores vnius Conuentus, vel indiscretam sæuitiam magistri nouitiorum, vel alia simili causa afferatur illum discontinuare. Sed si ratio discontinuationis non afferitur exitus à Conuentu priori, sed non redditus, si nulla est lex obligans nouitium ad habendum nouitiatum in eo numero materiali Conuentu, & alius Conuentus sit Conuentus deputatus ad habendū nouitios, iste nouitius non exiuit à Monasterio formaliter, & fictione iuris, nec nouitiatum interrupit, qui nō desijt esse sub statu obedientiæ superioris, & in aliquo nouitiatu. Itaque iuxta doctrinam *Suarez l. 5. cap. 14. & 15.* ille non exit à Conuentu, qui non se constituit extra statum obedientiæ superioris; qui verò transit de vno Conuentu eiusdem Ordinis ad alium, nō se ponit extra statū obedientiæ, ideo neque exit formaliter, & moraliter à claustro, & ex vi exitus à claustro non discontinuat nouitiatum, quòd verò *Nauar.* ait in Sacro Pœnitentiariæ tribunali declaratum fuisse discontinuari nouitiatum habitum in pluribus Conuentibus. Hoc potuit esse, quia vel vnus Conuentuum non fuerit deputatus pro nouitiatu; vel quia in altero eorum nonfuit legitimè acceptatus.

132. Hinc quoque specialis difficultas occurrens solui potest; an scilicet stantibus nouis decretis de non habendo nouitiatu nisi in Conuentibus deputatis, possit nouitiatus de licentia superiorū dimidiari, vt partim in vno partim in alio ex Conuentibus deputatis habeatur. Respondetur enim id fieri posse, & non per hoc Nouitiatum interrumpi. *Bordon. cap. 4. de profes. q. 15. Tambur. tom. 3. d. 6. q. 11. n. 21. Portell. v. Nouitius n. 50.* Tum quia mutatis locis materialiter perseuerat idem Nouitiatus, cum nouitius perseueret in habitu, & obedientia superiorum. Tum quia nouitius bene probatur, licet in diuersis Conuentibus: & hoc quoque experitur, quod non est multum leue, sed inter asperitates Religionis numerandum, nimirum, mutare habitationem ad nutum superiorum, Tum quia hoc habetur declaratum per S. Congregationem Concilij, & habeo apud me declarationem in authentica forma subsignatam ab Eminentiss. Cardinali Ghisio Præfecto, & Illustriss. Domino C. de Vechijs Episcopo Clusino Secretario, qui illam pro sua benignitate mihi concedere authenticam dignatus est, & est sequentis tenoris.

Romana Nouitiatus.

AD serenitatem, & quietem religiosa conscientia Nouitiorum, ac subinde Professorum comparandam, quorum animi non raro dubitationibus, & scrupulis circa integritatem, & continuationem anni probationis torquentur supplex in Sacra Congregatione quærit P. Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum.

Primo. An per exitum extra Conuentum dimisso habitu, & cum animo relinquendi Religionem ita interrumpatur Nouitiatus, vt etiamsi post vnum, aut alterum diem, vel etiam post aliquot horas tantum Nouitius redeat ad Conuentum, teneatur denuo probationis annum inchoare.

Secundo. An Nouitiatus possit cum Superioris regularis licentia, & iusta causa fieri partim in vno Cōuentu ad Nouitiatum designato, & partim in alio itidem designato.

Die 21. Iulij 1663. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum Ad P. Censuit, Teneri.

Ad secundum respondit Affirmatiuè.

F. Card. Ghisius Præf. † *Locus Sigilli.*

C. de Vecchijs Episc. Clusinus S. C. C. S.

Quod verò *Nauar. concil. 17. de Regular.* putet nouitiatum habitum in diuersis Conuentibus non valere, & ita declaratum fuisse à Sacro Pœnitentiariæ tribunali, explicat *Bordon.* vt sit verum de eo, qui a priori nouitiatu exije sine licentia; & de hoc loqui *Nauar.* Et quidem verum est, quod in casu *Nauar.* Nouitius exierat à priori Conuentu sine licentia. Verum hoc etiam dato non discontinuatur nouitiatus; quia vt dictum est supra, exitus inobediens à Conuentu non discontinuat nouitiatum, si non dimittitur habitus, & non adsit alia mala circumstantia repugnans valori nouitiatus. Vnde si nouitius cum habitu sine licentia exeat à Conuentu nouitiatus, & transeat ad alium Conuentum nouitiatus, & à Superioribus ibi legitimè recipitur, non est vnde dicatur discôtinuasse nouitiatum. In sacra verò Pœnitentiaria si aliter determinatum fuit, hoc potuit esse in casu diuerso, vt vel quia secundus

çundus Conuentus non erat ex deputatis pro nouitiatu, vel quia in secundo Conuentu non fuit legitimè receptus ad nouitiatum perficiendum.

533. Si tamen nouitius exiens sine licentia à Conuentu diu maneat, & non redeat ad Conuentum, etiam si non relinquat habitum, poterit esse vt permanentia ista diuturna habeatur vt egressus ab ordine, & recessus à statu, & reditus ad seculum, & quod discontinuet nouitiatum, si sit vestita alijs circumstãtijs ex quibus id colligi possit, vel non constet de causa permanentiæ. Nam nouitius exiens sine licentia, sed retento habitu, si diu etiam manet extra claustrum, vel exit cum causa iusta de qua constat, v. g. vt iniustam persecutionem fugiat, vel quia sollicitatur ad malum, & iustè etiam timet sibi malum si redeat, donec superiorum auctoritate munitus securus redire valeat. Vel exit, & sine licentia, & sine causa iusta, sed ex malo aliquo determinato fine, seu etiam ad vagandum, & de hac causa constat. Vel ignoratur, & incertum est, ex qua causa exierit. In priori casu, licet exeat sine licentia immediati superioris, habet præsumptam superioris licentiam; & euidens est illum perseuerare in statu obedientiæ, nec recessisse à Religione, vnde nouitiatum non discontinuat. In secundo, & tertio casu sola diuturnitas manendi extra claustra fundat præsumptionem validam discessus ab ordine, & recessus à Religione, & à statu Religionis, & discontinuationis nouitiatus; nec delatio habitus sufficit ad tollendam hanc præsumptionem, quia habitus non facit Monachũ, & delatio habitus extra monasterium sine licentia superioris non inducit professionem tacitam. Potius igitur vrget existentia diuturna nouitij extra claustrum sine licentia ad probandum quod ille animo recesserit à Religione cum à consortio Religiosorum sine licentia, & iusta apparente causa ex propria voluntate exierit, quam valeat delatio habitus ad suadendum, quod in eo maneat animus permanendi in Religione.

534. Si verò interrogetur, quid dicendum in casu, in quo nouitius diu per menses, aut mensem, aut dimidium mensis sine licentia cum habitu mansit extra Conuentum, & constare facit euidenter non exijsse animo relinquendi Religionem, sed ex aliqua alia causa licet mala? Respondetur certum esse hunc nouitium esse puniendum, & iudicio meo nõ est admittendus ad professionem, quia graue delictum est nouitium sine licentia, & iusta causa diu manere extra claustra, nec de tali potest sperari profectus in Religione, vnde omnino eijciẽdus est. Et quatenus mora extra claustra non existente multorum diuturna ex misericordia posset honestè non reijci, deberet illi prorogari nouitiatus, & diu probari. Sed in puncto iuris rigoroso, dico præsumendum esse quod animo deserẽdi Religionem exierit; quod si præsumptionem hanc vincat clara probatione, quod fieri non erit difficile probata causa exitus, & perseuerãtiæ extra claustra, si redit paratus subire pœnam suæ inobedientiæ debitam, non video quod tali nouitio possit negari professio ex hoc capite, quod annus probationis eius non fuerit continuus, seu quia non fuerit in probatione per annum continuum. In probatione enim est, tàm qui obedit, quã qui non obedit; nõ obediendo enim experimentum sui facit, cũ *Nauar.* quem communiter in hac alij sequuntur doceat, non esse necesse, quod nouitius experiatur omnes ordinis austeritates, & *Suarez in fine illius cap. 14. n. 54.* addat nullam esse necessariam aliã actualem probationem præter illam, quæ est in perseuerantia in tali Religione per annum sub obedientia illius. Sic enim semper distingui debet actualis obedientia, ab obligatione seu deputatione ad obediendum. Ad probationem, obedientia actualis determinata omnium contentorum in Regula non est necessaria, si, qui probatur perseuerat in probatione, & statu obligationis ad obediendũ, & sic postea ostendit vel sui obedientiam, vel suæ inobedientiam. Sic ergo sicut qui exit à Conuẽtu non dimisso habitu, si id faceret de licentia non discontinuaret nouitiatum ex sententia communi; ergo neq; illum discontinuat ex hac causa præcisè, quod exeat sine licẽtia, & cum inobedientia, Quia de substantia nouitiatus non est quod nouitius sit obediens in omnibus.

535. Et sic sententia hæc quam sequimur est sententia *Suarez* cõmuniter recepta & paulò magis explicata. Quia dùm dicit ipse quod ad hoc vt nouitius dicatur egredi à Conuentu necesse est vt recedat animo non redeundi, vel se per exitum constituendi extra obedientiam, debet hoc intelligi, ita vt hic animus extra appareat, & ita non sit solus exitus mentalis, sed sit exterior desertio Religionis. Quod etiam satis indicauit *Peyr.* volens vt exitus reputetur fuga, nimirum vt sit talis exitus qui reputari possit fuga seu recessus à Religione, & reditus ad seculum. At verò quando nouitius exiens non dimittit habitum nõ tam facilè est, quod huiusmodi exitus reputari possit desertio Religionis; & si fiat sine licentia est quidem aperta inobedientia, sed non est recessus à statu obediendi nisi ex circumstantijs aliud colligatur.

536. Quæritur quarto. An omnis dimissio habitus interrumpat nouitiatum. Non enim est dubium an dimissio habitus sit signum recessus à Religione, cum delatio habitus sit proprium signum manendi in religioso statu. Bene autem aduertit *Suarez dicto l. 5. c. 15. n. 7.* aliud esse exuere habitum Religionis, & aliud illum dimittere. Nam exuere habitum est illum ad tempus deponere ex causa aliqua occurrẽte, Quæ causa potest esse rationabilis, & iusta, vt si fiat gratia humilitatis, vel de rationabili licentia Prælati, vel etiam causa potest non esse rationabilis, vt si contra regulam nouitius deponat habitum ad dormiendum, vel ne patiatur calorem. Et hoc modo exuere habitum non est recedere ab ordine, nec discontinuare Religionem, quod esse verum etiam si hoc fiat ad malum finem, vt puta ad fornicandum tradunt *Suarez, Sanchez, Peyr. Donatus, & alij*. Et ratio est, quia nouitius per hoc non mutat statum vitæ, nec est inconstans in vocatione, & in perseuerantia status, licet in eo statu male viuat. In hac verò anni probationis continuatione non est attendenda actualis obedientia, sed perseuerantia in statu vitæ.

537. Sic etiam exutus habitu iniustè, & eiectus, non discontinuat nouitiatum, nec priuatur iure suo, sed potest vrgere vt recipiatur, & sine nouo nouitiatu recipi debet. Quod enim dicitur, quod durante anno probationis nouitius si eius mores non placeant potest eijci, intelligendum est ad arbitriũ

boni

boni viri, & ideo quatenus adsit legitima causa. *Rota decis. 215. nu. 14. coram Coccino*. Ideo si nouitius sine causa iniuste eijciatur restituendus est in pristinum statum. Vt si per menses probatus fuit menses illi computentur, si per integrum annum totus illi computetur, & sine alio nouitiatu ad professionem admittatur. *Bordon. cap. 4. q. 12. resol. 54. n. 10. Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. n. 89. Tambur. t. 3. disp. 6. q. 7. n. 5. & apud eum Vecchius, Sanchez, & Peyrinus*.

138. Sed dimissio habitus importat depositionem habitus pro semper, seu animo, & proposito non reassumendi illum, & de hac quæritur an omnis dimissio habitus annum probationis discontinuet. Distinguitur verò huiusmodi dimissio in attentatam, seu imperfectam, & consummatã. Attentata est seu imperfecta, si nouitius incipit exuere habitum, vel ex propria voluntate, vel contra sui voluntatem ex præcepto superioris, & actum non complet, quia vel ipse, vel superior pœnitet, & hanc non sufficere ad discontinuandum nouitiatũ tradit. *Suarez dicto cap. 15. nu. 7. & Palaus. tr. 15. disp. 11. p. 12. §. 2. n. 8.* quia hic non est actus consummatus. *Tambur. t. 3. d. 6. q. 11. nu. 20.*

139. Ex quo iudicium ferri potest de illo casu, quem ponit *Nauar. Consil. 33.* illius nouitij, qui se occultauit animo fugiendi, & vt addit *Suarez*, forsan mutato iam habitu, sed postea animum mutauit, & blanditijs superioris illectus mansit in monasterio; hunc enim non discontinuasse annum probationis dici potest, quia non fuit hic actus consummatus sed Religionis desertio adhuc non erat perfecta, & consummata.

140. Quæstio igitur est de dimissione habitus consummata. In qua quæstione *Franeus cap. ad Apostolicam de regul. n. 3.* sentit non discontinuari probationis annum si nouitius recedat breui interuallo, quia parum pro nihilo reputatur, nec moralem continuationem tollit. Sic enim neq; ex modico interuallo interrumpitur præscriptio, vt probat. *Tiraq. tract. de iud. in reb. exiguis nu. 80. & seq. Nauar. etiam l. 3. Consil. de reg. Consil. 32. nu. 4.* Docet triduam interruptionem satis esse, vt discontinuetur nouitiatus; ex quo innuit, quod minor interruptio non discontinuat. *Bordon. vero resol. 54. nu. 204.* existimat, quod non interrumpatur nouitiatus etiam si nouitius dimisso habitu, & animo reuertendi discedens, maneat extra per quinque dies, & *Barbosa*, quem refert *Tambur. t. 3. disp. 6. q. 11. nu. 8.* ait S. Cong. declarasse nouitiũ, qui per 24. horas manserat extra Conuentum dimisso habitu non interruperat annum probationis, quod ipse *Barbosa* amplectitur. Qui citato *Tambur.* idem tenet ad *cap. 15. nu. 25. & 27. Concil. Trid. sess. 25. de Regul. Lessius quoq; lib. 2. cap. 41. dub. 7. n. 5.* paucorum dierum interpolationem non interrumpere nouitiatum ait. *Barbosa d. alleg. 101. nu. 25. & ad d. c. 15. Conc. Trid. num. 7. Seraphe quæst. 38.* sensit non interrumpi per spatium vnius noctis, vel vnius diei. Et quod continuitas anni probationis sufficiat si sit moralis; docuerunt l. *Leander. in quæst. Regg. cap. 8. n. 12. & apud Dianam p. 9. tr. 9. res. 67. Ouiedo de Republ. p. 1. l. 6. cap. 1. q. 1. nu. 4. Adrianus Mobens. in Enchir. cap. 12. nu. 1. Tambell. in repetit. Monali v. nouitius nu. 16. Panorm. & Anchar. ad d. cap. Ad Apostolicam. Rota in Burgen. nullitatis professionis coram Arguelles. 16. April. 1649. & dec. cers. p. 1. recẽt. Ciarlin. d. c. 108. n. 20.* At è cõtra alij tenẽt, quod quilibet modicus continuationis physicæ defectus discontinuet nouitiatum, seu quod omnis dimissio habitus consummata sufficiat ad discontinuandum annum probationis. Et hoc probant, quia tempus petitum ad aliquem actum censetur petitum tamquam forma, vt probat *auth. Quæ supplicat. de precib. Imperat. affer.* ibi nisi sub hac forma, & cæ iuncta *Glossa v. forma. Et tradunt Baldus ad finem, Salycetus notab. 1. Iason nat. 4. Felinus cap. cum delicta nu. 6. in signo 8. de rescrip. Rebuf. tract. nomin. q. 14. nu. 6. Tiraq. de retractu Lignag. §. 31 Glossa 4. n. 3. & 4.* ommissio verò formæ etiam in minimo vitiat actum vt probat. *Tiraq. in tract. de iudic. in reb. exiguis nu. 1.* Cum ergo Concil. Triden. requirat annum continuum nouitiatus, quælibet minima mutatio vitiat nouitiatum. Secundo quia tunc modicum tempus non obstat continuationi quando non intercessit factum contrarium, vt tradit *Abbas c. cum causam nu. 2. de elect.* vt enim sit continuatio debent eædem qualitates in re manere vt tradit *Tiraq. in tract. le mort, so sit le vif. p. 5. n. 7.* In nostro autem casu intercedit factum contrarium, scilicet dimissio habitus, vnde non potest esse continuatio. Et ita hanc partem tenent *Suarez t. 3. de relig. l. 5. cap. 15. nu. 6. Sanchez l. 5. mor. c. 4. nu. 32. Vecchius d. 12. nu. 6. ff. à S. Fausto l. 5. qu. 164. nu. 2. Portel. dub. reg. v. nouitius nu. 49. Peyr. in P. R. q. 3. c. 1. nu. 100. Donatus p. 4. tr. 9. q. 8. Palaus tr. 16. disp. 1. p. 12. §. 2. nu. 7. Tambur. tom. 3. d. 6. q. 7. nu. 10. Diana p. 9. tr. 9. q. 67. in fine*: determinans ad hanc partem indifferentem quam reliquerat p. 5. tr. 5. res. 19.

141. Hæc secunda sententia vera est, si cum moderatione intelligatur, & ad consummationem dimissionis Religionis concurrat etiam exitus à Conuentu, quod non esse contrarium citatis DD. apparet. Nam *Suarez nu. 7.* in casu nouitij abscondentis se vt recedat à Religione, & delinitus blanditijs superioris remanet in Monasterio admittit nõ interrumpi nouitiatum, etiam si forsan nouitius ille deposuisset habitum. Item non dicitur interrumpere nouitiatum, nouitius qui in ira deponat habitum protestans se velle exire, & redire ad sæculum, vt tradunt *Peyrinus, & Donatus*. Item si nouitius petita licentia exeundi, dimittat habitum, sed pœniteat antequam discedat. *Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. n. 77. ex Palao tr. 16. disp. 1. p. 12. §. 5. n. 7. & Bordon. tom. 2. res. 54. n. 53.* Vbi quod licet ad hoc requiratur cõsensus saltem interpretatiuus eorum, qui nouitiũ licentiarunt, hic adesse censetur si nouitium non eijciunt. Item si superior præcipiat nouitio, vt deponat habitum, ipseq; hoc facit, sed antequam exeat nouitius, superior illi habitum restituat, non discontinuari nouitiatum docent *Suarez illo n. 7. Donatus, n. 9. Peyr. dicto n. 100.* Verè enim non potest censeri consummata desertio Religionis, nisi nouitius simul cum habitus dimissione exeat à Conuentu. Quia manente nouitio intra monasterium adhuc manet aliquo modo in statu, & adhuc vel desertio non est plenè deliberata, vel non est plenè consummata.

142. Sed & forsan si nouitius exijt sine habitu à Cõuentu, si tamen adhuc perseuerat in eo passio

aliqua

aliqua res, vel alia similis diminuens voluntarium, si interim in se reuersus redeat probabile est, quod non teneatur ad nouum nouitiatum, quia exitus non fuit plenè omnino deliberatus, & consummatus.

143. Cæterum vbi nouitius deliberatione plena, & dimisso habitu exit à Conuentu animo redeundi ad seculum, & relinquendi statum Religiosum, discontinuatur nouitiatus, & ita quòd etiam si post diem non solum, sed post aliquas horas redeat ad Religionem teneatur ad nouum nouitiatum, vt patet ex declaratione S. Cong. Concilij, quam habeo apud me authenticam & retuli supra num. 132. Vnde manifestum est non esse admittendum quòd habent *Bordon. tom. 3. res. 54. num. 100. & Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. disp. 2. num. 94.* Quia nimirum si nouitius à Religione sit iuste eiectus, & iterum post vnum, vel alterum diem recipiatur, non teneatur ad nouum nouitiatum. Hoc enim est contra decretum præfatum. Et quia vbi est deliberata, & effectuata plenè derelictio status Religiosi, noua eiusdem status assumptio non potest continuari cum Priori existentia in eodem statu. *Bassaus* etiam *v. Religio 4. n. 5.* habet, quod si nouitius à Religione collectis suffragijs dimissus antequam dimittat habitum ad eius preces fuit iterum admissus sub conditione vt nouum nouitiatum integrum habeat, adhuc nouitius iste non tenetur ad nouum istum nouitiatum promissum, quia in hoc casu nouitiatus non fuit interruptus, quia nouitius ex parte sua non dimisit Religionem, & ideo non intrat noui nouitiatus necessitas, promissio verò ab eo facta, & petitio Conuentus, cum proueniant ex errore, non subsistunt, neq; nocent nouitio, prout dixerunt doctissimi Theologi, & Professores Duacenses. Et hoc quidem satis probabiliter est dictum.

144. Sed vlterius considerandum est, quod aduertit *Bassæus v. Religio 4. num. 5.* nimirum quod cum ex vtraq; parte oppositæ opiniones dicentes in præfatis casibus nouitiatum interrumpi, vel non interrumpi habeant patronos Doctos, si in praxi seruaretur opinio, quæ vult nouitiatum non interrumpi, & admitteretur nouitius ad professionem, bene contingere posset, vt post aliquos annos ille diceret iuxta oppositam sententiam suam professionem fuisse nullam, & sic in foro externo ageret ad professionem inualidandam. Ideò in praxi omnino admitti debet opinio, quæ vult nouitiatum interrumpi, & tenendus est nouitius sub probatione per nouum annum integrum, & dato quòd ille petat admitti ad professionem completo primo anno, non debet audiri, nec debet dimitti à nouitiatu, donec nouo anno incipiendo post prætensam interruptionem euoluto, ipse profiteatur, vel professionem emissam ratificet, vt sic Religio sit secura, & omnis litis & ruinæ nouitij occasio tollatur. Et quia opposita sententia, vt dictum est, nec est vera, nec tuta.

SVMMARIVM.

cessarius ad professionem. num. 168.
29 *Quando inductus annus probationis.* numer. 168.
30 *Non est eadem necessitas nouitiatus in seculari, & Religiose professo.* num. 168.
31 *Intra eundem Ordinem non est necessarius nouitiatus, vt cum Religiosus ad magis obseruantes transeat, vel econtra.* num. 169.
32 *De rigore iuris transitus de vno Ordine ad alium non requirit nouitiatum statutum à Concilio Tridentino secundum aliquos.* num. 170.
33 *In transitu de vno Ordine ad alium est necessaria probatio.* num. 171.
34 *Intellectus Conc. Trid.* num. 171.
35 *In transitu de vno Ordine ad alium non est necessarius nouitiatus in Conuentu designatu ex vi decreto Clementis Octaui secundum aliquos.* num. 173.
36 *In transitu de vno Ordine ad alium seruanda statuta specialia, & consuetudines.* nu. 174.
37 *In transitu de vno Ordine ad alium est necessarius nouitiatus.* num. 174.
38 *Priuilegium Leonis x. abrogatum.* n. 175.
39 *Rediens ad suum Ordinem sine licentia an & vbi validum nouitiatum habeat.* nu. 177.
40 *Conuersus transiens ad statum Clericorum non indiget nouitiatu.* num. 178.
41 *Fratres Tertij Ordinis S. Francisci an indigeant nouitiatu.* num. 179.
42 *Ordines Militares non teneantur ad nouitiatum ex vi Concil. Trid.* num. 180.
43 *Sed ad illum tenentur Equit Hierosf. ex proprio statuto.* num. 181.
44 *Commendatarij Monasteriorum, qua sunt Capita Ordinum, infra sex menses profiteri debent.* num. 182.
45 *Conuertita, non subduntur legibus nouitiatus.* num. 183.
46 *Superiores admittentes ad professionem infra annum an subdantur penalitatis in cap. Non solum, de Regul. in 6.* num. 184.

De continuitate anni Nouitiatus cum professione.

INSPECTIO VI.

145. QVæritur an debeat esse continuatio inter annum probationis, & professionem, ita vt statim nouitius debeat profiteri, vel potius si tunc non profiteatur, sed à Religione exeat, dum reuertitur teneatur ad nouum nouitiatum habendum, vel potius possit profiteri in vi prioris nouitiatus? Teneri enim ad nouum sustinet *Suarez. tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. n. 8. & seqq.* Et id probat primo, quia alias sequeretur quòd qui reciperetur ad annum probationis anno 14. ætatis suæ, completo probationis anno posset redire ad sæculum per annum vsquequo compleret annum ætatis 16. & tunc profiteri, quod de se satis videtur absurdum. Secũdo quia sequeretur hoc aliud absurdissimũ, quod si quis post decennium rediret, posset sine nouo nouitiatu recipi ad professionem. Nec valet dicere, quod necessaria est breuitas temporis, nam contra instatur, quia hoc est accidentarium, cum & in paruo tempore magna mutatio rerum accidere possit, & in magno tempore nulla contingere, vnde vel nulla interpollatio admittenda est, vel nullum est fundamentum ex quo dicatur quod maior vel minor dilatio professionẽ impediat. Tertio Nã Concil. Trid. *cap. 15. sess. 25. de regul.* vult vt post annum à susceptione habitus nouitij professionem emittant, vnde non cognoscit, nec admittit plures receptiones ad habitum. *Et cap. 16.* statuit, vt finito anno probationis nouitius vel admittatur, vel eijciatur. Quarto, Nam finito anno, vel nouitius non vult profiteri, vel à Religione eijcitur. Si primum dicitur, quomodo religio eum, qui sponte recessit, de nouo sine alia probatione recipiet? Et si illum eiecit, qualiter ex eadem probatione illum de nouo recipiet? Sed & praxim esse, vt huiusmodi non recipiantur sine noua probatione asseritur. Et ità hanc sententiam tenent *Peyrin. R. P. q. 3. c. 1. n. 99. Vech. disp. 11. d. 3. n. 5. Palaus tr. 16. disp. 12. p. 12. §. 2. 10. Tambur. t. 3. d. 6. q. 7. n. 15.* Oppositum autem sustinuit *Glos. in cap. Ea qui, de regul. iur. in 6.* Vbi id probat ex ea regula, cum, qui est certus, certiorari amplius non oportet. Speculator *tit. de stat. Monach. §. qualiter concipies libellum, q. 35. n. 43. & ibi Io. Andr. & D. Ant. 3. p. t. 16. c. 3. §. 2. Lap. alleg. 47. n. 2. & 3. Syluer. religio. 5. q. 4. Tabien. v. nouitiatus n. 19. Armil. n. 11. Angelus n. 15. Rodriq. q. reg. tom. 3. q. 15. a. 10. & tom. 2. sum. c. 8. n. 3. Sanchez l. 5. mor. c. 4. n. 34. & apud ipsũ Io. Andreas, Francus, & Gregorius Lopez.* Item *Tambur. de iure Abbat. d. 6. q. 7. n. 5. Bonac. de claus. q. 2. p. 10. diff. 2. §. 2. n. 4. Bassaus. v. Religio 4. n. 6. à S. Fausto l. 5. Thes. q. 135. Bordon. cap. 4. q. 19. Anton. à Sp. S. tr. 3. disp. 2. n. 85. & 98.* Itẽ *Bonac. de Cẽs. in par. d. 3. q. 8. p. 5. n. 9. Donatus p. 4. tr. 9. q. 7. Fagnan. in cap. Qui Presbiterum. n. 116. & sequen. de poenit. & remiss. & alij.* Qui concorditer existimant, quod nisi cõditio personæ, vel Religionis sit adeo mutata, vt eius difficultates non censeantur moraliter exploratæ, si nouitius post completum nouitiatum exeat, etiam sine licẽtia ab ordine, & foris maneat etiã per multum tempus, quod dum reuertitur possit sine necessitate noui nouitiatus admitti ad probationem. Et ratio est, quia de iure non requiritur nisi vnus annus probationis, nec ius aliquod est, quod præcipiat continuationem huius nouitiatus cum professione. Et præterea tam nouitius austeritates ordinis, quam ordo mores nouitij sufficienter explorauit, & expertus est; vnde non est necessitas noui anni probationis.

146. Supponit quæstio, quod licet nouitius finito anno probationis incurrat professionem tacitam, si ipse, vel Conuentus non repugnat, nihilominus ex multiplici causa, & licita, & illicita potest contingere vt nouitius finito anno non possit vel non velit profiteri, vt quia nondum habet ætatem legitimam, vel quia est infirmus, vel habet negotium graue expediendum ante professionem, vel etiam quia pœnitet se Religionis statum elegisse, & non consentit in professionem tacitam aut expressam, vel etiam iniustè eijcitur à Cõuentu vel ex ma-

ex malitiâ, vel ex falsa informatione, vel ex aliqua ex similibus causis, vnde contingit quod professio non iungatur anno probationis, sed mediet tempus inter illa, & quæritur si in hoc medio tempore exeat à Conuentu, & dimittat habitum, & postea redeat, an possit immediate recipi ad professionem.

147. Distinguendum verò est, quia vel nouitius exit de licentia superiorum, vel sine illa. Si enim exit de licentia superiorum iterum reuersurus, sine dubio rationabilior videtur secunda opinio maximè si recedat cum habitu, quia nec talis est exitus à Claustro, cum non sit exitus ab obedientia, & à statu obediendi, & durum prorsus esset, vt nouitius idoneus ad Religionem, & vt talis per annum probatus, & repertus, qui ex causa iusta exit à Claustro de licentia Superiorum, dum redit teneretur ad nouum nouitiatum, cum iam (vt supponitur) legitimum annum probationis sustinuerit. Sed hoc etiam declaratum fuisse à S. Cong. Concil. refert *Fagnan.* vbi supra, sub his verbis. Dubitatur an is, qui habitu regulari suscepto annum integrum mansit in Religione, eoq; lapso graui morbo correptus, & propterea professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad seculum redijt, possit inde ad triennium morbo liberatus, & ad Monasterium reuersus, protinus emittere professionem, vel potius per alium annum stare in probatione teneatur die 27. Februar. 1597. Sacra Congreg. censuit posse statim emittere professionem, non expectato alio probationis anno, nisi Religionis aut personæ conditio sit immutata; idq; Superiores Religionis animaduertere diligenter debere. Idem verò fuisse declaratum à S. Cong. Regulat. 8. Nouem. 1619. refert Nicolius v. Nouitius n.40.

148. Sed si exeat sine licentia adhuc secundæ opinionis ratio vrget; quia nouitiatus ex natura rei non est necessarius ad professionem, sed solum ea iure positiuo præmitti debet, ius verò positiuum vnum tantũ nouitiatus annũ decreuit, & nihilominus non obligat ad hoc vt statim indispensabiliter post annum probationis nouitius vel admittatur vel eijciatur, etiam ergo si medio tempore exeat, & postea redeat virtute prioris nouitiatus poterit profiteri, nisi conditio illius aut Conuentus sint adeo mutatæ, vt necessarium sit nouum experimentum. Sed & hoc declaratum habemus à S. Cong. Concilij prout refert *Fagnan. vbi supra num.* 117. sub his verbis. Proposito dubio. An nouitia, quæ finito anno nouitiatus exiuit à Monasterio absq; licentia Ordinarij, iterum reuersa, possit sine noua probatione ad professionem emittendam admitti, die 12. Februarij 1598. S. Cong. censuit posse, nisi conditio Religionis aut personæ sit immutata, idq; à Superioribus Monasterij deligenter esse dispiciendum, & hoc confirmatur soluendo primæ opinionis obiecta. Ad primum enim dicitur quod non mutata conditione nouitij & Conuentus nullum esset absurdum, si qui non habet legitimam ætatem ex graui causa, & licentia degens extra Monasterium vsque ad ætatem legitimam etiam per annum, & dum reuerteretur admitteretur ad professionem in virtute habiti nouitiatus, *Et ideò Bordon. cap. 2. quæst.* 18. contra Vechium *disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 5. existimat, quod non habens quintum decimum annum, post annum probationis expletum possit morari in Conuentu non deputato, & postea completo anno, profiteri, quia interpositum tempus inter probationem, & professionem non vitiat nouitiatum, *Nauar. conf.* 20. *num.* 1. *de Regular.* Sed si talis exiret sine licentia, & sine licentia maneret, non esset recipiendus regulariter loquendo sine anno probationis, quia vt notat Fellus in summario Constit. Ord. Præd. p. 2. cap. 14. recedens sine licentia ab ordine ostendit animi leuitatem, contrariam perseuerantiæ necessariæ in religione, & ideò eius constantia magis experiri deberet. Sed si pensatis pensandis honestum esset illum recipere, & ex parte nouitij & Religionis res in eodem statu permanent, quia tunc non adesset necessitas maioris experimenti mutui, non esset absurdum, si nouitius ad professionem reciperetur sine nouo nouitiatu. Ad secundum dicitur moraliter non esse possibile, quod per decennium non sint mutatæ, conditiones nouitij, vel Conuentus. Ideò non est eadem ratio de paruo, & longo tempore, nam respectu parui temporis verè accidentarium est, & ratum, quod personæ notabilem mutationem faciant, quod tamen frequenter accidit in tempore longo, maximè in Religionibus, vbi fratres de Conuentu ad Conuentum transeunt, & contingere posset quòd vix in partibus esset, qui post decennium talis nouitij recordaretur, nulla forsan existente memoria certa sui nouitiatus, & de eo qui per decennium vixit extra oculos Religionis iustè præsumi potest, & debet quod potuerit mutasse mores, vnde sit incertum an sit modò aptus Religioni vel non; annus enim probationis necessarius est, nedum ex parte nouitij, vt experiatur asperitates Religionis, sed ex parte Religionis vt mores & conditiones nouitij videat. Vel ergo ex nulla parte facta est mutatio, sed vtriq; parti constat de suo interresse, & tunc ad quid est necessarium nouum experimentum, vel saltem ex vna parte remanet dubium (nam & solum dubium sufficit) de alterius mutatione, & tunc intrat necessitas noui nouitiatus, in decursu autem nimis longi temporis si nouitius adhuc non vixit secularis ante oculos Religionis incertum erit Religioni an mores mutauerit, vnde Religioni non sit aptus, & experimentum sit necessarium, & ita erit necessarius nouitiatus. Ad tertium dicitur constare ex supradictis, Concilium non prohibere extensionem, & prorogationem professionis post annum probationis, vnde benè contingere potest, vt prorogetur professio, & detur medium tempus inter annum probationis, & professionem. Ad quartum dicitur quod est insufficiens diuisio, quia potest contingere vt finito nouitiatu nouitius nec possit profiteri, vel habeat causam non profitendi, & de partium consensu differat professionem. Si igitur non profiteatur, quia à Religione eijcitur, iniustè fuerit eiectus, vel ex alio falso præsupposito, tunc constito de falsitate causæ, & de veritate idoneitatis nouitij ad professionem nedum posset, sed deberet recipi sine nouo nouitiatu, sed vbi iustè nouitius eiectus fuit tanquam Religioni non idoneus, non potest recipi ad pro-

fessio-

fessionem, sine noua aliqua probatione, sed si vel de communi consensu partium professio dilata fuit, vel etiam quia nouitius noluit profiteri, si adhuc adueniat rationabilis causa vt illo pęnitenta de recessu possit admitti, & non adsit talis mutatio ex qua censeatur necessitas maioris probationis aut Religionis, aut nouitij, non est inconueniēs recipere illū ad professionē sine nouo nouitiatu. Distinctio etiā considerata à *Bordon. d. q. 19.* debet attendi: quia si nouitius de licentia Superiorum est egressus, re integra, nedum potest, sed debet recipi quando reuertitur. Quod ex *Portel. part. 2. casu 7.* extendit, vt si ex iusta causa discessit, & necessitate aliqua, etiam si exierit sine licentia (iniustè negata dico ego) non possit illi negari professio, si quando redit, alias sit dignus vt supponitur. Sed si sine licentia, & necessitate exijt leuis animi, & non affecti ad Religionem se ostendit, vnde merito potest non admitti ad professionem.

149. Sed quid dicendum, si nouitius redeat ad alium Conuentum eiusdem ordinis, & eiusdem obseruantiæ? *Sanchez* ibidē asserit neque tunc esse necessarium nouum nouitiatum, quia nouitiatus habitus in vno Monasterio sufficit ad profitendum in altero. Quod de iure antiquo credo esse verum, si Superiori admittendi satis constat de nouitiatu, & idoneitate nouitij admittendi ad professionem. Sed stante iure nouo Clementis Octaui, & in sententia eorum, qui dicunt Clementem præcipisse nouitios non recipi ad professionem nisi in conuentibus designatis, & in quibus fuerunt nouitij, non poterit nouitius recipi ad professionem vel in Conuentu non deputato pro nouitiatu, vel in alio Conuentu & ab alio Superiore ab eo pro quo recepit licentiam vt susciperetur ad habitum, & ad professionem. At si post persolutum annum nouitiatus à longo tempore redeunte nouitio ad Religionem, non extet causa vrgens ad nouum annum probationis, sed solum aliquale dubium, quod possit tolli per experimentum vnius, vel alterius mensis erit ne tunc necessaria probatio per annum integrum, vel sufficientem habere per vnum, vel alterum mensem Crederem sufficere, quia probationi annuali statutæ ex lege iam satisfecit, & vbi non est noui anni probatio, is necessitas DD. supra citati pro secunda opinione dicunt nouitium posse recipi ad professionem.

150. Post hæc scripta autem peruenit ad manus meas decisio Rotæ inter volumes impressas, quæ in vna nullitatis professionis sub Reuerendiss. Papien. 27. Ianuar. 1659. sequens opinionem *Suarez* primam ex relatis supra, & quæ vult necessariam esse continuationem inter annum probationis, & professionem, ac proinde, quod nouitius, qui annum probationis compleuit, & discedit sine licentia animo non redeundi, si iterum reuertatur teneatur ad nouum nouitiatum; subdit, quod non applicatur conclusio, quod nouitius egrediens à Religione post annum probationis, si deinde ad illam reuertatur non teneatur ad nouum nouitiatum: quoniam hæc conclusio est vera in terminis generalibus, quando scilicet nouitius discedens animum redeundi non deposuit, nec aliquo modo conditio personæ immutata remansit; at vero quando nouitius discedit cum animo non redeundi conditio personæ immutata redditur, ac proinde nouitiatus interruptus dicitur, vt tradunt *Sanchez l. 5. c. 4. n. 32. Ciarlin. Contr. 208. nu. 22. Lezana consul. 8. n. 4. & 17.* Vnde talis nouitius reuersus non potest sine nouo nouitiatu ad professionem admitti. Est ergo quæstio an sola, & præcisa mutatio animi, scilicet mutatio volūtatis perseuerandi in Religione, & profitendi sit talis mutatio personæ, quæ inducat noui nouitiatus necessitatem in eo, qui discessit expleto nouitiatus anno integro, & re alias omnino integra redit, vt profiteatur. Circa quam infra posita mihi consideranda videntur quæ doctioribus diudicāda relinquo.

151. Nam sed huic determinationi plura videntur obstare. Primo quidem quia quando dicitur esse necessarium nouum nouitiatum si mutetur conditio Religionis, aut personæ hoc debet intelligi in ordine ad experimentum austeritatum, & onerum Religionis, vt ex *Bonacina explicat Lezana citatus d. Consult. 8. n. 22.* Et sic est sermo de ea conditione, quæ necessitet ad nouum experimentum. Nam aliter bene constat, quod qui post expletum nouitiatum exit etiam de licentia superiorum, si interim fiat ditior, vel obtineat lauream Doctoratus, vel aliam dignitatem, vel assumat statum clericalem, & promoueatur ad Sacros Ordines mutatur valde conditio personæ, neq; tamen si redeat ad Religionem est necessarius nouus nouitiatus vt ex decisis per S. Cong. constat, quia per talem mutationem non oritur necessitas noui experimenti. At vero ex eo quod nouitius post integrum expletum annum probationis mutatur animo, & deserit Religionem animo redeundi ad seculum, hæc animi mutatio non inducit necessitatem noui experimenti. Quod quidem verificatur ex parte nouitij, quia ipse per annum integrū, prout leges volunt, expertus est sufficienter Religionis mores, austeritates, onera, & statum; ideo si Religionis conditio non sit mutata, non remanet, quid experiri debeat. Sed neq; ex parte Religionis, quæ per annum integrum iuxta legum præscriptum experta est mores, inclinationes, & affectus nouitij. Ex quo animus eius deserendi Religionem, eiusq; inconstantia fit magis manifesta, & hanc Religio manifestius est experta, nec leges cogunt ad sumendum longius experimentum, quam per annū. Si ergo nouitij egredientis conditio non sit mutata mutatione nouum experimentum requirente, ex eo præcisè, quod ille mutauerit animum, & deseruerit Religionem, non est in Religione noui experimenti necessitas, ideoq; neq; necessitas noui nouitiatus. Quod confirmatur: nam ponamus quod nouitius egressus animo redeundi ad seculum, id ex iusta causa fecerit, & interim in seculo in via perfectionis notabiles progressus fecerit, tūc mutata fuisset valde eius conditio, neque tamen adesset aliqua noui experimenti necessitas. Itaq; hoc est satis manifestum, quod mutatio animi, seu discessus ex animo non redeundi præcisè ex se non inducit mutationem conditionis, quæ nouum experimentum requirat, ideo nec requirit nouum nouitiatum. Nam si nouitius post expletum nouitiatū discedat animo non redeundi, sed intra octo vel decē dies redeat; Quæ nam erit necessitas noui nouitiatus, seu noui experimēti. Mutatio vero animi

non mutat personam. Et quidem si mutatio pronenerit ex inconstantia, hoc erit valde considerandum, non vt necessitans ad nouum experimentum, sed vt non recipiatur de facili ad professionem, qui so proposito non fuit constans, sed hoc non infert necessitatem noui anni probationis: sicut si intra nouitiatus annum nouitius non semel, sed pluries mutet animum non deserendo habitum, & non discedendo à Conuentu, illa mutatio animi non discontinuat nouitiatum, nec inducit necessitatem noui nouitiatus, licet non de facili sit admittendus ad professionem, qui est inconstans in proposito Religionis. Et dato quod ex hac inconstantia omnibus pensatis oriretur necessitas alicuius probationis, quod ex circumstantijs potest contingere non per hoc concludi potest necessitas probationis per alium integrum annum. Quod si mutatio animi habuit in nouitio rationabilē causam, & re alias integra cessante causa, redeat qui discessit expleto nouitiatus anno, cur ad nouum annum condemnabitur? Obstat secundo, quia cōsiderari debet quæ lex sit, quæ requirat experimentum; vbi verò agitur de nullitate professionis inducta ex lege *Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regularibus*, videndum est an ex vi talis legis sit necessarius nouitiatus tali necessitate, vt ex eius defectu, irritetur professio. At vero Concil. Triden. solum requirit probationem annalem, nec præcipit sub nullitate professionis, quod professio sit continua probationis anno; Nam eo decreto non obstante prorogari potest professio, vt probatum est supra, & tradunt. *Nauar. cons. 30. de Regularibus. Lezana d. consul. 8. n. 12.* plures alios referens. Ideo per se hoc est verum, quod neque ex vi Concil. Trid. est necessaria continuatio nouitiatus ad professionem, igitur ex discontinuitate ista non potest deduci nullitas professionis. Nam *Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 15.* irritat professionem, si fiat ante integrum annum probationis, ibi. *Professio antea facta, sit nulla.* Et licet requirat continuitatem anni probationis, & sic professionem validam debeat præcedere annus probationis integer, & continuus; numquam tamen Concilium irritauit professionem post annum probationis factam, si illi non desit aliquod aliud substantiale. Imo bene *Lezana d. Consil. 8. n. 18. & Diana p. 3. tr. 2. resol. 128.* dixerunt, quod etiam si daretur, quod Concilium Trid. in eo *cap. 16.* in quo statuit vt euoluto anno nouitiatus, nouitius vel admittatur ad professionem, vel ejciatur præcepisset professionem continuari cum anno probationis, (quod verum non est) tamen neq; induci posset ex vi Cōcil. nullitas professionis factæ interpollatè post annum probationis continuum, & integrum; quoniam in illo decreto *cap. 16.* non continetur aliquod decretum irritans professionem aliter factā. Cum igitur ex vi Concil. Trident. professio interpollatè facta post impletum annum probationis non sit irrita; esto alias detur aliqua mutatio personæ, ex qua ex lege prudentiæ oriatur necessitas alicuius experimenti, non tamen sequitur quod hoc experimentum debeat esse annale; quia leges præcipientes annum probationis, seu probationem continuatam per annum, loquuntur respectu eorū, qui per annum non fuerunt probati, & sic eis per annum probationis integrum fuit satisfactum; lex verò prudentiæ non requirit determinatum tempus experimenti: ideo post nouitiatum, si qui discessit mutata aliqua conditione indigeat probari, sufficit si probetur per menses aliquot, vel dies ad arbitrium viri prudentis, & quatenus id non fiat, non per hoc professio est irrita, quia lex prudentiæ non irritat actum imprudenter factum, nisi aliunde sit irritum. Itaque ergo huius discursus hæc est vis, quod *Concil. Trid. sess. 25. cap. 15.* irritat solum professionem, si fiat ante annum probationem completum *Cap. v. 16.* licet dicat expleto anno nouitium admittēdum esse ad professionem, aut remittendum ad seculum, non per hoc præcepit professionem continuari cum anno nouitiatus, vnde nedum potest prorogari professio post annū probationis, sed vt habetur ex citatis declarationibus S. Congregationis, si nouitius expleto anno discedat etiam sine licentia, & re alias integra redeat, potest nullo alio præmisso nouitiatus anno admitti ad professionem: ex quo euidenter constat ex vi dicti decreti Concil. Trid. non esse necessariam continuitatem professionis cum anno probationis. Et nihilominus dato, & non concesso, quod Concilium ibi præcepisset continuitatem hanc, quia non apponit decretum irritans, professio si fiat interpolatè erit valida. Nulla vero alia apparet lex vel naturalis, vel positiua ex qua ei, qui per annum integrum probatus fuit inducatur necessitas noui anni probationis; non ergo est dicēdum quod professio sit nulla si interpolatè post annum probationis sit facta.

553. Obstat tertio, quia sententia quæ docet, quod nouitius, si post annum integrum nouitiatus discedat à Religione animo redeundi ad seculum, & deserendi Religionē non est solius. *Bord. cap. 4.* de professione, sed omniū DD. quos supra *n. 145. pro 2. opin.* retulimus, & qui sentiūt hic nō esse necessitatē nouitiatus noui in exeunte à Religione si non mutata conditione illius aut Religionis redeat. Nam primo aduertendum quod deserere Religionem nō importat solum exitum à monasterio cum animo redeundi. Non deserit enim Religionem qui illā expertus est, & retinet animum profitendi; quoniā hic animo Religionem amplectitur, & corde illi est coniunctus. At verò quod nouitius si expleto anno probationis deserat Religionem, rediens postea non teneatur ad nouum nouitiatum tradunt *Sanchez d. lib. 5. cap. 4. n. 34. Marcus Serrat tom. 2. de statu Regul. tr. 4. disp. 2. vnica diffic. q. 3. n. 19.* Et si nouitius recedat à Religione. *Anton. à Spir. S. tract. 3. disp. 2. n. 85.* Item absolutè exire, vel à Religione, vel à Monasterio est modus loquendi, intelligēdus formaliter de egressu à Religione animo non reuertendi, quia propriè hoc solum significat, nam vt habet *Sanchez l. 7. mor. cap. 8. n. 11.* non dicitur exire a Religione, qui eam non deserit, sed ad tempus vult vagari postea reuersurus, & quod de mente DD. quos retulimus *n. 145.* pro secunda opinione sic sumi debeat exire patet ex illorum ratione, quam reddidit. *Gloss. in Reg. 31. de Reg. iuris in 6.* scilicet *Eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet, & D. Anton. p. 3. tit. 16. cap. 3. §. 2.* quæ ratio militat etiam in eo, qui post probationem exit animo non redeundi, vt est explicatum. Ideo DD. absolutè asserentes nouitium, qui exijt completo anno probationis non teneri ad nouum noui-

nouitiatum, si redeat. intelligendi sunt etiam si nouitius exierit animo non redeundi, si alias rerum conditio non sit mutata adeo, quod ex mutatione orta sit necessitas noui experimenti. Et ita expresse hanc sententiam tenet Reuerendiss. *Fagnanus ad cap. consultim.* 42. vbi habet quod nouitius qui demisso habitu redit ad seculum, si postea redit ad Religionem non tenetur ad nouum annum probationis, sed statim potest expressè, vel tacitè profiteri si eius, vel Religionis conditio non est mutata. Idem habet *Lezana v. professio num* 10. *Layman. lib.* 4. *tract.* 5. *cap* 5. *num.* 5. Obstat quarto, quod opinio *Suarez* supra relata, vult quod sit necessaria continuatio professionis cum probatione, ita quòd in fine anni probationis, vel nouitius admittatur, vel in probatione detineatur vsque ad professionem, vt patet ex *Suarez tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 9. Quæ opinio nedum non est communis, & longè communior est opposita; sed habet contra se expressas declarationes S. Cong. Concilij supra ex Reuerendissimo Fagnano relatas, pro quo facit etiam declaratio, quam refert *Lezana d. consult.* 8. *num.* 6. Et contra quam opinionem benè applicatur, & valdè vrget conclusio, quod nouitius egrediens à Religione post annum probationis, si deinde ad illam reuertatur nouum nouitiatum non tenetur peragere iuxta claram *Gloss. in cap. cum qui certus* 31. *ver. cum qui certus. de Reg. iur. in* 6. *& aliis DD. supra relatos.* Quia huius conclusionis sensus est de directo oppositus illi sententiæ *Suarez*, quia sensus huius conclusionis est, quod per se continuitas probationis ad professionem non est necessaria, & quòd in nostro casu non est per se necessarius nouus annus nouitiatus, sed solum per accidens, est necessaria noua probatio, si contingat talis mutatio, vt non detur locus regulæ præfatæ, qui certus &c. Vnde locum hic non habet illa regula, scilicet illa opinio præferenda sit, quæ distintione conciliat contrarias, quia duæ istæ opiniones non possunt conciliari, sunt enim de directo contrariæ, quia vna vult quod continuitas professionis cum probatione intra Claustra sit per se necessaria: sed alia vult quòd hæc continuitas per se minime necessaria sit, licet per accidens possit esse necessaria noua probatio, si talis contingat mutatio, quæ nouum experimentum postulet. Quamobrem secunda præferenda est, quæ est communior, & firmata declarationibus S. Cong. Concilii, quibus vt eadem Rota fatetur. Rota reuerenter deferre solet. *Caual. dec.* 627. *num.* 8. *Merl. dec.* 553. *n.* 5. *&* 3. *&c.* Et sic dicendum quòd licet Religio multa pensare debeat ad hoc, vt recipiat eum, qui post annum probationis exijt cum animo non reuertendi, si tamen videat esse diuini obsequij vt illum recipiat, non tenetur, qui redit ad nouum nouitiatũ per se loquendo, sed solum per accidens si sit mutata conditio Religionis vel redeuntis.

154. Quæritur secundo. An ex priuilegio. vel lege aliqua speciali ad professionem sufficere possit annus probationis non continuus, sed interpollatus? In hoc occurrit primo priuilegium Iulij Secundi concessum ordini Minorum vbi continetur, quòd eos qui ab ordine recesserunt, si redeant possint ad arbitrium eorum superiores recipere computato illis eo tempore nouitiatus, quod ante recessum persoluerant. In quo priuilegio communicant alij mendicantes & quod priuilegium habetur *monum. Ordinum. conc.* 583. *& apud Rodriq. qq. reg. tom.* 3. *q.* 15. *a.* 8 *& apud Cæsarub. v. Nouitius num.* 23. Sed huic priuilegio derogatum esse per Concilium Tridentinum tenent multi his rationibus ducti. Primo quia priuilegium hoc concessum fuit quando annus probationis non tam exactè requirebatur, quia ex communi consensu partium poterat omitti, vt patet ex *cap. ad Apostol. de regularibus.* Et licet hoc non admitteretur in ordinibus mendicantium adhuc tamen & in illis professio antea facta obligabat ad summũ solum ad Religionem in communi, non verò in specie *cap. Non solum, de Reg. in* 6. Sed modo annus probationis requiritur, & ita vt professio facta, eo non seruato, sit omnino irrita, & nullius valoris: non igitur nunc potest habere locum illud priuilegium. Secundo nam Concilium Tridentinum satis petit annum continuum, dum petit annum integrum; non igitur potest dici, quod non sit derogatum tali priuilegio ex eo quod Concil. expressè non petit anni continuitatem. Tertio quia nec valet dicere quod Concil. ibid. expressè non derogat priuilegijs quia ex rigore locutionis colligitur quod eius mens sit illis derogare. Quarto nam Concilium vult Religiosum experiri omnes Ordinis asperitates, & contra hoc nullam renunciationem, vel priuilegium suffragari. Item decretum Concilij parum prodesset, quia cum Religiones ferè omnes gaudeant priuilegio communicationis; iam continuitas nouitiatus ferè in nulla Religione locum haberet. Et ita hanc partem sequuntur *Sanchez l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 35. *Miranda q.* 55. *a.* 4. *a. S. Fausto, l.* 5. *Thes quæst.* 154. *Barb. in c. ad Apostol. de reg. n.* 5. *& ad c.* 15. *Con. Trid. sess.* 25 *de regul. n.* 56. *& de off. Epis. all.* 101. *nu.* 53. *Diana* 3. *p. res.* 89. *tract.* 2. *de regular. & apud eum Villalobos. Donatus p.* 4. *tract.* 9. *q.* 11. *Coton. lib.* 4. *contr.* 3. *cap.* 5. *num.* 48. *Festus parte* 2. *c.* 14. E contra verò Concilium Tridentinum non derogasse huic priuilegio tenet *Rodriquez* 3. *p. q.* 15. *a.* 8. *&* 10. *Sorb. v. nouitius vers.* Sed Iulius. Idem placet *Anton. à Spir. S. tr.* 3. *dis.* 2. *num.* 66. Quamuis addat in sua Religione id non practicari, seu praxim esse in contrarium secundum communem sententiam. Sed prior opinio præferenda est, quia seruanda est constitutio Concilium Tridentini volentis quod professioni præmittatur probationis annus integer nedum sed continuus, vt benè Festus aduertit loco citato, & est communis DD. sententia.

155. Quæritur tertio est, an per Concilium sit reuocata vna Constitutio Ord. Præd. in qua sic decernitur. *Dist. p. c.* 14. *§.* 11. *Nouitios quoq; recedentes sine licentia cũ habitu à Conuentu, nisi infra octodies ad eundem redierint pro refutatis ab ordine habemus: & si ad alium Conuentũ declinauerint, & fuerint ab illo acceptati pro nouitijs, volumus annum probationis inchoari ab illo die, quo in ipso alio Conuentu fuerint acceptati. Quod si nullibi pro nouitijs acceptati fuerint post exitũ sine licentia pro refutatis, & nõ nouitijs tales haberi volumus, quanto tẽpore sic permanserint.* Hunc verò textũ sic exponit *Donatus p.* 4. *t.* 9 *q.* 12. quasi ex eo colligatur quòd tẽpora interpollata coniugantur saltem respectu eiusdem Conuentus à quo no-

ultius recedit. Quod probat primo ex illis verbis *si ad alium Conuentum declinauerint &c.* sensus enim apertus est, non esse necessarium, vt inchoet nouum annum probationis nouitius rediens ad eundem Conuentum, sed quod iungere possit tempora interpollata. Secundo hoc idem colligit ex illis verbis *quod si nullibi &c.* consideratis illis vltimis verbis *quanto tempore sic permanserint*, Decernit enim Constitutio hoc solum, quod habeatur pro non nouitio pro eo tempore, quo permanserit nouitius extra Conuentum, & ex consequenti quòd pro tempore nouitiatus sibi computetur totum tempus in quo fuit in Conuentu. Quo stante censet hanc constitutionem reformatam, & correctam fuisse per Concil. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 15.* quia sicut nec ante annum 16. sic nisi post continuum annum nouitiatus possumus nunc profiteri. Festus autem in summar. *Constit. Ord. Pred. p. 2. c. 15.* in fine putat tutius esse non vti hac Constitutione, quia videtur Concilium restrinxisse annum probationis ad continuitatem.

156. Verum nihil est in huius Constit. textu, quod dici possit restrictum per Concilium Tridentinum etiam supposito, quod ex vi Concilij annus probationis debeat esse continuus, sed bene ex hoc textu comprobantur determinata à nobis in præcedentibus, quia scilicet in casu huius Constitutionis nulla est interpollatio anni probationis, nisi quam ipsamet decernit. Nam hæc constitutio loquitur in casu nouitij recedentis quidem à Conuentu sine licentia, sed habitu non deposito. Videns verò constitutio quòd recessus à Conuentu habito retento per se non est in foro externo desertio Religionis, & recessus à Religione, vt supra etiam probatum est, & ex consequenti non est discontinuatio anni probationis, licet sit inobedientia eius qui adhuc censetur esse Religiosus, ideo consulens bono Religionis tria statuit; Primum quòd si nouitius infra octo dies redeat ad eundem Conuentum, recipiatur nulla habita ratione illorum dierum in quibus extra Conuentum fuit. Non enim in hoc casu, vt exponit *Donatus* statuit vt coniungantur tempora interpollata, sed quod nulla sit, & habeatur temporum intepollatio, & discontinuitas, vult enim solum quòd nouitius habeatur pro non nouitio, si non redeat infra octo dies, sed si infra illos redeat, pro nouitio redeunte vult illum recipi, & pro tali, qui numquam desierit esse nouitius, quia decernit haberi vt non nouitium solum, si non redeat infra octo dies. Videns enim Constitutio, quod recessus nouitij à Conuentu retento habitu per se non est recessus à Religione, ex alia verò parte considerans malum esse vt nouitius non recedens à Religione velit diu manere hoc modo inobediens extra Conuentum, merito statuit vt post octo dies habeatur nouitius pro repudiato, & non nouitio, & ex consequenti quòd tunc interpolletur annus nouitiatus cessante nouitio ab hoc quòd est esse, & haberi pro nouitio. Secundum quòd statuit est, quod si infra octo dies redeat sed ad alium Conuentum incipiat de nouo annum probationis; quod merito Constitutio definit, vt nouitius alteri Conuentui incognitus ab eo per annum cognosci possit. Tertium quòd statuit est, quod si nouitius nullibi acceptatus fuerit intra scilicet illos octo dies, & post illos redierit habeatur pro non nouitio pro illo tempore, quo fuit extra Conuentum, & sic coniungantur tempora interpollata, non enim hæc vltima pars textus repugnat primæ, vnde in hac vltima parte non loquitur vniuersaliter sed in casu quòd nouitius intra octo dies nec redierit ad Conuentum nouitiatus, nec fuerit alicubi acceptatus, nam cum in prima statuatur, vt habeatur pro non nouitio solum si non redeat infra octo dies contradiceret sibi si habendus esset pro non nouitio etiam in casu quòd rediret in illis octo diebus, quia siue rediret infra octo, siue post octo dies eadem regula teneretur, vt haberetur pro non nouitio solum pro illo tempore quo nouitius esset extra Conuentum, & sic habendus esset pro non nouitio etiam si rediret infra octo dies, sicut si rediret post illos, cuius oppositum decernit Constitutio in prima sui parte.

157. Ex his modo ostenditur nihil esse correctum per concilium Tridentinum. Et quidem non in prima parte, quia Constitutio merito non habet huiusmodi recessum cum habitu vt discontinuantem annum probationis; quia nisi constet extrinsecus nouitiũ recessisse à Religione, & exisse à Conuentu animo se eximendi ab obligatione obediendi, & redeundi ad sæculum vel ad alium statum, annus in foro Ecclesiæ non discontinuatur vt probatum est supra ex communi doctrina, egressus verò à Conuentu per octo dies retento habitu non est talis qui (nisi aliud adiungatur) possit dici recessus à Religione; ideo per talem egressum non discontinuatur annus probationis: igitur ex eo quòd Concilium decreuerit annum probationis esse continuũ, nihil habuit ex eo quòd corrigeretur in hac parte Constitutio. Minus verò in secunda parte fuit correcta cum statuat annum probationis integrum & continuum iterum inchoari. In Tertia verò parte videtur quòd Constitutio sit correcta, quia admittit coniungi tempora interpollata; sed neque hic locum habet correctio, quia non loquitur in casu in quo annus ex natura rei sit discontinuus, sed in quo sit discontinuus ex sola iuris dispositione. Supponit enim constitutio, quod permanentia nouitij extra Conuentum habitu tamen retento etiam per tempus maius, quam sit tempus octo dierum non discontinuet nouitiatum ex natura rei, quod supra probatum est, & debet concedi ex doctrina communi, nam si nouitius sine licentia discedat vel causa infirmitatis, vel alterius necessitatis, & de hoc constet, siue quacumque alia causa taliter recedat vt non possit præsumi, quod exierit animo deserendi Religionem, tunc in eo nouitio non potest considerari egressus à Conuentu nisi vt inobedientia, sicut egressus eius, qui exit vt fornicetur, at verò inobedientia non discontinuat nouitiatum. Hoc ergo supponens Constitutio, & nihilominus ex alia parte statuens interpollari annum nouitiatus, si nouitius non redeat intra octo dies, vult vt si redeat postea non illi valeat illud tempus, in quo mansit extra Conuentum. Sed vbi Nouitius recedit à Conuentu habitu deposito quod in foro externo est verè deserere statum Religiosum, & ex consequenti si etiam habitu retento ita & cum talibus circũstantijs exeat nouitius vt in foro externo eius exitus sit Religionis desertio, Constitutio

in hoc

in hoc casu non loquitur in illo textu, nec decernit vt respectu huius nouitij coniungantur tempora interpollata, quæ ex iure canonico interpollata sunt, & discontinuant annum nouitiatus, sed loquitur in casu in quo ea iure Canonico annus non discontinuatur, sed discontinuatur ex iure proprio à se statuto, quod non excedit limites suæ facultatis, & contra quòd Concilium nihil statuit quia si continuitatem statuit illam statuit, quam natura ect, & lex Canonica decernit, non verò quam lex specialis ordinis Prædicatorum præscribit.

158. Tertio quæri potest de eiectis ab ordine, an si redeant, debeant integrum, & continuum nouitiatum peragere. Et quidē certum est, vt dictum est supra, si iniuste eiecti sint, non teneri ad nouum nouitiatum; quia non imputatur illis egressus ab ordine cum per illos non steterit, quin manerent *regula iuris 41. Non imputatur &c.* vt probatum est supra *num.* 27. Sed si iuste eiecti sunt teneri ad integrum nouitiatum repetendum docet. *Bordonus* q. 12. ex Vechio, quem alij sequuntur, & confirmat Religionum vsus *Coton. lib. 4. con. 3. c. 3. num.* 46. sed obseruanda sunt dicta, & explicata supra *num.* 141. & 143.

159. Quarto difficultas est de licentiatis ratione nullitatis suæ professionis, an si recipiantur teneantur ad nouum nouitiatum. Non teneri enim affirmat *Bordon. de profess. cap. 4. q.* 36. Tum quia nouitiatus requiritur ratione experimenti, hi autem Religionem experti sunt, & Religio illos, licet experimentum fuerit nullum ex aliqua circumstantia, vt v. g. defectu loci designati. Tum secundo, quia ratificans professionem non tenetur ad nouum nouitiatum, licentiatus autem ratione nullitatis suæ professionis non indiget nisi ratificare professionem. Tum tertio quia Vrbanus Octauus in sua Constit. Religiosos viros super nullitate professionis facta ex non habito nouitiatu in Conuētibus deputatis, in facienda de nouo professione seruatis seruandis exclusit necessitatem noui nouitiatus, *ibi absque nouo probationis anno*; ergo signum est nouitiatum non esse repetendum volenti de nouo profiteri. Nec obstat si dicas, tunc illos fuisse dispensatos, quia ibi nulla est mentio talis dispensationis. Professus ergo inualidè etiam ex capite nullitatis nouitiatus non tenetur repetere nouitiatum, igitur neq; ad id tenetur licentiatus, quia ipse non fuit abusus priuilegio Vrbani Octaui, sed eo non est vsus, vel illi renunciauit, hac renunciatione interim non acceptante Pontifice, imò ægrè tulit recedentes prætextu sui breuis potest ergo sic licentiatus reuerti, & non tenebitur ad nouum nouitiatum, nec Religio si vult illum recipere debet nouitiatum exigere. Tum quarto quia eiectus rediens non tenetur ad nouum nouitiatum, cum tamen sit ea culpa eiectus vt tradunt *Rodriq. to. 3. q. 30. a. 19. & Sanchez. dic. cap. 9. numero* 33. quidquid dubitet *Nauar. cons.* 80. *de Regular.* ergo multo minus licentiatus sine culpa, si reuertatur recipiendus erit sine nouitiatu. Tum quia *Beia p. 3. n.* 29. ait licentiatum si reuertatur ad eundem Conuentum, vel prouinciam nō teneri ad nouum nouitiatum. Vnde licentiati à iudice non competate ob nullitatem professionis, si redeant ad eundem, vel alium Conuentum recipiendi sunt sine nouo nouitiatu, cum isti potius sint apostatæ. Limitat tamen assertionem, quia si licentiatus absit per notabile tempus, putat quòd Religio possit eum recipere sub conditione noui nouitiatus. Tum quia amisit omnia iura, quæ habebat in Religione, & præsertim ex Breui Vrban. 8. Tum quia diuturnitas temporis mutat mores *l. si non fortem §. Libertus ff. de cond. indeb.* Tum quia dum mutatur locus mutatur mentis affectus. *cap. valet dist. 81. cap. Fratrem d.* 88. Ex his enim apparet necessitas noui nouitiatus, & hoc siue licentiatus redeat ad aliam, siue ad eandem Prouinciam seu Conuentum. Notabile verò tempus putat esse vnius anni, nam post annum dicitur notabile, & longum tempus, ex *Gloss.* breuiori *cap. vn. de vit. & honest. Cler. in* 6. Quamuis Beia *loco citato* in reuertente ad eandem Prouinciam putet non esse necessarium nouum nouitiatum, etiam si per decennium abfuerit. In quæst. autem 37. expresse quærens an in ratificante professionem nullam ex nullitate nouitiatus, sit necessarius nouus nouitiatus, sequens doctrinam *Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 37. num.* 47. Existimat quòd non esse necessarium. Sed & quòd vniuersaliter ad ratificandam professionem nullam ex quacumq; causa si nouitiatus fuit habitus post pubertatem, & fuit continuus non sit necessarius nouus nouitiatus tenuerunt *Barbosa ad cap. 15. num. 12. Concil. Trid. sess. 25. de Regular. & apud eum Azor. e S. Fausto, & Peregrinus*.

160. Sed cum asserendum sit iuxta dicta superius, & declarationes S. Cong. recentiores non esse necessarium nouum nouitiatum vbi ratificanda sit professio nulla ex alijs capitibus, si eam præcessit validus nouitiatus, etiam si nouitius post annum probationis recesserit, vel licentiatus fuerit, quia per huiusmodi discessum non inualidatur nouitiatus validus, qui præcessit, & alias non est necessaria immediata coniunctio, & non interpollata inter nouitiatum, & professionem: Vnde nouitius qui validum nouitiatum habuit, si postea discedat, ex quacunque causa discedat, re manente integra, nimirum non mutata nouitij aut Religionis conditione potest, & si alias recipitur, debet admitti sine nouo nouitiatu: Et hoc est verum etiam si non redeat ad eundem Conuentum: solum est discrimen, quod in sententia volente quòd professio debeat haberi in Conuentu nouitiatus ad hoc, vt sit valida: si huiusmodi nouitius redeat ad alium Conuentum non designatum non poterit in eo profiteri. Sed in sententia quæ docet, quod in quocumq; Conuentu haberi potest professio, dummodo nouitiatus validè habitus fuerit in Conuentu designato, qui vult publicè ratificare professionem in quocumq; eiusdem Religionis Conuentu voluerit, poterit eam ratam habere, absque necessitate nouitiatus noui, habitis literis testimonialibus Conuentus in quo fuit nouitius de integritate, & valore nouitiatus sui, & de sui idoneitate, & approbatione ad professionem iuxta dicta supra *num.* 40.

161. Sed vbi professio sit nulla, ex nullitate nouitiatus, non potest nouitius validè iterum profiteri, seu (quod idem est) ratificare professionem nisi nouitiatus validus præcedat, aut super hoc a Pontifice dispensetur. Ratificatio enim profes-

fionis

fionis nullæ non fit nisi per nouam professionem, quia quod est nullum numquam fit validum. Potest quidem quod semel nulliter est factum, iterum fieri valide per nouum actum, sed actus nullus proprie ratificari non potest, quia non potest ratificari quod nullum est. *Surd. dec.* 245. *n.* 5. *cum seq. &* *cons.* 183. *n.* 34. *&* 35. *Costa de retrotract. casu* 4. *cap.* 8. *n.* 16. *Tascus L. R. concl.* 24. & alij quos refert, & sequitur *Barbosa Axiom.* 197. *n.* 17. Sic ergo professio nulla impropriè dicitur ratificari, sed propriè quod nulliter fuit factum, fit valide per nouum actum. Nec huiusmodi ratificatio retrotrahitur ad diem, & horam emissæ professionis nulliter, quia nulliter actum nequit fieri validum, vnde nec fit quod tunc valide quis fuerit professus, nulliter. Sic igitur cum ratificatio ista professionis non sit nisi professio, de cuius substantia est, vt non fiat, nisi post validum nouitiatum, sicut non potest quis profiteri, sic nec potest ratificare professionem nullam, nisi præmisso valido nouitiatu.

162. Nec quæ ex d. Constit. Religiosos viros Vrbani 8. adducuntur probant. Ea enim constit. disposuit solum de professis nulliter ex parte Nouitiatus de præterito, & vsq; ad diem 2. Aprilis 1631. *Cæterum similibus in posterum, consultum esse volentes, &c.* Et quantū ad præteritos fuit specialis gratia, & dispensatio Sedis Apostolicæ, ibi, *Absque noua probationis anno ex speciali huius Sanctæ Sedis benignitate auctoritate nostra Apostolica recipiant, & admittant.* Ex hoc enim manifestum est, quod ex natura rei nouus nouitiatus necessarius erat ad validè ratificandam professionem nullam ex nullitate nouitiatus; quia Pontifex ex speciali gratia, & benignitate concessit, vt professio sine nouo probationis anno posset ratificari.

163. Quod & probat alia ratio manifestissima; quia alias lex inducens nullitatem nouitiatus, & ex hoc irritans professionem, nullius roboris esset, si professio sit nulla, sine nouo nouitiatu ratificari posset, sed posset quilibet pro sua voluntate nihil curare de validitate nouitiatus, & nulliter profiteri, & postea ratificare professionem, & sic irridere legem, quæ nullitatem nouitiatus, & professionis statuit. Sed imo lex irritando professionem ex nullo nouitiatu habitam voluit ex hoc compellere nulliter professum ad nouum validum nouitiatum, si cupiat esse religiosum; voluit enim ex hoc timorem incutere, & reddere omnes obseruantes legis nouitiatus, ne aliter vel perdant oleum, & operam, & non possint valide profiteri, vel necessitentur ad nouum nouitiatum. Et ideo quod vbi professio est nulla ex nullitate nouitiatus, ad valorem professionis habendum, sit necessarius nouus nouitiatus, tradiderunt *Nauar. cons.* 26. *n.* 7. *de Regular. Rodriq. tom.* 2. *sum. c.* 5. *num.* 2. *Palacios* 4. *d.* 27. *disp.* 2. *col. vlt. Vech. disp.* 14. *dub.* 5. *n.* 8.

164. Ad ea quæ in oppositum adducuntur dicitur, quod nouitiatus requiritur ratione experimenti, sed ad hoc vt experimentum sit validum debet habere conditiones quas lex requirit. Falsum vero iam est probatum, quod ratificans professionem ex nullitate nouitiatus, non indigeat nouo nouitiatu. Quod probat etiam Const. Vrb. 8. malè adducta in contrarium.

165. Sexto quæri potest de professo vnius ordinis ad alium transeunte. Hunc enim non teneri ad annum professionis, si transeat ad ordinem laxiorem docuit *Cordaba in sum. q.* 38. & vniuersaliter de transitu ad quemcumque ordinem tenuerunt. *Henriq. l.* 13. *c.* 4. *n.* 2. *in Com. lit. O. Sorbus in Comp. priuil. v.* nouitius post secundum notabile. Quibus consentit *Caramuel in reg. S. Bened. d.* 45. *n.* 544. *& Diana p.* 7. *tr.* 11. *ref.* 25. dicit se huic doctrinæ libenter adhæsurum, si non obstaret praxis, & communis DD. sensus oppositum tenētium. Nihilominus probat *Caramuel* suam sententiam primo quia cum Concilium Tridentinum nō loquatur expresse de transeuntibus de vno ordine ad alium, & alias lex eius contineat materiam obligationis, quæ est strictæ interpretationis, ad illos extendi non debet. Tum quia Concilium ibi loquitur de professione substantiali, per quam qui ex non religioso fit substantialiter religiosus, non vero de accidentali, per quam de religioso vnius ordinis fit religiosus alterius ordinis. Nam hic substantialia religionis iam expertus fuit, & supersunt ei experiri accidentalia, ad quod non est necessarium anni integri experimentum.

166. Sed nihilominus religiosum transeuntem de vno ordine ad alium nō posse profiteri nisi præmisso anno probationis integro, & continuo docent *Nauar. l.* 3. *de reg. consil.* 53. *num.* 5. *&* *cons.* 61. *n.* 4. *&* 62. *n.* 5. *&* 77. *n.* 4. *Sà v. religio n.* 35. *Azor. l.* 12. *c.* 14. *q.* 15. *Rodriq. t.* 3. *q.* 15. *a.* 11. *& tom.* 2. *sum. c.* 6. *n.* 10. *& Corduba citatus in* 2. *edit.* dixit, id quod asseruerat in *p. edit. videri sibi correctam à Concil. Trid. Miranda tom.* 1. *q.* 22. *a.* 2. *Suarez l.* 5. *c.* 4. *n.* 12. *Peregr. tr.* 2 *c.* 1. *p.* 2. *Consil. c.* 1. *lit. C. §.* 19. *Diana p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 133. *Bordon. cap.* 4. *q.* 4. *Coton. l.* 4. *contr.* 3. *c.* 2. *n.* 43. *Barbos. ad cap.* 15. *sess.* 25. *Concil. Trid. n.* 17. *vbi ex Sell. quod decisum fuit in vna Montis Regal.* 13. *Nouem.* 1627. quod Discalceati Ord. S. Trinitatis de licentia Papæ transeuntes ad laxiorem Calceatorum debeant subdi anno probationis, sed non teneantur emittere professionem. *Anton. à Spir. S. tr.* 3. *disp.* 1. *sect.* 12. *n.* 4. *Tambur. t.* 3. *d.* 6 *q.* 7. *n.* 13. *& q.* 11. *n.* 5. *vbi ex Vech. quod Greg.* 13. *de anno* 1579. *constit.* 56. decreuit fieri probationis annum à Patrib. Obseruantibus ad suos reformatos transeuntibus. Et quod apud Capucinos est idem statutum de transeuntibus ad ipsos ex Ordine Conuentualium, aut Obseruantium. Quoniam annus probationis nedum datur ad fauorem profiteri volentis, sed Religionis, ad quam maximè spectat experiri an nouitius transiens ex alia Religione sit aptus Religioni. Et quia praxis est, vt qui volunt citra pfiofeteri petant dispensationem.

167. Nouissime vero *Reuerendiss. Fagnanus* tenet quod nedum vbi sunt diuersi ordines transiens de vno ad alium teneatur ad nouitiatum habēdum per integrum annum antequam profiteatur; ad quod cōsiderat quod multoties contingit, quod cum Religio quæ generaliter sit largior, quam alia, tamen censeatur strictior respectu alicuius particularis instituti, vnde æquū est, vt Regularia experiatur particularis austeritatis Ordinis ad quem trāsit: Sed vlterius arbitratur, vt etiā si Religiones diuersæ sint eiusdem Ordinis, & Regulæ, & sub eadē regula distinguantur tanquam Discalceati, à Calceatis, vel Reformati à Conuentualibus, non detur transitus ad vnam Religionem ad aliam sine

noua

nono nouitiato. Quod probatur, quia ad effectum de quo agitur, Religiones censeri debent, ac si fine diuersę speciei, quando vtrobiq; diuersa viuendi ratio obseruatur, vt probatur in Clem. 1. de Elect. & in Clem. Eos, *de Regular. Nam Gemin. conf.* 41. ait species Religiosorum discerni ex diuersitate professionis in habitus, intelligendo verbum illud professionis non substantialibus Regulæ, quia in illis Religiones omnes conueniunt, vt notatur *in cap.* 2. *de Eccles. ædifican.* Sed pro diuersitate Regularis disciplinæ, vt idemet declarat inferius, quam actionum diuersitatem consideret etiam *Anchar. conf.* 321. *in princ.* Idq; procedit siue idem sit institutor, & eadem regula siue non. Nam cuius vitam gerimus, eius regulæ fore censemur, vt dicebat Abbas antiquus relatus à Io: Andr. *in cap. Recolentes circa princ. de stat. Monach.* Ideoq; diuersa seu strictior Religio ad effectum transitus non dicitur considerata prima regula, sed habito respectu ad præsentem regulam, & constitutiones factas vltra regulam *Lap. alleg.* 130. *num.* 1. *Zabarel. conf.* 28. *Innoc. in cap. Sané de Reg.* Quod patet exemplo Capucinorum, & Minorum de obseruantia, qui militant sub eadem regula S. Francisci, & nihilominus nulli dubium est has Religiones censeri diuersas, & adeo vt à Capucinis minimè liceat ad obseruantes transire iuxta *cap. licet, de Regular. & Trid. sess.* 25. *cap.* 19. sed addit *num.* 51. quod imò hoc procedit etiam si vtriusq; Religionis sit vnus Generalis. Nam adhuc si vna Religio sit strictior ad hunc effectum transitus censeantur Religiones diuersæ, vt patet in Religionibus Calceatorum, & Discalceatorum S. Augustini; certum est enim à Calceatis non dari transitum ad Discalceatos; ergo inter has est specifica differentia; alias enim si esset vna Religio daretur transitus indistinctè de vna ad aliam, sicut datur de vno ad aliud Monasterium *cap. Nullus, de elect. in* 6. Probantur verò prædicta, quia in Concil. Trid. d. cap. 15. statuitur vt in quacumq; Religione nullus admittatur ad professionem, qui per tempus minus anno in probatione non steterit. Et ponderatur dictio quacumque quæ, cum sit vniuersalis, comprehendit etiam illa, quæ alias non comprehenderentur *cap. solitæ, vers. quodcumq. de maior. & obedien. & c.* 2. *de obser. ieiun. cap. si Romanorum dist.* 19. Quod eo magis procedet hoc casu considerata prægnantia, ac geminatione verborum qua Concil. vtitur tam *in d. cap.* 15. quam *in cap.* 22. eiusdem *sess.* Hæc enim geminatio tantæ est virtutis, vt omnia comprehendat, quæ excogitari possunt, etiam casus improprios, etiam in materia pœnali. Vnde sensus Concilij est annum probationis præmittendum esse in quacumq; Religione siue strictioris, siue laxiori. Quam verborum geminationem considerauit ad hunc effectum etiam. *Nauar. conf.* 62. *num.* 9. *de Regular.* Secundo idem probatur, quia Religiosus vnius ordinis non potest fieri Religiosus alterius sine noua professione; igitur neq; sine nouo Nouitiatu in anno probationis, qui ad validitatem professionis requiritur de iure communi, in Ord. Mendicantium. *cap. Non solum, & cap. Constit. de Regular. in* 6. quam generaliter in omnibus, ex Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* Item probationis necessitas inde probatur, quod si strictiorem ordinem professus transeat ad laxiorem, facile contingere potest, vt ante actę vitę asperioris moribus Religiosorum viuentium in Ordine laxiori se conformare renuat, & quòd alij etiam Religiosi ægre ferrant a cerimoniam professi in ordine asperiori, & sic oriantur discordiæ, & male satisfactiones, & insurgat inquietudo, & tollatur conuientiæ pax. Sed & sæpius contingit, vt Monasteriorum quies perturbetur recepto aliquo inquieto, litigioso, & seminante discordias, vnde vndequaque necessarium est experimentum, nam alias mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu malam consueuerit retributionem reddere hospitibus. Qui ergo discedit à proprio ordine timere sibi debet, ne vel deficiat à feruore, vel angatur scrupulis, vel non valeat quierè alterius Ordinis moribus accomodari, Et alterius Ordinis Religiosi metuere sibi debent, ne perturbatorem pacis recipiant; vnde necesse est, vt ambo vicissim experimentum sumant, antequam per professionem vinculo indissolubili simul iungantur. *Bord. resol.* 54. *num.* 172. Sic tenet, quod in transeuntibus ad alium ordinem sit necessarius nouitiatus, quòd tamen hæc necessitas non deducatur ex Concil. Trid: aut ex decretis Clem. 8. de habendo nouitiatu in Conuentibus deputatis. Et sic arbitratur, quod isti in quocumq; Conuentu ad habitum admitti possiut. Quia Religiosi transeuntes ad alium ordinem, nec veniunt de seculo, nec nouiter profitentur, & hic transitus fit de ratio Decreta verò Clementis loquuntur de venientibus ad Religionem, & nouiter profitentibus, & de his, qui passim, & frequenter recipiuntur ad habitum, *sed Bordon.* sibi non costat; Nam *in eod. cap.* 54. *quæst. vlt.* totus est, vt ex Concil. Trident. probet necessitatem anni probationis in transeunti de vno ad alium ordinem impugnans latè opinionem Caramuel.

168. Considerari autem potest, quòd ex natura rei non valet hæc consequentia: est necessaria professio noua in Religione ad quam Regularis alterius Religionis transit; ergo est necessaria probatio experimentalis, quia ad prudenter eligendum non est necessarium experimentum in habitu Religioso habitum per se loquendo, sed sufficit intellectualis cognitio vndecumq; sit habita; cognitio verò tam Religionis, quam personarum potest aliunde haberi. Nam regulæ Religionis apparent in scriptis; & per se absolute loquendo, experimentalis cognitio personarum, & regularum potest haberi in quocumq; habitu, & ad hoc sufficit conuersatio. Pariter non valet consequentia ista: est necessaria probatio in habitu Religioso habita intra Claustra, ergo est necessaria probatio vnius integri anni: Vnde antiquitus, non erat necessarium vt Religiosi probarentur per annum ante professionem. Et adhuc licet *S. Gregor. in cap. Consaldus* 17. *q.* 2. præcepisset annalem probationem; quod fuit confirmatum *in cap. Ad Apostolicam, & in cap. ex parte de Regular.* tamen professio facta intra annum probationis de partium consensu non irrita ante Alex. 4. qui vt habetur *cap. Non solum, de Regular.* in sexto irritauit professionem factam in Ordinibus Prædicatorum, & Minorum non præmisso nouitiatu, & probatione per annum, quantum tamen ad vim obligandi

gandi ad Religionem in specie. Per se ergo & ex natura rei ad prudenter profitendum non est necessaria probatio habita in habitu Religioso per annum integrum, sed bene dari posset, vt quis prudenter in ipsa habitus Religiosi susceptione profiteatur. Vlterius verò considerari posset, quod neq; per se valet hæc consequentia, probatio per annum integrum in habitu Religioso ad hoc vt prudenter profiteatur seu ad professionem admittatur iudicatur necessaria in seculari transeunte de statu Regulari ad statum Religiosum; ergo est necessaria in Religioso transeunte ad ordinem siue laxiorem, siue arctiorem. Quia Religiosus cuiuscumq; Ordinis iam professus fuit substantialia status Religiosi, quæ in obseruantia trium votorum, & delatione Religiosi habitus consistunt. Et sic qui vnam Religionem experitur, & profitetur, simul quoad substantialia experitur, & profitetur omnes Religiones, vt tradunt *Feder. de senis. cons.* 5. *n.* 1. *Lap. alleg.* 130, *num.* 4. *Cald. cons.* 391. *alias* 6. *de Regul. Gemm. cons.* 41. *quos sequitur Fagnan. ad. cap. ad Apostolicam num.* 42. *de Regular.* Solum igitur in accidentalibus (quidquid in contrarium asserat *Bordon.*) potest probatio esse necessaria dũ Religiosus vnius ordinis transit ad alium ordinem; vnde in hoc non est eadem sed longè diuersa ratio Secularis, & Religiosi in alia Religione profiteri volentis. Vnde verè sic est, quod Religiosus, qui in alio ordine profitetur, non emittit substantialiter nouam professionem, sed illius professio est alia solum materialiter, & accidentaliter, & licet distent obedire in hoc, vel in illo, & huic, vel illi, tamen hæc est materialis, & accidentalis differentia respectu illius, qui obedire vouit secundum aliquam regulam Religiosam à Sede Apostolica approbatam, & non negatur quòd professio facta in posteriori Religione sit alia professio numero, vel etiam methaphysice loquendo sit distincta specie, quomodo vna Religio speciè ab alia distingui dicitur, de quo puncto sermo erit *quæst. seq. a.* 1. sed dicitur quòd respectu rei promissæ & ad ea, quæ sunt substantialia Religioni, non est noua, quia substantialia status Religiosi sunt communia omnibus Religionibus.

169. His sic stantibus dico primo, quod intra eundem ordinem transitus ad partem in qua Regula strictius obseruatur, vel è contra fieri potest, & sine noua professione, & sine probatione integri anni, & quod nec iura antiqua, nec Concilium Tridentinum *d. cap.* 15. comprehendit hunc casũ. Ratio est, quia non sunt hic diuersæ Religiones, sed vna Religio. Etenim vt consideratũ est infra *q.* 188. *a.* 1. Vbi in parte in qua sub eodẽ Generali strictius viuitur nihil præcipitur, quod sit simpliciter supra regulam, aut leges fundamentalis Ordinis, ibi simpliciter est vna regula, & vna regulæ professio. Et quidem poterit esse, quod ex lege Ordinis sit prohibitus transitus de vna parte ad aliam sine speciali licentia vel Generalis, vel etiam Summi Pontificis, orta talis legis necessitate, ne vel Religiosi strictioris obseruantiæ relaxentur, si ad partem laxiorem transeant, vel strictior obseruantia paulatim decrescat, si ad eam partem transeant, qui sunt laxiori obseruantiæ assueti. In Ordine Prædicatorum, in quo illi, qui à quibusdam dicuntur reformati, non distinguuntur ab aliis, nisi in exactiori obseruantia eiusdem regulæ, & constitutionum: quod totum consistit in hoc, quod illi non vtuntur dispẽsationibus ita libere, sicut alij faciũt, transitus habetur de licentia Generalis de prouincijs in quibus non viget tam exacta obseruantia ad magis obseruantes, & è contra sine necessitate nouæ probationis.

170. Dicitur secundo, quod vis primæ opinionis Caramuelis consistit præcipuè in sequentibus motiuis, nimirum quod de rigore iuris transitus de vna Religione ad aliam, non videatur comprehendi sub iure communi contento in *cap. Gonsaluus* 27. *q.* 2. *& cap. ad Apostolicam, & cap. ex parte, de Regular.* vel sub iure nouo *cap.* 15. *sess.* 25. *Concil. Trid. de Regularibus*, quia hic transitus continet solam mutationem accidentalem status, & ad hunc transitum non est necessaria noua professio, quantum ad substantialia. Vnde nec quæ ex opposito adducuntur diminuunt vim rationis huius. Dum enim dicitur quod Concilium de professione absolutè, & simpliciter loquitur; hoc probat oppositum, & assertionem nostram firmat. Quia imo Regula philosophyca est, quod vbi nomen diuersimode dicitur de vno simpliciter, de alio secundum quid, nomen absolutè prolatum stat pro primo, quod est simpliciter tale. Quod in materia legali omnino seruandum est, quando sumus in materia odiosa requirente strictam interpretationem, qualis est lex irritans professionem religiosam, si eam non præcedat annus probationis. Modo professio emissa à Religioso transeunte ad alium ordinem est professio noua secundum quid, & quia nihil Deo quantũ ad ea, quæ sũt de substãtia Religioso status de nouo promittit, quod nõ promisisset, & solũ materialiter, & accidentaliter variatur. De hac ergo professione intelligi nõ est necesse iura loquẽtia de professione simpliciter, & absolutè.

171. Et ita dum additur quod etiam in transitu de vno Ordine ad alium adest necessitas experimenti, & militat finis quem habuerunt legislatores ad instituendum annum probationis; respondetur quod est manifestissimum non esse eandem rationem, nec militare eundem finem simpliciter, & adæquatè, quoniam hic non est necessitas experimenti nisi quantum ad accidentales quasdam obseruantias, & exercitia, cum Religiosus cuiuscumq; Ordinis iam substantialia omnium ordinum fuerit expertus. At vero ex similitudine, vel identitate rationis, & finis non debet extendi lex positiua, maximè si sit strictæ interpretationis, quando ratio & finis est simpliciter diuersus, & solum similis, vel idem secundum quid. In transitu ergo de vno Ordine ad alium vrget quidem lex naturalis prudentiæ, & adeo vrget vt prudentia dictet, quod Religio qualibet debeat se reddere difficillimam ad admittendum religiosos alterius Ordinis, nisi apertè constet de necessitate, aut causa transitus, nimirum quia Religiosus infirmitate necessitatur ad asperitatem sui Ordinis relinquendam, vel ex vero zelo maioris perfectionis mouetur, & adhuc personales conditiones transire volentis inquirendæ sunt, & cognoscendæ; Et experientia propterea sæpius ostendit huiusmodi transitus ferre inquietudines tám transeuntibus, quàm Religionibus ad quas transitur. Sed nihilominus non per hoc concludi potest, quod hic casus comprehendatur sub

lege positiua requirente annum integrum probationis ad professionem, & illam recitante, si hic annus integer non præcedat, quia huiusmodi lex loquitur de professione simpliciter, in qua de nouo quis profiteatur statum Religiosum secundum substantiam.

172. Et sic dum etiam dicebatur, quod Concilium Tridentinum loquitur vniuersaliter de quacumq; Religione, hoc dato, non probatur intentũ, quia non loquitur, nec in rigore iuris debet intelligi de quacumq; professione, cum hoc non explicet, neq; vtatur ad hoc signo aliquo vniuersali; ideo de sola professione religiosa simpliciter dicta, & substantiali intelligitur. Nec est vnde dicatur professionem hanc esse substantialem, cum hoc sit de natura professionis, quia dicitur quod non est noua, quantum ad ea, quæ sunt de substantia status Religiosi. Et non est vnde fiat fundamentum in eo, quod Religiones specie distinguantur ad inuicem, & sic etiam specie distinguantur professiones, quia vt probatur infra q.188. a.1. in rigore, & proprietate sermonis Theologici omnes Religiones sunt eiusdem speciei, & in genere virtutis Religionis, & in genere status Religiosi, cuius substantia, essentia, & formalitas in paupertate, castitate, & obedientia Deo promissa consistit. Quamuis metaphorice, & in ordine ad effectus morales, quædam Religiones dicantur distingui specie. Sed quidquid sit de hoc, ad præsentem quæstionem sufficit, quod transiens ad aliam Religionem substantialia secundæ Religionis, & expertus, & professus fuit in priori Religione; Et sic noua vota sunt noua solum materialiter, quatenus cadunt indiuidualiter super materia distincta, & sunt noua accidentaliter, quia votis Religiosis accidit extendi, vel non extendi ad hanc vel illam particularem materiam. Et si in aliqua Religione detur votum aliquod vel solemne, vel simplex superadditum tribus votis, & hoc quoq; ad Religiosam perfectionem pertinet indiuidualiter, & ideo materialiter, & accidentaliter. Quo manent soluta ea multa quæ congerit *Bordon. d. quæst. vit.*

173. Hinc quoque sequitur quod huiusmodi transitus de vno ad alium Ordinem non est subiectus decretis Clem. 8. de habendo nouitiatu in Conuentibus designatis. Quia vt ex primo illo decreto dato 12. Martij 1596. habetur, Clemens loquitur de venientibus ad Religionem, & quidem passim, & de Religionem professuris; At verò Religiosus transiens de sua ad aliam Religionem, nec ad Religionem venit, nec passim hic transitus accidit, nec transiens de nouo simpliciter profitetur, & secundum substantiam, sed materialiter solum, & accidentaliter. Addo quod Clemens Octauus in secundo decreto 20. Iunij 1599. excipit venientes ad Religiones in quibus viget strictior obseruantia. At verò sine licentia Papæ non licet hic transitus nisi ad Religiones has arctiores, Vbi verò contingat transitus ad laxiorem, minor est necessitas nouitiatus.

174. Nihilominus dico tertio quòd etiam in transitu ad aliam Religionem est necessarius annus professionis integer, & continuus, & quòd in praxi nullo modo licet admittere transeuntem ad professionem ante annum probationis completũ, nisi in hoc obtenta dispensatione à Sede Apostolica. Ducor primo quia hic est sensus, & praxis vtriusq; S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Concilij Trident. Nam & cum negari non possit, quòd etiam in hoc transitu sit necessaria probatio, imò aliquando magis necessaria ex præsumptione annexa huic transitui, quòd transiens ex temeritate, & leuitate transeat, quod sit vir vel inconstans, vel inquietus, & turbolentus, vel obedientiæ parum assuetus, vnde necesse sit experimento vincere præsumptionem hanc malam, merito praxis obseruat, vt hic transitus sine nouitiatu non permittatur. Quamuis S. Cong. Regularium multoties concedat huiusmodi transeuntibus, vt profiteantur anno non completo. Addo quòd cum hodie ad nullas ferè Religiones possint Regulares transire sine licentia sedis Apostolicæ, vt probatur infra art. 8. in hoc trãsitu seruandæ sunt conditiones præscriptæ in concessione, & vbi non conceditur facultas profitendi non præmisso integro nouitiatu, ille præmitti debet, quia si sedes Apostolica super hoc dispensare voluisset, id expressisset. Sed ducor secundo, quia, vt aduertit etiam Caramuel in Reg. S. Bened. *disp.45. n.751.* professiones huiusmodi probabiles, quæ scilicet innituntur probabilitati alicuius opinionis expositæ sunt grauissimis tricis, & controuersijs; Nam taliter professi prætendent de facili, quòd probabiliter possint egredi, & Conuentus, quòd eos probabiliter possint dimittere, vnde huiusmodi professiones nunquam habent nisi securitatem probabilem: quo stante bene sequitur quòd illicitum est Prælatis secundæ Religionis admittere huiusmodi transeuntes ad professionem ante completum probationis annum, quia admittendo exponunt Religionem, & professum periculo litium, & dissentionum, & sic male administrant iurisdictionem sibi à Religione concessam. Vnde in his quæ annexam habent nullitatem actus, tutior pars est eligenda, & fugiendæ litium, & contentionum pericula: & in proposito nec transeunti licet petere admitti ad professionem ante completum annum nouitiatus, quia & ipse ex parte sua tenetur fugere occasiones litium, & ex charitate qua tenetur se diligere, debet fugere inquietudinem animi, & formidinem, & anxietatem, quam habet coniunctam professio, quæ solum ex ratione probabili, & vere incerta, est valida, & non nulla. Atque idem dicendum de nouitiatu habendo in Conuentibus deputatis, vbi id est statutum, quoniam cum nouitiatus alibi habitus sit nullus, non licet nec Prælato admittere, nec Religioso transeunti admitti velle ad professionem nisi præcesserit annus nouitiatus in Conuentu deputato. Vnde quando etiam prior illa opinio esset probabilis, non esset in praxi amplectenda, hac etiam ratione inter alias, quod illa habet adiuncta pericula non parua in foro externo: & in interno anxietatem, & paruam securitatem de statu profitentis Religionem, & sic inprudentissimum esset relinquere securitatem, & dubitationem amplecti. Ducor tertio, quia hæc secunda sententia est communior, imò communissima, vnde cum quæstio sit de interpretatione legis, cuius interpres eximia est consuetudo, fulcita DD. pondere; & authoritate, cum & praxis ipsa tribunalium, & consuetudo Religionum, & communis intelligen-

tia DD. vt patet ex relatis supra *n.*145. sit vt etiã in trãseũtibus ad Religionẽ sit necessarius probationis annus; sententia, quæ hoc asserit est & verior, & longè probabilior, & omnino in praxi sequenda. Et sic motiua primæ opinionis ex hoc manent soluta.

175. Potius videretur obstare priuilegium Leonis Decimi, qui prout habetur *in Compend. Priu. Mendic. num.* 27. concessit Prælatis Ordinis Minorum posse admittere ad professionem transeuntes de alijs Ordinibus ad eundem Minorum Ordinem de consilio discretorum Monasterij in quo profitetur: Nec videtur satisfacere id, quod ex *Rodriq.* respondet *Sanchez*, quia nimirum tale priuilegium cessauit per non vsum. Quia cum vti tali priuilegio sit arbitrarium vtentibus, quia solum de consilio, & consensu discretorum potest omitti annus probationis ex vi talis priuilegij, nõ bene colligitur cessatio priuilegij ex non vsu, cum sit in libertate eo vti, vnde quòd non vsi sint tali priuilegio, non fuit quia illi cessetint, sed quia sic illis placuit. Et præterea de hoc non vsu non constat. Nihilominus quòd hoc priuilegium sit abrogatum per Concil. Trident. bene dicunt *Les. l.*4. *cap.*41. *dub.*13. *num.*101. *Nauar. cons.*61. *de Regul. Sà v. Religio num.*31. *Rodriq.* 3. *p. q.* 15. *a.*11. *Mirand. p.*1. *quæst.* 22. *a.* 2. *concl.* 3. *Sanchez lib.* 7. *de Matrim. disp.* 37. *num.* 40. *Rodericus à Cunna in Comment. ad cap.*1. *num.*21. *dist.* 54. *Vech. in praxi disp.* 11. *dub.* 2. *num.* 5. quos refert, & sequitur. *Tambur. t.*3. *disp.*6. *q.*11. *num.*5. *Barbosa ad cap.*15. *nu.*16. *Concil. sess.*25. *de Regul.*

176. Qui autem transijt de vno ad alium Ordinem, si reuertatur ad Ordinem priorem à quo recessit, non teneri ad nouum nouitiatum, quia iam, & ille austeritates Ordinis, & Ordo eius mores expertus fuit, dixerunt *Nauar. cons.* 60. *de Regul. Bard. cap.*4. *q.*44.

177. Existimat verò *Anton. à Spir. S. tract.* 3. *disp.*2. *num.* 111. quod si Religiosus alicuius Religionis absq; licentia proprij Prælati admittatur in alia Religione, possit, licet tunc sit apostata inchoare validè nouitiatum in ea Religione nondum Prælati licentia obtenta, quia sic vere probat, & probatur à Religione. Imo cum nouitiatus de licentia Superioris possit peragi saltem ex parte extra Religionem, probabile sit, quod Religiosus adhuc manens in propria Religione, & deferens proprium habitum possit inchoare nouitiatum valiturum pro transitu ad aliam Religionem dummodo Religiosus recipiat manere tanquam subditus Prælati alterius Religionis ad quam transit. Sed si supponatur, quod in transitu Religiosi de vno Ordine ad alium sit necessarius nouitiatus ex vi decreti Concil. Trident. *sess.*25. *c.*15. huiusmodi dicta non habent rationis fundamentum. Nam ex vi Concil. Trident. habitus Religionis, quam nouitius vult profiteri, est de substantia nouitiatus, cum nouitiatus non incipiat nisi à die susceptionis habitus: Non potest igitur Religiosus in propria Religione adhuc manens inchoare nouitiatum valiturum pro transitu ad alium Ordinem. In casu etiam in quo licentia Superioris sit necessaria, nedum adhoc vt Religiosus licitè, sed validè recipiat habitum alterius Ordinis, Religiosus propriæ Religionis Apostata, & sine licentia tali transiens ad aliam Religionem, sicut neque legitimè, validè habitum alterius Ordinis recipit, sic nec validè inchoat nouitiatum, de cuius substantia est valida habitus susceptio, Vnde in neutro ex casibus prædictis nouitiatus esset validus. An verò talis nouitiatus possit ratificatione conualidari, alia est quæstio. *Vide infra num.*217.

178. Sexto dubium est de Laicis, seu conuersis transeuntibus de statu Conuersorum ad statum Clericorum. Videtur enim vera pars affirmans ex eo, quod Conuersus non est expertus austeritates ordinis Clericorum, & quia dicitur hoc determinatum à Congregatione de anno 1618. Verum oppositum est dicendum, Tum quia, vt sæpe est dictum non est necesse nouitios experiri in singulari omnes ordinis austeritates, Tum quia Conuersus, si non in se in alijs expertus est; quæ sint obligationes Clericorum, & religio experta est mores Conuersi, vnde ex vtraq; parte tanta notitia etiam experimentalis adest quanta sufficit ad hoc vt temerè non fiat hæc translatio, quæ etiã solum consistit in mutatione quantum ad particularia quædam statuta, non verò in substantia trium votorum. Tum tertio quia in breuibus, quæ expediuntur pro huiusmodi translatione solet poni clausula, etiam nouo nouitiatu non præmisso. Tum quarto quia hæc est Religionum praxis. Et ita hoc tenent *Peyr. in P.R. q.* 3. *cap.*1. *num.* 148. *Maron. lib.*4. *contr.*3. *cap.*2. *num.*41. *Anton. à Spir. S. tr.* 3. *disp.*2. *num.*101. & alij.

179. Septimo Fratres Tertij Ordinis S. Francisci non comprehendi sub decreto Concil. Trid. dixit Rota *dec.*591. *num.*7. *Barbos. ad cap.*15. *sess.*25. *Concil. Triden. num.*3. *p.*1. *diuers. Tambur. tom.*3. *disp.*11. *num.*7. Sed si sit sermo de Fratribus Tertij Ordinis S. Francisci, qui est Religio approbata à Sede Apostolica, in qua Religiosi profitentur per emissionem trium votorum, hoc assertum non est verum, cum huiusmodi Fratres sint propriæ Religiosi. Sed si loquitur de Tertiarijs, qui non profitentur solemniter, nec tria vota emittunt, nec sunt Religiosi, sic verum est, quod illi non comprehenduntur sub decreto Concil. *sess.*25. *c.*15. cum enim non profiteantur nec intra annum, nec post annum profitentur validè. Fratres tamen Tertij Ordinis S. Francisci ex priuilegio viuæ vocis oraculo concesso à Paulo Quinto medio Card. Aragonio possunt recipere Conuersos in quolibet Conuentu, vt refert *Bordon. ref.* 54. *num.*134. vbi *num.*138. sentit hoc oraculum non esse reuocatum: sed hæc est alia quæstio.

180. Octauo dubium etiam est de Ordinibus militaribus, an teneantur ad annum nouitiatus continuum affirmant *Nauar. & Rodriquez tom.*1. *summa cap.* 8 *num.* 2. *Grat. discept. for. cap.* 363. *num.*17. *Hier. Venero in Exam. Episc. l.* 6. *cap.*15. sed oppositum tenet *Sanchez. l.*7. *de mat. disp.*44. *num.* 8. Nam eos non comprehendi sub decreto Concil. Trident. *cap.*15. *sess.*25. refert decisum à S. Cong. *Armendar. in addit. ad recopil. legum Nauarra num.*7. & resoluunt Beia *resp.* casuum conscientiæ *p.*4. *cap.*28. *Azor. l.*13. *cap.*4. *q.*2. *Flamin. de resig. l.*6. *q.*2. *num.*2. *Coton. l.*4. *contr.*3. *cap.*2. *nu.*37.

Lezana

Lezana cap. 2. num. 9. a. S. Fausto l. 5. q. 169. Rota Romana Seraph. dec. 101. num. 2. Barbosa de off. Episc. alleg. 102. num. 5. Bordon. de profes. p. 4. q. 4. Antonius à Spir. Sanct. tract. 3. disp. 2. num. 50. Palaus tr. 16. disp. 1. p. 32. num. 6. Tambur. tr. 3. d. 6. q. 11. num. 6. Et in specie de militibus S. Stephani dictum decretum Conciliorum procedere decidit *Rota Romana part. 1. diversorum decis. 591. seu d. 121.* Coram *Seraph.* quam refert Riccius in praxi *fori Episc. decis. 1. in p. edit. & resol. 617. num. 6. in secunda edit.* Et ratio est, quia in odiosis isti ordines Militares non veniunt sub nomine Religiosorum, & quia Concilium *in cap. 16.* continuate loquens ad *cap. 15.* manifeste non comprehendit ordines militares sub decreto de renunciatione ante professionem facienda. quod est signum, quod neque de *illis* loquebatur *in cap. 15.* Tum tertio, quia *vbi* Concilium voluit comprehendere etiam ordines militares id expressit, vt patet *sess. 23. de refor. c. 18.*

181. Nec obstat, quod ordo equitum *Hierosol.* subiaceat illi decreto, vt fuit declaratum per S. Congr. & decisum referunt *Flamin. dicta q. 2. num. 120. Armendar. dicto loco num. 16. Nauar. Lucerna regul. v. milites, num. 10. Barbosa dicta alleg. 101. num. 8. & ad cap. 15. sess. 25. de Regul. Concil. Tridens.* Quia hoc est verum ex statuto illius ordinis facto inhaerendo decreto illo Concilij, & nihilominus neque eodem modo seruant decretum Concilij, ac regulares; quia illi in susceptione habitus professionem emittunt, quam deferendo habitum per annum ratificant, & non habent Monasterium in quo nouitiatum peragant, sed totus mundus est illis Claustrum, & vbique sint, viuunt sub obedientia Magni Magistri.

131. Item Cõmendatarij Monasteriorum, quae capita sunt, ac primates Ordinum, intra sex menses debent profiteri in illo Ordine, vel Commendae cedere ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 21. de Regul. Sanchez. lib. 5. cap. 4. num. 15. Palaus tr. 16. disp. 1. p. 12. num. 5.*

183. Conuertitas quoq; non teneri ad annum probationis supra est probatum. Sic si quis *bona fide* habuit nouitiatum ex defectu baptismi vitiosum cognito defectu non tenetur ad nouum nouitiatum, quia prior fuit validus in ratione experimenti.

184. Vltimo quaeri potest, quam poenam incurrant Superiores, si nouitium recipiant ad professionem non expleto anno probationis *Tambur. tr. 3. disp. 6. q. 7. num. 14. ex Peyrino de Praelat. q. 3. cap. 1. num. 98.* arbitratur quòd poenae suspensionis & aliae inflictae per *cap. non solum, de Regular. in 6.* contra recipientes ad professionem non probatos per annum, nunc post Concil. Trident. non habeant locum, quia poenae non habent locum quando actus qui fit est irritus, per *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 3. num. 5.* Modo ex vi Concil. Trid. professio emissa non expleto anno probationis est irrita, & propterea idem *Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 10.* hoc idem tenet in praesenti casu. Sed habemus declaratum oppositum per S. Cong. Concilij prout refert Nicolius ad tit. *de Regular. num. 34. vers.* Amplia quinto, & sic est tenendum.

SVMMARIVM.

1 *Prohibitio recipiendi ad habitum lata ab Innoc. X. num. 185.*
2 *Licentia iterum concessa, & sub qua forma. numer. 186.*
3 *Potest recipere ad habitum, qui potest ad professionem. num. 187.*
4 *Superiores possunt recipere ad habitum prout illis est concessum ex proprijs statutis, & consuetudinibus. n. 188.*
5 *Quis vsus in diuersis Ordinibus. n. 189.*
6 *Constitutio Ord. Praedic. num. 190.*
7 *Discrimen inter receptionem Conuersorum, & Clericorum. num. 191.*
8 *Nullus inferior Priore potest ad habitum recipere. num. 192.*
9 *Vicarij, & Suppriar quando possint ad habitum recipere. n. 192. 193.*
10 *In Vacantia Prouincialatus quis possit ad habitum recipere. num. 194.*
11 *Quid vbi datur Vicarius super Priore, vel super Prouinciali. num. 195.*
12 *In Prouincijs particularibus aliquibus Priores sine Prouinciali non recipiunt ad habitum. numer. 196.*
13 *Praelati locales possunt eijcere nouitios. numer. 196.*
14 *Episcopus ad vota simplicia potest admittere. num. 197.*
15 *Episcopus qui simul est Abbas potest ad habitum Religiosum recipere. num. 197.*
16 *Vel vbi Monasteria sibi sunt subiecta. nu. 197.*
17 *Episcopus ad exemptorum habitum non potest recipere. num. 198.*
18 *Commendatarius Abbate deficiente recipit ad habitum, num. 199.*
19 *Moniales recipere spectat ad Abbatissam. numer. 200.*
20 *Episcopus non potest praecipere vt aliqua recipiatur. num. 200.*
21 *Nisi in casu negligentiae, & respectu Monialium sibi subditarum. num. 201.*
22 *Seruanda sunt quantum ad Moniales statuta Religionum. num. 202.*
23 *In Ordine Minorum non recipitur Monialis sine licentia Praelati. num. 202.*
24 *Hoc commune alijs Monialibus, quia est de iure communi. num. 203.*
25 *Praelati Ordinarij facultatem recipiendi ad habitum, quam habent, possunt alteri delegare. num. 204.*
26 *Vicarij in Ord. Praedic. missi à Generali, vel Prouinciali super Praelatis Ordinarijs possunt recipere ad habitum. num. 204.*
27 *Facultas recipiendi ad habitum potest committi cuicumq; num. 104.*
28 *In Ord. Praedicatorum Prior non potest hanc facultatem licitè delegare. n. 205.*
29 *Consensus Capituli an sit necessarius ad recipiendum ad habitum, varie opinatum. numer. 206. 207.*
30 *Ex iure Communi nihil certi habetur de hac quaest. & seruanda sunt cuiuslibet ordinis particularia statuta. num. 208.*

31 *Vbi non adest consuetudo vel lex specialis, adhuc incertum ex iure communi, an hoc spectet ad Capitulum. num. 209.*

32 *Item incertum, an sit necessaria consultatio. numer. 210.*

33 *Item incertum, an receptia habita sine consultatione, vel consensu sit irrita. numero 211.*

34 *Intellectus cap. Nouit, de ijs, quæ fiunt sine consensu Capituli. num. 212.*

35 *Quod est contra Regulam aliquam, non est ex hoc irritum. num. 213.*

36 *Dari consuetudinem, vt nouitij non recipiantur, sine consultatione, & consensu Capituli, quidam dicunt. numero 214.*

37 *Hoc non est verum vniuersaliter. numero 215.*

38 *Etiam vbi consensus Capituli est necessarius sufficiet tacitus. n. 216.*

39 *Si nouitiatus ratificetur, quando incipiat. numer. 217.*

40 *In Ord. Prędicatorum Prior, & Prouincialis non possunt recipere ad habitum sine consensu Conuentus. num. 218.*

41 *Et hoc est de substantia. num. 219.*

42 *Sufficit consensus maioris partis, nisi quid maius requirat statutum speciale. numero 220.*

43 *Quid vbi partes sunt æquales, & Superior est ex vna parte. num. 221.*

44 *In casu necessitatis valet receptio habita sine consensu Conuentus. num. 222.*

45 *Consensus capituli irrationabiliter negatus non censetur datus. num. 223.*

46 *Consensus Capituli debet dari per vota publica, vel secreta iuxta cuiuscumq; Religionis statutá, & praxim. num. 224.*

47 *Quid seruetur in Ordine Prędicatorum. numum. 225.*

48 *Dissentiente Pręlato nullus potest recipi, etiam si consentiat Conuentus. nu. 226.*

49 *De iure Communi Conuentus, in quo non est nisi Superior, & vnus Religiosus, recipere potest ad habitum. num. 227.*

50 *Consensus debet dari capitulariter, & pręsente Prælato, num. 228.*

51 *An consensus dari possit per literas, vel per procuratorem. 229.*

52 *Quid de consensu dato ab excommunicato. numer. 230.*

53 *Non potest excludi idoneus. nu. 231.*

54 *Et hoc ex genere est peccatum graue. numer. 232.*

55 *Et quid si sit dubium an expediat. numero 232.*

56 *Excludere causa causa est peccatum graue. num. 233.*

57 *Ex causa admissus potest non admitti, & e contra num. 234.*

58 *Sapientis mutare Concilium in melius. numer. 234.*

59 *Consensus semel datus durat, si non reuocetur. num. 235.*

60 *Re integra non est necesse nouum consensum accipere. num. 235.*

61 *Conuentus potest dare consensum per compromissarios. num. 236.*

62 *Ad dandum hunc consensum non licet vti notitia Confessionis. num. 237.*

63 *Non tenetur quis dissentire ex notitia indignitatis habita per confessionem. numero 237.*

64 *Prælatus inferior Ordinarius valide recipit ad habitum etiam prohibitus id facere. numer. 238.*

De his, qui possunt recipi ad Nouitiatum.

INSPECTIO VII.

185. INnocentius X. in sua Constitut. Inter cætera, quæ data fuit die 17. Decembris 1649. prohibuit, & interdixit omnibus, & singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, Prouincialibus, & Conuentualibus, nec non Superioribus tàm Generalibus, quàm Prouincialibus, & localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant, nec iam receptos, aut in posterum contra huiusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad professionem admittant, donec licentiam recipiendi à S. Cong. deputata super statu Regularium recipiant, Alioquin receptiones tàm ad habitum, quàm ad professionem aliter factæ sint nullæ ipso iure, nullamq; inducant obligationem ad Religionem, vel in specie, vel in genere, aut ad alios quoscumq; effectus.

186. Postea de anno 1654. eodem Innocentio permittente S. Congregatiõ incœpit dare Superioribus Religionum licentiam recipiendi ad habitum, & professionem, sed quia non sub eadem forma huiusmodi licentia fuit singulis Ordinibus concessa, vnusquisque ex illis sibi præscriptam seruabit Reuerendiss. *Fagnanus ad cap. Relatum, n. 77. Ne Cler.* posuit formam sub qua Minoribus Conuentualibus fuit hæc licentia concessa, superueniẽte autem postea electione Sanctissimi Alexandri VII. eandem licentiam obtinuit etiam meus Ordo Prędicatorum, sed sub valde diuersa forma, quæ est infrascripta.

AD propagandam in Ordine Prædicatorum Regularē obseruatiã quæ nouitiorũ institutioni, & educationi præcipuè innititur Sac. Congregatio deputata super statu Regularium de mandato Sanctiss. D.N. Alexandri Papæ VII. in singulis Italiæ Prouincijs, & Cõgregationibus eiusdem Ordinis præsentis decreti vigore designat, ac deputat pro nouitiatibus Conuentus infrascriptos v.g. In Prouincia Lombardiæ Cõuentus S. Dominici de Ianua, S. Dominici Mantuæ, S. Dominici Cremonæ, & S. Dominici Anconæ, In Prouin. Romana Cõuen. S. Mariæ super quercũ in Viterbio, & S. Maria Nouella Florentia, In Prouin. Regni Conuen. S. Domin. Neapolis, & S. Marci, in Porta Salerni, In Prouincia Apuliæ Conuentus S. Dominici Monopoli, & S. Dom. Foggiæ, In Prouincia vtriusq; Calabriæ Conuentũ S. Dom. in Soriano, In Prouincia Aprutina Conuentus Iesus Maria Neapolis, & S. Dom. Aquilæ, In Prouincia S. Petri Martyris Cõ-

uentus S. Eustergij Mediolani, & S. Dom. de Cherio, In Congreg. Sanitatis Conuentum S. Mariæ Sanitatis Neapolis, In Congreg. S. Marci Conuentum S. Marci quercus Maioris, & pro Ordine in communi Conuentum S. Sixti Romæ.

In quolibet autem ex prænominatis Conuentibus pro Nouitiatibus supra designatis eadem S. Congreg. impertiuit licentiam recipiendi hac vice tantũ septem Clericos, & duos Cõuersos excepto nouitiato S. Dom. Soriani Prouinciæ vtriusq; Calabriæ in quo recipi possunt quatuordecim Clerici, & quatuor Conuersi. Ita tamen vt hæc quæ sequuntur inuiolabiliter obseruentur.

Primo vt induendus habita prius licentia Magistri Ordinis vel Prouincialis Prouin. vel Vicarij Generalis Congregat. in cuius nouitiatu recipiendus est à tribus Fratrib. ad id muneris à Capitulo Cõuentus electis publicè corã Patribus à Cõsilijs diligenter examinati nedum an linguam Latinã calleat, sed quo spiritu, qua mente, & volũtate id Regularis vitæ genus elegerit, quem sibi finem proposuerit, num zelo strictioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possit, vel leuitate, vel humano affectu, aut inordinato animi motu ducatur, & si spectatis, ætate, vt saltem decimum quintum annũ expleuerit, vita, & moribus anteactis, corporis habitu, alijsq; iuxta Ordinis Cõstitutiones necessarijs idoneus per secreta PP. suffragia repertus fuerit Capitulo Cõuentus proponat, vt ab eodẽ per similia vota secreta accepta si eidem idoneus non visus fuerit rejiciatur. Quibus peractis mox examinatus qui sub prædicta forma fuerit approbatus transmittatur in habitu Seculari ad Conuentum nouitiatus deputatum, vt in eo habitum Religionis recipiat, & lapso anno post susceptum habitum ad professionem admittatur sub exacta tamen vita communi ad præscriptam Regulæ cum solita protestatione, quod professio sua eundẽ obligabit ad tria vota secundum Regulã B. Augustini, & Constitutiones Ordinis, & non secundum quod hodie hic vel ibi seruatur, necnõ seruata forma Sac. Canonum, Conc. Tridentini Constitut. Apostolicarũ, & præcipuè Decretorũ S. M. Clementis Papæ VIII. ac Statutorum prædicti Ord. Fratres vero Cõuersi iuxta ipsius Ordinis Constitut. recipiantur prius ad habitum Tertiariorum, vel ad habitum Conuersorum, ita tamen, vt non admittãtur ad annum probationis nisi fuerint ætatis præscriptæ à Clem. VIII. quod si aliquem ex prædictis Clericis, vel Conuersis postquam receptus fuerit ante professionem à Religione discedere, aut expelli contigerit, alius in eius locum subrogari possit, seruatis tamẽ omnibus superius præscriptis. Post professionem vero emissam nouitij Clerici, vel maneant in eodem nouitiatu, vel in professorio habente requisita ad nouitiatum in eodem, vel altero Conuentu ibiq; permaneãt iuxta cõsuetudinem Ordinis vsquequo ad Sacerdotium promoti fuerint, quo etiam tempore possunt, quinimo, & debebũt Literarũ studijs operã nauare sub directione, & regimine Magistri, qui eas qualitates habeat, quibus Magistrum nouitiorũ præditum esse oportet, quemadmodum ipsius Clementis Decreto prouidè sancitum est. In ipsis autem Conuentibus non collocentur nisi Religiosi graues, docti, exemplares, & Regularis Obseruan. & puritatis Regulæ studiosi, præcipuè verò caueãt, ne ibi ponatur aliquis, qui nõ cõsentiat seruare vitam communem, quæ in prædictis Conuentibus ad Regulæ præscriptũ exactè custodiatur indeq; amoueatur, qui tã s. Ordinationi contradicere, aut quoquo modo se opponere ausi fuerint, contrarijs quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ die 15. Maij 1655.

B. Card. Spada;

Locus † Sigilli.

P. Fagnanus S. Cong. Secret.

Quoniam vero in huiusmodi Constitut. Innoc. X. & licentia S. Congregationis non determinatur, qui sint superiores quibus licentia recipiendi nouitios conceditur, sed hoc iuri communi, & cuiuscumque Religionis legibus relinquitur, inquirendum nobis remanet, qui sint superiores, quibus ex huiusmodi iure communi, aut statutis Ordinum competat recipere ad habitum, & professionem.

187. Eos autem posse ad habitum Religionis recipere, qui possunt admittere ad professionem, manifestum est, licet enim distinguantur receptio ad habitum, & professio, quod hæc est conuentio pura, & formalis, qua professus incorporatur Religioni in perpetuum, receptio vero ad habitum non sit conuentio omnino pura, sed resolutiua, & quasi conditionalis, vt docet *Sanchez l. 6. mor. c. 10. n. 21.* tamen receptio ordinatur ad professionem, & illius initium sit, ideo ille qui potest ad professionem accipere, potest accipere ad nouitiatum. Illi enim cui competit finem acquirere vel dare, competit etiam media in finem ordinare. Iuuat vero præmittere, quod recipere ad habitum, vel ad professionem non est actus iurisdictionis; ad contractus enim, vel quasi contractus perficiendos non requiritur iurisdictio, sed partium consensus. Receptio autem ad habitum, & professionem modum habet contractus, in quantum est receptio promissionis aut traditionis per quam Religiosus se obligat, aut tradit Religioni, quæ huiusmodi obligationem recipiendo incorporat profitentem toti corpori Religionis. Vnde est, quod requirit in acceptante professionem, superioritatem dominatiuam, quæ ex voto obedientiæ resultat in eo, qui est caput corporis Religionis vel in toto, vel in parte, quia illius est accipere ad consortium Religionis, & Religioni incorporare recipiendo profitentis traditionem, & obligationem, qui corpus Religionis repræsentat, & locum eius tenet. Hic autem est superior in Religione. Et quia etiam mulieres religiosæ sunt, ideo recipere ad professionem nec etiam est actus Ordinis, vel Clericatus, sed Laicis tàm viris, quàm mulieribus competere potest, dum sint superiores. *Angelus v. nouitius n. 4. Tabien. n. 5. Syluest. var. Religio 3. q. 17. Sanchez l. 5. c. 4. n. 8. Bard. cap. 3. q. 1.* Et quia recipere ad habitum, & professionem non est actus iurisdictionis, inde est quod etiam si superior recipiens esset excommunicatus non toleratus, nihilominùs receptio, & professio esset valida, quia ea sola gesta excommunicati sunt nulla, quæ sunt iurisdictionis, contractus vero, aut quasi contractus excommunicati non sunt nulli; & ideo nec professio recepta ab excommunicato ex hoc est nulla. *Sanch. l. 5. c. 4. n. 78. Bonac. q. 2. de cl. a. p. 10. diff. 2. §. 6. a. 7. Bordon. cap. 3. de prof. q. 14.*

188. Quæ-

188. Quæri autem primo potest an recipere ad habitum competat omnibus superioribus tàm maioribus, quàm localibus. Supponit quæstio quod recipere ad habitum, & ad professionem licet eminentissimo modo competat Papæ, qui habet in Ecclesia plenitudinem potestatis. *cap. ecait. de ind. cap. Cuncta per modum 9.q. 3.* & est supremus Religionum Prælatus, quamobrem indubitatè potest ad cuiuslibet Religionis habitum, & professionem recipere quemlibet siue virum, siue mulierem respectiuè, & siue Laicum, siue Clericum, siue alicuius alterius, cuiuscumque Religionis professum, siue Prælatum, siue Episcopum: Alij tamen Ministri Papæ, & Delegati quicumque illi sint, & cuiuscumque dignitatis, & potestatis, qui non sunt Prælati Regulares, nisi ad hunc effectũ habeant speciale mandatum aut facultatem, non possunt recipere aliquem ad habitum, vel professionem; quia nec Religiosi illis promittunt obedientiam, nec illi Religionem repræsentant, cum sint extra Religionem, nec habens in seipsis, & in eorum potestate ipsum Religionis corpus, & Religiosorum velle vel nolle, vt possint nomine illius recipere profitentis obligationem, & incorporando illum Religioni, eandem Religionem eidem obligare: & tandem non habent illam superioritatem dominatiuam, quæ est propria superioris Religionis, & quæ ex voto obedientiæ sibi facto consequitur in Prælato Regulari: *Bard. de profess. cap. 3. q. 3. 4. & 5. Ant. à Spir. S. tr. 3. disp. 3. n. 44. Coton. l. 4. contr. 4. cap. 1. n. 35.* Supponitur ergo quod Prælatorum Regularium sit recipere ad habitum, & professionem in propria Religione. Et hoc supposito quæritur an competat omnibus vel tantum aliquibus. Respondent quidam de iure communi hoc pertinere ad Abbatem, seu Præfectum Monasterij. Ita *Nauar. l. 3. consil. 9. n. 12. Ab. in cap. Ad Apostol. de regul. n. 12. Glossa in cap. fin. v. pertineat de regul. in 6. vbi Io. Andreas, & Io. Monachus Miranda tom. 1. q. 15. a. 5. Vechis d. 7. dub. 4. n. 2. Donatus p. 4. tr. 3. q. 2.* & addunt aliqui de consuetudine, vel priuilegio Nicolai 3. spectare ad Generalem, & Prouinciales *Anton. à Spir. S. tr. 3. disp. 2. n. 24.* Sed hoc non est certum vt probant *Suarez tom. 3. de relig. l. 5. c. 10. n. 6. & Peyrin. P. R. q. 3. c. 1. n. 14.* Iura enim quæ dant facultatem recipiendi ad habitum Abbatibus cum Monasteria antiquiora sint regularibus, lata fuere pro Monachis, nec omnes religiones afficiunt, quia quæcumque religio in hoc habet sua statuta à Pontificibus confirmata, ideo nulla in hoc dari potest regula generalis, sed standum est cuiuscumque religionis statutis priuilegijs, & consuetudinibus, vt post speculatorem adnotarunt *Archidiac. Bellam. & Turrecrem. ad cap. fin. 16. q. 7. & in cap. fin. de Regul. in 6. Glos. in v. pertineat, Archidiac. Io. Andr. Aachar. Gemin. & Fran. & Panor. ad in cap. ad Apostolicam vbi Fagnanus n. 16. de Regul. & ad cap. Porrectum n. 34. eod. tit.* Et quibus non minus de iure admittere possunt ad habitum Generales, & Prouinciales, quam superiores locales, imo in multis ordinibus nec superioribus localibus hoc permittitur, sed vel Prouincialibus, & Generali, vel solo Generali reseruatur. Standum igitur in hoc cuiuscumq. religionis iuribus habetur ex *cap. final. de regular. in 6.* ibi: *Si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum eo defuncto creari, alias poterit, si eorum creatio pertineat ad vtramque simul.* Et hoc etiam pro certo habendum quod, si possunt recipere Prælati inferiores poterunt multo magis Prælati superiores.

189. In Societate Iesu hæc facultas ordinaria in solo residet Generali, qui tamen alijs eam delegare potest, vnde solus vel per se, vel per alium recipit ad habitum, & ad vota biennij, vt habetur *Const. p. 9. c. 3. §. 5.* In Ordine Minorum spectat ad solos Generalem, & Prouinciales, vt ostendunt *Rodriq. qq. R. t. 3. q. 9. a. 1. & Miranda in Manual. tom. 1. q. 15.* In Ordine Carmel. Discalc. spectat ad Generalem, & Prouinciales. *Antan. à Spir. S. a. 3. disp. 2. n. 26.* In Ordine Minimorum pertinet ad Generalem, Vigiles. & Prouinciales, & ad alios ab eis deputatos, & vt habetur ex regula *n. 2.* Quod statutum contra *Nauarrum defendit Peyrinus P. R. q. 3. c. 1. a. 16.*

190. In Ordine Prædicatorum talis est constitutio *dist. 1. cap. 13. §. 3. Nullus recipiatur in fratrem Clericum ad probationem, vel professionem, nisi à Priore Prouinciali, vel ab eo, cui super hoc dederit licentiam specialem, vel à Priore Conuentuali cum assensu totius, vel maioris partis Capituli. Conuersum autem non recipiat Prior Prouincialis nec aliquis de eius licentia, nisi de consensu Prioris, & duarum partium fratrum, qui sunt de Conuentu pro quo fuerit induendus. Nec Conuentus aliquis recipiat Conuersum sine licentia Prioris Prouincialis.* Per huiusmodi autem Constitutionem non auferri hanc facultatem Generali certissimum est, quia disponit solum qualiter inferioribus Generali competere possit facultas recipiendi ad habitum, & professionem. Nam alias Generalis super toto ordine habet supremam, & plenariam authoritatem tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ex *Constitut. Innocent. IV. Sixt. IV. Bonifacij VII.* & aliorum Pontificum, quas ad verbum refert *Festus in sum. Const. p. 3. cap. 25. Et habetur in Constitut. dist. 2. cap. 3. §. 8. litera B. & cap. 4. §. 5. lit. F.* & ita etiam praxis ordinis habet.

191. Ponit autem Constitutio discrimen inter Clericos, & Conuersos. Quia primo ex parte Prouincialis non datur ei facultas recipiendi Cõuersos nisi de consensu Capituli illius Conuentus pro quo recipitur, & ad hoc etiam requirit consensum duarum partium Capituli, & non vult vt sufficiat consensus maioris partis. Ex parte etiam Prioris Conuentualis tollitur ei facultas recipiendi Conuersum etiam de consensu Conuentus sine licentia Prouincialis. Vnde in religione hac nostra receptio Conuersorum quantum ad aliqua cum maiori cautela fit, nam & in maioris Prouincijs probantur sub habitu Tertiariorum nouitij, quam recipiantur ad habitum Conuersorum & pro alijs Prouincijs statutum est triennium probationis, vt supra dictum est. Quod rationabiliter est factum quia, & experientia ostendit personas seruiles quales sciente quæ ad habitum Conuersorum vt plurimum recipiantur, & quæ ex paupertate coacta, & statu infimo Sæculari recipiuntur ad ordines inuenta in securitate victus & vestitus in religione, illisq; ad quandam æqualitatem fraternam cum Clericis eleuatis facilius degenerare solent in superbiam, & arrogantium &

corpo-

corporem, & fugam labotis; ideoq; magna cautela adhibenda est in eorum receptione ad habitum, maioriq; indigent probatione, & experimento.

192. Nullus quoq; inferior priore potest aliquem ad habitum recipere, vnde hoc non competit neque Supptiori, neque Vicario Conuentus, vt habetur dicta *Const. d. 1. c. 13. §. 3.* nisi ex speciali commissione sibi expresse facta à Generali, vel Prouinciali, vel Priore Capit. Gener. apud Verdurum 1356. Ord. 4. & in monte Pensulano 1294. Ord. 2. quamuis Vallisolet 1605. Ord. 9. interdictū fuerit Prioribus sub pœna absolutionis ab officio talem facultatē illis delegare. Vel nisi, vt ibidem subditur, tempore in quo ob mortem, vel amotionem Prioris existente Conuentu omnino sine Priore. Supprior tanquam ordinatius superior localis, haber hanc facultatem. Quæ etiam Conuentu suppriorem non habente, conuenit Vicatio in calu vacantiæ Ptioratus electo iuxta *Constit. d. 2. c. 2.* à tribus PP. antiquioribus Conuentus quia vt habetur *in Constit. dist. 2. c. 2. §. 15.* Tam Supprior quam hic Vicarius in dictis casibus habent iurisdictionem ordinarium à lege sibi daram, & possunt quidquid potest Prior de iure ordinario, licet non possint ea, quæ Priori competunt non de iure, sed ex commissione. Priot verò de iure potest recipere ad habitum Clericos accedente consensu maioris partis Capituli. Hanc etiam facultatem in casu vacantiæ Ptioratus habet Vicarius in capite institutus à Prouinciali, vel Generali etiam Conuentu Suppriorem habente, nam *Constit. d. 2. cap. 2. §. 8. Sic habet: Idem autem Supprior mortuo Priore vel amoto vicēs eius in omnibus plenariò obtineat, quousque Prior eiusdem loci fuerit electus, & confirmatus, & in domo præsens extiterit nisi Prior Prouincialis aliter ordinauerit.* Ex vi enim huius Constitut. ordinaria iurisdictio competit Suppriori in casu vacatiæ Ptioratus, si aliter Prouincialis non ordinet, vnde, vt ibidem habet Glossa lit. v. potest Prouincialis Vicarium in Conuentu instituere relicta Suppriori sua ordinaria potestare, qui Vicarius ille est, qui ordinariam potestatem Prioris habet, & qui in eo casu recipere potest ad habitum, Supptiore nullam facultatem tunc ad hoc habente. Vicarius etiam Conuentus à tribus PP. antiquioribus electus in casu vacantiæ Prioris iuxta *Constit. d. 2. c. 2. §. 9.* adueniente Vicario instituo à Generali, vel Prouinciali cessat prorsus, durat enim, vt pater ex eodem textu, donec Prouincialis aliter ordinauerit. Itaque in hoc nostro ordine in casu vacantiæ Prioratus Conuentualis recipere potest ad habitum & profeasionem vel Supprior, vel Vicarius electus à PP. Conuentu Supptiorem non habente, vel Vicarius quem dicunt in capite institutus à Generali, vel Prouinciali.

193. Et cum Vicatius ille electus à tribus Patribus possit eligi etiam extra vacantiam Prioratus, Conuentu non habente aliū aliquo Superiorē in localē præsentē, vt habetur ex Cōstitut. & Glossa loco citato, aduertendum est quòd hic Vicario non competit authoritas ordinaria Superioris localis, seu Prioris Conuentualis, nisi in casu, quod vacet Prioratus, & Conuentus non habeat alium Superiorem localem præsentem, vel absentem. Nam si non vacet Prioratus, sed Prior sit absens à Conuentu, Vicarius institutus à Patribus non habet maiorem authoritatem, quam Vicarius à Priore institutus, vel quam Suppriot Conuentu Priorem habente, qui Prior licet absens potest de suo Conuentu disponere, & ordinare, vt dicit *Glossa ibid. lit.* X. Vnde tunc talis Vicarius non est Superiot ordinarius, sed est delegatus & succedit in locum Supprioris, vel Vicarij Ptioris cui non competit recipere ad habitum, etiam in absentia Prioris, vt expresse decernitur *dist. 1. c. 13. §. 3. lit. b.* Ita & in Vacantia Prioratus absente Suppriote, vel Vicario in capite, si contingat eligi hunc Vicarium, neq; tunc habet iurisdictionem ordinariam, quæ ex lege resider vel apud Suppriorem, vel apud Vicarium in capite, sed succedit in locū Vicarij Supprioris, vel Vicarij illius Vicarij in capite. Et tunc non habet facultatem ordinariam recipiendi ad habitum, quia hæc competit soli illi qui est Superior localis habens ordinariam principalem iurisdictionem super Conuentu.

194. In casu autem Vacantiæ Prouincialatus, ille vnicus & solus habet facultatem ordinariam recipiendi ad habitum & professionem, qui in locum Prouincialis succedit, & dicitur Vicarius Ptouinciæ, siue iste fuerit Prior in quo celebrandum est Capitulum Prouinciale, siue Prior alicuius Conuentus particularis, cui in vacantia Prouincialatus conueniat ordinaria iurisdictio Prouinciæ ex peculiari iure Prouinciæ alicuius, vt in Prouincia Lombardiæ hoc competit Priori Bononiensi, siue sit Vicarius à Generali institutus. Vacante enim Prouincialatu gubernium Prouinciæ de iure ordinario spectat ad priorem illius Conuentus in quo Ptouinciale Capitulum in proximo est celebrandum, nisi tamen Magister ordinis, vel generale Capitulum aliter ordinauerit. Vnde Generali, vel Capitulo Generali aliter disponente, & mittente Vicarium in Prouincia, tunc hic Vicarius solus locum habet Prouincialis, & potest vel recipere vel dare licentiam recipiendi ad habitum vniuersaliter in illa Ptouincia. Et quia contingere potest casus iste etiam extra vacantiam Prouincialatus Prouinciali existente extra Prouinciam, tunc quicumq; Vicarius instituatur, succedit loco Vicarij eiusdem Prouincialis, nec habet iurisdictionem ordinariam, etiam si instituatur à Generali, quia iurisdictio ordinaria residet in Prouinciali licet absente, vnde nullus talis Vicarius habet ordinariam facultatem recipiendi ad habitum, & professionem, nec potest alicui talem licentiam concedere ex ordinaria potestare, quia non est ordinarius Superior Prouinciæ.

195. Quia verò in hoc Ordine aliquādo ex causa Prouincialis mittit Vicariū in Cōuentu etiā super Priore, & Generalis mittit Vicariū super Prouinciali ad regendū Conuentū, vel Prouinciā respectiuè dubiū est an Prior vel Prouincialis tūc possint recipere nouitios. Secūdo an id possit Vicarius institutus. Et qāntū ad primū dubiū, dicendū est quòd nisi Prior, vel Prouincialis respectiuè sint legitimè suspensi ab eorum officio, ex hoc quòd mittatur alius Superior, non desinit illis eorum potestas ordinaria, quam cum habeant à iure, nullus Superior in Ordine potest illam auferre nisi ablato officio, cui de iure illa authoritas est annexa, ideo

nisi

nisi tales sint suspensi ab officio possunt vti sua iurisdictione ordinaria, vnde & possunt ad habitum recipere sicur possent tali Vicario in Conuentu nō existente, quod semper est verum cum subordinatione ad Superiorem, à quo dependent etiam in vsu ordinariæ potestatis, vnde & quantum ad hunc vsum possunt suspendi vel simpliciter, vel in casu particulari, ideo prohibente Vicario illo iuxta authoritatem sibi concessam, ne Prior congreget capitulum, vel Prouincialis vtatur sua potestate ille tenebitur obedire; Vicarius verò ille sic à Maiori Superiore super inferiorem Prælatum institutus nullam habet authoritatem ordinariam sed solummodo delegatam. Non enim dantur duo Superiores ordinarij immediati eiusdem Conuentus vel Prouinciæ, Superior verò ordinarius immediatus Cōuentus est Prior,& Prouinciæ est Prouincialis,Superiores verò ordinarij mediati nō sūt nisi Prouincialis,&Gener.An verò Vicarij prædicti habeant delegatam facultatē recipiendi nouitios, dicetur infra. Hæc autem de iure communi Religionis vera sunt, non de iure speciali aliquarum Prouinciarum Prior sine licentia Prouincialis non recipit ad habitum. Sic io Prouincia vtriusque Lombardiæ ex cap. *Valent:* 1647. nullus ad habitum Clericalē recipi debet, qui à Prouinciali examinatus & de PP. consilio approbatus non sit.

196. Sicut autem de receptione ad habitum, & professionem dictum fuit, quod spectat ad Prelatos Regulares, ita, & idem dicitur de eiectione, qui enim possunt recipere,possunt & rijcere. Dubitat autem *Bordon. cap. 3. de profess. q.46.* an Prælatus localis cum Conuentu possit nouitium eijcere, & id posse negat. Tum quia res per quaecumq; causas nascitur, per eas & dissoluitur, tum quia *Conc.Trid. sess 25. cap.16.* mandans inhabiles eijci loquitur in plurali de Superioribus. Tum quia expellere nouitium est grauis pœna, in grauioribus verò fit recursus ad maiores *cap. 59. in fin. de Appell. & cap.3. de Baptis.* Sed & in hoc quoq; consuetudines, & statuta Religionum attendi debent. Alias verò de iure communi dicendum est Prælatum localem cum Conuentu posse eijcere nouitiū, quia etiam Prælati locali est ad professionem admittere, vt dictum est. Quamuis etiam si Prælatus localis non posset recipere ad habitum sine Prouinciali, adhuc Prælatus localis, qui potest contra suos procedere, & illos etiam pœnis grauibus punire, posset etiam Nouitium eijcere. Nec vrgent ea, quæ in oppositum adducta sunt. Nam res multo facilius, & per plura potest destrui, quā possit produci. Concil. verò Tridentinum loquitur de Superioribus in plurali, quia loquitur generaliter de illis ad quos pertinet nouitios recipere, vel expellere Prælatis quoq; localibus multo grauiora competunt, quam sit Nouitios eijcere, cum possint Fratres nedū intra Ordinem ad pœnas valde graues sed etiam extra Ordinem ad triremes,vel Ergustulos damnare,nisi ex speciali statuto id prohibeantur illis.In multis Ordinibus, vt in Ordine Prædicatorum Prælati locales habent iurisdictionem quasi Episcopalem.

197. Quæritur secundo. An Episcopus aliquem Regularem recipere possit ad habitum, & professionem in regula à Sede Apostolica approbata? Nam affirmat Innocentius *in cap. Porrectum num.5.de Regul.* hoc extendens, vt Episcopo liceat professionem recipere, etiam eorum qui Monasterium non ingrediuntur, vel intra Religionem non profitentur: sufficit enim vt mutent habitum, quem potent in domo sua. Tales namq; Religiosi censentur, & viuunt sub obedientia Episcopi *cap. Quod Deo 33.q.5. cap. de Viduis 27. q. 1. cap. Insinuante, qui Clerici, vel Monachi, & cap. Ladum de conuers.coniugat.* Hanc tamen facultatem negat competere inferioribus Archidiaconis, vel Plebanis, nisi emissam professionem Episcopus ratificet, cui soli est hoc concessum. Idem verò senserunt ad dictum *cap. Porrectum Hostien. n. 14. Io: And. num. 4. Anchar. num. 7. & commun. Canonist vt aduertit Panorm. num. 15.* Sed cum hoc vetum esse possit de votis simplicibus paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quia vota solemnia non emittuntur nisi in aliqua Religione approbata à Sede Apostolica *cap. vnico de voto in 6. cap.vlt. de Relig.domib. & cap.1. eod. tit. l.6.* Ideò ad quæstionem respondetur, quod vel Episcopus ex quo est Episcopus Ecclesiæ Regularis est simul Abbas, vt est Epis. Eccles. *Pampilonen. & Vinonien.*, & talis Epis. ad habitum, & professionem recipere potest Monachos sibi subiectos. *Compostell. cap.cum causam num.1. de elect. & ibi DD. com. Fagnanus cap. Porrectum num.25. de Regular.* Vel Episcopus non est simul Abbas Regularis sed est simplex Episcopus. Et tunc vel Monasteria non sunt exempta, sed ita sunt Episcopo subiecta,vt ad ipsum vel consuetudine, vel priuilegio spectet Monachorum, vel monialium receptio, & in hoc casu Episcopus potest Regulares ad habitum, & professionem recipere vt notatur *in cap.ex parte de conuers. Coniug. & tenent ad d. cap. Porrectum de Regular. Cardin. num.7. Fagnan. num. 32.* Et in hoc casu loquitur textus *in cap. si vir.27.q.2.* Nam de iure veteri Monasteria erant subiecta Episcopis, vt *cap. Monasteria.18.q.2.*

198. Sed loquendo de Religionibus, & Monasterijs exemptis, non est Episcopi recipere eorum Religiosos ad habitum, vel ad professionem. *Cardin. & Fagnan,* vbi supra, *Nauar. consil. 40. de regular. Tambur.de iure Abb. tom.3. disp.6. q.21. num. 1. Bordon.de profess. cap.3. q.3.4. & 5. Lezana p. 1. cap. 5. num. 25. Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. disp.3. cap.44. Coton. lib.4. contr. 4. cap.1. num.35.* Nam huiusmodi receptio est actus dependens à Superioritate seu superioritatis potestate vt tradit *Innoc. ad d. caput Porrectum.* Modo Episcopus non habet superioritatis potestatem super exemptos. Sic & in Concil. Trident *sess.25. cap.16.* Superioribus Ordinum regularium committitur recipere ad professionem nouitios euoluto probationis anno. Et cum Clemens 8. in forma recipiendi nouitios à se constituta die 19. Iunij 1602. statuisset nullum ad habitum aut professionem Religiosam recipi, nisi præuia approbatione Congregationis reformationis, vel Episcopi diœcesani, hoc caput sublatum fuit. Vnde in decreto de Apostatis, & eiectis edito ab Vrbano 8. in quo continentur Clem.8. statuta de recipiendis ad habitum, & professionem de approbatione Episcopi nulla fit mentio illius.

199. Quod verò supra dictum fuit de Episcopo Abbate, verificatur etiam de Commendatario alicuius

alicuius Aabbatiæ, Abbate deficiente *Fagnan. ad cap. ad Apostolicam num. 17. de Regular.* Vbi quòd cum in Relig. S. Basilij approbata fuerit expressa professio trium votorũ à tempore cuius initij memoria non exiſtit, & regulari obſeruantia in ea collabente eius Monaſteria commendata fuerint, & deſierit emitti conſueta profeſſio, quia nec erat caput aliquod religionis, dubitatum fuit an illi, qui huiuſmodi Religionis habitum de manu Commẽdatarij vel Prioris non expreſsè profeſſi ſuſceptum per aliquos annos geſtarunt, taciti profeſſi regulam S. Baſilij intelligerentur, S. Congregatio Concilij cenſuit illos tacitè profeſſos intelligi.

200. Quæri etiam poteſt tertio, an recipere moniales ſpectet ad ipſas, vel ad ſuperiores viros, quibus moniales ſubduntur? Sed dicitur quod de iure communi hoc ſpectat ad Abbatiſſam, non vero ad Epiſcopum etiam in Monaſterijs non exemptis. *cap. ſi ſolum, de Regular. in 6.* & ibi *Archidiac. & Io: Monachus,* Lapus *Alleg. 33. Fagnan. ad cap. Porrectum nu. 30. de Regular. Vbi ex eod. Lapo ſubdit,* quod ſi Epiſcopus mandet Abbatiſſæ, & Conuentui vt vnam recipiant in Monaſterio, ſi Abbatiſſa cum quinque conueniant in eius receptione, & ts. diſſentiant, illa non poteſt recipi, & ſi Abbatiſſa eam reciperet, faceret, quod non poſſet, & ab ea receptione valeret appellario. Nec poteſt Epiſcopus etiam Monialibus ſibi ſubiectis præcipere vt aliquam recipiant, cum in hoc moniales habeant libertatem, & electio libera eſſe debeat. *cap. Cum terra, de elect.* Quamuis vero *Gemin. in cap. fin. de Regul. in 6. & Fran. ibid. n. 1.* tribuant auctoritatem Epiſcopo, vt in Monaſterijs non exemptis poſſit Epiſcopus creare monialem, & mandare Abbatiſſæ vt illam ſic à ſe receptam admittat in Monaſterio, & ceſſante legitima exceptione Abbatiſſa eam teneatur admittere, tamen hoc non habet in iure ſolidum fundamentum, & amplecti debet ſententia *Lapi*, quam etiam ſequutus fuit *Nauar. conſ. 9. n. 12. de conſtit* Epiſcopus enim habet in Monaſteria ſibi ſubiecta poteſtatem, vt eas regat ſecundum Monaſteriorum regulam, ſi ſemel eam profeſſæ fuerint; ſed Moniales ad conſortium recipere, & admittere de iure ad Abbatiſſam, & Conuentum pertinet.

201. In caſu tamen negligentiæ, vbi Monaſterium cum abbundet redditibus patiatur defectum Monialium, & Abbatiſſa, & Moniales ſint negligentes ad nouas Moniales recipiendas, quod poſſit Epiſcopus monere Abbatiſſam, & Monaſterium præfiso illis temporis termino competenti, vt Moniales recipiant, & ſi neglexerint, poſſit ille defectum ſupplere, & nouas Moniales creare dixerunt *Gemin. in cap. fin. de conceſſ. præbend. poſt med.* & ibi *Franc. n. 2.* Quod tamen non poſſe extendi ad Monaſteria exempta, ſed in illis hoc ſpectare ad eorum ſuperiores aduertit *Fagnan. ad d. cap. Porrectum. n. 29.* niſi ſpecialiter cautum ſit, vt *Diœceſ.* authoritate delegata ſuppleat negligentiam exemptorum, vt fit in *Clem. vn. de ſupplen. negligent Prælator.*

202. Sed & in hac parte circa Moniales ſeruanda ſunt ſtatuta, priuilegia, & conſuetudines Monaſteriorum, & Religionum. Nam bene poteſt contingere quod recipere ad habitum, & profeſſionem ſit Epiſcopi vel ſuperioris Monaſteria dirigentis. In Monaſterijs Ordini Minorum ſubiectis ex ſtatuto Nicolai Quinti, quod habetur in *compend. priuilegiorum in v. Abbatiſſa §. 8.* Abbatiſſa, & Moniales non poſſunt recipere nouitias ſine licentia ſuperiorum. Hoc vero indultum eſſe cõmune ex vi priuilegiorũ communicationis, quia datum ad fauorem Religionis, volunt *Mirand. de Monial. q. 8. a. 1. Pelizz. cap. 2. n. 2. Peyrin. in formular. l. M. cap. 6. a. 1. Donatus tom. 4. tr. 9. q. 10. n. 4.*

203. Sed ego credo commune eſſe, quia diſpoſitum per Nicolaum Quintum eſt de iure communi. *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 11. n. 1. Pelizar. d. a. 2. Donatus d. q. 10. an. 1.* Quia licet receptio ad habitum Monialis quatenus eſt ad cõmunem vitam, & ſocialem ſit propria Abbatiſſæ, & Monaſterij; quia tamen Monaſteria ſunt poſita ſub directione Prælati, & recipere ad habitũ etiam eſt actus iuriſdictionis, ideo ex hac parte pertinet ad Prælatum, ſiue iſte ſit Epiſcopus, ſiue Prælatus Regularis reſpectu Monialium ſibi ſubditarum. *Panorm. cap. Ea noſcitur de his, quæ fiunt à maiori parte, & Felin. cap. Quoniam de ſimonia, quos ſequitur Donatus. vbi ſupra*, ſic ergo Moniales nullam recipere poſſunt ad habitum ſine ſui Prælati licentia.

204. Quær. 4. An Prælati poteſtatem recipiendi ad nouitiatum, quam habent, poſſint alteri delegare? Reſpondetur vero regulariter habentes poteſtatem ordinariam eam poſſe alteri delegare *Tambur. de iure Abb. t. 3. diſp. 6. q. 1. n. 4.* Et ideo prælati ordinarij poſſũt etiam delegare facultatem recipiendi ad habitum. Quod de Generali, & Prouinciali non videtur poſſe habere difficultatem. Sed & in Societate Ieſu talis facultas Generali expreſsè conceditur, & in ordine Prædicatorum, vt patet ex verbis ſupra relatis, eadem poteſtas tribuitur Prouinciali, quæ multo magis Magiſtro Generali conuenit. Ideo Vicarij Delegati Prouinciarum miſſi à Generali ad vniuerſale regimen Prouinciæ, etiam ſuper Prouinciales, poſſunt, & capitula congregare, & ad habitum recipere, & profeſſionem, niſi reſtrictam poteſtatem habeant ad aliqua ſpecialia. Et idem dicitur de Vicario miſſo à Prouinciali ad vniuerſale regimen Conuentus etiam ſupra Priorem, & de iure communi quod ſuperior Regularis poſſit delegare facultatem recipiendi ad habitum, & profeſſionem, habetur ex *cap. Ad Apoſtolicam, de Regular.* ibi. *Per ſe, vel per alium,* & id docent ibi *Hoſ. n. 7. Butr. n. 3. Fagnan. n. 18. & idem Hoſtien. in cap. Porrectum eod. tit. n. 13.* vbi amplius cenſet poſt *Innocent. a. 4.* hoc munus poſſe committi nedum Monacho, vel Clerico, ſed etiam Laico, & ſatis eſſe, vt profeſſio recipiatur ipſo ſuperiore mandante, vel poſtea ratificãte vt *cap. Gonſaldus. 17. q. 2. & cap. Inſinuante, qui Cler. vel vouent. cũ concord.* de quibus ibi per *DD. Sanch. l. 5. c. 4. n. 77. Rod. 3. p. q. 17. a. 12. Bard. c. 3. q. 17. Syl. v. Religio 3. q. 18. Iterum Fag. cap. Qui Præsbyterum n. 43. de Pænit. & remiſſ. Colon. l. 4. contr. 4. a. 41. Lez. p. 1. cap. 2. n. 45. Tambur. t. 3. d. 6. q. 14. & 18.*

205. Sed Priores in Ordine Prædicatorum facultatem hanc non poſſunt delegare ſuppriori, aut Vicario, vt declaratur *d. 1. c. 13. §. 3. l. H.* hoc enim eſt illis interdictum ex ſpeciali ſtatuto Capit. Gene-

Generalis Vallisol. 1605. vt aduertunt *Festus in sum. p.2.c.2. Rodriq. qq. reg. t.3.q.10.a.2. Donatus p.4.tr.1. q.3.* Quare multo minus eandem facultatẽ alijs delegare possũt sine lic. Prouinc. Si tamẽ Prior alicui facultatem delegaret, factum teneret. In huius igitur quæst. puncto inspicienda sunt Religionum statuta, & consuetudines. Sed numquid valebit receptio habitus, & nouitiatus, si habitus detur à nõ habente facultatem, sed sub spe ratihabitionis eius, qui eam facultatem poterat delegare? negat *Bordon. de Profess. cap. 4. q. 20.* Quia ratihabitio non potest tribuere veram rationem nouitiatus, nisi à die, quo dicta receptio habitus à superiore probatur, quia ratihabitio non potest retrotrahi sicut in ijs in quibus spectatur initium; vt dicit *Gloss.* super regulam de ratihabitione. Sed oppositum est verum, quia consensus quantum ad effectus suos potest retrotrahi, & haberi ac si datum fuisset in priori tempore. Et in hoc ratio est, quod experimentum physicum illud est, quod in nouitiatu intenditur, & quod habetur etiam ab intruso, vnde sufficit quod postea ratum habeatur. Et tamen est considerandum, quod alia ratio est de receptione ad professionem. *Lelius Zecchius de Repub. Chris. tract. de Regul. cap. 3. num. 11. & n. 6. & 7. apud Tambur. tom. 3. d. 6. q. 21. n. 2.* arbitratur, quod professio acceptata à non habente facultatem sub ratihabitione sit prorsus nulla, & ita quod nec possit rata haberi, si qui profitetur non consentit de nouo. Verum est, quod cum professio consistat in donatione, traditione, & professione facta Religioni, & ab ea acceptata, dum à non habente potestatem acceptatur sub spe consensus legitime acceptantis non subsistit, quia ipsa substantialiter requirit consensum de præsenti, non vero contenta est consensu de futuro, spes vero ratihabitionis importat consensum de futuro, non vero consensum de præsenti. Ideo hoc primo dicitur, quod ratihabitio non potest hic retrotrahi, quia ratihabitio non potest facere quod fuerit, quod non fuit, professio vero emissa sub ratihabitione habentis facultatem non fuit, quia esse non potest, nec potuit, nisi simul de præsenti existente consensu legitime eam acceptantis, qui tunc non fuit de præsenti, sed solum in spe de futuro; igitur tunc professio non fuit. Neq; enim ad professionem sufficit cõsensus præsumptus, vel fictus fictione iuris. *cap. significatum, cap. Cum virum de Regul. Bordon. cap. 3. de profess. q. 18.* Ergo ratihabitio non potest retrotrahi, vt tunc vere fuerit professio, cum fuit emissa sub spe ratihabitionis. Ideo toto illo tempore adhuc nouitius est liber vt exeat à Religione, & matrimonium ineat *Innoc. in cap. porrectum n.5. de Reg.* & ibi *Hostien. & Io. Andr. n.4. Anchar. n.6. Angelus v. professio n.1. Syluest. v. Religio 3. q.14. & 16. & 18. Nauar. cons. 40. n.7. de Regul. Rodriq. tom. 3. q.17. a. 2. Sanchez l.5. cap. 4. n. 80. Suarez tom. 3. de Relig. l. 6. c. 11. n. 18. Bonac. de claus. q. 2. p. 10. diff. 2. §. 6. num. 9. Bordon. de profess. q. 18. Azor. p. 1. l. 12. c. 5. q. 7. Tamb. tom. 3. d. 6. q. 21. n. 2.* An vero in hoc casu requiratur nouus consensus etiam ex parte profitentis dicetur infra. Dicitur 2. quod si professio primo non fuit acceptata nomine legitimi superioris, & sub illius ratihabitione, adhuc potest ratificari. Negant hoc expressè *Sanchez, Bonac. & alij.* Nam & DD. qui affirmant professionem posse ratificari loquuntur in casu professionis acceptatæ nomine legitimi superioris, vt *Syluest. v. Religio 3. q. 16.* Ratio autem horum est, quia non potest quis ratum habere, quod non est suo nomine gestum *Reg. 9. de Reg. iur. n. 6.* sed fallit hęc regula, quãdo ad valorẽ actus sufficit, & requiritur cõsensus, vt *collig. ex cod. cap. Quod sicut, de elect.* ibi *Nisi postea propter bonum pacis curauerint consentire.* Et sic vbi ad valorem præstandum actui sufficit, & requiritur alicuius consensus, quidquid prius quocumque nomine fuit gestum, potest ratũ haberi præbẽdo necessarium consensũ. *Bordon. d. q. 18.* Et sic professio potest haberi rata à legitimo superiore etiam si nõ eius nomine gesta.

206. Quæritur autem quinto, an Prælati sine capituli cõsultatione possint ad habitum aliquem recipere? Non loquimur modo in terminis Constitutionum Sixti Quinti de quibus infra erit sermo, sed iure antiquo spectato. Est autem multorum sententia Prælatum non posse sine consultatione, & consensu Capituli recipere ad habitũ, & si hoc fiat receptionem esse irritam. Quod probatur ex *cap. nouit. de his quæ fiunt sine consensu Capituli, & ex cap. Quanto, & cap. ea noscitur, eodem titulo.* Secundo Nam cum in receptione ad habitum obligent se mutuo receptus, & religio necessarius est religionis consensus, quem dare pertinet ad Capitulum: & huius sententiæ fuit *Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. n. 65.* idem sentit *Bordon. cap. 3. q. 9.* Tum quia hæc sit consuetudo Religionum. Tum secũdo quia licet regulariter obligatus ad petendũ consilium, non teneatur illud sequi; hoc fallit quando consilium est petendum ab aliquo, vt Collega, & participe in officio, vt testatur *Bartol.* communiter receptus in *l. 1. §. si plures. nu. 7. ff. de extraord. cogn. Domin. cap. vnico. §. vbi vero n. 9. Francus ibi, n. 5. de sede vacante in 6.* At Abbas tenetur petere suorum monachorum consensum tamquam collegarum, & participum in officio. Tum tertio, quia hanc partem clarè tenere videtur *Gloss. cap. Porrectum, v. monachum, de Regul.* & ibi *Anchar. n. vnico Antonius Cuccus l. 3. Instit. tit. 1. n. 16.* Et clare id tenent *Lapp. alleg. 31. n. 3. Domin. cap. fin. n. 3. de regul. in 6.* & ibi *Francus n. 2. Probus ibi in addit. ad monachum n. 3.* Et in proprijs terminis *Anchar. cap. fin. not. 3. de Regul. in 6. Armilla v. nouitius n. 11. Nauar. l. 3. cons. 9. à n. 9. de constit. Spino in speculo. Gloss. 12. principali. nu. 2. & 3. Rodriq. tom. 3. q. 17. a. 7. Vnde idem Sanchez. n. 67.* subdit, quod sede vacante nullus potest aliquem ad professionem admittere. *Gloss. cap. final. de Regul. v. creati, in addit.* & ibi *Domin. fin. Franc. n. 2. Panorm. cap. Ad Apostolicã in fin. de regul. Syluest. v. religio 3. q. 13. Angelus v. professio nu. 1. Tabien. q. 8. n. 9. Bordon. de profess. cap. 3. q. 8.* & *n. 68. sequenti*, quod nec totus Conuentus recipere potest nouitiũ ad professionem repugnante Abbate. Quod & voluit idẽ *Bord. c. 3. q. 11. ex Nauar. cons. 9. de constit. n. 11. Rodr. t. 3. q. 17. a. 7. Vecch. d. 12. d. 5. n. 11. Mir. t. 1. q. 24. a. 4* & *n. 69.* quod nõ sufficit cõsensus Abbatis, & minoris partis, sed quod est necessarius consensus maioris partis. *Sanchez* autem sequitur *Barbosa ad cap. Porrectum. n. 6. de Regular.* Hoc idẽ tenet *Donatus par. 4. trac. 1. q. 4.* multos referens pro hac sententia, qui illam non tenent, & inter alios *Turrecrem. cap. fin. 16. q. 7.* vbi ipse ait quidem, quod Hugo dicit optime quod regulariter fieri non debet, nisi vbi malitiosè monachi vellent resistere, sed

non

non dicit, quod, si fiat, sit irritum factum.

207. Altera sententia distinguit inter consultationem, & consensum Capituli. Distinguuntur enim hæc duo, vt docet *Tabien. v. consilium, & v. consensus. n. 1. Paleot. lib. de Sacri Consis. consul. p. 1. q. 3. a. 1. Abber. in cap. cum in veteri, de elect. n. 12.* Hac ergo supposita distinctione hæc sententia dicit primo totam authoritatem recipiendi ad habitum residere in Abbate, quod probat ex *cap. Porrectum de regul. & cap. Ad Apostolicam, eodem tit. & ex cap. nullã, 18. q. 2.* & secũdo asserit necessariã esse cõsultationẽ Capituli, non vero consensũ. Quod probatur ex *S. Bened. cap. 3.* vbi statuitur necessitas consultationis Capituli non vt decisiua, sed vt consultiua ad præcipua negotia expedienda, inter quæ vnum est receptio monachorum. Tertio nihilominus tenet, quod receptio ad habitum non præmissa consultatione Capituli sit nulla. Et hoc probat, quia quoties consultatio Capituli est necessaria, actus est nullus si illa omittatur, *cap. nouit. iuncta Glossa*, quæ fiunt sine consensu Capit. Et ex *Bartol.* cum his, quæ adducit in *l. a. § si plures, de exercitator. act. n. 3. & 4. cum Bursato l. 1. consil. 90.* qui dicunt in eo casu esse necessariam consultationem Capituli, licet non sit necessarius consensus. Et ita hanc partẽ tenent *Panor. in cap. Porrectũ, & cap. ad Apost. de regularib. Syluest. v. religio 3. q. 13. Nauar. in cap. nullam 18. q. 2. com. 3. de reg. n. 5.*

208. Tertia sententia, & quidem vera est, nihil certi in hoc haberi ex iure communi, sed priuata statuta, & consuetudines religionum esse in hoc attendendas, quæ quidem sententia probatur expendendo singulas partes quæstionis, quarum prima est, an potestas recipiendi sit in solo Prælato, vel in Prælato, & Capitulo simul. At vero nihil determinari circa hoc punctum haberi ex iure communi constat ex *cap. vlt. de regular. in 6.* quod sic habet. *Si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit nouus monachus à Conuentu creari, alias poterit, si eorum creatio spectet insimul ad vtrũq;* Ex hoc igitur textu habemus quod monachorum receptio potest pertinere ad solum Abbatem, & ad Abbatem simul cum Conuentu. Non ergo ex iure communi potest aliquid certi determinari, sed attendenda sunt statuta religionũ a Pontificibus confirmata, vel etiam consuetudines cuiuscumq; religionis, vt tradit *Suarez tom. 3. de relig. l. 5. c. 10. n. 6. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. nu. 6. & 7.*

209. Quod si fingi posset casus in quo neq; ex statutis religionis, & approbat. Apostolica, neq; ex consuetudine colligi posset, ad quem spectet religiosorum receptio, idem *Suarez* putat in hoc casu rectè dici, vt in monachis hæc facultas sit penes Abbatem, ex citato *cap. nullam 18. q. 2.* Et quia potestas Abbatis est monarchica in suo ordine, & sicut potestas ducis in exercitu, & ideo de se potest recipere monachos, nisi aliunde ejus facultas limitetur. In alijs vero religionibus, hæc facultas sit apud Prouincialem, qui se habet ad prouinciam suam sicut Abbas ad suum Monasterium; quia in monachis receptio monachorum quodammodo determinatur ad certum Monasterium, & ibi acquiritur specialis filiatio, quæ non attenditur ad aliud Monasterium, nisi in eo noua fiat professio; quod non se habet ita in religionibus mendicantibus, & similibus. Hæc *Suarez.* Sed hinc quoque deducitur, nihil in hoc posse certo determinari. Nam & in Ordinibus mendicantium est vsus filiationũ vt in ordine Prædicatorum, & vbi est talis vsus potius videri posset, quod facultas recipiendi esset simul in superiore, & Conuentu, & quod non sufficeret sola authoritas superioris, quia non recipitur tunc religiosus ad habitum solum, sed vt determinate alendus ab hoc Conuentu, & ex rebus quarum hic Conuentus est dominus. Quamuis quia iurisdictio est in superiore, & ex dicto *cap. Nullam 18. q. 2.* habetur quod tota potestas disponendi ea quæ in Monasterio ad Dei cultum, & Monasterij vtilitatem pertinent est penes Abbatem, conuenientius dicitur, quod nisi obstet speciale statutum potestas recipiendi sit in Prælato. Quod stat esse verùm licet Prælatus in vsu huius potestatis dependeat à consultatione, vel consensu Capituli.

210. Circa quod tamen neque aliud certum haberi potest ex communi iure, quia in nullo iuris textu fit mentio de Capituli necessitate, & Panormitanus vt hoc probet, recurrit ad regulam S. Benedicti; vnde ex hoc magis confirmatur, quod ad statuta particularia religionum, vel ad cõsuetudines recurrendum est. Nam ratio quæ adducitur ex natura conuentionis initæ in religionis ingressu, non probat. Licet enim religiosus maximè in professione incorporetur religioni, quæ manet obligata ad alendum religiosum, nihilominus cum superior sit plenus administrator bonorũ religionis *d. cap. nullam. 18. q. 2.* non est prohibitus contrahere sine consensu Capituli; nisi eius potestas limitetur, quia potestas administratoris vniuersalis ad contractus onerosos vtiles Domino se extendit. Et in hoc igitur consuetudines, & statuta religionum attendenda sunt.

211. Quantùm etiam ad tertiã partem difficultatis, an scilicet, supposito quod sit necessaria cõsultatio, vel etiam consensus Conuentus, si hic desit, receptio sit nulla; nihil quoq; certi ex communi iure potest colligi. Nam regula illa *Panormit.* vt quando est necessaria consultatio ad aliquem actum, si hæc desit actus sit nullus, non est vniuersaliter vera, vt bene aduertit idem *Suarez nu. 7.* Sed tunc vera est, quando vel nullitas exprimitur in lege, vel datur in ipsa lege noua potestas sub conditione, taliter quod conditio constituatur tanquam forma ipsius actus. Modo in præsenti potestas recipiendi ad habitum, & professionem non est noua in Prælato, sed competit illi ex vi approbationis religionis, quæ non potest in suo esse manere, & cõfirmari nisi recipiendo ad habitum venientes, quare nisi in lege exprimatur, quod receptio facta sine consultatione vel consensu Capituli sit nulla, vel explicetur huiusmodi conditionem requiri tanquã formam, non sequitur, quod ex eius defectu nouitij receptio sit nulla.

212. Nec obstat, quod adducitur ex *cap nouit.* quia illius capitis decisio non est vniuersalis, sed particularis, & non est ibi sermo de Prælato Religionis, sed de Episcopo, nec de receptione monachorum, sed de institutione Abbatum, Abbatissarũ, & similium personarum Ecclesiasticarum, quæ res est longe diuersa, & grauior. Quod si necessaria fuit declaratio illius textus ad hoc vt infirmaren-

tur institutiones illæ in illo casu cum simus in odiosis non debet extendi ad casus alios præcipuè minus graues. Et nihilominus nec ex eo capite deducitur claré nullitas actus. Textus enim sic loquitur. *Nos enim tales institutiones, & destitutiones carere determinamus robore firmitatis.* Cum vero robore firmitatis careat, nedum quod est nullum, sed quod est annullandum, vel potest annulari, ex illis verbis nec deducitur quod institutiones illæ declaratæ sine nullæ. Et non sufficit ad nullitaté quod actus sit contra iura, nisi sit contra iura irritantia. Ex iure communi igitur non habetur, quod receptiones nouitiorum, si fiant sine capitulo, sine nullæ.

213. Addit vero *Suarez*, quod dato, quod actus, qui sunt contra ius canonicum essent nulli, non sequitur, quod sint nulli actus qui sunt cótra aliquá regulá alicuius ordinis, quæ nec contineat præceptum, sed sit directiua, qualis est regula illa S. Benedicti, sic dicens. *Quando res graues Monasterij tractanda sunt, conuocet Abbas Fratrum conuentum, & auditis eorum sententijs id prudenter statuat, quod melius esse iudicauerit. Quia sæpe solet Deus infirmum ex Fratribus, id quod melius, est docere, & aperire.* Quæ verba doctrinam continent, & directionem, nullum autem verbum est ibi præceptiuum. Vnde non est verisimile, quod habeant vim annullandi actum factum contra illam. Et eo magis quod lex irritans debet esse de actu specifico, illa vero regula in generalibus terminis consistit relinquens arbitrio Abbatis iudicare, an res sit, vel non sit grauis, atq; ideo indigens, vel non indigens capitulo. Et ita nec ex iure Canonico, neque ex illa regula S. Benedicti colligi potest, quod receptio nouitiorū, si fiat sine Capitulo, sit nulla. Quamuis esse nullam dicat *Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. n. 6.* & si simul dicat Abbatem non teneri sequi iudicium Conuentus, sed solum teneri ad consulendum Conuentum. Et cum ibi *n. 15.* absoluté dicat receptionem esse nullam si Abbas recipiat nouitium sine consensu Collegarum, & Sociorum; huiusmodi asserta ex iure communi non probantur. Et neque ex regula S. Benedicti, vt laté probat *Caramuel. disp. 40. n. 452.* vbi etiam ex vsu probat Abbatem solum sine consensu, & consultatione posse recipere nouitios ad Religionem.

214. Solum igitur, vel ex statuto particulari religionum, vel ex consuetudine est, quod nouitiorum receptio sit nulla, si fiat sine Capitulo. Hanc vero dari consuetudinem, vt non fiat receptio nouitiorum sine consultatione, imo sine consensu Capituli tradunt *Nauar. l. p. de regul. cons. 9. a. n. 18. Armilla v. nouitius n. 11. Rodriq. tom. 3. q. 77. a. 7. Miranda q. 15. Lezana p. 1. c. 2. num. 25. & alij DD. communiter.*

215. Sed & in Societate Iesu non est vsus Capituli, & Generalis ex vi Constitutionum potest per se vel per alios recipere nouitios, & aliæ esse possunt religiones, in quibus non sit consuetudo Capituli pro receptione ad nouitiatum. Et vbi non constet, vel de statuto ordinis, vel de consuetudine irritante hanc receptionem factam sine Capitulo, non est censenda irrita. *Suarez n. 8.*

216. Si autem ex lege, vel consuetudine receptio ad nouitiatum facta sine Capitulo sit irrita, & casus contingat; adhuc videndum est, an taceat Conuentus, & per eius silentium habeat ratam receptionem. Quod enim in hoc casu sufficiat tacitus consensus aduertit *Tambur. vbi supra n. 15.*

217. Si autem Conuentus ratam habeat receptionem factam sine Capitulo, nouitiatum esse incipiendum á die ratihabitionis tradunt *Rosella v. nouitius n. 25. Rodriq. tom. 3. q. 17. a. 2. 3. & 12. Peyr. P. R. q. 3. c. 1. n. 23. Tambur. t. 3. disp. 6. q. 1. n. 15. Donatus p. 4. tr. 1. q. 4. n. 8.* Sed illi, qui tenent nouitiatum irritum non esse reiterandum, inter quos est *Sanchez l. 5. mor. c. 4. n. 26.* sustinent nouitiatum incipere a receptione habitus. Ego puto ratihabitionem retrotrahi, & quod in hoc casu nouitiatus á die suscepti habitus validus esset, si conuentus receptioné ad habitum ab illo die ratam haberet. Etenim vt distinguit *Panorm. quæst. 5. nu. 4. colum. 9.* licet consensus vbi sit authoritas, vel dandus ex solemnitate non valeat, si detur post contractum vt retrotrahatur, vbi tamen est simplex consensus semper dari potest, & re integra valet, & retrotrahitur ad diem initi contractus. In receptione vero ad habitum Religiosum consensus conuentus est consensus simplex, ideo valet etiam datus postquá superior recepeit nouitium. Hinc ex *Castren. cons. 290. notat Tuscus l. C. concl. 755. n. 3.* quod vbi contractus est nullus propter consensum alterius, quandocumq; consensus interuenerit, semper conualidatur contractus. Hinc est, quod licet permutatio beneficij iuris patronatus non valeat sine consensu patroni; tamen si postea quandocumque patronus consentit, validatur, & sufficit secundum *Gemin. cons. 45. n. 10.* quo sequitur *Tuscus L. C. concl. 755. n. 17.* quia principaliter spectatur, & attri huius ius ex collatione, & sic non est omnino nulla permutatio; Item institutio facta sine patrono, quæ esset nulla contradicente patrono, si tamen consentiat ex post, valet institutio secundum *Zabarell. cons. 62.* apud eundé *Tuscum ibid. n. 18.* Item licet beneficium sit electiuum, nec possit conferri sine eligentibus, tamen si ordinarius contulit sine electione, & postea eligentes consentiunt, conualidatur collatio. *Secundum Zabarell. d. cons. 62.* apud eundem *Tuscum ibid. n. 19.* Quoniam igitur recipere ad habitum principaliter est superioris, cuius etiam est administratio plena rerum Monasterij, licet ad validam hanc receptionem requiratur consensus Conuentus, tamen receptio facta sine consensu, nó est irrita omnino, & vt ita dicam contrarié, & insanabiliter, sed priuatiué, quia non habet omne complementum, quod obtinet postea quandocumque Conuentus consentiat, & factum ratum habeat, iuxta ea, quæ ex *Bordon. supra n. 150.* dicta sunt. Quia consensus post factum datus proinde habetur, ac si ab initio interuenisset *cap. cum a. de iure patron.* & ibi *Gloss. in verb. consensum. Rota dec. 82. n. 6. par. 6. recent.* & ratificatio influit in contractus initium, & illi tribuit robur efficaciter obligandi *Ancharan. cons. 113. n. 4. Natt. cons. 262. n. 10. Sard. dec. 70. n. 31. Rota decis. 353. nu. 12. par. 9. recent.*

218. Sed quæritur sexto, an in ordine Prædicatorum receptio Clerici facta sine consensu maioris partis Capituli sit irrita. Affirmat enim *Donatus loco citato p. 4. tr. 1. q. 4. n. 4.* non referens in particulari aliquem locum constitutionis, & hoc confirmat *Tabien. v. nouitiatus. n. 8.* Et quidem certum primo est, Priorem sine consensu maioris partis

Capitu-

Capituli non posse aliquem ad habitum recipere. Hoc enim constat ex textu *Const. d. p. cap. 13. §. 3.* Imo Constitutio vult vt examinatores recipiendorum sint electi à Capitulo, vt habetur ibid. text. 1. *Qui recipiendos in moribus, & scientia diligenter examinent, & examinationem Priori, & Capitulo referant, eorum iudicio* (scilicet Prioris, & Capituli) *an recipi debeant relinquentes*. Imo in *Capit. Bononien.* 1615. *ord.* 7. decretum fuit vt hoc examen fiat publicè in concilio Patrum, vnde nedum Prior non potest recipere ad habitum aliquem sine Capitulo, sed neque sine consilio Patrum, quod iuxta huius ordinis morem præcedere debet Capitulum. Certum est secundo quod nedum Prior, sed nec Prouincialis potest recipere Conuersum sine consensu Capituli, imo ad hoc non sufficit consensus maioris partis, sed requiritur cõsensus duarum partium Capituli. Sic enim *Const. loco citato* §. 3. habet. *Conuersum autem nõ recipiat Prior Prouincialis, nec aliquis de eius licentia, nisi de consensu Prioris, & duarum partium Fratrum, qui sunt de Conuentu pro quo est induendus*. Sed & in dicto *Capit. Bononien.* 1615. *ord.* 7. statutum fuit, vt Conuersi ad modum Clericorum examinentur coram PP. à consilijs, vnde recipi non possunt nec etiam sine præcedente concilio.

219. An vero consensus Conuentus sit de forma, distinguendum est inter receptionem ad habitum, & ad professionem. Nunc enim de receptione ad habitum loquendo datur alia distinctio. In ordine enim Prædicatorum est vsus affiliationum, & non recipiuntur regulariter nouitij nisi vt filij huius, vel illius Conuentus determinati. Et sic in hoc Ordine ex duplici causa potest esse necessarius consensus Conuentus, vel scilicet ratione incorporationis ad Religionem, quia iustum videtur, vt non incorporetur aliquis Religioni, nisi ex consensu communi saltem alicuius Conuentus; vel ratione affiliationis, quia non debet Conuentus grauari filiatione alicuius sine eius consensu. Sic ergo dicitur certum esse, quod nec Prior, nec Prouincialis possunt affiliare Fratres conuentibus, quod de prioribus est manifestum, & de Prouincialibus est expressũ in *cap. Valen.* 1596. *admonit.* 7. Ideo ad hoc, vt nouitius sit filius alicuius Conuentus necessarius est illius Conuentus consensus, & sine hoc consensu affiliatio nulla erit, & inanis. Verum huiusmodi cõsensus non est de substantia receptionis ad habitũ. Nam aliquando recipiuntur nouitij nomine Prouinciæ, & postea affiliantur Conuentui. De consuetudine tamen ad valorem receptionis necessarius est consensus Conuentus alicuius, vel scilicet illius cuius nomine recipitur, vel illius in quo ad nouitiatum recipitur, vel certè si Prouincialis sit, qui, ad habitum recipit, alicuius Conuentus Prouinciæ. De consensu autem necessario ad professionem dicetur infra *in spec.* 9. *num.* 358.

220. Quæritur settimo. An vbi est necessarius Capituli, vel Cõsilij cõsẽsus sufficiat cõsensus maioris partis? Et respondetur, quod nisi lex expressè maiorem numerum vocalium requirat, sicut in Ordine Prædicatorum ad receptionem conuersorum requiritur consensus duarum partium vocalium, regulariter, & de iure communi, quod fit à maiori parte capituli, censetur factum à toto capitulo, vt probat *Menoch. l. 1. Consil. 96. num. 5.* Vnde sufficit quòd receptio ad habitum fiat de cõsensu maioris partis *Suarez loco citato, & tibi disp. 7. dub. 1. num. 9. Glossa in cap. Pastoralis de rescriptis v. si plures*, & expressit Sixtus 5. in sua constitut. declarat. §. 10. *Tambur. 3. disp. 6. q. 1. num 10. Bordon. res. 54. num. 162. & de profess. cap. 3. q. 10. Layman. l. 4. tract. 5. cap. 2. num. 5.*

221. Sed quid dicendum si vocales in partes æquales diuidantur? In hoc casu præponderare partem illam, pro qua stat superior docet *Peyr. in P. R. q. 3. cap. 1. n. 21.* quem aliqui sequuntur, vt *Tambur. l. 3. disp. 6. q. 1. num. 11.* & probat ex *c. fin. de sentent. & re iudicata*, vbi deciditur, quod si iudices aliqui ordinarij se diuidant in partes æquales in ferendo voto sententiæ, votum illud eligatur, seu sententia detur iuxta illud votum quòd fauet reo. Quia iura promptiora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum *cap. ex lit. de probat. cap. inter dilectos, de fide inst.* cum in hoc casu, qui à Prælato proponitur recipiendus se habeat sicuti reus, cui valde grauis sententia esset, si excluderetur, ideo si vota capituli sint æqualia, ad fauorem recipiendi stabit resolutio, & sic licebit Prælato recipere ad habitum dummodo maior pars non dissentiat, etiam si non maior sed æqualis pars consentiat. Sed oppositum tenet *Bordon. resol. 54. n. 163.* Tum quia duo vota affirmatiua, licet alterum sit Superioris, non sunt maioris efficaciæ, quã duo negatiua, eo quòd votum Superioris vnicum sit, & simplex. Tum quia parium par est potentia *l. t. §. Veteres ff. de acquir. possess. l. si vens. ff. de duor. reor.* Tum quia huiusmodi receptio assimilatur electioni, quæ non valet nisi sit à maiori parte; tum quia affirmatio minus efficax est, quam negatio. *Glos. v. à suspensis cap. Cum dilectus 8. de consuet.* Et illa plus tollit, quam illa, cum sit vna ligantis natura. Nec quæ affert Peyr. valent; quia speciale est in Religione Minimorum, quod huiusmodi æqualitas valeat. Nec est eadem ratio de reo, & de nouitio suscipiendo, quia ille habet ius, vt non puniatur sine causa, & ideo in æquali numero iudicum sententiantium, sententia tenet fauore rei. *cap. final. de sentent. & re iudic.* & sic in pari causa reus est absoluendus per *regul. 11. n. 6.* Nam & iura promptiora sunt ad absoluendum; quam ad condemnandum. *cap. ex literis, de Probat. cap. Inter dilectos, de fide instrum.* sed recipiendus non habet ius ad habitum nec in re, nec ad rem, vnde non est cur assensus præualeat dissensui. Nam & iudex tenetur audire reum, sed Conuentus potest petentem habitum Religiosum non admittere. Imo quod nec sufficiat consensus dimidiæ partis Capituli, & vlterius Prælati, sed sit necessaria maior pars Capituli vltra Prælatum ex *Franc. cap. fin. de Regul. in 6. n. 5. Nauar. cons. 37. de Reg. Glos. cap. vnico, §. cum vero, v. assensu, Ne sede vacante in 6. Panorm. cap. postulasti n. 14. de concess. prabend.* & ibi *Ant. n. 11. Imol. n. 15. & 16. tradit Sãchez l. 5. c. 4. n. 69. Bordon. cap. 3. de profess. q. 10. Qui ibid. q. 30.* vlterius arbitratur quod Prælatus debeat excludi, vt in præstando huiusmodi consensu non habeat suffragium, quia eius sit recipere, & incorporare nouitium Religioni, Conuentus vero consentire, sed vt dixit *Sanchez* puto in his attendi debere consuetudines, & statuta Religionum. Et

vbi

vbi sit consuetudo, quod Prælatus det suffragium, sufficiens erit maior pars computato Prælato. Qui si cum alijs non dedit suffragium, poterit accedere vni parti, cui voluerit. Verum quia sumus in casu in quo consensus Capituli vel consilij non est necessarius de iure communi, sed vel ex statuto particulari, vel ex consuetudine, ideo attendenda erit vis statuti, vel consuetudinis, & poterit applicari præfata doctrina, si statutum, vel consuetudo id patiatur.

222. Quæritur octauo, An saltem in casu necessitatis, & periculi solus superior possit aliquem ad habitum suscipere, si commodè non potest requirere consensum aliorum. Affirmant *Vech. disp. 7. dub. 2. & Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. num. 14.* Quia consensus aliorum in tali casu habetur pro dato. *Gloss. in cap. si pro te. v. Assensus. de refer. in 6. Bartol. l. 2. §. si pluries. ff. de exercit. Felin. in cap. Cum accessissent n. 20. & 21. de constit.* Sed per oppositum negant *Sanchez lib. 1. de matr. disp. 34. n. 26. Bardon. resol. 54. n. 167.* quia consensus vocalium cū sit de forma per nullam necessitatem potest excusari, neq; enim forma per æquiualēs suppleri potest *Bartol. & Alex. in l. 1. ff. de lib. & Posth. Decius in l. si mater. C. de instit. & substit. n. 4.* Tum quia hic non est necessitas ex parte rei, sed ex parte voluntatis eius, qui de repente desiderat expediri; quod Religioni non expedit, cum nec de repente, sed cum magna ponderatione recipiendi sint nouitij, vt considerauit S. Benedictus in regula *cap. 57.* Tum quia recipiendus potest admitti intra claustra, imo & ad habitum regularem non ordinando. hoc ad annum probationis, & ex hac receptione tollitur omne periculum. Ego existimo quod non tam de facili possit adesse tanta necessitas recipiendi ad habitum, vt non possit haberi consensus vocalium. Sed in casu huius necessitatis, & quia contingere potest ex multiplici causa vt ob Religionis commodum, & recipiendi conditionem expediat statim in momento recipere aliquem ad habitū, si recipiatur, sit valida receptio. Nam & regulæ illę, quod forma sit omnino in omni casu seruanda, nec possit suppleri per æquipollens, sunt regulæ fallaces. Cum formæ huiusmodi inducantur à iure positiuo, quod non potest omnes casus respicere, & alias in casibus singularibus de raro contingentibus non intendit excludere maius bonum. Et in nostro casu sufficeret, si consensus vocalium acciperetur post receptionē nouitij ad habitū, & vocales factum ratū haberent. Vbi vero consensus vocalium non sit de substantia, certum est, quod receptio nouitij facta à superiore sine consensu vocalium esset valida.

223. Quæritur nono. An si constet Prælato Capitulum vel consilium iniustè, vel sine rationabili causa negare alicui habitum, an possit illum recipere. Quidam affirmant, quia vbi consensus ad actum est necessarius, si negetur sine rationabili causa, censetur datus, *cap. licet 6. Talis ergo, de regul.* & ita tenet *Peyr. loco citato nu. 22. & Vechie loco citato n. 14. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. n. 13.* vbi quod hoc fuit decisum per *Rotam p. 2. recent. dec. 91.* sed oppositum tenet *Bardon. resol. 54. n. 165.* Ex eo quod per ipsum consensus Capituli seu vocalium sit de substantia, & consensus vel dissensum esse rationabilem vel irrationabilem, non est de substantia. Neque ex eo quod consensus vel dissensus sit illicitus, ideo est inualidus. Tunc vero negatio licentiæ aut consensus, si sit irrationabilis censetur concessio vel consensus, quādo id exprimit ius, Hoc quidem certum est, posse in hoc casu Prælatum Inferiorem recipere ad habitum eum, qui à Capitulo exclusus fuit, sub probabili ratihabitione superioris potentis recipere sine consensu Conuentus, vt de Prouinciali Societatis Iesu in simili casu *Sanchez l. 5. mor. c. 4. n. 26.* Cæterum absolutè loquendo considerari deberent statuta religionum, & consuetudines. Nam in Religionibus vbi receptio ad habitum est affiliatiua ad Conuentum, etiamsi Conuentus sine causa suum consensum neget, non poterit Prælatus inferior recipere ad habitum contra votum capituli etiam sine causa negatum, quia Conuentus vtitur iure suo, & est Dominus suorum redditunm temporalium, nec tenetur ad hoc, vt alium admittat ad illorum participationem. Nec ad superiorem habentem potestatem ligatam spectat præcipere subditis vt in eo casu consentiant, quia non conceditur ei hęc authoritas, cum imo à lege sit prohibitus operari aliter. Quare & absolutè loquendo, vel consensus est requisitus à lege tamquam de forma, & ita vt sine illo actus sit nullus, vel solū est requisitus ad melius. In hoc secundo casu, vbi Prælato constet consensum negari sine rationabili causa, Prælatus nedum validè, sed licitè potest operari non obtento consensu, seu congregato Capitulo, esto Capitulum non consentiat; sed vbi consensus requiritur pro forma, tunc nec Prælatus potest præcipere conuentui vt consentiat, quia lex ipsa inducens necessitatem consensus Conuentus ad valorem actus, ex hoc relinquit Conuentum in sua libertate; nam consentire relinquit arbitrio illius; & si Prælatus posset præcipere Conuentui vt consentiret, idem esset, ac si esset in potestate Prælati recipere nouitios ad libitum, quia vbi Conuentus nollet consentire, ille Conuentum compelleret ad consentiendum, & sic obtineret quod vellet. Non ergo potest compellere Conuentum ad consentiēdum receptioni nouitij. Et cum alias hic consensus sit de forma, eo deficiente receptio est vana. Illud vero principium, quod consensus iniustè negatus censetur datus, vt aduertit *Rota citata decis. 91. n. 5. p. 2. recent.* est verum vbi, qui negat consensum, ex iustitia tenetur illum dare. Conuentus vero non tenetur nouitium recipere. In admissione tamen ad professionem, quia idoneo debetur approbatio si iniustè reprobetur, potest superior qui est iudex appellationis repulso instante, imo ex officio sibi cōstito de iniustitia, præcipere Capitulo vt reprobatum approbet, vel eo inuito nouitium ad professionem admittere.

224. Quæritur decimo, An consensus Capituli vbi sit necessarius, dandus sit per vota secreta vel publica. *Peyr. in P. R. q. 3. c. 1. n. 22.* cui aliqui consentiunt sentit sufficere quod vota sint publica. Tum quia *Concil. Trid. sess. 24. c. 17. de refor.* decernit quod vota examinatorum ad beneficia dentur publicè. Tum secundo quia in Ordine Prædicatorum suffragia pro recipiendis non dantur occulta, vt docet Fessua in *sum. q. 2. c. 2. vers. in Cap. Valent.* Idem tenet *Tambur. to. 3. disp. 6. n. 13.*

nu. 13. addens quod huiusmodi vota possunt dari via secreta, si talis sit consuetudo in Religione, vel si Prælatus ægrè ferat, vt ei contradicatur. Addit *Bordon.resol.54.n.*168. quod si in aliqua Religione laudabilis vsus sit, vt nouitiorum receptio fiat per vota secreta, non possit superior petere vota publica, quia per hoc vocalium minuitur libertas, & sub votis publicis præter morem datis facile potest subesse fraus. Verùm dicendum est quod in hoc quoq; consulenda sunt statuta propria religionum, & consuetudines *Bord.de profess.c.3.q.*21. Nam certè nisi lex requirens consensum ad valorem actus exprimat hunc consensum debere præstari per vota secreta, sufficit consensus quomodocumque sufficienter extra significatus, sicut apparet in consensu matrimonij, & aliorum contractuum. Si autem exprimatur, & requiratur consensus vt præstitus per vota secreta, adhuc videndum est, an hic modus consensus sit requisitus de forma, vel solum ad melius; quia bene potest esse, quod lex de forma non requirat consensum, sed vt consensus cum maiori libertate detur, præcipiat illum dari per vota secreta, licet non requirat hoc pro forma, neque irritet consensum alio modo datum. Et tamen contrarius erit inueniri, quod modus præbendi consensum per vota secreta sit requisitus de forma, & ita vt ad valorem actus non sufficiat consensus præstitus per vota publica. Vbi tamen requiritur de forma, vt consensus detur per vota secreta, sicut in electionibus Prælatorum ex decreto *Concil. Trid. sess.*25.*cap.*6.*de regul.* consensus publicè datus non est validus.

225. In ordine vero Prædicatorum varia fuit circa hoc consuetudo. Nam in *Capit. Salmant.* 1551. fuit acceptata quædā *Constit. Leon. X.* in qua decernit, vt quæ circa personas determinatas concludenda sunt, non nisi per vota secreta concludantur, vt habetur in *Gloss.d.1.c.13.§.1.l.v.fue* Verum quantum ad recipiendos ad habitum, & professionem hæc Leonis Constitutio non erat in vsu anno 1596. quoniam illud Capitulum statuit, vt huiusmodi receptio fieret per vota secreta. Quæ tamen ordinatio vt notat *Festus p.2.sum.c.2.* reuocata fuit in *cap. Rom.* 1601. & mandatum fuit, vt nouitij per publica vota reciperentur. Quod cōfirmauit *Vallisol.* 1605. Verum aduertit *Camillus in summa v. recipiendi*, quod in Constitutionibus impressis *Barcinonæ anno* 1620. non fuit hoc repositum, sed imo ibi *dist.1.cap.13.litt.P.* facta est mentio *Constit. Leonis X. & Ordinat. Capit. Salman.* 1555. *&* *Valent.* 1586. in quibus vota secreta præcipiuntur. Et addit *Fontana tit. de recipiendis.n.*14. quod ordinatio illa *Capit. Roman.* 1601. nunquam fuit executioni demandata. Sed ego eam vidi sæpius practicari, & nouitios ad habitum, & professionem recipi per vota publica.

226. Quæritur vndecimo. An Conuentus dissentiente Prælato possit aliquem recipere ad habitum? Et respondetur non posse, quia potestas recipiendi residet in Prælato vel solo, vel saltem principaliter in eo, vnde sine eius consensu nullus recipi potest. Ita *Rodriq.tom.3.q.10.n.2. Peyr.P.R. q.3.c.1.n.20. Donatus p.4.tract.2. q.5. & alij Tamb. c.3.disp.6.q.1. nu.10.* vbi ad id refert *Socin. cons.* 41. *Rotam dec.91.p.2.recent. Palaus tr.16.disp.2.p.3.n.3.* Et in meo ordine res est certa ex textu illo 3. *cap.* 13. *dist.* 1. vbi decernitur nullum posse recipi nisi à Prouinciali vel ab alio de eius licētia speciali, vel à Priore de consensu Capituli. Ideo etiam si Prælatus recipiendum proposuerit in Capitulo, & receptio illius fuerit approbata, nullus potest adhuc illum recipere, nisi Prouincialis, vel alius de licentia Prouincialis, vel Prior conuentualis.

227. Quæritur 12. An vbi ad recipiendum ad habitum requiritur consensus Capituli, & in Conuentu non adsint nisi superior & vnus alius, possit ab eis validè recipi nouitius? Resp. quod cū ius Capituli remanere possit in vno solo, vt docet *Gloss. in c.3. de postulationibus*, ideo qui recipitur à Prælato, illo alio cōsentiente, qui solus est vocalis in Cōuentu recipitur à Prælato de consensu Conuentus, ideo ex hac parte non est illa receptio inualida. An vero sit inualida ex speciali statuto, illud considerandum erit. Sicut infra dicendum erit, quod ex Constit. Sixti Quinti sit ad hoc necessarium.

228. Quæritur 13. An consensus Capituli sit validus, si vel non detur capitulariter, vel Capitulo non intersit superior? Resp. regulariter cōsensum Capituli debere dari capitulariter, & Prælato præsente. Primum tenet *Peyrin. loco citato n. 22. Vsebius loco citato, n. 8. & alij* quia non est consensus capitularis qui datur à vocalibus non capitulariter cōgregatis. Secundum etiam probatur, quia Capitulum sine præsentia Prælati per se vel per alium præsentis, non est Capitulum, quia est corpus sine capite.

229. Quæritur 14. An absente aliquo ex deputatis ad præbendum assensum pro receptione ad habitum, possit sufficere si ille per alium det consensum, vel si eumdem det ipse per litteras? Respōdent aliqui talem de iure communi posse validè dare suum consensum per litteras, non vero per aliquem alium. Primum probant, quia non requiritur nisi consensus, vel consultatio, at vero absens per litteras in Capitulo lectas satis consulat, & cōsentit. Secundum probant, quia in hoc est electa industria personæ, ideo ille, qui est deputatus ad consentiendum debet consentire per se ipsum. Sed alia distinctione quæstio resoluitur. Quia vel Capitulo, aut consilio vocalis potest conuenire per Procuratorem, vel non. Etenim sæpius contingit vt electionibus, & actionibus capitularibus absentes conuenire possint per Procuratorem, vt in Concilijs Generalibus, & Principum diætis vsu venit. Et in hoc casu, qui suffragium habet in receptione nouitiorum posset Procuratorem instituere, qui loco ipsius suffragium præstaret. Sed si in Capitulo vocem non habeat nisi præsentes; non potest vocalis alium loco sui instituere, per quem det votum; neque sufficit, quod det votum per litteras. Quia consensus ad recipiendum nouitium debet dari collegialiter, & in collegio, seu Capitulo non admittuntur ad suffragium nisi præsentes. Totum igitur hoc pendet ex vsu Religionis, & an admittat ad Capitulum absentes, vel solum præsentes, vel etiam si in ea sufficiat consensus priuatim datus, aut per litteras. Nam alias regulariter consensus ad recipiendum nouitios non valet nisi datus collegialiter, & in capitulo ad suffragium non admittuntur nisi præsentes, vnde inualidus est consensus datus vel per Procuratorem, vel per litteras.

230. Quæritur 15. An consensus Capituli sit

validus

validus aliquo vocalium existente excommunicato vel inhabili? Respondetur consensum Capituli, & acceptationem superioris, quâ acceptat nouitium non ex eo irritari, quod vnus, vel plures, vel omnes sint excommunicati publicè, notorij, denunciati, & non tolerati. Cuius ratio est, quod huiusmodi, vel consensus, vel admissio ad habitum, seu ad professionem non sunt actus iurisdictionis, quos irritos reddit excommunicatio, sed sunt actus dominatiuæ potestatis competentes etiam mulieribus vt volunt *Domin. in cap. Constit. §. in alijs n. 6. in 6. Tabien. v. nouitius. n. 8. fin. Rosell. n. 22. Sanchez l. 5. in Decal. cap. 4. n. 78.* & sunt quasi contractus: at verò contractus initi ab excommunicato non sunt irriti. *Innoc. in cap. Veritatis de dolo, & contumac. & ibi Panorm. n. 33.* qui idem quoq; docet in *cap. Ad probanda sentent. & re iud. n. 8. Felin. ibid. Io. Andr. in cap. Decernimus de sent. excom. in 6. Conar. in cap. Alma mat. p. 1. §. 1. n. 9. Syluu. v. excom. 3. n. 3. & 4. Suarez d. 15. dec. 8. num. 8. Sayr. l. 2. c. 9. nu. 18. Giball. de cens. disp. 7. q. 9. n. 66. & alij plures,* vnde nec est irritus consensus Conuentus admittentis aliquem ad habitũ, vel professionem, vel acceptatio superioris nouitiũ ad habitum, vel professionem recipientis. *Sanchez. d. 9. q. 78. Palaus tr. 16. disp. 2. p. 3. n. 4. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 20. n. 1. Anton. à Sp. S. tr. 3. disp. 3. num. 126. & 127. Coton. l. 4. contr. 4. n. 33. Bordon. cap. 3. de profess. q. 24.* Et idem dicitur de Superiore admittẽte si esset ab hoc munere suspensus, quia cum suspensio non irritet actus, qui non sunt iurisdictionis, adhuc præfata acceptatio non esset irrita *Palaus, & Tamb. citati, A S. Fausto in thes. lib. 5. q. 225. 226. & 227.* Et quidem peccatum esset communicare cum huiusmodi excommunicatis, & peccatum esset mortale si ex hoc daretur aliqua communicatio in Diuinis, præcisa tamen hac communicatione esset peccatũ veniale, vt præfati DD. docent. Superior verò suspensus peccaret violando suspensionem. In casu autem in quo totus Conuentus esset priuatus actiua voce, tunc superiorem solum posse recipere nouitium ad habitum, vel ad professionem affirmat *Anton. à Spir. S. d. n. 127.* Si vero cum suspensione esset annexum decretum irritans, tunc acceptatio ad habitum, vel professionem vi decreti irritantis esset nulla. Post professionem verò huiusmodi professus communicare posset cum superiore aut alijs excommunicatis, qui illum admiserunt in illis casibus in quibus alij professi communicare possent. In casu etiam quod superior aliquem actum iurisdictionis exerceret, vt si ratione illius assisteret, & auctoritatem professioni daret, illa assistentia nulla esset, & nulla professio si eius valor dependeret ab illa assistentia.

231. Quæritur 16. An petenti habitum si reperiatur idoneus possit sine rationabili causa negari habitus? Supponit quæstio, quod si qui petit habitum non sit idoneus, Religio nedum non teneatur, sed nec possit in conscientia illum admittere, sed id facere sit peccatum mortale. *cap. Monasterij 19. q. 3.* vbi dicitur. *Nam cum graue sit inexpertos hominum sociari obsequijs, quis possit dicere, quam sit grauius ad Dei seruitutem improbatos applicari?* Est enim hoc in graue damnum Religionis, si qui recipitur, vel est ineptus ad Religionis onera sustinenda, vel inclinatione mala, & prauo exemplo suo futurus est in scandalum alijs, & illaturus inquietudinem communitati, *Bordon. de prof. cap. 2. q. 22.* Est etiam contra iustitiam distributiuã quod bona Religionis dispensentur incapaci, & nõ idoneo. Supponit etiam quæstio hic non adesse in hoc obligationem iustitiæ. Solum hæc potest adesse obligatio ex iustitia legali respectu religionis, quam Prælatus tenetur ex officio conseruare, & augere quantum potest, & quæ obligatio est in quolibet religioso suo modo, imo ex iustitia quadam distributiua, imo ex virtute Religionis, quæ omnes ordinat in hũc cultum, vel ex charitate proximi obligante ad subueniendum proximo, & illi benefaciendum de bonis cõmunibus Ecclesiæ. Nihilominus *Bordon. res. 54. n. 138.* arbitratur, nullum esse peccatum non recipere idoneum ad Religionem. Quia nulla est lex, quæ hoc præcipiat. Tum quia impedire bonum, ad quod proximus nullum ius habet, non est peccatum. Sed huius oppositum merito communiter alij docent; quia in hoc casu vrgent leges charitatis, & præfatæ iustitiæ. Et licet impedire bonum proximi, ad quod ille nullum habet ius, non sit propriè iniustitia, potest tamen esse contra charitatem; & alias virtutes. Et ideo concurrentibus omnibus necessario prærequisitis ex parte recipiendi, & ex parte religionis Prælatum teneri idoneum admittere nisi rationabilis causa prohibeat, docent *Suarez tom. 3. de relig. l. 5. c. 10. nu. 28. Peyrin. R. P. q. 3. c. 1. n. 24. Donatus p. 4. trac. 1. q. 6. Castro Palaus t. 16. d. 1. p. 9. n. 13. Tambur. de iure Ab. t. 3. disp. 6. q. 1. n. 15.* Quod idem eadem ratione dicendum est de Conuentu, vel quibuscunque consentire habentibus, eodem enim modo, & ex præcepto earumdem virtutum tenentur, & augmentũ religionis promouere, & proximo prodesse. Rationabiles verò causæ non recipiendi aliquem censentur, vel paupertas Monasterij non valentis maiorem numerum religiosorum alere, vel multitudo petẽtium habitum, si sint merito æquales, nec omnes possint simul recipi. Loquẽdo autem de admissione nouitij ad professionem, hoc pro certo habetur nouitium idoneum concurrentibus alijs necessarijs non posse eijci sine iusta causa, esseq; peccatum sic eijcere. *Caiet. infra a. 4. Passerell. in not. prinil. not. 43. ad fin. Portell. v. nouitius n. 34. Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 11. n. 5. Sanchez l. 5. c. 4. n. 79. Mirand. p. 1. q. 25. a. 12. Verb. in praxi disp. 12. d. 1. nu. 1. Rebell. de oblig. iust. p. 2. l. 4. q. 53. nu. 5. à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 214. Tambur. t. 3. d. 6. q. 7. nu. 5. & 6. Bordon de profess. cap. 3. q. 22.* Sed duo dubia sunt, primum quodnam peccatum sit, Nam *Sanchez* vult per se illud esse veniale, sed *Tambur. & Bordon.* dicunt illud esse ex genere mortale. Secundum dubium est, an hoc peccatum sit contra iustitiam, Affirmat enim *Bordon.* negant *Suarez, Sanchez, & Tambur.* Quoniam obligatio iustitiæ est mutua, nouitius vero est liber vt exeat si voluerit, absq; vlla Religionis iniuria. Non igitur hic locum habet iustitia commutatiua, sed bene eijcere nouitium sine iusta causa est contra charitatem, iustitiam legalem, & distributiuam. Pro certo puto habendum, non esse hic iustitiam ex contractu oneroso, quia nec nouitius, nec Religio emunt, vel vendunt, nec simoniacè aliquid cõmutant, vel ex pacto dati, & accepti sese obligant, sed Religiosus se Deo donat, & Religioni, & Religio donationem nomine Dei, & sui accipit. Ideo non valet consequentia dicere non adest

obli-

obligatio mutua ex vi pacti, ergo non adeſt obligatio iuſtitiæ, quia iuſtitiæ obligatio poteſt conſurgere ex donatione, ſeu promiſſione gratuita conditionata, quæ non ſit obligatio mutua. Spectata autem natura nouitiatus, & vi primæ acceptationis, & quod nouitius in receptione habitus iam ſe donat Religioni, ſed ſub conditione probationis, & experimenti, ea intentione permanendi, ſi voluerit, rationabiliter dicitur, quod nec Religio donationem illam acceptet niſi ſub eadem conditione retinendi illum, ſi voluerit retinere, tantum enim ſe obligat Religio, quantum petit acceptatio donationis ſibi factæ ſub cōditione, vel ſub modo, cum vero donatio à nouitio fiat ſub conditione libertatis exeundi quotieſcumq; voluerit, & Religio donationem acceptat ſub conditione non retinendi, ſi ſibi viſum fuerit: Nam & hoc requirit natura ipſa probationis, & experimenti, Nam quod recipitur, vt probetur ex vi talis receptionis non recipitur vt non excludendus. Et ſimili receptioni non eſt per ſe annexa obligatio non reijciendi poſt experimentum. Et ſi dicitur hanc conſequentiā non valere, quia ex quo nouitius ſe donat ſub conditione libertatis exeundi, bene ſequitur quod Religio acceptans donationem illam acceptet ſub conditione libertatis exeundi in nouitio, ſed non ſequitur per ſe, quod & ipſa nouam aliam conditionem apponat, & acceptet conditionem nouitij ſub conditione omnimodæ libertatis illum retinendi, quia hæc conditio non eſt per ſe connexa cum illa alia, ſed bene poteſt intelligi quod ſuſceptio habitus ſit conditionata conditione omnimodæ libertatis in perſeuerando reſpectu nouitij, & non ſit conditionata conditione omnimodæ libertatis in retinendo ex parte Religionis. Reſpōd. enim paritatē valere ex æquitate iuſtitiæ, & in hoc fieri vim, quod non eſt neceſſe vt Religio magis ſe obliget, quam nouitius, & quā prius traditio facta à nouitio. Nouitius verò non ſe obligat ex iuſtitia ad permanendū, & nō tradit ſe niſi ſub conditione experimēti, & libertatis; igitur ex hoc nō neceſſitatur Religio, vt ex iuſtitia ſe obliget ad retinēdū nouitiū, ſed ad ſumēdū de eo experimētū ſub æqualis libertatis conditione. Et ſi dicatur, quod ipſa natura experimenti præſupponit voluntatem perficiendi id, in ordine ad quod experimentum ordinatur, vt ſaltem ſine iuſta cauſa non perficiatur, quia qui vult medium, per prius vult finem; & qui vult experiri mores nouitij, vt videat ſi eſt aptus Religioni, per prius vult illum admittere ad Religionem, ſi illum inueniat aptum; reſpondetur per ſe loquendo experimentum non præſupponere niſi voluntatem conditionatam conditione libertatis. Quod vero dicitur de iuſta cauſa, eſt verum ex ratione generali, quia nunquam licet agere niſi ex recto fine, & cauſa rationabili, ſeu eſt verum ex alijs virtutibus, vt dicetur. Sed ex hoc præciſe, quod quia recipit aliquem in domū ſuam, vt experiatur an ſit aptus, non eſt neceſſe, quod ſe obliget, ex iuſtitia, nec vere ſe obligat ad illum retinendum etiam ſi aptus inueniatur, niſi ex ſpeciali pacto ad id ſe obliget, Religio vero recipiens nouitium ad experimentum non ſe obligat ſpeciali pacto, aut promiſſione, vt non reijciat nouitium, & cum hæc obligatio non ſit per ſe connexa receptioni nouitij ad experimentum, non eſt vnde dicatur Religionem ſe obligare ad non expellendū nouitium ſine iuſta cauſa, ſed cum nouitius etiam ſi ſe tradat ad experimentum Religionis non per hoc ſe obligat ad manendum, nec habet vel minimam obligationem iuſtitiæ ad permanendum, ita Religio recipiens ad experimentum Religionis nouitium ex hoc nec minimam iuſtitiæ obligationem contrahit illum retinendi. Et hoc confirmatur: nam Innoc. 3. *cap. ad Apoſtolicam de Regul. decet*, quod nouitiatus inſtitutus eſt non ſolum fauore nouitij, ſed etiam fauore Religionis; ex æqualitate igitur ſe habere debent nouitius, & Religio in hoc fauore percipiendo, vt ſicut nouitius non obligatur ex iuſtitia ad permanendum, ita nec Religio obligetur ex iuſtitia ad nouitium retinendum, Nihilominus tamen dicitur quod Religio ex alijs virtutibus nimirum ex charitate, religione, iuſtitia, legali, & diſtributiua tenetur admittere ad profeſſionem, quem experta eſt idoneum, nec poteſt illum ſine iuſta cauſa rijcere: Nam negari non poteſt, quin cedat in maximū damnum ſpirituale nouitij apti eijci à Religione ad ſeculum. Et ideo contra charitatem eſt id facere. Pariter iuſtitia legalis intendens bono communi non patitur Religionem priuari idoneo filio; & contra iuſtitiam diſtributiuam eſt, quod ſuperior, qui eſt bonorum Religionis diſpenſator acceptet perſonam negando idoneo, quod ex iuſtitia illa idoneo eſt diſpenſandum. Sed & virtus Religionis iniuriam patitur, dum à religioſis obſequijs excluditur, qui & eſt ad illa aptus, & ad illa admitti poſtulat ab eo, qui nomine Religionis, & vt religioſus miniſter ad idoneos recipiendos eſt deputatus. Et ideo dicendum eſt quod non admittere nouitium idoneum ad profeſſionem, ſed illum eijcere abſq; cauſa eſt ex ſuo genere peccatum mortale, & hoc præter *Sanchez intendūt DD. ſupra citati*. Et ſi eijciatur habet ius implorandi officium ſuperioris maioris vt faciat illū admitti. *Hoſt. & Io: Andr.* quos ſequitur *Greg. Lopez lib. 3. tit. 7. p. 1. Rota dec. 285. n. 14. coram Coccino. Tābur. tit. 3. d. 6 q. 7. n. 5. Bordon. de profeſſ. c. 3. q. 22. & 56.* Et licet hoc ius nō ſit proprie ius iuſtitiæ eſt tamē ius Religioſū fundatū in iuſtitia diſtrib. & virtute Religionis, & etiā in *Conc. Tr. ſeſſ. 25. cap. 16.* volente quod habiles ad profeſſionem recipiantur.

233. In dubio autem an nouitius ſit idoneus bonum Religionis præponderare debet, nec debet aut poteſt nouitius admitti. Lex enim charitatis obligat Religionem vt ſibi potius proſpiciat, quam nouitio, & iuſtitia legalis obligat ſuperiorem ad hoc vt non permittat id, quod poteſt eſſe in damnum boni communis, nec iuſtitia diſtributiua permittit vt bona communia diſtribuantur ei, de quo eſt dubium an ſit dignus. Et hoc dicendum etiamſi dubium ſit poſitiuum, eo quia ex vtraq; parte ſit opinio probabilis, quia & tunc vere dubia eſt idoneitas nouitij; Neque licet afferre regulam, quod liceat operari ex probabili iudicio, quia hoc non eſt verum, vbi ex ſpeciali virtute ad agendum requiritur certitudo: ſicut in præſenti virtutes charitatis, Religionis & iuſtitiæ vel legalis, vel diſtributiuæ exigunt, vt non admittatur is, de cuius idoneitate eſt dubium, ſeu cuius idoneitas nō eſt certa. Et ideo etiamſi probabilius ſit nouitium eſſe idoneum, ſi hæc maior probabilitas non vincit dubitatem, ſed vere remanet dubium de nouitij idoneitate, Religio tutam viam, & certam pro ſe debet eligere. Quamuis ad hoc ſufficiat certi-

tudo moralis, quam de facili ferre potest maior probabilitas. *Suarez tamen tom.3.l.5.c.10.n.18.* putat, quod in dubio etiam positiuo liberũ sit nouitiũ nõ admittere. Quocirca si quis bona fide absq; odio, vel alio prauo affectu procedat, & mediocrẽ diligentiã adhibeat, securè potest suffragiũ suũ vel cõcedere, vel negare. Sed vt dicebatur in dubio, nedũ liberũ est non admittere sed tenetur nõ admittere; quia bonũ commune debet præferri particulari; quamuis in particulari casu considerandæ essent circumstantiæ ex quibus fieri posset vt melius esset in ordine ad Deum, & Religionem vt dubius idoneus admitteretur. Puto etiam considerandum de quo sit dubium. Nam si esset dubium de aliqua qualitate irritante professionem, indubitatum est, quod stante dubio non deberet admitti, cum hoc esset ponere se periculo professionis nullæ. Si vero esset dubium de aliqua qualitate non irritante professionem, adhuc videndum est, an ex hoc graue damnum immineret Religioni, vel etiam nouitio, & in hoc casu etiam certum est legem naturalem virtutum præfatarum obligare admittentes, ad hoc vt admittendo non exponerent Religionem vel etiam nouitium periculo grauis damni. Si vero qualitas de qua esset dubium talis esset vt ex eius defectu nec immineret periculum irritationis professionis, vel alicuius grauis damni, adhuc semper vigeret lex non admittendi eum, de quo non constat esse idoneum, admittere tamen posset non esse peccatum mortale, si lex non obligaret sub mortali, vel si ex leuitate materiæ culpa esset, venialis, vel etiam culpa nulla habente locũ epijcia ex circumstantijs facti. Considerandum etiam est an dubium sit puri facti, an habeat originem ex dubio iuris, eo quod sit dubium v. g. an ex iure ad suscipiendum habitum vel professionẽ admittendam sit necessaria aliqua qualitas, vel non sit necessaria. Nam in dubio iuris tutum est & licitum sequi probabiliorem partem, iuxta dicta superius *q. 186. a. 8. in sectione 3. dub. 1.* sed vbi ius est certum, & dubium est in facto an nouitius sit idoneus, non debet admitti.

234. Quæritur 17. An possit exclusus iterum à Capitulo admitti, vel admissus excludi. Vtrumq; fieri posse aliqui tenent. Primum quidem, quia nullum ius adest, quod prohibeat admittere eum, qui fuit semel exclusus. Secundum verò, quia ex quo aliquis est admissus non propterea acquisiuit aliquod ius; nondum enim contractus initus est cum recipiendo, neque deliberatio vnius partis de contrahendo cum alio est conuentio obligans, sed est libera electio futuræ conuentionis, à qua eligens potest quotiescumque sibi bene visum fuerit recedere. Et ita pro hac sententia citatur *Peregr. p. 2. Constit. c. 5. lit. R. §. 11. & 12.* Est autem considerandum ex consultiua acceptatione non oriri obligationem iustitiæ, quia ille consensus non est in contractũ de præsenti, sed est electio futuræ obligationis, ideo salua iustitia commutatiua liberum est consultoribus mutare consilium. Verùm tamẽ est, quod si hoc fiat sine rationabili causa, nedum erit peccatum leuitatis, & imprudentiæ, sed poterit esse peccatum contra iustitiam legalem, & iustitiam distributiuam, & charitatem, & Religionem, vt supra dictum est, quia contra bonum commune Religionis, & contra debitum dispensandi bonum Religionis, quod ex sui institutione est petentium illud, & contra charitatem, qua bonum proximi diligere tenemur, quamuis ex hac sola vltima ratione rarius contingere possit, vt hoc peccatum sit mortale, vel è contra poterit esse contra bonum commune, si admittatur indignus, & inutilis Religioni, & contra distributiuam iustitiã maximè, si ex hoc illi qui digni sunt excludantur. Hoc igitur est illicitũ vt per *Rotã Vlissiponen. ingressus. 8. Nou. 1638. coram Montmano.* Cæterum ex rationabili causa consultores possunt mutare consiliũ, quod est opus sapientis. Nec in contrariũ vrget regula 21. *de reg. in 6.* Quod semel placuit, amplius displicere nõ potest; quia hoc intelligitur vbi mutetur consilium contra iustitiam, & cũ alterius præiudicio, quod in nostro casu non accidit. *Peyr. t. 2. de Præl. q. 3. cap. 1. n. 117. Tambur. t. disp. 6. q. 11. n. 14.* Alias verò licita est mutatio cõsilij in melius. Et potius debet quilibet seipsum possibili honestate corrigere, quam expectare, vt ex querela partis læsæ ab alio corrigatur. Et iudex, qui tulit sententiam nullam, potest illam reuocare, Ecclesia quoque mutat sententiam suam in melius. *cap. Fraternitatis, de Frig.* Et *S. August.* se ipsũ correxit in melius. *cap. certe. 12. q. 1.* Imperator se ipsum corrigit in melius. *Authen. de nupt. §. 1.* & magnæ sapientiæ est reuocare malè gesta. *cap. magna. 12. q. 3. Panorm. Cons. 41. col. 1. in fine* De admissione tamen ad professionem loquendo, quia hæc magis debetur nouitio habili, ideo maiori ratione semel admissus legitimè, non potest reprobari nisi ex causa vel de nouo cognita, vel superueniente. Sicut si nouitius fuit reiectus ex falsa informatione, vel ex odio, debet cognito de falsitate informationis approbari, & omnino odium deponi, & si nouitius sit habilis, admitti. In casu autem, de quo agit *Bordon. de profess. c. 3. q. 28.* eius, qui fuerat admissus, sed postea quibusdam ex noua causa aut nouiter cognita petentibus vt de nouo haberetur Capitulum, superior timens nouitium fore excludendum, Capitulum congregare noluit, sed mediante Prælati maioris commissione nouitium ad professionem admisit. In hoc inquam casu *Cranfers lec. 4. in cap. 2. Reg. & Verb. disp. 12. d. 7. apud eundem Bordon.* dixerunt professionem esse nullam, sed esse validã vult ipse. & difficultas tota est an prior consensus ex vi instantiæ factæ fuerit reuocatus, vel suspensus. Ego non dubito fuisse sufficienter suspensum, si non reuocatum, quia ex natura rei contraria sunt persistere in priori deliberatione, & velle de nouo deliberare, & si opus sit contrarium decernere. Vnde hic nulla est necessaria protestatio, seu positiua specialis reuocatio prioris consensus, quia ex natura rei voluntas non persistit in priori consensu, & deliberatione, seu illam saltem suspendit, ex hoc quod iterum vult inquirere, & nouum consensum dare vel negare. Ex hoc enim vult priorem consensum pro nunc inutilem esse, & nullius vigoris. Vbi tamen qui instant pro nouo capitulo sunt pauci, eisque demptis adhuc manet consensus vt datus à maiori parte, non erit nulla professio, quæ de consensu maioris partis admittitur. Quod si nouitius à paucis supra medietatem fuit admissus, vnde demptis illis, qui instant pro nouo Capitulo diminuitur numerus suffragiorum vt non sit maior medietate suffragantium, professio

videri

videri poterit nulla, quia à numero eorum, qui pro admissione nouitij suffragiũ dederunt in scrutinio secreto detrahi debent, qui de nouo faciunt instantiam, vt congregetur nouum Capitulum. Sed hoc non bene dicitur, quia sic aperiretur via fraudi, & qui negauerunt suffragium possent illudere maiori parti, & primo negare suffragium in scrutinio, & iterum instare pro nouo Capitulo, & ita consensum maioris partis irritare. Ideo dicitur quod nisi maior pars Capituli instet pro nouo Capitulo habendo, vis prioris Capituli manet, & ex eo nouitius potest profiteri. Dum tamen Prælato fiat manifesta causa iusta, & necessitas noui Capituli tenetur nouum Capitulum congregare. Et hoc nedum si totus Conuentus, vel maior pars instet, & suum consensum reuocet, in quo casu non potest Prælatus admittere ad habitum, vel professionem Conuentu repugnante, sed etiam si instet quilibet de Conuentu, cum omnium intersit, vt indigni ad habitum, aut professionem non admittantur. & Prælatus non potest in destructionem boni Religionis vti sua facultate. Et ita in hoc casu si instans protestetur de nullitate professionis, & appellet quatenus nouitius admittatur sine nouo Capitulo, professio si admittatur erit attentata, & nulla *cap. Dilecti, de Appell. Bord. d. q. 31.*

235 Quæritur 18. An consensus semel præstitus valeat, & duret, si per multum tempus differatur actualis receptio ad habitum. Distinguunt aliqui, quia vel dilationis causa est voluntas recipiendi ad habitum, & hoc modo si talis per multos menses differat suscipere habitum, est necessarium nouum capitulum, & nouus consensus; quia intra multorum mensium terminum potest conditio recipiendi esse valde mutata, vel manifestari aliquid occultum, quod valeat retrahere consultores, ideo consensus primo datus nõ censetur manere, ideoq; est iterandus. Secus si causa dilationis sit ex parte religionis, vel quia recipiendus ex infirmitate, vel ex alia graui necessitate detinetur. Et hoc colligi dicitur ex *Peregr. loco citato lit. E.* Verum hæc distinctio non resoluit difficultatem. Nam vel res est notabiliter mutata ex parte alterius partis aut vtriusq; vel si non est mutata, vndecumque euenerit dilatio est necessaria noua consultatio, & nouus consensus; quia sine dubio prior non durat non durante re consultata *Rota decis. 11. n. 11. p. 9. recent.* Ideo imo si recipiendus v. g. infirmetur, videndum forsan est, an infirmitas præiudicet receptioni, vel si religio v. g. in eo tempore sit reformata, considerandum est an expediat recipere prius acceptatum, & an sit reformationi idoneus. Si vero res non est mutata, non est necessarius nouus consensus. Poterit quidem superior si velit consulere de nouo vocales, sed ad id non tenetur. Quia consensus præstitus durat nisi reuocetur. Quod si sit dubium an res sit mutata, quod dubium non potest consurgere nisi ex parte recipiendi, quia mutatio ex parte religionis erit religioni manifesta, tunc si dubium sit de mutatione notabili, qua existente approbatus reijciẽdus esset, noua consultatio, & deliberatio, necessaria erit ex parte Prælati recipientis, ne temerè aliquid agat, & si requiratur de forma Capitulum & consensus, nouum Capitulum congregandum erit, & nouus consensus habendus, quia non potest dici quod consensus præstitus maneat vbi non sit certum quod res consultata sit eadem, quia primus consensus fuit datus de persona recipienda habita vt idonea cum tanta certitudine, quanta fuit necessaria ad dandum prudenter assensum. Verum si Prælatus informatione accepta dubium deponat, sibiq; constet negotium non esse mutatum, non tenetur ad nouum Capitulum, & consensum accipiendum, quia vt dictum est consensus semel datus durat, nisi reuocetur. *Nauar. cap. 22. n. 80.* Et quatenus temporis interpollatio tanta esset, vt præsumi posset consensum non durare. Quod positum est in prudentis arbitrio vt in simili docet *Sanchez de matr. l. 2. disp. 32.* tunc ex quacumq; parte fuerit causa dilationis, debet accipi nouus consensus, quia pensatis pensandis consensus prior ad arbitrium boni viri censetur non durare.

236. Quæritur 19. An consensus Capituli dari possit per compromissum, nimirò si Capitulũ aliquibus religiosis discretis cõmittat vt informatione de aliquo sũpta an expediat illum recipere, ipsi consentiant nomine Capituli, si illis videatur expedire. Affirmant aliqui eo quia ex *cap. Quia propter sit admissa electio per compromissum*, non vero maioris momenti est electio ad habitum, quam ad prælaturam. Nam per se ipsum facit, qui per alium facit, vnde adest Capituli consensus, si Capitulũ collegialiter vnitum compromittit in pluribus, vel in vno, vt nomine Capituli consentiat. Negant tamen, quod Capitulum possit compromittere in vnum vel plures, qui non sint de Capitulo, quia potestas Capituli est delegata, nec est ab illo delegabilis, si vero Capitulum compromittat in vnum vel plures de Capitulo, tunc consensus datus ab illo vel ab illis potest dici datus à Capitulo; quia Capitulum in vno etiam potest consistere. Verum quod dicitur potestatem Capituli esse delegatam, non admittitur. Quia Capitulum non habet nisi potestatem consentiendi, quæ in eo est ordinaria. Nam alias Prælati est recipere nouitios de consensu Capituli. Et ideo, præscindendo à forma inducta per Sixtum Quintum, & alios Pontifices, & loquendo de iure communi antiquo, & Capitulum, & Prælatus possunt committere alio vel alijs etiam extraneis suas vices, & ita Capitulum consensum suum potest compromittere, etiam Religiosis; qui cum sint de Capitulo. Verũ in hoc seruanda sunt statuta specialia, & propria cuiuscumque Ordinis, & consuetudines legitimæ, & approbatæ.

237. Quæritur 20. An aliquis ex scientia quam habet in solo foro Confessionis sacramentalis possit aliquem non admittere ad religionem, vel ei suum suffragium negare. Posse, docent *Nauar. in cap. humanæ aures q. 1. nu. 5. & d. 6. de pænit. cap. Sacerdos. n. 147. Reginald. l. 3. de sigillo, n. 33. Sanchez. l. 3. de matr. d. 16. n. 6.* multos alios citans. *Suarez tom. 4. in 3. p. d. 33. sect. 7. n. 12. Peyrin. R. S. q. 1. cap. 31. §. 2. q. 1.* & alij qui loquentes de electione dicunt tunc ex scientia confessionis posse negari suffragium alicui quando electio non fuerit publica, & persona cui negatur communiter non censetur digna, quia vbi alias persona non habetur vt digna, sine eo, quod quis suspicari possit aliquod crimen cognitum in confessione negatur illi suffragium, quia non frangitur sacramentale sigil-

sigillum. Quo illæso non est illicitum consulere saluti proximi, & bono communi. Sed contra hanc sententiam mordicus insurgit *Diana p. 5. tr. 11. resol. 4.* sed de hac difficultate egi in *tract. de elect. cap. 29. n. 58. pag. 584.* & iuxta ibi probata, dico non posse aliquem vti notitia confessionis ad excludendum aliquem à Religione, sed solum notitia humano modo habita licere vti in istis, quæ ad gubernium spectant extrinsecum; Quod est cõforme decreto Clem. 8. in *constit. Sanctissimus*, quæ habetur in Bullario post const. 36. Vrbani 8. per quã prohibentur Superiores Regulares vti notitia confessionis ad externam gubernationem. Nec valet, quod habet *Bordon. de profess. c. 3. q. 25.* Quia nimirum, vbi suffragium detur secrete, nulla est fractio sigilli, quia suffragium omnino remanet secretum. Nam per se ex natura rei contra institutionem sacramenti pœnitentiæ est, quod Confessor possit vti externa notitia confessionis in præiudicium pœnitentis, & hoc est de se motiuum quod à confessione possit retrahere fideles, & ideo de se cedit in iniuriam sacramenti. Et præterea satis contra rationem est, quod Confessarius notitia, quam non habet nisi vt Dei minister in foro secretissimo pœnitentiæ velit vti ad ea quæ agit vt priuata persona: Et eo amplius quod suffragia non sunt tam secreta, quin sæpissime suffragantes cognoscantur, vel certe; vel probabiliter, vel sub dubio, & suspicione. Si autem quis supposita priori opinione petat, an vocalis teneatur ex scientia sacramentali saluo sigillo negare suffragium indigno. Non teneri docent *Sanchez, & Suarez loco citato, Rodriq. tom. 2. q. 53. a. 4. Peyrin. loco citato q. 2. ex D. T. 4. d. 21 q. 3. a. 1. q. 1. ad tertium.* Non enim tenetur aliquis succurrere animæ proximi periclitanti nisi eo modo quo scit, & quia in foro externo nihil scit, ideo in foro externo se habet sicuti si nihil sciret, & solum in foro conscientiæ tenetur munere fungi prudentis Confessarij, adhibendo in eo foro ea remedia, quæ videantur opportuna, & in proposito illum admonẽdo, vt abstineat ab ea electione si salua conscientia non possit illi consentire.

238. Quæritur 21. An superior immediatus habens ad recipiendum aliquem consensum Capituli validè illum recipiat, si sit prohibitus illum recipere à Prouinciali vel Generali. Aliqui respondent talem superiorem validè recipere, nisi superior prohibuerit illum recipi irritando factum in contrarium, quia alias multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. Responsio supponit, quod superior localis habeat facultatem ordinariam recipiendi ad habitum; quam de iure communi habet Prior Conuentualis in Ordine Prædicatorum recipiendi Clericos de consensu Capituli. Ideo si Prouincialis præciperet Priori, ne etiam consentiente Capitulo aliquem reciperet, nisi simul irritaret attentatum in oppositum, valida esset receptio. Hoc vero procedit, siue prohibitio sit à iure, siue sit ab homine. Et extendunt aliqui vt id procedat nedũ si prohibitio sit simplex pœna, sed etiam si sit suspensio, & censura, & quidem denunciata, & declarata, quia suspensio, sicut & excommunicatio tollit facultatem iurisdictionis, non vero superioritatem dominatiuam, à qua est receptio ad professionem, vt supradictum fuit. Ita citato *Sanchez l. 5 c. 4. n. 79 & Verb. disp. 11. a. 1. n. 5.* tenet *Bordon. cap. 3. de profess. q 15.* sed puto considerandam prohibitionem, & eius formam. Si enim per eam solum inhibetur vsus facultatis, receptio erit illicita sed non inualida, sed si facultatem ipsam inferioris superior limitet, & coarctet, & suspendat: (Nam si vult etiam facultatem dominatiuam coarctare, suspendere, ac sibi reseruare potest, sicq; illam ex parte auferre) in eo casu, quia Prælatus inferior ageret sine facultate, receptio ad professionem esset nulla, tamquam non recepta ab habente facultatem eam recipiendi. In dubio tamen censenda esset simplex prohibitio; quia superioris dispositio debet interpretari vt minus, quantum fieri possit laedat auctoritatem Prælati inferioris.

SVMMARIVM.

1 *Constitut. Sixti Quinti, & Gregor. 14. num. 239.*
2 *Illegitimi qualiter recipiendi. num. 240.*
3 *Prior forma statuta à Sixto 4. recipiendi legitimos. num. 241.*
4 *Eius moderatio. num. 242.*
5 *Moderatio Greg. 14. num. 243.*
6 *Moderatio Clem. 8. num. 244.*
7 *Priuilegium Clem. 8. pro Conuentu Salmantino Ord. Præd. num. 245.*
8 *Est commune alijs Ordinibus. num. 245.*
9 *Priuilegium Sixti Quinti pro Minoribus. num. 246.*
10 *Sixti Quinti pro Minimis. num. 247.*
11 *Greg. 14. pro Societate. num. 248.*
12 *Clem. 8. pro Clericis ministrantibus infirmis. num. 249.*
13 *Pauli Quinti pro Eremitis Montis Senarij. num. 250.*
14 *Præfata priuilegia communia. num. 251.*
15 *Qualibet Religio habet formam sumendi informationes.*
16 *Forma recipiendi legitimos, vbi non est vsus filiationum. num. 252.*
17 *Consensus Diffinitorum, &c. est de forma. num. 253.*
18 *Quid agendum in Conuentibus nullius Prouinciæ. num. 254.*
19 *Quid in Prouincijs, vbi est vsus affiliationum. num. 255.*
20 *In Ord. Præd. est vsus affiliationum. num. 256.*
21 *In Ord. Præd. Priores possunt recipere ad habitum. num. 257.*
22 *Cuius Conuentus consensus sit necessarius. num. 258.*
23 *Nouitius qui nomine vnius Conuentus suscepit habitum non potest nomine alterius profiteri. num. 259.*
24 *Quid in vim priuilegiorum. num. 260.*
25 *Decretum Clem. 8. num. 261.*
26 *Licentia Episcoporum non est necessaria ad recipiendum. num. 261.*

De autho-

De authoritate, & obligatione recipientium ex iure nouo.

INSPECTIO VIII.

239. QVid circa authoritatem recipientiũ ad habitũ sit innouatũ per ius nouũ habetur ex Constitut. Sixti Quinti, Greg. 14. Clem. Octaui, & Innoc. X. Nam primo contra illegitimos, criminosos, & ære alieno grauatos religionis habitum petentes constitutionem edidit, quæ incipit, *Cum de omnibus*, & data fuit anno 1587. & est in Bullar. Cherubini 71. Quam postea moderatus fuit per aliam Constit. quæ incipit. *Ad Romanum spectat Pontificem*, & data fuit anno 1588. & habetur in Bullario Cherub. ibidem. Amplius autem huiusmodi Constit. moderatas fuit Greg. 14. in sua Const. *Circumspecta*, idib. Martij 1590. & est in Bull. 3. inter Bullas huius Pontificis.

240. Loquendo igitur de Bullis Sixti, & Gregorij primo distingui debet inter illegitimos, & alios, qui Religionis habitum petunt. Nam quantum ad illegitimos inhabiles reddidit ad Religionem natos ex incestu, & sacrilegio, alios vero noluit recipi nisi *In Generali, vel Prouinciali Capitulo matura deliberatione habita Generalis vel Prouincialis Superioris, ac Diffinitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum Regularem admissi extiterint.* Et addit, quod *si quis eorum alias, quam vt præfertur recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à Religione reijci debeant, eorumq; recepteres excommunicatione vt supra, innodati existant.* Itaq; de illegitimis loquendo sine ætatum differentia, seu cuiuscumq; ætatis sint, voluit non posse recipi, nisi prædicta forma seruata. Sed loquendo de legitimis hoc primo est certum per eas nihil innouari circa receptionem eorum, qui admittuntur ad habitum ante 16. annum expletum. Hoc patet ex *Constit. Cum de omnibus* §. 4. *ibi. Perpetuo statuimus, & ordinamus iuuenes aut viros adultos maiores sexdecim annis, non aliter in aliqua religione recipi posse, aut deberi*, quod vero *Peyrin. de Prel. q. 3. c. 1. n. 10.* voluerit has informationes esse sumendas etiam de constitutis in minori ætate, ex vi decreti de *instit. nou. Clem.* 8. bene reijcitur à *Bordon. ref. 54. num.* 80. Nam licet informationes de quocumq; recipiendo sumendæ sint, quia hoc prudentia exigit, & Clem. 8. affirmat, forma tamẽ sumendi informationes istas instituta à Sixto 5. non habet locum in minoribus ætate 16. annorum. Nec Clem. 8. extendit constitut. Sixti 5. vt tradiderunt. *Rodriq. tom. 3. q. 10. a. 13. & q. 54. n. 6. Sanchez l. 7. de matrim. disp. 37. n. 30. Mirand. p. 2. q. 21. a. 1. l. 3. Neldus v. nouitius. n. 1. Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 10. n. 11, Bordon. d. ref. 54. n. 99.*

241. Circa maiores autem 16. annis quinque innouat spectantia ad authoritatem, & formam illos admittendi ad habitum. Nam primo statuit necessario præmittendas esse informationes iuridicas de qualitatibus pluribus admittendi ad habitum. Secundo quod huiusmodi informationes facientes plenam fidem de requisitis publicentur in Capitulo Generali, vel Prouinciali. Tertio quod recipiendi non admittantur nisi de consensu Generalis, vel Prouincialis, & Diffinitorum. Quarto ex cõsequenti abstulit authoritatem recipiendi ad habitũ à superioribus localibus. Quinto quod Religiosi recepti nomen, & cognomen sæculare, & patria in actis Capituli describantur. Totum hoc habetur in dicta *Constit.* §. 4. ibi. *Auctoritate Apostolica, & tenore præsentium, etiã perpetuo statuimus, & ordinamus, Iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, aut debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione, compertum, & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia ais iam illata, vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosam sponte, & ex animo elegisse. Deq; his omnibus, in Generali vel Prouinciali Capitulo, plena, & indubitata fide facta, tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Omnes autem, & quoscumque, vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus.*

242. In alia vero *Constit. Ad Romanum, &c.* hæc quatuor moderatus fuit, & tres alios modos recipiendi ad habitum adiunxit non reuocato modo in præfata constitutione statuto. Primus modus est, vt admissio, & receptio ad habitum fiat per Prouincialem aut Generalem de assensu duorum aut trium non minus, vel plurium superiorum localium simul infra annum congregatorũ, & ad hoc effectum deputatorum. Secundus est, vt hoc munus examinandi informationes, & præbendi consensũ demandetur tribus PP. antiquioribus vnius Conuentus aut domus eiusdem Prouinciæ, vel per Capitulum Generale Monachorum, vel per Prouinciale Mendicantium, & aliorum religiosorum. Tertius modus pro Monasterijs nullius Prouinciæ, vt hæc admissio, & receptio fiat per tria Capitula Conuentualia per interuallum ad minus 10. dierũ cõgregata. Insuper vero declarauit sub his constitutionibus non cõprehendi Moniales. Quæ omnia habẽtur in dicta *Constit.* §. 7. *& sequent.* ibi. *Cũ verò in quibusdã Religionibus Capitula Prouincialia, aut nunquã, aut non quotannis, sed rarius celebrentur, quædam etiam Monasteria, aut domus huiusmodi in remotissimis regionibus Hæreticorum, aut Infidelium tyrãnidi finitimis sita sint, ne ij, quos extra Capitula, ad habitum vel professionem regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus & indulgemus, vt in qualibet Prouincia saltem duo, vel si commodè fieri poterit, tria aut plura Monasteria seu domus regulares deputentur, quarum seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super nouitijs faciendam, & ad ipsos Religiosos iuxta formam præfatæ constitutionis recipiendos, & ad alia, quæ in ipsa constitutione continen-*

tur

tur peragenda, insimul congregentur. Quod si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut domus eius. Prouincia huiusmodi facultas, & auctoritas per Capitulum generale, scilicet Monachorum, vel Prouinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium eius Ordinis demandetur. Verùm in ijs Monasterijs, domibus, & locis regularibus, quæ aut nondum in Congregationes redacta, aut alias nulli Prouinciæ subiecta sunt, statuimus vt trina Capitula Conuentualia tribus distinctis cum interuallo saltem decem dierum vicibus celebrata, eamdem de recipiendis Nouitijs per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quæ per nostram constitutionem capitulis Prouincialibus est attributa. Neq; verò si in Generalibus, vel Prouincialibus Capitulis aliqui vocales desint, nec si à definitorum consensu aliquis discrepauerit, idcirca receptio religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit: sed satis esse volumus si vocalium, & suffragiorum numerus legitimus, à iure, vel per cuiuscumq; Ordinis statuta præfinitus interuenerit. Et quod de Capitulo Prouinciali aut Generali dictum est, idem iuris statuimus, si quæ Religiones, non Capitulorum, sed Congregationum, aut diætarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur.

243. Greg. autem 14. in Const. Circumspecta, primo quantum ad illegitimos moderatus est Cõstitut. Sixti Quinti admittens eos ex quocūq; damnato thoro natos posse ad Religionē seruatis alias seruādis admitti, voluit nihilominus, vt in eis recipiēdis infrascripta forma seruaretur, quæ habetur §. 3. ibi. *Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocūque illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcumque agetur, ij ad quos huiusmodi receptio spectat, præter alia, de quibus ex dictarū constitutionum præcepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam & mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ij ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint & iudicauerint, dummodo talis filius illegitimus, in Religione in qua pater, siue ante siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expresse prohibemus.* Vnde quantum ad hos illegitimos voluit seruari à Sixto Quinto pro recipiendis statuta. Quantum verò ad legitimos iterum moderatus est pro Religionibus habentibus vsum affiliandi Fratres, & statuit quod in dictis Religionibus admittere ad habitum, & recipere nouitios pertineat ad Superiorem Conuentus pro quo recipiuntur, qui præmissis informationibus necessarijs iuxta Constitutiones particulares cuiuscumque Religionis possit de consensu Capituli sui Conuētus recipere illos, dummodo ante professionem fiat plenaria inquisitio, quam statuit Sixtus 5. & postea ab eis à quibus examinari solent examinētur, & approbentur, dans facultatē Superioribus vt de consensu Capituli, vel vbi Capitulum non est in vsu de consensu trium, aut quatuor ad id deputatorum admitti possint ad professionem. Totum enim hoc habetur in dicta Constit. §. 5. ibi. *Cæterum cum acceperimus nonnullarum Religionum, & Ordinum præsertim Monachalium Monasteria ita instituta esse, vt in eis perpetua quidem filiatio constituatur, &c. ideo statuimus, vt superiores illorum Monasteriorū de consensu sui Capituli, præhabita simul cum his, de quibus in vnaquaque Religione aut Monasterio, iuxta eius Constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his, quæ in dictis constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quæ postea ab ijs à quibus in prædictis Monasterijs examinari solet, diligēter examinetur, & approbetur, & demū omnia in dicto Capitulo corā superiore referantur. Volentes quod superiores prædicti cū eorum Capitulo, aut vbi consuetudo non fuerit celebrandi Capitulum, cum tribus aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota secreta deputatis, seruatis eorum regularibus institutis ac supradictis omnibus eandem in recipiendis nouitijs habeant authoritatem, quæ per dictas constitutiones Prouincialibus Capitulis est attributa.*

244. Sed quoniam Sixtus Quintus nullitatem professionis statuerat, si non fuisset seruata forma ab ipso instituta recipiendi ad habitum, & professionem, ideo Clemens Octauus in Constit. 83. *In suprema* edita die 2. Aprilis 1602. totum hoc reduxit ad terminos iuris communis, vt habetur ex §. ibi. *Quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eisd. Constit. præscriptam de cætero non seruauerint, & quoad alios etiam casus ibidem expressos in quibus receptorum in quibuscumque etiam Mendic. Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, perinde ac si prædicta Constitut. in illa parte edita non fuissent authoritate Apostolica tenore præsentium, reducimus, &c.*

245. Postea vero varijs ordinibus diuersa priuilegia concessa sunt, vt tradunt *Peyr. tom. 2. Priuilegi Const. 2. Sixti Quinti n. 9. & 10. & Lezana tom. 1. c. 24. n. 14.* Et inter alia Clemens 8. ad petitionem Card. Alexand. Concessit Priori Salmāt. prout infra: *Priori, & Conuentui Salmant. &c. nunc & pro tempore existentibus authoritate Apostolica concedimus, vt quoscumque iuuenes etiam excedentes sextum decimum annum, & ad habitū in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quod criminosi, ratiocinijs obligati, furto, latrocinio, & homicidio notati, aut alijs impedimentis Bulla Sixti 5. detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosū ad hoc deputatū ad inuestigationem antecactorū vita, ac morū, & reliquorū præmissorū absq; strepitu iudiciario, sed per scrutiniū secretū procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captā dictis Priori seu Præsidenti, ac Superiori, & Magistro nouitiorum, & studentium à quibus approbari, & reprobari possint, referre fideliter debeat, liberè, & licitè possint, & valeant authoritate Apostolica concessit, & indulsit. Decernentes præsentes litteras de nullitatis vitio, &c. notari non posse, &c. sed perpetuo in dicto Conuentu obseruari debere, &c.* Quoniam verò per priuilegium concessum à Iul. secundo Ordini Minimorum in Constit. Dum ad Sacrum Ordinem Minimorum, §. 18. & §. 30. & in Constit. *Apud Venerabilem*, §. 3. quæ est 4. eiusdem Pontificis apud Peyrinum. Et per priuilegium Leonis Decimi in *Constit. Dudum per nos accepto*, quæ habetur apud *Peyrinum* 25. eiusdē

Pon-

Pontif. & per priuilegium Clem. 7. pro Ordine Minimorum quod incipit *Deuotionis augmentum;* & est apud *Peyr.* 3. & per Constit. Pauli Tertij, Regimini militantis, quæ est prima apud *Peyrinum,* §. 16. priuilegium concessum vni Conuentui est commune toti Ordini, & per Bullam Leonis X. quæ incipit *cum inter cæteros,* & habetur in Bullario eiusdem Ord. fol. 185. à tergo, & per aliud priuilegium Iulij Tertij, quod incipit. *In Sacra B. Petri,* & habetur in eodem Bull. fol. 210. Ordini Prædicatorum concessa sunt per viam communicationis priuilegia alijs ordinibus etiam Minimis concessa, sequitur quod priuilegium hoc concessum Conuentui *Salmantic.* sit commune toti Ordini. Quod eo amplius est verum, quo ratio, qua Clemens motus fuit ad concedendum illud priuilegium, vt notat *Festus sum. p. 2. c. 9.* est toti Ordini communis alijsq; Religionibus. Quia scilicet ex publicitate informationum captarum animus petentium habitum manifestatur vnde multi eos retrahunt, & offendicula ponunt, & numerus Religiosorum diminuitur. Vnde illud priuilegium tanquam toti ordini commune referunt *Rodriq. tom. 3. q. 54. a. 6. Peyrin. & Lezana locis citatis. Donatus p. 4. tr. 4. q. 4. & 5. Bordon. resol. 54. n. 125. Porte. v. nouitij informationes n. 1. Mirand. tom. 2. q. 25. a. 1.* qui etiam hoc priuilegium esse commune alijs Ordinibus docent.

246. Alia quoque recensentur priuilegia, per quæ constitutiones præfatæ Sixti Quinti fuerunt moderatæ. *Miranda p. 1. q. 21. a. 1.* refert Sixtum Quintum Minoribus de obseruantia in Hispania per Breue quod incipit *Nuper quidem,* concessisse, vt nouitiorum receptio fieri posset non solum in Capitulo Generali, vel Prouinciali, sed extra auctoritate Ministri Prouincialis, seu Custodis, de vnanimi voto quatuor Fratrum in Capitulo Prouinciali ad hunc effectum deputatorum. Tenorem tamen huius priuilegij non vidi. Idem quidem *Mirand. q. 19. a. 3.* refert tenorem consimilis priuilegij sed est Clem. 8. & incipit Altissimæ paupertati.

247. Item Sixtus quintus Prouincialibus Minimorum concessit, vt extra Capitulum cum tribus eorum socijs possint nouitios admittere, & priuilegium habetur apud *Peyrinum tom. 3. cap. 8.* tenoris sequentis. *Nos propterea præmissis opportunè prouidere, necnon Religionem vestram per vniuersum Regnum Franciæ, & ad Dei gloriam, & populi sui ædificationem longè, lateque spargi, & disseminari desiderantes, vobis, vt vnusquisque vestrum, vnà cum tribus eius socijs, eos omnes, qui in Religionem vestrã ingredi, & habitũ suscipere voluerint, ac professionem emittere decreuerint, & ad id se præsentauerint, quos tamen idoneos iudicaueritis, non expectato generali, nec prouinciali capitulo, sed quoties opus fuerit, ad habitum huiusmodi, necnon probationis anno completo, ad professionem regularem, aliaque quæ desuper necessaria fuerint, adimplere, admittere, facta tamen priùs per saltem vnum ex vobis, & tres socios vestros diligenti inquisitione de parentibus, patria, & anteacta vita, ac moribus, & dummodò constiterit, eos aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, & grauiora, reos, vel suspectos non existere, nec in constitutione nostra huiusmodi comprehendi, siue alicuius inhabilitatis, aut censurarum, vel aliarum, in prædicta, vel alijs constitutionibus contentarum pœnarum incursu, liberè, & licitè valeatis, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò concedimus, licentiamq; desuper impartimur; non obstante constitutione nostra prædicta, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumq;* Aduertit verò idem. *Peyr.* quod licet hoc priuilegium fuerit concessum Prouincialibus in Regno Franciæ constitutis, tamen extendi debet ad omnes nationes. Tum quia per priuilegium Clem. 7 ab ipso relatũ *tõ. 1. const. 3.* gratia vni cõuẽtui cõcessa, omnibus concessa videtur. Tum quia constitutio tamquam fauorabilis conuenit ampliari. Tum quia nulla adest dictio taxatiua, quæ extensionem impediat. Tum quia nulla apparet ratio, cur dicta extensio non debeat fieri.

248. Sed amplum priuilegium in hoc parte concessit Societati Iesu Greg. 14. derogando Constit. Sixti quinti, & Constit. *Circumspecta* eiusdem Gregor. & habetur in Constitut. *Exponi nobis, &c.* data 30. & habetur in Bullario Societatis fol. 298. & est tenoris sequentis. *Nos igitur, qui Societatem prædictam, propter eius in Ecclesia Dei vberes fructus, syncerìs semper amplexi sumus affectibus, atque, vt vberiores in dies proferre valeat, integram, & intactam illi suas Nouitios admittendi, & tam cum illis, quam cum veteranis illegitimis dispensandi facultatem seruari cupimus; prædictum Claudium specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Societati prædictæ, vt ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in Nouitijs, etiam cuiusuis generis illegitimis admittendis, quam in dispensationibus ad quælibet officia, gradus, & dignitates in Societate obtinenda, ipsis cuiusuis generis illegitimis concedendis formam, & rationem omnimodam in illius Apostolicis diplomatis, ac priuilegijs quibusuis, necnon & in constitutionibus, decretis, & regulis expressam, liberè, & licitè prosequi, & retinere valeat, Apostolica autoritate decernimus: &, quatenus opus sit, etiam de nouo concedimus, & indulgemus, eamq; perpetuò obseruari volumus, & mandamus. Prædictis ac nostra nuper edita, quæ incipit: Circumspecta, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis non obstantibus quibuscunque.*

249. Sed & Clemens 8. in sua Const. 121. *Assidua,* concessit Ordini Clericorũ Ministrantium infirmis facultatem recipiendi nouitios extra Capitula. Sic enim habetur in *d. Constitut. §. 5. Proinde supplicationibus eorum Nobis nomine humiliter porrectis inclinati, ac de Venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium Congregationis super Consultationibus Episcoporum, & regularium deputatæ Præpositorum sententia, dictis Præposito & religiosis perpetuò concedimus & indulgemus, vt in qualibet eorum domo vbicunque locorum existente, tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo conuentuali deputari possint, qui eandem habeant facultatem & potestatem in admittendis Nouitijs, quæ commissa fuit Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, alijsque deputandis*

iuxta

iuxta constitutionem super Nouitiorum receptione à fel. rec. Sixto Papa V. prædecessore nostra editam sub Dat. sexto Cal. Decembris anno tertio, & alteram eius declarationem sub Dat. 12. Cal. Nouembris anno quarto eius Pontificatus, dummodo in reliquis earum dem constitutionum formam seruent. Ad hocque plenam & amplum dictis deputatis facultatem & auctoritatem impertimur.

250. Consimile priuilegium concessit Paulus Quintus Eremicia Montis Senarij Ordinis Seruorum, & habetur in eius Constitut. *Sedis Apostolicæ* quæ est 76. vbi §. *primo*, sic disponitur. *Hinc est quod Nos supplicationibus nomine dilectorum filiorum Eremitarum domus Montis Senarij Florentinæ Diœcesis, Ordinis Fratrum Seruorum B. Mariæ, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Eremitis perpetuo concedimus & indulgemus vt in eorum domo tres ex antiquioribus à Capitulo Conuentuali eiusdem domus deputari possint; qui eandem habeant facultatem & potestatem in admittendis Nouitijs, quam habent Capitula generalia, & Prouincialia, aliaq. deputandi iuxta constitutionem super Nouitiorum receptione à fel. record. Sixto Papa V. prædecessore nostra editum, sub Dat. sexto Cal. Decembris anno tertio, & alteram eius declarationem, sub Dat duodecimo Kal. Nouembris, anno quarto eius Pontificatus. dummodo in reliquis earumdem constitutionem formam seruent, ad hocq. plenam, & amplam facultatem, & auctoritatem dictis Deputatis impertimur.*

251. Huiusmodi vero priuilegia communia esse omnibus, & singulis Regularium Ordinibus habentibus priuilegium communicationis, plures tradunt. De priuilegio concesso Conuentui S. Stephani Salmanticæ Ord. Prædicatorum præter DD. supra citatos id docent *Barbosa de offi. Episc. all.* 101. *n.* 42. *Palaus trac.* 16. *disp.* 1. *p.* 9. *nu.* 14. *Anton à Spir S. tract.* 3. *disp.* 2. *n.* 30. *Bassaus v. Relig.* 2. *n.* 15. de alijs autem priuilegijs recensitis id docet *Donatus p.* 4. *tr.* 4. *q.* 2. *n.* 21. *Bordon. resol.* 54. *nu.* 79. quantum tamen ad priuilegium societatis *Dianu p.* 9. *resol.* 54. ait non videre illud obseruari.

252. Hic igitur vel præscindimus à priuilegijs, vel non. Primo modo autem distingui debent ordines in quibus non est vsus filiationum, ab illis in quibus viget talis vsus. Nam in primis (qui tamen sint partes alicuius prouinciæ) hæc innouata manent. Primum quod superior localis neq; etiam de consensu Capituli sui potest aliquem recipere ad habitum. Secundum est, quod sunt capiendæ informationes iuridicæ, fidem facientes petentem habitum non esse criminosum, &c. Tertio quod huiusmodi informationes examinandæ sunt, & approbandæ à Capitulo Generali, vel Prouinciali, vel à duobus aut tribus vel pluribus Prioribus ad hoc deputatis, vel tribus Patribus Conuentus ad hoc deputatis à Capitulo Generali Monachorum, aut Prouinciali Mendicantium, & aliorum religiosorum. Quartum quod solus Generalis, aut Prouincialis de consensu, aut Diffinitorum, aut duorum vel plurium superiorum localium aut trium Patrum Conuentus ad hoc deputatis potest admittere, & recipere ad habitum. Et sic in istis Religionibus, nec Capitulum Conuentus, nec superior localis habent authoritatem recipiendi ad habitum, sed hæc facultas est in Generali, vel Prouinciali, de consensu prædictorum; quamuis, si ex statuto aut praxi speciali alicuius Religionis sit necessarius etiam consensus Prælati localis, & Conuentus id non tollat Sixtus Quintus.

253. Circa quod aduertendum vota horum aut Diffinitorum, aut Superiorem localium aut Patrum esse de forma, & sine quibus receptio esset nulla, quantũ sit ex vi Bullæ Sixti Quinti, quia hoc satis significat illa diffinitiua, vt *Suarez* aduertit dicta *l.* 5. *cap.* 10. *n.* 19. Et neque tamen est necessarium vt omnes Diffinitores vel vocales consentiant, sed sufficit quod maior pars consentiat, vt tradit *Suarez d. n.* 19. & *Peyr. P. R. q.* 3. *c.* 1. *n.* 19. & 20. Imo si isti sint solum quatuor scilicet Prouincialis, & tres illi PP. si se diuidant in partes æquales, vincere illam pro qua est Prouincialis tradit idem *Peyr. n.* 21. sed hoc supra est impugnatum. Nam & est contrarium ei, quod Sixtus disponit in 2. *constit.* §. 10.

254. Sed vbi Monasterium non sit alicuius Prouinciæ tunc superior localis potest ad habitum recipere, sed de assensu Capituli tribus vicibus congregati per decem dies ad minus interpollatis. Circa quod aduertendum aliquos sentire, quod huiusmodi decem dies licet requirantur de forma, sumi tamen possint vt morales non vt physici, ideoq; non esse numerandos de momento ad momentum.

255. Sed in religionibus habentibus vsum filiationum fere nihil est innouatum, quia solum sumendæ sunt informationes fidem facientes petentes habitum non esse criminosos, &c. Cæterum neque necesse est, vt illæ sumantur ante receptionem ad habitum, neque quod examinentur à Prouinciali, sed sufficit quod ab illis tribus PP. ad hoc deputatis discutiãtur. Cæterum Priori locali committitur receptio ad habitum de consensu, tamen Capituli. Quod & declarasse S. Congreg. refert *Bordon. res.* 54. *n.* 78. per hæc verba. *S. Cong. Card. Conc. Trid. interpretum censuit: si quemadmodum proponitur dictu Religionis Monasteria ita sint instituta, vt in eis quadam perpetua filiatio confirmatur, nouitios ab eorumdem Monasterium superiore, de sui Capituli consensu recipi posse, vt disertis verbis statuitur constitutione sancta memoria Greg.* 14. *edita Idibus Martij anno sui Pontificatus primo.* Hoc etiam habetur ablata ambiguitate determinatum, quod non possunt recipi nouitij nisi de Capituli consensu, & non potest vel Generalis, vel Prouincialis se solo ad habitum recipere iuuenem, vel virum annum 16. excedentem.

256. Et quia in Ordine Prædicatorum adest vsus filiationum, ideo potestas recipiendi est in superioribus de consensu Capituli Conuentus pro quo nouitius recipitur. Et sufficit sumere informationes ante professionem. Et in Cap Generali *Rom.* 1598. in executionem moderationis Clementis 8. vt notat *Festus d. cap.* 9. *in quolibet Prouincia* instituti sunt quidam Priores ad approbandam informationẽ illam, qua approbatione stante nouitij à Priore Conuentus de consensu Capituli recipiuntur ad professionem.

257. Et nihilominus pro Ordine Prædicatorum dubia aliqua remanent explicanda. Et primo an nunc Prior conuentualis possit aliquem recipere sine licentia Prouincialis. Nam vt probatum

est

est supra, ex iure antiquo constitutionum poterat recipere Clericum de consensu maioris partis Capituli. Respondetur per Constitutiones Sixti 5. ablatam quidem esse facultatem Prioribus localibus recipiendi ad habitum, sed eam esse restitutam per Greg. 14. in illis ordinibus, qui filiationes admittunt, & ideo ex hac parte non est Prioribus ablata facultas, quam ex Constitutione habent, sed illis est confirmata.

258. Dubium secundo est, quis Conuentus cõsentire debeat pro receptione ad professionem, an scilicet Conuentus affiliationis, vel Conuentus nouitiatus. Respondetur autem, quod moderatio Greg. 14. videtur intelligenda de Conuentu affiliationis. Quis de hoc Conuentu expresse loquitur, cum est sermo de receptione ad habitum, & postea loquendo de professione ait, quod informationes sumptæ referantur in dicto Capitulo, & quod superiores prædicti de assensu sui Capituli possint nouitium ad professionem recipere. Nihilominus crederem nihil in hac parte esse innouatum. Gregorius enim ibi supponit, & loquitur in casu in quo nouitius habet annum nouitiatus in eo Conuentu in quo, & pro quo fuit receptus. Tũc enim temporis in quocumque Conuentu poterant nouitij habere nouitiatum. Et ideo idem erat superior, & idem Conuentus recipiens ad habitum, & professionem. Sed vbi alius est Conuentus in quo nouitius recipitur ab eo in quo habet nouitiatum. Tunc receptio ad habitum debet quidem fieri à Conuentu pro quo recipitur, sed receptio ad professionem fieri debet de consensu illius Conuentus, in quo nouitius habuit annum probationis, sed tamen accedente etiam consensu alterius Conuentus pro quo habitum suscepit.

259. Quod si casus contingat, quod isti Conuentus dissentiant. Si Conuentus nouitiatus dissentiat nullo modo nouitius potest admitti ad professionem, quia talis Conuentus consensus tum ex iure canonico antiquo, tum ex iure nouo Clem. 8. & Innocentij 10. est omnino necessarius; est enim necessaria probatio nouitij, quæ nequit haberi nisi per illos, cum quibus nouitius habitat *Reuerendiss. Fagnan. cap. Insinuante n. 51. Qui Clerici vel vouent*, sed si Conuentus nouitiatus consentiat, & approbet, & Conuentus affiliationis dissentiat, examinanda est res per Prouincialem, sed si nihil reperiatur quod reddat nouitium indignum professione, nihili faciendus est dissensus Conuentus affiliationis. Quia ille non potest negare, quod concessit, neque annus probationis inductus est ad probandum nouitium, nisi an sit dignus professione, quod pertinet ad Conuentum nouitiatus, & quo viso per Prouincialem nouitio non potest negari professio, & si non potest negari professio non potest negari concessa affiliatio, quia eius concessio non fuit, nec potuit esse conditionata nisi hac cõditione, si nouitius receptus fuerit dignus professione, quia nec aliter est conditionata receptio ad habitum. Sed nec nouitius inconsulto, & dissentiente Conuentu affiliationis potest affiliationem mutare; Vnde Conuentus nouitiatus non potest nouitium sibi affiliare sine consensu Conuentus nomine cuius nouitius habitum recepit. Et propterea Romæ anno 1451. declar. 3. declaratum fuit, *quod illorum Conuentuum filij habendi sunt Fratres, pro quibus habitum Ordinis susceperunt*: & Barcinonæ anno 1574. declar. 13. declaratum fuit, *quod nouitius receptus ad habitum in vno Conuentu, si trãsmittitur ad alium Conuentum, si profitetur, erit filius illius Conuentus in quo suscepit habitum, etiam si faciat professionem non requisito illo Conuentu in quo suscepit habitum*. Ex istis autem duabus legibus prior magis propriè loquitur, describendo Conuentum affiliationis per verba, *pro quo habitum Ordinis susceperunt*, quam secunda, quæ eumdem Conuentum affiliationis describit per verba, *in quo suscepit habitum*. Vnde contigit paucis ab hinc annis casus, quod Conuentus vnus deputatus pro nouitiatu, affiliauit sibi nouitium, qui nomine alterius Conuentus receperat habitum, & affiliationem, & se fundabat in hoc, quod nouitius ille receperat habitum in eodem Conuentu nouitiatus: Quæ expositio si esset vera, iam in partibus Italiæ nullus Conuentus non deputatus pro nouitiatu haberet in posterum filios, quia ex forma recipiendi ad habitum nouiter præscripta nouitij in Conuentibus deputatis induuntur habitu Religionis. Sed nomine receptionis ad habitum non intelligitur illa physica actio, per quam nouitius induitur habitu Religionis, sed intelligitur approbatio, per quam Conuentus approbat, & recipit auctoritatiuè nouitium ad Religionis consortium. Sic enim in iure accipitur receptio ad habitum, & hæc illa est, quæ principaliter attenditur, dum quæritur quis possit recipere ad habitum; Verùm quia tunc temporis cum lata fuit declaratio Capit. Barcinonen. nouitij induebantur habitu Religionis in Conuentibus, quorum nomine admittebantur, scilicet in Conuentibus affiliationis, & hic fuit vsus Ordinis, vsque ad noua decreta sub Innoc. 10. Nam & Parentes nouitiorum gaudent, filios in eorum præsentia habitum recipere, ideo in ea declaratione Conuentus affiliationis descriptus est per illa verba, in quo habitum suscepit; sed in illis verbis dictio in, sumenda est vt sit idem quod dictio pro iuxta modum loquendi Capit. Romani 1451. seu debet nunc intelligi, ac si diceretur, in quo iuxta antiquum morem habitum suscepisset. Ideo Reuerendiss. P. Generalis præsens instito iudicauit affiliationem præfatam fuisse nullam, & voluit Nouitium esse filium illius Conuentus cuius nomine habitum susceperat, & à quo primo admissus ad habitum fuerat. Nam iustitia ipsa, & natura conuentionis initæ inter nouitium illum, & illum Conuentũ hoc postulabat, sicut enim Conuentus ille, qui nouitium admiserat ad habitum, & in suum filium receperat non poterat inuito nouitio ab hac conuentione recedere, nisi subesset causa, ex qua nouitius ab Ordine esset excludendus, sic neque nouitius eo Conuentu inuito recedere poterat ab inita conuentione, & filiationem illius Conuentus relinquere. Et Conuentus nouitiatus non habebat facultatem transferendi hanc affiliationem, & auferre à Conuentu illo originali filium eius, & sibi illum vsurpare fuit iniustitia. Itaque igitur ad professionem in Religionibus habentibus vsum affiliationum necessarius est consensus vtriusque Conuentus scilicet Conuentus affiliationis, & Conuentus nouitiatus, sed tamen consensus Conuentus affiliationis non est de substantia validæ professionis nisi oppositum iure speciali sit statutum, vnde etiam si non fuerit requisitus, valida est professio nouitij, & etiam affi-

llatio, quia probare nouitium est Conuentus nouitiatus, & substantialiter loquendo tam receptio ad habitum, quam affiliatio non dependet nisi à conditione approbationis faciendæ per Conuentum nouitiatus, qua existente legitima, & non iniusta è Côuentus affiliationis non potest à consensu præstito resilire. E contra verò si Conuentus nouitiatus instè reprobet nouitium à nullo potest admitti ad professionem. Ita vt nec Generalis cum Conuentu in quo est, potest nouitium sic reprobatum ad professionem admittere. *Bord. de profes. cap. 3. q. 20.* In casu tamen appellationis potest Prouincialis, vel Generalis iniuste reprobatum à Conuentu nouitiatus constito de iniustitia ad professionem admittere præcipiendo Conuentui nouitiatus vt illum approbet, vt vult *Bordon. loco citato*, Quod tamen non existimo necessarium: Nam tunc vt nouitius admittatur ad professionem sufficiunt informationes ex quibus constat de iniustitia dissensus, & reprobationis habitæ per Conuentum nouitiatus, per quas etiam satis constat de habilitate nouitij ad professionem, & sic intrat necessitas illum admittendi etiam ex decreto *Concil. Trid. sess. 25. c. 16. de Regular.* & ex parte Religionis sufficit ille consensus, qui datus fuit in receptionem ad habitum, qui fuit etiam consensus in professionem sub conditione habilitatis ad illum. Vnde est etiam, quod non est necessarius ad professionem nouus consensus positiuus, sed sufficit quod Conuentus nouitiatus non dissentiat. Vnde si Prælatus negligat congregare Capitulum Conuentus nouitiatus, & interim nouitius terminet annum nouitiatus, iam erit professus tacitus, nec Conuentus poterit amplius dissentire, quia in vi consensus præstiti in receptione habitus Conuentu non dissentiente nouitius si vult completo anno probationis iam est professus. Videâtur etiam dicta supra *n. 220. & n. 40.*

260. In vim autem priuilegiorum, consulendi sunt priuilegiorum tenores. In Ordine vero Prædicatorum priuilegium illud concissum Conuentui Salmant. non est communiter in vsu. Quia facilior est modus institutus ex moderatione Greg. 14. ex qua informationes non fiunt necessario nisi suscepto habitu à nouitio, & sufficit illas examinari à tribus Patribus Conuentus ad hoc deputatis. Et de reliquo Priores Conuentuales de licentia Magistri Ordinis, & Prouincialis de consensu conuentuum pro quibus nouitij admittuntur recipiunt ad habitum, & postea ad professionem recipiuntur de consensu Capituli Conuentus nouitiatus, & non dissentiente Conuentu affiliationis. Vbi tamen sit vsus dicti priuilegij consuli potest *Donatus*, qui de eius intelligentia, & praxi differit *p. 4. tr. 4. q. 4. & 5.*

261. Postea vero Clemens 8. de anno 1602. nouam decreuit formam mandans, *Ne in Conuentibus seu Monasterijs ad nouitios recipiendos sanctitatis suæ seu dictæ Congreg. informationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis nouitij ad habitum recipi nullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa congregatione, vel à proprijs locorum ordinarijs, aut ab illis in quorum Diœcesi nouitiatus existant, in quibus nouitij recipiendi fuerint expresse, & nominatim nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerunt.* Vnde in vi huius decreti facultas recipiendi ad habitum non erat in solis superioribus religionis, sed iunctim in Congregat. reformationis, vel in ordinarijs Diœcesum in quibus nouitiatus erant. Verum vt ex *Feslosum. p. 2. c. 2.* notat *Donatus p. 4. tr. 4. q. 11. n. 4.* prælatum hoc decretum fuit ab eodem Clem. 8. per viuæ vocis oraculum factum Generali Xauierre suspensum pro Ordine Prædicatorum, quia erat occasio retrahendi multos à Sancto proposito. Sed & idem decretum pro omnibus religiosis abrogatum est iussu Vrb. 8. in decreto S. Cong. Concilij de Apostatis, & eiectis §. 2. ibi, *A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur ne in Conuentibus, aut Monasterijs ad nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis seu in posterum designandis, & approbandis nouitij ad habitum nullatenus recipi possint, nisi prius à Congr. refor. Apostolica, vel à proprijs locorum Ordinarijs expresse, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruantia S. Congreg. iustis de causis censuit regulares esse absoluendos, prout authoritate Sanctiss. Domini nostri absoluit, atq; exemit.* Vnde nunc ad solos Prælatos regulares pertinet recipere nouitios, iuxta cuiuscumque Ordinis priuilegia, & leges, aut legitima præscriptas consuetudines.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dicendorum. num. 262.*
2 *Informationes non necessario sumendæ de iuuenibus infra ætatis annum 16. num. 263.*
3 *Nec de transeuntibus à statu Conuersorum ad Clericalem. num. 263.*
4 *Nec de transeuntibus ad aliam Religionem. num. 263.*
5 *Bene tamen de Clericis. num. 263.*
6 *Nec vbi non sunt necessaria secundum aliquos. num. 263.*
7 *Nec de militibus qui sunt proprie Religiosi, & Claustrales. num. 263.*
8 *Sumendæ de petentibus habitum Conuersorum. num. 263.*
9 *Præcisis priuilegijs in qualibet Religione sumendæ informationes. num. 264.*
10 *Informatio sumenda debet esse diligens, & plena, & per duos testes iuratos habita. num. 265.*
11 *Qualis certitudo sit necessaria vbi agitur de exteris. num. 266.*
12 *Quid constare debeat de qualitate parentum. num. 267.*
13 *Sufficit certitudo moralis de innocentia recipiendi. num. 268.*
14 *Et de recta eius intentione. num. 269.*
15 *Quis iudex pro sumendis informationibus, num. 270.*
16 *Quid in terminis Priuilegij Clem. 8. num. 271.*
17 *Sufficiunt testes à quocumq; notario examinati ad perpetuam rei memoriam. num. 272.*
18 *Examinatores informationum sunt Capitulum, &c. num. 273.*
19 *Hoc examen non potest subdelegari. num. 274.*
20 *Pœnas latas à Sixto Quinto non incurrit qui sine informationibus recipit eum, qui non est vere impedi-*

peditus. num. 275.
21 *Nec qui sufficientem diligentiam adhibuit.* num. 276.
22 *Nec qui sine informationibus recipit eiectum.* num. 277.
23 *Nec superior dans inferiori licentiam recipiendi ad habitum.* num. 278.
24 *Pœna contra transgressores.* num. 279.
25 *Eas incurrunt nedum superiores sed alij Religiosi recipientes, &c.* num. 280.
26 *Priuilegiati, si non obseruant tenores priuilegiorum, quando incidant in pœnas.* num. 281.
27 *Bis est inobediens qui recipit ad habitum, & ad professionem.* num. 282.
28 *Informationes quando sumendæ.* num. 283.
29 *Ex natura rei informationes sumẽdæ ante receptionem.* num. 284.
30 *Inhabilis occultè ad Religionem non tenetur defectum manifestare, sed habitum Religionis non petere.* num. 285.
31 *An sciens occultorum inhabilitatem recipiendi teneatur eam propalare.* num. 286.
32 *An nouitius qui occultauit defectum suum possit post professionem eijci remissiue.* num. 287.

Qualiter sumendæ sint informationes ex Decreto Sixti Quinti sumendæ, & receptioni ad habitum præmittendæ.

INSPECTIO IX.

262. IN Constitutione. *Cum de omnibus* edita 16. Calend. Decembris 1587. quæ in Bullario inter Bullas huius Pontificis est 71. præcipitur nulli excedentem annum 16. ætatis recipi posse ad habitum, nisi prius susceptis informationibus de vita, & moribus recipiendi quantum ad plura capita ab eo expressa; quamuis verò si considerentur verba *d. Constit. in* §. 4. *in fine, &* §. 5. in principio videri possit, quod sumere has informationes non sit de forma, quia videtur, quod solù irritetur professio si criminosi inhabiles fuerint admissi, non verò si omissæ fuerint solæ informationes. Nihilominus, vt aduertit *Suarez tom* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 10. *nu.* 20. *Ex alia Constit. Ad Romanum.* §. 12. apertè habetur, quod professio est nulla ex sola omissione formæ, & informationum, quas Sixtus permitti voluit. Et ita etiam sensit *Rota dec.* 175. *p.* 1. *recent.* Cum verò circa huiusmodi informationes duo considerari possint, scilicet forma illas sumendi seu obligatio ad illas accipiendas, & materia earum. De hac difusius erit sermo explicando articulos huius 189. *quæst.* in quibus de qualitatibus recipiendorum agitur. In præsenti verò.

263. Primum considerandæ occurrunt personæ de quibus informationes sunt sumendæ. Nam primo ex tenore eiusdem Constitutionis excluduntur iuuenes non excedentes annum 16. ætatis. *Suarez. tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 10. *n.* 11. *Rodriq. t.* 3. *q.* 10. *a.* 13. *Mirand. t.* 2. *q.* 21. *a.* 1. *Lezan. in v. nouitius n.* 21. *Diana p.* 9. *ref.* 54. *Bassaus v. Religio.* 2. *n.* 15. Putat tamen *Lezanas* has informationes sumi debere etiam de minoribus 14. annis ex vi Decreti Clem. 8. sed primo decreta illa non obligant extra Italiam, & Insulas adiacẽtes, & adhuc ex vi decretorũ Clem. 8. huiusmodi informationes non essent ita de forma sicuti erant ex vi Const. Sixti 5. sed verè Clem. 8. de hac re nihil de nouo ordinat, sed decretum Sixti 5. refert. Secundo Conuersus transiens ad ordinem Clericalem in eadem Religione, quia supponuntur iam factæ informationes pro quanto opus fuit antequam reciperetur ad habitum Conuersi. *Festus in sum. p.* 1. *c.* 9. *& alij.* Tertio Religionis professus transiens de vno ordine ad alium, eadem ratione, & quia Constit. Sixti 5. loquitur de sæcularibus; nomine enim iuuenum, ac virorum in odiosis non veniunt religiosi. *Rodr. tom.* 3. *q.* 10. *a.* 13. *Portel. dub. Reg.* 2. *nouitius nu.* 8. *Festus loco citato, & alij.* Quarto Clerici etiam sæculares eadem ratione, quia Clerici non veniunt in odiosis nomine iuuenum, ac virorum, & in odiosis non fit extensio. *Vecchius d.* 9. *d.* 9. *n.* 6. *Layman l.* 1. *tr.* 5. *cap. vl. n.* 4. *Alphonsus de Leone de Conuersis, Donatus p.* 4. *tract.* 2. *q.* 4. qui tamen admonet, quod ad euitandum euitanda vtilius erit casu cõtingente remittere nouitium ad iudices cõpetentes; quod non videtur consequenter dictum; sed quidem prudentiæ erit non admittere Clericum non seruata forma Sixti 5. sed in ea sententia si fuerit receptus, poterit Clericus se defendere, nec religio eius patrocinium deserere poterit, cum maxime onus sumendi informationes sit religionis, quæ de iure naturæ sua facta tueri debet, si rationi conformia sint, & in iure sint fundata. *Bord.* tamen merito *ref.* 54. *n.* 84. tenet contrarium, ex eo quod Clerici sint de sæculo, & sæculares dicantur *Glos. in cap. licet, v. sæculares de off. ordinarij*; & ibi *Panorm.* Quinto ille de quo sine informationibus certo constat, non habere aliquod impedimentum ex illis de quibus informationes sumi debent; quia sine informatione habetur quod Sixtus intendit, & non est opus quod certus amplius certioretur. Ita *Suarez tom.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 3. *Bordon. resol.* 54. *n.* 87. *&* 105. & apud eum *Vecchius disp.* 6. *d.* 1. *n.* 6. *Tambur. t.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *& alij.* Nihilominus in casu nostro, vt notat *Donatus p.* 4. *tr.* 4. *q.* 8. *n.* 9. *Rota Romana p.* 1. *Recent. decis.* 175. oppositum decreuit ex Constitut. Clem. 8. in suprema. Vbi declarat subdi pœnis latis à Sixto 5. quicumq; eius constitutionibus aliquo modo contrafecerit. Vnde informationes esse sumendas etiam dum constat aliundè induendum nullum habere impedimentum docet idem *Donatus* ibidem, in casu tamen notorij prior opinio est rationabilior. Addit verò idem *Bord. n.* 84. & multis probat huiusmodi formam informationum à Sixto 5. institutam non esse necessariam in receptione Conuersorum, quod etiam tenet *Diana* cõpendium. Quia in *Constit. ad Romanum*, dicitur. *In oblatis verò, & Conuersis professionem emittentibus, satis erit, si quoad mores, & statum personarum informationes sumantur*; Non est ergo de illis informatio tam rigorosa sumenda. Tum quia Clem. 8. loquens de receptione, & professione Conuersorum numquam meminit harum informationum ex vi Constit. Sixti 5. sumendarum in receptione Cleri-

corũ. Verum licet quantum ad conuersos non sit necessaria tam exacta informatio, quia sufficit informatio quoad mores, & statum personarum, in reliquis tamen forma à Sixto statuta seruari debet. *Diana p.9. tr.8.res.54.* Regulares autem milites, qui propriè sunt Religiosi huic constit. non sunt subiecti, si transeant ad Religionem, sicut nec transeuntes de Claustro ad Claustrum. Quia isti non veniunt de seculo ad Religionem. De militibus alijs, qui tria vota substantialia non emittunt, *Bardon. res.54. num.85.* idem tenet, scilicet, quod non sit necesse sumere informationes statutas à Sixto 5. si illi ad Religionem veniunt. Hoc tamen limitat *Bardon.* vt non procedat in militibus, qui viuunt in seculo, cui consensit *Diana p.9. ressol.54. ex Vech. disp.6. d.6. num.1. & 2.* Nam milites viuentes in seculo, veniunt sub nomine virorum de seculo ad Religionem venientiũ, & horum omnium informationes petendæ sunt ea vi constitut. Sixti Quinti. Quæ est ratio ob quam iuxta dicta supra ex *Bardon*, cui consentit etiam *Diana*, etiam Clericorum sunt sumendæ informationes, si ad Religionem veniant.

264. Secundo si spectemus, qui teneantur sumere has informationes, an scilicet omnes religiones ad hoc obligentur? Dicitur nullam excludi, sed quamlibet comprehendi, quæ sit vera religio, si præscindamus à priuilegijs. Quoniam constitutio Sixti 5. vniuersaliter, & cum vniuersali distributione loquitur statuens non posse in aliqua religione recipi excedentes annum 16. nisi præmissis informationibus, &c.

265. Qualis inquisitio, & informatio sumi debeat, diuersimode exprimitur in Constitutionibus Sixti Quinti, Greg.14. & Clementis Octaui. Sixtus enim Quintus petit inquisitionem diligentẽ, & accuratam informationem, qua fide digna relatione compertum sit, & exploratum recipiendos non esse criminosos, &c. *Nisi prius, inquit, de eorum parentibus, &c. diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit eos, &c.* Greg. autem 14. hanc informationem vocat plenariam. *Dummodo tamen, inquit, antequam ad professionem admittatur plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat.* Clemens vero Octauus in *Const. de instituit. Nouitior. Cum ad regularem*, 19. Martij 1603. diligentem perquisitionem postulat. *ibi §. 21. Vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit.* Ex his autem primo certum est per Constitut. Sixti Quinti, & Greg. 14. requiri informationem, in qua ad minus duo testes iurati, & fide digni deponant. Hæc enim est plenaria informatio, & depositio faciens fidem, & moralem certitudinem, vt docent Iuristæ. In ore enim duorum, vel trium stat omne verbum, vt docuit Christus. Verba enim Pontificis, quæ non continent exagerationem, petunt informationem, quæ sit plenaria, seu fidem plenam faciat. *Suarez tom.3. de relig. l.5. cap.10. num.14. Donatus p.4. tr.4. q.2. num.5. Verbis d. q. num.5. Miranda q.21. concl.4. Peyr. P.R. q.3. c.1. num.30. Tambur. l.3. disp.6. q.4. num.4. & 7.* vbi aduertit iuramentum hoc testium, cum sit in fauorem religionis, non posse prætermitti etiam de cõsensu partium. *Mirand. Suarez, & Tambur. citati.* Certum quoque erit secundo hanc informationem ad minus per duos testes fide dignos, & legitimè iuratos sufficientem esse; quia Pontifices non maiorem requirunt, quam sit illa, quæ sit plena, & plenam fidem faciat; hæc vero est, quæ per duos similes testes habetur. Inde tertio colligitur non esse necessarium, quod hæc informatio sit facta cum strepitu, & figura iudicij, idest citatis partibus, & dato termino, & alijs iuris apicibus seruatis. Quia hoc non exprimunt Pontifices, sed solum plenam probationem petunt, probatio verò non desinit esse plena, & fidem faciens, etiam si sit simplex, & de plano, & sola facti veritate inspecta, vt docent iurisconsulti, & notat *Donatus ibid. num.5.* Quarto additur quod huiusmodi informat. fieri possunt per omnem modum, per quem aliquid probatur in iudicio summario, & extraiudiciali. Et ideo fieri potest per scripturas authenticas, & instrumenta, & scripturas etiam priuatas tales, quæ fidem facere valeant in tali iudicio.

266. Quanta autem, & qualis debeat esse depositio testium informantium, & præcipue quomodo probari possint huiusmodi negatiuæ propositiones, scilicet recipiendos non esse criminosos, alieno ære grauatos, si interrogetur. *Tambur.* citatus putat non sufficere, quod testes generaliter dicant nescire eos esse comprehensos in *d. Constit.* hæc enim negatio nihil probat. Nec diligens inquisitio facienda expleta esset: erit enim diligentia sufficiens, quæ in humano iudicio cum proportione sufficit ad fidem faciendam. Vnde oportet; quod testes deponant recipiendos non esse detentos tali, vel tali impedimento. Sed respondetur cum distinctione. Nam loquendo de exteris, qui longissimè à patria distant, vel quorum patria ab hæreticis occupata est, vel ab infidelibus, idem Sixtus in *Constit.* ad Romanum Pontificem, statuit, *vt quandiu non liquidò constet de requisitibus, quæ in Constit. nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat, quod eos impediat, habiles reputandos esse.* Quamobrem de istis loquendo non est necesse sumere informationes in patria eorum, sed sufficit interrogare, & informationes accipere in loco, in quo manét ab illis, qui eos cognoscunt tales quales inueniri possunt, & tandem non est necessaria positiua certitudo, si haberi non possit, sed sufficit negatiua, quia scilicet nihil appareat contra illos ex ijs, quæ eos ad religionem inhabiles reddere possũt. *Diana p.9. res.54.* qui sequitur *Bossius v. Religio. 2. num.15.* iudicio superioris censet relinqui quãdo recipiendus vere sit ex longissimis partibus, quamuis *Rodriq. tom.3. q.10. a.13.* existimet eam dici remotissimam regionem, à qua per annum difficulter informatio haberi posset. Conuenientem vero diligentiam in hoc casu adhiberi, quando ingressurus Religionem iureiurando affirmat se nullo impedimento bullæ Sixti Quinti esse obstrictum, vel saltim ij. cum quibus conuersatus est in loco, vel regione vbi recipiendus est, faciunt fidem, se nescire in tali persona aliquod ex dictis impedimentis reperiri, vt tradunt *Leza. v. Nouitius n.24. Tambur. tom.3. disp.6. q.5. num.6. Portel. num.3. Bassaus vbi supra Diana p.9. res.54.* Credo tamen non sufficere iuramentum recipiendi, sed esse necessarias alias informationes, quæ haberi possunt, & nihilominus etiam aduerto, quod Sixtus Quintus non obligat ad hoc iuramentum sumen-

men-

mendum à recipiendo, sed ad diligentiam adhibendam, an aliquid appareat, quod impediat, vtile tamen erit iuramentum adhibere.

267. Sed vbi recipiendus non sit aduena cum supradictis conditionibus, alius gradus certitudinis est necessarius: sed considerandum est tria esse quæ inquiri debent. Primum parentes, & Patriam, secundum crimina, & impedimenta, tertium animus petentis habitum. Quātum autem ad primum inquisitio est necessaria, sed de conditionibus parentum nulla est necessaria certitudo, quia in *Constitut.* Sixti non præcipitur, vt aliquid innotescat de parentibus, & patria, sed eorum cognitio requiritur, vt ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum sit recipiendum non esse criminosum, &c. Tū secundo, quia vbi nihil cōstet de qualitate parentum, hoc solum resultabit, quod petens habitum habeat parentes incognitos: ex hoc autem nihil mali in tali persona præsumi debet, vnde neque ex hoc erit indignus habitu religioso. Ita *Suarez dicto cap.* 10. *num.* 13. qui etiam addit, quod si constet de persona patris, & non possit constare de legitimatione filij, nihilominus hoc non obstare, quin post exactam, & diligentē inquisitionem talis filius non possit ad habitum recipi. Quia in *Constitut.* Sixti non dicitur quod aliquid constare debeat de qualitate parentum, sed solum quod de eis fiat diligens inquisitio, & circumstantiæ istæ non sunt tanti momenti, vt propter eas talis filius sit à religione arcendus. Hæc tamen licet probabiliter affirmentur stando in terminis *Constit.* Sixti 5. non sunt tamen conformia *Constit.* Clementis Octaui quamuis ex hac eadem *Constit.* Clementis satis colligatur expositionem præfatam congruere *Constitut.* Sixti 5. Nam postquam statuit sumendas esse informationes iuxta *Constit.* Sixti, tanquam quid nouum, & dictis *Const.* non expressum addit. *Illud etiam superiores, quos spectabit, sedulo perquirant, vt quibus in Monasterijs, & conuentib. ex Apostolica authoritate nouitiatus fuerint instituti, in ijs ad religionem nullus in posterum admittatur, qui, & ex honestis parentibus natus non sit, &c.* Vnde de mente Clementis debet aliquo modo constare de honestate parentum. Quamuis quantum ad hoc sufficiet, si nihil in contrarium habeatur; pro nato enim ex honestis parentibus haberi debet, de quo nihil in contrarium constat.

268. Quantum etiam ad crimina, & impedimenta sufficit certitudo partim affirmatiua, & partim negatiua. Nam alias negatiua absoluta fere est impossibilis, vt positiua certitudine probetur. Quis enim testimonium certum ferre potest de aliquo, quod nullum crimen vnquam, & nullibi admiserit. Sed negatiua probatur sufficienter à teste, qui deponat se cognoscere aliquem, & non scire illum esse criminosum, vel ære alieno grauatum, &c. & tamen si aliter esset illud etiam sciret. Et hæc certitudo moralis sufficit, quia huiusmodi impedimenta talia sunt, vt moraliter loquendo si adessent, nota essent ei, qui familiarem notitiam habet personæ: Et alias in his, & similibus maior probatio, si non est omnino impossibilis, est valde difficilis. Ita *Suarez dicto cap.* 10. *num.* 14. Nec obstat, quod Pontifex ex singulari priuilegio concedit sufficere hanc certitudinem negatiuam respectu exterorum longissime à patria distantium. Quia respectu illorum admittit pro sufficienti certitudinem negatiuam puram de gestis aduenæ in patria sua, vtrque, vt licet testes nō cognouerint petentem habitum in patria sua, & eos bene latere possint crimina, & aliqua impedimenta ibi in patria contracta, adhuc sufficiat eos asserere, se non scire eum impeditum, sed respectu non aduentarum prædictorum non sufficit certitudo negatiua pura, sed quæ moraliter positiua censetur, & quæ habetur ex teste deponente se talem familiaritatem habere cum petente habitum, vt eum non lateret, si ille impedimentum aliquod ex illis haberet.

269. Tertium quod inquiri debet est vocatio eius, qui habitum petit. Et hoc quoque per testes solum negatiue probari potest modo supradicto. Nullus enim internum animum videt, ideo sufficit, quod testes deponant, se nullum vidisse signum prauæ intentionis in petente habitum, & propterea se existimare petentem habitum ex Dei vocatione ad id moueri. Verum alia est informatio, quam de vocatione petentis habitū iussit fieri Clemens 8. in *Constit. Cum ad regularem*, interrogando scilicet ipsum, qui petit habitum, quo spiritu vitam religiosam eligat. Hæc enim informatio extraiudicialis per coniecturas, & prudentes interrogationes ex confessione petentis habitum accipienda est. Sed ex aliorum testium depositione qui animum alterius non nisi per externa signa vident, nihil haberi potest amplius, nisi quod asserant se non habere vnde suspicionem mali finis, seu finis non recti in habitum petente suspicentur, & quod si adesset mala intentio non eos lateret. *Ita Suarez ibid. num.* 16.

270. Vlterius quæri potest, à quo sumi debeant istæ informationes? Duæ autem personæ concurrunt ad examen testium, scilicet Iudex, & notarius. Si ergo quæramus coram, & à quo iudice sunt accipiendæ informationes, dicitur vnumquemque sufficere siue sit Ecclesiasticus, siue sæcularis, qui examinandi testes, & præbendi illis iuramentum facultatem habeat, licet enim depositiones acceptæ in vno foro non probent in alio; tamen Sixtus Quintus cum non petat nisi rei certitudinem; ideo dummodo depositio sit à testibus legitimè iuratis coram iudice competente sufficit, nec refert quod hoc, vel alio modo habeatur. *Tambur tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 4. *num.* 5. *Mirand. q.* 7. *& q.* 8. *Portel. v. Nouit. informato num.* 3. *Donatus p.* 4. *tr.* 4. *q.* 3. *num.* 8. Sed, & præter iudices sæculares, & Ecclesiasticos etiam duo illi, vel tres, aut quatuor superiores locales, qui ex *Const. sed Romanum* deputari possunt ad huiusmodi informationum examen, possunt etiam informationes sumere, & testes examinare, vnde triplex munus habent, scilicet inquirendi, examinandi informationem, & approbandi ad habitum, vt clarè constat ex bulla illa Sixti 5. Et eadem facultas ex eadem bulla conuenit Priori illius Conuentus, qui, vel à Capitulo Generali Monachorum, vel à Prouinciali aliorum religiosorum deputatus est ad huiusmodi Nouitiorum receptiones; Nam hic quoque Prior simul cum tribus Patribus potest inquirere, inquisitionem factam examinare, & approbare, & nouitios recipere. *Rodriq. in sum. cap.* 4. *Portel. v. Nouitij informat. num.* 2.

Do-

Donat. p.4.tr.4.q.3.num.3.

271. In terminis autem Priuilegij Clem. 8. concessi cōuentui Salmant. Ord. Prædicator. in bulla. *In his ed[i]to 10. Septembris* 1597. Etiam simplex religiosus illius Conuentus, in quo est Nouitiatus missus à Priore dicti Conuentus has informationes sumere potest, vt ex verbis illius bullæ supra relatis *num.* 154. constat. Ita ex Petro de Ledesma de statu *Relig. in communi cap. 6. concl. 7. disp. 7. Vecb. disp. 6. d. 2. num. 4. Mirand. p. 1. q. 21. a. 3. concl. 1. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 4. num. 8.* Vbi quod iste Religiosus, vel per Notariū, vel per se ipsū etiā, sine facultate Ordinarij poterit testes audire, sicut, & prædictam informationem approbare spectat ad Priorem illius Conuentus, Suppriorem, Magistrum Nouitiorum, & Magistrum studentium. Vbi vero non adsit Magister studentium loco eius succedet lector Conuentus, vt aduertunt *Donatus loco citato, q. 3. num. 5.* vel vt habet *Portel. v. Nouitij informat. num. 4.* alius religiosus ordinis antiquior, vel doctior.

272. An vero absolute sufficiat notarius examinans testes ad perpetuam rei memoriam, Et dico sufficere. Huiusmodi enim causa, quæ spectat ad videndum, an aliquis sit idoneus, vt recipiatur in Religionem, est de numero earum, quæ continentur in Clem. Dispendiosam, de Iudicijs, in qua proceditur sine strepitu, & figura Iudicij, summariè, & de plano; In causa autem summaria admittuntur testes examinati ad perpetuam rei memoriam, *Marant part. 4. cap. Iudiciorum distinctio. num.* 186. Quia enim hic non desideratur nisi certitudo, nec sunt seruandi apices iuris, testes vero examinati ad perpetuam rei memoriam ex natura rei fidem faciant, ideo huiusmodi testimonium sufficit. Nam, & in causis ciuilibus admitti testes examinatos ad perpetuam rei memoriam ante litem contestatam tradunt *DD. ad cap. Quoniam frequenter. Vt lite non contestata*, & notat ibi *Barbosa num.* 23. Notarius autem quilibet, vel Apostolicus, vel Cæsareus, aut Regius sufficit, vt per eum informationes istæ sumantur. Aliqui autem putant ad hunc effectum sufficere Notarios institutos à superioribus virtute priuilegij Pij Quinti in sua *Const.* 124. Sed hoc non verificari probatum est supra q. 187. *a. 2. num. 47.*

273. Examinatores autem harum informationum esse, vel Capitulum Generale, vel Capitulum Prouinciale, vel congregatio, ex duobus, vel pluribus superioribus localibus, vel tres Patres ad hoc deputati specialiter satis constat ex *Const.* Sixti Quinti. Hoc tamen intelligitur de Capitulo Prouinciali respectu suæ Prouinciæ; quia Capitulum vnius Prouinciæ non potest licentiare ad habitum pro alia Prouincia *Bordon. res. 54. num. 8.* In terminis autem priuilegij concessi ordini Prædicatorum examinatores harum informationum sunt Prior Conuentus nouitiorum simul cum suppriore, magistro nouitiorum, & magistro studentium, vel lectore Conuentus, aut alio Patre seniore, aut doctiore, vt supra dictum fuit.

274. Sed forsan aliquis quæret, an huiusmodi examinatio approbationum facienda à Capitulo Generali, vel Prouinciali possit ab eis subdelegari? *Tambur. d. q. 4. num.* 13. refert, nec improbat sententiam *Vecbij in praxi Nouit. disp. 6. dub. 3.* vbi vult non esse improbabile dicere hanc facultatem non esse in præfatis superioribus delegatam, & quatenus esset, non impediri, quin præfati possint subdelegare, quia censendi sunt delegari ad vniuersitatem causarum. At vero delegatus ad vniuersitatem causarum potest subdelegare. Sed hoc non verificatur quando delegans elegit in delegato industriam personæ, sicut manifestè fit in præsenti. Et quamuis propriè hæc facultas videndi huiusmodi approbationes, & de eis iudicandi concessa Capitulis non sit propriè delegata, ex vi tamen *Const.* Sixti Quinti, & Greg. 14. Est restricta ad illas & ad alias personas in *d. Const.* nominatas, & mens Pontificis est vt alius quicumq; ab huiusmodi examinatione se abstineat Ideo quod huiusmodi examinatio non possit delegari bene dixerunt *Rodriq. tom. 3. q. 10 a. 2. Mirand. p. 1. q. 21. a. 4. concl. 4.*

275. Remanet autem quærendum, quam culpam, & quas pœnas incurrant superiores, qui ad habitum, & professionem recipiunt nouitios, præfatis informationibus non præmissis? Primo autem directe, & per se nullam culpam, vel pœnam incurrere eum, qui, vel ex certa scientia, vel ex Probabilibus est certus nouitium nullo impedimento ex contentis in *Const.* Sixti Quinti impeditum, tradunt *Rodriq. q. 54. a. 4. Bassaus v. Relig. 2. num. 15. Peyr. Præl regul. q. 3. a. 1. num. 27. Portel. v. Nouit. infor. num. 6. Vecbius d. 6. dub. 1. nu. 6. Bordon. q. 2. ref. 54. nu. 105. Diana p. 3. tr. 2. resol. 82. Tambur. t. 3. disp. 6. q. 5. num. 1.* & alij quia, quæ clara sunt examinatione non indigent, *cap. Manifesta 2. q. 1.* Et in notorijs iuris ordinem non seruare ordo est *cap. ad nostrum ei tertio de iureiur. & cap. Quanium de filijs presbyterorum. & Guido Papa. sing.* 228. Hoc vero limitat *Peyr.* dicens hoc non esse tutum in foro externo, quia vt aduertit Rota *decis. 175. p. 1. recent.* Sixtus Quintus mandauit sumi has informationes tanquam de forma, & ita quod irritauerit professionem, sine illis habitam. Verum hic distingui debet inobedientia, ab incursu pœnarum. Nam quantum ad pœnas, considerandum est, quod non sunt inflictæ contra omittentes suscipere informationes, sed contra recipientes eos, quos ipse in sua *Const.* iudicauit inhabiles ad religionē. Hæc enim sunt verba illius *primæ Const.* Cum de omnibus. §. 6. *Et insuper quoscumque Religiosos, eorumque superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce actiua, & passiua, nec non officijs, gradibus honoribus & dignitatibus, quibuscumque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quam ad illa quæcumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.* Omittentibus ergo informationes accipere non sunt huiusmodi pœnæ impositæ, sed recipientibus inhabiles; Vnde in nullo foro superiores recipientes ad habitum, & professionem Nouitios non præmissis informationibus sunt priuati voce, officijs, &c. nisi recepti sint inhabiles iuxta statuta in dicta *Constit. Rodriq. tom. 3. q. 54. a. 4. Portel. v. Nouitij informat. num. 6. Diana p. 3. tr. 2. ref. 83. Tambur. tom. 3. disp. 6 q. 5. n. 3.* iterū *Diana p. 9. ref. 54. Bassaus* vbi supra. Vnde nō intelligo limitationē illam, quā ponit *Diana d. ref.* 54. scilicet quod intelligitur in foro conscientiæ, non autē in foro fori, quæ non est posita consequenter, sed recipiens ignotum, siue informationibus, si ille habet qualitates necessarias

rias, in nullo foro est locus pœnis sed quantum ad inobedientiam, verum est, quod in foro externo non tam de facili admitteretur excusatio, quia in foro externo Iudices sequuntur regulas illas per quas, quæ sunt inducta de forma omnino sunt obseruanda ad valorem actus. Et ideo regulas illas, quod certioratus non indiget certiorari, & quæ clara sunt, examinatione non egent, & alias similes non admittunt vbi examen, & informatio est de forma *Barbos. Axiom. 41. num. 2.* Sed, & in Religionibus, quæ non habent vsum filiationum præfata sententia cum difficultate poterit practicari etiam in foro conscientiæ; quia Prælati locales nō possunt recipere ad habitum, difficilius vero erit, quod Capitulum Prouinciale, vel Prouincialis sit certus, quod petens habitum habeat requisita, & possit tuta conscientia nullis vilis informationibus dare licentiam habitus, si nouitius admissus verè nullo detineatur impedimento; quia Pontifex expressè solum infligit pœnas contra recipientes criminosos, &c.

276. Secundo à culpa, & pœnis excusatur, qui præmissis debitis informationibus, & sufficiēti diligentia, recipit criminosum in rei veritate. Talis enim nec peccat, quia adhibuit diligentiam sufficientem; nec subiacet pœnis, quia illæ latæ sunt contra temerè criminosos, &c. admittentes ad habitum. Non vero temerè agit, qui bona fide agit, vt docet præfati Doctores, quos sequitur *Donatus. p. 4. t. 4. q. 8.* Si tamen superior mala fide procedat sciens testes non esse informatos, si receptus est criminosus, superior, nec à culpa, nec à pœna excusatur. *Tambur. num. 4.*

277. Tertio à culpa, & pœnis istis excusari superiorem, qui religiosum incorrigibilem, & alias ab ordine eiectum recipit putans illum esse emendatum, docent *Portel. num. 8.* Quia constitutiones Sixti Quinti loquuntur de sæcularibus, vnde non debent extendi ad religiosum incorrigibilem, cum lex ista sit pœnalis, sicut nec ad transitum de vna religionem ad aliam. *Portel. nu. 9. Tambur.*

278. Quarto non incurrit has pœnas Prouincialis, qui dat licentiam superiori locali, vt aliquem recipiat ad habitum. Dat enim illam, vt exequendam seruatis seruandis, & licet non ponatur hoc in licentia, virtualiter intelligitur, nec præsumi debet, quod Prouincialis velit dare licentiam, quam dare, nec debet, nec potest. Ita *Portel. nu. 5. Donatus q. 7.* Verum hoc non potest esse verum nisi in terminis const. Greg. 14. & priuilegij Clementis Octaui, aut aliorum ex quibus sumere informationes attribuitur Prælato locali, & illas examinare, & approbare. Nam alias in terminis const. Sixti 5. Prouincialium est inquirere, & approbare informationes, vel in capitulo Prouinciali, vel in congregatione priuata plurium superiorum localium, aut trium Patrum eiusdem Conuentus, ideo ipse Prouincialis non potest excusari à culpa, & pœnis, si admittatur nouitius impeditus sine informationibus.

279. Cæterum transgressores constit. Sixti Quinti ipso facto incurrunt pœnas priuationis vocis actiuæ & passiuæ in perpetuū, dignitatum, officiorum, seu graduum, & inhabilitatis perpetuæ, tum ad eas, tum ad alia quæcumque in posterum obtinenda. Quoniam constitutio Sixti 5. quantum ad hanc partem non fuit moderata, sed per Clem. 8. confirmata.

280. Hanc vero culpam, & pœnas incurrunt, tam superiores, quam alij religiosi, qui ex officio concurrunt ad receptionem nouitiorum non seruata forma illarum constitutionum Sixti Quinti, quæ expressè afficiunt religiosos, & superiores recipientes nouitios ea forma non seruata.

281. In terminis vero priuilegiorum considerandi sunt illorum tenores, & distinguenda inobedientia ab incursu pœnarum. Qui enim non obseruauerint, quæ in dictis priuilegijs præcipiuntur, seu formam informationum, quæ illis præcipitur, inobedientes erunt, qui illis priuilegijs vti volunt, & in illorum vi operantur. Sed tunc solum incurrent præfatas pœnas, cum culpabiliter recipient aliquem ex ijs, quos Pontifex non vult recipi, quia Pontifex non infligit pœnam contra omittentes informationes, sed contra recipientes criminosos, & ideo audiendi non sunt *Portel. num. 2. & Donatus q. 7. num. 3.* volentes, quod Prior Salmanticensis subdatur præfatis pœnis, si omittat recipere iuramentum, dum primo ad habitum recipit nouitium.

282. Imo colligitur admittentes ad habitum, & professionem nouitios non seruata forma dictarum Constitutionū bis esse inobedientes, sed nō incurrere pœnas in trāsgressores latas si prohibitos recipiant, Nā quod incurrant semel dictas pœnas recipiēdo ad professionē, patet ex terminis, quia hęc est receptio in religionem. Sed quod nec possint nouitij est habitum recipi, licet receptio ad habitum non sit perfecta receptio in religionem, habetur ex *d. Cōst.* Tū quia, dū Pōtifex in *prima Const.* præcipit informationes examinari in Capitulo Generali, & Prouinciali, & nouitios recipi à Generali, vel Prouinciali de consensu diffinitorum, sine dubio loquitur de prima receptione ad habitum, inconueniens enim esset, si postquam nouitij fuissent recepti, examinari deberent in Capitulo Generali, & Prouinciali, an expediret eos recipi ad religionem. Tum secundo, quia Pontifex criminosos, ære alieno grauatos, &c. decernit esse inhabiles ad suscipiendum habitum, & nedum professionem eorum, sed, & receptionem primam ad habitum irritat, igitur ante hanc primam receptionem ne forte irrita fiat, suscipiendæ sunt informationes, & ne inhabiles recipiantur. Tertio quia Greg. 14. in religionibus habentibus vsum filiationum pro magno fauore concedit, quod ante primam receptionem ad habitum sumatur aliqua informatio, donec plenaria postea recipiatur. Et Clemens 8. Cōuentui S. Stephani Salmant. cōcedit, vt ante primam admissionem ad habitum loco informationem accipiatur à recipiendo iuramētum; vnde dubium esse non potest, quod de mente horum Pontificum informationes istę, accipi debent ante primam receptionem nouitij ad habitum religionis. Quarto quia non negabit quis, quod intra terminos const. Greg. 14. inobediens non sit superior localis, nulla omnino præmissa informatione circa vitam, & mores recipiendi, si illum admittat ad habitum, sicut in terminis priuilegij Clem. 8 Prior Conuentualis, si non accipiat iuramentum a recipiendo ad habitum; igitur multo

magis

magis dicendus est inobediens esse in terminis Constitutionem Sixti Quinti, qui habitum concedit non præmissis informationibus, quas sumi mandat ille Pontifex. Nihilominus, quia constitutiones Sixti valde exorbitant à iure communi, & sunt valde pœnales, & odia ristringenda sunt, & receptio nouitiorum in sola professione completur, etiam dici potest, quod, qui prætermittit informationes, tam in admissione ad habitum, quam in admissionem ad professionem, bis est inobediens, sed semel incurrit pœnas, nimirum si aliquem ex prohibitis recipi ad professionem recipiat, quia pœnæ pro actibus consúmatis infligūtur, nisi aliud in lege exprimatur. Et quia in §.6. infligitur præfatæ pęnæ absolutè cōtra recipiētes inhabiles, nō vero cōtra recipientes eos ad habitū.

283. Hinc iam patet, quod interroganti quādo informationes istæ sumendæ sunt, responderi debet, eas in terminis const. Sixti sumēdas esse antè receptionem ad habitum, sed in terminis const. Greg. 14. sufficere si ante receptionem ad habitum aliquæ informationes sumantur interrogando recipiendum ipsum, vel alios, & in terminis priuilegij Clementis 8. ante receptionem ad habitum sufficit accipere iuramentum à recipiendo. At vero ante professionem sunt semper recipiendæ si prius non sunt receptæ, nisi in vi priuilegij supradicti concessi societati Iesu, per quod tollitur totalis obligatio accipiendi huiusmodi informationes ad formam dictarum constitutionum. *Tambur. t.3. disp.6. q.4. num.9. post Peyr, de Pral. q.3. num. 32.* aduertit quod si non possint sumi huiusmodi informationes ante susceptionem ad habitum, eo quia timeatur, ne induendus minis, vel precibus retrahatur à Sancto proposito, quod tunc poterunt omitti, & interim poterit dari habitus, iuramento sumpto ab eo coram testibus, quod non habet impedimentum ex const. Sixti Quinti iuxta priuilegium concessum à Clem. Oct. Conuentui *Salmanticen.* & quod hoc iuramentum fieri debet coram potestatem habentibus recipiendi Nouitios, vel coram superiore immediato Conuentus, vel coram Colega, vel coram Prouinciali. Hoc idem habet *Diana p.9. tr.8. ref.54. ex Vech. dub.4. & Portel.* Sed cum modo adsint alia priuilegia, præter illud Clem. 8. concessum Priori Salmanticen. videndum est in cuius terminis liceat agere, & est aduertendum; quod in terminis constit. Greg. 14. ante receptionem ad habitum non est necessaria nisi aliqualis informatio. Hoc autem explicat *Diana*, vbi supra, ac si requiratur summaria informatio, quæ semiplena dicitur, si constat vnico teste, sed nec ante professionem est necessaria nisi probatio summaria. Hæc enim causa est sine dubio de illis, quæ comprehunduntur sub Clemen. dispendiosam de iudic. in quibus proceditur summariè, & de plano, sed in causa summaria potest dari plenaria, & non plenaria probatio, & in terminis const. Greg. 14. plenaria non est necessaria, nisi ante professionem; ante receptionem ad habitum vero Pontifex non requirit, nec exprimit semiplenam, sed aliqualem nimirum talem, qualem prudentia requirit in negotio tam graui, quia vero *Diana ibid. ex Portel, & Peliz.* arbitratur quod in terminis priuilegij Clem. 8. superior non recipiens iuramentum à Nouitio incurrat in pœnas latas in constit. Sixti Quarti iterum aduertendum, quod contra omittentes informationes nulla pœna lata est in constit. Sixi Quinti, vt probatum est supra *num.* 375. & ideo tale iuramentum omittens nullam pœnam incurrit.

284. Et nihilominus tam ante receptionem ad habitum, quàm ante admissionem ad professionem iuxta præscriptum cuiuscumque ordinis sumendæ sunt informationes de idoneitate recipiendorum, sed huiusmodi sufficit si sint extraiudiciales, nec est necesse, vt sumantur per notarios publicos sed sufficit esse tales, vt valeant prudenter dirigere receptionem ad habitum, & professionem.

285. Horum autem occasione quæritur, an si recipiendus à superioribus, & examinatoribus interrogetur de aliquo defectu graui, & etiam non parum infamatorio, qui defectus ad rem faciat, teneatur in conscientia respondere, & dicere veritatem. Respondent aliqui eum teneri, hancque obligationem esse iustitiæ, & oriri ex natura contractus ineundi inter eum, qui petit recipi ad religionem ipsam. Cum enim de natura huius contractus sit, quod ex vtraque parte sit voluntarius ex vna parte potest occultari id, quo posito altera nō cōsentiret, ideo si illa pars de tali defectu interrogetur, tenetur respōdere quia alias ex parte alterius, quę interrogat, & decipitur, cōtractus est inuolūtarius. Cū ergo à persona idonea, & deputata nomine religionis interrogetur recipiēdus de defectu, quo scito nō admitteretur ad habitū, tenetur ille defectū suū fateri. Ita *Suarez tom.4. de relig. tr.10. l.2. cap.3. num.5,* vbi addit quod si defectus sit talis, qui reddat eum omnino inhabilem ad religionem, receptionem, & professionem esse nullam, quia religio decepta non censetur consentire. Addit *Bassaus v. Religio 2. in fine*, quod recipiendus etiam non interrogatus tenetur huiusmodi defectum aperire. Sed contra hanc doctrinam est instantia, Nam vel defectus est talis qui reddat eum inhabilem ad religionem, & stant iuxta Canones, vel regulam non possit recipi, vel defectus non reddit inhabilem, nec est aliqua prohibitio, ne aliquis cum tali defectu recipiatur. Si defectus est prioris rationis, propriè loquendo non tenetur suum defectum manifestare, imo peccaret illum manifestando, si esset defectus ferens infamiam, vel damnum, quia manifestatio esset inutilis ad finē sumendi habitū, & sibi inferret damnū, sed tunc peccat potius petendo habitum, & tenetur animum hunc deponere; quia habitum non potest suscipere cum sua inhabilitate decipiēndo religionem, & manifestando suum defectum, nihil proficit, quia à sua petitione reijcitur. Sed si defectus non est talis, qui reddat inhabilē ad susceptionem habitus, vel est talis, ac tantus nihilominus, quod eo scito de facto non recipietur ad habitum, & sic imprudentia est defectum menifestare propter quem sua petitio non est admittenda, sed debet a petitione cessare. Et hoc cum propositione est verum etiam si petens habitum religionis sit dubius, an defectu manifestato recipietur, vel non recipietur. Quia tunc vtilitas ex manifestatione est dubia, & damnū grauis iacturæ honoris, & famæ est certum. Nec valet quod quidā dicūt ex *Lessio l.2. c.11. d.12.* quod detectio criminis ferentis infamiā apud vnū vel alterum sub sigillo secreti non sit difamatio, quoniam malum

lum manifestarum alicui de facili erumpit in malum germen infamiæ. Et præterea ad quid prodere cum iactura famæ apud vnum vel alterium si est incertus an sibi sua manifestatio proderit? In hoc ergo casu cum magna prudentia, & discretione videndum erit, an sit magis honestum, & vtile spiritualiter manifestare suum defectum sine spe certa, quam desistere à spe recipiendi habitum religiosum; & hæc consultatio fieri debet cum confessario, & media multiplici, & iterata oratione; sed si petens habitum religiosum scit probabiliter quod etiam detecto defectu recipietur, licet non tam de facili, non tenetur se prodere saltem sub mortali; quia taciturnitas talis defectus non facit inuoluntarium simpliciter, sed solum secundum quid, vt in materia de furto tradunt DD. & supra tractantes de voto paupertatis est probatum. Et ita doctrina illa de contractu potest applicari, quia ex quo iuxta illam verum est, quod petens habitum non debet decipere Religionem, quod est verissimum; ex hoc non sequitur quod debeat prodere suum defectum, sed quod non debeat petere habitum religionis, quem si accipiat non detecto defectu peccat, & si detegit defectum à sua spe cadit, & reijcitur, vnde tunc solum potest defectum suum prodere, cum omnibus pensatis honestum est suæ famæ iacturam pati propter spem religionis, quando adsit spes, vt cum defectu recipiatur.

286. Quæritur vlterius, an qui scit occultum defectum petentis habitum, qui cederet in graue damnum religionis, si talis defectuosus reciperetur, interrogatus possit manifestare talem defectum, & etiam infamatorium, siue sit defectus naturalis, siue moralis. Respondetur eum qui scit inhabilitates, & defectus petentis habitum, qui sunt tales, quod cedent in graue damnum Religionis posse, imo & teneri eos manifestare seruata regula, & doctrina tradita à *D.T. supra q. 70. a. 1.*

28 Item quæritur, An si nouitius interrogatus de aliquo impedimento, illud taceat, vel occultet sequuta professione possit expelli. Respondetur aliqui posse eijci ex priuilegio Leonis an. cōcessa Fratribus Minoribus die 15. Martij 1516. sed de hoc dicendum erit in *tractat. de professione*.



QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS I.

Vtrum illi, qui non sunt in præceptis exercitati, debeant ingredi Religionem.



D primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant religionem ingredi, nisi illi qui, sunt in præceptis exercitati. Dominus enim consilium perfectionis dedit adolescenti, qui dixerat se præcepta à iuuentute seruasse. Sed à Christo sumpsit initium omnis religio. Ergo videtur, quod non sint ad religionem admittendi, nisi qui sunt in præceptis exercitati.

2. *Præterea, Gregorius dicit super Ezechielem. Nemo repente fit summus: sed in bona conuersatione à minimis, quis inchoat, vt ad magna perueniat. Sed magna sunt consilia, quæ pertinent ad perfectionem vitæ, minora autem præcepta sunt, quæ pertinent ad communem iustitiam. Ergo videtur, quod non debeant aliqui ad obseruantiam consiliorum, religionem intrare, nisi prius fuerint in præceptis exercitati.* hom. 15. parum à princ.

3. *Præterea, sicut ordines sacri habent quamdam excellentiam in Ecclesia, ita & religionis status. Sed sicut Gregorius scribit Anglorum Episcopo, & habetur in Decretis, dist. 48. Ordinatè ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit qui ad sublimis loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum: Scimus autem quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis sua humore siccentur, ne si ante pondera quam solidentur accipiant, cunctam simul fabricam deponant. Ergo videtur, quod non debeant aliqui ad religionem transire, nisi in præceptis sint exercitati.* In Registro 7. c. 11. ... & habetur d. 48. c. Sicut Neophytus.

4. *Præterea, Super illud Psalmi, Sicut ablactatus est super matre sua, dicit gloss. In vtero matris Ecclesiæ primo concipimur, dum fidei rudimentis instruimur. Inde quasi in vtero eiusdem alimur, in ijsdem primordijs proficientes. Deinde in lucem edimur, dum per baptismum regeneramur. Deinde quasi manibus Ecclesiæ portamur, & lacte nutrimur, cum post baptismum in bonis operibus informamur, & lacte spiritualis doctrinæ proficiendo nutrimur, donec iam grandiusculi à lacte matris accedamus ad mensam patris; id est, à simplici doctrina vbi prædicatur, Verbum caro factum est, accedamus ad Verbum patris in principio apud Deum. Et postea subdit, Quia nuper baptizati in Sabbato sancto, quasi manibus Ecclesiæ gestantur, & lacte nutriuntur vsque* Psalm. 130. ...

ad Pentecosten: quo tempore nulla difficilia indicuntur, non ieiunatur, non media nocte surgitur. Postea spiritu paracleto confirmati, quasi ablactati, incipiunt ieiunare, & alia difficilia seruare. Multi vero hunc ordinem peruertunt, vt haretici, & schematici, se ante tempus à lacte separantes: vnde extinguuntur. Sed hunc ordinem peruertere videntur illi qui religionem intrant, vel alios ad intrandum inducunt, antequam sint in faciliori obseruantia praceptorum exercitati. Ergo videtur, quod sint haretici, vel schismatici.

5. Praterea, A prioribus ad posteriora est transeundum. Sed pracepta sunt priora consilijs: quia sunt communiora, vtpote à quibus non conuertitur existendi consequentia. Quicumque enim seruat consilia, seruat pracepta, sed non conuertitur. Congruus autem ordo est, vt à prioribus ad posteriora transeatur. Ergo non debet aliquis transire ad obseruantiam consiliorum in religione, nisi prius sit exercitatus in praceptis.

Sed contra est, quod Dominus Matthaeum publicanum, qui in obseruantia praceptorum exercitatus non erat, ad consiliorum obseruantiam aduocauit. Dicitur enim Lucae quinto, quod relictis omnibus secutus est eum. Non ergo necessarium quod ante aliquis exerceatur in obseruantia praceptorum, quam transeat ad perfectionem consiliorum.

q. praec. ar. 1. Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, status religionis est quoddam spirituale exercitium ad consequendam charitatis perfectionem: quod quidem fit in quantum per religionis obseruantias auferuntur impedimenta perfecta charitatis. Hac autem sunt qua implicant affectum hominis ad terrena. Per hoc autem quod affectus hominis implicatur ad terrena, non solum impeditur perfectio charitatis, sed interdum etiam ipsa charitas perditur, dum per inordinatam conuersionem ad bona temporalia, homo auertitur ab incommutabili bono, mortaliter peccando. Vnde patet, quod religionis obseruantia sicut tollunt impedimenta perfecta charitatis, ita etiam tollunt occasiones peccandi: sicut patet quod per ieiunium, vigilias, & obedientiam, & alia huiusmodi retrahitur homo à peccatis gula, & luxuria, & à quibuscumque alijs peccatis. Et ideo religionem ingredi non solum expedit his qui sunt exercitati in praeceptis, vt ad maiorem perfectionem perueniant, sed etiam his qui non sunt exercitati, vt facilius peccata vitent, & perfectionem assequantur.

Ad primum ergo dicendum, quod Hieronym. dicit super Matth. Mentitur adolescens dicens, Hac omnia seruaui à iuuentute mea. Si enim hoc quod positum est in mandatis, Diliges proximum tuum sicut teipsum, opere complesset, quomodo postea audiens, Vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus, tristis recessisset? Sed intelligendum est eum mentitum fuisse quantum ad perfectam obseruantiam huius praecepti. Vnde Origenes super Matt. dicit quod scriptum est in Euangelio secundum Habreos, quod cum Dominus dixisset ei, secundũ Habreos, quod cum Dominus dixisset ei, Vade & vende omnia qua habes, cœpit diues scalpere caput suum, & dixit ad eum Dominus, Quomodo dicis, feci legem, & prophetas, cum scriptum sit in lege, Diliges proximum tuum sicut teipsum? Et ecce multi fratres tui filij Abraha amicti sunt stercore, morientes pra fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Itaque Dominus redarguens eum dicit, Si vis perfectus esse, vade, &c. Impossibile est enim implere mandatum quod dicit, Diliges proximum tuum sicut teipsum, & esse diuitem, & maxime tantas possessiones habere. Quod est intelligendum de perfecta impletione huius praecepti. Imperfecte autem, & communi modo verum est eum obseruasse pracepta. Perfectio enim principaliter in obseruantia praeceptorum charitatis consistit, vt supra habitum est. Vt ergo Dominus ostenderet perfectionem consiliorum vtilem esse & innocentibus & peccatoribus, non solum vocauit adolescentem innocentem, sed etiam Matthaeum peccatorem. Sed tamen Matthaeus secutus est vocantem, non autem adolescens: quia facilius conuertuntur ad religionem peccatores, quam illi qui de sua innocentia prasumunt, quibus dicit Dominus Matth. 21. Publicani, & meretrices pracedent vos in regno Dei.

Ad secundum dicendum, quod summum, & infimum tripliciter accipi possunt. Vno modo in eodem statu, & in eodem homine: & sic manifestum est quod nemo repente fit summus, quia vnusquisque recte viuens toto tempore vita sua proficit, vt ad summum perueniat. Alio modo per comparationem ad diuersos status. Et sic non oportet vt quicumque vult ad superiorem statum peruenire, à minori incipiat, sicut non oportet, vt quicumque vult esse clericus, prius in laicali vita exerceatur. Tertio modo quantum ad diuersas personas. Et sic manifestum est, quod vnus statim incipit non solum ab altiori gradu sanctitatis, quam sit summum ad quod alius peruenit per totam vitam suam. Vnde Gregor. dicit in 2. Dialog. Omnes agnoscant à quanta Benedictus puer conuersationis gratia, & perfectione cœpisset.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, ordines sacri praexigunt sanctitatem. Sed status religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam. Vnde pondus ordinum imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis. Sed pondus religionis desiccat parietes, id est homines ab humore vitiorum.

Ad qu[illegible]tum dicendum, quod sicut manifeste ex verbis illius glossa apparet, principaliter loquitur de ordine doctrina, prout

tian-

transfeundum est à facilioribus ad difficiliora. Vnde quod dicit quosdam haereticos, & schismaticos hunc ordinem peruertere, manifestum est ex sequentibus, ad ordinem doctrinae pertinere. Sequitur enim, Hic verò se seruasse (scilicet praedictum ordinem) dicit constringens se maledicto. Sic quasi non modo in alijs fui humilis, sed etiam in scientia, quia humiliter sentiebam, quia prius nutritus lacte, quod est Verbum caro factum, vt sic crescerem ad panem Angelorum, id est, ad Verbum, quod est in principio apud Deum. Exemplum autem quod in medio interponitur, quod nuniter baptizatis non indicitur ieiunium vsque ad Pentecosten, ostendit quod non sunt ex necessitate ad difficilia cogendi, quousque eam per Spiritum sanctum interius ad hoc instigentur, vt difficilia propria voluntate assumant. Vnde & post Pentecosten, post receptionem Spiritus sancti, ieiunia celebrat Ecclesia. Spiritus autem sanctus, sicut Ambr. dicit super Luc. non coarcetur aetatibus, non finitur morte, non excluditur aluo matris. Et Greg. dicit in Hom. Pentecostes, Implet cytharaedum puerum, & Psalmistam facit; implet puerum abstinentem, & iudicem senum facit. Et postea subdit, Nulla ad discendum mora agitur, in omne quod voluerit. Mox enim vt tetigerit, mentem docet. Et sicut dicitur Eccl. 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum. Et Apostolus 1. ad Thes. 5. monet, Spiritum nolite extinguere. Et Act. 7. contra quosdam dicitur, Vos semper Spiritui sancto restitistis.

Gl. cit. in ex.

L. 1. in Luc. lecti de tur. bat. Zac. com. lit. 1. 4.

Ho. 30. in Ev. non remote à fin.

Ad quintum dicendum, quod praeceptorum quaedam sunt principalia, quae sunt quasi fines praeceptorum, & consiliorum, scilicet praecepta charitatis, ad quae consilia ordinantur, non ita quod sine consilijs seruari non possint praecepta, sed vt per consilia perfectius obseruentur. Alia vero sunt praecepta secundaria, quae ordinantur ad praecepta charitatis, vt sine quibus praecepta charitatis obseruari non possint omnino. Sic ergo perfecta obseruantia praeceptorum charitatis praecedit intentione consilia, sed interdum tempore sequitur. Hic est enim ordo finis, respectu eorum quae sunt ad finem. Obseruantia vero praeceptorum charitatis secundum communem modum, & similiter alia praecepta comparantur ad consilia, sicut commune ad proprium: quia obseruantia praeceptorum potest esse sine consilijs, sed non conuertitur. Sic ergo obseruantia praeceptorum communiter sumpta praecedit ordine naturae, consilia: non tamen oportet quod tempore, quia non est aliquid prius in genere, quam sit in aliqua specierum. Obseruantia vero praeceptorum sine consilijs ordinatur ad obseruantiam praeceptorum cum consilijs: sicut species imperfecta ad perfectam sicut animal irrationale ad rationale. Perfectum autem naturaliter prius est imperfecto. Natura enim, vt Boetius dicit, à perfectis sumit initium. Nec tamen oportet quod prius obseruentur praecepta sine consilijs, & postea cum consilijs: sicut non oportet quod aliquis prius sit asinus quam sit homo, vel quod prius sit coniugatus quam sit virgo. Et similiter non oportet quod aliquis prius seruet praecepta in saeculo, quam transeat ad religionem, praesertim quia conuersatio saecularis non disponit ad perfectionem religionis, sed magis impedit.

SVMMARIVM.

1 *Non conuenire quod peccatores assumantur ad Religionem aliqui dixerunt. num. 1.*
2 *Articuli resolutio. num. 2.*

1. FVerunt aliqui tempore D. T. qui dixerunt non conuenire vt peccatores reciperentur in Religionem, quia non debet de extremo, ad extremũ transiri nisi per medium, status autem Religionis est status perfectionis, & obseruantiae consiliorum, ideò oportet vt prius obseruet praecepta, qui vult Religionem ingredi; contra hunc errorem disputat D. T. in opus. 17. & in hoc articulo.

2. Resolutio articuli est, quod ingredi Religionem conuenit nedum exercitatis in praeceptis, sed etiam ijs, qui non sunt exercitati, quia Religionis status aufert etiam occasiones peccandi. vt religiosi facillimè peccata vitent.

SVMMARIVM.

1 *Religiosa obseruantia aufert incentiua cupiditatum. num. 3.*
2 *Affectuum vis magna contra charitatis perfectionem. num. 3. 4.*
3 *Affectus lutum obliniens, & coinquinans. num. 4.*
4 *Brucus, & rubigo animi. num. 5.*
5 *De facili trahunt ad malum. num. 6.*
6 *Studium tendentis in perfectionem est, vt vincat affectus. num. 7.*
7 *Subijci, & radi possunt non euelli. num. 8 9.*
8 *In concordiam redigendi. num. 9.*
9 *Iusti est affectibus non detineri ab itinere virtutis. num. 10.*
10 *Illud medium opportunum ad perfectionem, quod remouet ea, quae affectus augent. num. 11.*
11 *Religiosus status cupiditates subiugat, & earum incentiuum aufert. num. 12. 13.*
12 *Religionem ingredi etiam peccatoribus competit. num. 14. 15.*
13 *Peccatores bene probandi antequam admittantur ad Religionem. num. 16.*
14 *Perfectio principaliter consistit in obseruantia praeceptorum charitatis. num. 17.*
15 *Non est eadem ratio de Ordinibus, & Religione. num. 18.*
16 *Non recipiendus, nisi qui est vocatus à Spiritu Sancto. num. 19.*
17 *Obseruantia praeceptorum prior prioritate intentionis. num. 20.*
18 *Non est necesse prius tempore obseruare praecepta, quam consilia. num. 21.*

Quod status Religiosus sit disciplina compescendi affectus.

INSPECTIO I.

3. PRæmittit verò S. Thomas statum Religiosum esse quoddam spirituale exercitium ad consequendam charitatis perfectionem, quod quidem fit in quantum per Religionis obseruantiā auferuntur impedimenta perfectæ charitatis, hæc sunt autem, quæ implicant affectum hominis ad terrena. Quid enim charitati infestum adeo, & inimicum, quam terrena concupiscere? & quid tam valide charitatem impugnat, quam huiusmodi mundi affectiones, à quibus vix fortiores non superantur? Hoc Ambrosius considerauit, explicans illa verba Psal. 118. *Paulominus consummauerunt me in terra. Discamus*, inquit, *causa*, *quem gerimus. Hic nobis hostis domesticus, hic inimicus grauis est nostri ipsius corporis. Inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occursantis accenditur, spe alitur, desperatione vritur, illecebris exuritur, non euaporat affectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, lasciuia dissoluitur, labore afficitur, sollicitudine fatigatur, passione cauteritur. Miraris si inter tot aduersarias passionum vices se etiam iustus tenere vix possit, cum impares simus etiam singulorum certamini? Quem vel sola libido non vendicet? Quem non subiuget auaritia? Quem formido non quatiat? Quem luxuria non eneruet? Quem lasciuia non emolliat? Quem non supplantet ebrietas? Quasi Conscius igitur carnalis infirmitatis, & explarator persequentis hostilis, dicit; Paulominus consummauerunt me in terra.*

4. Propterea idem *Ambros. l. de Noe cap. 17.* Dixit quod turbidis passionibus, & procellosis consummatur anima. *Et lib. de bono mortis cap. 3. Multas igitur*, inquit, *occupationes nobis corporis huius necessitas gignit, atque vsus inuehit, quibus impeditur animæ vigor, ac reuocatur intentio. Vnde de se pulchrè dicit Sanctus Iob. c. 10. memento quod sicut Lutum me finxisti. Si ergo lutum est corpus oblinit nos vtique non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ: corium, & carnem me, inquit, induisti, ossibus, & neruis intexuisti. Ligatur itaque, & distenditur anima nostra istius corporis neruis, & ideò interdum rigescit, sæpè curuatur.*

5. Sed eruditè admodum damna affectuum terrenorum demonstrauit *S. Paulinus Epis. 2. ad Aprum.* Explicans illud *Ioel. 1. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruci comedit rubigo. Sunt enim*, inquit, *in corpore nostro principalia totidem incentiua vitiorum, spes, metus, gaudium, dolor, quibus maximè genus turbatur humanum, duobus præsentibus, & duobus futuris, præsentibus ægritudine animi, vt gaudio, futuris metu, vt spe. Vnde cauendum est ne dum alterum ex his vitium fugimus, incurramus in contrarium. Ergo in Eruca, & locusta, & bruco, & rubigine nostrorum affectuum intelligenda sunt passiones. Quarum alia breuiter in corde hæreant, alia paulatim crescant, & si abiecta non fuerint vsque ad medullas perueniant, & omnem succum ebibant animæ. Vide enim qualiter ista sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidens vitia monstrorum. Nam V. G. si quid vetitum concupiscam, & mox abijciam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa si abiecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, & cœperit abijci, & redire crebescat, locusta est euolans, & reuertens. Quod si cœperit immorari, & maius habuerit spatium in comedendo, quam euolando bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus, quod non satis euolat, sed magis sedet, non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur, qua iam penitus inhærescens vt de stipula, sic de anima numquam aut difficile expellitur.* Sic & *S. Ambrosius in proœm. Euang. Lucæ* in fine vsus similitudine æruginis affectuum terrenorum mala demonstrauit dicens. *Est etiam ærugo animi cum sæcularium sordibus cupiditatum, religiosa acies intentionis obducitur, aut fidei puritas decoloratur nube perfidiæ. Ærugo mentis est rei cupiditas familiaris: Ærugo mentis incuria est: Ærugo mentis est appetentia dignitatum, si in his summa spes vitæ præsentis locetur.*

6. Ideò ij, quos terrenorū occupat amor facillimè ad vitia pertrahuntur, & pulchrè S. Hippolitus Martyr. *Orat. de consumat.* sæculi considerauit non esse mirum si in fine mundi facillimè characterem Antichristi recipient homines, *siquidem tūc illigati rebus vitæ, ac desiderio huius sæculi, perfacilè adducentur ad diabolum, & signabuntur.* Et iuuenis ille, quem Christus ad se vocauit, exemplo suo, & experimento cōprobauit, quā insolubilia sint cupiditatis vincula, quibus animus ad terrena cōstringitur, & ne ad cœlestia se moueat impeditur. Hoc considerauit *S. Orsiesis mon. in regula de instit. Monast.* dixit Christus. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. &c. Matt. 19. Quod adolescens audiens conuersus est retro, nō enim erat vellū cor ipsius, & ideò non potuit grauem diuitiarū sarcinā deponere. Habebat quidē voluntatē, vt scriptura testatur, perfectæ vitæ, & splendore virtutū trahebatur ad laudē, sed retrahebant eū currentē diuitiæ, neq; poterat Saluatoris audire doctrinā, quia adhuc de mūdi delitijs cogitabat.*

7. Illius propterea, qui perfectionē Charitatis obtinere cupit, totū studiū in hoc positū esse debet, vt affectus moderetur, & vincat, qui nisi superentur messis virentium arescit, & sterilescit anima. *Si quādo* (dicebat Euseb. Gallic. *hom. 8. ad* Monachos) *terræ operarius, & rudis cultor agrū suū seminibus præparat, nō sibi sufficere putat rudē cāpū vomere proscidisse, & assiduo aratro duras edomuisse glebas, ac sulcis frequentibus cōfecisse, sed insuper studet agrū illū infecundis germinibus emūdare, noxijs euacuare roderibus spinarū, stirpiū fomites excussa radice cōuellere, sciens terrā suā sine purgatione mali germinis, boni feracem esse nō posse, ad se dictū putans illud, quod ad spiritualem agricolam pertinet. Nouate vobis noualia, & nolite serere super spinas. Hier. 4. Osee 10. Ita & nos, qui Dei agricultura effecti sumus, &c. non nobis sufficere putemus terram corpus nostri, vigiliarum exercitijs edomare, vel ieiuniorum laborē confricare, sed in primis mentem extirpatione vitiorum mundare contemur, circumcidere mores, excidere passiones, eradicare superbiam, plantare humilitatem, effodere iram, fundare patientiam, amputare inuidiam, inserere beneuolentiam, & huiusmodi virtutibus agrum cordis, quasi quibusdam bonæ frugis fœcundare seminibus. Cæterum si caro cōteritur, & anima non fructificat, simile est, ac si arari cāpus non desinat, & nūquā tamen messis appareat. Et infra: Quod si solum laboret corpus, & spiritus noster repugnet, quid prodest passiones impugnari à famula*

mula, qua pacē inuenītac habere cū Domina, &c. Si enim interior victus est, vterq; captiuus est. Quid prodest si extra Ciuitatem geramus bellum, & intus patiamur excidium.

8. Non verò existimet homo; se hos charitatis hostes extinguere posse, *emolire potest*, dicebat Ambros. *lib.* 1. de *Iacob. cap.* 1. *eradicare non potest, quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionum Dominus, sed repressor, &c. sicut Propheta nos docet, dicens, Irascimini, & nolite peccare Psal.* 4. *Concessit, quod natura est, negauit, quod culpa est, &c. denique quem dictis hominibus meliorem, & fortiorem assumemus, quam Sanctum Dauid, qui cupiditatem, qua concupiscecat aquā in dicto Locu Bethleem hostili interclusam exercitu, sibi auferre non potuit mitigare, &c. qua res inditio est, quod concupiscentia quidem rationem praueniat, sed ratio cupiditati resistat. Humani itaque quid passus est Dauid, vt irrationabiliter concupisceret, sed illud laudabile, quod irrationabilem concupiscentiam rationabiliter parato frundauit remedio.* Quod & considerauit Greg. *l.* 5. *Moral. cap.* 84. exponens illud *Leuita radunt omnes pilos carnis sua. Num.* 8. *Leuita quippè*, inquit, *assumptus vocatur. Oportet ergo leuitas omnes pilos carnis sua radere, quia is, qui in obsequijs Diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram anima speciem quasi pilis fructificantibus deformem reddat, sed quantalibet, vt diximus, quempiam virtus Sancta conuersationis enixerit, adhuc tamen ex dicta vetustate vita nascitur, quod tolleretur, vnde & ipsi Leuitarum pili radi pracepti sunt non euelli. Rasis enim pilis in carnes radices remanent, & crescunt, vt iterum radantur, quia magno quidem studio superflua cogitationes amputanda sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt, semper enim caro superflua generat, qua semper spiritus ferro sollicitudinis recidas.*

9. Cum igitur affectiones huiusmodi pœnitus euellere non possimus, contra illas continuum nobis remanet bellum. Militia est vita hominis super terram, continuum bellum est, cuius victoria non est prosternere inimicos, sed sibi subijcere, non interimere, sed in suauem concordiam componere. *Negare tamen non possumus*, dicebat Ambros. *lib. de bono mortis cap.* 7. *quod, anima, compatiatur corpori suo, nam & contristatus siquidem Iesus ait. Tristis est anima mea vsque ad mortem Matt.* 26. *affectum hominis in se exprimens, & alibi, anima mea turbata est. Io.* 12. *Siquidem & modulator modulis suis, aut tibia, aut Cythara, aut organi voce, gestu, affectuque compatitur. In tristibus sonis tristior, in latis latior, in acutioribus excitatior, in ipsis mitioribus mitior, atque mansuetior, vt sonos cantuum ipse commendet, & quodammodo moduletur affectus. Anima quoque in hoc corpore tamquam fidibus musicis, qua sobria est, cum summis; vt ità dicam, digitis velut neruorum sonos ità pulsat corporis passiones, vt consonum reddat morum, atque virtutum, consentientemque concentum, vt in omnibus cogitationibus suis, in omnibus operibus id custodiat, vt Diuina consilia, & facta sibi concinnant.*

10. Concentus igitur vitæ iusti in hac vita non est sine molli tono concupiscentis carnis, neque sine asperitate irascentis appetitus. Virtus in concordia, & temperamento passionum dulcem armoniam resonat, nec in eo splendet illi probata innocentia, vt in se nullum insultantis carnis sentiat sensum, sed in eo, quod affectus sic habeat rationi subordinatos, vt non impediatur ab illis, quin recto itinere tendat in Deum. Quod ostendit Greg. *l.* 7. *Moralium cap.* 14. considerans, id, quod de vaccis deducentibus arcam Dei legitur 1. *Reg.* 7. *Ibant in directum vacca per viam, qua ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinantes, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ecce enim reclusis domi vitulis, Vacca*, quæ sub arca Domini plaustro relegantur *gemunt, & pergunt, dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt: sic sic necesse est, vt incedere debeant, qui Sacra Legis iugo suppositi, iam per internam scientiam Dei arcam portant: quatenus per hoc, quod propinquorum necessitatibus condolent, à capto rectitudinis itinere non declinent, &c. Intueri libet beatum Iob, quo diuini timoris iugo colla cordis attriuerat, sub quanto discretionis moderamine diuina scientia arcam portat. Amissis namque vitulis mugit, quia audita morte filiorum in terram tonso capite corruit, sed recto tamen itinere mugiens graditur, quia ei eius in gemitu ad omnes laudes aperitur.*

11. Cum ergo certum sit terrenarum affectiones sanctitatis hostes in hac vita non extingui, in eoque sanctitatem consistere, vt homines in perpetuo bello, nunquam non victores existant, bene euidens est, illud cuicumque esse opportunum medium ad sanctitatem, quòd maximè valet, vt affectiones terrenas sanctitatis inimicas, si non extirpet, cadat, diminuat, extenuet incuat, remouendo illa, quæ huiusmodi affectiones fouere valent, augere, eisque vigorem, & robur tribuere.

12. Talis est Religionis status. Nam teste Io. Apost. *in p. Epis. cap.* 2. omne, quod est in mundo; aut cōcupiscētia carnis est, aut cōcupiscētia oculorū, aut superbia vitę, quod est dicere, ad hæc tria genera reduci omnia terrena desideria, quia aut sunt carnaliū voluptatū, aut diuitiarum, aut dominationis, & gloriæ; status vero Religionis per tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ concupiscentias huiusmodi omnes abdicat, & retundit, & per alias regulares obseruantias abundantius aufert, quæ huiusmodi mala gemina possent augere; & propterea, & tollit impedimenta perfectionis, & aufert peccandi occasiones. Quod inter alios demonstrarunt Sancti Io Chris. & Hier. Ille *l.* 3. *contra vituperat. Vita Monastica* sic dicens. *Monachi conuersationem planè calestem elegerunt, nihilque deterius Angelis affecti sunt. Vt enim illis nulla inest inequalitas, nec alij successibus secundisque rebus gloriantur elati, alij extremis malis, & incommodis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio, & quiete, summaque illa, & calesti gloria exultant, ita fieri quoque perspicius in Monasterijs; nullus ibi paupertatem exprobrat; nullus diuitijs honestior est. Inde id, quod omnia peruertit, & perturbat meum, & tuum penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, vnus etiam idemque omnibus animus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi: vna omnibus illic*

diuitiæ, quæ veræ diuitiæ sunt. Vna gloria, quæ vera gloria est. Non enim in appellationibus, sed in ipsis rebus bona eorum consistunt, vna ibi voluntas, &c.

13. Sanctus Hieron. verò lib. aduer. Vigilantium cap. 6. subdens. *Monachus autem non docentis, sed plangentis habet officium, qui, vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum: qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur, vnde, & mulierum maximeque adolescentularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Cur inquies pergis ad Eremum, videlicet vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis; hoc non est pugnare, sed fugere: Sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt postquam viceris, coroneris; fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui. Si stetero aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu, qui pugnas, & superari potes, & vincere; Ego cum fugero non vincar in eo, quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar, nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri, vt me non mordeat; tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Matres vocamus, sorores, & filias, & non erubescimus vitijs nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? Quid sibi volunt sola, & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia, quæ vitantur solitudine, & idcirco Vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluntas.* Status igitur Religionis, qui ex professo occasiones peccandi aufert, & remouet charitatis Dei impedimenta, de se omnibus competit, tanquam commune bonum, quod peccatoribus sit simul, & locus pœnitentiæ, & aduersus diabolum portus, Turris, & munimen, iustis verò sit desertum Christi floribus vernans, cella vinaria sponsi Cœlestis, in qua ordinata charitas feruet.

14. Merito igitur ex huiusmodi principijs D. T. concludit, quod Religionem ingredi expedit nō solum his, qui sunt exercitati in præceptis, vt ad maiorem perfectionem perueniant; sed & his, qui non sunt exercitati vt faciliùs peccata vitent, & perfectionem assequantur. Hanc veritatem supposuit fructuosus in regula cap. 19. instituens qualiter grauis peccator veniens ad religionem se habere debeat, qui inquit, *grauioribus culpis se deliquisse cognoscunt, primum eos optamus regulæ collo submittere, sub probatissimo Abbate, in monasterio desudare, & cuncta retro acta peccata, tanquam ægrotus medico spirituali seniori manifestare, & sicut publice peccauerunt, publicè pœnitere, & pœnitenda vltro non committere: timorem de supplicio, amorem de Regno, spem de misericordia habere, & nunquam desperare; quia in vltimo est extremo vita iustificare, aut condemnare. Scriptum est enim; Ipse iudicabit extrema terræ. Vnumquemque Dominus in fine, aut iustificat, aut condemnat, & vniuersorum finem ipse considerat: Vt nec peccator, si fortiter ingemiscit, desperet veniam, nec iustus de propria sanctitate confidat. Nihil prodest, si aliquis de Regno hodie subtractus, à Regni potentia exclusus, ferro constrictus hodie carceri est mancipatus, ita nihil obstat, si hodie à carcere quis rapitur, & in regali honore constituitur, nullus ei sordes carceris imputat, sed hoc solum laudat, quod in eo micatur. Sic nihil prodest iusto bene viuere, & male vitam finire; Ità magnum bonum est peccatori ad pœnitentiam redire; olim male viuere, & postmodum bene finire, à nullo retro acta peccata imputata habere, Credimus iudicem, qualem in fine inuenerit talem coronare, aut certe damnare. Et quamuis sint grauia delicta, non est tamen illico de Dei misericordia disperandum. Liquido ergo cognoscimus publicanos, & peccatores nullo præcedente merito, qui futuri per iustitiam erant damnandi, gratuita miseratione per breuem pœnitentiam esse redemptos. Sed non est in eis tam consideranda mensura temporis, quam doloris. Agat ergo vnusquisque dignam pœnitentiam secundum qualitates culparum, vt quis in quo delicto se esse cognoscit reum, de eo delicto necesse est obseruare primum secundum instituta canonum.* Quæ verba considerans *Hugo Menardus* in concordia regularum *cap.* 65. §. 16. conclusit, quod non modo qualescumque peccatores, sed etiam ij, qui grauiorum scelerum conscientia stimulantur, in Monasterium admittendi sunt, si non simulata errorum pœnitentia ducuntur, Christus clamat; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Laborantes sunt ij, qui medincribus vitijs affecti sunt, onerati, qui scelerum pondere premuntur, & incuruati sub fasce gemunt, Non est obserandum claustrum ei, cui Deus aperit Cœlum. Christus ipse publicanos, & conclamatos peccatores ad se vocauit. In historijs Ecclesiasticis, & vitis patrum legimus prostitutos, & perditos homines, immanes parricidas, & latrones, & proscriptas libidinis lupas ad Christum tandem conuersos pœnitentiæ beneficio in Sanctissimos euasisse. Hi sunt Thesauri bonitatis patientiæ, & longanimitatis Dei, qui diues in omnes, qui inuocant illum, cuius manus non est abbreuiata: cuius opus misericordia; cuius sanè non est numerus; nam miserationes eius super omnia opera eius. Præstantissimi est medici deploratos curare morbos, humanissimi Saluatoris ex sentina, & pollubro vitiorum peccatores extrahere, & magnificentissimi regis est de terra inopem, & de stercore erigere pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui.

15. Isidorus quoque *lib. de conuersis cap.* 3. peccatorem conuersum ad statum religiosum infrascripto discursu edocet. *Quisque conuersus si mox carnales stimulos calcare cupit, & summa virtutum subire contendat, si forte adhuc aliqua aduersa de carnis molestijs toleras, non frangatur: quia dispensator bonorum nouit aduersitatis reprimere vitium successione virtutum. Tunc magis grauiori se quisque impulsu vitiorum agnoscit, dum ad cognitionem Dei accesserit. Sicut populus Israel grauiore onere ab Ægiptijs premitur, dum per moysen diuina illis cognitio aperitur. Vitia enim ante conuersionem quasi pacem in homine habent: quando autem expelluntur, acriore virtute consurgunt, fiunt autem inimica conuerso, quæ peccatori prospero blandiebantur, atque item fiunt blanda conuerso, quæ peccatori aduersa exti-*

sitrruat. Multos habet conflictos Dei seruos ex recordatione operum præteritorum, multique post conuersionem, etiam nolentes motum libidinis sustinent: quod tamen ad damnationem non tolerant, sed ad probationem, scilicet vt semper habeant pro excutiendo inertia hostem, cui resistant, dummodo non consentiant. Idem præstitit S. Anselmus carmine de contemptu mundi, & vita monachorum sic canens.

Venistis domino vestros conuertere mores,
Iam non peccetis, sit modus, & vitijs.
Nunc humilis viuat, qui viuerat ante superbus,
Sit Castus, quis quis luxuriosus erat.
Quærebat census aliquis, captabat honores,
Hinc iam vilescant census, honorque sibi.
Gaudebat dapibus, gaudebat diuite mensa
Nunc tenuem victum sobria mensa dabit,
Ipse suis lætus successibus esse solebat
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis, & auro
Veste modo vili squalida membra tegat,
Verbosus taceat, mitescat feruidus ira
Inuidus inuidia dira venena vomat,
Cuique prius cædes placuit, placuere rapinæ,
Nunc pius, & mitis pacis amator erit.
Quis quis adulantum ventosa laude tumebat
Nunc hominum laudes æstimet esse nihil,
Et qui sponte malos, gratisque nocere solebat
Nunc etiam lætus vtilis esse velit.
Ad lites fuit hic facilis, ad iurgia præceps
Fortiter alterius, nunc maledicta ferat
Non hunc contemptus, non hunc iniuria frangat
Omnia robusto corde molesta ferat.
Pax animæque quies inter conuiuia duret.
Nam fortem rerum nulla procella mouet.
Hæc veniam fratres conuectio vera meretur;
Hec valet offensum flectere vita Deum.

Et Sactus Basilius in regula cap. 6. proposita sibi quæstione *si oportet omnes, qui veniunt ad nos suscipere, aut cum probatione, aut qualis ista debet esse probatio? Cum Dei clementia omnes vocet, & per illam prædicationem, quæ dicitur. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Resp. *Non est absque discrimine abijcere quempiam venientem ad nos. Veruntamen neque immundis (vt aiunt) pedibus indulgendum est introire quempiam in Sanctam doctrinam; sed sicut Dominus noster Iesus Christus iuuenem illum, qui ad se venerat, interrogauit de priore vita sua; & cum audisset, quia secta ei transacta esset, quod deerat ei, præcepit adimplere: Et ita demum sese eum sequi. Ita etiam nos oportet inquirere de præterita vita, & conuersatione: ne forte simulata quis mente, & fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoscitur, si facile omnem laborem corporis, qui iniungitur ferat, & ad castitatem vitæ pronus inclinatur: Vel si etiam delictum aliquod suum, cum interrogatus fuerit, non pronunciare confundatur, & medelam delicti, quæ adhibita fuerit, grauiter adsumit, & si ad omnem humilitatem absque vlla verecundia inclinatur, ac vilioribus, ac abiectioribus artificijs (si id ratio poposcerit) tradi se non aspernatur. Cum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus, quia firma mente, & stabili consilio, ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Et prius quam corpori fraternitatis inseratur, oportet ei iniungi quædam laboriosa opera, & quæ videantur opprobria haberi à secularibus, & obseruari oportet, si diligenter hæc, & liberè, & fiducialiter expleat, nec confusionem eorum grauiter ferat, vel etiã si in labore impiger inueniatur ac promptus.*

16. Et sic duo vera sunt. Primum quod à Religionis ingressu nec peccatores excludi debent, vt asserit hic D. T. & probat abundè opus. 17. de cap. 1. ad 7. & Ecclesiæ praxis confirmat. Et secundo nihilominus, quod vt etiam aduertit hic *Caiet. ad secundum*, nec statim peccator est admittendus, sed inquirendum est de præteritis eius vita, non quia, si appareat fuisse plena vitijs, petens habitum sit excludendus sed vt ait S. Basilius ne simulata quis mente, & fallaci animo accedat; quod valde timendum est de peccatore consuetudinario, & ideò huiusmodi non debent recipi nisi prius varijs modis probati, quoniam alias timendum est, ne & ipsi non proficiant, & alios suis vitijs inficiant. Cæterum memoriæ habendum est illud *S. Prosper. Sent. 184. non est desperandum pro malis, sed pro ipsis, vt boni fiant, supplicandum, quia numerus Sanctorum de numero semper est auctus impiorũ*, & illud *S. Basil. in reg. fusius disput. interr. 10. In verum natura nihil est, quod non diligentia corrigatur, neque vitium adest illud adeò graue, quod non Dei timore peruincatur*. Ideò quia nulla est tam inueterata consuetudo mala, quæ Dei gratia, & timore, atque laboris assiduitate non peruincatur, non sunt peccatores statim à claustrali disciplina reijciendi. Exerceri tamen debent durioribus laboribus, & diligentissimè eorum mores explorandi. Religiones verò, in quibus non viget regularis obseruantia, minus sunt aptæ ad recipiendos peccatores publicos, & habituatos in malo à longo tempore. Facilius enim est quod in illis mala peccatoris consuetudo à vita Religiosorũ laxiori non superetur, sed potius quod, nec ipse peccator proficiat, & suo exemplo alios ad malum inducat.

17. In responsione ad primum, &c. Non dicitur quod perfectio consistat in sola obseruantia præcepti charitatis, sed quod consistit in ea principaliter, Omnium enim præceptorum obseruantia est de essentia perfectionis, vt dictum est supra q. 184. a. 3. n. 82. & seq.

18. Argumentum tertium comparat religionem ad Ordines Sacros, vt sicut ad Ordines ob eorum excellentiam promoueri non debet nisi exercitati in obseruantia præceptorum ità nec ad Religionem. Responsio autem negat paritatem, quia Sacri Ordines præexigunt sanctitatem, quam non præexigit religio, quæ est exercitium acquirendæ sanctitatis.

19. Maximè vero admittendum est, quod dicitur in responsione ad quartum, scilicet, quod non prohibeantur, & reijcientur à Religione, quos Spiritus Sanctus vocat, Et ideo vbi facta diligenti, & sufficienti inquisitione cognoscitur aliquem vocari à Spiritu Sancto, debet religio ex parte sua Spiritui Sancto cooperari, quia aliter spiritum extingueret, & ei resisteret.

20 Tota responsio ad quintum consistit in hoc quod præceptorum obseruantia est prior obseruantia consiliorum prioritate intentionis; seu perfectionis, & communitatis, sed non necessario prioritate temporis, quia non est necesse, quod detur species imperfecta prius tempore, quam perfecta, sicut quod aliquis prius sit asinus, quã homo,

vel

De impedimentis quæ ex defectu personali detinent ne aliquis ad ad Religionem recipiatur.

INSPECTIO II.

21. SIc explicata litera D.T. & supposita conclusione articuli, ex qua habetur, quod peccatũ præteritum non excludit à susceptione Religiosi status; quia nihilominus ex iure positiuo edito post Sanctum Thomam aliqui peccatores exclusi sunt à Claustris, & alij etiam personales defectus sunt, quæ reddunt vel inhabiles, vel minus habiles ad vitam regularem intra Claustra suscipiendam, videndum est, quales sint isti defectus. Ad duo vero genera reduci possunt omnia impedimenta suscipiendi regularem habitum, vel scilicet quia sint aliqua naturalis, aliqua positiui iuris; Vel quia aliqua sint ex personali defectu personæ, non habentis requisita ad statum Religionis, vel quia persona non sit sui iuris, sed sit alteri obligata nec de statu suo valeat disponere; quia verò de istis impedimentis quæ oriuntur ex eo quod aliquis non sit sui iuris, erit sermo infra *artic.6.* In præsenti videndum est, quæ sint impedimenta, quæ ortum habent ex inhabilitate, seu defectu alicuius.

22. Per se loquendo enim, quilibet potest esse Religiosus *Suarez t. 3. de Relig. l. 5. c.4. n.1.* Christus enim qui omnes ad se vocauit, dicens *Matt 11. Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, nullum ad se venientem reijcit, & quamuis non vna sit via, quæ nos ducit ad Christum, quod hæc vel illa via non sit apta huic, vel illi non est nisi ex personali illius conditione, aut qualitate. Et sic quod Religiosus status non sit aptus alicui, vt per illum veniat ad Christum hoc non est vel ex natura talis status, vel ex humana conditione per se, sed ex aliqua eius particulari conditione, siue hæc sit naturalis, siue moralis, & libera.

23. Nam primo de iure naturali vir est inhabilis vt profiteatur in Monasterio mulierum, & mulier in Monasterio virorum. *Nauar. cap. 47. de Regular. Syluest. v. Religio 3. n.9. Suarez tom.3. de Relig. l. 5. c.4. n. 2. Lezana p.1. cap. 2. n. 20. Tambur. tom. 3. disp. 6. quæst. 3. n. 20. Sa v. Religio n. 30. Rodriq. in sum. p. 2. c. 6. nu. 14. Henriq. lib. 14. c. 8. num. 6. in commen. lit. A. Vech. disp. 5. dub. 1. n. 5.* Hoc enim est contra præceptum castitatis, quod viri simul cum mulieribus intra eadem claustra clausi viuant, quia moraliter loquendo est impossibile, quod inter eos seruetur castitas. Verùm enim est, quod dixit *S. Cyprian. de singul. Cleric. Qui volunt*, inquit *diuites fieri, incidũt in tentationem, & in muscipulas diaboli, & desideria multa, & inutilia, & noxia, quæ mergunt homines in perditionem, & in interitum 1. Tim. 6. Non aliter tentationibus subiacet, qui iunctus est fœminæ: in qua nihil est aliud nisi quod fuerit proximantem: aculeus peccati facta est forma fœminea: & mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia.* Et infra. *O quam inordinabilis fœmina propinquitas iaculatur, cuius victima est delectorum latrocinium. Non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam flatibus turbulentas. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam non nisi discordantes inimicitias creat.* Et infra. *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo atteritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Contra rectam rationem igitur, & contra finem Religionis est, vt intra eadem claustra vir cũ mulieribus, vel mulier cum viris viuat, & cohabitet, & propterea illicitum est ex iure naturali, vt in Religionem mulierum vir, vel in Religionem virorum mulier recipiatur, & graue peccatum esset tam recipientium, quam receptorum, si hoc attentarent. *Cap. Diffinimus. 18. q. 2. ex 7. synod. cap. 10. & cap. In nulla ex S. Gregorio, & cap. Monasteria, ex Concil. Agaten. cap. 8. & cap. In decima. ex Concil. Hispal. 2. cap. 11. eadem causa, & quæst.*

24. Hinc idem dicendum de Hermaphroditis, qui ad quamcumque Religionem sunt inhabiles, etiam si in vno sexu præualeant, quia cum vtrũq; sexum habeant, non conuenit vt inter fœminas sint habentes virilem sexum nec inter viros habentes muliebrem. Vnde illicitum est Hermaphroditam in aliquam Religionem vel virorum, vel mulierum admitti. *Sanchez l. 5. in Decal. cap. 4. n. 41. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 3. n. 21. Donatus p. 4. tr. 3. q. 23.* Quamobrem Hermaphroditus occultus grauiter peccat, si in aliquam Religionem procurat ingredi, quia ad quamcumque est ineptus. Sed videnda sunt, quæ infra dicuntur in tractatu de professione.

25. Secundo ex lege naturali inepti sunt vt recipiantur, qui ita viribus corporis sunt destituti, vt obseruantias regulares sustinere non valeant. *Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 4. n. 18. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 3. n. 24.* Ideo non sunt recipiendi valdè senes, & impotentes. *Suarez n. 16. Tambur. n. 24. Donatus p. 4. tr. 3. q. 25. Sanchez lib. 5. in Decal. cap 4 num. 52.* Vnde morbo Gallico laborantes vel malè habitualiter affecti recipi non debent. *Donatus d. q. 25.* sicut nec cæci, surdi, vel muti. *Bordon resol. 54. n. 39. Bassæus Relig. 2. 11.* Item nec *Claudi, Gibbosi, Erniosi*, difformes, & similes. *Donatus d. tr. 3. q. 26.* Verùm circa huiusmodi laborantes aliquo vitio corporis considerandum est, quod non sunt impediti ad substantialia Religionis, quæ in obseruantia trium votorum consistit, cum huiusmodi obseruantia maximè consistat in voluntate libera, quæ corpori non subiacet, consistit enim obseruantia votorum in abdicatione libera dominij rerum, concupiscentiæ carnis, & propriæ voluntatis; nullus ergo ex istis corpore vitiatis est impotens ad substantiales obseruantias Religionis; aliæ verò obseruantiæ votis superadditæ non obligant impeditos, vnde ad illos infirmi non tenentur. Ideo simpliciter loquendo ex vitio corporis nullus est ineptus ad statum Religiosum. Et nihilominus quod isti non sint recipiendi, & multiplici capite oritur. Primo ex eo quod corpore vitiati, & deformes sint irregulares, & quidem irregularitate, quæ non tollitur per professionem, vnde isti cum sint impediti ad ordines recipiendos, sunt simul impediti ne recipiantur in Clericos. Sed hoc impedimentum iam non est vniuersale, quia non impedit susceptionem habitus Conuersorum, vel etiam habitus

Cleri-

Clericorum ad honorem, non promouendi ad ordines, vel demum si super irregularitate fuerint dispensati. *Bordon. res.34. num.40.* Sic enim, & in Ord. Prædicatorum, vt aduertit *Festus in summar. p.s. c.4. fin. ex Gloss. const. dist.2. cap.15. de Conuersis lit. C.* si quis esset nobilis literarum ignarus, qui propter suam claritatem reciperetur ad habitum clericalem, iste non ad persoluendas horas conueniens, sed ad recitanda Pater noster teneretur. Potest igitur aliquis admitti ad habitum clericalem, & non ad clericorum munera, & huic nihil obesset irregularitas.

26. Secundo vitium corporis impedit a susceptione habitus religioni ratione alicuius indecentiæ, seu etiam inhonestatis. Verum non omne vitium corporis hanc indecentiam fert: Nam imo vitia ista, quæ ex nulla culpa vitiati proueniunt, vt cœcitas surditas, claudicatio, &c. deseruiunt humilitati, & contemptui sui ipsius, qui maximè Religiosos decet. Et considerandum quod Pater familias Euangelicus nullam indecentiam iudicauit, claudos, concos, & debiles habere commensales. Sic enim magnus ille Pater familias, qui cœnam magnam præparauerat, seruo suo præcipiens, vt inuitaret eorũ cõmẽsales, dixit. *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Lucæ 14. Vbi Ambros. *Inuitat*, inquit, *pauperes, debiles, cæcos, quo ostenditur nobis, vel quod nullum debilitas corporis excludat à regno, rariusque delinquat, cui illecebra desit peccandi.* Nam, & ex vltimis his verbis Ambrosij deducitur corporis debilitatem, & infirmitatem esse medium valde proportionatum ad peccata fugienda, & perfectionem obtinendam. Vnde idem Ambros. *lib. primo de Iacob, cap.8.* reprehendit eum, qui existimat infirmitates esse sibi ad seruiendum Deum impedimenta, sic discurrens. *Sed forte aliquis putet ægritudinem, atque imbecillitatem corporis impedimento esse ad perfectionis munus implendum, eo quod non possint ad opera manuum factaque procedere. Verum ea sibi iustus impedimento esse non sentiat, imo etiam eum, qui illa miserabiliter defleat, corripiat, & quasi ignauum arguat, quod plus in corporis vsu, quam in animo virtute constituat.* Sine indecentia ergo, & claudi, & cœci, & debiles; & viribus corporis destituti intra Claustra Cælestis patrisfamilias conuiuio spirituali intersunt, nec magis sani corpore, quam infirmi participes sunt gratiæ Spiritus Sancti, aut magis ad perfectionem currunt. Ideo ex capite indecentiæ non possunt huiusmodi corpore vitiati excludi à Religione. Vbi tamen corporis infirmitas est ex peccato, vt morbus Gallicus, ratione in honestatis peccati, quam morbus significat, indecentiam quandam secum fert, quæ in Religionis dedecus non paruũ cedit. Ideò isti non sunt recipiendi, nisi manifesta præteritorum peccatorum pœnitentia culpæ inhonestatem lauerit. Quam etiam abstergere valet qualitas sanctitatis, vel Doctrinæ excellentis. *Bassaus v. Religio 2. num.11.*

27. Tertia ratio ob quam vitium corporis potest esse impedimentum susceptioni habitus Regularis est incommoditas Monasterij in alendo eum, qui ad munera ordinaria Religionis non est idoneus, nec sibi panem lucrare potest per exercitia corporalia propria Religiosorum, & vlterius necessarium forsan sit habere, qui infirmo adsit illique seruiat. Sed considerandum quantum ad hanc partem, quod multitudo horum debilium, seu corpore impeditorum nimis esset Religioni nociua, quia non haberet, qui proprias operationes exerceret, vt in Religionibus habentibus chori obligationem, si magna pars esset cœcorum, vel surdorum, vel infirmorum, esset causa maximi detrimẽti, quia magna pars ad choralem Psalmodiam esset inepta. Sed rariores sunt inter homines isti corpore vitiati, & debiles, qui habitum Religiosum petant; qua supposita raritate, & ita vt non desint sani ad onera religiosa apti, si aliquis ex his infirmis, aut corpore vitiatis suum deferat alimentum poterit recipi. *Bordon d. resol. 54. num.40.* Sicut, & recipi poterit, si sit excellentis doctrinæ, aut sanctitatis. *Bassæus v. Religio 2. num.11.* Et sic vitium corporis purum, nec est impedimentum obseruantiæ votorum, nec præbet obstaculum acquirendæ perfectioni; sed potius infirmitas corporis ad id iuuat. Quatenus vero sit impedimentum ad ordines, non impedit statum Religiosum eorum; qui non petunt promoueri ad ordines, & est impedimentum, quod tollitur dispensatione. In quantum vero secum defert damnum temporale, & pretio estimabile, potest tolli per temporale subsidium. Itaque superiores, & alij ad quos spectat bono religionis intendendere cauere debent, ne per receptionem horum Religionem grauent, vt sic obligata alere inutilem ad externas, & proprias Regulæ operationes. Et qui petit habitum grauiter peccat, si decipiat Religionem habens aliquod huiusmodi impedimentum occultum. Et non dico, quod teneatur defectum suum propalare, quia imo, & hoc forsan inutiliter faceret, & etiam illicitè, si in hoc pateretur damnum aliquod graue in fama, vel honore, sed dico quod tenetur non petere habitum, seù tenetur non decipere religionem. Ex his vero corpore vitiatis vnus magis alio habet repugnantiam ad statum Religiosum, maxime si plura vitia habeat, vt si sit cœcus, simul, & surdus, aut mutus. Nihilominus pensatis pensandis si ex circumstantiis receptio ad habitum alicuius vitiati corpore, aut infirmi sit honesta, poterit recipi absque culpa. In ordine Prædicatorum inter multa, quæ petuntur a recipiendo nouum est, an habeat occultam aliquam infirmitatem. *dist. p. cap.13. S.2.* Et in hac parte si in aliqua Religione fuerit prohibitum recipere huiusmodi corpore vitiatos, vel eorum aliquem, id seruandum erit.

28. Tertio ex naturali iure susceptionem religiosi status impedit defectus mentis, nimirum dementia, furor, fatuitas. *Syluest. v. Religio 5. num.2.* Suarez *d. l.5. cap.4. num.3.* Sanchez *l.5. in Decal. cap. 4. num.53.* Vech. *disp.2. dub.7.* Tambur. *tom.3. disp.6. q.3. num.2.* Donatus *p.4. tr.3. q.3.* Bordon. *res.54. num. 23.* Lezan. *p.3. cap.24. num.18.* Conueniunt autem amens, & furiosus, quod vterque est priuatus vsu rationis, sed furiosus impetu furoris ducitur in suis actionibus, quo furore caret amens. Bald. *in l. qui furiosi, C. de Nup. num.2.* Alex. *l.3. cons.34. num.2.* Iason. *in l. fuit supra, C. qui testam.* Cum igitur isti vsu rationis careant, omnino ex natura rei inhabiles sunt ad liberè, & honestè recipiendum habitum, & ad actus Religiosos, qui honestè, & nec-

& meritorie haberi non possunt sine rationis vsu,& libertate. Limitat vero hoc *Bordon.resol.*54.*nu.*25.ut non procedat in eo, qui est amens secundum quid, scilicet in aliqua sola materia, quia huiusmodi amentia contractus non impedit. Verum aliud est, an talis amens validè profiteatur, si ad professionem admittitur, quod est id, quod tradit Sanchez *l.*5. *in Decal. cap.*4. *num.*53. & de quo infra erit agendum, aliud est quod amens in aliqua materia sit aptus, vt recipiatur ad habitum, & professionem, & hoc per se est negandum. Quia qui participat de amentia, & est vere amens in vna, vel altera materia, vere est infirmus mente, nec aptus erit ad alia etiam negotia peragenda, & ad opera religiosa, maxime ad opera Confessionis audiendæ, prædicationis, prudentiæ gubernatiuæ, & similia. Non est ergo iste amens simpliciter incapax professionis, sed iudicandum est de illo, sicut de infirmis corpore. Nam poterit esse aptus ad statum Conuersorum, vel non inutilis, si deferat alimenta, & sic in casu particulari poterit recipi. Pariter qui vere fuit amens, sed videtur iam sanus non est Religioni aptus, quia vt dictum est supra amentia est morbus, qui vix vnquam sanatur, & de facili reddit. Vnde talem ego numquam meo voto ad habitum reciperem, nisi, & omni futuro damno Religionis abundè prospiceretur, & concurrerent aliæ vtilitates honestæ, quæ huiusmodi receptionem laudabilem redderent. Amentiam quoque temporalem non reddere simpliciter inhabilem ad Religionem dixerunt Suarez *d. cap.*4. *num.*3.*&* Tambur.*d.q.*3.*num.*2.Et quidem verum est, quod amens temporalis, & non perpetuus est capax, vt dum habet lucida interualla validè profiteatur, sed tamen minimè est aptus Religioso statui, qui perpetuum libertatis vsum requirit, vt homo possit semper conari ad perfectionem, & certe maioris incommodi Religiosis erit fatuus licet patiens lucida interualla, quam infirmus habitualis qui recidiua aliqua laboret infirmitate, & ideo isti non nisi per accidens ex aliqua particulari, graui, & iusta causa sunt ad habitum recipiendi. In Ord. Præd. vt patet *dist. p.cap.*13. §.1. *lit.B.* ordinatur, vt non recipiantur dispositi ad furorem.

29. Quarto supposito vsu rationis libero, poterit contingere impedimentum recipiendi habitum ex defectu se tenente ex parte intellectus, nimirum ex illiteratura, seu ignorantia. Bordon.*resol.* 54. *num.*19.*& seq.* Basilæus *v.Religio* 2.*num.*4. Tambur.*d.q.*3.*num.*35. Distingui tamen debet hic status Conuersorum à statu Clericorum; Nam in recipiendo ad statum conuersorum vix magis aliquid requiritur, quam ingenij docilitas, per quam sit aptus discere ex superiorum magisterio, ea quæ ad sua munera obeunda secundum regularem disciplinam sunt necessaria. Est autem triplex illiteratura, scilicet, prima illorum, qui nullum principium literarum habent, quia nec scribere sciunt, nec legere, & hæc est illiteratura simpliciter, de qua maxime est sermo in *cap. Præcipimus dist.* 34. *cap. Illiteratos dist.*36.*cap. Non confidat, dist.*50 *cap. Pœnitentes dist.*55. Et huiusmodi illiterati, nec possunt initiari prima tonsura, iuxta decretum *Concil. Trid. sess.*23. *cap. de reformat.* Et tamen huiusmodi illiteratura non impedit, quin aliquis possit recipi ad statum religiosum Conuersorum, seu laicorum qui ad opera vitæ actiuæ assumuntur, & neque ad Ordines, neque ad diuinum officium persoluendum ordinantur. Secunda illiteratura est eorum, qui sciunt legere, & scribere, sed quod legunt non intelligunt. Huiusmodi enim sunt illiterati, quia vt habet *Gloss. in v. At intelligere extrau. Quia nonnunquam*, 2. Io: 22.*de verb. signif.* Parum prodest legere, nisi adsit intelligere. 11. *q.*5. *cap. eorum.* 39. *distinct. cap. sciendum, ff. de verb. signif. l. Coram.* Iuxta illud legere, & non intelligere, negligere est. Et huiusmodi illiteratos, inter illiteratos simpliciter numerat *Rota dec.*16. *num.*3. *p.*2. *diuers.* Et huiusmodi illiterati non possunt ad ordines etiam minores ordinari, ex decreto *Conc. Trid. sess.*23. *cap.*11. *de Reformat.* Vnde nec similem illiteratum posse recipi ad clericalem Religiosum statum tradit Bordon. *num.*21. si caret spe proficiendi. Nam, & quod debeant pollere ea scientia, quæ ad diuinum officium ritè persoluendum necessaria est, tradit Tambur. *d. q.*3. *num.*35. *post* Azor. *tom.*2. *lib.*6. *cap.*6.*q.*2. Gonzal. *ad reg. mens. Gloss.*4. *num.*73. *Garz. de benef. p.*7. *c.*7.*num.*9. Tertia vero illiteratura est eorum, qui sciunt legere, & scribere, & aliquid intelligunt, cum spe maioris profectus, & huiusmodi non est illiteratura simpliciter, sed solum secundum quid. Nam parum sciens, cum spe profectus iam scit aliquid; Et ideo Bordon ait huiusmodi illiteratos non impediri, quin possint recipi ad habitum regularem. Sed ego considero, quod qui ad habitum Clericalem in Religionibus chori psalmodiam profitentibus recipiuntur, vt statim in choro psalant, & vt suo tempore ad ordines promoueantur; quia in lingua latina diuina officia persolui debent, aliquam literaturam necesse est, vt habeant actu nouitij, dum profitentur, & aliquam sufficit, quod habeant in spe. Tenentur actu habere tantum, quanta est necessaria ad psalmodiam, nimirum ad recitandum in choro diuinum officium, ideo ad minus tenentur scire legere, & aliqualiter latinum intelligere, vt quantum opus est, rubricas missalis, & Breuiarij sciant, & alia quæ ad ritè recitandum in choro diuinum officium sunt necessario scienda. Sufficit vero, quod in spe indubia habeant tantam linguæ latinæ peritiam, vt suo tempore ad minores, & maiores Ordines promouere valeant. Sic Clemens 8. in decreto de *Instit. Nouit.* de recipiendo ad habitum regularem dixit. *Eam vero literarum scientiam calleat, aut illius adipiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus maiores Ordines iuxta decretum S. Conc. Trid. suscipere valeat*, Pontifex autem loquitur disiunctiuè, vnde colligitur quod in receptione ad habitum simpliciter loquendo sufficit certa spes literaturæ. Vnde simpliciter loquendo ex vi iuris Pontificij in receptione habitus sufficit spes indubia literaturæ sufficientis habendæ tempore suo pro ordinibus suscipiendis. Et nihilominus addit, Pontifex, quod *si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur*. Vnde in ijs, qui excedunt annum 25. si velint admitti ad habitum regularem clericalem, vult Pontifex, vt habeant actu eruditionem ad ordi-

nes sufficientem, si quis etiam reciperetur ad solam coronam, & habitum clericalem non vero ad Clericorum munera, non esse necessariam literaturam tradit Bordon, *d.num.21.* quod est conforme illi, quod ex *Const.Ord.Prædicatorum* dictum fuit *nu.25.*

30. Præter hæc communia vero in vnaquaque Religione propria statuta seruari debent. In Ordine Prædicatorum *dist. p. cap.13. §.1.* statuitur, vt examinatores recipiẽdorum diligenter examinent in moribus, & scientia, *& cap.14.§.8.* dicitur. *Item nullus recipiatur ad professionem, vt Clericus, nisi sciat legere, & expeditè legere, dicere, & legere diuinum officium nocturnum pariter, ut diurnum solus, & sciat, vel sit habilis in proxima dispositione, vt sciat grammaticam.* Sed in Capit. Rom.1589. in prima ordinatione ex sanctis authoritate Sixti Quinti statutum fuit, vt non admittantur ad habitum & professionem nisi scientes clarè legere, & benè intelligere, ac declarent ea, quæ legunt, & linguam latinam callèant, sed vt habetur in *Glossa Constit. d. p. c.13. lit. B.* & adnotat Feltus, *in sum.p. 2. cap. 4. in Capit. sequen Venet. 1592. celebr. declar. 6.* eadem authoritate Apostolica declaratum fuit, quod per callere linguam latinam intelligatur, vt recipiendi sint in gramaticalibus sufficienter instructi, & hoc pro Prouincijs Hispaniæ, & Italiæ, & quod in alijs Prouincijs sufficientiores reciperentur, quantum fieri posset. In dicto autem *Cap. Rom.* 1589. præceptum fuit sub pœna excommunicationis Prælatis, & examinatoribus, ne admittant, & Capitulo proponant aliquem, qui non sit instructus iuxta ordinationem ibi factam. Quod verò dicitur, quod recipiendi debeant esse in grammaticalibus sufficienter instructi, intelligi debet non tantum, quantum opus est, vt suo tempore possint promoueri ad Ordines, sed quantum opus est ad finem huius Ordinis, qui est media doctrina, & prædicatione fidem propagare, & conuersioni animarum incumbere, & ideo recipiendi debent esse in grammaticalibus ita sufficienter instructi, vt possint vacare studijs Philosophiæ & Theologiæ cum fructu. Et nihilominus huc maximè inspici debet, scilicet, an recipiendus polleat ingenio, & memoria, quia qui ingenio præstant gramaticalia etiam se ipsis de facili addiscunt, & sine Magistro eloquentissimi euadunt, Ideò in societate, vt habetur *Constit.p.1.cap.1.§.* de admittendis in societatem sic habetur, *Quod ad intellectum attinet, doctrina sacra, vel aptitudine ad eam addiscendam, & in rebus agendis discretione, vel certe indole boni iudicij ad eam acquirendam, & cap.3.* eiusdem primæ partis §.13. inter impedimenta recipiendi habitum, ponitur litterarum *Ignorantia, vel ingenij, aut memoria ad eas addiscendas, vel lingua latina ad explicandum defectus, in illis, qui præseferunt intentionem, vel desiderium vlterius progrediendi, quam solent coadiutores temporales* circa quæ Suarez. *tom.4. de Relig. tr.10. l.1. cap.3. nu.12.* aduertit, quod inter impedimenta se tenẽtia ex parte intellectus ponuntur tarditas ingenij, aut defectus memoriæ, aut iudicij quæ intelligendo existimat, quando sunt notabilia, ita vt etiam mediocritatem non attingant. Et quod circa iudicium prudenter adnotatur, multum posse impedire obdurationem in proprio sensu, quæ in omni congregatione magnum solet facessere negotium. Itaq; igitur hoc summè cauendum est, vt inepti ad literas, & scientias non recipiantur in ijs Religionibus, quæ munus docendi, & prædicandi profitentur.

31. Sexto non deficientibus in recipiendo, quæ spectant ad intellectum, quantum ad ea, quæ pertinent ad voluntatem, seruandum in primis est, quod statuit Clem.8. in decreto de *Instit. Nouit.* ibi *Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur* Itaq; igitur requiritur præcipue in recipiendo intentio recta, & firma, & per quam recipiendus ex solo affectu perfectionis acquirendæ moueatur vt Religionem ingredi velit. Et vt aduertit Suarez t.4. *de Relig. tr. 10. l.1. c.3. num. 5.* necessaria est etiam particularis affectio respectu eius Religionis in specie, quia aliter non esset satis bene dispositus ad permanendum in ea, nec Religio multum fructum ex illo sperare posset. Itaque primo, & principaliter in recipiendo ad habitum Religiosum debet esse, & attendi recta voluntatis intentio, de qua S. Bernardus *ser.40.* in Cant explicans illud Cant. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*, hæc habet *Duo quædam in intentione, quam faciem animæ esse diximus necessaria requiruntur, res, & causa, Quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus animæ vel decor, vel deformitas iudicatur, vt (verbi causa) animus, qui ambo ista recta, atque pudica habuerit, illi merito, veraciterq; dicatur, pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis.* Et infra. *Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc salum est vtramq; bipertitæ intentionis faciem habere pulcherrimam, atq; id proprium, ac speciale sponsæ, cui merito singularis prerogatiua audire conuenias. Pulchra sunt genæ tuæ sicut Turturis. Cur verò sicut Turturis? pudica auicula est, & conuersatio eius non cum multis sed sola degere fertur contenta compare, ita vt si illum amiserit alterum non requirat, sed sola deinceps conuersetur &c. ô Sancta anima sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti, fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis, & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit sibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo sed mente non corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu,*

35. Septimo. Quãuis, vt probauit D.T. in artic. peccatum præteritum non sit impedimentum status Religiosi assumendi; nihilominus tamen negari non potest, quin mala dispositio ad peccandum non præbeat impedimentum; ob quód multi non sunt admittendi, quia vt habet Suarez *tom. 4. de Relig. tr.10. lib.1. c.3. num.12.* recipiendi non sunt, qui habent naturam difficilem ad virtutem. Propterea in Glossa Constit. Ord. Præd. *dist.1. cap.13. §.1. lit.b.* dicitur quód *summopere cauendum est, ne recipiantur ignari, aut inepti ad literas, vel qui habent quædam vitia quasi inseparabilia, & naturalia, sicut est innata iracundia, ebrietas, debilitas naturæ ex vitiosa consuetudine, & dispositio ad furorem, & huiusmodi de quorum correctione vix spes patet habendi* Vt enim ex supra dictis patet difficile est prauas

affe-

affectiones superare maximè si sint vehementes, consuetudo verò quam difficilè vincetur. De hac optime dixit S. Nilus in ablcetica. *Naturam porro mutare difficillimum est, licet enim vi paulisper inclinetur, celeriter tamen ad se ipsam recurrit. Mouetur illa quidem à proprijs terminis, sed nunquam planè transfertur, nisi magnus, & assiduus labor contrarium habitum introducat. Vide quomodo animus consuetudinem sequens idolis insideat, quomodo se ipsam in materia informi defigat, rationemque surgere hortantem non audiat, surrecturam se negat. Non possum, inquit, assurgere coram te, quia iuxta consuetudinem fœminarum accidit mihi. Gen. 31. Animus, qui in huiusce vitæ rebus longo iam tempore conquieuit, idolis incubat, quibus ex informi materia constantibus ars humana formam adhibuit.*

33. Octauo quidam peccatores in specie ex iure positiuo redditi sunt inhabiles ad statum Religiosum. Nam Sixtus Quintus in dicta costitut. *cum in omnibus* plures criminosos excludit à Religionis ingressu, ibi *statuimus, & ordinamus iuuenes ac viros adultos maiores sexdecim annis non aliter in aliqua Religione recipi posse nec debere, nisi &c. expiorattum sit, eos neque aliquorum criminum qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora reos vel suspectos existere, vt propter ea damnati sint, aut ne damnentur formident.*

34. Est autem circa hoc primo certum, nullum dari criminosum, qui de iure communi sit exclusus à Religione, quia imo religio est status, & locus pœnitentium, vnde in *cap. Admonere, 33. q. 2.* S. eph. *Papa* quemdam Hastulphum qui vxorem occiderat, hortatur ingredi Monasterium, & Sanctum Romualdum, & Sanctũ Gulielmum Ducem Aquitaniæ fuisse homicidas tradunt; Sanctumque Bernardum, & alios Patres ad Religionem admisisse latrones referunt historiæ. Videri possunt de hoc loquentes: Portel. *v. nouitius*, Peyr. *R. P. q. 3. c. 1. n. 87. Donatus p. 4. tr. 3. q. 1 n.* In Ordine Prædicatorum adest ordinatio *cap. Rem.* 1583. vt videre est *d. 1. c. 13. § 2. lit. F.* prohibens recipi facinorosos, & homicidas, nisi & maximam pœnitentiam ostenderent, & de licentia Magistri Ordinis. Quæ ordinatio supponit hoc de iure communi non esse prohibitum.

35. Qui verò criminosi dici debeant colligi potest ex *cap. vnum horarium, dist. 25.* & *Glossa* ibid. & *cap. Clerici d. 40.* & *cap. Apostolus d. 85.* & *cap. in loco 5. q. 4.* & *cap. miror. 1. q. 1.* & *cap. ex tenore de tempor. ordinat.* & ibi Glossa, Innoc. & Panor. S. Raymund. *l. 3. summa tit. de relaxis* § 2. Host. *in sum. tit. de tempor. ord. sand. rubr. de qual. n. 8. § 1 regula.* Criminosus enim est, qui commisit crimen pro quo in foro externo ciuili aut Canonico est imposita pœna grauis mortis, aut mutilationibus, aut triremium, aut perpetui exilij, aut fustigationis, aut inhabilitatis ad ordines, aut priuationis beneficij, aut alia similia Donatus *p. 4. tr. 3. q. 8. n. 7.* S. Raymundus *in sum. lib. 3. tit. de relaxis.* § 2. dicit crimen enorme esse id, per quod quis reijcitur ab administratione, & repellitur à suscipiendis. Et de his videri possunt quæ dixi in *tract. de Electione. cap. 25. n. 557. & sequent.* sed in præsenti considerandum est, quod Pontifex non excludit à Religione criminosos absolutè, sed tales, vt patet ibi. *Neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia furta, latrocinia, vel alia similia, & grauiora reos, vel suspensos existere.* Vnde hic nomine Criminosorum veniunt, qui homicidia, furta, vel similia aut maiora crimina perpetrarunt. Tambur. *l. 3. disp. 6. q. 3. n. 14.* Bordon. *d. q. 58. Bassans v. Religio 2.*

36. Verùm nec omnes isti criminosi sunt inhabiles ad ingressum religionis, sed si crimen sit notorium vel publicum publicitate iuris, ita vt primo actibus publicis saltem constet vel accusatio, vel inquisitio illius, secundo quod inquisitio sit in particulari, tertio quod sit iusta, & hæc sit ante habitus susceptionem: quintam conditionem addunt aliqui quod sit coram iudice sæculari. Quæ omnia explicantur.

37. Nam primo vt notat *Suarez tom. 3. de relig. l. 5. c. 7. n. 16.* ex triplici capite potest criminosus excludi à Religione. Primo ex virtute iustitiæ, quia sit debitor, & teneatur satisfacere parti. Secundo quia sit infamis ea notorietate aut publicitate delicti ferentis secum infamiam. Tertio quia sit debitor subeundi pœnam per iudices infligendam iuxta legum præscriptum ad vindictam malefactorum, & exemplum aliorum. Sixtus in sua Constitutione hanc tertiã causam respexit. Quod colligitur ea bulla eius ibi. *Alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliane facinora patrata, etiã banniti, aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem, quia tuto in sæculo viuere non possunt, tunc demum quærunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperans* & paulo infra. *Vt his quoque subterfugij, & impunitatis spes omnino tollatur, authoritate Apostolica, &c.* Sic enim tota ratio huius legis fuit hæc vna auferre criminosis spem subterfugij, & impunitatis contra pœnas ipsis in foro externo inferrendas. Vnde ex vi huius partis constitutionum Sixti Quinti non prohibentur criminosi recipi ad Religionem, quia sint in conscientia debitores alicui, sed de hoc capite agitur in alia particula, quæ respicit eos, qui ere alieno grauati sunt. Sicut neque ex vi harum Constit. excluduntur criminosi quia infames; quia ex motiuo infamiæ non fuit lata lex ista, sed; vt prætextu Religionis delicta non remaneant impunita.

38. Quare primo colligitur, nedum quòd criminosi occulti non comprehenduntur sub hac lege, sed nec criminosi notorij, & publici, nisi sint aliquo modo tales notorietate, & publicitate iuris, quia nimirum vel damnati sunt pro criminibus, vel de eis accusati vel inquisiti. Nam hoc declarauit idem Sixtus in sua Constit. Ad Romanum § 17. ibi *Tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices, & curiam sæcularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Nec obstat, si quis dicat, hanc declarationem respicere professionem irritam criminosorum, ex eaq; haberi tunc solum professionem esse irritam quando crimen fuerat modo dicto in actis publicis redactum, Quia cum Sixti prima Constitutio *Cum in omnibus* non contineat nisi prohibitionem irritantem receptionem ad Religionem, si hæc intelligitur vt valeat solum contra Criminosos publicos publicitate iuris vt supra, nulla alia lex est, quæ simpliciter,

& non irritando receptionem illam prohibeat, vnde recipere criminosos etiam publicos publicitate facti non est contra constitutiones Sixti, vndę ex vi illarum talis receptio nec est irrita, neç illicita. Vt bene doçent Suarez loco citato, Sanchez *l.4.mor. c.16. num.* 39. Lrdesma de statu Relig. in com. *c.6. con.l.3.* Peyrin. *P.R. q.3. cap. 1. nu.7.* Bordon. *d. q.*58. Tambur. *d.q.3.n.*14. Bassæus *num.*13.

39. Inde apparet secundum quòd asserebatur, scilicet quòd necessr est inquisitionem de crimine esse particularem, & non sufficit quòd judex in communi, & vagè inquirat authorem criminis, sed requiritur inquisitio contestata in particulari contra talem personam, ad hoc vt illa non possit validè recipi; quia vbi delictum sit publicum, sed persona occulta, nullus in particulari est reus, & potest damnari, & ob id nullus in particulari est ex hoc inhabilis ad Religionem. Et ita docęt Suarez Peyrin locis citatis Bordon. *d.q.*58. & alij, qui etiam addunt hanc inquisitionē debere esse iustā, & in bono iure fundatam, quia iniustitia iudicum non potest facere præiudicium criminoso, vt per illam non possit fieri Religiosus. Quod verò hæc inquisitio debeat esse de actis antequam criminosus recipiatur ad habitum, declarat expresse Pontifex locis citatis.

40. Circa quintam verò conditionem non omnes conueniunt, quia Donatus *p.4.t.3.q.9.n.3.* ex Rodriq. *l.3.q.56. a.3.* & *2. p.sum.c.3. n.6.* putat Criminosum accusatum, vel inquisitum coram Iudice Ecclesiastico comprehendi, sub Constit. Sixti, ipsumq; posse in criminosum coram se inquisitum, id quòd potest iudex sæcularis, quia eadem militet ratio. Sed alij hoc negant, sentiuntque criminosum impediri ne fiat Religiosus solum si sit accusatus, vel inquisitus in curia sæculari, quia hoc expresse habetur in textu dicente *Tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos iudices, & curiam secularem &c.* Nec verum est, quod sit eadem ratio de curia Ecclesiastica, & de curia sæculari, quia pro delictis foro Ecclesiastico competentibus potest Religiosus puniri etiam manens Religiosus, si non ab ordinario, ab illo cui Pontifex, qui est Religiosorum supremus Prælatus negotium commiserit; vnde per existentiam Criminosi in Religione non fit præiudicium Iudici Ecclesiastico, quia criminosus ex eo, quod fit Religiosus, non fugit supremum Iudicem Ecclesiasticum, sicuti totaliter subtrahitur à jurisdictione cuiuscumq; Iudicis Sæcularis etiam supremi. Prætérquam quòd in legibus pœnalibus, & à iure cōmuni exorbitantibus, & odiosis, sicuti est lex harum constitutionum, non admittitur extensio ex paritate rationis, & maximè contra verba expressa legislatoris, qui statuit suam legem non habere locum aliter quam ipse ibi disponit, & dispositio est vt sua lex valeat dum criminosus est apud curiam sæcularem inquisitus. Et ita hoc expresse docent Sanchez *l.4.* in Decal. *cap.16. nu.39.* Bordon. *d.q.*58. Sed Prior opinio est tenenda, quia Sixtus Quintus in prima Constit. cum dr omnibus §. 1. ibi *Licere quibuscumque iudicibus, & curijs etiam secularibus ad quos, seu quas spectat, contra eos &c. criminaliter, vel mixtim procedere vniuersaliter* de omnibus iudicibus loquitur, & omnibus dat facultatem procedendi; sentit igitur quòd accusatus etiam in foro Ecclesiastico de præfatis criminibus nō possit recipi. In Const. verò ad Romanū meminit solum Iudicum secularium quia maior erat difficultas in illis, vt possent procedere contra professos.

41. Locum etiam, non habet constitutio Sixti in criminoso accusato apud curiam sæcularem aut inquisito, sed absoluto, & declarato innocente, dato etiam quòd in rei veritate ipse commiserit crimen. Suarez *tom.3. de Relig. l.5. cap. 8. num.* 19. Sanchez *l.4.* in Decal. *cap.* 16. *num.* 39. Bordon. *cap.2.* de Profess. *q.*58. Tambur. *tom. 3. disp.6. q.3. num.* 14. Bassæus *v. Relig. 2. num.* 13. Quia primo tunc criminosus est occultus. Secundo inquisitio est terminata & completa, & cessat prorsus finis legis, qui fuit auferre criminosis subterfugium ingrediendi Religionem *non pia intentione, sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem, quia tuto in sæculo viuere non possunt.* Qui verò est à crimine absolutus à lege, & iudice non habet vnde ex hoc ingrediatur Religionem ex mala intentione, ad euitandam seueritatem iudicum. Et prætérea qui est absolutus à Iudice apud curiam iudicis habetur vt innocens, quod verò sit talis in foro Dei, vel non sit, ad forum conscientiæ pertinet, & in foro externo non distinguuntur innocens, & criminosus absolutus à Iudice, siue in foro Dei sit, siue non sit criminosus. Durum verò esset quòd innocens ex hoc quòd falso fuit inquisitus postea absolutus non posset Religionem ingredi, quia fuit inquisitus de graui crimine.

42. Sed hoc idem verum esse de criminoso damnato, sed absoluta pœna à iudice sibi imposita, & satisfacto tam Reipublicæ, quam parti tradunt Suarez *num.19.* & Peyrin. *dicto n.* & Vech. *d.1. dub.22. num.2.* Bord. *q.*58. Tambur. & Bassæus locis supra citatis. Intentio enim Pontificis est præcauere ne crimina maneant impunita, quod locum non habet in eo, qui legem impleuit. Secundo nam ratio non patitur, vt delicta perpetuo durent, nisi duret voluntas mala, sed impleta pœna iam criminosus non est amplius talis, sed fuit. Nec obstat, quod dicatur durare infamia, quia hoc dato, non loquimur modo de inhabilitate ad Religionem, quæ prouenit ex infamia, sed quæ est fundata in lege Sixti Quinti, qui vult criminosum non posse ingredi Religionem nc delicta maneant impunita. Vnde dum Constitutio loquitur de damnatis per iudices loquitur de damnatis, qui pœnam non impleuerunt, vt sunt banniti, qui pœnam fugiunt, vel alij, qui nondum compleuerunt tempus pœnæ.

43. Et quia nihilominus Clemens 8. in Const. *In suprema* abstulit pœnam nullitatis receptionis ad Religionem; quam contra criminosos statuerat Sixtus Quintus, Ideò modo licet peccent Superiores, & subdantur pœnis latis à Sixto Quinto, vt supra dictum est, si criminosum recipiant, tamen valida est receptio tam ad habitum, quam ad professionem Donatus *p.4. tr.3. q.9. num.* 5. Bordon. *cap.2. de prof. q.*58. Tamburin. *t.3. dist.6. q.3. n.*15. Bassæus *v. Relig. 2. num.* 13. & alij communiter. Vnde iudices sæculares iam vti non possunt facultate sibi tributa per constitutiones Sixti Quinti,

quia

quia tales semel recepti sunt vere Religiosi gaudentes exemptione a foro seculari, vnde iudices saeculares non possunt aliquid contra illos nisi id, quòd iure communi sibi conceditur. Quando autem aliquis criminosus sic iudici saeculari subiectus etiam si factus sit Ecclesiasticus, alterius loci est inuestigare; & certè qui non dolo sed recta intentione ingreditur Religionem, ex hoc prorsus eximitur à iudicis saecularis iurisdictione.

44. Nono receptionem ad habitum impedit censura Ecclesiastica. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 4. num. 17.* existimat quòd aliae censurae ab excommunicatione maiori non impediant receptionem ad Religionem, nisi quia aliquando sint signa quòd persona indigna sit, vt assumatur ad statum Religiosum. Verum licet non adsit lex, quae prohibeat communicationem cum affecto alia censura, sicut prohibet communicationem cum excommunicato; vnde est quòd excõmunicatus etiam occultus, & toleratus peccat etiã mortaliter recipiendo habitum Religiosum, si tamen receptioni habitus admiscentur sacrae preces, quia haec est magna communicatio spiritualis, quã habet cum dante illi habitũ, & quae est illi interdicta, & Praelatus ipse sciẽter admittẽs illũ illo modo peccat grauiter Tambur. *t. 3. disp. 6. q. 3. num. 23.* Nam licet ob extrauag. ad euitanda non sit illicitum innocenti communicare cum excommunicato, si ille sit toleratus, tamen peccatum est cooperari peccato illius, sicut & faciũt admittẽtes illũ modo praefato. Et propterea speciali iure excõmunicatio praebet impedimentũ receptioni habitus Religiosi nisi praecedat absolutio. Nihilominus etiam aliae censurae quatenus impediunt à diuinis, vel ab ingressu Ecclesiae, vel à quocumque munere, quòd spectat ad Religiosum, impediunt à susceptione habitus. Nam certe interdictus á diuinis non esset recipiendus, cum esset impeditus ab eo, quod est maximè proprium Religiosorum, donec esset absolutus. Verum est, quod quantum ad hanc partem sufficeret spes probabilis absolutionis à Censura obtinendae opportuno tempore. Et alias etiam vitandum esset scandalum, quòd posset contingere, si censura esset publica, & si ex causa censurae esset ille indignus habitu.

46. Decimo irregularis est impeditus recipi ad habitum Clericorum. Hic verò distinguendum est. Nam irregularitatum aliae sunt, quae ex vi professionis tolluntur, vt est irregularitas ex defectu natalium, quia illegitimi facti Religiosi possunt absque alia dispensatione ad Ordines promoueri; *Cap. vt filij p. de fil. Presbyt.* Aliae sunt super quibus cum suis subditis possunt dispensare Superiores ipsi, Regulares, etiam cum Nouitijs, vel habitum petentibus, de quibus videri possunt, quae dixi in *tr. tract. de elect. cap. 17. q. 2. a. num. 35.* Et aliae sunt irregularitates super quibus Praelati Regulares nõ possunt dispensare prout, dixi citato *cap. q. 3. & 4. & 5.* Itaque irregularitas non impedit à susceptione habitus Conuersorum, vel etiam Clericorum, qui induuntur tali habitu ad honorem non verò ad opera Clericorum. Item irregularitas, quae ipsa professione tollitur, non impedit habitus receptionem. Item irregularitas si super ea dispensetur, vel habeatur probabilis spes dispensationis habendae tempore opportuno non impedit aliquem ad statum Clericorum admitti. Vbi tamen Praelatus Regularis possit dispensare, debebit dispensare prius, vel etiam expectare, vt obtineatur prius dispensatio à potente illam concedere. Quodsi dispensatio sit impossibilis, non poterit recipiendus admitti ad statum, & opera Clericorum. Et hinc deducitur quid sit dicendum de multis Irregularibus. Homicidas enim de iure communi non excludi ab ingressu Religionis dixerunt Portel. *v. Nouitius num. 12.* & Tambur. *d. q. 3. num. 34.* Qui tamen monet attendendam esse constitutionem Sixti Quinti. Et verè sic est, quod tanquam criminosus in terminis tamen dictae constitutionis admitti non debet. Vlterius verò excluditur titulo Irregularitatis in terminis iam explicatis. Sic Bigamum non posse recipi dixerunt Graff. *p. 1. dec. l. 3. cap. 5. num. 1 t.* Peyr. *de Praelat. q. 2. num. 100.* quos refert, & sequitur Tambur. *d. q. 3. num. 33.* loquuntur verò de admissione in Clericum Pariter latrones posse recipi de iure communi dixerunt Portel. & Tambur. *num. 34.* Sed nec latrones possent admitti in terminis Constit. Sixti Quinti. Et praeterea si sint irregulares vel ex delicto notorio, vel ex genere poenae arcendi sunt à Religionibus, quamuis irregularitas, vt dicebatur non impediat à susceptione habitus etiam Clericalis, si qui recipitur non recipitur vt ordinandus, vel recipitur cum sufficienti securitate dispensationis super irregularitate. An verò excludi debeant tanquam infames infra est explicandum.

46. Vndecimo ab habitu recipiendo impediti sunt infames, qui si recipiantur validam esse receptionem, sed tamen non licere eos recipere regulariter, tradunt Peyr. *P. R. q. 3. nu. 80.* Donatus *p. 4. tr. 3. q. 1;* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10.* Tambur. *t. 3. disp. 6. q. 3. num. 31.* Bassaeus *v. relig. 2. num. 12. l. 2. c. 1. num. 15.* & alij. Ratio primi est, quia nullum est ius, quod irritet receptionem ad habitum & professionem infamium. Secundo quia in societate Iesu *cap. 2.* Examinis inter impedimenta irritantia ingressum ponitur infamem esse propter peccata enormia. Ex quo duplex sumitur argumentum. Primum, quia non omnis infamia ponitur impedimentum dirimens, vt explicat Suarez loco citato. Secundum, aliqua ponitur talis; vtrumque autem male statutum esset, si de iure Canonico infamia esset impedimentum dirimens ingressum religionis, quia nec aliqui infames soli excludendi fuissent, cum omnes exclusi essent; nec opus fuisset illos aliquos excludere per ius speciale, cum omnes exclusi essent per ius Canonicũ.

47. Secundam autem partem probant Peyrin. & Donatus, quia infames excludi debent ab ordine. Cum enim infamis sit cuius status vita, & moribus reprobatur, Syluest. *v. infamia.* Et infames iure Canonico, & Ciuili repellantur ab omni honore, & dignitate Bartol. *in l. t. C. Ex quibus causis infamia irrogetur,* & Panorm. *in cap. ex diligenti de simonia,* ideò infames de iure Canonico sũt irregulares, vt colligitur *ex cap. omnes, cap. nulli, cap. infames 6. q. 1. cap. infantibus, de reg. iuris in 6. & cap. Deus omnipotens, cap. qualiter, de accusat.* Praeterea infames ab ordine repelluntur; igitur fortius repelluntur à religione. Consequentiam hanc probat Peyr quia status religionis est maioris perfectionis; & dignitatis ex D. T. supra *q. 184. a. 8.*

& Donatus quia status religionis est strictior, vt dicitur *cap. Clerici.19. q.1.* Hæc tamen ratio infirma est, & contra D. Th. in hac responsione ad tertiam, vbi bene probat non esse pares ordo sacer in hoc, & Religionis status, & quod maiorem perfectionem in assumente supponit ordo sacer quam religio. Vnde D. T. negat hanc consequentiam Peccatores non possunt recipi ad ordines; ergo neque ad religionem. Primo ergo deficit ratio, quia non bene vtitur doctrina D. T. qui numquam dixit quòd religiosus vt distinctus à Sacerdotibus, & ordinatis sit perfectior ordinatis in sacris, quia imò cōparando religiosos non ordinatos, ad Clericos in sacris ordinatos docet præeminentiam ordinis excellere dignitate, & sanctitate monachatum, propter excellentiam ministeriorum, quibus ordinatus seruit in ministerio altaris, vnde etiam in ordinato prærequiritur maior sanctitas. Nec obstat dicere quòd Presbyter potest fieri religiosus; quia hoc est verum, quia status religiosus non excludit ordinem, & solicitudinem animarum, sed se habet ad Clericatum vt totum ad partes, & vt holocaustum ad alia sacrificia vt habetur supra q. 184. a. 8. & ibi explicatum est. Vnde Clericus transeundo ad religionem non relinquit ordinem, & propriam perfectionem, sed ea retenta maiorem acquirit, & ordine retento ponit se in statu nouæ perfectionis. Primo ergo prorsus falsum est, quod status religionis præcise sumptus, vt non includit ordinem sacrum sit maioris dignitatis, & perfectionis: & æquiuocatio vitanda est; quia aliud est, quod Curati sæculares, seu Sacerdotes non sint in statu perfectionis, quod est verum, vnde & Conuersi Religiosi qui sunt in statu perfectionis, in genere status præcedunt seculares Presbiteros, vt dixit D. T. loco citato; aliud est quód Ordinati in sacris non sint ex genere perfectiores simplicibus Religiosis non ordinatis, & hoc est falsum. Nam bene stat hominem perfectiorem esse, & non esse in statu perfectionis, vt probauit D. T. supra q. 184. a. 4. Et sic bene stat Clericos Ordinatos ratione sanctitatis, & dignitatis ministeriorum esse sanctiores, & digniores simplicibus Religiosis, & tamen non esse in statu perfectionis. Et pariter patet non valere consequentiam hanc; infames reijciuntur ab ordinibus, ergo debent reijci à Religionibus, quia iste sanctiores sint, & digniores, & hoc nedum quia ex genere suo sanctiores, perfectiores, & digniores sunt ordinati in sacris, quam simplices religiosi, sed quia promotio ad ordines non negatur infamibus ratione sanctitatis, & perfectionis; quia perfectio quæ consistit in Dei delectione omnibus est communis, & nullum reijcit, & nulli disconuenit, & culpa exclusa, quæ charitati opponitur, nullum est hominum genus, qui sanctus, & perfectus esse non possit sed infames reijciuntur ab altari ratione dignitatis publici ministerij; infames verò ad actus legitimos, & publicos sunt inhabiles, vnde nec iudices esse possunt, imò nec testes. Nam alias presbyteri Clerici dignitate, & sanctitate præcedunt conuersos religiosos, qui tamen verè sunt religiosi, vnde ex hac parte non est vnde ad hunc statum non possint recipi infames; nec valet consequentia ab ordine ad statum religionis, quia ordo sacer est maioris perfectionis, & dignitatis. Quanquam etiam si status religionis esset maioris perfectionis, nihil adhuc obstaret, quia vt dicitur hic ad secundam Spiritus Sanctus quos vult statim docet, & perfectos facit, & potest si velit infamissimos statim in sanctissimos conuertere.

48. Considerandum igitur hic est duplicem esse infamiam, iuris alteram, alteram facti. Infamia facti est sinistra opinio, & obscura vox apud maiorem partem populi, seu Collegij seu eorum qui possunt, & debent esse informati promulgata, & diuulgata. Hæc ergo supponit delictum, & turpe factum, & est propterea opinio sinistra de aliquo ob eius delictum apud maiorem partem populi difusa. Sed infamia iuris nec est mala opinio, nec est de se quid publicum, cum v.g. hæreticus occultus sit infamis infamia iuris; nec supponit delictum; carnifex enim v.g. non peccat suspendendo damnatum ad furcas, & nihilominus est infamis; sed infamia iuris est veluti priuatio dominij ad illam famam, & laudabilem opinionem, honorabilem, & claram, quam in hominibus præsupponunt actus legitimi, vt condecenter, & valdè exerceantur. Est autem duplex infamia iuris, alia est imposita à iure pro delicto aliquo alia est, quæ ex dispositione iuris generaliter consequitur ad infamiam facti. Hæc verò triplex est *cap. infames 3. q. 7.* alia est ex genere delicti, quæ consequitur ad enorme delictum notorium notorietate iuris; alia est ex genere pœnæ, quæ consequitur ex eo, quod quis est per diffinitiuam sententiam à iudice ordinario, & in causa famosa damnatus ad ignominiosam pœnam, vt ad mortem, aut ad triremes; alia est ex genere facti, vt est illa, quæ est infamia carnificis. De his videri possunt quę difusius scripsi *de elect. cap. 15. quæst. 48. & 49. à n. 542.*

49. Dicitur verò primo quòd infames infamia iuris non sunt Canonicè, vel ciuiliter impediti, ne assumantur ad statum religiosum, non est enim lex, quæ hanc inhabilitatem induxerit. Quatenus verò sic infames sunt irregulares, ex vi irregularitatis erunt quidē impediti ad ordines, sed non erūt impediti ad statum Religiosum, qui est status pœnitentiæ. Imò tantum abest, quod infamia impediat transitum ad claustrum, quod antiquitus pro crimine enormi imponebatur pœna detrusionis in monasterio Thesau. *in praxi p. 2. v. Confessio*, vbi ex Farin *q. 189. num. 55.* probat quomodo hæc pœna commutata est in pœnam triremium. Cum ergo status religiosus sit status pœnitentium nullo iure positiuo Canonico priuantur infames facultate transeundi ad claustra, vt malefactorum pœnitentiam agant. Nam & pro pœnitentibus mulieribus dantur monasteria.

50. Dicitur secundo quòd infames tam infamia iuris, quam facti sunt quodammodo naturaliter impediti, ne recipiantur ad habitum Regularem. Ratio autem pro hac parte est duplex. Prima est, quia huiusmodi infames regulariter sunt valdè habituati in malo, a quo etiam non retrahuntur nec ex honestate virtutis, quam non profitentur, nec ex amore honoris, & famæ, quem & quam iam nihili fecerunt, & perdiderunt; ideò vt mouet Caiet. hic ad secundum huiusmodi non tam cito recipi debent, quia non

sunt

sunt habiles ad perseuerantiam virtutis, & facilè est, vt cum fuerint professi, alijs sint scandalum. Secunda ratio est, quia status religiosus est status cuiusdam excellentiæ, & dignitatis, quatenus & maximè vt ordinatur ad Sacerdotalia munia, & ad populos docendos, & admonendos, habet vt possit dignitatibus comparari, vt tradit *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. cap. 11. n. 15.* vnde status Religiosus quandam habet nobilitatis, & dignitatis speciem, propter quam illum assumunt libenter viri nobiles, & tum virtutibus, tum humore præeminentes, quibus graue est socios fieri, & confratres personarum vilium, & infamium. Non debet igitur religio amittere præeminentiam cuiusdam dignitatis, & excellentiæ, qualem decet illam, vt sit schola perfectionis, quam libenter possint ingredi viri nobiles; hunc verò decorem dignitatis religio amitteret, si passim, & sine specialibus meritis admitteret personas infames; excludit ergo infames status Religiosus, vt etiam aduertit *Bordon. cap. 2. ¶. 75.* quia est status honorificus. At verò sicut infamia iuris non tollitur per Baptismum, vt probaui, & explicant plurimus citatis *de elect. cap. 28. n. 4.* eadem, & maiori ratione non tollitur per ingressum in Religionem; vnde infamis sub habitu Religionis infamis remaneret, si reciperetur est inhabilis ad actus legitimos exiseret; indecens verò est, & contra Religionum dignitatem, vt inter Religiosos detur excludendus ab actibus legitimis tanquam infamis. Infamia etiam facti tollitur quidem per pœnitentiam, sed diuturnam, & ideo tunc infamibus debet patere ingressus ad Claustra, cum diuturna pœnitentia lauerint maculam infamiæ; tamen persona infamis vel ex officio turpi, vel ex delictis relicta, si iam per multum tempus honestè vixerit in sæculo, & sanctitate morum lauerit immunditiam maculæ, & infamiæ, bene potest recipi in religionem.

51. Colligitur ex his, buffones, goliardos, parasitos, histriones, curras, lenones, circulatores, lictores, carnifices, & alias similes personas, quæ sunt infames infamia iuris, quæ dicitur ex genere factorum non esse admittendas ad ingressum religionis, nisi (quod rarius erit) tot meritis iam in sæculo splendeant, vt obscuritatem suæ vilitatis claritate vitæ disperserint.

52. Duodecimo parentum infamia redundare videtur in filios, ita vt ingressus in religionem nõ pateat illis; qui veniunt ex Iudæis, vel Hæreticis, vel Turcis, aut infidelibus, aut parentibus maculatis, & infamibus. Nullum enim horum admitti posse videtur statutum à Clem. 8. in decreto *de instit. nouic. Cum ad regularem, &c. §. primum* ibi. *Nullus in posterum admittatur, qui ex honestis parentibus natus non sit.* Patres multiplici ex causa maculati esse possunt, vel scilicet ex infidelitate, vel ex aliqua alia infamia ex officio vel enormi delicto, vel pœna contractæ. Duplex etiam infidelitas est, scilicet alia eorum, qui fidem non promiserunt, qualis est infidelitas Iudæorum, & Turcarum, & alia Hæreticorum, qui fidem in Baptismi susceptione professi sunt.

53. Quibus suppositis distinctionibus dicitur primo nullum esse de iure communi impedimentum canonicum vnde filij Iudæorum, & aliorum infidelium, qui fidem non promiserunt, & validè & licitè non recipiantur ad religionem. Hoc ex professo probant Caiet. *tom. 1. opus. tract. 3. t. resp. 6.* & Nauar. *l. 3. de regular. cons. 5. nu. adit.* & determinauit Pius Quintus in *Constit. 178.* Pastoralis officij anno 1571. data pro Minoribus de Obseruantia, in qua statuit descendentes à Saracenis, Maumetanis, Iudæis, & consimiles posse religionem intrare, ordines suscipere, & ad dignitates promoueri. Idem decreuit Greg. 13. in Bulla Muneris nostri pro Minimis anno 1583. quam per extensum refert *Peyrin. tom. 2. priuil. Minim. Constit. 3.* eiusdem Pontif. vnde hoc idem docent Sorbus *v. nouitius.* Passarel. *ad Bullã citatam Pij V.* Poysin. *loco citato.* Portel. *n. 2. in add.* Donatus *p. 4. tr. 3. q. 24.* Et hoc etiam ex iure Diuino probatur. Nam conuersis ad fidem non nocet præterita infidelitas, quin infidelis conuersus non possit ordinari, & ad dignitates Ecclesiasticas assumi. Paulus enim Apost. solum neophitos, scilicet infideles de propinquo ab Ecclesia receptos prohibet ab ordinibus *1. ad Tim. 3.* quod habetur etiam *cap. Quoniam, & cap. Sicut Neophytus 48. distinct.* vnde cæteri apti sunt ad honores, & dignitates, si habeant alia requisita; eadem verò imo maiori ratione, vt discurrit Felin. *in cap. cum te, de rescrip.* filij horum infidelium ordinari possunt, & ad dignitates assumi. Nam & in his verum est illud Apost. *Rom. 3. & 10.* Græci, & Iudæi non est distinctio; Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. Et sic filij infidelium, si & ipsi sint Neophyti, sunt irregulares, sed si non sunt Neophyti, nulla detinentur irregularitate Donatus *p. 4. tr. 3. q. 24.*

54. Eandem verò esse rationem de filijs hæreticorum tradunt Nauar. Portel. & alij. Et quidem quantum ad valorem receptionis ad habitum, & ad professionem hoc est manifestum; nam non est ius, quod hoc statuat. Nec obstat, quod in *cap. Statutum, de hæret. in 6.* prohibitum est, ne filij Patrum hæreticorum vsque ad secundam generationem admittantur ad beneficium aliquod Ecclesiasticum, aut officium publicum, vnde filij hæreticorum sunt inhabiles ad beneficia, & ad publica officia, & ex consequenti ad quascumque dignitates, & alia publica officia, quæ cõpetunt Religiosis Nõ obstat inquã, Tũ quia sententia illius capitis habet multas limitationes ex iure de quibus latè dixi de *elect. cap. 25. quæst. 9.* Et præcipuè locum non habet illa inhabilitas vbi Pater sit Ecclesiæ reconciliatus, & non sit relapsus, vel vbi Patris hæresis sit occulta, vt ex *d. cap. Statutum colligitur.* Tum quia non valet consequentia à beneficio Ecclesiastico, & officio publico ad religionem, cum hæc sint valdè diuersa, nec in lege pœnali hæc extensio fieri potest. Vnde de iure communi loquendo, si filius hæretici admittatur ad habitum, & ad professionem, valida erit professio. Et solum sequitur quod talis, si sit Religiosus sit inhabilis ad beneficia, & officia publica in terminis *d. cap. statutum.* Sed quãtum ad decentiam existimo distinguendum esse. Nam si loquamur de Patre hæretici nati, sicut sunt filij Lutheranorum in Germania, & Caluinistarum in Gallia, vbi tam filij, quam Patres de parentibus hæreticis nati sunt, Eadem videtur esse

ratio

ratio de istis, & de filijs Iudæorum, vel Saracenorum, & nedum recipere hos filios non est prohibitum, vel indecens, sed si alias sint idonei valde hoc decet, & est Ecclesiæ vtile; nam possunt esse instrumentum conuersionis multorum. Si etiam Pater alicuius ex fide Catholica transierit ad hæresim, sed non sit denunciatus hæreticus, nec vt talis sit punitus, seu eius hæresis non sit delata ad forum Ecclesiæ, non erit inconueniens admittere eius filium ad religionem, sed vtile erit filio illum eripere à periculo imitandi patrem, & praua addiscendi, & credendi; & vtile erit patri, qui si non rediit ad fidem, facilius redibit ductus à filio religioso. Sed vbi Pater sit in Sancto officio, vel alias ab Ecclesia damnatus vt formalis hæreticus, vel de hoc crimine sit accusatus, aut inquisitus eadem habenda erit ratio de isto, & de alijs filijs patrum infamium, quia scilicet in illis locum habere debeat statutum Clementis Octaui; vt scilicet non admittatur, qui non est natus ex parentibus honestis. Nam hæreticus damnatus non est honesta persona, sicut nec pater carnifex, & alij huiusmodi filij patrum infamium, quia pater infamis non est vir honestus, quod tamen decretum non continet clausulam irritantem, imo nec pœnam ipso facto incurrendam; de transgressoribus enim Constit. illius loquens Pontifex in fine sic ait. *Officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt priuationem, grauioresq; pro modo ad missa culpa pœnas se subituros certo sciant.* Nec prohibitio illa debet in tanto rigore intelligi, vt si adsit specialis & iusta ac grauis causa, non possint recipi ad habitum, & professionem isti filij Patrum publicè infamium.

55. In Ordine Prædicatorum est speciale priuilegium recipiendi ad habitum hæreticos ad fidem conuersos. Cum enim Pontifex dicto ordini hoc prohibuisset, postea ad fratrum instantiam hoc illis concessit in Bulla, quæ incipit. *Ut pressi* data ad fauorem Conuentus Mediolanen. & habetur per extensum in bullario eiusdem ordinis, & eius partem refert Donatus *loco citato*. In multis tamen Conuentibus, & Collegijs in Regnis Hispaniæ ex priuilegio Pontificum recipi non possunt filij Iudæorum, Saracenorum, & eorum qui in Sancto Officio damnati fuerunt. Et consimile statutum ex multiplicibus Bullis habent Minores, vt referunt Rodriq. *t. 1. q. 14. & tom. 3. q. 11.* & Miranda *q. 19. a. 7.* & Portel. *v. nouitius in additi.* nimirum vt nõ possint recipere filios Apostatarum, Hæreticorum, qui tamen fuerint in foro Ecclesiastico per sententiam damnati viui, vel defuncti, vel eorum statuæ combustæ. Pariter quoque Minimi ex decreto Greg. 13. tales recipere non valent. Et alij etiam consimilia statuta habent, vt refert Portel. Vnde isti iuxta eorũ leges, se dirigere debent.

56. Tertio decimo. Inter eos, qui ex natalibus videre possunt habere impedimentum ad religionem numerandi sunt etiam illegitimi, siue sint naturales, idest nati ex Patre, & Matre solutis, & inter quos potuisset esse matrimonium, siue sint spurij, quales sunt omnes nati ex Patre, & Matre inter quos tempore coniunctionis non poterat esse validum matrimonium, quia vel erant consanguinei, vel affines, vel alter eorum saltem erat cũ alia persona matrimonio iunctus, siue solemni voto castitatis legatus. Isti enim defectum natalium habent, qui cum impediat promoueri ad ordines, & dignitates, potest videri, quod nec possint admitti ad religiones. In hac verò quæst. primo est certum, defectum illegitimitatis de iure communi non impedire, quin illegitimus, si habeat alia requisita possit ad religiosam professionem admitti. Hoc enim habetur decisum *cap. 1. d. 56.* ibi. *Presbyterorum filios à Sacris Altaris ministerijs remouemus: nisi aut in Cœnobijs, aut in Canonicis religiosè probati fuerint.* Et idem habetur *cap. 1.* de filijs Presbyterorum ibi. *Ut filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoueantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viuentes.* Idem quoque habetur *cap. ad abolendam* eodem titulo, & docent S. Raymund. *l. 3. de filijs Presb.* Syluest. *v. illegitimus n. 6. & alij communiter.* Et ratio huius est, quia religiosa professio, & maculam hanc abstergit, & irregularitatem tollit, vt dicitur *cap. licet, 19. quæst. 8.*

57. Certum verò est secundo non obstare huic communi iuri Constitutionẽ Sixti Quinti, *Cum in omnibus*, cum moderatione illius Constit. *Ad Romanum*. Quia quantum ad hanc partem reductæ fuerunt dictæ Bullæ ad terminos iuris communis per Greg. 14. in Bulla *Circumspecta* §. 2. ibi. *Prædictas Constitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato toro, vel complexu ad quamcumq; religionem, neque ad habitum professionem regulares, sed tantum ad habitum conuersorum aut famulorum in Monasterijs, alijsq; locis regularibus seruientium admittantur, &c. authoritate Apostolica tenore præsentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur, &c.* & infra. *Volentes ijsdẽ constitutionibus nõ obstantibus eos, qui quouis modo illegitimi procreati fuerint ad habitum, & professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ constitutiones editæ non fuissent.* Non omnes quidem illegitimos reddiderat inhabiles ad Religionem Sixtus Quintus, sed solũ natos ex incæstu, nimirum ex consanguineis, & affinibus intra tertium gradum, & natis ex sacrilegio, quia saltem ex comparentibus vnus fuerit adscriptus voto castitatis. In Constitut. tamen *Ad Romanum*, excipit illegitimos ex subsequenti matrimonio legitimatos; Vnde illegitimi quorum ex parentibus vnus, vel ambo adstricti erant voto simplici castitatis, non erant ad Religionem inhabiles, si ex subsequenti matrimonio erant legitimi, vt aduertit *Bord. cap. 2. de profes. q. 55. & resol. 54. n. 38.* Eosdem verò illegitimos ex incæstu, aut sacrilegio natos permittebat recipi ad habitũ conuersorum, & famulorum in Monasterijs ad vilia seruitia, ita tamen, vt non reciperentur ad habitum religiosum, & religiosam professionem, nec ad primam tonsuram, nec ad Ordines, nec ad Ecclesiastica vfficia, functiones, & gradus. Sed Greg. 14. huiusmodi Constitut. reduxit ad terminos iuris, & Illegitimos etiam ex incæstu, & sacrilegio habiles ad Religionem, & professionẽ reddidit. Cum verò circa alios illegitimos recipiendos Sixtus Quintus talem præscripserit formam, vt in Generali, vel Prouinciali Capitulo matura deliberatione, per Generalem, vel Prouincialem de vnanimi Diffinitorum consensu approbaretur, hanc etiam formam abstulit Greg. 14. §. 3. *in fine, & §. 3.*

§. 3. decernens quascumque illegitimos admitti posse ad habitum, & professionem sicut prius poterant, ita tamen, vt de illegitimis sumerentur informationes illæ, quas circa legitimos sumi debere, idem Sixtus mandauerat. Quod intelligi debet si illegitimi excedant annum 16. quia de legitimis non habentibus 16. annos illæ informationes sumi non debebant. *Ita tamen* (inquit,) *vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcumque ij ad quos huiusmodi receptio spectat, præter alia, de quibus ex dictarum constitutionum præcepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent*, Subdit verò alias duas conditiones, præcipiens vt ij ad quos spectat, *Diligenter vitam eorum*, 1. illegitimorum, *& mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis speciem præferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectũ, eorumque receptio religionis commodo, & vtilitati profutura videtur*. In qua conditione nihil maius præcipitur, quam sit necessarium respectu cuiuscumque recipiendi, quia nullus recipi debet, qui non sit bonæ indolis, & de quo sperari non possit, & vitæ bonitas, & religionis vtilitas. Altera verò conditio, vt non admittatur filius parrotis religiosi einsdem Ordinis. *Dummodo tamen*, inquit, *filius illegitimus in religione in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expresse prohibemus, &c.* Vnde patre iam mortuo eius filius potrit in eadem recipi religione, cuius erat pater. Et nihilominus Bordon. *cap. 2. de Profess.* ex Mirand. docet quod dictio illa ita tamen, &c. quæ in illo §. 3. continetur, non significat conditionem propriè, & quod clausulæ illius § non exprimunt formas essentiales; Nam & dictio *Ita*, non semper importat propriè conditionem, vt per *Barbosam dictione 183. n. 10.* sed quidquid sit de hoc certum est nunc ex Const. Clem. 8. hæc non esse non de forma, sed professionem etiam contra dispositiones dictarum Constit. emissam esse validam.

58. Certum etiam est tertio per hanc Constitutionem derogatum fuisse constitutioni Sixti 5. pro ea parte pro qua censuit non posse cum illegitimis nisi per Sedem Apostolicam dispensari, vt possint habere gradus, dignitates, & officia, vt constat ex illis verbis. *Volumus quoq; & statuimus licere Generali, aut Prouinciali singulorum ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium ad quos dicta dispensatio spectat iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, qua dummodo sint recepta, nec alias sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidamus, cũ illegitimis, quos alias dictus Generalis, aut Prouincialis, cum Generali, Prouinciali, aut intermedio Capitulo, & non alias, suffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensari, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, & inde sequuta quæcumq; vt antea valere, & tenere, perinde ac si supradictæ Constitutiones non emanassent*. De potestate autem quam habent superiore ad dispensandum cum illegitimis ad officia, & dignitates dixi in *tract. de elect. cap. 35. quæst. 20.*

59. Est autem circa prædicta primo dubium, an infamia obstet, ne illegitimi recipi possint ad religionem, illegitimos enim esse infames infamia facti, dicitur in *l. fratres, C. de inoffic. testam.* Sed respondetur non attendi ius ciuile in ordine ad spiritualia, vbi ius Canonicum aliter disponit, sicut disponit in præsenti, statuens non solum illegitimos posse recipi ad professionem, sed professos posse ordinari Sacris Ordinibus, vt supra visum est.

60. Dubium secundo est, an receptio, vel professio filij recepti in eadem Religione viuente eius Patre religioso sit nulla, & recipientes sint excommunicati. Talis filij professionem esse validam, tenet Rodriq. *t. 7. q. 10. num. 5.* Sed recipientes subdi pœnæ excommunicationis, & alijs pœnis contentis in Constitut. Sixti Quinti, tenet Donatus *p. 4. t. 3. q. 5.* Primum verò probatur à Donato primo quia decretum Greg. non irritat factum. Nec obstat quia Constitutio Greg. in fine habet decretum irritans, ibi *irritum quoque & inane, quidquid super his à quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari*. Quia illud decretum irritans in fine positum respicit iudices, & eorum iudicium, quod decernitur nullum, si fuerit d. Constit. contrarium sed non per hoc in d. Constitut. prohibita, & non irritata, sunt ipso iure nulla. Sed illa pars probatur etiam, quia vt supra relatum fuit quantum ad hanc partem Constit. Sixti, & Greg. moderatus fuit Clem. 8. Constit. *In suprema* in qua abstulit pœnam nullitatis receptionum, & professionum factarum contra formam dictarum constitutionum. Et ita hanc partem docent etiam Portel. *v. Nouitius num. 11.* Mirand. *quæst. 21. a. 5.* Bordon. *cap. 2. de profess. q. 55.* & alij.

61. Quantum verò ad pœnam, Donatus eadem *quæs. num. 7.* ita loquitur vt sentire videatur, quod vniuersaliter incurrat excommunicationem & priuationem vocis, & officiorum quicumque receperit aliquem ad religionem contra formam prædictarum Constitutionum. Sed hoc non est verum, quia pœna excommunicationis non est lata à Sixto contra recipientes quemcumque prohibitum recipi, sed solum contra recipientes illegitimos, ideò qui recipiunt illegitimos contra formam Constit. Greg. 14. incurrunt pœnam excommunicationis, non latam per Greg. sed per Sixtum, quia pro hac parte Constitutionem Sixti vniuersaliter prohibentis recipi illegitimos nisi sub forma ab eo statuta non fuit moderatus Greg. 14. pro ea parte pro qua, & ipse prohibet illegitimos recipi, sed vim habet & efficaciam. Et sic recipiens ad Religionem filium illegitimum alicuius Religiosi in ea viuenos est excommunicatus. Sed non est priuatus voce, & officijs, quia hæc pœna non fuit per Sixtum lata contra recipientes illegitimos, sed contra recipientes criminosos. Et ita etiam qui recipit criminosum est quidem priuatus voce &c. sed non est excommunicatus.

62. Dubitat verò Lezana *t. 1. c. 54. num. 17.* & alij an illegitimorum receptio modo nedum sit valida, sed licita, & ratio dubij est, quia Clemens Octauus licet in sua Constit. *in suprema*, auferat nullitatem professionis, confirmat tamen pœnas latas in recipientes nouitios contra formã præscriptam à Sixto, & Greg. 14. vnde illegitimorum receptio remanent illicita, & pœnis latis à Sixto Quinto subiectu, Respondetur tamen dubium

blum nullam habere difficultatem, quia Clemens solum vult manere pœnas contra recipientes illegitimos contra formam Constitut. Sixti, & Greg. pro ea parte, pro qua dicta forma non est legitimè sublata. Modo per Greg. 14. ablata est forma seruanda ex Constit. Sixti pro ea parte pro qua prohibet recipi illegitimos ex patre Religioso, & incestu, & hæc prohibitio limitata est ad illos solos qui sint filij Patris in eadem religione viuentis, ideò solum contra recipientes huiusmodi illegitimos ex patre Religioso viuente in eadem Religione pœnæ vim habent. Cæterum quantum ad recipiendum illegitimos nulla forma iam remanet obseruanda, quæ sit illorum propria. Nam licet si alias sunt viri adulti excedentes 16. annum sumendæ sint informationes, quæ etiam de filijs legitimis sumi debent, nam & hoc expressit Greg. 14. Tamen cum ipse decreuerit illegitimos quoscumque posse recipi, sicut poterant ante Constitutiones Sixti Quinti, nulla forma in eorum receptione est seruanda, quæ non fuerit de iure antiquo. Nisi quòd fieri debet diligens inquisitio de eorum vita, & moribus, & non debent recipi nisi eorum merita suppleant natalium defectum, & eorum receptio sit futura vtilis Religioni. Et ideò omittentes sumere has informationes, vel recipientes immeritos subijciuntur pœnæ excommunicationis. Quia hæc forma erat seruanda ex Const. Sixti Quinti sub pœna excommunicationis quam non abstulit Greg. 13. Præfatæ, tamen informationes non est necesse esse iudiciales, sed sufficit esse extraiudiciales, & summarias.

63. Quartodecimo reiectus ab vna Religione non sine magna consideratione potest aut debet recipi in alia. In Ordine Prædic. fuit sub clausula irritante prohibitum, ne expulsum à quacumque Religione recipi posset. Ita in cap. Valen. 1596. Ord. 8. sed in capit. Rom. 1629. declarat 6. declaratum fuit, hoc intelligendum de expulsis, qui iam in alijs Ordinibus professi fuerunt. Nihilominus qui semel non fuerunt admissi in vna Religione, vel etiam in vna eiusdem Religionis Prouincia, vel imò in vno eiusdem Prouinciæ Conuentu, non sine diligenti & prudenti discussione negotij admitti debent in alio; quia si causa non admissionis est iusta, & generalis, tales nullibi admitti debent.

64. Quærit autem Bordon. *resol.* 54. *num.* 60. An sit melius admittere ad Religionem pauperes, & ignobiles, quam diuites, & nobiles, & multis probat melius esse admittere pauperes, & ignobiles. Quasi verò & pauperes, & ignobiles in Religionibus, nisi diuina gratia faueat, non habeant suos defectus & vitia, & assecuerati de pane non superbiant, & diditi otio labores regulares non contemnant, & tamen maiora prætendant, quam si ex summa seculi nobilitate (prout etiam fingunt) venissent. Hinc inde igitur multa dici possent, & alias nequit negari quòd diuitum consanguineorum diuitiæ, & nobilitas non valeant quam plurimum. Et quod virtus in nobili animo non maximè resplendeat.

65. Potest vero contingere, vt v.g. in monasterio monialium ex institutione non possint recipi nisi nobiles, In quo casu si sit puella nobilis ex priuilegio Principis Laici non poterit admitti; quia Princeps Laicus non potest nobilitare in ordine ad effectus spirituales, & Ecclesiasticos. Sed si puella sit nobilis ex priuilegio Papæ, admittenda erit quia ex vi priuilegij est capax eorum quæ naturalibus competunt, & omnibus eorum priuilegijs gaudet Pasqual. *centur.* 2. *q.* 192. vbi *num.* 12. deducit, quod nomine nobilium veniunt nobiles ex priuilegio in admissione ad ordines militares, si tamen Ordines subijciuntur illi Principi, qui contulit priuilegium nobilitatis, secus si illis non subijciuntur, quia hi non obligantur seruare priuilegia concessa à non superiore.

QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS II.

Vtrum debeat aliquis voto obligari ad Religionis ingressum.



AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non debeant aliqui voto obligari ad Religionis ingressum. Per professionem enim voto aliquis, religioni astringitur. Sed ante professionem conceditur annus probationis, secundum regulam B. Benedicti, & secundum statutum Innocentij Tertij, qui etiam prohibuit ante annum probationis completum, eos per professionem religioni astringi. Ergo videtur, quod multo minus adhuc in seculo existentes debeant voto ad religionem obligari. 2a. q. 88. art. 5. & quol. 3. a. 11. & op. 17. cap. 11. 12. & 13. & habetur 17. q. 2. In Decr. l. 3. ti. 31. de regulari. & transeunti. ad rel. c. 16. l. 1. c. 31 in Decr. d. 45. c. de Iudæis.

2. *Præterea, Greg. in registro dicit, & habetur in Decretis dist. 45. quod Iudæi non vi, sed libera voluntate, vt conuertantur, suadendi sunt. Sed implere id quod vouetur, necessitatis est. Ergo non sunt aliqui obligandi ad religionis ingressum.*

3. *Præterea, Nullus debet alteri præbere occasionem ruinæ. Vnde Exod. 21. dicitur, Si quis aperuit cisternam, cecideritque bos, vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium iumentorum. Sed ex hoc, quod aliqui obligantur ad religionem per votum, frequenter aliqui ruunt in desperationem, & in diuersa peccata. Ergo videtur; quod non sint aliqui ad religionis ingressum voto obligandi.*

SED contra est, quod in Psal. 75. dicitur, Vouete, & reddite Domino in glos. Aug. hoc loco, tom. 8.

Deo

Deo vestro. Vbi dicit gloss. quod quadam sunt vota propria singulorum ut castitas, virginitas, & huiusmodi. Ad hac ergo vouenda nos inuitat sacra scriptura. Sed scriptura sacra non inuitat nisi ad id, quod est melius, ergo melius est, quod aliquis voto se obliget ad religionis ingressum.

q.88 a.6 RESPONDEO *dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de voto ageretur, vnum & idem opus ex voto factum est laudabilius, quam si sine voto fiat: tum quia vouere est actus religionis, qua habet quandam excellentiam inter virtutes: tum quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum. Et sicut peccatum est grauius ex hoc, quod procedit ex voluntate obstinata in malum, ita bonum opus est laudabilius ex hoc, quod procedit ex voluntate confirmata in bonum, per votum. Et ideo obligari voto ad religionis ingressum est secundum se laudabile.*

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est religionis votum. Vnum solemne, quod hominem facit monachum, vel alterius religionis fratrem, quod vocatur professio: & tale votum debet pracedere annus probationis, ut probat obiectio. Aliud autem est votum simplex, ex quo aliquis non fit monachus, vel religiosus, sed solum obligatus ad religionis ingressum: & ante tale votum non oportet pracedere probationis annum.

Ad secundum dicendum, quod auctoritas illa Gregorij intelligitur de citata in arg. 1. *violentia absoluta. Necessitas autem qua ex obligatione voti requiritur, non est necessitas absoluta, sed necessitas ex fine: quia scilicet post votum non potest aliquis finem salutis consequi, nisi impleat votum. Talis autem necessitas non est vitanda: quinimmo ut August. dicit ad Armentarium,* epist. 45. non multum procul à fine. *& Paulinam, Felix est necessitas, qua ad meliora compellit.*

Ad tertium dicendum, quod vouere religionis ingressum, est quadam confirmatio voluntatis ad meliora. Et ideo quantum est de se, non dat homini occasionem ruina, sed magis subtrahit. Sed si aliquis voti transgressor grauius ruat, hoc non derogat bonitati voti, sicut nec derogat bonitati baptismi, quod aliqui post baptismum grauius peccant.

SVMMARIVM.

1 *Non esse bonum vouere religionem aliqui dixerunt.* num. 1.
2 Resolutio articuli. num. 2.
3 *Actus virtutis melius est, si fiat ex voto.* numer. 3.
4 *Votum Religionis ex duplici causa bonum.* numer. 4.
5 Requirit magnam deliberationem; Ideo impuberum non est firmum. num. 5.
6 *Votum religionis penitus relaxata malum.* numer. 6.
7 *Votum illicitum respectu eius cui non licet ingredi religionem.* num. 7.
8 *Qualiter sit bonum inducere aliquem ad vouendum religionem.* nu. 8.
9 *Quid sentiant aliqui de hoc voto, voueo religionem nisi aliud Deus de me disponat.* numer. 9.
10 *Hoc votum non est conditionale, quia conditio expressa tacitè inest.* num. 10.
11 *In dubio an Deus aliud disponat, votum non obligat.* num. 11.
12 Votum moriendi in religione est votum ingressus, & perseuerantia. num. 12.
13 *Quando obliget.* num. 12.
14 *Votum ingrediendi, si potero, est conditionatum.* num. 13.
15 Votum ingrediendi in hanc religionem, si fiero religiosus, est votum verum. nu. 14.
16 Votum quod nullus impediet suis precibus, ne religionem ingrediatur, est votum, sed non religionis. num. 15
17 Votum volendi esse religiosum non est votum religionis. num. 16.

Vtrum debeant aliqui voto obligari ad Religionis ingressum.

1. NOn defuerunt, qui dicerent non esse laudabile vouere ingressum religionis, quos sine nominis expressione refert D. T. opus 17. c. 11. mouebantur autem præcipuè ex motiuis, quæ D. T. affert in argumentis, & præcipuè, quia cum status religiosus sit difficilis, & arduus, videtur non posse prudenter promitti ab eo, qui illum non fuit expertus. Contra hos igitur D.T. disputat in hoc articulo.

2. Resolutio textus est, votum religionis esse laudabile, quia opus bonum fit laudabilius ex voto: tum ob honestatem quæ operi ex virtute religionis aduenit: tum quia fit maiori & firmiori voluntate. Est autem hæc conclusio textus affirmans votum religionis esse laudabile certa de fide, & constat ex communi consensu Ecclesiæ.

3. Quoniam verò qui negabant bonum esse licitum religionis votũ ex hoc mouebantur, quod simul existimabant melius esse actum virtutis factum absque obligatione voti; errorem hunc confutat D.T. in hoc articulo, & latius opus 17. c. 12. & valde vtile est eius rationes, & verba hic referre. *Et primo consideremus, an verum sit, quod di-*

scilicet magis esse meritarium opus virtutis ubq; voti abligatiane factum, quàm si ex voto id aliquis impleat. Et quamuis de hoc plura sint dicta in alia nostra libello, quem de perfectiane canscripsimus, hic tamen aliqua iterare non pigeat. Prima igitur cansiderandum est, quia cum laus operis ex radice voluntatis dependeat, tanta exterius opus laudabilius redditur, quanto ex meliori voluntate procedit. Inter alias autem conditiones bona voluntatis vna est, vt sit voluntas firma & stabilis. Vnde in vituperium pigrorum inducitur, quod habetur Prouerbiorū 13. *Vult & non vult piger. Tanta igitur opus exterius laudabilius redditur, & magis meritorium, quanta voluntas eius magis stabilitur in bono. Vnde & Apostolus monet* 1. *ad Corint.* 15. *Stabiles estote, & immabiles. Et secundum Philosophum ad virtutem requiritur, vt aliquis firmiter, & immobiliter aperatur. Sed & iustitiam iurisperiti diffiniunt, quod est constans & perpetua voluntas. Sicut & econtraria patet, qua tanta peccatum est detestabilius, quanto voluntas hominis magis fuerit obstinata in mala.* Vnde *& obstinatio ponitur peccatum in Spiritum sanctum. Manifestum est autem, quòd vo notas firmatur ad aliquid faciendum per iuramentum. vnde & Psalm. dicebat. Psal.*118. *Iuraui & statui custodire iudicia iustitia tuę. Confirmatur etiam similiter & voto, cum votum sit promissia quadam. Qui autem promittit se aliquid facturum, firmat prupositum suum ad illud implendum,* Laudabilius *igitur est virtutis opus & magis meritorium, si fiat volunotate firmata per votum. Hoc etiam apparet ex consuetudine vita humana. Quia enim voluntas humana mutabilis est, ad hoc vt verbis hominum fides adhibeatur intantum inaleuit consuetuda, vt hoc quod aliquis alteri vult facere, pramissiane confirmet, & vlterius promissionem robores legitimis munimentis. Plus autem debet vnusquisq; sibi quàm praxima, pracipue in his qua pertinent ad spiritualem salutem, secundum illud* Eccles. 30. *Miserere animu tuu placens Deo. Patest autem homo propter voluntatis mutabilitatem pratermittere id, quad propasuit pro sua spirituali salute, sicut & quod propasuit pro commodo temporali ulterius. Si igitur aliquis vtiliter prouidet praximo vallando pramissionem suam iuramento, fideiussione, vel pignora, multo magis vtiliter & laudabiliter sibi prauidet, si bonum propositum quod concepit, vel voto, vel iuramento, vel quocunque alio mada firmare studuerit.* Vnde *August. dicit in epistola ad Paulinam & Armentarium, Quia vouisti, tum te astrinxisti, aliud tibi facere nan licet. Et postea subdit. Nec ideò tamen te vouisse pœniteat, immò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimenta licuisse. Amplius considerandum est, qua opus inferioris virtutis laudabilius redditur, & maggis meritorium, si ad superiorem virtutem ordinetur, sicut opus abstinentia si ordinetur ad charitatem. Pari ergo ratiana, & si ordinetur ad latriam quæ est abstinentia patitur. Votum autem est latria actus. Est enim pramissio Deo facta de his qua pertinent ad Dei obsequium, vnde Esa.*19. *dicitur Cognoscent Aegiptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt domina, & soluent. Ieiunium igitur laudabilius erit, & magis meritorium, si fiat ex vota. Hinc est quod in Psal.*75. *vel consulitur, vel mandatur. Vouete, & reddite domino Deo vestro: quod frustra mandaretur, vel consuleretur nisi opus bonum ex voto facere melius esset.*

4. Ex his igitur, quæ in hoc articulo breuius a D.T. assumpta sunt, deducitur, quod cum bonum sit ingredi religionem, melius est illam ingredi ex voto duplici de caosa, & quidem primo ex parte bonitatis actus, qui ex quo fit ex voto, nedum habet bonitatem ex obiecto, sed habet bonitatem virtutis religionis, ex qua actus ille est promissus, & vti promissus ex ea imperatur. Secundo quia quod fit ex voto, fit ex voluntate magis firma, & firmius adherente bono; quod ad laudem operis pertinet. Nec obstat, si quis dicat, quod melius sit statim ingredi religionem, quam ingressum vouere; quia sæpius ingressus in religionem non potest statim exequi, ob multa impedimenta, quæ illum retardant, ideo laudabile est interim talem ingressum Deo promittere. Præterquam quòd etiam si homo statim posset religionem ingredi, non propterea probaretur quòd vouere religionem non esset laudabile, sed quod non sit tantum bonum religionem promittere, quantum est illam ingredi, cum tamen propositum operandi bonum sit semper laudabile secundum se, & ex consequenti sit melius nedum proponere bonum, sed illud vouere. Dicitur vero quod vouere Religionem est bonum secundum se, quia ex circumstantijs posset contingere, vt votum religionis in hoc vel illa persona non esset laudabile. Ideò ad hoc votum requiritur ætas matura, quamuis enim ad eius valorem simpliciter sufficiat ætas vsus rationis, tamen votum hoc in impubere non est firmum, sed irritari potest, nisi cum puer ad pubertatem peruenit illud confirmet, Et hoc votum non est de facili pueris consulendum, qui sicut faciliter persuadentur, ita sæpius mutentur. Ideò secundo hoc votum requirit maiorem deliberationem quam alia, vt prudenter emittatur, quia perfecta mutatio vitæ & status, & exacta sui negatio est res grauissima, & magis digna consilio, & deliberatione, vnde bene examinanda est diuina vocatio, & impedimenta, & conditio personæ, maximè ratione infirmitatis, ad hoc vt homo videat an sit expediens religionem vouere Caiet. in præsenti Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*4. *cap.*1. *num.*2.

6. Ex parte etiam materiæ hoc votum esset illicitum, si esset illicitus ingressus ex eo, quod religio cuius ingressus promittitur esset relaxata in substantialibus, vnde religiosi sine obedientia ad placitum viuerent, & paupertatis votum, & alia violarent, vnde communiter ferè omnes reputarentur malæ conscientiæ, & sine timore Dei sine proxima spe reformationis. Ingressus enim in hanc religionem esset illicitus ob imminens periculum peruersionis, scriptum est enim Psal. 17. *Cum peruersa, peruerteris*; & ideo votum ingrediendi in hanc religionem esset nullum, & illicitum, quia de re illicita Caiet. *tom.* 1. *opus. tract. vlt. respons.*7. in fine, & supra q.88. *n.* 3. *circa resp. ad secundum dub. secunda Vers. sed quid si talis.* Nauar. *cap.*12. *num.*46. vbi quod sit peccatum implere tale votum, Ledesma *p.*2. *tract.*10. *cap.*3. *dub.*7. *casu* 5. Ouandus, Rodriq. & Lopez quos sequitur Sanchez *lib.*4. in Decal. *cap.*18. *num.*14 Martinez de Prado Theolog. Moralis *cap.* 31. *q.* 7. *num.* 1. Et apud eum Trullench. idem verò Nauar. *num.* 51. eadem ratione dicit parentes mortaliter peccare, si puellas educandas ad finem monachandi illas inducant

ducant in monasteriis modo prædicto relaxata. Et ita non ingressus in similem Religionem aut monasterium esset materia voti, quia esset de meliori bono, vnde si quis vouisset non ingredi, si ingrederetur peccaret contra votum, Nauar. *cap.* 12. *num.* 36. Sanchez *d. cap.* 16. *num.* 15. Sed benè aduertit Martinez citatus *num.* 2. cautè hic procedendum, quia non est facile, quod tota vna Religio sit ita collapsa, quod de ea verificentur, quæ habet Caiet. nimirum, quod *quilibet viuit ad placitum, & reputantur mala conscientia fere omnes.* Licet cum minori difficultate relaxatio in aliquo vno monasterio inueniri possit, maximè si ex illo non est transitus ad reformatos. Cæterum vbi Religio sit talis, in qua substantialia obseruantur communiter, & viuitur sub obedientia Prælatorum licet non ita districtè, vt regularis obseruantia peteret, sicut ingressus in talem religionem est bonus, ita bonum est votum de eiusdem ingressu, vt citati DD. tradunt. Imo addendum puto, quod cum regula religiosa non sit mala, licet non sit obseruata, præciso periculo malè viuendi ob aliorum exemplum, & concordiam, votum de profitenda tali religione bonum esset, & validum, quia viuere secundum regulam est bonum, & melius, quam viuere in sæculo, & eo melius quòd hoc potest esse vtile ad tollendos abusus.

7. Hinc quoque sequitur, quod cum vt ex infra dicendis apparebit multi sint quibus non licet ingredi Religionem, quia vel inepti ad eius obseruantiam, aut quia obligati ad aliud, quod Religioni repugnat, in illis votum ingrediendi religionem, cum sit de re illicita, & prohibita, non est licitum, & factum non tenet.

8. Quæri autem potest, an sit laudabile consulere alicui vt voueat religionem; videtur enim quod Caiet. hic vniuersaliter neget laudabile esse inducere aliquem ad religionis ingressum, quia minus liberè fit, quod fit ad persuasionem alterius. Sed distinguitur inductio ad religionis votum, quia alia est simpliciter antecedens voluntatem, & importuna, & hæc vt ait Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 2. Non est multum laudabilis, quia hæc est quæ solet multum minuere libertatem, & de hac loquitur Caietanus; vel inductio non est antecedens voluntatem, vel si antecedat non est importuna, & vtitur rationibus diuinis, non humanis, & hæc inductio non habet vnde reprehendatur. Si enim quis interrogetur ab aliquo, an sit expediens vt ipse voueat religionem, benè potest iste id respondere, si omnibus pensatis videat id expedire, vt habens propositum ingrediendi religionem illud interim mutet. Vel si omnibus bene pensatis videat quis bonum esse, vt aliquis ingrediatur religionem, inducat ad vouendum ingressum in illam, non precibus aut promissionibus, aut humanis motiuis, sed proponendo motiua diuina sine importunitate. Neque hic reprehendi debet, si is cui hoc votum suadetur non sit peer, vel talis, qui magis moueri possit ad vouendum ex reuerentia consulentis, quam ex pondere rationum. Bonum enim est, vt hoc votum sit maximè liberum, & ideò attendendum ne dum alicui suadetur votum, quòd non sit illi proportionatum, & ne suasio habeat speciem aliquam violentiæ, diminuentis libertatem vouentis, quia alias, vt Caiet. ait. Sicut mulieri amara est semper recordatio eorum, qui illam induxerunt ad matrimonium, quod ipsa experitur sibi molestum, ita magis difficultates religionis sentit, & magis molestè illas sustinet, qui non sponte omnino, sed ad alterius suasionem vouit ingressum illius. Nihilominus qui consulit, si videat validè expedire alicui, vt religionem voueat, etiam si hoc futurum sit molestum vouenti, non est reprehensibile si facit sine vi id, quod simpliciter omnibus pensatis est vel melius, vel nedum melius sed ferrè etiam moraliter necessarium.

9. Quæritur secundo, an sint vota religionis fila, quæ vno ex his modis concipiuntur scilicet. Promitto religionem, nisi aliud Deus de me disponat: Vel promitto mori in religione: vel promitto me ingressurum religionem si potuero: vel promitto me ingressurum hanc religionem, si quâ ingrediar: vel voueo nullam personam mihi fore impedimento, quominus ingrediar religionem: vel voueo velle ingredi religionem. Respondetur autem, quod primum est votum religionis; sed conditionatum. Quidam sentiunt, & dicunt, quod vbi de speciali vouentis intentione non constat votum potest habere duplicem sensum: primus scilicet. *Voueo ingredi religionem, nisi Deus per aliquam infirmitatem, vel aliud obstaculum me impediat; secundus voueo religionem, nisi Deus aliud disposuerit, quod sit mea saluti vtilius.* In vtroque autem sensu verè promittitur religio, sed sub conditione, qua purificata, tenetur vouens ad religionis ingressum. Vnde tenetur etiam (si ipse solus ad hoc non sufficiat) consulere prudentes, vt videat vel an impediatur ab ingressu religionis, vel an sit melius vt non ingrediatur. In dubio verò vtrum illorum magis expediat, meliùs esse commutationem, aut dispensationem impetrare. Ita ex Cordubæ *in sum. q.* 49. *& Rodriq. tom.* 1. *sum. cap.* 95. *n.* 9. habet Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 16. *n.* 2. vbi addit, cessare voti obligationem ex defectu cuiuscumque ex illis conditionibus, nimirum quia aut adest impedimentum; aut melius est, & expediens saluti vouentis non ingredi Religionem. Quia cum vtrumque sensum ea verba admittant, nec sit potior ratio de vno, quam de alio, dum iuxta vtrumque conditionalem sensum non stat voti obligatio, præsumendum est potius in fauorem libertatis vouentis, vtpote, quæ possidet. Et hoc impedimentum non intelligit tale, quale etiam ea conditione non apposita deobligaret prorsus à voto: quia tunc frustra ea conditio apponeretur: Nec etiam intelligit impedimentum temporale; quia id non solet religionis ingressum impedire; sed medio modo id esse accipiendum, nempè quando impedimentum est tale, vt quamuis ea conditione seclusa non excusaret, at commodum religionis ingressum diu impediret, & prudentis iudicio rationabile iudicatur.

10. Sed dicendum est votum hoc esse absolutum, quia conditio, illa nisi aliud Deus de me disposuerit, tacitè inest in omni voto, & quantumcumque votum sit absolutum, inest illi conditio nisi fuero impeditus, vel nisi executio fuerit mihi impossibilis vel maioris boni impedimentum. Et quod dicitur, quod in hoc voto conditio non exprimitur sicut tacitè inest; quoniam impedimentū

quod absolutè non valeret, nisi ad diu differendam executionem voti, comprehenditur sub hac conditione tamquam sufficiens simpliciter, & excusans à voto, non dicitur consequenter, quia impedimentum, quod de se sufficit solum ad diu differendam executionem voti est impedimentum temporale, quod certe, vt & Sanchez fatetur non excusat simpliciter ab ingressu Religionis. Nec propriè à Religionis ingressu impeditus dici potest nisi ad tempus, qui si hodie, vel hoc anno non potest ingredi, poterit cras, vel anno sequenti. Hic igitur videndum est, quid vouens intenderit, & vbi de speciali eius intentione non constet, standum erit proprietati verborum, & eorum vsitatæ significationi; Deus verò propriè non dicitur disponere quod volens ingredi religionem, & quidem voluntate absoluta ex parte volentis nō ingredietur, nisi vel quia voti executio fiat non possibilis, vel fiat maioris boni impedimentum.

11. Si verò sit dubium, an re vera voti executio sit possibilis, vel sit impedimentum melioris boni, & ex consequenti an votum obliget, credo votum non obligare, quia intentio vouentis non fertur sub conditione dubia, sed manifesta. Sicut enim in foro externo, si quis aliquid promisisset alicui se daturum centum posita conditione, non damnaretur, vt illa daret, si conditio nō fuisset manifeste purificata, & petentis centum esset probare manifeste illam esse purificatam. Ita & in foro conscientiæ sentiendum est. Eadem enim est ratio vtrobique. Nedum quia fori externi sententia iusta in virtute iustitiæ, & naturalis legis fundatur; sed quia in proposito sensus verborum obligationis sub conditione ex communi vsu hominum est si conditio manifestè existat. Et dum dicitur v.g. dabo tibi centum, si cras pluerit, non est sensus dabo tibi centum, si cras dubium fuerit pluisse, vel nō pluisse, sed si pluisse manifestum fuerit, & id mihi constiterit. Ideo non est vnde in præsenti disputetur, an in dubio facti tutior pars sit eligenda; quia hic non sumus in dubio facti, quia licet sit dubia existentia conditionis, non est dubia obligatio voti, quæ non se extendit ad conditionem dubiam, nisi in casu, quod vouens expresse voluerit se obligare nedum sub manifesta conditione, sed etiam sub dubia, quod certè non est præsumendum, quia nec est verisimile, quod vouens voluerit se grauare magis, quam verba significent, & voluerit se subijcere scrupulis, & anxietatibus, quæ ex dubietate conditionis oriri possent. Et eo magis, quod in dubio votum interpretandum est in sensu benigniori, vt colligitur ex *cap. Ex parte, de censibus*, & tradunt ibi DD. nec imponenda est obligatio alicui, nisi de ipsa clare constet ob periculum transgressionis.

12. Secundum autem est votum Religionis absolutum; quia mori aliquem religiosum supponit religionis ingressum; vnde qui vouet se mori in religione intendit religionem ingredi ante tempus mortis, vt mors adueniens eum religiosum inueniat. Vnde nedum est votum ingressus in religionem, sed etiam perseuerantiæ. *Nauar. l. 3. cons. 7. n. 5. de voto, Rodriq. tom. 2. sum. cap. 95. n. 2. Azor. p. 1. l. 11. cap. 42. n. 11. Palaus trac. 16. disp. 1. p. 5. n. 4. Bonac. de Sponsal. q. 2. p. 5. §. 6. n. 7. Sanchez l. 4. in Decal. cap. 14. n. 9.* Quando vero hoc votum obliget ad Religionis ingressum, Sanchez existimat vouentem non teneri ex vi huius voti ad ingrediendum in religionem statim, quia nisi aliter intenderit vouens, verba præfata hoc non exprimunt, cum vouens vouerit solum sic ingredi, vt in Religione moriatur. Nec tamen sufficit expectare instantem mortem, cum nec ipse erit opus religioni, nec de facili eum recipiet. Vnde oportet, vt vouens ingrediatur cum ingressus est possibilis, & religioni vtilis, & ille vires habent ad religionis onera sustinenda. Dicendum igitur est cum Palao vbi supra, quod in arbitrio prudentiæ est mensurare hoc tempus; nec nimia dilatio concedenda est, in qua solent euenire pericula reddendi impossibilem ingressum, aut ferè infructuosum, si ille inutilis sit religioni, vel illius exercitijs minus aptus.

13. Tertium etiam est votum religionis, sed conditionatum conditione si potero. Quæ conditio de mente vouentis, & ex eius intentione explicanda est. Qui si nesciat explicare, quid intendat, debet interpretari iuxta sensum verborum, & coniecturas, vt si vouens patitur vehementes passiones, vel est valde affectus ad aliquod vitium, & procliuis in illud, sit sensus vouco religionem, si cum mediocri diligentia, & sine magna difficultate potuero prauam inclinationem vincere. Ita *Sāchez l. 4. sum. cap. 16. n. 5.* probat autem ex *Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 3. sec. 3. n. 5.* Sed *Suarez* ibi nec loquitur de voto, nec loquitur de voluntate absolute ex parte volentis, sed de velleitate explicata per verbum *vellem*. Sed probatur, quia in sermone communi dicitur, quod quis possit id, quod commode potest facere, & quod nō nisi cum graui difficultate fit, dicitur impossibile. *Barbos. axiom. 184. n. 7.* Vnde idem est dicere faciā, si potero, ac dicere si sine grauis difficultate fieri à me poterit. Et sic ex vi talis voti non tenetur ingredi, si ingressus sit sibi, vel impossibilis simpliciter, vel adeo difficilis, vt impossibilis censeri possit.

14. Quartum non esse verum votum contendunt aliqui, quos refutat Paludanus, qui mouebantur quia vouendo hanc religionem vouens ponit impedimentum ad ingressum in religionem strictiorem. Sed dicendum est illud esse verum votum, sed non esse votum religionis, sed votum conditionatū ex suppositione quod vouens velit ingredi religionem *Palud. 4. d. 38. q. 1. n. 30. concl. 3. D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. not. 4. Syluest. v. votum 1. q. 4. fin. Sanchez, l. 4. in Dec. cap. 8. n. 44. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 4. c. 1. n. 4.* Et nihilominus si hic vouens solum voueret nullam aliam intraturum religionem, & non vouere hanc aliquam ingredi, votum esset illicitum, & nullum. *Syluest. vbi supra.* Sicut si principaliter intendens auersionem ad alias religiones solum ad illas non assumendas se vellet obligare. *Sanchez num. 47.* Quam tamen religionem non tenetur ingredi, quia illam non nouit. Sed benè si semel voluerit efficaciter ingredi religionem tenetur ingredi illam, quam nouit. Nec valet quod apponebatur, quia tenet votum de re, quæ solum indirectè impedit maius bonum, vt si quis voueat non accipere in coniugem nisi hanc, votum est validum, licet vouens si illam accipiat religioni, quæ est maius bonum, impedimentum ponat. Quamuis vlterius dici debeat

nullum

nullum hic adesse melioris boni impedimentum; quia per tale votum determinatur voluntas vouentis ad religionem illam præ omnibus laxioribus, & per hoc non impeditur, quis possit etiam propria authoritate se determinare ad strictiorem, si voluerit.

15. Quintum etiam non est votum religionis, nisi ex speciali intentione vouentis. Sensus enim illius est, quod nullius præcibus detinebitur, ne religionem ingrediatur; vnde non vouet religionem, sed vouet quod in casu, quod vellet esse religiosus, nullius precibus à proposito detinebitur. Sed si intentio sic votum exprimentis est nihil esse in mundo, quod illum impediat ne propositum exequatur: hoc votum continet voluntatem ingrediendi religionem, & illam Deo offert, & confirmat. Quia si nihil futurum est, quod retrahat eum à religione, non datur igitur motiuum, nec est dabile, quod possit illum retrahere saluo voto, ne religionem ingrediatur, vnde tenetur religionem ingredi, aliter dari posset motiuum, ob quod posset impediri eius in religionem ingressus. Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 16. n. 7.* Vbi addit ex coniecturis posse colligi, qualis fuerit sensus vouentis. Nam si occasione precum sibi porrectarum vouit, signum est illum intendisse solum excludere consensum suum ad instantiam precum dandum, quia scilicet nullius precibus fiet vnquã, ut si ipse alias religionẽ elegerit, pœniteat. Sed si vouens quia se fragilem nouit, & proponuntur sibi variæ difficultates, ideò vouet ne ab illis vincatur, signum est posterioris sensus. Sed semper prius verba vouentis attendi debent, & in dubio iudicandum est eum voluisse quod minus est, nimirum nullam personam fore obstaculo, quin ipse religiosus fiat, si fieri voluerit. Et certè huic sensui fauet *cap. ex parte, de Censibus, & reg. 30. de reg. iur. in 6. In obscuris minimum est sequendum.* Et quamuis benè moneat Glossa ibi, quod in obscuris debet primo attendi quod est verisimilius, & quod consueuit fieri, tamen his non inuentis, considerandum est minimũ; cuius ratio est, quia in votis, & promissionibus, vbi dubium est quantum fuerit promissum, certum est saltem minimum fuisse promissum, & sic sine iniuria aliqua, & cum certitudine vouenti obligatio ad minimum tribuitur, at cum obligatio ad maius sit incerta, & sit incertum, an maius sit promissum, tutius est, & rationabilius non imponere vouenti obligationem ad id, ad quod ipsum se voluisse obligare est incertum. Ideò votum in dubio determinandum esse ad minorem quantitatem dixerunt Valent. *to. 2. disp. 6. q. 6. p. 4.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 20. q. 2. & 10.* Suarez *l. 4. de voto cap. 15. n. 8.* Layman. *l. 4. tr. 4. c. 3. n. 3.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. q. 2. p. 6. n. 15. & 31.* Palaus *tr. 15. disp. 2. p. 12. n. 24.* Candidus *disp. 25. a. 19. n. 4. 6. 7. & 12.* Diana *3. p. tract. 6. resol. 50.* Martinez de Prado Theol. moral. *cap. 31. q. 6. n. 5. & apud illum* Gallego, & Trullench.

16. Sextum non est votum religionis, & Nauar. *cons. 6. de voto* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 22. q. 1.* Sanchez *l. 4. in Decal. cap. 16. n. 8.* illi satisfit, si uouens aliquando habeat voluntatem ingrediendi religionem, cum quo stat, vt non teneatur voluntatẽ implere, sed possit illam mutare, quia aliud est velle, & aliud exequi voluntatem Gloss. *L. in vendendis C. de contr. empt.* Vnde talis si nubat, non facit contra votum, quia est capax, vt velit ingredi religionem vel consentiente coniuge, vel per diuortium perpetuum, & sic potest haberi talis voluntas, & votum impleri. Idem verò iudicium faciũt prædicti DD. de voto nolendi in sæculo viuere, vel nolendi aliquod omittere; quia hoc votum solum est votum non eliciendi hunc actum, scilicet volo in sæculo viuere, vel volo hoc omittere. Et sic ad obseruantiam talis voti sufficit vouentem se habere negatiuè, & præfactum actum voluntatis non elicere. Verùm aliud posset esse de intentione vouentis, & huius voti obiectum posset esse voluntas efficax, & executa, & ex consequenti materia voti esset ingressus in religionem.

QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS III.

Vtrum ille, qui obligatus est voto ad Religionis ingressum, teneatur intrare.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod ille qui obligatus est voto ad religionis ingressum, non teneatur intrare religionem. Dicitur enim in Decret. 17. q. 2. Gonsaldus presbyter quondam infirmitatis passione pressus monachum se fieri promisit: non tamen monasterio, aut abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, sed beneficium ecclesiæ in manu aduocati refutauit. Ac postquam conualuit, monachum se negauit fieri, & postea subditur, Iudicamus, & auctoritate Apostolica præcipimus, ut præfatus Presbyter beneficium, & altaria recipiat, & quiete retineat. Hoc autem non esset, si teneretur religionem intrare. Ergo videtur, quod non teneatur aliquis implere votum, quo se ad religionis ingressum obligauit. [illegible] Gonsaldus.

2. Præterea, Nullus tenetur facere id quod non est in potestate ipsius. Sed quod aliquis religionem ingrediatur, non est in potestate ipsius: sed requiritur ad hoc assensus eorum ad quos debet transire. Ergo videtur, quod non teneatur aliquis implere votum, quo se ad religionis ingressum obligauit.

3. Præterea, Per votum minus vtile non potest derogari voto magis vtili. Sed per impletionem voti religio-

nis

nis impediri posset impleto voti crucis in subsidium terræ sanctæ: quod videtur esse vtilius: quia per hoc votum consequitur homo remissionem peccatorum. Ergo videtur, quod votum quo quis se obligauit ad religionis ingressum, non sit ex necessitate implendum.

Sed contra est, quod dicitur Eccles. 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Et super illud Ps. 75. Vouete, & reddite Domino Deo vestro: dicit glos. Vouere voluntati consulitur: sed post voti promissionem redditio necessario exigitur.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de voto ageretur, votum est promissio Deo facta de his quæ ad Deum pertinent. Vt autem Aug. dicit in epistola ad Bonifacium, Si inter homines bonæ fidei solent contractus nulla ratione dissolui: quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit? Et ideo ad implendum id, quod homo vouit, ex necessitate tenetur: dummodo sit aliquid, quod ad Deum pertineat. Manifestum est autem, quod ingressus religionis maxime ad Deum pertinet: quia per hoc homo totaliter se mancipat diuinis obsequijs, vt ex supra dictis patet. Vnde relinquitur, quod ille qui se obligat ad religionis ingressum, teneatur religionem ingredi, secundum quod se voto obligare intendit: ita scilicet, quod si intendat se absolutè obligare, tenetur quam citius poterit ingredi, legitimo impedimento cessante. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, tenetur religionem ingredi tempore adueniente, vel conditione existente.

Ad primum ergo dicendum, quod ille presbyter non fecerat votum solemne, sed simplex. Vnde non erat monachus effectus, vt cogi deberet de iure in Monasterio remanere, & Ecclesiam dimittere. Tamen in foro conscientiæ esset sibi consulendum, quod omnibus dimissis religionem intraret. Vnde extra, de voto, & voti redemptione, capitulo, Per tuas, consulitur Episcopo Gratopolitano, qui post votum religionis episcopatum assumpserat, voto non impleto: vt si suam saluare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua.

Ad secundum dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de voto ageretur, ille qui se voto obligauit ad certæ religionis ingressum, tenetur facere quantum in se est, vt in illa religione recipiatur. Et si quidem intendit se simpliciter ad religionem obligare, si non recipitur in vna religione, tenetur ire ad aliam. Si vero se intendit specialiter obligare ad vnam solum, non tenetur nisi secundum modum suæ obligationis.

Ad tertium dicendum, quod votum religionis, cum sit perpetuum, est maius, quam votum peregrinationis terræ sanctæ, quod est temporale. Et sicut Alexander tertius dicit, & habetur extra, de voto, & voti redemptione, capitulo, Scripturæ: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutare. Rationabiliter autem dici potest, quod etiam per ingressum religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime: multo magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per religionis ingressum: quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in decretis, trigesima tertia, quæstione secunda, canone, Admonere. Sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, vt Gregorius dicit super Ezechielem. Vnde legitur in vitis patrum, quod eamdem gratiam consequuntur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Si tamen non absoluerentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus ingressus religionis vtilior est, quam peregrinatio terræ sanctæ, quantum ad promotionem in bonum, quæ præponderat absolutioni à pœna.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Ratio Doctrinæ*. num. 1.
2 *Articuli resolutio*. num. 2.
3 *Qui vouit tenetur ingredi prout vouit*. num. 3.

1. IN eo qui religionem vonet duo considerantur, scilicet ingressus, & perseuerantia. Nam religio est status, ad statum autem pertinet immobilitas, vt supra probatum est. Ideo D. T. obligationem voti religionis explicat per duos articulos, quærens in hoc *artic.* 3. an vouens religionem teneatur intrare, & in sequenti an teneatur perseuerare.

2. Resolutio articuli est, quemlibet vouentem teneri seruare promissum Deo, & ideo vouentem religionem absolutè teneri intrare quam citius poterit, vouentem verò sub conditione teneri intrare impleta conditione.

3. In prima conclusione textus, asseritur, eum qui vouit ingredi religionem teneri ingredi, secundum quod voto se obligare intendit. Quæ conclusio certa est de fide, & ex praxi, & cõmuni Ecclesiæ vsu. Et ex ea sumitur regula generalis in materia voti, quod scilicet voti obligatio ex intentione vouentis mensuranda sit, ita vt non teneatur vouens nisi ad id, ad quod se intendit obligare, & nisi tunc, & eo modo, & sub illis circumstantijs sub quibus voluerit se obligare. Hinc soluitur.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit Religionem ex vi voti non tenetur ad castitatem, & alia onera religionis*. num. 4.
2 *Etiam si sua culpa non fuerit receptus, vel fuerit eiectus ne profiteretur*. num. 5.
3 *Nisi castitatem simul vouit principaliter*. num. 6.
4 *In dubio, an præsumendum sit vouisse principaliter castitatem*. num. 7.
5 *In interpretando voto consideranda sunt verba vouentis*. num. 7.

De obligatione eius qui vouit Religionem.

INSPECTIO I.

4. QVæstio illa, an vouens Religionem teneatur ad ea, quæ sunt Religionis antequam Religionem ingrediatur, nimirum an teneatur ad castitatem, & paupertatem, & alia onera, & obseruantias regulares? Nam cum in voto religionis contineantur vota castitatis, & paupertatis, videtur quod vouens religionem ex hoc iam teneatur castus esse, & pauper. Sed dicitur, eum qui vouit religionem ex vi talis voti non teneri ad aliquam regularem obseruantiam, nisi ex speciali intentione ad aliquam se obligauit. Promissio enim religionis est promissio religiosarum obseruantiarum mediatè, & sub conditione, scilicet si vouens ingrediatur religionem, & pro tempore quo ingressus fuerit religionem; vnde nondum posita conditione eoque religionem non ingresso, ad nullam obseruantiam regularem tenetur ex vi voti, nisi & per se aliquam talem obseruantiam voueat. Nec obstat, si sua culpa differat ingressum, quia esto in hoc casu peccet non ingrediendo religionem, non peccat tamen non obseruando regulam religiosam, quia ad hoc non se obligauit, nisi sub conditione ingressus, seu si ingrediatur, & fiat religiosus, vt bene probant Caiet. *supra q.* 88. *a.* 3. *circa respons. ad secundum arg.* Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 1. *ad tertium* Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 4. *c.* 2. *n.* 2.

5. Sed quæstio grauis est, an qui vouit religionem, & sua culpa non est ingressus, vel ante professionem eiectus, nec potest amplius ingredi teneatur ad obseruantias regulares, & præcipuè ad votum castitatis. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 1. *n.* 9. dixit eum, qui vouit perseuerantiam, & cum non potuerit onera religionis sustinere egressus fuit, extra Religionem teneri in seculo viuere non seculariter. Alij autem voluerunt, eum, qui religionis voto emisso non fuit admissus, sed perpetuam repulsam habuit, teneri viuere in seculo sub obedientia Episcopi, & eius Monachum esse. Sic enim dixerunt Hostien. *ad cap.* Porrectum *a.* 24. *de Regular.* Ancha. *ad cap. Quia votum eod. tit. in* 6. Franc. *ibid. a.* 1. Nam hæc est communis regula, vt qui non potest reddere totum votum, reddat partem, quam potest; At verò promittens religionem, cum promittat insimul castitatem, & vitam religiosam, tenebitur saltem ad seruandam castitatem, & alias obseruantias quas potest seruare in seculo. Sed respondetur votum religionis habentem si non ingrediatur, vel eijciatur, & si sua culpa reddat sibi impossibilem ingressum ad religiosas obseruantias non teneri, & prout probat Caiet. *supra q.* 88. *a.* 3. *circa responsionem ad secundum*. Etiam si qui vouit religionẽ nedum vouit ingressum, sed etiam vouit perfectionem, & ex consequenti perseuerantiam in religione. Quia licet ille ex consequenti, indirectè, & mediatè vouit castitatem, & paupertatem, & alias regulares obseruantias, tamen non vouit illa immediatè, & absolutè, sed secundario, & sub conditione professionis, & pro tempore, pro quo professionem semel emiserit. Numquam verò vouit se castè victurum in seculo. Ideo si non profiteatur in religione ex vi voti non tenetur castè viuere, nec alias obseruantias religiosas seruare, nec præfatis religiosis, aut Episcopo, aut alteri ex vi voti obedire, etiã si professionem in determinata religione promiserit, & sua culpa professus non fuerit. Sic expressè voluerunt Syluest. *v. religio* 2. *q.* 1. Rosella *v. religio* 3. *n.* 4. Angelus *v. votum* 3. *n.* 12. Armilla *v. votum n.* 18. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. Nauar. *in* Manual. *cap.* 12. *n.* 47. Petrus de Aragon. *supra q.* 88. *a.* 3. *circa* 2. *arg.* Valent. *tom.* 3. *d sp.* 6. *q.* 6. *princ.* 4. *dub.* 4. Lopez *p.* 1. *cap.* 44. *in fin.* Rodriq. *p.* 2. *sum. cap.* 95. Angles, Philiarcus, *quos sequitur* Clauis Regia *l.* 6. *c.* 9. *n.* 23. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 16. *n.* 111. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *n.* 18. Palaus. *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 5. *n.* 1. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 13. Nicolius *in* Flosc. *v. votum* Martinez de Prado autem Theol. Moral. *cap.* 31. *q.* 7. *a.* 45. tenet hoc limitatè, scilicet si sine sua culpa fuit à religione expulsus. Sed limitatio non est admittenda

tenda, quia castitas, vel alia oneta Religionis non cadunt sub voto Religionis nisi sub conditione professionis, & status religiosi, qua conditione non extante, non est ad illa obligatio. Ideo si fornicetur non committit sacrilegium, nec tenetur confiteri circūstantiā voti siue repulsā sit totaliter extinctum votum religiosis (de quo dicam infra) vel non. Quia si sit extinctum poterit etiam inire matrimonium, & debitum nedum reddere, sed petere. Sotus, & Clauis Regia *num.* 55.

6. Limitantur tamen prædicta in casu, in quo iste simul vouerit religionem, & castitatem principaliter; quia iste statim ex quo emisit votum ad castitatem tenetur non ex vi voti religionis, sed ex vi voti castitatis. Sed si castitatem vouit, sed accessoriè, & dependenter à voto religionis, quia nimirum vouit castitatem vt in statu religionis seruandam, liberatus à voto religionis est liberatus à voto castitatis, Nauar. *cons.* 13. *n.* 1. *de voto.* Sà *v. votum n.* 29. Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 113. Layman *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 13. Imo in hoc casu nec castitas obligat ante religionis ingressum, quia castitas non cadit sub voto nisi dependenter à voto Religionis, & pro Religionis statu. Quod si iste non est solutus voto religionis tenebitur quidem ad procurandum ingressum in religionem, in qua castè viuat, interim tamen ad castitatem non tenebitur, & si fornicetur non peccabit contra votum castitatis. Sanchez *d. n.* 113. Layman. *d. n.* 13. Arbitratur tamen Sanchez quod iste tempore nouitiatus teneatur ad castitatem, quia iam satis est in statu religionis. Sed puto intentionem vouentis inspiciendam esse. Nam vouens potuit vouere castitatem dependenter ab ingressu, aut dependenter à professione, & sic solum pro statu professionis emissæ. Sed & potuit vouere castitatem dependenter à voto religionis, non à religione ipsa, & sic ad castitatem teneretur voto religionis durante, vnde ad castitatem teneretur etiam repulsus, si repulsio non esset talis, per quam vouens maneret solutus à vinculo voti religionis. Vnde in his intentio vouentis est attendenda.

7 An verò in dubio censendum sit vouentem vouisse castitatem simpliciter, vel accessoriè. Nauar vbi supra existimat vouentem teneri sequi partem tutiorem, & habere se tamquam obligatū ad castitatem. Verùm dicitur, quod si in verbis per quæ votum fuit emissum facta est mentio castitatis absolutè, non est dubitandum de intentione, quæ talis præsumi debet, qualem significant verba vel ore, vel mente prolata, & secundum communem vsum accepta, vnde si in voti emissione absolutè facta est mentio castitatis, censendum est illam absolutè fuisse promissam. Si etiam vouens non recordetur verborum, sed tamen recordatur intentionem suam fuisse vouere principaliter castitatem, res est extra dubium, cum de intentione vouentis constet. Sed si omnibus pensatis non habetur vnde colligatur qualis fuerit vouentis intentio, & ideo sumus in dubio negatiuo, tūc præsumendum esse, quod castitas solum accessoriè fuerit promissa dicunt Sanchez, & Layman citati. Et est de mente DD. qui vniuersaliter docent, quod in dubio votum est interpretandum vt obliget ad minus. Syluester *etiam v. Religio* 2. *q.* 57. dixit quod si vouens tempore voti meminisset obseruantiæ regularis sub obedientia Episcopi, illam vouisset, quod ad eam seruandam teneretur, & si nesciat discernere, quid fecisset, quod tenetur ad tutius, id est ad sic sub Episcopi obedientia viuendum. Sed merito hoc reijcit Sanchez *num.* 112. quia votum non est, nec obligat, quod non fuit factum, nisi de illa materia, quæ sub verbis vouentis, & sub eius intentione comprehenditur, non verò de illa materia, quæ fuisset comprehensa, si vouens de ea cogitasset. Sic ergo semper in voto attendi debet intentio vouentis, quæ fuit non quæ fuisset; quia votum vltra vouentis intentionem non se extendit.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit Religionem tenetur ingredi statim impedimento cessante. num.* 8.

2 *Hic tenetur moralem diligentiam habere bona fide, vt recipiatur. num.* 9.

3 *Tenetur vitare impedimenta Religionis. num.* 10.

4 *Qui timet futurum impedimentum tenetur præuenire. num.* 10.

5 *In voto conditionato vouens tenetur non impedire conditionem. num.* 11.

6 *Hoc verùm quando conditio tacitè inest. num.* 11.

7 *In voto pœnali malum est implere conditionem. num.* 12.

8 *In aliquis alijs conditio non potest impediri in fraudem voti. num.* 12.

9 *Si conditio ponenda est ex libertate alterius vouens non potest fraude aut dolo impedire ne conditio ponatur, aut id petere, & suadere, aut id scienter impedire. num.* 12. *&* 13.

10 *Qui vouit sub conditione sanitatis non potest agere contra sanitatem intentione non implendi votum, aut scienter illam amittere, vel non recuperare per media ordinaria. num.* 14.

11 *Vouens potest conditionem suæ voluntati relictam non apponere; sed non semper conditio voluntati relinquatur. num.* 15.

12 *In voto gratitudinis non potest scienter impediri conditio. num.* 15.

13 *Si oppositum conditionis est malum, contra votum est illud malum operari occasione voti. num.* 16.

14 *Si conditio est promisso, peccatum est illam impedire. num.* 16.

15 *Culpabiliter impedientem conditionem teneri implere votum multi sentiunt. num.* 17.

16 *Ex lege Canonica, aut Ciuili non probatur quod conditio voti impedita haberi debeat pro impleta. num.* 18.

17 *Impediens conditionem illi non renunciat. num.* 19.

18 *Promittens aliquid sub conditione etiamsi promittat conditionem, illamque impediat non tenetur, conditione non posita, implere votum. num.* 19.

19 *Quid dicendum vbi conditio negatiuè exponatur, vt sit sensus si alius ex parte sua non contradixerit. num.* 20.

20 *Qui vouit si alius consuluerit, an obligetur si consilium sit imprudens. num.* 21.

21 *Regulariter dum quis vouet sub consensu alterius id intelligitur de consensu secundum substan-*

stantiam. num. 21.

22 *Non est dabilis casus in quo conditio impediatur simpliciter, & vouens teneatur implere votum. num. 22.*

23 *Qui impedit conditionem esto peccet, non tenetur implere votum. num. 23.*

24 *Pendente conditione non potest vouens ponere impedimentum ingressui. num. 24.*

25 *Qui vouit seruire Hospitali non potest malis actibus libertatem procurare. num. 25.*

26 *Vouens tenetur se habilem reddere ad religionem. num. 26.*

27 *Qui vouit statum Clericalem, si ad illum non recipitur non tenetur fieri Laicus. num. 26. 27.*

28 *Quando teneatur addiscere gramaticam, vel artem, &c. num. 26. 27.*

29 *Quid de eo, qui vouendo non determinauit assumere statum Clericalem, vel Laicalem. num. 28.*

30 *Qui aptus est ad altiora, an teneatur ingredi, si ad ea acquirenda non admittitur. num. 28.*

De tempore, in quo tenetur ingredi Religionem, qui illam vouit.

INSPECTIO II.

8. INde D. T. secundam ponit Conclusionem, in qua asserit, quod qui absolutè vouit ingressum in Religionem tenetur ingredi quam citius poterit, legitimo impedimento cessante. Tria verò hic asseruntur. Primum quod qui absolutè vouit ingressum Religionis tenetur ingredi. Secundum quod tenetur ingredi quanto citius potest. Tertium quod hoc est verum impedimento cessante. In primo multa continentur ad quæ, qui vouit religionem tenetur ex vi voti.

9. Nam primo tenetur procurare ingressum, illumque petere. Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 2. ad 3.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. cap. 2. num. 1.* Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 16. n. 33.* Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 7. n. 5.* & sic communis sententia est, quod qui vouit religionem tenetur adhibere moralem diligentiam, & humano modo possibilem faciendo quod in se est vt admittatur D. T. *supra q. 88. a. 3. ad. 2. & hic in respons. ad 2.* Non enim satisfacit voto ingressus, qui quantum petit res ista grauissima non adhibet diligentiam moralem sibi possibilem, vt religiosus fiat, & quidem bona fide, & sine simulatione, fictione, & fraude. Ideo voto non satisfaceret, qui oretenus peteret admitti, sed nutibus, signis, petendi modo, aut media alia persona significaret se optare non recipi; Quia nedum hoc valdè distat à morali diligentia, quam adhibere tenetur, vt admittatur, sed non est petitio, sed petitionis simulatio Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad 3. vers. sed est dub.* Nauar. *comment. 4. de Regul. n. 14.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 22. q. 9.* Ledesma *p. 2. tr. 10. dub. 5. cap. 3.* Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 16. n. 34.* Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 3. n. 5.* Si tamen hoc desiderium non admissionis in Religionem intus lateret, esset quidem veniale peccatum, si ex non iusta causa procederet, tamen ad satisfaciendum voto, sufficit exterior diligentia, & quod vouens ex parte sua non insinuat in hoc quod non admittatur fictione, fraudolentia, & formali, vel virtuali petitione. Desideriũ verò intus latens executioni voti non repugnat, & si sit ex iusta aliqua causa, nullum est peccatum. Ideo Sanchez *num. 31.* subdit, quod ille vouens nullã esse culpam committeret, si bona fide, non vt moueat religiosos, vt se non recipiant, sed vt ipsi videant, quid magis coram Deo expediat, manifestet auersionem animi sui à Religione, proponens tamen totis viribus se curaturum illam amplecti. Et eadem ratione non tenetur tacere defectus suos, & impedimenta quæ habet, licet non substantialia, dum bona fide, & absque exagetatione id faciat. Hæc enim conducunt prudenti admissioni ad habitum religiosum, & vtile est, vt superiores Religionum illa sciant, vt etiam aduertit Palaus loco citato.

10. Secundo tenetur vitare ea, quæ possunt illum impedire, ne in Religionem admittatur quantum est ex parte sua. Suarez *tom. 3. de Relig. l. 4. cap. 14. n. 9.* Sanchez *l. 4. in Decalog. cap. 16. num. 40.* Layman. *lib. 4. tr. 4. 5. cap. 6. num. 3.* Quia votum ex vi sua obligat vouentem, vt ex parte sua scienter non admittat impedimentum executionis voti, quia qui tenetur facere quod in se est, vt votum impleat, non potest liberè ex parte sua admittere scienter impedimentum implendi votum. Ideo peccat qui scienter hoc admittit impedimentum etiam si id non faciat ex industria, & in fraudem voti. Dictum verò est scienter, quia, si qui vouit, admittit voti impedimentum non aduertenter non peccat, nisi adsit in hoc lata culpa, Syluest. vbi supra, culpa scilicet talis, quæ excludat bonam fidem. Ideo qui vouit, si potest sine magno dispendio, tenetur vitare impedimenta, & ad habendam bona fide moralem prouidentiam, & curam vt votum possit impleri; Nam hoc postulat ratio fidelitatis, & talis esse debet vouentis intentio. Quamuis non teneatur adhibere extraordinariam prouidentiam, & diligentiam, sed bona fide procedere, & non se exponere his periculis sine rationabili causa, & secundum arbitrium viri boni. Suarez *d. c. 4. n. 9.* Hostien. *in sum. tit. de voto n. 14.* Angelus *v. votum 2. n. 2.* Syluest. *ver. votum 3. in fin. n. 9.* Sanchez *d. cap. 16. n. 34.* Ideo qui vouit Religionem peccat si contrahit, & cõsumat matrimonium, Syluest. & Suarez citati. Sic qui modo post constit. Sixti Quinti committit scienter crimina, propter quæ est inhabilis ad religionem, cum illis circumstantijs vt sit probabile periculum fore, vt accusetur coram iudice, & sic fit inhabilis vt recipiatur; & ita in illo casu adminus tenetur præuenire, & ingredi prius, quam accusetur; nam alias si ob hanc causam non admittatur, vel notabiliter differenda sit admissio, peccat contra votum, qui scienter huiusmodi incurrit impedimentum. Idem dicendum de eo, qui sciens, & aduertens contrahet sine necessitate ad splendide viuendum, vel ad ludum ingens æs alienum, quando non est soluendo, etiam si non faciat in voti fraudem. Sanchez citatus. Imo addit Sanchez, quod etiam si contrahat debita hæc ob vrgentem vitæ necessitatem; peccabit contra votum, si tunc teneatur, & possit ingredi, & ex ingressu cesset necessitas; sic ergo, & de alijs impedimentis dicitur, quod scienter admittens illa peccat contra votum. Nam & seruanda est illa regula, quod si voto dilato timeatur perpetuum impedimentum implendi votum, qui vouit tenetur præuenire, & votum implere

D. T. 4. d. 38 q. 1. a. 1. q. 1. ad vlt. Capreolus. q. 1. Abulen. cap. 30. num. q. 36. fin. D. Anton. p. 1. tit. 11. cap. 1. §. 2. & cap. 2. §. 4. fin. Angelus v. votum 3. n. 2. Syluest. v. votum 2. q. 3. Armilla n. 20. Tabien. v. votum 2. q. 3. Palac. 4. d. 38. disp. 1. Sanchez l. 4. in Decalog. cap. 14. n. 17. Martynez de Prado. cap. 31. q. 8. a. 5. Quod limitant, & explicant D. Anton. Angelus, & Sanchez, quando non vrget necessitas differendi votum, sed ex negligentia differtur. Idem verò est dicendum, si timeatur impedimentum non perpetuum sed valdè diuturnum. Et etiam si votum factum est pro determinato tempore non in dici honorem, sed tanquam in terminum non amplius differendi votum: Nam & tunc vouens tenetur præuenire, si timeat impedimentum, vt ex Ledesma de pœnit cap. 8. dub. 4. tenet Sanchez citatus, n. 18. Martinez. d. q. 8. n. 7.

11. Imo hoc extenditur ad votum conditionatum, vt si quis vouit religionem sub conditione, peccet si ipse scienter, impedit conditionis implementum. Est tamen hoc valdè controuersum. Mihi pro nunc videtur aduertendum, quod conditionum, quædam tacitè insunt voto, quia sunt intrinsecæ materiæ voti, vt ingressui in Religionem intrinsecum est, quod superiores Religionis, & illi ad quod spectat consentiant, & huiusmodi conditiones non faciunt votum conditionale, & spectant ad voti materiam, & pro parte vouentis sunt promissæ Deo, vnde manifestum est, quod impedire huiusmodi conditiones ex parte vouentis est contra votum; quia cum sine illis non possit votum impleri, qui absolutè promittit votum implere, promittit etiam quantum sit ex se ipso huiusmodi conditiones ponere, vel non impedire, quin ponantur ab alijs, & propterea dictum est, quod qui vouit Religionem, non potest impedire, quin admittatur ab illis ad quos spectat. Sed aliæ sunt conditiones, quæ tacitè non insunt, nec sunt intrinsecæ materiæ voti, sed liberè apponuntur. Et istæ secundum se non impediunt voti executionē si non ponantur, sed solum ex intentione vouentis sunt necessariæ, quia vouens non intelligit se obligare, nisi sub illarum conditionum existentia, & nō aliter, ideo impedire implementum conditionis, est impedire voti executionem. quia est impedire id sub cuius existentia votum obligat, Quamuis propriè loquendo impedire huiusmodi conditiones sit impedire obligationem voti, quæ non est nisi positis similib[illegible] conditionibus, ideo tota difficultas hic est, vt videatur an ex intentione vouentis, & vi voti eorum implementum sit Deo promissum, vel non. Vtrumque enim potest contingere. In voto enim pœnali tantum abest, quod implementum conditionis sit promissum, quod imo in abominationem conditionis, & pœnam illius aliquid promittitur, vt si quis voueat religionem si fornicetur, nedum non tenetur ponere conditionem, sed illam ponendo peccat. Similiter aliquando apponitur conditio vt liberè ponenda, vel vt liberè excludenda: Vt si quis voueat religionem, si in ludo victus fuerit. E contra verò aliquando apponitur conditio ex amore conditionis, vt si quis voueat religionem, si à Deo obtinuerit, vt non peccet in tali occasione, vel tempore, vel si per tantum tempus peccatum vitet. In hoc enim voto conditio partim est promissa, & partim non. Et vt enim voti non obligat se homo ad non peccandum absolutè in eo tempore; imo illa conditio potius se tenet ex parte Dei, idest si ille concesserit, & fecerit vt vouens non peccet. Et nihilominus vouens ad minus promittit, & paciscitur cum Deo, vt intentione frustrandi votum, non peccet, sed ex parte sua bona fide procedere debet, quia sincerè, & purè intelligendo illud votum, & pactum in eo inclusum intentio vouentis videtur fuisse bona fide procedere, & conari morali modo ad vitandum peccatum, saltem non vtendo fraude aut dolo. Suarez l. 4. de voto cap. 17. n. 11. & 14. Raphael à Turre supra q. 88. a. 3. dub. 11.

12. Distinguuntur itaque conditiones, quia aliquæ apponuntur vt ponendæ ex libertate alicuius tertij ex eius libertate: Aliæ vt ponendæ ex vi causæ alicuius naturalis; Aliæ vt ponendæ ex libertate uouentis. Primi generis sunt, ut si quis noueat Religionem, si Pater consenserit, uel si amicus consuluerit, & de istis loquendo dicitur, quod uouens tenetur has conditiones non impedire ui, dolo, uel fraude. Suarez lib. 4. de voto c. 17. n. 16. & seq. Sanch. l. 4. in Decal. cap. 23. n. 45. Layman l. 4. tr. 4. c. 6. n. 2. Prians tr. 15. disp. 1. p. 17. n. 7. Raphael à Turre. supra disp. 88. a. 3. dub. 11. Diana p. 9. tr. 8. res. 4. Talis enim uouens ex ui uoti constituit illum electorem liberum uel liberū consultorem suæ obligationis, tenetur igitur eum liberum relinquere, & ui, fraude, aut dolo eius libertatem non circumuenire. Hoc autem certo existente dubium remanet, an qui uouit ex industria possit conditionem ab alio ponendam impedire etiam ex pœnitentia uoti, sine ui tamen dolo, uel fraude. Nam quod qui u. g. uouit Religionem, sub conditione si Pater consenserit, possit rationibus, & precibus suadere Patri ne consentiat, affirmat Suarez d. cap. 17. n. 17. & 18. Palaus tr. 15. p. 17. n. 8. Cuius tamen oppositum tenet Sanchez l. 4. c. 23. n. 54. Sed in hac parte ad maiorem euidentiam distinguenda est conditio, quæ duplicem sensum habere potest, & intelligi potest affirmatiuè, ut dicendo, si amicus consilium dederit, vel si amicus venerit, aut si amicus hoc dederit, &c. Aliquando uerò conditio negatiuum sensum habere potest, Vt cum dicitur uoueo Religionem si pater consenserit. Huius enim conditionis sensus est, si pater non contradixerit, seu non dissenserit, ut fatetur idem Palaus d. c. 17. n. 3. Et uniuersaliter attendi debet an conditio importet negationem impedimenti extrinseci, ut sit sensus si pater, vel mater, vel soror non impediat. Et hunc sensum habet illa conditio, si pater voluerit, idest si pater sua contradictione non impedierit. Ideo impletur hęc cōditio si pater manifestato sibi uoto filij nō dissētiat, sed negatiuè se habeat. Sāchez lib. 4. c. 23. n. 24. Palaus tr. 16. d. c. p. 7. a. 3. ubi & bene aduertit cōtra dictū Sāchez, quod si pater cōsentiat primo, & postea dissētiat non est impleta conditio, quia huiusmodi cōditiones negatiuæ pro semper uerificari debēt re integra, idest antequam filius Religionē ingressus fuerit, quia sensus illius conditionis est, si ingressus non sit contra patris uoluntatem. Quod & idem Sanchez ibid. n. 34. concedit, si filius expressè uoueat sub hac conditione si pater non cōtradixerit. Si uerò pater moriatur antequam dissentiat iam conditio est impleta; nam oppositum

i est

est impossibile. Pariter hunc sensum de mente vouentium possunt habere plura vota in verbis affirmatiuè conditionata, ut si dicat quis, Voueo Religionem *quando pater abierit*, nimirum quando ob mortem patris eius paupertas non me detineat in seculo. Sic si dicatur voueo Religionem quando soror *nupta fuerit*, uel *Religionem ingressa fuerit*, uel *obierit*, idest quando sororis paupertas, & conditio non me detineat, ut illius curam habeam. Huiusmodi vota habere posse hunc sensum negatiuũ aduertit Sanchez *d. l. 4. cap. 23. n. 26.* Licet enim finis vouentis non sit conditio sub qua quis vouet, tamen ex fine colligitur intelligentia conditionis positæ. Vnde si finis conditionis positæ v. g. est ne pater, uel mater, uel soror remaneat in paupertate, uel tribulatione, uel periculo destituta obsequio filij, uel fratris, vota illa licet affirmatiua in verbis in sensu important negationem, ac si dicatur si non me detineat paupertas, aut tribulatio, aut periculum patris, aut matris, aut sororis. Est autem magnum discrimen inter hæc duo vota conditionata, quia illa in quibus conditio formaliter, & per se intenta non est nisi negatio impedimenti, continent alias absolutam voluntatem ex parte vouentis materiæ promissæ per votum, & ita quod continent voluntatẽ quantũ sit ex parte vouentis votũ implendi, bona fide, & sincero corde, si ab extrinseco vouẽs non impediatur. At verò contra hanc bonam fidẽ manifestè est, si vouens ipse procuret impediri, & petat, aut quocumque moraliter voluntariè causet conditionem non adesse, ut si filius procuret quod pater dissentiat, ne Religionem ingrediatur, uel ut paupertas patris, aut periculum sororis duret, quatenus duret necessitas suæ assistentiæ, & obsequij, & non teneatur ad Religionis ingressum. Etenim qui promisit agere nisi ab extrinseco impediatur mala fide agit si impedimẽtũ procurat, nam quantum sit ex se, & non quia sit ab extrinseco impeditus, sed sua voluntate cessat ab agendo, si ipse se impediri procurat, quamobrem dicitur, quod quotiescumque conditio ab alio ponenda ex intentione vouentis importat negationem extrinseci impedimenti liberè ab alio ponendi, mala fide agit vouens nedũ si in fraudem voti impedit euentum conditionis procurans se impediri, uel impedimentum durare, sed etiam si scienter uel ex negligentia lata id faciat, quia totum hoc est contra fidelitatem, & bonam fidem voti, quod qui promisit facere si ab alio non impediatur, ipse faciat se impediri. Poterit itaque vouens in hoc casu permittere, quod pater dissentiat, sed non poterit causare dissensum. Imo aduertendum quod quando conditio ponenda ab alio requirit aliquem concursum ipsius vouentis, & ita quod negare huiusmodi concursum esset impedire conditionem, qui vouit sub conditione si non sit impeditus ex quo conditionem impedire non potest, tenetur ex parte sua agere quod necesse est, ut conditio ponatur, quia si cõcursum suum negaret, iam cessaret, non quia esset impeditus, sed quia ex parte sua votum nollet implere. Sic quia consensus non solet dari nisi postuletur, qui vouet religionem si pater consenserit, tenetur consensum petere taliter ut ei imputari nõ possit, quod consensus negatur, si negatur. Videri autem posset, quod in hoc casu nedum vouens teneatur non impedire euentum conditionis, sed teneatur procurare eius implementum, moralem ad hoc diligentiam adhibendo, si conditio sit honesta, & honestè procurari possit. Quia huiusmodi votum quantum sit ex parte vouentis est absolutum, & solum ex extrinseco, & inuoluntario impedimento conditionato impedibile; igitur vouens ex parte sua debet adhibere moralem prouidentiam, & diligentiam ut non impediatur, & uoluti non detineatur inuitus ne, votum adimpleat. Probatur consequentia, quia iam vouens voluntariè impeditur, si potest impedimentum tollere, & non tollit. Nisi igitur vouens ipse specialiter intenderit non obligare se in simili casu ad procurandum quod impedimentum cesset, ut v. g. quod pater non dissentiat, quod non prematur paupertate, quod cesset sororis periculum, uidetur quod stando in connaturalitate talis voti conditionati conditione defectus impedimenti ab extrinseco aduenientis, potius dicendum est, quod vouens se obligat ad procurandum ut ponatur conditio, & ut impedimentum cesset. Quod explicatur amplius, quia v. g. idem est vouere Religionem dicendo si patria paupertas non me detineat, ac dicendo si sim liber à patria pauperis necessitate; si ergo in potestate vouentis sit esse liberum, ipse tenetur se liberare, ut votum impleat, quia vouens ex vi voti debet adhibere media necessaria ut votum implere possit. Et hoc explicatur iterum, quia si quis expressè vouerit Religionem cum explicita conditione, si Pater non impedierit, tunc nedum vouens non posset impedire voluntariè ne pater non contradiceret, ex rationibus iam positis, sed teneretur procurare libertatem suam à Patris contradictione, ut posset votum implere. Sed respondetur quod absolutè non necessitatur vouens in hoc casu ad procurandum implementum conditionis, nisi pro quanto, ut dicebatur ad ponendam conditionem requiratur eius cooperatio, sed potest permittere quod conditio non impleatur, dum nõ sit causa, quòd non impleatur. Quia ex vi talis voti se obligat ad votum, si non impediatur, sed non se obligat ad procurandum, quod non impediatur. Nec valet dicere, vouens potest tollere impedimentum, igitur tenetur eum tollere, & se liberum facere, & non impeditum; quia consequentia non valet, cum vouens ad procurandam conditionem non se obligauerit. Et cum dicitur quod vouens debet adhibere media necessaria ad voti implementum, dicitur, quod hoc est verùm de medijs necessarijs per se, non verò de medijs necessarijs ex eius promissione, & quæ de se non sunt necessaria, quia respectu horum mediorum tantum obligatur vouens quantum promisit, non verò promisit se specialiter procuraturum ne impediatur sed promisit se impleturum votum si non impediatur. Et sic sine culpa potest permittere impedimentum, sicut Deus qui verè promisit omnibus uitam æternam nisi à peccato impediatur, ne illam conferat potest sine culpa permittere se impediri per peccatũ hominũ unde illis nõ ultã conferat. Si verò conditio ponenda ex libertate alterius habet sensum affirmatiuum ad huc distinguendum est, quia si cõditio sit talis, quæ nõ soleat purificari nisi vouente postulante, nedum vouens non potest illam impedire, sed debet eam postulando procurare

rare. Sic si quis uoueat Religionem si pater consentiat, & intelligatur hæc conditio, ut affirmatiua, quia alterius consensus ad agendum non solet adesse nisi postuletur, filius uouens debet consensum patris nedum non impedire, sed postulare. Qui enim uouit sub conditione, ex ui talis uoti uult conditionem esse, si sincere, & bona fide promittit, & quia conditio consensus Patris non erit nisi postuletur, filius tantum abest, ut possit rogare patrem ne consentiat, quod ut supra dicebatur tenetur instare pro consensu obtinendo. Ideo alia regula generalis hic est seruanda, quod scilicet, si conditio, sub qua uouens uouet, simul est medium uel necessarium ex natura rei, uel ex intentione saltem uouentis assumptũ scilicet ex intentione per illud implendi uotum, seu consequendi implementum uoti, nedum uouens non potest impedire talem conditionem, sed debet adhibere moralem diligẽtiam ut conditio purificetur, quia non potest negari, quod conditio illa non sit promissa per uotum, cum sit electa à uouente, & uolita ut medium per quod ad implementum uoti perueniat, ex eiusdem implementi intentione. Promittens enim finem ex hoc promittit, & se obligat ad id, sub cuius conditione tanquam per medium uult consequi finem, quia promittens finem promittit medium ad consequendum finem. sic si quis dicat uoueo Religionem, si Amicus aliquis det pecuniam necessariam ad iter habendum ad locum Monasterij, tenetur procurare pecuniam modo sibi possibili, quia promisit Religionem dependenter à consecutione pecuniæ, non tamquam à conditione contingenter quomodocumque ponenda, sed tamquã à medio per quod peruenire possit ad Religionis ingressum. Sic si quis uoueat Religionem si talis uellit illum docere gramaticam, tenetur procurare ut ille Gramaticam doceat, & sub eius disciplina attentionem adhibere. Quia in his uotis conditio non est pura conditio contingens, sed est medium ad quod uouens se obligat ex quo se obligat ad finem ut consequendum per illud medium.

13. Sed tandem etiam si conditio ponenda ex libertate alterius sub uoto cadat ut conditio pura, & affirmatiua, & ponenda ex sola libertate alterius, ut si dicatur uoueo dare Eleemosynam Paulo *si crastina die ad domum meam venerit*, uel *si missam audierit*. In hoc casu dicitur quòd uouens nedum cum ui, uel dolo aut fraude, sed nec uel suasionibus, & precibus potest impedire, ne impleatur conditio absque uiolatione uoti. Nec ualet dicere, quod stando in pura conditione, quia conditionalis nihil ponit in esse uouens sub conditione per se non promittit conditionem, sed promittit Religionem, uel aliud, si conditio ponatur; & quidem ex alterius beneplacito, unde relinquendo alium in sua libertate, si uouens precibus impetrat ne impleatur conditio non peccat contra uotum, & si hoc faciat causa rationabili nullo modo ex peccat. Quia instatur, & dicitur, quòd qui uouet sub conditione uult conditionatum secundum se sumptum, & ideò etiam conditionem secundum se sumptam uult esse; quia cum conditionatum esse non possit sine conditione, qui conditionatum secundum se sumptum uult esse, uult etiam esse conditionem, sine qua conditionatum non est. Et tamen implicat, quod is uelit conditionem secundum se esse, qui illam impedit ne sit. Voluntas igitur uouentis ad duo comparatur, scilicet ad materiam uoti promissam, & ad conditionem sub qua materia voti promittitur, sed respectu materiæ voti voluntas licet sit obiectiue conditionata ex parte tamen voventis est absoluta & de se efficax. Neque enim est talis, quæ possit explicari per verbum vellem, sed quæ debet explicari per verbũm volo; & sic licet uouens promittat conditionatum, absolute tamen ex parte uolentis promittit materiam illam conditionatam. Implicat uero in terminis, quod uouens uelit absolute conditionatum secundum se sumptum esse uolontate ex parte uolentis absoluta, & de se efficaci, & simul uel nolit, uel omnino nec uelit, nec nolit esse conditionem, cum sine conditione esse non possit conditionatum. Possibile quidem est, quod uouens conditionatè nolit se obligare ad ponendam conditionem, sed quod uelit et promittat conditionatum esse, & simul nolit, uel non uelit conditionem esse, uel à se uel ab alio positam, est impossibile, quia neque esse conditionatum nisi conditio sit ab aliquo; ergo non potest quis uelle quòd sit conditionatum, nisi uelit quod conditio sit ab aliquo, simul uero implicat quod quis uelit conditionem esse ab aliquo, & uelit impedire ne conditio sit. Absolutè igitur loquendo non licet uouenti impedire conditionem uoti, licet sit ponenda ex alterius uoluntate, sed illam uouens tenetur admittere & nec scienter, nec negligenter ex lata culpa, & mala fide, impedire. Et hoc declaratur exemplo Dei uoluntate obiectiuè conditionata uolente omnium hominum salutem, non enim diceretur Deus sincere uelle omnes saluos fieri, omnium, ut omnes, si uellent seruare mandata, uitam æternam consequerentur, nisi uellet sincera uoluntate etiam conditionem sub qua uult hominibus uitam æternam, scilicet, quod obseruent mandata, sed illos ab hoc impediret. Itaque Deus uere uult quod omnes sub conditione obseruantiæ mandatorum uitam æternam consequantur; & quia hoc uere uult, ideò considerato hoc conditionato secundum se & absolutè, & præscindendo a circumstantijs, Deus sincero corde, & vera uoluntate beneplaciti, quæ non est uelleitas, sed ex parte uolentis est absoluta uolontas. sicut uult finem, sic uult conditionem, nimirum & uult omnibus uitam æternam, & uult omnes seruare mandata; & quia hoc uult ideo omnes ordinat in finem uitæ æternæ, & omnibus dat, ut si uelint salui fiant. Spectatis autem circumstantijs Deus sanctè quidem permittit reprobos deficere ab obseruantia mandatorum, & à fine uitæ æternæ, sed hoc minime causat; nec impedit aliquem ne mandata obseruet, & si impediret sal sumasset, quod ipse sincero corde uellet conditionatum illud, quod est omnes consequi uitam æternam, si uelint mandata seruare. Sic qui uouit u.g. Religionem sub conditione ponenda à libertate alterius, si sit quocumque modo causa, quod non ponatur conditio, sibi imputatur noti uiolatio, & non obseruantia, nec potest dici quod sincero corde uelit Religionem sub illa conditione, dum uoluntarie caueat, quod conditio non ponatur. Potest quidem permittere ut non ponatur conditio,

& ue

& ut habet Sanchez *lib.4 cap.23. num.54.* & non est omnino alienus Suarez *d.cap.17.num 16.* potest qui vouit Religionem sub conditione consensus patris bona fide, & vt pater prudenter valeat consentire vel dissentire, exponere illi suas conditiones & præsentem auersionem quam habet à Religione, paratus ex se votum implere, & ita vt ex hoc non intendat conducere patrem ad dissensum, sed bona fide patrem conscium reddere veritatis, quod esset dissensum patris permittere, si forsan pater ex hoc moueretur ad dissentiendum, quia tunc filius ex eius intentione, & voluntate non moueret ad dissensum (quamuis in rei veritate sit difficile, quod tunc filius ex parte sui, non sit causa mouens patrem ad dissentiendum, ostendendo se id desiderare, & sic veluti petendo vt id fiat) sed sincero corde & bona fide veritatem patefaceret necessariam, ad hoc vt pater prudenter de dando consensu deliberaret, & relinqueret patri plenam libertatem consentiendi, & dissentiendi. Sed non potest hic filius aliquo modo vel formaliter vel virtualiter causare, quod pater dissentiat, & si id faciat, votum violat, quia eius executioni voluntarium ponit impedimentum.

14. Loquendo verò de conditione ponenda ex causa naturali, vt si dicatur ero Religiosus, si ero sanus, considerandum est, quod huius modi conditiones considerari possunt, vel vt mere pendent à causa naturali, & diuina prouidentia, vel vt pendent à libertate hominis. Priori modo istæ conditiones si sunt necessariæ ad votum implendũ, & earum defectus ad id est impedimentum tacitè insunt voto, & ad eas ponendas ex parte sua vouens se obligat, quia sunt media necessaria ad voti implementum. Sic quia sanitas ex natura rei est necessaria ad ingressum in religionem, & infirmitas, si sit vel perpetua, vel valde diuturna, vel habitualis, impedit ab ingressu Religionis, qui vouit Religionem peccat si scienter talem infirmitatem incurrit, vel si non adhibet moralem diligentiam ad fugiendam omnem illam infirmitatem quæ possit illum impedire à Religionis ingressu, quia vt probatum est, qui vouit, tenetur adhibere moralem diligentiam ad vitanda impedimenta voti implendi. Sed si considerentur huiusmodi naturales conditiones, vt ponendæ per alium, seu dependenter ab alterius libertate, sic eadem ratio est de istis, & de alijs à libertate alterius ponendis, quas diximus vouentem non posse impedire. Si verò sunt ponendæ ex libertate vouentis, de illis quid sit dicendum constabit ex dicendis. Hinc apparet quid dicendum circa sententiam aliquorum de voto ingrediendi Religionem sub conditione sanitatis. Quod enim sic vouens peccet contra votũ, si sanitatem libere perdat, vel non recuperet, si id faciat in fraudem voti pro certo habendum est. Sed si vouens ex passione, & gula noxijs vescatur cibis, aut media consueta ad salutem non apponat, eum non peccare contra votum putat Palaus *d.p.17.num.9.* Quia non est credendum vouentem se voluisse obligare ad procurandam salutem aliter, quam antea obligatus esset, neq; ad mutandum ordinarium modum procedendi. Suarez *d.cap.17. num.17. & 18.* Sanchez *l.4. cap.23.n.54.* Layman. *lib. 4. tr.4. cap. 6. conclus. secunda* Sed hic considerandum est, quod, vt dicebatur, sanitatis conditio quatenus sit necessaria ad ingressum Religionis est conditio quæ tacitè inest, igitur ad eam se obligat vouens speciali titulo ex vi voti vel vt illam non amittat culpabiliter, & mala fide, vel vt eam recuperare ex culpa lata non negligat sicuti ad alias conditiones, quæ tacitè insunt, se obligat. Quamuis ad extraordinaria media pro sanitate habenda non obligetur. Quatenus verò adhuc vouens vouerit sub conditione sanitatis vt consequendę ex medio aliquo pendente à libertate alterius vel propria debet conditionem non impedire ex vi voti iuxta supradicta, & dicenda. Et si v.g. vouerit Religionem si ope talis medici fuerit sanatus, debet necdum non impedire curam medici, sed illam ex se procurare. Semper tamen debet considerari in his ex verbis voti, & circumstantijs qualis fuerit intentio vouentis.

15. Sed si conditiones honestę, sub quibus emittitur votum sint positæ in voluntate vouentis non peccare vouentem, si conditiones impediat, vel non ponat, etiam ex fine non implendi votum, dicunt Suarez *d.cap.17. num.9. & sequen.* Layman. *d.num.2.* Palaus *d.num.7.* Raphael à Turre *d.dub.11.* Nam eo ipso, quod proprio iudicio remissa est conditio, illam ponere, & non ponere est in vouentis libertate. Sed quidem hoc indubitatum est, si vouens reliquit sibi libertatem conditionis, vt tradidit etiam Sanchez *d. cap.23. num.40.* Sed non per hoc sequitur, quòd omnis conditio ponenda à vouente sit relicta eius libertati, vt libertas excludit necessitatem voti; quia potest esse quòd vouens promiserit etiam conditionem ex sua voluntate ponendam. Plura ergo hic considerari debent. Primum quod vota gratitudinis licet videantur habere conditionem ponendam à vouente, tamen conditio ab extrinseco v.g. à Deo est ponenda. Vt si dicam, si hoc peccatum vitauero, Religionem ingrediar. Gratitudo, enim est virtus per quam alteri pro beneficijs acceptis gratia redditur, & ita votum gratitudinis, per quod Deo gratia reddenda promittitur, supponit pro conditione beneficium à Deo ponendum, non vero ponendum ex sola libertate vouentis, & tale votum est dicere, si hoc peccatum vitauero &c. quia vitare peccatum est Dei donum. Non bene ergo votum gratitudinis numeratum est inter vota, quorum conditio ponenda sit à vouentis libertate, quia licet ad hanc conditionem ponendam concurrere possit etiam vouens, tamen non sunt vota gratitudinis, nisi in quantum conditio est donum Dei, pro quo Deo promittitur gratitudo pro beneficio accepto; & ideò huiusmodi vota in proposito regulanda sunt tanquam vota, quorum conditio ab alio ponitur. De quibus dictum est, quod vouens nec vi, fraude, aut dolo, neque ex industria aut scienter vel ex culpa lata potest conditionem impedire. Quod in voto gratitudinis eo magis est verum, quòd per modum contractus emittitur, & ideò Deo accedit veluti quoddam ius, vt eo inuito, homo vouens non recedat à contractu, & sic habet veluti ius ponendi ex parte sua conditionem, & quod eo inuito conditio non possit impediri; & sic quòd vouens bona fide procedens ex parte sua conditionem non impediat, vt non teneatur voto.

16. Secundo etiam attendi debet; quod quando conditio est honesta, quia est actus virtutis eius

ius

ius oppositum est malum, impossibile est, quod conditio impediatur ex pœnitentia voti, nisi cum iniuria virtutis religiosis; quia huic virtuti fit iniuria ex hoc, quod homo potius vult malè agendo impedire conditionem, quam promissum eius intuitu obseruare, seu vt promissum eius intuitu non seruet Suarez *d. cap.17. num.14. fin.* Palaus *d. puncto p.7. num.10.* Sic cum quis vouit, & dixit, si vitauero adulterium, ingrediar Religionem, si adulterer, vt non tenear esse Religiosus, nedum peccat contra iustitiam, & temperantiam, sed contra virtutem religionis, cum ideo malum faciat, vt religiose promissum non seruet, & sic peccat contra voti religionem, quia abutitur voto, sumendo ex eo occasionem peccandi. Tertio etiam considerari debet, quod bene potest contingere, quod vouens virtute duplex votum emittat, scilicet promittendo rem principalem sub conditione, & promittendo absolute conditionem ipsam quantum sit ex parte sua. Et ideo consideranda semper est forma vouendi, & conditio sub qua aliquid Deo promittitur, vt videatur an euentus conditionis sit reseruatus libertati vouentis, vel non. Itaque igitur loquendo de honestis conditionibus, qui vouet si relinquit suæ libertati purificare conditionem, tunc non tenetur conditionem ponere, aut illam non impedire, quia ad id noluit se obligare, nec explicitè, nec implicitè, Sanchez in Decal. *lib.4. cap.22. n.40. & 41.* Suarez *tom.2. de relig. lib.4. cap.17. num.15.* Layman *l.4. tr.4. cap.6. num.1.* Palaus *tract. 15. p. 17. num.7.* Sed si expressè, vel tacitè, aut virtualiter promisit etiam implere conditionem, tunc eam non potest omittere. Sed tunc vis promissionis considerari debet, & quantum, & qualiter se obligare voluerit; nam si sit conditio implenda per alium sed negatiua, vt si dicatur nisi pater non dissentiat. Tunc impleta conditio censeri debet etiam si Pater rogatus de consensu negatiue se habeat, & positiue non dissentiat, Sanchez *l.4. cap.23. nu.14.* Layman *l.4. tr.4. c.6. concl. 4.* quos sequitur Palaus *tr.15. p.17. num.3.* Vbi bene contra eundem Sanchez deducit, quod si pater primo consentiat, & postea dissentiat, conditio non est impleta, modo dissensus sit antequam filius Religionem sit ingressus, quia conditio *si pater consenserit* negatiue intelligenda est, si Pater non dissenserit, & quidem toto tempore antecedente ingressum, vt de expressa conditione, *si pater non contradixerit* tradit idem Sanchez *d. cap.23. num.34.* Item si pater moriatur antequam dissentiat.

17. Est vero vlterius quæstio, an vouens Religionem sub conditione, si culpabiliter impediat purificationem conditionis, conditio debeat haberi pro purificata, & vouens teneatur implere votum, affirmauit enim Richardus *in 4. d.38. a.5. q.3.* cuius sententiam absolutè intellectam tenuerunt Angelus *v. votum 1. num.10.* & Tabien. *v. votum 2. q.2.* Alij verò magis limitatè id asseruerunt, scilicet si conditio impediatur ex malitia nō ex infirmitate, pro qua sententia Palaus refert Syluest. *v. votum 2. q.2.* & Rodriq. *2. tom. sum. cap.98.* ad finem, sed Syluester male citatur pro hac sententia quia loco citato vult, quod attendi debeat intentio vouentis nec absolutè approbat sententiam Richardi. Alij verò sententiam Richardi explicant, & sequuntur, si vouens ex fraude, & dolo & vt non teneatur voto impedit conditionem. Et ita sentiunt Nauar. *cap.12. Man. cap.42. & cons.30. num.2. de voto* Azor. *p.1. l.11. cap. 20. quæst. vlt.* Sanchez *l.4.* in Decal. *cap. 23. num. 47.* extendens illam *num.48.* etiam ad casum, in quo ex vouentis culpabili negligentia conditio non fuerit purificata, & hoc limitans *num.51.* vt procedat solum si vouens neglexit adhibere media ordinaria, & solita adhiberi ad obtinendum id, quod positum est sub conditione, non vero si omisit sola media extraordinaria. Eandem sententiam tenuit Sayrus in Claui Regia *l.6. c.8. num.4.* Martinez de Prado *cap.31. q.5. num.29.* & apud eum Trullench. & Fagundez. Bonac. *disp.4. q.2. p.2. num.7.* parum sibi constans in eodem contextu. quia primo hanc sententiam amplectitur, & statim ibidem subdit regulariter vouentem non esse obligandum ad implendum votum, etiam si conditionem impedierit, quia vouens non censetur se voluisse obligare non posita conditione. Diana autem *p.4. tr.4. resol.101.* hanc partem æquè probabilem putat cum opposita, sed *p.6. t.8. r.3.* probabiliorem, & communiorem dicit, & eam omnino tenendam iudicauit Lessius *l.2. cap.40. n.30.*

18. Videtur in hac sententia hoc satis mirandum quod cū violatio voti etiam absoluti, seu conditionati etiā conditione purificata non obliget vouentē nisi ad pœnitentiam, vt fert communis sententia, nec sit necesse, vt qui votum violauit, aliquam aliam recompensationem Deo reddat, nihilominus hæc sententia velit, quod violatio voti per impedimentum conditionis obliget vouentem ad recompensandum votum, seu ad votum seruandum. Vnde enim oritur hæc obligatio? At dicunt ex l. positiua. Tum ex *cap. sicut ex literis*, de sponsa libus, ibi si per eum non steterit; vbi deducitur per locum à contrario sensu, quod si per eum, qui contraxit sponsalia stetit, vt conditio non adimpleatur, sponsalia obligant, ac si conditio fuisset impleta. Tum ex regula *66. de regul. iuris in 6. & l. excatione 85. §. fin. ff. de ver. obligat.* Datur enim regula, quod cum stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet pro completa, & standum est contractui. Sed huiusmodi textus non probant, & si centum mille alij similes adducerentur non probarent illam sententiam. Quia vel illis textibus vti volumus, vt continent legem positiuam, vel vt continent legem naturalem, aut diuinam. Primo modo, non possunt extendi de casu ad casum, & cum loquantur de promissionibus, & contractibus humanis, innixis iustitiæ commutatiuæ, non possunt nec debent extendi ad promissionem seu modalem contractum voti, qui innititur virtuti religionis. Et quod consequentia non valeat, nec extensio inde est euidenter manifestum, quod violans contractus humanos, de quibus in dictis textibus est sermo, tenetur ad restitutionem, & recompensationem damni dati, & hoc leges volunt; & tamen ex violatione voti non oritur nisi obligatio recompensandi per pœnitentiam, & sic sicut qui non implet votum, satisfacit Deo si pœniteat, ita si fidem violauit impediendo conditionem, & sibi imputatur ac si votum violasset, Deo satisfaciet pœnitendo. Nam & si consideramus leges illas, vt innituntur legi naturali aut

diuinæ

diuinæ manifestum est discrimen, cum illæ innitantur iustitiæ commutatiuæ ex cuius vi oritur obligatio dandi rem conuentam, vel æquiualentē, quæ obligatio non oritur ex virtute religionis, cui innititur votum: vnde qui votum non impleuit, non tenetur reddere æquiualens; sed Deo, & Religioni satisfacit, si de peccato commisso pœniteat. Non valet ergo consequentia ista. In humanis contractibus conditio malitiosè impedita habetur pro impleta, ergo & hoc dicendum est in voto; quia id est verum vel ex natura rei, vel ex humana institutione respectiuè orta ex vi, & exigentia iustitiæ commutatiuæ, quæ non interuenit in voto. Specialiter vero cap. *Sicut ex litteris non facit ad causam nostram*. Tum quia ibi sermo erat de promissione, & iuramento absoluto ducendi mulierem in vxorem, nec sponsus ille defecerat, quia conditionem impedisset, sed quia aliam duxerat in vxorem. Secundo quia adhuc incertum erat an conditio seu res promissa posset impleri, & an ille sponsus promisisset sponsam illam ducere ad certum tempus, tanquam ad terminum in quo cessaret obligatio, vel potius adhuc esset tempus habile perficiendi promissum matrimonium. Tertio, quia ibi est sermo de humana promissione & contractu à quo non valet argumentum ad votum.

19. Minus verò probant rationes, quibus dicta sententia nititur. Richardus enim motus fuit ex eo, quòd remittens conditionem sub qua aliquid promisit, tenetur ad implendam promissionem ac si sine conditione promisisset; At vero qui impedit conditionem illam remittit saltem æquiualenter. Verum tantum abest, quod minor huius argumenti sit verā, scilicet, quòd impediens conditionem illam, Deo remittat, illique renunciet, quod imò ipse vult eam firmam esse, & votū non tenere, nisi sub illius conditionis existentia, & propterea, vt votum non obliget, impedit ne conditio existat. Item dum dicitur secundo, quod dum quis impedit conditionem, vt non teneatur voto, est ac si contra voluntatem Dei violet votum. Totum admittitur iuxta explicationes supra positas; sed hoc non probat, nisi quod impediens huiusmodi conditionem ea pœnitentia voti, peccat, & tenetur ad pœnitendum, sicut etiam ille, qui violat votum. Dum tertio addunt, quod promittens aliquid sub conditione censetur duplex votū emittere, & promittere rem, & cōditionem, & sic ex voto tenetur non impedire conditionem. Respondetur quod ex hoc argumento efficaciter sententia illa improbatur, & argumentum retorquentur. Demus igitur quod nedum implicitè, sed explicitè vouens promittat ponere conditionem, si eam non ponit; vel ducat tempus illam ponendi, & sic semper votum obligat, & bene admittitur, quod vouens semper manet obligatus ad non impediendum conditionem. Vel tempus ponendi conditionem expirauit, & tunc transacto illo tempore ex vi voti non tenetur amplius conditionem ponere vel aliquid ei æquiualens, sed sufficit, quod permittere; ergo nec tenetur implere votum, quia votum non tenetur implere, nisi posita conditione, quæ transacto illo tempore nec est posita, nec vouens tenetur illam ponere, & ex quo non posuit, votum violauit, sed voti obligatio est tincta fuit.

Dum subdunt quarto, quod vbi conditio est ponenda ab extrinseca causa vel naturali, vel libera, sensus conditionis est negatiuus, vt sit sensus voueo, si per alias causas mihi inuoluntarias non steterit, siue per eas non fuero impeditus; igitur in hoc casu conditio satis est impleta, si causa extrinseca non impediat, nisi vt mora ab ipso vouente, vel nisi vt à vouente circumuenta, quæ alias non impedisset. Hoc argumento motuus Layman *l. 4. t. 5. cap. 6. fin.* tenet in simili casu vouens circumueniens eum, qui conditionem ponere debebat, & sic impediens conditionem teneatur implere votum. Sed primo, vt habet Palaus *d. p. 7. num. 18.* dicitur non semper, neque per se ex vi verborum conditio ponenda per alium debet negatiuè exponi pro non contradictione, aut non impedimento quantum sit ex parte sui prouenientes, quia hæc est conditio negatiua, at vero conditio positiuè expressa, non semper debet negatiuè interpretari, sed tunc solum, cum id est de intentione vouentis volentis materiam voti, nisi sit impeditus, sed multoties vouens vult positiuè conditionem affirmatiuam, vt cum non vult dare nisi incipiat. Secundo dato illo sensu adhuc non probatur intentum; quia probatur quidem, quod peccet etiam contra votum vouens circumueniendo, & impediendo ne ponatur conditio; sed non probatur, quod si conditio non sit posita, & sit iam impossibilis, debeat haberi, ac si esset posita, eo quod sit posita æquiualenter.

21. Occasione huius tractanda est quæstio, quam habet Diana *p. 9. tr. 8. resol. 4.* an scilicet qui vouit Religionem, si aliquis consuluerit vel consenserit, teneatur ad votum si ille imprudenter consulat. Teneri enim affirmat Sanchez *d. cap. 23. num. 56.* quem sequutus fuit Fagund. in Decal. *præc. 2. l. 2. cap. 30. num. 10.* Sed id negare Trullen. in Decal. *l. 2. cap. 2. dub. 17. num. 27.* refert Diana si non constat de alia intentione vouentis. Sed hic primo considerandum est, an votum absolute teneat, si enim is cuius consilium exquiritur sit ineptus ad prudens iudicium dandum in puncto hoc, votum non tenet, quia nedum non est de meliori bono, sed re illicita, quoniam illicitum est in re tanti momenti, qualis est electio Religiosi status, committere se imprudenti, & inepto ad dandum securum consilium. Sed supposita validitate voti, dicendum est priorem opinionem Sanchez esse veram, nisi aliter constet de intentione vouentis, vel ex verbis eius. Quia verba si amicus consuluerit, non exprimunt nisi consilium secundum substantiam, non verò qualitatem consilij. Et ideo purificatur conditio, si amicus consulat determinatè alteram partem. Et quia aliter vouens se incertitudini, & disputationi committeret contra suam intentionem si amico suum iudicium proferente, adhuc esset disputationi locus, & inquirendum esset, an ille prudenter, vel imprudenter consuluisset. Item conditio illa esset tandem resoluenda non in iudicium amici, sed vouentis, ac si diceret, si ego iudicauero, quod amicus prudenter, vel imprudenter consulat. Neque tamen per hoc dicitur, quod qui vouit debeat imprudenter agere, sed tantū in hoc voto seruandum est vt si consilium datum sit manifeste illicitum non obseruetur. In dubio autem recursus ad superiorem

rem

rem habeatur, iuxta regulam D. T. supra q. 88. a. 2. ad tertiam & a. 12. Ad secundam. Sic ergo in conditione ponenda per alium, si vouens intenderet conditionem, v. g. consensum Patris vt positum à Patre non circumuento, proculdubio si Pater circumuentus repugnaret, conditio non esset posita, & adhuc voti obligatio maneret, quia adhuc conditio non esset posita, & poni posset, & deberet, quia conditio esset non repugnantia seu consensus Patris non circumuenti, & repugnantia posita esset à Padre circumuento. Sed in hoc casu conditio non fuisset impedita, nisi fuisset determinata ad tempus, sed adhuc in suspenso esset, & poni posset. Verum nisi aliter de mente vouentis constet, filius qui vouet sub conditione consensus Patris, respicit consensú secundum substantiam; Nec per hoc intendit se facere iudicem Patris, & videre an iustè, vel iniustè, prudenter, vel inprudenter consentiat, sed solum Patris voluntatem vult attendere ex vi voti. Ideo etiam si Pater neget circumuentus, conditio vt statuta à vouente non est posita, & purificata, & non tenetur ad Religionem, quia deest consensus Patris.

22. In his ergo conditionibus hoc attendi debet, quod si non est posita conditio illa quam ex intentione sua vouens apposuit, vel adhuc datur tempus eam ponendi; & sic non est impedita simpliciter, & manet voti obligatio, quia adhuc potest poni conditio. Et sic si v. g. filius vouisset sub conditione consensus Patris non circumuenti, si ab eodem filio circumuentus negasset consensum, nõ esset simpliciter impedita conditio, quia adhuc Pater posset non circumuentus consentire vel cõtradicere, & adhuc vigeret obligatio voti, quia adhuc conditio posset poni. Sed si dum Pater contradicit non est amplius tempus, quod ille consentiat, vel dissentiat, sed tempus ponendæ conditionis est iam extinctum; Tunc considerandum est quod duobus modis fieri potest hoc votum. Primo scilicet si filius vouisset Religionem nisi Pater in tanto tempore non circumuentus contradiceret, ita quod eo eo tempore transacto, si Pater vel consensisset, vel non nisi circumuentus dissentiisset ipse adhuc vellet esse religiosus independenter à circumuento illo dissensu paterno. Et hoc modo si filius circumueniret Patrem, vt dissentiret, non impediret conditionem sub qua votum obligaret, sed imo faueret obligationi voti, & multò contra intentionem suam ageret; quia circumueniendo Patrem faceret vt eius dissensus non haberet vim ad tollendam obligationem voti quia dissensus Patris ex circumuentione habitus ex intentione vouentis non esset sufficiens ad hoc, vt votum non valeret, & vouens alias si pater in tanto tempore ex propria scientia, vel consentiret, vel non dissentiret nisi circumuentus, vellet esse religiosus. Alio modo potuit emitti illud votum, ita quod filius voueat se ingressurũ religionem, si Pater in tanto tempore consentiat, aut circumuentus non dissentiat; ita quod elapso eo tempore, filius maneat omnino liber à voto. Et in hoc sensu transacto illo tempore cessaret obligatio voti, si Pater dissentiret vel circumuentus, vel non circumuentus, quia pro eo tempore deesset consensus legitimus, & non adesset legitimus dissensus, & ea intentione vouentis votum vltra illud tempus non duraret. Et sic non datur casus, in quo vouens impediat conditionem, & teneatur implere votum, sed vbi conditio habet tractum successiuum, non impeditur simpliciter, ex hoc, quod semel, vel bis, vel pluries impediatur, sed tractu successiuo durante conditio non posita potest poni, & durat vis, & obligatio voti. Tunc solum igitur impediri potest simpliciter cõditio, & vis voti extingui, quando conditio remanet iam impossibilis. Et tunc si circumuentio, vel impedire ex proposito ne ponatur consensus legitimus alicuius, est aliquid, quod ex intentione vouentis, & pacto voti impedit ne defectus conditionis diminuat vim voti, inter conditiones necessarias ad hoc vt votum teneat est, quod dissensus alterius, vel non sit à circumuentio, vel non sit à vouente procuratus, & sic iam vouens hoc modo & circumueniens, vel ex proposito, & pœnitentia voti agens ad impediendam conditionem non impedit, sed fauet, & facit, quod non adsit conditio impeditiua voti, quia vnam conditionem materialiter impediendo ponit aliam, ea qua votum vigorem suum retinet.

23. Dicendum igitur est, quod vouens etiam si peccet iuxta supradicta, dum ea pœnitentia voti cum fraude, vel sine fraude ex intentione impedit conditionem sub qua vouit, non tamen tenetur votum seruare vel per se ipsum, vel per æquiualens; si alias conditio requisita est impossibilis. Nam vouens non intendit se obligare nisi purificata conditione; igitur ea non purificata votum cessat. Alias vero ea vi peccati commissi non tenetur ad implendum votum, quia votum non obligat ad recompensationem. Et quamuis vouens se obligaret ad ponendam conditionem (quod per se non est necessarium) sequeretur, quod illam non ponendo, vel impediendo peccaret; non tamen ex hoc teneretur ad votum, sed bene ad pœnitentiam quia virtus religionis violantem votum obligat ad pœnitentiam, non ad recompensationem. Et propterea hanc partem tenuerunt Maior. 4. d. 38. q. 1. Corolar. 7. Suarez de voto *lib. 4. c. 17. num.* 20. Palaus *tract. 16. disp. 1. p. 17. num.* 12. Layman *l. 4. tr. 4. cap. 6. q. 3. num. 4.* Raphael de Turri supra *q. 88. a. 3. d. 11.* Bonac. *disp. 4. q. 2. n. 7.*

24. Addendum tamen, quòd vbi conditio sit possibilis, & non sit certum eam non esse venturam, sed vouens spem habere possit de eius aduentu, & existentia, dum interim similis conditio pendet, vouens non potest ponere impedimẽtum ad voti executionem, sed aduentum conditionis tenetur expectare, quia interim reddendo se ineptum ad voti executionem, votum violat. Bonacina *disp. 4. quaest. 2. p. 2. num.* 7. Vbi tamen conditio esset in vouentis potestate, vt illam poneret salua voti reuerentia conditionem expectare non teneretur, quia illam posset non ponere quotiescumque vellet. Vnde si quis voueret Religionem dicendo, si ero Religiosus ero Carthusianus potest ad libitum inire matrimonium, quia in eius liberate est nunquam esse Religiosum. Vide Syluest. v. votum 2. *num.* 2. Nauar *cap.* 12. *num.* 42. Sanchez *d. cap.* 23. *num.* 88. Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *quaestione vltima* Suarez. *d. cap.* 17. *num.* 9. & 3. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *capit.* 6. *numer.* 2.

25. Con-

15. Considerauit etiam Palaus *d. p.* 17. *n.* 13. Quod si aliquis ex voto se tradat seruitio alicuius Hospitalis, Ecclesiæ, vel Religionis sub conditione dum Rector illum retinere voluerit, non licebit ei libertatem extorquere malis artibus, nimirum malè seruiendo, Monasterium turbando, & iniquè procedendo, vt etiam adnotauit Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 10. *n.* 148. Huius verò ratio redditur, quia ad hoc vt votum illud sit honestum, & famulatui religioso proportionatum debet intelligi, vt conceptum sub hac forma, nimirum voueo inseruire Hospitali dum Rector quantum sit ex parte sua me retinere voluerit. Et addendum est, quod in huiusmodi seruitij voto potest interuenire etiam iustitia commutatiua, qua interueniente, non potest famulus malis illis artibus extorquere libertatem. Item is qui in famulum talem Hospitalis se deuouet, ex hoc intendit seruare leges Hospitalis, & bona fide seruire, vnde non licet sibi seruiendo malè extorquere licentiam exeundi. Et si exierit tenetur redire, & prout promisit inseruire. Sic ergo semper inspici debet, qualis sit conditio, quia si hæc est exclusiua fraudis, doli, & malæ intentionis in vouente, manet obligatio voti; sed quare? non quia remota conditione votum conditionale obliget, sed quia remanet non remota ea conditio, sub qua votum obligat. Sic quando quis voto se obligat Hospitali, dum Rector quantum sit ex se ipso eum retinere voluerit, etiam si Rector famulum inique agentem, & dolosè expellat, manet possibilis conditio, sub qua votum obligat, quæ est quod Rector quantum sit ex se ipso illum retineret, si ille rectè seruire vellet.

16. Tertio qui vouit religionem ex vi voti, nedum tenetur vitare impedimenta, sed se ad illam habilem reddere. Ideo si ad religionis ingressum necessariæ sint aliquæ qualitates, quæ sint in potestate vouentis, vt illas habeat, tenetur illas procurare, & obtinere, & illa omnia facere, quæ necessaria sunt ad Religionis ingressum, sic qui vult ingredi ad statum Clericalem tenetur adiscere gramaticam, & Laicus tenetur adiscere artem, si quæ necessaria est, & vniuersaliter, qui vult ingredi tenetur tollere impedimenta, quæ prohibent ingressum. Quod tamen sine distinctione, & limitatione non est asserendum. Nam qui vouet Religionem, vel credit ad ingressum esse necessariam, vel gramaticam, vel aliam artem, vel aliam qualitatem, vel tollendum esse hoc vel illud impedimentum, uel id ignorat. Si id credit, tenetur ex ui uoti gramaticam, uel artem adiscere, aut qualitatem acquirere, uel impedimentum tollere, quia promittendo Religionem promisit omnia media necessaria ad illam assequendam, quia qui uult finem ex hoc uult, quæ scit esse necessaria ad finis acquisitionem. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 7. *ad* 3. *vers. quid autem si repellaris* Arragon. 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *circa respons. ad* 2. Petrus de Ledesma 2. *p. tr.* 10. *cap.* 3. *dub.* 7. *casu* 3. *Rodriq. p.* 2. *sum. c.* 95. *n.* 10. Suarez 3. *tom. de relig. lib.* 4. *c.* 1. *nu.* 2. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 16. *n.* 61. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *nu.* 12. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *punct.* 3. *n.* 14. Quod tamen triplici limitatione indiget, prima est, nisi eligat statum religiosum pro ea parte, ad quam non est necessaria talis qualitas, ut si, qui ignorat grammaticam, eligat fieri religiosum Laicum. Ità Sotus, Arragon, Rodriq. Sanchez, Suarez, Palaus. Sed quid dicendum, si Religiosi eũ inter Laicos nolint accipere, sed solum inter Sacerdotes? Si ipse dum uouit intendit statum Clericorum, sine dubio, si Religiosi nolunt eum recipere ad statum Laicorũ, tenetur grammaticam adiscere, quam sciebat ad statum Clericorum necessariam esse. Sed idem dicendum est, licet sub uoto non comprehenderit expressè, sed solũ implicitè statum Clericalẽ; quia in hoc casu adiscere grammaticam non est noua difficultas non præuisa, & recipi ad statum Clericalem non est contra, sed conforme intentioni uouentis, ideò ubi Religiosi nolint illum recipere nisi ad statum Clericalem, ad id se debet reddere aptum adiscendo grammaticam. Sanchez *vbi supra*. Secunda limitatio est nisi tempore emissi uoti putauit sufficere adiscere grammaticam intra Religionem, nam in hoc casu dicendum esset, sicut infra dicetur de eo, qui non putauit grammaticam esse necessariam, quod & dicendum est, si uouens credidit se fauoribus posse impetrare, ut sine illa qualitate reciperetur. Tertia limitatio est, si grammaticam adiscere sit uouenti moraliter impossibile, quia in hoc casu excusabitur ratione impossibilitatis. Sotus, & Sanchez *vbi supra*. Et idem dicendum est, si adhibita morali diligentia eam non potuit adiscere, quia & hoc modo ratione impossibilitatis excusabitur, & si uouendo intendit statum Clericalem, & non potest grammaticam necessariam adiscere, non per hoc tenetur ad statum Laicalem transire, quia est contra eius intentionem. Si uerò uouens non putabat qualitatem esse necessariam, ut u. g. esse necessariam grammaticam ad statum Clericalem, quem uouit, subdistinguitur. Nam uel acquisitio qualitatis, seu grammaticæ notitia est facilis, aut est ualdè difficilis. In primo enim casu uoti materia non est mutata notabiliter, & conditio quælibet siue per se, siue per accidens requisita, si sit parui momenti, non excusat à uoto implendo; alias u. g. qui uouit peregrinationem Romanam excusaretur à uoto, si ob aliquod bellum non posset recto itinere progredi, sed illi necesse esset per decem leucas circuire. Sotus *vbi supra*. Sanchez *n.* 61. Suarez *nu.* 24. Palaus *n.* 15. Sed si uouenti ualdè est difficile acquirere qualitatem, quam putauit nõ necessariam, quia materia est notabiliter alia ab ea, quam promisit, excusatur à uoto, & quia, dum uouit, intendit statum Clericalem, non tenetur ingredi sumendo habitum Laicalem, quia hoc est contra illius intentionem. Ita Sotus, Arragon, Rodriq. Ledesma, Azor, Suarez, Sanchez, Bonac. Palaus. Et idem dicendum est si uouens ignorauit qualitatis siue grammaticæ necessitatem, quia ignorantia causat inuoluntarium. Idem Azor. putauit dicendum, si tempore uoti uouens non meminit huius necessitatis, sed hoc impugnat Sanchez *nu.* 62. quia non est necesse quod uouens tempore uoti recordetur omnium difficultatum Caiet. *supra q.* 88. *a.* 3. *ad* 2. *dub.* 3. *vers. ad hoc dicitur*. Sotus *l.* 7. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 3. *Ex his quæ*. Sanchez *in Decal. l.* 4. *c.* 2. *n.* 10. *& cap.* 16. *n.* 62. Idem uerò dicendum de alijs artibus, & scientijs, quod si putauit eas non esse necessarias, si recipi non possit, seu si Religiosi nolint illum sine illis recipere, sit ille excusatus à voto Sanchez *ibid. n.* 63. Et nihilo-

minus hic aduertendum, quod sicut nouerit nescire necessitatem v. g. Grammaticæ, non est signũ infallibile, quod illam vouerit, quia vt dictum est potuit istis, vel credere illam posse adiscere intra Religionem, vel fauoribus posse admitti sine illa. Ita ignorare necessitatem medij, non est signum infallibile, quod vouens illud non vouerit, quia benè potuit esse, quod omnino intenderit velle omne omnino medium adhibere. Vnde hoc considerandum, an in facto vouens saltem virtualiter ad media etiam difficilia se obligare voluerit. Vide infra num. 117.

27. Quod si tempore voti nihil determinauit de statu Clericali, vel Laicali, si hoc remisit ad arbitrium superiorum Religionis, si ipsi eum nolunt admittere, nisi ad statum Clericalem, tenetur ad Clericalem statum se habilem reddere iuxta supradicta, quia cum ad arbitrium Religiosorum suum statum remiserit, si illi nolunt admittere, nisi ad statum Clericalem, perinde est ac si ille vouisset illum statum. Suarez tom. 3. *de Relig. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 22. Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 64. Martinez de Prado *cap.* 31. *q.* 7. *n.* 23. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 3. *n.* 16. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 5. Sed si nullius status meminit, sed absolutè religionẽ vouit, ita quod nec expressè, nec tacitè ad aliquem statum horum se determinauit, si ad vtrumque statum aptus est, iam stare debet arbitrio Religiosorum, & debet se habilem reddere iuxta supradicta ad eum statum ad quem Religiosi illum volunt admittere. Sed si aptus est ad vnum solum statum, vnde tacitè saltem se ad illum determinauit, vt si est nobilis censendus est statum Clericorum elegisse, & noluisse admitti ad statum Laicorum, vel si sit vir ignobilis ad labores natus, nec literas professus, censendus est virtute vouisse statum Laicorum: In hoc casu si pro illo statu ad quem est aptus, & ad quẽ se virtute determinauit, non recipitur, est liber à voto, quia qui vouit statum Clericalem, non tenetur Laicalem assumere, si ad Clericalem non recipitur, & è contra, Suarez *d. n.* 22. Sanchez *d. n.* 64. Martinez de Prado *n.* 23. Palaus, *&* Layman. *vbi supra*. Sed si omnibus pensatis dubium sit, an vouerit statum Clericorum, vel Laicorum, ex coniecturis hoc esse colligendum dixit Martynez; sed vt habetur ex Sanchez *n.* 56. *&* 66. si ad vtrumque est aptus, censendus est absolutè vouisse Religionem, & iuxta Religiosorum arbitrium se habilem reddere ad statum, ad quem recipitur. Sed si vouens dubius sit an ignorauerit ad statum Clericalem requiri grammaticam, præsumendum à communiter accidentibus illum non ignorasse, tradunt Sanchez *n.* 67. & Palaus *n.* 16. qui tamen oppositam putat de Logica, vel Phylosophia; Et in hoc debet attendi, an communiter sit notum huiusmodi qualitates requiri, id enim præsumi debet esse scitum, quod rarissimi ignorant. Ideò si rarum est aliquod requiri in dubio præsumetur ignorantia. Quod vero dictum est de vouentis statum Clericalem, dicitur de vouente statum Laicalem. Qui tamen etiam si fortè non calleat artem aliquam si alias est aptus, non debet à Religiosis reijci. Suarez *d. cap.* 2. *n.* 24.

28. Qui etiam aptus est ad altiora, si illi denegentur non teneri ingredi, ex Sanchez *n.* 58. *&* 59. *tradit* Palaus *d. puncto* 3. *n.* 17. Vt si quis sit præditus ijs dotibus, quibus spectatis ea in religione altiora studia habentibus conceduntur, illi verò denegantur, non tenetur eam religionem ingredi, si admittatur solum, vt contentus sit ministerio chori, quia attenta vouentis conditione, & communi recipiendi vsu, censetur in suo voto inclusa conditio, si admittatur ad ea ministeria, ad quæ personæ suæ conditionis admitti solent. Et insuper, quia hæc est notabilis difficultas superueniens, est sic illi ignominiosum sic ita priuatum ijs, quæ suæ conditionis personis concedi solent. Item si illegitimus ignarus *Constit.* Sixti Quinti contra illegitimos ijs dotibus prædictum esset, vt meritò sperare posset fore, vt ea constitutione à se ignorata præcisa, promoueri posset ad officia, & dignitates, nisi eo impedimento detineretur, non teneri religionem ingredi. Et idem dicendum si vouit religionem habentem similem constitutionem à se tamen ignoratam, vel post votum editam. Quia hæc est notabilis valdè difficultas ignorata, cum illi grauissimum sit habere qualitates, ob quas est idoneus ad dignitates, & Prælaturas, & tamen ex vi præfatarum constitutionum perpetuo ad illas ineptum esse. Et confirmatur quia hæc maior est difficultas, quam sit grammaticam adiscere, & tamen, qui ignorabat illam esse necessariam, non tenetur illam adiscere, vt dictum fuit. Verùm resolutioni primi casus libenter consentio, quia verè in voto religionis adest implicitè illa conditio, si ero receptus secundum quod alij meæ conditionis communiter recipi solent; ideò nobilis, & doctus non tenetur ingredi, si non recipiatur nisi ad statum Laicalem, vel nisi ad chorum, si alij suæ conditionis in ea religione ad altiora studia recipiuntur communiter, sed de secundo casu dicam infra n. 117.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit religionem tenetur statim intrare. num.* 29.
2 *Ex causa iusta potest differre. num.* 29.
3 *Causa iusta si non sit fortis verbus, vel scientia idoneus. num.* 29.
4 *Qui differt votum Religionis, minus reddit quam debet. num.* 30.
5 *Minor dilatio censetur notabilis in hoc voto, quam in alijs. num.* 30.
6 *Ratione ætatis, vel debilitatis qualis dilatio sit licita. num.* 31.
7 *Vt adiscantur artes qualiter differendum. numer.* 32.
8 *Et vt ingressus parentibus minus sit molestus. numer.* 33.
9 *Si timeatur impedimentum perpetuum ex dilatione non licet differre. num.* 34.
10 *Idem si timeatur impedimentum temporale ad notabile tempus. num.* 34.
11 *Idem etiam si adsit iusta causa differendi, aut fuit determinatum tempus ingressi. nu.* 34.
12 *Quod limitatur, nisi & præuentio sit impedita. num.* 35.
13 *Ex dilatione voti obligatio non cessat. nu.* 36.
14 *Quæ sint iusta impedimenta. nu.* 37.

26. Se-

29. SEcundum quod D.T. statuit est, quod quis vouit Religiosum tenetur eam intrare statim. Est vero certum, quod si vouens determinauit tempus, tenetur intrare in illo tempore determinato. Sed si non determinauit tempus tenetur intrare quam primum commode poterit. Cum quo tamen stat, quod ex iusta causa possit, quis differre ingressum religionis. Et ita licite differri ingressum religionis quando speratur fore, vt alio tempore commodius, quietius, & deuotius possit implere, docent Angelus v. votum 3. *num*. 2. Syluest. v. votum 2. *q*. 3. Tabien. v. votum 3. *q*. 3. *num*. 4. Armilla v. votum *num*. 10. Arragon. 22. *q*. 88. *a*. 3. *fin*. Sanchez *l*. 4. in Decal. *cap*. 14. *num*. 8. Vnde enim qui non est satis aptus religioni, quia caret, vel viribus, vel scientia, posse differre ingressum dicunt Sanchez *d. cap*. 14. *num* 9. Suarez *tom*. 3. *de relig. lib*. 4 *cap*. 1. in fine Layman. *lib*. 4. *tr*. 4. *cap*. 3. *num*. 5. Palaus *tr*. 16. *disp*. 1. *p*. 2. *num*. 2. vbi ad hoc desiderat consilium Confessarij.

30. Vbi vero adsit habilitas nihil est expectandum, est enim considerandum primo minorem dilationem censeri debere notabilem in executione voti religionis, quam in alijs votis; quia in voto religionis ex dilatione diminuitur materia promissa, & non tantum redditur, quantum fuit promissum. Nam promittens religionem, promittit ex consequenti totam vitam suam in Dei obsequium, & quantum propterea differtur ingressus in religionem, tantum minus vitæ religiosæ Deo redditur. In quo distinguitur hoc votum à voto peregrinationis, vel ieiunij, vel orationis. Huiusmodi enim vota tota reddi possunt post dilationem, sed in voto religionis, qui differt sine causa tanto minus reddit de eo, quod promisit, quanto magis promissionem exequi differt, & ideo minor dilatio sine causa iusta censenda est notabilis, & culpa grauis in hoc voto, quam in votis, in quibus dilatio non minuit materiam voti. Ita Suarez loco citato n. 4. Sanchez, Palaus, & Layman locis citatis, & alij.

31. Hoc verò supposito distinguitur quæstio. Nam vel loquimur in casu, in quo dilatio nullum continet periculum impedimenti executionis voti. Et in hoc casu considerandæ sunt causæ excusantes, & conditio Religionis ad quam quis ingredi tenetur. Excusatur namque ab ingressu, qui non habet ætatem, quæ sit apta ad labores. Propterea Corduba in sum. *q*. 39. dixit puerum 12. annorum qui vouit ingredi in Religionem Minorum posse expectare vsque ad 16. annum. Quod approbat Sanchez *l*. 4. in Decal. *cap*. 14. *num*. 9. reprobans ibi Rodriquez in sum. *cap*. 95. *num*. 9. volentem talem posse expectare vsque ad annum 25. & asserens talem ad summum posse expectare vsque ad annum 16. Armilla v. votum *num*. 16. dixit eum qui vouit religionem non posse expectare per tres, vel quatuor annos, quasi iudicans posse expectare per duos, vel amplius. Petrus etiam de Ledesma *p*. 2. *tr*. 10. *cap*. 3. *dub. penult*. putat iuuenem 16. annorum satisfacere voto, si intra triennium illud impleat, at fore transgressurum si differat 8. vel nouem annis. Idem Sanchez ibid. *num*. 22. putat quod habita idoneitate, & habilitate ad ingressum dilatio ad dimidium anni sit notabilis, & culpa mortalis. Sed considerandum mihi videtur, quod hodie stante decreto Concil. Trid. vt non possit quis profiteri ante 16. annum, & quod nō sit necessarius nisi vnus annus probationis, quicumque vouerit religionem ante 15. annum ætatis, potest expectare vsquequo compleat annum 15. vt ingrediatur. Quia votum continet implicitam conditionem, & modificationem, vt intelligatur de tempore congruo secundum leges, hoc autem est tempus ætatis annorum 15. Non tenetur igitur vouens prius intrare, nisi aliud ipse intenderit, dum vouit. Et eo magis, quod valdè graue est expectare in habitu nouitiorum tempus probationis, nec verisimile est, quod vouens ad hoc voluerit se obligare, nisi aliunde hoc constet. Mihi secundo considerandum est, quod sola difficultas implendi votum, non tollit obligationem, vt bene aduertit Panorm. *cap. Non est, de voto*. Ideo distinqui debet de impossibilitate, & de difficultate; illa enim durante cessat obligatio intrandi; sed si ingressus solum sit difficilis infra latitudinem possibilitatis, esto possit haberi iusta causa aliqualis dilationis, hæc tamen dilatio non multa debet esse. Nunc vero quia in religionibus, ad professionem seu incorporationem ad religionem regulariter recipiuntur iuuenes annorum 16. considerata præcise ratione ætatis, & præcisa indiuiduali debilitate eius qui vouit religionem, puto quod nullus possit expectare vltra annum 16. ad ingrediendam Religionem etiam Minorum, quia in ea etiam religione admittuntur ad habitum iuuenes 15. annorum, & ad professionem annum 16. si verò iuuenis indiuiduali conditione est minus fortis, poterit ad arbitrium prudentis differre ingressum. Quantitas autem dilationis non potest determinari ad numerum annorum: quia qui aptus est, & non impeditus debet statim ingredi, & dilatio 6. mensium nimia est, & vix credo, quod dilatio per mensem non sit notabilis, si omne impedimentum cesset. Cæterum debet etiam attendi intentio vouentis, qui potuit intendere non se obligare ad statim, sed ad sui arbitrium, vel commodum. Et debet attendi etiam, quod est expectanda commoditas recipientium, quia vouens non potest ingredi, nisi recipiatur, & ideo vbi illi iudicent esse supersedendum, & expectandum, vouens est tutus, qui non potest ingredi nisi recipiatur, & sufficit illi, si instetit pro receptione, & quod ex parte sua sit paratus ingredi; & bona fide procedat non procurando dilationem directè, vel indirectè.

32. Altera causa dilationis est necessitas addiscendi artem aliquam liberalem, vel mechanicam; vel aliam qualitatem necessario habendam ante ingressum. Vt in eo qui vouit ingredi, vt Sacerdos fiat, necesse est addiscere grammaticam, si vsus Religionis sit, vt in ea non sit commoditas illam addiscendi, sicut non est regulariter. Suarez *d. cap*. 3. in fine Sanchez *d. cap*. 14. *n*. 10. Layman. & Palaus vbi supra. Ideo si, qui vouit, sit aptus ad grauiora studia, & ad addiscendas scientias, & Theologiam præcipuè, & in Religione non sit eas addiscendi commoditas, posset concedi ingressuro mediocre aliquod, & discretum tempus illas acquirendi ante ingressum Maior 4. *d*. 38. *q*. 2. *col. penult*. Corduba in sum. *q*. 38. quos sequitur Sanchez *d. cap*. 14. *num*. 11. Supponi tamen semper debet, iuxta dicenda, quod non timeatur impedimentum perpetuum ingrediendi. Addit vero Sanchez, quod

etiam si adesset commoditas addiscendi illas scientias intra Religionem, quando superior cui admissio incumbit manifestato sibi voto consultius indicaret extra Religionem hæc studia absolui, id fieri posse. Quod quidem difficultatem habet. Potest quidem ille superior, si sibi bene visum fuerit, nolle petentem admittere nisi studia absoluerit, & vouens benè est securus (nisi teneatur aliud Monasterium, aut Religionem adire) quia ipse non potest ingredi, nisi recipiatur. Sed si Superior absolute non negat admittere, sed solum iudicat consultius esse, & si consulit dilationem non eam præcipit, non videtur, quod ex hoc consilio vouens sit securus. Quia in tali Religione studium talium scientiarum haberi potest intra Religionem vt supponitur, & ideo non manet vouens absolutus ab ingrediendo statim, vt vacet talibus studiis. Quod si superior ille magis vtile suæ Religioni iudicet esse, vt ille extra religionem studia illa absoluat, non consulat, sed necessitet, & neget ingressum, & tunc qui vouit (si non tenetur aliud monasterium adire) tutus erit, quia aliter ingredi non poterit. Quod vero dictum est de scientia, dicendum est, cum proportione de arte alia quacumque etiam mechanica, necessaria pro statu Laico.

33. Tertiam causam ex Palac. 4. d. 38. disp. 1. addit Sanchez num. 13. dicens posse expectari tempus, in quo à parentibus ingressus minus molestè feratur. Pax enim parentum, & eorum grauem molestiam vitare, iustam huic dilationi causam præbet; sed in hoc casu magis timendum est, ne ponatur impedimentum ingressi. Et supposito voto in ingressuro, difficile erit, vt seruari possit pax, & quies parentum, & voti obseruantia, quia parentes breui dilatione non erunt contenti, & longam concedere ex hac causa non est licitum. In his igitur arbitrium prudentium est attendendum. Et cauendum semper, vt dixit Suarez. d. l. 4. cap. 1. num. 7. Ne dilatio sit causa, quod in seculo multiplicentur peccata.

34. Sed si loquamur in casu, in quo ex dilatione sequi possit, & probabiliter timeri debeat aliquod impedimentum perpetuum ingrediendi religionem, omnis mora est culpabilis, quæ hoc periculum annexum habeat; quia per illam homo se exponit periculo violandi votum, & quia qui vouit tenetur vitare impedimenta, ex quibus sibi reddi possit impossibilis voti executio. Inde hoc sentiunt D. T. & alij DD. quos retuli supra num. 10. Excipit vero Sanchez d. lib. 4. cap. 14. casum in quo anticipando redderetur executio voti notabiliter difficilior, sed ille ibi dat exemplum de impedimento temporali scilicet de ieiunio feriæ sextæ, emisso, non in honorem diei, sed quando vouens fuit ductus, quia in illa die non desint cibi ad ieiunium apti, & ait quod si præueniendo non inuenirentur tales cibi posset posponere ieiunium. & sic doctrina & exemplum potest adaptari impedimento temporali ad religionem. Præuenire enim necesse est tunc etiam, quando si non præueniatur incurritur periculum valde diutiùs expectandi, seu impedimenti, per quod sit necessarium postea differre ingressum per notabile tempus, & verum est, quod in hoc casu si præuenire habet grauem difficultatem, per quam executio fit difficilior, quàm vouens existimauerat, poterit dari causa iusta non præueniendi, sed expectandi. In quo tamen prudentia est necessaria, sed vbi impedimentum, quod timetur est perpetuum, necesse est præuenire omnino, nisi de facto tale impedimentum adsit, & talis causa, quæ omnino excuset à Religionis ingressu, quia in idem coincidunt, nimirum ingredi Religionem, & esse perpetuo impeditum ad eam non ingrediendum, quia ingredi non possit. Imò qui per aliquot menses fuit negligens, si videre debeat ex maiori dilatione consequi impedimentum, per quod illis mensibus computatis, qui vouit non poterit intra spatium lex mensium ingredi, illa erit negligentia, & dilatio culpabilis grauiter.

35. Ampliatur vero hoc, vt verum habeat etiã se ausit iusta aliqua causa differendi, imò si vouens promisisset ingressum ad certum tempus. Quod certè in impedimento perpetuo euidens est; vt si v.g. qui adhuc est teneræ ætatis, dum expectat ætatem firmiorem incurrat periculum mutandi propositum, & accipiendi vxorem, quod ideo dicitur de eo, qui causa complendi studia differt religionis ingressum, si interim timere possit, & debeat, quod contrahet debita, quæ numquam erit soluendo, vel quod committet crimen per quod damnabitur, vt numquam possit implere votum. Vbi enim maius est periculum, minus iusta redditur causa dilationis adimplendi votum, quod alias adimpleri non est impossibile. Sed etiam si impedimentum, quod timetur non sit perpetuum, sed temporale, si tamen per longum tempus impeditutum est, non sufficiet quælibet causa ad iustificandam dilationem, quia quo longior est dilatio, eo imminent plura, & maiora pericula impedientia voti executionem, vel illam differentia, quæ vitari debent, si id fieri possit. Vnde hic opus est prudentia, & bona fide, & prudentium consilio, vt attentis circumstantijs, & qualitate periculi videatur si remanet iusta causa differendi. Quod si vouens promisit ingressum religionis ad certum tempus, nisi ex speciali intentione intenderit ex quacumque causa adueniente nolle teneri ad votũ, ante illud tempus, censetur posuisse tempus infra quam terminum, vltraquem non possit differre. Et ideo si infra terminum superueniat periculum futuri notabilis, & grauis impedimenti, tenetur præuenire tempus, quod tamen iuxta dicta est intelligendum, nisi acceleratio ingressus sit talis, quæ adeo sit difficilis, vt censeri possit vouentem noluisse se obligare ad ingressum religionis cum tanta difficultate. Et quidem prout dicitur in textu, votum obligat ad quam citius sublato legitimo impedimento, vnde obligatio ad quam citius supponit non adesse aliquod legitimum impedimentum. Quando vero, vel ingressus in religionẽ est impossibilis, vel tam difficilis factus est, vt prudenter censeri possit vouentem noluisse se obligare ad ingressum in religionem cum tanta difficultate, qui vouit est legitimè impeditus, & potest differre, cum tali impedimento stante non teneatur votum implere.

36. Hoc quoque bene considerat Suarez dicto cap. 1. num. 6. quod ex dilatione ingrediendi religionem etiam tempore statuto, non tollitur voti obligatio, quia nisi aliud constet de intentione

youen-

vouentis, terminus censetur præfixus non ad finiendam, sed ad accelerandam receptionem habitus religiosi. Et bene etiam Castro Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 3. num 4.* dixit, quod votum illius, qui vouit mori in religione, non est tale, vt possit differri vsque ad periculum mortis, sed prudentis arbitrio est tale tempus mensurandum, vt supra etiam est explicatum.

57. Tertium quod asserit D.T. est, quod impeditus non tenetur ingredi. Et quidem si impedimentum sit perpetuum vouens est liber à voto. Impedimentum vero temporale suspendit votum, non vero eius aufert obligationem. Considerandũ est autem, duplicis generis posse dari impedimentum legitimum differendi promissum religionis ingressum. Primum est positiuum, nimirum aliqua infirmitas, aliquod negotium expediendum, vt obligatio soluendi debita, cui non possit satisfieri in religione, seu obligatio reddendi rationem administrationis alicuius, vel quia necesse est expectare locum in Monasterio, vel Capitulum Prouinciale in quo recipiatur, vel aliquid aliud simile. Hæc enim legitimè impediunt, ne statim, qui vouit religionem, ingrediatur. Aliud est impedimentum negatiuum. Cuiusmodi est tenera ætas nondum idonea ad sustinendas asperitates religionis, & defectus scientiæ, quam ingressus in religionem supponit, vel quæ reddit multo aptiorem ad munera religionis, & vtiliorẽ religioni, & post susceptum habitum non est habiturus in religione commoditatem scientiam acquirendi, vel defectus consensus parentum, quem vel statim non sunt daturi, vel nimis difficiliter, & cum maximo sensu dabunt, nisi mora aliqua temporis intercedat, de quibus impedimentis etiam supra dictum fuit, & explicatum qualiter impediant. In his enim attendenda semper est intentio vouentium, qui quidem non intendunt se obligare ad ingressum religionis statim exequendum cum his defectibus, & cum tot difficultatibus, seu non intendũt sibi imponere adeo strictam obligationem, vt ex iusta causa talis ingressus non possit differri. Ita Sanchez *l. 4. Mor. c. 16. n. 9. 10. 11. & 13.* Suarez *tom. 3. de relig. l. 4. c. 1. n. 5.* Layman. *l. 4. t. 4. c. 3. n. 5.* Bonac. *d. 4. de leg. q. 2. p. 5. § 1. & 2.* Sayrus *l. 6. cap. 9. n. 55.* & alij.

SVMMARIVM.

1 *Votum post consummatum matrimonium emissum sub conditione dissoluti matrimonij valet, num. 38.*

2 *Non tamen obligat, nisi pro tempore soluti matrimonij. num. 38.*

3 *Votum coniugis sub conditione consensus alterius obligat. num. 39.*

4 *Qui sic vouit, tenetur procurare consensum, numer. 39.*

5 *An hoc voto stante maritus viduus teneatur ad votum; vel si vxor consentiat. nu. 40.*

6 *Coniux qui vouit statim ingredi, tenetur si est liber. num. 41.*

7 *Et si non est liber, non tenetur ad statim, tenetur tamen quando erit liber. nu. 42.*

De impedimento, quod ex matrimonio, vel sponsalibus prouenit, & detinet ingressum Religionis.

INSPECTIO II.

38. CVm vero ingressui religionis ex matrimonio præcipuè impedimentum præstari possit, videndum est qualiter qui religionem vouit se habere debeat, si habeat impedimentum matrimonij, vel sponsaliorum. Votum enim religionis potest antecedere omnino, vel subsequi aut matrimonium consumatum, aut matrimonium ratum, aut tantum sponsalia. Quæritur igitur primo quale sit, & qualiter obliget votum religionis post matrimonium consummatum emissum. Multi autem casus hic possunt distingui. Primus si maritus voueat religionem sub conditione mortis coniugis. Et in hoc casu votum tenet, quia est de re licita Suarez *l. 9. de matrim. disp. 35. n. 12.* Palaus *tr. 16. p. 5. num. 4.* non tenetur vir ad ingressum, nisi coniuge mortua. Et interim nedum reddere potest, sed petere debitum. Quoniam vt dictum est, votum religionis non obligat ad castitatem seruandam nisi sub conditione professionis in religione. Et nihilominus quæri potest, an si coniux consentiat, vt maritus, statim religionem ingrediatur, teneatur vir ingredi statim. Cui quæst. respondet Suarez *t. 3. de relig. l. 4. c. 5. num. 2.* virum non teneri, quia nullus tenetur anticipate soluere debitum, vir autem non promisit religionem nisi sub conditione viduitatis.

39. Secundus casus est, si vir voueat statum religiosum de præsenti sub conditione consensus coniugis, & iure Ecclesiastico seruato. Et in hoc casu certum est, si coniux consentiat, & seruet ius Ecclesiasticum, vel ingrediendo monasterium, vel vouendo castitatem in sæculo, prout iura disponũt, quod tenetur statim ingredi religionem, purificata sufficienter conditione. Interim tamen dum adhuc cum vxore viuit potest debitum reddere, & petere, quod est verum etiam si sit in mora culpabili ingrediendi religionem, vt ex Caietano supra *q. 88. a. 3.* circa respons. ad secundum communiter docent DD. quia qui vouit religionem non vouit castitatem nisi sub conditione professionis, & pro tempore, quo illa fuerit emissa. Sed si non purificetur conditio, quia alter coniux nolit seruare ea, quæ de iure, licentia illa nulla est, & de hoc illo iudicandum est, ac si sine licentia fuisset emissum, Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 36. n. 1.* Palaus vbi supra. In hoc etiam casu, tenetur procurare consensum coniugis tanquã conditionem sub qua vouit. Nam qui vouit finem, tenetur ad media, sine quibus non potest consequi finis, & ideo qui vouet sub conditione ponenda ex libertate alterius, & quæ regulariter non ponitur, nisi petatur, quia vouet sub ea conditione, debet facere, quod in se est, & sic consensum alterius petere. Suarez. *lib. 3.* de voto *cap. 6. num. 11.* Sanchez. *lib. 2. 4.* in Decal. *cap. 25 num. 34.*

40. Quod

40. Quod si non obtineat consensum coniugis, numquid cessat obligatio voti? vel si coniux quæ negat consensum moriatur, durat ne obligatio voti,& tenetur ne vir viduus religionem ingredi? durare obligationem, & virum teneri ad ingrediendum Monasterium, docet Suarez loco citato. Quia in hoc voto consensus coniugis intrat non vt conditio voti secundum substantiam, sed vt conditio ad hoc, vt votum statim possit exequi; vnde licet non purificatio conditionis eximat ab obligatione statim ingrediendi religionem, non eximit tamen ab obligatione ingrediendi religionem absolutè, & quando vouens fuerit liber, vt ingredi possit, siue si vxor moriatur, siue etiam si consentiat. Quæ tamen intelligi debent, nisi alia specialis fuerit vouentis intentio. Nisi scilicet vouens intenderit non manere obligatum ad votum, si petito consensu coniugis, illum non obtinuerit. In hoc enim casu cessaret obligatio voti ex defectu conditionis sub qua vouit. Monet verò Suarez hanc conditionem debere esse satis expressam, Nam alias votum simpliciter factum sub hac conditione, si coniux consentiat, per se, & ex forma voti perpetuo obligat,& satis censetur adimpleta conditio, si vel coniux postquam semel, vel bis, vel ter, vel pluries pulsata dissentit, postea etiam sponte sua consentiat, vel moriatur, quia eius consensus postulabatur quatenus erat necessarius, sed postea non est necessarius. Sed puto obseruanda esse verba siue voce, siue mente expressa à vouente, si de illis constat, Nam alias si maritus dicat voueo Religionem nunc, si vxor consentiat, hoc votum non obligat, vel ad quærendum semper consensum, vel ad hoc vt vir viduus Religionem ingrediatur; Nam sensus illorum verborum, & quidem rationabilis, in stricta interpretatione accipiendus est, voueo Religionē, si vxor sufficienti diligentia pulsata consenserit, Et sic consensus est conditio secundum substantiam, qua non purificata suo tempore maritus, qui tulit repulsam est liber à voto, nec amplius ad Religionem tenetur, etiam si vxor postea consentiat. Neq; enim est verisimile, nec conforme communi vsui vouentium, q uod maritus voluerit esse in perpetuum suspensus per totam vitam, & anxius, & sollicitus ad obtinendum consensum vxoris semel, iterum, & amplius patiendo repulsam. Si autem maritus dicat voueo Religionē, etiam nunc si vxor consenserit. In hoc casu votum respicit ingressum independenter à consensu vxoris pro tempore habili, & ideo maritus viduus tenetur ad Religionem, & tenetur etiam pro nūc petere consensum vxoris; sed tamen si semel post sufficientem diligentiam fuerit negatus, non tenebitur maritus amplius petere; si tamen vxor postea consentiat tenetur implere votum, quia illud tempus consensum est habile, & votum illud vniuersaliter se extendit ad tempus habile. Pariter si maritus dicat, voueo Religionem, si quomodocumq; & quandocumq; cesset impedimentum, & obstaculum iustitiæ: maritus vel in casu mortis vxoris, vel in casu diuortij, vel in casu consensus vxoris quandocumq; eueniat tenetur implere votum. Non tenetur tamen petere vxoris consensum, nisi ad id se obligare intenderit; saltem potuit intendere non obligari ad talem consensum petendum. Quamuis inspecta illa forma verborum dicendum sit,& præsumendum, quod ipse intenderit consensum talem procurare; quod clarius constat, si dixit ex nunc volo esse Religiosus, si quomodocumque,& quandocumque cesset obstaculum iustitiæ; sic enim dicendo certè se obligat ad nunc petendum consensum vxoris qui est vnicum medium incolumi vxore, & pudica ad nunc implendum votum. Et in hoc casu manet obligatio petendi consensum etiam post repulsam, quia conditio quomodocumque, & quandocumque cesset obstaculum iustitiæ se extendit ad omne tempus futurum, & ideo obligat maritum ad semper petendum, cum potest prudenter petere consensum vxoris, vt impleat votum, Sic igitur verba vouentis considerari debent, & intelligenda in propria significatione, quamuis strictè interpretanda vt quantū minus fieri potest lædant libertatem vouentis. Et vbi constet de intentione illius, verba non sunt attendenda. In voto enim magis attenditur intentio vouentis quam verba *cap. super eo. S. Rursus, de Regul. iuris* Fagnā *cap. Explicari n. 14. de obseruat. Ieiunior.* De his autem videnda sunt quæ dico infra *n. 87.* vbi difusè tractatur. An qui passus repulsam sit liber à voto.

41. Tertius casus est, si vir voueat ingredi statim religionem sine consensu vxoris. Qui casus distingui debet. Nam maritus potest esse liber ab vxore propter adulterium, & perpetuum diuortiū, vnde cum iam obligatio matrimonialis reddendi debitum non existat nec vir vxori cohabitare teneatur, votum viri de religione patenda est de re honesta. Et non pendet à consensu vxoris, & tenetur statim ingredi religionem ac in facie Ecclesiæ potest diuortium celebrare. Sed si non intret sea diuortij, sed maneat obligatio reddendi debitum, & vir voueat religionem absolutè, vt statim assumendam sine consensu vxoris. Vnum certum est, scilicet hoc votum non valere pro statim, nec posse uirum uxorem dimittere, & religionem ingredi ea uiuente, & non consentiente. Sed dubium est an uotum hoc teneat, ita ut si uel coniux consentiat, uel moriatur uir teneatur religionem ingredi. Affirmat enim Suarez *loco citato n. 3.* & probat quia utile per inutile non uitiatur, & uotum factū de re honesta, cum accidentario modo impossibili, ablata conditione obligat quautum ad substantiam, ut tradit etiam Nauar. *cap. 12. n. 43.* quod uerò uir non possit modo implere uotum, si uxor non consentit est accidentarium uoto, quapropter si uxor non consentit non potest uir pro tunc religionem ingredi; sed uel consentiente uxore, uel ea mortua, & poterit ingredi, & tenebitur. Secundo nam uir nolens inuita uxore ingredi religionem multo magis uult hoc ea consentiente, uel mortua, & non repugnante. Addit uero semper habere locum limitationem illam, nisi alia fuerit intentio uouentis, quam tamen hic debere esse satis claram, & expressam, asserit quia est multum aliena à forma, & natura talis uoti. Sed alij dicunt hoc uotum esse iniustum, & nullum, quia est de re impossibili, Et contra iustitiam uxoris, cui tenetur uir reddere debitum. Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 35.* Palaus *vbi supra n. 5. ex sess. l. 2. cap. 41. dub. 5. n. 47.* Bonac. *disp. 4. q. 2. p. 5. §. 6. n. 8.*

42. Sed hic casus uerè distingui debet in duos. Quorum primus est, ut uir uouerit religionem absolutè,

folutè: præſcindendo ab executione uoti,ut præſtanda uel tunc, uel aliena, ſed uel expreſsè,uel tacitè referendo hoc ad tempus pro quo uotum poteſt iuſtè impleri. Et in hoc caſu uotum ſine dubio eſt honeſtum, & obligat, & continet ſaltem implicitè conditionem illam disiunctam, ſi uel uxor côſentiat ſalua Eccleſiaſtica lege,uel moriatur. Et ita in hoc ſenſu casũ admittũt etiam Sanchez, Palaus, Leſſius. Bonaccina. Sed in hoc caſu conſideranda eſt regula quam tradit Sanchez *d. diſp. 35. n. 7.* quia nimirum quando promittitur res bona, ſub modo malo, uel impoſſibili, aut ſub ſimili circumſtantia, iudicandum eſt uoluntatem ferri in rem principalem bonam principaliter, & independenter à circumſtantia, uel modo malo, & impoſſibili. Verè enim ſic eſt, quod tunc circumſtantia mala aut impoſſibilis habenda eſt pro non appoſita, niſi expreſſa intentio uouentis ſit uelle rem bonam ſolum dependenter ab illa circumſtātia, uel modo malo, quod certè non eſt præſumendum, niſi aliunde conſtet. Sic ergo in propoſito, ſi quis uxoratus uouerit ſtatim ingredi religionē, etiam inuita vxore, non eſt cenſendus uelle religionē nō niſi dependenter à diſſenſu uxoris, niſi hoc aliunde cõſtet, ſed concēdum eſt uoluiſſe principaliter religionē;& ideo tenetur ingredi religionē quādo poterit, uel uxore mortua, uel ea conſentiente.

43. Vltimus caſus eſt, ſi uir & uxor de communi côſenſu uoueant religionem, ſed ante ingreſſum alter illorum pœniteat uoti, & conſenſum negec. Et in hoc caſu alter coniux licet perſiſtat in uoto, non poteſt ingredi religionem, niſi uel alter moriatur, aut iterum conſentiat, quia unus coniugum alio inuito non poteſt ſtatum mutare matrimonio repugnantem. Et licet peccet coniux alter qui religionem uouit, & poſtea pœnitet, non peccat tamen contra iuſtitiam, & iure ſuo utitur, unde ſine iniuſtitia poteſt ſuum propoſitum mutare, & conſenſum datum auferre. Et interim uterque coniugum poteſt debitum petere, & reddere, & hoc ſiue maneant in propoſito, ſiue non, quia ad caſtitatem non tenentur antequam ſint religioſi.

SVMMARIVM.

1 *Votum Religionis poſt matrimonium ratum intra bimeſtre eſt validum. num. 44.*
2 *Peccat tamen uouens intra bimeſtre petendo, vel reddendo debitum. num. 44.*
3 *Poſt primam copulam poteſt etiam petere. num. 44.*
4 *Poſt bimeſtre poteſt & tenetur reddere. num. 45.*
5 *Vouens poſt ſponſalia tenetur ingredi, nec regulariter licet ſibi contrahere matrimonium. num. 46.*
6 *Sponſalia ex vi voti diſſoluuntur. num. 47.*
7 *Ex parte tamen vouentis ſolum ſuſpenduntur. num. 48. 49.*
8 *Non eſt eadem ratio de vouente, & alio: & de profeſſione, & voto. num. 49.*
9 *Qui vouit manet liber, ſi alius ſponſus contraxit cum alio, vel eſt ingreſſus. num. 50.*
10 *Etiam ſi ſponſalia ſint iurata, diſſoluuntur, vel ſuſpenduntur ex vi voti. num. 51.*
11 *Regulariter qui vouit Religionem poſt ſponſalia, non poteſt contrahere matrimonium licitè altero ſponſo inſcio, & non conſentiente. num. 52.*
12 *Qui habet votum Religionis non poteſt contrahere ſponſalia. num. 53.*
13 *Ligatus voto Religionis, qui ſub ſpe matrimonij deflorauit virginem, an teneatur eam ducere, variè eſt opinatum. num. 54.*
14 *Varia intelligentia opinionis affirmantis. num. 55.*
15 *Limitationes eiuſdem. num. 56.*
16 *Vniuerſaliter loquendo hic defloratur non ſatisfacit per matrimonium ratum. num. 57.*
17 *Tenetur petere voti diſpenſationem. num. 58.*
18 *Tenetur ingredi Religionem, niſi diſpenſetur. num. 59. 64.*
19 *Poſteriora ſponſalia cum defloratione non irritant priora. num. 60.*
20 *Fortior eſt obligatio Religionis, quam iuſtitia num. 60. 62.*
21 *Per matrimonium votum Religionis in parte extinguitur. num. 60.*
22 *Deus non cedit iure ſuo, vt locum habeat ius hominis. num. 60.*
23 *Contractus onerosus contra votum prius emiſſum non eſt validus. num. 61.*
24 *Qualiter verùm ſit, quod debitum ex contractu oneroſo præcedat debitum ex promiſſione gratuita. num. 61.*
25 *Debitum ex delicto an præcedat debitum ex nuda promiſſione. num. 62.*
26 *Damna dato non poteſt homo reſtituere ex eo, quod Deo eſt promiſſum, & obligatum. num. 62.*
27 *Votum relinquendi hæredem Eccleſiam ceſſat ſi vouens habeat poſtea filios. num. 63.*
28 *Non eſt eadem ratio de iure filiorum ad bona patris, & de iure deflorata ad ſui ſatisfactionem. num. 63.*
29 *Qualiter deflorator ſine præiudicio voti ſatisfacere poſſit. num. 64.*
30 *Obiecta ſoluuntur. num. 65.*
31 *Quid agendum, ſi votum ſuccedat ſponſalijs, & deflorationi. num. 66.*
32 *Diſpenſatus ſuper voto Religionis non eſt liber à ſponſalijs. num. 67.*

44 QVæritur ſecundo, qualiter & quomodo ualeat uotum religionis emiſſum poſt matrimonium ratum, & non conſummatum? & dicitur hoc uotum abſolutè ualere, & eſſe honeſtum, & qui uouit teneri ingredi religionem, & nec poteſt primo petere, nec reddere debitum intra tempus à iure ſibi conceſſum pro religionis ingreſſu;& hoc uotum eſſe honeſtum, ac ualidum eſt certum, quia coniux non conſummato matrimonio intra bimeſtre poteſt etiam altero coniuge inuito religionem ingredi, unde ſi uouet hoc, uouet id quod eſt & honeſtum, & ſibi poſſibile, & melius bonum quam ſtatus matrimonialis; hoc igitur uotum eſt honeſtum, & habet uim obligandi eum, qui uouit, ad hoc ut religionem ingrediatur ſtatim. Quantum autem ad petendum, & reddendū debitum, tria etiam certa ſunt. Primum eſt quod intra bimeſtre non poteſt reddere Armilla *v. debitum. n. 14.* Sotus *r. 4. d. 38. q. 12. a. 1. poſt 2. concl.* Nauar. *cap. 2. n. 80.* Ludouicus Lopez. *2. p. cap. 46.* Bartolomeus à Ledeſma *dub. 32. de matrim.* Petrus de Ledeſma *de matrimon. q. 53. a. 1. dubiolo moto poſt 2. dub. princip. col. 2.* Sanchez

plures

plures alios referens l. 9. de matrim. disp. 33. *n.* 14. Suarez *d. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 7. Palaus. *tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Quia per bon ponit impedimentum graue ingressui religionis. Quia post consummatum matrimonium non potest ingredi religionem, nisi altero coniuge consentiente, imo & religionem ingrediente, uel saltem uotum perpetuum castitatis emitente, quod est ualdè difficilè obtinere, ideo coniux per primam cupolam ponit graue impedimentum ingressui religionis promisso. Nec obstaret, si aliter coniux promitteret se daturum consensum ad religionem post primam cupolam, quin potest non stare promissis, uel saltem posset nolle nouere perpetuam continentiam, unde reddens debitum ponit se euidenti periculo impediendi executionem uoti. Et certè in his non est fidendū promissionibus etiam iuratis. Certum est etiam secundo, quod coniux qui uouit religionem numquam potest primus petere debitum nec intra, nec post bimestrè. Hoc tenent citati DD. & ratio est, quia etiam post bimestrè matrimonium non consummatum est dissoluibile per religionis ingressum; unde si qui uotum habet debitum petit, quantum sit ex se ponit impedimentum executioni uoti reddens matrimonium indissoluibile, nisi altero coniuge consentiente. & iuxta canones admiuns uouente perpetuam castitatem; peccat igitur contra uotum, si primus petit debitum. Tertio certum est, quod prima copula habita, siue in ea peccauerit, siue non peccauerit, iam coniux, qui uouit religionem non impeditur à uoto, quin reddat, uel etiam ad libitum petat debitum. Caiet. *v. matrimonium cap. vlt.* Sotus 4. *d.* 38. *q.* 2. *a.* 1. *concl.* 4. & *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 2. *ad tertium.* Nauar. Armilla, Bartholomeus Ledesma, Petrus de Ledesma *conclus.* 4. *supra citati*, Sanchez *n.* 15. Suarez, & Palaus. Quia ex ui uoti religionis non tenetur ad castitatem antequam illam uoueat, rursus uerò per copulas subsequentes ad primam nullum maius impedimentum ponit ingressui religionis; non est igitur unde prohibeatur, uel reddere, uel petere debitum. Et ita tenent Sanchez *l.* 9. *de matrim. d.* 35. Less. *l.* 2. *d.* 42. *d.* 5. *n.* 47.

45. Sed dubium est, an transacto bimestri, cū iam alter coniux habet ius petendi debitum teneatur qui uouit religionem statim ad primam alterius petitionem illud reddere. Suarez enim dicto *l.* 4. *c.* 5. *n.* 9. putat, quod si coniux liber per multum tempus etiam transacto bimestri, uel per impotentiam, uel per negligentiam non petat debitum, nisi ex coniecturis colligatur, quod hoc facit ex uerecundia, uel timore, quod quodammodo cedat iuri suo, uel de illo remittat, & ideo adhuc sit liber, & sui iuris, nec teneatur primæ petitioni acquiescere, ideoq; tunc, & possit, & teneatur resistere, & ad religionem conuolare. Sed hoc meritò displicet Castro Palao *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 5. *n.* 3. Quia, nullus cedit iure suo, ex eo quod non utitur re sua, quando non uult uti, & coniux post bimestrē habet ius petendi debitum quotiescumque uoluerit, & sibi benè uisum fuerit, tenetur igitur alter coniux reddere, & cum teneatur, potest non obstante uoto reddere, quia uotum non obligat, contra iustitiam alterius. Peccauit igitur contra uotum, si potuit, non ingrediendo religionem intra bimestrè suæ libertatis, uel antequam alter coniux petat debitum, sed bimestri præterito, & altero coniuge petente debitum, tenetur reddere.

46. Quæritur tertio, & quomodo obligat votū religionis factū post spōsalia de futuro etiam iurata? Dicunt verò communiter Syluest. *v. matrimonium* 7. *q.* 5. Nauar. *in sum. c.* 22. *nu.* 17. Ludouicus Lopez 1. *p. c.* 38. Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 14. *n.* 4. Sanchez *l.* 1. *de mat. d.* 48. *n.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 6 *n.* 14. Petrus de Ledesma *quæst.* 43. *a.* 3. *dub.* 1. *diff.* 2. Suarez *dicto l.* 4. *c.* 5. *n.* 11. & alij DD. hunc teneri ingredi religionem, & exequi votum suum. Et ratio est quia nec sponsalia, nec iuramentum illa confirmans possunt impedire ingressum religionis, qui est bonum longè præstantius, & amabilius; ideo cum vouens ingressum religionis possit non obstantibus sponsalibus iuratis ingredi religionē, & honestè hoc vouet, & tenetur implere. Nec obstat si dicatur, quod potest contrahere matrimonium, & postea ingredi religionem, antequam illud consumet: quia primo hoc non est dictum ad rem, cum non asseruerimus, nisi quod tenetur ingredi religionem, quod confirmatur. Sed additur pro nunc, quod non tenetur ad matrimonium contrahendum, quia iuramentum ad illud non obligat volentem ingredi religionem, nec consultum esset, vt qui religionem vouit exponeret se periculo matrimonium consummandi, nec charitati conforme esset maiori hac molestia, & forsan etiam expensis inutiliter grauare alterum coniugem.

47. Dubitant nihilominus DD. an sponsalia ex vi voti remaneant dissoluta, ita quod etiam si qui vouit Religionem post eius ingressum exeat, liberum sit ei, qui in seculo mansit, nolle sponsalia seruare, sed imo possit statim cum quocumque alio non impedito contrahere. Sponsalia enim non dissolui per solum votum, & ingressum Religionis non sequuta professione tenuerunt plures, & citatur pro hac sententia D. T. 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad primum*, pro quantò dicit, quod ingressus Religionis dirimit sponsalia, quia est mors spiritualis; hoc verò non est verum, nisi de professione. Sed hoc non benè dicitur, quia votum ipsum religionis est quædam inchoatio istius mortis, & continet obligationem non paruam ad illum; & illius animum supponit, vt dicitur *art. sequenti*, & hoc sufficit ad sponsalia dissoluenda. Eam tamen sententiam tenuerunt Tabien. *v. sponsalia n.* 10. Durand. 4. *d.* 27. *q.* 3. *a.* 3. Palud. *ibid. q.* 1. *a.* 3. *casu* 5. Armilla *v. sponsalia, n.* 22. Couar. 4. *decret. p.* 2. *cap.* 15. *n.* 11. Turrecremata *ad cap. Vbi non est.* 30. *q.* 2. *a.* 4. *n.* 5. & plures alij apud Sanchez *lib.* 1. *disp.* 42. *n.* 1. & Leandrum *disp.* 2. *q.* 5. Verùm hic considerandum, quod vouens Religionem habeat sincerū animum perseuerandi in Religione, & profitendi, quantum sit ex seipso, & ad id teneatur, non possunt cum tali animo durare sponsalia in sua vi, quin alter coniux omnino maneat liber à sponsalijs; non enim iustum est, quod ille alter coniux teneatur expectare, quod vouens ingrediatur religionem, & profiteatur. Et quia votum Religionis est inchoatio illius mortis ciuilis, per quam religiosus in professione moritur mundo, & qui Religionem promittit, hanc mortem quoque aliquo modo promittit, & vouet, vt explicabitur *art. sequent.* ideo in hac parte vouens Religionem censendus est, ac si mūdo esset mortuus. Vnde dicendum

est ex

est ex solo voto religionis dissolui sponsalia, & ex vi talis voti; & quod sponsalia sint conditionata hac conditione, nisi coniux ad meliorem Religionis statum transire voluerit. Et ita hanc partem tenent Angelus *v. sponsalia n.22.* Syluest. *q.10. casu* 2. Nauar. *in Man. cap. 22. n. 26. casu* 2. Sotus 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 5. *vers. Hoc tamen.* Bartholomeus à Ledesma *dub.* 13. *casu* 2. Petrus de Ledesma *q.* 43. *a.* 3. *dub.* 2. Lopez *p.* 2. *cap.* 38. Sanchez *de matrim. l.* 1. *disp.* 42 *n.* 2. Bonac. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 1. Leander. *disp.* 2. *q.* 1. Basilius *lib.* 12. *cap.* 10. *n.* 4.

48. Dubium tamen remanet, an sponsalia remaneant dissoluta ex parte vtriusq; coniugis. Nam ista dissolui, si sponsus ingrediatur in Religionem bona fide, & non ex dolo, & animo dissoluendi sponsalia, & ita vt si sponsus bona fide ingressus egrediatur possit noua sponsalia cum alio contrahere, tenent. Naust. Syluest. Bonac. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *num.* 5. Tum quia sicut manet liber sponsus, qui remanet in seculo; ita cōueniens est, vt liber sit alius, si ad seculum redeat. Tum quia per quandam proportionem ex lege disponente, quod professio dirimat matrimonium ratum, ita colligi potest quod per votum religionis, quod est quoddam initium professionis dissoluantur sponsalia, quæ sunt quoddam initium matrimonij. Tum tertio, quia hæc dissolutio non prouenit solum ex eo, quod vouens renunciet spōsalibus, vel quia facta sit notabilis mutatio rei promissæ, alitec sequeretur quod etiam matrimonium consummatum posset dissolui, sed fauore status religiosi dissoluuntur. Et confirmatur, quia si ingrediens protestaretur se nolle renunciare sponsalibus, vel vterque coniux ingrederetur; in quo casu cessaret notabilis mutatio, quia esset æqualis ex parte vtriusque; nihilominus sponsalia essent dissoluta. Verum admisso quidē quod votū religionis fauore religiosi status dissoluat sponsalia, eo quia est status melior, quam matrimonialis, & ideo in promissione sponsaliorum clauditur cōditio, nisi sponsus velit ad statum religiosum transire. Nihilominus Religiosus status non petit dissolui promissiones, & contractus initos, nisi pro quanto sit necesse, vt homines illum assumere possint liberè. Et quia non est ad hoc necesse, vt sponsus maneat omnino liber à sponsalibus initis, sed solum si sponsus perseueret in statu Religioso, ideo sponsus ingressus religionem manet ligatus, vt si egrediatur, teneatur stare contractibus. Cum ingressus in religionem ante professionem, nec tollat aliorum votorum obligationes. Itaque ingressus in Religionem ex parte ingredientis non tollit, sed suspendit sponsalia. Nec adducta in oppositum probant.

49. Non enim est similis ratio de eo, qui remanet in seculo, & qui ingreditur Religionem; quia ille non debet pati præiudicium ex eo, quod alter sponsus ad sui commoditatem, & vtilitatem statum religiosum assumit. Et ideo qui remanet in seculo manet liber, non quia qui ingreditur spontè renunciet iuri suo, sed quia velit, nolit illi renunciat, quia hoc iustitia petit, vt quod ille assumit ad sui vtilitatem, & repugnat adimplemento sponsaliorum, non sit in alterius spōsi præiudicium; velle autem ex animo profiteri quantum sit ex parte sui, (sicut vult, qui vouet religionem, quia in voto religionis cōtinetur aliquod votū perseuerantiæ,) repugnat sponsalibus, & voto accidit, quod non impleatur, etiā quantū ad professionē. Et hic considerandum est id, quod est per se, vnde sponsus, qui in seculo remanet, considerat alium sponsum tamquam professurum, & propterea liber remanet. Ita ad secundum dicitur, quod non est eadem ratio de professione indissolubili omnino, & de ingressu in Religionem variabili. Professio enim indissolubilis dissoluit omnino matrimonium ratum, quia professum facit indissolubiliter mortuū coniugi, & viuum Religioni. Sed ingressus in Religionem variabilis, non parit effectum nisi variabilem, ideo sponsalia suspendit ex parte ingressi, non dissoluit. Ad tertium dicitur, quod status Religiosus non petit nisi suspendi sponsalia, vt est dictum. Ad quartum dicitur, quod si sponsus ingrediens Religionē protestaretur, quod nō renonciaret iuri suo, protestatio esset contra factum, & nihil valeret.

50. Et si ambo sponsi ingrederentur religionem, sponsalia remanerent suspensa ex parte illius, qui primo ingressus fuisset, quia alter erat liber ad disponendum de se ipso, ac si sponsalia non contraxisset. Quamuis ex hoc ex consequenti contingeret libertas etiam primo ingressi, si qui remansit in seculo contraxisset matrimonium, vel sponsalia cum alio, vel ingressus fuisset, & professus Religionem, quia tunc, & alter sponsus ex parte sui priora sponsalia dissoluisset. Ideo quod ex parte ingredientis Religionem sponsalia maneant non simpliciter dissoluta, sed suspensa, & ita quod, si ille in Religione non perseueret, teneatur stare sponsalibus tenent Ledesma *d. q.43. a.3* Bartholom. à Ledesma *vbi supra* Rodriq. *in sum. p.1. cap.* 245. Lopez, Basilius, Bonac. *supra citati.* Filliuc. Hurtad. Io. à Cruce, Baccus, Trullench. quos refert, & sequitur Leander *tr.* 2. *q.* 2. Palaus *tom.* 5. *disp.* 1. *p.* 20. *n.* 4. Basilæus *v. sponsalia* 3. *n.* 10. Layman. *l.* 5. *tr.* 18. *cap.* 1. *n.* 2.

51. Non refert verò quod sponsalia fuerint iurata, sed modo præfato ex parte ingredientis suspenduntur, & dissoluuntur ex parte manentis in seculo. Nec est necesse, vt sponsus prius contrahat matrimonium, vt seruet iuramentum, nisi aliqua necessitas ad id vrgeat, vt legitimandi prolē, vel consulendi honori fœminæ violatæ, sed statim potest ille ingredi. Nec obstat *cap commissum de sponsalibus.* Quia in casu illius textus sponsus non emiserat votum religionis, licet illam haberet in proposito, & quidem adhuc indeliberato, & instabat tempus adimplendi sponsalia iuramento firmata, & ideo Pontifex dixit tutius esse in eo casu, quod sponsus prius contraheret matrimonium & postea si vellet Religionem eligeret, & adhuc dictum Pontificis de consilio fuit, & respexit scandalum pusillorum, qui de facili iudicassent violari iuramentum. Ideo quod sponsus, qui Religionem vouit liceat statim ingredi, nec teneatur prius matrimonium dissoluendum contrahere tenent ad illud *cap. Commissum* Innoc. Hostien. Io: And. *n.* 6. Card. *n.* 1. Anchar. *n.* 6. Anton. *n.* 9. Panorm. *n.* 3. Neoo *n.* 9. & 10. Præpos. *n.* 4. & 5. Syluest. *v. iuramentum* 3. *q.* 5. & *v. Religio* 2. *q.* 5. & 9. Tabien. *v. sponsal. n.* 10. Armilla *n.* 12. Nauar. *cons.* 3. *de votis in fin.* Caiet. *in sum. v. periurium iuramentum.*

rum. cap. 5. circa finem. Sotus 4. *d.* 57. *q.* 2. *a.* 5. 2 *c. f. Dubium hic.* §. Sanchez. *l.* 1. *de matr. disp.* 43. *n.* 3. Bacll. *lib.* 15. *cap.* 10 *n.* 13. Petrus de Ledes. *q.* 41. *a.* 3. *dub.* 1. *difficul.* 2. Bonac. *q.* 1. *punc.* 5. *n.* 4. & alij plures, quos refert, & sequitur Leand. *ad disp.* 2. *q.* 3.

52. Imo non desunt, qui dicunt similē sponsum habentem votum Religionis non posse sine peccato mortali contrahere matrimonium, quod necessario est à se dissoluendū ea vi voti, nisi alias sponsus consentiat, quia illi infertur notabile præiudicium, cum ex vi talis matrimonij debeat inuptus expectare professionem ipsius. Et sic si sponso altero non conscio iste contrahit matrimoniū, in re graui illum decipit, & si illa sit fœmina amplius illi præiudicare potest, vt non tam facilè alteri nubat, & vt relinquāt suspicionem, quod fuerit deserta, ab aliquod vitium. Se ipsum etiam satis graui periculo exponit consummandi matrimonium, & sic violandi votum. Et ex natura rei, cum huiusmodi votum matrimonium contrahendum impediat, *cap. Rursus, cap. Consuluit, cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes*, non contraheretur in hoc casu, nisi derogando dignitati voti, & matrimonij. Sanchez *d. disp.* 43. *nn.* 7. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 281. Leander. *disp.* 5. *q.* 4. & alij ab eis citati; quamuis in aliquibus casibus, possit id licere, vt si esset metus notabilis amittendæ famæ, vel vitæ. Nauar *in Man. c.* 16. *n.* 30. Sotus *d.* 38. *q.* 2. *a.* 1. seu si voto adstrictus alio modo non posset Religionem ingredi; vt quia teneretur inclusus, seu in casu raro ad vitandum magnū scandalum. Sanchez *n.* 8. Leand. *d. q.* 4. E contra tamen, quod qui vouit Religionem post sponsalia etiam iurata possit sine culpa contrahere matrimonium animo tamen statim transeundi in Religionem ex Scoto *in* 4. *d.* 37. Altisiodoren. *lib.* 3. *sum. tr.* 2 *c.* 2. *q.* 3. *ad tertiā obiectionem.* Gaiet. *in summ. v. matrim. cap.* 5. *& alijs docet* Brancatus *tom.* 3. *in quartum. disp.* 36. §. 5. *&* 2. *num.* 159. Et non potest negari, quod ratio quæ ex aduerso petitur ex periculo scandali non sit leuis, quia hoc periculum est valdè remotū: Quod etiam in hoc possit sponsæ contingere damnū non probat, nisi in casu particulari, & per accidens, cum imo ex alia parte possit ex circumstantijs hoc matrimonium esse necessarium. Nec aliqua iniuria irrogatur vel voto, vel matrimonio, quia illud integrè impletur, & hoc celebratur cum omnibus necessarijs. Mihi tamen non facit ratio illa, quia nimirum per matrimonium ratum transeunte sponso in Religionem sponsa cogitur expectare tēpus professionis sponsi, vt alteri nubat. Nec videtur satisfieri dicendo, quod hic non violatur iustitia, quia hoc est priuilegium voti Religionis, quo quilibet coniux potest vti, & cum sit ex vtraque parte æqualitas, seu æquale ius, quo quilibet coniugum vti potest salua iustitia. Nam aliud est, quod sponsus intra bimestre possit transire ad claustrum; aliud est, quod ante contractum matrimonium possit contrahere animo non consumandi, sed transeundi ad claustra altero sponso inscio, & cogendo illum ne nubat alteri donec ille fuerit professus. Hoc enim non competit sponso, quod est cum iniuria alterius, nec est per se necessarium, ad hoc vt sponsus ad claustrum transire valeat. Sic igitur transeat quicumque ad Religionem, quando voluerit, sed sine alterius iniuria pro quanto fieri potest; & sic inscio altero sponso matrimoniū non celebret, sed recto itinere ad Religionem transeat, quam vouit.

53. Quæritur quinto, ad quid teneatur qui ante matrimonium, & sponsalia vouit religionem? Certum est hunc teneri ad non contrahendum nec matrimonium nec sponsalia: quia & est illicita omnis promissio contraria religioni, cui status matrimonialis est illicitus. Et hæc est communis DD. sententia.

54. Quæritur tamen sexto, an si aliquis post votum religionis mulierem honestam voti illius nesciam virginem defloret, vel viduam corrumpat sub promissione matrimonij, vel talem familiaritatem cū ea contraxerit, vt inde illi immineat grauis infamia, quæ solum possit per matrimonium impediri, teneatur nihilominus ingredi religionē. Affirmant enim aliqui, quia non tenetur eam ducere ratione promissionis, quæ non obligat contra votum religionis, nec ratione damni dati, aliter ad idem teneretur, etiam si non promisisset. Ita tenent Nauar. *cons.* 1. qui Clerici, vel vouentes Coninch. *d.* 23. *de Sacram. n.* 50. Viuald. Rodriq. relati à Sanchez *l.* 1. *de matrim. d.* 45. *n.* 5. Layman. *l.* 5. *tr.* 10. *c.* 2. *n.* 4. Franciscus Syluius *supra q.* 62. *a.* 2. *q.* 6. Diana 3. *p. tr.* 4. *resol.* 580. Martinez de Prado *Theol. mor. cap.* 18. *q.* 3. *n.* 7. & apud eum Ochagau. & Gaspar. Hurt. Amicissimus meus Brancatus de Laurea *in* 4. *tom.* 3. *disp.* 36. §. 3. *n.* 182. Sed contraria opinio docet hunc teneri ducere illam mulierem, & stare promissis. Tum primo, quia ea iustitia tenetur resarcire iniuriam illam, quod fieri non posse, nisi per matrimonium, supponitur in hoc casu. Tum secundo, quia æquitas naturalis non patitur, nec Deo placet, vt cum tanto damno proximi, sit in ipsum Deum liberalis dādo ei quod ille ei promiserat, scilicet religionem intrando. Imo cum talis Deo duo debeat, scilicet religionem, & matrimonium, Deo non placet religio, cum tanto damno creaturæ suæ, & à tali matrimonium exigit, quod debetur Deo, ex eo quod ea iustitia debetur mulieri. Tum tertio, quia obligatio iustitiæ magna est. Nam nunc lex lata à Sixto Quinto præcipiens grauatum ære alieno non posse recipi in religionem declarauit iustitiæ debitum impedire secundum rectam rationem ingressum religionis, si religionem ingrediens redditur ex hoc inhabilis ad soluendum; vnde qui tenent, quod grauatus re aliena, si manens in sæculo possit soluere debitum teneatur differre ingressum voto promissum, si sit soluendo; multo magis igitur, vbi ex iustitia obligatur ipsa persona, non ad æs alienū soluendū, sed ad resarciendā infamiā mulieris, quam causauit, tenetur non ingredi religioné, sed nubere cū muliere, sicut iustitia requirit, & ad rationem in oppositum dicitur, quod vir iste tenetur ratione contractus, & rei habitæ pro qua ex iustitia tenetur reddere quod promisit, & sub cuius promissione alienum accepit, quod non accepisset, nisi matrimonium redditurus esset. §. 1. *Fillic. trac.* 10. *n.* 284. *& aly.* Et addit Les. non esse necessarium in hoc casu petere dispēsationem voti, consulendū tamen esse, si vir vouit etiā castitatem, vt in matrimonio possit petere debitū. Tum quarto, quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis; hic autem notabilissima est mutatio, cum superuenerit vinculum iustitiæ fortissimum. Tum quinto, quia vinculum iustitiæ est fortius, quam

cha-

charitatis, & tamen vinculum charitatis superueniens voto eius tollit obligationem. Nam si superueniat parentum indigentia, tenetur manere, & illis subuenire. Tum sexto quia ducendo fœminam defloratam, non absoluitur à voto, sed solum eius differt executionem. Tum septimo; quia debita ex delicto debent præcedere debita ex gratuita promissione, neque enim quis potest, aut furari, aut retinere alienum, vt soluat, quod gratuito promisit. Et si quis voto promisit eleemosinam, & postea furatur, prius debet satisfacere furti damno, & postea eleemosinam dare. Tum octauo, quia debitum ex contractu oneroso præcedit debitum ex gratuita promissione, quia potentior est obligatio, quæ nascitur ex iustitia, quam illa, quæ nascitur ex sola propria voluntate, & propterea superueniente parentum indigentia, cessat obligatio voti Religionis. Sic si ei, qui vouit omnia sua, nascantur filij, obligatio voti non tenet, quia vouens non potuit præiudicare iuri filiorum: sic nec promissio voti potest præiudicare debitis ex delicto. Ridiculum enim esset, si quis vouendo promitteret dare pauperibus omnia illa, quæ in futurum ratione delicti debiturus est alijs.

55. Propterea hanc sententiam tenuerunt plures, sed cum discrimine, & varia explicatione, & limitatione. Quidam enim illam absolutè tenent, & volunt obligationem voti suspendi, ita quod, qui sic deflorauit Virginem sub spe matrimonij, teneatur illam ducere, & id possit facere etiam non petita dispensatione voti, quippe quæ in hoc casu non sit necessaria, & ita tenent Vasquez *de restit. cap. 3. §. 1. dub. 3. num. 20.* Less. *lib. 2. cap. 10. nu. 32.* Filliuc. *tract. 10. num. 288.* Card. de lugo *de instit. disp. 12. num. 42.* Bonacina *de sponsal. q. 1. p. 5. nu. 7.* Palaus *tom. 5. disp. 1. p. 18. num. 9.* Vbi malè pro hac sententia citat Layman, qui expressè sentit oppositum loco citato *lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. num. 4.* Ex istis vero DD. Lessius, expressè aduertit consilium quidem esse petere dispensationem, sed ad illam petendam non esse necessitatem. Alij vero absolutè docent, hunc vouentem teneri ad ducendam defloratam sub promissione matrimonij. Sed alij existimant eum teneri ad petendam dispensationem. Eam sententiam sequutus fuit nulla facta mentione de dispensatione, postea *disp. 56. num. final.* hanc esse necessariam arbitratus est. Card. etiam de lugo *d. disp. 12. num. 41.* videtur velle, quod dispensatio sit necessaria, sed loquitur in terminis sententiæ contrariæ, de qua infra. Pro hac tamen sententia Martinez de Prado loco citato supra refert. Candidum *disp. 25. a. 18. num. 3.* à S. Fausto *disp. 24. q. 14. n. 26.* Trolleunch. *l. 7. in Decal. 9. cap. 9. dub. 4. num. 2. & 3.* Alij vero alia via incedunt, & considerantes, quod post matrimonium ratum coniux potest ad religionem transire, dixerunt hunc voto religionis adscriptum, qui fœminam sub spe matrimonij deflorauit, teneri contrahere matrimonium, vt satisfaciat promissioni, & tamen teneri non consummare matrimonium, sed ingredi religionem, vt satisfaciat voto. Ita probabiliter sensit Basil. *lib. 6. de matrim. cap. 11. num. 9.* Quem approbauit Diana *p. 3. tr. 4. resol. 203.* & Leander *tr. 9. de sacram. matrim. disp. 2. q. 5.*

56. Hanc vero sententiam habere locum, hunc que defloratorem tenere ducere defloratam etiam si promissio illi facta fuit ficta, vult Card. de lugo *num. 47. & num. 48.* quod idem dicendum si mulier corrupta erat vidua honestæ famæ, & idem de Virgine non corrupta, sed cum qua ita familiariter actum est à promittente coniugium, vt magna suspicio sit, quod fuerit corrupta; quod & approbauerat Vasquez *num. 31.* Et tamen sententiam limitant, vt non procedat vbi virgo erat conscia voti defloratoris Sanchez *num. 5.* Less. *num. 43.* Bonac. *d. num. 7.* Palaus *d. num. 9.* Quod tamen non omnino placet Card. de lugo *num. 49.* Quia fœmina potuit intelligere sibi promitti procurationem dispensationis, maximè si corruptoris verba hoc aliquo modo significabant; quo casu corruptor non est liber à petenda dispensatione.

57. In hac difficultate mihi primo videtur dicendum vniuersaliter loquendo hunc defloratorem Virginis non satisfacere obligationi suæ si nubat, & postea ad religionem transeat. Tum quia defloratot, si tenetur stare contractui, tenetur nubere iuxta intentionem virginis defloratæ, quæ vsum sui dedit sub conditione matrimonij consumandi, nec sui copiam fecisset, si sciuisset defloratorem nolle in matrimonio perseuerare. Tum secundo, quia sæpe per solum matrimonium ratum non satisfit damno ex defloratione causato, & sic per matrimonium ratum non satisfit sufficienter obligationi ex contractu sponsaliorum, & defloratione consequente.

58. Certum mihi est secundo hunc defloratorem adminus teneri ad procurandam dispensationem, vel commutationem voti, & ea obtenta ad nubendum. Ita Card. de lugo *d. disp. 12. num. 41.* Martinez de Prado *d. cap. 18. q. 3. num. 7.* Brancatus vbi supra. Quia cum hoc modo sine præiudicio voti possit satisfacere obligationi iustitiæ, id facere tenetur; maximè cum hoc medium de facili in hoc casu possit obtineri.

59. Deinde absolutè loquendo vera mihi videtur prior sententia, quæ vult hunc defloratorem non teneri nubere, sed posse ingredi religionem, nisi in voto dispensetur. Nam iste non tenetur ratione promissionis, quæ vere nulla fuit, quia deflorator non potuit obligare mulieri, quod iam erat Deo obligatum; præcisa vero promissione, deflorator non tenetur determinatè, vt nubat cum virgine deflorata, sed vt nubat, vel eam dotet, & damnum compenset aliunde: quod si dicatur, quando deflorator aliunde non possit compensare damnum teneri nubere, respondetur hoc esse verum, si deflorator sit aliunde sui dominus, sed si sit alteri obligatus, non tenetur in præiudicium prioris obligationis nubere, sed sufficit quod alio modo sibi possibili, & pro posse damnum compenset. Et virgo deflorata sibi hoc damnum imputet, quæ contra Dei legem permisit se deflorari, & credidit ei, quem experiebatur fidem non seruare creatori suo abutendo mulieri extra Matrimonium.

60. Quod validè confirmatur in sententia eorum, qui dicunt (quamuis alij id negent quos sequitur Leander *tr. 9. disp. 1. q. 18.*) quod de facto secunda sponsalia etiam sequuta copula non irritant priora sponsalia. Quod enim Sanchez *lib. 1. dis. 39. num. 5.* dicat non esse eandem rationem quia prima sponsalia continent obligationem iustitiæ, sed

votum continet obligationem religionis, fortior vero est obligatio iustitiæ, quam religionis, hoc est prorsus falsum, quia potentius obligat iustitia ad Deum, quæ est religio, quam iustitia ad hominem, quæ est iustitia commutatiua. Vnde, vt aduertunt Card. de lugo *num.* 43. & Martinez de Prado *num.* 12. Sponsalia de futuro nulla sunt, si celebrentur post votum. Et sic obligatio religionis vincit obligationem iustitiæ. Minus valet, quod idem Sanchez addit secundo nimirum non esse eandem rationem, quia secunda sponsalia totaliter irritant priora, sed sponsalia cum copula subsequentia votum religionis non extinguunt, sed suspendunt. Nam votum religionis est votum numquam nubendi, & pro hac parte totaliter extinguitur. Et alias etiam quantum sit ex parte nubentis extinguitur totaliter, quia per accidens est, quod vxor moriatur ante nubentem, & sic possit votum religionis veluti reuiuiscere, & obligare ad non nubendum, & ad ingrediendum religionem. Et præterea ratio allata hoc contendit, quod obligatio posterior etiam sequuta copula sub promissione matrimonij non tollit priorem obligationem ex promissione ortam, & hæc ratio illa aperte conuincit. Sic multo minus valet, quod addit tertio, quia scilicet in his Deus cedit iuri suo, & non vult, vt iustitiæ ad se satisfiat in præiudicium iustitiæ ad hominem; hoc enim vt habet Card. de lugo *num.* 44. gratis dicitur, & alias ex scripturis, & sacris Canonibus habemus religionem voti, & iuramenti nullo modo esse violandã, sed exactè obseruandam,

61. Aliter ergo respondet Card. de lugo *n.* 45. & ait discrimen esse, quia priora sponsalia continent contractum onerosum, per quem quilibet sponsorum emit obligationem alterius, sed obligatio voti non, est onerosa, sed est à solo promittente imposita, at vero obligatio orta ex contractu oneroso fortior est, quam orta ex gratuita promissione; ideo secunda sponsalia etiam sequuta copula non irritant priora, quæ sunt ex contractu oneroso, tollunt vero præcedentem obligationem voti, quæ est ex gratuita promissione, quia debitum ex delicto, vel ex contractu oneroso fortius obligat, quam debitum, quod est ex gratuita promissione. Hoc principium admittit etiam Martinez de Prado *num.* 17. Et quidem quando debitum ex gratuita promissione, vel donatione subsequitur debita ex contractu oneroso, per quæ res donatæ sunt iam obligata creditoribus; principium illud est certum. Et propterea vt habet Sylu. v. hæreditas 3. q. 3. ab hærede prius satisfaciendum est creditoribus, seu debitis defuncti, quam legatarijs, quia legata vim habent ex vltima defuncti libertate, debita vero ex contractibus præcedentibus; & iam substantia defuncti erat obligata ex iustitia, & erat æs alienum antequam vim haberent legata. Quando etiam debita ex contractu oneroso subsequuntur, sed contractus fuit validus, habere posset locum satis rationabiliter illud principium; de quo tamen modo non est disceptandum. Quia in casu nostro contractus onerosus subsequens non est validus, sicuti nec alij contractus promissorij subsequentes, in quibus ab vno contrahentium promittitur id, quod ille non potest promittere, quia illud est alteri obligatum.

Modo in nostro casu contractus sponsaliorũ adiuncta copula, non est validus, quia cum deflorator promisserit Deo abstinentiam ab omni matrimonio, non potuit postea validè, & firmiter promittere matrimonium mulieri defloratæ. Et hoc est quod probare debebat Card. de lugo, scilicet quod contractus onerosus inualidus fortiùs obliget, quam votum, vel quod contractus, in quo promittitur sub onere id, quod est contra votum sit validus.

62. Ideo Vasquez non se fundauit in vi contractus onerosi, sed in vi delicti, & dicit, quod debita ex delicto præponderant, & fortius obligant quam debita ex mera promissione. Sunt vero debita ex delicto, quæ sunt ex iniusta acceptione rei alienæ, vel ex damno proximo iniustè dato. Sic igitur in hoc stat tota difficultas, an scilicet, qui iniustè alienum recepit, vel alteri damnum dedit, quando aliundè nihil omnino habet vnde restituat, sine damnum compenset, possit, & teneatur restituere ex eo, quod est alteri obligatum ex mera promissione. Quod quidem multas inspectiones habere posset, quia nec omnis promissio etiam acceptata obligat ex iustitia. Supposito vero, quod præcedens promissio obliget ex iustitia, non tam facile probabitur, quod qui iniustè post promissionem alteri factam, & ex iustitia obligantem damnum intulit, debeat restituere ex eo, quod iam alteri est ex iustitia obligatum. Sed quidquid sit de hoc, noster casus non pendet ex ista quæstione, sed ex hoc alio principio, quod obligatio religionis, quæ est iustitiæ ad Deũ, seu pietatis, quæ est iustitiæ ad parentes, fortius ligat, quam quæcumque obligatio iustitiæ; ideo deflorator non tenetur, nec potest damnum illatum defloratæ compensare contra voti obligationem, seu sine voti dispensatione; Iustitia enim magis obligat Deo, cui nec potest reddi æquale, quam obliget hominibus.

63. Nec obstat instantia Card. de lugo *n.* 43. Quia nimirum, si Titius voueat relinquere Ecclesiam omnium suorum bonorum hæredem, & postea contingat illum habere filios, voti obligatio cessat, quia non potest præualere contra ius, quod filij habent, igitur iam apparet, quod ius nouum superueniens extinguit voti obligationem; igitur à simili, & ius quod defloratæ virgini, aduenit præualet iuri, & obligationi voti. Hoc inquam non obstat, quia peccat in antecedenti, & in consequentia. Etenim primo, filius non habet ius ad totã hæreditatẽ patris, & nihilominus, in casu dato, voti obligatio censetur in totũ extincta, vel suspẽsa non igitur hoc est, quia ius filij præualeat obligationi voti, sed quia votum hoc in quocumque habente potestatem habendi filios censetur habere in ventre conditionem, nisi filios habuero, quia hoc postulat nedum obligatio patris habendi prouidentiam filiorum, etiam quantum ad temporalia, sed naturalis, & valdè intensus filiorum amor, & quia posse filios generare in natura insitum est. Sed votum religionis non est per se ab intrinseco conditionatum hac conditione, nisi Virginem deflorauero sub spe matrimonij. Nam &, quando conditio supponit delictum merè accidentaliter, & extrinsecè se habet ad votum, nec ipsa subintelligitur, nisi expressè ex speciali intentione apponatur,

tur, quia vouens debet habere voluntatem abſolutam non ponendi talem conditionem: Vbi vero eſt voluntas abſoluta non ponendi conditionem aliquam, non eſt vnde vouens diſponat de eo, quod ſuppoſita conditione ſit, vel non ſit à ſe faciendum. Diſcrimen eſt ſecundo, quod ius filiorum, tale quale eſt ad bona patris, antecedit votum patris, etiam à patre emiſſum, antequam haberet vxorem, quia eſt ius fundatum ſuper naturali facultate, quam homo habet à natura, ad id ad, quod natura ordinat, imo aliquo modo cadit ſub præcepto naturæ. Et ita in quocumque homine eſt debitum habendi curam filiorum, ſi vult generationi incumbere. Vbi ergo præcedit voluntas libertatis ad habendum filios, præcedit debitum prouidentiæ erga illos, & ſic præcedit ius filiorum, ideo non poteſt vouens Deo promittere non habere prouidentiam filiorum, niſi promittat etiam filios non habere. Sed ius defloratæ accidentaliter ſe habet ad votum prius, & eſt ius ſubſequens, votum, licet enim lex naturæ obliget eum, qui damnum intulit ad reſtituendum, tamen ſimul prohibet damnum inferre. Et ideo non intrat ius defloratæ, niſi ex accidenti, & ſuppoſito eo, quod natura prohibet, & ad quod deflorata nullam ius habebat tempore voti, in quo deflorator habebat plenum ius diſponendi de ſe ipſo, quod ius non habere contra ille, qui vult eſſe liber, vt generet filios, vt contra naturæ legem promittat non facere id, quod facere neceſſe eſt patri filios habenti; vnde tali voluntate ſuppoſita non poteſt de ſua re familiari omnino libere diſponere contra ius filiorum, quod eſt ius inſitum in natura, dum quis vult ſe poſſe incumbere generationi filiorum. Sed ſuppoſita voluntate nullam omnino deflorandi, ſub mentita, & prohibita ſpe matrimonij, quam debet habere, qui vonet à religionem, qui ſic vonet, poteſt abſolutè diſponere de re ſua, & de ſe ipſo; quia conditio quæ poſſet obeſſe eſt ab eo reiecta voluntate abſoluta. Sic enim quia ius defloratæ ſupponit deflorationem, & hæc quæ nondum eſt in ſe, non poteſt præcedere niſi in voluntate ſui, quia ſcilicet quis velit Virginem deflorare; ſi hæc voluntas non adeſt, imo adeſt oppoſita, nec debitum, nec ius defloratæ adeſt tempore emiſſi voti, quia eo tempore conditio ſuper qua fundatur ius, nec eſt in ſe ipſa, nec in ſua voluntate. Quod ſi poſtea conditio ſuperueniat, hoc eſt quid poſterius obligatione priori. Nec poteſt impedire, quin vouens abſolute diſponat de ſe ipſo.

64. Sic igitur apparet, quod deflorator iſte legem voti tenetur ſeruare, & pro damno dato tenetur ſine voti violatione reſtituere. Quia promiſſio eius inualida eſt, & præciſa promiſſione deflorator non tenetur determinatè nubere, ſed ſufficit, quod vel nubat, vel damnum compenſet, & aliundè damnum compenſare tenetur, ſi id fieri poteſt. Tum quia in caſu in quo damnum compenſari poſſit per matrimonium ratum, & non conſummatum, hoc etiam facere debet. Tum quia in caſu in quo damnum non ſit compenſabile, niſi per matrimonium conſummatum, poteſt peti, & obtineri diſpenſatio, ſeu commutatio voti, quæ obtinebitur ſine difficultate. Sed in caſu, quod ſuperior diſpenſationem, aut commutationem voti neget, deflorata ſibi imputet, ſi remaner ſine ſufficienti compenſatione, & diſcaut mulieres caſtitatem ſeruare, nam & prima ipſa facie ſatis apparet non eſſe conueniens, quod poſterior contractus inhoneſtus, & illicitus præualeat pacto ſancto, & religioſo cum Deo inito.

65. Primum argumentum in contrarium non probat, niſi quod deflorator tenetur obligationi iuſtitiæ ſatisfacere quantum poteſt. Ad ſecundum dicitur Deum velle, vt præcepta virtutum omnium obſeruentur eo ordine, quo votum illarum petit, at vero obligatio iuſtitiæ ſuperueniens obligationi religionis nulla eſt, & pro damno dato, non tenetur homo reſtituere negando Deo, quod illi promiſit, & eſt illi obligatum, niſi Deo conſentiente per ſe, vel ſuum miniſtrum, eo magis quod damno poteſt ſatisfieri regulariter non frangendo votum. Ad tertium dicitur, quod nec Sixtus Quintus aſſeruit, nec ex eius dictis colligitur, quod fortior ſit obligatio iuſtitiæ ad hominem, quam obligatio religionis, quæ eſt obligatio iuſtitiæ ad Deū, & quod prohibuerit grauatos ære alieno recipi in religionem fuit ex præſumptione fraudis, & prauæ intentionis, vt patet expreſſe ex motiuo expreſſo in Conſt. 71. *Cum de omnibus*. Nam alias debitor cedendo bonis ſuis poteſt Religionem ingredi ſpectato iure naturæ, & præſcindendo à Conſtit. Sixti Quinti, vt dicitur infra à 6. Ad quartum dicitur, quod mutatio materiæ facta ex voluntate, & culpa vouentis non tollit obligationem voti, ſi poteſt implere, aliter quilibet vouens poſſet ad libitum ſe à voto eximere. Hinc eſt, quod quando dicitur, quod contractus promiſſorij ex gratuita voluntate ortum habentes habent tacitam conditionem ſi res non fuerit mutata, vel ſi poterit decenter fieri, vel alias ſimiles; id negatur, quando huiuſmodi conditiones ponendæ ſunt ex libertate, & culpa promittentis, quia hoc eſſet promittere irriſorie, & veluti dicere, tibi dabo hoc, ſi voluero; quod non eſſet promittere, ſed illudere. Quintum malè aſſumit, quod obligatio filiorum erga parentes ſit ex charitate, cum ſit ex pietate, quæ etiam fortius obligat, quam iuſtitia. Nam vt aduertunt Card. de Lugo *num. 42.* & Martinez de Prado *num. 21.* contingere poteſt, quod obligatio pietatis ſuſpendat obligationem iuſtitiæ. Quamuis & falſum ſit, quod charitas non obliget, quando obligat, fortius quam iuſtitia, cum charitas ſit prima virtutum. Sextum eſt iam ſolutum ſupra *num. 60.* ſicut & ſeptimum, & & octauum *num. 61. & 62.*

66. Sed quid dicendum, ſi votum ſuperueniat ſponſalibus, & deflorationi? Hunc teneri inire matrimonium, & conſummari tradunt Sanchez *lib. 1. de matrim. d. 44. num. 7.* Bonac. *q. 1. part. 5. num. 5. & alij &c.* Et res certa eſt, quod votum non eſt vinculum iniquitatis; ſed ſimul certum eſt, quod nullum vinculum, vel matrimonij rati poteſt impedire ingreſſum Religionis per ſe loquendo, igitur dicitur, quod ſi non poteſt pecunia, vel alio modo ſatisfieri iuſtitiæ ſponſæ defloratæ, niſi medio matrimonio conſummato, ſponſus tenetur nubere, & conſummare, quia votum ſuperueniens non obligat in præiudicium iuſtitiæ, quia quod eſt contra iuſtitiam non eſt materia voti, quod eſt de meliori bono. Sed ſi iuſtitiæ poteſt ſatisfieri aliunde, vel etiam per matrimonium ratum,

tum, & non consummatum potest sponsus, & debet religionem ingredi. Non enim impediunt, sponsalia, quia hæc per votum religionis subsequens dirimuntur, cum votum etiam matrimonium ratum dirimat, vt fatentur omnes, qualiter vero sponsalia per votum dirimantur, est etiam supra explicatum. Sed nec impedit defloratio, quia iustitiæ illius aliter satisfieri potest, vt supponitur.

67. Sed qui vouit religionem, vel castitatem post sponsalia, si dispensetur postea in voto, tenebitur ne stare sponsalibus? Negant Bonac. q.1. p.5. num.16. Leander tr.9. disp.2. q.12. & idem de sponsalibus, quæ præcessit huiusmodi votum tenet Sanchez lib.1. disp.50. num.16. Et vna est omnium ratio, quia extinctum non reuiuiscit, ac vero sponsalia per votum extinguuntur, sed quia vt dictū est supra votum religionis ex parte vouentis non extinguit, sed suspendit sponsalia, quæ sola professione extinguuntur omnino, videtur dicendum cum Rebell. 2. p. l.4. q.8. sect. 7. num. 49. apud Bonac. vbi supra, quod dispensatus in voto tenetur stare sponsalibus; quia ex parte sui sponsalia non sunt extincta nisi profiteatur. Sicue igitur si fuisset ingressus religionem, & postea egressus teneretur stare sponsalibus suspensis, sed non extinctis; sic licet sit dispensatus in voto, quia non vult iam ingredi, & profiteri, manet vis sponsaliorum ex hoc suspensa ex parte vouentis, quia expectandum erat, an vellet profiteri, & profiteretur. Quia igitur sponsalia ex vi voti, & quantum sit ex parte vouentis non erant extincta, sed suspensa donec profiteretur, & vana si nollet profiteri, hanc vim retinent etiam sequuta dispensatione voti, ex qua habet quidem, vt non teneatur voto, non habet autem, vt non teneatur illis, etiam quibus voto existente, & viuente tenebatur.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit Religionem potest cogi ad ingressum. num.68.*
2 *Posse commutari votum Religionis in votum Episcopatus qui sentiant. num.69.*
3 *Oppositum alij sentiunt: Et hoc est verum. numer.70.*
4 *Episcopatus non est ex proprio iudicio assumendus. num.70.*
5 *Episcopatus non extinguit votum Religionis. num.72.*
6 *Episcopatus metaphoricè est matrimonium. numer.72.*
7 *Peccat mortaliter, qui vouit Religionem, si accipiat Episcopatum. nu.73.*
8 *Non tamen si consentiat electioni. nu.73.*
9 *Tenetur Episcopatum resignare. nu.74.*
10 *Tenetur licentiam petere. num.74.*
11 *Episcopus de quo in cap. Per tuas de voto, erat consecratus. num.74.*
12 *Si Episcopus aliter non potest obtinere licentiam tenetur manifestare votum. num.75.*
13 *Votum Religionis emissum ante Episcopatum non est irritabile, sed solum dispensabile, vel commutabile. nu.75. 76.*
14 *Sola indissolubilitas Episcopatus, quæ est de iure diuino, non dat causam sufficientem negandi licentiam resignandi. nu.77.*

Quod votum Religionis non extinguatur per Episcopatum.

INSPECTIO III.

68. IN prima parte responsionis ad primum videtur, quod author sentiat, quod qui vouit religionem non possit cogi ad illam, quia inquit, quod presbyter de quo in argumento non erat monachus, vt posset cogi manere in monasterio. Sed vt bene Caietanus explicat, id non deducitur ex hoc textu. Nam vt dicitur artic. sequenti, qui vouit religionem voto simplici, seu de futuro accipiendam, tenetur ingredi, sed non tenetur perseuerare, nisi & perseuerantiam vouerit. Quia vero ille presbyter vouerat voto simplici religionem, & nondum vouerat voto solemni nec erat monachus factus, imo nec erat nouitius, ideo potuisset quidem cogi ad ingressum in religionem, quia hoc vouerat, sed non potuit cogi ad manendum in monasterio, quia hoc non promiserat. Et ideo bene Alex. 2. in illo *cap. Sonsaldus* 17. *q.* 2. dixit, quod talis presbyter non poterat cogi ad manendum in monasterio. Cum quo tamen stat, quod in conscientia sibi consulendum fuisset, vt omnibus dimissis religionem intraret. Et quia hoc non subdidit ille Pontifex, & solum decreuit, quod ex iustitia presbyter ille non poterat cogi ad manendum in monasterio, non expresso eo, quod consulendum erat presbytero in conscientia, ideo Caiet inquit, quod melior fuit responsio Innocentij Tertij de qua in secunda parte responsionis. Addi tamen etiam potest ex Hugon. & Turrecrem, ad d. cap. Gonsaldus quod votum illius presbyteri etiam forte non tenebat, quia forsan factum fuerat in alienatione mentis, nimirum in feruore passionis mentem alienantis, & propterea Pontifex nec etiam consulit ingressum.

69. Mouet autem Caietanus, quæstionem celebrem, quam Canonistæ & Theologi diffusius tractant, an votum simplex religionis impediat Episcopatum; seu an susceptio Episcopatus absoluat à voto simplici religionis: Videtur enim ita esse dicendum, eo quia status Episcopatus sit perfectior statu religionis, assumptio vero status perfectioris absoluit à voto status imperfectioris, vt patet in eo qui vouit religionem laxiorem, nam potest sine scrupulo ingredi religionem strictiorem, & in ea profiteri. Præterea sicut, qui post votum religionis contraxit, & consummauit matrimonium non tenetur matrimonio relicto religionem ingredi; ita cum Episcopus sit Ecclesiæ sponsus, non tenetur deserere Episcopatum, vt fiat religiosus, etiam si vouerit religionem ante Episcopatum. Vnde hanc partem sustinent Abbas, & Anton. *in cap. per tuas, de voto* Rodriq. *tom. 2. sum. cap.6. num. 6.* Henriquez *lib.10. de ord. cap.32. Sà v. Episcopus num.2.* Pasqual. *dec.434. num.3.*

70. Verùm opposita sententia sustinenda est, prout decernit *cap. Per tuas*, de voto, & refert D.T. in textu, quæ docet votum religionis, quod præcessit Episcopatus acceptationem non extingui, nec impleri per ascensum ad Episcopatum, ideoque illum peccare, qui post votum religionis ante illud

te illud expletum acceptat Episcopatum propria voluntate, & sine dispensatione voti. Ita D. T. hic, quem sequuntur Caiet. & Richar. *in* 4. *d.* 38. *a.* 5. *q.* 1. *ad tertium* Maior *q.* 6. Abul. *q.* 94. *in cap.* 30. *Numer.* Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *c.* 16. *q.* 2. *cap.* 21. *q. vlt.* Sanchez *l.* 4. Mor. *cap.* 17. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 2. *c.* 19. *n.* 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 15. Et ex Canonistis Abbas antiquus *cap. per tuas de voto*, Cardinalis *ibid.* & magis inclinat Io. Andr. ibi, & Hostiens. ibi, & in summa *tit. de voto* §. *& vtrum à voto*, *n.* 14. Et ex summistis Syluest. *v. votum* 3. *q.* 9. *& v. religio* 1. *q.* 10. Tabien. *v. Episcopus. q.* 7. *n.* 3. Armilla *n.* 10. Naldus *v. votum.* 2. *n.* 51. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. sane. n.* 68. *de Reg.* Angelus *v. votum* 2. *q.* 11. *& votum* 3. *q.* 15. Cord. *q.* 153. Miranda *in Manuali Prælat. t.* 1. *q.* 20. *a.* 9. & Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *q. vlt.* Palaus *tom.* 4. *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 6. *n.* 1. Barbosa *in d. c. Per tuas n.* 4. Martinez de Prado *cap.* 31. *q.* 7. *n.* 16. *&* 17. Et probatur hæc sententia per caput per tuas de voto, vt habetur in textu. Dicti autem textus varias ineptas interpretationes refellit Palaus vbi supra *n.* 3. Nec magis valet, quam affert Pasqualig. *d. decis.* 434. *n.* 13. *dicens.* Pontificem noluisse confirmare electionem illius Episcopi, qui quia iam factus erat voti transgressor, Papa consulit, vt votum impleat, non tamen negar votum Religionis posse cõmutari in Episcopatũ. Nam nõ agebatur ibi de confirmatione electionis, quæ iam cõfirmata fuerat à Põtifice, & erat ille in possessione Episcopatus, & Papa consulit, vt resignet Episcopatũ; resignatio autem Episcopatus supponit Episcopatus adeptionem, & possessionem. Et tamen Papa significat eum in conscientia teneri ad resignandũ, vt voto satisfaciat.

71. Secũdo probatur soluẽdo rationes in oppositũ. Nã tũc per assumptionẽ rei melioris, & perfectioris extingui potest, seu impleri votum de eo, quod est minus bonũ, quando illa bona sunt eiusdem rationis, & ordinis, & melius se habet ad minus bonum, vt commune ad proprium, quia illud continet, & addit aliquid magis, & vlterius euidẽs est illud esse melius assumenti, quam sit illud, quod ipse vouit. Modo status religionis, & Episcopatus sunt diuersarum rationum, & ordinum; Nam status religionis est status perfectionis propriæ, status verò Episcopatus est status perfectionis alienæ, quia per se ordinatur ad perficiendam plebem, seu vt alij dicunt status religionis est status perfectionis acquirendæ, non enim per se supponit in assumente perfectionem. Nam vt probatum est *artic.* 2. etiam peccatores recipit religio in sinum suum, sed Episcopatus est status perfectionis acquisitæ supponit enim perfectionem non paruam in assumente. Vnde oritur aliud discrimen, quia idoneitas ad religionem non excedit iudicium proprium, nec est temeritas, vt quis iudicet se idoneum, vt Deo iuuante fiat religiosus, sed non sine temeritate aliqua, quis se dignum Episcopatu iudicat, & pro comperto habet melius sibi esse, quod fiat Episcopus, quam fit religiosus. Vnde status Episcopatus hoc aliud habet, vt non sit proprio iudicio assumẽdus: Imo adde, quod Episcopatus est status ministerij, & officij non assumendus à se, sed imponendus ab alio, & de manu alterius recipiendus. Per assumptionem igitur status Episcopatus non impletur votum religionis. Tum quia Episcopatus non est status perfectionis propriæ acquirendæ, tum quia non est status proprio iudicio assumendus, atque ideo non potest quis propria voluntate, & iudicio commutare religionem in Episcopatum.

72. Ad secundum respondetur, quod & in matrimonio carnali, nedum ex vi voti religionis præcedentis coniux non potest consumare matrimonium, sed post consummatum tenetur ingredi Religionem, si alter coniux consentiat. Et sic matrimonium est separabile, nisi qui vouit dispensetur in voto. Sic ergo & Episcopatus, qui est spirituale matrimonium de se est indissolubilis, & quidem de iure diuino, vt probatũ est *supra q.* 184. *n.* 5. *à num.* 24. Sed si illum præcedat votum Religionis, non potest præiudicare vinculo voti, quin altero coniuge consentiente ad religionem trãseat. In hoc verò spirituali matrimonio alter coniux est populus Diœcesis, vt est pars Ecclesiæ vniuersalis, cuius rector est Papa, & ideo de consensu Papæ tenetur hic Episcopus votum exequi, quod non est extinctum.

73. Ex his verò infertur ligatum voto Religionis peccare mortaliter, si Episcopatum acceptet Syluest. Azor. Suarez, Sanchez, Layman, Palaus, & alij supra citati *n.* 70. quia se ponit in statu in quo non potest implere votum, nisi ex speciali permissione Summi Pontificis; & dimisso Episcopatu. *cap. post translationem, de renunciat, cap. nisi cum pridem, eod tit. cap. inter corporalia, de translat. Epis.* Poterit tamen acceptare simplicem electionem confirmandam à Papa, illiq; consentire, quia ius ad Episcopatum nõ impedit ingressum in Religionem. Putat nihilominus Palaus *d. p.* 6. *n.* 4. esse peccatum graue huic electioni consentire, tum ob periculum acceptandi confirmationem, tum quia acceptatio est inutilis, & irritoria. Sed neutrum horum probat. Non primum, quia illud periculũ est valde remotum. Non secundum, quia si manifestet votũ suum Pontifici confirmatori, poterit dispensari in voto, & confirmari; consentire vero electioni est necessarium, vt electio valeat confirmari. Tenetur igitur huiusmodi votum suum manifestare, ne frustratorie eligatur, aut eius electio contra ius voti confirmetur, quo facto securus est, & consentiendo electioni, & acceptando confirmationem, si à Papa conscio de voto detur.

74. Infertur secundo, quod Episcopus, qui post votum Religionis acceptauit Episcopatum tenetur illum resignare. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. si quis. n.* 46. *de Regular.* & hoc faciendi licentiam petere, & si necesse sit Pontifici votum suum manifestare. Quod teneatur resignare Episcopatum habetur ex *d. cap. per tuas*, & admittunt DD. communiter. Sed quantum ad licentiam petendam Caiet. hic, & Tabien. v. Episcopus *q.* 7. *n.* 8. existimant licentiam ex vi *d. cap. Per tuas esse iam concessam*, sed communiter hoc reijcitur, quia textus ille continet dispositionem particularem, non verò concessionem generalem. Sanchez verò *lib.* 4. *moral. cap.* 17. *n.* 6. admittens posse intelligi textum illius *Capit.* ita vt Episcopus ille fuerit tantum electus, non verò confirmatus, quem sensum probabilem putant Hostien. Io. Andreas, & alij, qui dicũt etiam non obstare verba illa, *cõsulimus vt regimen*

resignet,

resignes, &c. quia potest esse quod Episcopus ille iam regimen suscepisset, vel intelligitur textus de renunciatione iuris ad rem, quod ex electione acquisierat. Hoc, inquam, sensu admisso putat licentiam non fuisse necessariam, nec esse, vt Episcopus non confirmatus renunciet iuri electionis suæ. Quod quidem verum est. Sed textus ille non potest habere hunc sensum. Tum quia facit vim verbis illis, *consulimus, vt regimen resignes*. Nam resignare est iam collato, & possesso beneficio renunciare. Et præterea res euidentior fuisset, scilicet, quod Episcopus ille Gebenen. tenebatur implere Religionis votum, quam necesse fuisset de hoc Papam consuleret, cũ ille Episcopus spirituali vinculo nondum fuisset Ecclesiæ suæ ligatus, alias vero votum illum necessitaret ad Religionis ingressum, vnde nulla fuisset difficultas eum teneri Religionem ingredi. Accedit, quod si ille Episcopus erat tantum electus, & nondum confirmatus, ex illo textu non potest colligi, quod votũ Religionis impediat assumptionem Episcopatus, & quod si Episcopatus assumatur, Episcopus teneatur resignare; quia manifestè dici posset, quod textus ille loquitur de Episcopo electo non verò de confirmato. Illum ergo Episcopum verè fuisse confirmatum supponunt D. T. & alij DD. communiter, qui existimant adstrictum voto Religionis non satisfacere, sed violare votum assumendo Episcopatum, & per Episcopatus assumptionem manere vinculum voti illumq; nec extinctum fuisse, nec suspensum. Ideo quod Episcopus huiusmodi teneatur etiam petere à Pontifice licentiam resignandi tradunt Azor *p. 1. l. 11. cap. 22. quæst. vlt.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 20. n. 1. & sequent.* Layman *l. 4. tr. 5. cap. 6. in fin.* Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 6. n. 1.*

75. An verò Episcopus in hoc casu, si aliter non potest obtinere licentiam resignandi teneatur manifestare suum votum Pontifici, negat Sanchez *d. cap. 17. n. 7. quem sequitur* Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 6. in fine,* & Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *p. 2. q. 121. n. 6.* triplici ratione motus. Prima scilicet, quia non tenetur suum peccatum manifestare. Tum quia nunquam promisit se manifestaturum suum votum. Tum quia subditus non tenetur votum suum manifestare superiori, si sit de materia illi subiecta. Verum sententia opposita est communior, quam tenuerunt Caiet. *v. votum. cap. de quatuor condit. ex part. vouen. §. subiecto* Armilla *v. votum n. 7.* Corrad. *p. 1. q. 302.* Item Sotus *l. 7. de iust. q. 3. a. 1.* Arragon. *22 q. 88. a. 7. diffic. 1. q. 1.* Lopez *p. 1. cap. 48. §. Vtrum quando* Tabien. *v. votum 5. n. 5.* Valent *tom. 3. disp. 6. q. 6. p. 6. quæst. 2.* Rodriq. *tom. 2. cap. 89. n. 5.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 16. q. 6.* Sayr. in Claui Reg. *l. 6. cap. 5. n. 20.* & alij quos refert Pasqualig. vbi supra. Et rationes allatæ non suadent. Non quidem prima, quia Episcopus contra Dei legem, & voti vinculum acceptans Episcopatum se indirectè obligauit ad manifestandũ suum votum, quando nisi eo manifestato non potest licentiam resignandi obtinere. Vnde patet responsio ad secũdum, & ad tertium dicitur, quod etiam si daretur, quod in irritatione voti necesse non esset manifestare votum, sed sufficeret superiorem præcipere incompossibile voto; tamen quando votum non est relaxandũ nisi per dispensationem, aut commutationem ex speciali causa, eiusq; discussione, non potest id fieri sine voti cognitione. In proposito igitur non potest dici, quod votum Religionis per assumptionem Episcopatus fuerit extinctum, vel etiam omnino suspensum durante Episcopatus vinculo; quia iam supponimus oppositum, vt probatum, & loquimur in terminis sententiæ, quæ docet hunc Episcopum teneri, & resignare, & petere resignandi licentiam.

76. Addimus verò vinculum hoc voti non extinctum nec omnino suspensum, non posse per Papam directè irritari, & præcipuè cum fuerit emissum ab Episcopo ante assumptionem ad Episcopatum. Non enim Pontifex potest irritare vota omnium fidelium, vt tradit D. T. *supra q.* 88. *a.* 12. & ibi Caiet. Nauar. in Manual. *c. 12. n. 79.* Sotus *l. 7. de iust. q. 3. a. 1. col. 3.* Suarez *l. 6. de voto. cap. 2. n. 8.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 17. q. 3.* Sanchez *l. 4. cap. 14. n. 18.* Bonac. *disp. 4. q. 2. p. 7. §. 2 n. 2.* Palaus *tr. 15. disp. 2. p. 2. n. 2.* Martinez de Prado *cap. 31. q. 13. n. 28.* & alij plures apud illos, ideo vota Clericorum, & Episcoporum non potest directè irritare. Et in proposito nostro de voto Religionis loquendo, considerato, quod licet votum Episcopi de ingressu Religionis emissum post assumptum Episcopatum sit votum conditionatum conditione, si Papa licẽtiam concesserit, & ideo vt votum illud irritum maneat, sufficiat, quod Papa licentiam concedere nolit, tamen votum simile factum ante assumptionem Episcopatus est absolutum, vnde est, quod non est directè irritabile, vt tradunt Suarez *d. l. 2. cap. 20. num. 5.* Palaus *tract. 16. disp. 1. p. 6. n. 8.* Solum igitur dispensatione, aut cõmutatione potest in hoc casu tolli. Cum verò dispensatio, aut commutatio voti fieri non possit nisi ex causa speciali cognita, & discussa, non potest Episcopus, qui ante Episcopatũ vouit Religionẽ liberari ab obligatione voti, nisi Papa cũ eo ex certa scientia dispensante, vel votũ commutante. Ideo si Papa illi concedit licentiam resignandi Episcopatum, non est necesse manifestare votum Religionis, quia iam sine hac manifestatione habet facultas implendi votum; Sed si aliter non potest haberi licentia, nisi votum manifestetur, debet manifestare, vt docent Suarez, & Palaus citati, quia aliter non potest eiusdem voti obligatio relaxari.

77. Nec obstat, quod dici possit causam iustam dispensandi adesse ex natura vinculi Episcopalis, quod est perpetuum de iure diuino. Suarez quidem *d. cap. 20. n. 6,* existimat, quod si vinculũ Episcopatus sit de iure diuino perpetuum, & indissolubile, sufficiat hæc causa ad dispensandum cum Episcopo in antecedenti voto Religionis, quia iam hoc vinculum Episcopatus de iure diuino perpetuum est fortius, & maior dispensatio est dispensare super hoc vinculo, quam super voto. Sed hac non benè deducitur ex illo principio. Nam & matrimonium carnale est indissolubile, & tamẽ facillimo negotio quantum ad vsum, & exercitium dissoluitur de cõsensu partiũ. Sic licet verè matrimoniũ spirituale initũ inter Episcopũ, & Eccl. sũ sit indissolubile, & in eo in loco alterius Sponsi sit Papa ipse, vt explicaui *supra q. 184. a. 5. n. 35.* facillimo negotio hoc vinculũ dissoluitur quantum ad vsum, & exercitium respectu huius vel illius Ecclesiæ particularis Episcopo, & Papa consentientibus

tibus

tibus. Imo ex hoc apparet, qualiter vinculum Episcopatus, licet de iure diuino perpetuum, & Indissolubile sit minus forte, quam vinculum voti Religionis ante Episcopatum emissum; Quia vinculum Episcopatus quantum ad vsum, & exercitium est dissolubile de consensu partium nimirum de consensu Episcopi, & Papæ; sed vinculum voti solam ex causa, & quidem graui, & proportionata potest relaxari, vt dispenletur in illo, vel illud commutetur. Et de facto, quod si maius, & fortius vinculum voti, quam Episcopatus inde habetur, quod iam conuenimus, quod vinculum huius voti per vinculum Episcopatus nec extinguitur, nec omnino suspenditur, sed imo qui vouit, etiam post vinculum Episcopatus tenetur Episcopatum resignare, & petere à Papa velut ab altero sponso licentiam, & consensum dissoluendi tale vinculum. Fortius est igitur vinculum voti, & maius est dispensare in voto, quam in vinculo Episcopatus. Igitur sola conditio; vinculi Episcopatus non præbet sufficientem causam, ad hoc vt Papa dispenset in voto Religionis antecedente Episcopatum, sed ad hoc requiritur specialis causa, sine qua vt docet idem Suarez *d. cap.* 20. *nu.* 9. Papa tenetur non negare huiusmodi Episcopo licentiam renunciandi, & solum ex causa bonum commune concernente, seu qualitercumque iusta potest negando licentiam in voto dispensare. Ex his vero etiam colligitur, quod post adeptum Episcopatum non potest Episcopus vouere Religionem, nisi sub conditione licentiæ Papæ. Et si illam absolutè voueat, votum debet intelligi, vt conditionatum, & virtute talis voti obligat se ad petendam licentiam. Palud. *in* 4. *d.*38. *q.*4. *a.* 2. *com. l.* 3. Ledesma *p.*2. *tr.*10. *cap.*7. *dub.*1. D. Anton. *p.*3. *tit.*11. *cap.*2. §. 6. Syluest. *v. votum* 3. *num.* 1. Sanchez *lib.*4. *cap.* 25. *num.* 24. Suarez de voto *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 11. Quos refert, & sequitur Pasqual. ad Lauret. de Franch. *par.* 2. *q.* 121. *num.* 5. Vbi *num.* 7. quod licet denegata licentia pro aliquo tempore, eo elapso teneatur iterum eam petere, non tamen si sit denegata simpliciter. Quidquid in contrarium dixerit Sanchez *cap.* 25. *num.* 31. Quia vouens, nisi id specialiter intendat, non se obligat ad iteratàs petitiones licentiæ, sed semel petita licentia, si illam non obtinuit, facta sufficienti deligentia, ad amplius non tenetur. Nam & vota strictè interpretari debent, vt minus obligent; quam fit possibile. Eodem etiam numero quinto citato vult, quod si Episcopus vouens Religionem nesciat sibi hoc esse interdictum, votum sit nullum. Quod & tenuit Sanchez *l.*4. *cap.*25. *num.*17. Sed de hac alias.

SVMMARIVM.

1 *Summa responsionis ad secundum. nu.*78.
2 *Votum potest esse determinatum ad vnum numera monasterium. nu.*79.
3 *Qui vouit Religionem in vno numero monasterio non tenetur ingredi in aliud. nu.*80.
4 *In dubio an votum sit determinatum quid agendum. nu.*81.
5 *In dubio elegendum quod tutius. nu.*82.
6 *Non semper tutius, quod votum intelligatur vt vagum. nu.*82.
7 *Non semper fauor, quod votum intelligatur vt determinatum.* 82.
8 *Tutius, quod est probabilius. nu.*82.
9 *Tres casus distinguuntur. nu.*83.
10 *Repulsus absolute est liber à voto. nu.*84.
11 *An semel repulsus maneat liber. nu.*85.
12 *Per repulsam suspenditur votum, sed non extinguitur secundum aliquos. nu.*86.
13 *Stat voti non extinctio, quod prudenter desperaui admitti possit nubere. nu.*86.
14 *Conditio, si fuero admissus, secundum aliquos habet tractum successiuum. nu.*87.
15 *Simpliciter repulsus est liber. nu.*87.
16 *Repulsus si sine culpa mutauit statum, vt quia duxit vxorem est liber à voto. nu.*88.
17 *Repulsus si id sit vtile, tenetur manifestare votum. num.*89.

78. IN responsione ad secundum docet D. T. quid agere debeat ille, qui vouit religionem ad hoc vt voto satisfaciat. Docet enim D. T. quod tenetur facere, quod in se est, vt recipiatur, & hoc facto, si non recipitur, absolutus est à voto, & potest disponere de seipso, & hæc est doctrina communis. Verum remanet inquirendum.

Quando qui vouit Religionem censeatur facere, quod in se est, vt recipiatur, & itavt, si non recipitur, sit absolutus à voto.

INSPECTIO V.

79. TRiplex autem casus ex doctrina huius responsionis hic distingui potest, quia vouens religionem potest vouere illam pro determinato monasterio, vel pro determinata specie religionis, vel religionem in genere. Vnde quæritur primo, quando faciat, quod in se est ille, qui vouit religionem determinati monasterij. Hic vero duo consideranda sunt. Primum quod aliud est, quod religio vnius Monasterij sit motiuum inclinans ad volendum religionem, aliud est, quod sit vnica, & propria causa vouendi, ita vt vouens intendat præcisè se obligare ad ingressum illius monasterij. In hoc enim casu nunc loquimur quàquo scilicet intentio vouentis se coarctauit ad religionem huius numero monasterij, & non ad alia monasteria. Considerandum est secundo. quod si illud monasterium non Est membrum alicuius religionis multo melius potest esse adæquatus terminus intentionis vouentis, quia tunc illud monasterium est veluti vna adæquata religio. Sed si monasterium sit membrum alicuius religionis in qua religiosi de alio ad aliud monasterium mittuntur ad votum superioris; non omnino poterit religio talis monasterij esse adæquatus terminus intentionis vouentis, quia si voueat talem religionem in quo religiosi non sunt ad vnum monasterium allegati, non potest coarctare se saltem ad semper

manendum, & perseuerandum in eodem monasterio nisi regula permittat, vt id fieri possit, & ex pacto, & conuentione cum ingrediente stabilire. Verum nihilominus, etiam vbi monasterium sit membrum alicuius religionis, potest ex intentione vouentis coarctari ingressus ad illud monasterium, vt vouens intendat recipi ad habitum in illo solo monasterio, vel vbi est vsus affiliationum, vt sit filius huius, vel illius numero monasterij. Sed votum hoc modo rarius contingere potest. Nihilominus sub nostra quæstione etiam continetur hic casus.

80. Est autem quantum ad hoc certum, quod qui vouit religionem pro determinato Conuentu, si petijt admitti ab illis, ad quos pertinet admittere, & fuit exclusus non tenetur ad aliud, sed remanet à voto absolutus, nec tenetur religionem alibi petere, neque alibi ingredi etiam vocatus, & admissus. Ita habetur ex D. T. hic & supra *q. 88. a. 3. ad secundum*, quem secuuntur Caiet & Theologi *in 4. d. 38*, Richar. *a. 5. q. 1.* Suplem. Gabriel. *q. 1. a. 3.* Palac. *d. 1. com. 4.* Palud. *d. 27. q. 3. a. 1. cap. 3.* Syluest. *v. Religio 2. q. 16.* Angelus, *votum 3. a. num. 10.* Turrecrem. *17. q. 1. in summar. a. 4.* ad quartum S. Anton. *p. 3. tit. 16. cap. 2. §. 4.* Abul. *q. 51, & 52. in cap. 30.* Num. Caiet. hic, *& tom. 1. opusc. tract. ad septimum* Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. a. 1.* ad tertium Nauar. *cap. 12. num. 46. & cons. 18.* de voto *num. 1. & 2.* Val. *disp. 6. q. 6. p. 4.* Azor. *p. 1. lib. 11. cap. 22. q. 1.* Sanchez *lib. 4. in dec. cap. 16. n. 28.* & apud eum Palacios, Aragon, Toledo, Lopez & Philiarcus, Suarez *tom. 3. de relig lib. 4. c. 2. nu. 4.* Layman. *lib. 4. tr. 5. cap. 6. num. 3.* Palaus *tr. 16. d. 1. p. 3. num. 9.* Neque obstat, si dicatur, hunc teneri ad votum pro parte pro qua potest illud implere, & ideo teneri ad religionem, quę est veluti pars voti, per quod promissa est religio in hoc monasterio. Nam votum obligat iuxta intentionem vouentis, nec religio in communi est pars huius voti numero, per quod vouens vouit religionem in hoc numero monasterio.

81. Dubium tamen esse potest, quid sit agendum in dubio, cum scilicet vouens est dubius an vouerit religionem huius conuentus determinatè, vel potius religionem in communi. Nam multi dicunt tutiorem partem esse eligendam. Ita D. T. *4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6.* Turrerem. *c. 17. q. 1. in sum. a. 4. ad 4.* Rosella *v. Religio 3. a. 2.* Syluest. *v. Religio 2. q. 16.* Armilla *v. votum num. 18.* Angelus *v. votum 3. num. 12.* Ex his tamen DD. solus Ang. explicauit partem tutiorem esse, vt votum censeatur, & intelligatur esse factum pro religione in communi, ideoque talem teneri petere alibi ingressum. Sed alij tenent oppositum. Nam possessio stat quidem pro voto, pro quanto aliquis ingressus in religionem est promissus, sed tamen, quod sit promissus ingressus in hoc monasteriū tantum, [illegible] non tantum, hoc est dubium, & in hoc possessio stat pro libertate vouentis vnde votum in dubio censendum est vt factum pro determinato monasterio Suarez loco citato *num. 6.* Bordon, *resol. 77. n. 5. & contr. 25. n. 29.*

82. Verum tam Angeli sententia, quam opposita Suarez fundantur in principijs non vniuersaliter applicabilibus. Nam primo non est vniuersaliter verum, quod sit tutius interpretari hoc votum, vt sit indeterminatum ad plures religiones, vel monasteria; quia imo si votum respiciat monasterium, aut religionem strictioris obseruantiæ tutius est, vt votum intelligatur vt determinatum, quia si intelligatur vt indeterminatum incurritur periculum, ne vouens ingrediendo laxiorem violet votum de ingressu in strictiorem religionem, vel obseruantius monasterium. Secundæ quoque sententiæ fundamentum non valet ad resoluendum dubium vniuersaliter. Quia eius principium est, quod votum interpretari debet, vt minus obliget vouentem. Verum licet spectata religione absolute, videatur fauor vouentis esse, vt votum eius intelligatur determinatè, vt hoc modo si à monasterio, vel religione determinata repellatur, sit omnino liber à voto. Tamen si dubium sit, an vouerit strictiorem, videtur quod fauor libertatis illius videtur esse, vt votum intelligatur vagè, ne si intelligatur determinate cogatur ingredi strictiorem, vel eam à qua fortè est iam auersus. Prima igitur sententia sic absolute prolata, vt tenuerunt D.T. & alij præter Angelum verissima est, sed nomine tutioris intelligunt id, quod omnibus pensatis est probabilius. Non alias sequi partem tutiorem, vt contradistinguitur minus tutæ consilium est, non præceptum, licet præceptum sit non sequi tutiorem, vt contradistinguitur non tutæ. Sed probabilior est semper tutior, vt latè explicatum est supra *q. 186. a. 8. num. 315.* Vt vero in proposito nostro videatur magis determinatè, quid sit agendum, præsupposito ex Caiet. loco supra citato benè contingere posse, quod motiuum, & occasio vouendi fuerit deuotio ad Ecclesiam alicuius monasterij, vel aliquod simile, & tamen intentio vouentis fuerit indeterminata, Vnde vt aduertit Palaus *d. p. 3. num. 9.* sæpe contingit, quod in huiusmodi votis determinatio ad vnum monasterium, vel religionem se habeat solum accessoriè, & minus principaliter, tres casus distinguendi sunt cum Sanchez *d. c. 16. n. 32.*

83. Nam vel vouens vouit ingressum in hoc monasterium determinatè, sed dubius est, an vouerit ingressum in illud tantum. Et in hoc casu possessio stat pro vouente, & dicendum est, talem si a dicto monasterio non sit admissus, non teneri in aliud: maxime cum regulariter vota interpretari debeant in fauorem vouentis, & vt votum minus obliget. Et eo amplius, quod in isto casu ipsa voti substantia est dubia quantum ad illam extensionem, in dubio autem an quis vouerit, vel non vouerit non obligat votum, quod est incertum. Et si sit incertum in totum nihil obligat, si quantum ad partem non obligat respectu illius partis, id enim iuris, quod est de toto, ad totum, debet esse de parte ad partem *l. qua de tota ff. de rei vendit* Euarard. *ad part. Secundus* casus est, si vouens sit dubius de vtroque, & tamen recordatur verborum sub quorum forma extra vel intra se votum concepit, & verba sunt certa. Et in hoc casu standum est verbis, & communi sensui illorum, quia possessio stat pro voto iuxta communem sensum promissionis factæ. Tertius casus est, si vouens est dubius an vouerit ingressum, vel in vnum monasterium, vel in aliquod vagè, & vel non recordatur verborum quibus votum expressit, vel illa sunt ambigua, nec ex illis aliquid determina-

tu po-

ti potest probabiliter colligi. Et in hoc iam vera est sententia Angeli. Nam certum est vouentem vouisse, frequentius autem vouentes religionem vouent illam indefinitè, promittentes ingredi in aliquod monasterium illius; & ideo ab eo, quod frequentius accidit colligi debet talia vouentis intentionem fuisse vouere in aliquod monasterium religionis illius ingredi, & ideo si in vno non recipitur debet ad aliud recurrere, vt infra dicetur. Et confirmatur; quia & fauor libertatis vouentis est libertas electionis. Quia imo graue onus est vouentem arctari ad vnum monasterium, vel religionem; quamuis per accidens in casu raro possit hoc cedere in vouentis fauorem, si contingat illum à monasterio, vel religione determinata reijci, vnde ex hoc liberetur à voto. Sed hoc est per accidens, & magis spectandum est id, quod est per se.

84. Dubium est secundo an ille qui vouit ingressum in religionem pro determinato monasterio sufficiat, si semel petierit ingressum ab eis, ad quos pertinet admittere. Nam mutatis circumstantijs, & Prælatis, vel alijs occasionibus seu impedimentis ablatis, potest noua spes oriri vt recipiatur semel expulsus, ideo quæritur, si noua spe adueniente tenetur ad nouam instantiam. Vnum primo hic est certum, quod si petens ingressum non est exclusus absolute, sed solum pro interim, quod tenetur expectare vsque quo recipi possit. Caiet. *sup. q.* 88. *a.*3. *circa resp. ad* 3. Lessi. *par.* 2. *tr.*10. *cap.* 3. *dub.*5. Azor. *p.* 1. *l.*11. *c.*15. *q.*5. Suarez. *d.* c.5. *num.*7. Sayrus in Claui *reg. l.* 6. *c.* 9. *num.*6. Sanchez *l.*4. *c.*16. *num.*53. Palaus *tr.*16. *disp.*1. *q.*3. *num.* 10. Dummodo tamen dilatio non sit nimia, & ita molesta, vt meritò prudenter censendum sit vouentem noluisse se obligare ad expectandum cum tanto onere. Sed si absolutè reijcitur pulsans, & petens ingressum, nisi aliud ex peculiari eius intentione constiterit, remanet absolutus ab obligatione voti, nec tenetur amplius petere, quærere, & pulsare.

85. Quod ampliat Suarez *d. n.* 7. vt sit verùm ita vt in futurum hic, qui non fuit auditus, non possit cogi ad religionis ingressum etiam si Conuentus consentiat, imo & inuitet eum vt habitum religionis suscipiat. Quia ex quo quando petijt non fuit auditus, mansit liber à voto, ac si numquam vouisset. Nisi ex intentione speciali ipse voluisset se obligare, vel ad iterandas petitiones, seu ad importunè petendum, vel ad acceptandum habitum, si postquam fuit reiectus, ei offeratur. Eandem sententiam sustinuerunt Arragon. *supra q.* 88. *a.*3. *circa solut. ad* 2. Azot. *p.*1. *l.*11. *cap.*15. *q.*5. Less. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*5. *n.*44. Palaus *trac.* 16. *disp.*1. *punc.* 3. *n.*10. *&* 12. Sayr. in Clau. Reg. *l.*6. *c.*9. *n.*7. B[?]zus *v. votum* 3. *n.*14. Candidus *disp.* 14. *a.*14. *conc.*38. Probat hoc Arragon. quia quando duorū consensus est necessarius, vnius consensu deficiente alter est liber. Azor. verò, quia aliter hic vouens toto vitæ suæ tempore deberet manere suspensus, quod æquitas non patitur. Tertio, quia in casu non admissionis, vel votum manet extinctum, vel suspensum. Si datur primum, iam vouens est liber: si datur secundum ergo talis vouens, numquam poterit transire ad nuptias; Quod dictū est penitus absurdum. Quanto quia huiusmodi votum habet tacitam conditionem, si apposita sufficienti diligentia monachi nō repulerint in perpetuum, sed admittere voluerint. Quinto quia qui religionem vouet, non se obligat ad importunas preces, sed ad sufficientem moralem instantiam, nec se obligat ad preces multiplicandas, quia nec est maior ratio de vno numero precum, quam alio. Quando igitur sufficienter institit, iam liber est, si repellitur.

86. Sed è contra alij sentiunt, quod ex repulsa suspendatur quidem voti obligatio, minimè verò extinguatur, & ita per se loquendo, & vbi non adfuerit intentio specialis in contrarium, qui vouit Religionem, etiam centies repulsus, tenetur ingredi, si postea admittitur. Ita Sanchez *lib.*4. *cap.* 16. *n.*71. *post.* Abat. *q.*53. *in cap.* 16. *Numer.* Bonac. *disp.*4. *q.*2. *p.*5. *§.*6. *n.*11. Layman. *lib.*4. *tr.*5. *cap.*6. *n.*4. Martinez de Prado *cap.*31. *q.*7. *n.*34. Et hæc sententia rationibus primæ respondet. Et ad primam dicit, quod quando duorum consensus requiritur, si vnus neget, alter est liber, si negans iuri suo cedendo alium liberare possit. Sed hic consensus Religionis est mera conditio necessaria ad voti implementum, nec Religio cedendo iuri suo, ex hoc potest vouentem liberare, quia votum non est factum ad fauorem Religionis, sed vouentis; vnde non per hoc votum extinguitur ex quo religio nūc non consentit, cum possit cras consentire. Ad secundum, & tertium dicitur, quod sententia illa non distinguit inter hoc, quod est vouentem non teneri ad nouas instantias imo non teneri ad non nubendum, & inter esse extinctum votum, & non teneri ingredi, si aliquando admittatur. Quod debet distingui, & stat quod voto non extincto possit vouens transire ad nuptias, si prudenter iudicet repulsam acceptam esse perpetuam. Sic si voto castitatis verè non extincto, sed à viris doctis etiam probabilius probato extincto, imo per sententiam iudicis Ecclesiastici iudicato tali, qui vouit, velit nubere, non peccat, & id liberè facere potest, nec tamen per hoc votum est extinctum, quin si appareat votum verè non fuisse extinctum, non teneatur ad illud complendum si potest. Sic si quia in Oppido aliquo in die festo prudenter desperet se posse audire missam, potest sine peccato, missa non audita, quocumque ire, nec tamen per hoc eximitur ab onere missæ, si contingat adesse sacerdotem, qui celebret. Sic ergo qui vouit votum religionis, si repulsus prudenter desperet, fore, vt aliquando admittatur, potest ad nuptias transire, & sic non sequitur illud inconueniens, quod toto tempore vitæ suæ debeat manere suspensus, nel quod numquā possit nubere. Verùm non per hoc sequitur, quod votum non maneat verè in suo vigore. Nec quod quarto afferebatur magis probat; quia conditio, *si ad habita sufficienti diligentia Religiosi non repulerint in perpetuum*, habet tractum successiuum, & quæ si hodie non impletur potest impleri cras, ideo conditio non est simpliciter purificata ex eo, quod qui vouit fuit semel, vel aliquoties reiectus. Sic præcepta audiendi sacrum, sumendo sacramēta tacitam habent conditionem, *si adsit minister, qui velit missam celebrare, confessiones audire, &c.* Nec tamen si is cui sacerdos millies negasset ministrare Sacramentum pœnitentiæ, manet absolutus à vinculo præcepti, si sacerdos tandem illum vellet audire. Sic etiam qui tenetur ex voto ingredi religionem, etiam si plurie repulsam passus fuerit, si po-

stea admittitur ingredi tenetur. Sicut si idem, qui religionem vouit, circumstantijs pensatis putaret se numquam admittendum, vel iudicio medicorũ laboraret morbo, vnde esset religioni ineptus, nihilominus si verè posset admitti, & sibi fulgeret spes, vt reciperetur, vel si à morbo sanaretur, teneretur votum religionis implere. Similiter non esset liber à voto, si ex falsis testibus reiectus, postea comperta veritate admittatur. Ad quintum verò dicitur, quod qui vouit religionem tenetur petere, quousque est spes, vt preces eius audiantur; vbi verò succedat desperatio prudenter iudicata, licet cesset obligatio petendi, & pulsandi, non cessat tamen obligatio ingrediendi, si contingat illum admitti. Ideo qui fuit reiectus, quia non sciebat, tenetur ingredi postquam didicit.

88. Limitat etiam dictum suum Sanchez n. 73. quem sequitur Martinez n. 28. si interim exclusus bona fide, & prudenter desperans ingressum statũ mutauerit. Vt quia ingressus fuit religionem, quam non vouerat, licet laxiorem. Vel quia duxit vxorem, licet postea viduus effectus sit. Quia tunc sine culpa vouentis rerũ status, & materia voti valdè mutata est, nec verisimile est vouentem se obligasse ad religionem adeo notabiliter mutato iam statu. Nam & valdè graue esset assuetum iam religioni laxiori, vel vsui nuptiarum cogi ad alium religionis statũ. Si tamen antequam nouitius profiteretur laxiorem, admitteretur in strictiori, quam vouerat, ingredi teneretur, quia nouitius nondum mutauit statum, nec aliam religionem fuit professus. Sed hæc satis valent ad primæ sententiæ confirmationem, quia diuturnitas temporis secum fert mutationes notabiles personarum, vnde magis colligitur verisimile non esse, quod vouens religionem intendat illam ingredi, etiam si per multum tempus eam non potuerit obtinere, & valdè eius conditio mutata fuerit, aut religionis, sicut in diuturnitate temporis solet contingere. Et ideo præfatis non obstantibus prima sententia præferenda est. Nam votum religionis continet absque dubio conditionem si fuero admissus facta sufficienti diligentia, & ex vouentium intentione hæc conditio non habet tractum successiuum in æternum, vt qui vouit teneatur in æternum instare, sed ita vt duret vsque quo sit spes obtinendi; sed vbi prudenter iudicando desperata sit admissio, vouens liber remaneat. Nec est eadem ratio de præceptorum obligatione, quæ est à voluntate extrinseca legislatoris, & de obligatione voti, quæ ex vouentis intentione mensuranda. Qui vero vouet religionem non intendit se obligare vel ad preces importunas, vel vt in æternum sit suspensus, & dubius an superiores aliquando eum admittere velint, & an possit aliquando sibi fulgere spes aliqua admissionis. Et si, prout concedit secunda opinio, quando, qui vouit desperat admitti potest nubere, signum est, quod votum est extenctum, & quod vouens non se obligauit ad maiorem diligentiam, vel ad expectandum magis.

89. Dubium vlterius est, an quando iste petit admitti in religionem teneatur dicere superioribus se habere votum ingrediendi in illam, & ideo petere facultatem votum adimplendi. Non teneri suadetur. Nam alias manifestatio voti non est motiuum, per se inducens ad hoc; vt petens, recipiatur in religionem, parumque interest superioribus, quod petens petat ex voto, vel non ex voto, & alias nulla lex est, quæ obliget, eum qui vouit religionem, ad hoc vt suum votum manifestet Suarez ibid. Azor. *p. 1. lib. 11. cap. 22. q. 9.* Sanchez *lib. 4. cap. 16. num. 54.* Palaus *tract. 16. disp. 1. punt. 3. nu. 13.* Et apud Martinez Reginald. & Tullench. sed hoc quidem verum est, quod qui vouit non tenetur adhibere media difficilia extraordinaria ad hoc vt recipiatur Bordon. *resol. 77. num. 15.* Et approbant DD. citati. Sed & verum est, quod manifestatio voti in proposito per se loquendo non est medium vtile ad obtinendam admissionem, vt dictum est. Sed tamen si casus contingat, vt manifestatio voti sit vtilis ad hoc vt, qui vouit obtineat ingressum, melius dixerunt Caiet. supra q. 88. *a. 3.* circa responsionem ad secundum *d. 2.* Bonac. *disp. 4. q. 2. punt. 5. §. 16. num. 16.* Candidus *disp. 14. a. 14. num...* Martinez de prado *cap. 31. num. 20.* Enim, qui vouit religionem teneri manifestare votum, si id sit necessarium, quia qui vult finem tenetur ad media vtilia, maximè si sint facilia; in proposito vero voti manifestatio est medium facile, & per quod ostenditur affectus magnus ad religionem, nec est medium extraordinarium in habentibus votum, sicut neque extraordinarium medium est aliquando adhibere intercessores, si sine difficultate adhiberi possunt; quia neque hoc excedit communem, & ordinariam diligentiam.

SVMMARIVM.

1 *Regulariter recipere ad habitum spectat ad plures. num. 90.*
2 *Vbi recipere spectat ad vnum, repulsus absolute ab illo est liber. nu. 90.*
3 *Non sufficit petere habitum ab vno vel altero, & semel, vel bis. nu. 91.*
4 *Non tenetur vouens pulsare ad omnia monasteria, & omnes Prouinciales. nu. 91.*
5 *Tenetur tamen plura adire. nu. 91.*
6 *Tenetur petere donec manet spes ingressus. numer. 92.*
7 *Non tenetur quærere extra regnum, & nationem. num. 93.*
8 *Fæmina an teneantur exire extra patriam. numer. 94.*
9 *Viri & mulieres reiecti intra propriam nationem si casu transferant extra domicilium non tenetur ad votum &c. nu. 95.*
10 *Excusantur qui carent necessarys ad iter donec commode possint. nu. 95.*
11 *Non sufficit petere intra patriam. numero 95.*
12 *Totum hoc negotium arbitrarium, & pendens à vouentis intentione. nu. 96.*
13 *In dubio an quis vouerit determinatam religionem, quid agendum. nu. 97.*

90. Casus

90. CAsus secundus generalis est eius, qui vouit ingredi in aliquam religionem determinatam, qui casus medius est, quia est coarctata intentio vouentis ad vnam speciem religionis, puta ad Societatem Iesu, sed tamen hæc intentio indefinita est respectu prouinciarum, & domorum eiusdem religionis. In hoc autem casu, videndum est primo si munus admittendi residet in vno, puta in superiori illius Religionis scilicet in Generali, & Prouinciali, vel si residet in superioribus localibus, & Conuentibus, seu in vtrisque. Nam si munus admittendi spectat solum ad Generalem, vel etiam ad Prouincialem, eadem fere ratio est de hoc casu, quæ de priori, quia hoc modo tota religio se habet, vt vnum Monasterium respectu Generalis, & tota Prouincia se habet vt vna domus respectu Prouincialis. Vnde exclusus semel absolutè à Generali post sufficientem petitionem, & diligentem instantiam moraliter non habet spem, vt amplius recipiatur, & manet liber à voto. Similiter exclusus à Prouinciali, non habet moralem spem, vt recipiatur amplius in illa Prouincia. Verùm dissimilitudo est, quia si excluditur ab vno Prouinciali, poterit esse vt admittatur ab alio etiã non multum distante, imo poterit esse, quod in eadem ciuitate sint Conuentus ad diuersas Prouincias existentes. Vt in ordine Prædicatorum Prouinciæ Lombardiæ, Regni, Calabriæ, & Aprutina habent Conuentus in eadem Ciuitate Neapolis, & Mediolani Prouincia Lombardiæ, & S. Petri Martyris, & Pataui Prouinciæ Lombardiæ, & Sancti Dominici; vnde exclusus ab vno Prouinciali poterit ab alio admitti, & quia nulla est religio habens plures Prouincias in qua solus Generalis admittat ad ordinem, ita vt saltem Prouincialis ex authoritate sibi à Generali communicata non possit ad habitum recipere, inde est, quod regulariter, & vt plurimum recipere ad habitum pertinet ad plures.

91. Vnde in hoc secundo casu hoc primo est certum, quod petere habitum ab vno, vel duobus ex illis, qui habent facultatem admittendi regulariter non est sufficiens diligentia, nec qui vouit religionem facit, quod in se est, si petat habitum semel, vel bis. Quia non per hoc dici potest exclusus, sed poterit esse, quod exaudiatur ab alio. Et certum est secundo hunc teneri quidem petere ingressum in pluribus Monasterijs, seu à pluribus Superiorib. Caiet. *supra q. 88. a. 3. circa resp. ad 2. dub. 3.* Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad tertium* Clauis Regia *lib. 6. c. 9. n. 12.* Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 3. n. 16.* Bordon. *Cons.* 25. n. 22. Martinez de Prado *d. 9. q. 7. n. 33.* Io. à S. Thom. *supra q. 88. disp. 29. a. 10.* Suarez *d. l. 4. c. 2. n. 9.* & alij communiter. Non autem teneri explorare omnia religionis Monasteria, aut Superiores, etiam Prouinciales. Quia primo in religionibus amplis hoc est prorsus impossibile, cum per totum mundum vsque ad Americam, & Indos huiusmodi religiones extendantur. Et alias etiam vouentium intentio non est se obligare ad huiusmodi diligentiam. Quæ etiã est inutilis, & superflua; quia ea ratione qua quis non admittitur à 6. vel octo Monasterijs eiusdem religionis, à nullo admittetur moraliter loquendo.

92. Quibus stantibus duo quæri possunt. Primo ad quantam distantiam debeat iste vouens inquirere qui illum recipiat, si à Monasterijs, qui sũt in sua patria, vel prope, non admittatur. Secundo quot Superiores debeat adire, & quot Monasteriorum portas pulsare, vt introducatur. Prius vero ad hoc secundum responderur, & dicitur primo non posse dari de hoc certam, & vniuersalem regulam, quia potest contingere, vt à primo tali ratione, & motiuo excludatur, vt nulla sibi remaneat spes moralis intrandi in quodcumque aliud Monasterium illius religionis, & è contra potest contingere vt explorатis quinq; vel sex Conuentibus, & ab illis non receptus, adhuc fulgeat illi radius spei, vt in aliquo alio recipiatur. Dicitur propterea secundo, quod tunc est absolutus à voto, cum moraliter loquendo non remanet sibi spes intrandi, semper verò manet obligatus ad quærendũ, quousque moraliter sperare potest ingressum Caiet. *supra q. 88. a. 3. circa respons. ad secundum dub. 2.* Suarez *d. l. 4. c. 2. n. 10.* Sanchez *l. 4. c. 16. n. 47.* Aragno. *supra q. 88. a. 3.* Rodriq. *p. 2. cap. 95. n. 4.* Palaus *tr. 16. d. 1. p. 3. n. 6.* Martinez de Prado *cap. 31. q. 7. n. 33.* Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 6. n. 3.* Dicitur verò tertio sufficere regulariter si adeat aliqua Monasteria præcipua. Aliqui dicunt sufficere si quinque vel sex Conuentus pulsentur. Ita Martinez de Prado *cap. 31. q. 7. n. 33.* post Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad tertium* Sayrus in Claui Regia *lib. 6. c. 9. n. 13.* sed quod sufficiat pulsare ad fores triũ, vel quatuor ex præcipuis Religionis Monasterijs voluit. *Suarez d. lib. 4. c. 2. n. 11.* sed melius dicitur cum Palao *tract. 16. p. 3. n. 16.* quod hoc est arbitrarium. Nam vbi ex causis communibus reliquis Conuentibus, quis habet repulsam à quatuor præcipuis Monasterijs, nõ habet vnde moraliter speret ingressum in alia. Dicitur verò ex causis communibus, quia si ex causis particularibus repellitur, vt v.g. quia in illis Monasterijs numerus religiosorũ est plenus, debet petere alia monasteria, vel si hoc non possit fieri, expectare vacantiam loci. Et ita debet maximè cõsiderari causa, ob quam petens non auditur; quia si hæc sit particularis, non tollit spem, ideo remanet in eo, qui vouit debitum vlterius inuestigandi, & quærendi. Ideo contingere poterit, vt quia causa sit particularis respectu aliquorum Monasteriorum, non sufficiat nec tres, nec quatuor, nec quinque Monasteria adijsse. Sed è contra poterit esse vt causa, adeo sit vniuersalis, vt sufficiat tentasse duo, vel etiam vnum. Suarez *d. cap. 2. num. 11.* Nam & vbi receptio fiat per Prouincialem poterit esse, quod sufficiat semel petijsse, & non obtinuisse Suarez ibid. Res ergo hæc arbitraria est, regulanda ex spe obtinendi, quia durat necessitas petendi quantum durat spes obtinendi.

93. Ad id autem quod primo quærebatur respondent satis concorditer Caiet. *loco supra citato* Nauar. *in sum. cap. 12. n. 48.* Sot. *l. 7. de iust. q. 2. a. 1.* Angles *2. p. q. vnica de voto q. 2. diffic. 5.* Tolet. *l. 4. cap. 17. nu. 13.* Syluest. *v. Religio 2. q. 16.* Suarez *dicto l. 4. c. 2. n. 9.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 22. q. 1. f.* *Val. disp. 6. q. 6. p. 4. vot. 4.* Ledesma *p. 2. tr. 10. cap. 3. dub. 5.* Rodriq. *p. 2. cap. 95. n. 4.* Sanchez *l. 4. c. 16. nu. 44.* Clauis Regia *l. 6. c. 9. n. 12.* Bonac. *disp. 4. q. 2. p. 5. §. 6. n. 16.* Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 3. n. 16.* Layman. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 3.* Martinez de Prado *cap. 31. q. 7. n. 33.* Et alij plures apud istos hunc non teneri exire extra

regnum,

regnum, vt v.g. Italum non teneri ire in Galliam, vel in Hispaniam, vt in aliquo ex Conuentibus illorum Regnorum recipiatur, & è contra. Quia intentio vouentium religionem regulariter non est se obligandi ad exteras nationes explorandas, & ad viuendum extra proprium cœlum. Quod Sanchez *d.cap.16.n.45.* extendit vt sit verùm etiam respectu diuersarum Prouinciarum eiusdem Regni, quando in eis est diuersitas linguarum, morum, & legum. Vnde putat natum in Castella non teneri petere Betihicam, vel Aragoniam, vt recipiatur ad habitum religionis, si in Castella non inuenit, qui illum admittant. Et ita in Italia dici posset non teneri Lombardum ire Neapolim. Et ita videtur sensisse Sotus dicens non teneri hunc procurare religionem, nisi intra Regnum, & linguam.

94. Hæc verò ab aliquibus DD. extenduntur. Et primo de mulieribus loquendo, quod illę non teneantur petere admitti ad Religionem extra Patriam. Hoc tamen non omnino absolutè admisit Caiet. *supra q.* 88. *a.3. circa respons. ad secundum dub.3.* vbi ait, quod adolescentula, vel vidua, quæ vouit religionem, & non inuento in patria sua, vel propè aliquo Monasterio, quod illam velit admittere, quiescit ea hoc reputans sibi impossibile, quod vouit, satis ostendit facto suo, quod non intendebat se obligare, vt iret, vel mitteret per mundum quærendo Monasteria. Sed Sanchez *d.cap.16.n.46.* absolutè sentit mulierem, quæ vouit religionem, si non admittatur in patria sua, vel ita propè vt censeri possit admissa in patria sua, non teneri alibi quærere; nisi si locus distans ita commodus sit mulieri, ac est patria sua, si tamen hæc commoditas aderat de tempore voti, nam si aduenit post, quia casu u.g. ibi cum suis consanguineis mutauit domicilium, libera est à uoto, si in sua patria, uel propè non admittatur, quia uotum illius quando emissum fuit ad eum locum non se extendit. Idem tenent Bonac. *disp.4.q.2.p.5.§.6.n.14.* Palaus *d.p.3.n.16.* Martinez *d.q.7.n.32.* Layman. *l.4.tr.5.cap.6.nu.2.* inquit, quod plerumque mulieres non intendunt ingredi religionem extra patriam. Sed Suarez. *lib.4. cap.2. n.9.fin.* hoc esse arbitrarium putat & consulenda intentio uouentis, quamuis in fœminis frequentiorem locum habeant coniecturæ illæ ex quibus colligi potest, quod non intenderit discedere à patria. Et ita uerè sic est. Nam per se loquendo, & præscindendo à limitatione determinata uouentis, quantum sit ex ui uoti, qui religionem uouit tenetur petere admitti ubicumque est spes, ut admitti possit, ut ea Caiet. loco citato aduertit Suarez, & in hoc sensu Nauar. *cap.12. n.18. & consil. 28. de voto n. 3.* dicit hunc teneri adire etiam remotiora loca. & Abulen. *q.52. in cap. 30. Num. quod oportet eam adire omnia Monast. loca.* & Palacios *dist. 98. disp. 1. post 4. conclus.* quod oporter eum adire uniuersa secundum facultatem. Licet uerò regulariter uouentium intentio explicetur, ut non intendant egredi extra Regnum, uel Prouinciam. Tamen non ita dici potest absolutè de exitu extra patriam intra propriam nationem, etiã de fœminis, inter quas non desunt, quæ sunt in locis ubi nullæ sunt Moniales, unde illę si uouent religionem, illam extra patriam procurare debent. Sed & de facili contingere potest inueniri uel virginem, vel viduam, cuius non multum interfit manere in patria. Ideo videndum erit, quæ fuerit vouentis intentio; frequentius tamen continget fœminas non voluisse se obligare ad Monasteria extra patriam. Vnde si mulier huiusmodi sit reiecta à Monasterijs patriæ suæ, etiam si, vt adnotauit Sanchez postea mutet domicilium, quia iam votum fuit extinctum, non tenetur ibid. suscipere habitum.

95. De viris etiam duo specialia habet Sãchez *d. n. 46.* Primum, quod si vir non admittitur intra suum Regnum, nationem, aut Prouinciam nedum non tenetur ire ad extraneas nationes, vt admittatur, sed si extra suam nationem se conferat ad aliam, non tenetur ibi assumere habitum, quia eius votum ad ea loca non se extendit, ideo si in propria natione non admittitur, non tenetur petere habitum in alia. Ego tamen censeo eius intentionem consulendam esse. Secundum quod viri, & mulieres quoque, etiam intra propriam nationem, excusantur ab implendo voto, quia carent expensis necessarijs ad eundum ad loca, vbi recipi possint; vel quia ibi carere cogantur multis necessarijs ad vitam. Quamuis in hoc casu non maneant liberati à voto, sed solum possint expectare donec commodè ea loca possint adire Bordon. verò *tom. 2. resol. 77. n. 82. & contr. 25. n. 20.* tenet eamdem esse rationem virorum, & mulierum, vt horum nullus si vouit religionem aliquam determinatam teneatur adire, nisi monasteria suæ patriæ, & si ab eis fuerit repulsus sit liber à voto. Idem tenuerunt Toletus *lib.4.cap.17.n.12.* & Philiarcus *tom. 1.par. 2.l.3.cap.31.* addentes tamen disiunctiuè, vt iste tenetur adire conuentus patriæ, vel propè. Sed hæc sententia est contra communem, imo si admittere ad Religionem spectet ad Prouincialem, vel Generalem, tenebitur adire Prouincialem illius Regionis in qua est patria sua, vel alium iuxta eius intentionem; & si negatiuam habuit à Prouinciali, si est spes, vt admittatur à Generali, ab eo petendus erit ingressus, saltem per Procuratorem, vel per literas, nisi aliter constet de intentione vouentis.

96. Iterum igitur dicitur, quod per se loquendo votum ingrediendi in aliquam religionem obligat vouentem ad quærendum Monasterium illius religionis in quo recipiatur, sed cum duplici limitatione, scilicet primo si exclusus in vno loco habent spem, vt recipiatur in alio; Et secundo iuxta extensionem suæ intentionis, & secundum quod ipse habuit intentionem se obligandi. Ideo in casu contingenti hæc intentio est attendenda, & ex verbis, & coniecturis colligenda, & vbi dubia remaneat, iudicandum erit de ea prout regulariter, & communiter habetur à sic vouentibus, vt non obligetur vouens contra spem, & ad molestam, & nimis importunam, & difficilem inquisitionem, ad quam regulariter non intendunt obligare se sic vouentes, nisi ipse specialiter ad talem molestiam se obligare intenderit.

97. In dubio autem an vouens intenderit se obligare ad Religionem determinatam, vel ad Religionem in communi, respondendum est iuxta dicta supra *num.88.&c.* Facta verò diligenti, & iuxta prædicta sufficienti instantia, vt in aliquo Monasterio dictæ Religionis admittatur, si manet exclusus,

ciulus, si nul manet à uoto absolutus ubi rationabiliter desperarur illum fore admitendum.

SVMMARIVM.

1 *Nomine religionis apud vouentes religionem non venit religio militum, in qua non emittuntur tertia vota.* nu.98.
2 *Veniunt tamen regulares Canonici, & Clerici Ordinum militarium.* nu.99.
3 *Non tamen milites S.Io.* nu.100.
4 *Non satisfacere voto, qui intrat religionem relaxatam dicunt aliqui.* nu.101.
5 *Iste talis peccat quidem, si se exponit periculo non seruandi regulam, sed voto satisfacit.* numer.102.
6 *Voto religionis satisfacit, qui profitetur cum animo non obediendi de facto.* nu.101.
7 *Qui vouit arctiorem peccat profitendo in laxiori, sed professio est valida.* nu.103.
8 *Ex privilegio potest qui vouit strictiorem recipi in laxiori.* nu.104.
9 *Et si antequam instet tempus ingressus in strictiorem profiteatur in laxiori.* nu.105.
10 *Qui vouit laxiorem potest ingredi strictiorem.* num.106.
11 *Non tamen aque arctam.* nu.107.
12 *Votum ingressus in arctiorem potest commutari in votum perseuerandi in laxiori.* nu.108.
13 *Dispensatus ad laxiorem non potest ingredi non claustralem.* nu.108.
14 *In dubio quid agendum.* nu.109.
15 *Quæ religio dicenda arctior remissiuè.* numero 110.
16 *Ex vi voti religionis indefinitè non tenentur vouentes ad arctissimas.* nu.111.112.
17 *Epilogus dictorum.* nu.112.

98. TErtius ergò casus generalis est de eo, qui uouit religionem indefinitè, & uagè quia scilicet uouit substantiam religionis, & ingressum in aliquod religiosum monasterium indefinitè. In quo casu duplex esse potest consideratio. Prima, quid ueniat nomine religionis, secunda, quando censeatur uouens fecisse, quod in se est, ut si non admittatur, sit liber à uoti obligatione. Et quidem quantum ad primam considerationem, conueniunt primo DD. in proposito, nomine religionis non uenire ordines militares, excepto Ordine equitum S. Io. Hierosol. Quia nomine religionis ueniunt in communi sensu, & intentione uerborum illæ in quibus uiuitur in communi in perpetua, & perfecta castitate. Non pendet hæc resolutio ab illa quæstione an Ordines militares in quibus non uouetur perfecta, & plena castitas sint proprie religiones. De hoc dictum est supra *quæst. 186. a.4. a. num:12.* Vbi quod antomasticè loquendo non sunt tales nisi secundum quid. Sed etiam hac quæstione relicta, pro comperto habetur non comprehendi à uouentibus, sub nomine religionis, & ideo nisi aliud constet de particulari intentione huius uel illius uouentis dicitur non esse tutum in conscientia eum, qui uouit religionem, si ingrediatur aliquem ex dictis ordinibus militaribus: Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. cap. 2. num. 14,* Sanchez *lib. 4. mar. cap. 16. à num. 11.* Rodriq. *tom. sum. cap. 97. num. 8.* Layman. *lib. 4. tr. 5. cap. 6, num. 2.* Palaus *tract. 16. puncto 3. num. 6.* Bonacin. *disp. 4. quæst. 2. part. 5. §. 6. num. 15.* Martinez de Peado *cap. 31. quæst. 7. num. 8.* Sayrus *lib.6. cap.9. num. 10.* Et apud illos plures alij.

99. Hoc aliqui extendunt etiam ad Clericos talium ordinum militarium in communi viuentium sub disciplina regulari, & ad religionem Clericorum regularium, vt qui vouit non satisfaciat voto religionis talem religionem assumendo. Ita Cordnba in summa *q.:145* apud Suarez, vbi supra, qui merito hoc reijcit, quia substantia religionis est illa, quæ promittitur a tali vouente. In religione vero Clericorum regularium, nedum est substantia religionis, quæ in professione, & obseruantia perfecta trium votorum sub disciplina regulari consistit, sed in quam pluribus eorum monasterijs viget valde exacta obseruantia regularis. Clerici etiam ordinum militarium si in communi viuunt, & disciplinam regularem obseruant profitentes tria vota substantialia religionis, sub nomine religiosorum veniunt. Et ideo, si aliud non constet de expressa intentione vouentis, dicendum est eum qui vouit religionem indefinitè satisfacere voto suo, si alicuius ordinis militaris assumat statum Clericorum in communi sub disciplina regulari viuentium Suarez, Sanchez, Palaus, & Bonacina *num,15.* locis citatis,

100. De ordine vero militum melitensium, seu S. Io. Hierosol. difficultas est. Nam licet sit vera, & propriè dicta religio, nihilominus dicunt aliqui non comprehendi regulariter sub nomine religionis ex intentione vouentium; qui nomine religionis intelligunt eam in qua nedum profitentur tria vota, & obseruatur perfecta castitas, sed ducitur vita aliena à tumultu, & fastu, & conuersatione sæcularium, quod equitibus S. Io. non conuenit, & ideo huius sententiæ sunt Sanchez *num. 11.* Layman *d. c.6. num.2.* Palaus *d. num. 6.* Martinez *d.q.7. num. 11.* Et apud eum à S. Fausto, & Portel. v. Religiosus. Sed alij oppositum sentiunt, & dicunt, quod si uouens non sit moraliter certus se exclusisse ex sua intentione hunc ordinem satisfacit voto religionis, si illum ingrediatur. Quia hic ordo est propriè, & perfectè religio, & status perfectionis, & si rectè seruetur non minus difficilis, quam multi alij ordines, in quibus sine controuersia impletur votum religionis. Et ita hanc partem sustinent Arag. 22. *q.88. a.11.* Azor. *t.2. l.13. c.4. q. 4.* Sayro *tom. 1.* Thesau. *l. 6. cap. 7. num. 10,* Suarez *dicta l.4. c.2. num. 15.* Diana *p. 2. tr.16. & 2.* Miscell. *res. 36.* Et probabile dixerunt Candidus *disp. 14. a. 14.* & Trulenc. apud Martinez. Quia nihilominus huiusmodi equites viuunt inter tumultus, & fastum sæculi, & tanquam sæculares cum alijs conuersantur, ideo verior est prior opinio, quod vouens religionem non satisfaciat voto assumendo crucem militum melitensium.

101. Deducunt uero aliqui DD. ex his dictis, quod uouens religionem non satisfacit uoto, si ingrediatur aliquam ita relaxatam, & deprauatam, ut in ea substantialia non obseruentur, & disci-

disciplina regularis perierit, uiuentibus religiosis ad proprium libitum, unde communiter judicantur esse male conscientiæ, Ita Caietanus supra *q.88. a.* 3. §. Sed quid &c. Sanchez loco citato *n.*17. & apud eam maior Nauar. *cap.*12. *num.*45. Layman. *lib.*4. *tr.* 5. *cap.*6. *num.*5. Bonac. *disp.*4. *q.* 2. *p.*5. § 6. *num.* 3. Et alij apud istos. Quia talis non est religio, ubi quantum ad substantialia non seruatur uita religiosa. Imo peccant, qui talem religionem ingrediuntur, quia se exponunt periculo euidenti male uiuendi, & non obseruandi ea, quæ in professione debent promittere.

102. Hoc tamen limitatur primo, nisi sit spes ut in proximo talis religio reformetur, uel ut ait Lessius *l.*2. *c.*41. *num.* 44. nisi uouens adeo fortem se sentiat, ut prudenter iudicet sibi non esse probabile periculum. Sed hac vltima limitatione considerata satis manifestè colligitur dicendum potius esse, quod vouens religionem satisfaciat voto, si ingrediatur religionem relaxatam, & deformatam etiam in essentialibus, solumque peccare si se exponat probabili periculo peccandi. Et ita puto absolutè dicendum esse; quia non pendet votum ex obseruantia, & obedientia aliorum, qui profitentur religionem, sed ex religione ipsa, si sit status perfectionis, & contineat regulam obligantem ad ea, quæ perfectionis sunt, & in perfectionē dirigentis. Nam non potest negari esse perfectè religiosum, scilicet in statu religionis eum, qui tria vota emittit, & promittit obedientiam secundum regulam à Pontifice approbatam. Et qui talem regulam profitetur verè religionem ingreditur, & religionem approbatam profitetur, quod verò religiosi regulam non obseruent, vel quod ingrediēs intendat non obseruare regulam, non facit, quod si vouet obedientiam secundum regulam non sit verè religiosus, ac propterea non satisfecerit voto religionis. Quis satisfacit aliquis etiam si profitendo religionem, & emittendo verè tria vota, intendat illa nullo modo obseruare. Licet eum talis peccet, quia promittit, & se obligat, & tamen non vult Deo reddere quod promittit, tamen non peccat contra votum ingrediendi religionem, quia assumit verùm statum religiosum, & fit verè religiosus. Neque obstat, si quis dicat, eum qui vouet religionem saltem mediatè, & indirectè uouere obseruantiam religiosam, seu religiosam vitam, nimirum paupertatem, castitatem, & obedientiam secundum regulam, vt docet Caiet. *supra q.* 88. *a.* 3. §. *Duabus autem*, *&c.* sicut enim qui promittit accipere aliquam in vxorem nedum promittit contractum matrimonij, sed quod habebit mulierem tamquam vxorem, ita qui promittit Deo religionem, promittit illi vitam religiosam. Nam dicitur quod hoc est verùm in quantum vita coniugalis continetur in contractu matrimonij, & vita religiosa continetur in professione, ideo vouens sumere aliquam in vxorem, & consequenti vouet se habituram illam in vxorem, & vouens profiteri vouet ex consequenti obedientiam, non tamen ita vt non seruare fidem matrimonialem sit maius peccatum in eo qui contraxit ex voto matrimonij, quam in alio; quia per votum matrimonij per se solum matrimonium promittitur, & fidei matrimonialis obseruantia est finis, & quid consequens ad matrimonium promissum. Cæterum si quis vouens matrimonium, & pœnitens voti cogeretur contrahere, & propterea ille verè contraheret, sed cum intentione male tractandi vxorem, & non seruandi illi fidem, peccaret sine dubio contra sacramentū matrimonij, sed nō contra votū contrahendi matrimonium. Ita qui profiteretur emittens religionis vota cum animo illa violandi, peccaret quidem contra professionem, sed non contra votum professionis, quia validè profitetur, & sic satisfacit voto professionis. Multo magis igitur voto religionis satisfacit, qui religionem ab Ecclesia approbatam intrat cum animo profitendi, & profitetur cum animo seruandi promissa, quidquid sit an peccet ponens se in periculo probabili peccandi, & non seruandi promissa ad exemplum aliorum. Addendum etiam non inueniri huiusmodi Religiones ita relaxatas, quamuis facilius si inueniri aliquod tale Monasterium. Videri possunt dicta *supra a.* 2. *n.* 6.

103. Benè tamen communiter DD. colligunt, quod vouens Religionem arctiorem non satisfacit voto ingrediendo laxiorem, quia minus reddit, quam promiserit: Et nihilominus si in ordine laxiori profiteatur, manet absolutus à voto simplici arctioris ordinis, quia votum solemne vincit votum simplex. Votum enim solemne habet iunctam traditionem, & donationem per quam profitens, & vouens se tradit, & donat religioni in qua profitetur, & ideo cum religio acquirat ius super talem religiosum, ex hoc manet ille liber à voto simplici ingrediendi aliam religionem, vt habetur decisum in *cap. post votum, de regul. in sexto*, & ita prius docuerat D.T. Infra *a.* 8. *ad tertium* quem sequuti fuerunt Caiet. ibi Nauar. *in sum. c.*12. *n.*48. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 1. *conc.* 7. *& q.* 4. *a.* 1. *conc.* 5. D. Antun. *p.* 3. *tit.* 16. c. 2. §. 4. Syluest. *v. votum* 2. *q.* 18. Tabien. *v. religio*, §. 30. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 22. *dub.* 12. Layman. l. 4. tr. 5. *cap.* 6. *n.* 6. Palaus tr. 16. *disp.* 1. *puncto* 3. *n.* 7. Sanchez *l.* 4. *cap.* 16. *n.* 18. Martinez de Prado *cap.* 31. *q.* 7. *n.* 12. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *num.* 3.

104. Habentem tamen votum religionis arctioris non peccare si laxiorem ingrediatur in aliquibus casibus traditur. Primo si religio, quam intrat habeat priuilegium recipiendi etiam adstrictos voto strictioris religionis, qualem de facto dicuntur habere Benedictini ab *Euang.* 4. vt habetur in *Compend. priuileg. v. dispensatio n.* 28. & in *Compend. Societat. v. commutatio n.* 3. Huiusmodi tamen concessionem pro Societate fuisse oraculum viuæ vocis aduertit Martinez de Prado *d. q.* 7. *n.* 13. concessio autem pro Benedectinis fuit per Bullam, quæ habetur in Bullar. Rodriques in Eug. 4. *num.* 11. Consimile priuilegium concessum fuisse Camaldulensibus ex Yepes, & Quintanaduenas aduertit Martinez ubi supra, sed & Sayrus in Claui Regia *l.* 6. *c.* 9. *n.* 14. refert simile priuilegium concessum fuisse ab Eug. 4. Ord. S. August. & à Leone 10. anno 1513. Camaldulen. & à Iulio 2. anno 1507. Congregat. Montis Oliueti. Virtute ergo horum priuilegiorum posse Religionum Prælatos gaudentes priuilegio communicationis dispensare cum habentibus uotum arctioris Religionis, ut in propria eorum Religione ad habitum, & professionem recipi possint, dixerunt Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 22. *q.* 12. Sanchez *l.* 4. *cap.* 16. *n.* 94. Portel. v. Nouitij ab-

solutio

solutio n. 31. Lezana *p.1.cap.18.n.50.& p.4.* v. Nouitiua n. 39. Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 6. n. 8.* Palaus *tract. 16. disp. 1. puncto* 3. *n.* 7. Saytus, & Martynez ubi supra. Aduertunt tamen DD. isti, quod priuilegium Eug. 4. pro Cassinen. fuit limitatum, ita nimirum, ut si contingat nouitium in laxiori receptum non profiteri, sed redire ad seculum, dispensatio concessa minimè ualeat. Et hæc limitatio in alijs quoque priuilegijs, si non fuit expressa, subintelligenda est, quia priuilegium hoc, & dispensatio strictè interpretari debet, ut concessa intuitu professionis, ut emittendæ in laxiori religione: Quod est conforme citatis DD. qui etiam referunt alia priuilegia fuisse similia illi, quod concessit Eug. 4. Cassinen. Et ita tenet Azor. *l.* 11. *c.* 22. *q.* 12. Sanchez *l.4.c.16.n.94.*

105. Secundo si quis uouerit solummodo ingressum in religionem arctiorem, antequam instet tempus ingressus, potest ingredi laxiorem cum animo determinato ibi profitendi, uel ubi non profiteatur cum animo implendi uotum religionis arctioris. Quia professio in religione laxiori est maius bonum, quàm solus ingressus, & experimentum strictioris. Supponit casus, quod nec tempore ingressus, nec in toto tempore nouitiatus instet tempus necessitatis ingrediendi religionem strictiorem: Nam aliàs erit uoti uiolator, si tunc strictiorem non ingrediatur, cum ex uoto ingredi tenetur. Supposito ergo, quod non instet hoc tempus, non uiolat uotum ingrediendo laxiorem, quia nondum instat necessitas ingrediendi strictiorem. Sed nec peccat profitendo in laxiori, quia hæc est commutatio voti in melius, quia melius quidest professio in laxiori; quam strictioris experimentum. Si tamen in strictiori statutum esset, quod in ea non reciperentur illi, qui habitum alterius Ordinis susceperint, non posset, qui vouit illam strictiorem, ingredi laxiorem, quia sic poneret impedimentum voto strictioris. Ita Sanchez *l. 4. c.* 16. *n.* 20. Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 6. nu.* 8. Palaus *tr.* 16. *p.* 3. *n.* 7. Ex quo sequitur, quod non omnis professio in laxiori est peccatum. Nam & textus *in cap. penul. de reg. in 6.* qui videtur contrarius intelligi debet de eo, qui vouit perseuerantiā in strictiori, vt ex Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 1. *n.* 12. *& q.* 4. *a.* 3. *n.* 12. & S. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 8. notat idem Sanchez n. 17. Et sic qui vouit solum ingressum in strictiorem, si ingrediatur laxiorem antequam vrgeat tempus ingressus in strictiorem potest sine peccato profiteri in laxiori. Et in hoc eadem sensu intelligendi sunt Archid. *ad cap. penult. de Reg. in* 6. & ibi Io. Andr. n. 1. Franc. *n.* 1. Dom. *n.* 5. Nauar. *c.* 12. n. 48. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 22. n. 12. qui dixerunt nouitium habentem votum strictioris debere exire, & ingredi in strictiorem. Hoc enim verùm est iuxta prædicta.

106. E contra verò eum, qui vouit religionem laxiorem, satisfacere voto si arctiorem ingrediatur, Tradunt communiter DD. citati, cum de iure cōmuni transitus de religione laxiori ad strictiorem sit licitus etiam post professionem in laxiori, vnde multo magis hoc licet antequam vouens profiteatur in religione laxiori Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *n.* 3. Laymsn. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 5. Hoc tamen limitandum puto, si in religione arctiori hic vouens profiteatur; sed si ab ea recedat ex eo, quod non sit habilis ad illud genus vitæ arctioris, vel illud sibi displiceat, non manet liber à priori voto religionis laxioris, quam promisit, & ad quam est idoneus, vnde illam ingredi debet, & experiri: quia ex quo ex propria libertate agressus est arduа, & defecit, non manet solutus à vinculo obligationis agrediendi faciliora, & suæ debilitati magis proportionata, quod iam facere promiserat.

107. An verò vouens religionem laxiorem possit propria authoritate ingredi æque arctam pendet ex ea *quæst.* An voti materia possit commutari à vouente in aliam æqualis bonitatis? Affirmant Bonac. *d.* §. 6. *n.* 4. post Sanchez *l.* 4. *cap.* 16. *n.* 26. & Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 12. sed nullum posse propria authoritate commutare votum in æquale dictum est *supra q.* 187. *a.* 1. *n.* 711. ideo nec qui vouit determinatam Religionem potest propria authoritate ingredi in æque arctam, vel strictam, sed eam, quam vouit ingredi debet, vt communiter sine limitatione DD. docent. Si quis tamen æque arctam profiteatur, professio tenet, & professus à vinculo voti est liber. Cùm imo professio emissa etiam in laxiori liberet à voto simplici ingrediendi arctiorem. D. T. infra *a.* 8. *ad tertium* Turrecrem. *in cap.* 1. *q.* 4. *n.* 4. 19. *q.* 3. Fagnan. *in cap. sane. n. 67. de Regul.*

108. Addunt quoq; Syluet. *v. votum* 4. *q.* 7. *dicta* 3. Palud. & D. Anton. *locis citatis* Sanchez *l.* 4. *c.* 16 *n.* 18. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 3. *n.* 7. Palqu. ad Laur. de Francb. *p.* 1. *n.* 754. Martinez de Prado *d. q.* 7. n. 14. & apud eum Trullench. & Hier. Garz. quod qui vouit ingressum in arctiorem potest votum hoc commutare in votum perseuerandi in laxiori, quia hoc votum sit perfectius, & contineat prius votum, & illi addat, quia plus valdè est aliquem teneri profiteri Religionem, quam teneri tantum illam ingredi. Aduertunt etiam Gandidus *disp.* 14. *a.* 14. *dub.* 3. *concl.* 4. & Martinez *d.* §. 6. *n.* 15. Layman. *d. l.* 6. *n.* 2. quod dispensatus à Papa, vt ingredi possit laxiorem, non per hoc potest ingredi in non claustralem, vt v. g. in aliquem Ordinem militarem. Quod esse confirmatum ex stylo pœnitentiariæ, & declaratione Dominorum Cardinalium ex Hieron. Garzia *tract.* 2. *difficul.* 2. *dub.* 7. refert idem Martinez.

109. In dubio autē, an homine uouerit ingressū in religionem perfectiorē, an uerò in religionē in cōmuni, respondendum est iuxta dicta *supra n.* 81.

110. Martinez etiam ubi *supra num.* 16. arbitratur in istis uotis non debere attendi solum ad perfectionem Religionis, quæ habetur ex fine, sed etiam maximè ad uitæ austeritatem. Quod probat, quia licet Episcoporum status sit perfectior, non tamen sine licentia Papæ potest quis commutare uotum Religionis in assumptionem Episcopatus, quia hic status non est asperior. Imo Episcopus tenetur Episcopatum resignare, ut satisfaciat uoto Religionis. Sed si Episcopatus esset status ex proprio iudicio, & auctoritate assumptibilis, non esset tam facilè probare, quod uotum Religionis non posset commutari propria auctoritate in statum Episcopalem. Verùm quia præsens quæstio nō potest plenè resolui, donec uideatur quomodo sumitur uox arctior, dum dicitur, quod potest de laxiori transiri ad arctiorem; remittitur ad dicenda circa *artic.* 8. præsentis *quæst.*

vbi ex professo tractabitur de transitu ab vna ad aliam Religionem.

111. Vltimo autem circa hanc partem dubium esse potest, an vouens religionem indefinitè, ex vi voti teneatur ad quamcumq; religionem indefinitè, ita vt si non recipiatur in laxioribus minus suauibus teneatur ingredi arctissimas, vt v.g. religionem Carthusianorum, vel Capuccinorum. Et benè respondent Richard. 4. *d.* 38. *a.*5. *q.*1. *ad* 2. Syluest. *v. Religio* 2.*q.*16. Armilla *v. votum n.*18. Angelus *v. votum* 3. *n.*10. Sanchez *l.*4. Mor. *c.*16. *n.*49. Layman. *l.* 4. *tr.*5. *cap.*6. *n.*1. Palaua *tr.*16.*d.*1.*p.*3. *n.* 6. non teneri, quia ad has requiritur specialior Dei vocatio, & non veniunt sub communi intentione religionis, & apprehensione vouentium, nisi ex vouentis fine, deuotione, zelo ardenti, circumstantijs, & alijs coniecturis colligatur vouentem votum suum ad illas extendisse.

112. Habemus igitur, quod sub voto religionis indefinitè praescindendo à speciali, & expressa particulariori intentione vouentis non comprehenduntur neque ordines militares, nec religiones relaxatae substantialiter, neque religiones arctissimae; non quidem primos, quia nec satisfacit voto religionis, qui illos ingreditur, nec tenetur in illos ingredi, si ab aliqua alia religione non recipitur. Nec postea in religiones, aut relaxatas substantialiter, aut arctissimas, & asperimas; non quidem quia non satisfaciat voto religionis, qui in aliqua illarum admittitur, quia vt probatum est voto religionis satisfacit, etiam ingrediens religionem relaxatam, & qui perfectiores religiones assumit plus reddit, quam promisit. Sed quia qui non admittitur in aliqua aliarum religionum, non tenetur ingredi in istas. Quia ad arctissimas vouens religionem indefinitè non se obligauit; relaxatas verò non potest ingredi sine morali, & probabili peccato malè viuendi, & vel inquietudinis, & molestiae magnae, si benè viuere velit inter malè viuentes. Quamuis cessante periculo peccandi, & inquietudine tam graui ad quam prudenter censeri possit vouentem noluisse se obligare, si vouens in religione alia non recipiatur tenebitur ingredi relaxatam.

SVMMARIVM.

113. His suppositis intrat secunda consideratio; quid scilicet teneatur facere vouens ad hoc, vt dicatur facere, quod in se est, vt recipiatur in aliqua religione? Quantum autem ad hanc partem, vt supra etiam dicebatur de vouente religionem determinatam, certum est primo non sufficere si vouens pulset solum ad ostium aliquarum religionum. Secundo neque necesse esse, vt discurrat per mundum totum, sed sufficere si iuxta explicata supra intra prouinciam, & nationem, aut respectiuè intra patriam, aut finitima loca, quaerat religionem, quae illum recipiat. Tertio neque necesse esse, vt petat ingressum ab omnibus religionibus. Quarto tantas, & tot portas pulsare debere, donec non remaneat moralis spes, vt in aliqua religione admittatur. Spe enim durante durare debet inquisitio, & diligentia, & labor intra terminum tamen discretionis; quia ad nimiam, & valdè difficilem, & laboriosam inquisitionem, & solicitudinem non censetur vouens se voluisse obligare. Tamen si potest aliquam ingredi, ad id tenetur, & potest cogi ab Ecclesia, vt id faciat. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Porrectum num.* 5. *de Regul.*

114. Ideo satis communiter DD. asserunt regulariter loquendo, necesse esse, & sufficere, si vouens religionem adeat quinq; vel sex diuersas religiones; & si ab omnibus repulsam patiatur censeri vouentem fecisse, quod in se est, illumque à voti obligatione esse liberum. Ita Valentia 2.2.*d.* 6. *q.* 6. *p.* 4. Petrus de Ledesma *t.* 2. *trac.* 10. *c.* 5. *d.* 5. Azor. *t.* 1. *l.* 11. *c.* 22. *q.* 2. Sanchez *l.* 4. Mor. *cap.* 16. *n.* 47. vbi bene aduertit hoc esse verùm ita tamen, vt sicut qui vouit ingredi Religionem determinatam tenetur adire plura eius Monasteria, ita qui vouit religionem indefinitè plura Monasteria, vt v. g. quinque, vel sex cuiuscumque Religionis ex illis quas adhibit, quamuis verè non possit omninò dari certa regula, vt ex Arag. & Rodriquez aduertit Sanchez, & dixerat Suarez *num.*7. sed prudentiae remitti debeat mensura sufficientiae huius inquisitionis, & attendi debeat praecipuè causa reiectionis instantiae, & petitionis. Si enim ea est communis omnibus religionibus, & rationabilis, iam reiectus à quinque, vel sex Religionibus, imo à tribus, vel quatuor, imo forsan ab vna iuxta dicta *supra num.* 93. potest dici virtualiter reiectus ab omnibus, quia pro omnibus eadem causa militat, sed si causa ob quam petens non auditur est particularis, certè ex eo, quòd petens non auditur ab vna Religione, vel multis, non potest colligi, quod non audiatur ab alijs, in quibus illa ratio nō militat. Vnde semper seruanda est regula data, vt tantum duret inquisitio, quantū remanet spes moralis obtinendi ingressum, & solum excipitur talis nimietas suspensionis, sollicitudinis, & longè, & molestè inquisitionis, ad quam prudenter censeri debeat vouentem noluisse se obligare.

115. Caeterum peracta sufficienti diligentia iuxta praedicta vouens religionem manet liber à voto, si tamen fuit absolutè exclusus, & non ad tēpus. Quod verò dicunt Azor. *supra q.*4. & 5. & alij relati à Sanchez *n.*52. quod passus repulsam à Generali, vel Prouinciali non censetur absolutè exclusus, sed tenetur adire superiores locales, primo non potest habere locum, nisi vbi Praelati locales

eum

cum suis Conuentibus possint recipere ad habitum sine licentia Generalis,& Prouincialis. Et adhuc in hoc casu, quia non decet,vt Conuentus recipiat exclusum à Generali, vel Prouinciali. vnde talis meritò est excludendus à Conuentu, qui tenetur in rationabilibus se conformare voluntati superioris, exclusus à superiori non tenetur recurrere ad inferiores; quia non tenetur illos decipere retinendo se exclusum à superiori, hoc verò manifestare est ponere impedimentum suæ receptioni, & sollicitare Conuentum ad id, quod honestè non potest concedere, quia saltem debito honestatis tenetur non recipere exclusum à suo Superiori. Et ideo exclusus absolutè à Generali, vel Prouinciali cēsetur absolutè exclusus, vel à tota Religione, vel à Prouincia respectiuè, nisi sit spes, quod si recipiatur a Conuentu Prouincialis, vel Generalis consentiant, & totum honestè compleatur. Sicut & exclusus absolutè à Prælato locali censendus est exclusus à Capitulo Monasterij, quod non potest admittere ad habitum inuito Prælato.

116. Quod etiam dicūt Sāchez *n.71.*& Layman. *n.4.* scilicet totaliter exclusum post sufficientem diligentiam, & instantiam, teneri ingredi religionem, si postea ab aliqua inuitetur, vel voluerit acceptare, benè reijcitur à Castro Palao *tr. 16. d. 1. p.3. n.4.* & alijs, vt etiam dictum est supra *n.87.* quia ex quo vouens semel fecit, quod in se est, & non fuit receptus, liberatus fuit a voto, vt in simili casu dictum est supra cum Suarez. Nec intentio vouentium est manere in æternum suspensos, nec verùm est, quod votum conditionatum conditione pendente ex alterius voluntate, obliget quandocumque ponatur conditio, nisi vouens ad hoc etiam specialiter se obliget, sed debet poni, quando vouens illam requirit, quia absolutè non se obligat ad amplius. Ideo etiam si quis vouit religionē in genere, si admissus in vna simplici postea eijcitur est liber à voto, nec tenetur adire aliam, nisi ex speciali intentione aliud promiserit. Bonac. *disp.4.q.2. p.5. §. 6. n. 24.* Ideo nec admittitur limitatio Castro Palai dicentis vouentem exclusum, tunc teneri ingredi consentiente postea religione, quando fuit exclusus ex falsis informationibus, & subdens *n. 12.* quod repulsa illegitima excusat, sed non absoluit à voto, sicut nec liberat error impedimēti. Quia non absoluitur vouens religionem ab huius voti obligatione, quia iustè, vel iniustè, seu prudenter, vel imprudenter exclusus, sed quia exclusus non ex defectu debitæ instantiæ, & diligentiæ; vnde cùm vouens semel bona fide, & sine dolo ex parte sui fecit, quod in se est, ad nihil aliud tenetur, quia nec ad aliquid aliud voluit se obligare. Cuius signum ex hoc habetur, quod sic exclusus, nec prudenter iam iudicans sibi adesse spem probabilem, vt recipiatur, potest statim inire matrimonium sine aliqua culpa, quod est signum, quod est iam liber à voto; vndecumque, & quacumque ea causa fuerit exclusus. Et est eadem ratio de repulsa, & de impedimento; cōditio enim sub qua votum non obligat, sed est extinctum, non est impedimentum opinatum, sed impedimentum verè existens. Potest quidem prudens opinio impedimenti suspendere votum, sed veritate detecta, & cognito impedimentorum non existere, votum obligat. Sicneque conditio sub qua votum cesset non est repulsa prudens, vel imprudens, siue ex vera cognitione, vel ea falsa, sed repulsa quæ verè sit talis. quod si repulsa sit opinata, & ex errore talis iudicata, cessante errore, votum obligat. Sed vbi repulsa est vera, vndecumque illa venerit vouens voto satisfacit, & repulsus finaliter, & non in opinione, sed in veritate est liber à voto iuxta tamen supra explicata: quia qui vouit religionem indistinctè repulsus ab vna religione, vel Conuentu tenetur adire alium.

117. Sed quæstio vlterius restat, ut magis in particulari uideatur, quando nouens religionem absolute exclusus censeri debeat. In quo duplex difficultas se se offert. Prima est an ille, qui est exclusus ea causa, quæ cadit sub industria petentis, vt illam remouere possit, si non statim saltem post tempus, & adhibita diligentia teneatur suam inhabilitatem tollere; vt v.g. si quis excluditur, quia non callet sufficienter linguam latinam, vel nullam habet artem, vnde religioni sit vtilis, vel quodcumque aliud impedimentum habeat per diligentiam propriam amouibile, an censeatur absolute exclusus, qui ob simile impedimentum excluditur, vel potius teneatur talis addiscere gramaticam, vel artem oportunam, vel adhibere diligentiam, vt fiat idoneus. Respondent enim quidam non teneri, nisi suum defectum sciens religionem vouerit, vel dum vouit adeo affectus erat religioni, vt illam vouisset etiam si de tali impedimento tunc considerasset. Quia in priori casu facta est notabilis mutatio materiæ voti, nec ipse habuit intentionem se obligandi ad medium ita difficile, & extraordinarium. Sed iuxta dicta supra *n.16.* respondetur cum Soto *l.7.de iust.q.2. a. 1.* ad tertium, & Suarez dicto *l.4.c.2.num.11.* Et alijs ibi citatis distinguendo: nam, vel medium necessarium ad obtinendum consensum est facile, & ordinarium, vel est arduum, & extraordinarium. In primo casu tenetur, qui vouit illud medium adhibere, & se per illud idoneum reddere; quia qui tenetur ad finem tenetur ad media necessaria. At vero si medium est arduum, & extraordinarium sicut esset in sene, & viro perfecto addiscere gramaticam, adhuc distinctione est opus, nam vel vouens voluit se ad huiusmodi medium obligare, & ita ad id tenetur, vel non voluit, & tunc non tenetur. Quod vero non intenderit se obligare ad medium extraordinarium colligi potest, si ille qui vouit necessitatem illius ignorauit, nec de eo considerauit, & sic putauit se posse recipi sine illo medio. Sicut è contra si sciuit medij illius necessitatem, signum est voluisse se ad illud obligare; quamuis neque hoc signum sit infallibile, quia potuit esse, quod crederet se precibus, vel fauoribus posse superare difficultatem, & defectum talis requisiti, & ideo sub hac spe vouerit religionem. Diligenter igitur considerandum, si vel expressè vel tacitè, & virtualiter vouens voluit se obligare ad media extraordinaria, & hoc constito obligandus est ad illa adhibenda, vel vt sit contentus vt in inferiori gradu recipiatur, vt v.g. si non possit recipi, vt Clericus, recipiatur vt conuersus, vel Laicus.

118. Sed quid dicendum, si medium illud non esset per se necessarium, quia v.g. Conuersus licet nullam artem calleat potest tamen esse vtilis monasterio in pluribus exercitijs, neque est lex vt non possit

possit conuersus recipi nisi artem aliquam possideat, & tamen ob hanc causam reijcitur? Qui casus multiplici modo accidere potest, & contingere, quod excludatur petens, quia non habet aliquod requisitum per se non necessarium sed tale, quod si petens illud haberet, non excluderetur. Suarez dicto *cap.2.* in fine putat vouentem non posse in hoc casu cogi ad illud medium adhibendum, quia illud non est necessarium nec simpliciter, nec in tali persona, sed Soto absolute loquitur, & à distinctione data non discedit. Nam si medium sit facile, obligatus ad finem debet adhibere media facilia, licet alias per se non necessaria, si sunt de facto necessaria. Et vbi ad voti executionem requiritur alterius consensus, & voluntas, si debens consentire rationabilia petat, tenetur, qui vouit, illa præstare, vt consensum obtineat. Si autem medium requisitum sit difficile, & extraordinarium, ad illud non est, qui vouit, obligandus, nisi de eius intentione speciali constiterit.

119. Altera difficultas est. An censeatur exclusus absolute, cui negatur habitus Clericalis, & conceditur habitus conuersorum. Respondetur vero ex Soto loco citato, & Suarez *num.* 32. Sanchez *num.* 55. 56. Les. *l.2. cap.41. num.45. Reg. nu.* 381. Portel. *v. votum num.* 40. & alijs, quod vel iste vouit religionem indefinite, ita vt nec expressè nec tacite, & virtualiter determinauit intentionem suam ad gradum Clericalem, quippe ad vtrumque statum est idoneus, Et sic sine dubio tenetur acceptare locum in religione, qui sibi offertur; nisi in alia religione obtineat Clericatum, Quoniam tenetur facere, quod potest, vt impleat votum aliquo modo possibili, vnde si non potest esse Clericus, debet contentus esse, vt recipiatur ad habitum conuersorum, vel Laycorum. Vel expressè aut saltem tacitè, & virtualiter vouit determinatè religionem Clericorum, aut è contra religionem conuersorum. Censebitur autem vouisse determinate religionem Clericorum, si vouens sit vir nobilis, non assuetus labori, temperamento delicatus, nobilis, & vir doctus, & tandem talis conditionis ex qua regulariter non assumuntur ad statum conuersorum, sed solum ad statum Clericorum. Licet vero in foro conscientiæ res veritate facti non præsumptionibus iudicentur, tamen vbi de expressa intentione vouentis non constat ex verbis, quibus vel extra vel intus expressit votum, & coniecturis mens vouentis est inquirenda, & iudicandum de votis secundum ea, quæ communiter accidunt, viri autem nobiles, & docti religionem vouentes regulariter intendunt vouere religionem Clericorum, Et ita si non possint recipi tanquam Clerici, ad aliud non tenentur, quia nullus tenetur nisi ad id, quod promisit, vnde nec cogi possunt ex vi voti ad hoc, vt fiant Conuersi. Nisi in casu supraposito in quo petens habitum Clericorum, & non existens idoneus, & alias manens obligatus ad addiscendam v.g. gramaticam, vellet hunc laborem vitare, & contentus esset acceptari ad habitum Conuersorum.

120. Ille autem censebitur vouisse habitum Conuersorum, qui est uir conditionis seruilis, addictus labori, & assuetus, incapax addiscendi. Quidam dicunt etiam hoc censendum de illo, qui non est idoneus ad Clericatum, quia est ignorans linguam latinam, & scit tales non recipi ad Clericatum, & nihilominus nouet religionem, quia iste simul scit eum non posse recipi ad Clericatum, cum non sit idoneus. Sed hoc signum deficit, quia potest esse, quod simul credat obtinere habitum tali defectu non obstante, uel cum hoc, quod intra religionem addiscat, uel quia assumatur ad habitum Clericalem, non ad clericalem statum, & ideo hæc non idoneitas in uiro nobili, & non seruili, nec laboribus assueto non est sufficiens signum, quod talis ignorans, sed uouens religionem non intendat determinate habitum Clericorum, & ideo si talis inueniatur poterit quidem iuxta dicta *num.* 117. cogi ad hoc ut addiscat, & fiat habilis ad ordinem Clericorum, non tamen poterit cogi ad ordinem Conuersorum, nisi indefinite uouerit ingressum religionis, uel ille ne diutius expectet acceptet habitum Conuersorum. Cæterum, qui determinatè uouit habitum Conuersorum, si sit idoneus ad habitum Clericorum, & non acceptetur, ut Conuersus, non potest cogi ut fiat Clericus, quia id non promisit. Et quod dicunt aliqui, quia nimirum si ex causa humilitatis elegit, habitum Laicalem, quod si non possit recipi ad illum, & acceptetur ad habitum Clericalem, tenetur acceptare conditionem, potest admitti tanquam uerum ex eo, quod determinatio ad habitum Laicalem, quæ est ex humilitate potius erit conditionata, quam absoluta; Nam & humilitas est subdi Deo, & superioribus in ijs, quæ contingunt & ita, qui ex humilitate uouet habitum Laicalem, habet conditionem implicitam, nisi aliter disposuerint superiores quibus humilitas se subijcit. Cæterum si quis ex humilitate uouisset omnino absolute habitum Laicalem tantum; non posset cogi ad habitum Clericalem ex ui uoti, quia sic uouens hoc non promisit, unde neque ad hoc tenetur.

121. Ex his colligit Sanchez *nu.* 59. quod spurius nescius se in religione non posse admitti ad dignitates & officia Constitut. Sixti Quinti nisi dispensetur ex, & alias existens idoneus uel bonæ indolis, & spei acquirendi in religione condignitatem ad huiusmodi, si uoueat religionem huiusmodi impedimentum nesciens, si fiat postea conscius illius non teneri ingredi, cum excusetur ea ignorantia notabilis difficultatis, ipsique nimis morosum sit semper carere dignitatibus. Verum cum apud Prælatos ordinis sit facultas dispensandi in hoc impedimento, & supposita idoneitate, & merito non sit adeo difficilis dispensatio, non ita de facili excusandus est spurius uouens religionem à religionis ingressu ex hac causa, quia tale impedimentum faciliter dispensabile non mutat notabiliter materiam uoti. Et semper est uerum, quod intentio uouentis consideranda est, & potest esse, quod spurius bene conscius sui defectus, saltem in concursu sciat se non esse æqualis conditionis cum legitimis, etiam ex iure Ecclesiastico, & nihilominus eligat absolute religionem, in nihilo obstante, quod inæqualiter sit accipiendus, & paratus subire propter Deum, quidquid iuxa leges statutum est pro ijs, qui suæ sunt conditionis, & hæc absoluta uoluntas in eo præsumi debet, quia sciens se spurium, & inæqualem legitimis, & sincero corde uouens Religionem, simul se offert omnibus, quæ in religione de spurijs determinantur, quia reli-

religionem promittens ex corde obseruationa eius non refutat. Nam nec est rationabile, quod qui vouet religionem nolit eius obseruantias saltem experiri. Et ideo difficile est, quod intuitu difficultatis alicuius obseruantiæ incognitæ tempore uoti, uouens excusetur ab ingressu in religionem, licet possit excusari à professione, quia qui uouet religionem promittit ingressum ad experimentum sumendum an possit, & sibi congrum sit obseruantia regulæ religionis, debet ergo ingredi, & experiri.

122. Tandem si contingat, ut aliquis uoueat religionem determinatam ueluti principaliter, sed simul uoueat religionem uagè, hic tenetur prius ingredi, si potest, illam religionem determinatam, seu facere, quod in se est, ut in illa recipiatur, quod si non audiatur, tunc debet aliarum religionum superiores adire, ut in aliqua admittatur. Hoc enim uotum uirtualiter est duplex, seu est uotum religionis uagè sub conditione, quod non admittatur in determinata religione, quam expresse elegit, ideo debet prius facere, quod in se est, ut in illa determinata admittatur. Ita Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. §. Sacrum argumentum* Sayrus *l. 6. cap. 9. nu. 8.* Reginal. supra citatus, & alij. Quod tamen limitatur in casu, quod uouens uellit ingredi religionē perfectiorem ea, quam determinatè uouerat, qui enim imperfectiorem religionem uouit, implet uotum, si perfectiorem ingrediatur.

SVMMARIVM.

1 *Responsio ad Tertium D.T.*

123. IN responsione ad tertium ostendit D. T. qualiter uotum religionis sit melius, quam uotum peregrinationis terræ Sanctæ, & occasione accepta excellentiam professionis religiosæ explicat, & probat. Sed quia de professione infra agendum est, pro nunc quantum ad hanc partem nihil occurrit explicandum Quoniam uero D.T. docet, quod uouens peregrinationem terræ sanctæ potest commutare hoc uotum in uotum religionis, simul ex hoc infert uotum religionis perpetuum non posse in aliud uotum à uouente commutari. Quomodo autem solius summi Pontificis sit dispensare, aut commutare uotum Religionis, dictum est supra *q. 187, a. 1. Inspectione* 4. Obligatio etiam uoti Religionis potest cessare illis modis, quibus aliorum uotorum obligatio extinguitur. Et pertinet hæc inspectio ad *quæst.* 88. huius secundæ Partis D.T.



QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS V.

Vtrum ille, qui vouet Religionem ingredi, teneatur perpetuo in Religione permanere?



AD quartum sic proceditur. Videtur, quod ille qui vouet religionem igredi, teneatur perpetuo in religione permanere. Melius est enim religionem non ingredi, quam post ingressum exire: secundum illud 2. Pet. 2. Melius erat illis veritatem non cognoscere, quam post agnitam retroire. Et Luc. 9. dicitur, Nemo mittentes manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. Sed ille qui voto se obligauit ad religionis ingressum, tenetur ingredi, vt dictum est. Ergo etiam tenetur perpe- art. præc. *tuo permanere.*

2. *Præterea, Quilibet debet vitare id, ex quo scandalum sequitur, & alijs datur malum exemplum. Sed ex hoc quod aliquis post religionis ingressum egreditur, & ad seculum redit, malum exemplum, & scandalum alijs generatur, qui retrahuntur ab ingressu, & prouocantur ad exitum. Ergo videtur, quod ille qui ingreditur religionem, vt votum impleat, quod prius fecit, teneatur ibi perpetuo remanere.*

3. *Præterea, Votum religionis reputatur votum perpetuum: & ideo temporalibus votis præfertur, vt dictum est. Hoc autem non esset, si ali-* art. præc. *quis voto religionis emisso ingredere-* ad 3 & q. 88. ar. 12. ad 1. *tur cum proposito exeundi. Videtur ergo, quod ille, qui vouet religionis ingressum, teneatur in religione etiam perpetuo manere.*

SED contra est, quod votum professionis, propter hoc quod obligat hominem ad hoc, quod perpetuo in religione remaneat, præexigit annum probationis: qui non præexigitur ad votum simplex, quo aliquis se obligat ad religionis ingressum. Ergo videtur, quod ille qui vouet religionem

intrare, propter hoc non teneatur perpetuo ibi remanere.

RESPONDEO *dicendum, quod obligatio voti ex voluntate procedit. Nam vouere voluntatis est, vt Augustinus dicit. In tantum ergo fertur obligatio voti, in quantum se extendit voluntas, & intentio vouentis. Si ergo vouens intendit se obligare non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si vero in vouendo simpliciter de ingressu religionis cogitauit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus vel de perpetuitate remanendi: videtur obligari ad ingressum religionis secundum formam iuris communis; quæ est vt ingredientibus detur annus probationis: vnde non tenetur perpetuo in religione permanere.*

decr. l. 3. t. 34 de voto, & voti redemptione, cap. Magna, & c. Licet, habetur in sententia.

decret. lib. 3 tit. 8. c. 24.

Ad primum ergo dicendum, quod melius est intrare religionem animo probandi, quam penitus non intrare: quia per hoc disponitur ad perpetuo remanendum. Nec tamen intelligitur aliquis retroire, vel respicere, nisi quando prætermittit id, ad quod se obligauit. Alioquin quicunque per aliquod tempus facit aliquod bonum opus, si non semper id faciat, esset ineptus regno Dei: quod patet esse falsum.

Ad secundum dicendum, quod ille qui religionem ingreditur, si exeat, præsertim ex aliqua rationabili causa, non generat scandalum, nec dat malum exemplum. Et si alius scandalizetur, erit scandalum passiuum ex eius parte, non autem actiuum ex parte exeuntis: quia fecit, quod licitum erat ei facere, & quod expediebat ei propter rationabilem causam, puta infirmitatem, aut debilitatem, aut aliquid huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod ille qui intrat vt statim exeat, non videtur satisfacere voto suo: quia ipse in vouendo hoc non intendit. Et ideo tenetur mutare propositum, vt saltem velit experiri, an ei expediat in religione manere. Non autem tenetur ad perpetuo remanendum.

SVMMARIVM.

1 *Coincidunt vouere fieri religiosum, & esse religiosum. nu. 1.*
2 *Resolutio articuli. nu. 2.*
3 *Tenetur perseuerare, qui id vouit. nu. 3.*
4 *Votum perseuerandi non magis obligare quam votum ingrediendi aliqui dicunt. nu. 4.*
5 *Alij distinguunt. nu. 5.*
6 *Votum perseuerandi magis obligat, quam simplex votum religionis. nu. 6.*
7 *Concilium Tridentinum nihil disposuit de voto perseuerandi. nu. 6.*
8 *Ex voto perseuerandi nullum imminet periculum. num. 7.*
9 *Necessitas voti non est contra libertatem. numer. 7.*
10 *Qui vouit perseuerantiam habet, quod probet in anno nouitiatus. nu. 7.*
11 *Quicumque vouit perseuerantiam intendit perseuerare. nu. 8.*
12 *Nulla est lex quæ prohibeat votum perseuerandi. num. 8.*
13 *Dispensatio subreptitia, si qui vouit perseuerantiam, hoc non exprimat. nu. 9.*
14 *Qui vouit perseuerantiam, quando possit exire. num. 10.*
15 *Duæ Regulæ ad cognoscendum quando cessat obligatio voti. num. 10.*
16 *In voto disiunctiuo ingressus potest exire, & alteram partem amplecti. nu. 11.*
17 *Aliud propositum, aliud votum perseuerandi, & illud non obligat. nu. 12.*
18 *In dubio voti perseuerantiæ vouens manet liber. num. 13.*
19 *Quid facere debeat, qui exit à Religione. numer. 14.*
20 *Electus post professionem ad alias religiones non tenetur. 15*

Vtrum ille, qui vouit Religionem ingredi teneatur perpetuo in Religione permanere.

1. Circa titulum Articuli dubium mouet Caiet. an sit idem Religionem ingredi & fieri religiosum, vel esse religiosum, ideoque hæc vota æquivaleant voueo fieri Religiosum, voueo me esse Religiosum, & voueo ingredi Religionem. Respondet vero hæc duo vota æquiualere, scilicet voueo fieri Religiosum, & voueo ingredi Religionem, quia ingredi Religionem est quoddam fieri Religiosum. Sed quia non est Religiosus simpliciter nisi professus, ideo in voto essendi Religiosum intelligitur promissa professio, & perseuerantia in Religione. Suarez vero *lib. 4. cap. 3. num. 12.* Azor. *lib. 11. cap. 22. q.* 8. Sanchez *lib. 4. mor. cap. 16. num.* 83. Emanual sà, *v. votum num. 13.* Et alij tenent huiusmodi vota æquiualere, quia licet esse Religiosum simpliciter sit proprium professorum, nihilominus vt habetur ex D.T. in

textu

textu, hoc & alia similia voto intelliguntur facta iuxta formam iuris communis, & ideo nisi aliud ex speciali intentione vouentis constet, si quis solum dicat, voueo esse religiosum, hoc intelligitur tanquam continens iuris conditionem, scilicet si post annum probationis talis esse voluero. Vnde in hac parte vota illa æquiualent, & per omnia illa promittitur professio in intentione, quia promittitur ingressus in ordine ad professionem, & per nullum promittitur professio simpliciter, sed secundum formam iuris communis, vt præcedat annus probationis post quem liberum sit manere vel redire.

2. Resolutio articuli est teneri ad permanendum, qui se ad hoc obligauit, non vero qui se obligauit solum ad ingressum bona fide, & noluit se obligare ad perseuerantiam, vel de ea nihil cogitauit. Quia in voto tantum se vouens obligat quantum intendit se obligare, & vouens Religionem absolute eam vouet secundum formam iuris communis concedentis annum probationis.

3. Prima textus conclusio affirmat eum teneri perseuerare, qui se voto obligauit ad perseuerandum. Hæc autem conclusio prius sine difficultate admissa, modo satis controuertitur, maximè post Concilium Tridentinum, quod determinauit annum probationis adeo rigorosè, vt non possit huic iuri de communi consensu partium renunciari, vt supra satis probatum fuit, Et ergo dubium.

Vtrū votū perseuerādi in Religione magis obliget ad perseuerandum, quam faciat votum ingrediendi Religionem.

INSPECTIO I.

4. Non enim magis obligare tenent Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad tertium* Aragon. 2. 2. *q. 88. a. 3. circa respons. ad secundum* Petrus de Ledesma *p. 2. t. 10. c. 3. d. 7. casu* 4. Io. à S. Th. *supra q. 88. disp. 29. a. 31.* Gallego, Reginal. Villalobos, à S. Fausto apud Martinez de Prado loco citando. Et potissima horum ratio est, quia votum huiusmodi vt sit licitum, & teneat, debet intelligi emissum iuxta formam iuris, hæc verò est, vt professionem præcedat annus probationis cum libertate profitendi, vel recedendi à Religione. Nunc igitur etiam si quis voueat perseuerantiam in religione, hoc non potest intelligi, vt qui vouet, non sit liber ad permanendum completo anno probationis, sed vt non possit exire sine iusta causa, ad quod tenetur etiam ille qui vouit religionis ingressum. Nec valet dicere, quod Concilium Tridentinum integrum annum probationis ante professionem requirens indispensabiliter, & ita vt professio aliter facta sit nulla, solum intendat nouam probationem, & nolit eam prius fieri, non verò excludat quin nouitius possit se obligare ad emittēdam professionem completo probationis anno. Quia si attentè inspiciatur finis Concilij apparebit per illud excludi omnem similem obligationem. Quia finis Concilij est excludere à profitente periculum inconstantiæ, & apostasiæ, vel vitæ perpetuo iniucundæ, vel infructuosæ, & propterea voluit professionem terminato anno probationis fieri cum plena libertate; voluit igitur excludere omnem obligationem, & necessitatem manendi, & ex consequenti prohibuit, ne quis voto se obligaret ad permanendum. Quod amplius secundo probatur. Nam stante Concilio nullum esset pactum initum ab initio Nouitiatus inter Nouitium, & Religionem, per quod vtraque pars se obligaret ita ut expleto probationis anno nec nouitius posset exire, nec religio eum expellere; quia Concilium vult, vt terminato anno probationis, nouitius non sit necessitatus ad manendum, nec religio ad eum retinendum. Eadem propterea ratione non potest nouitius se obligare ad perseuerandum taliter, quin possit ex quacumque iusta causa exire. Tertio quia aliter annus probationis non esset annus probationis; quia vt habetur ex Caiet. in hoc *artic. de ratione probationis est libertas*, seu ordo libertatis respectu rei probatæ, vt si inueniatur ingrata possit relinqui; cæterum quæ nam probatio est, si post experimentum adhuc qui expertus est religionem sibi non gratam, tenetur illam assumere, & ad illam se obligare? Concilium igitur quod statuit annum probationis, cui vt Congregatio Cardinalium declarauit non potest renunciari, simul statuit vt liberum sit nouitio, si religionem sibi non gratam experiatur, ab ea discedere.

5. Alij autem distinguunt, & dicunt, quod si quis vouit perseuerantiam absolutè, hoc votum non magis obligat ad perseuerandum, quam votum ingrediendi religionem. Sed si quis vouit perseuerantiam cum speciali, & expressa intentione perseuerandi, tenetur ad perseuerandum. Ratio primi asserti est, quia intentio Canonum, & Concilij est, vt professio fiat cum plena libertate post perfectam experientiam religiosi status; igitur quando votum potest commodè explicari, vt sit factum secundum formam huius iuris debet ita explicari; quando igitur aliundè non constat de expressa, & speciali intentione vouentis volentis se obligare ad perseuerandum, votum interpretari debet, vt ob non tollat libertatem exeundi ex quacumque iusta causa. Ratio verò secundo asserti est, quia votum obligat ex intentione vouentis, qui si vouit, & intendit se obligare ad perseuerandum, tenetur perseuerare. Et ita hanc partem tenet Suarez *tom. 3. de Relig. l. 4. c. 4. n. 8.* quem sequitur Palaus *trac. 16. d. 2. p. 4. n. 9.*

6. Ex his nihilominus non est recedendum ab antiqua, & communi sententia, quæ docet illum qui vouit perseuerantiam teneri ad perseuerandū absolutè, & ideo manere obligatum ad perseuerandum multo magis, quam ille, qui solum vouit fieri religiosum. Hæc verò sententia non indiget probatione, quia regula communis est, votum obligare secundum intentionem vouentis, qui verò vouet perseuerantiam, intendit se obligare ad perseuerandum, vnde simpliciter tenetur perseuerare. Solum opus est ostendere quomodo Concilium Tridentinum nihil noui statuerit in hac parte. Nam alias secundum ius antiquum cum de consensu partium posset ommitti annus probationis,

& pa-

& patet ex *cap. Statuimus, & cap. Consultis, & cap. Ad Apostolicam*, de regularibus, certum est secundum illud ius vouentem religionem potuisse obligare se ad perseuerandum. Verùm quod Concilium Tridentinum nihil innouauerit pro hac parte habetur decisum à S. Cong. Concilij, prout ex Manaillo, & Fariuacio refert Suarez *dicto cap. 3. n. 7.* & mihi satis constat ex codice manuscripto decretorum S. Cong. Concil. quod est in Archiuio Proc. Generalis mei Ordinis, cuius tenor est iste. *An verò, qui vouit ingredi religionem, & in ea perseuerare, si ingressus intra annum recedat probationis, & reuertatur ad saeculum sit liber à voto ex mente huius decreti Concilij, cum non possit renunciationem probationis, sicut ante de iure communi. Congregatio declarauit, hoc decretum Concilij nihil disposuisse de voto. Idem. si tempore nouitiatus emisisses tale votum.* Quod quidem rationabiliter sancitum fuit, quia Concilium statuit, ve non admittatur nouitius ad professionem, & tunc non obligetur, vel in foro externo, vel etiam obligatione non prouenïente ex eius voluntate ad professionem, sed non excludit obligationem, quam sibi ipsi nouitius fecit in conscientia, & ea libera promissione. Nam vt habet D. T. *supra q. 88, a. 6. ad primum, & in hac quaest. a. 2. ad secundum*, necessitas quae prouenit ex finis amore, & quam sibi facit vouens non est coactio, nec diminuit libertatem, sed illam perficit, vnde qui vouet perseuerantiam liberimè profitetur, licet ad profitendum necessitetur à voto. Ideo obiecta in contrarium faciliter diluuntur.

7. Ad primum enim dicitur necessitatem voti nullum ferre periculum, vel inconstantiae, vel Apostasiae, vel alicuius alterius mali. Nam nedum qui vouet perseuerantiam habet sufficientem notitiam status religiosi, sed vlterius completo anno probationis, ex pluribus causis ex quibus votum non obligat potest exire sine dispensatione, & vlterius habet superiores, qui illum dispensent, super obligatione voti, si adsit de hec rationabilis causa. Vnde nullum remanet mali periculum. Ad secundum pro nunc dicitur, quod quidquid sit de veritate assumpti, de quo tractabitur infra, non est eadem ratio de obligatione iustitiae, & de obligatione voti, quod est liberalissima promissio facta Deo, & non minuit, sed auget, & perficit libertatem in agendo. Nam & licet non sit libertas sine indifferentia, & indeterminatione ad agendum, non est tamen contra libertatem, quod homo agens ex iudicio libero, nimirum ex iudicio attingente finem formaliter, & habitudinem mediorum ad nem se ad agendum determinet, quod multo perfectiùs contingit in eo, qui propria voluntate ad verùm bonum, nimirum ad Dei obsequium se immutabiliter quodammodo per votum determinauit. Et ad tertium dicitur, quod imo qui votum perseuerantiae in religione emisit, habet quod probet, & probat, an id quod promisit sibi sit possibile, vel sibi sit melius bonum, & an expediat profiteri, vel potius dispensationem petere, & sic respectu illius etiam annus probationis seruit ad experimentum, & ad videndum, an votum sit exequendum per professionis emissionem. Ideo absolutè loquendo eum, qui vouit perseuerantiam in religione teneri ad professionem, nisi per accidens cesset voti obligatio, tenent D. T. hic, & Caiet. D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 5*, Host. *in summa tit. de voto num. 16.* Astens. *2. p. sum. l. 6. tit. 47. a. 8. q. 3.* Henric. *de voto cap. penult. n. 1.* Abul. *in c. 30. Numer. q. 95. ad primum, & q. 93. & 99.* Syluester *v. religio 2, q. 19.* Rosella *religio 5. n. 5.* Angelus *v. nouitius, 10.* Armilla *n. 10.* Nauar. *c. 12. num. 47.* Couaruuias de pactis *p. 1. §. 3.* Palacios *4. d. 38. disp. 1. post 4. Conclus.* Val. *22. d. 6. q. 6. p. 4. q. 4.* Azor. *l. 11. cap. 22. q. 8.* Lopez *p. 1. c. 45. initio*, Rodriq. *2. t. sum. c. 95. n. 7.* Sanchez *l. 4. Mor. c. 8. n. 81.* Pottel. *v. votum n. 42.* Less. *l. 2. c. 41. n. 46.* Bonac. *disp. 4. q. 2. p. 5. §. 6. n. 22.* Diana *p. 1. tr. 11. resol. 79.* Martinez de Prado Theol. mor. *cap. 31. q. 7. n. 37.* Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 6. n. 13.* & apud eum Trullench.

8. Vnde colligitur non esse admittendam distinctionem Suarez, sed vniuersaliter verum esse, quod vouens perseuerantiam in religione, vel professionem tenetur profiteri. Nam qui intelligit terminos, non potest vouere perseuerantiam scienter quantum ad libertatem, & validitatem voti sufficit, nisi ex voluntate se obligandi ad professionem, neque de hoc dici potest, quod vouent secundum formam illius iuris, quod loquitur de non obligato ad perseuerandum ex voto, quia qui non vult expressè vti hac iuris forma, sed vult se obligare ad profitendum; neque tamen agit contra iuris formam, quia nullum est ius, quod prohibeat quemquam necessitati ex voto ad professionem post annum professionis. Nec est opus, vt renunciet alicui iuris formae, vel priuilegio, quia non est iuris priuilegium libertas profitendi, sed est priuilegium naturae humanae, vt sit libera ad ea ad quae ex nulla lege necessitatur, nulla verò est lex, quae necessitet ad professionem religiosam independenter à libera hominis voluntate, sed lex decernit, vt professio non fiet ante annum probationis, cui nouitius nec renunciat, nec renunciare potest. Potest tamen sua libertate se ex voto obligare, quoniam neque hoc est renunciare libertati, & illam amittere, sed perficere, & ex libertate se in bono confirmare. Et ita hic nulli iuri, aut priuilegio iuris renunciat, qui professionem vouit, quia nulla lex est, quae libertatem ab obligatione voti concedat illi, qui se voto ad professionem obligauit. Et ad motiuum in oppositum dicitur nullum relinqui locum interpretationi, vbi verba expressè significant. At uerò uotum sub hac forma, scilicet, uoueo professionem, uel uoueo perseuerantiam in religione, expressè significant promitti Deo professionem, & alias iura non loquuntur de eo, qui se ad perseuerantiam obligauit.

9. Hinc quoque sequitur subrepticiam fore uoti dispensationem, si qui uouit perseuerantiam in religione exponat solum se uouisse religionem. Quamuis enim oppositum probabile putet Diana *parte 8. tract. 5. resol. 53.* ex eo quod probabilem quoque putet sententiam Soto, & aliorum dicentium non plus ad professionem obligare, qui illam uouit, quam qui uouit absolutè religionem, tamen non est à communi sententia discedendum, & ideo eum, qui uoti huius dispensationem petit exponere debere se obligatum uoto perseuerandi in religione, tradunt Merolla *t. t. d. 4. c. 6. n. 358.* & Salas de legibus *disp. 20. sect. 15. n. 122.* Martinez de Pradu *n. d. 37.*

10. Benè

10. Benè verùm est communem sententiam suam pati moderationem, eam scilicet, quàm omne votum patitur, quod per accidens potest non obligare pracipuè ex duplici causa. Prima est, si nouitius experimento cognouerit professionem fore sibi ruinæ occasionem, & scandalum, vel saltem sibi non futurum medium ad perfectionem. Quia cum votum sit de meliori bono, quia tunc professio non esset illi maius bonum, sed vel malum, vel minus bonum, vel medium inutile ad finem voti; ideo tunc nouitius, voto non obstante, posset recedere, vt tradit Suarez *dicto cap. 4. n. 12.* Habet enim in hoc casu locum regula illa D. T. *4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 1.* scilicet quod illud, *quod votum fiendum impediret, si præsens esset, etiam voto facto obligationem aufert.* Quæ quidem regula in hoc sensu est indubitata, nimirum, quod aute votum reddidisset materiam ab initio, vel malam, vel impossibilem, vel indifferentem, vel meliorum impeditiuam, vel quocumque modo inhabilem, vt esset materia voti, si etiam adueniat post votum eius aufert obligationem. Caiet. *v. votum cap. penult.* statim à principio, & *supra quæst. 88. a. 3. col. penult. ver.* Ad hoc dicitur, quòd de voto. Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 2. ad tertium vers. Ex his, quæ dicta sunt.* Sanchez *in Decal. l. 4. c. 2. n. 23.* Vel secundum aliam D.T. regulam datam *supra q. 110. a. 3. ad quintum*, si vel ex parte vouentis, vel ex parte Religionis contigisset mutatio tanta, ac tam notabilis, vt meritò perseuerare in religione censenda esset alia res moraliter ab ea, quæ fuit promissa, dum votum fuit emissum. Mutata enim hoc modo materia promissionis cessat promissionis obligatio ex Seneca *lib. 4. de Benefic. cap. 34. & 35.* quod est verùm, etiam si promissio voto, ac iuramento firmata sit. *cap. Quemadmodum de iureiurand.* Sanchez *d. lib. 4. c. 56. n. 82.*

11. Si etiam votum fuisset disiunctiuum scilicet, vel profitendi religionem, vel inseruiendi Xenodochio, esset liberum completo anno nouitiatus exire: Neque enim ex hoc, quod in voto disiunctiuo vna pars incipitur, ideo determinatur voluntas vouentis, vt non possit aliam eligere *Regul. in alternatiuis de reg. iuris in 6.* Et in proposito à communiter accidentibus concludi debet, quod cum communiter assumatur habitus religiosus ad experimentum, ideo qui vouit professionem sub disiunctione, ex intentione experiendi religionem, & an sibi conueniat professio, habitum religiosum assumpsit si tamen vouisset perseuerantiam in ea parte, quam semel elegisset, electa Religione tenetur perseuerare. Sanche *num. 84.*

12. Benè etiam post Caiet. hic admonent Suarez *dicto cap. 4. n. 10.* & Sanchez *n. 85.* aliud esse propositum perseuerandi, & aliud votum. Nam propositum non est immutabile. Ideo qui vouit religionem cum animo profitendi, non per hoc tenetur profiteri, si professionem, & perseuerantiam non vouit, sed habet eam libertatem recedendi, quam habet, qui simpliciter vouit religionem Et ita etiam docuerat Richardus *4. d. 38. ar. 8. q. 3.* Henricus *cap. penult. de voto n. 2.* Abul. *q. 93. in cap. 30. Numeror.* Angelus *v. votum 3. n. 18.* Armilla *v. nouitius n. 10.* Quamuis oppositum immeritò senserint Hostiens. *sum tit. de voto n. 16.* Palud. *4. d. 38. q. 4. a. 1. n. 9.*

13. In dubio autem, an quis vouerit perseuerantiam iuxta dicta in antecedentibus in hac parte possessio stat pro libertate vouentis, quia substantia voti quantum ad perseuerantiam est dubia, & ideo respectu perseuerantiæ non obligat. Et per locum à communiter accidentibus præsumi debet vouentem promisisse ingressum religionis secundum formam iuris communis, & cum libertate exeundi, nec eum teneri ad perseuerandum magis quam alij, qui vouent simpliciter religionem. Et quia hæc pars est probabilior est etiam tutior.

14. Colligitur autem ex dictis, eum qui perseuerantiam vouit, & voluntariè sine causa recessit, teneri iterum redire ad religionem: quia voto non satisfecit, cum perseuerantiam promiserit, & voti obligatio non sit extincta ex aliquo accidente, vt supponitur, & voto de perseuerando non sit satisfactum per religionis ingressum. Sed si recessit, vel ex causa non extinguente tamen obligationem voti, sed tunc excusante à professione, vel quia fuit eiectus; si causa est perpetua, & vniuersalis respectu status Religiosi vniuersaliter, & talis, quæ auferat omnem spem, vt qui vouit recipiatur in alia Religione; tunc excusatur à voto, & voti obligatio extinguitur, vnde non tenetur redire ad illam religionem, quam fuit ingressus, nec ad aliam, etiam si vouerat religionem indefinitè. Sed si causa est temporalis, vel non est adæquata religioni vniuersaliter, vel non tollit omnem spem religionis obtinendæ: Vt si recesit à religione causa infirmitatis, vel adiuuandi parentes, vel ex causa quæ vrget respectu huius religionis, & respectu alterius, vel non vrget, vel non tam magni fit. Tunc cessante causa tenetur redire ad illam Religionem à qua recessit, si determinatè illam vouit, vel certè ad aliam, si vouit religionem indeffinitè, sicut in hoc casu statim ac recedit ab vna religione, tenetur ingredi aliam, si causa recedendi ab vna religione non est euidenter adæquata pro omnibus, & spem obtinendæ Religionis non tollit. Quod si causa sit in potestate vouentis, vt illam tollat, tenetur eam tollere; quia promisit perseuerare in religione, quod est promisisse profiteri nulla obstante difficultate, quæ non tollat voti obligationem, & faciendo ex parte sua, quidquid opus est, vt profiteatur, & perseueret, Suarez *dicto cap. 4. num. 13.* Sanchez *dicto cap. 56. num. 82.* Nauar. *c. 12. num. 46.* Layman. *d. cap. 6. num. 13.* Bonac. *d. §. num. 22.* Palaus *tract. 16. disp. 1. part. 4. num. 10.*

15. Sed quid dicendum erit de eo, qui perseuerantiam in religione vouit, & ingressus in religionem vnam ibi professionem emisit, sed post professionem ab ea est in perpetuum eiectus? Tenetur ne ex vi voti, vel redire ad religionem, vel aliam quærere, & in ea perseuerare? Respondeo, votum simplex extingui per professionem. Et quidem hunc non teneri ad aliam religionem patet, quia professio in vna religione, cum habeat iunctam traditionem sui ad religionem illam, ita extinguit votum alterius religionis, quod, vt supra dictum fuit, habens votum religionis perfectioris, & profitens in laxiori liberatur à voto profitendi in strictiori. Et ita hanc partem docent Bonacin. *dicto 4. de leg. quæst. 2. part. 3. §. 6. nu. 20* An verò hic teneatur redire ad propriam reli-

religionem dicetur infra in tractatu de eiectia.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit ingressum non tenetur perseuerare. num.16.*

2 *Ratio difficultatis. num.17.*

3 *Votum ingrediendi, & non manendi qualiter nullum. num.18.*

4 *Si animus non profitendi sit circumstantia mala, voluntatis ingressus non est votum. nu.19.*

5 *Votum religionis cum animo non perseuerandi an validum. nu.19.*

6 *Si animus non profitendi concommitanter se habet votum tenet. nu.20.*

7 *Sensus conclusionis D. T. Vouens religionem habet animum permanendi conditionatum. numer.21.*

8 *Vouens Religionem non satisfacit si ingreditur cum animo statim exeundi. nu.22.*

9 *Non violat votum, qui licet non habeat voluntatem manendi, tamen vult experiri religionem, & dare operam, vt Deus illum inspicet. num.23.*

10 *Qui ingreditur cum animo exeundi, si tamen post experimentum exeat ex iusta causa, non tenetur amplius ingredi. num.24.*

11 *Qui sciens se habere causam iustam egrediendi ingreditur cum tali animo, satisfacit voto, &c. nu.25.*

16. SEcunda Conclusio textus asserit eum non teneri perseuerare, qui vouet, & se obligat ad ingressum causa experiendi religionem cum libertate manendi, vel non manendi. Et ratio huius est; quia votum non obligat nisi iuxta vouentis intentionem. Est autem circa hanc conclusionem dubium, de eo, quod supponere videtur, scilicet.

An dari possit votum Religionis validum, qui non claudat simul aliquam voluntatem profitendi.

17. HOc enim videtur supponere conclusio, scilicet, tale votum validum dari posse, in quo vouens intendat libertatem profitendi; & tamen alia ex parte, votum ingrediendi cum animo exeundi non videtur votum validum, cum videatur esse de re mala, quia exire à religione non est per se bonum, nec materia voti. Sed quantum ad mentem, & casum huius textus dicitur aliud esse vouere religionem cum animo exeundi, & aliud vouere ingressum religionis cum animo experiendi religionem salua libertate manendi. Hoc secundum supponit Conclusio D. Thomæ, non vero primum.

18. Est autem circa primum considerandum, quod vouenti ingressum Religionis cum animo non manendi, hic animus potest adesse multipliciter, vel ita vt sit intrinsecus voto, tanquam voti pars, vel ita vt sit circumstantia voti, votum ipsum afficiens, vel ita vt vere concommitanter se habeat ad votum. Primo modo casus contingeret, si vouens voueret per modum vnius ingredi, & exire. Et hoc secundum DD. citandos non esset votũ, sed stulta promissio, & nulla. Quia exire à Religione non est bonum, sed potius malum, & velle ingredi cum animo exeundi est quid inutile, & ineptum, quod non est voti materia, vnde hoc votum nullum esse, & illicitum tradunt Caiet. hic, Richar. 4. d. 38. a. 8. q. 3. Naur. de voto 5. Lenel. num. 1. Abul. *q.93. & 99. in cap. 3. Numer.* Angelus *v. votum 3. num.*18. Tabien. *v. votitus quæst.7. num.*8. Armilla *num.*10. Azor. *lib.11. cap.22. n.74.* Sanchez *l.4. mor. c. 16. num. 77.* Suarez *tom. 3. de relig. lib.4. cap.7. num.2. & 30.* Verum si consideretur egressus à Religione secundum se non est res mala, sed indifferens. Et licet votum non sit de materia indifferenti secundum se, bene tamen esse potest si illa sit volita ex honesto motiuo, & ita vt sit de meliori bono. Non est vero impossibile, quod exitus à Religione possit ordinari in bonum finem, & ita vt sit melius bonum, ideo non est impossibile, quod quis voueat ingressum Religionis & egressum, DD. vero citati loquuti sunt, vel considerato egressu secundum se, prout indiferens & potius habens speciem mali, vel loquuti sunt de eo, quod frequenter accideret, & eueniat. Rarus enim casus erit, quod ingressus, & egressus à Religione simul ex honesto motiuo apperatur, & Deo promittatur.

19. Secundo animus non profitendi potest esse circumstantia voti, seu voluntatis ingrediendi Religionem. Quod contingere potest, si voluntas ingrediendi habeat pro fine egressum, nimirum si quis voueat ingredi, vt egrediatur. Et hoc modo, quod votum sit malum, & nullum tradunt Richardus 4. *d* 38. a.8. *q.*3, Angelus *v. votum 4. n.8.* Maior, & Henricus apud Sanchez *d. cap.16. n.79.* Qui idem approbat, si tamen exitus sit finis rei promissę. Supponunt isti, quod egredi sit malum; & quia quando quis vouet aliquid propter malum finem, si malus finis sit finis rei promissæ, vel intendatur, vt obtinendus à Deo, vel vt Deo gratiarum actiones reddantur, per notata à Sanchez in Decal. *lib.4. cap.6. num.13.* votum est illicitum, & nullum, ideo vouere ingressum religionis ad finem exeundi, est votum illicitum, & irritum. Verum supponitur falsum, scilicet quod egredi à Religioso statu sit malum, aliter peccarent etiam, qui egrediuntur ex iusta causa, quia non licet agere malum, neque ex fine bono. Sed egredi à Religione secundum se est quid indifferens, quod potest etiam ordinari in bonum finem, & appeti ex motiuo honesto. Vnde in hoc casu, qui vellet ingressum in Religionem, vt egrederetur, non peccaret, & votum teneret, si esset de meliori bono. Vt v.g. si conditio necessaria ad aliquod ministerium in Republica esset, vt minister gestasset habitum regularem, & daretur vir ad ministerium aptissimus cum maxima boni communis vtilitate, non esset malum si iste assumeret habitum, vt egrederetur, & sic posset esse communitati vtilis. Itaque, quia voluntas rei indifferentis, si sit illius rei principaliter, & non ratione alicuius finis honesti

uestis est mala, & multo magis est talis, si res indifferens ordinetur ad malum finem, & ex mali finis amore eligatur. Ideo dum quis velit ingredi religionem, vt egrediatur, vel ob aliquem malum finem, vel ob nullum finem bonum, quia huiusmodi voluntas est mala, idcirco tale votum est malum, & illicitum, & simul nullum, si egressus sit finis ipsius ingressus, & non sit circumstantia extrinseca, & ex parte solius operantis se tenens. Non est tamē impossibile, quod tale votum sit bonum, & validum, quamuis id rarissimè, & potius methaphisicè, quam moraliter sit possibile. Posset secundo dici, quod non ordinare ingressum ad perseuerantiam esset circumstantia mala, quia rem ordinatam in aliquem finem velle, & non ordinate illam in finem illum, est illam inordinatè velle; cum vero ingressus in Religionem ordinetur ad professionem, ideo velle ingredi Religionem, & non ordinare ingressum ad professionem, est quoddam velle inordinatum, & est actus carens debita circumstantia. Verùm neque hoc est absolutè, & ex terminis verùm; quia ingressus in Religionem ob multos alius fines honestos potest amari, ideo sola carentia ordinis ingressus in perseuerantiam non est semper circumstantia mala reddens malam voluntatem ingressus, vt dicam infra. Et sic solum huiusmodi carentia est mala circumstantia, seu priuatio debitæ circumstantiæ, si habet adiunctam carentiam Ordinis in quemcumque alium finem honestum. Sic enim velle ingressum in Religionem nec ad finē professionis nec ad aliū finem honestum est malum velle, & esset malum votum, & nullum si fieret. Et in hoc sensu intelligi debent DD qui dixerunt, quod vouere ingressum in Religionem, non cum animo perseuerandi est votum inutile, & vanum. Cæterum, vt aduertit Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 4. c. 3. num. 2.* benè potest contingere casus, vt voluntas ingressus in religionem, etiam sine animo profitendi, imo cum expressa voluntate non profitendi, sed ex aliqua causa accidentali, & rationabili, seu propter aliquem finem honestum sit voluntas bona, & possit esse votum. Vt si talis ingressus esset valdè vtilis, & necessarius ad pacem publicam, vel ad aliquem alium finem, & alias fieret cum aliis circumstantijs necessarijs. Quia ingressus in Religionem de se non est malus, & si fiat ex fine honesto, sine dolo, & fraude etiam si non fiat intuitu profitendi non erit malus. Cum alias nulla sit lex, quæ hoc prohibeat.

20. Tertius casus est, si voluntas non profitendi solū concommitanter se habeat ad voluntatem ingressus, sicut ad votum professionis potest concommitanter se habere animus non seruandi regulam professam. Et tunc votum valet, quia tunc voluntas ingrediendi religionem est honesta, & bona, & verum votum, quod non habet vitium ex malo animo adiuncto; sicut voluntas, & votum eundi ad Ecclesiam, vt satisfiat præcepto audiendi missam, esset verum votum, licet vouens simul haberet animum videndi amasiam meretricem, illáq; alloquendi ad malum finem. Quia mala hæc intentio extrinseca est voto, & illud non afficit, licet afficiat vouentem, & illum malum reddat. Ita Ricard. 4. *d.* 38. *a.* 8. *q.* 3. Azor. *l.* 11. Mor. *c.* 23. *q.* 6. Sanchez loco citato *n.* 78.

21. Sed Conclusio D. T. in alio casu loquitur, scilicet in casu eius, qui bona fide vouet ingressum in religionem ex animo profitendi, sed cōditionato; iste enim vult, & non vult profiteri. Non reijcit positiuè professionem, sed nec illam admittit absolutè, sed sub conditione, vult enim experiri statum religiosum, vt cognoscat, an ille tibi expediat, & vt illum eligere possit prudenter post experimentum de illo habitum. Vnde hic votum est honestum. Nam ingressus in Religionem est bonus, & aliqualis voluntas status religiosi, per quam ex illa intentione, quis vult illum experiri, vt prudenter possit illum eligere est bona, sicut bona est voluntas experiendi statum religiosum ad hoc, vt possit prudenter eligi. Vnde simile votum est, & honestum, & validum, sed non obligans ad perseuerantiam, vt per se patet.

22. Colligitur verò ex dictis eum, qui vouit religionem, si intret cum animo determinato non manendi, non satisfacere voto. Hoc tamen corollarium in duplici sensu intelligitur, & sustinetur à DD. Primus est si qui intrat, habet propositum statim exeundi, ita quod nedum nō vult profiteri, sed nec vult experiri Religionem. Et in hoc sensu, quod talis non satisfaciat voto tenent D. T. hic ad tertium, Caietan. hic. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 1. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 16. *cap.* 2. §. 4. paulò post principium, Syluest. *v. Religio* 2. *q.* 19. Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap. mihi* 23. *q.* 9. Sayrus in Claui Regia *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 15. Nauar. *cap.* 12. *n.* 47. Bonac. *disp.* 4 *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *n.* 24. Reuerendiss. Fagnan. *cap. Porrectum num.* 62. *de Regul.* Et in hoc sensu res est indubitata. Non quidem ea ratione qua mouetur Sayrus loco citato, & quam approbat Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 74. Quia nimirum qui vouet aliquid, simul vouet omne id, quod est illi essentiale, & sine quo, quod vouetur non esset apta materia voti; modo ingressus non est apta materia voti, si sit cum animo statim exeundi, quia sic est vanus, vt inquit Sanchez, vel quia egredere statim est malum, vt vult Sayrus. Hæc enim ratio non probat, quia egredi à Religione etiam statim non est malum ex obiecto, & secundum se, sed est res indifferens, & ideo capax, vt honestè, & honesto motiuo, & benè, & non vanè, sed vtiliter ametur, & possit esse materia voti. Vera igitur ratio est, quam tradit D. T. quia nimirum, qui vouent religionem aliud intendunt, & promittunt; ad minus enim intendunt religionem experiri, vt ex hoc possint si velint eam deliberatè eligere profitendo; qui igitur vouit religionem, si postea intrat cum animo statim exeundi, non satisfacit voto, & debet animum mutare, scilicet animum statim exeundi, & habere propositum experiendi, & actu experiri. Nam nec dicitur intrasse, qui statim exijt. *cap. ad nostram, de Regul.* Et in hoc habent locum iura, quæ dicunt. Non censeri aliquid factum esse, si factum non duret. *cap. Constat.* 1. *q.* 1. *cap. Vides.* 23. *q.* 6. *l. si filius. ff. quod non eo, qui in alien. possess.* Nec dicitur venisse, qui non stetit. *cap. si quis autem* 18. *distinc. cap. Certum est* 11. *q.* 3. *cap. Missas. de consec. dist.* 1. Et si vouenti religionem liceret manere in ea per momentum, votum esset frustraneum; ludricum, & irrisorium. Et ideo si qui vouit Religionem, eam assumptam statim desereret, posset

ab Eccleſia compelli vt rediret. Sed alius ſenſus illius corollarij eſt, vt ſolus animus exeundi etiam ſi non excludat experimentum, & non ſit animus exeundi ſtatim, ſed ſit animus tandem exeundi etiam ſi ſimul, qui ingreditur velit per plures menſes, vel etiam per totum annum nouitiatus manere, faciat, vt ingrediens cum tali animo nõ ſatisfaciat voto. Et hunc ſenſum habuerunt Richardus 4. *d.* 38. *a.* 8. *q.* 3. Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 74. & clarius *n.* 76. Suarez *tom.* 3. *de Relig. cap.* 3. *n.* 2. Palaus *tr.* 16. *diſp.* 1. *p.* 4. *n.* 1. & omnes illi quos infra referam, qui volunt non ſatisfacere voto illum, qui exit ſine iuſta cauſa. Et hic ſenſus verè eſt contra D. Thomæ mentem, nec eſt in ratione fundatus, vt ex dicendis infra pluries apparebit.

23. Hoc enim ſenſu tertio multipliciter limitatur aſſertio: Primo quidem, ſi animus non manendi non ſit omninò abſolutus, ſed cum animo non manendi, habeat qui ingreditur voluntatem experiendi ſtatũ religioſum, & dandi operam, vt Deus immutet cor, & concedat animum profitendi. Quia tunc ſtudioſus eſt ingreſſus. Et quia in hoc caſu non eſt determinatus animus exeundi, ſed potius negatiuè ſe habet, quia non habet animum manendi. E ideo in hoc caſu hunc ſatisfeciſſe voto, etiam ſi poſtea ex cauſa iuſta exeat, docuerunt, Syluester, Richar. Suarez citati, & Sanchez *nu.* 75. Et apud eum Henric. Abulen. & Angelus. Reuerendiſs. Fagnan. *ad cap. Porrectum num.* 39. Videbitur tamen, quod hoc habeat inſtantiam. Et ratio eſt, quia votum religionis, quæ in profeſsione præcipuè conſiſtit, non poteſt non eſſe voluntas profitendi, & licet hæc voluntas non ſit abſoluta, ſed ſecundum formam iuris, voluntas ſcilicet profitendi præmiſſo anno probationis ad vltimò determinatè, & finaliter deliberandum, tamen talis voluntas debet eſſe poſitiua voluntas profeſſionis, & ſtatus religioſi; quia vouere religionem non eſt negatiuè ſe habere ad illam, ſed illam poſitiuè velle; qui verò vult quidem experiri religionem, ſed tamen habet voluntatem exeundi, licet deſideret gratiam Dei illius cor mutantis, tamen de facto nõ habet voluntatem religionis, & ſic voto non ſatisfacit. Nihilominus dicitur, quod inſtantia non vrget. Quia votum religionis emiſſum ſecundum iuris formam relinquit vltimam deliberationem, & electionem, vt habendam poſt annum probationis, antecedenter verò non importat neceſſario maiorem aliam intentionem profitendi, & manendi, quam ſit voluntas non vltimata, nec determinata finaliter, ſed determinabilis poſt annum probationis, qualis eſt voluntas experiendi quid ſit religio ad effectum finaliter decernendi poſt lapſum anni probationis, Itaque etiam ſecundum ſenſum ſecundo loco poſitum voluntas, quæ obſtat, ne ſatisfiat voto ingrediendo religionem, eſt voluntas vltimata, & determinata non manendi, ſed exeundi, ita vt non ſatisfaciat voto, qui aſſumit habitum abſolutè determinatus ad exeundum, quia hoc excludit voluntatem manendi etiam ſi religio inuenta fuerit conueniens voventi illam. Sed hanc voluntatem vltimam, & determinatam non habet, qui interim vult experiri, & licet iuxta præſentem diſpoſitionem voluntatis ingrediens velit exire, tamen non hoc determinatè vult, ſed relinquit vltimam determinationem poſtquam religionem fuerit expertus.

24. Limitant ſecundo, ſeu melius loquendo explicant, ut ſi qui uouit religionem, & malo animo exeundi illam ingreſſus eſt, exeat iuſta cauſa, quod uoto ſatisfecit, & non teneatur de nouo ingredi in illam religionem. Cum enim iuſta cauſa exeat, uidetur ſatisfeciſſe uoto. Quod probabile putat Palacios 4. *d.* 38. *q.* 38. *diſp. poſt* 12. *concluſ.* quamuis poſtea dicat tutius eſſe petere diſpenſationem. Sed alij abſolutè hanc limitationem reprobant. Quia ſubſtantia ingreſſus non fuit mutata; unde ſi illa fuit inſufficiens ad ſatisfaciendum uoto, non cenſetur illi ſatisfactum. Secundo nam alias nullum eſſet diſcrimen inter eum, qui bona fide, & qui mala fide ſuſcipit habitum religioſum, quia neque ille poteſt exire niſi ex iuſta cauſa, ut dicunt. Imo ſi ſit dubius, an poſtea mutauerit animum, adhuc cenſendum eſt non ſatisfeciſſe, quia eſt certus de uoto, & de malo animo, & ſic eſt certus non ſatisfeciſſe, & excuſatio eſt dubia, quæ cum ſit quid facti non præſumitur. Sed ſi ſit dubius, an ingreſſus fuerit malo animo, poteſt quieſcere, quia delicti præſumptio eſt vitanda. Ita Sanchez *n.* 76. ſed puto limitationem eſſe admittendam, etiam in terminis ſecundæ ſententiæ *n.* 22. recenſitæ, & admiſſa limitatione *num.* ſuper cõceſſa. Qui enim vult experiri Religionem, & de facto ita experitur, quod non exit niſi ex iuſta cauſa, non habet animum abſolutum, & vltimatum determinatum exeundi; Nam velle experiri aliquid eſt ſimul velle illud eligere, ſi placuerit. Et licet poſſit contingere, quod quis velit præciſè experimentum ad tempus cum animo abſoluto non eligendi perſeuerantiam in re experta, & ſic poteſt eſſe, quod quis preciſè velit experiri religioſum ſtatum pro aliquo tempore, & tamen abſolutè nolit perſeuerare in tali ſtatu: Tamen hic animus non poteſt præſumi in eo, qui intrat, & non exit, niſi ex cauſa iuſta; ſed potius debemus præſumere, quod talis ſic habuerit animum non perſeuerandi, quod tamen ſimul habuerit animum manendi, ſi ſibi gratam, & proportionatam religionem inuenerit; & ideo quod non habuerit animum vltimatè, & finaliter deliberatum, & abſolutum exeundi cum intrauit. Quia tamen in foro conſcientiæ non attenditur præſũptio ſed veritas; ideo diſtingui hic debet. Nam qui vouit religionem ſimpliciter, vel intrat cum animo omnino abſolutè deliberato exeundi, & hic non intrat propriè, vt experiatur religionem, ad finem eam retinendi, quod non habet pro fine ſolam rei notitiam veluti ſpeculatiuam, ſed practicam, & directiuam ad eligendum, vel non eligendum, quia experimentum ſupponit aliquam voluntatem rem eligendi, ſi poſt experimentum grata viſa fuerit, ſeu ſi placuerit, & ſic ſupponit voluntatem non omninò finaliter determinatam ad eam non eligendam. Ideo talis etiam de mente S. Thomæ, & primæ ſententiæ non ſatisfacit voto, quia nec ex animo experiendi, & probandi, an ſit eligenda Religio propriè ingreditur, ſed ex alio fine; At vero votum Religionis ex communi intentione vouentium obligat ſaltem ad experimentum practicum Religionis, & claudit voluntatem profeſſionis conditionatam excludentem voluntatem abſolutam, & finaliter deliberatam de non perſeuerando in Religione. Sed vbi qui vouit Religionem licet habeat iam animum

egredien-

egrediendi, hic tamen animus non est vltimatè determinatus, & interim ipse religionem ingreditur cum animo probandi religionem, reseruat vltimā deliberationem post probationem, & non exit nisi ex iusta causa, vnde satisfacit voto, qui enim de facto in habitu religioso expertus est religionem, & habet iustam causam exeundi, ad quid tenetur? Non ad experimentum, quia iam expertus est, quantum sufficit ad hoc, vt prudenter deliberet de professione; non ad religionem, quia eam non promisit, nisi sub conditione vltimę, & liberę deliberationis, & non deliberat exitum, nisi ex causa iusta. Et hoc amplius explicatur. Nam hic distingui debet, quod est necessarium ex natura voti, & religionis ab eo, quod est necessarium ex iure positiuo. Nam ex natura voti ad religionis ingressum nullum est necessarium experimentum in habitu religioso, sed sine nouitiatu aliquo posset qui plures simul & suscipere habitū, & profiteri. Sed modo ex lege positiua professionem antecedit necessario nouitiatus. Lex verò non obligat ad nouitiatum habendum hoc, vel illo animo, sed nouitiatui satisfacit, qui in habitu religioso, & in loco deputato experitur onera religionis, siue hoc faciat cum animo profitendi, siue cum animo exeundi, quia lex internum non iudicat, & nec præcipit. Votum igitur religionis modo habet aliquid, quod in illud redundat ex iure naturali, & aliquid, quod redundat ex iure positiuo. Ex vi voti tenetur habere aliquā voluntatē profitendi, cum enim religionis est votum tai perpetuo ex natura sua, ideo sub eo cadit professio saltem, vt intenta sub conditione. Sed ex iure positiuo habet nouam hanc conditionem sub qua vouens obligetur ad professionem, scilicet sub conditione anni probationis, & libertatis exeundi post probationis annum. Igitur ad hoc, vt huic voto satisfiat ratione eius, quod in illud redundat ex lege positiua, sufficit, quod vouens legem positiuam seruet, & hanc seruat qui ingreditur religionem, & eam experitur, licet intus vbi solus Deus videt, ingrediens potius intendat non profiteri. Et sic voto, vt obliganti ad ingressum, & nouitiatum satisfacit, qui ingreditur, & peragit annum nouitiatus quocunque animo id intrinsecùs faciat, sed non satisfacit voto, vt obliganti ad religionem, si iam deliberat non profiteri antequam ingrediatur, & ingreditur cum absoluto animo non profitendi. Cui vt satisfaciat, vt habet D. T. ad tertium debet mutare animum, & manere saltem cum animo probandi, & non deliberandi vltimatè, nisi præcedente probatione; qua probatione præcedente si adsit causa iusta egrediendi liberè potest egredi, & satisfecit voto. Vnde si postquam fuit ingressus inuenit causam iustam discedendi, debet quidem de præterito peccato poenitere, sed iam potest iustè exire, & est in hoc liber à voto, quia satis expertus religionem, vt volunt iura, est in statu deliberandi de se ipso. Et sic si deliberat exire vtitur iure suo, & vt satisfactum sit voto, sufficit, quod malum animum deponat, & de præterito malo animo doleat.

35. Imo ex hoc limitatur tertio, & explicatur doctrina illa communis, vt non procedat, si qui vouit votum sciens se habere causam iustam exeundi, quæ tamen non est talis, vt eum simpliciter eximat à voto, & ab habitus susceptione, sed tamen est sufficiens ad hoc, vt infra annum nouitiatus exeat, ingreditur quidem religionem, & habitum suscipit, & nouitiatum assumit, sed animo exeundi statim ac potest honestè exire. Quia iste religionem ingreditur, & quidem paratus manere nisi adsit iusta causa exeundi, sed interim; quia scit iustam causam adesse, vult ea vti, seu vult uti iure suo, & tempore sibi bene viso exire.

SVMMARIVM.

1 *Tertia conclusio D.T. nu.26.*

2 *Qui vouet nihil cogitās de perseuerantia non tenetur perseuerare. nu.26.*

3 *Nouitium peccare si exeat sine iusta causa, aliqui dicunt. nu.27.*

4 *Nouitium exire à Religione secundum se est res indifferens. nu.28.*

5 *Propositum ingredientis bona fide in Religionem est conditionatum conditione iuris, scilicet, quod vltima deliberatio haberi possit post Religionis experimentum. nu.28.*

6 *Nouitium exire sine causa honesta est peccatum ex circumstantia, & ex parte operantis. numer.29.*

7 *Qui ingreditur Religionem, ex hoc nihil vltimate deliberat. nu.30.*

8 *Nunc egredi nec est per se malum, quia prohibitum, nec quia mutare propositum de se sit malum, nu.30.*

9 *Nouitius non tenetur permanere ex pacto. numer.31.*

10 *Bona fides requirit in nouitio voluntatem experiendi religionem, vt sit idoneus ad deliberandum prudenter de electione. nu.32.*

11 *Bona fides non requirit voluntatem absolutam profitendi, sed conditionatam. nu.35.*

12 *Conditio sub qua nouitius vult profiteri est, si in fine probationis id deliberauerit. nu.33.*

13 *Nouitius potest habere propositum absolutum profitendi, sed hoc non est necessarium in principio nouitiatus. nu.34.*

14 *Bona fides in assumptione nouitiatus ex vi sua non petit, quod nouitius non possit imprudenter, vel exire, vel permanere. nu.34.*

36. Tertio textus conclusio, docet eum qui simpliciter vouet religionem nihil cogitando de perseuerantia, non teneri ad perseuerandum. Quia hoc votum interpretari debet, vt factum iuxta formam iuris communis tribuentis libertatem nouitio, vt finito anno probationis possit recedere. Circa hanc conclusionem autem plura remanet explicanda, quæ à DD. controuertuntur. Et vt melius intelligatur quanta sit obligatio vouentis religionem ad manendum in illa necesse est, prius videre quanta ad perseuerandum sit obligatio in eo, qui sine voto ingreditur religionem. Et ergo quæstio generalis.

Nauar. cap. 12. *num.* 16. & *cap. Pennota num.* 1. *de Penit. dist.* 2. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Porrectum num.* 72. *de regul.* Sed mutare propositum est secundum se quid indifferens, quod ex circumstantijs intrinsecis potest reddi honestum, imo necessarium. Ideo vbi Panor. *in cap. Consulti de reg. num.* 3. & Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 1. dicunt, teneri ad perseuerantiam illum, qui ingreditur cum proposito profitendi, vel per propositum intellexerant votum, vel manifeste à doctrina communi recedunt, quia simplex propositum non fert obligationem perseuerandi. Sed neque hic est aliquod pactum, quod si adesset, non esset veniale, sed mortale peccatum in re ad eo graui non stare contractui.

31. Ideo ad tertiam, & quartum, rationem dicitur peccare grauiter superiorem, qui religiosum nouitium idoneum eijcit, sed non ratione alicuius pacti initi cum vouente, sed quia abutitur iurisdictione sua, & non est fidelis dispensator, & negat bona ex Ecclesiæ institutione sibi commissa, vt idoneis distribuenda, & priuat nouitium maximo bono, vnde peccat contra iustitiam legalem, & distributiuam, & charitatem respectiue. Sed huiusmodi obligationes non sunt necessario mutuæ. Ideo nouitius non tenetur ex pacto, quia huiusmodi pactum non adest. Nam & lex vult, quod nouitius sit liber, vt ad libitum possit exire. Sed nec tenetur, vel ex aliqua alia iustitia aut charitate, quia eius egressus non infert dannum notabile religioni, & cum ipse non sit pars religionis non tenetur ex iustitia ad bonum illius promouendum, & charitas cum tanto rigore non obligat. ideo hanc partem docet Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 4. *c.* 3. *n.* 7.

32. Ex his deduci potest, quæ voluntas profitendi sit necessaria ad hoc, vt aliquis bona fide ingrediatur religionem, & in quo consistat hæc bona fides, Nam considerandum est, quod modo de iure nouitiatus est religionis experimentum institutum, & præmittendum ad hoc, vt haberi possit prudenter vltimata deliberatio de statu religioso obtinendo. Primo ergo ad bonam fidem requiritur voluntas experiendi statum religiosum; & sic voluntas religiosè viuendi ad effectum experiendi vitam regularem; quia bona fides requirit vt si assumitur aliquid assumatur ob illum finē, & ex voluntate eius, ad quod illud per leges est institutum; Nam & opus est, vt in operante bona fide, interior animus, & voluntas sit conformis externo operi, & eius significationi, & quod in mente non habeat aliud ab eo, quod opere se habere significat, at vero assumptio nouitiatus significat assumentem velle experiri religionem; ad hoc igitur, vt bona fide operetur necesse est, quod intus animus eius sit verè experiendi regularem vitam. Et quia hoc experimentum intenditur, vt practicum, & seruiens ad deliberandum de professione, ideo ad hoc ordinatur, & propter hoc institutum est, vt ex illo homo sit aptus ad prudenter vltimatè deliberandum de professione seu de finali, & immutabili assumptione religiosi status, ideo requiritur, quod qui assumit nouitiatum habeat animum per religionis experimentū, essendi habilem ad prudenter deliberandum de professione. Verum quia, qui assumit medium ad aliquem finem ordinatum significat exterius se etiam velle finem, ideo bonæ fides in hoc aliquā etiam voluntatem professionis requirit, quæ est finis assumptionis nouitiatus. sed tamen hæc voluntas non est necessario absoluta, & finaliter vltimatè deliberata, & conditionata. Quia voluntas probationis, & experimenti ordinati ad hoc vt possit prudenter haberi plena deliberatio de professione habenda non requirit, neque necessario potest requirere voluntatem absolutam, & deliberatam professionis vt tunc habitam, medium enim ad obtinendum finem assumptum non præsupponit finis acquisitionem, nec illam exigit; frustra enim quæritur, quod habetur. Et non est necesse vt in executione habeatur finis; tunc cum finis quæritur, vt habeatur. Cum igitur nouitiatus assumatur, vt post illum habeatur deliberatio de professione, ad bonam fidem assumentis nouitiatum non requiritur voluntas iam absoluta, & deliberata profitendi, quia hæc reseruatur in fine nouitiatus. Item voluntas probandi an aliquid sit absolute eligendum, non requirit necessario voluntatem absolutam, & deliberatam finaliter illud eligendi, sed sufficit si habeatur tempore suo, nimirum post probationem, & experimentum voluntas deliberandi vltimatè de eius electione. Sic igitur necesse quidam est, quod assumens bona fide nouitiatum, habeat voluntatem deliberandi de professione post sumptum experimentum in fine nouitiatus, non tamen est necesse, quod tunc absolutè velit profiteri, cum nouitiatum assumit. Ad bonam ergo fidem assumentis nouitiatum non est necessaria voluntas absoluta profitendi, sed sufficit voluntas conditionata.

33. Verum quænam est hæc conditio, sub qua qui bona fide ingreditur religionem tenetur velle professionem ipsam. Doctores supra citati dicunt hanc conditionem esse, conditionem causæ iustæ exeundi, scilicet nisi habuero causam iustam non profitendi. Sed hoc non subsistit. Tum quia hoc non est conforme legibus, & præcipuè Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. Reseruanti vltimam deliberationem de habenda professione in fine anni integri nouitiatus. Ex vi enim huius institutionis volentis nouitium in fine nouitiatus habere plenam libertatem deliberandi de professione, habetur, quod qui assumit nouitiatum, non est obligatus ad professionem, sed est omnino liber, vt illam assumere possit; & pariter habetur, quod conditio sub qua, qui nouitiatum bona fide assumit, non est alia quam sua libertas, & deliberatio in fine nouitiatus habenda, scilicet si tunc profiteri deliberauerit. Bona enim fide agit, qui agit secundum iuris statutum; est vero iuris ordo, vt nouitius in fine nouitiatus solum plenè, & vltimatè deliberet de professione, & tunc sit plene liber ad professionem eligendam, & non eligendam; bona ergo fide religionem ingreditur nouitius licet in egressu non dum deliberauerit de professione, & reseruet deliberationem in fine nouitiatus; & interim velit profiteri sub hac conditione, si profiteri deliberauero in fine nouitiatus. Nam & natura ipsius probationis, & experimenti hoc fert. Nam velle experiri an aliquid sit eligibile, vel non eligibile, per se non claudit iam electionem illius, sed electionem experimenti illius

illius,& voluntatem illius conditionatam subconditione si in fine experimenti deliberauero illud eligere.

34. Sed duo consideranda sunt. Primum, quod cum hoc experimentum non sit ex natura rei necessarium, sed solum ex lege positiua; nam quia posset profiteri sine nouitiatu; ideo non est contra bonam fidem nec etiam contra prudentiã, si quis sufficienter instructus de professione statim ab initio nouitiatus, & etiam ante nouitiatum, quantum sit ex seipso finaliter deliberet profiteri; sed tamen hoc propositum si habetur est mutabile; quia lex vult, vt usque ad finem nouitiatus homo sit liber, & possit si velit professionem non eligere. Et sic propositum hoc absolutum non est necessarium ad hoc vt bona fide assumatur nouitiatus; & quatenus habeatur, nisi firmetur voto, vel iuramento est mutabile; quia voluntas hominis mutabilis est. Secundum considerandum est, quod ex lege naturali tenetur homo nihil agere, nisi ex fine honesto, & ex iusta causa, & honesto motiuo. Et sic quod ingrediens bona fide teneatur velle professionem, nisi iusta aliud suadeat, est quidem necessarium ex communi lege prudentiæ: neque hoc à nobis negatur. Sed non est necessarium ex lege veracitatis, seu ex natura ipsa assumptionis nouitiatus, & quia alias deceptor, & dolosus, seu fraudolentus dicendus sit nouitius, si assumit habitum salua sua plena libertate, & si cum vero, & sincero animo experiendi religionem, & reddendi se habilem ad prudenter eligendam professionem habitum recipiat, salua tamen sua libertate, vt si exire velit etiam imprudenter, sit illi hoc liberum absque nota infidelitatis, & malæ fidei, quidquid sit an alias malè faciat imprudenter agendo. Sic ergo fatemur, quod peccat nouitius exiens imprudenter à religione, sed dicimus non peccare, quia violauerit legem nouitiatus, & quia in hoc fuerit malæ fidei, & fraudolentus, & quod bona fides non requirit in nouitio nisi voluntatem sinceram experiendi religionem, & voluntatem professionis conditionatam conditione, si profiteri deliberauero suo tempore. Vnde bona fides excludit quidem voluntatem absolutam non profitendi, siue adfuerit, siue non adfuerit causa iusta id faciendi, & sic mala fide agit, qui habitum assumit deliberatus omnino exire, etiam si non habeat iustam causam exeundi. Sed non est malæ fidei, qui de præsenti non est deliberatus permanere, sed vult experiri, & vult esse ex hoc paratus, & idoneus, vt si illum Deus ad professionem vocauerit, possit sine alio impedimento profiteri. Et sic neque est malæ fidei, qui ingreditur deliberatus exire, si id causa iusta postulauerit. Vel qui ingreditur seruata interim sibi plena libertate deliberandi in fine nouitiatus de profitendo, vel non profitendo, cum animo sincero interim experiendi religionem, vt de professione possit prudenter suo tempore deliberare.

SVMMARIVM.

1 *Nouitium, qui vouit religionem peccare contra votum, si exeat sine iusta causa, multi sentiunt. nu.35.*
2 *Qui bona fide ingreditur religionem ex vi voti non tenetur permanere. nu.36.*
3 *Materia voti religionis simpliciter non est perseuerantia, nisi adsit causa iusta exeundi. numer.36.*
4 *Ad exeundum sufficit iusta causa vndequnque proueniens. nu.36.*
5 *Votum religionis obligat ad ingrediendum bona fide, & ad manendum iuxta formam iuris, scilicet nisi post sufficiens experimentum placuerit exire. nu.37.*
6 *Bona fides ingredientis religionem non excludit potestatem exeundi ex quacumque causa honesta, imo imprudenter: quamuis hoc aliunde sit malum, nu.38.39.*
7 *Nouitius, qui ingreditur secundum formam iuris, non obligatur, nisi ad ingrediendum bona fide. nu.39.*
8 *Prædicta confirmantur auctor. D. T. & aliorum nu.40.*
9 *Vouens religionem simpliciter habet voluntatem professionis conditionatam conditione iuris, quæ est si manere placuerit. nu.41.*
10 *Quis sensus huius conditionis, si religio grata fuerit. nu.41.*
11 *Qui vouet Religionem, quam voluntatem religionis habere debeat. nu.42.*
12 *Ius positiuum non prohibet noua sua lege egredi imprudenter. Et ideo imprudens egressus non est speciale peccatum ortum ex vi ingressus, & obligationis ad permanendum orta ex assumptione nouitiatus. nu.42.*
13 *Quæ sint causæ excusantes egressum. numero 43.*
14 *Votum obligat ad ingressum bona fide secundum substantiam. nu.43.*
15 *Variæ sententiæ circa quæstionem. n.44.45.*
16 *Qui bona fide ingressus, expertus est religionem si exciatur, voto satisfecit. n.46.47.*
17 *Quantum durare debeat tempus probationis ad deliberandum de exitu, arbitrarium. numer.47.*
18 *Probatio debet fieri in religione, ad quam alias nouitius sit idoneus. nu.48.*
19 *Supradicta vera quomodo sint in votis commutatis in votum religionis. nu.49.*
20 *Posterius votum incompossibile cum priori quando vigeat. nu.50.*
21 *Quid si ex fraude alterius, qui vouit vel non fuit admissus, vel fuit eiectus. nu.51.*

35. QVæritur modo secundo. An vouens religionem simpliciter teneatur ad perseuerantiam in Religione, ita vt peccet mortaliter, si exeat sine iusta causa, siue ita vt exire infra annum probationis sit secundum se malum, & contra votum. Affirmant enim multi, & hoc probant; quia certum est, quod habens votum religionis tenetur ad ingrediendam religionem bona fide, ex vi voti, ille vero bona fide ingreditur

tue

tur cum animo perseuerandi, si Religionem sibi gratam inuenerit, vnde vouens Religionem simul vouet perseuerantiam in Religione, si illam gratam inueniat; igitur exire à religione quam gratam inuenit, quod est exire sine iusta causa, est contra votum. Secundo nam materia voti religionis est id, quod communiter intendunt, qui religionem ingrediantur, hi vero communiter intendunt perseuerare, si religionem gratam inueniant; igitur vouens religionem vouet perseuerare si religionem gratam inueniat. Tertio quia iura libertatem exeundi concedunt solum in foro Ecclesiastico, & illis, qui religionem non vouerunt; imò exitum non concedunt, sed permittunt, concedunt enim, vt nouitius possit liberè, & prudenter determinare, sed quod exeat sine iusta causa id permittunt, non vero concedunt, igitur ex iure concedente nouitio libertatem profitendi, non habetur, quod nouitius voto religionis adstrictus possit exire sine iusta causa, & quod si exeat non teneatur redire. Quarto, quia nulla esset differentia inter illum, qui ingreditur sine voto, & cum voto, si iste posset exire sine causa iusta. Quinto quia ingressus finis est probatio, probationis vero gratarum, aut ingratarum conditionum inuentio, & huius inuentionis finis, & gratarum acceptatio, vel ingratarum refutatio. Ratio enim dictat, vt is cui datum est aliquid experiri, post inuentam rem gratam, eam ex sola sua libertate non respuat. Et ita huius sententiæ sunt Caietan. hic *Soto lib. 7. de iustit. q. 2. a. 1. ad Tertium* Arag. 22. *q. 88. a. 3. circa resp.* ad Secundum Rodriq. *tr. 2. cap. 95. num. 2.* Ledesma *tr. 2. tract. 10. cap. 3. d. 7. concl.* 4. Sanchez *l. 4. mor. c. 16. num. 90.* alios referens, Suarez *tr. 3. de relig. l. 4. c. 3. nu. 2. & 9.* Layman *lib. 4. tr. 5. cap. 6 nu. 12.* Palaus *t. 16. d. 2. p. 4. num. 2. & 5.* Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Porrectum nu. 71. de Regular.* vbi tamen *num. 58. & sequen.* voluerat, quod in foro externo, qui exiuit eiectus, vel si exiuit voluntarius non statim exiuit, non possit cogi, vt ad monasterium reuertatur.

36. Sed contraria sententia magis est fundata in ratione, & iure, & ait eum, qui vouit religionem, si bona fide ingrediatur, non teneri permanere, sed ex quacumque causa exeat non peccare contra votum, quidquid sit an peccet contra aliquam aliam virtutem, & non teneri ad redeundum ad religionem. Ratio autem huius sententiæ est, quia prior assumit principium, quod non probat, & quod non est verum. Etenim nulli dubium erit, quod si vouens religionem, & nihil cogitans de perseuerantia, vouet manere nisi adsit iusta causa exeundi, quod facit contra votum exeundo sine iusta causa, sed probandum est materiam voti religionis simpliciter emissi esse perseuerantiam in religione, nisi adsit iusta causa exeundi. Primo enim hæc iusta causa, vel petenda est ex religione, ita vt debeat esse conditio religioni intrinseca, & nouitio non conueniens, vel hec iusta causa latissimè sumitur, & prout ex extrinsecis bonis sumi potest, & sic causa iusta sic incompossibilitas status religiosi cum quocumque alio statu honestè amabili omnibus pensatis. Si necessaria dicatur iusta causa prioris generis, manifestum est communem intentionem vouentium non se restringere ad talem causam, quæ scilicet proueniat ex religione, vel intrinseco defectu, vel asperitate superante vires nouitij, vel ex aliqua simili conditione habente rationem mali respectu indiuidui, nullus enim ingredientium est, qui non intendat posse egredi ex quacumque causa, quæ omnibus pensatis sit honesta, & cum religione incompossibilis. Et hanc libertatem iura concedunt, vt possit nouitius prudenter de suo statu deliberare. Sed si iusta causa egrediendi sit incompossibilitas status religiosi cum quocumque statu pensatis omnibus tam intrinsecis religioni, qua extrinsecis honestè eligibili, iam ex hoc colligitur, egressum è religione, secundum se non esse materiam præfati voti, quia alias à promisso per votum non potest recedere vouens ex quacumque causa, & hac sola ratione, quod materia promissa sit incompossibilis cum alio bono honestè amabili, aliter nullum votum obligaret sed quocumque voto emisso liceret oppositum velle, & agere ex fine honesto, & sibi bene viso.

37. Quod si dicatur hoc votum speciale esse & obligare ad permanentiam oppositam cuicumque imprudenti egressui, certè hæc specialitas esset probanda. Nam religionem ingredientes certè si bona fide ingrediantur, intendunt non exire imprudenter, sed hoc non est ex ratione speciali, & propria ingressus in religionem, sed ex generali naturæ lege obligantis ad non mutandum consilium imprudenter. Cæterum quantum sit ex vi ingressus sicut non se obligant speciali obligatione ad fugiendam imprudentiam, & ex consequenti ad non egrediendum imprudenter, ita si imprudenter egrediantur, non committunt speciale peccatum contra aliquam virtutem ex vi propria ingressus obligantem ad non egrediendum imprudenter. Sic igitur neque imprudens egressus à religione est materia voti religionis, quia hoc votum habet pro materia id, quod intendunt qui bona fide ingrediuntur, hi vero sic intendunt profiteri, quod non intendunt se obligare speciali obligatione ad non exeundum imprudenter, sed imò in hac plenam libertatem sibi reseruant. Igitur &, qui vouent religionem, ad aliud non se obligant, nisi ad ingrediendum bona fide, & ad manendum iuxta formam iuris salua libertate exeundi, manente semper alias, non tamen ex vi voti, sed ex dictamine rationis, obligatione, quæ ad manendum oriri potest ex vi prudentiæ, & aliarum virtutum,

38. Et hoc magis probatur. Nam ad hoc vt aliquis bona fide ingrediatur non est necesse, vt supra probatum est, quod ingrediens intendat positiuè, & deliberatè non exire, sed sufficit, quod ad hoc negatiuè se habeat, & quod interim velit experiri religionem, vt illam sciat prudenter eligere si velit. Et sic bona fides non includit bonam voluntatem determinatam, & deliberatá exeundi, sed importat voluntatem determinatam experiendi, & aptitudinem ad prudenter se determinandum, quæ consurgit ex eo, quod vouens experitur religionem. Multominus postea claudit voluntatem determinatam, & deliberatam ad non exeundum ex quacumque, & vndequaque adueniat iusta causa, & honesta exeundi,

seu ex honesto amore cuiuscumque status incompossibilis cum statu religioso. Non enim nouitius intendit suam libertatem legare, & quatenus hoc intenderet, si id non vouet, vel iurat potest intentionem mutare, & ita vult ut liber maneat ad honestè volendum, uel manere, uel egredi. Et licet multorum opinio sit, & quidem vera, hominem teneri ad eligendum id, quod omnibus pensatis est sibi melius, tamen, & potest contingere, quod nouitio ex extrinsecis omnibus pensatis sit melius exire, non alia causa ex parte religionis extante, nisi quod est incompossibilis cum statu illo meliori. Et præterea qui tenet nullam esse obligationem ad eligendum melius, sed sufficere si eligat id, quod omnibus pensatis est bonum, in hoc liber erit, ut manifestè possit exire sine peccato ex quocumque motiuo omnibus pensatis honesto. Et ex ingressu bonæ fidei non obligatur ad amplius. Itaque ingressus bonæ fidei necessario, & per se non importat nisi intentionem probationis ad finem, ut nouitius habeat libertatem perfectè liberam, ut possit perfectè, & prudenter deliberare de permanentia, uel egressu, non obligans speciali obligatione ad permanendum, etiam si prudentia hoc dictet, sed in hoc relinquens nouitium in ea obligatione, quam ex præceptis uirtutum, & prudentiæ, habet. Vnde multo minus ex hac bona fide prohibetur egredi ex motiuo omnibus pensatis honesto.

39. At verò, qui vouet religionem secundum formam iuris non obligatur nisi ad ingrediendum bona fide relicta sibi plenissima libertate deliberandi circa professionem. Itaque sic probatur intentum. Nam uotum religionis secundum formam iuris interpretatum non obligat ad maiorem perseuerantiam, quam sit illa ad quam tenetur, qui ingreditur religionem bona fide, quia verè, & propriè religionem ingreditur bona fide, in omni proprietate fit religiosus, & est suo modo, & tanquam nouitius, se esse etiam religiosum bene intendit. Sed qui bona fide ingreditur religionem non ita tenetur ad perseuerantiam, quin possit ex quacumq; causa exire, & imò quod si imprudenter exeat per se loquendo peccet speciali peccato; vt satis est probatum, igitur vouens religionem secundum formam iuris, non tenetur ex vi voti ad hoc vt ex quacumque causa honesta non possit exire, vel ita vt peccet speciali iure contra votum, si imprudenter exeat.

40. Et ita huius sententiæ primo est D. T. in hac tertia conclusione articuli, quæ in alio sensu non potest intelligi, quia absolutè dicitur eum, qui vouit religionem absolutè, non considerando de perseuerantia non teneri perseuerare. Si enim huiusmodi dictum est conditionatum, & limitatū, vt non liceat vouenti in hoc casu exire nisi ex iusta causa, falsum est eum absolutè non teneri ad manendum, quia iuxta hanc sententiam non manere secundum se est malum, & ideo absolutè, & secundum se est illicitū. D. Thomas autem è contra absolutè sine limitatione affirmat talem non teneri perpetuo in religione permanere. Et hoc idem D. T. tenet in respons. ad secundum, & tertium, vt ibidem ponderabitur. Vnde huius sententiæ sunt omnes illi, qui absolutè loquentes dicunt hunc vouentem non teneri perpetuo in religione permanere D. Anton. 3. *part.* 16. c. 2. §. 4. Sylu. *v. religio* 2. q. 19. Viguerius *instit.* c. 17. §. 1. *vers.* 23. Abul. *q.* 93. *in cap.* 30. *Numer.* & Richard. 4. d. 38. a. 8. q. 3. Sed præter istos expressè, & in terminis hanc sententiam tenent Nauar. *l.* 3. *de voto consil.* 25. Henricus de Gandauo *quod l.* 3. *q.* 19. & *quod* 13. *q.* 5. Palud. 4. d. 38. q. 4. a. 1. n. 9. Syluest. *v. Religio* 4. *q.* 19. Tabiena *v. Nouitius q.* 7. *n.* 8. Lopez *p.* 1. *instruc.* c. 45. Angelus *v. votum* 3. *n.* 18. Et eandem probabilem putat Diana *p.* 4. *t.* 4. *resol.* 25. Idem tenent Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap. mihi* 23. *q.* 6. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. §. 6. *n.* 22. Sayrus in Claui Reg. l. 6. c. 9. n. 18.

41. Vnde ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur ex dictis. Primum enim probat oppositum, quia ingrediens bona fide non tenetur habere positiuam, & absolutam voluntatem manendi, sed conditionatam conditione à iure statuta, si sibi post religionis experimentum manere placuerit. Et additur, quod modus loquendi arguentis est valdè æquiuocus. Nam dum dicitur, quod ingrediens bona fide intendit manere, si religionem gratam sibi inuenerit, multiplicem sensum habere potest, ex multiplici enim causa potest religio non inueniri grata, vel scilicet ex aliquo eius defectu, quia minus perfecta, vel relaxata, vel ex eius austeritate, vel ex alia ratione propria religionis; vel ex ratione generalissima, ex qua nullum bonum finitum dari potest, quod non habeat aliquid mali vnde displiceat. Si propositio illa intelligatur in primo sensu probanda est, quia experientia constat aliam esse intentionem ingredientium bona fide, qui non se coarctant ad motiua displicentiæ, quæ ex religione, vt ex causa propria oriri possint, sed intendunt habere plenam libertatem, & præcipuè libertatem exeundi ex quocumque honesto motiuo. In secundo autem sensu idem est intendere perseuerantiam, si religio inuenta fuerit grata, ac intendere perseuerantiam si libuerit perseuerare, quia si non libuerit eo non libuerit, quia est in religione quod displiceat, ad minus incompossibilitas illius cum alio bono magis grato. Et per hæc patet responsio ad secundum.

42. Neque obstat dicere, quod qui vouet religionem non vouet solum ingressum, & experimentum religionis, sed religionem ipsam. Quia hoc est verum dupliciter, scilicet de intentione negatiua ante experimentum, quia non potest velle non manere antequam ingrediatur religionem, & sic contra votum est deliberare de ingressu ante experimentum, & de intentione conditionata, & ad formam iuris communis, & ideo conditionata sub conditione vltimæ deliberationis liberæ habendæ post religionis ingressum, & experimentum, & ita ad tertium argumentum dicitur, quod ex eo quod iure statuit, sequitur, quod votum manendi interpretatum secundum formam iuris non obligat ad permanendum. Admittimus enim quod iura nihil decreuerunt de voto religionis directè, & ex intentione; sed tamen indirectè materiam voti determinando obligationem voti statuerunt. Iis enim vult, ut ingrediens religionem etiamsi ingrediatur ex proposito determinato manendi, & numquam exeundi, adhuc tamen non teneatur manere, sed sit liber ad exeundum ex quacumque causa sibi benè visa. Et licet posse exire imprudenter non sit statutum à iure, est tamen permissum, seu melius

ex vi sua non est le[...] a prohibitum; & ideo sequitur, quod egressus imprudens ex vi ingressus, & propositi permanendi nō habeat specialem malitiam, aliam ab ea, quæ ex præcepto prudentiæ, & virtutum seu directionis rationis consequitur. Ingressus igitur, & permanentia secundum formam iuris intenta, est perseuerantia vt volita sub conditione liberæ deliberationis habendæ post experimentum, igitur votum iuxta formam iuris, nō offert Deo maiorem voluntatem manendi, quam voluntatem conditionatam sub conditione vltimæ deliberationis omnino liberæ, & ita vouēs nō tenetur manere, si nolit. Ad quartū dicitur, quod magnū est discrimē inter illū, qui nō vouit religionē, & qui illa vouit. Quia ille nō tenetur intrare, & ingressus statim potest exire, sed iste, & tenetur intrare, & ingressus non potest statim exire, sed tenetur experiri austeritates Religionis, sed post experimentū iā est liber, quia ad solum experimentum se ex voto obligauit. Quintum nihil probat, quia finis voti, non cadit sub voto; probatio igitur ordinatur ad hoc vt homo Religionem possit eligere, vel respuere, sed liberè, & iuxta formam [...]is, quæ nouitium in sua libertate constituit. Non quia lex approbet exitum sine causa iusta, qui est malus; sed quia illum speciali lege non prohibet, sed illum naturali legi relinquit, quæ prohibet aliquid fieri, & nō fieri honestè cum circumstantijs debitis, & præcipuè sine motiuo finis honesti; ideò qui recedit à Religione sine causa iusta, & non vouit perseuerantiam peccat contra prudentiam, & charitatem, sed non peccat contra votum. Videndum igitur est, an vouens, vel expressè, vel æquiualenter vouerit nedum ingressum, sed perseuerantiam, & de reliquo vbi hoc non constet, votum illius interpretari debet, vt valeat secundum iuris formam, & ex cōsequenti, quod obliget ad ingrediendum religionem bona fide, non verò ad perseuerandum, quidquid in contrarium videatur voluisse Bordon. *resol.77.n.4.*

43. Sed & supradicta probantur ex principijs à priori sententia admissis. Nam tandem concedunt nouitium voto religionis adstrictum posse exire ex causis tam leuibus, vt ex hoc manifestè argui possit, nec huiusmodi causas esse necessarias. Nedum enim inter causas iustas ob quas ille potest egredi, numerant necessitatem parentū, nimirum Patris, Matris, Sororis, imò & Fratris si tanta sit, vt sit alias auxilio destitutus; & morbum saltem talem, qui nouitium reddat inhabilem ad opera religionis, vel in graui vitæ periculo illum constituat, & religiosos communiter non cautè viuere, vt nouitius timere possit, ne proficiat; & experimentum grauissimarum pœnarum, quæ iniunguntur pro culpis, quas timet fore, vt illas sibi impositas ferre nequeat; & experimentum defectus charitatis in prospiciendo infirmis; & timorem grauissimæ pœnæ sibi pro culpa etiam dignè impositæ; & experimentum eius, quod religio non sibi præbeat robur, & firmamentum, vnde timet ne tempore crescente tepidus euadat. Sed ita iustitiā harum causarum atenuant, & extendunt, vt dicant causam sufficientē esse, religionis displicentiam, & inuenire illam non gratam, quamuis Sanchez *nu. 100.* hoc limitet, vt non intelligatur de displicentia liberè concepta, sed quæ sit cum anxietate, & tristitia animi, & duret saltem per mensem, & Suarez *nu. 5.* inter huiusmodi causas numerat, si nouitius non speret se posse manendo viuere in gaudio, & tranquillitate animi, & tandem idem Sanchez *nu. 99.* regulam generalem tradit, & ait illam esse iustam causam, quæ sufficeret, vt nouitius non adstrictus voto, & recedens non posset argui leuitatis, & huius rationem reddit, quia vouens eam solam perseuerantiam promittat, quam intendit ingrediens absque voto. At verò primo hæc ratio oppositum probat. Nam qui ingreditur bona fide absque voto intendit professionem cōditionatam non determinatè sub conditione solius causæ iustæ, sed sub conditione legis, & iuris communis, quę est omnimoda libertas exeundi intra annum probationis. Secundò si sufficit causa talis, ob quam egrediens non censeatur leuis; ergo non requiritur sola causa iusta, quia iniusta causa sufficere potest, vt non dicatur leuis in ingrediendo, vt v. g. spes magni lucri etiam iniusti, vel desiderium vindictæ in eos, qui de præsenti occiderunt patrē, vel ambitio etiam mala, & pessima alicuius prælaturæ [...]l aliquid aliud huiusmodi malum quidem, sed inter mundanos, & apud homines magnę æstimationis, & quod non mouet, vt leuis aura, sed vt ventus Aquilo concutit animos. Tertiò nam numquam leuiter agit, qui agit id, quod omnibus pensatis est honestum, & ita si sufficit causa, quæ excuset à leuitate, omnis honesta causa sufficit, hoc autem, ut dicebatur est signum, quod exitus secundum se non est malus, nec est contra notum; sed malus est solum ex parte exeuntis, & ex causa exeundi, non quia ex voto prohibitus; quia vouens religionem ex hoc non intendit se obligare ad agendum quidquid agit ex virtute, vel ad non agendum ex malo fine, sed votum respicit substantiam actus, vnde voto satisfacit, qui ingreditur professurus, & qui profitetur etiam si totum hoc faciat ex vili timore, & ex aliquo malo fine; Et ita si vouens religionem promittit perseuerantiam promittit illam secundum substantiam, & independenter à bono fine operantis, vnde si ex solo honesto fine operantis egressus fieri potest licitus, signum est, quod egressus non est ex voto prohibitus, & permanentia non est præcepta, quia si esset præcepta sicut satisfaceret voto, qui maneret ex malo fine, ita & faceret contra votum, qui exiret, licet ex bono fine exiret. Quamobrem dicitur eum, qui vouit religionem simpliciter ex vi voti non teneri perpetuo perseuerare in religione, sed sufficere quod religionem bona fide ingressus fuerit.

44. Quæritur nihilominus tertio quid facere debeat, qui vouens religionem infra annum nouitiatus egreditur, vel ex causa iusta, vel non, vel volūtarius vel eiectus. Et quidē qui tenent eum, qui vouit religionē non posse exire, nisi ex iusta causa simul asserunt talem teneri, vel redire ad eamdem religionem, vel respectiuè ad aliam iuxta voti conditionem, quia cum voto non satisfecerit, tenetur satisfacere vno, vel altero modo. Hoc verò supposito distinguunt inter eum, qui voluntarius exit, ab eo qui exit eiectus. Quantum igitur ad eum, qui voluntate ex causa iusta recedit, quidam distinguunt, quia vel causa est perpetua, & vniuersalis, siue adæquata, vel est aut temporalis, aut partialis, & inadæquata, quia est respectu huius Mona-

nafterij, vel religionis, non verò respectu alterius. Et ita dicunt eum, qui voto religionis adstrictus exit ea iusta causa perpetua, & adæquata satisfecisse voto suo, & ab eo manere liberum, neque ad aliud teneri. Et quidem hoc est certum, & communiter admissum. Sed si causa sit, vel temporalis, vel inadæquata non manere liberum, sed vel cessante causa teneri redire, vel si causa est particularis illum teneri adire, vel aliud Monasterium, vel respectiuè aliam religionem iuxta voti conditionem, nisi votum fuerit pro determinato Monasterio respectu cuius causa sit perpetua, & adæquata. Ratio horum est, quia adstrictus voto religionis, ita se debet habere, vt admittatur, vt supra probatum est, est autem eadem ratio de ingressu, & de professione. Et huius sententiæ est Rodriq. tom. 2. sum. c. 95. n. 5. Verùm dato etiam, quod nouitius voto religionis ligatus non possit exire sine iusta causa, alia sententia docet, talem qui semel bona fide ingressus est si exeat ea iusta causa manere liberum, nec teneri, vel redire ad eandem religionem, vel aliam pulsare donec recipiatur. Ratio huius est, quia ad complendum votum indefinitum sufficit vnus actus, nisi aliud constet de speciali intentione vouentis, ideo qui simpliciter vouet religionem voto satisfacit, & eius obligatio extincta manet, si semel ingreditur bona fide religionem, & quod non perseuerret ea iusta causa procedit. Tum quia aliter esset intollerabilis labor, si contingeret hunc primo, secundo, & tertio, &c. voluntariè ea iusta causa exire, & teneri ad nouitiatum modo in hac, modo in illa religione, vnde & nouitiatus annum excederet. Et ita sentiunt Sanchez *dicto cap.* 16. n. 105. & Suarez *dicto cap.* 3. n. 11.

45. Loquendo verò de eo, qui expellitur ex culpa sua, aliqui affirmant eū non esse à voto exēptū. Quia quādo cōditio sub qua fit votū nō impletur ex culpa vouētis habetur pro purificata, & completa; qui verò sua culpa eijcitur est causa, quod non ponatur conditio sub qua uotum obligat; Votum enim religionis obligat ad manendum, si à religione non remittatur. Et ita huius opinionis fuit Toledo *l.* 4. *c.* 17. *n.* 12. *& cap.* 18. *n.* 2. Alij autem distinguunt, quia uel qui eijcitur ob culpam suam mediocrem diligentiam adhibuit, ad hoc ut corrigeret se, & sic si eijcitur manet à voti obligatione liber, uel nec mediocrem diligentiam adhibuit ad hoc vt corrigeret se, & sic si eijcitur manet à voti obligatione liber, vel nec mediocrē diligētiā adhibuit ad prauos mores emendandos, & sic tenetur iterū uoto. Ita Sanchez *citato cap.* 16. *n.* 108. Sed alij alio modo distinguunt, & dicunt eiectum ex culpa sua satisfecisse uoto suo, si bona fide processit, & nec directè, nec indirectè malè egit, ut execeretur, sed uel ea fragilitate, uel mala consuetudine prauos mores corrigere neglexit. Quia iste obseruauit, quod promisit probando religionem, & hæc probatio est sufficiens iuxta intentionem nouentis, & ideo causa rationabilis, quæ ex illo resultat ad non perseurandum ualet, ut extinguat obligationem uoti. Ita tenent Azor. *l.* 11. *c.* 22. *n.* 9. & Suarez *dicta l.* 4. *c.* 3. *n.* 15.

46. Ex hac verò ultima sententia colligitur, quod si causa rationabilis non perseuerandi est eijci, quia receptus non vult corrigere mores suos, iuxta primam sententiam non vult adhibere mediocrem diligentiam ad illos corrigendos benè sequitur, quod nulla causa rationabilis est hic necessaria, quia nolle emendare mores suos nec est, nec vmquam erit causa rationabilis. Et parum hic interest, quod nouitius eijciatur, quia voluntariè vult malè agere, vel quod ipse voluntariè exeat, quia non vult religiosè viuere. Et si satisfecit voto, quia religionē probauit, satis igitur est, quod qui vouit religionem eam probet, & hoc peracto multo magis potest liberè exire ex quacumque honesta causa, si potest exire eiectus, quia voluntariè non vult suos mores corrigere. Et limitatio, quæ apponitur, contradictoria inuoluit; nouitius enim, qui monitus non corrigit se, benè scit, quod tandem eijcietur, Igitur voluntariè sine dubio vult eijci, si voluntariè non vult se corrigere; vndè ergo bona fide? Certè negligere voluntariè, & scienter prauos mores: non euitando periculum eiectionis, & illam velle, & intendere, imo & procurare moraliter æquiparantur. Et ideo dicendum est absolutè, quod qui bona fide ingressus est, & aliquo modo probauit bona fide religionem, postea potest ex quacumque causa exire, vnde nec prohibitus est malè agere, vt eijciatur quantum sit ex vi voti; & licet malè agat, si non uult emendare mores suos, hoc tamen non agit contra votum religionis, quod emisit etiam si iam nolens manere malè, & peius agat, vt eijciatur. Nec est eadem ratio de bona fide ingressus, & probationis aliqualis, & sufficientis, & de bona fide permanentiæ in religione. Prima enim est necessaria, quia est à vouente directè, immediatè, & absolutè promissa. Qui enim vouit religionem ad minus promittit ingressum bona fide, & probationem religionis talem, ac tantam, quod possit dici, quod religionem expertus sit, & probauerit, sed perseuerantiam non promisit nisi sub conditione, quod religione probata sibi manere placuerit. Ideo probata sufficienter religione, si iam velit exire voluntarius, vel velit voluntariè eijci non facit contra votum, quia voto satisfecit religionem probando.

47. Concludendo igitur, & directè quæsito respondendo distinguitur. Nam vel nouitius probauit bona fide religionem per aliquod tempus, & taliter vt dici possit, quod religionem expertus sit, vel illam non probauit, si illam non probauit, non est liber à voto. Quia per votum religionis ad minus promittitur probatio religionis in habitu religioso. Ideo qui vouit religionem ex vi voti prohibitus est deliberatè nolle perseuerare antequam religionem probauerit, vnde & tenetur ingredi, & non satisfacit ingrediendo eum animo deliberato exeundi, sed debet ingredi ad minus cū animo experiendi religionem, & interim non deliberandi de exitu. Sed postquam satis religionem expertus fuit, iam voto satisfecit, & potest exire si velit, & in hoc sufficiens causa exeundi est, quia religio probata sibi displicet, illiq; suos mores accommodare non placet. Quod quidem & in substantia tenent Sanchez, & Suarez citati, quamuis modus loquendi diuersus sit, sed certè minus rationabilis, dū rationabilis causa nō perseuerādi asseritur nolle voluntariè emendare mores. Et illos statutis, & praxi religionis conformare, quod est prorsus irrationabile. Quantum verò temporis debeat

beat nouitius durare in probatione antequam deliberet de exitu, arbitrio prudentis est mensurandum, tantum enim requiritur, & sufficit, quantum est necessarium, vt possit dici, quod nouitius bona fide religionem probauit, & eius conditiones est expertus. Solum aduertendum, quod quia bonum est ex integra causa, & malum ex singulo defectu, maius tempus ex natura rei requiritur ad deliberandam permanentiam, quam exitum. Et lex statuit annum integrum probationis pro vltimate delibetanda permanentia, sed ad deliberandum exitū etiam prudenter, non est necessarius annus, sed sufficit tanta probatio ex qua animus nouitij possit moueri, vt exitū deliberet.

48. Est vero necessarium, vt probatio fiat in Religione ad quam nouitius sit ex lege idoneus. Nam si alias nouitius admissus eijciatur, quia cognoscitur non habere, vel ætatem, vel aliquid aliud lege Religionis, vel ex lege Pontificia requisitum ad professionem in illa Religione, non propter hoc eiectus liberatur voto; sed si vouit religionem illam determinatè debet expectare tempus, in quo sit capax, vel procurare idoneitatem suam modo possibili, vel si vouit Religionem in genere aliam quærere iuxta determinata in superioribus; Nam alias ex vi voti tenetur ad probationem in Religione, in qua non sit prohibitus profiteri, si alias se idoneum adprofitendum præstiterit, vt benè tradunt Nauar *lib. 3. de voto consil. 23.* & Sanchez *dicto c. 16. n. 107.*

49. Quæ vero dicta sunt huiusq; vera sunt etiam si in votum religionis in aliud votum sit commutatum, vt si votum peregrinationis Hierosl. vel votum laxioris Religionis, vel aliud votum sit cōmutatum, & commutatio facta sit a superiore siue propria auctoritate, dummodo tamen verè commutatio sit *facta* in votū Religionis aut Religionis strictioris; semper enim eodem modo, & eadem ratione si post probationem bona fide habitam egrediatur à religione, manet liber à voto, siue commutatio legitima sit. *Ac* respectu religionis, in qua voto ligatus non est ex aliqua lege prohibitus profiteri, & votum religionis non sit votum perseuerantiæ in religione, aut commutatio sit absoluta, & non conditionata. Votum enim religionis ex eo, quod est id, in quod aliud votum etiam perpetuum, vt votum castitatis est commutatum, non mutat naturam suam, ideo si satisfit voto religionis, omnis alia obligatio manet extincta, quia commutatio legitima, & absoluta priora vota commutata prorsus extinguit, vt tradit Sanchez loco citato *num. 96.* Ideo sufficit, vt satisfiat voto religionis, si tamen commutatio est facta. Nam si v.g. habens votum laxioris religionis ingrediatur strictiorem voto priori non commutato in votum strictioris religionis, si exeat à strictiori religione, tenetur ingredi laxiorem, quia votum illud non fuit extinctum, cum non fuerit commutatum. Similiter si votum peregrinationis Hier. aut castitatis sit commutatum in votum religionis, cuius voto ligatus non est capax ex aliquo impedimento legali, commutatio nulla est, ideo non manet à priore voto absolutus. Nisi incapacitas superuenerit commutationi voti, quia tunc commutatio fuisset legitima & ideo prioris voti obligatio remaneret extincta. Vnde si postea voto ligatus, vel non admitteretur in religionem, vel admissus eijceretur, maneret ab omni obligatione liber iusta supra explicata. Vel si vere ipse erat idoneus ad religionem, sed per falsos testes habitus fuit vt non idoneus, & sic fuit eiectus. Quia vt bene tradit Sanchez *num. 97.* cum legitima fuerit commutatio in votum Religionis, cuius re vera voto ligatus erat capax tempore commutationis, fortuitus casus superueniens, vel noui statuti, vel falsæ informationis, non potest facere, vt prioris voti obligatio per commutationem extincta reuiuiscat.

50. Si tamen contingat, vt post vnum votum, quis vel prioris memor, vel immemor aliud votum emittat incompossibile, vt si ligatus voto strictioris religionis voueat religionem laxiorem, & accidat vt iste eijciatur à religione strictiori, tenetur ingredi laxiorem quia non inconuenit, vt quis vota incompossibilia validè voueat, & licet tunc votum minoris boni maneat suspensum, si tamen qui vouit euadat liber à voto boni melioris, sublatrat vis alterius voti. Sanchez ibid. *num. 98.* nisi votum secundum laxioris religionis factum fuerit in fraudem ad impediendam meliorem materiam prioris voti, quia tunc posterius votum non est validum, cum nec Deo sit gratum.

51. Sed quid dicendum si ligatus voto religionis bona fide procedens, & inscius alterius fraudis, vel non admittitur ad religionem, vel admissus eijcitur, vt maneat liber à voto. Sanchez *d. c. 16. n. 109* censet hunc non esse à voto liberum. Et quidem si non fuit admissus, hoc videtur clarum, quia vouens non est expertus religionem, Sed etiam si admissus dimittitur, idem asseritur, quia fictè admissus, non fuit vere nouitius. Verum oppositum est dicendum, quia ex vi voti nullus tenetur nisi ad faciendum bona fide, quod in se est, vt votum impleat, nec alterius malitia innocenti facienti ex parte sua, quod potest, præiudicare potest, & quod dicitur, quod non fuit nouitius, vel fuit fictus, respondetur, quod si non fuit admissus non fuit nouitius, quia esse non potuit. Quod vero non potuerit ex malitia, & fraude alterius, hoc non facit ad rem, quia ipse fecit, quod potuit, & debuit vt ingrederetur, & non est ingressus, quia non potuit, ideò voto satisfecit. Quod si fuit admissus, & postea eiectus multo magis fecit, quod potuit; Et ex parte sua fuit verè nouitius, & non fictè, sed & absolutè fuit verè nouitius, quia verè & non fictè ad probationem admissus, licet fuerit admissus animo illū dimittendi, & eijciendi; quod non præiudicat probationi, vel nouitio, qui cum bona fide processerit voto ex parte sui satisfecit.

SVMMARIVM.

1 *Votum ingressus in religionem est bonum. numer. 52.*
2 *Egressus à Religione non est malus secundum substantiam, sed ex circumstantia. n. 53.*
3 *Tota responsio ad tertium aduertenda. n. 54.*
4 *Habens votum Religionis tenetur bona fide experiri religionem, non vero tenetur perseuerare. nu. 54.*

52. In

52. IN responsione primum habetur, quod votum religionis est bonum, & validum, licet per illud non promittatur nisi ingressus in religionem animo illam probandi, quia hoc bonum est, & qui hoc modo intrat, licet exeat postea, non aspicit retrò, sed venit ad Christum, quia reddit, quod promisit. Et quia votum religionis secundum formam iuris modo non promittit absolutè nisi ingressum in religionem bona fide, & animo probandi religionem, perseuerantiam vero promittit sub conditione à lege statuta, vt post probationem liber sit ad permanendum, & exeundum, ideo hoc votum bonum est, quia valdè bonum est experiri religionem, & gustare & videre, quam suauis sit Dominus, ex hoc enim disponitur homo etiam ad perseuerandum.

53. In responsione ad Secundum consideratur exitus, & exitus ex rationabili causa, sed licet exitus absolutè, & de se non sit malus, tamen semper est malus si malè fiat, scilicet non ex causa honesta, & rationabili; ideo D.T. non ait absolutè, quod exitus à Religione causet scandalū, sed quod non hoc causat præsertim si sit ex causa rationabili; nam alias imprudens exitus scandalum generat. Ex eo tamen, quod D.T. vtitur hoc modo loquendi, & ait *si exeas præsertim ex rationabili causa &c.* indicat exitum a religione non esse de se malum, & scandalosum secundum substantiam, sed solum ex circumstantia, & ex parte exeuntis, si non moueatur ad hoc ex rationabili causa. Ex hoc tamen apertè colligitur de mente S. Thomæ esse, quod exitus à religione secundum se sumptus non est simpliciter voto prohibitus, ac malus, quia alias etiam prout est actus externus esset malus, & generatiuus scandali, quod vero sit malus si fiat sine rationabili causa, ex hoc sequitur, quod sit malus ex parte exeuntis, & ex defectu circumstantiæ debitæ, non vero; quia sit actus, qui sit contra votum.

54. Tota responsio ad Tertium aduertenda est. Ponitur enim prima conclusio per quam statuitur, quod voto non satisfacit, qui intrat religionem animo exeundi, quia per votum aliud promisit, scilicet promisit intrare, & bona fide experiri. Ideo secundo D.T. asserit, quod vt voto satisfaciat tenetur mutare animum, sed non vt intendat permanere, sed vt intendat experiri. Neque ex hoc secundo validè Caietanus colligit primum, quia benè quidem deducit de mente D. T. esse necessarium experimentum bonæ fidei, sed de mente D. Thomæ non est, vt vult Caiet. vt experimentum bonæ fidei sit solum illud, quod habet annexam deliberatam voluntatem manendi, si experientia exigat permanentiam, sed bona fide experitur etiam ille, qui nihil adhuc de permanentia deliberans, & reseruans deliberare post integram probationem interim probat, & experitur vt suo tempore possit prudenter deliberare. Ideo tertium D. T. repetit suam conclusionem absolutam, scilicet, quod voto religionis ligatus non tenetur in perpetuum remanere. Et cum D.T. absolutè, & simpliciter asserat non adesse obligationem ad remanendum perpetuo, propositio eius vim vniuersalis habet, & mens eius est, quod ex vi voti non est obligatio ad manendum. Et si ex vi voti daretur obligatio ad manendū non existēte causa rationabili excusante exitum, oppositum absolutè dicendum fuisset, scilicet non dari libertatem ad exeundum, nisi causa aliqua excuset ab hac obligatione; sicut de eo qui habet votum perseuerantiæ dicitur absolutè, quod tenetur perseuerare, licet ea causa in casu singulari excusari possit. Nam per votum religionis, vel promissa est perseuerantia, vel non est promissa. Si est promissa absolutè dici debet, quod voto ligatus tenetur perseuerare, quia tenetur seruare, quod promisit. Si vero non est promissa, igitur absolutè non tenetur homo perseuerare, & licet ex causa iniqua non perseueret non peccat contra votum, quia per votum non promisit perseuerantiam. Et si dicatur, quod perseuerantia absolutè nec est promissa, nec est refutata, sed est promissa perseuerantia in casu particulari, scilicet si nō sit causa rationabilis exeūdi, igitur absolutè nec dici potest, quod voto ligatus teneatur, nec quod nō teneatur, sed dici debet, quod in tali casu tenetur, & in alio nō tenetur nec absolutè dici potest nō teneri, si solū in casu particulari nō tenetur. Et si vt ait Caiet. per accidens tenetur, ergo non tenetur ex voto, votum enim non obligat per accidens, & ex contingenti, quia si res est promissa, obligat per se, & necessario, si non est promissa nullo modo obligat. Sed obligatio per accidens consurgit ex circumstantijs, & ideo ex præceptis virtutum, & ex legibus, non vero ex voto. Et licet non omne, quod voto promittitur primario promittatur, sed aliquid secundario, & indirectè promittitur, tamen totum hoc in actuali voto statuitur, & nihil contingit promitti de nouo, nisi fiat nouum votum; ideo non contingit, vt in casu particulari oriatur de nouo obligatio ex voto, sed si materia fuit promissa tunc cum vouens vouit, vouens ad eam reddendam obligatur, si non fuit promissa ad eam reddendam non potest vnquam ex vi voti obligari. Si ergo perseuerantia absolutè non est per votum religionis promissa, absolutè non tenetur vouens permanere, si tamen est promissa in tali casu, in tali casu tenetur, sed tunc non deceret magistrum semper propriè, & formalissimè loquentem dicere absolutè, quod tali voto ligatus non tenetur manere, sed imò debet dicere quod tenetur in hoc casu, & in illo casu non tenetur.



QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS V.

Vtrum pueri sint recipiendi in Religione?

Sup. quaest. 88. ar. 8. ad 1. & art. 9. corp. Et quodl. 3. art. 11. Et quodl. 3. art. 23. & op. 17. cap. 3. l. 3. tit. 31. c nul. c. 4. & 5. & in fin. l. de ver. sch. cont. 1. 22. q. 5. c. 15. Pueri: c. 16. Honestum. 20. q. 1. cap. Puella.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod pueri non sint recipiendi in religione: quia extra de regularibus, & transeuntibus ad religionem, dicitur, Nullus tondeatur nisi in legitima aetate, & spontanea voluntate. Sed pueri non videntur habere legitimam aetatem, nec spontaneam voluntatem; quia non habent perfecte usum rationis. Ergo videtur, quod non sint in religione recipiendi.

2. Praeterea, Status religionis videtur esse status poenitentiae: unde & religio dicitur à religando, vel à reeligendo, ut Aug. dicit 10. de Ciuit. Dei. Sed pueris non conuenit poenitentia. Ergo videtur, quod non debeant religionem intrare.

3. Praeterea, Sicut aliquis obligatur iuramento, ita & voto. Sed pueri an.. annos quatuordecim non debent obligari iuramento: ut habetur in Decretis 22. q. 5. cap. Pueri, & cap. Honestum. Ergo videtur, quod nec etiam sint voto obligandi.

4. Praeterea, Illicitum videtur esse obligare aliquem tali obligatione, quae posset iuste irritari. Sed si aliqui impuberes obligant se religioni, possunt retrahi à parentibus, vel tutoribus. Dicitur enim in Decretis 20. quaest. 2. quod puella si ante duodecim aetatis annos sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit; possunt statim parentes eius, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. Illicitum est ergo pueros, praesertim ante annos pubertatis, ad religionem recipere, vel obligare.

Tract. 7. in Matth. non multum remote ante finem.

SED contra est, quod dicit Dominus Matt. 19. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire; quod exponens Origen. super Matth. dicit, quod discipuli Iesu priusquam discant rationem iustitiae, reprehendunt eos qui pueros, & infantes offerunt Christo. Dominus autem exhortatur discipulos suos condescendere utilitatibus puerorum. Hoc ergo attendere debemus, ne aestimatione sapientiae excellentioris, contemnamus, quasi magni, pusillos Ecclesiae, prohibentes pueros venire ad Iesum.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, duplex est religionis votum. Vnum simplex, quod consistit in sola promissione Deo facta, quae ex interiori mentis deliberatione procedit. Et hoc votum habet efficaciam ex iure diuino: quod tamen dupliciter impediri potest. Vno modo per defectum deliberationis, ut patet in furiosis, quorum vota non sunt obligatoria, ut habetur de regularibus, & transeuntibus ad religionem, cap. Sicut tenor. Et eadem est ratio de pueris, qui nondum habent debitum usum rationis, per quem sint doli capaces: quem quidem pueri habent, ut frequentius circa quartumdecimum annum; puellae vero circa duodecimum; qui dicuntur anni pubertatis: in quibusdam tamen anticipatur, & in quibusdam tardatur, secundum diuersam dispositionem naturae. Alio modo impeditur efficacia simplicis voti, si aliquis Deo voueat, qui non est propriae potestatis, puta si seruus etiam usum rationis habens, voueat se religionem intrare, aut etiam ordinetur ignorante domino. Potest enim hoc dominus reuocare, ut habetur in Decret. dist. 54. cap. Si seruus. Et quia pueri, vel puellae infra pubertatis annos naturaliter sunt in potestate patris, quantum ad dispositionem suae vitae, poterit pater votum eorum reuocare, vel acceptare, si sibi placuerit, ut expresse dicitur de muliere Num. 30. Sic ergo si puer ante annos pubertatis simplex votum emittat, ante quam habeat plenum usum rationis, non obligatur ex voto. Si autem habeat usum rationis ante annos pubertatis, obligatur quidem quantum in se est ex suo voto, tamen potest obligatio remoueri per auctoritatem patris, in cuius potestate adhuc existit: quia ordinatio legis, qua unus homo subditur alteri, respicit id quod in pluribus accidit. Si vero annos pubertatis excedat, non potest reuocari

aucte.

art. 2. huius quaest.

Dec. l. 3. tit. 31. cap. 15.

Decretal. l. 3. tit. 31. c. 8. 11. 12.

Dist. 54. cap. Frequens, & c. 10. & 11.

auctoritate parentum. Si tamen non dum haberet plenum vsum rationis, non obligaretur, quo ad Deum. Aliud autem est votum solemne, quod facit monachum vel religiosum: quod quidem subditur ordinationi Ecclesiæ, propter solemnitatem quam habet annexam. Et quia ecclesia respicit id quod in pluribus est, professio ante tempus pubertatis facta quantumcumque aliquis habeat vsum rationis plenum, vel sit doli capax, non habet suum effectum, vt faciat profitentem iam esse religiosum. Et tamen licet ante pubertatis annos profiteri non possint, possunt tamen cum voluntate parentum in religione recipi, vt nutriantur ibidem: sicut de c.3. in fin. *Iohanne Baptista legitur Luc. 1. quod puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis. Vnde sicut Gregor. dicit in 2. Dialog. Beato Benedicto Romani nobiles suos filios omnipotenti Deo nutriendos dare cœperunt: quod est valde expediens, secundum illud Threnorum 3. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Vnde & communi consuetudini pueri applicantur illis officiis vel artibus, in quibus sunt vitam acturi.*

Ad primum ergo dicendum, quod legitima ætas ad hoc, quod aliquis quæst. 186. ar. ad 4. *tondeatur cum voto solemni religionis, est tempus pubertatis, in quo homo potest vti spontanea voluntate. Sed ante annos pubertatis potest esse legitima ætas ad hoc, quod aliquis tondeatur in religione nutriendus.*

Ad secundum dicendum, quod re- q. 187. art. 6. [illegible] *ligionis status principaliter ordinatur ad perfectionem consequendam, vt supra habitum est: & secundum conuenit pueris, qui de facili inducuntur. Ex consequenti autem dicitur esse status pœnitentiæ, in quantum per obseruantiam religionis, peccatorum occasiones tolluntur, vt supra dictum est.*

Ad tertium dicendum, quod pueri sicut non coguntur ad iurandum, sicut Canon. dicit, ita non coguntur ad vouendum. Si tamen voto vel iuramento se astrinxerint ad aliquid faciendum, obligantur quo ad Deum, si habeant vsum rationis: sed non obligantur quo ad Ecclesiam ante quatuordecim annos.

Ad quartum dicendum, quod Numer. 30. non reprehenditur mulier in puellari ætate constituta, si voueat absque consensu parentum. Potest tamen reuocari à parentibus. Ex quo patet, quod non peccat vouendo. Sed intelligitur se voto obligare, quantum in se est, absque præiudicio auctoritatis paternæ.

SVMMARIVM.

1 *Hæreses circa receptionem puerorum ad habitum religiosum. nu. 1.*
2 *Resolutio Artic. nu. 2.*
3 *Vsus rationis multiplex. nu. 3.*
4 *Vsus rationis plenus ad deliberandum de se ipso non habetur ab impubere. num. 3.*
5 *Difficultas contra textum. nu. 4.*
6 *Sententia aliquorum. nu. 5.*
7 *Examinantur dicta S. Thomæ. nu. 6.*
8 *Ad vouendum sufficit vsus rationis, qui acquiritur circa primum septennium. nu. 7.*
9 *Formaliter non sufficit ad vouendum facultas rationis ad non peccandum. nu. 7.*
10 *Vota impuberum debilia. nu. 8.*
11 *Conciliantur dicta D. T. nu. 9.*
12 *In voto non tam ætas, quam vsus rationis spectari debet. num. 10.*
13 *In dubio quid agendum: aliquorum sententia, num. 11.*
14 *Vsus rationis in conscientia non præsumitur. num. 12.*
15 *Si dubitatur de præsentis an quis habeat vsum rationis inane motiuum desumitur ex septennio completo. Effectus naturales non colliguntur ex præsumptionibus. nu. 12.*
16 *Puer de quo est dubium an habeat vsum rationis non potest absolui nisi sub conditione. numer. 12.*
17 *Præsumptio sumpta ex septenno fallax. numer. 13.*
18 *Si nihil adest in contrarium, certum est votum emissum ante septennium esse nullum, & votum emissum post septennium esse validum, numer. 13. 14.*
19 *Si sit dubium de actuali deliberatione, quid dicendum. nu. 14.*
20 *Vbi siue ante, siue post septennium non sit certum puerum habuisse vsum rationis quando vouit, votum non obligat. nu. 15.*
21 *Si pensatis omnibus Intellectus vni tantum parti assentit; ipso est certus moraliter, & ideo si assentit hoc modo defectui vsus rationis hoc est ac si esset certus de illo. nu. 16.*
22 *Etiam in dubio positiuo, si non certum adfuisse facultatem obligandi, votum non obligat. numer. 17.*
23 *Si sit incertum an votum fuerit emissum ante septennium, hoc non magni faciendum, sed alitundo inquirendum, an vsus rationis de fuerit. num. 18.*

1 Tem-

1. TEmpore D. T. fuiſſe aliquos, qui dicebant non licere pueros ante pubertatem voto obligare ad religionem, refert idem D. T. *opus.* 17. *cap.* 11. quorum rationes, & fundamenta affere io argumentis huius articuli. Lutherus autem *lib. de votis Monaſticis* apud Bellar. *l.* 2. *de Monachis cap.* 35. dixit non oportere admittere viros ad vota Monaſtica, niſi poſt 70. aut 80. annum. Et Centuriat. *a.* 27. conqueruntur pueros recipi in religioſos. Caluinus verò *l.* 4. *inſt. c.* 15. §. 19. refert olim nefas fuiſſe ante annum 60. admittere fœminam ad votum continentiæ. Fundantur verò maximè ſuper illis verbis ad Tim. 5. *Adoleſcentiores viduas deuita.* Et. *Volo iuniores nubere, mater familias eſſe.* His verò addi poſſunt duo canones, alter ex Greg. *l.* 3. Ep. 11. prohibentis mulierem admitti ante 60. annum ad votum continentiæ, & alter ex Concil. Rom. ſub Syluestro can. 10. in quo augetur hic terminus vſq; ad 72. annum. Contra huiuſmodi errorem hic articulus à D. Thoma proponitur, & reſoluitur.

2. Reſolutio articuli eſt, pueros impuberes poſſe vouere religionem voto ſimplici ſi habeant vſum rationis, ſed tamen hoc votum eſſe reuocabile per parentes, ſub cuius gubernio viuunt. Sed voto ſolemni non poſſunt ante pubertatem obligari ad religionem, quamuis impuberes à parentibus offerri poſſint religioni, & in religione recepi, & nutriri, donec ſuo tempore profeſſionem emittant.

3. Pueros non habere vſum rationis nedum hic docet D. T. ſed amplius addit pueros hunc vſum rationis habere frequentius circa annum 14. & puellæ circa annum 12. qui dicuntur anni pubertatis. Et ſupra *q.* 88. *a.* 9. *c.* dixit pueros, vt in pluribus pati defectum rationis. Et *quodl.* 3. *a.* 11. *ad ſecundum*, ait quod homo tempore pubertatis incipit habere vſum rationis circa ea, quæ pertinẽt ad ſalutem. Eſt autem circa hoc dubium, quia communiter dicitur, quod vſus rationis ſufficiens ad contractus, & promiſſiones incipit circa finem primi ſeptennij, quia tunc homo licet adhuc non ſit aptus intelligere per ſe ipſum, eſt tamen idoneus, vt doceatur, quod ſufficit ad hoc, vt ſciat quãtum eſt neceſſe vel ad peccandum, vel ad contrahendum, & promittendum, vt docet idem D. T. 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *c.* vbi ex hac doctrina probat puerum annorum ſeptem poſſe contrahere ſponſalia. Reſpondetur autem ex D. T. ibidem plures eſſe gradus vſus rationis, & præcipuè duos, primus ſcilicet in quo puer eſto non ſit capax adhuc intelligere plenè per ſeipſum, eſt tamen capax edoceri; & hunc vſum rationis homo incipit habere circa finem primi ſeptennij. Alius eſt rationis vſus, per quem homo eſt capax, vt intelligat per ſeipſum ſaltem, quantum ad perſonalia, & hic incipit circa finem ſecundi ſeptennij in viris ſcilicet circa annum 14. & in fœminis circa 12. D. Thomas hic loquitur de hoc ſecundo vſu rationis, qui eſt vſus plenus.

Vota impuberum, quando ſint valida.

INSPECTIO I.

4. PRimà Concluſio textus aſſerit votum religionis emiſſum ante plenum vſum rationis ab impubere non eſſe validum. Circa quam Concluſionem magna remanet difficultas; Quia cum, vt eſt probatum D. T. per vſum rationis intelligat vſum plenum, qui contingit in viris circa annum 14. videtur quod mens D. Thomæ ſit, quod impuberes validè non poſſint ſe obligare ad votum religionis niſi circa annum 14. quod habet non paruam difficultatem.

5. Sanchez enim *lib.* 4. Moral. *c.* 18. *n.* 5. ait veriſſimam ſententiam eſſe obligari pueros quocumque voto ſimplici cum primum rationis vſu ad peccandũ culpam lethalem ſufficienti gaudent. Quod probat primo, quia ad voti ſimplicis valorem ea deliberatio ſufficit, quæ ſufficit ad peccatum mortale contrahendum, vt ex omnium ferè mente probauit *l.* 4. *c.* 1. *n.* 5. cum ergo homo circa finem primi ſeptennij habeat hunc vſum, tunc poterit quocumque voto, etiam religionis ſe validè obligare. Secundo nam homo tunc poteſt ſe obligare diabolo per peccatum, & homini per ſponſalia, ergo & Deo per votum. Tum tertio, quia vota tunc emiſſa non ſunt irrita iure naturali, quia ius naturale ſolum vſum rationis ſufficiens ad mortale requirit, nec iure humano, cum nullus textus ea irritans inueniatur. Tum quarto, quia vbi deficit in his pueris plenitudo rationis, natura proſpexit præbens parentibus, & tutoribus facultatem huiuſmodi vota irritandi. Quinto, quia eiuſdem ſententiæ ſunt Hoſt. Io. Andreas, Card. D.T. Caiet. Palud. D. Anton. Armilla, Sotus, Nauar. Arragon. Rodriq. Azor. & Valentia. E contra autem nulla impuberum vota valida eſſe tenuit Palacios 4. *d.* 38. *diſp.* 1. Syluester *autem v. religio* 5. *q.* 15. idem tenuit excipiens ſolum ea vota quæ propè pubertatem emittunt.

6. Mihi valdè difficilis videtur hæc quæſtio in doctrina D. Thomæ, quia non videtur quod de mente eius puer impuber regulariter poſſit vouere Religionem, & tamen communis ſententia DD. eſt quod ad vouendum ſufficiat vſus rationis, qui ſufficit ad peccandum, qui vſus rationis aduenit circa ſeptennium, & ſic circa initium pubertatis. Ratio difficultatis eſt, quia cum D. Thomas doceat ad validè vouendum neceſſarium eſſe vſum rationis, & quod vouens ſit doli capax, ex alia parte docet, quod hic rationis vſus non eſt regulariter in impuberibus. Sic ſupra *q.* 88. *a.* 9. *c.* habet quod votum ex duobus non habet efficaciã, ſcilicet ex defectu vſus rationis, & ex ſubiectione vouentis ad aliquem; & poſtea ſubdit. *Et iſta duo concurrunt in pueris, ante annos pubertatis, quia & patiuntur rationis defectum, vt in pluribus, & ſunt naturaliter ſub cura parentum.* Sentit igitur, quod impuberes, vt plurimum non habent vſum rationis; ergo ſentit etiam, quod non poſſint validè vouere, vt in pluribus. Et in hoc ſenſu D.T. intel-

lexit Syluef. *v. Religio* 2. *q.* 15. Et hunc ſenſum videtur habere DD. in hoc artic. dum apperte affirmant, quod efficacia voti impeditur in pueris, qui nondum habent debitum vſum rationis, per quem ſint doli capaces, Quem quidem rationis vſum pueri habent, vt frequentius circa quartumdecimum annum. Itaque igitur de mente D.T. eſſe videtur, quod ſolum circa quartumdecimum annum, & ſic circa pubertatem regulariter pueri ſint capaces vouendi. Item cum vt dictum eſt D.T. in 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. ex Ariſt. *in p.* Ethic. triplicem gradum prudentiæ ponat. Primus eſt eorum, qui nec intelligere per ſe, neq; ab alio capere poſſunt: & iſti ſunt infantes ante primum ſeptenniū. Alius eorum, qui ab alio capere poſſunt, ſed ipſi per ſe nō ſufficiunt ad intelligendum. Et iſti ſunt pueri ante ſecundum ſeptennium. Tertius eſt eorum, qui & ab alijs capere poſſunt, & ipſi per ſe ipſos intelligere valent; & tales ſunt puberes. Quando inquit D. T. quod ante pubertatem pueri, vt in pluribus patiuntur defectum rationis, & prudentiæ, & quod vſum rationis conſequuntur in acquiſitione pubertatis, ſi loquitur de ſecundo gradu prudentiæ, & vſus rationis, in quo quis ab alio capere poteſt, falſum aſſerit, & contra id, quod ipſe docet loco citato, & ſentiunt DD omnes aſſerentes hunc gradum acquiri circa finem primi ſeptennij, Si verò loquitur de tertio gradu prudentiæ, benè loquitur; ſed eſt falſum, quod hic gradus prudentiæ ſit neceſſarius ad vouendū: Certū enim eſt, quod impubes poteſt contrahere ſponſalia, & obligare ſe homini, & ſic etiam poteſt ſe obligare Deo, vt eſt communis ſententia. Item idem D.T. in 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *a.* 1. *q.* 3. expreſsè habet, quod *illi, qui non habent vſum libertatis, ſicut aliqui, qui nō ſunt ſanæ mentis, vouere non poſſunt, nec etiam pueri ante annos pubertatis*. Nec obſtat, quod pueri ante annos pubertatis habeant libertatem, quæ ſufficit ad peccatū, quia idē D.T. 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad ſecundum*, vult, quod vſus rationis, qui ſufficit ad peccatum non ſufficiat ad ſe obligandum. *Et ideo*, inquit, *dicendum, quod ad peccatum mortale ſufficit etiam conſenſus præſens, ſed in ſponſalibus eſt conſenſus in futurum: maior autem rationis diſcretio requiritur ad prouidendum in futurum, quam ad conſentiendum in vnum præſentem actum, & ideo ante poteſt homo peccare mortaliter, quam poſſit ſe obligare ad aliquid futurum*. Opuſculo tamen 17. *cap.* 15. videtur admittere, quod impuberes poſſint vouere religionem. Inquit enim. *Et eadem ratio eſt de pueris, qui non ſunt doli capaces, nec habent debitum rationis vſum, qui in quibuſdam anticipatur, in quibuſdam tardatur ſecundum diuerſam diſpoſitionem naturæ, vnde ad hoc non poteſt certum tempus præfigi.* Et infra. *Ex quo patet, quod puella, vel puer, de quo eſt eadem ratio infra pueritiæ annos, quantum in ipſis eſt, voto ſe obligare poſſunt, niſi impediat rationis defectus, vt dictum eſt.* Admittit igitur, quod impubes validè poſſit vouere, quamuis aſſerat non poſſe perfigi terminum, in quo incipiat vſus rationis in pueris. Subdit verò ibidem. *Sit igitur quantum ad votum ſimplex quo quis obligatur ad religionis ingreſſum, poteſt aliquis obligari quantum in ipſo eſt ante completos pubertatis annos, cum ſit doli capax habens debitum rationis vſum ad diſcernendum quod facit.* Admittit igitur eſt D.T. quod impuberes vouere poſſint Religionem.

7. Reſpondetur nihilominus ad iſta, quod de mente S. Thomæ ad vouendum ſimpliciter ſufficit vſus rationis, qui acquiritur regulariter in fine primi ſeptennij. Nam & ex communi Eccleſiæ praxi hæc libertas ſufficit ad ſponſalia contrahenda, quia ad hoc, vt homo ſe poſſit obligare ſufficit ille gradus prudentiæ, per quem quis eſt capax diſciplinæ, & vt poſſit capere ad alio, vt dixit D. T. loco citato 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 2. c. quem gradum prudentiæ obtinent homines circa finem primi ſeptennij. An verò ad votum Religionis, vel ſponſalia ſufficiat ille vſus rationis, qui ſufficit ad meritum, vel demeritum; alia quæſtio eſt, & formaliter potius dicendum eſt non ſufficere, Non enim ſufficit quælibet cognitio ad hoc, vt quis ſe obliget, ſed neceſſe eſt, vt cognoſcat id, ad quod ſe vult obligare. Quod quidem, ſi ſit aliquid futurum, & perpetuum, eſt longè difficilioris cognitionis, quam ſit cognitio eorum, ad quem homo eſt obligatus à natura, cum homo à natura ipſa indita habeat principia ea quibus homo poteſt prudēter de bono, & malo deliberare. Cum ergo vt habet D.T. ad peccandum ſufficiat habere in ratione principia ad deliberandum de præſenti actu, quæ principia nulli negantur, non valet conſequentia illa, hoc poteſt peccare, ergo poteſt vouere religionem, cum ad deliberandum de religione in futurum, & perpetuo ſtat, quod puer non habeat in ratione principia proxima ſufficientia. Quia tamen in hoc poteſt iuuari aliorū diſciplina, ideo qui habet liberum vſum rationis ad peccandum poteſt etiam vouere religionem, ſi ſit inſtructus ſufficienter de valore voti. Ideo benè D. T. loco ſupra citato, dicit non eſſe eandem rationem de ſufficienti facultate rationis ad peccandum, & deliberandum de præſenti actu, & ad deliberandum de futuro, Et pariter ita verùm eſt, quod qui habet vſum rationis ad peccandum, habet ad vouendum; ſed hoc eſt verùm materialiter, & per accidens, quia poteſt de importantia voti edoceri, cum tamen per ſe, & formaliter loquendo principia, quæ ſufficiunt ad deliberandum de non peccādo, vel peccando ſint indita homini à natura, & ex eis multo facilius deducatur honeſtas obſeruantiæ legis naturalis. Sed non niſi ope diſciplinæ alterius poterit impubes deducere ex remotis naturæ principijs concluſiones ſpectantes ad deliberandū de voto. Quia ergo homo circa finem primi ſeptennij habet vſum rationis ad merendum, & demerendum, & poteſt etiam inſtrui de honeſtate voti Religionis, ideo & ab eo tempore poteſt vouere religionem. Et ideo ſolo iure naturæ ſpectato etiam inter impuberes poſſet eſſe validum matrimoniū, vt habetur ex eadem D.T. 4. *d.* 36. *a.* 5. & tradunt DD. communiter; vnde eſt, quod ſolo naturæ iure ſpectato valeret etiam profeſſio religioſa emiſſa ab impubere.

8. Verùm duo conſiderari debent. Primum quod votum impuberum, non eſt ex natura ſua omnino firmum. quia in impubere vſus rationis eſt, ſed imperfectus, quia licet impubes poſſit capere ab alio, non poteſt per ſe intelligere. Non enim poteſt habere experimentum multorum, & experimentaliter ſcire. v. g. quid ſit continentia, vel matrimonium. Ideo vota impuberum licet ſint ſubſtantialiter firma, vt obligent coram Deo, tamen

men

nico infirma sunt, & ex natura sua irritabilia, vel etiam dispensabilia, & præcipuè respectu materiæ, cuius impuberes non possunt habere experimentalem notitiam. Inde est, quod vota impuberum ex duplici capite nõ habent omnimodam firmitatem. Nedum scilicet, quia ipsi sunt alienæ potestatis, ex quo capite vota seruorum etiam emissa cum plenissimo vsu rationis irritari possunt; sed etiam quia sunt emissa cum defectu vsus rationis, & propterea etiam sunt irritabilia ab habente facultatem derrogandi, vel facilius sunt dispensabilia à potente dispeulare, quia patiuntur defectum plenæ, & perfectæ deliberationis.

9. Secundum considerandũ est, quod D. Thomas non dixit, quod vota impuberum sint nulla, & irrita, sed quod eorũ efficacia impeditur. Dupliciter verò potest impediti, uel ipso facto irritando uota, & hoc modo fit ex defectu usus rationis, qui ualeat irritare contractus, & sponsalia, qui est defectus usus rationis, qui sufficiat ad meritum, & ad demeritum, & ad cognoscendam naturam, & materiam uoti, & qui defectus regulariter non est in impuberibus, quia gradus usus rationis ad hoc sufficiens acquiritur circa finem primi septennij, quando incipit pueritia. Alio modo impeditur efficacia uoti non irritando uotum, sed illud debilitando, & hoc facit delectus usus rationis, & illius gradus prudentiæ, per quam homo nedum possit capere ab alio, sed per se intelligere, quo gradu priuantur impuberes, quia illum consequuntur homines in fine impupertatis, dum impuberes fiunt. Sic ergo D. T. loquitur de usu rationis pleno, & perfecto, sic tamen quod defectus illius si sit substantialis, & excludat facultatem necessariam ad meritum, & demeritum irritet uotum, sed si sit accidentalis, & excludat solam plenitudinem, quam obtinent puberes, non irritet uotum, sed illum infirmet, ut sit uinculum solubile de facili à potente, uel illud irritare, uel in eo dispeulare.

10. Quantum igitur ad ualorem uoti religionis non tam spectanda est ætas, quam usus rationis ut benè aduertunt Caiet. *v. votum c.* 3. Sotus *l. 7. de iust. q.* 3. *a.* 2. & est expressum à D. T. in textu, qui usus rationis aliquando præuenit, aliquando sequitur ætatem ordinariam, in qua talis usus præsumitur, sed iuxta uoti qualitatem maior, uel minor facultas rationis requiritur.

11. In dubio autem, an qui uouit, habuerit usum rationis tempore emissi uoti. Sanchez *l.* 4. *Mor. cap.* 1. *n.* 54. distinguit. Nam si uotum emissum fuit completo nouentis septennio, dicendum est uotum tenere, quia præsumitur usus rationis in eo, qui septennium impleuit. Sed si uotum emissum fuit ante septennium, dicendum est non præsumi usum rationis, ideoque uotum non ualere, sed si non constat de ætate, & nescitur an ante, uel post septennium uotum fuerit emissum, resoluendum est dubium ad fauorem uoti. Tum quia constat de uoto, & excusatio est dubia. Tum quia raro ante septennium uota emittuntur, unde à communiter accidentibus præsumendum est uotum factũ fuisse post septennium, & ex consequenti cum usu rationis. Quam sententiam scilicet, quod post completum septennium in dubio præsumendum sit pro usu rationis, & pro uoto tenuit noster Ildefonsus *tom.* 3. *in p.* 2. *de conscientia n.* 1277. Et eandem sententiam tenuerunt Suarez *l.* 4. *de voto cap.* 6. *n.* 7. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *p.* 11. *n.* 2. Diana *p.* 4. *trac.* 3. *resol.* 11. Qui tamen addunt posse aliundè euenire, vt adsint tales coniecturæ, vt & ante septennium iudicandum sit adesse rationis vsum, & post septennium illum deesse, vel coniecturæ possunt esse tales, saltem vt rem dubiam reddant; & æquiualeant præsumptioni ætatis; & tunc votum non obligare. Idemque tenent illi, qui dicunt pœnitentem ætatis septem annorum dubium an gaudeat usu rationis posse absolui absolutè, & sine conditione, etiam extra mortis articulum; quia habetur pro usu rationis præsumptio iuris, quod si sit dubiũ de septẽnio ipso, præsumendũ esse pro ualore uoti existimant Sanchez, & Palaus citat. Bossius *tom. p.* 2. *tit.* 8. *n.* 1607. sed quod iudicandum sit pro libertate tenuerunt Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 3. *a.* 2. *concl.* 4. Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 6. *n.* 7. & probabile iudicat Palaus.

12. Sed ueritas est, usum rationis non præsumi in conscientia ex sola ætate pueri, & semper uerum esse, quod in dubio an uotum ex defectu usus rationis sit ualidum, uotum non obligat. Nam si dubium est de præsenti, ut in casu pœnitentis pueri, & consideratis pueri qualitatibus remanet verè dubium, an habeat vsum rationis debilè verè est, velle præsumere quod habeat vsum rationis ex eo, quod expleuit septem annos, quasi tempore veris in quo arbores florent, qui non videret in arbore aliquod signum viridantium florium, aut florum, præsumere deberet arborẽ floridam, quia est tẽpus vernum, in quo arbores florẽt. Etenim effectus naturalis præsumi nõ potest adesse, ex eo quod est tcmpus in quo causæ solent suos effectus causare; si nullum est in natura signum, quod fructus adsit. Vsus rationis est res naturalis, & naturalis effectus, & si de præsẽti ex naturalibus signis nõ cõstet in hoc indiuiduo naturam acquisiuisse rationis vsum, imo habentur signa in oppositum, ita vt verè sit dubium, an habeat vsum rationis, vel non habeat, puerile nimis est velle præsumere, quod illum habeat ex eo, quod habet ætatem in qua regulariter homines habent vsum rationis: Et non præsumptionibus probantur de præsenti effectus naturales, sed experientia, & sensu ex ijs, quæ videmus, & sentimus. Vnde sine dubio in casu illius pœnitentis pueri annorum septem, imo, & octo, vel amplius, cum non possit negari, quod ætas non valeat ad formandum inditium pro vsu rationis, nihilominus si ex illis, quæ de illo puero videmus, & audimus, aut sentimus habetur inditium in contrarium, & fortè, & ita vt prudenter non possumus iudicare omnibus pensatis, an puer ille polleat ratione, ad nihilum valet præsumptio iuris, quia naturales effectus non probantur esse de præsenti ex iuris præsumptione, sed ex visus, vel alterius sensus experientia, & experimentali intellectus ratiocinatione. Vnde talem puerum pœnitentem non posse absolui, nisi sub conditione docuerunt Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 5. *n.* 7. Diana *p.* 4 *tr.* 3. *resol.* 53. & apud eũ Lãfranus, & Villalobos, item Bardus de Conscientia *disp.* 6. *cap.* 11. *p.* 4. *§.* 9. *num.* 4.

13. Si verò vsus rationis probandus est fuisse

de præterito, non est dubium præsumptionem ætatis maiorem vim habere, quia etiam præscindendo à iure hanc præsumptionem approbante certum physicè est causas naturales regulariter suis temporibus producere suos effectus nisi impediantur, natura verò in homine vsum rationis solet, vt in pluribus, producere circa septennium. Verùm cum hæc regula fallat sæpè, imo]& plusquam sæpè, cum natura aliquando præueniat velox septennium, aliquando tarda sequatur etiam post octo, & post nouem annos. Vndè D. T. hic,& supra *q. 88. a. 9.* dixit in hoc naturam variare, & *opus. 17. cap. 15.* non esse præfixum terminum in quo vsus rationis incipiat; ideo argumentum ab ætate est fallax. Vbi igitur cōstet de ætate pueri, quando emisit votū, vel nihil adest in contrariū, ex quo tamquam ex effectu possit impugnari præsumptio iuris, seu veritas vniuersalis physica affirmans pueros septennes habere vsum rationis,& tunc non est casus dubius. Sicut non est dubium, an hæc arbor suo tempore floruerit, si nihil est, quod ad contrarium asserendum nos ducat, & ostendat illam fuisse impeditam ne floreret. Et sic præsumptio iuris ex ætate, cui nihil est, quod resistat, certitudinem moralem facit vsus rationis, & sumus extra casum nostrum, quia non est dubium de vsu rationis vouentis, quem scimus vouisse post septennium,& nihil est, quod nos moueat ad iudicandum, quod in illo fuerit impeditus vsus rationis, vel è contra certum est, quod puer ante septennium non habet vsum rationis si nihil est, quod contrarium suadeat. Sed si dantur motiua in contrarium, si ista leuia sunt, non reddūt rem dubiam, sed si sunt fortia, ita vt omnibus pensatis non possit in indiuiduo indicari, an vouens haberet vsum rationis dum vouit, nec de iure, nec de facto in conscientia præsumi potest vsus rationis, & possessio stat pro libertate vouentis, nec tenetur ad votum, & benè tradiderunt Soto *l. 7. de iust. q. 3. a. 2. post 4. Conclus.* Suarez *l. 4. de voto cap. 6. num. 6.*

14. Hic igitur primo considerandum est, an cōstet de statu vsus rationis, seu de facultate utēdi ratione, & deliberandi non impedita. Nam si de hac constat, etiam si postea dubium fuerit, an qui certo uouit, seu verba importantia votum protulit mente, vel ore dubius fit, an ex plena, & sufficienti deliberatione vouerit dicunt multi, quos possessio stat pro uoto, & uoti obligatione, quia nisi contrarium constet, non agit indeliberatè, qui potest deliberare. Bonac *de precep. disp. 4. q. 2. p. 1. n. 3.* Layman. *l. primo, trac. 1. cap. 4. nu. 30. fine.* Bossius *tom. 1. par. 3. tit. 1. n. 1600.* sed certè stante hoc casu facilè erit, quod excludatur dubium, quia nisi aliud motiuum in contrarium urgeat, censendum erit tamquam certum, quod deliberatio adfuerit. Sed si adsit motiuum uim faciens, & conquassans uim illius principij, quod non agit indeliberatè, qui potest deliberare, seruādæ erūt regulæ infra explicādæ. Interim tamē negari nō potest, quod nō sit quid minus dubitare, an fuerit actu deliberatio in eo, qui potuit deliberare. Sed nostra quæstio in præsēti nō est de dubio actualis deliberationis, sed de dubio facultatis deliberandi. Circa quam, ut dictum est, si sit certum uotum factum fuisse ante, uel post septennium, & nihil adest, quod contrarium suadeat, certum habendum est uotum emissum ante septennium esse nullum, & esse ualidum post septennium. Sed mihi etiam certum est, quod in foro conscientiæ statim, ac manifestum sit uotum emissum fuisse, uel ante, uel post septennium, non illico indicandum est uotū esse respectiuè nullum, uel ualidum, quia præsumptio certa ex septennio est fallax, & forum conscientiæ non præsumptionibus innititur, sed ueritati. Ideo semper attendi debet, an facultas utendi ratione, seu deliberandi, quæ est effectus naturalis, ex naturalibus indicijs cognosci possit.

15. Si ergo sit dubium de ualore uoti emissi ante septennium, ad probandum eius ualorem, Sotus uoluit necessarias esse probationes conuincentes, adeo ut nec minima suspicio de opposito remaneat, Suarez uerò uoluit sufficere certitudinē moralem, licet admittat formidinem aliquam oppositi. Ratio autem, quare requiratur certitudo nō est tam ea ui præsumptionis iuris, quod ante septennium non præsumitur adesse facultas deliberandi, quam ex principio naturali, & manifesto, quod natura incipit regulariter habere facultatem deliberandi circa septennium, sicut ergo naturali ratione, (nisi aliud obstet) certum est arbores tēpore suo edere fructus, & causas naturales suos causare effectus, sic moraliter certum est (nisi aliud sit in contrarium) naturam in septennio facultatem deliberandi conferre, si ergo dicatur huiusmodi facultatem adfuisse ante septennium, & præcipuè ad notabile tempus, ut hoc obliget debet constare ad minus certitudine morali, sed & vniuersaliter si etiam post septennium sit dubium de hac deliberandi facultate, nisi sit certum adfuisse ex motiuis naturalibus, & ad sensum probantibus. dicendum est non subsistere obligationem voti; quia naturalis libertatis possessio iusta, & certa, non tollitur per incertam obligationem, Ideo etiam post septennium si adsint motiua quæ vincant præsumptionem iuris, seu probent puerum non habuisse facultatem deliberandi, vel etiam cōquassent probationem, quæ ex completo septennio desumitur, ita vt saltem æquiualeant præsumptioni ætatis censendum est votum non obligare, vt dixit Suarez *d. n. 7.*

16. Quod si non simus in dubio merè negatiuo, sed datur iudicium determinatum; si hoc est vnius partis tantum, iam sumus extra casum dubij, quia iudicium probabile vnius partis, si oppositi non est probabilis assensus, habetur in moralibus pro certo. Et sic si omnibus pensatis vouens prudenter iudicat se habuisse facultatem deliberandi cum tanta probabilitate, quod non habet probabile motiuum sufficiens ad hoc, vt probabiliter assentiat opposito, iam est moraliter certus de facultate deliberandi, & ex consequenti de valore voti. Sicut è contra esset certus de voti inualiditate, si omnibus pensatis haberet probabile iudicium de illa tale, quod nec probabiliter indicaret oppositum. Tunc ergo potest esse dubium, si contingat dari opposita indicia æquè probabilia, vel etiam vnum aliqualiter satis probabilius non tamen tale, quod ferat certitudinem moralem.

17. In quo casu non puto, quod quæstio soluenda sit ex solis regulis generalibus de necessitate sequendi opinionem, vel probabiliorem, vel

tutio-

tutiorem, sed considerari debeat in specie, ad quid obliget lex voti. Nam hic est quæstio de eo, quod antecedit votum, & obligationem voti, & quod votum præsupponit; ideo hoc inspiciendum est, an obligatio voti se extendat ad casum, in quo sit verè incertum, an vouens potuerit se obligare, & non est quæstio, an votum obliget supposito quod sit incertum, an se obligauerit, vel voluerit obligare, sed an potuerit se obligare. & ideo euidentius, an votum sit, vel non sit. Neque enim ad existentiam voti sufficit vouentem protulisse vota obligatoria cum animo se obligandi, si non potuit se obligare, nec potest dici, quod votũ possideat, si sit incertũ an vouens se obligare potuerit. Et quia votum non obligat si sit dubium, vel non sit certum, quod vouens vouerit, ideo stante quod sit incertum verè, an puer habuerit facultatem deliberandi dicendũ est votum non obligare.

18. Quod si non est certum, an quando puer vouit haberet annos septem, existimo hoc non magni faciendum in foro conscientiæ, sed inquirendum esse aliundè, an puer habuerit, vel non habuerit facultatem expeditam deliberandi. Nam si quando est certum, quod votum emissum fuerit ante, vel post septennium adhuc si sunt motiua pro defectu vsus rationis probando, vel probando oppositum, illa debent attendi, & ex illis res dijudicari, non obstante quod votum fuerit certò antè, vel post septennium emissum, multo minus id debet attendi si sit dubium. Itaque hæc considerari debent, vt si omnibus pensatis sunt motiua sufficientia pro vna sola parte, illa pars censenda est certa. Ad hoc verò valet ætatis qualitas, quod si sit certum, quod votum fuit emissum ante septennium, & non est motiuum sufficiens, quod probet certo adfuisse vsum rationis expeditum, habendum est pro certò, quod votum sit nullum, vel è contra si est certum, quod votum fuit emissum post septennium, & non est motiuum in contrarium ad suadendum, quod defuerit vsus rationis censendum est adfuisse. Sed si omnibus pensatis, vel intellectus manet suspensus, vel æquo adhereat vtriq; parti est verè incertus, an adfuerit facultas deliberandi est verè incertus de existentia voti. & locum habet communis sententia, quod vbi voti existentia est dubia votum non obligat.

SVMMARIVM.

1 *Secunda Conclusio textus.* num. 19.
2 *Votum impuberis cum vsu rationis validum, sed irritabile.* num. 19.
3 *Anni pubertatis secundum aliquos debent esse compleri de momento ad momentum.* num. 20.
4 *Veritas vincit præsumptionem: ideo attendi debet tempus in quo de facto adest, & non adest vsus rationis.* num. 21.
5 *Concil. Trid. nihil innouauit circa terminum impubertatis.* num. 22.
6 *Pater potest irritare votum religionis filij impuberis.* num. 23.
7 *Vota personalia impuberis implenda post pubertatem potest Pater irritare.* num. 23.
8 *Potestas irritandi vota in parte est à iure naturali, sed à iure positiuo, quantum ad determinationem temporis.* num. 24.
9 *Potestas irritandi vota impuberum in patre est directa.* num. 25.
10 *Se extendit ad illegitimos.* num. 25.
11 *Et ad emancipatos.* num. 25.
12 *In dubio, an filius pubertatem excessit habendus in hoc pro impubere.* num. 26.
13 *Votum emissum cum facultate vsu rationis perfecta, ante annos pubertatis esse irritabilè aliqui dicunt.* num. 27.
14 *Oppositum probatur.* num. 28.
15 *An Pater possit irritare vota impuberum post eorum pubertatem.* num. 29.
16 *Votum confirmatum à pubere non est irritabile.* num. 30.
17 *Votum impuberis non est confirmatum, nisi id fiat expressè.* num. 31.
18 *Votum impuberis à pubere non confirmatum potest irritare pater etiam filio pubere.* num. 32.
19 *Patrem posse votum impuberis filij à se confirmatum irritare, qui sentiant.* num. 33. 34.
20 *Oppositum probatur.* num. 35.
21 *Consensus patris est conditio sub qua votum impuberis sit validum.* num. 36.
22 *Consentiente curatore obligationes minoris firmantur.* num. 37.
23 *Potestas irritandi vota non est absolutè iurisdictionis.* num. 38.
24 *Non est eadem ratio de patre, & de superiore regulari.* num. 39.
25 *Pater vota filij sibi præiudicialia potest indirectè irritare.* num. 40.
26 *Quando votum censeri debeat à patre confirmatum.* num. 41.
27 *Votum irritatum non reuiuiscit.* num. 42.
28 *Mater viuente patre non potest irritare vota filiorum.* num. 43.
29 *Pater contradicente Matre filij impuberis irritat vota.* num. 43.
30 *In absentia Patris mater filij impuberis vota potest suspendere.* num. 44.
31 *Mater si sit tutrix, vel si nullus alius sit tutor filiorum impuberum, vota potest irritare, vel suspendere.* num. 45. 47.
32 *Etiam si transierit ad secunda vota.* num. 46.
33 *Tutor potest impuberis vota irritare.* num. 48.
34 *Post pubertatem tutor, vt curator irritare potest vota in impubertate emissa.* num. 49.
35 *Etiam auus, & auia possunt neptis impuberis vota, vel suspendere, vel irritare, si non sit alius tutor.* num. 50.
36 *Id facere non possunt Magistri.* num. 51.
37 *Possunt Domini si filij sint parentibus orbati.* num. 51.
38 *Quid possit sponsus.* num. 52.
39 *Parentes etiam illegitimorum impuberum vota possunt irritare.* num. 53.
40 *Impuberi non conuenit restitutio in integrum aduersus votum.* num. 54.

Quod

Quod vota impuberum possint irritari.

INSPECTIO II.

19. IN secunda textus Conclusione asseritur impuberem habentem usum rationis validè uouere religionem uoto simplici, sed hoc uotū non esse firmum, ac stabile, sed posse rauocari per patrem. Quia enim impuberes regulariter non habent firmam uoluntatem, & iudicium constans, ideo lex statuens, ut impubes maneat sub gubernio, & ordinatione Patris, illi subdit eius uota, ut illa possit cassare, & irritare. Quomodo autem hoc intelligendum sit, inuestigandum remanet, cum non eodem modo intelligatur ab omnibus.

Qualiter, & à quo vota impuberum possint irritari.

20. PVbertatem in uiris incipere ab anno ætatis 14. completo, & in fœminis ab anno 12. expleto constat ex Iure Canonico, & habetur *cap. puberes*, & *cap. ex literis de dispens. impub.* Et quamuis ibi hoc statutum sit per ordinem ad matrimonium contrahendum nihilominus hic idem terminus assignatur professioni regularium *cap. ad nostrā de regularib.* & *cap. 1. & 2. eodē titulo in 6.* Et licet ibi de uiris sit sermo, tamen Glossa in Clement. eos, de regularibus docet in fœminis sufficere annum duodecimum. Et ita hæc est Canonum communis intelligentia, ut pueritia duret ab anno septimo usque ad completum annum 14. in uiris, & usque ad annum 12. expletum in fœminis. Annos uerò infantiæ, & pueritiæ, seu pubertatis, quia institutos fauore minorum, & publico simul debere esse integros, & de momento ad momentum completos ex Sfortia Oddo *q. 2. n. 9. n. 54.* probat Sanchez *l. 4. Mor. cap. 35. n. 3.* & Bonac. *d. disp. 4. q. t. p. 7. §. 2. n. 20.* Et ita ut si non constet de hora natiuitatis totus diei exitus expectandus sit, & si de die non constet expectandus sit mensis integer, & si non constet de mense expectandus sit exitus anni totius, & in anno bissextili numerandus sit ille dies, quo superat reliquos annos, ut habetur ex *l. 3. §. Minorem ff. de minoribus*, & notant idem Sfortias Oddo *dicto art. 9. n. 55.* & Molina *tom. 1. d. 573.* qui etiam aduertit, quod quamuis dicta lex loquatur de minoribus, eadem est ratio de puberibus, cum, & in hoc adsit fauor pupillaris, ne impubes uotis se adstringat, quæ irritari nequeant. Et cum in *l. qua ætate. ff. de testam.* concedatur, ut sufficiat ad hoc, ut puer testetur, quod inceperit ultimum diem impubertatis, in reliquis secus est dicendum, sed & huiusmodi annos numerari debere non à die conceptionis, ut uoluit Glos. *in reg. 17.* Cancel. & Sfortias Oddo *dicta q. 2. a. 7. n. 48.* quando id est fauorabile proli, sed à die natiuitatis, ratio suadet; quia generali usu ubiq; receptum est, ut ætas à natiuitate numeretur, ideo hoc tenent Couar. *4. decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 3.* & Mandosius de ætate minori *cap. 1. n. 25.* & Sanchez *loco citato.* Bonac. *d. disp 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 20.* Palaus *tr. 15. disp. 2. p. 7. n. 1.* Votum igitur impuberi est uotum ab eo emissum ante expletum annum 14. uel 12. respectiuè.

21. Sed ut uerum fatear, melior regula quæ possit hic statui est, quam tradit Glossa *cap. puberes, v. ostendit.* Et quam sequitur Reuerendissimus Fagnanus *in cap. de illis, & 2. n. 8. & 18. de de spons. impub.* nimirum quod *pubertas ex vigore naturali; non ex annorum numero comprobatur.* Nam & in *d. cap. puberes,* tamquam quorumdam opinio refertur, *eum esse puberem, qui 14. annos impleuit, quamuis tardissimè pubescat.* Et hanc opinionem reijcit Isidorus in eo textu subdens. *Certum autem est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare iam potest.* Vndè est, quod ubi malitia ætatem præueniat matrimonium ante 14. annum uiri, & 12. fœminæ initum est ualidum, si nimirum adsit, & potentia generandi, & sufficiens discretio ad contrahendum, ut habetur ex *d. cap. puberes, & decernitur cap. De illis el 2. & cap. final. de desponsat. impub.* & est communis sententia DD. Ideo D. T. in textu huius *artic. & supra q. 88. a. 9.* communiter receptus docet, quod pubertas aduenit circa 12. annum in fœminis, & 14. in viris, quod alij explicant, quia regulariter pubertas aduenit circa terminum illorum annorum, vt dixit Panorm. in rubrica de delictis puerorum, & Fagnan. *vbi supra n. 19.* Idem est ergo verum vniuersaliter, quod anni impubertatis numerandi sint de momento ad momentum, & quod debeant esse completi, & maximè in ordine ad matrimonium, & vota, quorum valor non à præsumptione Iuris, sed à veritate roboris naturalis, cui cedit præsumptio, debet accipi. Sed hic primariò debet inuestigari veritas, an scilicet tempore voti adfuerit sufficiens rationis discretio, vel prudentia, vel non adfuerit, & vbi de veritate vsus rationis constet non est attendendus iuris terminus in præsumptione fundatus. Cæterum verum est hos annos non à conceptione, sed à natiuitate esse numerandos.

22. Sed cum modo Concil. Trid. *sess. 25. cap. 16.* de regularibus statuerit, vt tam viri, quam fœminæ non possint validè profiteri ante 16. annum expletum Ouandus *4. d. 38. disp. vnica prop. 14.* fine asserit ætatem pubertatis, quantum ad facultatem irritandi votum religionis extensam esse vsque ad 16. annum. Sed hoc falsum est, quia Tridentinum de professione loquitur, & vt declarauit S. Congregatio Concilij supra *n. 6.* relata, nihil de simplicibus votis decreuit, ideo quantum ad vota simplicia standum est iuri antiquo, & absolutè dicendum etiam nunc pueritiam terminari in anno 14. in masculis, & 12. in fœminis. Et propterea ita tenent Palacios *4. d. 38. d. 3.* Azor. *l. 12. c. 17. q. 7.* Sayro *l. 6.* Clauis Regiæ *c. 10. n. 24.* Suarez *tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 6. n. 4. & tom. 3. l. 4. c. 6. n. 2.* & Sanchez *l. 4. Mor. c. 35. n. 8.* Et sic vota simplicia impuberum sunt, quæ ab vsu rationis vsque ad annos 12. in fœminis, & in viris 14. à pueris emittuntur. Et de simplici voto religionis intra hoc tempus emisso intelligitur conclusio D. Thomæ, & nostra quæstio.

23. Aliquos verò existimasse Patrem non posse irritare votum religionis ad impubere factum, refert

refert Azor. *l.* 11. *cap* 17. *q.* 8. Viualdus verò etsi *in* Candelab. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 99. sentiat Patrē non posse directè irritare omnia vota personalia filij impuberis, sed solum indirectè illa, quæ sibi sunt præiudicialia, tamen de voto religionis censet illud esse irritabile. Verùm communis DD. sententia est Patrem directè, & per se posse irritare omnia impuberis vota, & in specie votum religionis. Et habetur hoc decisum tam in viris, quam in fœminis ex Concilijs Toletano 10. & Tiburiensi relatis, *cap.* 1. *&* 2. 20. *q.* 2. *& cap. mulier* 32. *q.* 2. Nam nec obstat, quod votum Religionis sit de illis, quæ impleri non possunt, nisi post pubertatem, fuit verò opinio Innocent. *in cap. scriptura de voto n.* 3. quod vota, quæ non possunt impleri, seu quæ sunt implenda tempore, quo iam puer est extra potestatem Patris, non possint à Patre irritari. Voluit enim ibi Innoc. quod impubes, qui vouit abstinentiam ad eam teneatur, quando fuerit extra Patris potestatem. Ait verò Sayrus *d. cap.* 10. *n.* 29. quod huic opinioni videtur consentire Caiet. pro quanto *supra q.* 88. *a.* 8. §. *Circa vota subditorum docet*, quod si persona subdita pura vaot voueat aliquid perficiendum pro tempore suæ libertatis, quod hoc votum non possit irritari à marito superiore. Sed hæc Caiet. doctrina vera est, quæ intelligitur quando superior non potest irritare vota, nisi indirectè, seu ea eo præcisè, quod sibi sint præiudicialia, sicut ex hoc præcisè maritus potest vota vxoris irritare; quia suo iuri præiudicent, & quia vota, quæ non sunt implenda, nisi sub conditione viduitatis, in quo vxor erit sua non præiudicant marito. ideo non possunt ab eo irritari. Sed puerorum impuberum vota ex natura sua sunt irritabilia ex defectu perfectæ deliberationis, quam conditionem habent intrinsecè vota impuberum pro quocumque tempore sint implenda, & ideo vota omnia impuberum irritabilia sunt, & irritari possunt à patre. Vnde & votum Religionis irritari potest. Itaq; quod vota impuberum etiam non implenda nisi tempore pubertatis, vel maioritatis possint à Patre irritari docuerunt. Syluest. *v. votum* 4. *q.* 2. Nauar. *cap.* 12. *n.* 66. Sotus *l.* 7. *de iust. a.* 3. *n.* 1. Clauis Regia *l.* 6. *c.* 10. *n.* 29. Valentia *hic disp.* 6. *q.* 6. *p.* 6. Azur. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 17. *dub.* 8. Bonac. *præcep.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. § 2. *n.* 18.

24. Quæri autem potest, quænam sit hæc potestas in Patre, an de iure naturali, an de iure positiuo, & respondetur esse de iure positiuo, quantum ad determinationem annorum pubertatis, sed esse de iure naturali, aut saltem de iure gentium absolutè, seu quantum ad aliquod tempus. Nam ex vna parte obligationes graues maximè verò obligatio voti, quæ fit Deo, & singularissimè obligatio religionis, quæ respicit totam vitam in futurum est quid grauissimum, & requirens deliberationem perfectam, & iudicium valdè prudens, & ex alia pueri in principio vsus rationis nondum experti circa mundi negotia non sunt capaces exactæ deliberationis, & perfecti iudicij, ideo de lege naturali est, vt sint sub patris potestate, vnde in textu dicitur quod pueri, & puellæ infra pubertatis annos naturaliter sunt in potestate Patris. Quod nedum est verum de pueris ante primum septennium, cum nondum habent rationis vsum, sed etiam per aliquot annos postquam incipiunt ratione voti, quia licet habeant proprium velle ob imperfectionem tamen iudicij indigent directione, vnde eorū velle non est firmum, nisi vt stat sub patris directione. Propterea vsus gentium est, vt filius impubes vsque ad aliquod tempus viuat subditus potestati paternæ. Quod verò hoc tempus pubertatis se extendat in fœminis ad 12. annum, & in viris ad 14. hoc est iuris positiui, desumptum ex eo, quod vt in pluribus accidit, quia regulariter prius puellę, & pueri non sunt apti ad plenè deliberandum de seipsis, & de futuro statu eorum.

25. Ex quo colligitur potestatem irritandi vota impuberum in Patre non esse indirectam & non oriri solum ex eo, quod votum filij præiudicet Patri, sed esse directam, & oriri ex naturali dependentia, quam habet filius à voluntate, & directione Patris tempore pubertatis, ideo nullum est discrimen inter vota filiorum in hoc, sed quodlibet de se, & natura sua est infirmum, & subordinatum voluntati paternæ. Extenditur quoque hæc facultas ad filios emancipatos; quia persona filij semper manet in hoc subiecta patri, eo quod in patre etiam respectu filij emancipati remaneat potestas naturalis illum dirigendi, & vota impuberum sint cōditionata conditione consensus patris. Suarez de voto *l.* 6. *c.* 6.

26. Ideo adeo certum est vota impuberum subordinari voluntati Patris in dubio, an filius pueritiam excesserit, & terminum pubertatis attigerit, tunc cum vouit, vt tale uotum paternæ voluntati subdatur, & possit illud Pater irritare. Tum quia Pater est in sui iuris possessione, qua non debet in dubio priuari. Tum quia in hoc est fauor tam filij, quam boni publici, quod debet ampliari. Tum tertio, quia in simili dubio impubes non iudicatur factus pubes, quantum ad alios effectus, vt verbi gratia quantum ad agendum in iudicio. Et propterea huius sententiæ sunt Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *conclus.* 9. & Suarez *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto c.* 6. *num.* 4. Bonac. *in* 2. *præcep. disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 2. *num.* 19.

27. Dubium verò esse posset primo de voto emisso à puella, vel puero infra annos pubertatis, sed ex perfecto vsu rationis, quem illis natura celerius contulit. In his enim locum habere videtur ratio legis naturalis, & eiusdem finis omnino cessat, cum subordinatio voluntatis filij ad patrem in vouendo ex imperfectæ rationis vsu oriatur. Vnde est etiam, quod matrimonium infra pubertatem contractum, supplente ætatem malitia, nō est ex natura sua inualidum. Et propterea Hugo apud Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *conclus.* 7. Et apud Glos. *in cap. mulier* 32. *q.* 2. tenuit huiusmodi vota irritari non posse. Et pro eadem sententia Sanchez *l.* 4. Mor. *cap.* 35. *n.* 11. *sub dubio, & cap.* 18. *n.* 14. absolutè refert Palud. *in* 4. *d.* 39. *q.* 3. *quæstiuncula* 2. illique non esse credēdū decernit. Sed Sanchez malè refert Paludanū nec locū verùm citat; Nam *in* 4. *d.* 39. *vnicam quæst.* habet in qua de hac materia non tractat, sed benè *in q.* 4. *distinct.* 38. *artic.* 2. *conclus.* 7. vbi Hugonis fundamentis relatis, illis respondet, & oppositum docet tamquam sententiam communem DD. Canonistarum *in cap. Postulasti de regularibus*. Sed tamen tam Hugo, quem Palud. & Canonistæ loquuntur de voto professionis. Idem tamen dicendum esse de voto ingressus in religionem tenēt

idem

idem Sanchez & Suarez *l. 6. de voto cap.6. num.5.* Qui pro hac sententia refert Syluest. *v. religio 2. quæst.12.* vbi tamen loquitur de voto professionis probatur tamen ista sententia Sanchez, & Suarez. Quia iura supra citata absolutè subordinant voluntatem filij impuberis voluntati Patris. Tum quia, quidquid sit de matrimonio non est eadem ratio de religione, vt Paludanus tradit, quia matrimonium est de eo ad quod natura inclinat, votum verò Religionis respicit opus spirituale, & valdè arduum, & difficile. Tum quia falsum est, quod hic deficiat finis legis. Nam aliud est subordinatio voluntatis filij impuberis ad voluntatem patris, & hæc est à natura, & quantum fit ex lege naturæ cessaret adueniente rationis vsu. Aliud est determinatio temporis impubertatis, & hæc est à lege positiua. Sed huius legis ratio non est carentia vsus rationis in hoc, vel in illo determinatè, sed carentia vsus rationis regulariter, & in pluribus, vt docet D.T. in textu. Et finis huius legis nedum est vitare, ne impubes voueat sine vsu rationis, sed ne in huiusmodi votis detur incertitudo, & semper sit disputandum, an votum sit vel non sit irritabile, ideò definiendum fuit tempus, intra quod vota præsumerentur facta ex imperfecto iudicio, & ideò esse debilia, & non firma nisi voluntate Patris adueniente. Tum quarto, quia cum hæc lex sit fauorabilis amplianda est, vt vniuersaliter intelligatur; fauet enim, & vouenti, & Religioni, cum vtrisque conueniat, vt status Religiosus imprudenter non assumatur. Et ideò hanc partem docent Paludanus citatus, Syluester *v. religio 2. q. 12.* Suarez, & Sanchez locis citatis, & communiter Doctores *in cap. ad nostram, & in cap. Postulasti, de regularibus.* Quod ampliatur, vt sit verum etiam si puer, vel puella malitia ætatem supplente cum authoritate, & benedictione Ecclesiæ matrimonium contraxerit, & à Patre emancipata extra domum paternam simul cum coniuge viuat. Quia DD. nullam exceptionem faciunt, & ratio eadem manet semper votum enim illud ex se est, vel præsumitur infirmum, atque ideò inualidum, nisi firmetur per voluntatem paternam. Et ita tenent Glossa *in cap. mulier. 32. q. 2.* & Sanchez *dicto cap. 35. nu. 12.* & tenent ex consequenti DD. infra in resolut. sequentis dubij citandi.

28. Sed vt video malè citantur tam canones, quam DD. & sine fundamento asseritur, quod contraria opinio sit reprobata ab omnibus. Nam Canones *cap. 1. & 2. 20. quæst. 2. & cap. mulier. 32. q. 2. & cap. ad nostram, cap. postulasti, de Regular.* Loquuntur de voto professionis, quod est votum Religionis per modum traditionis de præsenti. Et quod modo non indiget irritari à Padre, sed est de se irritum si fiat ante 16. annum, & secundum antiqua iura non poterat ante pubertatem emitti. Et de hoc voto loquuntur expresse DD. *in d. cap. ad nostram, vel ad cap. postulasti.* Et de eodem loquuntur Palud. 4. *d. 38. q. 4. a. 2. concl.* & Syluest. *v. Religio 2. q. 12.* Cæterum loquendo de voto Religionis simplici emisso per modum promissionis de futuro, nec datur lex Canonica, quæ decernat illud non posse emitti ab impubere, vel quæ asserat seu decernat, quod possit irritari à Padre si sit emissum ante 12. vel 14. annum respectiuè, nisi indirectè pro quanto lex positiua statuit terminũ pubertatis, & impubertatis esse annum 12. & 14. respectiuè; ex qua lege sequitur, quod pater vii possit potestate naturali ad irritanda vota filiorũ ante illos annos emissa, sed illa lex admittit malitiam, discretionem, & prudentiam si anticipent plenè ætatem. Vndè dicendum est, quod vbi certo constet, quod in filio, vel filia vsus rationis perfectus antecessit annos 14. aut 12. respectiuè, & quod votum fuit emissum ab habente talem rationis vsum, Pater non potest illud votum, quod iam est votum puberis, irritare. Sicut è contrario irritare posset votum emissum post illos annos si certò constaret filium adhuc defectum discretionis, & iudicij naturalis pati. Quia vt ex adductis patet, & dixit D. T. *opusc. 17. cap. 12.* natura non præfixit terminum indiuisibilem impubertati. Nec remanet filiorum directio subiecta incertitudini, quia si non absit certitudo in contrarium standum, est positiuæ legi, quæ statuit finem impubertatis in anno 12. pro fœminis, & 14. pro viris. Et ita vbi non sit certum vsum rationis præcessisse illos annos, potest Pater vota antea facta irritare, & vbi non sit certum defectum iudicij durare post illos annos, non potest vota postea emissa irritare. Et quia in tempore, quod currit circa illos annos propè eorum complementum ante, vel post, de facili potest contingere, quod vsus rationis adsit, vel non adsit, ideò diligenter Patres attendere debent, ne errent, vel irritando votum personale emissum à filio cum plenitudine iudicij, vel abstineant sine necessitate ab irritando votum cum defectu iudicij emissum. Nec valet argumentum à voto professionis ad simplex votum Religionis de futuro. Quia illud cum contineat de præsenti donationem sui prorsus irreuocabilem, & assumptionem immutabilem status obedientiæ, & continentiæ, requirit in vouente maximam animi firmitatem, & ideò perfectum valdè iudicium; ideò iura reseruarunt tale votum pro statu pubertatis, & si contingeret fieri ante, voluerunt posse irritari à patre. Et hoc DD. intellexerunt verum esse etiam si malitia suppleret ætatem, quia materiæ grauitas, & indissolubilitas omnimoda status Religiosi meruit hanc legis extensionem. Sed votum Religionis de futuro vel est votum ad experimentum Religionis, vel si sit votum etiam ad perseuerantiam, ex iusta causa potest non impleri, vndè nec ad tale votum requiritur tam exactum iudicium, & tam firmum, & stabile, vnde non est, vnde extendi debeat facultas patris ad irritandum hoc votum in filio, qui licet non sit illius ætatis in qua regulariter aduenit pubertas, est tamen verè pubes secundum naturam. Quantum enim sit discrimen inter votum de ingressu Religionis, & votum professionis inde colligitur, quod nulla vnquam fuit lex, vel est, quæ prohibeat impuberem vouere ingressum religionis pro tempore pubertatis implendum. & tamen leges Canonicæ prohibuerunt impuberes admitti ad professionem *cap. 1. & 2. 20. q. 2. cap. Ad nostram cap. significatum cap. Cum virum, de Reg. cap. 1. eod. tit. in 6.* Et ita quod facta antea etiam esset nulla. Imò Concil. Trid. non fuit contentum pubertate, sed voluit annum 16. completum, ad hoc, vt quis votum professionis validum emit.

emittat. Non est ergo eadem ratio de voto professionis, & de voto ingressus in Religionem, vnde colligitur multo minus locum habere ampliationem positam, vt si puer vel puella dum iam de facto cum benedictione Ecclesiæ contraxit matrimonium voueat Religionem, votum possit irritari; nam tale votum nec est nec præsumi potest infirmum, quia ad se obligandum in futurum ad Religionem multo minor discretio rationis requiritur quam ad se obligandum de præsenti ad matrimonium, quod est onus grauissimum.

29. Dubium secundo esse potest, an Pater vota tempore impubertatis facta à filio post illud tempus transactum, & cum iam filius est pubes possit irritare. Negant enim Sotus *l.7.de iust.q.3. a.2.fin.* Aragon. 22. *q.* 88. *a.* 9. *fin. Angelus s.p. q. de voto a.* 7. *post* 12. *difficul, dub.*7. Rodriq. 2.*tom. c.*91. *num.*6. *vega* 2. *tom. c.* 129. *casu* 90. & 91. Et fundantur, quia deficit in Padre potestas, cum filio pubes, seu emancipatus non sit ampliùs sub Patris potestate. Secundo quia Dominus non potest irritare vota serui post libertatem illius. Nec prælatus Religiosus finito officio potest Religiosorum vota irritare, filio verò pubere existente, aut emancipato, iam Pater functus est officio Patris in ordine ad vota irritanda, quia finita est illa subordinatio, & dependentia voluntatis filij à Padre, in his quæ ad personam filij pertinent, & ille iam est sui iuris. Tertio quia absurdum est admittere, vt vota huiusmodi in æternum maneant irritabilia quotiescumque Pater voluerit.

30. Est autem hoc certum, quod si votum sit confirmatum à vouente post pubertatem, quod non est amplius irritabile, quia hoc est, ac si vouens de nouo votum emisisset votum antem Religionis emissum post pubertatem, sicut & alia vota personalia non est irritabile,

31. Quomodo autem pubes confirmet votum à se impubere emissum docet Caiet. in hoc articulo aduertens aliud esse credere, quod votum obliget, & aliud velle seruare votum, & aliud votum confirmare. Nam credere, quod votum obliget, non est votum confirmare, quia credere est actus intellectus, & confirmare est actus voluntatis. Velle autem votum implere supponendo, quod obliget, non est votum confirmare, sed imò ex suppositione, quod votum confirmatione non indigeat, velle illud implere; posset verò esse implicita confirmatio, si constito, quod votum non obligaret, nihilominus vouens decerneret se velle illud seruare, si intenderet aliquo modo se ad hoc obligare, & opus Deo promittere. Sed in præsenti hoc non potest habere locum, quia votum ab impubere emissum validum est, & verè obligat, vnde nec potest vouens illud ex se retractare, sed bene facit, & credendo se teneri ad illud seruandum, & volendo illud seruare. Vnde ex his bene deducit Suarez *tom.*3. *de relig l.*4 *cap.* 6. *num.* 6. Non habere locum in præsenti confirmationem tacitam, sed requiri expressam. Sayrus in Claui Regia *l.* 6. *c.* 10. *num.*16. Innocen. *in cap. Scriptura num.* 3. *de voto* Vndè tunc est certum Patrem non posse hoc votum irritare, quando est expressè confirmatum à vouente post eius pubertatem. In dubio autem an puer post pubertatem confirmauerit votum tempore pubertatis emissum, pro non confirmato est habendum quantum ad hoc, quod possit à Patre irritari. Quia confirmatio voti est quid facti, nec præsumitur nisi probetur, & pro potestate patris est possessio, cui non potest preiudicare incerta confirmatio voti Bonac. *d. disp.* 4. *q.* 2. *p.*7. §.2. *num.*19.

32. Dubium ergo remanet de voto impuberis ab eo post pubertatem nonconfirmato, sed adhuc dubium diuidi potest, quia vel votum impuberis non fuit à Patre confirmatum, vel fuit, & si fuit vel hoc factum fuit post filij pubertatem, vel ante. Et ita duo sunt casus dubitablies. In primo autem casu, scilicet loquendo de voto impuberis non confirmato per Patrem, Dicendum est illud manere irritabile etiam pubertate adueniente. Quia natura talis voti immutata manet, quæ est esse votum à vouente imperfecti iudicij, & deliberationis emissum, & ideò natura sua infirmum & non stabile, & subordinatum iudicio pleniori, ex alia verò parte in Patre non deficit omnimodè potestas in filium, sed retinet semper directiuam quandam potestatem respectu filij, vnde semper potest de voto emisso à filio in pubertate indicare, & illud irritare. Nam & cum tale votum sit natura sua conditionatum, nisi Pater irritauerit, manet semper conditionatum, & cum intrinseca dependentia à consensu Patris. Et ad hoc confirmandum valet, quod *cap. final. de sent. excom.* Decernitur Episcopum posse absoluere ab excom. Canonis, si quia suadente, puerum impuberem, & reddit rationem, quia propter defectum ætatis rigor sit mansuetudine temperandus. Vnde Panor. *num.*2. & Felin. *num.*2. Ex eo textu deducunt fauorem factum minori fauore minoris ætatis, si semel cæpit habere locum, non extingui per superuenientiam ętatis maioris, votorum vero irritatio est concessa impuberibus fauore minoris ætatis. Vnde hanc partem docent Caiet. in hoc articulo Nauar. *sum.cap.*12. *num.*71. Ledesma *to.* 2. *sum. tract.*10. *cap.*7. *less. l.* 2. *de instit. cap.*40. *d.*10. *num.*7. Azor. *lib.*11. *cap.* 17. *quæst.* 7. Lodouicus Lopez *p.*1. *cap.*48. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de voto cap.*6. *num.*8. & *tom.*3. *lib.*4. *cap.*6. *a. num.*6. & *seqq.* Sanchez *lib.*4. *mor. cap.*30. *nu.*9. Layman. *lib.*4. *tract.*4. *cap.*7. *num.*11. Bonac. *in* 2.*prec. disp.* 4. *q.*2; *p.*7. §.2. *num.* 19. Sayr. *lib.*6. *cap.* 10. *nu.*26. Val. *disp.* 6. *q.*5. *p.* 6. *fin.* Felline. *tr.* 26. *num.* 232. Et plures alij DD. communiter.

33. At verò supposito, quod votum impuberis semel fuerit confirmatum à Patre, maior est difficultas. In qua est prior opinio sentiens Patrem adhuc validè (licet non licite sine iusta causa) posse irritare impuberis filij votum à se confirmatum, etiam post pubertatem filij. Et probatur hoc, quia approbatio seu licentia superioris concessa inferiori ad vouendum non tollit à superiore facultatem irritandi votum, sed solum efficit, vt superior non possit illud irritare sine iusta causa. Tum secundo, quia non valet id, quod dicitur, scilicet, quod tota Patria Potestas oritur ex imperfectione iudicij in filio, quæ suppletur per Patris consensum. Nam si hoc esset verum, sequeretur, quod Pater non posset irritare votum factum ab impubere ex sapientissimorum consi-

lio. Et præterea minori, qui de consensu curatoris, & authoritate iudicis aliquid operatur conceditur beneficium restitutionis in integrum *leg. 1. ff. de minoribus*, quod est signum, quod per approbationem iudicis, & curatoris non est sufficienter prouisum infirmo minoris iudicio. Tertio nam falsum est Patrem approbando votum visum fuisse omnimoda sua potestate, quia Pater habet non solum potestatem approbandi votum impuberia, sed etiam irritandi. Quarto nam de prælato religioso asseritur, quod possit irritare vota subditorum, non obstante, quod illa approbauerit. Et ita huius sententiæ, nimirum quod sola voutbtis confirmatio tempore pubertatis emissa non tollat à Patre facultatem votum irritandi,& ex consequenti,quod Pater possit validè irritare votum filij impuberis quandocumque à se confirmatum tenent Sanchez *l. 4. mor. c. 30. num. 36.* asserens hanc esse sententiam DD. quos numero nono allegauerat tribus exceptis.

34. Alij verò distinguunt primo inter tempus impubertatis, & pubertatis, asserentes post pubertatem filij non posse Patrem irritare votum filij à se confirmatum, quia votum illud fuit firmatum ab habente potestatem, & alias iam transijt tempus pro quo Patri data est potestas irritandi vota. Secundo nam alias vota filij in infinitum manerent infirma, & debilia, & irritabilia. Durante autem tempore impubertatis dicunt Patrem posse irritare votum licet à se confirmatum, & ducuntur tum ex eo, quod hæc potestas est in prælatis religionum respectu subditorum. Tum quia confirmatio illa manet subdita voluntati confirmatoris, qui non abstulit à se facultatem irritandi. Et hanc partem tenet Suarez *tom. 5. de religione l. 4. cap. 6. num. 8. & 9.* retractans quantum ad Secundam partem, quæ dixerat *to. 2. l. 6. c. 6. n. 6. & cap. 8. n. 7.*

35. Sed tertia sententia negat absolutè Patrem posse irritare votum filij à se confirmatum. Quæ sententia vera est. Quoniam potestas Patris ad irritanda directè vota filij impuberis est solus defectus pleni vsus rationis, qui in impubere vel est, vel rationabiliter præsumitur esse, & ideò illud votum ideò est irritabile, quia est natura sua infirmum, & debile. Sed votum impuberis à Patre confirmatum non est amplius deficiens, & infirmũ ac debile ex defectu pleni iudicij,& imperfectæ deliberationis ex ætate prouenientis, cum à Patre sit approbatum, Imò considerandum est, quod non omnis defectus iudicij reddit votum infirmum, sed illud quod ex ætate imperfecta prouenient est. Nam alias impubes siue plenè, & prudenter deliberet dum vouet, siue non, dummodo tantum deliberet, quantum sufficit ad actũ humanum, sufficit ad hoc ut uotum sit firmum. Cum ergo Pater iam in pubere, uel uirili ætate constitutus approbat uotum filij, à tali uoto tollitur defectus iudicij ex imperfecta ætate uouentis proueniens, & consequitur conditionem ad firmitatem suam necessariam, unde non amplius infirmum, ac irritabile. Et ideò huius sententiæ fuerunt Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto cap. 6. num. 6. & cap. 8. num. 7.* Sayro *lib. 6.* Clauis regiæ *c. 10. n. 28.* Philiar. *de off Sacerd. tom. 1. p. 2. c. 18.*

36. Ad primum in oppositum negatur assumptum uniuersaliter, quod non est uerum, quando approbatio superioris requiritur præcisè ex def. ctu plenæ libertatis, & deliberationis in subdito. Tunc enim approbatio superioris requiritur, vt conditio qua posita votum est validum,& firmum, & ideò non irritabile ampliùs. Et ad secundum, quod est replica contra hanc responsionem, dicitur solum Patrem esse à natura à lege institutum in directorem filij, vndè vota illius directioni sunt commissa, illiusque consensus est illa vnica conditio, sub qua vota filij sunt valida; Vndè ex quocumque consilio impubes filius voueat, infirmiter vouet, nisi Pater consentiat.

37. Et ad aliam instantiam dicitur, quod probat oppositum. Nam actus factus de consensu iudicis, & curatoris est adeo firmus, vt non possit à curatore rescindi; qui potuit quidem negare consensum, sed eo consentiente, & iudice approbante manet contractus firmus, & fortis,& per curatorem non irritabilis. Quod si hoc fit in promissionibus, & obligationibus humanis, Ita vt si contingat Patrem esse filij emancipati curatorem suo consensu reddat obligationem indissolubilem à se ipso, multo magis hoc erit verum in obligatione per quam filius se obligat Deo, vnde si pater semel consentiat voto filij, completur obligatio, & votum redditur irritabile à Patre. Quod verò in contractibus realibus posset dari à supremo Principe restitutio in integrum; primo hoc non est verum vniuersaliter, sed solum si sit læsus. Secundo etiam in voto, minor vel impubes potest voti dispensationem obtinere, vel commutationem, si habeat causam legitimam, &c. Tertio longè diuersa est ratio, quia vouens ex voto non potest lędi. Nam Deus, qui bonum vult nostrum, si contingat, vt materia fit impossibilis, vel mutetur de possibili in impossibilem, vel mutetur de meliori in minus bonam, relaxat vori obligationem, quod semper est de meliori bono possibili, ideò non potest per illud lædi vouens,& quatenus obseruantia reddatur difficilis, adhuc nõ est opus potestate paterna, quia non derint superiores, qui votum possint relaxare dispensando, vel commutando, si hoc sit rationabile; interim tamen ex hoc fortius probatur intentum, quia si consensus curatoris vel Patris reddit obligationes factas cum hominibus ab impubere, vel minori validas, & firmas, multo minus potest irritare obligationes, quæ de eius consensu ab impubere fiunt.

38. Ad tertium dicitur supponi falsum, scilicet potestatem irritandi vota filiorum in patre esse potestatem, vt sic dicam absolutæ iurisdictionis, & potestatis, & dominij, cum in rei veritate eius potestas non sit nisi potestas, quæ oritur ex natura operationis impuberis, quæ ad sui firmitatem vt conditionem requirit consensum Patris, vndè est potestas ponendi conditionem sine qua actus non est firmus, & ideò est potestas conditionata, & finita, & determinata, & ex quo semel dedit consensum suũ,& apposuit conditionem ad firmitatem actus requisitam, iam plenè functus est sua potestate. Nec potestas consentiendi, & irritandi sunt duæ disparatæ, sed vna consequitur ad aliã, & eo potest irritare, inquantum potest consentire, &

ne, & si non consentiat tunc potest irritare. Et sic obiectum potestatis irritandi non est filij votum absolutè, sed votum à patre non confirmatum.

37. Ad quartum dicitur longè diuersam esse rationem Prælati religionis à potestate filij habentis vsum rationis, & libertatem. Prælatus enim ex vi voti obedientiæ habet denominatiuà potestatem supra subditum tantam ac talem, vt subdito proprium velle non remaneat. Sed filius impubes habens tamen vsum rationis est intantum sui iuris, & libertatis, quod ex hoc solo est sub gubernio patris, non quia sit libertate,& propria voluntate priuatus, sed quia habet voluntatem infirmam, & volubilem, & indigentem Patris directione. Religiosus igitur per votum obedientiæ se priuat sua voluntate, sed filius proprium velle habet, sed infirmum. Ideo Pater confirmando votum filij munus suum implet, nec sibi remanet alia potestas; sed subditus proprium velle non habens semper remanet sub potestate superioris, qui confirmando subditi votum,non se priuat, illa sublimi potestate per quam est dominus voluntatis subditi. Neque est, quod prima illa opinio pro se antiquos DD.alleget, quia illi loquuti sunt de voto non confirmato. Et ex quo absolutè docent Patrem posse irritare vota filij impuberis,cum pro ratione adducunt infirmitatem iudicij, & deliberationis filij, simul explicant satis hoc non habere locum, nisi respectu voti infirmi, non verò respectu voti per deliberationem Patris confirmati. Secunda etiam opinio non benè distinguit, & ex dictis motiua eius satis manent soluta.

40. Limitatur tamen primo supradicta resolutio, quia Pater indirectè, & ratione materiæ potest vota filij irritare, si præiudicent suæ anthoritati,& potestati. Hoc enim est votis commune, quod non sint vinculum iniustitiæ, vel inobedientiæ, vnde non præiudicant iuri alterius;vnde in ijs,in quibus filius subditur, & tenetur obedire, si voueat aliquid in præiudicium obedientiæ, Pater vtendo iure suo, & reddendo materiam non aptam, vt sic materia voti, indirectè irritat votum, vt tradit Suarez *tom.2.de relig. l.6.de voto c.6. n.16.* Nec obstat, quod votum Pater approbauerit. Nam sicut communiter dicitur de marito irritante votum vxoris de sui licentia emissum, quod si illud irritat ex iusta causa benè, & validè irritat. Ita dicitur in hoc casu de patre vota filij irritante.

41. Remanet propterea solum, vt videatur quando censeri debeat votum esse à Patre confirmatum. Primo autem necesse est,vt Pater sciat filij votum, quia non est volitum, quod non est cognitum. Sed neque quæcumque scientia sufficit. Si enim Pater votum filij sciat ab alijs, quam à filio, si interim taceat, & nihil dicat, non confirmat votum,nec explicitè, nec implicitè, quia Patri volontarium est tam confirmare, quam irritare votum, & quam vtrumque actum suspendere, Ideo nisi ipse voluntariè, & positiuè confirmet, non censetur confirmatum uotum. Et eo magis, quod pater benè sciens se posse votum irritare votum filij ad uotum suum potest interim silere, & permittere, & negatiuè se habere. Sed si sciat à filio, tunc si audiat, & taceat videtur consentire. Et ita tenet Sayrus *d.cap.10. n.28.* Et quidem *cap. 39. Numer.* Patre per diem tacente manebat puellæ votû confirmatum. Sed lex illa, vt Suarez *n. 14.* aduertit fuit positiua, & nunc non obligat, & facit caput puella 20. *q.* 2. malè à Sayro pro sua opinione adductum. Nam ibi professio puellæ decernitur confirmata à Patre, si ille dissimulet per annû, & diem; igitur sola dissimulatio,& non irritatio voti cogniti non est illius implicita confirmatio,quia ex eo texto habetur, quod dissimulatio non ducens per annum, & diem non est confirmatio; vnde ex solo iure positiuo in illo casu statutum fuit, quod dissimulatio per annum, & diem haberetur pro confirmatione. Vnde Patrem votum filij à filio audientem negatiuè se habere licet præsumi possit consensus,tamen hic non præsumptionibus, sed veritate res mensuratur, ideo si pater verè non consentit, & confirmat votum, nec votum est verè confirmatum. Et sic tunc votum est confirmatum, quando pater vult illud esse tale. Et licet sufficiat consensus implicitus, si verè detur, non tamen sufficit consensus præsumptus, sed requiritur, quod Pater verè confirmauerit votum, ad hoc vt illud non possit amplius irritare.

42. Dubium tertio est quantum valeat hæc patris irritatio, an scilicet votum à patre irritatum semper sit tale,vel potius aliquando reuiuiscat filio emancipato, vel pubere existente, & extra patriam potestatem. Nam votum reuiuiscere affirmant aliqui. Palud. *enim 4.d.38. q.4. concl.11.* & S.Anton. *2.p. tit.11. c.2. §.6.* tenent, quod si pater puerum,vel puellam retraxerit à Monasterio,mortuo Patre, vel ipsis extra patriam potestatem positis, ipsi teneantur ad Monasterium redire. Hoc etiam probabile putant. Arag.22.88. *a.9.* & Rodriq.*2.tom.sum.q.91.a.9.*scilicet patrem nô irritare, seu potius suspendere votû,donec filius fiat pubes. Solet verò pro hac sententia citari Innoc. *in cap. Scriptura de voto*. Sed ibi solum affirmat, quod impubes tenetur ad implendû votum,quod in pueritia gessit, quod potest intelligi de voto non irritato. Contraria tamen sententia vera est, quam docet D.T. in hoc articulo, & Caiet. Panorm. *in cap. Postulasti de Regular.* Abulens. *q.* 80. *& seq. in cap.30. Num.* Syluest. *v.votum 5. q.1.*Sanchez *l.4.c. 35.n.20.*Suarez *tom.2.de relig.l.6. de voto cap. 6. n. 17.* Sayrus *l.6. c.10. n.30.* & omnes tam antiqui, quam moderni,qui absolutè docent,quod pater filij impuberis vota irritare potest. Quia irritare votum non est illud suspendere, sed cassare, & annullare. Et ratio est, quia Pater non indirectè solum, sed directè potest irritare vota filiorum, quia impuberum uotum est ab intrinseco conditionatum, vt non sit firmum, nisi consentiente patre, quia est de se infirmum ex eo, quod impuberes plenum, & perfectum iudicium rationis non habent, quantum sit necesse ad se fitmiter obligandum. Vnde non est eadem ratio de marito respectu vxoris, & Domino respectu serui; quia isti solum indirectè irritant vota, ideo vxor, qui religionem, vel aliud uouit, mortuo marito tenetur ad uotum, quia maritus solum potuit non uoti suspendere,quatenus sibi præiudiciale, ac propterea eo mortuo uotum obligat. Sed pater directè uotum impuberis cassat, & irritat; ideo uotum hoc cassatum non reuiuiscit.

43. Quæritur autem quarto, an hæc potestas irritandi votum religionis impuberis, conueniat alijs

alijs à Patre. Et quidem primo loquendo de matre hoc est certum, quod viuente patre ipsa directè non potest votum filij impuberis irritare, nisi indirectè inquantum votum filij præiudicet maternæ potestati, quam habet in filium. Solus enim Pater est caput familiæ, & gubernator domus. Ideo Pater potest contradicente matre votum filij impuberis irritare, sed mater id non potest contradicente patre. Sed quid dicendum si mater, conscia voti filij impuberis, patris scientiam præueniat, & illud irritet? Dari in hoc præuentionem respectu matris, quidam asseruerunt. Sed negandum est matrem id posse, quia ipsa non est caput familiæ. Et licet D.T. *supra q.* 88. *a.9.* dicat, quod vota impuberum possunt irritari per parentes, tamen in hoc articulo soli patri hanc facultatem tribuit, & locus ille *q.*88. intelligitur, vel quia mater indirectè irritat vota filiorum, vel quia in aliquo casu, vt dicemus hæc facultas ei competit. Et exemplum Samuelis à matre oblati Deo non probat, quia id factum fuit, patre consentiente. Et dato, quod mater possit inuito patre tradere filium baptizandum, non est eadem ratio de baptismo, quod est Sacramentum summæ necessitatis, & de voto, quod est opus supererogationis.

44. Sed quid si viuat pater, sed sit absens? Sanchez *l.4.* Mor. c.35. *n.*79. putat tunc matrem posse irritare votum filij, si pater absit, & ita longè sit, vt per epistolam consultus nequeat respondere longissimo tempore expectato, vt si pater esset apud Indos, & Mater cum filio in Hispania. Sed melius dicitur prout innuit Suarez *n.* 11. quod in simili casu mater possit suspendere votum filij, non verò irritare; seu distinguendo dicitur, quod vel votum filij est pro tempore absentiæ patris, vnde nisi votum irritetur votum erit, executioni mandandum antequam pater redeat, vel consuli possit. Et in hoc casu, siue pater absens sit longè, siue sit propè, Matris est curam filij gerere, & ipsa à natura est loco patris, & ipsius est votum illud filij, vel approbare, vel irritare. Sed si uotum non habet instantem executionem, vel habet executionem successiuam, & perpetuo, vel longo tempore duraturam, mater quidem poterit votum suspendere; sed non irritare; quia ipsa non venit, nisi in subsidium ob patris absentiam, ideo sibi non competit, nisi potestas subsidialia, & quæ se extendat pro præsenti occurrentia, relicta finali determinatione patri, cuius authoritati non potest illa derogare, vt si votum videatur illi confirmandum postquam aduenerit, non possit illud confirmare non obstante, quod mater vel illud irritauerit, vel velit vt irritetur. Sic enim melius prouidetur indigentiæ filij, & honori Dei, cui vouens se obligauit, si in hoc resolutio vltima reseruetur patri, quando hoc fieri possit.

45. Mortuo autem patre, si mater sit tutrix filij, quia sic succedit loco patris, certum quoque est, eam posse vota filiorum irritare eo modo, quo pater poterat. Et hoc communiter DD. admittunt. Sed si filius nullum tutorem habeat, quod contingere potest, Sanchez loco citato affirmat in eo casu matrem posse vota filij impuberis irritare. Quia tunc esto non sit tutrix, est tamen loco tutoris, & habet filij gubernium, cui est, & loco patris, & loco tutoris. Sed hanc puto esse sententiam communem. Nam quidquid sit, an mater mortuo viro, & non relicto tutore filiorum, vel sit de facto tutrix de iure, vel solum habeat ius petendi tutelam, hoc certum est, quod mater manet loco tutoris, & ad eam pertinet cura filiorum, officiumque tutoria gerit. Vnde DD. qui dicunt matrem posse irritare vota filiorum, si sit eorum tutrix, hoc intelligunt, siue mater sit tutrix data à iudice, siue sit tutrix naturalis habens locum tutoris ex eo, quod nullus alius est datus. Non enim naturalis ratio permittit, vt filij impuberes manere debeant sine tutore; ideo si nullus est aliundè legitimè assignatus, ipsa mater loco tutoris succedit, & filiorum curam gerit loco patris, & ideo eo modo potest vota filiorum impuberum irritare, quo modo pater poterat. Suarez *lib.6.c.6.n.*12. Sà *v. votum irritatio n.*1. Clauis Regia *l.6.c.*10.*n.vlt.* Sanchez *cap.* 35.*n.*76.*&* 79. Layman. *l.4.tr.4.c.7.n.*10. Bonac. *disp.* 4.*q.*2.*p.*7.§.2.*n.*18. Palaus *disp.*2.*p.*7.*n.*7. Si tamen filius habeat tutorem, non ad matrem, sed ad tutorem spectat irritatio huiusmodi. Syluest. *v. votum* 4. *q.*2. *d.*1. Nauar. *cap.*12. *n.*64. Azor. *p.*1. *lib.*11. *cap.* 17.*q.*7, & alij DD. citati. Si etiam ex parte patris detur auus, qui loco patris possit succedere, & mater non sit tutrix, eius erit vota nepotis impuberis irritare. Palaus vbi supra.

46. Sed quid dicendum, si mater transierit ad secundas nuptias? Palud. 4.*d.*38.*q.*4.*concl.*8. & Syluester *v religio* 2.*q.*13. negant, quia mater transeundo ad secunda vota amittit tutelam. Contrarium verò tenet Sanchez *n.* 80. sed forsan non contrariantur istæ sententiæ, quia vt notat Suarez *n.* 22. quando mater priuatur tutela filiorum, solet dari eis alius tutor; ideo prima opinio loquitur in hoc sensu, vt tunc matri non competat irritare vota filiorum impuberum, quia conuenit tutori, qui solet assignari. Sed quia potest esse, quod non assignetur in hoc casu, quia filius non debet remanere sine tutore; ideo si nullus alius sit tutor legitimus filiorum, mater licet iuncta alteri viro locum tutoris gerit, & propterea potest de filiorum votis iudicare. Verùm tamen est, quod si filio assignandus sit tutor in proximo, nec filius dici potest sine tutore, nisi secundum quid, & ad tempus, nec mater potest pro tunc vota filij irritare; quamuis possit illa suspendere donec filius tutorem habeat, vel nisi conditio voti sit talis, vt habeat totalem executionem præsentem, nec possit expectari institutio tutoris, sed votum sit implendum ante tutoris institutionem, nisi irritetur.

47. Sed hinc soluitur difficultas. Nam si mater non sit instituta tutrix, sed solum sit tutrix, quia nullus alius adest, videtur quod solum possit vota filiorum suspendere, quia semper potest filijs dari alius tutor, cui mater non potest præiudicare, & ideo non potest simpliciter vota filiorum irritare, sed solum suspendere sub conditione, nisi aliter tutori videatur, si tutor assignetur. Sed primo hoc locum non habet, vbi ipsa mater est illa, quæ à iure debet esse tutrix. In hoc enim casu parum interest, quod ipsa sit à iure data, de facto, vel non data; nec alius tutor est expectandus, cum ipsi tutela à iure competat. In eo verò casu in quo matri non competat tutela à iure, quia mater intrat per accidens, & in subsidium, videtur probabilius dicendum, quod possit solum suspendere

uota

vota, quæ habeat executionem in futurum, quia tunc mater non habet curam filiorum, nisi pro interim, & per accidens, ideo eius authoritas non respicit futura immutabiliter, vt possit de futuro filiorum statu firmiter, & immutabiliter disponere, & sic nec eius irritatio, nec consensus est firmus, & immutabilis, ita vt tutore aduenimte non possit, vel votum irritatum confirmari, vel confirmatum irritari.

48. Loquendo autem de tutore hoc certum est, eum posse irritare vota impuberum durante eorum impubertate, quia succedit loco patris, & habet eamdem facultatem, quam pater. Quod adeo verum est, vt si eiusdem impuberis plures sint tutores, quilibet illorum possit votum eius irritare, vt tradunt Syluest. *v. religio* 4.q.13. Suarez *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 6.n.22. Sanchez *l.* 4. Mor. c.35.n.70. Palaus *disp.* 2.*p.*7. *n.*14. qui etiam aduertunt potiorem esse conditionem irritantis, quia quilibet illorum habet sufficientem potestatem, quæ per alium impediri non potest.

49. Sed dubium est, an tutor post pubertatem possit vota in impubertate emissa irritare. Negant enim aliqui, quia tutor hoc non potest vt tutor, cũ talis desinat esse statim, ac puer ingreditur pubertatem. Sed nec id potest, vt curator, quia vt curator non habet administrationem personæ, sed solum rerum, & ita non habet authoritatem super voto religionis, & alijs votis personalibus. Et ita tenet Suarez *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto c.* 6. *n.* 24. & 25. Sed opposita sententia communior est, scilicet tutorẽ posse irritare vota ante pubertatem ab impubere sibi commisso emissa, quia licet desinat esse tutor, remanet tamen curator, & in hoc succedit Patri, vt possit ea omnia, quæ pater potest respectu minoris sibi commissi; Et licet directè, & primario officium curatoris respiciat administrationem rerum temporalium, secundario tamen respicit etiam personam minoris, & ideo sicut pater poterat ea vota irritare, ita & curator, qui loco patris succedit. Et ita hanc partem tenent illi, qui docent tutorem posse irritare vota minoris ante pubertatem emissa, non enim hoc intelligunt de tutore, vt tutore, quia officium tutoris cessat adueniente minoris pubertate, sed hoc intelligunt de tutore prout remanet curator. Et ita sentiunt Nauar. *sum. c.* 12. *n.* 71. Lopez *p.* 1. *instruc. cap.* 84. Less. *l.* 2. *cap.* 40. *n.* 80. Sa *v. votum* vbi de voti irritat. *n.* 5. Et ita in terminis de curatore hoc docent Sanchez *l.* 4. *c.* 30. *n.* 14. Layman. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 7. *n.* 11. & *alij*. Et hæc opinio verior est, quia curator in locum patris succedit, & potest contingere casus, quod irritatio conueniat, & votum in impubertate factum semper de se claudicat. Certum tamen est, quod tutor, vt tutor nihil potest, quia desinit esse tutor post pubertatem minoris, vnde officio tutoris cessante cessat tutoris authoritas. Cum etiam pater non possit irritare vota à se ipso confirmata, multo minus curator potest irritare vota, vel à patre, vel à tutore, vel etiam à se ipso antecedenter confirmata.

50. De auo autem, vel auia, aut alijs ascendentibus idem dicitur, quod de matre. Nam si illis competat tutela, eaque non sint priuati, quatenus sint tutores, vel tutrices, vota impuberum possunt irritare eo modo, quo pater, & tutor. Si verò impuberes habent, vel patrẽ viuũ, vel tutorẽ, nihil possunt, nisi detur casus, quod propter absentiam patris, & tutoris possint suspendere votum vsque ad consultationem patris, aut tutoris, sicut dictum est de matre. In casu autem, quod impuberes, nec habent patrem, nec tutorem attendendi sunt, qui secundum legem tutores esse debent, & sunt, vel à iudice dantur, & illis competit tueri impubẽ loco parentũ, & ita possunt vota eius irritare, vel suspẽdere eo modo, quo mater potest; eadem enim in his est ratio matris, vel auiæ, qui de facto deficiente patre, vel tutore est naturalis tutor. Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *concl.* 8. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 6. Sayro *l.* 6. *c.* 10. *num. vlt.* Suarez *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto c.* 6. *nu.* 22. Sanchez *l.* 4. Mor. *c.* 35. *n.* 82. Layman. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 7. *n.* 11. & *alij*.

51. Hoc verò quidam extendunt etiam ad Magistrum deficientibus omnibus ascendentibus, & alijs tutoribus. Quod pietati consonum, & rationi putat Suarez loco citato *n.* 23. Clauis Reg. *l.* 6. *c.* 10. *n.* 18. *fin.* Layman. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 7. *n.* 10. vt scilicet alijs deficientibus, qui curam gerunt impuberis, possint illius vota irritare, quasi in hoc habeant vicem patris, & tutoris. Quod tamen non approbat Sanchez loco citato 5. *dicto cap.* 35. *n.* 84. Et certè id non habet solidum fundamentum, vnde dicendum est impuberem non habentem patrem, aut tutorem, aut alium, qui habeat locum tutoris, esse sui iuris, & posse independenter à consensu alterius vouere, vt tradunt Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 6. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 2. *n.* 18. Sanchez *l.* 4. *c.* 35. *n.* 84. Palaus *disp.* 2. *p.* 7. *n.* 8. & Margarita cõfes. vbi de irritatione votorũ. Ideo Suarez etiam cõsulit esse melius, vt qui curã impuberũ gerunt legitimè munus tutoris accipiãt, sẽper tamen verum est, quod impuberum vota sunt natura sua irritabilia; si adsit, qui possit irritare. Hoc verò non existente saltim habent, vt in eis facilius dispensari possit. Idem etiam extendunt aliqui ad dominum, vt serui impuberis parentibus orbati vota irritare valeat, eo modo quo parentes si superstites essent. Et ita tenet Sayrus *l.* 6. *c.* 10. *n.* 18. & magis certum esse, quam in præcedenti casu tradit Suarez.

52. Hanc eamdem facultatem extendunt ad Sponsum etiam dato casu, quod vel malitia supplente ætatem, vel ex dispensatione ecclesiastica accipiat Spõsam adhuc impuberem, vt possit vota ab ea in impubertate facta irritare directè, sed tamen distinguunt. Nam vel sponsa adhuc est impubes, & tunc in duplici casu Sponsus eius vota irritare potest directè, scilicet primo si Pater sit mortuus, quia tunc Sponsus loco tutoris succedit, vt habetur ex Aug. *q.* 59. *in Num. relato cap. Noluit* 33. *q.* 5. Secundo si sponsa sit emancipata, quia etiam tunc eadem militat ratio; Sponsus enim est loco tutoris Sponsæ, adhuc impuberes. Vel Sponsa iam est pubes, & tunc Sponsus ratione materiæ, & indirectè potest Sponsæ vota irritare, si sint suo iuri contraria, non tamen potest ea irritare directè. Quia neque hoc habet, quia sit Sponsus, quia ex hoc capitè non habet, vt vota vxoris directè irritare possit. Neque hoc sibi competit, quia tutor, quia Sponsa iam facta pubes non indiget tutore. Ita Suarez dicto *l.* 6 *de voto c.* 6. *n.* 26. Sed hoc vltimum non admittitur, quia supra probatum est,

cura-

curatorem posse irritare vota minoris facta in impubertate, sponsus verò licet non sit tutor sponsæ jam puberis, est tamen ejus curator, vnde ex hac parte poterit irritare vota vxoris in impubertate emissa sponsa iam à Patre emancipata, vel patre defuncto.

53. Et tandem extenditur hæc facultas irritandi vota impuberum ad Patrem, & Matrem respectu filij illegitimi. Quod explicatur, quia licet Pater respectu filij illegitimi non habeat Patriam potestatem ciuilem, quia illegitimus sub nullius parentis potestate est, vt habetur ex *instit. de patria potest*, in principio, tamen tam pater, quam mater habent potestatem naturalem in filios quoscumque super qua potestate naturali fundatur potestas irritandi vota impuberum, vt supra probatum est. Dicitur ergo primo, quod vbi Pater sit certus impuberem puerum esse suum filium, vt eum teneatur alere, vndecumque hanc certitudinem habeat, potest iure naturali irritare vota illius, si tamen ille non habeat tutorem, vel curatorem, quia in eo casu ad tutorem, vel curatorem hoc pertineret. Dicitur secundò hanc facultatem non esse in solo patre, sed multo magis in matre, etiam præsente patre, quia ipsa maiorem certitudinem habet de pueri filiatione. Vterque enim in hoc conuenit, quod nullus habet super filio potestatem ciuilem, sed in potestate naturali, mater in hoc excedit patrem, quod est omninò certa puerum esse suum filium, cum pater valdè sit incertus & propterea leges maius ius conferunt matri, quã patri. Quandoquidem mater certus prole legitima, & huiusmodi filij demptis paucis, qui ob speciale parentum delictum in hoc puniuntur, sunt necessarij mutuò sibi hæredes, quod nec patri nec filio respectu ipsius competit. Ita Sanchez *d.c.35. num.* 82. Sed limitatè est admittendum. Nam si pater est certus, & recognoscit filium vt suum, Patris erit eius vota irritare non matris; quia potestas naturalis erga filios maior est in patre, quam in matre. Dicitur autem quarto, quod deficientibus tutoribus, & curatoribus, & patre aut matre respectiuè, ascendentes suo ordine possunt horum filiorum vota irritare; succedunt enim ex naturali lege loco tutoris, aut patris legitimi, & curam illorum habere possunt, & ea facere, quæ potest mater respectu filiorum legitimorum Sanchez loco citato.

54. Quæritur quinto & vltimo, an impuberi contra votum conueniat restitutio in integrum, ita vt sicut si inueniatur Læsus in alijs contractibus restituitur, ita restitui possit, si inueniatur Læsus per votum. Affirmant enim Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 5. *concl.* 5. & ex eo D. Anton. 2. *p. tit.* 11. §. 6. Et Margarita Confessorum, ibi de voti irritatione, quia minoribus vbi sunt Læsi conceditur restitutio, vt patet ex *titu'. ff. de minoribus*. Sed vt dicebam supra *num.* 37. per votum impubes, vel minor lædi non potest, cum semper votum sit de meliori bono, & vbi materia voti mutetur, & euadat, vel mala, vel minus bona, voti obligatio cessat, ideò in voto non potest habere locum restitutio. Quod magis confirmatur, quoniam à multis dicitur, quod aduersus opus pietatis minor non restituitur, etiam si integrum patrimonium expendisset, vt tradit Sfortias Oddo *de rest. p.* 1. *q.* 23. *a.* 11. *num.* 55. Quod verò quis vouet, id pertinet ad pietatem. Tertiò nam hæc restitutio aduersus Deum peti, & dari deberet, quia in voto vouens cum Deo contrahit, at verò si aduersus patriam, & parentes non datur restitutio in integrum, vt habetur ex *leg. veluti ff. de iustitia, & iure*, & docet idem Sfortias Oddo *q.* 71. *a.* 6. sic multo minùs concedi debet aduersus Deum. Sed præcipua ratio est supradicta, quia restitutio non habet locum nisi supposita Læsione, & considerauit Rota Romana *p.* 9. *rec dec.* 63. *n.* 23. At verò in voto læsio locum nequit habere, quia aut votum non valebit ex capite ignorantiæ, vel impossibilitatis, aut iniustitiæ aut alio simili capite, aut erit de meliori bono, vndè non potest quis per votum lædi Sanchez *l.* 4. *cap.* 35. *num.* 86. Bonac. *d.* 5. 2. *n.* 24. Palaus *d. p.* 7. *n.* 16.

SVMMARIVM.

1 *Pater votum religionis emissum post pubertatem non potest irritare. nu.* 55.

2 *Quæ vota puberum possit Pater irritari. numer.* 56.

55. IN tertia textus conclusione asseritur; quod si filius post pubertatem voueat Religionem, non potest eius votum irritari à parentibus, & tamen si vouens caret vsu rationis, non obligatur coram Deo. Potest enim contingere casus, quod puella, vel puer etiam post 14. annorum, vsum rationis etiam, qui sufficiat ad libertatem simpliciter non acquisierit, & tunc si voueat, votum de se est nullum in eo casu. Vndè huius conclusionis sensus est, quod vel simplex votum religionis in pubere non est validum, vel si est validum non potest à parentibus irritari.

56. In huius conclusionis assertione DD. conueniunt vnanimiter asserentes parentes non posse irritare votum simplex religionis à filio pubere emissum. Cum verò de alijs votis per se validis nonnulli affirment eos posse irritari, communis tamen sententia est, vt nec ista irritari possint, nisi in quantum sunt contraria paternæ authoritati, illique aliquod præiudicium ferunt. Cuiusmodi sunt omnia illa, quæ aduersantur libero, & expedito domus regimini, aut pertinent ad gubernationem domesticam, quod docet D. T. *supra q.* 88. *a.* 8. *ad secundum*. Et imò si huiusmodi vota diuisibilia sunt, non possunt irritari, nisi pro ea parte, pro qua præiudicant iuri paterno, aut materno. An vero directè irritari possint, vt patria potestate cessante reuiuiscant, est res controuersa, de qua videri possunt Suarez *tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto cap.* 1. *& cap.* 3. & Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 26. Pater etiam non potest impedire filium ne vel voueat Religionem, vel in eam ingrediatur, & contra impedientes mulieres à Religionis voto extat decretum Concil. Triden. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regular.*

SVMMARIVM.

1 *Differentia inter votum simplex, & solemne. nu.57.*
2 *Votum solemne in impubere est nullum. numero 57.*
3 *Secundum ius nouum votum solemne non fit ante annum 16. nu.7.*

57. CVm tribus prioribus conclusionibus ostensum sit, qualiter votum simplex Religionis in puero sit validum, & firmũ, hic loquendo de voto solemni, primo ponuntur duæ differentiæ inter ipsum, & votum simplex, quia primo votum solemne facit esse Religiosum, ita quod votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ non facit esse Religiosum nisi sit solemne Religio enim importet statum ab Ecclesia approbatum in quo ex Ecclesiæ approbatione per solemne, & publicum votum quis collocatur. Secundo quia votum solemne subditur ordinationi Ecclesiæ, simplici enim voto homo liber potest se obligare ad quodcumque voluerit bonum, quod non sit maioris boni impedimentum, & votum tenet, sed voto solemni non potest quis validè se obligare nisi Ecclesia approbante, & votum recipiente, & obseruatis iis, quæ ex Ecclesiæ statuto necessaria sunt. Ideò his stantibus ponitur Conclusio asserens votum solemne ante pubertatem emissum quantumcumque quis habeat vsum rationis est nullum, nec habet suum effectum, vt faciat hominem religiosum. Hæc verò conclusio posita est secundum ius antiquum, in quo pueri ad professionem admittebantur post completum annum 14. Sed modò ex decreto cõcilij Tridentini *sess. 25. cap. 15. de regular.* tam à viris, quam à fœminis professio fieri debet expleto anno 16. ætatis, & facta antea nedum est prorsus irrita, quantum ad effectum faciendi Religiosum, sed quantum ad effectum obligandi ad religionem, ita quod professas ex vitalis professionis nec manet obligatus, vt fiat Religiosus, sed remanet prorsus liber, vt disponat de se ipso, prout sibi in Domino placuerit.

SVMMARIVM.

1 *Impuberes de iure antiquo in Religione recipi poterant. nu.58.*
2 *Nulla ætas est, in qua homo non possit ingredi Religionem, vt Deo seruiat. nu.59.*
3 *Parentes filios impuberes, imò infantes possunt offerre Religioni. nu.60.*
4 *Quid operetur hæc filiorum oblatio: nu.61.*
5 *Diuersæ opiniones. nu.62.63.*
6 *Pater impuberem filium inuitum non potest offerre Religioni. nu.64.*
7 *Obiecta soluuntur. nu.65.*
8 *Pater non potest præcipere filio, vt mutet statum. nu.65.*
9 *Examen puellæ recipiendæ cur indictum à Conc. Trid. nu.65.*
10 *Non potest imponi pœna, vbi non est culpa. numer.65.*
11 *Locus à contrario sensu est falax. nu.66.*
12 *Tutor impuberem ingressum sine licentia inuitum potest reuocare. nu.66.*
13 *Deus vult seruos voluntarios. nu.66.*
14 *Quid facere debeant parentes, qui vouerunt filium offerre. nu.67.*
15 *Filius patri potest resistere, ne offeratur Religioni: nu.68.*
16 *An possit resistere patri volenti eum educari in Monasterio. nu.69.*
17 *Pater an inuita matre possit filium Religioni offerre. nu.70.*
18 *Quid si filius non sit ablactatus. nu.71.*
19 *Mater patre inuito non potest filium Religioni offerre. nu.72.*
20 *Mater patre permittente potest filium offerre. numer.73.*
21 *Quid de filijs illegitimis. nu.74.*
22 *Quid de matre ad secundas nuptias transeunte. nu.75.*
23 *Quid de ascendentibus. nu.76.*
24 *Tutor potest offerre impuberem Religioni. numer.77.*
25 *Vbi plures tutores, vno renuente, non valet oblatio. nu.78.*
26 *Pater inuito tutore potest filium offerre Religioni nu.78.*
27 *Et mater inuita auia. nu.78.*
28 *Et pater inuito auo. nu.78.*
29 *Parentes, & tutores impuberem sine consensu eorum ingressum possunt reuocare. nu.79.*
30 *Nisi per annum, & diem dissimulauerint. numer.80.*
31 *Qualiter hic annus numerandus. nu.80.*
32 *Impubes oblatus ante pubertatem non potest recedere. nu.81.*
33 *Potest, si propria auctoritate est ingressus. numer. 81.*
34 *Impubes consentientibus parentibus, sed contradicente Monasterio non potest exire. numer. 82.*
35 *Impubes qui vouit Religionem reuocatus à parentibus votum irritantibus est liber à voto. nu.83.*
36 *Non potest reuocari is, in quo vsus rationis præuenit, nu.83.*
37 *Ex vi Concilij Trid. sess. 25. cap. 17. non est prohibitum impuberes puellas offerri. numer.84.*
38 *Non est prohibitum puellas impuberes offerri, sed consulenda S. Cong. nu.85.*
39 *Possunt recipi in Monasterijs monialium educanda, sed pluribus conditionibus seruatis. numer.86.*
40 *Ad Religionem possunt recipi minores 16. annis. nu.87.*

58. QVinta conclusio textus, affirmat posse recipi in Religione pueros impuberes de licentia parentum, vt nutriantur ibidem, quod probatur exemplo Io. Baptis. & authoritate Greg. & S. Benedicti, & quia benè est huiusmodi pueris, vt ab adolescentia, & pueritia iugum Dei portare assuescant. Hæc quoque conclusio communis est, sed non pauca ad eius explicationem consideranda sunt.

Quali-

Qualiter liceat recipere impuberes in Religione nutriendos.

INSPECTIO III.

59. NVllam esse ætatem in qua sit iure naturali prohibitum ingredi Religionem, & in ea, seruato ordine debito, recipi quicumque possit, facile potest probari. Nam de iure naturæ est, vt vnusquisq; vnius possit se offerre ad seruiendum Deo, & ad perfectionem acquirendā quocumque tempore. Et quanto citius hoc facit, tanto melius facit. Vndè in hoc non distinguuntur ætas pueritiæ, ab ætate adolescentiæ, seu virilitatis, sed vbi homo sit compos rationis semper benè facit, si se diuino cultui, & seruitio dedicat. Si verò nondum habeat rationis vsum, adhuc parentes bene possunt talem Deo offerre, cum hoc de se, & ex genere nihil contineat, quod rectæ rationi repugnet, & mater Samuelem infantem vix ab vbere auulsum templo obtulerit, ac Deo, & eius obsequio mancipauerit. Quo supposito videndum remanet, quid de iure Ecclesiastico antiquo fieri poterat, & postea an per ius Ecclesiasticum nouum aliquid sit innôuatum.

60. Est autem primo certum parentes posse filium impuberem religioni offerre, vt in eo viuat sub disciplina regulari. Hoc enim habetur expresse ex Concil. Vuormat. cap. 12. & ex Gregor. Epist. 4. ad Bonifacium legatum Germaniæ, prout refertur *cap. Addidistis* 20. *q.* 1. *& ex Concil. Tolet.* 10. *cap.* 6. & refertur *cap. Si in qualibet* 20. *quæst.* 2. Et à contrario sensu colligitur ex *cap.* 2. *de regul. & ex cap. puella* 20. *q.* 2. Vnde & in hoc consentiunt DD. communiter. Quod ampliatur, vt sit verum nedum de filijs impuberibus, sed de infantibus; Nam hoc habetur expresse, ex *cap. Addidistis, & etiam ex cap. quicumque* 20. *q.* 1. *& cap.* p. 20. *q.* 2. supponitur filios in quacumque minori ætate posse à parentibus offerri. Et hoc idem tradunt Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 3. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 8. & alij qui affirmant generaliter, & indistinctè parentes posse Religioni offerre filios ante pubertatem. Quod quidem de infantibus expresse loquendo tradunt Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 10. *num.* 8. & Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 1. *nu.* 12. Ex quibus duobus tertium consequitur, nimirum, & Religiones posse huiusmodi filios tam impuberes, quam infantes à parentibus oblatos recipere. Quia prædicta iura hoc concedunt, & factum legitimè supponunt de sic oblatis, & receptis, decernentes qualiter permanere debeant, vt infra magis iuribus illis consideratis videbitur. Et quia, consentientibus imò offerentibus parentibus huiusmodi filijs, nulli fit iniuria, si recipiantur, & alias tales recipere ad hoc vt educentur in regulari disciplina, & Dei timore est bonum, & rationi consonum.

61. Quid verò operatur hæc parentum oblatio, & receptio in monasterio, non desunt qui dicant operari, vt etiam post pubertatem non liceat sic oblatis à Religione recedere si velint. Hoc tenet, & probare conatur Hugo Menardus in concordia Regularium *cap.* 66. §. 1. *vers. Per quam decepius*, allegans ad hoc formulam petitionis, seu oblationis apud Smaragdum, Ruthardum in regulam S. Benedicti, Concil. Tolet. 4. *cap.* 48. & Concil. Tolet. 11. *cap.* 6. & Isidorum relatum *in cap. Quicumque* 20. *q.* 1. & S. Greg. relatum *in cap. Addidistis eadem causa, & quæst.* Sed prout explicauit Clem. Tertius *in cap. cum virum de Regular.* Et longè ante declarauerat Marcellus Papa *cap. Illud.* 20. *q.* 1. iura illa intelliguntur, si impubes oblatus Religioni factus pubes approbet, & consentiat manere in Religione. Nec valet dicere, quod dictum caput *Illud.* 20. *q.* 1. notatur, vt sit palea, vnde dictus Hugo asserit decretum illud Marcelli non esse tam certum. Nam vt aduertitur in Decreto Gratiani emendato, dictum caput notatur palea etiam ab auctore Glossæ, sed nihilominus extat fere in omnibus vetustis, & sine paleę nomine. Communis igitur sententia est, quod impubes à parentibus oblatus Religioni liber est, vt factus pubes exeat à Religione, si voluerit. Sed tria operatur filiorum oblatio facta religioni à parentibus. Primum, vt legitimè à superioribus Religionum tales filij recipi possint, vt dictum est. Secundum, quod non possint filij semel oblati, à parentibus reuocari, quia ipsi iuri suo cesserunt, & quantum sit ex se ipsis filios Religioni donarunt, vt tradunt Innoc. *cap.* 2. *de regular.* & ibi Io. Andr. *num.* 17. Anton. *num.* 12. Card. *num.* 1. Ancar. *num.* 4. Hetr. *num.* 3. Syluest. *v. Religio* 2. *q.* 11. Tabiena *v. aauitus q.* 1. *num.* 2. Rosella *num.* 8. Armilla *num.* 1. Suarez *dicto l.* 5. *c.* 1. *num.* 13. Sanchez *dicto cap.* 18. *num.* 31. Tertio, quod neque filius potest ante pubertatem exire, quia cum ante pubertatem viuat sub patria potestate, & à patre sit Religioni veluti donatus, donec ipsi sui iuris sint pubertate completa acquisita, non possunt à Religione recedere cui donati fuerunt. Et ita habetur expresse *in cap. Significatum, & in cap. cum simus de regular.* Et ideò hoc docent Glossa in illo *cap. significatum ver. à parentibus*, & ibi Anton. *num.* 1. Abbas *num.* 5. Innoc. 2. *num.* 5. *de regul.* & ibidem Abbas *num.* 10. Car. *num.* 2. *q.* 5. Anch. *num.* 8. *q.* 8. Henricus *n.* 5. Syluest. *v. religio* 2. *q.* 10. Suarez *dicto l.* 5. *cap.* 1. *num.* 13. Sanchez *dicto l.* 4. *de moral. cap.* 18. *nu.* 9. Quod tamen intelligendum est de eo qui fuit oblatus, vt fiat Religiosus; Nam pro simplici educatione receptus, potest quando voluerit exire, vel ad libitum parentum extrahi, vt Sanchez aduertit. Ad hunc vero effectum, vt filius oblatus, & ad habitum non possit reuocari à parentibus, sufficere tacitam parentum oblationem docet Suarez ex Panormitano, & Innoc. *in cap.* 2. *de regular.* quod tamen ipse limitat, nisi pater tacitè consentiens protestetur se nolle priuare se ipsum iure proprio, sed solum velle permittere, vt filius ibi permaneat pro tunc, quia contra voluntatem expresse potestantem non currit præsumptio.

62. Quæritur verò, his stantibus, an pater filium impuberem inuitum possit offerre Religioni. Hoc enim affirmant Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 3. *conclus.* 9. *& art.* 2. *conclus.* 10. vbi negat hanc facultatem tutoribus D. Anton. *p.* 2. *tr.* 11. *cap.* 2. §. 8. *notel. Secundo* Nauar. *in cap.* 2. *de regular.*

num.

num. vlt. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. c. 1. *à nu.* 3. Et probatur primo, quia pater cogendo filium impuberem ad ingrediendum Religionem vtitur iure suo, & cogit ad id, quod cedit in bonum filij, neque facit illi præiudicium, nec priuat illum iure suæ libertatis pro tempore, quo poterit disponere de se ipso, quia pubes factus poterit exire, si voluerit, filius enim impubes non est sui iuris, & pater habet gubernationem illius etiam in illis, quæ spectant ad animam, vnde potest vota filij irritare, & quemlibet viuendi modum à filio assumptum impedire, poterit igitur etiam illum inuitum cogere ad modum viuendi religiosum. Secundo nam filius in infantia oblatus religioni potest à patre inuitus detineri etiam post vsum rationis adeptum ante pubertatem, igitur eadem ratione dum est impubes poterit inuitus donari. Tertio à contrario sensu. Nam Concil. Trid. intantum præcepit examinari ab ordinario voluntatem puellæ, post 12. annum, quia supposuit, quod ante illum potuerit inuita detineri in monasterio. Quarto quia non obstat, quod religio, sit opus arduum, & consilij ad quod filius non potest obligari; quia quod est viris, vel adolescentibus supererogationis, videtur esse connaturale pueris; quia illis castitas naturalis est, & paupertas conuenit, quia non sunt capaces administrationis temporalium, & obedientia est velut connaturalis, cum non sint sui iuris, mutatio verò habitus non est tam ardua, quæ non possit iniungi filio à patre, quod alias regulæ obseruantias potest puerum compellere pro captu ætatis. Quinto quia licet pater præcepto rigoroso non possit obligare filium ad statum religiosum, potest hoc præcipere quodam præcepto paterno, & filium punire, si non obediat. Et ita filius sine peccato posset dimittere religionem veluti subterfugiendo, & sicuti reus potest fugere à carceribus, & tamen sicut iudex potest punire fugientem è carceribus, ita Pater posset impedire filium ne discederet à religione, & illum corripere, & punire si discederet. Tandem quia licet non sit laudabile, quod pater abutatur hac potestate, maximè passim, & sine causa; si tamen grauis causa adsit, & speretur filij vtilitas, poterit hac potestate vti.

63. Eandem sententiam tenet Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Cum virum num.* 32. *de Regular. eamque probat ex eo cap. vbi Const.* Leonis Papæ, vt puellæ, quæ coactè, parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine præuaricatione deserere, declarat intelligi de ea, quæ sit constituta in ætate nubili, quia tunc cum habeat liberum arbitrium in electione propositi, non cogitur sequi parentum voluntatem: ergo à contrario sensu, si sit constituta in minori ætate, cogitur sequi voluntatem paternam, cum in electiuo propositi liberum arbitrium non habeat: alioquin declaratio, & ratio huiusmodi esset inepta, si nulla puella cogenda est sequi voluntatem paternam. Secundo nam ponderatur dictio tunc, quæ denotat extremitatem temporis, & operatur quod dispositio locum non habeat in alio casu. Roland. à Valle *cons.* 70. *num.* 25. & *cons.* 56. *num.* 20. *lib.* 3. igitur in eo tantum casu puella non tenetur sequi parentum voluntatem, cum peruenit ad ætatem nubilem. Et huic sensui fauet etiam *cap. præsens* 20. *q.* 3. Item tertiò probatur, quia parentes possunt à monasterio reuocare impuberem inuitum, & ita absoluere illum à perseuerantia in monasterio; ergo pari ratione eum inuitum possunt obligare ad ingressum, quia Dominus parius esse voluit ligandi atque soluendi *cap. Verbum. de Pænit. d.* 1. Et opinio eorum, qui dixerunt tutores posse reuocare ingressum pupilli, quia id est cautum *cap. Puella* 20. *q.* 2. Sed non posse eum tradere Religioni communiter reprobatur à DD. cum reuocatio, & oblatio à patri procedant.]

64. Sed vt videtur hæc sententia, vt est explicata à Suarez, cuius sunt motiua primo adducta, ita se ipsam tandem limitat, & coarctat, vt in re neget, quod verbis affirmat, quia tandem non aliam coactionem admittit, quam illam cui filius possit sine peccato resistere. Dicitur propterea patrem non posse filium impuberem, vel inuitum offerre Religioni, vel inuitũ retinere ne si inuitus intrauit exeat à Religione, quotiescumque voluerit. Hoc enim apertè probat textus in *cap. præsens* 20. *q.* 3. Et ratio est primo, quia status religiosus est status supererogationis, arduus, & longè altior, quam possit Pater præcipere filijs quia potestas paterna non se extendit ad hoc, vt cogat filium ad mutationem status, sed vt dirigat eum in ijs, quæ sunt status sæcularis, sicut nec Prælatus regularis potest Religiosis præcipere, nisi ea quæ sunt secundum regulam, non verò ea quæ sunt supra statum, & regulam. Et licet castitas sit impuberibus connaturalis, nisi malitia suppleat ætatem, tamen supra statum sæcularis semper est paupertas, & obedientia Religiosa, & deferre habitum regularem; & seruare obseruantias regulares, ad quas Deus neminem compellere voluit. Secundo, nam sponsalia impuberis non valent eo inuito, & nec expressè nec tacitè consentiente, obligatio verò ad Religionem se habet vt obligatio sponsaliorum ad matrimoniũ; Et licet inter hæc sit distinctio, quod matrimonium non est maximum bonum, sicuti est religio, & quod sponsalia impuberis obligant ad matrimonium, susceptio verò habitus Religiosi non obligat ad professionem, tamen ratio ob quam sponsalia sine consensu impuberis sunt nulla est, quia non potest obligari inuitus filius ad statum determinatum, cui sit annexa perpetua corporalis seruitus, vt habet *D. T. in addit. ad* 3. *part. q.* 47. *a.* 6. *seu* 4. *d.* 29. *quæst. vn. a.* 4. Eo magis, quod in suscipiente habitum religiosum, est quædam obligatio moralis ad profitendum, cum retrocedere a Religione apud homines malè recipiatur. Et ita hanc sententiam tenuerunt Panormit. Card. Anchar. Anton. Io. Andreas, & alij communiter *in cap. secundum de regul.* Syluest. *v. religio* 2. *q.* 10. Tabien. *v. nouitius q.* 1. *num.* 2. Rosel. *ibi nu.* 1. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 18. *nu.* 26. Vbi bene considerat, quod si parentes filium in infantia obtulerunt, hic acquisito vsu rationis, nisi oblationem suam ratam habeat, potest à Religione recedere etiam in impubertate. Sicut de sponsalibus tempore infantiæ initis à parentibus dicitur, quod non tenent, si sponsi ad vsum rationis peruenientes ea rata non habeant.

65. Ideo ad motiua prioris opinionis respondendo dicitur ad primum, quod petit principium dum assumit, quod pater vtatur iure suo præcipiendo filio impuberi inuito, vt transeat de statu sæculari ad statum Religiosum. Potest enim pater dirigere filium etiam in ijs, quæ spectant ad animæ salutem secundum statum suum, & vt obseruet Dei præcepta, non verò præcipiendo vt mutet statum suum, & vt obseruet altissima consilia, quæ Deus hominum libertati reliquit. Ad Secundum dicitur, quod pariter assumit falsum, Nam, & oblatus religioni in infantia, cum ad vsum libertatis peruenerit, non potest inuitus detineri, ne exeat. Ad tertium dicitur Concil. Trid. voluisse, vt puellæ ingredientis religionem post 12. annum exploretur voluntas, non quia liceat eam inuitam cogere, vt intret ante 12. annum, sed quia ob teneritatem, & imperfectum puellæ iudicium ante illum annum, iudicauit examen non esse securum, & certum, puellamque nondum habere tantum scientiæ, aut experientiæ, vt possit firmiter velle, & deliberare; nec erat locus explorandi voluntatem puellæ, pro eo tempore, quo illa non est apta, vt ducatur, nisi ex aliorum iudicio, & voluntate, sed post 12. annum in quo incipit puellæ adolescentia, & pubertas, & status in quo fœminæ ex proprio iudicio possunt de se ipsis deliberare, vt tradit D.T. 4. *d.*27.*q.*2. *a.*2. Ad quartum iam patet statum religiosum esse supra statũ sæcularem, & valdè arduum etiam pueris, vnde non possunt ad illum cogi. Ad quintum dicitur non posse imponi pœnam vbi non sit culpa. Et ideo modus iste præcipiendi, vt præcepto possit quis resistere sine culpa, & tamen possit resistens puniri, non est dabilis, nisi vbi ex speciali intentione legislator declaret se non obligare ad culpam, sed ad pœnam, & nihilominus respicit res ad quas legislator posset ad culpam obligare si vellet. Pater verò non præcipit, nec præcipere potest nisi ex authoritate iuris naturalis, aut positiui, ea qua non habet vt possit obligare ad Religionem, & non est eadem ratio de carcerato; quia primo quidquid sit an iudex possit punire carceratum fugientem nulla culpa in frangendo, iannas carceris, vel alio modo, non est eadem ratio, quia Iudex habet ius detinendi reum inuitum in carcere, sed pater nullum ius habet, vt filium inuitum detineat in Religione, vel vt cogat eum intrare.

66. Ad alia in oppositum adducta etiam respondetur, & ad primum dicitur, quod argumentum à contrario sensu sæpe est debile, & nullius ponderis, quia legislatores sæpe rationibus indubitatè manifestis, & ad quæstiones propositas penitus resoluendas sufficientibus vtuntur, alijs relictis, quæ non sunt adeo manifesta, non quia aliquid statuant de illis, sed quia quidquid sit de illis, independenter ab eorum veritate, vel falsitate quæstio manet soluta per ea, quæ ipsi adducunt. Certe in eo textu lis erat de puella à parentibus tradita Religioni, sed quæ in ætate nubili sine contradictione benedictionem receperat, & sic quæ non inuita, sed voluntaria professionem emiserat; obijciebatur verò consilit. Leonis Papæ, quæ volebat, quod puella, quæ coacta habitum virginitatis assumpserat posset sine præuaricatione recedere. Respondet Pontifex, quod hoc intelligitur de puella iam nubili, & hoc liti diremendæ sufficiebat euidenter, quia puella de qua in illo textu cum esset in ætate nubili non contradixerat, nec fuerat inuita, sed voluntarie consenserat in Religionem; vnde non poterat sine præuaricatione recedere. Sed quid sit dicendum de puella ante ætatem nubilem, Pontifex nõ decernit, quia ad punctum litis de quo agebatur non faciebat. Et sic ratio allata à Pontifice vrget; quia euidens est puellas in ætate nubili, habere liberum electionis arbitrium. Quid verò sit dicendum de puellis ante ætatem nubilem, an in omnibus cogi possint, & præcipuè an cogi possint ad statum Religiosum Clemens Tertius, cuius est ille textus, non determinat. Et sic ad secundum dicitur, quod dictio *tunc* vnum manifeste significat, scilicet quod dispositio habet locum in casu expresso, sed quod non habeat locum in opposito non infertur necessario, sed hoc alijs iuribus pensatis est dijudicandum. Ad tertium dicitur, quod longè est diuersa ratio de ingressu, & de egressu. Nam in ingressu in Religionem impubes cogitur ad ea, quæ sunt altioris status, & valdè asperioris. Sed in egressu, impubes ad statum reducitur, in quo prius erat, & secundum quem est sub parentum aut tutorum gubernio. Nec impubes potest ingredi sine consensu tutoris vnde tutor factum sine suo consensu potest reuocare. Potest verò Tutor intra statum secularem gubernare impuberem, sed non potest illum cogere ad statum suum mutandum. Par verò est ratio legandi, & absoluendi intra eundem ordinẽ, & statum personarum, & ideò dominus voluit, quod in statu gratiæ par sit ratio absoluendi, & legandi. Sed vbi mutatur, status filij sunt liberi neque possunt ad hanc mutationem cogi. Nec opinio ista habet auxilium *d cap. præsens* 20. *q.* 3. Quia imò ibi Nicolaus Papa detestatur, quod impubes fuerit coactus ad monachatum, & vtitur optimè ea ratione, quod Deus voluntarios famulos diligat, non coactos, voluntarium enim militem diligit Deus *cap. Non est* 15. *q* 1. quia facta inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur *d.cap. Illud* 20.*q.*1. Et vt habetur *d.cap. præsens* Quod enim quis non quærit nec optat, profectò nec diligit Quod autem non diligit facile contemnit. Nec potest dici, quod hoc locum habeat in adultis, quia imò locum habere debet in omnibus, qui Deum colere possunt, & contra Deum peccare hos enim sicut culpa premit, si Dei legem non seruent, sic merentur Deo seruiendo, & tamen nec laude, nec premio dignum est, quod fit coactè. Cum ergo impuberes post infantiam sint capaces consensus in Deum, & promerendi apud ipsum, Deus non vult eos esse in suo seruitio inuoluntarios, & inuitos.

67. Colligitur verò ex his primo, patrem, qui vouit filium Religioni non teneri eum vel inuitum, vel ante vsum rationis offerre, vt voluerunt Palud. & D. Anton. sed debere expectare illius cõsensum. Quia hæc est promissio facti alieni, ex qua vouens non tenetur cogere, quod non licet, sed ex parte sua curare, vt filius libere ingrediatur

tur

tur Sanchez loco citato num. 27. Vbi etiam habet, quod in rebus non tam arduis teneantur parentes statim implere, vt si vouissent filium ad templum deducere, non expectata ætate, in qua potiet consentire. Quod tamen est verum non ratione solius arduitatis rei promissæ, sed quia res promissa cadit sub potestate paterna, qui infantem deferre possunt quo volunt; nam alias si res non esset ardua, & tamen esset extra spheram potestatis paternæ, si illam vouissent, non tenerentur illam reddere, cum esset facti alieni, sed quantum sit ex se curare, vt filius consentiret eorum voluntati, & reddere, quod promiserunt.

68. Colligitur secundo, quod puer habens iam vsum rationis, patri volenti eum offerre religioni recipiendum posse resistere, & quod hoc excedat authoritatem patris, nec spectet ad domesticam familiæ gubernationem. Filij enim in his tenentur obedire parentibus, quæ pertinent ad bonos mores, & ad domus, & familiæ gubernationem, vt tradunt D.T. *quodl. l.* 2. *ar.* 9. Sylvest. *v. filius q.* 22. Tabien. *q.* 16. Angelus *num.* 30. Armilla *v. obedientia num.* 11. Nauar. *sum. c.* 14. *num.* 12. Sanchez *l.* 4. *mor. c.* 15. *n.* 21. *& cap.* 18. *n.* 28.

69. Quod tamen idem Sanchez ibi addit patrem non posse cogere filium ad ingressum monasterij causa educationis, filiumque non teneri obedire, quia licet teneantur obedire patri tradenti illum educandum alicui pedagogo; tamen res ardua est, & grauis tradi ad huoc effectum alicui religioni, non omnino verum puto, quia excepta clausura, non est aliquod discrimen considerabile, ob quod dicatur magis arduum educari filium in religione, vel extra, dum alias nihil præcipitur filio, quod iuxta communem vsum non spectet ad eius statum; verum quidem est, quod nunquam exire è domo res ardua est maximè in viris, & ratione huius, si filius educandus priuaretur libertate exeundi, secundum quod parentes decet; quoniã hoc habet quandam speciem carceris, potest iudicari res ardua: cæterum potius leuius est filium intra monasterium educari, quam extra, dum alias filio non præcipiantur, quæ statum eius superent. Et nihilominus etiam vlterius circumstantiæ pensandæ sunt, quæ possunt esse tales, quę petant filium etiam claudi posse intra monasterium educationis causa, si non sit omnibus pensatis alius modus melior, & certe in puellis hoc est ordinarium, vt intra monasteria educentur.

70. Quæritur secundò an facultas hæc offerendi filium conueniat vtrique parenti, scilicet Patri, & matri, ita vt vtriusque consensus sit necessarius, & pater non possit inuita matre filium tradere religioni. Hoc enim aliqui affirmant, quia in iure communi potior est conditio prohibentis, reg. in re communi de reg. iuris in sexto. Ideo hanc partem tenent Innoc. *cap.* 2. *de regular.* & ibi Host. *num.* 4. Io. And. *num.* 1. Abbas *nu.* 6. Syluest. Reuerendiss. Fagnan. *num.* 5. *&* 7. *v. patria potestas nu. vnico* Tabien. Armil. Angel. ibid. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 5. Explicans hoc esse verum etiam si filius sit ablactatus, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 18. *nu.* 16. & Barbosa *in cap. significatum, de Regular.* Sed oppositum alij sentiunt, nimirum bonum quidem esse si ambo parentes conueniant, sed tamen patrem matre inuita posse filium religioni tradere, cuius ratio manifesta est, quia mater nec iure ciuili aut ecclesiastico, nec iure naturali habet viuente patre æqualem authoritatem super filio sicut pater, qui omni iure est caput familiæ, & etiam mulieris iuxta dictum Apost. ad Ephes. 5. Vnde est, quod pater inuita matre potest applicare filium ad hanc vel illam artem addiscendã, vel ad hunc aut illum locum etiam distantissimũ, & per multos annos mittere. Vndè multo magis potest Pater illum tradere religioni, filio consentiente, si sit capax consentiendi, licet mater sit inuita. Neque est vnde Panormitanus dicat fauore Religionis requiri consensum matris, quia hoc quidem esset fauor matris, sed fauore Religionis melius est, quod solus Pater offerri possit filium, & non sit necessarius consensus matris. Regula autem iuris allata nec tenet, vbi fauor religionis aliud requirat, vt ait Glossa ibi, nec habet locum in præsenti, quia non valet nisi vbi æqualia est iustitia possidentium, non verò vbi ius vnius est subordinatum iuri alterius, mater verò subordinata est patri in gubernio familiæ. Et ita hanc partem tenent Henric. *cap.* 2. *de regular. num.* 4. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *concl.* 8. *& art.* 3. *conclus.* 7. D. Anton. *p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 8. *notab.* 5. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *cap.* 2. *num.* 9. Sylvester *v. votum* 5. *q. vlt. licet loco supra citato v. religio* 2. *q.* 13. confuse loquatur.

71. Excipiunt tamen Palud. & D. Anton. filium nondum natum, & nondum ablactatum, quia ille tunc maneat sub cura matris, quod negat Suarez referens pro sua sententia Palud. qui absolute loquitur in dicto artic. secundo. Sed hoc non subsistit, quia in artic. tertio expresse explicat, & limitat dictum suum, vt valeat solum de filio ablactato. Et verè, si mater velit ipsa suum filium lactare, valde durum est, quod à patre possit à matris vberibus auelli filius infans ipsa inuita. Sed si mater filium non lactet, sed sit per aliam nutriendus, non est vnde supposita veritate secundæ sententiæ mater repugnet patri tradenti filium à Religione nutriendum.

72. Quæritur tertio an sola mater, patre non inuito possit filium Religioni offerre. Supponitur tanquam certum consequens ex prædictis, quod mater inuito patre hoc non possit, cum Pater sit caput familiæ. Nec valet dicere, quod matris voluntas honestior videatur, & ideo fauore Religionis præferenda, quia hoc iudicium ad patrem pertinet, nec inspicienda est sola bonitas ex genere, sed in indiuiduo, an scilicet religio sit bona filio, quod iudicium spectat ad patrem primariò. Minus obstat, quod mater inuito patre possit consentire vt filius baptizetur; quia non est eadem ratio, nam baptismus est sacramentum summæ necessitatis. Neque obstat *cap. Si in qualibet* 20. *quæst.* 2. Quia ibi non dicitur, quod sit necessarius vtriusque parentis consensus, sed quod consensus vtriusque vel alterius sufficit. Sed hoc, vt notat Glossa ibi, intelligitur secundum distributionem accomodam, & vbi vnius solius consensus iuxta leges valere permittatur, vt si vnus coniugum solus viuit, vel si hic vnus sit pater, qui est caput familiæ, nõ verò, si hic vnus sit sola mater cuius materna potestas paternę est subordinata.

73. Hoc verò stante quæritur an mater patre non contradicente possit filium Religioni offerre Sanchez enim *l.4. mor. ca. 38. num.* 18. pro sententia negante refert multos inter quos Paludanum 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *num.* 26. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6 Sed quia sibi loquuntur in privati casu, scilicet vbi pater sit inuitus, in eodem sensu loquuntur alij ibidem citati. scilicet Gloss. *in cap.* 1. 20. *q.* 2. & Turrecremata ibid. Ideo sine dubio verum est matrem posse filium Religini offerre, si pater non repugnet. Et quidem primo ex regula illa approbata à Syluest. Tab. Armilla v. patria potestas, quia scilicet in his spiritualibus potius attendenda sit naturalis parentum potestas, quam ciuilis. Nam licet mater habeat potestatem naturalem in filios subordinatam potestati patris, tamen potestatem habet, & filij naturali iure tenentur illi obedire, vbi igitur pater non dissentiat, non est vnde negetur matrem posse offerre filium religioni. Tum secundo nam mater Samuelis Samuelem cultui diuino patre consentiente obtulit. Tum tertio quia *cap.* 2. *de regul.* & *cap. puella* 20. *q.* 2. indistinctè dicitur de patre, & matre, quod possunt offerre filium, vel illum à Religione reuocare, si sine suo consensu fuerit ingressus, & idem habetur *cap.* 2. 20. *q.* 1. & fundamentum etiam habet ex *capit. si in qualibet* 20. *q.* 2. Ideò hanc partem tenent Innoc. Host. Ioan. Andr. Anton. Card. Abbas *in cap.* 2. *de regular.* Rosella *v.* *Nouitius num.* 2. & ibi Tabien. *q.* 1. *num.* 2. Sanchez *l.* 4. *mar. cap.* 18. *num.* 19. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap.* 2. *num.* 4. de Regular. Barbos. Suarez. *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 2. *nu.* 12. Vbi bene aduertit oblationem factam à matre patre non repugnante, sed permittente non esse ita firmam, quin possit intra annum reuocari à patre; quia non potest pater priuari iure suo, nec sufficit, quod permittat tacendo, nisi labatur annus à iure præscriptus, vt tacitum consensum dedisse præsumatur, & nisi aliunde colligatur eum non solum permisisse, sed saltem tacitè consensisse.

74. Colligitur ex his parentes posse offerre etiam filios spurios, sicut & legitimos; in hoc enim non attenditur solà potestas ciuilis, sed præcipuè consideratur potestas naturalis. Nam ex Bartol. *l.* 2. *ff. de excus. num.* 4. Quoties iura vtuntur voce naturali, qualea sunt voces parentum, & filiorum, quibus vtuntur textus *num. praced.* allegati, non curandum est de iuris ciuilis dispositione statuentis spurios non appellandos filios, Authent *ex complexu C. de incest. nup.* sed ius naturale attendendum est. Sanchez loco citato *n.* 20. ex Anchar. c. 2. *num.* 6. *q.* 3. *de regul.* & Barbosa *in cap. significatum* 11. *de regular. num.* 3. An verò mater hunc filium spurium offerre possit inuito Patre, vel pater inuita matre, vbi pater filium, vt suum recognoscat, & alat, poterit illum matre etiam inuita offerre monasterio in religiosum; quia semper pater matri præualet, & ac contra non poterit mater inuito patre de filio disponere, sed sæpius accidit, vt illegitimorum pater sit incertus; nec filium alat, & recognoscat, in quo casu libera mater erit, vt patre inconsulto de filio disponat, eumq; religioni offerat.

75. Colligitur etiam, quid sit dicendum de matre ad secundas nuptias transeunte. Licet enim hoc negent Palud. 3. *d.* 39. *q.* 3. *q.* 1. vbi ea professo de hoc tractat, & *in* 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *concl.* 8. & D. Anton. *p.* 2. *tit.* 11. *c.* 2. §. 6. & Syluest. *v. religio* 2. *q.* 3. Tamen cum hæc potestas maximè innikatur iuri naturali, dicendum est, quod deficiente patre, vel quocumque alio tutore legitimo filij, mater potest filium offerre Religioni; sicut & eius vota irritare seu suspendere, vt supra dictum est. Sanchez loco citato *num.* 24. & Barbosa etiam loco citato. Sed & prædicti DD. videntur loqui in casu, in quo filius habet tutorem, & negant, quod mater tunc habeat vim ex respectu tutricis, & potestatis ciuilis de qua ipsi loquuntur, vnde non negant facultatem, quæ ex iure naturali inseparabiliter conuenit matri respectu filiorum. Et præterea vbi filio dandus sit tutor, & de facto detur, oblatio matris non tutricis non erit firma, sed poterit per tutorem reuocari. Eo quod mater, quæ transijt ad secundas nuptias, solum pro interim habeat curam filij in deficientia tutoris.

76. Colligitur quoque, quod deficientibus patre, & tutore ascendentes suo ordine succedentes loco patris, & tutoris puerum nondum adeptum pubertatem possunt offerre religioni, quia ex naturali iure succedunt loco parentum in cura talium impuberum. Quod de auia expresse tradiderunt Palud. 4. *d.* 38. *q* 4. *a.* 2. *concl.* 8. & D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. Sed maior ratio de hoc est in auo, cuius est Nepotes, & familiam regere mortuo nepotum patre, & habet super illos potestatem patriam; Est enim pro tota hac materia aduertendum, quod vbi non adest tutor testamentarius, sed ad tutorem legitimum sit recurrendum mortuo patre, quia est omnino primus in tutela filij, primus cui debetur tutella est auus paternus, non verò mater. Tuscus L. T. *concl.* 425. *num.* 1. & 11. excepto tempore, quo filius est in ventre, ideo vbi adest casus tutoris legitimi, mortuo, vel absente patre, non succedit mater in tutella, sed auus paternus, qui tamen non habebit maiorem auctoritatem, vt excludat matrem, quam haberet pater, si adesset.

77. Quæritur quarto in concurrentia tutoris aut tutorum cum patre, & matre, aut auo, & auia, & alijs ascendentibus, ad quem spectet filium religioni offerre. Supponit quæstio tanquam certum, tutorem posse impuberem minorem suæ custodiæ commissum offerre religioni. Quamuis enim hoc negent Fridericus de Senis *consil.* 277. Sanch. *cap.* 2. *num.* 7. *de regu.* eo quod *in cap. puella* 20. *q.* 2. detur tutori potestas reuocandi impuberem sine suo consensu receptum in Religione, non verò illum offerendi, vnde nec potest offerre bona pupilli ipsi religioni. Tamen oppositum sine dubio est verum, quia cum tutor possit circa gubernium pupilli, quæ posset pater, cuius loco succedit, non fuit necesse vt in iure daretur ei hæc facultas, sed satis fuit, vt ea non priuaretur, licet, & satis in iure contineatur hoc licere tutori, cum statuatur; quod ille possit impuberem reuocare, vel non reuocare. Si enim tacendo per annum, & non reuocando censetur consentire, &

ex ui huius consensus impubes, vt videbitur, manet irreuocabilis. potest etiam eundem impuberē tradere, quia idem est non reuocando tradere, quod tradere offerendo, & ex eadem ratione vtraque potestas manet. Vnde ita sentiunt Innoc. Abbas. Card. Henric in cap. s. de regular. & Reuerendiss. Fagnan. num. 7. Socinus Senior consil. 61. Rosella v. nouitius num. 3. Tab. num. 2. Palud. 4. d. 38. q. 4. art. 2. concl. 10. D. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6. Sanchez lib. 4. mor. cap. 28. num. 25. Barbosa in cap. significatum 11. de regular. num. 3. Suarez dicto l. 5. cap. 2. num. 13. Vbi tamen male recenset Palud. ac si diceret tutorem posse reuocare, non verò offerre impuberem. Nam ibi Palud. ponit differentiam inter patrem, & tutorem, non in hoc, quod est offerre Religioni impuberem simpliciter, sed in hoc, quod est offerre illum inuitum, hoc enim Palud. negat tutori, & bene, sed melius etiam negasset Patri cui id concedit, quia vt supra probatum est, nec pater potest inuitum filium offerre religioni. Bene etiam circa hoc notat Sanchez num. 17. ex Io. And. Innocent. Syluest. Tabien. & Rosella, & idem sentit Fagnan. quod si dentur plures tutores, integrum est cuique impedire, ne impubes religioni offeratur, & contradicentis pars est preferenda. Quippe impubes sub communi illorum cura continetur, & in his communibus potior est ratio prohibentis. Bonum enim ex integra causa, sed malum ex singulo defectu oritur.

78. Hoc autem stante, & comparatiuè loquendo de tutore, quæritur vbi tutor concurrat cum patre, vel matre, vel auo, aut alio ascendente quis præualere debeat. Potest autem primo comparari cum patre, in casu in quo impuberi datus sit tutor patre viuente, eoque iuridice priuato patria potestate; Nam patrem inuito tutore posse offerre filium Religioni tenent Innoc. in cap. 2. de regular. & ibi Hostiens. num. 4. Anch. num. 12. Car. num. 2. q. 2. Anch. num. 7. q. 2. Syluest. v. religio 2. q. 12. Emanuel Sà v. religio nu. 11. Sanchez lib. 4. moral. cap. 18. num. 21. Barbosa in cap. 12. de regular. num. 3. Reuerendiss. Fagnan. cap. 2. num. 9. de regular. Et quod in his spiritualibus potius attendenda sit potestas quam gubernatores puerorum habent ex iure naturali, quam ex iure ciuili, & Ecclesiastico. Sed contrarium tenet Suarez dicto lib. 5. cap. 2. num. 15. Vbi asserit tutorem posse inuito patre offerre eius filium Religioni, id verò facere non posse patrem tutore inuito. Quia potestas naturalis patris remanet coarctata, & determinata per ius positiuum. Hic verò considerandum, quod à nullo potest filius impubes offerri Religioni, inuitus si vsum rationis habeat. Quare consentiente filio fauore animæ illius, & religionis; satis firma apparet prior sententia, vt per patris ciuilem potestatē translatā in tutorē non censeatur limitata potestas naturalis patris etiam si patri sit ablata tutella filij, seu sit priuatus pater ciuili potestate in filium. Non enim ciuilis potestas respicit animæ forum principaliter, ideo in his attendenda est lex naturalis, quæ non est censenda limitata in ordine ad animæ forum. Et hoc eadem ratione extenditur etiam respectu filij infantis, quia pater est ex Dei institutione magister filij in ijs, quæ ad animam pertinent, vnde in spiritualibus hæc potestas est potius attendenda. Ideò hoc idem ad matrem extendunt, vt ipsa, inuita auia tutrice, possit filium religioni offerre. Federicus cons. 277. Card. in c. 2. de regular. num. 2. q. 4. Anchar. ibidem fine, Sanchez & Barbosa locis citatis: quia filius tenetur magis obedire matri, quam auiæ attento iure naturali, quod in his ciuili præferendum est. Idem quoque de auo habente in sua potestate, tam patrem, quam filium, vt eo inuito, possit pater filium religioni offerre tradunt DD. num. 78. citati; quamuis Abbas eo cap. 2. num. 7. dubitet. Ratio autem est, quia filius est magis astrictus obedire patri, spectata lege naturali, in his verò ratio naturalis spectanda est. Et ideò etiam in casu, in quo auus sit institutus tutor nepotis, & in eum translata sit potestas patria ciuilis (quod tamen negat Suares) adhuc manet in patre ius naturale dirigendi filium in ijs, quæ sunt ad Deum, vt possit illum Deo offerre quocumq; inuito dum non sit filius inuitus.

79. Hactenus verò cum visum sit qualiter, & à quo possint impuberes offerri religioni, remanet vt videatur, qualiter à Religione possint reuocari, si in ea recipiantur sine consensu parentum vel tutorum. Est enim, & hoc certum, quod si impubes sine consensu parentum, vel tutorum receptus fuerit in monasterium, possunt illum parentes, aut tutores reuocare, nisi ipsi per annum, & diem id dissimulauerint facere, quia in hoc casu præsumuntur consentire. Hoc enim habetur decisum cap. 2. de regular. & quod anno addenda sit dies habetur cap. puella 20. q. 2. & ita communiter DD. sentiunt. Hic autem aduertendum, quod si conniuentia per annum, & diem facit, vt parentes seu tutores non possint filium reuocare à Religione, multo magis hoc facit consensus in ingressu expressè datus, quia parentes, & tutores scienter, & exprese consenserunt impuberis ingressui. Quod enim facit consensus tacitus, multo magis facit consensus expressus, vt tradunt Innoc. Io. And. Card. Henr. Anchar. ad cap. 2. de regular. Syluester v. religio 2. q. 11. Tabien. v. nouitius n. 2. Rosel. num. 1. Armil. num. 1. Sanchez lib. 4. Mor. cap. 18. num. 11.

80. Quomodo autem computandus sit annus in quo parentibus licet filium reuocare, dicitur ex communi sententia illum à die scientiæ numerandum. Glossa eo capite puella 20. q. 2. D. Anton. 2. p. t. 11. c. 2. §. 6. Palud. 4. d. 38. q. 4. a. 2. concl. 7. Syluest. v. Religio 2. q. 11. Tabien. v. nouitius num. 2. Sanchez lib. 4. mor. cap. 18. num. 10. Suares tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 1. num. 8. Reuerendissimus Fagnan. ad cap. 2. num 3. de Regular. Bord. ibid. num. 2. Sed & hunc annum debere esse expeditum ab impedimentis tradunt Suarez, & Sanchez, & ita vt si adeo sit remotum monasterium, vt parentes, vel tutores impuberem ab eo infra annum reuocare non possint, longius interuallum temporis esse concedendum tradunt Glossa in cap. puella 20. q. 2. Host. in sum. tit. de regular. num. 9. Goffred. ibid. in sum. num. 9. Reuerendissimus Fagnan. & Barbosa vbi supra. Item hunc annum ita debere intelligi, vt includatur infra tempus pubertatis docent Anch. cap. puella 20. q. 2. num. 4. Turrecerm. ib. num. vnico. Bellam.

ibid.

ibid. Suatez loco citato, Sanchez *num.*11. Barbosa *in cap.* 2. *de regular. num.* 4. Ideò si impubes duobus mensibus ante pubertatem ingrediatur monasterium, transacto illo bimestri non potest amplius reuocari. Quia filius pubes a Religione reuocari non potest, vt statuitur 20. *q.*2. *cap.*1. Hæc etiam reuocatio ita accipienda est, non vt fieri possit à parentibus, vel tutoribus propria authoritate, aut per violentiam, sed via legitima, & authoritate habentis potestatem in illud monasterium, tradunt Palud. 4. *d.* 38. *q.* 2. *num.*15. D. Anton. 3. *p.* t. 16. *cap.* 2. §. 4. Syluest, *v. religio* 2. *q.* 11. Sanchez loco citato *num.* 3. Barbosa *in cap.*2. *de regular. nu.*5,

81, Quæri autem potest an transacto illo anno, & die in quo poterat reuocari à parentibus possit impubes ipse resilire, vel potius teneatur manere vsque ad pubertatem in monasterio. Nam impuberem non posse resilere videtur decisum *in cap. puella* 20. *d.*2. ibi nec ipsi nec ipsa mutare hoc poterunt, & tenent Abbas *in cap.* 1. *de regul.* Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 2. *conclus.* 10. *sil. v. religio* 3. *q.* 11. Sanchez *dicta cap.*18. *num.* 29. Suarez *dicto lib.* 5. *cap.*1. *num.*13. Vechius *d.*2. *d.*6. *n.*5. Barbosa *in cap.* 11. *de regular. num.*3. Reuerendis. Fagnan. *cap.*2. *num.*12. *de Regul.* Verum quia oppositum sentiunt Glossa *in cap.* 2. *de regul. v. permaneat* Innoc. *ibi num.* 2. Host. *num.* 9. Et supra probatum est impuberem inuitum non posse à parentibus aut tutoribus offerri, forsan videri posset, quod hic impuber posset retrocedere ne inuitus detineretur. Sed dicitur hoc non esse verum, quia hic impubes voluntariè est ingressus, & ideò cum semel libere elegerit statum religionis, non potest sua voluntate sola retrocedere, cum nondum sit plenè sui iuris; ideo ipse ante pubertatem resilire non potest. Quod tamen posset si ante vsum rationis ingressus adepto vsu rationis vellet retrocedere. Quamuis, & in hoc casu, postquam sciens consensit in Religionem non possit ante pubertatem retrocedere. Qui etiam propria auctoritate est ingressus Religionem potest quando voluerit recedere Reuerendis. Fagnan. *ad cap.* 2. *de Reg. num.*12.

82. Ex hoc vero alia quæstio resoluitur an impubes oblatus, vel de consensu parentum ingressus monasterio possit consentientibus parentibus, & contradicente monasterio, vel consentiente monasterio, & inuitis parentibus resilire. Nam Sanchez *num.* 30. quem sequitur Barbosa *in cap.* 2. *de Regul. num.* 2. tenent talem impuberem dissentiente monasterio non posse egredi, quia monasterium acquisiuit ius, detinendi illum vsque ad pubertatem, quo non potest priuari, monasterium vero posse talem eijcere, quia ad retinendum ex nulla lege, vel pacto obligatur. Verè enim sic est, quod vbi parentes, vel tutores consentiunt, vt impubes ingrediatur religionem patriam potestatem in religionem transferunt, & ideo impubes non potest resilire nisi religione consentiente.

83. Quæritur verò vlterius, an dato, quod impubes vouerit religionem, si infra annum legitimè reuocetur à parentibus, vel tutore, an maneat liber à voto, vel potius factus sui iuris teneatur iterum ingredi religionem. Affirmant enim sub dubio tamen Palud. 4. *d.*38. *q.*4. *a* 2. *num.*29. & D. Anton. 2. *p.* 1. 11. *cap.*2. §.6. Sed hoc est verum si parentes reuocauerunt impuberem nescientes illius votum, ac propterea illud non irritantes. Sed vbi parentes votum filij irritarunt, manet liber à voto, vt supra probatum est, & tenet Sanchez *num.*31. Sed quid, si in impubere ante solitum tempus pubertatis malitia ætatem suppleat; erit ne parentibus, aut tutoribus prohibitum reuocare puerum? Affirmat enim hoc Palud. 3. *d.* 39. *q.* 2. oppositum tamen tenet Sanchez *num.*14. sed verà est sententia Palud. Quia vt supra probatum est, pater non potest irritare votum filij impuberis, si in eo malitia suppleat ætatem, vnde multo minus potest filium reuocare à religione.

84. Et hæc quidem de iure antiquo verà sunt; sed de iure nouo quæstio est primo, propter decretum Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 17. *de regul.* quod est tale *Sancta Synodus statuit, vt si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit: non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus &c. virginis voluntatem*. Duo autem hic decerni, nimirum primo, quod ad religionem non possit recipi puella minor 12. annis, & secundo quod non suscipiat habitum nisi prius Episcopus eius voluntatem explorauerit, tenent Azor. *l.*12. *c.*18. *num.*55. & 56. Rodriquez *tom.* 3. *q.* 12. *a.* 2. referens hanc fuisse mentem PP. qui anno 1582. ad Concilium Prouinciale Toletanum conuenerũt Naldus in *sum. v. habitus* 6. & *v. monialis* 5. Vechius *disp.*52 *d.*6. *n.*16. Sed oppositum quantum ad primum assertum nimirum, quod per Concilium Tridentinum nihil sit innouatum quantum ad ætatem puellarum recipiendarum ad habitum religionis tenent Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 9. Michael. à Med. *de sacrar. hominum continentia lib.*4. *contr.*9. *cap.* 4. qui interfuit in Concil. Trident. illi decreto, & ait nihil alienius à mente Concilij, quam sententiæ oppositæ intellectus. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.*18. *num.*34. Miranda *de monialib. q.* 8. *a.* 7. Portel. *v. nouitia num.* 2. Villalobos *sum. p.* 2. *tr.*35. *diff.* 12. *num.*2. Hieron. Rodriq. *compend. qq. regul. resol.* 101. *n.* 82. Reuerendis. Fagnanus ad caput cum virum *nu.* 9. & sequent vbi hanc partem pluribus probat. Palaus item idem sentit *tr.*16. *disp.* 1. *p.* 7. §. 2. *n.* 3. Barbosa autem *in cap.* 17. *sess.* 25. Concil. Tridentin. *de regular. num.*2. & Diana *p* 3. *tr.* 2. *resol.* 47. solum authores referunt pro vtraque opinione. Stando autem præcisè in verbis decreti Concil. Trid. secunda hæc sententia ex verbis ipsis Concilij comprobat suum intentum. Nam Concilium primo conditionaliter loquitur, & ex quo loquitur conditionaliter, supponit vtrumque esse possibile, scilicet, & quod ad religionem recipiatur puella minor, & non minor annis 12. quia si non possit recipi minor, non debuit Concilium loqui conditionaliter, sed absolute, quia omni puellæ, cui conuenire posset ingredi in religionem, accõmodatum esset decretum Concilij. Secundo, quia sub disiunctione loquitur respectu examinis ad professionem, & supponit posse recipi aliquam minorem 12. annis, nam ait *nec postea ipsa, vel alia &c.* sub illa verò voce ipsa continetur qualibet non minor 12. annis, vnde sub illa voce alia

non

non potest intelligi nisi puella minor 12. annis. Tertio quia cum iura antiqua concedant ingressum impuberum in monasterium, vt constat *cap. Addidistis cap. Quicumque cap. Illud autem 20. q. 1. cap. 1. & 2. 20. q. 2. & cap. 2. cap. cum virum, de Regular.* si Concil. voluisset iuri communi derogare id expressisset, & vsus fuisset alia forma loquendi quam conditionali. Et cum correctio iurium, quantum fieri potest, sit vitanda *cap. Cum expediat de elect. in sexto* non, est credendum per Concilium tot iura correcta, & subuersa fuisse *cap. Ecclesiæ vestræ lib. 2. de electione*.

85. Hinc solui potest quæstio, an modo licitum sit offerre puellas impuberes monasterio, & similiter licitum sit illas recipi, quando offeruntur intuitu habitus suscipiendi Sanchez enim *d. l. 4. c. 18. n. 34.* inquit motus proprios Pij Quinti & Greg. 13. interdicere ingressum puellarum impuberum causa educationis, non verò causa religionis suscipiendæ, quod Peliz. *tract. de monialib. cap. 1. num. 19.* ita explicat, vt quia Sanchez *ibid. num. 8.* docerat parentes posse offerre puellas infantes monasterio, hoc probabiliter sit verum etiã modo, quia ex doctrina Sanchez *d. num. 34.* motus proprij Pij Quinti, & Greg. 13. & stylus Congreg. non extenduntur ad casum in quo puella impubes ingreditur causa suscipiendæ religionis. Sed quod non sit impossibile, nec prohibitum puellas impuberes offerri Religioni, & eas recipi probat latè Reuerendiss. Fagnan. *ad c. d. cum virum num. 13. & sequent.* vbi *num. 22. addit.* Quod quia puellæ impuberes non debent indistinctè, ad habitum regularem admitti, à parentibus, vel tutoribus oblatæ, & nonnumquam sub esse potest seductionis periculum in Monialibus, & aliæ rationes vigere possunt, cur non expediat illas admittere, hinc factum est, vt S. Congregatio Concilij, & præsertim in causa Lucana, dixerit non esse dispensandum, vt puella, quæ duodecimum annum nondum excesserat, ad habitum admitteretur. Et hinc etiam inoleuit praxis, vt licentiæ admittendi ad habitum huiusmodi puellas petantur à S. Cong. Episcoporum, & Regularium, quæ non nisi raro, & matura consideratione illas concedere consueuit. Itaque non est prohibitum huiusmodi puellas impuberes offerre Religioni secundum iura antiqua, sed an expediat consulenda est S. Congregatio.

86. Possunt quoque puellæ, etiam impuberes in educationem recipi in monasterijs monialium, sed de licentia S. Congregationis Regularium, & adimpletis sequentibus conditionibus. Quod moniales capitulariter secretisque suffragijs puellarum admissioni consentiant; quod monasterium eas recipere sit solitum; quod peculiaris habitatio seorsum à dormitorio, & habitatione monialium professarum, ac Nouitiarum, vbi interdiu opus facere, & exercere, atque noctes quiescere possint, pro eis existat; quod excedant septimum, & sint infra 25. annum ætatis suæ; quod non sint vltra numerum præfixum; quod ingrediantur solæ, modesto vtantur vestitu, clausuræ; quod legibus instar Monialium sint obstrictæ; quod si vnquam à Monasterio egressæ fuerint, ad illud, vel ad aliud Monasterium redire non permittantur absque S. Cong. licentia, cum egressus huiusmodi expressione, nisi animo regularem habitum suscipiendi essent reuersuræ; quod sit idoneus fideiussor, qui pecunias in alimento puellarum huiusmodi erogandas anticipatis solutionibus in singulis mensibus, se soluturum promittat; quod non permittatur, quod victus dietim à parentibus, vel consanguineis transmittatur, sed tantum pecuniæ pro eodem victu persoluatur. Videantur de his quaranta v. Monasteria Monialium Piacces. *p. 2. cap. 2. num. 57.* Campan. *in diuer.* Iur. Canon. *rubr. 12. cap. 16. num. 28.* Gauan. *v. monialium educatio* Sanchez *in præcep.* Decal. *lib. 6. cap. 16. num. 61. & sequen.* Tambur. *de iure Abbatiss. disp. 1. q. 1. & 2.* Lucerna Regul. *v. educatio* Barbosa *de off. Epis. part. alleg. 102. num. 63.* & in summa *v. puella* Nicolius *v. educanda*, apud quos plures referuntur declarationes S. Cong. circa prædicta. Et præterea ex Nicolio habetur, quod non possunt educandæ recipi in Monasterijs in quibus non fit professio trium votorum; nec in illis, quæ sunt extinguenda; quod incurrunt censuras non solum moniales, quæ secum tenent in lecto ad dormiendum educandas, sed etiam Episcopus, qui id permittit; quod non recipiuntur in monasterijs non solitis eas recipere; & tamen quod dicuntur solita, quando alias in educationem tenuerunt, licet fortè modo nullam habeant; quod sine speciali licentia non recipiuntur in monasterijs, in quibus prohibita est receptio ad habitum; quod licentia recipiendi in educationem non conceditur monialibus particularibus sed monasterio: quod ordinarius licentiam recipiendi educandas non potest concedere, etiam consuetudine non obstante; quod licentia data debet executioni mandari concurrentibus debitis conditionibus, & non obstantibus Constitutionibus synodalibus maiorem ætatem, vel alias qualitates præscribentibus, nec sub prætextu, quod mater vidua sit illuc de licentia S. Cong. ingressura; quod quando educanda ingreditur, vel remaneat sola, debet ei assignari conuersa pro socia; quod puellæ, non sunt compellendæ, nisi in aliquo casu contrarium per superiores decernatur; quod recipi possunt cæteræ, & quæ parentes habent, & illegitimæ; quod sponsa educanda debet à monasterio dimitti; quod debeat recipi in tali numero, quod quælibet suum lectum separatum habeat, sed & alia ab eodem Nicolio ibidem referuntur, et determinata per S. Congreg. Addit etiam Barbosa *in sum. v. puella*, quod si educanda peruenerit ad annum 25. ætatis, post quem non licet sibi remanere intra clausuram, nihilominus non exeat, quod non per hoc ipsa, vel moniales sunt excommunicatæ, sed potest Episcopus illi constituere terminum intra quem ipsa eligat utrum velit monialis fieri, aut a Monasterio egredi.

87. Quæstio etiam esse posset propter Constit. Sixti Quinti de illegitimis. Quia sorbus in compendio Priuilegiorum *v. nouitius, notab. 4.* apud Sanchez *dicto l. 4. mor. cap. 18. n. 35.* Dixit ex vi talis constitutionis non posse nunc ad Religionem recipi minorem 16. annis, sed apertè in hoc deceptus est, quia ibi Pontifex non prohibet recipi aliquẽ minorem 16. annis, sed solum statuit, vt maior 16. annis non recipiatur nisi premissis informationibus de eorum vita, & moribus, prout supra latè expositum fuit.

88. Vltima conclusio textus, asserit valdè expedire

pedire, vt pueri recipiantur in religionem, secundum illud Threnor. 5. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Quod probat etiam ex communi vsu, secundum quem pueri applicantur illis officijs, vel artibus, in quibus sunt vitam acturi. Nihilominus & hoc difficultatem continet.

S V M M A R I V M.

1 *Expedit pueros recipi in religionem.* nu.88.
2 *Hoc aliqui negant*, nu.89.
3 *Pueris expedit in impubertate recipi in religionibus.* nu.90.
4 *Nisi religiones sint relaxatæ.* nu.91.
5 *Non multum expedit Religionibus in his temporibus recipere impuberes.* nu.92.
6 *In monasterijs recipiuntur educandæ: & in aliquibus religionibus impuberes admittuntur ad habitum.* nu.93.

An expediat pueros impuberes offerre Religioni, & intra illam recipi.

I N S P E C T I O IV.

89. Nam D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §.4. hoc non expedire sentit, & idem asserit Syluester *v. religio* 5. *q.* 10. addens, quamuis, inquit, S. Benedictus id fecerit, & D. T. id licere docuerit. Et pro se referens Archid. duo fundamenta insinuat, primum, quia experientia docuit, hoc non expedire. Secundum, quia omnes ferè religiones hoc seruant, & in eorum regulis continetur, ne pueri ad habitum recipiantur ante 14. annum expletum, quod & esse statutum in Societate Iesu constat *ex p.* 1. Const. *cap.* 3. §. 13. *&* c.2. §.18. Et huic sententiæ satis fauet Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Cum virum num.* 46. *de Regul.* vbi *num.*47. quod in Ordine Theatinorum sit statutum confirmatum per S.Cong. Regulariũ die Iunij 1641. ne ad habitum recipi possint ante 15. annum inchoatum. Et quod S. Cong. eandem prohibitionem fecit Clericis ministrantibus infirmis. Et quod in facultatibus vestiendi nouitios, quæ conceduntur regularibus consueuit poni clausula, *Dummodo vestiendi saltem attingant annum ætatis decimum quintum.* Et tamen quod generali decreto non sit prohibendum recipere pueros ad religionem triplici ratione probat.

90. Sed breuiter dicitur, quod cũ expediẽs sit nomen relatiuũ, nam quod expedit alicui, & ad aliquẽ finẽ, non expedit alteri ideo distingui hic debet expediens in id, quod expedit pueris recipiendis, & in id quod expedit religioni recipienti. Et ita dicitur primo cum D.T. valdè expedire pueris, vt ante pubertatem, recipiantur à religione, & nutriantur, & educentur intra claustra. Et in hoc sensu loquitur D. T. qui hoc probat, quia bonum est viro assuefieri ad portandum iugum ab adolescentia, vt ex Ierem. Thren. 5. habetur, & ex illo Matt. 19. *Sinite paruulos venire ad me* probat D. Basil. *reg.* 15. *ex fusioribus*, vbi hos pueros recipiendos dixit, & nullam ad hoc præscripsit ætatem. Et nedum S. Benedictus *cap.* 96. *&* 97. præscribit modum recipiendi pueros ad religionem, & de facto Romanos nobiles tribuisse illi suos filios nutriendos retulit D.Greg. *l.*2.Dialog. *c.*3. sed hic vsus recipiendi pueros fuit multo antiquior, vt patet ex regula Pachomij *cap.* 96. *&* 97. ex qua habetur, quod Pachomius multitudinem horum puerorum habebat in monasterio. Et hoc idem ex loco citato S. Basilij habetur. Postea verò vt refert D.Greg. *l.*1. *Regis.Epis.* 48. innumeri ex his pueris donati fuerunt monasterijs & Rupertum nepotem S.Bernardi in pueritia oblatum fuisse monasterio Cluniacenn. refert idem S.Bern. *Epis.* 1. ad eundem Rupertum scripta. Et ad hoc faciunt ea, quæ ex Athanasio, Ambros. Hier. & Aug. refert Bellar. *l.* 2. de Monachis *c.*45. Et ratio euidens est, quia pueri facilius assuefiunt ad onera religionis, cum nondum libertatem mundi experti sunt, & assuefacti leuius illa portant.

91. Hoc tamen intelligitur, si religio cui pueri offeruntur non sit relaxata, alias enim puerilis ætas facillimè prauo aliorum exemplo corrumpitur, & è contra puerorum conuictus nocumentum esse potest similibus religiosis Caiet in hoc artic. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 7. Reuerendissimus Fagnanus *dicta cap. Cum virum num.*48.

92. An verò hoc expediat religionibus, dicendum est modo regulariter non expedire, vt impuberes recipiantur ad habitum. Et in monialibus iam ostensum est hoc non permitti regulariter, & in pluribus virorum ordinibus ex regula, & constitutionibus est illis interdictum: Verum considerandum est, quod religiosorum ordines valdè mutati sunt ab antiquo Monachorum instituto. Nam antiquitus Monachi laici erant, qui nec vacabant studijs sacræ Theologiæ, nec occupati erant in prædicationibus, & ministerio sacramentorum, & in docendis populis, sed vacantes orationibus, & labori manuum viuebant solitarij intra monasteria, & vt plurimum extra ciuitates, & in monasterijs multum vigebat seueritas monastica. Vnde illis nec deerat tempus educandi pueros, nec impediebantur ab eorum exercitijs, imò & hoc illis conueniebat, vt pueros in laborando manibus, & simul in perfectione vitæ edocerent tanquam artifices corporis, & animæ. Sed modo etiam Monachorum ordines valdè immutati sunt, & iam sacris ordinibus initiantur, & vacant studio scripturarum, mendicantes verò præcipuè operibus charitatis deputati sunt, vnde non sine magno incommodo vices nutricum exercere possunt in puerulis nutriendis, & educandis. Ideò nunc non multum expedit huiusmodi puerulos recipere, sed imò inter dispositiones ad habitum recipiendum est sufficiens notitia linguæ latinæ, quam pueri regulariter non habent.

93. Et nihilominus in monialibus, vt dictum est, hoc permittitur, vt causa educationis puellas impuberes de licentia S. Cong. recipiant, quia hoc non est illis impedimentum, quod eas ab earum exercitijs retrahat. In aliquibus etiam religioni-

gionibus pueri ante 14. annum recipiuntur ad habitum, nisi vbi obligant decreta recentiora de non recipiendis ante quintum decimum annum: Nam hoc de se, & de iure communi non est illicitum, & ex circumstantijs potest esse aliquando magis vtile, imò & necessarium. Quamuis alias cum nunc sint instituta Seminaria, & Collegia pro instituendis pueris minor sint necessitas, vt ad hoc recipiantur in religionibus.

QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS *VI.*

Vtrum propter obsequium parentum debeant aliqui retrahi ab ingressu Religionis?



Dsextum sic proceditur. Videtur, quod propter obsequium parentum debeant aliqui retrahi ab ingressu religionis. Non enim licet praetermittere, id quod est necessitatis, vt fiat id, quod est liberum voluntati. Sed obsequi parentibus cadit, sub necessitate praecepti, quod datur de honoratione parentum Exod. 20. Vnde & Apostolus dicit prima ad Tim. 5. Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Ingredi autem religionem est liberum voluntati. Ergo videtur, quod non debeat aliquis praetermittere parentum obsequium propter religionis ingressum. Dist. 14. c. Gener. querela.

2. Praeterea, Maior videtur esse subiectio filij ad patrem, quam serui ad dominum: quia filiatio est naturalis, seruitus autem ex maledictione peccati, vt patet Genes. 9. Sed seruus non potest praetermittere obsequium domini sui, vt religionem ingrediatur, aut sacrum ordinem assumat; sicut habetur in Decret. d. 54. c. Si seruus. Ergo multo minus potest filius obsequium patris praetermittere, vt ingrediatur religionem.

3. Praeterea, Maiori debito obligatur aliquis parentibus, quam his quibus debet pecuniam. Sed illi qui debent pecuniam aliquibus, non possunt religionem ingredi. Dicit enim Greg. in Registro, & habetur in Decretis distinct. 53. quod hi qui sunt rationibus publicis obligati, quando petunt monasterium, nullo modo suscipiendi sunt, nisi prius à negotijs publicis fuerint absoluti. Ergo videtur, quod multo minus filij possunt religionem ingredi, praetermisso paterno obsequio. l. 7. registr. ep. 11. in ma. & habetur d. 53. ca. Legem.

SED contra est, quod Matth. 4. dicitur, quod Iacobus, & Ioannes relictis retibus, & patre, secuti sunt Dominum. Ex quo, vt Hilar. dicit, docemur Christum secuturi, & secularis vitae solicitudine, & paternae domus consuetudine non contineri.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, cum de pietate ageretur, parentes habent rationem principij in quantum huiusmodi. Et ideo per se eis conuenit, vt filiorum curam habeant. Et propter hoc non licere alicui filios habenti religionem ingredi, omnino praetermissa cura filiorum, id est, non prouiso qualiter educari possint. Dicitur enim prima ad Timotheum quinto, quod si quis suorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Per accidens tamen parentibus conuenit, vt à filijs adiuuentur, in quantum scilicet sunt in necessitate aliqua constituti. Et ideo dicendum est, quod parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter, quam per obsequium filiorum subueniri non possit; non licet filijs, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate, vt filiorum obsequio multum indigeant, possunt praetermisso parentum obsequio, filij religionem intrare, etiam contra praeceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his quae sunt diuini obsequij: & magis est obtemperandum patri spirituũ vt viuamus, quam parentibus carnis, vt Apostolus dicit ad Hebraeos 12. Vnde Dominus, vt legitur Matth. 8. & Luc. 9. reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi, intuitu paternae sepulturae. Erant enim alij, per quos illud opus impleri poterat, vt Chrysostomus dicit.

sup. illud. Matt. 8. dimitte mortuos, &c. c. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum de honoratione parentum non solum se extendit ad corporalia obsequia, sed etiam ad spiritualia, & ad reuerentiam exhibendam. Et ideo etiam illi, qui sunt in religione, implere possunt præceptum de honoratione parentum, pro eis orando, & eis reuerentiam, & auxilium impendendo, secundum quod religiosos decet: quia etiam illi qui in seculo viuunt, diuersimode parentes honorant secundum eorum conditionem.

Ad secundum dicendum, quod quia seruitus est in pœnam peccati inducta, ideo per seruitutem aliquid adimitur homini, quod alias ei competeret, ne scilicet liber de sua persona possit disponere. Seruus enim id quod est, domini est. Sed filius non patitur detrimentum ex hoc, quod subiectus est patri, quin possit de sua persona libere disponere, transferendo se ad obsequium Dei, quod maxime pertinet ad hominis bonum.

Ad tertium dicendum, quod ille qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud licite prætermittere, facultate existente. Et ideo si aliquis sit obligatus vt alicui rationem ponat vel vt certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittere, vt religionem ingrediatur. Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat vnde reddat, tenetur facere quod potest, vt scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem, persona liberi hominis secundum iura ciuilia non obligatur, sed solum res: quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Vnde licite potest exhibitis rebus suis religionem intrare, nec tenetur in seculo remanere, vt procuret vnde debitum reddat. Filius autem non tenetur ad aliquod speciale debitum patri, nisi forte in casu necessitatis, vt dictum est.

in co. ar.

SVMMARIVM.

1 *Resolutio textus articuli. nu. 1.*
2 *Pater tenetur ad curam filiorum. nu. 2.*
3 *Principij communicare se ipsum. nu. 3.*
4 *Pater non potest omissa cura filiorum ingredi religionem. nu. 3.*
5 *Quando pater possit ingredi non obstantibus filijs. nu. 4.*
6 *Idem dicendum de alijs ascendentibus. numero 5.*
7 *Pater etiam si votum habeat non potest ingredi religionem omissa cura filior; nu. 6.*

1. DE debito filiorum in parentes comparatiuè ad opera Religionis agit D. T. supra q. 101. a. 4. quæ verò ibi tradidit rem considerans ex debito pietatis erga patrem, hic magis explicat. Resolutio autem articuli est, patrem per se teneri ad curam filiorum, ideò non posse ingredi religionem filiorum cura omnino relicta, scilicet saltem non prouiso de eo, qui curam illorum habeat, sed filij non tenentur habere curam parentum, nisi per accidens, scilicet eorum necessitate supposita, ideò si patres sint in graui necessitate, cui non possit occurri, si filij religionem ingrediantur, non possunt filij religionem ingredi; qua necessitate ablata, vel si ei alia via occurri potest, ingredi possunt etiam contra præceptum parentum.

2. Hoc autem principium in hac materia est valdè notandum, scilicet, quod desumptum est ex ratione principij, & eius quod est à principio, & ideò ex ratione paternitatis, & filiationis. Primo enim principium, vt principium non importat munus recipiendi; sed communicandi, vnde principij non est recipere, sed communicare, recipere verò pertinet ad id, quod est à principio. Præterea principium ex quo est à natura institutum ad communicandum bonum, & ad perficiendum principiatum, ideò muneris eius est dare, & perficere, quantum principiatum secundum talem rationem est perfectibile. Ideò pater, qui ex natura est ordinatus vt sit filij principium simul ex naturæ lege tenetur procurare bonum filij tam corporis, quàm animæ, & non admensuram & ad præsens tempus, sed absolutè, & omni tempore, vndè Patris est etiam thesaurizare pro filijs, quia patris est filium perficere quantum fieri potest. Sed filius supponit patris perfectionem, & eius est recipere à Patre, cui tamen retribuere tenetur, & ideò illi subuenire tenetur in necessitate.

3. In prima conclusione textus asseritur non licere patri ingredi Religionem cura filiorum omninò relicta, idest non prouiso, qualiter educari possint. Hic verò primo considerandum est, D. Thomam nullam hic habere mentionem necessitatis filiorum, quia obligatio patris erga filios non est solum supposita contingenti filiorum necessitate, sed est per se ex naturali ordine patris ad filium, quia pater tanquam filiorum principium eorum curam debet habere, Ideo conclusionis sensus est, quod Pater non solum si filius sit in necessitate, sed absolutè non potest ingredi

gredi religionem omissa filiorum cura, nisi & sufficienter eorum necessitati prouideat de eo, qui filiorum curam habeat in sui absentia. Et ita cum D.T. docuerunt Turrecrem. cap.1. a.1 num.2.dist.30. D. Anton.3. p.tit.6. cap 2. §.1. fine. Turrec. cap.1. ar.1 num.2. dist. 20. Nauar. comment.1. de regular. num.8. Suarez tom.3. de relig. lib. 5. cap. 6. num. 1. Sanchez lib.4. mor. cap.20. num. 34. Et communiter alij. Nam hæc conclusio, vt D. Antonin. aduertit fuit confirmata in Concil. Gangren. sub Syluestro Papa, & habetur dist.30. cap.14. vbi dicitur *Si quis dereliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit, & (quod pietatis est) necessaria non praebuerit, sed sub ratione continentiæ negligendos putauerit, anathema sit.* Cui consonat illud Apost. 1. ad Thim. 5. *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, quia vt exponit ibi D.T. si non seruat fidem his, quos sibi natura copulauit, consequens est, quod nec alijs; maxime verò parentibus filios natura iunxit. In secunda etiam ad Cor. cap. 12. v. 14. inquit Paulus. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Per quod docet munus patrum esse non solum subuenire filijs in necessitate, sed illis congregare, & pro futuris temporibus illis thesauros cumulare.

4. Quæri autem potest, an hoc intelligatur de omnibus filijs. Nam Abulens. q.68. in cap.8. Matt. excipit filios adultos. Suarez etiam loco citato n.2. excipit filium emancipatum, & Sanchez n.38. excipit eum, qui non indiget ampliùs cura parentum. Aduertendum verò in Patre duplicem posse esse obligationem respectu filij, alteram scilicet per se conuenientem Patri in quantum Pater est, & hæc est obligatio habendi curam filiorum, & siue filij sint pauperes, siue abundent, hæc obligatio patri conuenit, cuius est etiam filiorum diuitias conseruare, & augere, & vt dixit Apostolus illis thesaurizare. Sed alia obligatio per accidens contingere potest, si fini, scilicet, in necessitate, nec habeant, vndè commodè secundum illorum statum viuere possint, nisi pater illis prouideat. Prima obligatio duplieiter cessare potest, vel quia Pater per alium possit habere curam filiorum, vel quia filij iam adulti sint, & emancipati, vel tales, quos Pater emancipare potest, nec indigent ampliùs cura patris. Ideò per se loquendo, vbi filij sint emancipati, vel tales quos Pater emancipare potest, & sibi ipsis relinquere, pater potest eorum cura relicta ingredi religionem. Sed per accidens non potest, si eos relinquat in necessitate. Et in hoc casu eadem est ratio obligationis filij ad patrem, quæ est patris ad filium, vt tradit Suarez loco citato. Et cum inter Patrem, & filium vinculum sit reciprocum debet etiam esse reciproca obligatio, vt sicut filius tenetur ad subueniendum necessitati patris, ita pater teneatur ad subueniendum necessitati filij. Ideò pro hac parte patri applicāda sunt, quæ de obligatione filij erga patrem in casu necessitatis infra dicenda sunt.

5. Ex his verò benè Sanchez n.37. colligit idē dicendum esse de auo, & reliquis ascendentibus parentibus deficientibus, quia tunc ascendentes succedunt loco Patris. Nam etiam ipsi habent rationem principij à natura ordinati ad propagationem speciei per filios, & filiorum suorum filios.

6. Colligitur quoq; patrem, & si votum religionis habeat non posse omissa omninò filiorum cura religionem ingredi, quia votum non est contra parentum charitatem, & paterni officij debitū, sed in eo casu Pater expectare deberet, donec vel filij eius ope, & cura non indigerent, vel ipse alio mediante, & relictis necessarijs posset filios alere, & gubernare. Sanchez n.36.

SVMMARIVM.

1 *Filius non potest ingredi religionem relicto patre in necessitate. num.7.*
2 *Necessitas triplex. num. 8.*
3 *Ex necessitate leui parentum non tenetur filius remanere in sæculo. num. 9.*
4 *Non potest filius religionem ingredi, relicto patre in extrema necessitate. num. 10.*
5 *Sunt patres in extrema necessitate, quando nullus est, qui illis subueniat, si filius non subueniat. num. 10.*
6 *Multi voluerunt ex necessitate graui parentum filios non impediri à religione. num. 11.*
7 *Non possunt filij relictis parentibus in necessitate graui assumere habitum religiosum. numero 12.*
8 *Etiam si necessitas non sit præsens; sed proximum eius periculum immineat. num. 13.*
9 *In dubio, an necessitas sit grauis, non potest filius patrem deserere. num. 14.*
10 *Quæsit grauis necessitas. num. 15.*
11 *Etiam si filius vouit Religionem, non tenetur ingredi, si parentum grauis necessitas impediat. num. 16.*
12 *Non possunt dari tales medius in quo filius, qui vouit religionem, nec teneatur manere, vt subueniat patri, nec teneatur satisfacere voto. numero 17.*
13 *Si necessitas parentum sit dubia, vel probabilis & quocumq; modo non certa, filius qui vouit tenetur consulere superiorem. num. 18.*
14 *Non professus tenetur superueniente graui necessitate patris exire. num. 19.*

7. Conclusio secunda textus est bimembris; & in ea statuitur filium non posse ingredi religionem parentibus in necessitate existentibus, ita vt sine filij ope commodè eis subueniri non possit, hac verò cessante necessitate filium posse etiam contra præceptum parentum religionem ingredi.

Quæ necessitas parentum impediat filium ab ingressu Religionis.

INSPECTIO I.

8. Est enim triplex necessitas, scilicet communis, grauis, & extrema. Communis necessitas est, quæ hominem cogit parcè, & moderatè viuere, & non solum superfluis, sed congruis aliquando carere, & statum potius minuere, quam augere. Grauis necessitas est, quando hæc vita non potest sustentari, nisi cum magna penuria, & indigentia, & difficultate, & à statu notabiliter cadendo, vel cum magno dedecore, vel exercendo opus alienum à qualitate, & conditione personæ. Extrema necessitas est, quando homo est in talis discrimine vitæ, vt nisi ei subueniatur moraliter certa sit eius mors, aut mortis periculum.

9. Certum verò est primo leuem parentum necessitatem non impedire, quin filius relictis parentibus suæ saluti prouideat religionem intrando. Ratio est, quia filius non tenetur subuenire Patri, vt illi thesaurizet, & diuitijs augeat, sed solum per accidens supposita necessitate illius. Hæc verò necessitas relatiuè, & comparatiuè mensuratur, & obligat. Eadem enim necessitas magis obligat ad subueniendum illum, qui magis commodè subuenire potest, quam illum, qui non potest subuenire, nisi cum dispendio; ideò in præsenti leuis necessitas patris, aut matris non obligat filium, vt cum detrimento boni spiritualis teneatur illis subuenire. Solum hic est aduertendum, quod in moralibus pro eodem computantur malum, & proximum mali periculum. Vnde in præsenti non est leuis necessitas illa, quæ secum habet proximum periculum grauis necessitatis.

10. Certum est secundo necessitatem extremã parentum impedire filium, ne ingrediatur religionem. Quia lex naturalis obligans filium ad subueniendum parentibus necessitatem patientibus sine dubio obligat, si parentes sint in extrema necessitate. Est verò considerandum parentes non esse in extrema necessitate, respectu filij, si habeant aliundè, vnde necessitati occurrant, vt si habeant alios filios, vel amicos, qui subueniant, & dicitur qui subueniant, nam non sufficit, quod possint subuenire, imò quod teneantur, & grauissimè peccent non subueniendo, quia totum hoc nihil subleuat necessitatem parentum, ideo illi sunt in necessitate extrema, respectu filij, quando sunt in tali necessitate, quod si filius non ferrat opem, nullus alius ferret. Vndè ad hoc, vt filius maneat liber in hoc casu est necessaria ad minus spes moraliter certa, quod parentes aliundè habebunt, vndè propulsandæ necessitatis extremæ auxilium obtineant. Quod si filius necessitati huic remedium ferre potest etiã si religionem ingrediatur, ex ea non impeditur, quin possit religionem ingredi. Quod idem dicitur, si filius non possit necessitatem parentum subleuare. Quia ad impossibile nemo tenetur. Et sic ad hoc, vt necessitas parentum impediat filium ab ingressu religionis, duo sunt necessaria, primum quod filius possit illi necessitati subuenire. Secundum quod illam necessitatem non possit propulsare, nisi non ingrediendo religionem, ita quod non ingressus filij in religionem sit vnicum medium ad necessitati parentum subueniendum, quia si filius aliter subuenire potest, vel aliundè parentes auxilium habebunt, non impeditur filius à religionis ingressu. Ideo moraliter impossibile est, vt necessitas extrema sit in patre diuturna, & durans, ita vt impediat filium totaliter ab ingressu religionis. Quia hæc necessitas tunc est quando homo est in discrimine vitæ, nisi ei subueniatur. Hoc autem est temporale. Neq; enim discrimen vitæ longiua durat, sed citissimè transit, modicumq; ad eius remedium sufficit. Corduba *in sum. q. 141. a. 1. opin. 4. p. 1.* Nauar. *consil. 3. de Regul.* Corradus *tom. 1. l. 61.* Sanchez *l. 4. c. 20. n. 14.* Palaus *tr. 16. d. 1. p. 7. §. 5. num. 4.*

11. De graui autem necessitate loquendo aliqui voluerunt eam non impedire filium ab ingressu religionis. Et Alex. *3. p. q. 33. n. 4. a. 1.* apud Sanchez *l. 4. c. 20. n. 2.* ait hanc sententiam esse magis perfectam, & contrariam magis piam; eumque qui voto tenetur ad religionem non excusari ob parentum necessitatem, dixit Altisiod. *l. 3. sum. trac. 41. cap. 1. q. 2.* apud Sanchez ibidem. Vbi quod Abul. *q. 67 in cap. 8. Matt.* censet filium non teneri manere in sæculo, nisi quando parentum necessitas est extrema, aut speratur fore, vt sit extrema, si filius ingrediatur religionem. Et ratio est, quia non tenetur filius relinquere bonum spirituale propriũ propter bonum corporale parentum. Secundo quia necessitas illa obligat filium ad manendum in sæculo, quæ obligat extraneum ad subueniendũ ex necessarijs ad decentiam sui status, hæc verò est necessitas extrema. Certè enim maius, quid est perfectio spiritualis animæ, quam decentia corporalis status; illa ergo necessitas, quæ non obligat ad subueniendum ex necessarijs decentiæ status corporalis multo minus obligat ad subueniendum de necessarijs ad perfectionem spiritualem animæ, nulla autem necessitas præter extremam obligat ad subueniendum ex necessarijs ad decentiam status. Sed & videtur hæc sententia comprobari a D. T. supra *q. 101. a. 4. ad. 3.* vbi sic loquitur. *Si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare. Et è contra. Si verò sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei, desertis parentibus, religionem intrare.* Hæc enim verba necessitatem extremam indicant. Et eo magis, quod opinionem oppositam non alio medio impugnat, nisi quia esset tentare Deum exponendo periculo parentes sub spe diuini auxilij. Nam loquendo de necessitate præter extremam non exponuntur parentes periculo, cum sustentari possint licet cum difficultate, & cadendo à statu. Et amplius quodlibet 10. a. 9. expressius ait. *Si sine eius obsequio parentes nullo modo viuere possunt, sic tenetur eis seruire.* Et è contra. *Si verò sine eius obsequio possunt aliqualiter sustentari non honorificè, non propter hoc tenetur opera perfectionis omittere.* Clarè enim hinc haberi videtur, solam illam necessitatem non excusare, quæ est talis ac tanta, vt sine filij auxilio parentes aliquo modo viuere non possint etiam a statu honorifico cadendo, quæ

est necessitas extrema.

12. Nihilominùs sententia communis est, vt nedum extrema necessitas, sed grauis impediat filium ab ingressu religionis, & obliget illum, vel ad differendum ingressum, vel ad numquam ingrediendum, si ei necessitati non potest subueniri, nisi filio manente apud parentes, seu filio religionem non ingrediente. Hoc enim docet expressè D. T. in hoc articulo, vt patet ex illis verbis. *Parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commodè aliter, quam per obsequium filiorum subueniri nō possit, non licet filijs prætermisso parentum obsequio religionem intrare. Si verò non sint in tali necessitate, vt filiorum obsequio multum indigeant possunt prætermisso parentum obsequio filij religionem intrare.* Vndè de mente eius nedum in extrema necessitate, quādo sine ope filiorum non possunt parentes simpliciter viuere, sed quando sunt in tali necessitate, quod multum indigent filiorum ope, & quod commodè non potest subueniri illorum indigentiæ, non possunt filij parentes deserere, hæc verò non est extrema, sed grauis necessitas. Nec oppositum D. T. tenuit supra *q.101.a.4.* Quia moraliter loquendo parentes dicuntur non posse sustentari sine filio, quando id non possunt nisi notabiliter cadendo à statu, & nisi vel mendicando, vel alijs interueniendo, si alias sint personæ nobiles, & quibus tales actiones minimè conueniunt. Et benè contra opinionem eorum, qui curam parentum remittebant diuinæ prouidentiæ, vrget ratio D. T. quia scilicet hoc esset tentare Deum relinquendo eos in periculo sub spe Diuini auxilij. Quia graue periculum est, non solum periculum mortis, sed etiam periculum cadendi à proprio statu, seu non viuendi sine dedecore, & maxima difficultate, cui occurrere debet filius si potest, & tentat Deum si non facit, quod potest, sub spe diuini auxilij. Quæ autem habentur in illo *quodl.*10. intelligi debent non solum de vita simpliciter, sed saluo statu, & qualitate familiæ, & conditione personæ. Ita quod tunc filius maneat liber si saluo statu nobilitatis, & decentiæ parentum ipsi sine ope filij possint viuere etiam non honorificè, idest etiā si non cum tantò splendore, cum quantò viuere possent manente filio. Dum tamen sustinere possint familiæ splendorem, & ab eorum statu non cadant, sed intra eundem statum aliqualiter minuatur eorum conditio, quod est dicere, tunc filium liberum esse ad ingressum religionis cum necessitas parentum est communis, & leuis. Et ita hanc sententiam D. T. sequuti sunt Caietanus supra *q.101. a.4.* Turrecrem *cap.1. dist. 30. a.1. n.3. & art. 2.num.5.* D. Anton. *3. p.tit. 16. cap. 2. §. 1.* & apud ipsum Io: Neap. Syluest. *v. religio 2. q. 7.* Angel. *v. religiosus num. 11.* Tabien. *v.pietas*, & Armil. *ibid.* Nauar. *sum.c. 14. num.14.* Corduba *summa q.141.a.1. & in Reg. S. Franc. cap.2. q. 6. a. 2.* Passarel. *in priuil. minim. cap. 41.* Rodriq. *sum.cap.6. num.4. & qq. reg. tom.3. q.13. a.5.c.4.* Sanchez *lib.4. mor. cap. 20. num. 4.* Suarez *tom. 3. de relig. lib.5. cap.5. num.11.* Palaus *tr.16. disp.1. p. 7.§.5. num.2.* Pasqualig. ad Lauret. de Franchis *p. 2. q.105. num.6.* Bordon. *de profess. q.51. cap.1.* Mirand. *tom.2. q.17. n.vlt.* Portel. *v. nouitij n.21.* Poir. de Prml. *q.3.cap.1. §.2. num.69.* Palaus *tr.16. disp.1. par.7. §.5. num. 5.* & apud eū Lessius, Sà, Layman. & Azorius Clauis Regia *l.7. cap. 6. n.5.* Fauetq; huic sententiæ Canon Concilij Grang. relatus *cap.1. d. 30. Si qui filij*, inquit, *maximè fideles parentes deseruerint, occasione Dei cultus, hoc iustum esse iudicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sit.* Et inter 80. Canones Concil. Nisseni, qui referuntur à Pisan. *l. 3. de Actis illius Concilij*, vnus habetur, in quo ideò prohibetur ne quis fiat monacus sine licentia Episcopi, ne causam habeat relinquendi vxorem, aut filios, aut matrem, aut similes, qui auxilio eius opem habeat. Et ratio horum est, quia lex naturæ obligat filium ad succurrendum necessitati parentum, ad honorem enim debitum parentibus spectat non permittere eorum dedecus, & detrimentum, & necessitatem grauem, per quam cogantur cadere cum dedecore à statu honorifico, vel operari non conuenientes ad eorum qualitatem, vel in magna necessitate viuere.

13. Limitant aliqui hoc vt sit verum solum de necessitate præsente, non verò de ea, quæ in futurum timetur. Quia vt ait D. T. *supra q. 101. a.2. ad secundum*, filius non tenetur prouidere patri in futurum. Et ita tenet Rodriq. *sum.c.6. num.4.* apud Sanchez, & Clauis Regia *l.7. c.6. n. 2.* Sed limitatio non est admittenda de periculo proximo, sed solum de remoto, & incerto. Nam in moralibus æquiualent malum præsens, & quod de proximo probabiliter imminet, vt docent Abul. *q.67.in cap.8. Matt.* Suarez. *d.l.5.c.5. nu.3.* Et ideo filium non posse deserere parentes, vbi de proximo immineat probabiliter necessitas grauis cui filius religiosus non possit subuenire docent expressè Suarez ibi Sanchez *d.cap.20.n.5.*

14. Quid verò in dubio sit dicendum, Sanchez *ibid.num.6.* censet, quod vbi sit dubium an necessitas sit grauis, quod filius sit in sua libertate; eo quia in dubio an aliquod sit præceptum non tenemur obedire, & ipse probauit *l. 1. mor. c.10. num.19.* Vnde idem sentit in casu, in quo sint ex vtraque parte rationes probabiles, & ita opinabile sit an parens sit in graui necessitate, cui succurrendæ sit necesse vt filius non ingrediatur religionem. E contra verò Suarez *dicto l.5.cap.4. num.6.* loquens de necessitate extrema parentum ait non sufficere ad excusandum filium, quod alij ab eo possint succurrere necessitati patris, sed oportere, vt adsit spes, & moralis certitudo, quod ita sint facturi. Ex quo colligitur, quod in dubio, vel etiam in probabili iudicio in quo filius dubitet an necessitati Patris possit occurri per alium non excusatur filius ab obsequio parentum, nisi sit moraliter certus eos sua ope non indigere. Et ita absolutè est dicendum. Possessio enim est pro patre, & pro lege naturali obligante filium ad obsequium Patris in necessitate, & excipiente casum leuis necessitatis. Vbi ergo de necessitate constet, simul constat de obligatione filij; quod verò dubium remanet est, an filius sit in casu in quo excipiatur à legis obligatione, sed onus hoc probandi apud ipsum permanet, qui vult se ab obligatione leges excipere. Quod magis confirmatur; Nam præceptum honorandi parentes ita est affirmatiuum, quod etiā

vim

vim negatiui habet, & per illum prohibetur filius ne patrem deserat, & licet si Pater non indigeat opera filij, nec sit imminens periculum eius necessitatis possit filius separari à patre, quia tunc hoc non est deserere patrem in miseria, vel egestate, si tamen incertum sit, an pater ope filij indigeat, relinquere patrem est illum verè deserere, quod rationi naturali est contrarium. Ideò lex illa naturalis obligat filium ad non negandum obsequium subuentionis, nisi sibi constet patrem subuentione non indigere. Vndè in dubio an pater indigeat, vel non indigeat ex graui necessitate, non potest filius patrem relinquere, & eo magis separando se à Patre taliter, vt sit impossibile, quod illum in futurum iuuare possit, si contingat illum indigere.

15. Quod si quis quærat, quænam iudicanda sit grauis patris necessitas, quamuis huic interrogationi non possit responderi per regulam certam, quia hoc pendet maximè ex conditionibus, & circumstantijs personarum, & ex diuersis statibus nobilium, vel ignobilium, dominorum, ac seruorum; nihilominus ex DD. citatis supra duo dicuntur. Primum est illam censeri necessitatem grauem ad effectum impediendi ingressum religionis, quæ est sufficiens ad hoc, vt filius ex præcepto naturali teneatur non dimittere patrē, & non negare illi obsequia sua, ingressus enim in religionem non est Deo charus, si fiat transgrediendo naturæ legem: Et cum lex naturæ obligat illa prius est seruanda. Dicitur secundò sequentes iudicari necessitates graues, scilicet si necessarium esset patribus mendicare, vel si necessarium esset eos alijs seruire cum magno dedecore suarum personarum conditione spectata, si ob filij recessum valdè affligerentur à creditoribus ob debita, vel etiam carceri manciparentur, si cogerentur pati famem, ægritudinem, nuditatem, frigus & alia incommoda similia; si compellerentur operari indecentia ad statum suum, vel etiam à statu grauiter deficere. In quo attendendum, non esse grauem necessitatem, si pater compellatur viuere non honorificè, per negationem honoris excedentis statum, vel etiam per augmentum honoris intra statum, in quo sensu bene dixit D.T. *quodl.* 10. *a.* 9. filium non teneri non ingredi religionem, si pater sine filio possit viuere aliquo modo, licet non honorificè, sed necessitas grauis est notabilis diminutio status honorifici. Filius enim vt ex Apost. dicebamus non tenetur thesaurizare, & augere bona patris, sed tamen tenetur eum iuuare ne deteriùs se habeat, & ne cadat à statu suo notabiliter. Adnotetit verò Pasqual. loco supra citato, quod in præsenti grauis necessitas non est illa sola, quæ obligaret ad eleemosynam, sed etiam minor. Clauis regia vero *lib.* 7. *cap.* 6. *num* 4. vult, quod si patres habent vndè viuant, licet tenuissimè dum non teneantur mendicare, vel alijs inseruire, non censeantur esse in graui necessitate licet, non possint viuere tam amplè sicut vellent, & sicut viuunt alij eiusdem conditionis. Quod verum est infra latitudinem tamen eiusdem conditionis & status; non verò si ita tenuissimè viuere coguntur, vt decedant à statu; Sed si parentes sint in statu, vt non dedeceat eos, vel seruire, vel etiam mendicare putat, idem Sayrus eos non esse in graui necessitate, sed liberum esse filio ingredi religionem, vndè putat, quod filij artificum possent ingredi etiam si pater cogeretur seruire, vel mendicare.

16. Colligunt etiam communiter ferè omnes DD. hæc verá esse etiam si filius haberet votum ingrediendi religionem, & siue hoc votum antecesserit necessitatem patris, siue superuenerit illi, quia semper executio talis voti repugnaret legi naturali, ideò numquam cadit sub voto, quod est de meliori bono. Et ita vt si necessitas patris sit temporalis, tunc quidem suspendat voti obligationem donec necessitas transeat, si verò sit perpetua, eximat vouentem simpliciter ab obligatione voti, seu ita suspendat illam, quod numquam reuiuiscet. Sic enim docuerunt Io: de Neapoli, D. Antoninus Syluester Tabien, Corduba, Rodriquez, Sanchez, *num.* 8. Suarez *num.* 15. *loc. cit. citatis*. In quo hæc regula seruanda est, vt quotiescumque lex naturalis phohiberet non habentem votum ne desereret patrem, religionem ingrediendo, prohibet etiam habentem votum. Quia illud votum est de ingressu quatenus ingressus est de consilio, & non repugnat legi naturali, & sic habet intrinsecè imbibitam conditionem, si lex naturalis honorandi patrem non impediat, vndè in quocumque casu in quo spectato facto secundùm se, & ex vi circumstantiarum præscindendo à voto obligat, lex naturæ ad hoc obsequium præstandum patri, vt filius à patre non recedat, obligatur, qui habet religionis votum ad non deserendum patrem per religionis ingressum. In dubio autem an necessitas parentum tanta sit, vt filius teneatur præcepto naturali manere in seculo ad subueniendum Patri, putat Palaus, quod votum obliget, quia eius obligatio est certa, & excusatio dubia, habetur tamen tunc sufficiens causa, vt ex dispensatione voti executio differatur. Sed dicitur non posse esse dubium de obligatione præcepti necessitantis filium ad non deserendum patrem in graui necessitate, quia vt dictum est *n.* 14. hoc præceptum obligat in dubio, & in omni casu, in quo non constet patrem non indigere ope filij, & sic si sit dubia necessitas patris, est certa necessitas præcepti obligātis filium ad non deserendum patrem, & est certum votum de ingressu in religionem non obligare filium.

17. Sed quæret aliquis an dari possit casus medius in quo habens votum religionis non teneatur ad voti obseruantiam, & tamen possit illam seruare non violata lege naturali, nam aliquos viros doctos in hoc deceptos esse refert Suarez dicto *liber.* 5. *capit.* 5. *num.* 17. Respondetur verò, & dicitur primo nullum similem casum medium dari posse. Sed in omni casu in quo habens votum religionis potest non ingredi religionem, simul tenetur non ingredi, & sic ex ea causa qua non tenetur simul necessitatur vt ingrediatur. Quia quantum sit ex hac parte, non excusatur nisi ex fortiori vinculo legis naturæ, scilicet in eo casu in quo lex naturæ obligat ad non ingrediendum in quo casu etiam tenetur non ingredi. Ita Suarez *num.* 18. Quod si dicas dari posse casum, in quo lex naturæ non prohibeat ingressum filij in religionem, & tamen ex circumstan-

tijs reddat non ingressum meliorem omnibus pensatis, & sic voti obligatio cesset ex eo, quod executio voti sit impeditiua maioris boni; Vndè tunc, qui habet votum non tenebitur ingredi, & tamen nec tenebitur remanere, sed ingredi poterit. Sed duo dicuntur. Primum est, quod si non sit præceptum obligans ad non ingrediendū religionem, & alias adest votum de ingrediendo illam, non videtur quomodo omnibus pensatis possit esse meliùs non ingredi ex hac parte, vt obsequium præstetur parenti (quidquid sit de alijs causis, ex quibus contingere possit, vt ingredi sit minùs bonum, vel etiam malum) quia promissio facta Deo, & obligatio religionis in Deum præponderabit omni motiuo, quod ex parte patris adduci possit, si motiuum sit tale, quod legis naturalis pietatis in patrem transgressionem non inducat. Dicitur secundò, quod cum de obligatione voti constet, quod iam secundum se est de bono meliori, quod hic, & nunc in singulari ex accidenti factum sit minus bonum id, quod fuit voto promissum, non erit tam certum, vt voto ligatus propria authoritate, sine superioris dispensatione possit se à voti obligatione eximere. Et ita de facili poterit quidem contingere, vt adsit causa rationalis petendi dispensationem, non tamen, quod detur causa tam certa, vt propria authoritate possit, qui vouit, se declarare exemptum à voto.

18. Sed iterum dices, dari posse hunc medium casum, in quo habens votum religionis, nec ex necessitate parentum teneatur non ingredi, nec ex voto teneatur ingredi, sed vtrumque sit in sua libertate. Nam hic casus contingit, si necessitas parentum sit dubia, vel sit solum probabilis, in eo enim casu votum erit dubium, vel saltem erit probabile, quod non obliget, & ita poterit vouens, quam partem voluerit eligere. Sanchez dicto cap. 21. num. 9. tenet, quod si necessitas parentum sit dubia, quod tunc voto religionis astrictus teneatur ingredi religionem, quia in eo casu potest ingredi ea necessitate non obstante; igitur tenetur ingredi. Sed si necessitas parentum sit probabilis, & ex vtraque parte sit probabilitas, quod liberum sit vouenti sequi quā partem voluerit, quia tunc probabile est etiam, quod votum obliget, & quod non obliget, & ideò, qui vouit quamlibet partem potest eligere. Sed primò hæc non dicuntur consequenter; quia si vbi necessitas est dubia, qui vouit tenetur ingredi, quia licitè potest ingredi; ita si necessitas sit probabilis tenebitur ingredi, quia licitè potest ingredi, si enim hæc ratio valet, vbi dubiū est votum obligare, vel non obligare, cur non erit valida vbi probabile est votum obligare, & non obligare, si sine peccato licet opinionem probabilem sequi? Sed præterea resolutio ipsa in se non subsistit, & veritas est non dari talem casum medium, vt Suarez tradit num. 16. & 17. Ratio est, quia vt probatum est, non est licitum filio deserere patrem in necessitate existentem, nisi sit certus eum grauiter non indigere sui ope, sed posse suæ necessitati subuenire aliundè, vel non esse in statu grauis necessitatis, hoc enim est id, ad quod lex naturalis obligat, vndè si est dubius an necessitas patris sit leuis an grauis, vel si solum de hoc habet incertam probabilitatem, iam est certus se ex lege naturali teneri ad non deserendum obsequium patris. Secundò nam licet Sanchez *l.4. mor. c.6. num.6.* teneat, quod vbi dubium sit an materia voti sit, vel non sit honesta, votum non obliget, vbi verò materia sit probabilis liberum sit vouenti partem quamlibet eligere, tamen & hæc sententia non admittitur, sed vbi dubium sit de materiæ honestate, necessariam esse declarationem, & dispensationem voti deducitur ex D.T. *supra q.89. a.9. ad tertium*, & tenent Sylu. *v. iuram. 5. q. 1.* Soto *l.7. de iust. q.1. num.3.* & Ildefonsus de conscientia *disp. 219. dub.12. num. 1298.* Palaus de conscientia *disp. 3. p. 12. num. 1. tom.1. & tr.16. disp. 1. num.7. §.5. num. 6.* Suarez *tom.4. de relig. l.4. cap.6. à num.12.* Merolla *tom.1. d.3. cap.3. num.123.* Bardus de conscientia *disцep. 6. cap.1. §.10. num. 4.* & probarunt *ex cap. Venerabilem §. ibidem de elec.* & Gloss. *ibid.* & quia nulla est possessio pro libertate, sed possessio est pro voto de quo constat, fuisse emissum. Ideò petenda est dispensatio, nisi in casu ita repentino, vel vrgente, in quo non sit tempus adeundi superiorem, & sit necessitas alterum operandi; quia tunc fugiendum est periculum operandi inhonestè, & abstinendum a voti executione. Quod Bardus intelligit, verum esse etiam vbi materiæ honestas, sit probabilis, & non certa, quia tenet adeundum esse superiorem, vbi qui vouit non possit, aliundè habere certitudinem de materiæ honestate. Vndè in nostro casu, si adesset dubium, quod non adest; non posset, qui vouit propria authoritate quamlibet partem eligere, sed teneretur dispensationem petere. Dubius enim de materia voti tenetur diligentiam facere, vt inueniat veritatem. Hæc est verò via veritatem inueniendi in dubijs superiorem consulere.

19. Quæ verò dicta sunt de ingressu religionis non intelliguntur solum de susceptione habitus religiosi, sed de professione præcipuè, per quam filius iam moritur mundo, & patri, & tradit se ipsum ad obsequia religiosa in perpetuum. Ideò si filio existente nouitio superueniat parentibus grauis necessitas, pro qua subleuanda sit necessarius reditus filij ad parentes, tenetur filius egredi etiam si habeat votum religionis, vt tradunt Io. de Neap. D. Anton. Tabien, Sanchez, Suarez locis citatis, Nauar. *com. 3. de regul. nu.48.* Emanuel Sà *v. religio num.3.* Palacios *4. d. 38. d.2. in solut. ad tertium.*

SVMMARIVM.

1 *An sub nomine parentum veniant auus auia &c. nu.20.*
2 *Nepos graui necessitate aui et aliorum ascendentium impeditur à religione. nu.21.*
3 *Sub nomine parentum veniunt ascendentes. nu. 21.*
4 *Auus tenetur alere nepotem. nu.21.*
5 *Et hoc verum etiamsi Nepos habeat votum religionis. nu.22.*

20. Quæ-

-14 12

20. Quæstio autem esse potest, an hæc filiorum obligatio extendatur ad alias personas, quam ad parentes, scilicet quam ad patrem, & matrem. Est autem ex duplici capite quæstio. Primum an extendatur ad ascendentes, scilicet auum, auiam, proauum, & proauiam, & sic etiam ad remotiores, si existant. Secundum an extendatur ad fratres, & sorores, & alios consanguineos. Quantum vero ad primum Suarez *d.l.5. cap.5. num.9.* loquens etiam in casu extremæ necessitatis censet ea necessitate aui, & aliorum ascendentium nepotem non necessitari ad omittendum, vel diu differendum ingressum religionis nisi ex charitate; quæ quidem in casu extremæ necessitatis obligat ad subueniendum proximo indigenti de bonis, quæ habentur, & non sunt habenti necessaria ad sustentationem vitæ, sed non obligat ad procurandum bona temporalia, nisi quando, & breui tempore, & sine labore multo id fieri possit. Ita ergo nepos ex charitate tenebitur quidem ascendentium necessitati prouidere de bonis, quæ habet, & si breui tempore differendo ingressum potest subuenire, in quo maior ratio habenda erit consanguineorum, quam aliorum pro quanto ordo charitatis requirit, vt consanguinei, & præcipuè ascendentes magis diligantur. Sed tamen specialis obligatio, quam ex virtute pietatis, & ex lege naturali honorandi parentes habeat filij respectu patris, & matris ad hoc non obligat. Quod probatur, tum quia authores omnes singulariter hoc dicunt de parentibus, nulla facta mentione de auo. Tum quia auus valdè remotè se habet ad nepotem, nec per se illi contulit esse. Tum quia auus non habet obligationem alendi nepotem, vel thesaurizandi illi. Tum quarto, quia esto nepotes ex pietate obligentur ascendentibus, hæc pietas non facit, nisi quod illi præferendi sint secundum ordinem charitatis, vel quod maiora obsequia illis debeantur, non tamen cum tanto dispendio, & præsertim per multum tempus. At è contra Sanchez *dicto l.4. cap.30. nu.28.* loquens in casu strictiori de filio professo censet, quod nomine parentum veniant ascendentes in proposito nostro, & sub nomine filiorum nepotes ascendentium, quantum ad necessitatem, & obligationem sibi mutuo subueniendi in necessitatibus, quia ascendentes sunt nepotum hæredes necessarij, & quia sibi mutuo debent præstare alimenta; si necessitas premat,

21. Et hæc sententia est priori præferenda. Quam tenent D.T. *supra q.101 a. 1.* & ibi Caiet. Valent. *disp. 7. q. 1. puncto 5.* Lessius, & Layman., quos refert & sequitur Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 7. §. 5. num. 4.* Nam ascendentes veniunt sub nomine parentum, lege *appellatione parentis 51. ff. de verbor. signific. & l. iusta interpretatione 201,* eodem titulo. Fagnan. *cap. ad extirpandas n. 46. de filijs presbyt.* & ex d. l. *iusta* habetur, vbi quod hoc procedat atenta propria vocis significatione. Et quod habent locum in quibuscumque statutis, & dispositionibus, etiam si stricta interpretatio adhibenda sit, probat pluribus Gratl. *discep. for. cap. 977. num. 3. & 4.* & quod nomine matris veniat auia probat ibidem *num.* 5. Cum ergo communiter DD. nulla facta exceptione dicant filium non posse ingredi religionem, si relinquat parentes in necessitate, ad quam subleuandam necessaria est opera filij extra religionem manentis, sub nomine parentum etiam comprehenderunt ascendentes, cum talis sit legitima significatio dicti nominis. Secundò, quia tenentur ascendentes, & ad alimenta nepotum, & ad subueniendum eorum necessitatibus in defectu patris, & matris ac si essent patres, & matres eorum. Quod adeò verum est, vt auus nepotes etiam spurios alere teneatur, vt docent Lara, Vincentius de Franchis, Peregrin. Surd. D. Barbosa, Perez, Anton. Gomez, & Sanctarel. apud Barbosam *lib. 4. decretal. tit. 15. cap. cum haberet 5. num. 8.* & Molina *disp. 168.* & Azor. *t. 2. l. 2. c. 12. q. 6.* Et è contra filius etiam spurius obligatione iuris naturalis est obligatus ad alendum auum, vt apud eundem Barbosam ibidem *num. 9.* docent Menochius, Lara, Surdus, Ascan. Clemens, Lancellot. Gallia, Pradel, Cardoso, Rebellus, Sanctarel. & Mol. *tr. 2, d. 22.* Azor. *t. 2. l. 2. c. 3.* Sayrus *in claui regia l. 7. cap. 5. nu. 15.* Vbi igitur auus, vel alius ex ascendentibus sit nedum in extrema, sed in graui necessitate, si illi non potest subueniri, vel si non subuenietur, nisi subueniat nepos non religiosus, non potest nepos ingredi religionem. Et semper hic considerandum, quod supra dicebamus, scilicet non sufficere, quod dentur alij qui possint subuenire, imò qui teneantur, si non sunt subuenturi; quia respectu necessitatem patientis, qui non sunt subuenturi se habent ac si in mundo non essent, & ipse est in tali necessitate, cui subuenire tenetur nepos, ac si nullus alius, esset, qui subuenire posset. Et hoc confirmatur, quia naturali iure nepotes, & filij nepotum sunt in potestate aui, seu antiquioris ex ascendentibus, & ipse est familiæ caput, & nisi illos emancipet de iure naturali habet illos sub sua potestate veluti pater communia omnium, quibus omnibus ex naturali instinctu tenetur thesaurizare. Sic enim Iacob nepotum suorum curam habebat, & à principio mundi, vsque modo antiquior ex ascendentibus fuit semper familiæ caput, habens totius familiæ gubernium, vnde vice versa filij, & filiorum filij in infinitum tenentur ex virtute pietatis, & naturali lege honorare ascendentes suos, vt primos patres, aut matres. Vt autem ex Mat. *cap. 15.* docet D. T. *supra q. 101. a. 2. ad primum* in honoratione debita parentibus continetur etiã subuentio in necessitatibus, quam filij parentibus debent. Et per hæc satis soluta sunt motiua Suarez.

22. Hinc verò deducitur hæc esse vera, etiã si nepos habeat votum religionis, prout supra de patre dicebatur. Eadem enim militat ratio, quia votum respicit opus consilij, nec præiudicat obligationi iuris naturalis; cum igitur quis ex præcepto naturali tenetur non ingredi religionem votum ad id non obligat.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Frater ex graui necessitate fratris non impeditur simpliciter à Religione.* nu. 23.
2 *Nisi fratres viuant simul sub cura parentum.* nu. 24.
3 *Vel nisi ad differendum per breue tempus.* numer. 25.
4 *Hæc obligatio est ex virtute pietatis.* numero 25.
5 *Quid si frater habet votum religionis.* nu. 26. 27. 28.
6 *Quid dicendum respectu aliorum consanguineorum.* nu. 29.

23. SEcundum verò quæsitum aliter resoluitur. Nam primo dicitur fratrem, ex necessitate aliorum fratrum etiam sororum non impediri absolutè, quin possit religionem ingredi, imò cum nec ex vi talis necessitatis necessitari ad hoc, vt longo tempore differat ingressum religionis. Ita Suarez *dicto lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. num. 3. & Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 20. *nu.* 30. Palaus tr. 16. *disp.* 1. *p.* 7. §. 5. *num.* 12. & alij communiter. & ratio est, quia respectu fratrum cessat ordo ille, & nexus qui est inter principium, & eius quod est à principio, quod est fundamentum debiti naturalis, quod est inter Parentes, & filios; sed inter fratres est solus ordo similitudinis, quia omnes ab eodem principio sunt; ideo inter fratres non est illud debitum speciale subueniendi se inuicem, qui est inter filios, & parentes. Ideò DD. solum de filijs asseruerunt, quod teneantur subuenire parentibus taliter, vt non possint ingredi religionem desertis parentibus in graui necessitate. Quod de fratribus non asseruerunt.

24. Limitat tamen hoc Suarez, quem sequitur Palaus *num.* 12. nisi fratres viuant adhuc simul sub potestate patris, & sub illius curà, & gubernio; & limitatio est fundata, quia tunc fratrum necessitas, est necessitas parentum; cum enim parentes teneantur alere filios, si non habent vnde eos sustenteur, iam illi sunt in graui necessitate, & ita quilibet fratrum tunc tenetur succurrere pro posse parentibus necessitatem patientibus, & illorum nullus potest parentes suæ auxilio in tali necessitate relinquere. Quotiescumque igitur fratrum necessitas est moraliter necessitas parentum, eadem obligatione, qua filius tenetur subuenire necessitati parentum, tenetur subuenire necessitati fratrum, quia tunc fratrum necessitas est necessitas parentum.

25. Admittitur verò fratrem, si de præsenti potest, vel si ad breue tempus expectando potest occurrere necessitati fratrum, & maximè sororum, & præcipue ad vitandum periculum incontinentiæ teneri subuenire, & etiam aliquantisper differre religionis ingressum. Sed & dubium hic esse potest, an hoc debitum sit solius charitatis, an sit potius pietatis, & specialis legis naturalis. Nam Suarez loco citato *num.* 4. quem sequitur Palaus *d. num.* 12. docet esse debitum charitatis; & quia parua dilatio pro nihilo computanda est, ideò frater fratri in necessitate existenti tenetur succurrere etiam cum illo paruo dispendio illius paruæ dilationis. Sed oppositum est dicendum. Nam virtutem pietatis respicere etiam fratres, & consanguineos, tradunt D.T. *supra q.* 101. *a. p.c.* & *a.* 2. *ad tertium*. & ibi Caietanus, & licet pietas obliget principaliter in ordine ad parentes, nihilominus obligat etiam alijs secundum propriam facultatem, & decentiam personarum; ideò contra rationem naturalem est velle, vt fratris respectu fratrum, & sororum non sit nisi obligatio charitatis, quæ omnes respicit, taliter, vt ex pietate quæ respicit fratres, vt sunt ex eisdem parentibus non habeant specialem obligationem mutuam adiuuandi se inuicem in necessitatibus: Ideò licet verum sit, quod pietas non obligat fratrem ad non deserendum fratrem absolutè cum tanto dispendio, quantum est manere in seculo subiectum tot periculis animæ, & corporis, obligat tamen ad aliquid amplius, quam obliget charitas. & ideò obligat ad aliquam breuem dilationem maximè, quod etiam in sæculo potest frater exercere opera perfectionis, & cum perfectio in charitate Dei, & proximi consistat, non perdet coram Deo, si tantisper differat ingredi religionem, vt succurrat fratribus, & præcipuè, vt impediat Sororis lapsum, & infamiam.

26. Dubium verò remanet, an si frater habeat votum religionis, possit propria authoritate differre religionis ingressum, vt fratris vel sororis necessitati subueniat, & ita etiam an ex eadem causa eundem ingressum differre teneatur. Nam Suarez *num.* 5. quem sequitur Palaus *d. p.* 7. §. 5. n. 13. nedum censet fratrem in hoc casu non teneri differre ingressum religionis, sed nec posse illum propria authoritate differre, licet habeat causam iustam petendi dispensationem. Ratio eius est, quia hic nulla datur causa, quæ reddat votum nullum, & ex consequenti quæ eximat à voti obligatione independenter à superioris dispositione. Assumptum autem probatur, quia cum duplex sit causa reddens votum nullum, vel scilicet, quia materia sit incapax voti, vel quia creditur, quod in tali casu non fuerit sub intentione vouentis: hic nulla istarum causarũ concurrit. Non prima, quia respectu fratris non est prohibitus ne ex necessitate alterius fratris ingressus in religionem. Non secunda; quia ordinariè non solent homines sumere curam fratrum cum tanto onere, & obligatione.

27. Sed melius cum Sanchez *num.* 31. distinguitur, quia vouens, vel vouit religionis ingressum indefinitè, vel determinatè, & statim. Si vouit indeterminatè, licet hoc votum obliget ad citiùs, tamen obligat sub conditione, vt citius, scilicet quam citius commodè fieri potest; non potest verò commodè ingredi religionem, qui habet fratrem in graui necessitate, vel sororem in periculo impudicitiæ ex paupertate constitutam, cui necessitati potest ex parua dilatione subuenire. Ideò non tenetur statim, statim ingredi; quia ad hoc non se obligauit ex voto, quia non se obligauit ad intrandum cum tanta incommoditate. Et ita hoc est verum etiam de dilatione longiuscula, & de ea, ad quam licet non teneatur

ex rigoroso debito, vel pietatis, vel charitatis tenetur ex quadam decentia, & quis non potest non esse molesta fratri fratris, necessitas, & infamia sororis redundat in fratrem, vnde incommodum magnum, & molestia grauis remaneret ei, qui vouit, & non posset sub habitu religioso non occupari tristitia, & amaritudine animi, dum recordaretur se reliquisse fratrem, vel sororem in magna egestate cui poterat facilè subuenire. In hoc casu autem voti non determinati ad tempus Palaus tr. 16. d. 2. p. 7. §. 5. num. 13. putat votum posse differri prudentis arbitrio. Sed si vouit ingressum religionis statim, aut determinato tempore ad hoc Sanchez putat licere differre ingressum solum propter vitandum periculum impudicitiæ sororis, si hoc proueniat ex eius paupertate, non verò ob alias causas, quia quilibet vir prudens iudicaret in eo casu maioris obsequij diuini esse tunc prouidere periculo sororis, quam religionem statim ingredi, & sine mora. Hoc tamen impugnat Palaus, quia si hæc ratio valeret, sequeretur quod iste frater in hoc casu possit propria auctoritate commutare votum in tale subsidium. Sed idem impugnatur, quia si lex pietatis, & charitatis non obligat ad manendum implendum est votum. Et si habeatur recursus ad obiectum, quod sit de meliori bono, quia nimirum sit melius præbere sorori remedium differendo ingressum religionis, recurrendum erit ad superiorem, si de hoc meliori bono non constet manifestè.

28. Ideò adhuc distinguitur casus: quia vel vouens dum vouit periculum præcognouit & necessitatem, vel non cognouit. Si non cognouit adhuc dici potest votum non obligare ad statim, quia non est verisimile, quod voluerit se obligare cum tanto incommodo ad statim statim ingrediendum, eo magis, quod dilatio ingressus de se non est retardatio operum perfectionis, quas vouens potest si velit habere etiam in habitu sæculari, exercitium autem operum indifferentium ex genere, sed quæ sunt instrumenta perfectionis, non est tantæ perfectionis, & vtilitatis, & non est Deo tam charum, vt ad breue tempus non possit ommitti propter opera charitatis; ex alia verò parte necessitas fratris, licet valdè grauis, & præcipuè necessitas sororis cum periculo impudicitiæ, est necessitas eius, qui vouit, vt se liberet ab amaritudine magna, & à periculo infamiæ, quæ in eum redundaret si cognosceretur esse frater meretricis: Imò est necessitas promouendi honorem Dei, & salutem proximi, & vitandi peccatum. Sed si dum vouit necessitatem cognouit, vel si habuit intentionem omnino nullo obstante impedimento simili ingrediendi statim religionem, videndum est an ex charitate, imo & ex pietate teneatur succurrere fratri, aut sorori. Et quidem ex vna parte considerandum est, quod si non valet frater ex sua paupertate subuenire sororis, aut fratrum necessitati ex his, quæ habet actu, & potest, & tenetur illis communicare, rarius contingere poterit, vt ad breue tempus possit tantum acquirere, vt eidem necessitati subueniat, vnde subuenire erit sibi impossibile, & ita tenebitur statim ingredi religionem, quam vouit, quia parua dilatio non est sufficiens ad subueniendum fratrum necessitati. Sed si parua dilatio sit vtilis, vt si in paruo tempore ex hæreditate accepturus esset vnde posset necessitatem fratrum, & & præcipuè sororis subleuare. Ego puto talem ac tantam esse posse necessitatem fratrum, vt frater nedum ex charitate, sed ex rigoroso debito pietatis teneatur subuenire sine magno sui incommodo, & talem necessitatem, credo esse periculum impudicitiæ sororis, ad quod vitandum credo fratrem teneri etiam ex charitate erga se ipsum; Et alias breuem dilationem ingressus in religionem puto nullius esse detrimenti, sed esse vtilitatis volenti ex puro corde obsequium Dei, quia non ingressus non impedit opera virtutum, & perfectionis, & alias liberare sororem à periculo, & de manibus diaboli, est opus perfectissimum, & Deo gratissimum: si ergo simus in casu in quo frater, & possit, & teneatur differre aliquantisper ingressum, vt sorori, vel etiam fratri subueniat, votum non obligat, quia non obligat contra præceptum charitatis, vel pietatis, Sed si non tenetur expectare, non potest ingressum differre sine superioris authoritate.

29. An verò doctrina hæc extendi debeat ad alios consanguineos, non audet id asserere Sanchez; Nihilominus cum proportione potest doctrina accommodari. Et quidem certum est, quod charitas, & pietas cæteris paribus minus obligant respectu aliorum consanguineorum. Sed nihilominus, & circa alios consanguineos pietas aliquo modo obligat, & eorum miseria non potest non esse aliquo modo molesta, vnde in casu in quo vouens vouerit ingressum non determinandum tempus, potest esse quod accelerationibus sit valdè molesta vouenti, si ex hoc impeditur ne consanguinei necessitati subueniat, & ideò quod ad accelerandum votum non obliget. Sed si vouens vouit determinate ingressum, vt sine dilatione habendum, cognito statu, & necessitate sui consanguinei, nec ego auderem excusare illum ab obligatione voti, nisi circumstantiæ aliud postularent. Nam certè in his attendendum est maximè etiam ad eum qui vouit, & ad parentes eius etiam mortuos, & ad decorem familiæ, & nominis, & considerandum, quod necessitas consanguineorum redundare potest in necessitatem familiæ, & generis, & eiusdem vouentis, qui non se de facili à molestijs sæculi liberabit, si reliquit consanguineos necessitatem patientes, & sic in habitu religioso occupabunt eum mundi sollicitudines. Quod si ab his possit se expedire differendo paulisper ingressum erit certè illi vtilius etiam quantum ad animam. Et ideò videndum esset in casu, an votum esset conditionatum, & præsumi posset, & deberet eum non voluisse se ad statim implendum votum cum tanto incommodo; sed vt dicebam raro ac rarius continget vt per breuem dilationem ingressus in religionem possit quis consanguineorum necessitati simpliciter subuenire, eosque ad statum non patiendi necessitatem subleuare, nisi actu habeat in bonis eorū, necessitati succurrat. Nam alias pro paruo & temporali remedio non obligatur ad differendam suā securitatem in religione obtinendam, in qua melius etiam prouidere poterit si, non dando pecuniam, commendando alijs pijs personis, & col-

& collocando præcipuè sorores apud personas honestas, vndè inseruiendo illis honestè viuat. Et sic semper considerandum est, quod nulla necessitas etiam parentum obligat ad non ingrediendam religionem, nisi duabus conditionibus positis, scilicet, quod qui religionem vult ingredi possit extra religionem subuenire necessitati, & quod non possit hoc auxilium sufficiens ferre si sit religiosus, & altera harum duarum conditionum deficiente ingressus religionis non impeditur.

SVMMARIVM.

1 *Filius qui manendo in obsequio patris; est proximo peccandi periculo non potest ad Religionem transire si aliter non potest vitare periculum. nu.30.*
2 *Si filius à Parente inducantur ad malum, non tenetur ad eius obsequium. nu.31.*
3 *Quid vbi filius prouocatur, sed non inducitur ad malum. nu.32.*
4 *Filius si perpetuo sollicitetur ad malum, etiam si non consentiat potest patrem deserere. numer. 33.*
5 *Quid si filius prouocatus habet votum religionis. nu.34.*
6 *Prouocatus ab vno parentum non debet ab innocentis obsequium deserere. nu.35.*
7 *Quid vbi filius prouocatur ad veniale: numer. 36.*
8 *Filius habet iuris tendendi in perfectionem, & vt non impediatur in hoc, & contra impedientem potest se defendere. nu.37.*
9 *Necessitas subueniendi extremæ necessitati non impedit a perfectione. nu.38.*
10 *Multiplex impedimentum perfectionis. numer. 38.*
11 *Peccatum veniale opponitur perfectioni. numer.39.*
12 *Prouocari ad malum, sed sine consensu est materia perfectionis. nu.39.*
13 *Nunsemper ex eo, quod filius inducitur ad malum adest causa deserendi patrem in necessitate. nu.40.*
14 *Scandalum passiuum sumptum a filio ex patris malo exemplo non excusat, dat causam iustam deserendi perpetue patrem in graue necessitate. num.41.*
15 *Quid si filius cogatur ad malum. nu.42.*
16 *Pater non potest filio prohibere opera bona. nu. 43.*
17 *Qualiter hæc prohibitio dare possit causam iustam deserendi patrem. nu.43.*
18 *Intuitu perfectionis non potest patrem deserere, qui perfectioni non incumbit. nu.44.*

30. REdeundo autem ad obligationem non deserendi parentes in necessitate propter religionis ingressum duæ exceptiones dantur à DD. in quibus filius non obstante parentum necessitate possit religionem ingredi; Prima est, si filius manens in sæculo sit in periculo peccandi mortaliter. Sic enim tradunt D. T. *supra q. 101. a. 1. & quodl. 10. a. 9.* Alens. *3. p. q. 33. num. 4.* Sylvest. Tabien. Corduba pluries citati Toletus *l.5. cap.31. num.6.* Palaus *tract. 16. disp.1. p. 7. §.5. num. 7.* Primò tamen aduertendum hanc exceptionem locum habere non posse respectu extremæ necessitatis, quia hæc necessitas citissimè transit regulariter loquendo, & ita non potest regulariter loquendo habere coniunctum tam grande periculum peccandi, vt illud filius vitare non possit extra religionem. Sed præterea non sine explicatione, & limitatione admitti debet hæc exceptio. Et quidem quatuor conditiones habere debet hoc periculum, ad hoc vt excuset filium ab obligatione non manendi in sæculo ad obsequium parentum. Prima est vt sit periculum proximum, vt tradunt Corduba, & Sanchez, & Palaus sed melius Suarez ait, debere esse periculum extraordinarium, nam in quolibet sæculari est ordinarium probabile periculum peccandi mortaliter, vndè si hoc sufficeret, melius diceretur absolutè, filium non teneri manere in sæculo ad parentum obsequium, etiam eorum necessitate supposita. Inde secundo necesse est, vt sit circa materiam determinatam; nam periculum peccandi vagè in hac, vel illa materia est periculum commune, & ordinarium, a quo homo nec tam de facili, nec tam citò se liberat, etiam religionem ingrediendo. Et considerandum, quod in casu in quo ratione periculi peccandi filius non tenetur ex necessitate Patrem deserere, quia tunc nec potest id facere, ideò nec Prælati Religionum talem filium ad habitum possunt recipere, quia non possunt alterius peccato cooperari. Clauis regia *l.7. cap. 6. num.12.* Tertia conditio est, vt proximum hoc peccandi periculum sit ortum ex obsequio paterno, seu ex circumstantijs ab eo inseparabilibus. Nam si oritur ex circumstantijs separabilibus ab obsequio paterno, tenebitur filius aliundè remouere causam periculi, & parentibus inseruire, prout ex naturali præcepto tenetur. Quarta conditio est vt periculum sit tantum ac tale, vt obliget ad ingressum religionis; quia aliter si periculum non sit tale, quod obliget ad fugiendum sæculum, non dat licentiam fugiendi cum tanto damno parentum, & excusando ab obligatione præcepti naturalis erga parentes, vndè si potest causam periculi vitare manendo in obsequio parentum; & non est tale periculum, quod obliget filium ad fugiendum seculum, non est vnde velit propter hoc, nimirum huius periculi intuitu, parentes in necessitate deserere Suarez *d. l. 5. cap.5. n. 32.* Palaus *d. p.7. §.5. num. 7.* Ideò vere in praxi hæc exceptio non est admittenda nisi cum magna prudentia. Erit ergo periculum vitandum, quando vel moraliter impossibile est, vel valde difficile, quod filius manens in seculo abstineat, vel aliqua specie peccati determinata, vel ab aliquibus determinatis; ita quod hoc periculum sit speciale, & ex speciali causa, & infirmitate ipsius filij, non verò ex generali infirmitate naturæ lapsæ.

31. Sed secunda exceptio est huius primæ explicatio, & magis in speciali tangit punctum; scilicet, si parens prouocet filium ad peccandum. Iam enim peccandi periculum oritur ex parente, & est

& est inseparabile ab obsequio parentis. Et ita hanc exceptionem ponunt D.T. *supra q.* 101. *a.* 4. & Caiet. ibid. Tabien. *v. pietas q.* 1. & ibi Armil. ia Paiaus vbi supra, Sanchez *d. nu.* 11. Hinc verò primò ex Caietano benè Suarez *dicto l.* 5. *c.* 5. *n.* 31. distinguit inductionem ad malum, a prouocatione; Nam ad malum inducitur, qui peccato consentit, sed prouocatur ad malum, etiam qui tentationi resistit. Pro certo autem habetur, quod si filius à parente inducitur ad malum, quia tentatur, & ipse consentit, aut consentiet si prouocetur, excusatur filius à parentis obsequio, Quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, ideò quia filius videns se ex sua imbecillitate sucumbere, & ex malitia parentis obsequium illius esse sibi scandalum, tenetur vitare obsequium parentis, ex quo inducitur in malum. Et hoc est verum; vt tradit Sanchez *num.* 12. etiam si filius nondum consenserit, sed videat se esse in proximo consentiendi periculò, quia cum hoc periculum veniat ex parentis malitia, tenetur filius id vitare. Hoc tamen etiam non nisi cum quadruplici conditione est admittendum. Prima scilicet, vt periculum peccandi, seu ruina animæ filij sit inseparabilie ab obsequio paterno. Nam si separabilis est, debet dari remedium animæ filij aliundè, sic si sufficit, quod filius separetur à consortio patris, & viuat veluti emancipatus in alia domo, hoc fieri debet, & interim filius obsequium præstabit patri, succurrendo eius necessitati. Item si prouocatio ad malum non sit à patre, sed ab alio, & possit præberi remedium, vel remouendo prouocantem, vel alio simili modo; absque eo quod patri negetur succursus debitus debebit id fieri. Ideò secunda conditio est, quod tale sit periculum, nimirum tam proximum, & ruina animæ filij tam imminens, vt filius ex lege fortioris virtutis, præcipue ea lege charitatis teneatur deserere patrem in sua necessitate. Non enim est dabilis casus medius in hac parte; quia si nulla alia fortior virtus obstet, & obliget ad deserendum patrem, sed filius nulla alia virtute obstante, & impediente potest præbere obsequium patri, & eius succurrere necessitati; ad id tenetur, seu certè non ex eo excusatur, quod inducatur ad peccatum per se ex obsequio paterno, vel ex causa inseparabili ab eius obsequio; quia hoc dato lex charitatis, & illius virtutis contra quam filius inductus peccat, obligat eum ad patrem deserendum. Quod si non adest hæc obligatio patrem deserendi, signum est, quod in filio scandalum passiuum non oritur inseparabiliter ea eo, quod Pater illum prouocet, vel quia prouocetur ab aliquo inseparabili ab obsequio paterno. Nam si sic esset ea hoc teneretur patris obsequium derelinquere, quod sibi esset causa peccandi, & sic imminens ruina animæ filij vt liberet eum ab obsequio patris, debet esse talis, qua supposita filius nedum possit, sed teneatur patrem derelinquere in sua necessitate. Tertia conditio est, vt vterque parens sit in culpa, & prouocet filium ad malum, nam si eorum alter sit innocens, & eius obsequium sit separabile à ruina, quæ imminet filio ex alterius parentis scandalo, tenebitur filius præbere animæ suæ remedium, & etiam innocentem parentem non deserere, & non ingredi religionem, si factus religiosus non possit illius innocentis succurrere necessitati. Vnde est etiam, quod uno existente innocente, si pater sit malus, & inducat filium ad malum, non poterit filius deserere suum si possit eius necessitati succurrere, sine periculo animæ suæ. Et tunc adhibito remedio animæ suæ etiam parentis prouocantis ad malum necessitati tenebitur prouidere, quia id poterit præstare, sine animæ suæ periculo. Sed & puto addendam esse quartam conditionem, vt si prouocatio parentis sit solum indirecta, scilicet per exemplum malum, & filius non ex infirmitate, sed ex malitia patrem imitetur, & possit de facili si vellit patrem non imitari, & benè viuere non liceat illi patrem deserere, quia malitia filij non debet ei suffragari, vt sit liber ab onere pietatis erga patrem, Ideò filius ex malitia peccans tenetur vitare peccatum, & patrem in necessitate non deserere, & tunc ruina filij non est inseparabilis moraliter ab obsequio paterno, quia filius potest de facili malitia relicta à peccato abstinere, & debitum paternæ pietatis implere.

32. Sed loquendo de prouocatione, quæ est quando filius tentatur, sed non consentit, duo pro certis habentur. Primũ est, quod vbi ex hoc filius constituatur in proximo periculo peccandi, quod debet abstinere ab obsequio parentis, quia qui amat periculum peribit in illo. Ita Suarez *num.* 34. & Sanchez *num.* 12. Secundum est, quod si ea hac prouocatione non constituatur in mortali periculo peccandi, non tenetur filius ab obsequio parentis prouocantis recedere. Ita Caiet. Suarez, & Sanchez citati, quia tunc non adest ratio recedendi ex parte filij, quia imò eius virtus magis probatur, & ex patris prouocatione non recipit damnum, ex quo teneatur relinquere debitum filij erga parentem, Sed quæri potest an filius in hoc casu teneatur abstinere ab obsequio parentis ex charitate, vt parentis peccatum impediat, Nam licet non peccet filius, peccat parens. Respondetur verò, quod si potest obsequio parentis non relicto eiusdem parentis peccatum impedire, ad id tenetur ex charitate; quæ nos obligat nedum ad non scandalizandum actiuè alios, sed etiam ad vitandum aliorum passiuum scandalum, si hoc possumus facere, quando id possumus facere alijs nostris obligationibus satisfaciendo, sed si filius non potest vitare peccatum parentis nisi desistendo ab eius obsequio, vel sine alia magna difficultate, non tenetur vitare; ipse enim non est illius peccati causa, & alias non tenetur recedere à naturali obligatione, & à munere subueniendi parenti, ad quod à natura obligatur. Ita Suarez *num.* 35. Hinc quoque soluitur alia difficultas, an scilicet filius teneatur abstinere ab ingressu Religionis ad vitandum scandalum parentum, vel consanguineorum. Aduertendum est enim hoc scandalum regulariter esse pharisaicum, & ex parentum malitia prouenire, vt ait Durand. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4. *num.* 5. & ideò non est eo curandum, Si autem contingeret hoc scandalum esse scandalum pusillorum, & ortum ex ignorantia aut infirmitate, tunc filius tenebitur differre ingressum, donec qui scandalizarentur ex ingressu instruantur, & demonstretur illis

non

non adesse scandali causam; quod si instrui nolint, & capere vim salutaris doctrinæ, iam eorum scandalum non est ampliùs pusillorum, sed ex malitia, & de eo non est curandum: D. T. *supra q. 43. a. 7.* communiter receptus. Imò quotiescumque filio, si statim non ingrediatur, imminet graue periculum salutis, vt si parentes media meretrice eum subuertere conentur, vel si imminet sibi periculum, vt ingressus in religionem illi sit, vel impossibilis, vel valdè difficilis, poterit filius ingredi ex quacumque causa scandalum sit oriturum Clauis regia *l. 7. c. 6. num. 11.* Et tunc sufficiet, si post ingressum filius procuret scandalum remouere. Cæterum semper bonum erit, si fieri possit sine graui periculo animæ filium sic se habere, vt non oriatur quodcumque scandalum.

33. Quæritur autem vlterius, an in hoc casu, in quo parens prouocat filium ad peccatum mortale, cui filius nec consentit, nec est in periculo proximo consentiendi, possit filius patrem deserere in sua necessitate graui, & ingredi religionem. Stat enim, quod ad hoc non teneatur, & tamen ingredi possit. Ideò Caiet. *supra q. 101. a. 4.* videtur tenere, quod in pœnam culpæ parentis possit filius parentem deserere, contra quod arguit Suarez *num. 26.* ex eo quod filius non sit parentis iudex, vt illum valeat punire; & secundò quia parens prouocans filium ad malum non propter hoc priuatur iure suo, & cessat in filio debitum pietatis, quod est etiam fortiùs debito iustitiæ, quia licet pietas non sit perfecta iustitia, hoc non est ex defectu, & imperfectione debiti, sed quia tantum est debitum ac tale, quod filius non potest reddere æquale. Sed Suarez quem sequitur Palaus *num. 8.* benè explicat Caietanum considerando, quod in hoc casu, vt puta si pater solicitaret filiam ad turpia, vel mater filium, vt in filio ad vincendum esset necessaria ardua pugna, & magnus labor, & necessitas orationis quasi perpetua, & perpetua vigilia, filius non teneretur cum tanto onere sustinere defectum parentis ad malum prouocantis, & si dicatur ex his sequi dari casum medium, in quo filius nec tenetur non deserere, nec tenetur deserere patrem, contra id, quod dictum est supra *num. 31.* Respondetur dari hunc casum medium, neque id esse contrarium dictis *num. 31.* quia ibi sermo fuit in suppositione, quod filius nedum prouocatur, sed inducitur ad malum, quo supposito casus medius, non datur, ibi est probatum, in eo tamen casu si filius haberet votum religionis, non daretur casus medius, quia cum filius tunc posset deserere patrem, ad id teneretur.

34. Ideò ex hoc etiam videri potest, quod sit admittenda exceptio danda regulæ superiùs positæ, in qua dictum fuit habens votum religionis teneri ingredi religionem quotiescumque potest hoc facere saluo præcepto naturali non deserendi parentem in graui necessitate, dicendum enim videtur, vt in hoc casu habens votum religionis non teneatur illam ingredi, & tamen id possit. Quia quod possit est priuilegium filij cui potest renunciare. Potest enim, quia non tenetur, obsequi parenti contra officium parentis prouocantis ad malum cum tanto sui onere, nimirum cum necessitate diuturnæ cuiusdam, & perseueranti pugnæ, & periculosæ, & arduæ, & nimis molestæ, cui oneri tamen potest, si velit, subiectum esse. Ideò in hoc casu non tenetur religionem intrare, quia non tenetur vti priuilegio hoc, quod est deserere parentem in necessitate, etiam si subire teneatur onus pugnæ diuturnæ, & difficilis, & tamen potest religionem ingredi, quia non tenetur ad parentem prouocantem ad malum cum tanto onere. Sed exceptio non est admittenda, quia neque hic locum habet aliquod priuilegium. Et quia votum si adest, Deo obligat in omni eo casu in quo votum potest impleri. In casu etiam, quod dicta exceptio admitteretur, eam limitat benè Suarez, vt non valeat, si filius velit recedere à parente, sicuti potest ob talem causam, quia si deserit patrem, nullum habet iustum impedimentum non implendi votum, ideò tenetur adimplere. Et sic etiam exceptione illa admissa, votum de duobus facere debet, vel scilicet continuare in obsequio parentis, aut simul cum eo viuendo, aut etiam aliquomodo se obseruando à conuersatione, sed non ab obsequio, vel si vult à parentis obsequio recedere, debet votum adimplere.

35. Et aduertendum, quod si prouocatio non sit à parente, vt si esset à matre non per hoc relinquendum esset obsequium parentis innocentis, nisi esset periculum proximum consentiendi, & hoc posito adhuc deberet facere, quod posset, vt auerteret causam periculi, & quatenus hoc non posset, non per hoc posset religionem ingredi deserta cura parentis innocentis, sed deberet facere, quod posset vt extra domum, & periculum necessitati parentis subueniret, & tunc solum posset religionem ingredi, si vel in religione posset parenti subuenire, vel nulla esset facultas subueniens extra nisi cum probabili & proximo periculo suæ animæ, vt supra probatum est.

36. Sed quæritur ampliùs an ad liberandum filium ab onere sustentandi parentem in casu necessitatis sufficiat, quod parens inducat filium ad peccatum veniale. Nam Suarez *num. 28.* distinguens de inductione directa, & indirecta quæ fit per parentis exemplum asserit, quod si parens directè inducit filium ad mentiendum, vel ad aliud huiusmodi, quod filius si aliter non potest inductionem vitare, debet parentem potius deserere etiam in necessitate; debet, inquam, sub peccato veniali, non tamen, si parens solum indirectè inducat ad malum veniale. Et in hoc ponit discrimen inter inductionem ad mortale, & ad veniale. Quia ad hoc vt filius possit parentem in necessitate deserere, sufficit quod filius à parente siue directè, siue indirectè inducatur ad malum; quia non tenetur obsequi parenti in detrimentum animæ suæ, quod ex culpa parentis prouenit. Sed inductio indirecta ad peccatum veniale non liberat filium ab obligatione obsequij paterni, quia similis occasio in vna vel altera materia non potest in quolibet statu excusari præcipuè in secularium conuersatione. Item quia tunc parens non facit filio iniuriam, nec vim filio infert circa talia peccata, & filius potest si velit non consentire, & si quodammodo ex sua fragilitate non possit, hoc non est magnum detrimentum,

tum, cum maximè id timere poſſit in quolibet alio viuendi modo. Sed huiuſmodi diſtinctio ſola non ſufficit ad punctum explicandum, nec differentia poſita ſubſiſtit. Quia ratio ex qua oritur filij libertas deſerendi parentem in neceſſitate graui, non eſt per ſe ex parte prouocationis, & ſcandali actiui parentis, ſed eſt ex parte inductionis paſſiuæ, & paſſiui ſcandali filij, qui peccare non debet, & ex parte cuiuſdam violentiæ moralis ſeu impedimenti, ex quo filius ex ſua fragilitate non poteſt ſtante tali prouocatione ſine magna difficultate abſtinere ſe à malo; ſed ad hoc per accidens ſe habet, quod parentis prouocatio ſit vel directa, vel indirecta, ſed per ſe conſiderari debet, an ex prouocatione ſtante filij fragilitate conſtituatur filius, vel in peccato, vel in proximo peccandi periculo, vel etiam in ſtatu grauis, & diuturnæ pugnæ, & oneris cum periculo, vt forſan aliquando conſentiat, quod eſt illud, quod dat filio ius fugiendi. Hoc autem fieri poteſt nedum per inductionem parentis directam, ſed etiam per indirectam, ideò vel nulla excuſat, vel excuſat vtraque, quia homo viator non poteſt omnia venialia peccata vitare, & in omni ſtatu, & in omnium conuerſatione inuenit homo occaſiones peccandi, & inducentes ad malum; ideò primo non cenſetur fuga à parente medium opportunum ad fugiendum peccatum veniale, & parum intereſt, quod filius fugiat hoc, vel illud, ſi dum conabitur fugere vnum de facili incidet in aliud. Secundò quia non obligatur parens ad non peccandum venialiter ex iure paterno, cum pro hoc ſtatu id ſit impoſſibile, vnde ius parentis eſt ius hominis, vel mulieris ſubditi, & ſubditæ cuidam neceſſitati vagæ peccandi venialiter, & ex conſequendi inducendi ſaltem indirectè filium ad venialiter peccandum ſuo exemplo, & ampliùs ſubditi, vel ſubditæ cuidam fragilitati, vt aliquando in ordine ad bonum temporale exquirat leuia, quæ quidem non poſſunt eſſe ſine veniali peccato, vel prouocet, aut inducat ad venialia: vt v.g. quia nimis iracundus, ideò parentes quibus cum iſta fragilitate conceſſum eſt ius paternum, non perdunt hoc ius ex eo quod aliquando etiam inducant ad veniale peccatum filios, & ex alia parte detrimentum vagum, quod eſt ex peccatis venialibus, eſt filio quodammodo ineuitabile, & non multum intereſt, quod non incurrat detrimentum huius peccati venialis, ſi hoc vitato incurritur aliud, ſed ad huius reſolutionis euidentiam;

37. Quæritur an ſi parentes ſint filio impedimentū acquirendi perfectionem filio illam intendente, & pro viribus illam procurare volente, poſſit filius deſerere parentes in graui neceſſitate. Idem enim Suarez *num.* 29. diſtinguens ait, quod ſi parens faciat cum filio ne per opera perfectionis tendat in perfectionem, vel ita eum prouocet, vt inducat ad ommittenda perfectionis opera, vt ad non ſeruandam perpetuam continentiam, vel quid ſimile, poteſt filius contra parentem ſe defendere, etiam illam in neceſſitate deſerendo ſi opus eſt, quia ab ipſo filius in hoc caſu pateretur magnam iniuriam, a qua non poſſet aliter ſe defendere, cum habeat ius ſe defendendi ſi autem parens filium non cogat, licet indirectè malo ſuo exemplo det filio occaſionem omittendi opera perfectionis, tunc non poteſt filius patrem deſerere. Dicendum verò eſt, filium habere ius colendi Deum perfectè, & tendendi in perfectionem vitæ ſpiritualis, ideoque ſi parens ex culpa ſua impediat filium ab operibus perfectionis, & ab exercitio virtutum compoſſibili cum ſtatu ſuo, & ſibi conuenienti intra conditionem ſui ſtatus, habet ius ſe defendendi contra parentem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam parentem deſerendi, ſi ſit neceſſe. Et hoc eſt, quod docet D.T. *ſupra q.* 101. *a.* 4. & probat ex Hier. Epiſ. ad Heliodorum. Filius enim eſt ſuæ libertatis in ijs, quæ ad perfectionem pertinent, & licet ſtatus religioſus opponatur ſtatui ſeculari, nec omnia exercitia religioſorum conueniant ſeculari, vel filio familias exiſtenti in ſeculo ſub cura parentum, & poſſent parentes prohibere filio aliqua, quæ propria ſunt religioſorum, & non ſunt ſeculari proportionata, maximè quæ ad externum habitum, & ſimilia ſpectant, tamen in quocumque ſtatu quilibet poteſt, & tendere in perfectionem, & eſſe perfectus. Et in hoc quilibet libertatem habet. Vnde ſi impediatur filius ex culpa parentis, vel imo etiam ſine culpa parentis, manens tamen apud parentem, & in obſequio parentis, poteſt filius contra quemcumque impedientem ſe defendere, & quatenus ſibi, vel impoſſibile ſit, vel valdè difficile manere in obſequio parentis, & ſimul in perfectionem tendere, poteſt, ſi tandem hoc ſit neceſſe, deſerere parentem in graui neceſſitate, vt à vitæ perfectione acquirenda non impediatur.

38. Sed plura hic conſideranda ſunt. Primum quod hic caſus, & ſimiles locum habere non poſſunt in extrema neceſſitate, vt ſupra dictum eſt, quia cum neceſſitas extrema conſiſtat in eo, quod mors de proximo inſtet neceſſitatem patienti, vel per eius mortem citò tollitur omnis indigentia, vel neceſſitas ceſſat, quia proximum mortis periculum non multum durat, & ſic parens exiſtens in extrema neceſſitate non ita poteſt filium ad malum prouocare, vt filius ſi velit non poſſit reſiſtere ad illud breue tempus abſque eo, quod parentem deſerat, & ſic bene poteſt, & non operari malum, & parenti ſuccurrere. Solum igitur per ſe moraliter loquendo parens exiſtens in graui neceſſitate poteſt impedire filium ſimpliciter, ne tendat in perfectionem. Verum conſiderandum eſt ſecundò, & videndum quid ſit impedire filium ne tendat in perfectionem, quia non per impedimentum cuiuſcumque operis boni impeditur homo ne tendat in perfectionem, imo per huiuſmodi impedimenta ſæpius datur homini materia perfectionis, quia datur materia patientiæ, humilitatis, & abnegationis propriæ voluntatis. Hic igitur duplex impedimentum conſiderari debet, quia aliud eſt cogere ad malum, & aliud eſt impedire ab hoc, vel illo opere bono determinato.

39. Primum igitur impedimentum conſequendæ perfectionis eſt prouocatio, ſeu inductio ad peccatum etiam veniale, quod perfectioni repugnat. Conſiderandum eſt enim ex dictis *ſupra q.* 184. *a.* 3. *& ar.* 7. *num.* 5. quod perfectio eſſentialiter conſiſtit in obſeruantia præceptorum per

excla-

exclusionem etiam peccati venialis quantum fragilitas humana patitur in hoc statu naturæ lapsæ, vndè peccare venialiter opponitur perfectioni simpliciter, maximè si hoc fiat deliberatè, non quia peccatum veniale tollat essentiam perfectionis, quæ consistit in obseruantia præcepti charitatis, quia cum charitate stat veniale peccatum. Sed quia charitatis feruor per veniale peccatum diminuitur; vndè indubitatum est, quod induci ad peccatum veniale est impedimentum assequendæ perfectionis, quia est quædam diminutio feruoris charitatis, & ideò est diminutio perfectionis, quæ consistit in charitate adeò perfecta vt se extendat ad exclusionem peccatorum venialium nedum deliberatorum, sed etiam indeliberatorum quantum fieri patitur humana fragilitas. Sed tamen hic distingui debet prouocatio ad malum ab inductione, vt Caiet. considerauit. Nam prouocatio ad malum, cui filius non consentit, licet ex parte prouocantis sit impeditiua perfectionis, tamen ex virtute prouocati est perfectionis materia, & valdè ad perfectionem acquirendam deseruit. Nam vt dixit Apostolus 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*. Sic ergo secluso periculo morali consensus, prouocari ad peccatum non est impedimentum, sed materia maioris perfectionis. Et licet diuturna pugna, & perpetua sit onus valdè graue, & iuxta supradicta possit esse filio sufficiens causa deserendi patrem; tamen hoc non est intuitu perfectionis, & quia ferre tale onus sit perfectionis impedimentum, quia imò ad perfectionem facit Deo concedente gratiam vitandi consensum in malum; sed ratio est, quia talis pugna sit onus nimis graue, ad quod sustinendum pietas erga parentes non obligat.

40. Si verò filius nedum prouocatur, sed inducitur ad venialia peccata, si quidem hæc sint talia, vt sint dispositiones ad mortale inferentes periculum proximum, & morale peccandi mortaliter, idem est ac si filius ad mortale induceretur, & seruanda sunt superius asserta. Citra verò proximum periculum peccandi mortaliter, considerandum est an filius fugiendo patris obsequium, meliorabit statum quantum ad hoc, vt non in tot, vel alia venialia peccata incidat. Nam si non meliorabit conditionem, sed esto extra patris obsequium fugiet aliqua peccata venialia, incidat in alia æqualia, vel maiora; non est vnde intuitu perfectionis velit obsequium patris relinquere. Sed & considerandum est, quod qui habet animum sincerum acquirendi perfectionem, si voluerit, poterit non relicto obsequio patris, quod est officium pietatis, & charitatis ex lege naturali debitum abstinere à venialibus, ad quæ inducitur: Et forsan optimum medium ad perfectionem erit manere, & pugnare, & inuocata sæpius gratia Spiritus Sancti fortitudinem ad superandum impetrare; vndè si adsit probabilis spes, vel quod ex parte patris in breui tempore cessabit prouocatio, vel quod gratia Dei fauente, filius non inducetur in tentationem, sed imò bello assuefiet, vt vincat, non est vnde intuitu perfectionis filius relinquat in perpetuum obsequium patri debitum. Item tertiò ad hoc vtile est considerare, an inductio ad peccatum sit directa, vel indirecta.

41. Nam si sit indirecta ratione mali exempli, quod dat pater, pensandum est, quod supra dicebatur, scilicet, quod sua parentis est ius hominis subditi cuidam necessitati vagè peccandi venialiter, & ex consequenti malo exemplo inducendi aliquando indirectè filios ad similia peccata. Et addendum est, quod vbi filius non cogitur ad malum, sed suæ libertati relinquitur à patre, non habet ius, vt à patris obsequio recedat, quia ipse, & potest, & tenetur naturæ legem seruare in præstando obsequium patri debitum, & peccata cauere, ad quæ minimè cogitur. Quia per hoc, quod Pater sit pessimus homo, non priuatur iure paternitatis. Et vbi filius non cogitur vt peccata patris imitetur, sic tenetur filius euitare peccata, & illarum occasiones proximas, quod quis si velit, libere hoc facere potest non relicto obsequio patris; malitia filij illi patrocinari non debet, vt per hoc se liberet ab obsequio parentis, quia pater malus est, & ipse libere vult patrem in malo imitari. Nec obstat si dicatur, quod filius ex suâ morali infirmitate sit talis, quod moraliter non possit viuendo cum patre, & in eius obsequio non imitari patrem in malo. Hæc enim non est infirmitas, sed malitia, & sic malitiosa electio est, si quis non coactus sponte velit imitari proximum in malo, considerandum est enim, quod lex pietatis, quæ obligat ad obsequia paterna, obligat etiam filium, ad non deserendum patrem, si id fieri possit sine læsione diuini cultus, & pietatis in Deum, & ideò vbi filius ex malitia peccat, non excusatur ab onere paterni obsequij hoc, quod manens in obsequio peccat, quia facili negotio relicta malitia potest, & non peccare, & patri obsequium præbere, vt supra num. 31. dictum fuit. Quatenus verò simul cum prouocatione indirecta ex parte patris sit in filio adiuncta, & maior libertas peccandi, & infirmitas alicuius passionis, & inclinationis naturalis. Tunc considerare debet filius an si deserat patrem incidet in tale, vel maius periculum venialiter peccandi, & an ad perfectionem obtinendam melius sibi sit pugnare contra prauam inclinationem paterno exemplo roboratam, quàm fugere à parentum obsequio. Et semper præ oculis est habendum, quod si animæ periculum vel perfectionis impedimentum non est inseparabile à patris obsequio, non licet patrem deserere in necessitate intuitu periculi, aut impedimenti vitandi.

42. Sed si filius ad peccatum veniale inducitur coactus aliquo modo, vt quia inducitur præcepto, vel consilio adiuncta aliqua ratione metus saltem reuerentialis; si hoc fiat vna, vel altera vice, aut pluribus sed interpollatò, non est hæc occasio, & causa iusta deserendi simpliciter patrem in necessitate; quia hoc non est impedimentum perfectionis nisi secundum quid, & temporale. Esset verò impedimentum simpliciter, si filius continuò cogeretur viuere in veniali peccato. Itaque igitur si pater impediat filium ne tendat in perfectionem vitæ secundum statum suum, inducendo eum ad peccata venialia potest se separare à patre necessitatem patiente, sed non per hoc potest se separare ab obsequio eius, si separatus à patre potest patris necessitati deseruire, &

re, &

ee, & ille succurrere, vndè non potest ingredi religionem ex hac causa, nisi eidem necessitati possit religiosus occurrere. Sed opus est considerare, quod non omnis inductio ad veniale est impedimentum simpliciter ad perfectionem, sed aliquod potest esse impedimentum temporale, & sufficiet pro aliquo tempore filium separari à patre, nec licitum erit separari perpetuo per ingressum Religionis. Poterit etiam esse, quod filius possit occurrere impedimento separando se à patre, non verò ab obsequio patris, & sic non poterit filius ingredi Religionem, si ob hoc relinquere debeat patris obsequium debitum. Et in omni casu semper verum est, quod intuitu periculi animæ, vel impedimenti perfectionis non potest filius deserere patrem in graui necessitate, nisi casus sit talis, in quo ad id teneatur ex præcepto alicuius virtutis. Hoc etiam debitum deserendi patrem ratione periculi peccandi venialiter, & impediendi perfectionem ex hac parte, non est nisi debitum sub peccato veniali, vt dixit Suarez loco supra citato.

43. Sed remanet alia pars, quæ est prohibitio vim quandam moralem habens, per quam parens prohibet filio ne bonum operetur. Et quidem si prohiberet operari bonum omne, idem esset ac cogere ad malum, hoc esset omninò præcludere viam ad perfectionem. Sed vbi solum prohibeatur filius agere hic, & nunc hoc, vel illud bonum, præcepto illi alio opere bono, vel relicta libertate ad aliud bonum, nedum ex hoc non præcluditur via ad perfectionem, sed præbetur materia perfectionis. Nam si illud opus, quod prohibetur esset de præcepto, iam hoc non esset solum prohibere bonum, sed inducere ad malum. Solum igitur habet locum simplex prohibitio boni operis, quando prohibetur opus, quod est de consilio: verū relicta libertate ad aliud opus bonum, impediri ab alio opere est materia obedientiæ, vel patientiæ, & quod valet ad augendum meritum illius boni operis, ad quod relinquitur potestas. Quod autem habet Suarez *d. c. p. 5. num. 29.* scilicet, non posse parentem cogere filium ad non facienda opera perfectionis, quæ cum debito sibi obsequio non repugnant. Quia parens in hoc magnum inferret documentum filio in iis sibi non necessariis, & ad quam nullum habet naturale ius. Quocirca si parens in hoc tentaret vim filio inferre, aut ita eum prouocaret, vt induceret ad omittenda perfectionis opera, vt ad vt seruandam, aut vouendam castitatem, vel quid simile, haberet filius sufficientem causam euitandi consortium parentis etiam si illum deserere necesse: quod inquam sic dicitur est, quia supponitur opera perfectionis non obstare obsequio paterno, & illud non impedire. Et nihilominus semper considerari debet, quod in simili casu filius non tenetur obedire, & sufficiet forsan si non obediat; nam tandem si impedimentum iniustum ad opera sit separabile ab obsequio paterno, & possit tolli paterno consortio, aut obsequio permanente, tolli debet. Et de reliquo attendi etiam debet, quod paternus directio, & obedientia in omnibus, quæ non constat esse iniusta, & pietati in Deum contraria, est medium valdè opportunum ad perfectioné assequendam. De quo puncto videri possunt quæ dicta sunt supra q. 186. de obedientia debita superiori, vbi non constet rem præceptam esse illicitam.

44. Et tandem aduertendum, quod parente impediente ne filius tendat in perfectionem, licet filio deserere patrem, si filius in perfectionem tendere velit, & ex corde illam proponat acquirere; alias ex causa huius impedimenti fugere non poterit, si relinquendo parentem perfectioni incumbere nolit, quia ille à perfectione impeditur, qui perfectionem quærit, non verò ille, qui illam non curat; semper vero, si necesse sit fugere, potest, ne peccet, si verè non vult peccare, & vt non peccet fugit, quamuis alias peccator sit, sed tunc sufficiet si fugiat ad tempus; Sed non potest simpliciter fugare deserendo simpliciter parentem in necessitate nisi impedimentum salutis, aut perfectionis sit ita inseparabile ab obsequio paterno, vt filius etiam patrem deserere teneatur eius necessitate non obstante.

SVMMARIVM.

1 *Seruus inuito domino non potest fieri religiosus. num. 45.*

1. 45. In responsione ad secundum, ponitur differentia inter seruum, & filium, quod seruus est priuatus libertate disponendi de sua persona, non filius. Inde est, quod inter alia impedimenta, quæ prohibent aliquem recipi in religionem, est seruitus propriè dicta. Sic enim serui propriè dicti non possunt ad habitum, & professionem inuitis dominis. Cum enim domini sint, furtum sui faciunt, si se religioni tradunt, & ita vt etiam si emiserint professionem, si à Dominis infra triennium (quod puto ab initio nouitiatus inchoandum) repetantur eis reddi debent, & habetur *cap. si quis 17. q. 2. & tradunt* Sylnest. *v. religio 2. q. 3.* Less. *l. 2. c. 41. num. 31.* Lezana *t. 1. c. 24. num. 20.* Sanchez *l. 5. c. 4. num. 42.* Mir. *p. 1. q. 17. a. 2.* & alij communiter Addit vero Layman *l. 2. tr. 5. p. 5. c. 8. num. 2.* hæc vera esse etiam de seruis, quos dicunt originarios, seu adscriptios si obligati sint dominis nedum ratione possessionis, sed etiam ratione personarum, ita vt non nisi soluto pretio, aut manumissi à dominis recedere possint. Quia vir, qui est obligatus alicui, non potest se illi auferre, & tradere religioni.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio iustitiæ potest impedire ingressum in religionem. nu. 46.*
2 *Obligatio iustitia multiplex. nu. 47.*
3 *Obligatio certa, & incerta. nu. 48.*
4 *Qui non potest satisfacere obligationi incertæ non impeditur à religione. nu. 49.*
5 *Debitor pro incertis satisfacit si sua tradat monasterio. nu. 51.*
6 *Debitor pro incertis non satisfacit tradendo se reli-*

[illegible]

7 [illegible] pe [illegible] fit [illegible] nu. [illegible]

8 [illegible] nu. [illegible]

9 [illegible]

[illegible] nu.5 [illegible].

13 A [illegible] satisfacere in [illegible] redi : varia op [illegible]

14 Ex [illegible] tali non manet o [illegible]

15 Cede [illegible] s liberatur à de [illegible] nu. [illegible]

16 Deb [illegible] in boni [illegible] nu.

17 Cur [illegible] nu. 8.

18 [illegible]

24 [illegible] tandi vita [illegible]

25 [illegible]

28 [illegible]

33 [illegible]

34 [illegible]

38 [illegible]

[illegible] ante [illegible]

D [illegible]

4 [illegible] um, ut imo [illegible]

4 N [illegible] non [illegible]

4 [illegible] um, ut me [illegible]

4 [illegible] non pot [illegible]

47 [illegible] nu. 3.

48 Pe [illegible] manet [illegible] in saeculo [illegible]

49 [illegible]

50 [illegible] nu. [illegible]

51 Et [illegible]

52 F [illegible]

53 Q [illegible]

54 V [illegible]

55 [illegible]

56 [illegible]

57 [illegible] tali [illegible]

58 Rat [illegible]

I [illegible]

Qua[illegible] in[illegible] tem-pus[illegible] in Re-l[illegible]m

INSP[illegible]TIO [illegible]

47 O [illegible]

[illegible] qui se ad [illegible] prima d[illegible] [illegible]

[illegible] quod [illegible] eleemosynas, [illegible] pios [illegible] orationibus [illegible] ibus bo- [illegible] ione habi[illegible] cum de [illegible] subnoxia [illegible] de- [illegible] hac [illegible]

[illegible] debitor [illegible] teneat [illegible]

[illegible] propter [illegible] Neque [illegible]

obstat, quod religiosus hoc faciat intuitu religionis, quia imò ex hoc, huiusmodi traditio habet maiorem vim satisfaciendi pro incertis, ex eo quod est maioris perfectionis, & virtutis. Nam & eleemosyna data pauperi, est opus misericordiæ, & tamen est satisfactoria pro incertis debitis, quia præsumitur verum creditorem contentum esse, vt debitor huiusmodi opera exerceat intuitu illi satisfaciendi; sic ergo, & tradens se religioni, quoniam hæc est obligatio eminentiori modo pretio æstimabilis, cum sit obligatio ad multa opera pretio æstimabilia, si fiat etiam intuitu satisfaciendi creditori incerto, habebit vim satisfaciendi, & tanto magis, quanto est opus superabundantis meriti, & bonitatis. Nihilominus dicitur, quod huiusmodi satisfactio fieri non potest, quia sine simonia non potest spirituale dari ex iustitia commutatiua, quia sic daretur vt æquale temporali, seu vt æqualis recompensatio illius, quod rei spirituali est iniuriosum. Item ingressus religionis, cum sit actus virtutis religionis fieri debet in Dei cultum, non in satisfactionem debiti, & homo profitendo tradit se ipsum religioni, & Deo; igitur ex fine operis non ordinatur, nec ordinari potest in satisfactionem iustitiæ commutatiuæ. Si verò ad hoc ordinetur ex voluntate operantis, & dicatur quod datur non, vt æquale, sed vt valens superabundanter tollere obligationē iustitiæ, creditore sic volēte, & remittente, seu donāte tēporale, quod deberetur manēs ex hoc plusquā satisfactus, si detur sibi spirituale. Respondetur, & dicitur non posse præsumi hanc voluntatem in creditore, aliter per solam recitationem pater noster, debitor solueret omne debitum huiusmodi, quia oratio superabundè excedit in valore quodcumque temporale. Quod si dicatur, quod potest esse, quod creditores, qui rem temporalem non possunt habere, licet non sint contenti vnico pater noster, erunt contenti ingressu religionis, dicitur, quod iam adest sapor simoniæ, si creditores non sunt contenti, quolibet spirituali, quasi illud non sit æqualis recompensatio. Ideò dicitur secundò, quod cum ex natura rei spirituale non possit dari pro extinctione debiti temporalis, non debet præsumi, quod creditor rei temporalis velit, vt sibi per exhibitionem spiritualis satisfiat, si possit sibi satisfieri per temporale, quod sibi debetur. Et sic pro extinctione debiti temporalis non potest dari professio religiosa, & creditor rei temporalis vult rem temporalem dari, vel sibi, vel Christo.

51. Verùm autem est, quod addit Suarez, nimirum quod si debitum hoc incertum ex parte creditorum non fundaretur super re aliena, sed super voto facto à debitore, quod posset ille commutare in votum professionis, quia votum reale in personale potest commutari. Quod est verum etiam si ex hac parte debitum esset certum, quia vouens determinatæ personæ aliquid in eleemosynam vouisset. Quia non per hoc aliquod proprium ius fuit acquisitum illi, ad cuius fauorem factum fuit votum, vt benè docet Palud. 4. d. 38. q. 4. a. 2. sed promissio vouentis Deo facta fuit, cui gratius est votum professionis. Ideò non est in hac parte necessaria bulla compositionis, vt voluit Palacios 4. d. 38. *disp. 1. concl. 7.* sed vouens potest propria authoritate tale votum commutare, & sic commutando manet liber à prioris voti obligatione.

52. Quod tamen dictum est supra, quod scilicet debitor incertorum, si non habet, vndè soluat, satisfacit si religionem ingreditur, limitat Sanchez n. 4. ex Palud. 4. d. 38. q. 44. a. 1. concl. 7. & idem dixit Fagund. *l. 1. de contract. cap. 19. n. 5.* Quia si iste debitor est debitor nomine alieno, vt v. g. quia debitor incertorum, vt restituat, legauit Titio centum scuta pauperibus à se eligendis distribuenda, Titius si huiusmodi scuta consumpsit tenetur prius illa restituere, quam fiat religiosus, quia Titius est debitor certi creditoris, quia eius creditor est ille, qui commisit distribui centum scuta pauperibus, & de facto illa dedit. Itaque Titius debet restituere prius, quam Religionem ingrediatur. Sed hanc differentiam positam inter debitorem pluribus incertis nomine proprio, & nomine alieno reijciunt Palaus *d. p. 7. §. 4. n. 5.* Cardinalis de Lugo *disp. 21. de iust. nu. 62.* Tum primo, quia sicut in hoc secundo casu, quando tenetur distribuere nomine alieno v. g. ex legato testatoris, tu teneris illam summam testatori, ita in primo casu, tu teneris illam summam reddere creditoribus incertis, eadem igitur est ratio in vtroque casu. Secundo, quia potest esse, quod tuus ingressus in religionem non æquiualeat debito tuo incerto, vt si deberes pro incerto creditore facere celebrare decem millia sacra; tunc enim tuus in religionem ingressus non æquiualeret debito illo, & fructui spirituali, qui ex tot millibus missarum resultaret. Tertio, quia si velis, quod tuus ingressus æquiualeat illis sacrificijs, sequitur quod posses relinquere tuis consanguineis, quæ habes, & illi creditori incerto satisfacere per ingressum in religionem. Verùm hæc non probant. Ad primum enim dicitur, quod manifesta est differentia, quia licèt vtrobique debitum sit certum, incertum tamen est in primo casu, cui debitum sit soluendum, sicuti incertus est creditor, ideo impossibile est soluere creditori, vndè loco creditoris succedunt, vel pauperes, vel locus pius, & sic loco creditoris potest intrare Monasterium, quod debitor ingreditur. In secundo autem casu nedum est certa materia, quæ debetur, sed est certus creditor, & est certa persona, cui debet fieri solutio, quæ vel est determinata à testatore, vel est determinanda ab ipso debitore, quod tantum est, ac si esset determinata, & specificata. Ad secundum dicitur, quod casus non facit ad rem. Quoniam creditor missarum semper est certus, quantū sufficit, vt ei fiat solutio; quia non est necesse, quòd cognoscatur ex nomine à celebrante missam, vel à dante eleemosynam pro celebratione missæ, sed sufficit, quòd sit cognitus Deo, cui incumbit remittere pœnam pro culpis debitam, vel exaudire celebrantem, & facientem celebrare. Deo autem hæc omnia benè nota sunt. Ideò debitor missarum est semper debitor certus de creditore, etiam si illum non cognoscat ex nomine. Vndè ad tertiū dicitur, quod nō dicimus, quod debitor incertorū satisfaciat creditori per ingressum Monasterij, sed quod satisfaciat dando Monasterio loco creditorum, quòd dare deberet creditoribus.

53. Quòd verò addit Sanchez nimirùm, quòd si hic debitor nomine alieno teneatur dispensare aliquam summã pauperibus in genere possit hanc suam obligationem manifestare Monasterio, & de Monasterij consensu loco bonorum, quæ dispensare tenetur, dare se ipsum eidem Monasterio, & omnia iura sua, & Monasterium posse esse contentum tali restitutione. Hoc inquam impugnatur à Card. de Lugo *num.* 63. Quia hoc non est soluere pecuniam debitam, sed est remissionem petere, & obtinere à Monasterio, quod illam non potest dare, cum non sit creditor, sed sit subiectũ, cui ex debito cum alio creditore est aliquid soluendum. Sed neque hoc efficaciter probat, quia in similibus obligationibus pauper, cui danda est eleemosyna succedit loco creditoris in iure exigendi, & ex iustitia exigit, & ea verò iure, licèt non ex iustitia erga se, sed ex alterius dono recipiat; vndè potest debitum remittere, quia potest receptum redonare, & hoc est remittere debitum. Parum enim interest, quòd pauper materialiter recipiat summam pecuniæ sibi debitam, & postea illam reddat donando illam, vel quod sine materiali receptione pecuniæ illam voluntate, & approbatione recipiat, & sic receptam iterum sua voluntate reddat. Et cum in primo casu certum sit debitorem cessante fraude, & dolo satisfecisse debito, non est vndè si cesset fraus, & dolus negetur satisfecisse in secundo casu. Benè tamen attendi debet, ne interueniat simonia, si ea pacto recipiatur ingressus in religionem pro pecunia, quæ esset restituenda, & quam Monasterium dicitur restituere debitori ingredienti religionem. Ideò abstinendum est à pactis, & res ista religiosa sanctè, & religiosè peragenda.

54. Addit autem idem Card. de Lug. *n.* 64. quod debitor qui debet in opera pia non determinata, potest de consilio confessarij, si verè est pauper, nec habet aliundè vndè soluat sibi applicare eam summam, vt necessariam ad opus tam pium, quale est ingressus in Monasterium; quia verè tunc expenderetur in opus pium, si expenderetur adhoc, vt ille ingrederetur religionem, ad quem finem illud sibi est necessarium. Quod tamen limitat, & asserit non valere si hic debitor ingrederetur ordinem relaxatum, vel ob finem malum, puta ob finem ambitionis, vel commodi temporalis, quia tunc id, quòd expenderetur pro ingressu religionis non expenderetur in opus pium. Verùm hæc limitatio explicatione indiget. Nam si ordo non est ità relaxatus, vt in eo substantialia religionis non obseruentur, vndè verè sit peccatum talem ordinem ingredi, non est vndè dicatur, quod ingredi talem ordinem non sit opus pium. Sicut si circumstantia ambitionis extrinsecè, & concommitanter se habeat, & non inficiat actum ingressus, non potest negari, quod talis ingressus sit opus bonum, & pium, ideo ex hac parte non potest prohiberi illa applicatio, quæ si alias non est illicita, neque est ex hac parte illicita, quia tunc non fit applicatio ad opus pium. Vide infra *num.* 83.

55. Sed iam est locus agendi de præcipua quæstione, quæ est, quando debitum est certum, in qua quæstione hæc sunt certa. Primum est, quod si debitor, & re, & spe est impotens ad soluendum debitum, non prohibetur ingredi religionem. Et in hoc casu licet Supplem. Gabrielis 3. *d.* 38. *q.* 2. *a.* 3. *concl.* 3. teneat necessariam esse facultatem iudicis, tamen hoc benè reprobat Suarez *dicto cap.* 7. *num.* 2. quia nullum ius hoc statuit, & alias impotens soluere non tenetur soluere. Secundò certum est, quod si debitor æquè benè, vel melius potest soluere debitum si ingrediatur religionem, ac si remaneat in sæculo potest eam ingredi, vt ex Nauarro Comment. *9. de regular. num.* 8. aduertit Sanchez *dicto cap.* 19. *n.* 5. Qui tamen asserit hunc casum rarissimè, aut numquam contingere, sed oppositum Cardinalis de Lugo asserit *dicta disp.* 21. *sect.* 6. *num.* 61. Quia imo de facili contingere potest, vt qui manens in sæculo propter necessaria ad decentem sui sustentationem non potest soluere, hoc possit ex eo, quod per ingressum religionis minuuntur expensæ necessariæ ad commodum creditorum.

56. Quæstio igitur est de debitore, qui licet re sit impotens ad soluendum de præsenti, est tamen potens spe, vtrum iste possit spe hac non obstante religionem ingredi, vel potiùs teneatur expectare, & differre ingressum donec soluerit. Sunt verò circa hoc tres sententiæ, duæ extremæ, & vna media; Nam alij putant per se, vbi saltem sit spes habendi in futurum vndè debitor possit soluere debitum, illum teneri expectare donec soluerit. Et hanc sententiam ex Gersone, & supplemento Gabrielis, & Medina tenet Molina *tom.* 3. *d.* 158. Bonac. *de restit. disp.* 1. *q. vlt. par.* 2. *num.* 1. & apud eum Rebell. & Reginal. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 7. §. 4. *num.* 7. Suarez autem *dicto cap.* 7. idem tenens explicat *num.* 12. spem hanc futuri lucri debere esse certam, quia ob spem incertam non tenetur debitor cum tanto damno differre religionis ingressum. Sed alij, quos infra referam, absolutè dicunt, hunc debitorem non teneri nisi cedere creditoribus bona, quæ habet, & alias posse statim religionem ingredi. Sed alij mediam viam secuti dicunt talem debitorem debere expectare per aliquod tempus si, sit spes, quod in paruo tempore possit, aut totum debitum aut partem notabilem soluere. Et ità tenent Ludouicus Lopez *p.* 1. *cap.* 49. Azor *l.* 12. *cap.* 5. *n.* 5. Nauar. *comm.* 1. *de regular. num.* 8. Petrus Nauar. *lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *num.* 78. & 79. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 19. *num.* 8. Diana 2. *p. tract.* 2. *resol.* 41. Cardinalis de Lugo *dicta disp.* 21. *sect.* 6. *a. n.* 66. Clauis Regia *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 16. Fagunn. *lib.* 1. *de contract. cap.* 19. *num.* 7. Bordon. *cap.* 2. *de profess. quæst.* 59. *ad secundum*. Cum verò multæ rationes hinc, & indè reddantur, tota vis huius quæstionis in hoc solo puncto consistit, an pro debito reali maneat obligata persona. Hoc enim secunda extrema sententia negat, & ideò consequenter benè affirmat debitorem satisfacere cedendo bonis suis manente libera persona, vt religionem ingrediatur. Sed prima opinio oppositum sentiens conatur probare, quod pro debito reali maneat obligata persona debitoris. Media verò sententia benè videns personam non manere seruam ex debito reali, nihilominùs, quia quod debetur in spe proxima censetur haberi de præsenti, non tam recedit, quam explicat

secun-

secundam sententiam mediam, cuius vnicum fundamentum est, quod ex reali debito manent obligata bona debitoris, non verò persona, & ideò hoc punctum, est peiùs examinandum.

57. Quòd ergo pro debito reali maneat obligata persona probat Medina *C. de rest. q. 3. tota causa* 8. fortissimè (taste Sanchez. nu. 7.) arguens, Primò nam si hoc non esset, pereuntibus rebus periret actio, & ius creditoris, liberareturque debito persona illa, etsi in sæculo maneret. Secundò nam si id non esset verum, non possent debitores incarcerari, nec contra personas, sed contra res procedendum esset. Verum ex his potiùs oppositum probatur. Cum enim negari nō possit, quod non maneat obligata aliquo modo persona ex debito reali, quia ipsa est, quæ tenetur soluere debitum, tamen hæc obligatio bona supponit, vndè soluere possit, & contra debitorem ad remedia carceris, & similia proceditur, quia supponitur, quod possit soluere, & nolit, vel etiam quia fraudulenter egit, cum sciret se non esse soluendo. Inde est, quod cedens bonis suis ad fauorem creditorum liberatur à periculo carceris, *leg. qui bonis C. Qui bonis cedere possint*, & imò ab omni corporali cruciatu, leg. *Cum sulita* 8. eodem titulo, vndè cessio bonorum liberat debitorem à carcere, & ab omni districtione personali. Card. Tusc. *concl.* 217. littera C. Neque hoc est verum solummodo de cessione infami, quæ fit cum solemnitatibus quibusdam personæ iniuriosis, & populo spectante, & vituperante, nam cessio professiona, & voluntate fieri potest, & de iure communi absque grauamine famæ, & alia corporali iniuria, aut solemnitate fieri potest cessio nudo verbo etiam coram iudice *l. in omni, & l. fin. C.* Qui bonis cedere pos. Reuerendissimus Fagnanus *ad cap. Odoardus num. 63. de solut.* Et hæc quoque debitorem à vexatione corporali liberat *d. l. in omni cessione* 6. *eodem titulo l. 7. tit.* 71. Et quamuis inter vtramque cessionem discrimen ponant multi DD. quod sola cessio infamis liberat simpliciter debitorem cedentem bonis ab omni obligatione Ciuili, & naturali (quod tamen alij negant) ità, vt etiam si peruenerit ad pinguiorem fortunam, non tenetur aliquid antiquis illis debitoribus soluere, quia hæc cessio simul est pœna, & ignominia cedentis, qui verò non ignominiosè cedit tanto priuilegio non potest frui, vt habetur ex Couar. *lib. 2. var. cap. 1. num. 6.* & ex allegatis à Rubeo *ad decis. 9. 3.* partis recentiorum *nu.* 134. *& seqq.* nihilominùs, & qui sola professione, & voluntate cedit bonis suis non potest molestari, nec tenetur soluere nisi ad pinguiorem fortunam venerit, vt patet ex eodem Rubeo *nu* 136. & tradidit Bar. in *leg. qui bonis Cacid.* qui bonis cedere possunt Syluest. *verbo restitutio* 7. *q.* 6. & alij communiter, ex quo manifestè habetur, quod debitor realis non tenetur nisi ad bona tradenda creditoribus, quæ habet, & si habet, quo facto liber est ab omni corporali, & personali vexatione. Neque hæc liberatio in solo externo foro vim habet, sed etiam in foro conscientiæ; quamuis enim Nauar. *com. 1. cap. de regular. n.* 8. ex Soto aduertat hoc non conuenire omni cessioni bonorum, quia fraudulentè dicunt non conuenire, ei tamen debitori, qui bona fide negotiatus fuit, sed calamitosè ex aduersa fortuna in pauperiem deuenit, licitum esse in conscientia vti beneficio cessionis, tradit Soto citatus *lib. de iust. q. 7. a. vlt.* fine, & est sententia communis, vndè, & in foro fori, & in foro conscientiæ saltem debitor, qui bona fide procedit, satisfacit creditoribus, si bona sua tradit, nec potest carcerari, vel alio modo corporaliter vexari. Nam & considerandum est, quod hoc beneficium cedendi bonis non est purum inuentum, & priuilegium legis positiuæ, sed est declaratio legis naturalis, vt considerauit Clauis regia *lib. 10. tr. 5. cap. 7. num.* 17. Nam sicut de iure naturali est, quod satisfiat creditoribus, ità de iure naturæ est libertas personæ, quæ est bonum altioris ordinis superans valorem omnia pecuniæ. Qua propter Principes ius naturale de soluendo debito declarauerunt non attingere personæ libertatem, nec eam ligare quin possit de se, & de suo statu liberè disponere, & sufficere si omnibus bonis cedat, vt ex illis debitoribus satisfiat.

58. Sed & si debitor habeat bona, quæ sufficientia sint pro solutione debitorum, non potest carcerari, quod adeo est verùm, quod debitor habens bona stabilia sufficientia ad soluenda debita, vel habens fideiussorem, etiam si fuisset incarceratus debet excarcerari; vt tradit Bal. diffusè *consil.* 312. & docet Card. Tuscus *litt. D. conc.* 48. ex quo magis apparet; quod obligatio debiti ciuilis super re ipsa, & bonis fundatur, & quod ratione talis debiti manent bona obligata non verò personas. At vndè est, quod debitores carceri mancipantur? Quia lex iustè præsumit, quod debitor possit soluere, & nolit; & secundò quia sæpiùs debitor fraudulenter debita contraxit, quę non erat soluendo. Alias enim, quod debitor s qui nō habet in ære, non sit puniendus in corpore seu pœna carceris perpetua tradit Iason §. *pœnalis instit. de actionibus* Innocent. & alij in *cap. Odoardus de solut.* Sed tamen antequam constet vtrum bona habeat, vel non habeat potest duci in ius, & custodiri. Et vbi sit consuetudo detinendi debitores in carceribus vsquequo soluant, hæc consuetudo respicit fraudem, & iniustitiam, quam plerùmque committunt homines in contrahendo debita, quæ vel non possunt soluere, vel fingunt se soluere non posse, & sic iniquissimè tuentur aliorum bona. Et propter hanc rationem iura omnia tum Canonica, quam ciuilia pœnas grauissimas in decoctores statuerunt, vt patet ex Constit. Pij Quinti. *Postquam nunque* 112. vbi huiusmodi homines latronibus comparat, & licet de iure communi contra huiusmodi fraudulentes decoctores non esset imposita pœna supplicij vltimi, vt Stach. in tractatu de decoctor. *p. 3. num.* 3. notat Rota in Anconitana pecuniaria 5. Iunij 1609. Coram Manzanedo, tamen Pontifex Pius Quintus hanc pœnam illis imposuit. Sed & antiquitus pœnas grauissimas latas fuisse legimus contra huiusmodi fraudulentos cum *lege* 12. *tabularum* statutum fuerit decoctores tradendos ad laniandum dentibus creditorum. Alias etiam tribus, vel secundum alias quindecim plumbatis verberabantur, lege

qui-

quilibet 40. Cod. *de decur. l.* 10. & tradit Stach. *p.* 3. *num.* 4. *de decoctur.* Sed & exempla diuersarum pœnarum grauissimarum à diuersis populis contra huiusmodi latronum genus videri possunt apud Couar. *variar. resol. l.* 2. c. 1. *num.* 1. Menoc. *de arbitr. l.* 1. *cap.* 90. *n. num.* 14. Fariu. *tract. de delictis, & pœnis q.* 26. *a. num.* 25, Gratian. *discep. forens c.* 380. *num.* 14. Fagnan. *ad cap. Odoardus de solut. num.* 6. & alij plures quos refert Rubeus *p.* 3. *recent. annotat. ad* 9. *decisionem à num.* 85. Vbi etiam *num.* 107. ex Marchesan. *in tract. de commiss. cap.* 1. *circa commiss. cess. bon.* §. 1. *num.* 107. *par.* 3. Quod cum idem March. esset Gubernator Molæ, & quosdam falsos decoctores damnasset ad triremes per 10. annos, nisi infra 20. dies creditoribus integrè satisfecissent, illi ante terminum integrè omnibus creditoribus satisfecerunt ad triremes vitandas. Vndè est, quod contra huiusmodi debitores duæ præsumptiones validè militant, propter quas sunt digni pœna. Prima quod fraudulenter, & iniustè contraxerint debita. Secunda, quod fingant se non posse soluere, & propria bona occultent, vndè meritò vocantur in ius, & traduntur carceribus; sed vbi constet, quod bona fide processerint, & non habeant vndè soluant, non possunt corporaliter puniri, Imò clarè Iustinian. statuit in nouella 135. vt debitores, qui non suo vitio, sed casu ad paupertatem sunt redacti, nec vincula, aut carceres patiantur, nec cogantur cum infamia bona cedere sed sufficiat, vt iurent se non deuenisse ad paupertatem culpa sua, & de facto non habere vndè debita soluant;

59. En his igitur argumenta illa Medinæ retorquentur in ipsum, quia iam habetur, quod saltem rebus debitoris sine sua culpa, & negligentia pereuntibus, vbi hoc satis constet, non datur contra huiusmodi debitorem actio, nec potest carcerari, & si detineatur in carceribus debet excarcerari, sufficitque vt creditoribus bona sua, & iura cedat, etiam cessione non infami, & ignominiosa; igitur in debito reali non manet obligata persona, sed obligata manent debitoris bona;

60. Pariter soluuntur argumenta Molinæ, qui quidem facit vim in eo, quod cum solutio debitorum fit de iure naturæ, & ex iustitia debita, sequitur quod iniustè agat, qui se inhabilem reddit ad soluendum debita, qui verò religionem ingreditur, se reddit inhabilem ad soluenda debita, quibus soluendis non sufficiunt bona quibus debitor cedit. Quod confirmatur, quia artifex, qui solo brachio comparare posset, vndè solueret debita, peccaret etiam contra iustitiam, si sine causa brachium scinderet, & se inhabilem ad soluendum redderet. Item non est licitum furari alienum, ob bonum spirituale proprium, vel temporale obtinendum, seu ad effectum ingrediendi religionem; igitur nec licet causa ingrediendi religionem alienum retinere, vel creditori detrimentum afferre. Sed respondetur obligationem restituendi, & soluendi debita esse conditionatam, scilicet si adsint bona, de quibus debita solui possint. Qui ergo facit, quod in se est cedendo omnia bona sua creditoribus, satisfacit iustitiæ, & interim, quia ex debito pecuniario non obligatur persona, manet ille liber, vt de se disponat, & religionem ingrediatur.

61. Quòd si replicetur, & dicatur, quod debitor ex iustitia nedum debet soluere debita, si habet vndè soluat, sed etiam tenetur se habilem reddere, vt habeat vndè soluat, vel saltem teneatur non se reddere inhabilem, vt soluat, ideò non sufficit, quod det quod habet, sed quod maneat in statu, in quo dare possit, quod sibi dandum remanet. Respondetur, & dicitur primò, quod assumptum controuersum est, scilicet, quod debitor, qui cessit bonis suis creditoribus teneatur acquirere vndè debita soluat, seu reddere se ad id habilem. Nam lege ciuili non tenetur debitor impotens ad soluendum recipere opulentam hæreditatem per quam fiat potens, vt omnia debita soluat *l. Quod autem ff. quæ in fraud. cred. & l. Non fraudantur ff de regul. iuris ibi. Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur.* Et quamuis ea DD. multi existiment hunc debitorem, si sine causa iusta repudiet hæreditatem, peccare mortaliter contra iustitiam, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib.* 6. *de matrimon. disp.* 4. *n.* 9. Latro *dec.* 8. *num.* 13. Cutell. *dict.* 2. *p. num.* 29. Tancredus *de matrim. l.* 6. *q.* 4. quos sequitur Alphonsus de Olea *decess. iur. tit.* 2. *q.* 3. *num.* 35. Molina *tr.* 2. *d.* 435. *num.* 10. Vasquez. *cap.* 2. *d.* 172. *cap.* 3. *num.* 15. Castro Palaua *tract.* 32. *disp.* 1. *p.* 17. §. 11. *num.* 4. Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 8. *p.* 2. *num.* 36. tamen non desunt, qui sentiunt in contrarium, & volunt, quod nec in foro animæ peccet debitor repudiando hæreditatem, licet ex hoc maneat impotens ad soluendum debita. Nam DD. *ad d. l.* Quod autem, communiter absolutè asserunt debitorem in fraudem creditorum posse repudiare hæreditatem, idque licere expressè apud Palaum affirmat Anton. Gomez *t.* 2. *var. c.* 4. *num.* 24. & *l.* 53. Tauri *num.* 66. *vers. Quintus est.* Et indicauit Couar. Decret. 4. *p.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 12. Tello Fernand. *l.* 4. Tauri, *num.* 57. Gutier. *de pact. in princip. num.* 80. & 84. Azenedo *lib.* 5. *recopil. tit.* 3. *lib.* 1. *num.* 5. & *leg.* 9. *tit.* 9. per totum. Nam & communiter DD. tenent est huiusmodi repudiationem hæreditatis valere in vtroque foro. Et aliàs index instantibus creditoribus teneretur compellere debitorem, vt adiret hæreditatem, si ad id ex iustitia teneretur; & teneretur pariter repudiationem iam factam, vtpote iniustam infirmare, quæ tamen ex vi dictarum legum facere non potest: vndè signum est, quod huiusmodi repudiatio est iniusta & quod debitor ex iustitia non tenetur acquirere bona, quæ non habet, vt debita soluat. Nec germana videtur dictarum legum interpretatio, si cum præfatis DD. dicatur legem ciuilem in hac parte permittere iniustitiam ad uitandas lites. Nam imò lex iniustitiam non adesse exprimit, quia ait non fraudari creditores ex eo, quod aliquid non acquiritur per debitores, fraudarentur verò creditores, si debitores tenerentur acquirere ex iustitia vndè fierent habiles ad soluendum. Item in *d. l. Quod autem*, vel, *qui autem*, in tantum omissio lucri, vel repudiatio hæreditatis; *aut legati* dicitur, non pertinere ad edictum istum contra ea, quæ fiunt in fraudem creditoris, quia

non

qua

nus qui obli[illegible]
per quæ fit [illegible]
[illegible]
acquirere hæ[illegible]
bitum, quod [illegible]
cum illud pri[illegible]
modum, secundum [illegible]
neque enim sem[illegible]
ligat ad e[illegible]
omne me[illegible]
hoc v[illegible]
[illegible] rem te [illegible]
d[illegible]tur per [illegible]
principij quia [illegible]
vult quod per [illegible]
n[illegible] obligata b[illegible]
præsentia, & [illegible]
d[illegible]bita sit limi[illegible]
non verò ad ea [illegible]
obligat ad o[illegible]
sub conditione, [illegible]
& ex bonis, quæ habet [illegible]
non habet, lic[illegible] ea po[illegible]
ex hoc, quod licet si d[illegible]
tem, ex hoc acquirat [illegible]
iam est in bon[illegible]
re hæreditatem, & ce[illegible]
sibi obligatum. Et d[illegible]
h[illegible] Rota d. de[illegible]
v[illegible] hæres non [illegible]
ta[illegible] illum ius habet [illegible]
tatem adeundi. [illegible]
[illegible] ditor non [illegible]
[illegible] um hære[illegible]
tatem non acce[illegible]
Verùm alia ex p[illegible]
[illegible] æquitatem, vt [illegible]
[illegible] soluere, si velit acc[illegible]
tamen ad id non te[illegible]
ditor, qui forsan [illegible]
[illegible] tenetur, vel pati, [illegible]
[illegible] ulterius recurrere [illegible]
[illegible] mulierem [illegible]
[illegible] ntiæ [illegible]
iu[illegible] ini[illegible]
oblig[illegible]
tuta, [illegible]
ta statum [illegible]
bane est [illegible]
quis [illegible]
in c[illegible]
[illegible]
sib[illegible]
artifices [illegible]

[illegible] dem ff. de iure [illegible]

[illegible]

tē ad acquirendā pecuniā, perquam debita soluat.

63. Inde d[illegible] quod petebatur ex eo quod non [illegible] alienum ad finem ingrediendi religionem. Nam c[illegible] deducta ou[illegible] est robori[illegible] nec te rere alienum, sed tamen nullus tenetur a reorum rest tuere, si id est impossibile, nec cum damno graui soper[illegible] ordinis tenetur debitor im[illegible] ad soluendum procurare, vt sit potens. Nam & si aliquis sit debitor, & de præsenti sit impotens ad soluendum, eius persona non est veluti carceri alligata, vt non habeat libertatem, quam habent alij, vt eant quo volunt, quia vt habet Card. de Lugo *d. num.* [illegible] carentia libertatis, quam cæteri hominum habent eundi, quo volunt est maximum detrimentum. Ideò persona debitoris non est obligata loco, ita vt sit priuata libertate ex nulla causa, & nonad[illegible] tandū damnū in rebus superioris ordinis euadi ad alium locum. Multo minùs persona debitoris est obligata mundo, vt sit priuata libertate mutandi vitam in melius, & eligendi statum religiosum, nam huius libertatis carentia esset maximum detrimentum. Quæ vera sunt in eo, qui de præsenti cedit suis bonis eoum non tenatur cum magno detrimento bonorum superioris ordinis se reddere potentem, vt debita completè soluat.

64. Quamuis verò Nauar *com. 1. de Regul. n.8.* admittat, quod qui cedit bonis suis potest ingredi re[illegible] nem nisi in paruo tempore possit creditoribus satisfacere, quia tamen eius rationes, si quid [illegible], nimis probant; ideò etiam sunt solue[illegible]. Prima autem fundatur super *cap commissum* [illegible] sponsalibus, vbi statuitur eum, qui iuraux[illegible] [illegible] aliquam in vxorem, prius debere [illegible] ecce, quam ingrediatur religionem. Sed [illegible] dictum caput fit intelligendum, & per cum non prohibeatur [illegible] non obstant bus sponsalibus [illegible] ponsus statim possit ingredi Re[illegible] probatum est supra *d. num.* [illegible]. Vnde r[illegible] argumentum, quia [illegible] obstant[illegible] ip[illegible] aliorum, etiam [illegible] ratorū, [illegible] at potest sponsus [illegible] ad R[illegible] non omnis [illegible] tum impedire potest.

[illegible]. A[illegible] verò secundo, quia D. [illegible] ad tertium docet debita certa prius [illegible] soluenda, quam debitor religionem ingrediatur. S[illegible] D.T. est manifeste [illegible] [illegible] contrarius, quoniam D. T. statim [illegible] dicens, quod si debitor non [illegible] sufficit, quod cedat bonis suis a[illegible] itorum. Et ita sensus D. T est, q[illegible] habe[illegible], tenetur soluere, [illegible] tur facere quod in se est, [illegible] sum [illegible] pecunia per o-na[illegible] manet obligata.

6[illegible] [illegible] gumentum nihil probat; dum [illegible] quod [illegible]

[illegible]

tegra solutione. Quod si ei, qui rem [illegible] administrauit redderetur impossibile [illegible] rationem, nec ille quantum sit, ex vi [illegible] nis antiqui, teneretur n[illegible] ad hoc vt faceret quod in se esset, nec per hoc priuandus [illegible] ingressu. De præterea [illegible] igatio administratoris rei alienæ ad reddendam rationem non est realis, sed personalis simul. Quartum argumentum cum [illegible] ex præcepto naturali iusti iæ obliga[illegible] [illegible] non concludit, quia vt iam probatum est [illegible] obligantur bona debitoris non persona, ideo debitor satisfacit præcepto naturali si facit, quod in se est cedendo bonis suis ad fauorem creditorum.

67. Quintum argumentum [illegible], quia est absurdum, quod Pictor, Doctor, aut alius similis artifex, qui diferendo per biennium potest lucrari vnde soluat debitum, statim ingrediatur religionem defraudando creditorem forsan indigentem. Respondetur verò, & dicitur primo raro contingere posse, vt qui non habet in bonis vnde de præsenti debitum graue centum, aut ducentum [illegible] soluat, possit per biennium lucrari [illegible] viuat & alterius debitum soluere valeat, sed potius dubium esse possit, vt [illegible] vnde debita [illegible] habeat vnde viuat. Ex quo [illegible] de-bitum [illegible] minor spes lucrandi, quantum est necesse pro eius solutione. Dic[illegible] verò [illegible] ndò, quod dato casu, quod debitor [illegible], se in breui aliquo tempore posse satisfacere creditoribus suis, non diceretur impotens ad soluendum, quia quod certa spe, & proxima habetur moraliter de præsenti haberi dicitur; sed spes debet esse certa, & tempus adeo breue, vt moraliter censeri debeat esse præsens, & non habeat coniunctum graue detrimentum diuini cultus, & salutis animæ ipsius debitoris. Et nihilominus dicitur tertio, quod [illegible] ex iustitia non obligetur, persona [illegible] ideo ex nulla obligatione pe-cu[illegible] persona ne mutet suum statum in [illegible] omnibus suis bonis cedat, ideò [illegible] rdum, si hoc faciat, vt mutet statum [illegible] statum religiosum per se loq[illegible] & [illegible] dendo à circumstantijs, [illegible] vt v. g. quod dilatio non [illegible] non ferat graue nocumentum salutis animæ [illegible] & sit certus [illegible] sine suo detrime[illegible] graui posse soluere debita, si d[illegible] Religionis ingr[illegible].

68. Sexto arguitur quia non omnis cessio bonorum excusat a soluendo, quia non excusat fraudulenta cessio, sed sola illa quam quis facit per inopiam [illegible] at qui ars industria & vitiosus [illegible] vnde possit lucrari tantum, vt satisfaciat creditoribus, non dicitur cedere bonis ex inopia, & impotentia soluendi, nisi creditores vrgerent eum ad [illegible] soluendum per c[illegible] m in car[illegible] igitur [illegible] bonis ob re-[illegible] ingre[illegible] bonis [illegible] inopiam, [illegible] vnde soluat debita, & [illegible] res [illegible] non vrgent. Respondetur qu[illegible] hoc est [illegible] ud [illegible] argumentum, quod [illegible] at ap-[illegible] [illegible] s non vrgent [illegible] debitorem [illegible] ab [illegible] vt credi[illegible] vel [illegible] bu[illegible] vel [illegible] in-

quennium, & creditores tenentur vel acceptare cessionem, vel concedere tempus quinquenale, vt patet ex *l. final. C. qui bonis cedere possunt.* Cum vero creditores non vrgeat debitorem non potest refugere ad beneficium cessionis bonorum. Et hinc etiam habetur, quod si creditores dent tempus soluendi, debitor debet soluere. Nihilominus respondetur, quod vbi vrget oport[illegible]tas mutandi statum in stat[illegible]m superiorē idem est, ac si vrgere[illegible]t creditores, quia vrgetur debit[illegible]r a pericu[illegible]lo damni alterius, & superioris valoris, quod sibi imminet, & ad quod sustinendum non tenetur ex pecuniario debito cum ex i[illegible]lo non maneat persona obligata & serua quin possit mutare statum in statum me[illegible]iorem. Hæc vero est iustitia vt cum debitor vrgetur, satis sit, si bona sua exhibeat, & de reliquio non teneatur ad amplius.

69. Et si instetur hoc non valere in filio respectu patris, quia non potest relinquere patrem in nec[illegible]tate graui, vt mutet statum, & fiat religiosus; respondetur non esse eandem rationem. Tum quia debitum fil[illegible] ad patrem non est pecuniarium, sed est debitum obsequij, & est debitum personæ à natura obligatæ, ad patris obsequium, sub quo comprehenditur etiam subuentio in necessitate, vt docet D.T. *supra q. 101. a. 2. ad primum.* Et dicitur *secundo*, quod debitum fil[illegible] non est debitum iustitiæ, sed pietatis; debitum vero pietatis est longe fortius, quam debitum iustitiæ, cum sit tantum, vt ei non poss[illegible]t satisfieri ad æqualitatem, vt habetur *supra q. 80.*

70. Et si iterum i[illegible]statur, quia sequeretur, quod debitor etiam manendo in seculo posset cedere bonis suis etiam non vrgentibus debitoribus sed patienter e[illegible]pectantibus, vt debitor soluat cū pot[illegible]st ad vitandū pericu[illegible] euidentis a[illegible]nius dāni & quod videtur absurdum. Respondetur ex supra dictis, quod, quia aliud est, imo [illegible]x hoc pro-batur quod quis non soluat debita, quæ potest sol-uere; quod semper est iniust[illegible], Aliud est quod debitor faciat quod in se est, [illegible] do illum vrget necessitas [illegible] carcerem, vel aliud vald[illegible] graue [illegible] tale, quod excuse[illegible] um a necessitate faci[illegible]ndi amplius. Non est vero in ho[illegible] eadem rat[illegible]o de necessitate f[illegible]giendi damn[illegible] pecu[illegible]arium, & [illegible]giendi damnu[illegible] bon[illegible] peri[illegible] [illegible] autem veritas si[illegible], quod p[illegible]est dari dam[illegible] minens etiam pecuniarium tant[illegible], & [illegible] ad [illegible]ud f[illegible]gi[illegible]ndu[illegible] ha[illegible]eat [illegible]bitor [illegible]acu[illegible]tatem ceden[illegible] om[illegible]us [illegible]ibus, [illegible] da[illegible]o imminen[illegible] l[illegible]beret m[illegible] magis l[illegible] vbi immineat, & vr[illegible]eat dam[illegible] superioris ordi[illegible]is. Et ita ad [illegible] p[illegible] mo conced[illegible]u[illegible] posse dari cas[illegible]m in [illegible] bi[illegible]ot[illegible] ad vi[illegible]and[illegible] da[illegible]m e[illegible] [illegible]onia [illegible] dere bo[illegible] quia non [illegible] in bo[illegible] me[illegible]o [illegible]

[illegible]

que causa sibi bene visa possit cedere bonis suis ad fauorem cred[illegible]m, quando ex [illegible] manet i[illegible]potens, vel [illegible] ad p[illegible] bita [illegible]luenda, & [illegible] cessio[illegible] creditorum. Et quidem [illegible] verum e[illegible]od debi[illegible]or non tene[illegible]r ex [illegible] acq[illegible]rat bona, q[illegible] l[illegible]tatem opu[illegible] ad [illegible] [illegible]o labore, p[illegible] p[illegible]e; simul verum [illegible] p[illegible]sset cedere bo[illegible]is. Nam & [illegible] let acquirere b[illegible]a, [illegible]ueret de[illegible]ta esset mag[illegible]um be[illegible]m c[illegible]orum, si i[illegible]o-ru[illegible] [illegible]orem bon[illegible]s c[illegible] a[illegible]q[illegible]am [illegible]a consumer[illegible]t. Et qua[illegible] n[illegible]gari non p[illegible], esse posse valde malum, & contra [illegible]ures v[illegible]utes, vt contra fidel[illegible]tatem, gratitud[illegible]m, pietatem, & [illegible]haritatem no[illegible]le ali[illegible]em operari, & acquirere v[illegible] d[illegible]a s[illegible]at, si tam[illegible]n iustitia non obligat ad acq[illegible]irend[illegible]m, & d[illegible]or iam malus aliunde non [illegible]t operari, vt ac[illegible]t, non e[illegible] iniustitia ce[illegible] bon[illegible]s, & bonis [illegible]o assumere quem. cumque [illegible]atum, i[illegible] qu[illegible] fi[illegible]t impotens ad-ac[illegible]m bona, q[illegible]s[illegible] a[illegible]uat, sed ad-m[illegible]o quod debi[illegible]r e[illegible] [illegible]ur operari fe[illegible] d[illegible] s[illegible] status c[illegible] ac[illegible]rat vn[illegible] r debita; Ad h[illegible]c [illegible]netur c[illegible]m magno præiudici[illegible] bon[illegible] ordinis superioris, vt docet Card. de Lugo [illegible]. 20. Aderit vero hoc præiudi[illegible] qu[illegible] [illegible] debitori deficiet magna v[illegible]s bo[illegible]i [illegible]p[illegible]a[illegible]s, & condu-ce[illegible]s ad vitæ [illegible] & [illegible] ope-retur ad [illegible]ol[illegible] am d[illegible], e[illegible] vt maneat in statu [illegible]bile moraliter [illegible] valde [illegible] [illegible] peccatorum; sic [illegible] [illegible]mi[illegible]um suæ sal[illegible] [illegible] edat à [illegible] & [illegible] a[illegible] ad soluenda [illegible] [illegible]tam, vel ser[illegible] [illegible]cumque exer[illegible] [illegible]nducens [illegible] d[illegible] [illegible] cre[illegible]; q[illegible]a ad a[illegible] d[illegible] [illegible] te-[illegible] [illegible] tal[illegible] [illegible]o tamen [illegible] d[illegible]e., ne h[illegible] n[illegible] ma[illegible]um v[illegible]. Qua[illegible] [illegible]on e[illegible] [illegible] za [illegible] ca, vel [illegible]u[illegible]a[illegible] pi[illegible]is [illegible] lo, qui est h[illegible]stum a [illegible] offertu[illegible], & co[illegible]et voto [illegible] pe[illegible]etuam stab[illegible]tatem i[illegible] [illegible] status re[illegible]gio[illegible] [illegible]bet p[illegible]gi[illegible] [illegible] posss imped[illegible] gr[illegible]us [illegible]s per [illegible] ad [illegible]um [illegible] tem. Sic spo[illegible] [illegible] F[illegible] Religi[illegible]s n[illegible]e [illegible] a[illegible]

[illegible]

non est tanta, nec talis vt detineat hominem liberum in carceribus, & illum impediat, ne statum mutet. Quia persona non est obligata, & constituta serua ex debito peculiario, & sufficit personæ si faciat, quod in se est bonis cedendo.

72. His præmissis dicitur, quod per se loquendo, & iure antiquo spectato debitor ad hoc vt licité ingrediatur religionem, si non potest satisfacere creditoribus, non tenetur pro tunc nisi facere quod in se est cedendo bonis suis, nec tenetur in seculo remanere, vt procuret vnde debitum soluat. Hæc est expressa D. Thomæ sententia in hac *respons. ad tertium*, & Caiet. *ibid.* Palud. 3. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. *fine*, & 3. *p. t.* 16. *c.* 2. §. 3. Syluest *v. religio* 2. *q.* 4. Tabien. ib. *q.* 11. Armil. n. 5. Rosella *n.* 5. & *v. restit.* 6. *num.* 1. Ang. *v. religiosus num.* 6. & 8. Vigner. *Instit.* *c.* 17. §. 1. *ver.* 13. Aragon. 22. *q.* 62. *a.* 8. *causa* 8. & *q.* 88. *a.* 2. *circa solut. ad primum* Pediazza *sum. prac.* 7. *Donatus p.* 4. *tract.* 3. *q.* 13. *num.* 4. Et probabilem putat Emanuel Sà *v. religio num.* 1. Bene verò aduertunt Suarez *dicto cap.* 7. & Sanchez *dicto cap.* 19. *num.* 7. fine D. T. non loqui de cessione ignominiosa, quia hæc ex alia parte obstaret ingressui in religionem, sed loquitur de cessione, quæ fiat possessione, voluntaria, seu pacto, quam etiam sufficere ad hoc, vt debitor ciuiliter maneat solutus à debito, dictum est supra. Hoc autem extendunt D. Anton. Syluest. Tabien. Angel. & Tabiena, etiam si debitor iurasset se creditoribus soluturum debitum; quia hoc iuramentum non obligat nisi quantum obligat debitum soluendi, nec per tale iuramētū iurans se obligat ad soluēdū in casu, in quo nō teneatur soluere, sed iurat executionē obligationis suæ ad soluendū, vnde vbi cessat soluendi obligatio, non habet locū iuramentū.

73. Sed quid dicendum, si quis ex pacto aut iuramento se obligauerit expresse ad non ingrediendum religionem, nisi prius soluerit debita? Huiusmodi pactum esse possibile, & licitum votumq; de eo seruando obligare docet Sanchez *dicto cap.* 19. *num.* 38. & sequitur Lugo *dicta disp.* 11. *sec.* 6. *num.* 67. Ratio verò huius sententiæ est, quia iuramentum, & votum promissorium per quod homini promittitur aliquid, quod ei est vtile, & potest sine peccato exerceri obligat in conscientia, etiam si sit impeditiuum maioris boni, prout asseruit idem Sanchez *l.* 3. *mor. cap.* 9. *num.* 19. 20. 21. & tenuerunt Syluest. *v. iuram.* 4. *q.* 20. & Suarez *l.* 2. *de iuram. cap.* 12. Cum ergo soluere debitum prius, quam quis ingrediatur religionem sit bonum, & sit vtile creditori, potest illi promitti, & promissio confirmari per votum, & iuramentum. Addit tamen hoc pactum debere esse expressum, nec sufficere quod iurans, vel vouens promittat aliquid incōpatibile cum ingressu in religionem, quia nisi expresse exprimatur oppositum, subintelligitur semper conditio, nisi placuerit transitus in religionem, Vnde si quis promisisset sponsæ se consummaturum matrimonium, nisi aliud addatur, subintelligitur conditio præfata. Nam iuramentum, & votum promissorium in vtilitatem proximi, & priuati hominis, quod sit impeditiuum religionis non valere communis sententia est, de qua videri potest Suarez *tom* 2. *de relig. l.* 2. *de voto cap.* 12. *num.* 16. & 17.

74. Nihilominus hic primo considerandum est, quod licet permanentia in seculo ex genere considerata non sit peccatum, & sine peccato reddi possit ei, cui est promissa, tamen in indiuiduo spectata, & attentis circumstantijs temporis, & personarum poterit de facili contingere, quòd negatio ingressus in Religionem, vel eius dilatio, sit huic personæ proxima peccandi occasio, & sit nedum sit ei res minus bona, sed positiue mala, & quæ non possit promitti, seu cuius promissio non possit voto, vel iuramento confirmari. Et sic huiusmodi promissiones, quæ nedum sunt impeditiuæ minoris boni, tamen in indiuiduo sunt inductiuæ mali, non sunt respectu indiuidui talis materia voti, vel iuramēti, Sic ergo respectu eius, cui nō ingressus in Religionē est coniunctus proximæ peccādi occasioni, promissio non ingrediendi est mala, & non potest voto firmari, vel iuramēto.

75. Considerandum est secundo, quod etiam potest contingere, quod dilatio ingressus in Religionem sit inutilis promissario, quia conditio rerum talis est, quod promittens differre ingressum ad effectum soluendi debitum, melius vel æque bene id præstabit Religiosus ac secularis. In quo casu promissio non obligabit ad differendum Religionis ingressum. Nam si promissio ista sit liberalis, licet fidelitas sit seruanda, si sine peccato res promissa reddi potest; vbi tamen res promissa non est vtilis magis, quam eius oppositum ei, cui est promissa, & alias est damnosa promittenti, & diminutiua diuini cultus, fidelitas non obligat ad promissum seruandum, & promissarius irrationabiliter prorsus ageret, si vellet rem promissam sibi reddi sine sui vtilitate, & cum damno reddentis, & diminutione diuini cultus. Vnde si centies millies quis alicui promittat expressè se non ingressurum religionem, nisi prius soluat, semper subintelligitur conditio, nisi solutio sit æque, vel magis secura debitore ingrediente religionem; Quo supposito, si promissio ipsa tanquam conditionata non tenet, neque obligat iuramentum, quod respicit promissionem vt validam, & obligantem, & quæ promissio in genere promissionis non obligat, non eo obligat postea, quia iurata, quia iuramento promittitur obseruantia promissionis in casu, in quo promissio obligat. Et si promissio non sit liberalis, sed onerosa, & taliter quod debitor pro hoc pacto acceperit aliquid amplius, adhuc si hæc dilatio non est ad solutionem debiti tempore debito necessaria, hæc obligatio non tenet, quia in eo contractu semper subintelligitur conditio, quatenus dilatio sit necessaria ad indemnitatem creditoris; quia quando pactum est de re impeditiua maioris status, imo habente regulariter annexa peccata maiora, & in maiori multitudine, nisi aliud exprimatur, intelligi debet, vt conditionata, quatenus res promissa, sit vtilis promissario. Aliter enim, & promittens esset valde imprudens, & promissarius valdè irrationabilis, si intēderet rē promissā sibi reddi, etiā in casu, in quo est sibi inutilis, & de facto erit diminutiua diuini seruitij, & promittēti causa magni præiudicij. Sed eadē ratione hoc est dicendū, etiā si debitor non sit soluendo, & nec sit spes, quod ex dilatione fiat potens, vt soluat. Quia & in hoc casu dilatio ista est creditori inutilis. Neque obstat si di-

dicatur, quod quando est promissum aliquid alicui, maximè si sit promissum ex pacto oneroso, non licet promittenti variare inuito promissario, & dare æquiualens, imo quod est vtilius, sed promissum in specie est reddendum. Quia hoc est verum in casu, in quo promissio obliget, & non sit conditionata. Modo dicimus promissionem dilationis ingressus in Religionē esse conditionatā, scilicet nisi dilatio sit inutilis, vel nō magis vtilis ingressus, quia promissarius aliud prudenter, & rationabiliter non potest desiderare, & alias libertas ingrediendi Religionem regulariter illæsa saluatur in contractibus, & pactis, & tacitè eius conditio intelligitur, nisi oppositum exprimatur. Et si iterum dicatur, quod si tempore pacti initi res talis erat, quod verè dilatio ingressus in Religionem non erat vtilis magis ad soluenda debita, quam ingressus in Religionem, & tamen creditor voluit, vt debitor ex pacto se obligaret ad non ingrediendum donec solueret debitum; igitur ex intentione contrahentiū dilatio fuit promissa etiam si non esset magis vtilis, vel etiam si solatio non esset sibi minus secura debitore Religionem ingrediente, Respondetur, quod adhuc licet sic potuit contingere in rei veritate, tamen hæc veritas potuit non esse manifesta contrahentibus, & præcipue creditori ad sui securitatem dilationem postulāte; & ideo pactum adhuc potuit esse, & deberet intelligi vt conditionatum conditione non excludendi ingressum sine sui vtilitate, vbi vere non esset sibi minus vtilis ingressus in Religionem, quam dilatio ingrediendi. Quoties igitur pactum expressum de differendo ingressum in Religionem potest intelligi vt conditionatum hac conditione, nisi ingressus sit æque, vel magis vtilis, purificata conditione manifestè, & cum certitudine, pactum etiam iuratum non obligabit. Quatenus vero fieri potest pacta intelligi debent, vt conditionata, vt non impediant ingressum in Religionem, commo, & matrimonium ratum hoc modo intelligi debeat. Si tamen tempore pacti manifestum fuisset, & certum vtriq; parti dilationem non esse maioris vtilitatis ad soluendum debitum, & tamen de illa contraxissent, vel illa petita fuisset, & promissa ad aliam vtilitatem ex dilatione speratam, pactum non posset intelligi, vt conditionatum conditione nisi ingressus esset æque vtilis ad debita soluenda. Et tamen ad hoc vt conditionatum intelligeretur sufficeret, quod vni videretur esse æque securum se dilationem.

76 Hinc modo deducitur non esse omninò contemnendam rationem, qua ad probandum assertum principale supra positum vtuntur D. Antoninus, Syluest. & Angelus, scilicet debitorem non teneri expectare, quia ad ingressum religionis ducitur instinctu Spiritus sancti. Hanc rationem impugnant Sanchez *num. 7.* & Cardinalis de Lugo *num. 66.* quia supponit authoritatem Spiritus sancti, quæ probanda est. Et quia non quidquid fit bono zelo iustum est. Et quia hoc modo qui deflorauit nobilem virginem sub spe coniugij, posset dicere quod spiritu Dei ducitur, vt fiat religiosus. Sed considerandum est, quod Deus non vocat nisi ad bonum, imò nisi ad id, quod omnibus pensatis in indiuiduo est melius. Vnde quando omnibus pensatis actue est malus, non Deus, sed diabolus est, qui inspirat. Si propterea omnibus pensatis videat debitor ingressum non esse malum, sed sibi esse melius ingredi religionem, non est dubium iam vocationem ad religionem à Deo esse. Verum quidem est, quod hæc ratio in hoc deficit, quod supponit probandum, scilicet, quod non differre ingressum religionis, in hoc casu non sit intrinsecè malum, quod est id, de quo disputamus. Sed & DD. isti id supponūt probatū ex ratione D. T. quia scilicet ex debito pecuniario non est obligata persona, quia possit de se disponere & trāsire de mūdo ad Deū.

77 Sed iam videamus, an principale assertum limitandum sit. Nam certè videtur admittenda exceptio, quam ponit illa media sententia, vt scilicet debitor non teneatur diù expectare, sed tamen si sit spes, vt fiat potens ad soluendum, teneatur expectare per aliquod tempus; Nam si breui possit debitor soluere, videtur quod moraliter possit soluere de præsenti. Sed hic primò consideranda est, quæ sit spes soluendi in futurum. Nam spes ista potest esse dubia, vel probabilis, vel certa. *Sanchez num. 9.* censet, quod spe dubia existente teneatur debitor paululum expectare, quia tunc possessio est ex parte creditoris, cui non debet fieri præiudicium in dubio. Sed side existēte probabili putat liberum esse debitori facere, quod maluerit, quia tunc probabile erit illum teneri expectare, & illum non teneri; vnde poterit sequi etiam partem minus probabilē. Sed Card. de Lugo *num. 72.* tenet quod in vtroque casu debitor teneatur expectare aliqualiter, licet non tantum, ac si spes esset certa. Ratio est, quia spes incerta est pretio æstimabilis, ideò tenetur debitor hoc reddere creditori, vt dum lucrum futurū non sit desperatum, experiatur, & tentet an possit ipsi satisfacere. Sed Suarez *d. cap. 7. num. 12.* spem certam requirit, quia propter spem dubiam non tenetur debitor cum tanto suo damno differre religionis ingressum. Et ita dicendum est exceptionem hanc locum non habere vbi spes lucri sufficientis ad soluendum debitum, vel totum vel pro notabili parte non sit certa. Quia damnū creditoris in bonis altioris ordinis est præsens, & certum, vnde non tenetur propter spem incertā vtilis temporalis creditoris, incurrere damnū certum in ijs, quæ ad Dei seruitium, & suam salutem spectant. Et in quibus libera est, & non obligata persona.

78 Considerandum est vlterius quantum temporis dicatur teneri debitorem expectare, vt videat, si potest soluere. Nam Petrus Nauarra loco citato *n. 78, 79.* non hoc determinat, sed ait teneri debitorem expectare, si possit breui tempore. Azor. quando possit intra paucos annos. Maior quando biennio, aut triennio. Nauar. dicto n. 8. vno, vel altero anno, Sanchez n. 8. cui consentiunt Cardinalis de Lugo, & Diana, statuit tempus biennij, & Palaus ad summum esse tempus triennij. Sed vt tempus istud assignari valeat, considerandum prius est, vnde possit haberi lucri noui spes certa, & per quæ media debitor impotens possit ex tempore fieri potens, vt debitum soluat.

79 Concedit verò illa tertia, & media sententia debitorem non teneri adhibere media notabiliter difficilia. Ita ex Petro Nauar. tenet Sanchez n. 8. Card. de Lugo n. 71. intelligit quando diffi-

cul-

lucri tanti ponderis sit, & æquiualeat detrimento manendi in sæculo per longius tempus, vel ijs detrimentis ad quæ subeunda debitor non tenetur obligatus ex obligatione soluendi talia debita. Suarez autem dicto n. 52. magis determinatè loquens, ait non oportere, vt quis cogatur ad illas negociationes, quæ de se implicant ad peccatum, vt sunt mercatora, & similia, præsertim si persona sit experta periculum in tali lucrandi genere. Nec etiam est cogenda ad petendum, & mendicandum, vt soluat, nec ad exercendas viliores actiones, & indecedentes suo statui.

80. Ex his infertur primo personæ nobili nullam spem remanere, vt ad breue tempus fiat potēs soluere, si suæ facultates non sufficiunt, nisi obtineat magistratum, vel officium suæ nobilitati proportionatum, per quod lucrari possit cum tamen neque ad exercitium talis officij teneatur, si est tale, quod de se implicet in peccato. At verò si benè reaponsetur, & si ex vna parte debita nobilia personæ sunt tam magna, vt illis soluendis non sufficiant eius facultates, difficile erit ex altera, quod intra duos annos possit tantum lucrari, vt se honestè sustentet, & suos, & adhuc possit notabilem quantitatem illorum debitorū soluere. Emolumenta enim officiorum quæ officialibus sine peccato proueniunt sunt adeo exonia, vt vix pro honesta sustentatione sufficiant. Vnde valde occidentale est nobili, vt si eius debita valorem facultatum eius excedant, possit intra biennium tantum lucrari, vt possit vel in totum, vel in partem notabilem soluere huiusmodi debita, & si aliquos habet redditus facilius satisfaciet debitis ingrediendo religionem, & ita diminuendo expensas sibi & famulis necessarias, & cedendo creditoribus tam capitale, quam fructus, quos ille percepturus esset deferendo ingressum. Itaque officium condignum nobili vel tale erit, quod de se implicabit in peccatis, quia erit difficile illud exercere sine peccato, vel valde accidentarium erit, quod inde lucretur, vnde se & suos pro dignitate sustentet, & vlterius vnde possit satisfacere debitis, quæ tam magna sunt, quod nec per capitale suarum facultatum illis satisfacere potest.

81. Mercatores verò mercaturam non tenentur prosequi, quia hæc de se implicat in peccato. Sed vlterius hoc semper occurrit difficile, quia scilicet in casu isto debita talia supponuntur, vt nec mercaturę totum capitale illis satisfacere possit; quid ergo faciet mercator debitor in paruo tempore? Mercatura de se implicat in peccato, & vlterius est res fallax, & periculis exposita, vnde etiam timeri potest ne mercator diminuat capitale. Petere autem, seu mendicare non tenetur, inseruiendo autem alteri, lucrabitur minimū quid, & facilius erit, quod magis vtile sit creditoribus, si talis mercator pauper viuat in religione, & creditores statim percipiant capitale ex quo colligant fructus, quam quod remanens in sæculo exponat periculo quæ habet, & longe maioribus expensis pro se, & suis indigeat.

82. Huiusmodi autem considerationes maiorem locū habent respectu pauperum, qui ex proprio labore viuunt, vel etiam artificum inferiorum, quorum lucrum est valde tenue, & vix superans, imo sæpius vix adæquans expensas necessarias pro sustentatione sui? Vnde ex omni genere hominum remanent soli artifices siue in mechanicis, siue in liberalibus artibus insignes, quorū lucrū est magnum, vt sūt v.g. Doct. & insignes pictores, qui labore vnius vel duorum, aut paucorum dierum summas grandes lucrantur, vel alij similes qui labore vnius diei lucrantur quantum honestè, & parcè expendere possint in plures dies. In his enim spes certa esse poterit, vt manentes in sæculo per annos paucos lucrentur, vnde soluere possint notabilem summam debitorum. Et tamen satis rarum erit, vt vnus ex illis contraxerit tot debita, vt ad illis satisfaciendum non sint satis eius facultates. Et ita omnibus pensatis valde rarum erit, vt in debitore volente ingredi religionem, cui non sufficiant facultates proprię ad debita soluenda, sit spes certa lucrandi, vnde illa soluat, vel in totum, vel in notabilem partem.

83. Quibus sic stantibus dicitur non esse necessarium debitori volenti ingredi religionem; & qui nō est soluendo, expectare per bienniū, vt procuret, vnde debita soluat. Probatur primo, quia rarum est, vt talis debitor possit habere spem certam imo probabilem per id tempus lucrandi, vnde debita illa soluere posset, & vt plurimum salubrius erit creditoribus accipere facultates eius de præsenti, quam expectare modicum maiorem fructum, aut emolumentum incertum in futurum. Tum secundo, quia tempus biennij, dosse est nimis longum, & periculosum saluti eius, qui à Deo ad religionem vocatur; quia nedum continet moralem necessitatem peccādi superius explicatam, & sic moraliter non potest talis debitor expectare sine maiori Dei offensa, sed continet periculum mutandi propositum, & amittendi vocationem cum multiplici, & maiori Dei offensa. Quod si dicas cum Suarez n. 51. quod hoc periculum non est morale, nec est admittendum in hac materia, alias idem posset allegare filius contra patrem, & coniux contra coniugem, & seruus respectu Domini, & obligatus ad ratiocinia respectu creditoris. Tum quia; hoc detrimentum non est in necessarijs, imo neque necessario infert impedimentum, nam si quis velit diligentiam habere potest illud compensare bonis operibus, aut illud vitare. Periculum autem si commune sit, & ordinarium non sufficit ad excusationem.

84. Respondetur enim, & dicitur primo, quod arguens sibi ipsi contradicit, quia in numero 52. immediatè sequenti docet hunc debitorem non posse cogi ad negotiationes, quæ per se implicant in peccato, & inter has numerat mercaturā. At verò certū est quod mercatura continet solū periculum remotum peccandi, & commune, non vero periculum proximum. Ideo secundo negatur assumptum, quia periculum illud est morale, quod euenit vt in pluribus, imo quod quadam necessitate euenit; peccatum vero magis abundare in sæcularibus, & in mundo frequenter accidere, et proposita boni non longius durent, est per se manifestum. Vnde ad argumentum dicitur, quod primum supponit falsum, scilicet quod pro debito peculi sit obligata persona. Vbi ergo sit obligatio personæ sicut in filio obligata est persona; & quidem non ex iustitia, sed ex pietate, quæ fortius obligat quam iustitia; & subuenire patri necessi-

cessitatem patienti est opus valde Deo carum. Ideo periculum remotum peccandi non excusat ab obseruantia præcepti naturalis subueniendi patri. In coniuge post matrimonium consummatum, & in seruo nedum persona est obligata, sed traditione facta est alterius coniugis, vel Domini. Et nihilominus tanta est libertas ingressus in Religionem, vt licet in sponsalibus, & matrimonio rato sit obligata persona, tamen hac obligatione non obstante, imo non obstante damno, qui alteri sponso prouenire possit, vt notauit Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *concl.* 3. sponsus statim possit sine iniustitia Religionem ingredi. In obligato etiam ratiocinijs est obligata persona, & nihilominus, si hic paratus esset ad ratiocinia, & faceret, quod in se est non teneretur ad biennium differre. Sed vbi persona non est obligata, huiusmodi periculum commune, & remotum, quod tamen est tale, quod infallibiliter vt in pluribus euenit, est plusquam sufficiens, vt persona non sit obligata, vt huic periculo maneat subiecta. Et relictis speculatiuis doctrinis, hoc in præsenti est moraliter certum, quod secularis quilibet in seculo manês potest esse perfectus, nec eius voluntas necessitatur ad peccatum, & si peccat, libere peccat, & tamen quod dixit Christus est verum, scilicet, quod necesse est, vt veniant scandala in mundo, & quod inter seculares abundent regulariter peccata. Vnde ad hæc pericula vitanda sufficit debitori si faciat quod in se est cedendo bonis suis.

85. Sed tertio veritas hæc magis explicatur, & comprobatur. Nam ingressus in religionem non fit in instanti, neque tempus præsens moraliter durat per instans, sed integratur ex pluribus partibus, & ita dum petens habitum religiosum primo probatur extra claustrum (neque enim statim ad primam petitionem admitti debet ad claustrum) benè potest hic debitor vti diligentia, & facere totum id, quod potest vt creditoribus satisfaciat.

86. Verum absolutè loquendo debitor tunc potest intrare, cum recipitur à prudente superiore, nec tenetur amplius expectare, quia obligatio pecuniæ non facit personam seruam, vt si cedat creditoribus totum id, quod habet pecunia æstimabile, non possit transire de seculo nequam ad religionem. Et huius ratio est, tum quia statim ac cessio bonorum omnium facta est coram iudice cõpetête, si corã illo fieri cõuenit, persona manet libera, & habet electionẽ liberã status melioris. Tum quia, vt plurimũ nulla erit certa spes magni lucri, vel in paruo tẽpore acquirẽdę possibilitatis soluẽdi debita, ad quę soluenda non sufficiunt bona omnia debitoris, & per magnũ tempus nõ debet expectare in graue præiudicium diuini cultus, & animæ suæ. Tũ quia vtilius erit creditoribus, vt se assecurent de capitali, & bonis, quæ debitor habet de præsenti, quam expectare maiorem satisfactionem cum periculo potius perdendi quam acquirendi. Solum igitur in casu non tam morali, quam metaphisico, si debitor ipsam habeat certam, vt in breui tempore, & tali quod moraliter censeri debeat non tam futurum, quam pręsens, possit differendo cessionem bonorũ suorum omnibus creditoribus satisfacere, dici poterit, quod teneatur differre, si tamen id facere possit sine graui periculo animæ suæ, & electionis status Religiosi, & notabilis detrimenti seruitij diuini, & perfectionis vitæ.

87. Secundo tamen videtur limitanda assertio, si ingrediens religionem fraudulenter ingrediatur. Respondetur tamen, quod hæc non est limitatio, sed assertionis explicatio. Aduertendum enim fraudem hic posse contingere ex triplici capite. Primo ex parte rei alienæ. Secundo ex parte paupertatis, & tertio ex parte ingressus religionis, & sic distingui hic debent culpabilis, seu dolosus debitor, culpabilis seu dolosus pauper, & culpabilis seu dolosus Religiosus. Primo modo, culpa, seu fraus ingressui religionis non obstat; siue enim debitor alienum habeat ex iusto contractu, siue ex fraude, aut furto, aut rapina, aut ex quocumque delicto, non manet persona obligata, nisi ad restituendum ablatum, vel amplius ad pœnam delicto proportionatam, sed hanc non tenetur ferre, nisi à iudice illatam. Ideo si debitor ex delicto non sit de hoc damnatus ad aliquam pœnam, manet liber, vt disponat de se ipso, Creditori vero satisfacit cedendo omnia, quæ habet; nam & à iudice non posset ad quid amplius obligari; quamuis posset pro mensura delicti puniri. Sed si culpa, vel fraus contingat ex parte paupertatis, & qui vult ingredi Religionem sit pauper ex dolo, vel culpa, hic est contra quẽ iura omnia clamant, & contra similes decoctores pœnam vitæ, & furum imposuit Pius V. in sua *Constit.* 122. Huiusmodi vero distingui possunt in culpabiles, & dolosos, quia nimirum quod aliqui deueniant ad paupertatem, & impotentiam soluendi debita, & sint ingenti ære alieno grauari potuit contingere ex simplici intemperantia, vel negligentia, quia nimirum æs alienum sub fide recipientes, & debita contrahentes, nihilominus non ex casu aliquo fortuito, sed ex incuria, negligentia, prodigalitate, & luxu proprias voluptates explendo, & cupiditatibus intemperanter seruiendo suas substantias subuerterunt, & dilapidauerunt, vnde facti sunt impotentes vt debita soluant. Alij vero esse possunt vlterius dolosi, qui scilicet alienum æs fraudulenter receperunt, sed sub spe cedendi bonis suis, & hoc modo se liberandi à debitis, sua negligenter curarunt, aut intemperanter consumpserunt. Disputant DD. an istis decoctoribus competat beneficium cessionis bonorum, quibusdam dicentibus vniuersaliter non competere, alijs volentibus, quod solis decoctoribus dolosis negetur hoc beneficium, de qua *quæst.* videri potest Reuerendissimus Faguanus ad *cap. Odoardus nu.* 44. *de solut.* Sed in proposito nostro dicendum est, quod huiusmodi culpabiles, & ingenti ære alieno grauati, non possunt recipi ad Religionis habitũ ex iure nouo Sixti V. vt videbimus. Sed de iure antiquo communi si vere erant pœnitentes suarũ culparum, & Religiosum statum assumere volebãt recipi poterant, nec impediebantur ex obligatione restituendi, quin possent mundum relinquere, & Deo in Religione deseruire; quia in hoc casu cessabat obligatio iustitiæ, nec in conscientia tenebantur nisi cedere bonis suis. Et sicut si in pœnam culparum suspensi fuissent, creditoribus non remanebat, vnde satisfactionem haberent, nisi ex bonis, quæ remanserunt, nec fuerant dilapidata.

Iis,

ita, poterant quidem mori mundo, & cedere omnia creditoribus, quibus alio modo satisfacere nô poterant. Nam de facto erant impotentes ad soluendum, & ideo non tenebantur restituere. Quod vero [illegible] impotentes ex culpa, hoc in foro externo poterat illis præiudicare, & ita vt si puniti essent non [illegible] deberent in Religionem ob illorum infamiam, [illegible] in foro Dei [illegible] fit ex toto corde pœnituissent. Et eadem ratio erat horum, & aliorum [illegible]torum, & seruanda fuissent, quæ supra [illegible] ad Religionem peccatoribus d[illegible] & præcipuè vitandum fuisset scandalum. Sed [illegible] modo [illegible] actum ingressus vitiat [illegible] ingre[illegible] nem, qui intrat [illegible] vt [illegible] car[illegible] iste talis, ne[illegible] Deum, & [illegible] D. Anton. 3. p. t. 16. §. 3. cap. 2. ex Sancto Raymundo.

88. Tertio [illegible] eadem assertio ex parte religi[illegible] relaxara. Nam Card. de Lugo n. [illegible] quod si debitor ingrediatur in religionem laxam [illegible] in quo parum fructus expectar[illegible] in or[illegible] ad [illegible] vel si ingred[illegible] Re[illegible] ob honem humanum, & temporale, vt v. g. [illegible] ob commodum temporale [illegible] nô potest ingredi cum præiudicio creditorum. Sed vt dictum est supra, dummodo in Religione substantialia obseruentur, semper status talis Religionis simpliciter melior statu regulari, & ideo debitor non impeditur, quin possit ingredi in Religionem. Quantum vero ad ingredientem ex malo fine add[illegible] quod in quocumque casu in quo debitor potest [illegible] cedere bonis suis ad fauorem creditorum, multo magis potest cedendo bonis suis ingredi Religionem. Et si tunc ingrederetur religionem ex malo fine, nihil obstaret, quia aliunde posset cedendo bonis manere liber a debito, & obligatione [illegible]torum. Cæterum in [illegible] religioni [illegible] hoc [illegible] detandum, quæ habet vim, [illegible] erer debitorem, ne ob debita [illegible] impediatur [illegible] religio est status nobilior, perfectior, & securior [illegible] si quis assumat [illegible] etiam ex [illegible] tamen intrat animo permanendi, & profit[illegible] & multo magis si promittetur [illegible] et peccet [illegible] bonum ex [illegible] malo, non [illegible] statum [illegible] & ad ea quæ [illegible] Vnde [illegible] mali [illegible] sed [illegible] vt debita [illegible] [illegible]

[illegible]

89. [illegible]

guiar. n. 8. & Azor. l. 12. c. 1. q. 5. quibus [illegible] Sanchez [illegible] cap. 19. [illegible] debitorem [illegible] debere per aliquot annos [illegible] spes, [illegible] soluere de[illegible] Quamuis [illegible] spes [illegible] Sanchez n. 12 [illegible] vinculum præcedentis [illegible] re, vt si votum præcessit [illegible] præualeat [illegible] debeat statim obseruari [illegible] excellentior [illegible] hæc præualeat [illegible] standum, & videtur [illegible] debitio potest [illegible] fieri, quod si ex vtraque parte sint rationes [illegible] tunc debitor [illegible] parte [illegible] & in hoc Sanchez [illegible] Ionnac. de restit. disp. 1. q. 1. p. 2. n. 2. Tamen absolutè dicitur votum præualere, & seruandum esse, quia [illegible] contraria supponit in debitore obligationem [illegible] ad [illegible] ferendum ingressum [illegible] negatur [illegible] faciat, quod [illegible] cedendo bonis [illegible] vt satis probatum est. Et ita tenent Turrectem. 57. q. 1. in summ. a. 5. n. 1. Palud. 3. d. 38. q. [illegible] n. 2. concl. 3 [illegible] D. Anton. p. 2. t. 11. c. 6 [illegible] D. T. 3. d. 33. q. 1. a. [illegible] q. 1. ad [illegible] ibi non [illegible] debitore, qui non habet vnde soluat [illegible] ex doctrina eius [illegible] hac respons. ad 3. veritas ista deducatur [illegible] promissa voto potest [illegible] implet [illegible] cedendo [illegible] tenentur dimittere [illegible] re sub [illegible] stituere [illegible] Quod [illegible] si [illegible] vbi spes soluendi [illegible] est [illegible]

90. Confirmatur ex d[illegible] quando debitum pecuniæ, vel al[illegible] ortum, vel ex re aliena accepta [illegible] mandato, sed vel ex contractu inito, quo non [illegible] transijt in transactionem, & traditio [illegible] rei, vel ex promissione liberali debentis a creditore acceptata. De primo debito loquens Suarez de Io cap. 7. n. 13. censet debitorem debere considerare an violatio pacti sit grauè nocumentum alterius partis, & tunc debitor non posse ingredi religionem, si non implere pactum non sit graue nocumentum alterius partis, quod si quemquam contingat, quia & altera pars ex parte sua manet libera ab obligatione. Et hæc [illegible] vera [illegible] debitor [illegible] cum [illegible] ingressum religionis [illegible] hoc [illegible] [illegible] tum partis. Sed vel qui [illegible] non [illegible] pactum [illegible] obseruet vel [illegible] graui [illegible] [illegible]

[illegible]

Nam & in [illegible] ad [illegible] & per [illegible] Deo [illegible]

91. [illegible] magis [illegible] de debito, quod

quod ex promissione liberali proueniat licet sit acceptata. Hoc enim debitum non impe[illegible] religionis ingressum docent etiam Med[illegible] C.de restit. q.3.causa 8.ad 4.Gerson. & sup[illegible] Gabriel lib. & Syluest.v.religio 2.q.4.& 5. A[illegible] p.1.l.11.4. 1.q.4 Sanchez l.4.c.19.n.[illegible] 39. Palaus trac. 6. d.1.p.7 §.4.n.6. Suarez dicto n. 13. Huius vero rationem reddunt Medina, Gerson. & [illegible] Gabriel. quia in hoc casu promissio facta homini commutatur in melius. Quæ ratio ver[illegible] non valet, quia imo si debitor po[illegible] promi[illegible] seruare tenetur id facere, nec promissionem factam homini licet mutare in melius eo inuito. Sed ratio est, quia huiusmodi promissioni habent adiunctam conditionem implicitam, vt non impediatur Religionis ingressus, vel retardetur. Tum secundo quia reg[illegible] promittens promissione liberali, si contingat eum non habere vnde soluat, non tenetur, id procurare, & lucrari, nisi & hoc expresse promiserit. Tum tertio ratione principali sæpius repetita, quia ex huiusmodi non manet obligata persona; vnde si non habet promittens vnde soluat, liber est, vt religionem ingrediatur.

92. Ratiocinijs vero obligatus, ex iure antiquo non poterat ingredi religionem, nisi redderet rationes, quando ratiocinia erant rei publicæ, sed quando spectabant ad priuatas personas non solum ex æquitate, & honestate censebatur necessarium, prout habetur ex cap.legem.dist.53.& ex cap. vnico de obligatis ad ratioc. Et ex lege officiales C.de Epi. & Cler. & tradu[illegible] D.An ton. p.[illegible] tit.16. §.3. Sil.v. religio 2.q.6. Armil.ibi n.5. Tab[illegible] n.11. Rosel.nu.4. Angel.v.religiosus n.10. Sanchez l.4. Mor. cap.19. n.19. Palaus tamen d.p.7.§.4. n.9. voluit hunc in vtroque casu non posse ingredi religionem. Sed hoc de iure antiquo non erat nec[illegible] nisi iuxta d[illegible] inctionem datam.

SVMMARIVM.

1 *Debitor recedens à Religione tenetur ad soluenda debita sicut prius. 93.*
2 *Monasterium, seu quicumque habet aliquid ex bonis, quæ debitor cessit creditoribus, non potest ea retinere? 88.*
3 *Monasterium ad nihil tenetur. 93.*
4 *Debitoris causa est professio. 93.*
5 *An debitor factus Religiosus teneatur lucrari vt satisfaciat, diuersimode opinatum. 94.*
6 *Monasterium quando teneatur ex iustitia pro debitis Religiosi antecedentibus Religionis ingressu. [illegible]5.*
7 *Prælatus non tenetur ex iustitia dare suo [illegible] facultatem lucrandi, vt soluat præfata debita 95.*
8 *Nisi in eum in suo ingressu fuisset iniustus [illegible]6.*
9 *Religiosus non tenetur dimittere habitum, vt lucretur ad soluenda debita. [illegible]*
10 *Opera diuersi generis, & Religionum diuersa statuta. 98.*
11 *Religi[illegible] habet peculium de [illegible] Prælati tenetur ad soluenda debita [illegible]*
12 *[illegible]*
13 *[illegible]*
14 *[illegible]*
15 *Religiosus debitor quando teneatur operari, vt debita soluat. 102.*
16 *Quid dicendum, si debitor ex iustitia non tenetur acquirere. 103.*
17 *Monasterium an teneatur restituere ex acquisitis intuitu Religiosi debitoris. 104.*
18 *Monasterium aliquando tenetur satisfacere ex acquisitis opera Religi[illegible] 105.*
19 *Quid de acquisitis donatione. 106.*

[illegible] tiam, vt debita soluat. 101.

93 QVeritur nih[illegible] an debitur, qui ingressus est Religionem remaneat omninò solutus a debitis, an vero ad aliquid teneatur etiam postquam factus est religiosus. In hoc vero puncto, certum est primo, quod si egrediatur a religione ante professionem, manet ligatus sicuti prius erat, quia remanet in priori statu suæ vitæ, & obligationis. Certum est, secundo, quod cum in nostro casu hic debitor cesserit creditoribus omnia sua iura, si aliquid proueniat monasterio in[illegible] tuitu illius in vi iuriuin, quæ habebat antequam fieret religiosus, & quæ cessit creditoribus pro so[illegible] debitorum, quod ex illo solui debent debita, imo lucra cessantia, & damna emergentia, si ex solutionis dilatione debitor ad [illegible] tenetur, & creditores iuste illa exigere possunt. Quia ius illud fuit cessum & [illegible] creditoribus in cessione bonorum, vnde creditores ex eo, quod ex illo inde prouenit, primo possunt sumere id quod illis iuste debetur, & [illegible] remanet illud erit religionis. Et hoc verum est etiam si non monasterium, sed aliquis tertius [illegible] loco religiosi, & eius loco succedet, quia quod prouenit cuicumque ex [illegible] quod habebat debitor [illegible] antequam fieret religiosus, totum prouenit ex [illegible], quod fuit cessum [illegible] creditoribus, qui quidem in h[illegible] priores [illegible] quo[illegible] que alio, nisi ius tale est, quod omni[illegible] ratio ingressum in religionem, & transiret a[illegible] ad alios, sed si ad alios transit medio religioso & intuitu illius, & vel ex donatione eius [illegible], vel ex testamento, vel titulo hæredi[illegible], & est tale quod comp[illegible] tur sub cessione, non transit nisi tanquam ius, quod debitor [illegible] creditoribus, seu tanquam ius creditoribus o[illegible], & ære alieno grauatum, ex quo prius debita sunt soluenda. [illegible] est tertiò. Monasterium ex prop[illegible] ad [illegible] teneri. In h[illegible] casu monasterium [illegible] accipit eum debitor [illegible] omnia [illegible] quæ ad soluendum etiam [illegible] D[illegible] autem nun [illegible] cum [illegible] sit creditorum a[illegible], per[illegible] e[illegible] de[illegible] non est cred[illegible], nec damnum creditoribus inf[illegible], cum vtatur iure [illegible] eum, qui a creditorib[illegible] pote[illegible]. Vnde [illegible] est quartò, d[illegible] de [illegible] antiq[illegible] val[illegible] profitetur [illegible] seruat[illegible] a[illegible] uan[illegible] Ca[illegible] de rest.q.28.dis.3.Pe[illegible] Nau[illegible] lib.4. cap.4. dub[illegible] num. [illegible] Medina C de [illegible] quæst.2. causa 8. ad [illegible] A[illegible] art. de restit. ar.2. d[illegible] concl. 1. [illegible] Fagund[illegible] tract.19 num.5. [illegible] tom.3.de Rel[illegible]

94 [illegible] remane[illegible] si religiosus possit laborare [illegible] debita [illegible] soluat

soluat teneatur laborare, & Prælatus facultatem ad hunc finem laborandi ei concedere debeat. Affirmant enim multi talem religiosum teneri laborare, vt lucretur, vnde debita soluat. Et fundantur, quia cessio bonorum non liberat ab obligatione soluendi debita; non ergo manet iste religiosus liber à debito satisfaciendi creditoribus, etiam si ad illorum fauorem cessit bonis suis; tenetur igitur facere, quod potest salua regulæ obseruantia ad hoc, vt creditoribus satisfaciat. Item in tantùm hic debitor manet solutus à solutione, inquantum religio impedit, ne soluere valeat; igitur vbi religio non impedit, non est vnde maneat solutus ab ea obligatione faciendi quod in se est, vt debita soluat. Et ita huius sententiæ sunt Medina *C. de restit. q. 3. causa* 8. *ad* 5. Nauar. *Com.* 1. *de regul. num.* 8. Maior. *d.* 38. *q.* 17. Angles *floribus* 2. *p. q. quis à restitutione* 1. *lib. a.* 2. *dif.* 12. Bonaccina *disp.* 1 *quæst. vltima p.* 2. *n.* 7. Cardinalis de Lugo *dicta disp.* 21. *num.* 81. quod adeò verum aliqui putant, vt dicant Superiorem teneri dare licentiam religioso tali, vt laboret. Ita Maior ad argumenta contra quartam, & Medina, & Nauar. qui addit Prælatum teneri dare hanc licentiam, etiam in horis ad diuina, vel officia monasterij deputatis, quatenus possit eum honestè ab illis excusare. Et alias Medina, & Angles ita hoc ampliant, vt dicant Prælatum teneri dare licentiam religioso, vt in habitu seculari laboret, si aliter non potest lucrari vnde debita soluat. Et Angles vult religiosum ad huiusmodi laborem teneri, etiā inuito Superiore. Medina verò putat religiosum excusari si Prælatus etiam iniustè licentiam neget. Hanc verò licentiam laborandi Angles, & Angelus *v. Religiosus n.* 7. putant non posse concedi à Prælato sine conuentus consensu, cuius oppositum sentiunt Medina, & Nauarrus. Bonaccina *de restit disp.* 1. *q. vlt. p.* 2. *num.* 7. vult quod & hic Religiosus teneatur laborare & lucrari vnde soluat, & quod Superior teneatur licentiam dare id faciendi, si fuit conscius debitorum, antequam debitorem admitteret ad religionem. Sed dedum non teneri Superiorem ad dandam licentiam religioso, vt laboret pro soluendis debitis ante religionis ingressum cōtractis, sed nec religiosum teneri ad laborandum multi alij tenent, quia ideò debitor satisfacit creditoribus cedendo bonis suis vt religionem ingrediatur, quia pro debito pecuniæ non manet serua persona, & obligata, vt non possit mutare statum seculi in statum religionis, qui est status libertatis à mundanis curis, com religiosus totus se Deo in obsequia religionis donet. Et præterea religiosum laborare propter lucrū, & ad effectum satisfaciendi creditoribus est medium extraordinarium, ad quod debitor non tenetur. Et ita huius sententiæ sunt, Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *num.* 15. D. Antonin. 2. *p.* 1. 11. *c.* 2. 5. *fin. &* 3. *p. tit.* 16. *c.* 2. 5. 3. Syluest. *v. religio* 2. *q.* 4. *& ibi* Tabien. *q.* 11. Rosella *v. religio* 2. *n.* 5. *& verb. restit.* 16. *num.* 3. Angelus *v. religiosus nu.* 7. Aragon. 22. *q.* 62. *a.* 8. *casu* 8. Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 19. *num.* 14. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 7. §. 4. *nu.* 8. Facundez *lib. t. de contractibus cap.* 19. *numer.* 7. Bordon *cap.* 2. *q.* 59.

95 Et quidem Superiorem regularem non teneri dare licentiam religioso laborandi ad finem soluendi debita ingressum religionis antecedentiā est sine dubio verum ex prioris sententiæ authoribus; & hoc idem tenet Cardinalis de Lugo *num.* 82. Et ratio est, quia nec religio, nec superior obligatur ex iustitia huiusmodi creditoribus; Vnde non tenetur ex suo illis satisfacere; est verò Religio in hoc domina subditi religiosi, vt possit eum implicare iuxta regulam in quocumque opere, vndè in huius iuris præiudicium, non tenetur dare licentiam subdito ad vtilitatem creditorum.

96 Vndè multo certius est, Superiorem non debere dare licentiam religioso, vt laboret in habitu seculari, cum imò hoc non possit concedere, cum nec causa subueniendi parentum necessitati possit superior concedere, vt religiosus dimittat habitum, sed hoc concedere ad Papam pertineat. Intra religionem verò Superiorem posse hanc licentiam concedere, etiam non requisito consensu conuentus per se notum est, quia hoc non superat facultatem Superioris, qui habet administrationem vniuersalem religiosorum, & bonorum Conuentus. Sed tamen si conuentus repugnaret, & nollet lucrum hoc cedere in vtilitatem creditorum, id facere posset, quia ipse Conuentus est dominus eorum, quæ religiosus acquirit, nec possunt alienari eo inuito: Et in hoc sensu intelligo quæ habet Angelus *num.* 7. Et nihilominus si contingat, quod ingressus debitoris in Religionem sit contra iustitiam, Facund 2 *ib. t. de contractibus cap.* 19. *num.* 7. *in fin.* existimat, quod etiam in casu in quo debitor ingrediē peccet ingrediēdo, post professionem non teneatur acquirere, vnde debita soluat, eo quòd hoc sit impossibile moraliter, & quod neque superiores teneantur concedere ad id licentiam. Sed Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 6. *c.* 10. *num.* 7. cum existimet debita ciuilia extingui per professionem, adhuc tamē vult, quod vbi debitor iniustè agit profitendo, teneatur modo sibi possibili intra religionem manens soluere illa debita, quia tunc illi non suffragatur mutatio status, sed iniuria illata creditoribus illum obligat ad illis satisfaciendum. Verum in hoc casu nedum tenetur Religiosus, sed pro sua parte Conuentus, seu Religio si culpabiliter talem debitorem iniustè ingredientem admisit ad professionem. Nam tunc religio est iniusta causa damni creditorum, quæ iniustitiæ debitoris cooperata fuit. Vndè dato, quod religiosus admissus ad ad professionem excusaretur ex impossibilitate soluendi debita, quæ soluisset manendo in seculo, non excusabitur monasterium, si alias habeat bona, vnde possit reddere iodemnes creditores, & illis satisfacere pro damno, quod causauit creditoribus iniusta receptio debitoris ad professionem. Monasterium tamen in hoc casu non tenetur nisi pro quantitate damni à se dati. Cæterum in religioso manet obligatio ad debita soluenda, si commode possit ea soluere. Neque hoc est contra Palud. D. Antonin. Syluest. Tabien. & alios, quia illi DD. non loquuti sunt in terminis iniustè ingressus Religionem, sed supposuerunt debitorem cedentem bonis suis posse sine iniustitia profiteri, & de isto dixerunt non teneri operari in Religione, vt soluat debita.

98 Quibus stantibus distinguendæ sunt actiones lucratiuæ, & religiones, quia in hoc non potest

rest esse eadem ratio de omnibus religiosis, & de omni actione. Nam triplicis generis sunt actiones lucratiuæ, aliæ scilicet ad quas religiosus tenetur vel ordinatur ex regula, vt sunt concionari, docere, & antiquitus erat labor manuum respectu ordinum Monachorum, qui ex manuum labore viuebant: aliæ sunt quæ non dedecēt religiosum, sed tamen ad illas religiosus nec tenetur, nec ordinatur ex regula, vt est pingere; aliæ tandem sunt quæ vel dedecent religiosum omnem, vel dedecent religiosum talem ratione particularis conditionis illius. Similiter religionum aliæ sunt in quibus religiosis conceditur peculium ad vsus honestos, seu etiam conceduntur ad eosdem vsus religiosos & necessarios in totum vel in partem eleemosynæ, quas concionando recipiunt, vel etiam stipendia cathedrarum: Aliæ vero sunt in quibus religiosis non conceditur ad vsum nisi vestitus, & victus, & pauca supellectilia cellæ, quorū dominiū iuxta diuersas religiones est vel apud Conuentum, vel apud Sedem Apostolicam.

99 Dicitur primo Religiosum non teneri ad illa opera, quæ impediunt Regulæ obseruantiam, vel quæ sunt inductiua ad peccatum, & vt talia sunt Religiosis prohibita, vt est mercatura, vel quæ quacumque de causa dedecent statum Religiosum, vel quæ sunt valdè difficilia, & extraordinaria, vel quæ etiam intra statum Religiosum non conueniunt Religioso debitori secundùm conditionem suæ religiosæ dignitatis, & qualitatis. Et ratio est, quia debitor ad huiusmodi media, vel mala, vel non conuenientia personæ, & extraordinaria non tenetur, vt soluat debita; quod præcipuè est verum de eo, qui fecit quod in se est cedendo bonis suis, & ingressus est religionē, vt Deo seruiat. Et attendi debet conuenientia etiam intra in Religione ex qualitate personæ. Nam Sacerdos non obligatur ad opera propria laicis, nec laicus ad opera Sacerdotum, & inter Sacerdotes dantur qui sunt digniores gradu, aliqua enim decent Sacerdotem simplicem, quæ non decent Lectorem, vel Concionatorē, vel Magistrum in Theologia. In hoc tamen non esse attendendas qualitates, quas habebat Religiosus in seculo aduertit Cardinalis de Lugo *d. disp. 21. num. 23.* Nec tamen sunt omninò omittendæ. Quamuis enim non dedeceat v.g. nobilem genere factum religiosum operari manibus, quod non fuisset conueniens illi manenti in seculo, tamen non per hoc omne genus operis conueniet in Religione valdè nobili, sed ea qualitate nobilitatis redundare poterit aliqua indecentia respectu huius, vel illius generis operis. Itaque etiam in terminis primæ sententiæ Religiosus debitor non tenetur ad opera quæ non sunt status, vel qualitatis suæ cōuenientia, sed censeri debeant difficilia, & extraordinaria, seu etiam inhonesta, & mala.

100. His suppositis dicitur secundò, quod Religiosus huiusmodi, qui non satisfactis creditoribus ingressus est claustrum, & est professus, si habet peculium, & generalem licentiam eo vtendi ad vsus honestos, tenetur ex illo satisfacere creditoribus. Ratio est, quia in hoc religioso durat naturalis obligatio soluendi debita, si potest; non est vero impotens ad restituendum, vel satisfaciendum iustitiæ, qui habet, quo vtatur ad vsus honestos, quia honestum valde est restituere alienum, seu soluere debita, & satisfacere obligationi iustitiæ. Et in hoc casu, vt dixi etiam supra *q. 186. a. 7. num. 514.* licet superior ex rigorosa iustitia non teneatur dare licentiam subdito, vt restituat, quia peculium est conuentus; tenetur tamen ex æquitate, & honestate & sui officij fidelitate, ita quod si repugnet sit contrariè irrationabiliter inuitus, & tunc adsit in subdito præsumpta licentia Conuentus, & superiorum maiorum. Quia irrationabile est concedere vniuersalem administrationem ad vsus honestos, & reseruare vsum ad finem restituendi, seu soluendi debita, nisi in hoc detur particularis aliqua ratio id faciendi. Dictum tamen est, si Religiosus habet peculium, & illius administrationem vniuersalem ad vsus honestos: Quia si Religiosus habet quidem peculium deputatum ad sui vsum, sed cum dependentia à licentia superioris obtinenda toties, quoties eo vti debet, vel peculium, & licentiam eo vtendi ad vsus determinatos, & non aliter, non potest ea peculio soluere debita sine speciali licentia sibi concessa. Et nihilominùs si Religioso conceditur peculium ad vsus honestos ipsius Religiosi, si Religiosus petat licentiam, vt de eo soluat debita, regulariter non potest negari: Nam & superior ex fidelitate sui officij tenetur nedum dare licentiam, sed procurare quod subditi satisfaciant, si possunt, obligationibus suis. Ideò iuxta dicta superius *q. 186. a. 7.* inspectione quinta, & septima, quotiescumque subditus habebit licentiam etiam præsumptam soluendi debita, vel hæc sibi fuerit irrationabiliter contrariè negata, poterit, & debebit propria debita soluere.

101. Remanet igitur videndum primo, an Religiosus teneatur operari, vt acquirat peculium ex quo soluere possit, & an teneatur habito peculio ad vsus determinatos petere à superiore licentiam ex eo soluendi debita. Sed incipiendo ab hac secunda difficultate, cum debitor non teneatur mendicare, vt soluat debita, vel ab amico petere vndè possit restituere, & peculium concessum Religioso verè sit Monasterij, non verò Religiosi, petere verò licentiam restituendi ex peculio Monasterij sit petere eleemosynam, vel saltem postulare ab amico, vt habeat vnde restituere debeat, videtur sequi, quod Religiosus ex iustitia non tenetur petere licentiam soluendi debita ex peculio sibi ad vsus tantum determinatos concesso, & ita vt ex eo nihil expendere debeat sine licentia speciale. Verum his non obstantibus dicitur, quod in Religionibus in quibus est vsus peculij, vel depositi, quia nimirum, quæ acquiruntur opera Religiosi, vel ei ab extrinseco donantur conseruantur quodammodò separata ab illis, quæ sunt ad vsus communes deputata, tanquā destinata ad vsus eiusdem Religiosi rationabiles, etiam si non omninò necessarios, Religiosus, qui habet huiusmodi peculium, vel bona suo vsui destinata tenetur petere licentiam à Superiore, vel ei manifestare statum suæ obligationis, vt ab eo facultatem habeat soluendi debita sua. Quia hic Religiosus debitor habet, vnde soluat; Nec est vnde dicatur, quod non tenetur quis mendicare, vt soluat debita, quia petere licentiam ad effectum soluendi debita, vtendi eo, quod est destinatum

natum suo vsui, nec est mendicare, nec est petere ab amico, vt soluat pro se debitum, sed solum est in recognitionem auctoritatis superioris petere, vt ex eo, quod ad vsus suos est deputatum possit vti ad satisfaciendum suæ obligationi; vnde ipse subditus ex iustitia tenetur hoc petere. Licet verò superior ex iustitia non teneatur concedere, ad id tamen tenetur, si aliud non obstet, ex fidelitate officij, ex qua tenetur non impedire, sed dirigere, & procurare, vt suus subditus Dei præcepta obseruet. Sed in Religione in qua non dantur bona ad vsum particularem Religiosorũ separata, sed omnia ad vsum communitatis destinata sunt, & Religiosi non habent ad vsum, nisi necessaria sibi de massa communi dispensata, Religiosus debitor nec habet, vnde debita soluat, cum non habeat, nisi vsum facti eorum, quæ sunt necessaria, nec tenetur petere licentiam, vt de massa communi debita priuata soluat, quia bona illa sunt Monasterij, quod non tenetur ad soluendum debita priuata religiosi contracta, dum esset secularis.

102. Hac eadem ergo distinctione soluitur prima difficultas supra proposita. Nam vbi locrum operum conceditur, & deputatur ad vsum honestum operantium Religiosorum; quia in similibus Religionibus eorum opera sunt quodammodo operantium, quia possunt vti ad vsus honestos lucro, quod ad eadem opera consequitur; dicendum est in huiusmodi Religionibus Religiosos debitores teneri de licentia superiorum operari, vt inde debita soluere possint. Cum enim cessio bonorum non extinguat obligationem soluendi debita, & propterea hæc obligatio maneat in religioso debitore; ideò si operando secundum quod sibi conuenit, seruata regula, & status religiosi dignitate, potest habere, vnde sibi de necessarijs prouideat, & ampliùs, vnde debita soluat, ad id tenetur. Sed tamen verùm est, quod qui cessit bonis debet secundum sui status conditionem operari primo quidem, vt viuat, nec potest à creditoribus in hoc molestari; sed si vltra vitæ necessaria acquisierit, vnde debita soluat; tenetur ea soluere, & si aliundè necessaria habeat ad vitam; si tamen, salua saltem sui status dignitate, potest media aliqua saltem ordinaria inuenire per quæ habeat, vnde soluat, quod debet, debet media illa adhibere. Ita religiosus debitor, qui cessit bonis, si potest secundum decentiam sui status, & suorum superiorũ licentiã obtinere, nedũ vnde subueniat necessitati suæ, sed etiã vnde soluat debita, ad id tenetur. Dubitatum verò fuit antiquitus, an hic religiosus de lucro deducere debeat expensas, & ex Innocent. D. Anton. & Syluest. locis citatis dixerunt non esse deducendas, quia Religiosus de altari viuere debet. Sed veritas est, quod si aliundè Religiosus non haberet necessaria, illa non deberet ex lucro deducere, Suarez *tom. 3. de relig. l.6. cap. 10. n. 4.* sed si ea non habet, prius sibi prouidere debet parcè de necessarijs, & de residuo soluere debita. Dubitari etiam posset, an ille Religiosus teneatur etiam petere dispensationem ab obligationibus regulæ, vt possit amplius operari, & lucrari. Sed dicendũ est hanc posse esse causã iustã dispẽsandi cũ Religioso huiusmodi, sed nec superiorẽ teneri dare, nec illũ Religiosũ teneri petere, quia, vt communiter DD. tradunt, huiusmodi debitor tenetur ad operandum salua regulæ obseruantia. Sed in Religionibus vbi Religiosi non habent, nisi facti eorum, quæ sibi ad vitam de massa communi tribuuntur, religiosi non teneantur operari, vt soluant debita, quia nec habent ad proprium vsum, nec etiam proprias operationes, vel lucrum minimum, quod proueniat ex illis, sed totum est de massa communi, ex qua non est necesse soluere debita priuata Religiosorum. Et sic cum hac distinctione reducuntur ad concordiam opiniones relatæ.

103. Hæc tamẽ dicta sũt in terminis illius sententiæ, quæ vult, quod debitor, si potest, teneatur ex iustitia acquirere, & lucrari, vnde debita soluat, si non habet aliundè. Sed in sententia eorum, qui volunt debitorem ex iustitia non teneri ad acquirendum bona, si non habet, vnde soluat debita, absolutè dicendum esset, Religiosum debitorem non teneri ad operandum, & lucrandum in Religione, vnde debita soluat. Sed & Suarez *t.3. de Relig. l.6. cap. 10. n.4.* arbitratur omnia ista debita ciuilia extingui per professionem, per quam Religiosus moritur mundo: communiter tamen DD. tenent naturalem obligationem soluendi debita manere in Religioso.

104. Sed hinc oritur difficultas non parua; Nam ex his videtur omninò dicendum, quod nec Religiosus, nec monasterium teneatur satisfacere pro debitis Religiosi antecedentibus professionẽ illius, etiam si post professionem monasterium intuitu Religiosi acquirat aliquid liberè datum, vel legato, vel testamento, vel donatione. Nam huiusmodi non acquiruntur Religioso, qui est incapax habendi proprium, sed acquiruntur monasterio; si ergo Religiosus eximitur ab onere operandi, & lucrandi, & ex lucro satisfaciendi, quia operæ, & lucrum non sunt sua bona, sed sunt monasterij, eadem ratione si Religioso aliquid donetur, nec ipse, nec monasterium tenebitur de illo satisfacere creditoribus. Et nihilominus quod monasterium teneatur satisfacere creditoribus pro debitis Religiosi antecedentibus professionem, si aliquid intuitu eiusdem Religiosi adueniat monasterio per legatum, testamentum, vel donationem, docent D. Ant. *p.3. tr.16, cap.2. §.3.* Syluest. *v. religio 2. q.4.* Felin. *in cap. Cum. l. & A. n. 10. de sen. & re iud.* Azor. *p.1. l.12. cap.10. q.8.* Sanchez *l.7. in Decal. cap.31. n.4.* & apud eum Beltran. Monal. Tapia, & Molina. Diana *p.3. tr.2. resol.41.* Fagundez *lib.1. de cõtr cap.19. n.4.* Et probatur hoc à Sãchez, & Fagũdez, quia regula illa quidquid acquirit Monachus acquirit Monasterio fallit in Monacho debitore, qui si cum esset ære alieno oppressus admissus fuit ad religionem, tunc quidquid proprio opere, labore, industria, hæreditate, vel donatione comparat, acquirit creditoribus, non verò Monasterio. Sed Castro Palaus *tr. 16. disp.3. p.16. n.3.* dubitat de hoc asserto, quia Religiosus secundum probata ab eo alibi ex vi professionis manet liber à debitis, quæ remanent extincta, nec ipse Religiosus tenetur operari, vt de lucro satisfaciat; neque ad id faciendum superior tenetur licentiam dare. Et certè difficile est videre qualiter non sibi contradicat Sanchez, qui *lib.4. cap. 19. n.14.* tenet quod nec Religiosus tenetur ad lucrandum per opera, vnde creditoribus satisfaciat, & nec monasterium ipsum tenetur ad talem satisfactionem: & tamen loco proximè citato vult, quod monasterium ex

acquisitis opera, & industria Religiosi teneatur eius debita soluere; sed neque apparet quomodo monasteriũ teneatur ex acquisitis testamento, vel donatione, quia semper militat eadem ratio, quia huiusmodi acquisita non fiunt Religiosi, qui est incapax dominij; si verò fiant monasterij, vnde probatur, quod monasterium debeat satisfacere de suo? Dicere verò, quod huiusmodi bona acquiruntur creditoribus fundamentum non habet. Nam debitor non acquirit creditoribus, sed acquisita sua facit, si sit capax dominij, & aliud est, quod acquisita à debitore sint obligata creditoribus, quod verum est, aliud est, quod sint creditorum antequam illis à debitore tradita sint, quod non est verum. Et in proposito huius signum est, quod si monasterio relinquatur aliquid intuitu religiosi debitoris, monasterium relicti possessionem accipit, & accepti fit verus Dominus, nec creditores Religiosi habent ius in re, nec possessionem talis relicti immediatè assumunt, nec de eorum manibus recipit monasterium, ea quæ Religioso suo sunt relicta, sed monasterium immediatè adit illa bona relicta. Quod si dicatur, quod bona illa verè acquiruntur monasterio, sed ad illud perueniunt hypotecata, & obligata creditoribus religiosi: vnde hoc probatur? At inquis probatur ex eo, quod cessio bonorum non extinguit omninò debita, sed manet semper obligatio, vt si cedẽs habuerit, vnde satisfaciat creditoribus, ad id teneatur? Respondebitur, quod pro debito pecuniario, cum nõ sit obligata persona, remanent directè obligata bona personę, si ad fuerint, sed religiosus est incapax habendi bona; Cum ergo bona non sint obligata creditoribus, nisi in quantũ sunt bona debitoris, quæ adueniunt eius intuitu post professionem, quomodo possunt esse obligata creditoribus, si nullo modo sunt Religiosi debitoris? At dices: hæc bona sunt Religiosi fictione iuris, quia non sunt monasterij, nisi in quantũ gerit personam Religiosi. Sed primo probandum esset, quod hæc fictio sufficiat ad obligandum monasterium ad soluendum de eo, quod realiter est suum, licet dicatur fictione iuris esse sui Religiosi. Sed negatur etiam hæc fictio, quia cum Religiosus omni iure sit incapax proprietatis, non potest fingi, quod aliquod sit suum ex eo solum, quod in gratiá illius relinquitur monasterio, vel ex eo, quod verbo aliquid illi relinquitur. Et eo magis quod bona relicta Religioso acquiruntur monasterio accessoriè ex eo, quod monasteriũ sit dominus personæ, & si Religiosus ipse non est sui iuris, nec est sui ipsius, sed totus est monasterij, antecedenter ad omne ius creditorum, quod est ius ad bona subsistit ius monasterij, quod est dominus personæ, & ratione talis dominij præueniens omne ius Religiosi ad habendum aliquid proprium, præuenit etiam omne ius creditorum, quod solum respicit bona quatenus sint bona Religiosi.

305. Palaus autem loco supra citato difficultatem hanc reliquit indefinitam, & ab alijs definiendam. Quæ tamen habet duplicem partem. Prima est, an monasterium teneatur soluere debita huiusmodi Religiosi debitoris ex acquisitis opera, & industria eiusdem Religiosi. Et pro hac parte difficultas est resoluta à pluribus Doctoribus supra citatis, qui dixerunt hunc Religiosum debitorem, nec teneri operari, vt soluat debita, nec superiorem teneri ei dare licentiam, vt operetur. Ex his enim manifestè sequitur, non teneri monasterium ad soluenda debita sui religiosi ex acquisitis ab illius opera, & industria. Et si dicatur, quod licet non teneatur monasterium facere, vt religiosus operetur ad soluenda huiusmodi debita, tamen si contingat Religiosum operari, & lucrari, teneatur ex hoc lucro soluere debita: Respondetur, quod hoc non potest deduci; quia si nõ tenetur facere, vt Religiosus operetur, vt ex lucro soluat debitum, hoc est, quia non tenetur ad debiti solutionem, quia si teneretur ad hoc, teneretur etiam ad adhibenda media non extraordinaria ad hoc, vt acquiri posset, vnde debitum solueretur, & sic teneretur ad hoc, vt compelleret Religiosum ad operandum iuxta sui conditionem, quantum fieri posset salua regulæ obseruantia. Sed secundò adest alia ratio, quia nunquam tenetur monasterium de suo soluere huiusmodi debita. At verò operæ Religiosi sunt monasterij. Ideò hæc pars quæstionis ex supra probatis soluitur. Nam vbi monasterium relinquit acquisita opera Religiosi, vt aliquo modo segregata ab alijs bonis monasterij, & vt deputata ad vsus honestos eiusdem Religiosi, eiusdem rationis est dicere, quod tenetur Religiosus, sicut dictum est teneri, & quod teneatur monasterium ad soluenda præfata debita ex bonis illis acquisitis opera Religiosi, & ad vsus eius honestos deputatis, quãuis monasteriũ verè ex iustitia non teneatur. Sed vbi nõ datur hæc bonorum veluti segregatio, sed Religioso operanti, nihil relinquitur ad vsum ex ijs, quæ eius opera acquiruntur, nisi quod eius sustentationi religiosę conuenit, & alias totum ad communem vsum Religiosorum deputatur; sicut nec Religiosus tenetur, sic nec tenetur monasterium de illis acquisitis soluere debita priuata Religiosi, cuius nec opera, nec operum fructus propria sunt, nec etiam quantum ad vsum, sed prorsus sunt monasterij. Et hoc sine dubio est de mente aliorum DD. quos retuli pro secunda sententia.

306. Secunda verò difficultas est de ijs, quæ intuitu Religiosi veniunt ab extrinseco testamento, scilicet, legato, vel donatione. Et de ijs specialis est difficultas ex eo, quod non sunt acquisita ex fundo monasterij. Sed ab extrinseco, licet sint data intuitu Religiosi: Et de istis D. Anton. & Syluest. citati dicunt solui debere debita Religiosi professionem antecedentia. Quod tamen de illis monasterijs, qui hoc modo acquisita deputant in totum, vel in partem ad vsus honestos Religiosi, cuius intuitu acquiruntur, non habet apud me difficultatem; iam enim monasterium ipsum ex vi huius deputationis applicat huiusmodi bona ad præfatorum debitorum extinctionem, cum hæc extinctio sit illorum bonorum vsus honestissimus. Sed absolutè, quod monasterium teneatur soluere debita Religiosi antecedentia ex ijs, quæ post professionem liberè donantur eidem religioso, seu eius intuitu monasterio, difficultatem habet. Ad quam mihi videtur respondendum satis probabile esse, quod ius illud, quod monasterium acquirit ex vi professionis, vt bona omnia, quæ professo donabuntur, aut relinquentur sint monasterij, sit conditionatum, hac condi-

ditione; vt ex eis debita professi soluantur. Et quod spes habendi dono, legato, hæreditate, quam habet, qui profitetur, seu ius acquirendi dono, legato, hæreditate, quod ex persona professi transit in monasterium, transeat sub conditione, tanquam ius suo modo creditoribus obligatum, ac proinde quod monasterium ex sic acquisitis intuitu professi debitoris ante professionem teneatur creditoribus satisfacere. Nec inde inferri potest, quod sic etiam Creditoribus obligatæ sint Religiosi operationes, vt si per illas aliquid acquiratur monasterio ex illo soluenda sint debita. Quia persona eiusque actiones non sunt obligatæ pro debito pecuniario, quin possit persona ad statum alterum transire, ideò in professione persona in totum sine conditione se donat, & tradit monasterio, & accidit actionibus, quod sint lucratiuæ, & sic cum actiones Religiosi sint monasterij, si contingat aliquid lucri ex eis obtineri, id pertinet ad monasterium, tanquam proueniens immediatè ex re sua.

S V M M A R I V M.

1 *Post consumatam matrimonium coniux non potest ingredi Religionem*. 107.
2 *Etiam si consumatio fuerit coacta*. 108.
3 *Censebitur verò consumatum, si vir seminauerit intra vas, &c.* 109.
4 *Coniux ingressum socium etiam de licentia sui ante professionem potest reuocare*. 110.
5 *Non est eadem ratio de patre, qui filium oblatum Religioni, non potest reuocare*. 110.
6 *Sub aliquibus conditionibus coniuges possunt ingredi Religionem*. 111.
7 *Vno coniuge adultero, alter potest ingredi Religionem*. 112.
8 *Qui sponsalia contraxit, potest transire ad Religionem*. 113.
9 *Qui sub promissione matrimonij deflorauit virginem, habet obligatam personam, & tenetur contrahere matrimonium, & non potest Religionem ingredi*. num. 114.
10 *Etiam si non deflorauit, sed familiariter cum virgine conuersatus fuit*. num. 115.
11 *Etiam si deflorauit honestam viduam*. n. 115.
12 *Nec sufficit contrahere matrimonium & non consummare*. n. 115.
13 *Etiam si sponsalia fuerint ficta, deflorator teneatur defloratam ducere*. n. 116.
14 *Vbi promissio non antecessit causalitate deflorationem, deflorator non tenetur ducere defloratam*. 117.
15 *Qui deflorauit virginem, quando non possit ingredi Religionem*. nu. 118.
16 *Regula ad cognoscendum quando debiter impeditur ab ingressu*. nu. 119.

De impedimento orto ex obligatione matrimonij.

107. VLterius autē de matrimonij obligatione loquēdo satis constat, quod matrimonio rato quidē, sed non consūmato potest alter coniux ingredi religionem, & validè, & licitè, non vero matrimonio consummato, vt habetur *capit. ex parte, cap. ex publico, cap. placet, de Conuers. coniug. & cap. Agathosa. 27. qu. 1.* Quod verum est nedum intra bimestrē, sed etiam post: licet enim post bimestrē peccet coniux non reddendo debitum alteri coniugi petenti, tamen si non reddidit potest quicumq; illorum religionem validè ingredi; quia hoc est priuilegium religiosæ professionis, vt huiusmodi obligationes etiam perpetuæ intelligantur sub hac conditione, nisi contrahens velit religionem ingredi. Consummato verò matrimonio iam coniuges facti sunt vna caro, & contractus ex adiuncta traditione consummatus facit, vt iam vir sit mulieris, & mulier viri, vnde sine alterius iniuria non potest alter eorum se tradere religioni.

108. Sed quid dicendum, si quis coniugum intra bimestre vi, vel metu cogeretur consummare? Eum coniugē, qui passus fuit vim posse ingredi Religionem affirmant plures, quia vis non debet fauere vim facienti, & ex iniuria, quam patitur, qui cogitur inuoluntarius consummare, ipse non debet vlteriùs pati damnum priuationis libertatis ad religionis ingressum. Et ita si fuit absoluta violentia tenuerunt Syluest. *v. diuortium q. 5. Armilla n. 6. Tabien. v. mutationes. 7. q. 1. n. 2.* Quod extendunt alij etiam ad sponsam cognitam per metū. Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 22. num. 12.* & apud eum Petrus de Ledesma. Sed dicendum est oppositum, quia tale matrimonium verè est consummatum, & coniuges facti sunt vna caro, & potest esse, quod ex copula oriatur proles. Et licet sponsa passa sit iniuriam, satisfiat illi pro iniuria, & sibi imputet, quæ non fuit satis cauta, tenendum in hoc casu iudicandum est de illa, ac si vi fuisset vulnerata, & facta inhabilis ad religionem. Et ita tenent post Hostien. D. Ant. *p. 2. tit. 5. cap. 7. §. 1. & p. 3. tit. 1. cap. 21. § 1. in fin.* Sotus *4. d. 27. q. 1. a. 4. in fin.* Basilius *lib. 9. cap. 10. n. 2.* & quam plures alij apud Sanchez, vbi supra, & quos refert, & sequitur Leander *trac. 9. disp. 5. q. 33.*

109. An verò si vir solus seminauerit censeatur consummatum matrimonium; & ideo non sit liberum coniugibus ingredi religionem? Negant probabiliter *Diana p. 5. tr. 13. resol. 54.* Sanchez *lib. disp. 21. n. 11.* & alij. Sed oppositum tenendum est, quia solo viro seminante posse mulierem concipere experientia ipsa comprobat, vnde viro intra vas mulieris debitè seminante matrimonium est verè consummatū, vt tradunt. D. Ant. *p. 3. tit. 1.* Sotus *4. d. 27. q. 1. a. 4. §* *Hoc autem perplexum* Sylu. *v. matrimoniū 4. q. 15. d. 2.* vbi benè explicat D. T. *4. d. 41. a. 1. q. 4. ad 2.* vt nomine seminis feminæ intellexerit, vel impropriū semē, vel id quod cōfert mulier ad generationē, & habet locū seminis. Basilius *lib. 9. c. 10. n. 1.* Leander *tr. 9. disp. 2. q. 29.* Cardin. in *cap. Fraternitati. in fin.* de eo, qui cognouit consang. vbi Panorm. *in fin.* Neuo. *n. 10.* Tabien. *impedim. 4. q. 2. a. 2.* Quamuis si vir non seminauerit, numquam consummetur matrimonium, vt tradiderunt. D. T. *4. d. 41. q. 1. a. 1. q. 4. ad primum.* D. Ant. Sylu. & Tabien. vbi supra Sotus *4. d. 27. q. 1. a. 4. vers. causa dirimendi.* Sanchez *l. 2. disp. 21. n. 5.* Basilius *lib. 9. c. 10 n. 1.* & alij plures quos sequitur Leander *tr. 9. disp. 2. q. 28.* Et hoc est verum etiam si seminet mulier. Sylu. Sotus, Sanchez *n. 6.*

110. Quæritur verò vlteriùs, an si simul coniux alteri licentiam dederit ingrediendi religionem possit illum ante professionem illius reuocare, ita vt ingressus ad alterum coniugem redire teneatur

tenea-

teneatur? Peyrin.de R.P. *q.3.a.1.n.52.* tenet id fieri non posse; quia ex *reg.21.in 6.* Quod semel placuit amplius displicere non potest, & quia hæc licentia est fauor, & priuilegium alteri coniugi concessum, quod concedens non potest reuocare, nisi in casu abusus. Sed verum est oppositum; quia cum coniux, qui religionem ingreditur possit mutare voluntatem, & ad alterum coniugem redire, qui tenetur illum recipere, æqualitas, & iustitia requirit, vt licentia alterius coniugis eiusdem naturæ sit, vt sit reuocabilis, & ita vt antequam, qui ingreditur religionem sit traditus in effectu, & simpliciter donatus religioni per professionem, ingressus in illam sit ex parte cuiuscumque coniugis reuocabilis. Et ita hanc partem sustinet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. num.7.* Neque obstat, quod pater, qui monasterio obtulit filium impuberem, non potest amplius illum reuocare. Nam non est eadem ratio. Tum quia de patre, idest iure cautum, vt visum est supra. Tum quia pater offerens filium religioni donationem quandam facit, & tradit filium religioni, sed coniux solum consensit, vt alter experiatur religionem, & licet côiux consentiens alteri ad ingressum in religionem, simul consentiat in professionem, cum alter coniux ingrediatur, vt profiteatur, tamen hic consensus non est donatio habens adiunctam realem traditionem irreuocabilē, sed hoc solum fit in professione; Et coniux solam licentiam concedit ad profitendum, quam ideo reuocare potest, quia non amisit dominium quod habet super altero coniuge.

111. Quæri quoque potest, quænam conditiones necessariæ sint ad hoc, vt coniuges possint post consummatum matrimonium de vtriusque consensu ingredi religionem? Dicitur verò tres conditiones requiri. Prima est, vt si aliter coniugum sit iuuenis, non possit senex religionem ingredi nisi iuuene pariter religionem ingrediente, & sic nisi vtroque religionem suo tempore profitente; iuuenis verò ingredi non possit, nisi sene saltem votum perpetuæ castitatis emittente. *cap. tum his, cap. vxoratus, cap. Ad Apostol. de conuig.* Secunda conditio est, vt consensus non sit extortus dolo, vel vi, aut metu cadente in constantem virum; quia talis consensus non esset sufficienter liber. Tertia conditio est, vt hoc fiat de consensu Episcopi. *cap. si vir, & vxor. 27.q.2.* sed hæc conditio nunc de honestate requiritur, non de necessitate, vt probant Sanchez. *l. 7. de matrim.d.32.n.3.* Peyr.in R.P.*q.3.a.1.n.50.* An verò si contingeret coniugem post consummatum matrimonium sine alterius licentia ingredi Religionem nouitiatus esset irritus? Negat Palaus *tr. 16.disp.1.puncto 7.§.3.n.2.* post Suarez *tom.3.de Relig.lib.5.cap.4.n.10.* Et verè sic est dicendum, quia nec datur ius, quod talem nouitiatum irritet, & ex natura rei, non est irritus, quia licet ad nihil deseruiat, si non adsit licentia alterius coniugis, vt coniux nouitius profiteatur; tamen si hæc licentia superueniat tempore debito, iam satis coniux ille expertus erit Religionē, nec erit necesse, vt nouum nouitiatum habeat; & benè stat dispositionē aliquam ad formam esse de se validam, licet non sit aliundè, seu ex alia causa valida introductio formæ.

112. Vlteriùs quæritur, an detur casus in quo alter coniugum possit inuito alio ingredi religionem etiam post consummatum matrimonium? Et dicitur dari casum adulterij notorij, quo supposito coniux nocens manet ligatus, sed innocens fit liber, vt relicto, & inuito nocente religionem ingrediatur. *cap. significasti, de diuortio. cap. final. de adult.* Debet tamen adulterium esse notorium ad hoc, vt in facie Ecclesiæ possit coniux innocens alium relinquere inuitum; Quamuis existente adulterio occulto, si separatio, & ingressus in religionem fieri posset sine scandalo, posse id fieri in conscientia doceat *Sanchez l.10.de matr.disp.11.n.11.& 12.* In hoc tamen casu coniuge innocente ingrediente religionem, non teneri alium coniugem etiam iuuenem ingredi religionem, nec vouere castitatem tenet Sanchez ibid. Eundem etiam nocentem posse ingredi religionem ex tacito consensu innocentis asseritur rationabiliter, quia in huiusmodi sufficit consensus tacitus. Imò innocentem consentire tacitè, si requisitus de adultero sibi reconciliando recuset, docet Peyrin. loco citato *nu. 53.* Quod tamen non puto omninò verum, quia potest esse, quod coniux innocens neget pro tunc reconciliationem, quam intendat post aliquod temporis concedere. Nec innocens priuandus est in perpetuum suo coniuge, nisi eo hoc concedente.

113. Ex dictis verò consequitur, vt multo magis ad religionem transire possit, qui solum sponsalia contraxit, si enim non obstat matrimonium ratum, & non consummatum multo minus obstant sponsalia. Quod verum est etiam si sponsalia fuerint iurata, vt docent Palud.*4.d.27.q.1.a. 3. & d. 28. §. 1. in fin.* Caiet. *v. periurium*, Sotus *4.d.27.q.1.a.5.* Syluest. *v. religio 2. q.9.* Angelus *v. religiosus §.2.* Sanchez *l.1.de matr.d.43. n.3.* Couar. *decr.1.p.cap.5.n.11.* Basilius *l.12. cap.10. à n.9.* Diana *p.3.tr.4.res.207.* Palaus *tom. 5.disp.1.p.18. n. 5.* Bonac.*q.1.p.5.n.4.* Lublinus *v. sponsalia. n.18.* Leander *trac.9. disp.2. q.3.* & apud istos quamplures alij. Vbi tamen matrimonium esset necessarium ad reparandum damnum aliquod alteriùs sponsi, vel ab eo ex iusta causa peteretur, posset sponsus, & teneretur contrahere, & postea, non consummato matrimonio deberet ad Religionem transire. Alias verò non tenetur, quia similibus obligationibus adest adiuncta conditio, nisi placeat transitus ad religionem. Et quia obligare se ad matrimonium cum exclusione religionis non est materia iuramenti, ac voti. Videri etiam possunt, quæ supra *art.3. à n.46.* dicta sunt de eo, qui habet votum religionis, & contraxit sponsalia.

114. In casu autem, quod quis sub spe matrimonij defloraueritvirginem plura dicuntur iuxta multitudinem circumstantiarum, cum quibus hęc promissio potest côtingere. Supra quidem *a.3.nu. 57.* dictum fuit, quid agendum si deflorator habeat votum Religionis: nunc dicendum est, quid iuris, quando deflorator non est adstrictus Religionis voto. Et quidem primò dicitur hic non habere locum rationem D. Thomæ, qua probat obstrictum debito pecuniario posse cedendo bonis ingredi religionem, quia hoc non est debitum pecuniæ, sed est obligatio personæ, nec est simplex obligatio, sed talis pro qua obligans iam

accepit

accepit alterius personæ fructum ; ideò licet verum sit, vt supra cum D. T. est probatum, quod debitor, qui de præsenti non est soluendo, potest ingredi religionem cedendo bonis suis, hoc non potest dici de sponso, qui sub spe matrimonij promissi virginem deflorauit; quia per hoc manet obligata persona sponsi, & hoc non est debitum pecuniarium. Nec obstat si dicatur, eamdem D. T. rationem militare, quia licet sit obligata persona, hæc obligatio est sub conditione, sponsalia enim continent hanc conditionem, nisi sponsus voluerit Religionem ingredi. Sic ergo in hoc casu non impeditur sponsus ab ingressu ratione sponsaliorum, quia hæc sunt conditionata; Sed quod nec ratione deflorationis, videtur probari ex D. T. quia damnum deflorationis est compensabile per pecuniam, vnde debitum compensandi est debitum pecuniarium; quod non potest impedire ab ingressu Religionis, & sufficit debitori, si faciat, quod in se est, cedẽdo bonis suis ad fauorem sponsæ defloratæ. Quod confirmatur, quia si de facto sponsus compensaret damnum sponsæ, posset Religionem ingredi, si ergo non potest cõpensare, poterit ingredi, & sufficiet ei, si faciat, quod in se est. Sed respondetur rationem D. T. non militare in hoc casu, & dum dicitur, quod hic persona non est obligata, nisi sub conditione hac, nisi sponsus voluerit ad Religionem transire; respondetur, & negatur hoc assumptum in hoc casu, vbi enim promissio matrimonij est causa obtentæ deflorationis virginis promissio absoluta censeri debet, & pro tali habenda est. Nam & in hoc sensu intelligitur à sponsa, & iustitia vult, vt in hoc sensu promissio fiat, & vt talia intelligatur; nec Virgo permittit se deflorari, nisi sub promissione matrimonij contrahendi, & consummandi. Ideò per talia sponsalia manet obligata persona ad matrimonium contrahendum, & consumandum; vnde non militat ratio D.T. in hoc cõsistens, quod pro debito pecuniario non obligatur persona: etenim hic directè est obligatio personę. Nec verum est per se, & ex vi contractus, quod sponsus possit pecunia compensare damnũ sponsæ, sed tenetur sponsam ducere, quam sub promissione matrimonij deflorauit, quia aliter ipsa patitur detrimentum in fama, ad quod vitandum ex vera iustitia tenetur, qui deflorauit, nec ei licet ea inuita vnum pro alio reddere, quia inuito creditore nõ potest ei reddi vnum pro alio *l. 2. §. mutui ff. si cert. petat.* & ita tenent Nauar. *l. 3. cons. 3. de voto* Henriq. *l. 11. de matr. cap. 13. n. 3.* Rodriq. *tom. 1. sum. c. 24. n. 11.* Sanchez *l. 1. de matrim. d. 44. n. 3.* Portel. *3. p. casu 9. n. 2.* Peyrin. in P. R. *q. 3. c. 1. n. 54.* Donatus *p. 4. tr. 3. q. 28.* & alij communiter.

115. Et hoc extenditur etiã si ea promissione matrimonij nõ deflorauerit, ob nimiã tamẽ familiaritatẽ culpa promittẽtis mulier notabilẽ iacturã famæ sit passura matrimonio non secuto, & colligitur ex Nauar. & tenent Sãch. Port. Rodr. Peyr. & Donatus. Et hoc idem secundo extenditur ad viduam honestam, quia eadem ratio militat, Sanchez *n. 5.* Ideo hoc tertio ampliatur, vt non sufficiat contrahere matrimonium, & postea ingredi Religionem. Tum quia res promissa non est matrimonium ratum, sed matrimonium consummatum, hoc enim est quod nomine matrimonij absolutè intelligunt contrahentes.

116. Tũ quia ex solo matrimonio rato nõ impeditur infamia virginis defloratæ, aut honestæ mulieris corruptæ sub matrimonij promissione, vt benè tradũt Sãchez *disp. 44. citata n. 5.* Portel. Donatus, & Peyrin. citati. Ampliatur quarto, vt hoc procedat etiã si sponsalia sint inualida, quia ficta fuit promissio, nã in illis casibus in quibus quis tenetur ducere deceptam, nõ poterit deceptor ingredi religionẽ. Ita Sãch. *n. 6.* & ratio est, quia promissio ex iustitia debuit esse de matrimonio, nedum rato, sed consummato. Et ex vi talis promissionis quantumuis fictæ verè ex iustitia manet obligata persona, & non tantum pecunia, quia de facto deflorator accepit rem alienam non datam, nisi sub cõditione obligationis personæ. Pro contraria tamen sententia à Leandro *trac. 9. disp. 1. q. 15.* referuntur D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 3.* & Bartholomeus de Ledesma *de matrim. dub. 19.* sed non video, quomodo non remaneat obligata persona in hoc contractu, qui non cõsistit in sola promissione de futuro; sed in eo, quod sponsus recepit deflorationem sponsæ sub obligatione personali contrahendi, & consummandi matrimonium, & sic sponsus consentit in hanc obligationem, ex quo recepit sub ea obligatione: consentit, inquam, quantum est necesse, & ex obligatione iustitiæ teneatur, & ideò quod in hoc casu hic fictus promissor teneatur ducere defloratam tenent Leander, Basilius *l. 12. c. 4. n. 14.* Sylvest. *v. luxuria q. 5.* Armilla *n. 2.* Palaus *t. 1. disp. 1. p. 2. n. 3.* Vasquez *disp. 6.*

117. Limitatur autem, vt non habeat locum assertio vbi virgini defloratæ, sed liberè consentienti in sui deflorationem nulla facta est promissio matrimonij, vel si facta fuit, non antecessit causalitate cõsensum defloratæ in sui deflorationem, sed ad illum promissio, vel concommitanter se habuit, vel consequenter. Tunc enim deflorans non contrahit obligationem iustitiæ, per quam eius persona maneat obligata, vt non possit ingredi religionem, quia vel non adest promissio, vel ex promissione, aut illius intuitu nihil factum fuit, ex quo redundet in defloratam infamia talis, ad quam impediendam teneatur deflorans matrimonium contrahere. Sed tunc remanet nuda promissio matrimonij de se conditionata hac conditione, nisi religionem ingredi placeat.

118. Hinc consequitur idem dicendũ de eo, qui sine promissione vi, vel fraude deflorauit virginem, si enim spectatis omnibus deflorans non potest impedire infamiam, quæ ex defloratione consequitur, nisi nubendo, vnde est, quod omnibus pensatis, ex iustitia tenetur violatam ducere, non potest ingredi religionem, vt tradit Card. de Lugo *dicta disp. 21, sec. 6. n. 78.* Huius verò rationem reddit primo ex Sanchez *l. 1. de mat. d. 44. n. 1.* quia in hoc debito remanet obligata persona. Sed cõtra hoc instantiã, quia & huius quærenda est ratio, cur in hoc debito remaneat obligata persona, rationem reddit, quia in hoc casu mulier deflorata idem detrimentum patitur, si non desponsetur, quod patitur deflorans desponsando; quia detrimentum deflorantis illi consequens ex matrimonio est, quod ligatur ne possit mutare statum, & eligere statum religiosum, sed & mulier illa si non accipiatur in vxorem à deflorante caret facultate nubendi, quam habent aliæ fœminæ, & assumendi sta-

di statum sine nota. Noo ergo mirum, quod deflorator teneatur subire detrimentum priuationis facultatis mutandi statum, cum nisi desponset mulieré vi defloratam, ipsa maneat priuata facultate statum mutandi. Sed hæc ratio difficilis est, quia sicut status religionis incomparabiliter excedit statum matrimonij, ita detrimentum facultatis assumendi statum religiosum est incomparabiliter maius detrimento facultatis nubendi, vnde hic non est æqualitas, cum mulier deflorata non priuetur facultate assumendi statum religiosum. Ratio igitur, quare hæc sit obligatio personæ in hoc casu est, quia detrimentum illatum ex natura sua tale est in hoc singulari casu, quod nec per se, nec per accidens potest reparari, nisi per actionem personæ, scilicet nisi per matrimonium. Neq; hic habet locum refugium illud, quod obligatio contracta sit conditionata, quia in hanc conditionem non consentit mulier, quæ vi deflorata fuit. Alias verò licet deflorans non possit nubendo fieri religiosus, potest tamen si velit, fieri vir perfectus, & pluribus religiosis melior; ideò nubendo non patitur necessario tantum detrimẽtum in bonis animæ, vt propter illud vitandum, non debeat subiacere obligationi iustitiæ, quam contraxit mulierem vi opprimendo, vel fraudolenter violando.

119. Hic ergo attendi debet, an debitum volentis ingredi Religionem sit solum pecuniarium, seu reale; vel an sit personale. In primo casu non est obligata persona, & tale debitum propterea non impedit ingressum Religionis, si ingrediens facie, quod in se est. In illis autem casibus deflorationis honestarum virginum, si adest promissio matrimonij debitum est personale, & impedit ingressum, si promissio antecedit causalitate deflorationem. Sed si non adest promissio huiusmodi, adest debitum personale in deflorante non absolutum, sed sub disiunctione, vt scilicet, vel nubat, vel dotem assignet. Et nihilominus si casus sit talis, vt ad satisfactionem Iustitiæ non sufficiat dotem dare, vel quomodocumque pecunia satisfacere, sed iustitia obligat deflorantem ad nubendum; tunc deflorans non potest ingredi Religionem, sed tenetur nubere, quia ad hoc eius persona tenetur ex iustitia, & votum professionis non habet pro materia rem iniustam.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus personaliter mixtè, vel ad tempus potest Religionem ingredi, obligatione non obstante. num. 120.*

2 *Obligatus ad aliquid faciendum non tenetur id perficere per alium, vt possit ingredi in Religionem, num. 121.*

3 *Ex huiusmodi obligationibus rarius potest contingere graue damnum. num. 121.*

4 *An debitor obligatus ad aliquid teneatur illud perficere in Religione. num. 122.*

5 *Obligatus ad aliquid agendum, & illud relinquens imperfectum, vt ingrediatur Religionem non tenetur ad interesse. num. 123.*

120. Svperest, vt dicamus modo de alijs obligationibus personalibus, vel mixtis non perpetuis, sed tẽporalibus, de illis inquã, in quibus vnus promittit alteri aliquid se facturũ in eius vtilitatem, vt cum quis promittit alicui picturam, vel quodcumque aliud artis opus, vel obsequium, & seruitutem. Est autem quantum ad hoc communis sententia, vt huiusmodi promissio siue sit liberalis, siue ex onerosa contractu, & siue sit simplex, siue confirmata iuramento, non impediat, quin homo religionem ingredi valeat, quia in his promissionibus subintelligitur semper conditio, nisi placeat ingredi religionem. Hoc verò primo limitant aliqui, nisi qui opus promisit breui tempore illud perficere possit, quia tunc tenetur expectare donec opus perficiat. Ita ex Hostien. Antonin. Abbat. Astens. tenet Cardinalis de Lugo *num.* 73. Sed Sanchez *num.* 36. post Syluest. *verbo religio* 2. *q.* 5. & Azor *l.* 12. *c.* 1. *q.* 4. non admittit hanc limitationem, nisi eam restringendo ad tempus incontinenti mensuratum, vel nisi adesset scandalũ. Ego existimo, quod in eo tempore in quo ingressurus religionem suum ingressum procurat, quod ordinariè loquendo non est paruum, teneatur ingressurus religionem suis obligationibus, quantum potest, satisfacere, maximè si sint ex contractu oneroso, vel confirmatæ iuramento: sed cum iam instat receptionis tempus non debet nisi attendere voluntatem recipientium illum, & commoditatem ingressus, nec tenetur ad perficiendum opus, nisi illud possit perficere incontinenti, sine præiudicio sui recessus à mundo, vel etiam nisi adsit scandalum, quia ex vna parte omnis dilatio in negotio salutis est fugienda, & ex alia nos manet obligatus ad id, quod impedit religionis ingressum, quia in huiusmodi obligationibus eõtinetur conditio, nisi impediatur religionis ingressus.

121. Quæritur verò, an si hic possit implere opus promissum per alium, teneatur illud implere. Affirmant enim Innocent. Hostien. Abbas, Anton. & Syluest. apud Sanchez *dicto cap.* 9. *num.* 33. Et idem videtur tenere Suarez *t.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 7. *num.* 13. Quia si quis promittat pecuniam, si habet vndè soluat, vel per se, vel per alium tenetur soluere antequam ingrediatur. Sed veritas est eum non teneri, quia vt dictum est obligatio hæc est conditionata, nisi scilicet ex tali obligatione impediatur ingressus in religionem, quæ conditio mutua est, & valet nedum ad fauorem eius, qui obligatur, sed alterius qui obligat, vndè sicut iste qui obligat, ne impediatur ingressus eius in religionem potest resilire à contractu, ita & ille, qui obligatur. Vndè ita tenent Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *concl.* 3. *num.* 15. D. Anton. *p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. *§.* 6. *fin.* Sanchez *num.* 34. Card. de Lugo *num.* 74. *fine.* Quamuis in hac parte verum sit, quod Suarez aduertit, quod ex huiusmodi obligationibus rarius potest graue damnum contingere, quia cum mutua obligatio illa cesset ex vtraque parte, & quod omittitur poterit perfici per alium, prout magis placuerit illi de cuius interesse agitur.

122. An verò, qui est obligatus ad aliquid alteri agendum teneatur illud perficere in religione, si opus promissum non est cum religione incompatibile; Negat Sanchez *num.* 35. idemque tenuit

tenuit Rosel. *v. religio* 2. *num.* 5. & sanent Palud. & D. Anton. citati, sed affirmat Card. de Lugo *num.*75. & idem tenuit Nauar. *Com.* 2. *de regular. num.*42. post Dominicum, Speculatorem, Innoc. Host. Io: And. Cardin. Abbat, Astens. Felinum, quos referr Sanchez. Idem voluit Bonac. *de rest. disp.*1. *q. vlt. p.*2. *num.*6. Et ratio est, quia si v. g. quis alicui promisisset rosarium, cur non teneretur illud recitare, etiam si esset religiosus? Nec valet opposita ratio, nimirum quia cum obligatio sit conditionata, conditione ingressus in religionem, cessat si obligatus in religionem ingrediatur; quia hoc est verum, si adsit alia conditio, si opus impediat religionis ingressum, non verò si non impediat. Et hæc secunda opinio præferenda est, si opus nullo modo sit incompatibile cum religione, ita vt nec impediat ab operibus ad quæ religiosus tenetur ex regula, vel ex superioris præcepto, nec religiosum nimis grauet, nec dedeceat statum religiosi, nec inducat in religione singularitatem. Sed opere mechanico loquamur rarius accidere poterit, quod non sit incompossibile cum nouitiatu, in quo nouitij tenentur continuo occupari, & vix illis conceditur respirare, quia tenentur addiscere ea, quæ religionis sunt, & illa experiri, erit valdè difficile, quod nouitio supersit tempus perficiendi opus mechanicum promissum.

123. Remanet verò dubium, an in casu, quod ex non perfectione operis promissi, ille cui erat promissum patiatur detrimentum, teneatur, qui relicto opere imperfecto religionem ingreditur ad interesse, vel lucri cessantis, vel damni emergentis. Est enim certum, quod si aliquid mercedis accepit excedens id, quod sibi debetur pro opere iam inchoato, tenetur illud restituere, si habet, sed dubium est, an vlterius teneatur ad interre lucri cessantis, vel damni emergentis. Vt si quis conuenerat cum artifice, vt per tot annos maneret apud ipsum causa addiscendæ artis, & interim illi inseruiret, illoque recedente, artifex minus lucretur. Vel si aliquis accipitur instruendus in musica cum pacto, quod cantet in aliqua Ecclesia vsque ad 14. vel quintum decimum annum, & si recedat antea damnum Ecclesia incurrat carens cantore nisi cum maiori expensa illum conducat. Vel si pictor insignis reddat picturam inchoatam, & dimidiatam, quæ ad nihil fere valeat, & non sit alius pictor insignis, qui illam perficiat. Hunc enim teneri ad huiusmodi damna voluerunt Rosel. *v. religio* 2. *num.* 5. Syluest. *q.* 4. Ang. *v. religiosus num.* 9. Et alijs placet æstimandum esse obsequium promissum, & monasterium teneri ad satisfaciendum, si in aliquo bono nouitij succedat, & hoc tenent Palud. 4. *d.*38. *q.*4. *a.* 1. *concl.*7. Syluest. *v. religio* 2. *q.*5. D. Anton. 3. *p. t.* 15. *c.*2. §. 3. post Innoc. Host. Io. Andr. Anchar. Ab. Card. & Astensem. Sed veritas est, quod restituto opere imperfecto prout reperitur si materia sit eius, cui artificiatum debebatur, & restituto prætio recepto si excedat valorem laboris; iam præsti ab operante, non tenetur, qui se obligauit ad interesse, vel lucri cessantis, vel damni emergentis, quoniam ex vi huiusmodi obligationum conditionatarum conditione nisi impeditur religionis ingressus, qui religionem ingreditur manet liber ab obligatione perficiendi opus, vel præstandi obsequium. Et hoc eo magis est verum, quod hic fauor vtrique parti conuenit. Et sicut, qui ad opus obligatur potest ingredi religionem, etsi obligans damnificetur, ita & obligans potest hoc facere, licet obligatus incurrat damnum. Nam & artifex v. g. potest ingredi religionem relicto discipulo, quem in arte instruendum susceperat, sine magistro. Et qui commisit artificiatum, potest ingredi religionem soluto prætio laboris facti, relicto imperfecto opere, & operario non habente, cui laboret. Ex vtraque ergo parte fauor iste procedit, & æqualitas est, vt vnaquæque partium possit religionem ingredi non stando obligationibus, & pactis quatenus impediunt religionis ingressum, absque eo quod teneantur, vel ad interesse, vel ad damnum emergens. Et ita hoc docent Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *concl.*3. D. Anton. *p.*2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. Sanchez *num.*34. & Card. de Lugo *num.*14. Bonac. *de rest. disp.*1. *q. vlt. p.*2. *num.* 5. Et dat exemplum Palud. de eo qui contraxit sponsalia, vel matrimonium ratum, qui potest ad Religionem transire, etiam altero coniuge inuito, & sæpe damnum patiente, absque eo, quod obligetur ad aliquod interesse. Qui tamen ingreditur debet scandalum vitare, & proposse facere, vt proximus damnum non incurrat. Sed quid dicendum, si artifex v. g. expresse promiserit, & obligauerit se ad implendā promissionem, non obstante ingressu in religionem? Teneri perficere, & adimplere promissionem cum sit de re licita asserit Bonac. *num.*5. & sic si non adimpleat, teneri etiam ad interesse. Et certè tenetur restituere, si quid hoc intuitu ampliùs recepit. Et si dilatio sit parua vndè non sit mala tenebitur iste artifex stare promissis. Sed si dilatio longa esset, & ita quod rebus bene pensatis dilatio mala esset, promissum non esset implendum. Bene verum est, quod si obligatus ad aliquod opus ante professionem egrediatur à monasterio, quod tenetur perficere, quod imperfectum reliquit, quia tunc reuiuiscit obligatio suspensa, vt tradunt Sanchez & Card. de Lugo ibid.

SVMMARIVM.

1 *De iure nouo Sixti Quinti debitores sunt inhabiles ad ingressum Religionis.* n. 124.
2 *Debitores si profiteantur professio est valida.* numer. 124.
3 *Constit. Sixti Quinti non comprehendit moniales.* n. 124.
4 *Nec ordines Militares sua administrantes.* numer. 124.
5 *Nec ij quorum debita non superant eorum facultates.* n. 124.
6 *Quid de debitoribus debito incerto?* n. 124.
7 *Quid si non sit spes, quod debitor manens in seculo possit soluere debitum?* n. 125.
8 *Et de debitore in pœnam?* n. 126.
9 *Et de debitore ex promissione liberali.* numero 127.
10 *Debitor potest ingredi in religionem si consentiant creditores.* nu. 128.
11 *Obligatus ratiociniys, quando non possit ingredi religionem.* nu. 129.

124. Hucusque autem disputauimus de eo, quod iure antiquo est necessarium; nunc videndum est, quid dicendum sit de iure nouo Constitut. Sixti Quinti Cum de omnibus 71. editæ anno 1587. In qua præter alia hæc ad præsentem quæstionem facientia statuuntur. *Neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis vel molestia etiam illata, vel timendum sit ne inferatur.* Et infra *omnes autem, vt quoscumque, vt dictum est criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vt etiam diximus, vel reddendis rationibus obligatos ad religionem perpetuo inhabiles declaramus* Circa quam constitutionem plura consideranda sunt, & quidem primo, quod pœna nullitatis professionis ablata fuit per alteram Constitut. Clem. Octau. In suprema edita die 2. Aprilis 1602. Vndè modo si contingat aliquem ex his debitoribus, & rationibus obnoxijs recipi ad professionem, valida est professio. Secundò Constitutionem illam cum de omnibus non comprehendere moniales, quia hoc declarauit idem Sixtus Quintus in alia Const. Ad Romanum spectat, edita 12. Cal. Nouem. 1588. Tertiò neque sub eadem Constit. comprehendi ordines militares, qui non sunt perfectè Religiosi, quia in odiosis non veniunt nomine regularium, aut religiosorum. Tum secundò quia cum sua bona administrent, non redduntur ex ingressu in religionem minus inhabiles ad soluendum, quam si essent seculares. Quartò quod Clerici ordinum militarium, si tamen viuunt in communi, & propria bona non administrant, comprehenduntur sub illa constitutione, quia sunt verè religiosi, & per ingressum in religionem fiunt minus habiles ad debita soluenda. Sanchez *l.4.c.19.n.22.* Fagund. *l.1.de contr.c.19.n.10.* Quinto non comprehendi debitores, quorum debita eorum facultates non superant; quia expresse loquitur de illis qui ære alieno supra eorum facultates sunt grauati. Addunt Sanchez *dicto cap. 19. num.14.* Suarez *dicto l.5. cap.7.nu.20.* Bonac. *de restit. disp.1. q.vlt. p.2.num.8.* Card. de Lugo *disp. 21. sect.6. num. 88.* Fagundez. *num. 11.* Nec comprehendi eos, quorum debita non sunt magni momenti, quia loquitur de grauatis ingenti ære alieno. Vnde secundùm istos DD. etiam si debitum superet facultates debitoris, si non est magnum, potest debitor ingredi religionem; quodnam verò sit debitum ingens, arbitrio prudentum iudicandum censet Suarez. Sed hæc interpretatio non est certa, & videtur, quod mens Pontificis potiùs sit, vt ingens debitum dicatur omne illud, quod superat facultates debentis Bordon. *cap.2.q.59.* & quod per hoc quod est superare facultates debentis explicetur, quid sit esse ingenti ære grauatum, & ex consequenti, quod soli illi debitores sub illa constit non comprehendantur, quorum debita eorum facultates non superant. Sexto non comprehendi incertos debitores nomine proprio Miranda *part.1. q.17. num.7.* Bordon. *c.2. q.17.* comprehendi verò eos, qui sunt debitores incerti, sed nomine alieno docet Sanchez *ibid.num.24.* Fagundez *num. 11.* Sed contradicit Card. de Lugo, volens neutros comprehendi in illis casibus, in quibus potest à confessario applicari eidem debitori summa illa incertis dispensanda, & vtrosque comprehendi extra illos casus. Bonac. *etiam de restit. disp.1.quæst. vlt. p. 2. num. 8.* vult quod vbi restitutio incertorum sit reseruata Episcopis, prius sit obtinenda remissio ab Episcopo, vel alio ad restitutionem incertorum deputato, quam debitor admittatur ad religionem. Sed ne alienas quæstiones ingeramus, dicendum est debitores incertos non comprehendi in illis casibus in quibus, vel satisfit debito per religionis ingressum, iuxta supra explicata, vel quocumque alio modo debitor potest satisfacere; sed si tale contingat esse debitum, quod manet insolutum, nec facultates debitoris sufficiunt ad soluendum, hoc comprehenditur sub ea bulla, quia talis debitor quantumuis incertus est ingenti ære alieno grauatus, nec est soluendo, seu nec eius facultates sufficiunt ad soluendum debitum.

125. Septimo non comprehendi debitores, etiam ingenti ære grauatos, si duæ conditiones concurrant, primo, quod verè, & integre bonis suis cedant, secundo, quod non sit spes, vt manentes in seculo sint soluendo, tradunt Sanchez *num.26.* Card. de Lugo *num. 89.* Ex Rodriq. *tom. 3. q. 10. a. 9. notab. primo & quarto* Fagundez *d. num. 11.* Mirand. *p.1.q.17. a. 7.* Bordon. *cap. 2. q. 59.* Sed hoc non puto certum, & tutum (excepto casu in quo dictam spem non adesse sit prorsus indubitatum, & notorium) quia non erit particularium iudicare an sit, vel non sit spes, vt debitor possit soluere, maximè si creditores instent. Et quia videtur, quod imò Pontifex huiusmodi debitores inhabiles ad religionem reddiderit, ad vitandas fraudes omnes, quibus possit ostendi apparenter eos non ferè vnquam habiles ad soluendũ, & ita quod propterea absolute, siue appareat, siue non appareat spes, vt manendo in seculo sint soluturi prohibuerit eos recipi. Aliter fraudibus ac dolis posset fieri præiudicium creditoribus. Et eo magis, quod ex quo debitores isti vident se priuatos spe quietis religiosæ, nisi plenè soluant, facilius est, vt inueniant modum, quo soluant, ne manentes in sæculo semper viuant cum timore nouæ molestiæ ex eo prouenientis, quod creditores prætextu pinguioris fortunæ debitoris eos vexent etiam si ipsi bonis cesserint Bonac. *de rest. disp. 1. q. vlt. p.2. num.8.* post Sanchez putat etiam non comprehendi eos debitores, qui sine sua culpa deuenerunt ad impotentiam soluendi. Idem sentit Palaus *d.§.4.num.10.* & Fagundez *d.num.11.* Verum neque hoc potest admitti sine instantia. Quis enim iudicare debet, an impotentia soluendi non fuerit ex culpa debitoris? Quia igitur finis legis est vitare fraudes; & facillimè daretur locus fraudi, & debitores contenderent non ex eorum culpa euenisse, quod in rei veritate non aliundè euenit; ideo sub lege comprehenduntur impotentes ad soluendum, vndè cumque hæc impotentia aduenerit. Nam & imò si certissimum esset, impotentiam fuisse inculpatam adhuc lex, & eius finis locum habet si nec impotentia est plene manifesta nec omninò indubitatum, quod debitor nec re, nec spe possit soluere.

125. Illos etiam debitores non comprehendi putat Sanchez *num.26.* cui consentit Card. de Lugo *num.90.* Et Bordon. *de profes. cap.2. q.59.* Qui sunt debitoris in pœnam, qui scilicet pro delicto,

vt v.g.

vt v.g. pro virginis defloratione damnati fiot ad summam pecuniæ soluendam; quia isti non sunt ære alieno grauati, nihil enim ab alieno acceperunt. Sed oppositum tenet Rodriquez loco citato, & merito. Nam qui damnum intulit, vel alteri priuato, vel rei publicæ, quod damnum est iuste compensabile per pecuniam, aliquid abstulit alienum pecunia æstimabile ad iudicis decisionem, & declarationem; ideò verè babet & alienum & est ære alieno grauatus, quia habet alterius damnum, quod pecunia est redimendum.

127. Dissensio etiam est inter Sanchez *nu.* 28 & Card. de Lugo *nu.*90. quia illa putat non comprehendi eum, qui est debitor ex promissione liberali, quod, & tuetur Fagundez *d. num.* 11 & post Rodriq; & Mir. Bordon. *c.*2.*q.*59. Sed iste ait aliquando contingere, vt ex promissione liberali teneatur debitor soluere, & impediatur ne possit ingredi religionem, si non soluat. Sed sententia Sanchez est vera. Tum quia in promissione liberali semper subintelligitur nisi religionem ingredi voluero. Tum quia promissio liberalis numquam obligat supra vires, & ita impossibile est dare debitorem, qui sit talis ex promissione gratuita, & nihilominus debitum superet eius facultatem, stultitia enim esset promittere id, quod non potest reddi, vel intendere se obligare ex liberalitate in casu, quod facultates suæ non sufficiant ad soluendum. Nec debitor ex liberali promissione est ære alieno grauatus.

128. Tandem non comprehenditur debitor ære alieno ingenti granatus, si vel creditores consentiant, vt religionem ingrediatur, vel alij soluant pro ipso: addit verò Card. de Lugo nec cōprehendi, si iste debitor successiue ipso etiam in religione manente æquè bene sit soluturus, sed hoc non puto posse fieri sine creditorum consensu quia potest subesse fraus, quam Pontifex omninò intendit tollere, & creditores assecurare.

129. De obligato autem ratiotinijs decernitur, vt sit inhabilis ad religionem in duobus casibus, primus si sit mota lis super hoc, secundo si timendum sit, vt moueatur. Comprehendit autem hoc decretum etiam ratiotinia priuata, seu quæ debentur priuatæ personæ, dummodo habeant alteram ex prædictis conditionibus Sanchez *nu.* 29. Fagund. *num.* 11. Vbi verò sit moraliter certum litem nec motam, nec mouendam esse ei, qui ad reddenda ratiotinia est obligatus, poterit in religionem recipi; quamuis si sit aliquid dubij licet non talis, qui moralem certitudinem excludat consultiùs erit, vt prius ille satisfaciat suæ obligationi, quam ad religionem admittatur, vt tradit Suarez *dicto cap.* 7. *num.* 10.

QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS VII.

Vtrum presbyteri curati possint licitè religionem ingredi?


AD septimum sic proceditur. Videtur, quod presbyteri curati non possint licitè religionem ingredi. Dicit enim Gregor. in Pastorali, quod ille qui curam animarum suscipit, terribiliter admonetur, cum dicitur: Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Et subdit, Spondere namque pro amico, est alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere. Sed ille qui obligatur homini pro aliquo debito, non potest intrare religionem, nisi soluat id quod debet, si possit. Cum ergo sacerdos possit curam animarum agere, ad quam se obligauit in periculum animæ suæ. Videtur quod non liceat ei prætermissa cura animarum religionem intrare. *supr. q.* 184. *art.* 5. *& op.* 19. *c.* 14. *par.* 4. *c.* 4. *inde prin. & med. libidum.*

2. Præterea, Quod vni licet, pari ratione omnibus similibus licet: Sed si omnes presbyteri habentes curam animarum religionem intrarent, remanerent plebes absque cura pastorum: quod esset inconueniens. Ergo videtur, quod presbyteri curati non possint licitè religionem intrare.

3. Præterea, Inter actus ad quos religiones ordinantur, præcipui sunt illi, quibus aliquis contemplata alijs tradit. Huiusmodi autem actus competunt presbyteris curatis, & archidiaconis: quibus ex officio competit prædicare, & confessiones audire. Ergo videtur, quod non liceat presbytero curato, vel archidiacono transire ad religionem.

SED contra est, quod in Decret. 19. q. 2. cap. Duæ sunt leges, dicitur, Si quis clericorum in ecclesia sua sub episcopo populum retinet, & seculariter viuit, si afflatu Spiritu sancto in aliquo monasterio, vel regulari ca- *19. q.* 2. *cap. Duæ sunt l. sunt.*

nonia se saluare voluerit, etiam episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.

RESPONDEO *dicendum, quod sicut supra dictum est, obligatio voti perpetui praefertur omni alij obligationi. Obligari autem voto perpetuo, & solenni ad vacandum diuinis obsequijs, competit propriè episcopis, & religiosis. Presbyteri autem curati, & archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & solenni ad curam animarum retinendam: sicut ad hec obligantur episcopi. Vnde episcopi praesulatum non possunt deserere, quacumque occasione, absque auctoritate Romani Pontificis: vt habetur extra de regularibus, & transeuntibus ad religiones, cap. licet. Archidiaconi autem, & presbyteri curati possunt libere abrenunciare episcopo curam eis commissam, absque speciali licentia Papae, qui solus potest in votis perpetuis dispensare. Vnde manifestum est, quod archidiaconis, & presbyteris curatis licet ad religionem transire.*

a. 1. ad. 1 & q. 88. a. 12. ad 1.

In decret. l. 3. tit. 31. c. licet. & est 18. in ordine.

Ad primum ergo dicendum, quod presbyteri curati, & archidiaconi obligauerunt se ad curam agendam subditorum, quamdiu retinent archidiaconatum vel parochiam. Non autem obligauerunt se ad hoc, quod perpetuo archidiaconatum, vel parochiam teneant.

Ad secundum dicendum, quod sicut Hierony. dicit contra Vigil. Quamuis à te lingua viperea morsus sauissimos patiantur, scilicet religiosi, quibus argumentaris & dicis: Si omnes se clauserint & fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? Quis seculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo si omnes tecum fatui sint, sapiens esse quis poterit? Et virginitas non erit approbanda. Si enim virgines omnes fuerint, & nuptiae non fuerint, interibit genus humanum. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur. Patet ergo quod hic timor stultus est: puta, sicut aliquis timeret haurire aquam, ne flumen deficeret.

(Ad Tertium sicut ad Primum)

SVMMARIVM.

1 *Resolutio articuli. n. 1.*
2 *vota perpetua à solo Pontifice dispensabilia: numer. 2.*
3 *Episcopi votum obedientiae emittunt. numero 3.*
4 *Parochorum officium instrumentale. numeru 4.*
5 *Episcopi non possunt transire ad religionem nisi de licentia Papae. n. 5.*
6 *An aliquo casu Episcopus licite possit petere, vt religiosus fiat. n. 5.*
7 *Episcopus non potest vel simul esse Episcopus, & religiosus, vel ingredi Religionem expectata interim licentia Papae. n. 6.*

1. RESolutio huius articuli est Episcopos sine dispensatione Papae non posse ingredi religionem, id verò posse Parochos, & Archediaconos, quia isti non tenentur voto perpetuo ad manendum in officio, sed possunt illud renunciare Episcopo.

2. Quomodo vota perpetua sint per solum Papam dispensabilia traditur supra *q. 88. a. 12. ad primum* Hoc autem praecipuè verum est de voto religionis, seu de voto status perfectionis, vt tenent communiter DD. & videri possunt Caiet. supra *q. 88. a. 12.* Sotus *l. 7. de iust. q. 4. a. 3.* Suarez *t. 2. de relig. l. 6. de voto c. 21.* & Sanchez *l. 4. moral. cap. 40. a. num. 12. & dictum est supra quaest. 188. a. primo.*

3. De voto Episcoporum aliquid supradictum fuit *ad artic. 5. num. 38. q. 184. & ad artic. 4. num. 18. quaest. 185.* Vocatur verò hoc votum solemne à D. T. in hoc artic. in quadam lata significatione, vt exponunt Caiet. & Suarez *tom. 3. de relig. l. 2. c. 16. num. 24. & 29.* Sed melius dicitur cum Soto *lib. 10. de iust. q. 2. a. 4. concl. 1.* quod Episcopus verum, & proprie dictum votum, & quidem perpetuum emittit: Quia promittit Deo curam pastoralem, quae de se est perpetua, vt explicatum est supra *q. 184. à num. 28. & a. 6. a num. 26.* officium enim Episcopale est per modum causae principalis, & ex natura sua perpetuum; ideò, Episcopus in sui consecratione solemni promitens Deo curam animarum Episcopalem sub obedientia summi Pontificis, verum votum obedientiae emittit.

4. Supra etiam *d. q. 184. a. 6. a num. 26.* ostensum fuit, qualiter parochorum officium sit solum instrumentale, nec sit à natura perpetuum, ideò assumptio talis officij non habet modum voti perpetui, sed temporalis.

5. In prima conclusione artic. asseritur, quòd Episcopis non licet ingredi religionem nisi ex Papae dispensatione. Haec conclusio communi consensu confirmatur. Habetur enim definita ab Innoc. 3. *in cap. licet de regularibus, & in cap. Nisi cum pridem 10. de renunciat.* Et quod haec lex Ecclesiastica non contineat ius nouum, & positiuum colligitur ex illis verbis *dicti cap. licet, ibi Quia sicut maius bonum minori bono praeponitur, ita com-*

munis

munis vtilitas , speciali vtilitati praefertur . Et in hoc casu rectè praeponitur doctrina silentio , solicitudo contemplationi , & labor quieti . Hinc enim habetur ex lege diuina connaturali officio Episcopatus , oriri vt non possit Episcopus ratione priuati boni , etiam spiritualis , scilicet priuatæ contemplationis , & quietis animi renunciare Episcopatui ; quia si alias sit dignus , maius bonum est , & præponderat opus Episcopale operi religioso . Ideò in eodem *cap. subditur . Vndè quando potest Episcopus prodesse simul, & praeesse, non debet cedendi licentiam postulare , aut etiam obtinere .* In quibus verbis continetur, quod sola impotentia excusat , & quod ea non existente , Episcopo nec licet postulare licentiam cedendi . Quod est signum ex natura rei illicitum esse Episcopo potenti prodesse , & præesse nedum cedere sine licentia , sed licentiam ipsam petere . Et ex citato *cap. Nisi cum pridem de renunc. apparet,* quod causæ renunciandi officio Epis. quæ sunt conscientia criminis, debilitas corporis , defectus scientiæ , malitia plebis , graue scandalum , & irregularitas personæ , pertinent singulæ ad impotentiam, vel præessendi, vel prodessendi , qua impotentia sublata non licet Episcopo renunciare Episcopatui, etiam intuitu melioris vitæ, & religionis . Ideò ex his habetur, manifestè , quod desiderium status religiosi non est iusta causa resignandi Episcopatum , quod etiam statuit Liberius Papa Epis. 2. prout habetur *7. q. 1. cap. Suggestum,* & Nicolaus Papa Morinen. Epis. & refertur *ibid. cap. Sciscitaris .* Videatur Reuerendiss. Fagnanus , *d. cap. Nisi cum pridem , de renuc. à n. 5. & d. cap. Licet de Regular.* vbi hanc D. T. conclusionem latè explicat . Et de hac materia etiam dictum est supra *q.* 185. Quod verò dicitur solam impotentiam præbere causam renunciandi , & huius causam legitimam non esse desiderium quietis religiosæ , Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 20. n. 7.* Palaus *trac. 16. disp. 1. puncto 7. §. 1. n. 4.* Explicat, & limitat, vt cum non desunt alij , qui æquè benè regere possint Episcopatum , Episcopus possit licitè petere licentiam renunciandi , & Papa concedere, vt Episcopus fiat Religiosus .

6. Sed numquid non posset Episcopus ingredi religionem , & interim expectare licentiam Papæ , vel retento Episcopatu Religiosus fieri ? Respondetur tamen id minimè licere . Nam hoc fuit prohibitum in Concil. Constantinopol. sub Io. Papa VIII. cuius Concilij acta habentur in Bibliotheca Vaticana , cuius verba latinè reddita refert Glossa ad *cap. Hoc nequaquam 7. q. 1.* in hac forma *Oecumenica haec synodus , &c. statuit , vt si quis Episcopus , siuè quis alius Antistitis dignitatem obtinens ad vitam monasticam descenderit , & poenitentiae locum implere voluerit , hic Antistitis dignitatem amplius non retineat . Monachorum enim instituta ad obedientiae , ac disciplinae rationem pertinent , minimè verò ad magisterij, vel praefecturae, atque eorum sunt , qui non alios pascere , sed pasci profitentur .* Non enim simul sese patiuntur huiusmodi status, cum status religiosus sit status disciplinæ, & schola addiscendæ perfectionis, vnde est status ouium, quæ pasci debeant , & status Episcopalis sit status magisterij, & pastorum, qui oues pascere tenentur . Ideò primo non condecet, quod qui totum se tradidit Ecclesiæ suæ tanquam sponsæ, se iterum simul tradat religioni , & simul sit Ecclesiæ sponsæ , & religionis . Secundò non conuenit Episcopo religiosa paupertas , & multo minus religiosa obedientia , & licet ex religiosis aliqui assumantur ad Episcopatum, qui simul manent religiosi , & Episcopi , hoc non obstat, quia isti à religiosis obseruantijs , & à strictiori paupertatis custodia , & à prælatorum regularium obseruantia eximuntur ; ex quo magis patet non decere , vt Episcopus statum regularem assumat ea intentione , vt simul sit Episcopus, & Religiosus , quia religiosorum obseruantiæ non decent Episcopum Antistitis dignitatem seruantem : & propterea nec licet Episcopo ingredi religionem expectando interim licentiam Papæ, vt possit profiteri, quia imo nouitiatus, maximè seruatis, quæ a Concilio Trid. & Clemente VIII. statuta sunt, minimè decet Episcopum fulgentem Episcopali dignitate . Sed prætereà non licet Episcopo incipere , quod nescit , an possit perficere, & maximè quod iusta causa deserendi Episcopatum, non est desiderium quietis religiosæ , sed Episcopus , qui potest prodesse , & præesse non debeat petere licentiam ingrediendi religionem . Et prætereà nouitiatus repugnat cum obligatione residendi , & habendi ouium curam . Et prætereà ratio à Concil. Constant. allata probat vniuersaliter non conuenire simul statum dignitatis Episcopalis nondum dimissæ cum statu exercito subiectionis religiosæ . Ideò vt notat Suarez *tom. 3. de relig. l. 1. c. 19. n. 15.* iura nouiora supponunt non posse Episcopum religionis habitum sumere , & illum profiteri , nisi prius Episcopatui renunciet . Et si Episcopus sine licentia Papæ professionem emitteret nulla esset, quidquid in contrarium dixerint Palaus *tr. 16. d. 2. §. 5. n. 2.* Ant. à Spir. Sancto *tr. 3. d. 3. n. 29.* Tum quia Episcopus liberum non habet volatum sine licentia Papæ . *cap. Nisi cum pridem de renunciat.* Tum quia cessio Episcopatus sine licentia Papæ est nulla . *Nauar. cons. 2. de renunc.* Tum quia Episcopus se habet , vt coniugatus , qui non potest sine alterius coniugis licentia profiteri *cap. Inter corporalia de translat. Epis.* Bordon. *de profess. cap. 2. q. 66.* Valent. 22. *d. 10. p. 36.* Peyr. *in P. R. q. 5. cap. 1. n. 47.*

SVMMARIVM.

5 *Parochi licet non inconsulto , inuito tamen Episcopo possunt fieri Religiosi . num. 7.*

2 *Etiam ex iure naturali Parochus inconsulto Episcopo non potest gregem deserere . num. 8.*

3 *Eadem est ratio de alijs inferioribus Episcopo . num. 9.*

4 *Officium Parochi ministeriale . num. 10.*

7. SEcunda conclusio textus affirmat presbyteros, curatos, & Archidiaconos posse religionem intrare . Quæ conclusio est communis, & habetur ex Concil. Tolet. 4. c. 49. prout refert Gratianus *cap. vnico, 19. q. 1.* & ex Vrbano Papa II. in Capitulo S. Rufini ibidem *cap. duae leges 19. q. 2.* Verùm difficultas est , an Parochus inuito Episcopo possit religionem ingredi. Palaus *trac. 16. disp. 1. p. 7. §. 1. n. 1.* ait videri D. T. in hoc articulo

videri

videri docere; quòd Parochus teneatur petere licentiam ab Episcopo transeundi ad Religionem. Quod tamen ipse negat, & pro sua sententia refert Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 4. n. 14.* Sed certè Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. cap. 17. n. 14.* negat Parochum posse fieri religiosum inuito Episcopo, & fundat se primo in *cap. admonet de renunciat. & in cap. si quis cum tribus sequent. & in cap. Episcopus de loco. 7. q. 1.* Sed huiusmodi textus ad rem non faciunt, neque probant. Nam D.T. *opus. 18. cap. 25.* explicat caput illud admonet, *de renunc. simul cum cap. Cum & plantare, de priuilegijs*, sic dicens. *Ex quibus non plus habetur, nisi quod presbyteri curati non possunt dimittere Ecclesias Episcopo inconsulto, & si dimiserint puniri possunt. Sed hoc generale imprudenter applicant ad hoc speciale, vt non possint sine licentia Episcopi dimissa cura religionem intrare.* Huius enim oppositum expressè decreuit Vrbanus Papa II. *cap. Duæ sunt. 19. q. 2.* vbi de presbyteris curatis loquens ait. *Quisquis igitur hoc spiritu ducitur etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra authoritate.* Aliud igitur est dimittere Ecclesias Episcopo inconsulto, & inscio. Aliud est resignatis Ecclesijs inter Episcopi manus eoque consulto, sed licentiam negante ingredi Rrligionem eo inuito. Primum est, quod prohibetur in eo *capit. admonet* ab Alex. 3. Et hoc est, quod docent DD. ad illud *cap.* quos abundè refert ibid. Barbosa *n. 1*, sed nō asseritur secundum. Imò ex eo capite probatur non esse necessarium consensum Episcopi ad dimittendam Ecclesiam etiā absolutè loquendo. Nam hæc sunt verba textus. *Absq; assensu suo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto.* Vbi ad hoc, vt aliquis Ecclesiam assequatur, & detineat textus requirit assensum Episcopi, sed ad dimittendum requirit solum Episcopi consultationem, aut scientiam, neque opus erat mutare terminum, & solum requirere ne Ecclesia dimittatur Episcopo inconsulto, si erat necessarius consensus, sed dicere debuisset absque assensu suo intrare audeant, aut detinere, aut dimittere. Cum verò textus exigat Episcopi consensum ad intrandum, & detinendum, sed ad dimittendum non iam ampliùs consensum Episcopi petat, sed consultationem, & scientiam, ex hoc eodem textu probatur absolutè non esse necessarium consensum Episcopi ad hoc, vt curatus Ecclesiam dimittat, In alijs verò locis ex 7. q. 2. adductis loquitur textus de transitu vnius Ecclesiæ ad aliam, qui quidem sine licentia Episcopi fieri non potest, cum hoc non sit solum vnam deserere, sed aliam intrare, & detinere. Parochi igitur non possunt sine licentia Episcopi deserere suas Ecclesias, vt ad alias transeant, vel etiam, vt sine cura animarum otiosi in sæculo viuant. Et hoc est, quod docent communiter Glossa, & alij scribentes ad *cap. Admonet de renunciat.* & alij quos latè cumulat Barbosa ibidem. Et hoc idem est, quod habetur ex *Constit. 58.* Pij Quinti. Sed vbi parochus velit ingredi religionem non potest Ecclesiam deserere eo inconsulto, seu licentia non petita, potest tamen deserere illam eo inuito, seu licentia non obtenta. Et ita expressè tenet Glossa in dicto *cap. Admonet v. inconsulto*, Castro Palaua *trac. 16. d. 1. p. 6. §. 1. n. 1.* D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 2. §. 2.* Donatus *p. 4. trac. 3. q. 19. n. 4.* Caiet. *supra q. 184. a. 6.* Reuerendiss. Fagnanus ad *cap. Admonet. n. 17. de renunc.* nec oppositum, vel per vmbram docuit D. T. in hoc articulo.

8. Vndè verò sit, quod nō possit presbyter curatus dimittere Ecclesiā, vt fiat religiosus, nisi cōsulto Episcopo; dicitur quod est de iure naturæ, & de iure positiuo. Est de iure naturæ, quia hoc petit officium parochi. Nec valet, quod Suarez habet loco citato *n. 13.* quia scilicet nullus operarius, aut famulus ex natura rei tenetur perseuerare in famulatu, obligatio autem famuli non deserendi dominum eo inconsulto non est, nisi obligatio honestatis, & decentiæ, vndè nec parochus ex eo, quod sit Episcopi minister spectato solo iure naturali tenetur ad consulendum, vel monendum Episcopum, nisi ex honestate, & decentia. Nam minister, qui habet custodiam rerum, & bonorum domini sui, quæ absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officij sui tenetur bona sibi commissa domino reddere, & illum monere, vt de alio custode prouideat, & si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si minister pastoris ouium Domino ac pastore non admonito gregem errantem sine custode dimitteret. Licet verò spectato solo iure naturali hoc in aliquo casu posset non esse culpa grauis, si omnibus spectatis parochiæ non immineret periculum; donec Episcopus aliundè admoneretur, ex hoc tamen non sequitur, quod hæc dimissio ex genere suo non sit mala, & non sit mortale peccatum per se, & ex obiecto, quia est dimittere gregem sine gubernatore inter mundi pericula. Sed præterea ex iure positiuo fundato tamen super lege connaturali officio Parochi, nunc quoque est prohibitum ne Parochus Ecclesiam deserat Episcopo inconsulto, & ignorante, ad quod potest facere *cap. Admonet* citatum.

9. Parochi igitur licitè ingredi possunt religionem etiam sine Episcopi licentia, & Episcopo contradicente, quod idem asseritur de omni alio Episcopo inferiore, qui habeat curam animarum, vt citati DD. asserunt, quia omnium est eadem ratio; licet isti non possint Episcopo inconsulto id facere.

10. Ex responsione ad primum habetur officium Parochi, & Archidiaconi, seu curæ animarum sub Episcopo verè esse officium ministeriale, & instrumentale, nec habere de se perpetuitatem, sed esse ex natura sua separabile ab assumente, solumque ex iure positiuo habere quandam immutabilitatem, quam tamen non habet talem, vt impediat religionis ingressum.



QVÆ-

QVÆSTIO CLXXXIX.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum liceat de vna religione transire ad aliam?

A. d. 27 q. 2. ar. 3. q. 1. ad 3 & d. 38. q. 1 ar. 4. q. 4. ad 3.



D octauum sic proceditur. Videtur, quod non liceat de vna religione transire ad aliam, etiam arctiorem. Dicit enim Apostolus ad Hebraos, decimo, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam: gloss. qui scilicet vel timore persecutionis cedunt, vel propria præsumptione a peccatoribus, vel imperfectis, vt iusti videantur, recedunt. Sed hoc videntur facere, qui de vna religione trãseunt ad aliam perfectiorem. Ergo videtur hoc esse illicitum.

Gloss. interl.

In decre. lib. 3. tit. 35. c. 5. & mod.

2. Præterea, professio monachorum est arctior, quam professio regularium canonicorum: vt habetur extra de statu monachorum, & canonicorum regularium, c. Quod Dei timorem. Sed non licet alicui transire de statu canonicorum regularium ad statum monachorum. Dicitur enim in Decretis 19. quæst. 3. Mandamus, & vniuersaliter interdicimus; ne quis canonicus regulariter professus, nisi, quod absit, publicè lapsus fuerit, monachus efficiatur. Ergo videtur, quod non liceat alicui transire de vna religione ad aliam maiorem.

causa 19. q. 3. ca. Mandamus.

3. Præterea, tamdiù obligatur aliquis ad implendum quod vouit, quamdiù potest licitè illud implere: sicut si aliquis vouit cõtinentiam seruare, etiam post contractum matrimonium per verba de præsenti, ante carnalem copulam tenetur implere votum: quia hoc potest facere religionem intrando. Si ergo aliquis licitè potest transire de vna religione ad aliam, tenebitur hoc facere, si ante hoc vouerit existẽs in seculo. Quod videtur esse inconueniens; quia ex hoc plerùmque scandalum generari posset. Ergo non potest aliquis religiosus de vna religione transire ad aliam arctiorem.

Sed contra est, quod dicitur in Decr. 20. quæst. 4. Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam, ad aliud monasteriũ pergere disposuerint, ibi denique cõmanere decreuerint: sancta synodus concedit. Et eadem ratio videtur esse de quibuscumque religiosis. Ergo potest aliquis licitè transire de vna religione ad aliam.

20. q. 4. c. Virgines sacræ.

Respondeo dicendum, quod transire de religione ad religionem, nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem, non est laudabile. Tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur. Tum etiã, quia faciliùs proficit aliquis in religione, quam consueuit, quam in illa, quam non consueuit, cæteris paribus. Vndè in collationibus patrum abbas Nestorius dicit, vnicuique vtile est, vt secundum propositum quod elegit, summo studio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam a sua, quam elegit semel professione discedat. Et postea subdit, rationem assignans: Impossibile namque est vnum, & eundem hominem simul vniuersis fulciri virtutibus. Quas si quis voluerit pariter acceptare, in id incidere eum necesse est, vt dum omnem sequitur, nullam integrè consequatur. Diuersa enim religiones præeminent secundum diuersa virtutum opera. Potest tamen aliquis laudabiliter de vna religione transire ad aliam, triplici ex causa. Primo quidem zelo perfectioris religionis. Quæ quidem excellentia, vt supra dictum est, non attenditur secundum solã arctitudinem, sed principaliter secundum id ad quod religio ordinatur, secundario verò secũdum discretionem obseruantiarũ debito fini proportionatarum. Secundo propter declinationem religionis à debita perfectione: puta si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius viuere laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius obseruetur. Vndè in collationibus patrum Abbas Ioannes de seipso dicit, quod à vita solitaria in qua professus fuerat, transijt ad minorem, scilicet eorum qui viuunt in societate, propter hoc, quod vita eremitica cœperat detinare, & laxius obseruari. Tertio propter infirmi-

in collat. 14. c. 5. in princ.

in collat. 14. c. 6.

q. præc. ar. 6.

in collat. 19. c. 3. 5. & 6.

firmi-

firmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, quod non potest aliquis arctioris religionis statuta seruare, posset autem seruare statuta religionis laxioris. Sed in his tribus casibus potest esse differentia: Nā in primo casu debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ tamen ei negari non potest: dummodo constet illam religionem esse arctiorem. Si verò de hoc probabiliter dubitetur, est in hoc superioris iudicium inquirendum: vt habetur extra, de regularibus, & transeuntibus ad religionem, cap. licet. Similiter requiritur superioris iudicium in secundo casu; in tercio verò casu est etiam necessaria dispensatio.

In decr. l. 3. tit. 31. c. licet de eo. tit. in aed.

Ad primum ergo dicendum, quod illi, qui ad arctiorem religionem trāseunt, non faciunt hoc præsumptuosè, vt iusti videantur: sed deuotè, vt iustiores fiant.

Ad secundum dicendū, quod vtraque religio, scilicet monachorum, & canonicorum regularium ordinatur ad opera vitæ contemplatiuæ: inter quæ præcipua sunt ea quæ aguntur in diuinis mysterijs, ad quæ ordinatur directè ordo canonicorum regulariū, quibus per se competit, vt sint clerici religiosi. Sed ad religionem monachorum non per se competit, vt sint clerici, vt habetur in Decret. 16. quæst. 1. Et ideò quamuis ordo monachorum sit arctioris obseruantiæ, si monachi essent laici, liceret transire ab ordine monachorum, ad ordinē canonicorum regularium: secundum illud Hier. ad Rusticum monachum, sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis. Non autem è conuerso: vt habetur in Decret. 16. quæst. 1. in Decret. inducto. Sed si monachi sint clerici sacris mysterijs obsequentes, habent id quod est canonicorum regularium, cum maiori arctitudine. Et ideò transire licitum erit de ordine canonicorum regularium ad ordinem monachorum, petita tamen superioris licentia, vt dicitur 19. q. 3. c. Statuimus.

16. q. 1. c. 2. Nemo, &c. & c. 6. alia causa.

De viuendi forma à mo. ep. 4.

16 q. 1. c. Sic viue.

19. q. 3. c. Statuimus.

Ad tertium dicendum, quod votū solemne, quo quis obligatur minori religioni, est fortius, quam votum simplex, quo quis adstringitur maiori religioni. Post votum enim simplex si contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, sicut post votum solemne. Et ideò ille qui iam professus est in minori religione, non tenetur implere votum simplex, quod emisit de intrando religionem maiorem.

S V M M A R I V M.

1 *Resolutio articuli. num. 1.*
2 *Transire de vna ad aliam religionem non est laudabile, nisi ex causa iusta. num. 2.*
3 *Rationes plures ad hoc probandum. num. 3. 4.*

1. RESolutio articuli est, transitum de vna religione ad aliam non esse laudabilem, nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem. Et nihilominùs posse aliquem laudabiliter de vna ad aliam transire triplici de causa, scilicet vel zelo perfectionis transeundo ad arctiorem, vel quia prior religio declinauit ab obseruantia, vel quia religiosus est impotens ad arctitudinem regulæ, quam assumpsit. Primum potest fieri licentia petita, & non obtenta, & in secundo casu necessarium est iudicium superioris, in tertio verò casu necessaria est dispensatio.

2. Hæc est prima conclusio huius textus decernens, non esse laudabile transire de religione ad religionem, nisi vel propter magnam vtilitatem, vel propter necessitatem. Conclusio ista confirmatur à D. T. *ex collat. 14. c. 5. author. Abbatis Nestorij*, & præterea *in Authent. de Monachis coll. 5.* Imper. Iust. sic loquitur. *Si quis relinquens monasterium, in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat monasterium, competens est, Reuerendissimos Abbates eum non suscipere, erronea namque est talis vita monastica nullatenus tolerantia proxima, neq; constantis, & persistētis animi.* Ideò in aliquibus religionibus, vt in Societate Iesu prohibitum est recipere nedum aliarum religionum professos, sed etiam non professos, qui earum habitum susceperunt, & gestauerunt, vt habetur ex p. 1. *Constit. c. 2. Examinis.*

3. Et quidem ita est, quod sicut hic transitus de se non est laudabilis, nisi ex causa magnæ vtilitatis, vel necessitatis, ità non expedit, vt vna religio alteriùs ordinis religiosos, maximè professos recipiat. Quod pluribus rationibus ostenditur. Primo enim ex hoc perturbatur recipientium pax. In religioso enim alteri religioni assueto, manent prioris ordinis vestigia, conceptus, apprehensiones diformes regulis, & obseruantijs religionis, in quam ingreditur, ideoq; vix qui ingreditur exuere potest diformitatem, & discrepantiam viuendi, cui assuefactus fuerat in priori religione, ex quo non parum turbatur pax religiosorum. Ideò S. Basil. in *Cōst. monasticis cap. 34.* loquens de eo, qui de vno eiusdem ordinis monasterio ad aliud transit, monet neque hoc sine magna consideratione fieri debere. *Siquidem, hoc facere, inquit, summa confusio est, dissolutio, atque peruersio spiritualis ædificij.* Et post multa tandem concludit. *Tunc autem tantummodò reprehensione vacare fratris segregatio debet quandocumque ex An-*

tistitis

tisitis iudicio, occulta alicuius, quam ipse sciat vtilitatis causa fiat. Secundò quia regulariter mutatio religionis est signum animi inconstantis, vt aduertit Imper. Iustin. in auth. citata. Nam *in p. ad Cor. c. 7.* inquit Apos. *Vnusquisque in vocatione, qua vocatus est, in ea permaneat.* Vndè mutare religionem; cum sit non permanere in vocatione, est signum animi inconstantis, & non multum apti ad statum religiosum. Tertiò quia vt docet D.T. frequentius illi, qui relinquuntur scandalizantur, & ita hic transitus infert scandalum, & aliquam infamiam religioni desertæ. Ideo S. Basilius Reg. 10. ex fusioribus dixit. *In ijs, qui istius modi sunt magnopere suspecta inconstantia esse debet, qui præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inueniant, cæteris etiam sunt detrimento, quod institutum viuendi nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infamant.* Ideò apud homines sensatos non nulla nota est defecisse à religione semel suscepta. Quartò quia vt habet D. T. bona consueta relinquere, & insueta assumere non est securum, & est pro dubijs certa relinquere, & pro facilibus difficilia spe incerta tentare; faciliùs enim, & securius, ideoque cæteris paribus melius est in bono assueto perseuerare, quam incognitum; & inexpertum inchoare. Quinto quia non raro accidit, vt qui curant de vno ad alium ordinem transire, non alia causa id faciant, vel quia sunt disciplinæ impatientes, vel vt vitam comodiorem ducant, vel vt ad dignitates ascendant, vel vt maiori gaudeant libertate, vel ob alium prauum finem. Ea propter magna prudentia est necessaria, in recipiendis alterius ordinis religiosis, nec de facili, sed vberiori examine præmisso tunc recipi possunt, cum constat petentem transitum non ex leuitate, sed ex zelo, vel causa necessaria ingressum petere.

4. Merito propterea transitum de vna religione ad aliam non esse de se laudabilem, sed esse periculosum, & non consulendum ex hac D.T. conclusione docet Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. licet num.6. de Regular.* Nam nec coalescit planta quæ sæpe transfertur. Et nunquam perueniet, qui quot videt calles sectatur Palaus *tr. 16. d. 4. p. 26. §. 2. num. 6.* Suarez *tom. 4. de religione l. 3. cap. 9. n. 3.* Lezana *tom. 1. c. 22. num. 1.* Sanchez *l. 6. moral. c. 7. num. 1.* Quæ fuit expressa sententia S. Bernardi, qui in libro de præcepto, & dispensat *cap. 20.* inquit *Sane de Religiosis, & bene ordinatis monasterijs nullus professorum meo consilio, nec artioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egredietur.* Et inferius affert exemplum. *Forte vult aliquis de Cluniacensibus castitatis ad Cortercienssem se se stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus, magis regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo, si non sane id sui Abbatis vsurpabit assensu. Quamobrem? Primo propter Scandalum ipsorum quos deserit, deinde quia certa pro dubijs relinquere tutum non est. Forsan, hoc tenere potest enim illud non poterit: Tertio suspectum habet leuitatem, quà id sæpè, quod facere volumus antequam probemus, & experti iam nolumus, vno prope momento idipsum, & cupientes, & respuentes, tam leniter, quam irrationabiliter: Quales vtique non paucos frequenter experimus, qui vna vix hora, in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi, vagi, & instabiles, huc & illuc velut ebrij nutant mutantque pro experimento iudicium, imò sine iudicio fluctuantes, & tumultuantes tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt semper, quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes.*

SVMMARIVM.

1 *Religiosus maioris perfectioni zelo de largiori ad strictiorem Religionem potest transire. Et hoc etiam de iure naturali. n. 5.*
2 *Et de iure positiuo. n. 6.*
3 *Et hoc conuenit etiam Conuersis, & Oblatis. numer. 7.*
4 Non *vero Monialibus. nu. 8*
5 *Nec totum monasterium potest ad strictiorem ordinem transire. n. 9.*
6 *Hic transitus debet fieri ex zelo perfectionis. num. 10.*
7 *Et sine iniuria religionis à qua fit transitus. numer. 10.*
8 *Vnde mala intentio colligatur. n. 11.*
9 *In transeunte petita licentia bona intentio præsumitur. n. 12.*
10 *Denegata licentia non licet statim transire. numer. 13.*
11 *In dubio non licet transire sine licentia. numer. 14.*
12 *Non potest quis ingredi laxiorem cum animo in ea non perseuerandi. n. 15.*
13 *Ex damno illato Religioni a qua transitur qualiter impediri possit transitus ad arctiorem. numer. 16. 17. 18.*
14 *Transitus ex mala intentione an sit nullus. numer. 19. 20.*
15 *Religioni damnificata ex transitu Religiosi ab illa an competit restitutio Religioso transeuntis. num. 19. 20.*

5. SEcunda textus conclusio affirmat religiosum posse ad aliam religionem transire triplici ex causa. Quarum prima est, quando religiosus ex desiderio perfectionis transit de religione imperfectiori in perfectiorem. Et quidem religiosum posse transire de religione Laxiori in arctiorem certum est ex *cap. non est, & cap. significatum*, maxime verò *ex cap. licet de regularibus*. Quo autem iure hoc liceat aliqui videntur sentire, quod iure humanò hoc sit permissum. Sic enim sentire videntur Azor *l. 11. cap. 17. q. 18.* Sayr *l. 6.* Clau. regiæ *cap. 10. n. 9.* Sed veritas est, quod vtroque iure per se absolutè loquendo licitum est, & laudabile, quod religiosus de laxiori religione ad strictiorem transeat. Et ita docent Caiet *supra q. 88. a. 12. in princip. §. ad huius euidentiam* Suarez *tom. 4. de relig. l. 3. c. 7. num. 2.* Sanchez *l. 6. mor. c. 7. num. 3.* Fagnan. *ad cap. licet num. 12. de Regul.* Et ratio est, quia in hoc transitu votum professionis commutatur in melius, & quidem sine iniuria prioris religionis, Tum quia in voto quolibet continetur implicitè conditio, vt id quod promittitur non sit impedimentum maioris perfectionis. Tum quia licet per votum professio-

ſsionis religioſus ſe obliget nedum Deo, ſed Prælatis religionis, ac propterea videatur, quod religioſus ſine conſenſu prælati religionis à qua transit nō poſſit exire, & alteri religioni ſe tradere, tamen hoc non ſequitur, quia vt habent Sanchez & Suarez ex Caietano loco citato obligatio, religioſi fit prælatis propter Deum principaliter, & religioſus ſe tradit prælatis non propter prælatos, ſed propter Dei gloriam, & ipſius religioſi ſe tradentis perfectionem, ideò natura talis traditionis eſt, vt non impediat religioſum, ne cum maiori Dei gloria, & ſua vberiori perfectione ad religionem arctiorem tranſeat.

6. Ex iure quoque poſitiuo hic tranſitus eſt conceſſus maximè in citato *cap. licet*, quod vt Caietanus notat non continet ius nouum, ſed ius naturale explicat. Neque hoc ius fuit reuocatum per Pium Quintum in motu proprio ſeu *conſt.* 89. quæcumque Sacrarum data anno 1569. vbi ſtatuit, non poſſe recipi aut retineri ab vlla religione fratres alterius ordinis, ſed debere remitti ad propriam religionem. Quia ibi Pontifex agit de recipientibus tranſeuntes ab vna ad aliam religionem virtute priuilegiorum particularium, & facultatum conceſſarum aliquibus religionibus, quas omnes caſſauit, vt patet ex verbis illius motus proprij ibi *vigore huiuſmodi priuilegiorum tantum, & præter iuris communis diſpoſitionem*, non verò agit de illis, qui tranſeunt de vna religione ad aliam virtute licentiæ contentæ in *cap. licet de regular.* ſed virtute iuris communis, vt poſt Nauar. *l. 3. concil.* 88. *de regular.* tradunt Sanchez *dicto nu.* 3. Lezana *tom. 1. cap. 24. num.* 2. Suarez *tom.* 4. *de relig. l. 3. c. t.*

7. Dubitant verò aliqui an hoc conueniat, Conuerſis, & Oblatis. Nam quod iſti eo quod ſe & omnia ſua tanquam ſerui tradiderunt monaſterio non poſſint ad arctiorem Religionem tranſire, voluit Abbas. *cap. non eſt, num.* 3. *de regular.* Sed ratio non cogit, quia traditio illa, qua huiuſmodi ſe tradunt monaſterio principaliter reſpicit obſequium Dei, & ſalutem ſe tradentis, ideò ſemper continet conditionem, niſi ſe tradens velit ſe transferre ad ſanctiorem ſtatum. Gregor. Lopez *l. 3. v. Religioſus, tit. 7. p.* 1. Sanchez *l. 6. c. 7. nu. 9.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 10. num.* 5. Bonac. *de clauſ. q. 2. p. 9. §* 2. *num.* 3. Tambur *to.* 3. *d. 7. q. 1. num.* 22. Palaus *tr. 16. d. 4. p. 16. §. 2. nu.* 5. Imò addunt Suarez, Tambur. & Palaus, quod ſi iſti non ſunt profeſſi in Religione, cui deſeruiunt poſſunt quamcumque Religionem ingredi, quia ſic aſſumunt ſtatum perfectiorem.

8. An verò hæc facultas tranſeundi ad arctiorem Ordinem impetat nedum viris, ſed etiam monialibus, videtur affirmandum ex *cap. Virgines* 20. *q.* 2. prout dixerunt ibi Gloſſa Archid. Bellam, & Turrecrem, Gloſſ. *in cap. vnico v. perpetuo, de ſtat. Monachorum in 6.* Et ibi Ancharan. & Gemin. *n. 1.* Syluel. *v. religio* 7. *q.* 16. *Socin. ſen. q.* 282. Decian. *conſ.* 20. Et quod hodie etiam hoc non ſit prohibitum per Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *c. 5. & Conſtit.* 8. Pij Quinti, de Clauſ. Monial. dixerunt Rodriq. *t. 3. q.* 52. *a.* 6. Sanchez *l.* 6. in Decal. *c. 6. n.* 6. Palaus *tr.* 16. *diſp.* 4. *p.* 16. *§. 1. n.* 3. Vbi tamen ſentiunt hunc tranſitum non licere de ſola licentia Abbatiſſæ. Verum licet ſpectato ſolo iure naturali, aut iure communi antiquo hæc ſententia approbanda eſſet, quia tam in viris, quam in mulieribus militat ratio *cap. licet, de Regular.* quæ eſt, quod qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, ideò non poſſunt religioſi impediri, quia ad ſanctiorem religionem tranſeant, ſanctū propoſiti ad impleant. Tamen ſpectato iure nouo *Conſtit.* 6. Pij Quinti de clauſura monialium declarato per Sacr. Congreg. dicendum eſt non licere Monialibus tranſire ad arctius Monaſterium, ſine licentia ſedis Apoſtolicæ. Et iuuat hic afferre, quæ in huius confirmationem habet Reuerendiſſimus Fagnanus *cap. Recolentes num.* 48. & 49. *de ſtat. Monach.*

Præterea inquit facultas, quam de iure cōmuni habebant Moniales tranſeundi ad ſtrictiorem religionem licentia petita, licet non obtenta, iuxta gloſ. in d. cap. Virgines, & alios ſupracitatos n. 18. ſublata fuit per Conſtitutionem Pij V. Decori, ſuper clauſura Monialium: quidquid perperam ſcripſerint in contrarium Nauar. Rodrig. & Sanch. citati eod. nu. 18. contra quos tenet Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib 13. cap. 8. q. 1. & ita ſæpiùs declarauit S. Congregatio tam Concilij, quàm Epiſcoporum, & Regularium, quæ etiam tranſeundi licentiam non concedit, niſi adiectis conditionibus infraſcriptis, videlicet. Dummodo Superiorum primi monaſterij, & Monialium transferendarum accedat aſſenſus, & non antea ab eodem monaſterio Moniales egrediantur, quàm conſtet ſecundum paratum eſſe illas recipere, & in eo capitulariter, & per ſecreta ſuffragia recipiantur, vt dotem à cæteris Monialibus præſtari ſolitam perſoluant; ipſaque translatio conſanguineis, grauibuſq. matronis, & his deficientibus, alijs pijs, honeſtiſque perſonis concomitantibus fiat, atque ab vno ad aliud monaſterium abſq; diuerticulo rheda clauſa, vel ſaltem earumdem Monialium oris parte velata, & ea modeſtia, qua ſponſas Chriſti decet, rectâ procedatur, nullibique pernoctetur, niſi hoſpitij cauſa apud honeſtas perſonas, vel vbi monaſteria Monialium repererint, apud eaſdē Moniales, quas Ordinarij loci accedente licentia, beneuolas inuenerint receptrices; ac demum omnis eis ſpes ad primum monaſterium redeundi præſenti decreto penitus cenſeatur ablata. Et ita multoties vidi obſeruatum. Aliquando etiam dictū fuit tranſlationem faciendam eſſe de conſenſu proximiorū conſanguineorum, ideſt parentum, fratrum, & ſororum monialium transferendarum, vt in caſu Isnuen. die 13. Iulij 1607. Et infra

Ad vltimum reſpondetur Conſtitutionem Vrbani IV. in omnibus illis caſibus, in quibus indulget, vt Moniales tranſire poſſint ab vno ad aliud monaſterium, fuiſſe abrogatam per poſteriorē Conſtitutionem Pij V. de clauſura Monialium; & ita ſæpius fuit reſolutum, & in hoc decipitur Miranda, qui contrarium tenet; vnde cùm eſſet ab Epiſcopo tranſlata Monialis à ſuo ad aliud monaſterium, & in eo propter furorem manere non poſſe nec Monialibus parere vellet, & conſanguinei petijſſent, vt eam domi expenſis monaſterij retinere poſſent: S. Congregatio Concilij cenſuit ſcribendum Epiſcopo, non potuiſſe eum abſque Sedis Apoſtolicæ licentia illam transferre ad aliud monaſterium ex Conſtitutione Pij V. propterea iube-

subeat, & curet eam reduci ad suum monasterium; & cæteris Monialibus parere, adhibitis etiam vinculis, si opus fuerit. Rursus cum esset dubitatum an monasterium de Xixena situm in loco paludoso, propter quem aer sit insalubris, & periculosæ infirmitates Moniales inuadunt, comprehenderentur in prædicta Bulla Pij V. de clausura Monialium, adeout Moniales exire non possent ad curandas istas infirmitates: Sacra Congregatio censuit comprehendi hoc monasterium in Bulla Pij V. licet adiecerit hunc casum dignum esse prouisione speciali, vt quæ infirmitatibus illis propter aeris intemperiem premuntur, possint de consilio vtriusque Medici, & licentia Superioris exire; & ita Sanctissimus annuit. Et aliàs cùm Monialis obtinuisset à Superiore regulari licentiã ab Ordinario approbatã exeundi è monasterio causa curandi morbum epidimiæ, & extra illud per sex menses commorandi, & lapso sex mensium termino, cum longiori ad curationem opus esset, petijsset vt terminus ex dispensatione Apostolica sibi prorogaretur S. Congregatio censuit oratricem, si verè laborat morbo epidimię, non indigere dispensatione Apostolica, quia est casus exceptus in Constitutione Pij V. quod si infirmitas tendat ad epidimiam, vt dicitur in licentia per Superiorem Monialis concessa, non potuisse talem licentiam concedi, & eũ qui concessit incidisse in excommunicationem. Quinimo etiam facultas Episcopo attributa ex decreto c. 7. sess. 25. de Regular. fuit sublata per eamdem Constitutionem, vt Gregorius XIII. declarauit. Nam cùm Generalis S. Augustini dubitaret an post Bullam Pij V. de egressu Monialium, liceat de monasterio ad monasterium Moniales transferre, vt in eo, ad quod transfertur Abbatissæ munere fungantur: Sacra Congregatio dixit referendum Sanctissimo, qui censuit Bullam corrigere decretum Concilij c. 7. sess. 25. de Regular. & ideò ex illo decreto non licere amplius extrahere Moniales de monasterio pro constituenda Abbatissa in alio, nisi obtenta speciali licentia à Sede Apostolica.

Item ex decreto Pauli V. publicato à S. Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 22. Decembris 1617. ac intimato Procuratoribus Generalibus Ordinum, non possunt Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda, neque ratione Prioratus, vel alterius officij, quibuscumque in contrarium non obstantibus: vt testatur Castellin. tunc Procurator Ordinis Prædicatorum in tract. de elect. cap. 17. n. 5.

Aduertit etiam Nicolius *lib. 3. tit. 31. num. 12.* quod propter decretum S. Congr. Episcoporum & Regularium instimatum Procuratoribus Generalibus Ordinum, & datum 22. Decembris 1612. non possunt Moniales ex quacumque causa transferri de vno ad aliud Monasterium nisi de licentia Sedis Apostolicæ toties quoties obtinenda, neque occasione Prioratus, vel cuiuscumque officij Diana p. 3. t. 2. *resol. 99.* Et hoc quia facultas quæ olim competebat Ordinarijs transferendi moniales de vno ad aliud monasterium strictioris obseruantiæ, vel ad monasterij fundationem, seu Monialium instructionem, vel in alijs casibus à iure, vel Concilio Tridentino permissis fuit sublata per Constit. 8. Pij Quinti, quæ incipit Decori, vt declarauit S. Cong. 30. Maij 1631. Et in specie transitum de vna Religione ad aliam, non concedi regulariter Monialibus dixit eadem S. Cong. in Trident. 12. Ianuar. 1604. Hunc transitum etiam hodie fieri non posse inconsulta S. Cong. Regularium dixit Tambur. *tom. 3.* de iure Abbat. *disp. 7. quæst. 1. num. 25. ex declar. d. 5.* Congr. in vna Nanet. 16. Ianuar. 1615. & Redonen. 31. Ianuar. 1617.

9. Sed numquid totus vnus Conuentus, vel Monasterium potest de proprio ordine ad strictiorem transire de licentia superiorum petita, & non obtenta independenter à speciali licentia Sedis Apostolicæ? Affirmant Rodriq. t. 3. q. 52. *a. 6.* & Sanchez *lib. 6. c. 7. num. 7.* Tambur. *t. 3. d. 7. q. 1. n. 24.* Sed oppositum fuit statutum *in cap. cum. S. fin. de religios. dom. in 6.* ibi aduertunt Gloss. in v. totaliter Sa Monachus *num. 9.* Io: Andr. *num. 4.* Geminian Per transitum enim totius Religionis, aut Monasterij totum destruitur: non fuit vero conueniens vt huiusmodi destructio inferiorum iudicio relinqueretur. Ideò non valet consequentia à singulis ad totum, & à concessione *cap. licet*, quæ facta est singularibus non licet arguere ad integrum monasterium. Hanc partem verò latissimè probat Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Recolentes num. 24.* Et sequentibus.

10. Quatuor verò conditiones assignari solent ad hoc, vt huiusmodi transitus sit laudabilis Prima est, quod alicui non sit speciali iure prohibitus. Secunda quod fiat non ex leuitate, sed ex zelo maioris perfectionis. Tertio quod fiat ad religionem perfectiorem. Quarta quod non fiat inconsulto prælato religionis a qua receditur. Ex quibus prima, & quarta explicabuntur infra circa finem corporis articuli, duas enim medias hic textus exprimit. Ad hoc igitur, vt transitus de vna ad aliam religionem sit laudabilis hæc est necessaria conditio, vt fiat zelo perfectionis. Hanc conditionem expressit textus *in cap. licet de regul. per hæc verba*, ibi, *Ne quis ex temeritate, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam sui ordinis sub prætextu maioris religionis ad alium ordinem transuolaret.* Et ita in hac conditione duo continentur, scilicet Sancta intentio transeuntis, & conseruatio honoris religionis propriæ, ita vt transitus non cedat in iniuriam, & damnum religionis à qua religiosus vult exire. Et hæc conditio sub priore continetur, quia esse verus zelus seu amor perfectionis, quæ in charitate principaliter consistit nequit esse in eo, qui contra iustitiam, aut charitatem, matrem, quæ illum nutriuit non curat suo exitu infamare. Et ideò hæc duo necessaria esse scilicet, vt qui vult ad alium ordinem transire id faciat ex desiderio maioris perfectionis sincerè, & sine fictione, & sine damno, iniuria, & infamia religionis à qua religiosus exit, tradunt Canonistæ *ad cap. licet de Regular.* vbi Innoc. *num. 1.* Host. *num. 5. & 6.* Io: And. *nu. 22.* Anton. *num. 14.* Anchar. *num. 11.* Card. *num. 3.* Henric. *num. 7.* Fagnanus *num. 7. & 30.* Bonif. Clem. 1. *de regular. num. 18.* D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 4.* Syluest. *v. religio 4. quæst. 1.* Turrecrem. *cap. 1. num. 3. 19. q. 3.* Tabien. *v. religio q. 13.* Ang. *v. reli*

*giosus num.*34. Suarez *tom.4. de relig. l.*8. *c.*9. *nu.*6. Sanhez *l. 6. mor. c.*7. *num.* 11. Lezana *tom* 1. *c.*21. *num.*3. Vechis *disp.* 15. *d.*2. *num.* 5. Mirand. *q.*31. *a.*6. *concl.*1. Barbosa *ad cap. licet de regular. num.*9. Bonac. *de clausura q.*1. *p.* 9. §. 3. *num.* 1. Portel. *v. religiosus transitus num.*6. Anton. *à Spir. S. tract.* 6. *num.* 787.

11. Cum tamen intentio hominis sit occulta standum esse in hoc iuramento eius cuius intentio quæritur ea *cap. significasti*, §. *fin.* de homicidio dixerunt Hos. *n.* 24. Fagn. *n.* 31. ad d. *cap. Licet.* Et tamen intentio mala transeuntis, si ab eo non est clarè expressa ex coniecturis est colligenda vt DD. tradunt, & inter huiusmodi coniecturas numerant si religiosus habuit cum aliquo rixam, & lui exitum à religione minatus fuit; & Fagnan. *n.*33. *d. cap. Licet* si sit vir inconstans, qui de facili monasteria mutat. Io. Andr. *eod. cap.* Licet, *n.*6. Anton. *n.*5. Host. *n.* 15. *&* 16. Card. *n.* 3. Idem dici potest, si sit leuis ingenij & in bonis propositis instabilis, si concupiuit aliquod officium, vel aliquem gradum in religione, & non obtinuit, si sit vir parum obediens, & simul impatiens pœnarum, quæ pro culpis sibi inferuntur, vndè aduertit Nicolius *l.* 3. *tit.* 31. *de Regul. n.* 2. *quod suc. Cong. Regul.* concedit licentiam ad arctiorem, dummodo quis eam non petat ad fugiendam alicuius commissi criminis pœnam 12. *Aug.* & 12. *Decem.* 1600. 8. *Ianu.* 1601. 20. *Nouem.* 1602. specialiter verò si sine superioris benedictione, nullaque licentia abeo petita exiuit. Quod colligitur ex textus *cap.* licet, *de regul.* ibi; *quia sicut subditus à Prælato cū humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Ex his enim verbis clare habetur, quod non petere licentiam transeundi fundat præsumptionem contemptus obedientiæ, in contemnente verò obedientiam non potest esse recta intentio. Et ita quod ex hac fuga seu transitu habito inconsulto proprio superiore præsumatur in transeunte mala itentio, docet Host. eo *cap.* licet, *n.* 15. Abb. *n.* 10. Hen. *n.* 8. Lappus *cons.* 130. Abul. *cap.* 30. Num. *q.* 73. Nauar. *cons.* 59. *de Regul. alias* 52. Suarez *tom.* 4. *tract.* 8. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 17. Sanchez loco citato, *n.* 13. Palaus, *tract.* 16. *disp.*4. *nu.* 26. §. 3. *n.* 1. Vbi etiam quod hic transitus sit scandalosus, & habeat apostasiæ præsumptionem.

12. Econtra verò, dum subditus licentiam transeundi petit à superiore proprio quamuis sint in contrarium aliquæ coniecturæ malam intentionem suadentes, nihilominus in dubio bona intentio est præsumenda, nedum ratione communi, quia de nullo præsumendum est malum, dum eius malitia non apparet, sed quia transitus de laxiori in arctiorē religionem est de se bonus, & bonum animum iudicat, vbi fortiores coniecturæ oppositum non ostendunt, iuxta illud Euāgelij, *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Et prætera, quia in ijs, quæ cordis sunt, et testibus probari non possunt, standum est dicto hominis, vbi vrgentissimæ coniecturæ non suadent oppositum. Ideo in dubio præsumenda est bona intentio in eo, qui transitum hunc à suo superiore religiosè, & humiliter petit, vt tradunt Glos. *penul.* eo *cap.* licet, & ibi Io. And. *n.* 18. Host. *fine.* Abb. *n.* 8. Fagnanus, *n.* 31. Abul. *cap.* 30. Num. *q.* 73. Sanchez *l.*6. *cap.*7. *n.*14. Bassęus *v. religio.* 5. *n.* 2. addens ex Host. huic petenti etiam sine iuramento esse credendum, Fagnan. *d. n.* 31.

13. Hinc sequitur primò, si contingat in hoc casu dubio superiorem denegare licentiam, non esse petenti licitum statim ad aliam religionem transire, sed iudicium superioris expectandum, quod idem asseritur, si dubium sit, an religio, ad quam petens vult transire, sit arctior. Nam hoc determinat textus d. *cap.* licet, ibi. *Si verò probabiliter dubitetur, vtrum quis velit ad ordinem arctiorem, aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire, superioris est iudicium requirendum, ne forte Angelus sathanæ in Angelum lucis se transformet.* Vndè hoc docent Innoc. ibi *n.* 2. Abbas. *n.* 3. Henric. *n.* 11. Abul. 30. Num. *q.* 73. Syluest. *v. religio* 4. *q.* 1. & 2. Tabien. *n.* 24. & 25. Rosel. *n.* 2. Angelus *v. religiosus n.* 34. Azor. *instit. l.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. Sanchez *l.* 4. Moral. *cap.* 7. *n.* 15.

14. Infertur secundò, quod in dubio leuitatis aut religionis arctionis non est licitum religioso transire sine licentia sui superioris, quia in eo *cap. licet* decernitur, vt vbi probabiliter dubitatur requirendum est iudicium superiori; aliud verò est consilium, & aliud iudicium, nec sufficit superioris consilium petere, sed iudicium decernens, an sit bonum religiosum transire, vel non sit bonum. Quod docent Caiet. hic, & Sanchez dicto *c.* 7. *n.* 16. *d. l.* 3. *c.* 9. *n.* 12. Hostien. ad *d. cap.* Licet *n.* 16. Fagnan. *n.* 32. & est simile in *cap. Peruenit,* 12. *q.* 1. *cap. Nullus* infra, *de iure iurand.* Quis verò sit hic superior, cuius iudicio standum est in hoc dubio, Hostien. *nu.* 16. & ex eo Fagnan. *n.* 31. & Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 6. *n.* 9. putant hunc esse illum superiorem, ad quem subditus appellaret, si grauaretur, *cap.* Vt debitus, & *cap.* Cum speciali *de appellat.* non verò illum cum quo est quæstio. *C. ne quis in sua causa ius dicat, in rubro, & nigro.* Verū dicendum est, quod proximus, & immediatus Iudex, ad quem spectat hoc iudicium est ille superior, ad quem spectat concedere licentiam transeundi, & cuius est iudicare in casu contingenti, an subditus suus moueatur ex zelo, vel leuitate ad transitum hunc; de eo enim superiore loquitur textus, de quo dixit eum teneri dare licentiam ad transeundum, si constet religiosum non ex leuitate, sed ex zelo perfectionis velle transire. Quamuis si subditus sentiat se grauari ab hoc superiore, possit posteà ad eum cui de iure appellare. Hunc verò iudicem appellationis esse illum, qui possit cognoscere de causis vtriusque religionis ex Suarez *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 28. tradit Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 26. § 3. *n.* 2. Sed verum est, quod huiusmodi iudex tandem erit ad quem vltimo appelletur, sed si licentia transeundi negetur ab immediato superiore, poterit, & vt seruetur ordo in appellando debebit prius appellare ad suum Prælatum mediatum, appellādo scilicet à Priore ad Prouincialem, & à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Papam, cui Religiones immediatè subijciuntur. Neque enim consequens est, quod si Prior negat transeundi licentiam, illam etiam negaturus sit Prouincialis, vel Generalis, sed subditus debet omni via istorum voluntates prius experiri, quia non potest dici quod suus superior illi protetur contradicat

dicat transitum, si remanet in Religione superior, de quo sperari possit, quod transitum permittat.

15. Sed ex his consequi videtur, quod aliquis possit ingredi à principio religionem laxiorem ex intentione manendi in ea ad aliquod tempus, puta dum euadat doctus, vt postea ad arctiorem religionem melius dispositus transeat. Nam cum hic transitus sit licitus, iste qui ex hac intentione religionem laxiorem ingreditur, vtitur iure suo. Sed hoc quidem verum est, si hæc intentio ei iam professo superueniat; quia cum tunc liberum sit ei quando voluerit ad aliam religionem transire, potest expectare donec studiorum tempus expleat. Sed si ex hac intentione præhabita vel religionem laxiorem ingreditur, vel in ea profiteatur, fraudulenter ingreditur, aut profitetur, & iniuriam facit illi religioni, quæ huius intentionis conscia numquam illum admitteret, & ideò mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem expensarum deductis debitis ex ministerio religioni per eũ exhibito. Ita Sanchz, *ibid. n. 16. & 17.* Vbi tamen benè aduertit, hæc non procedere de intentione conditionata eius, qui quidem bona fide ingreditur cum animo perseuerandi in religione laxiori, sed simul habet intentionem transeundi ad strictiorem, si Deus illum ad hoc inspirauerit. Vndè tunc solum hic fraudulenter ingreditur, quando à principio habet positiuam intentionem non perseuerandi in laxiori religione; vnde si negatiuè se habet ad hoc, & interim ingreditur religionem laxiorem seruaturus ea, quæ in ea præcipiuntur relicta sibi libertate etiam disponendi de se ipso in melius, hic non peccat, sed iure suo vtitur. Quantum etiam ad id, quod habet Sanchez, quod scilicet iste fraudulentus Religiosus possit deducere à solutione expensarum ea, quæ debentur pro obsequio ab illo Religioni præstito, considerandum est, quod obsequia Religiosi non sũt intuitu religionis, neque in eius vtilitatem principaliter, sed in vtilitatem religiosi agentis, & ex motiuo perfectionis propriæ, & proprij meriti, licet ex hoc corpori religionis resultet vtilitas. Ideo in hoc nõ debet attendi quãtum valeant obsequia præstita à religioso illo fraudulẽto, sed an religio eorum necessitatem habuerit, & ex eis facta sit ditior; quia si eorum necessitatem non habuit, ita si ille defuisset, Religio per alios non fictè religiosos suæ vtilitati consuluisset, vnde ex illius ficti religiosi obsequijs illa non est facta ditior, quia nihil habuit, vel habet, quod ex se ipsa non habuisset per religiosos, quos aluit, & alit; non debet religio grauari, vt soluat mercedem operum illius, cuius opera in tantũ grata habuit religio inquantum iudicauit ea esse opera filij, & non intus simulatoris, & quæ aliundè obtinuisset ab aliquo alio filio suo, sine alia mercede, & damno suo, vnde ex vi talium operum non est facta ditior. Ideò pro huiusmodi operibus sibi non necessarijs, vt prouenientibus à tali religioso, & quæ illa non postulauit ab eo, nec oblata recepisset, si eius fraudes fuisset conscia, & commodè per alios filios suos sibi prouidisset, non tenetur religio ad aliquam mercedem; quia imo illa iniustè grauaretur, si pro illis cogeretur aliquid soluere.

16. Circa verò alteram partem huius conditionis, scilicet, vt huiusmodi transitus non fiat cũ damno religionis, à qua religiosus discedit, hoc primo limitatur, vt non sit verum, quando relaxatio religiosorum non obseruantium propriam regulam dat causam transitui; quia tunc non ex transitu, sed ex culpa prioris religionis damnum, vel scandalum, vel infamia causatur. Ita Syluester *v. Religio 4. q. 1.* Ant. Cuccus *l. 1. instit. moral. tit. 1. n. 141. & 142.* Sanchez *l. 4. mor. c. 7. n. 11.* Portel. *v. religionis transitus n. 6.* Bonac. *de clausura p. 1. punc. 9. §. 3. n. 1.* Lezana *sum. v. transeuntes regulares n. 3.* Palaus *n. 16. disp. 4. p. 26. §. 3. n. 1.* sed Panorm. dicto *cap.* licet *n. 15.* & Rosel. *v. religio 4. n. 5.* absolutè dubitãt de huius conditionis necessitate, quia cum huius damni non sit causa transitus iste, non est Spiritui Sancto resistendum, ex eo quod consurgat damnum alterius, sine culpa operantis bonum. Et quia non peccat, qui vtitur iure suo, & si hoc sit in damnum alteriùs. Et præterea, quia textus ex *cap. licet*, respicit solum damnum, quod religioni prouenit ex leuitate illam deserentis, non verò illud quod potest consequi sine culpa eius, qui ex sancta intentione transit ad aliam religionem. Sed econtra Sanchez, quem sequitur Palaus ibidem oppositum censet, quia damnum hoc est spectandum, cum non proueniat ex culpa religionis. Tum quia textus *cap. licet* id damnum in omni casu spectat; quia decernit transitum hoc maturè considerandum, ne damnum religioni irrogetur, sed & Reuerendissimus Fagnanus in *cap. Licet nu. 24. de regul.* arbitratur, quod etiam sit attẽdendũ hoc damnum, quia communis vtilitas, est præferenda. Vndè putat, quod in simili casu transiens reuocari posset etiam per restitutionem in integrum. Vnde *n. 28.* subdit, quod Episcopus posset Clericum euntem ad religionem repetere, si ex eius transitu Ecclesia grauem pateretur iacturam, secundum Innoc. *numero tertio*, & Panormit. *numer. 14.* quod etiam confirmatur ex *cap. Quod Dei timorem, de stat. Monachorum.* Nihilominus Panormit. sententia verior est, quam etiam sequitur Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 3. c. 9. n. 6.* Duplex enim damnum potest desertæ, religionis prouenire ex transitu religiosi ad aliam arctiorem. Primum est damnum cessantis vtilis, quia priuatur vtilitati & honore, quæ ex talis religiosi ministerio sibi proueniebant. Et de huiusmodi damno non potest conqueri religio, quia non habet ius ad detinendum religiosum, ne transeat ad arctiorem religionem, vndè nec habet ius ad vtile, & ad honorem, quæ ex religiosi persona consequuntur. Et præterea ex hoc sequeretur, quod solum religiosis discolis, vel inutilibus liceret transitus ad religionem arctiorem. Sed quod huiusmodi damnum non sit considerandum, habetur ex textu eo *cap.* licet. Nedũ quia decernit, quod religioso ex zelo perfectionis, & non ex leuitate petenti licentiam trãseundi, hæc concedi debeat, sed quia sic concludit. *Cum ergo, R. Monachus vester ad Fratres Cistercien. Ordinis transmigrauerit, non vt ordini vestro aliquatenus derogaretur, sed vt apud eos vitã duceret arctiorẽ; mandamus, quod super eo, quod de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenus molestetis, quia charitas est sens* pro-

proprius, cui non communicat alienus. Solam enim intentionem rectam ex non ficta charitate prouenientem requirit Pontifex in transeunte, & licet ex hoc religio priuetur bono religioso, sufficit, quod religiosus non intendat hoc damnum, sed ea propriæ perfectionis desiderio moueatur. Nã & charitas dictat, vt proprium bonum spirituale alienæ vtilitati sit præferendum. Quod confirmatur iterum ex textu *in d. cap. licet*, vbi ait antiquas leges prohibuisse *ne quis ex temeritate, vel leuitate, in iacturam, vel iniuriam sui Ordinis*, ad alium Ordinem transiret; sic enim apparet, quod loquitur de damno, quod oritur ex temeritate, vel leuitate transeuntis, & sic de damno iniustè illato. Et de hoc damno loquitur etiam Reuerendiss. Fagnanus, & de eo intelligi debeat DD. qui oppositum non exprimunt. Ideò non admittitur, quod ait Lezana v. Transeuntes regulares *num.* 3. cui consentit Anton. à Spiritu S. tr. 3. *disp.* 6. *num.* 729. Scilicet quod religiosus insignis, valdè doctus, aut in aliqua re magnæ æstimationis, non videtur posse licitè transire, quia talis transitus magnam iacturam affert religioni derelictæ. Nam religiosus iste ex eo priuaretur commoditate maioris perfectionis, impediretur à perfectionis maioris consecutione, quia esset vir maioris meriti, & sic meritum puniretur, quod est iniustitia. Neque ea hoc transitu aliquod præiudicium fit religioni, cui aufertur id quod non est suum; Nam persona illa non est religionis in casu, quod velit ex charitate non ficta transire ad religionem arctiorem. Nec urget ratio desumpta ea eo, quod bonum partis præponderat bono totius. Quia hoc est verum, quando pro conseruando bono partis periret bonum totius in toto, vel in parte, & sic in bonis suis proprijs damnificaretur totum, non verò, quando vniuersitati solum aduenit cessatio boni, quod sibi prouenit ea parte ad totum non ligata. Aliter nullus subditus vniuersitat posset vti iure suo, vt ad aliam vniuersitatem transiret, si id sibi vtile esset, si alias subditus esset vniuersitati vtilis. Et in proposito, vt dicebatur, sequeretur, quod solum Religiosi inutiles possent ad alium Ordinem transire. Per se igitur damnum, quod consistit in cessatione vtilitatis consurgentis ex eo, quod Religiosus transiens priuaret priorem religionem vtilitate, quam illi confert, non impedit illum à transitu, nisi in casu in quo charitas obligaret Religiosũ ad obsequium aliquod suæ originali præstandum. Et neque est verum, neque hoc affirmat Panorm. *dicto nu.* 14. Quod scilicet Episcopus possit Clericum Religiosum factum reuocare ex solo damno consistente in vtilitate cessante Ecclesiæ ea Clerici absentia. Sed Panor. loquitur in casu in quo Ecclesia sit læsa in bonis suis contra iustitiam, quia transitus ad Religionem fuerit iniustus.

18. Sed si damnum sit in bonis proprijs religionis derelictæ, iam dicitur, quod nullum tale damnum causatur per se ex transitu religiosi ad arctiorem religionem, qui transitus nõ fit ex temeritate, vel ex leuitate, sed ex recta intentione. Nam ex hoc transitu hoc solum per se consequitur, quod religio, quæ deseritur iudicatur minus arcta, sed hoc non est damnum, cum hoc sit verum, nec illa religio habet iura, vt non habeatur tamquam minus arcta. Per accidens verò potest contingere damnum in honore, & fama religionis, vel in alijs bonis, si transiens iniustè detrahat famæ religionis derelictæ, vel si ex leuitate, vel alio modo transitus detur occasio cogitandi, quod in religione illa non vigeat obseruantia propriæ regulæ. Se vbi religiosus prudens ex vera perfectionis intentione religionem propriam deserit, vt transeat ad arctiorem nullum damnum per se infert. Quod si forsan religiosi talis religionis malè viuant, sibi imputent, si damnum patiantur in fama. Nam alias bonus religiosus iure proprio vti potest; solum igitur hic attendendum ne transiens ea mala affectione, & intentione, vel alias culpabiliter iniustè damnificet religionem, vel etiam vt benè Suarez aduertit, ne pensatis omnibus damnum religioni deserendæ proueniens sit in singulari adeò graue, vt religiosus ex charitate obligetur posponere proprium vtile, propter amorem religionis, quæ illum nutriuit. De reliquo per se loquendo transitus vnius religionis ad aliam non ex leuitate, aut temeritate proueniens non est causa damni religionis desertæ, & ideò ex damno religioni proueniente non debet impediri.

19. Tandem aduertitur, quod multi volunt, quod defectus huius conditionis non inualidet transitum, vndè si religiosus, vel ea leuitate, vel ea odio, aut alia mala intentione de laxiori religione transeat ad arctiorem, peccat quidem, sed professio in arctiori religione emissa, est valida. Nam nec in dicto *c. licet*, nec alibi determinatur hunc transitum esse nullum. Alias verò ex natura rei loquendo defectus prauæ intentionis, qui non sit contra substantiam professionis non annullat professionem. Et ità hanc partem tenent. Suarez *tom. 4. de relig. l. 3. c. 10. n. xx.* Bonacina *de clausura q. 1. p. 9. §. 3. n. 4.* Bordonus *resol. x9. n. 48.* Portel. *v. religionis transitus n. 6.* Lezana *t. 1. c. 2x. n. 7. & v. Transeuntes regulares n. 3.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. disp. 6. n. 730.* licet huius oppositum teneant Layman. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 9.* & Thesaurus in praxi *p. x. v. Religiosi cap. 4. n. 2.* Si verò transitus de vna ad aliã religionem fiat cum damno prioris religionis Sanchez dicto *cap. 7. n. 11.* censet quod religio restitutione petita posset transeuntem vocare. Tum quia textus eo *cap. licet* vult expressè caueri religionis omissæ iacturam ea eo transitu consurgentem. Tum quia communis vtilitas præponderat priuato bono transeuntis. Tum quia si Ecclesia læsa in temporalibus restitui potest *cap. 1. de integ. rest.* à fortiori restituenda est in spiritualibus. Et ita eiusdem *sentent.* est Lezana *v. Transeuntes Regulares n. 3.* Sed an transitus sit nullus Sanchez apertè non dicit, id tamen exprimit Layman. dicto *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 9.* quod tamen negat Lezana referens pro eadem sententia Bonacinam, & Bordonum.

20. Duæ igitur sunt quæstiones propositæ. Prima est, an transitus ad Religionem arctiorem sit nullus, si fiat ex temeritate, aut leuitate. Secunda est, an esto sit validus priori Religioni competat beneficium restitutionis in integrum. Circa primam considerandum est, an transitus ipse sit iniustus, & lædat Religionem in bonis suis; quod pendet ex hoc, an scilicet mala intentio transeuntis,

tis,

cis, vel illegitima transeundi causa reddat transitum ipsum iniustum. Videtur enim, quod hoc sit dicendum, quia Religiosus non habet ius deserendi propriam Religionem à qua fuit nutritus, nisi intuitu maioris perfectionis, & nisi quia transitus fit ex Spiritu Sancto, quia tunc Religiosus non est subditus legi priuatæ, & potest ad arctiorem Religionem transire. Igitur si Religiosus ex leuitate, & non ex zelo maioris perfectionis deserit propriam Religionem iniuriam illi facit. Verùm hic distinguendus est finis operis, & intrinsecus, à fine operantis, & extrinseco. Potest enim Religiosus dupliciter ex nō recta intentione transire ad aliam religionem. Primo vt malus finis sit transitui intrinsecus, quia finis transeuntis proprius, & adæquatus est exire à propria Religione, vel alium finem consequi, non verò finis est vita perfectior alterius Religionis, vnde transiens forsan, nec vult viuere seruando statuta Religionis ad quam transit, nisi quatenus coactus fuerit, vel nisi quia obseruantia illa sit illi medium ad acquirendum finem illum alium à perfectione vitæ, quem intendit, ex transitu, & qui est v: g. propriam religionem deserere, & ab ea exire. Et in hoc casu transitus est iniustus, quia vt dicebatur, Religiosus non habet ius deserendi propriam Religionem, nisi finis huius transitus sit maior transeuntis perfectio. Et in hoc casu transitus est nullus, quia est iniustus. Quamuis validus fieri possit, si transiens intentionem mutet, Alio modo mala intentio potest esse extrinseca transitui, & ita vt non sit finis transitus, sed transeuntis. Quando, scilicet, transiens verè intendit statum perfectiorem, & viuere secundùm regulam Religionis strictioris, licet ad hoc moueatur v.g. ex ambitione, vel etiam ex leuitate, & animi volubilitate, & imprudentia, Et hoc modo mala intentio, quæ est circumstantia extrinseca, non irritat transitum, qui secundū substantiā suā est bonus, & iustus. Nā dū subditus verè vult tēdere in perfectionē secūdū viā, & statuta perfectionis religionis, hic transitus secundum substantiam est bonus, & sub ea ratione est ex Spiritu sancto. Et ideò nec est iniustus, neque est nullus. Et in hoc sensu vera est prior opinio. Sed supposita data distinctione, quæstio altera explicatur, & concluditur non posse dari casum, in quo locum hic habeat restitutio in integrum. Nā hoc certum est hanc restitutionem non habere locum, nisi vbi læsa sit iustitia, vt tradunt DD. communiter. Vbi igitur transitus secundum substantiam suam, non sit iniustus, sed solum ex circumstantia extrinseca, & professio à transeunte emissa in secunda Religione, sit valida, non potest habere locum restitutio in integrum. Sed prioris Religionis accidentali damno satisfaciēdum erit aliter. Nam cum remedium restitutionis in integrum sit extraordinarium, non habet locum, vbi via ordinaria potest procedi, & ideò locum non habet vbi contractus est nullus. *L. In causa le secunda.* Et ibi Bart. & alij *ff. de Minor l. cap. vlt.* & ibi Gloss. 2. *de offic. Iud.* Gloss. *in cap. Requisisiuit, v. redire, de restit.* in integrum. Vbi Innoc. Io. Andr. *num* 6. Faguan. *num.* 26. Rota *dec.* 231. *nu.* 2. *p.* 2. *Recent.* Ideo remedium hoc *restit. in integrum* non potest hic habere locum, nisi professio in Religione ad quam fit transitus sit valida, & tamen iniustè læsiua Religionis à quā; est verò hoc impossibile; Quia donatum in effectu, & traditum vni non potest alteri donari validè, quia hoc est prioris donatarij, nullus verò validè donare potest alienum. Igitur qui se donauit in effectu vni Religioni in quocumq; casu teneat hæc donatio, non potest validè se donare per professionem alteri Religioni, quia non est sui dominus, sed ipse est prioris Religionis, vnde in quocunque casu vim habet, & obstat donatio, & professio facta in illa Religione, non potest Religiosus validè se alteri Religioni donare, & in ea profiteri; & si id faciat professio in illa altera Religione est nulla, & priori Religioni competit suum Religiosum repetere, non per viam restitutionis in integrum, sed per viam iuris communis: Fagnanus ad *d. cap. Licet num.* 25. *de Regular.* In casu verò in quo prima donatio nō obligat, iam licitè, & iustè potest alteri donari, & sic nō habet locū remediū restitutionis in integrum, quod necessario supponit læsionem & iniustitiam. Et sic in casu in quo prior donatio non obligat, nimirum non obligat professio facta in Religione priori, sicuti est casus trāsitus ad arctiorem Religionē ex zelo maioris perfectionis; Quia Religiosus est liber, vt etiam priori Religione inuita transeat ad aliam, ideò illi Religioni à qua transit nullus remanet locus ad remedium restitutionis in integrum, Quod si dicatur posse contingere, quod secunda professio sit secundum substantiam valida, sed iniusta ex modo, aut circumstantia, & sic locum habere possit restitutio in integrum. Respondetur, quod hoc non benè dicitur, quia vbi læsio est ex modo, aut extrinseca circumstantia à contractu separabili, non datur actio ad rescindendum contractus, nec læsus habet ius ad hoc, sed solum vt si satisfiat aliundè pro damno accidentaliter dato ex alia causa, quam ex contractu; cum ex contractu non adsit læsio, Et ita in proposito nostro, vel professio emissa in alia Religione secundum substantiam suam præcisis circumstantijs extrinsecis est iniusta, vel non est iniusta. Si non est iniusta, tunc neque iniustè lædit priorem Religionem; igitur non habet locum remedium ad rescissionem professionis, cum professio sit iusta, nec aliquem lædat iniustè. Nec iniustia ex modo accidentali dat ius ad rescindendam professionem validam, sed ad præbendum remedium satisfactionis contra iniustitiā modi; sed si professio emissa in alia Religione est iniusta, iam simul est ipso iure nulla; & ita nec locum habet remedium restitutionis in integrum. DD. ergo, qui contrarium tenent supponunt dari posse professionem Religiosi vnius Religionis in alia Religione; quæ simul sit valida, & tamen iniusta; quod est impossibile. Quia in omni casu ex quo prior professio non permittit transitum ad aliam Religionē professio in illa habita est ipso iure naturæ nulla, quia donatum vni non potest contra iustitiam validè donari alteri. Si verò prior professio non impedit subsequentem, iam hæc subsequens professio sicut est iusta, ita & est valida.

SVMMARIVM.

1 *Religionis perfectianem separabilem esse ab asperitate mults supponunt. num. 21.*
2 *In transitu ad Religianem attendi debere, an Religio, ad quam fit transitur, fit arctior. num. 21.*
3 *Alij volunt attendi, qua fit perfectiar. num. 21.*
4 *Religionis arctitudo ex Regula, & constitutionibus accipienda. num. 22.*
5 *Et ex actuali obseruantia legum. num. 22:*
6 *Arctiar religio non ex hoc solum, quod habeat austeritates corporeas, sed quia tota obseruantia austerior, & strictior. num. 22.*
7 *Non ex eo simpliciter strictior, quod admittat plura vota. num. 22:*
8 *Religio perfectiar est arctior. num. 23.*
9 *Via iustitia arcta, quia in vsu rerum arctat animum ad medium virtutis. num. 24:*
10 *Arctum, arduum, & asperum non sunt idem formaliter, sed materialiter, & nec tamen conuertibiliter. num. 25.*
11 *Religio dicitur arctior quia strictiar, sed arctitudine proportionata magis ad arctandum animum in medio virtutum vinculo charitatis. num. 26.*
12 *Qualiter distinguantur arctituta communis legis Christi, & Religionis. num. 26.*
13 *Religia eo perfectior, quo arctior, & conuertibiliter se babent Religia perfectior, & religiosè arctiar. num. 27.*
14 *Via Diaboli difficilis, austera, & materialiter arcta, ideò non ideò Religio meliar, quia austerior, & materialiter arctior. num. 28.*
15 *Religia perfectior ex fine est perfectior ex medijs. num. 29.*
16 *Status Episcaporum laboriosissimus, & arctissimus. num. 29.*
17 *Virtus fortiùs valet ad perfectianem, quam austeritas. num. 30.*
18 *Religio perfectior perfectiane finis est talis perfectione mediorum, & simul est arctior arctitudine virtutis. num. 31.*
19 *Religio perfectior difficiliar. num. 32.*
20 *Ex naturali lege solum ex imperfectiori Religione est transitus ad perfectionem licentia petita, & nan obtenta. num. 33.*
21 *Ex vi extrauag. ombitiosa nan est concessus transitus ad Carthusiam licentia petita, & non obtenta. num. 34.*
22 *Ex vi eius concessus transitus ad Carthusiam de licentia inferiorum Papæ, qui alias possint etiam dare licentiam ad minus arctam. num. 35.*
23 *Priuilegium Sacietatis Iesu. num. 35.*
24 *Ex speciali permissione admissus transitus ad Carthusiam licentia non obtenta. num. 35.*
25 *Multa Religiones ad Carthusiam transire non possunt sine licentia. num. 35.*
26 *Carthusia præfertur ratione securitatis, & quietis. num. 36.*
27 *Meritò à Pontificibus variè probibitus transitus ab vna ad aliam Religianem. num. 37.*
28 *Cur minimis probibitus transitus ad alios Ordines. num. 38.*
29 *Transitus ad non arctiorem, non est licitus sine licentia. num. 19.*
30 *Transitus ab Ordinibus Monachorum ad Mendicantes est ex natura rei licitus. num. 40.*

21. ALtera vero conditio necessaria ad hoc vt trāsitus de vna religione ad aliā per se ex natura rei & nedū ex dispēsatione superioris, vel licentia esset laudabilis, erat, vt fieret fiat de religione minus arcta ad arctionem, seu de imperfectiori ad profectiorem. Sed statim quæstio oritur, quid nomine arctioris religionis intelligendum sit. Aliud enim quid esse videtur arctitudo religionis à religionis perfectione vt multi DD. supponunt. Nam illa religio ex *D. Thom. supra q. 188. art. 6. & etiam in hoc artic.* Est perfectior quæ ad finem perfectiorem ordinatur, & ad finem à se intentum per media magis proportionata peruenire conatur, vt docent cum eodem *D. Tho. Caiet. supra quæst. 188. art. 6. Palud. 4. d. 38. quæst. 3. artic. 1. num. 12.* D. Anton. 3. *par. tit. 16. cap. 4. §. 4. Rodriq. tom. 3. quæst. 48. art. 1.* Suarez tom. 4. *de Relig. lib. 3. cap. 9. art. num. 11.* Sanchez *l. 6. mor. cap. 6. num. 19.* Layman. *lib. 4. tr. 5. cap. 9. num. 10.* Lezana *v. transeuntes regularis num. 6.* Et alij communiter. Et satis explicatum fuit d. *a. 6.*

22. Sed asperior dici videtur illa religio, quæ habet obseruātias duriores, & rigidiores, nimirū longiora ieiunia, asperius vestimentum, seuerius silentium, & alias huiusmodi obseruantias. Supponentes igitur multi DD. in religionibus separabilem esse perfectionem Religionis, à Religionis asperitate, & arctitudine, quærunt an ad hoc vt licitus sit transitus de Religione ad Religionem attendi debeat maior perfectio, vel maior asperitas, & arctitudo. In qua quæstione prima opinio tenet deberi attendi arctitudinem, & vitæ rigidioris asperitatem, & in corporeis obseruantijs austeritatem. Et quamuis ex huius sententiæ sectatoribus non omnes ita distincti loquantur sed ex eis multi solùm de arctitudine loquantur, volentes ad eam Religionem posse transiri, quæ sit arctior, vel strictior, tamen per arctitudinem intelligunt asperitatem, & in hoc sensu allegantur. Et hoc probatur primo ex *cap. Licet. de regul.* paulò post princip. ibi *Arctioris vita prætextu.* Et ad finem ibi: *vt apud eas vitam duceret arctiorem.* Et clariùs *cap. 1. 20. q. 4. ex Concil. Tribulien. Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorē vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit.* Secundò, quia *in extrauagant. viam de Regularib.* conceditur transitus ab Ordinibus Mendicantiū ad Carthusiā, & in priuilegijs Ordinū denegantibus trāsitū ab aliquo ad alios Ordines excipitur semper Carthusia, cum tamen hæc non sit perfectior cæteris quantum ad finem, vtpotè, quæ non est instituta ad vacandum saluti proximorum, sed ad oratione & contemplationem, cum arctissima clausura. Ergo iura non cum finem respiciunt, sed maiorem asperitatem. Tertiò, quia iura hunc transitum concedunt ob tutiorem vitæ rationem, est vero religio tutior, quo asperior; igitur ad hunc transitum maior asperitas est attendenda. Quarto quia Prælati cuiuscumque Religionis prætendunt suam Religionem esse perfectiorem, & fructuosiorem, & ita si hoc attenderetur, hic transitus esset expositus multis litibus; cum alias facilè dignoscatur, quæ Religio

sit asperior. Quinto quia Iulius Secundus, in bulla die 27. Martij 1508. & Leo Decimus in bulla, *Quamuis alias*, die 18. Augusti 1516. Ideo statuerunt, vt ex ordine Minimorum nullus possit ad aliquem alium ordinem transire, quia hic ordo cæteris est arctior, & strictior, id igitur, quod debet attendi in hoc transitu est maior arctitudo, & asperitas Ordinis. Et hoc sexto magis confirmatur, quia Alexander Quartus, prout habetur in Mari magno Carmelitarum; prohibet ne aliorum Ordinum Religiosi paris arctitudinis, vel minoris recipere possint fratres Carmelitas sine eorũ Generalis licentia, tanquam ex hoc admittens posse id fieri, vbi Religio ad quem religiosus Carmelita vult transire, sit arctior, & asperior. Tum septimo, quia alias Liceret Religionibus laxioribus, tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus transire ad ordines militares, & quem transitum permitterent Theologi, cum tamen sæpiùs abrogatus fuerit similis transitus. Et ideò hanc partem tenent Io. And. in *capite Sané de Regularibus num.* 8. Et ibi Anton. *num.* 7. Anchar. *num.* 6. Abbas in fine, Card. *q. vlt.* Henr. *num.* 16. Fagnanus *n.* 55. *&* 65. Rosel. *v. religio* 4 *num.* 8. Angelus *v. Religiosus num.* 34. Passarel. in *Priuileg. Minimorum* 1. 39. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 13. *n.* 80 Azor. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 2. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 52. *artic.* 4. Sanchez *lib.* 6. *mor. c.* 7. *num.* 21. Mirand. *q.* 31. *a.* 3. Riccius *l.* 8. *c.* 6. *a n.* 4. Reginal. *l.* 18. *c.* 29. *n.* 44. Gionag. *resp.* 39. *l.* 2. Vechis *disp.* 15. *d.* 1. *n.* 5. Barbosa ad *cap. licet de regular. n.* 18. Peyrin. in R. S. *q.* 1. *cap.* 2. *n.* 45. Fagund. *in* 2. *Eccles. præcep. l.* 8. *c.* 5. *n.* 6. Bordonus *in resolut. resol.* 29. *n.* 51. Bassæus *v. religio* 5. *n.* 1. *&* 2. Nicolius *l.* 3. *tit.* 31. *n.* 5. Antonius de Spiritu Sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 743. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 7. *q.* 1. *n.* 18. *& q.* 4. *n.* 3. Verùm opposita sententia tenet, attendi debere religionis perfectionem, ita, vt non sufficiat religionem esse asperiorem, sed necesse sit eam esse perfectiorem, solumque de imperfectiori ad perfectiorem dari posse transitum propria authoritate, & ex natura rei, & connaturalitate huius transitus, ad hoc, vt sine obtenta licentia superioris laudabiliter haberi possit. Ità enim docent D. T. hic, & Caiet. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 2. *n.* 17. *& q.* 3. *a.* 1. *n.* 11. Turrecrem. *cap.* 1. *n.* 119. *q.* 3. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. *in princ & §.* 4. Rosel. *v. religio* 4. *n.* 1. Syluest. *v. religio* 4. *q.* 1. *&* 2. *&* 8. Tabien. *v. religio* 3. *q.* 23. *n.* 24. Nauar. *Comm.* 4. *de regul. n.* 2. *&* 3. Anton. Cuccus *l.* 3. *instit. moral. tit.* 1. *n.* 136. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 10. Lezana *tom.* 1. *c.* 22. *n.* 5. *& v. Transeuntes regulares* Castro Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 16. *n.* 2. Hanc tamen quæstionem inutilem putat, & odiosam Caramuel ad Regulam S. Bened. *disp.* 45. *n.* 536. Quia putat quidem transitum esse licitum ad sanctiorem non verò ad strictiorem, sed hoc debere intelligi de sanctiori respectiuè, nimirum de illa, quæ est sanctior respectu transire volentis, quia ille in ea magis proficere potest. Sed certè, vt infra suo loco probabitur, non licet sine dispensatione superioris imò summi Pontificis transire ad eam, quæ sit laxior ex quacumque causa iustus transitus habeatur. Ideò cum dicitur, quod licet transire ad arctiorem, vel perfectiorem licentia, non obtenta, est sermo de ea, quæ est absolutè, & ex se sanctior, vel arctior. Et in hoc sensu quæstionem meritò tractant DD. omnes. Quæ quæstio odiosa non est, sed necessaria ad veritatem habendam, & ad cognoscendum, qui transitus ad aliam Religionem possit esse licitus etiam de licentia.

23. Est verò primo hic videndum, quid sit in rei veritate religionem esse arctiorem. Nam ex prioris sententiæ DD. aliqui pro eodem suscipiũt Religionem esse arctiorem, & esse asperiorem, quantum ad corporis austeritates, quod quidem in vno sensu est verum, in alio verò falsum, sed ad videndum, an aliqua religio sit arctior aliquæ traduntur regulæ. Prima est, vt non attendatur sola regula talis religionis, sed etiam inspiciantur cõstitutiones eiusdẽ. Nã regula propria in multis Religionibus integratur ex aliqua ex quatuor regulis generalibus, & proprijs cõstitutionibus, vel ex cõstitutionibus solũ, vbi ordo nõ militat sub aliqua regula, vt docet Suarez *to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Nec obstat, quod cõstitutiones sint mutabiles, nam quidquid sit de hoc, dum non mutatur religio, quæ præter regulam habet arctiores constitutiones erit dicenda arctior, vt tradunt Io. Andreas *cap. Sané n.* 5. *&* 3. *de constitutionib.* Anchar. *n.* 4. Card. *q.* 2. Ab. *n.* 5. idem Car. *cap. ad nostram, de appel. n.* 2. *&* 3. & ibi Ab. *n.* 6. Præp. *n.* 8. idem Anchar. Clem. I. *n.* 4. & ibi Imols *n.* 9. Lapus *Alleg.* 61 *n.* 5. & ibi Maudos. *l. L. & alleg.* 130. & ibi Maudos. *l. C.* Cassan. *Cons* 20. *n.* 35. *&* 36. Rosel. *v. religio* 4. *n.* 8. *Angel. v. religiosus n.* 34. Syluest. *v. religio* 4. *q.* 6. Reueren. Fagn. *cap. Sané n.* 5. *& seqq. de Regul.* Vbi quod Ordo Prædicatorum ratione constitutionũ sit arctior Ord. Monachorũ Rodriq. *t.* 3. *q.* 52. *a.* 5. Sanches *l.* 6 *mor. c.* 7. *n.* 23. Suarez *dicto l.* 3. *c.* 9. *n.* 11. *&* 12. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 324. Miranda *q.* 31. *a.* 4. Barbosa *ad cap. licet de Regular. n.* 19. Bassæus *v. religio* 5. *n.* 1. Tamb. *t.* 3. *d.* 7. *q.* 1. *n.* 19. Altera regula est, vt non attendatur etiam sola regula, & constitutiones, sed regulæ obseruantia. Nam si in religione propriæ regulæ, & constitutionum asperitas sit relaxata, iam dicta religio nequit dici arctior de præsenti, & ita vt transitus ad illam sit hoc pacto propria authoritate licitus, ità vt sufficiat licentia petita, licet non obtenta. Et hoc probatur ex *cap. Sané de regular.* ibi *Si locus vbi nunc permanet maioris religionis, quã Eccles. Aromaten. existat.* Vbi textus ponderat præsentem vitæ regularis obseruantiam non verò antiquiorem institutionem. Et ratio est, quia hic transitus eo est licitus, quo est ex intentione maioris perfectionis acquirendæ de facto à religioso transeunte, hæc autem maior perfectio non in statutis regulæ, sed in eorum obseruantia consistit. Neque Spiritu Sancti ductu (vt supponit *cap. licet de regular.*) quis à strictiori viuendi modo transit ad laxiorem, seu ad statum in quo regula ipsa non seruatur. Ideò nomine arctioris religionis intelligi eam in qua arctior regula est in viridi obseruantia, ità vt de præsenti religiosi arctius viuant, docent Innoc. *in cap. Sané de regul.* & ibi Host. Io. And. *n.* 1. Anch. *n.* 2. Card. *n.* 1. Fagn. *in cap. licet n.* 20. *de Reg.* D. Ant. 3. *p. t.* 16. *c.* 4. *§.* 4. Syl. *v. relig.* 4. *q.* 2. *&* 6. Ros. *n.* 8. Tab. *q.* 23. Turrec. *cap.* 1. *n.* 119. *q.* 3. *Maior.* 4. *d.* 38. *q.* 21. Nauar. *Cõ.* 4. *de regular. n.* 3. Card. *in reg. S. Franc. c.* 2. *q.* 19. *p.* 5. Anton. Cuccus *l. instit. mor. tit.* 1. *n.* 13. Less. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 101. Azor. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 3. *&* ex Rodriq. *l.* 3. *q.* 55

*n.*5. Fagnā. *cap. Non est vobis n.*25. *de Regul. & cap. Sanè. n.*2. *&* 3. *eodem tit. & cap. Sanè. n.*9. *eod. tit.* Sanchez *l.*6. *mor. c.*7 *n.*24. & apud eum Abbas, Bellamer. Archidiac. Felin. Dec. Domin. Barbos. *ad cap. licet de regular. n.*19. Anton. Riual. *dec. cap.*6. *nu.*6. Mirāda *q.*31. *a.*4. Suarez *dicto cap.*9. *n.*17. Palud. & D. Anton. loco supra citato. Lezana *tom.*1. *c.*22. *n.*5. Bassæus *v. religio* 5. *n.*1. Layman. *l.*4. *t.*5. *c.*6. *n.*10. Tambur. *d. q. t. n.*19. Tertiam regulam tradit Sanchez *dicto l.*6. *c.*7. *n.*24. quia nimirum ad videndum, an religio aliqua sit arctior non sunt spectandæ solæ externæ austeritates corporis, sed etiam rigor obedientiæ, & paupertatis, & propriæ abnegatio voluntatis, quæ strictè in aliqua religione obseruantur, quia hæc asperiorem reddunt religionem, & præponderant multis corporis asperitatibus. Quod etiam considerauit Suarez *dicto l.*3. *c.*9. *n.*11. *&* 12. Ac propterea illa religio est arctior, quæ omnibus spectatis, seu tota regula considerata, & pensata, strictiori obseruantia nedum austeritatum corporis, sed votorum, arctior est, & strictior. Vbi etiam aduertendum, quod licet additamentum quarti voti, vel plurimum votorum possit facere, & faciat ad hoc, vt aliquo modo religio sit perfectior, & arctior; ex hoc tamen religio non est simpliciter perfectior, quod in ea plura vota emittantur, vt declaratum fuisse per Clementem VIII. ex Bonac. de Clausura *q.* 2. *p.* 9. §. 4. *diff.* 2. *a.* 3. aduertit Nicolius *l.*3. *tit.*31. *de Regul. n.* 2.

23. Dicitur propterea primo nullam dari religionem simpliciter alia perfectiorem, quæ non sit eadem arctior, & strictior. Hanc conclusionem ponit Suarez dicto *nu.*11. Probatur verò primo hæc conclusio ex D. T. qui pro eodem accipit religionem perfectiorem, & arctiorem. Nam primo statuit licere religioso zelo perfectionis transire ad Religionem perfectiorem, explicans expressè hanc perfectionem non consistere in sola arctitudine religionis, sed principaliter secundum finem ad quem religio ordinatur. Sed posteà circa finem corporis docens in hoc casu non esse necessariam licentiam superioris, vt consecutam, quia eam superior negare non potest, explicat hoc, & ait, *dummodo cōstet illā religionem esse arctiorem*: idem igitur sunt apud D T. religionem esse perfectiorē, & esse arctiorē, quoniā docere volēs nō esse necessariā licentiam transeundi ad religionem perfectiorem, dum debuisset dicere dummodò constet religionem esse perfectiorem, inquit dummodò constet eam esse arctiorem. Et hoc secundò probatur. Nam & Innocentius III. *in cap. licet de regular.* vtitur indifferenter verbo maioris, ibi, *Sub prætextu maioris religionis*, & melioris, ibi *ad frugem melioris vitæ valeat transuolare*, & sanctioris, ibi, *liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere*, & arctioris, ibi, *quia velit ad ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire*, & infra, *sed vt apud eos vitam duceret arctiorem*. Cum ergo textus non loquatur æquiuocè, dum in eodem casu de perfectiore religione loquens hanc vocat aliquando maiorem, aliquando meliorem, aliquando sanctiorem, aliquando arctiorem, necesse est, quod ista conuertibiliter se ad inuicem habeant, & ea ratione, & causa qua religio est melior, vel sanctior, sit etiam arctior. Aliter textus decisio ambigua, indistincta, confusa, & diminuta esset. Sic & in *extrauag. viam ambitiosæ, de Regul.* pro eodem accipiuntur, ibi, ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obseruantiæ.

24. Ad huius autem veritatis euidentiam aduertendum est dictionem hanc, *arctiorem*, habere illum sensum in proposito, quem habent dictio *arcta* Matt. 7. ibi. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Quemadmodum enim via, quæ ad perfectionem æternæ vitæ ducit fideles Christi dicitur arcta, sic quia non vna est via, quæ ad vitam ducit, hinc est, quod vna dicitur arctior alia, & in hoc sensu proculdubio Innocentius III. in *d. cap. licet*, & Martinus V. *in extrauag.* Viam ambitiosæ acceperunt dictionem hanc *arctiorem*, dum de transitu ab vna ad arctiorem Religionem loquuti sunt. In quo autem sensu Christus assumpserit vocem arctam explicat Caiet. sic dicens *in cap. Matt.* 7. *Via vitæ, quia via charitatis, & reliquarum est virtutum (ita vt, qui in vna offenderit, omnium reus sit) non solum arcta est, quia qualibet virtus est in medio: sed etiam valdè angusta est, quia oportet nullius virtutis lineam in medio consistentem deserere: si in vna enim erratur, extra totam viam erratur*. Est ergo via arcta, stricta, angusta penè nihil latitudinis habens, tanquam linea sine latitudine recta pertingens ad terminum: Quia consistit in medio, nec licet declinare ad dexteram, vel sinistram. Terminis enim à lege, seu rationis directione statutis restringitur, & coangustatur, vt non quo voluerit declinare valeat, sed rectà quo ratio ducit pergere debeat. Quem sensum explicauit Auctor imperfecti in Matthæum hom. 18. sic dicens: *Adhuc latus dicitur Diabolus, quoniam apud illum sine lege fiunt omnia: Christus autem angustus, quoniam sub ratione legis apud eum vniuersa consistunt. Quidquid enim sine lege solutum est, latū est; quod autē sub lege est, semper angustū est. Viam autem perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spaciosa, quia non est intra regulam veritatis, & disciplinæ inclusa, sed per diuersa carnalium voluptatum diffusa. Ambulantes in ea, non quod debent agere agunt, sed quidquid eos delectauerit, hoc sequuntur. Voluntas eorum lex est ipsorum: & non ipsi sub lege sunt, sed lex sub illis. Via autem vitæ est omnis iustitia. Dicitur autem esse arcta, quia intra regulam veritatis, & disciplinæ est inclusa, & ambulantes in ea, non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent: quia lex non voluntas eorum est, nec lex sub illis, sed ipsi sub lege*. Via ergo iustitiæ, quæ est via Christi est arcta, stricta, & sine latitudine angusta, quia sub ratione coangustata, & arctata terminis legis. Sic in hoc sensu S. Greg. *lib.* 38. *moral. cap.*6. *Angusta quippè porta est, quæ ducit ad vitam: & ille hanc ingreditur, qui in cunctis, quæ agit, discretionis subtilitate propter hanc sollicitè coarctatur*. Et ergo Christi via arcta, quia est intra angustos limites restricta, quatenus, qui per eam ambulare contendit recto iusti limitis tramite, nec infra minima negligens deficiat, nec vltra maxima superbus tendat: nec minus conetur explere quam sufficit, nec plus arripiat, quam accepit: ne aut admensuram, quam debet non perueniat, aut eandem mensuram deserens extra limitem cadat. Et sic quatuor sunt hic distinguenda scilicet res arctata, lex arctans effectiuè, & arctitudo formalis

lis, & effectus formalis huius arctitudinis. Res arctata est animus præcipuè, & cæteræ hominis potentiæ, vt sunt humanæ, seu vt sunt principium agendi humano modo, & liberè, quæ arctantur ad hoc, vt in operationibus non declinent à regula rationis, & à medio virtutis. Causa efficiens arctitudinis est Christi lex, quæ præcipiendo hominem obligat, & necessitat, hac præcepti necessitate ad a[...] [...] lineæ mediæ in itinere ad felicitatem. Arctitudo passiuè sumpta, seu formalis est obligatio existens in fidelibus ad hoc, vt intra angustias medij virtutum contineantur; & effectus formalis huius arctitudinis est animum hominis necessitatum esse ex lege, vt ab hac virtutum, & rectæ rationis linea media non declinet. Possumus addere quintum, scilicet materiam arctitudinis circa quam versatur, quæ est vsus rerum siuè temporalium, siuè spiritualium, sed formale in hoc est hominem arctari à malo, & obligari ad bonum virtutis. Et sic via iustitiæ est via arcta, quia in vsu rerū arctat animū ad bonū virtutis, & præcipuè ad bonū charitatis.

25. Hinc colligitur non esse idem formaliter viam esse arctam, & viam duram, vel arduam, vel difficilem, vel asperam, vel austeram. Nam arctum opponitur lato, non verò opponitur difficili, vel arduo. Et benè stat viam esse arctissimam, & simul planam, & facilem, & minimè arduam. Asperitati quoque non opponitur latitudo, sed planities, iuxta illud Isaiæ 40. *Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Scio benè, quod via arcta est difficilis, imò impossibilis curribus, vel etiam lecticis latis. Per viam enim angustam currus lati transire non valent. Ex quo deducta metaphora Dominus in Euangelio, quia diuites abundantes diuitijs latitudinem quandam habent, & extensionem domorum, prædiorum, &c. dixit quod difficile est diuites intrare in Regnum Cœlorum, & ità vt dixerit. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum Dei.* Matt. 10. Sed hæc non est difficultas, nisi consequens, aut respectiua, scilicet respectu latitudinem habentium, quam semitæ angustia non admittat. Nam & via iustitiæ ob arctitudinem, & angustiam dicitur semita. Prou. 4. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris non arctabuntur gressus tui.* Esto verò semitæ istæ arctæ sint, & angustæ, non arctant tamen gressus transeuntium per illas, quia iugum diuinæ legis leuè, & suaue est, vt habet ibi [...] Itaq; ergo via iustitiæ dicitur arcta, quia non lata, sed intra terminos legis restricta; sed non dicitur propriè, & formaliter arcta, quia difficilis, & ardua, & aspera. Et licet quamplures viam latam dicunt esse voluptatem, & viam arctam labores, & ieiunia. Iuxta illud Hier. Matt. 7. *Lata via est [...] voluptas, quam appetunt homines. Angusta, quæ per labores, & ieiunia panditur.* Sic enim, & S. Greg. lib. 1. *in cap. 6.* Regum per viam arctam intelligit afflictionem temporalem, sed hæc est verùm materialiter, & aliquo modo sed non conuertibiliter. Nam primo via voluptatis dicitur quidem valdè propriè lata, quia terminis legis non restringitur. Sed non tam propriè dicitur facilis, & non ardua, quia imo vt infesta probo valdè difficilis est. Nec [...], quia spaciosa, & lata, ideò est plana, & non montuosa, & saxosa. Sic vita afflictionibus, aut laboribus, & abstinentijs subiecta difficilis quidem est, quia inclinationibus sensus contraria, & simul est arcta, vel dispositiuè, si disponit ad arctandum animū, vt terminos rationis non prætergrediatur, vel etiam formaliter si labores, & abstinentiæ sint dispositæ per legem, quæ est, quæ arctat viam, vt non liceat declinare à dispositis per eam. Sed non conuertuntur, quia cum lex labores, & austeritates non præcipit, sed imò quæ minus austera sunt ordinat, etiam minor austeritas est via arcta, licet minus difficilis, & laboriosa. Sic ergo austerum materialiter simul arctum esse potest, si disponat ad arctitudinem, vel sit lege dispositum. Sed non valet conuertibiliter, quod solum difficilè sit arctum, quia stat quod minùs arduum sit magis proportionatum ad hoc, quod communiter animus detineatur intra terminos rationis rectæ, & vt tale sit per aliquam Religionem statutum. In quo casu illud est magis arctū, & dispositiuè, & formaliter. Et è contrà difficultas est communis etiam latissimæ viæ Diaboli, & vitæ austeritas etiam potest esse talis, vt ponat virtuti impedimentum, & ad latitudinem disponat, nimirum ad hoc, vt animus terminos rectæ rationis egrediatur. Quoniam igitur in dijudicandis veritatibus principaliter attendi debet, id quod est per se, & formaliter. Ideò hic cōsiderari debet, quod via dicitur arcta per se nō quia sit laboriosa, aspera, ardua, & difficilis, sed quia non est lata, sed sensus, animum, actus intra terminos legis restringit, & eorum bonitatem in medio constituit. Ad quod postea consequitur quidem, quod sit in parte via difficilis; sed hoc consecutione se habet; & est quid commune etiam latissimæ viæ Diaboli, nec propriæ eo via iustitiæ est arctior arctitudine virtutis, quo asperior, aut difficilior, aut magis ardua, sed quo magis arctat sensus, & coarctat passiones, eas ad medium virtutis reducens. Itaque arctum, & arduum, seu asperum materialiter possunt coincidere, non tamen cōuertibiliter. Nam arduum est arctum, vel quia arctet, vel quia cadat sub obligatione, sed hoc modo etiam delectabile, & facile potest esse arctum, & alias arduum potest non arctare animum ad bonum, sed disponere ad malum, & sic non esse virtuosè arctum, vndè nec erit ex lege determinatum.

26. Hinc ad rem nostram colligitur secundo, quod Religio dicitur via arctior propriè, quia strictior. Quoniam enim lex Dei multa reliquit arbitrio nostro, quæ sunt bona supererogationis, aut consilia, ad quæ ex lege non obligamur, ideò lex communis fidelium latior est, quia plura libertati permittit. Strictior verò est via Religionis, quæ etiam ad multa consilia obligat. Nam & attendi debet, quod arctitudo potest dici maior, vel effectiuè, vel obiectiuè. Arctitudo maior erit effectiuè, si sit à maiori potestate. Sed hæc comparatio hic modo non attenditur. Quia leges Religionum ex eadem Christi, & eius Vicarij potestate vim habent. Et præterea non comparantur hic Prælati Religionum in efficacia potestatis, & exercitu iurisdictionis. Neque attenditur modus ligandi, & arctandi, vel sub culpa, vel

vel non obligando ad culpam, vel sub graniori, aut mitiori pœna. Sed attendi hic debet arctitudo obiectiua, quia nimirum ex his ad quæ lex Christi non obligat, & quæ relicta sunt libertati fidelium, & eorum arbitrio, Religiones multa præcipiunt, & sic præcipiendo magis, aut minus animi libertatem arctant, & restringunt. Verum quod maximè considerandum est in præsenti hoc est, quod id, quod attendi debet non est arctitudo, vt arctitudo, sed est arctitudo virtutis. Non enim multum interest, imò nihil obesse potest perfectioni, quæ est terminus viarum Christi, & semitarum æquitatis, si arctitudo arctet gressus ingredientium has semitas, & ponat obstaculum ad cursum, vt qui currere noluit, impingant. Si nimirum legum arctitudo sit ad perfectionem acquirendam improportionata, vt vel asperiora præcipiat, quam sustineri possint, vel multitudine præceptorum grauet, vt dici possit iugum insopportabile, vel inutilia iubeat & quæ actionibus perfectioribus sint impedimento. Ideóque proposito inter Religiones illa debet dici virtuosè arctior non quæ plura, quæ duriora, quæ rigorosius præcipit, sed quæ cum maiori proportione, & efficacia quantum sit ex se legibus suis dirigit Religiosos, vt nocte, & die intus in animo, & foris in verbo, & opere medium virtutis custodiant, & in Dei charitate proficiant, vt ab eo, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinent. Et sic formaliter, & per se primo hic attendi non debet, nec si religio asperiora iubeat, nec si magis abundet præceptis, nec si leges eius obligent ad culpam, vel non, sed si sint tales leges, vt sub earum obseruantia animus fortius, & efficaciùs de facto intra medium virtutis contentus, & restrictus Deo per charitatem adhæreat, magisque in eo charitas, & radicetur, & augeatur. Et licet ad hoc iuuare possint corporis austeritates, vestitus asper, ieiunia longa, abstinentia continua, leges strictissimè obligantes, & alia huiusmodi. Nihilominus arctitudo virtutis consistit in proportione istarum obseruantiarum, vt illa Religio sit arctior, quæ sua directione obligat ad eam, quæ maioris sunt perfectioonis, & simul sumpta, & vnita vim maiorem habent vt animum cum Deo arctant, & restringant, vt fide, & charitate dirigent in medio virtutis magis animum continere valeant. Et hinc apparet, quæ sit differentia inter arctitudinem legis Christi quæ dici potest arctitudo fidei, & Religionis Christianæ, & arctitudinem Religiosi status, prout distincti à communi statu fidelium. Nam arctitudo fidei, & charitatis est legalis necessitas, seu obligatio ad ea, quæ ex fidei directione sunt ordinata. Sed arctitudo Religionis est legalis necessitas & obligatio liberè assumpta, & ex voto contracta ad ea, ad quæ secundum se non obligamur, sed quorum obligationem Religiones ipsæ liberè [illegible] induxerunt. Finis verò huius obligationis est assecutio perfectionis charitatis [illegible] sic arctitudo Religiosa est obligatio ad ea, quæ sunt supererogationis non absolutè, & secundum se sumpta, sed vt proportionata ad con[illegible]nem perfectionis charitatis. Igitur [illegible] [illegible] comparari. Nimirum [illegible] summi secundum se vt [illegible] vsu rerum, & sic duæ arctitudines possunt comparari in genere arctitudinis secundum se. Et hoc modo illa est maior, quæ magis restringit, & plura prohibet, & vsum rerum magis restringit. Et sic in genere arctitudinis est maior, quæ ad difficiliora, aut duriora obligat, & quæ obligat ad plura, sed hæc non est arctitudo, vt Religiosa, nec huiusmodi arctitudo est res de se bona, sed indifferens, sed arctitudo Religiosa est, quæ arctat ad finem consistentē in medio virtutum ex semper maiori, ac maiori charitate, seu quæ arctat vsum rerum ad finem vniendi, arctandi, restringendi perfectè hominem cum Deo. Ideò propriè & formaliter loquendo arctitudo Religiosa maior est obligatio, & legalis necessitas ad ea, quæ sunt magis apta, & proportionata, & de se efficaciora ad hoc, vt homo semper magis, ac magis proficiat in charitate, & cum eo arctetur restringatur & fiat vnum cum illo. Et sic arctitudo viarum Christi, & religionis cum dupliciter arctet, quia arctat vsum rerum, & illum limitat, & quia restringit ad medium virtutis, formaliter dicitur arctitudo Christi, & religiosa non quia arctat vsum rerum, quia hoc materialiter se habet, & instrumentaliter, sed quia arctat ad medium virtutum vinculo charitatis; & ad hoc arctitudo religionis ordinatur, vt fortiùs arctet, nimirum, vt semper, ac semper ex perfectiori charitate animū ad medium virtutum in vsu rerum restringat.

17. Et sic manifestè apparet, quod in idem coincidunt vita sanctior, seu perfectior, & vita religiosè arctior, seu Religio perfectior, & Religior arctior. Quia illa perfectior est perfectione finis, & mediorum, quæ per suas leges dirigit suos perfectius ad hoc, vt perfectionem vitæ acquirant, quæ consistit in obseruantia exacta præceptorum charitatis, sed hæc eadem est religio arctior illa nimirum cuius directio per se est magis proportionata, & efficax, vt fortiora medium virtutis, & terminos rectæ rationis vinculo charitatis animum suorum contineat, donec illos côducat ad tantam perfectionem, vt quantum parlitur status naturæ lapsæ etiam peccata venialia fugiant, & Deo perfectissimè viuantur. Nam hic considerandum est, quod cum Religiones conueniant in fine principali, qui est perfectio vitæ, quam intendunt, & quæ consistit in perfectione charitatis ta'i, ac tanta, vt excludat etiam peccata venialia, quantum fieri potest in hoc statu naturæ lapsæ & cum hic finis sit etiam finis Religionis Christianæ in communi, quæ ab hoc dicitur [illegible] angusta porta, vel via, quia ad huoc finem dirigit per leges suas; nihilominus Religio particulariter sumpta dicitur via arctior, quia libertatem nostram magis restringit ad finem consequendum illam perfectionem securius, citius, & perfectius. Ad hunc finem verò consequendum Religiones duo genera mediorum assumunt. Al[illegible] medium principale, quod simul est fin[illegible] finis proprius, & hic consistit in aliqua virtute, siue sit [illegible] ratio, siue actua aliquis charitatis, aut [illegible] virtutis. Et quantum ad hanc partem, cum [illegible] quo est perfectior [illegible] ad perfectionem charitatis consequendam [illegible] maiorem habens continendi & restringendi animum in medio, & rectitudine virtutis, bene

bene constat, quod Religio quo est perfectior, eo est Religiosè actior. Aliud genus mediorum est, quod eligetur ad consequendum medium principale, quod simul est proprius finis Religionum. Sed huiusmodi media debent esse proportionata ad finis consecutionem, & non tantum ad consecutionem proximi finis, sed principalis finis, qui est vitæ perfectio, ad quam consequendã finis ille proprius, & alia media eliguntur. Et in hoc stat maior perfectio vnius Religionis ab alia, quod media illa assumpta sint magis proportionata ad perfectionis vitæ consecutionem; Sed hanc proportionem non habent nisi in quantum magis arctant animum intra medium virtutis, illumque restringunt, & passiones animi coarctant moderantur, & frenant. Et sic benè apparet, quod Religionis perfectio consistit in arctitudine, vt Religiosa, & quod Religio, quo est perfectior perfectione finis, & mediorum eo est actior arctitudine virtutis, & directionis. Semper enim considerari debet, quod arctitudo Religiosa arctat: vt artet: arctat vsum rerum, quem limitat obligans, & prohibens vsum etiam alias ex lege permissum, sed hoc facit, vt semper fortius ac fortiùs vinculo charitatis arctet animum ad medium virtutum. Arctitudo vero Religiosa primum horum importat de materiali, sed essentialiter formaliter consistit in secundò, vt scilicet sit fortior arctitudo animi ad virtutem, sed hoc est Religionem esse perfectiorem, & ita quod sicut se habet eos ad bonum sic se habeat Religiosa arctitudo ad Religionis perfectionem.

18. Quamuis verò ex his satis sit manifestum, quod non est prorsus, & formaliter idem Religio arctior, & Religio difficilior, vel magis ardua, aut austera; nihilominus iuuat adiungere aliqua ad maiorem euidentiam. Et quidem primò, quod licet via Diaboli dicatur lata, quia rolit legum arctitudinem, & propter hoc videatur facilis, & plana, hæc est facilitas apparens. Nam alias impij ipsi, qui per hanc latam viam cucurrerunt, eandem asperam, arduam, & difficilem veritate coacti confessi sunt dicentes *Sapientia quinto. Ambulauimus vias difficiles*. Quamobrem comparando latam viam Diaboli cum arcta via Christi S. Isidorus Pelusiota *lib. 2. epist. 240.* sententiam protulit, & dixit vitio longè faciliorem esse virtutem. Quod ipse probat inductione, & experientia. Videat enim vnusquisque ait Sanctus. *Vtrum ex his duobus difficiliùs est, sexcentos ne thesauros perscrutari an præsentib. facultatibus contentum esse? Diú no[illegible] e turpes quæstus ne serviles numerare, an fruga[illegible]m complecti atque amare? omnes lædere, an [illegible] opitulari? Cum legitima vxore congredi &c. quam alienas nuptias perfodere & violare? incurabili auaritia m[illegible]olaborare, an ab huiusmodi furore liberum esse [illegible]los nectere, ac citra fraudem commercia cum alijs habere? Tribunalib. molestiam exhibere, an quiete agere? bona ad se nihil attinentia rapere, an etiam sua largiri? In negotiorũ & curarum ceno volutari, an a negotijs, & timorib. immunem esse? De mul[illegible] rebus [illegible]naque perfecti nequeunt in cura, & solicitudine versari, an vnam hanc curam habere, quonam pacto [illegible] tute minimè excidat? In negotijs, ac [illegible]ecadis [illegible]enter versari, au [illegible] ea quidem amare, qua etiam post fantum atem con[illegible] amelium auerint. Nauigare ac naufragia perpeti, an in portu sedere, atque aliorum naufragia prospectare?* Et alio longo discursu probat latam illam vitij viam afflictionibus, virtutis verò arctam viam delectationibus abondare. Vbi ergo agitur de præferenda vna Religione alteri non est considerandum præcise an Religio sit austerior, vel magis ardua, aut difficilis, nam & via Diaboli difficilis est. Et non est perfectionis viæ, quod sit aspera, & ardua, imò hoc est priuilegium Religionis Christianæ in tempore gratiæ, vt sit via plana ad differentiam sinagogæ iuxta illud Isaiæ 40. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas*. Et licet verum sit, quod asperitas sit amica virtuti. Vndè Petrus Grisol. dixit Ser. 74. *Sed vitijs semper fermiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus verò austera, & fortia sunt amica*, considerandum est, quod in virtute austeritas eligitur in ordine ad facilitatem, & arctitudinem: Quæ enim sunt sensui austera eliguntur, vt animus faciliùs seruet medium virtutis, & arctetur fortiùs vinculo charitatis, vt intra terminos virtutis contineatur. Et sic adest difficultas interna, & externa; via perfecta difficultatem animi excludit, & facilitatem requirit, in quem sensum, vt cum Hieron. dicebatur supra sapiens Prou. 4. dixit in persona Sapientiæ *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris non ar[c]tabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Nam hic est virtutis effectus, vt difficultates tollat, & viam ducentem ad perfectionem iucundam faciat, & delectabilem. In quo sensu Christus dixit de lege sua; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*. Matth. 17. Et in Psalmo 118. in persona iusti, *In via testimoniarum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs*. Quamobrem ad imperfectionem Religionis pertineret, si ipsa animam difficiliorem redderet ad virtutem, conueniunt ergo via lata perditionis, & via arcta salutis quod vtraque est ardua. Non minùs Diabolus à suis difficilia exigit, quam Christus, sed eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum purgatum septuplum: testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectè lætificantes corda. Iudicia Domini vera iustificata in seme ipsa. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel, & fauum Psal. 18. Propter dulcedinem charitatis, per quam difficilia facilia, & austera suauia redduntur: quia charitas omnia vincit, omnia sustinet. 1. Cor. 13. Considerandum ergo est, quod Deus adhuc austeritatibus vtitur non propter ipsas, sed quatenus asperitas apta sit ad facilitandam obseruantiam mandatorum Dei, & ad exercitium virtutum; quatenus nimirum tollit virtutum impedimenta, & domat superbiam passionum, & reddit animũ expeditum, & sic apparet, quod huiusmodi asperitas est bona in ordine ad arctitudinem Religiosam interioris animi, & quatenus est instrumentum aptum ad arctandum animum intra limites virtutum, & à non recedendum à linea recta medìa, & minimè ab ea declinandum. Et sic perfectionis viæ est, quod sit, & recta, & arcta; quia via non arcta, simul est non recta, quia declinare à via est elongare iter per circuitus, & ideò via, vt sit recta debet esse arcta, & inter angustos limites

mites directè, idoque securè, & breuiter ducat ad desideratum terminum. Vt vero hoc fiat ponuntur in Religiosis vijs à later[e] m[on]ti austeritatum, quibus via arctetur, & restringatur, & animus à rectitudine non recedat. Cum igitur arduitas, asperitas, imò & materialis arctitudo sit communis etiam vitio, & viæ Diaboli, planè constat, quod Religio non eo est melior quo austerior, vel etiam materialiter arctior, sed quo est cum maiori proportione austera, ardua, arcta, vt simul sit Religiose arctior. Quod si dentur duæ Religiones quarum vna minus austera sit & minus materialiter arcta nihilominus religiosè sit arctior est, quia aptior est, vt dirigat suos per rectitudinem viæ, & vt tollat diuersiones, & circuitus itineris, & apta sit directiùs, breuius & ex se efficaciùs ducere ad perfectionem charitatis, hęc est & perfectior, & Religiosè arctior, & præferenda, legique naturali, & diuina spectata ad eam potest Religiosus ex quacumque asperiori Religione transire. Non ergo quo absolutè asperior est Religio alijs est præferenda, nisi simul sit, Religiosè arctior arctitudine virtutis, & directionis; potest verò esse, quod minus austera Religio sit Religiosè arctior; & omnis illa est Religiosè arctior; quæ simul est perfectior perfectione finis, & mediorum in idemque coincidũt religio sanctior, & finis melioris, & perfectior Religiosè, & arctior, vt dixit Palud. 4. d. 38. q. 2. concl. 11. num. 17. & Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. cap. 9. num. 11. Non verò in eodem coincidunt absolutè Religio perfectior, seu Religiosè formaliter arctior, & Religio austerior, seu asperior.

29. Sed dices, forsan, obstare his dictis, quia potest esse, quod Religio perfectior ratione finis sit tamen quantum ad proportionem mediorum minùs perfecta, & minus arcta, quia non habeat obseruantias adeo aptas, & efficaces ad detinendum animum in medio virtutum. In hoc verò casu Religio, quæ est de perfectiori fine erit simpliciter perfectior, & tamen non erit arctior, sed imò simpliciter arctior dicenda erit illa, quæ licet sit ratione finis imperfectior, fortius tamen retrahit à peccato, & vitat magis peccandi occasiones. Item Religio Episcoporum perfectissima est, & tamen non est strictissima, & arctissima sed laxior iudicatur. Ad primum tamen dicitur. Nos hucusque loquutos esse de Religione perfectiore ex fine, & medijs, & hanc diximus esse religiosè arctiorem, imo & austeriorem Nunc verò comparatur Religio, quæ ex solo fine sit perfectior, ad Religionem quæ sit perfectior ex medijs. & supponitur, quod tal[is] esse possit Religio austerior. Sed supposito casu non sequitur nisi, quod aliquando contingere possit, quod Religio perfectior ex medi[js], si sit proportionatè austerior sit secundum quid perfectior Religione perfectiori ex fine, ex quo magis principal[it]er desumitur Religionis perfectio. Et nihilominus obiectio nihil probat, quia in eo casu maior asperitas non attenderetur nisi ratione maio[r]is perfectionis & quia tunc medium illud austerum esset apt[iu]s nedum ad consequendum finem illum imperfectiorem, sed finem vltimum, qui est charitatis perfectio. Sed re[s]ponde[t]ur secundo, q[uod] [licet] Religio imperfectior ex fine possit in ali[quo me]dio excedere Religionem perfectiorem, omnibus tamen pensatis semper Religio perfectior ex fine erit perfectior ex medijs, tam in ordine ad finem proprium Religionis, quam in ordine ad finem communem, scilicet ad perfectionem charitatis. Sed vt magis hoc fiat manifestum soluendum est secundum motiuũ adductum in contrarium. Ad quod dicitur, quod loquendo de arctitudine Religiosa virtutis, & directionis Episcoporum status est, & laboriosissimus, & arctissimus. De primo dixit S. Bernard. supra illa verba Ieremiæ primo. *Vt euellas, & destruas. Disce Prælate non tam ad imperandum, quam ad sarculandum, quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse non sceptro &c.* Et Hier. Epis. 2. ad Nepotianum. *Ita Episcopus, vt respondeat nomini, quod gerit, totus in eo esse debet, vt vigilet, vt pascat, vt exploret, ac quod vulgo dicitur, superintendat gregi Christi.* Et Ivo Carnot epis. 17. *Quid est Episcopatus nisi cruciatus? quid aliud hic honor, nisi onus? quid est hæc sublimitas, nisi naufragosa tempestas?* Sed mittamus laborem, & attendamus arctitudinem; quæ tam arcta vita, quam Episcopi de quo dixit Paulus 1. Tim. 3. *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse?* Quod est dicere, quod ex vi officij sui, & sui status Religiosi est adeò arctatus, vt nec ad minimum vnguem liceat a linea declinare virtutis Episcoporũ enim est, vt sic luceat eorum lux, vt cu[n]cti non videant in illis nisi opera bona, & glorificent Patrem cœlestem, sic Hier. *ad cap. 3.* Micheæ dicebat. Re *vera, qui ad hoc eliguntur, vt cæteris præsint, sicut præordinantur dignitate, sic præeminere debent sanctitate.* Et Ambros. *lib. de dignit. Sacerd. cap. 2. Prouidendum igitur dum agit de sublimitate Episcopali, ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit Deifica professio, & illicita actio, ne sit Religiosus amictus, & irreligiosus processus; ne sit gradus excelsus, & deformis excessus; quia sicut nihil esse dicimus Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si Sacerdos in crimine teneatur.*

30. Considerandum verò est, quod mediorum ad perfectionem ducentium duplex est genus; quædam enim adiuuant indirectè, & per accidens quatenus remouent occasiones peccandi, & impedimenta virtutis. Et huiusmodi sunt paupertas voluntaria diminuens affectum ad terrena, abstinentia in cibo, & potu temperans calorem concupiscentiæ, solitudo rescindens omnes illas peccandi occasiones, quę ex aliorum consortio oriuntur, & alia huiusmodi. Alia sunt media, quæ directè disponunt ad perfectionem charitatis, nitium ad charitatem conseruandam, & augendam, & huiusmodi sunt actus virtutum ex charitate ipsa prouenientes; nam actus ip[si] habent, vt per eos virtutes radicentur magis in homine, & augeantur, & crescant in per[fectio]ne. Et huiusmodi media sunt contemplatio [sac]rarum sacrarum literarum, opera misericordiæ, docere, prædicare, & alia similia Religionis, & charitatis opera exercere. Priora media reddunt viã ad per[fe]ctio[n]em in facto [fac]iliorem, quia facil[iu]s est non peccare, & sic vel non amittere charitatem, [v]el e[iu]s feruorem non minuere, quando cessant [o]ccasiones, & incitament[a] ad peccatum. Verum media secundi gener[is] [et]si non ita remoueant

deant peccandi occasiones fortiùs tamen, & efficaciùs, & per se breuius supposito Dei auxilio, quod ex parte Dei non deficit ad perfectionem ducunt. At verò nulla est Religio, quæ non vtatur medijs vtriusq; generis, quamuis detur excessus, quia vna excedit in vsu mediorum primi generis, & alia magis vtitur medijs generis secundi. Sed excessus in arctitudine vsus eorum, quæ de se indifferentia sunt, sed sunt vtilia, quia remouent charitatis impedimenta est secundum quid, & minoris considerationis, & respectu eius, quod minus conducit ad perfectionem, licet quodammodo securiùs, quia licet valeat ad tollendas peccandi occasiones, minus tamẽ valet, imò de se nihil valet ad perfectionem charitatis, vel acquirendam, vel augendam sine medijs prioris generis. Ad quid enim valet, vel pauperem esse, vel solitarium, si alias homo virtuosè non operetur, & per virtutum actus, & vsum actualis charitatis vnionem sui cum Deo nõ roboret, & perficiat? Ideò potior est, & perfectior illa Religio, quæ excedit in vsu mediorum secundi generis.

31. Sed & hæc eadem si benè res pensetur, est arctior arctitudine formali, sicut & est perfectior. Tum primò quia multiplicat titulos, ex quibus animus Religiosorum restringitur, & obligatur, vt rectà currat ad perfectionem, & à medio virtutum non declinet, sed irreprehensibiliter viuat. Quia v.g. præcipiens officium docendi, prædicandi, vel habendi qualemcumque curam animarum facit, vt Religiosus ex triplici titulo teneatur irreprehensibiliter viuere, nimirum, & quia Christianus, & quia Religiosus, & quia Prædicator, vndè Religiosus huiusmodi triplici repagulo restringitur, & angustatur. Secundò, quia ex maiori vinculo illos vult esse deuinctos? Nam cum arctitudo virtutis, & directionis in Deum sit maximè, & principaliter ex virtute charitatis, quæ nos Deo vnit, & in virtute vincit, & ligat, quia charitas omnia sustinet, & cum sine dubio actus cooperandi Deo in salute animarũ procuranda ex suo genere supponat in cooperante maiorem charitatem, nimirum charitatem de facto & in effectu valdè extentam ad Deũ, & ad proximum, bene sequitur, quod Religio obligans per se & ex proprijs ad maiorem charitatem, magis arctat, & angustat, & restringit animum, vt non discedat à rectà virtutum linea. Tum tertio, quia si spectemus media ipsa, hæc est natura operum virtutum, & præcipuè operum charitatis, vt fortius animam inclinent ad bonum, & ad virtutum medium, & sic animum fortiùs ligent, & restringant, ne declinet ad dexteram, vel sinistram vitiorum; quam austeritas ieiuniorum, vel solitudo, quæ non nisi per accidens, & remouendo obstacula valent ad restringendum animũ, vt in medio virtutum consistat. Propterea bene dictum fuit, quod status Episcoporum sicuti est perfectissimus, ita est arctissimus, ex triplici posita causa, & quia nedum ex lege communi, sed ex speciali sui officij tenetur omninò consistere in medio & irreprehensibilem esse. Tum quia per se ex vi sui status tenetur ad maiorem charitatem, & arctius restringentem. Tum quia opera Episcopalia, quæ sunt opera charitatis fortius arctant animum ad virtutem, quam corporis austeritates, ideò Episcoporum status est arctissimus; si non materialiter, formaliter, & arctitudine virtutis.

32. Sed & si considerare volumus difficultatem, seu arduitatem, Religio quo perfectior est absolutè difficilior, & magis ardua, etiam materialiter, licet non magis aspera, & austera. Nam & arduitas ab austeritate, aut asperitate distingui debet. Si enim austerum, & asperum respiciant externas corporeas difficultates consistentes in excessu abstinentiæ, vel paupertatis, vel abiectionis in habitu, vel solitudinis, & huiusmodi, quæ quidem difficilia sunt, tamen præter has difficultates datur arduitas virtutis, quæ longè maior est, quam sit cuiuscumque austeritatis. Dicebat Sanctus Dauid de seipso. Psal. 16. *Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras*. Certè Sancti Regis hic non commendantur ieiunia excedẽtia, cum Regali mensa vteretur; nec paupertas, cùm Rex ditissimus esset; nec solitudo eius, qui fuit exercituum Dux, & populorum Princeps. Sed benè commendatur difficultas virtutum, quod in medio diuitiarum, & in sublimi potestatis mũdanæ, & inter regales delitias innocentiam custodierit, & præcipuè adeò mitis, & mansuetus fuerit, vt inimicis pepercerit, & Sauli persequentis vitam seruauerit, quam ei auferre potuerat. Sic Aug. cum locum exponit. *Propter verba labiorum tuorum. (Propter verba pacis tuæ, aut Prophetarum tuorum. Ego custodiui vias duras) ego custodiui vias laboriosas mortalitatis humanæ, atque passionis: Ad perficiendos gressus meos in semitis tuis; vt perficeretur charitas Ecclesiæ in itineribus angustis, quibus venitur ad Regnum tuum*. Sic ergo virtutis iter angustum est, & laboriosum, & præcipuè illis, qui in peccandi occasione viuunt; vnde si difficile est Religiosis seruare abstinentiam in cibis, paupertatem in habitu, & solitudinem cellarum, plus est difficilè esse patientem ad omnes, irreprehensibilem moribus, & non verbo, sed exemplo populos ad pœnitentiam, humilitatem, mundi contemptum, obseruantiam & perfectionem, & in omnibus esse prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbas, esse agnos inter lupos, omnibusque omnia fieri, semper mortificationem Iesu in corpore circumferre, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus, nemini dare offensionem, vt non vituperaretur ministerium Christi, sed in omnibus exhibere se sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in vigilijs, in ieiunijs, & in fama, & siti, &c. Ad quæ ex speciali lege obligantur, qui ad docendum, & prædicandum, & cooperandum saluti animarum ex instituto suæ Regulæ obligantur. Quamobrem si Religiones huiusmodi, quæ sunt perfectiores ratione finis, quia ordinantur ad contemplandum, & contemplata communicandum populis, cooperando saluti animarum, & simul quantũ hoc sanctum Opus compatitur assumunt quoque & ieiunia longa, & abstinentiam rigidam, & solitudinem silentij, simul cum studij assiduitate, quæ ad macerandum carnem est medium singulare, nequit negari, quin huiusmodi sint, & arctiores, & magis arduæ, simulque valdè austeræ, & asperæ, etiam quantum ad corporales austeritates, & tales ad

quas

quas ex natura rei sit licitus transitus ab illis, quæ ex fine, & ideò ex medijs sunt imperfectiores. Et quæ ad finem cooperandi saluti animarum ordinantur sicuti assumunt obligationem magis similem obligationi Episcoporum, & pro medijs actus virtutum, & charitatis assumunt, & se ad ea, quæ sunt virtutis specialia obligant, & interim neque austeritates corporis negligunt, nisi quantò sunt illis impedimento ad id, quod potiùs est. Ideò omnibus pensatis, licet excedantur secundum quid in austeritate aliqua, absolutè tamen, & simpliciter excedunt etiam in medijs, quia tota mediorum collectio, qua vtuntur est simpliciter absolutè de se melior ad perfectionem virtutum, & charitatis conseruandam, & augendam, & sic absolutè sunt perfectiores, & formaliter arctiores, & sic magis arduæ.

33. Dicitur secundò, quod spectata rei natura, & præscindendo à iure positiuo, & stando in lege naturali ad Religionem, quæ est perfectior perfectione finis, & proportione mediorum ad finem, non verò ad eam quæ solum sit austeritate corporis austerior, fieri potest transitus à Religioso professo licentia petita, & non obtenta. Nam fundamentum vndè licitus sit transitus religiosi professi ad aliam religionem est maior Dei honor, & maior religiosi perfectio; sic enim, vt supra vidimus ex *cap. licet*, illi non est neganda licentia transeundi, quem constat desiderio maioris religionis, & melioris, & sanctioris vitæ moueri, vt religionem mutet. At verò vbi religio est perfectior perfectione finis, & proportione mediorum ad finem, ibi est maior Dei honor, & perfectio religiosi maior, Tunc igitur cum religio est perfectior ex natura rei absolutè est laudabilis, & licitus transitus de imperfectiori religione ad perfectiorem. Nec valet dicere, quod transitus de religione ad religionem fundatur super securitate, quia bene stat, quod religio aliqua sit perfectior, & tamen sit minus secura; quia in exercitio vitæ actiuæ etiam in ordine ad Dei gloriam in animarum salute procuranda sunt magna pericula, & distractiones; ideò ad huiusmodi pericula fugienda conceditur transitus. Instatur enim contra hoc. Nam quidquid sit an ius positiuum ad hanc securitatem respexerit, de quo infra dicam; de naturali iure, & diuinò loquendo hæc non est sufficiens causa deserendi religionem perfectiorem sine licentia superioris obtenta; vndè vt probat Innoc. 3. *in dicto cap. licet*, quamuis status Episcoporum sit minus securus, tamen non potest Episcopos ad statum religiosum magis securum sine licentia transire. Cum alias hoc vere sit retrocedere, seu descendere; si res ex genere pensetur, quia est transire ad statum minoris perfectionis. Ita in proposito religiosum à statu perfectiori ad minus imperfectum transire est descendere. Nam & hoc perfectionis est subire pericula per Dei gratiam superanda ea directione charitatis, & obedientiæ, vndè à perfectionis tramite declinat, qui cum opus cooperandi saluti animarum assumpserit, & vouerit, licet non tam sibi securum, tamen ex Dei gratia securissimum, postea ab hac perfectionis arctioris via discedit solo securitatis, & quietis suæ intuitu, si alijs potest prodesse, vt expressè decernit Innoc. 3. *in d. cap. licet*.

Neque cum fundamento hoc Sanchez negat, quia fieri minus est descendere, at verò transire de perfectiori statu ad minus perfectum est fieri minus.

34. Ad primum iam dictum est textum *cap. licet* nomine arctioris vitæ non intelligere eam, quæ solù sit arctior austeritate corporea, sed quæ sit arctior arctitudine virtutis, & directionis; hæc verò est religio perfectior, vndè textus pro eodem habet dicere religionem perfectiorem, sanctiorem, & arctiorem, Quamuis etiam dici potest, quod loquitur ceteris paribus; nam vbi cætera sint paria illa religio, quæ excedit in austeritatibus corporis est etiam perfectior, & ad illam fieri potest transitus. Ad 2. dicitur primo supponi falsum, scilicet, quod per Extrauag. *Viam ambitiosæ*, detur Mendicantibus facultas absoluta transeundi ad Carthusianos licentia superioris petita, & nõ obtenta, cum tamen Pontifex nihil de hoc ibi statuat, sed solum hunc transitum iuris antiquioris dispositioni relinquat, excipiens illam à noua dispositione, quam ipse condidit. Primò enim ibi Pontifex non supponit, quod fratres ordinum mendicantium transirent ad ordines Monachales, sine licentia obtenta, quod est id, quod de iure naturali, & positiuo communi licet, vbi transitus sit de imperfectiori ad perfectiorem religionem, sed imo totum oppositum supponit. Nam supponit, & quod prætextus melioris vitæ in hoc fucatus esset, ibi *fucatis tamen coloribus asserentibus ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obseruantiæ*, & quod ingredientes hoc facerent ex licentia etiam ministrorum Papæ, imò ipsius sedis Apostolicæ, ibi, *licentia a Sede Apostolica, seu Legatis, aut Nuncijs eiusdem sedis ad transferendum se de mendicantium ordinibus ad alios ordines &c. obtinentibus* Ideò ius nouum, quod Pontifex ibi statuit est reuocare omnes licentias datas à Sede Apostolica, per quas quomodolibet concessum fuisset alicui mendicantium transire ad ordines Monachorum, & prohibere ne quis mendicantium virtute cuiuscumque huiusmodi licentiæ possit id facere, ibi, *statuentes, quod de cætero nullus religiosus ordinum mendicantium &c. possit, & debeat virtute cuiuscumque licentiæ etiam indulti Apostolici seu pœnitentiarij nostri curam gerentis &c. admitti. & recipi &c. in monachum, vel in fratrem alicuius ex ordinibus Monasticis supradictis, vel alijs expressis (ordine Chartusiensium duntaxat excepto)* Quod igitur prohibetur est transitus ab ordinibus mendicantium, ad ordines Monachales virtute cuiusuis licentiæ hactenus obtentæ, & ideò quod excipitur, & conceditur respectu ordinis Chartusiæ est, quod possint fratres mendicantes ad illum ordinem transire cù aliqua ex licentijs prænumeratis, non verò, quod possint transire ad illum ordinem licentia superiorum petita, & non obtenta. Inde in subsequentibus, & ad futurum respiciens sic decernit. *In futuris autem nullus ex professoribus alicuius ex ordinibus mendicantium huiusmodi in aliquem monasticum ordinem (Carthusiense duntaxat excepto) possit ac debeat per quemcumque recipi, vel admitti virtute alicuius licentiæ, vel indulti absque sedis huiusmodi licentia speciali*. Apparet igitur manifestè quod ex dicta extrauag. habetur sancitum, quod mendicantes ad alios Ordines Monacales non

pos-

possunt transire nisi de speciali licentia Papæ, quod non est necessarium in transitu ad Carthusiam, sed quod ad illam sine tali licẽtia possunt transitè facultate habita, vel ex indulto aliquo Apostolico generali, per quod concessum sit recipere venientes ad se ex alijs Religionibus, vel ex speciali licentia Legatorum, vel Nunciorum, vel etiam summi Pœnitentiarij, vel ex quacumque licentia id fieri poterat ante editionem præfatæ extrauagantis, in omni eo casu, in quo alias ante dictam extrauagantem id licitum fuisset. Et ita statutum extrauag. *Viam ambitiosæ*, communiter DD. explicant sub hac forma verborum, scilicet mendicantes non possunt transire ad Ordines Monachales sine licentia speciali Papæ excepta Carthusia. Caiet. *in sum. n. t. v. excõmunicatio* Syluest. *v. excommunicatio*. Vndè nullo modo sequitur, quod ex vi *d. extrauag.* sit mendicantibus permissum transire ad Carthusiam nulla alicuius, præcipuè superiorum Ordinum, obtenta licentia, licet petita, nisi quis velit concedere, quod mendicantes ad id, ad quod non indigent speciali licentia Papæ, nec indigeant licentia suorum superiorum, vt valeat hæc consequentia, Mendicantes vt transeant ad Carthusiam non indigent licentia obtenta à Papa, ergo non indigent licentia à suis superioribus obtenta: Quæ consequentia falsissima est, & summe absurda.

35. Quod si obijcias cõcessum fuisse Societati Iesu, per Paulum Tertium in Constit. licet debitum, vt in Bullar. Societatis pag. 33. quod eius Religiosi non possint ex ea transire ad alios Ordines (excepta Carthus.) nisi aut de expressa licentia Generalis, aut de licentia Sedis Apostolicæ, vndè permissum fuit illis transire ad Carthusiã sine licentia Generalis obtenta. Quod postea confirmatum fuit per Pium Quintum in Bulla æquum reputamus, quæ est in Bullar. d. Societ. pag. 9o. & per Greg. 13. in Bulla quæ incipit Exponi nobis, quæ habetur in Bullario d. Societatis, fol. 350. fuit confirmatum, & limitatum, vt scilicet Religiosis dictæ Societatis semel tantum sit permissum transire ad Carthusiam Generalis licentia non obtenta. Et quod magis est Greg. 13. noluit hoc priuilegium communicari alijs Ordinibus. Ex hoc igitur habetur, quod Religiosi etiam ordinum mendicantium ad Carthusiam transire possunt licentia Superiorum petita, licet non obtenta, & quod pro magno priuilegio, & non communicabili alijs Ordinibus concessum est Societati, vt eius Religiosi semel tantum ad Carthusiam transire possent petita licentia, & non obtenta. Item cum vt infra probatur nullus Prælatus Regularis possit dare licentiam transeundi ad laxiorem, ex quo Papa permittit, quod etiam ex mendicantibus possit transire ad Carthusiam, sine licentia Papæ, benè deducitur, quod Ordo Carthusiæ sit arctior, & quod ex consequenti ad illum possit transiri petita licentia licet non obtenta. Sed ad hoc respondetur, quod ex iure nouo præcipuè post Concil. Tridẽt. est, quod Prælati Regulares ex iusta causa non possint dare licentiam ad laxiorem, vt videbitur. Et nihilominus etiam post Concilium quorundam plurium sententia fuit Prælatos hanc licentiam posse concedere. Non ergo ex eo potest colligi, quod Carthusiæ Religio sit arctior Ordinibus mendicantium, ex eo quod ad illam erat permissus transitus sine licentia Papæ, quia ante Concil. Trident. communis opinio fuit, quod Prælati Regulares possent dare licentiam ad laxiorem, vt videbitur infra. Respondetur verò ad primam obiectionem, quod ex eo quia per Pontifices fuerit Societati permissum, vt eius Religiosi possent ad Carthusiam transire licentia petita nõ obtenta, non sequitur, quod hoc fuerit permissum alijs Religiosis; imò potius oppositum colligitur, quia hoc tanquam priuilegium fuit illis Religiosis concessum, at verò priuilegium est lex priuata contra legem communem, per quod conceditur, quod lege est prohibitum. Et sic ex quo hoc asseritur concessum tamquam priuilegium, sequitur, quod alijs fuerit prohibitum. Et si dicatur, quod priuilegium non fuit, quod Religiosi Societatis possent transire ad Carthusiam sine licentia Generalis obtenta, sed imo fuit exceptio priuilegij concessi. Concessum enim priuilegium fuit, quod Religiosi dicti Ordinis non possent ad alium Ordinem transire nisi obtenta Generalis licentia, vel Sedis Apostolicæ, ab hoc verò priuilegio excepta fuit Carthusia; & nihilominus ex priuilegio hæc exceptio valdè fuit limitata nimirum à Pio Quinto, vt transire volẽtes intra trimestre à die recessus transirent, & à Pio Quinto, & Greg. 13. vt hic transitus semel tantum haberi posset sine Generalis obtenta licentia. Sed nihilominus respondetur, quod licet facultas ista transeundi ad Carthusiam sine obtenta licentia Generalis sit exceptio alterius facultatis, non indè colligitur, quod & hæc exceptio non fuerit priuilegium, & gratia, & facultas concessa illi Ordini, quia sic iudicatum fuit illi conuenire. Et sic ex ea concessione minimè colligitur, quod de iure communi licitus fuisset transitus à Religione Societatis ad Carthusiam licentia Generalis non obtenta. Quoniam alias ex nullo textu contento in Decretalibus habetur, quod transitus ad Carthusiam sine Prælati licentia obtenta liceret, sed solum, quod liceret sine licentia Sedis Apostolicæ transitus à mendicantibus ad Carthusiam. Et sic non probatur, vel quod liceat transitus ad Carthusiam licentia petita, & non obtenta, vel quod à iure communi ille Ordo sit declaratus arctior ea arctitudine, ex qua licet transire petita licentia, & non obtenta. Quamuis alias verum sit, quod arctitudine corporea, seu vsum corporeorũ restringente ille Ordo est arctissimus, non tamen quidem propter abstinentiam à carnibus, quam propter solitudinem ob quam Religiosi illius Ordinis velut carcerari restringuntur inter angustias paruæ cellæ. Verum, amplius dicitur ad principale argumentum, quod Martinus Quintus excipiendo Carthusiam, & permittendo, vt etiam mendicantes ad illam transire possint attendit securitatem viæ ad perfectionem, quæ in illa Religione ob solitudinem, & alias obseruantias maxima est, cum per eas Religiosus sit veluti in portu extra omnes fere occasiones peccandi, & pericula naufragij, & liber, vt totus possit vacare contemplationi, & per contemplationem, & spiritualem conuersationem veluti continuam, cum Deo semper magis ac magis in charitate profice-

re. Et ob hanc caufam, ego putarem optimum esse, vt in quacumque Religione instituerentur Monasteria in quibus solitudo similis Carthusianæ institueretur, vt Religiosi postquam fructuose laborassent secundum exigentiam propriæ regulæ, possent ad quietem contemplationis de superiorem licentia transire sub eorumdem Superiorum obedientia,

36. Et sic ad tertium prioris sententiæ argumentorum admisso, quod securitas maior sit iusta causa concedendi transitum etiam de religione perfectiori ad imperfectiorem, vndè vt dictum est, multi DD. censent, ex hac ratione concessum fuisse à Martino Quinto transitum ab ordinibus mendicantium ad ordinem Carthusiæ, sine licentia Papæ, negatur, quod eo religio sit securior vniuersaliter, quo est asperior asperitatibus corporeis. Neque enim Carthusia est securior ex quacumque austeritate corporea, sed ex clausura arctissima, & silentio, & studio orationis, & contemplationis; sed hoc minimè extendi debet ad alias austeritates corporis, quæ imò si non sint valdè proportionatæ ad studium contemplationis, & ad internas virtutes, & ad perfectionem charitatis acquirendam, & stabiliendam, potiùs impediunt, quam iuuent. Et sic securitas non consistit in augmento asperitatis corporeæ, sed in proportione, & mensura eius ad carnis imbecillitatem, & studium internæ virtutis; vnde illa religio est securior, quæ ratione solitudinis, & studij contemplationis magis occasiones, & pericula peccandi vitat.

37. Ad quartum dicitur, quod quia nunc regula ad discernendum, quæ Religio sit præferenda est incerta, & controuersa valdè, & quia facilè est per accidens, vt vnusquisque ex affectu ad propriam religionem decipiatur, ideò videntes Pontifices oriri dissensiones, & scandala ex eo, quod priuati religiosi frequentiùs prætextu, vel perfectioris religionis, vel austerioris tentabant transitum de religione in religionem, non attenta tam, vel maiori perfectione, vel maiori arctitudine, interdixerunt huiusmodi transitum. Et primo Martinus Quintus prohibuit mendicantibus transitum, ad ordines Monachales excepta Carthusia sine speciali licentia Papæ, deinde prohibitus est transitus Prædicatorum ad Mendicantes, & è contrà, & præterea respectù ferè omnium Religionum diuersimodè hic transitus est restrictus, vt infra videbitur.

38. Ad quintum dicitur Iulium Secundum, & Leonem Decimum accepisse nomen arctioris religionis prout asperitatem corporis importat, quia ea ratione dicunt Minimorum Ordinem esse arctiorem, & strictiorem, quia est continuæ vitæ quadragesimalis, hoc enim est quædam corporis asperitas. Meritò autem ea hac causa concesserunt illi ordini priuilegium, vt nullus dicti ordinis religiosus non possit sine licentia Papæ, & Generalis Correctoris transire ad quemcumque alium ordinem, non quia hoc non liceat ex natura rei, vel etiam spectato solo iure communi *cap. licet de regularibus*, sed quia de facili præsumitur eum, qui in religione tam austera est professus, si exitum tentet, non id facere zelo maioris perfectionis, sed cupiditate vitandi eiusdem ordinis austeritates. Fundatur ergo Pontificis dispositio super iusta præsumptione, quod fratres huius ordinis non zelo perfectionis, sed ex leuitate, & cupiditate fugiendi austeram vitam quadragesimalem ad alios ordines transire velint, non verò, quia putent nō licere à quacumque austeriori religione ad minus corporaliter austeram, sed perfectiorem, ideoque spiritualiter austeriorem, transire. Quod ex dictis Constitutionibus habetur, quas refert Peyr. & apud ipsum sunt quinta Iulij 2. & 6. Leonis Decimi. Ex quibus alia ratio huius prohibitionis habetur, scilicet conseruatio, & augmentum illius Religionis, quæ tunc in sui principio vigebat, & non modicum præiudicium poterat illi prouenire ex transitu suorum religiosorum ad alios Ordines.

39. Ad sextum iam ex dictis patet religionem perfectiorem esse simpliciter arctiorem, & illud statutum Alex. Quarti, nihil speciale continere, & continere ius commune, quod vitat transitum sine licentia ad religionem non arctiorem. Ad septimum negatur consequentia. Nam imò ex Theologorum principio, quod nomine arctioris intelligi debet perfectior religio, sequitur illicitum esse transitum à Religionibus claustralibus ad Ordines militares. Tum quia isti Ordines, nec sunt perfectè Religiones, nec perfectum perfectionis statum important si non emittunt tria vota, & perfectam castitatem non vouent, vt dictum est *q. 186. a. 4.* Tum quia quælibet Religio claustralis habens pro fine, contemplationem, simul & actionem excedit perfectione finis Ordines Militares, qui pro fine habent ea, quæ sunt actiuæ vitæ. Rota *p. 4. tom. 2. Recen. dec. 365. num. 35.*

40. Concluditur igitur, quod illa arctitudo, quæ vnius ordinis Religioso tribuit facultatem transeundi ad arctiorem religionem non obtenta proprij ordinis licentia est sola arctitudo virtutis, & quæ coincidit cum maiori perfectione religionis ex fine, & proportione mediorum ad finem, sed sola arctitudo materialis, & corporalis non fundat ius naturale, sed est ratio ob quam lex positiua, quæ præsumptionibus ducitur, & fucatos perfectionis prætextus abominatur, iustè concesserit, vel interdixerint transitum ad aliquam Religionem. Cæterum ex naturali lege, & per se, & præscindendo à circumstantijs, transitus ab imperfectiori ad perfectiorem Religionem est licitus taliter, vt vbi constet de extremis, & de sancta transire volentis intentione hic transitus per se non possit impediri: transitus autem de minus corporaliter austera, ad aliam magis austeram formaliter non est per se laudabilis, nisi illa magis austera simul sit perfectior. Ideò quod ex Ordinibus Monachorum spectato solo iure naturali liceat transire ad Mendicantes tanquam ad Ordines perfectiores tradiderunt ex D. T. doctrina in hoc *artic.* Palud. 4. *d. 38. q. 2. n. 17. & q. 3. a. 1 n. 11.* D. Anton. *p. 3. tit. 16. cap. 4. in princ. & §. 4.* Sylu. *v. Religio 4. q. 1.* Nauar. *com. 4. de Regul. n. 2. & 3.* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 9. n. 10.* Palaus *trac. 16. disp. 4. p. 26. §. 1. n. 2.* Quod breui hoc discursu ex iam explicatis demonstratur. Nam dum dicitur, quod liceat transire ad arctiorem, id est ad corporaliter austeriorem, vel

sumi-

sumitur austeritas secundùm se, & absolutè. Et sic propositio euidenter aduersatur veritati. Tum quia asperitas, vt asperitas non est bonum honestum, sed indifferens, & ideò non amabile honestè secundùm se, & per se, sed solum per aliud: Tum quia austeritas etiam viæ Diaboli conuenit, vt est probatum. Tum quia status Religiosus est status perfectionis, & ideò Religionibus non competit assumere austeritatem, nisi in ordine ad perfectionem acquirendam, conseruandam, & augendam. Vel ergo ex opposito sumitur austeritas sub ratione medij ad perfectionem ordinati, & hoc modo non debet attendi, an austeritas sit materialiter maior, vel minor, sed an sit magis proportionata ad perfectionem, vel maiorem, vel securius obtinendam. Et tamen ratione maioris securitatis non licet transitus sine licentia obtenta, qui tamen licet ratione maioris perfectionis; sed hoc austeritas non præstat, nisi in Religione quæ simul sit sine perfectior, vt est manifestum ex dictis.

SVMMARIVM.

1 *Transitus de Religione relaxata ad obseruantem potest esse laudabile. num. 41.*
2 *Vbi in Religione relaxata sub eodem Generali sunt Conuentus non relaxati non licet transire ad aliam Religionem. num. 42.*
3 *Ex Religione relaxata ex abusu, si Religiosus vult transire, tenetur transire, vel ad Religionem eandem Regulam profitentem, & obseruantem sub alio Generali, vel ad ea arctiorem, num. 43.*
4 *Ex Religione legitime modificata non licet transire, nisi vel ad partem obseruantem sub eodem Generali, vel ad simpliciter arctiorem. numero 44.*
5 *Ex Religione modificata potest transiri ad minus arctam ex regula, sed magis obseruantem, num. 45.*
6 *Ex Ord. Prædicatorum non potest transiri, nisi ad Ordinem, qui sit simpliciter illo perfectior, num. 46.*
7 *Datur consuetudo, qua non tollit obligationem exactè seruandi regulam, & tamen excusat à peccato. num. 46.*
8 *Ex Religione relaxata non datur transitus ad minus arctam, si sit spes proxima reformationis. num. 47.*
9 *Infirmitas laudabilem potest reddere transitum ad aliam Religionem. num. 48.*

41. Ponitur secunda causa propter, quam transitus de vna Religione ad aliam est laudabilis, & licitus, scilicet propriæ Religionis relaxatio; Ex communi enim sententia, tam Theologorum, quam Canonistarum supra probatum est, in hoc transitu non sufficere, quod aliqua religio sit arctior exprimæua institutione sed, quod sit arctior secundum præsentem suæ institutionis, & regulæ obseruantiam; quod si Religio relaxata est, iam non debet dici perfectior, & arctior; ideò Religiosus talis Religionis intuitu obseruantiæ, & perfectionis transire de Religione ex primæua institutione arctiori, sed relaxata ad Religionem ex primæua institutione laxiorem, sed ex præsenti obseruantia perfectiorem Ioann. Andr. & Panorm. *ad cap. Sane de Regul.* Sylvest. *v. Religio* 4. *quæst.* 2. D. Anton. *part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 4. §. 4. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 17.

42. Duas tamen conditiones adhibent communiter DD. ad hoc, vt hic transitus liceat; Prima est, vt non sint in religione illa relaxata aliqui Conuentus strictioris obseruantiæ, in quibus primæuæ institutionis vigeat obseruantia, secunda, vt non sit spes proxima reformationis dictæ Religionis. Est verò circa huiusmodi considerandum Religionem tripliciter dici posse defecisse à rigore primæuæ institutionis, vel scilicet ex Pontificis concessione, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex abusu. Præterea si manet adhuc alicubi vigor antiquæ obseruantiæ, vel hæc pars obseruans manet sub eodem Generali, vel est separata, & proprium Generalem habet. Nam si religio est relaxata ex abusu, & in eadem Religione sub eodem Generali, non sunt aliquæ Prouinciæ, vel Conuentus in quibus vigeat regularis obseruantia, quam talis religiosus in sua professione promisit, communis sententia vera est, scilicet laudabile esse, vt hic religiosus transeat ad religionem ex sua institutione minus perfectam, sed magis obseruantem. Sicuti etiam certum est, quod si in dicta religione sub eodem Generali sint Conuentus strictioris obseruantiæ, non potest talis religiosus transire ad religionem minus arctam, quia tunc cessat conditio illa in professione clausa, nisi intuitu perfectionis ad vitam perfectiorem transire placuerit, quia vita religionis minùs arctę, non est perfectior, quam sit vita propriæ religionis. Io. And. & Syluest. vbi supra, cum in eadem religione sint Conuentus in quibus regula arctior exactè obseruatur ad *cap. Sanè de Regular.* Io. Andr. Card. *in* 3. *quæst.* Anchar. *n.* 4. Panor. *n.* 7. Fagnan. *n.* 20. Imò vt addit Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 9. *num.* 19. poterit esse, vt hæc mutatio censeatur necessaria, si religiosus videat se moraliter non posse extra partem illam obseruantem viuere, nisi iuxta malam illam consuetudinem, quæ regulæ obseruantiam corrumpat in substantialibus, seu in illis in quibus regula non potest violari sine peccato mortali.

43. Sed si Conuentus in quibus viget regulæ obseruantia non sint sub eodem Generali; iam videtur quod illa religio reformata sit alia religio arctior, & non est dubium, quod religiosum ad illam transire potest esse laudabile, sed an teneatur hoc facere, vel potiùs possit ad aliam religionem minùs arctam ex regula, sed magis obseruantem dubium esse potest, quia tali religioso licitum est maiorem perfectionem sibi quærere, non verò est adstrictus ad hanc vel illam, vel ad quærendam hic vel alibi; ideò videtur quod non teneatur transire ad Conuentus sui Ordinis strictioris obseruantiæ sub alio Generali viuentibus, sed quod vbi ex zelo perfectionis velit mutare religionem possit transire ad minùs arctam, sed magis obseruantem. Verumtamen primo dicitur

quod vbi relaxatio propriæ religionis sit abusus, non potest religiosus ex perfectionis zelo transire ad religionem minùs perfectam ex regula, & magis obseruantem, sed vbi facienda sit mutatio tenetur ire ad illam partem, in qua viget obseruantia suæ regulæ. Quia hic religiosus in sua professione regulæ obseruantiam promisit; nam ex solo abusu in religione illa regula non obseruatur, & non quia religiosus juxta regulã legitimè modificatam, & relaxatam professionem emiserit; & ità regulam tenetur seruare, & juxta illam viuere, & ab illius obseruantia deficere est retrocedere; igitur si facienda est mutatio, vt fiat in meliùs, vel debet transire ad Conuentus in quibus viget suæ regulæ obseruantia, vel ad aliam religionem, quæ propria religione etiam reformata sit arctior, nam transeundo ad minùs arctam descendit à propria obligatione, & à perfectione ad quam tenetur. Et ità hanc partem tenet Suarez loco citato.

44. Sed vbi religio sit laxior in obseruantia antiquæ regulæ, vel ex Pontificis concessione, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vndè dici possit, & debeat quòd Religiosus non nisi professus est regulam modificatam, & temperatam, vel authoritate superioris, vel consuetudine legitimè præscripta, si adhuc contingat casus, quod in eadem religione sub eodem Generali sint Conuentus, in quibus antiqua regula in rigore obseruetur, qui zelo perfectionis vult mutare non potest ad minùs arctam religionem transire, licet magis obseruantem, sed vel ad partem suæ regulæ obseruantem, vel ad Religionem simpliciter arctiorem transire debet, nisi specialem licentiam aliud faciendi obtineat. Ità Suarez loco citato *num.* 18. Et ratio est, quia conditio melioris vitæ potest à tali religioso seruari manendo in eadem religione, & sub eodem Prælato Generali, cui promisit obedientiam, & ità etiam in hoc casu vera est sententia communis, non esse laudabilem transitum ad religionem minùs arctam, licet magis obseruantem, dum in propria religione potest exactè suam regulam obseruare. Limitat tamen hoc Suarez *num.* 19. nisi sit timor, vt religiosus ad partem suæ religionis non relaxatam transiens, cogatur ab ea discedere, & ad relaxatam redire. Quæ limitatio vera est, si coactio iniusta sit, & non proueniens ex culpa transeuntis. Quia si ex culpa sua à parte obseruante rejiceretur, teneretur culpam emendare, non verò ex hoc posset à religione, & obedientia sui Generalis exire, nisi ex speciali dispensatione.

45. Sed si religio aliqua sit moderata in suo rigore per Pontificis concessionem, vel per consuetudinem legitimè præscriptam, & alias sub eodem Generali non sunt Conuentus in quibus antiqua regula exactè obseruetur, licet sint huiusmodi Conuentus sub alio Generali, in hoc casu, magis quidem decet, vt religiosus professus in religione relaxata, zelum perfectionis habens, non transeat ad religionem minùs arctam, licet magis obseruantem, sed transeat ad illam partem in qua antiqua regula obseruatur, hoc tamen non est necessarium. Ita Suarez *num.* 18. Et prima pars probatur, quia transeundo ad strictam suæ regulæ obseruantiam fit minor mutatio, & nõ receditur ab institutione sui ordinis, & ab institutore. Secunda verò pars probatur, quia illa pars in qua viget antiqua regula est simpliciter alia religio, & illa regula est alia ab ea quam talis religiosus professus est, ideò si religiosus zelo perfectionis meliorem religionem quærere velit, liber est, vt quamcumque sibi benè vitam eligat, ex quo sub obedientia sui Prælati non potest meliorem vitam, quam quærit obtinere, sed tamen optimum consilium erit, vt ad professores suæ antiquæ regulæ accedat, & sub eodem institutore militet.

46. In ordine verò Prædicatorum hæc locum non habent, nec aliquis huius ordinis religiosus potest ex hoc capite sine speciali dispensatione ad ordinem minùs arctum transire; quia in hoc ordine nulla consuetudo, ità præscribit contrà antiquam regulam, vt quilibet non profiteatur regulam, & constitutiones secundum quod petunt seruari. Et quatenus in aliqua parte non vigeat exacta regulæ obseruantia non desunt, vel in eadem Prouincia, vel in alijs Prouincijs, & Congregationibus Conuentus, in quibus regula, & constitutiones exactæ obseruantur, vndè huius ordinis religiosus non habet, vt quærat extra ordinem maiorem perfectionem, nisi in casu quod detur ordo, qui omnibus pensatis sit illo perfectior. Imò ex hoc aduertendum dari posse consuetudinem quæ nec valeat tollere obligationem seruandi exactè antiquam regulam, & tamen excuset à peccato eandem regulam non obseruantes exactè. Nam in Ordine Prædicatorum in quo regula, & constitutiones non obligant ad culpam, vbi tolerantia communis Prælatorum permittit moderationem aliquam rigoris obseruantiæ in accidentalibus, & dispensabilibus, simplices religiosi non peccant viuendo quomodò viuunt alij communiter superioribus videntibus, & permittentibus, & tamen non per hoc possunt hi religiosi contrà reformationem se munire titulo consuetudinis, quæ quantum ad hoc locum non habet in hoc ordine. Nec si zelo maioris perfectionis teneantur; possunt sine dispensatione transire ad ordinem minùs arctum, si sub eodem Generali, cui promittunt obedientiã possunt arctè viuere, & leges exactè obseruare.

47. Circa aliam conditionem autem, scilicet, nisi sit spes, vt Ordo relaxatus reformetur, considerandum est, hanc spem vix posse habere locum, nisi vbi relaxatio regulæ non sit ex concessione Sedis Apostolicæ, vel ex præscripta consuetudine. Ea tamen spe data non est laudabile discedere ab arctiori ordine ad ordinem minùs arctum, licet pro tunc magis obseruantem, cum sit spes, vt in proximo etiam in proprio ordine rigor obseruantiæ reponatur. Io. Andr. & Syluest. d. quæst. 2. Suarez vbi supra *num.* 19.

48. *Tertio propter infirmitatem, &c.* Hæc est tertia causa propter quam transitus de vna ad aliam religionem potest esse laudabilis, scilicet impotentia aliqua, seu difficultas infirmitatis, ex qua oriatur, vt religiosus, qui non potest obseruare regulam arctiorem posset seruare laxiorem, vndè est quod ex hac parte rationabile erit, vt seruatis alias seruandis religiosus de arctiori religione etiam ad laxiorem transire possit. Conueniunt

niunt verò DD. in hoc, quod hæc causa infirmitatis, & debilitatis sit legitima *cap. cum ad Monasterium §. In refectorio, de stat Monach.* Panor. *cap. Non est vobis num. 6. de Regul.* Gemin. in *cap. Cum singula §. Prohibemus num. 6. de Preb. in 6.* vbi Franc. *n. 4.* Sylu. *v. Religio 4. q. 2.* Reaerendiss. Fagnanus *ad cap. Cum dilecti* de Renunc. *num. 36.* Tabien. *num. 4.* Sanchez *l. 5. c. 7. num. 72.* Tambur *disp. 7. q. 5. num. 8.* & alij commun. Hanc tamen infirmitatem esse debere perpetuam ex Archid. *in cap. Monachi 20. q. 1.* Gemin. & Franc. aduertit Fagnanus, Crederem tamen sufficere si sit adeo diuturna, vt censeri possit perpetua, vel quia perpetua esset, nisi concederetur transitus. Et aliqui hoc limitant, vt non procedat, quando in Religione arctiori Religiosus ob infirmitatem dispensatur. In quem sensum Caramuel in Reg. S. Bened. *disp. 45. num. 534.* ait, quod huiusmodi necessitas non debet esse tanta, quæ excuset Religiosum ab omni culpa, si non satisfaciat in priori Religione. Et quod infirmitas de qua loquitur D.T. est quæ non est sufficiens auferre obligationem, est tamen occasio, vt accedente, vel praua consuetudine, vel animi fragilitate frequenter eam intermittat, vt cum magna tenitentia cordis prætter, si quando id faciat, sed merito hoc reijciunt Sanchez, & Tambur. quia nedum is cui infirmitas est occasio peccandi, sed etiam sic dispensatione indigens, & vtens non potest non esse Religioni arctiori valdè damnosus, & causa scandali, vndè tanquam verè impotens ad obseruantiam strictiorem transmitti potest ad mitiorem. Ad hanc causam autem reducuntur aliæ, vt senectus *ar. cap. Cum pridem §. Alia verò causa de renunciat.* Vel intemperies aeris repugnans complexioni Religiosi, si Religio non habet alibi Monasteria, vel quæcumque alia causa ex qua Religiosus fiat perpetuo impotens corpore ad seruandas Religionis austeritates. Sed præter hanc causam aliæ etiam adducuntur. Vt si Religiosus in sua Religione odio habeatur, & malè tractetur; vel si in ea sit infamatus, vt non nisi cum magna tristitia posset ibi permanere Rodriq. *t. 5. q. 30. a. 9.* Sanchez *l. 6. cap. 7. num. 72.* Tambur. *d. q. 5. an. 11. & 12.* Sed benè aduertit Reuerendiss. Fagnanus *d. cap. Cum dilecti num. 39.* quod ex his forsan potest haberi causa iusta transitus ad æqualem, non tamen ad laxiorem, quia æquè bene Religioso ex huiusmodi causis prouidetur per transitum ad æqualem, & absque eo, quod Religiosus retro redeat. Ideò D.T. solam causam infirmitatis tetulit. Quin imò teste eod. Fagnano, Antonius Card. Carafa olim signaturæ gratiæ præfectus in sua glossa manuscripta *c. 19. sess. 25. de Regul.* testatur se numquam vidisse in signatura gratiæ concedi trāsitum ab arctiori ad laxiorem, nisi ob infirmitatem, vel debilitatem prouenientem ex obseruantia regulæ arctioris, cum non possit illius statuta seruare. Et certè hic duo termini considerandi sunt, scilicet terminus à quo, & ad quem. Et quidem ad hoc, vt quis exeat à Religione plures causæ iustæ dari possunt; & sunt omnes illæ, ex quibus vel physicè, vel moraliter redditur impotens, vel ad obseruantiam Regulæ, vel ad profectum spiritualem, vndè spectatis omnibus sibi in indiuiduo non est meliùs, sed est simpliciter minus bonum manere in illa Religione, quam fuit professus, vndè sibi conuenit exire. Sed hinc non sequitur, quod sibi liceat ad laxiorem transire, imò nisi aliundè excusetur tenetur saltem ad æqualem transire, ne retrò respiciat. Imò si causa recedendi sit nimia suæ Religionis asperitas corporalis, meliùs illi erit transire ad perfectiorem, sed non ita corporaliter asperiorem. Et certè esto possit transire ad minus asperam, non tamen licebit ad minus perfectam, si inter æquè perfectam sufficiens remedium habere potest.

SVMMARIVM.

1 *In transitu de vna ad aliam Religionem an sit necessaria licentia. n. 49.*

2 *Vbi transitus est ad manifestè arctiorem non est necessaria licentia obtenta. nu. 50.*

3 *De lege naturali, & Canonica communi est, quod non fiat transitus nisi petita licentia. numer. 51.*

4 *Antiquitus hic transitus non prohibitus. numer. 52.*

5 *Quando incepit hic transitus prohiberi. numero 53.*

6 *Quid de iure communi statutum. n. 53.*

7 *Quid de iure extrauag. Viam ambitiosæ de Regular. n. 54.*

8 *Sub ea non comprehenduntur nonulli. n. 54.*

9 *Priuilegium Maris magni. n. 55.*

10 *Bonifacij noni pro mendicantibus. 56.*

11 *Pro ordine seruorum. n. 57.*

12 *Pro Ordine Minimorum. n. 58.*

13 *Pro Ord. S. Mariæ de mercede. n. 59.*

14 *Pro Societate. n. 60.*

15 *Pro Ordine S. Trinit. n. 61.*

16 *Pro Capucinis. n. 62.*

17 *Pro Carmelitis Discalceatis. n. 63.*

18 *Pro Monachis. 64.*

19 *Pro diuersis Clericis Regularibus. n. 65.*

20 *Facultas transeundi ad arctiorem petita, & non & non obtenta licentia non est per Sixtum quintum vniuersaliter reuocata. n. 67.*

21 *Prælati à quo teneatur recipere licentiam. numer. 68.*

22 *Superior immediatus hanc licentiam dare potest num. 69.*

23 *Illam petere est de necessitate præcepti. numer. 70.*

24 *Non sufficit illam petere post transitum. numer. 71.*

25 *Professio facta in arctiori, sine licentia, an sit nulla: diuersæ sententiæ. n. 72. 73.*

26 *Non est nulla. n. 74.*

27 *Religioni à qua Religiosus sine petita licentia transiuit ad arctiorem, non datur restitutio in integrum. n. 75.*

28 *An transitus sit validus, dubium esse potest ex multiplici capite. n. 76.*

29 *In dubio apud Religionem ad quam transiuit maneat, qui transijt, donec lis durat. num. 76. & 83.*

30 *An superior possit permittere, vt subditus exeat, vt quærat Religionis arctioris ingressum. numer.*

mer. 77. & 83.

31 *Subditus statim ac petijt non potest discedere, sed tenetur discussionem negotij expectare. numero 78.*

32 *Superior Religionis ad quam non debet recipere Religiosum ad se venientem sine dimissorijs literis sui Superioris. n.79.*

33 *In dubio Religiosus petens ingressum debet remitti ad suum superiorem. n.79.*

34 *Subditus non potest licentia non obtenta transire ad arctiorem, nisi Superior proterue contradicat. n.80.*

35 *In dubio an licentia iuste negetur debet expectari causa decisio. n.80.*

36 *Ex eo solo, quod superior neget dicere causam ob quod negat licentiam, non licet subdito transire ad arctiorem. n.81.*

37 *Vbi non constet de proteruia negantis licentiam recurrendum est ad superiorem per viam appellationis etiam vbi alias non sit permissa appellatio. n.82.*

38 *Quando subditus sine licetia trasijt ad alium Religionem, si dubium sit de valore transitus. numer.83.*

39 *Petitio debet esse humilis. n.84.*

40 *Sufficit per se petere licentiam etiam per litteras. numer.84.*

41 *Petitio debet esse pura. n.85.*

49. SEd his causis explicatis tractat, & resoluit breuiter D.T. quæstionem, an in supradictis casibus, ad hoc vt Religiosus mutet religionem, sit necessaria licentia aliqua, & docet ad transeundum ad arctionem religionem esse necessariũ petere licentiam, sed hanc non posse negari vbi constet religionem esse arctiorem, vbi verò de hoc probabiliter dubitetur, iudicium superioris esse inquirendum. Sed in secundò casu ad hoc, vt religiosus ex arctiori relaxata transeat ad minus arctam, sed obseruantem requiritur superioris iudicium. Sed in tertiò casu, scilicet ad transitum ad religionem laxiorem propter infirmitatem necessaria est dispensatio superioris. Quantum verò ad id, quod primò dictum fuit, scilicet quod in transitu ad manifeste arctiorem est quidem necessarium petere licentiam, sed non potest illa negari, & si negetur sufficit illam fuisse petitam, licet non obtentam, considerandum, quod multi assertionem hanc limitarunt, vt non procedat in Conuersis, & oblatis, quia tales efficiuntur quasi serui Monasterij, & liberti non possunt recedere ab Ecclesia sua *cap. liberti* 12.*q.*2. Et ita de Conuersis Eccl. secularis tenuit Gloss. *in cap. Vt lex continentia ver. Profess.* 27. *q.*1. Sed & de conuersis Regularibus idem dixerunt Panorm. *cap. Non est vobis num.* 3. Barbat. *cap. In præsentia num.*18. de probat. Angelus, Tabien. Armill. in verbo Monachus *num.* 1. & idem Tablen. *in v. Religio q.*27. *num.* 28. Sed de huius veritate dubitauit idem Panorm. *cap. Quod a se num.* 50. *de Cleric. coniug.* Dicendum tamen est Religioso cuicumque, & etiam Oblato competere quantum sit ex iure communi, vt ad Religionem manifeste arctiorem transire possit licentia petitâ, & non obtenta, quia tam conuersis, quam oblatis competit ratio illa *cap. licet, de Regul.* quia vbi Spiritus Dei, ibi libertas; & qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege; Cum enim Spiritus vbi vult spiret, *Io: cap.* 3. *& cap. Nisi cum pridem* §. *Verum, de renunc.* Nec sit in hominis potestate prohibere spiritum Eccl. 8. sicut Clericis ita, & Conuersis competit Deo inspirante ad meliorem, & arctiorem statum transire Felin. *cap. in præsentia num.*4. *de probat.* post Hugonem, & Laurentium; Marcus Mantua *ibid. num.*8. Sanchez *lib.*6. *cap.*7. *num.* 9. Reuerendiss. Fagnanus *cap. Non est vobis num.*12. *de Regular.* Nam, & quantum ad oblatos donatio, qua se donant Religioni habet tacitam conditionem, nisi ad Religionem transire voluerint Palud. 4. *d.* 38. *q.* 3. *a.* 2. *num.* 15. D. Anton. *p.*2. *tit.*11. *cap.*2. §.1. Sanchez *l.* 4. *c.* 19. *num.* 31. & 34. Fagnan. *d. cap. Non est vobis num.* 18. Imò quod oblatus ea; quæ obtulit, & donauit Ecclesiæ seculari possit ad aliam Ecclesiam, & Monasterium transferre per *cap. ex transmissa* de renunciat. tenuerunt ibi Butr. Imola, & Abb. & Card. Imol Abb. & DD. *in cap. Quod a te, de Cler. Coniug.* Couar. *in cap.* 1. *num.* 9. *de testam.* Fagnan. citatus *num.*20. Nec obstat *d. cap. liberti*, quia loquitur de liberto ipsius Ecclesiæ, in quo habet ius patronatus, & à diuersis non fit illatio. Et Gloss. illa citata *in cap. Vt lex continentiæ* loquitur de mente aliorum. Sic ergo patet, quod resolutio *cap. licet* vniuersalis est ad omnes Religiosos, sicut & conclusio D.T. quo supposito. Multa alia circa huiusmodi resolutionem consideranda sunt.

Qualis licentia sit necessaria ad hoc; vt Religiosus vnius ordinis transeat ad alium, & à quo sit petenda.

50. DIstinguendo autem multiplices quæstiones, quæ circa huiusmodi licẽtiam tractari solent. Primò quæritur an ad hoc, vt Religiosus transeat ad ordinem manifestè arctiorem sit necessaria licentia ordinis seu sui superioris, cum verò Rodriquez *to.*3. *q.*52. *a.*3. quosdam referat asserere in conscientia necessariam esse licentiam Superioris petitam, & obtentam, licet hoc non sit necessarium in foro fori, meritò hanc sententiam reijciunt idem Rodriquez, & communiter DD. *ad cap. licet, de Regular.* vbi Gloss. *in v. licentiam*, Hostien. *num.*9. Innoc. *n.*1. Io: Andr. *num.*4. Fagnan. *num.* 11. & 36. & alij communiter, & ad idem facit *cap. Mandamus.* iuncta Gloss. *in v. Monachus, & cap. statuimus* 19. *q.*2. *& cap. Non est nobis, & cap. Sanè, & cap. significatum de Regular.* Gloss. *in cap. Cum singula v. Canonicè, de Præbend.* Panorm. *cons.*95. *in prin. l.*1. Palud. 4. *d.* 38. *q.*2. & *q.*3. *a.*1. *num.* 11. Syluest. *v. Religio* 4. *q.*1. D. Anton. 3. *p. tit.*16 *c.*4. §.4. Nauar. *com.*4. *de Regular. num.*2. & 3. Suarez *tom.*4. *de Relig. tr.*8. *l.*3. *c.*10. *num.* 12. Sanchez *l.* 6. *mor. c.*7. *num.* 32. Quia; imò Innocentius 3. in *d. cap. licet*,

licet, loquitur in foro conscientiæ, cum loquatur de eo, qui ex priuata lege absolutus liberè potest intuitu perfectionis ad arctiorem Religionem transire. Nec lex Innocentij fundatur in præsumptionibus, sed in natura rei, & æquitate. Caramuel etiam in Reg. S. Bened. *disp*.45. *num*.536. Existimat, quod religio arctior ad quam Religiosus potest transire licentia petita, & non obtenta sit non illa, quæ est sanctior absolutè, sed quæ est sanctior respectiuè, nimirum illa, quæ iudicio prudentum est apta reddere sanctiorem ipsum Religiosum. Verum licet vnusquisque non debeat, si prudenter vult agere, eligere religionem, cui ipse non sit aptus, vt ad perfectionem tendat, & perueniat, & sic verum etiam sit, quod consultus ab aliquo de ingressu, aut mutatione Religionis debeat suadere illam Religionem, in qua pensatis circumstantijs, & conditionibus personæ, ipse qui vult ingredi, aut mutare potest magis proficere. Tamen per se loquendo Religio perfectior est etiam apta reddere sanctiorem ingredientem, & in hoc male Caramuel distinguit inter Religionem secundùm se perfectiorem, & Religionem aptam ad reddendū ingredientē sanctiorem. Nam quod aliquis in arctiori non sit futurus magis sanctior, non est ex parte Religionis, sed ex parte personæ, & ideò non est Religio, quæ non sit apta perfectioni, sed est persona, quæ non est apta illi Religioni, & vt in ea fiat sanctior, Cum ergo quærimus de Religione ad quam liceat transire petita licentia, & non obtenta, est sermo de religione secundum se arctiori. Non quia ad eam transire sit licitum ei, qui non est aptus ad illam, quia neque hic transitus permittitur, nisi ex intentione maioris sanctitatis acquirendæ, seu tendendi meliùs in perfectionem. Sed quia vbi religio secundum se non est arctior necessaria est omninò licentia obtenta, quia vt ipse Caramuel habet *num*.533. Ad hoc requiritur iudicium prudentum, vt, qui vult transire, videat an transitus sit sibi futurus vtilis; vbi verò religio non est arctior ad iudicandum an respectu personæ religio possit esse sanctior, necessarium est superioris iudicium, vt expresse decernitur *in d. cap. licet*, ibi, *Si verò probabiliter dubitetur vtrum, quis velit ad ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, aut ex temeritate transire Superioris est iudicium requirendum*, quod & docet D. T. in corpore, & DD. omnes communiter. Per se enim religio laxior non est apta ita ad reddendum sanctiorem religiosum, sicut religio arctior. Quod verò in singulari per accidens id contingere possit, Superioris est iudicium, aliter cuicumque pateret transitus ad laxiorem, quis quicumque diceret eam in indiuiduo esse sibi meliorem. Sed præsumptio est in contrarium, & Superioris est iudicare, quid in rei veritate sit, & an verè religiosus sit magis aptus, vt in laxiori magis proficiat. Itaque igitur communis DD. sensus est, quod religio ad quam religiosus potest transire, licentia non obtenta, est illa, quæ secundum se est perfectior, seu vt alij dicunt asperior, & durior.

51. Alio igitur modo resoluitur quæstio distinguendo necessitatem procurandi hanc licentiam, vel ex lege naturali, vel ex lege positiua. Nam præscindendo à lege positiua, & stando in iure connaturali professionis religiosæ, dicitur cum D. T. religiosum volentem transire de religione imperfectiori ad perfectionem teneri petere licentiam sui superioris, quam si superior neget, tunc religiosum posse etiam superiore inuito ad arctiorem religionem discedere prout satis supra probatum est.

52. Sed de iure positiuo loquendo, hoc fuit varium pro temporum diuersitate, vndè non potest quæsito vnica conclusione responderi. Antiquitus enim nullum fuit ius huiusmodi transitum prohibens, vel saltem huius iuris vestigium non habemus, sed legimus in Cassiano l.4. *de instit. renunciantium cap.* 30. quod Abbas Paphnurius causa vitandi honorem clam fugiens de Cœnobio secessit solus in Thebaidis vltimas partes, ibique deposito habitu Monachorum assumpta seculari veste Cœnobium Tabenensitarum expetijt, quod sciebat cunctis esse districtius, *& cap.* 31. refert eundem reuocatum ad suum Monasterium iterum aufugisse in Palestinam, & in alio Monasterio receptum fuisse. Idem fecisse Macharinus, & à Sancto Pachomio ignoranter fuisse receptum tradit Palladius in Lausica historia *cap* 6. Et idem *cap*.21. refert de quadam Sanctimoniali. Sed & D. T. in hoc artic. ex Cas. Collat. 19. c. 3. 5. *&* 6. refert Io: Abbatem à vita solitaria, quam professus fuerat transijsse ad Cœnobiticam minùs arctam, quia vita solitaria cœperat laxiùs obseruari. Ex his enim colligitur antiquitùs non fuisse prohibitum hunc religiosorum transitum de vna ad aliam religionem intuitu maioris perfectionis. Et ex iusta causa id factum fuisse etiam fugiendo occultè, & nulla petita licentia.

53. Primo autem Concilium Eduecense celebratum sub Gregor. 7. sub conditione quadam prohibuit transitum Canonicorum regularium ad Monachos, vt habetur *cap. p.* 19. *q.* 3. *Nullus Abbas*, inquit, *vel Monachus Canonicos regulares a proposito professionis Canonicæ reuocare, & ad monasticum habitum trahendo suscipere audeat*. Vt enim habet Glossa, quia quidam Abbates, & Monachi suggestionibus Canonicos regulares ad Monasteria pertrahebant, ideò Gregor. 7. prohibet, ne Monaci id facerent, relinquens interim libertatem Canonicis regularibus, vt si vellent ad Monachos transirent. Postea verò Vrbanus 2. magis hoc restrinxit. *Mandamus*, inquit, *ibid. si licet cap*.2. 19. *q*.1. *& vniuersaliter interdicimus, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi quod absit, publicè lapsus fuerit, Monachus efficiatur*. Verum per hoc statutum non interdictum fuisse omninò hunc transitū, quin fieri posset de licētia superioris, idem Vrbanus secundus scribens Abbati Sanctæ Rufinæ, vt habetur c.3. 19. q.3. explicauit & voluit huiusmodi transitū fieri posse de licentia Superioris, & Congregationis *Statuimus*, inquit, *ut professionis Canonicæ quispiam, qui in Dei vice supra caput sibi hominem imposuerit, alicuius leuitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat, sine patris, & totius congregationis permissione recedere*. Et hæc fuit lex prima in qua positiuè interdiceretur transitus de claustro ad claustrum, sed de ordine ad ordinem, nisi de licentia, & consensu Patris, & totius Congregationis, scilicet Superioris, & Monasterij, Et sic

iam

iam tempore Vrbani secundi introductum fuit, vt necessaria esset licentia, seu consensus Superioris, & Monasterij ad hoc, vt Canonicus regularis posset fieri Monacus. In huius conformitatem postea Alex. 3. vt habetur *cap. Non est, de regular.* prohibuit ne in Germania Monachi Cistercienses venientes sine suum Abbatum licentia rec perentur. Verum nihilominùs hæc licentia etiam tunc temporis non ita rigorosè requirebatur, quod vbi constaret de recta intentione transeuntis ad arctiorem religionem, si negata fuisset, eundem transitum impediret, quia idem Alexander Tertius *in cap. Sanè de regular.* in casu vnius Canonici regularis professi, qui fugerat à Monasterio, & habitum Monachalem receperat, statuit, *quod si locus vbi, nunc permanet, maioris est religionis, quam Ecclesia Aromaten. existat; ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas*, volens ex hoc, vt transitus ille valeret, vbi constaret, quod Monasterium, ad quod Canonicus ille regularis transierat, esset maioris religionis. Sed hoc postea expressiua explicauit Innocent. Tertius *in cap. licet de regularibus*, ita decernens. *Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulauerit, ex lege priuata (quæ publicæ legi præiudicat) absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante propterea indiscreti contradictione Prælati.* Ex hac ergo Innocentij determinatione habitum fuit, vt in transitu ad religionem arctiorem esset necessaria licentia petita à proprio Prælato, non verò obtenta. Et ideò hæc fuit antiqua sententia Theologorum, & Canonistarum scilicet ad hoc, vt religiosus transeat de religione minus arcta ad arctiorem esse necessariá licentiam Superioris petitam licet non obtentam. Quam tamen explicauit, & limitauit S. Congreg. Concilij authoritate Vrbani Octaui in decreto de Apostatis, & eiectis §. 2. Sic decernens, *Deinde vt Apostatandi opportunitas regularibus præripiatur statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit: tumque Regularis rectè se transferat ad arctiorem, quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.*

54. Cum verò in transitu hoc de vno ordine ad alium multi abusus introducerentur, ita vt etiam inter mendicantes non deessent, qui sub fucato prætextu melioris vitæ, in rei autem veritate desiderio liberiùs viuendi, & ambitione dignitatum, & Beneficiorum, procurarent transitum ad Ordines Monachales, Martinus quintus in Extrauag. Viam ambitiosæ, de Regularibus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ statuit, quod *Nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus mendicantium huiusmodi in aliquem Monasticum Ordinem (Carthusiense duntaxat excepto) possit aut debeat per quemcumque recipi, vel admitti virtute alicuius licentiæ, vel indulti, absque sedis huiusmodi speciali licentia.* Quamuis verò tunc inter mendicantes non essent Minimi, vel PP. Societatis, & alij, quorum Religiones tunc non existebant, nihilominùs hæc Martini Constitutio ad omnes Ordines mendicantium se extendit, vt de Societate tradit Suarez *tom. 4. de relig.* Anton. à Spiritu Sancto *tr. 3. disp. 6. num. 711.* Vbi tamen aliqua addit, non admittenda. Nam *num. 712.* vult sub ea extrauag. comprehendi etiam Nouitios nondum ad professionem admissos, quod affirmat ex illis verbis textus, *quod siue professionem emiserint, siue non sub dicta pœna teneantur.* Verum hæc clausula habetur in ea parte, in qua tractat de illis, qui eo tempore, cùm edita fuit illa constitutio, iam in aliquo Ordine monastico recepti erant, & quos etiam si professionem nondum admisissent, voluit, vt in monasterio, in quo recepti fuerant starent in eius totali Ordinatione etiam si beneficia Ecclesiastica, vel Rectorias obtinuissent. Cæterum Pontifex minimè prohibet, ne Nouitij in aliquo Ordine mendicantium nondum Professi, non possint transire ad Ordines Monasticos, cum possint etiam ad seculum redire. Addit etiam *num. 713.* sub dicta extrauag. non comprehendi eiectos mendicantium, si sint eiecti in perpetuum, quod & voluit Bonac. *de cens. in part. disp. 2. q. 9.* Nam cum ordo à quo quis ex mendicantibus est eiectus in perpetuum non sit ampliùs eum recepturus, nullum patitur damnum ex eo, quod eiectus recipiatur in aliquo Ordine monastico. Sed de hoc agendum erit infra tractando de eiectis. Subdit *num. 714.* comprehendi solos mendicantes, qui recipiuntur in aliquo Ordine Monastico prætextu alicuius priuilegij. Nam cum in d. extrauag. hic transitus prohibeatur solum si fiat prætextu alicuius licentiæ, non est vndè prohibitio extendatur cum simus in materia pœnali. Verum in d. extrauag. cum prohibeatur hic transitus, si fiat virtute alicuius licentiæ, vel indulti, ad hoc vt locum habeat illa excommunicatio non est necesse, vt fiat virtute alicuius priuilegij, sed sufficit, quod fiat virtute alicuius licentiæ à quocumque inferiori Papæ concessæ. Hoc enim est, quod voluit ibi Pontifex, scilicet quod nullum generale indultum seu priuilegium, & nulla cuiuicumque sibi inferioris licentia specialis valeat ad hoc, vt ex Ordine mendicantium quis transeat ad Ordines Monasticos. Supposito alias hunc transitum, si fiat sine licentia esse illicitum.

55. Sed præterea Pontifices multa alia priuilegia concesserunt per quæ iuri communi derogatur, & prohibetur transitus ab vno ad alium Ordinem, vel sine licentia Prælatorum Ordinis à quo, vel imò sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. In Mari Magno Prædicatorum, seu in Constit. 7. Greg. vndecimi §. 17. quæ fuit confirmata à Sixto 4. in Mari Magno, sic statuitur. *Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro factam ab ipso Ordine sine magistri, vel sui Prioris licentia discedat discedentem verò absque cautione literarum alterius ipsorum prætextu alicuius priuilegij Apostolicæ Sedis nullus audeat retinere &c.* Inde est, quod idem Pontifex ex hac inhibitione supponens iam fratribus huius Ordinis vetitum esse hunc transitum si fiat sine obtenta licentia subdit §. 18. *Si verò aliqui de fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiá à sede prædicta, aut à vobis ad Religionem aliam transeundi infra duos, vel tres menses, se ad illam Religionem suæ saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum regularem licitum sit*

vobis singulis Magistris, & Prioribus, ac vices vestras gerentibus contra ipsos, tanquam contra alios vestri Ordinis Apostatas procedere &c. & ibid. §.30. prohibens ne eiecti ab ordine eodem possint prædicare &c. subdit: *Nisi ad aliū Ordinem in quo licite huiusmodi exerceantur officia, transierint, de nostra, vel Magistri, seu Priorum, vel Vicariorum ipsorum licentia speciali.* Sed & infra concedens Prælatis facultatem dandi suis subditis licentiam, ex iusta causa transeundi ad alios Ordines, addit dicta §.20. *Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad aliam Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere præsumant absque licentia speciali Sedis Apostolicæ faciente de hoc plenariam mentionem.* Vndè plenè constat in virtute huius priuilegij confirmati à Sixto quarto in Mari Magno; Nullum fratrem Ordinis Prædicatorum posse ad alium Ordinem transire sine licentia sui Ordinis, nisi ex speciali licentia Sedis Apostolicę ob obligatione huius licentiæ illum eximentis. Vndè nulli Fratri Ord. Prædicatorum, licet ad alium Ordinem transire sine licentia obtenta, vel à Pontifice, vel à Prælatis sui Ordinis. Quam licentiam, vt habetur in eodem mari magno §. 14. concedere possunt Generalis, Prouinciales, & Priores locales, & eorum Vicarij. Similia verò concessa fuerunt in mari magno Minorum apud Lezanā §.21. & sequent. & Eremitarum S. Aug. §.15. Et Carmelitarū §.74. & 91.

56. Bonifacius etiam nonus in *Constit. Sacra Religionis*, quæ data fuit quinto Calen. Maij anno eius 13. & habetur in Bullar. Ord. Prædicatorum *fol. 92.* transitum inter Ordines Mendicantium prohibuit fieri sine licentia speciali Sedis Apostolicæ. *Et infra er*, inquit, *statuimus, & etiam ordinamus, quod quorumcumque Mendicantium Ordinum Fratres, huiusmodi Prædicatorum Ordinis Fratres, aut Sorores subiectas eisdem in ipsorum; aut Prædicatorum dictorum aliorum Ordinum Fratres, aut Sorores huiusmodi in eorum Confratres, aut Sorores, etiam vigore quarumcumque litterarum Apostolicarum super hoc hactenus forsan concessarum, vel in posterum concedendarum, etiam quod ad parem, vel arctiarem possint transire Ordinem continentium, nisi in ēis de Ordinibus à quibus recedunt, & ad quos transferendi se licentiam obtinuerint, nec non de præsentibus, & eorum toto tenore specialis, & expressa mentio habeatur*, recipere Clemens etiam Octauus in *Constit. quæ incipit Apostolicæ*, die 11. Februar. 1602. concessit Augustinianis Discalceatis, vt non possint transire ad Calceatos sine licentia Sedis Apostolicæ. Apud Tambur. *t.3.d.7.quæst.2.num.5.*

57. Ordo etiam Seruorum, vt habetur in eorum Mari Magno apud Lezanam §.47. habet priuilegium, vt nullus dicti Ordinis Frater possit ad aliquem alium etiam S. Benedicti, vel quorumcumque Mendicantium Ordinem transire sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Et quod nullus Prælatus alterius Religionis eos possit recipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

58. Ordo Minimorum ex priuilegio Iulij II. in *Constit. Sacer ardo*, quæ apud Peyr. est quinta, & data fuit 27. Martij 1508. §.4. habet, vt nullus dicti Ordinis Frater possit sine licentia speciali Sedis Apostolicæ, & Correctoris Generalis possit transire, & recipi in quocumque alio Ordine quantumuis priuilegiato, & tam transeuntes, quam recipientes sunt excommunicati.

59. Simile priuilegium habet Ordo S. Mariæ de Mercede, scilicet vt nullus dictum Ordinem professus possit sine licentia Sedis Apostolicæ ad aliquem alium Ordinem transire ex *Constit.* Calis. III. *super gregem* in bullario inter huius Pontif. *Constit.* 3. §. 2. & fuit data anno 1547. Sed & in hoc Ordine prohibitus est transitus reformatorum ad Calceatos ex *Const. Immucti.* Vrbani Octaui 19. Ianuar. 1628. apud Tambur *t. 3. d. 7. quæst. 2. num. 6.*

60. Ordini Societatis Iesus concessit Paulus Tertius, vt nullus post emissa vota professionis, vel biennij in dicta religione ad quemcumque alium Ordinem (excepto Carthusien.) possit transire sine licentia, vel Præpositi Generalis, vel Sedis Apostolicæ. Itā Paulus Tertius in sua *Constit. licet*, data anno 1549. In Bullar. Societatis, *pag. 28.* quam concessionem magis explicatur, Pius Quartus, & Pius Quintus in *Constit. Æquum*, anno 1565. in Bullar. Societatis *pag. 90.* & eandem confirmauit Greg. 13. in *Constit. Ascendente Domino, quæ in Bullar. Cherub. est* 89. §. 14.

61. S. Congregatio autem Episcoporum, & Regularium pro Ordine Sanctiss. Trinit. Redemptionis Captiuorum ad eiusdem Ordinis postulationem die 15. Martij 1616. prout refert *Barbosa l. 1. de iure Ecclesiast. cap. 42 num. 54.* prohibuit ne aliquis dicti Ordinis Frater possit se transferre ad quemcumque alium etiam Mendicantium Ordinem, nisi petita licentia à superioribus, & causa cognita, & approbata ab eadem S. Congregat. ac inuentis beneuolis receptoribus in ea religione, ad quam progredi cupit. Sed huius Ordinis Discalceatis Congregationis Hispaniæ cum Paulus Quintus die 18. Aug. 1611. inhibuisset, ne ad aliquem alium Ordinem possent transire excepta Carthusia, Vrbanus Octauus in sua *Constit. Commissi* 9. Aug. 1624. quæ habetur in Apend. Bullar. idem confirmans, & magis explicans, volensque vt nulli ex Fratribus dictæ Congregationis liceat transire ad alium quemcumque Ordinem, etiam Mendicantium, etiam quarti voti, addidit vt nec licitus sit transitus ad Carthusianos, nisi obtenta à superioribus suis licentia. Et in alia *Constit. quæ incipit Alias*, data 4. Aprilis 1637. quæ habetur ibid. declarat sub priori Constitutione comprehendi etiam Minimos, & professionem habitam apud Carthusianos sine licentia à superioribus obtenta, & præmissa esse nullam.

62. Capucinis autem primo Pius V. in *Constit. Sedis Apostolicæ.* 6. Octob. 1567. quæ habetur apud Sorbum in Compend. priuilegior. Ordinis Minorum in fine, *pag. mihi.* 546. & apud Peyrinum *tom. 1. priuileg. Constitut. 2.* Pij V. prohibuerat ne sine licentia Sedis Apostolicæ possent se transferre ad Ordinem Minimorum, & è conuerso, nec Minimi ad Capucinos. Et priùs etiam Iulius II. inhibuerat ne Fratres Minores de obseruantia recipi possint à Minimis sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, prout habetur in *Constitut. Expani nobis.* die 9. Iulij 1510. apud Bullar. Rodriquez inter Bullas Iulij, vndecima. Sed pro

Capucinis nouam Constitutionem edidit Vrbanus VIII. anno 1628. Et in Bullar. est 91. in qua decreuit, vt Capucinorum nullus sine licentia Sedis Apostolicæ possit ad laxiorem ordinem facere transitum, ad Carthus. autem, aut ad quemcumque alium Ordinem, seu Congregationem sine Generalis licentia in scriptis obtinenda. Eisdem quoque Capucinis ne possent recipere Minores de obseruantia sine licentia Sedis Apostolicæ, inhibuit primo Paulus III. deinde Iulius II. postea Sixtus V. vt videre est apud Sorbum in *verb. Recipere vers. Pariter sic aduertendum*, & Tambur. *tom. 3. disp. 7. q. 2. num. 11.*

63. Pro Carmelitis verò Discalceatis plura statuta fuere à Clemente VIII. & Paulo V. qui in *Constitut. Alias* data 16 Martij 1616. & habetur in Bullario dicti Ordinis, primo refert se alias decreuisse, nimirùm per literas datas 3. Aprilis 1610. ne aliquis huius Ordinis Frater, *absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentia de infrascriptis nostris literis earumque data expressam, indiuiduam, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitima, & vrgenti causa priùs à Venerabilibus Fratribus nostris S. Rom. Eccl. Cardinalibus super regularium reformatione, & visitatione deputatis diligenter examinata, & approbata ad alium quemcumque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium Monachalium, seu Discalceatorum, aut quarumcumque Religionum erectarum, vel erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seu perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris regulæ, aut obseruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iusta, & probabili, aut legitima causa sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, & excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto per contrauenientes incurrenda se transferre auderet, seu præsumeret, excepto dumtaxat Ordine Carthusianorum, quatenus ad illum transeundi licentiam petijsset, & obtinuisset.* Deinde quia Sixtus V. concesserat Eremitis Camaldulensibus, vt venientes ex quocumque Ordine Religiosos ad Eremum recipere possent, cum dubitaretur, an sub præfatis literis Apostolicis die 3. Aprilis 1610. datis comprehenderentur Camaldulenses, subdit. *Prædictum Camaldulensem Ordinem comprehensum fuisse, & esse, ac comprehendi Apostolica authoritate prædicta tenore præsentium decernimus, & declaramus.*

64. Monachis etiam similia priuilegia concessa fuerunt, per quæ illis interdictus fuit transitus ad quēcumque alium Ordinem, vel aliquando excepto, vel non excepto Ordine Carthusianorum, nimirum Cassinensibus sine licentia Capituli Generalis, vel Præsidentis, & maioris partis Visitatorum. Eugen. IV. in Const. Etsi ex debito 23. Febr. 1534. quæ in Cassinens. Bullario est 59. Vel eisdem etiam ad Camaldulensem Ordinem sine licentia superiorum. Leo X. in *Constit. licet*, 27. Martij 1517. quæ in eodem Bullario est 127. Ex Congregat. S. Benedicti in Hispania non datur transitus etiam ad Carthusianos sine licentia, vel Papæ, vel Generalis, vel Monasterij cum Abbate, & concess. Eug. IV. apud Tambur. *tom. 3. d. 7. quæst. 2. n. 2.* Cœlestinis ad quemcumque Ordinem sine Abbatis sui licentia. Benedictus XI. in *Constit. Religiosam vitam*. 14. Martij 1304. in Bullario Romano. Secundo Cistercienfibus ad quemcumq; Ordinem excepta Carthusia. Martinus V. apud Tambur. *tom. 3. q. 2. nu. 3. de iure Abb.* & Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. cap. 42. num. 56.* Hieronymianis ad alium quemcumque Ordinem etiam strictiorem, etiam Carthusianum sine licentia Generalis obtenta. Martinus Quintus apud Sorbum in *Compend. priuilegior. v. Apostata. in fine*. Vbi quod Greg. XIII. anno 1579. hęc iterū cōfirmauit, & concessit.

65. Clericis etiam S. Pauli decolati hic transitus interdictus fuit ad quemcumque Ordinem, etiam Minorum, etiam Mendicantium, aut Cisterciensium, &c. sine Præpositi Generalis licentia desuper obtenta. Greg. XIII. in *Constit. in specula.* anno 1575. quæ est 48. in Bullario. Clericis Somaschæ ad quemcumque Ordinem etiam obseruantiorem, exceptis Ordinibus Capucinorum, & Carthusianorum sine licentia Generalis obtenta. Sixtus V. in *Constit. Æquum.* anno 1585. quæ est 4. in Bullario. Clericis verò Congregationis Ministrantium Infirmis, ad quemcumque Ordinem etiam Carthusianorum sine licentia Sedis Apostolicæ. Paulus V. in *Constit.* 20. data 16. Maij 1606.

66. Cum ergo circa transitum hunc de vno Ordine ad alium aliud sit statutum de iure communi, & aliud de iure priuilegiorum. Videndum est prius, quæ licentia sit de iure communi necessaria, & sufficiens, & postea de iure priuilegiorum.

67. De iure igitur communi statuto per Innoc. III. in *cap. licet de Regul.* transitus ad arctiorem Religionem haberi potest sine licentia obtenta, licet sit necesse hanc licentiam petere. Sed Nicolius *ad lib. 3. tit. 31. de Regularibus num. 2.* ait, quod facultas transeundi ad arctiorem Religionem petita licentia, sed non obtenta, videtur reuocata. Nam Sixtus V. in *Const.* 74. in qua plures instituit Congregat. dat facultatem S. Congregationi Regularium dandi licentiam Regularibus transeundi tantum ad arctiorē religionem; hæc verò facultas superflua esset, & frustatoria, nisi adesset prohibitio. Imò Pontifex de hac prohibitione non obscurum facit mentionem, in illis verbis non obstantibus Prædecessorum nostrorum decretis. Verùm hæc non probant. Nam nouæ Congregationi non competebat hæc facultas, nisi fuisset data, non quia hic transitus esset prohibitus, sed quia Cardinales non fuissent superiores legitimi ad concedendam huiusmodi licentiam, nisi hæc facultas fuisset illis concessa. Præterquam quod ex decretis prædecessorum Sixti V. multæ Religiones erant in quibus erat prohibitum transire ad arctiorem, etiam sine licentia Papæ, vt constat ex priuilegijs supra relatis, Sixtus verò non obstantibus illis prædecessorum decretis hanc facultatem delegauit illi Sacræ Congregationi. In reliquis verò nihil disposuit contra ius antiquum.

68. Quis verò teneatur hanc licentiam petere, si interrogetur. Respondetur, quod Nouitius non professus, liberè sine alia licentia exire potest, & vel ad seculum, vel ad quamcumque religionem transire. Sed ex professis, quod Prælati exempti non possint Prælationem dimittere, &

ad Religionem transire sine licentia Sedis Apostolicæ obtenta docuit ad *d. cap. licet. n.* 41. Reuerendiss. Fagnanus post Hostien. *in cap. Illud, de Cler. excom.* & Archid. *ad cap. si Abbatem de elect. in* 6. vbi referunt sic per Clem. IV. fuisse determinatum. Sed hoc debet intelligi de Prælatis itá exemptis, qnod non habeant in Religione superiorem immediatum, quales sunt Generales, vel si Religiosus aliquis sit assumptus ad aliquam Prælaturam extra Ordinem. Nam alias Prælati Conuentuales, vel Prouinciales, quantum sit de iure communi, sufficit, quod á suo superiori intra eundem Ordinem iuxta cuiuscumque Ordinis leges hanc licentiam petant. Io. Andr. *in cap. cum non siat. num.* 11. & 12. *de reg. iur. in* 6. Fagnan. *num.* 42. *vbi supra* Syluest. *v. Relig.* 4. *q.* 3. Putat veró Tambur. *t.* 3. *dec. q.* 8. *num.* 23. quod Prælatus exemptus possit ad arctiorem transire petita licentia, Papa non respondente, sed non negante. Sed hoc non subsistit. Quia nec constat, nec præsumi debet, quod Papa taceat sine causa iusta. Addit etiam, quod si transitus esset in preiudicium Abbatis transeuntis, licet tunc valeret, posset per Papam reuocari.

69. Nam hunc superiorem, á quo petenda est huiusmodi licentia, esse superiorem immediatum de iure communi, sed tamen in hoc standum esse statutis, aut consuetudini cuiuscumque Ordinis tradiderunt Feder. de Senis *cons.* 145. *nu.* 6. Lap. *alleg.* 61. *alias* 62. *num.* 3. Io. Andr. *in cap.* 2. *num.* 8. *de testamen. in* 6. & de Abbate, exemplificat Innoc. ad *d. cap. licet, num.* 5. Hostien. *num.* 15. Fagnan. *num.* 36. Vbi *num.* 37. quod non est necesse hanc licentiam petere a Conuentu, sed satis esse eam petere a Prælato. Archid. *in cap. statuimus. num.* 2. 19. *quæst.* 3. Bellam. ibid. Io. Monach. *in cap. Cum singula. num.* 4. *de Preben. in* 9. Vbi Francus 8. *Prohibemus. num.* 3. Butr. *in cap. Non est vobis. num. vlt. de Regul. vbi* Panorm. *num.* 6. Nam textus *in cap. licet simpliciter loquitur de Prælato*. Et ad idem facit textus *in cap. si Religiosus, de elect. in* 6. Putat veró Palaua *tract.* 16. *d.* 4. *p.* 26. §. 3. *num.* 6. qúod si statutum reseruans facultatem dandi hanc licentiam Prouinciali, vel Generali non sit Pontificium, sed Regulare, quod licentia data á superiore immediato sit valida, eo quia non possit Religio limitare licentiam concessam superioribus localibus *in cap. licet, de Regul.* Sed in eo capite, nihil determinate conceditur superioribus immediatis, sed relinquitur cuilibet Ordini determinatio illius superioris, cui competat dare hanc licentiam, & ideo superior immediatus prohibitus per statuta sui Ordinis non potest eam concedere Suarez *d. cap.* 10. *num.* 30.

70. Quamuis veró ex iure communi *cap. licet de regularibus*, in transitu ad arctiorem religionem non sit necessaria licentia proprij Ordinis obtenta, vt claré constat ex illo textu, & docet D. T. vniuersaliter á reliquis DD. approbatus. Est tamen necessariá licentia petita. Et licet Abbas antiquus, & Petrus, vt refert alter Abbas in *dicto cap. licet*, censeat hanc licentiam solum ex honestate requiri, tamen quod de necessitate debeat præmitti docent Abb. ibi. *num.* 10. Card. *num.* 1. Nauar. *l.* 3. *cons.* 52. *de regularib.* Sanchez *l.* 6. Mor. *c.* 7. *num.* 33. Tambur. *disp.* 7. *q.* 2. *nu.* 3. & *quæst.* 3. *num.* 6. Suarez *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 3. *cap.* 10. *num.* 17. Barbosa *l.* 1. *Iuris Eccles. c.* 42. *num.* 65. Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 26. §. 2. *num.* 1. Quod nedum constat ex decreto dicti *cap. licet*, vbi habetur, quod subditus cum humilitate, *debet transeundi licentiam postulare*, sed stante iure nouo Vrbani Octaui in decreto de Apostatis, & Eiectis supra relato, est certiús, quia ex vi illius nedum licentia debet peti, sed superiores prohibentur permittere transitum, nisi prius illis constet, religionem arctiorem esse paratam recipere illum, qui ad illam transitum petit. Et itá ad executionem huius transitus requiritur, quod superiori ordinis deserendi constet, quod religio arctior sit parata recipere illum, qui vult transire, & quod hic transitus non permittatur, nisi id constiterit. Hoc tamen aduertendum, quod hic non est necessitas iustitiæ, vbi constat de maiori arctitudine Religionis ad quam Religiosus transit, & Religiosus ex zelo deuotionis veré transit, sed est necessitas religiosæ humilitatis, vt ex citatis verbis *cap. licet* colligitur, & docet D. T. *in corp. artic.* Et ideó vbi licentia non petitur præsumi possit transitum non esse ex zelo maioris perfectionis, quia si Religiosus ex zelo sanctioris vitæ duceretur, & vt Christo ardentiús famularetur, & libentiús, eius humilitatem, & obedientiam imitaretur, & veniam á superiore postularet, vt deducitur ex illis verbis *d. cap. licet*, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, & aduerterunt ibi Panorm. *num.* 10. Zab. *num.* 11. Boieb. *num.* 8. *Rota. p.* 4. 1. 2. *dec.* 365. *num.* 49. *in Recent.* Vbi *num.* 55. habet quod in dubio leuitas transeuntis præsumitur, sed tamen præsumptio debet cedere veritati.

71. Colligitur quoque non sufficere, quod huiusmodi licentia postuletur post transitum, vt docent Ab. *dicto cap. licet num.* 11. Fagnan. *nu.* 44. Roscl. *v. religio* 4. *num.* 4. Ang. *v. religiosus num.* 35. Azor. *l.* 12. *c.* 14. *quæst.* 6. Suarez loco citato *num.* 26. Sanchez *num.* 34. á S. Fausto *l.* 5. *quæst.* 338. Barbosa *l.* 1. *Iuris Eccles. c.* 42. *nu.* 66. Tambur *t.* 3. *disp.* 7. *q.* 8. *num* 10. Quod verum est nedum ex illa communi regula, quod vbi lex petit licentiam ad aliquem actum illa debet præmitti á principio, sed ex decreto Vrbani Octaui de Apostatis, ex quo itá debet præmitti licentia ista, vt nec possit concedi, nisi constito de parato ingressu, itá vt superior habeat ius impediendi transitum, nisi sibi constet ingressum in aliam religionem esse paratum, vnde transire non petita priús licentia est Legi Pontificiæ iniuriosum. Ex sic qui tráisre vult debet suo superiori priús reddere causam sui transitus, iuxta Innocent. *in d. cap. licet*, vbi idem tradunt, Hostien. *num.* 8. Io. Andr. *num.* 6. Card. *num.* 3. *in* 6. *quæst* Fagnan. *num.* 46. Et si illam non reddat, illam debet superior inquirere, vt dicunt ibid. Innoc. *num.* 2. Hostien. *num.* 15. Io. Andr. *num.* 6. Card. *in* 7. *quæst.* Fag. *d. num.* 46.

72. Colligitur præterea, quid dicendum illi quæstioni, an hæc licentia petita ex vi iuris communis, & præscindendo á priuilegijs sit necessaria de forma, itá vt ingressus in aliam religionem arctiorem sit inualidus. Nam religiosum sine

petita licentia sui superioris transeuntem ad religionem arctiorem peccare quidem sed validè transire tenuerunt Glossa *in cap. Sanè*, & *in cap. licet in v. licentia*, & ibi Innoc. in fine *de regular.* Abbas antiquus, Gofredus, & Ancharanus, quos refert Panormit. & sequitur Syluest. *v. religio* 4. *num.* 1. citans Archidiac. Veruetinum, & supplementum, Tabien, *v. religio num.* 24. Item Turrec. *in cap.* Nullus, 19. *quæst.* 3. Richardus 4. *d.* 38. *a.* 8. *quæst.* 1. Palud. *d.* 39. *q.* 4. *n.* 4. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2. §. 9. Suarez *dicto l.* 3. *c.* 10. *n.* 31. Lezana 1. 1. *c.* 22. *num.* 7. & *v. Transeuntes regulares num.* 4. & apud eum Sanctarellus de Apostasia *cap.* 8. *num.* 6. Bonacin. de clausura *quæst.* 1. *par.* 9. §. 3. *diff.* 1. *num.* 7. Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 26. §. 4. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 101. Tambur. de iure Abb. *t.* 3. *disp.* 7. *q.* 1. *num.* 6. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 732. Barbat. *consil.* 9. *num.* 8. Tapia in Authen. ingressi *cap.* 9. *num.* 31. fundantur verò, quia receptio, & professio facta in religione arctiori non petita licentia religionis minus arctæ, non est irrita ex sua natura, sed neque ex iure Canonico, quia nullibi habetur simile decretum irritans, nec Innoc. III. *in cap. licet*, præcepit præmitti hanc licentiam tamquam necessariam pro forma, sed solum ne religiosus videatur contemnere superioris obedientiam. Tum quia reuocare talem religiosum esset frustra, cum statim posset redire etiam inuito superiore.

73. Verùm hanc petitam licentiam esse necessariam de forma, & ita vt receptio in religionem arctiorem factam sine illa sit nulla tenet Panorm. *in d. cap. licet. num.* 10. & *l.* 1. *Consil.* 91. & talem sic recedentem esse Apostatam tenent Innoc. *cap. final. num.* 2. *de renunc.* Et ibi Host. *num.* 39. & 34. Io. Andr. *num.* 7. Antonius *num.* 14. Card *num.* 2. *q.* 3. Monach. *cap. cum singula n.* 5. *de præb. in* 6. Et ibi Anchar. *num.* 2. Socin. *consil.* 222. *num.* 3. *vol.* 2. Greg. Lopez *l.* 9. *tit.* 7. *p.* 1. Rebuf. *prax. benef. tit. de translat. Monachi* 52. *n.* 8. Rodriq. *l.* 3. *quæst. a.* 19. Sanchez *l.* 6. *c.* 7. *num.* 38. Hunc verò tamquam indebitè translatum posse reuocari ad primum monasterium tenent Reuerendiss. Fagnanus *add. cap. licet num.* 57. Vbi quod hoc seruatur in practica. Et ad *cap. Non est vobis num.* 35. *de Regul.* & *cap. Sanè num.* 11. *eod. tit.* Azor. *l.* 12. *c.* 84. *quæst.* 6. Less. *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 13. *nu.* 101. à S. Fausto *l.* 5. *quæst.* 341. Barbosa *de iure Eccles. l.* 1. *c.* 42. *num.* 65. Sanchez ibid. *num.* 95. plures alios referens item. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. §. 1. *in fine.* Nauar. *l.* 3. *cons.* 52. *nu.* 2. Quia primo ex dicto *cap. licet.* ad hoc, vt Religiosus non sit reuocandus necesse est, vt constet de bono animo transeuntis, tunc enim dicitur eum non reuocandum, quando constat de bono eius animo, sed hic bonus animus minimè præsumitur, sed leuitas, & temeritas, quando Religiosus non petita licentia discedit à propria religione, vt supra *num. probatum est*. In foro externo igitur receptio talis religiosi inualida est, & ad instantiam superioris religionis iustè præsumentis in subdito leuitatem, & temeritatem debet reuocari. Quod quidem & à contrario sensu probatur. Nam intantum religiosus potest inuito Prælato suo transire ad religionem arctiorem, quando superior proteruè negat licentiam, vt constat ex *dicto cap. licet vers. Talis ergo*; igitur donec licentia sibi sic proteruè negata, non potest recedere, & ad aliam religionem transire. Tertio quia licet stando in iure antiquo esset hic punctus disputabilis, iam ex nouo iure Vrbani Octaui in dicto decreto de Apostatis pro forma huius transitus statuitur, vt nedum præcedat petitio licentiæ, sed consensus Prælati. Non enim solum ponitur necessaria petitio licentiæ, sed consensus, & permissio superioris non dandus, seu nuliter dandus, nisi præcedat examen, & informatio per quam constet dicto superiori religionem arctiorem esse paratam ad receptionem petentis, vt recta via se transferat, & quod facere tenetur religiosus, & quod fieri procurare debet eius superior. Vbi ergo religiosus transeat sine licentia, transit non constito superiori id, sine quo non transitus permitti non potest, & ideò transit nulliter, & de facto, & sine iure, & reuocari debet.

74. Verùm cum dubium, quod modo tractatur sit, an professio in Religione arctiore sit nulla ex eo, quod Religiosus ad eam transiuit sine licentia, supponere debemus eam Religionem verè esse arctiorem, & Religiosum ad eam transijsse ex zelo maioris perfectionis; quia alias transitus ad æquè, vel minùs arctam sine licentia, est ipso iure nullus, sicut & nullus est si substantialiter non fiat ex zelo maioris perfectionis, seu eo fine ex quo liceat hic transitus. Quatenus igitur transitus ad arctiorem Religionem nó sit aliundè nullus, dicitur quod ex defectu licentiæ non petitæ non est nullus. Ducor nedum, quia huiusmodi professio neque est ex natura rei secundum substantiam iniusta, & nulla, neque datur lex illam irritans; & non sufficit dicere quod sit iniuria quantum ad modum, quia facta est cum iniuria Prælati, à quo non est petita licentia, quia hæc modalis iniustitia non sufficit ad irritandam substantiam, nullam continentem iniustitiam. Et prætereà neque verùm est, quod licentia petenda sit ex iustitia quia vbi non sumus in dubio transitus ad arctiorem ex zelo deuotionis, licentia non ex iustitia, sed ex humilitate est petenda, vt habet D. T. in *corp. Rota p.* 4. *t.* 2. *Rec. dec.* 365. *nu.* 39. & 44. Tum quia Alex. Tertius *in cap. Sanè de Regular.* Canonicum Regularem, qui fugerat, & in alio monasterio receptus fuerat permisit remanere in monasterio, ad quod transierat, si illud erat perfectioris Religionis. Nec iuuat dicere cum Panorm. quod Pontifex in eo casu dispensauit. Nam & textus supponit, quod ille Canonicus in eo monasterio cum bona conscientia antea permaneret; nec iubet, quod iterum profiteatur, quod tamen fieri debuisset, si prior professio irrita fuisset. Et alias dispositio illius capitis non haberet vim legis perpetuæ, & seruandæ, si solam contineret dispensationem pro illo casu. Nec verbum permitto semper significat dispensationem, sed importat sæpè rem non alterare, nec immutare, & Pontifex voluit, quod tunc si monasterium erat arctiùs, res in eodem statu relinqueretur. Quod verò dicitur de praxi, verùm est, quia de facto modo, vt videbimus infra ex priuilegijs transitus sine licentia sæpè est nullus; sicuti est transitus contra extrauag. Viam ambitiosæ. Nec est verùm, quod modo ex vi decreti

Vrba-

Vrbani 8. propriè sit necessaria licentia Prælati obtenta ad transeundum ad arctiorem. Sed Prælato datur ius non permittendi transitum Religiosi, nisi constito quod arctior Religio sit parata illum recipere, quod non est Ius dandi licentiam ad transeundum, sed impediendi illius executionem pro interim, donec &c. Et in omni casu violatio huius iuris non reddit substantiam transitus iniustam, sed solum quantum ad modum.

75. An verò supposito, quod professio facta in arctiori Religione sine licentia petita nihilominus illa sit reuocanda per beneficium restitutionis in integrum eam esse reuocandum, seu posse reuocari existimat Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Sané num.11. & ad cap. Non est vobis num. 35. & ad cap. licet num 52. & sequent.* Quamuis ex æquitate Sedes Apostolica cum eo misericorditer dispenset, vt in secundò strictiori possit remanere. Sed supposito, vt probatum est, quod professio Religiosi in Religione arctiori, etiam non petita licentia sit valida, respondetur, quod Religiosus transiens sine licentia petita ad arctiorem puniendus est, & molestandus; sed non habet hic locum restitutio in integrum. Tum quia professio Religiosa, non est nulla, sed valida, & in hoc assimilatur Matrimonio, quod est de sui natura perpetua, & non irritabilis. Tum quia Religiosus etiam inuito Prælato sui Ordinis potest transire ad arctiorem, vndè, & inutilis esset reuocatio, & iniusta ex solo licentiæ non petitæ defectu rescindendo votum Deo factum, & donationem alteri Religioni validè factam, & voto confirmatam. Defectus enim consistens in modo transitus non meretur irritationem professionis initæ. Et ideò, quod huiusmodi Religiosus non sit restituendus est de mente Glossæ in v. postulauerit, *cap. licet, de Regular.* & Gofred. ibid.

76. In dubio verò, an professio in arctiori sit valida, vel nulla, an possit reuocari Religiosus, qui ad illam transiuit sine licentia. Respondetur, & dicitur primò, quod ex multiplici capite oriri potest hoc dubium, vel scilicet, quia sit dubium an Religio illa sit arctior; vel si sit dubium an Religiosus ad illam ex zelo melioris vitæ transierit. Nam quod transeuntis professio in secunda Religione sit nulla etiam si Religiosus ad verè arctiorem petita licentia, & seruato aliàs ordine iuris transierit, si tamen ex leuitate, aut temeritate transiuit, ex Innoc. *ad d. cap. licet nu. 4.* & Host. *num. 56.* tradit Reuerendiss. Fagnanus *num. 53.* In hoc tamen est aduertendum, quod si circumstantia mali finis sit extrinseca, quia alias verè Religio est arctior, & constat Religiosum professum fuisse cum animo vero se obligandi, & viuendi secundum regulam strictioris, malus animus accidentaliter afficiens actum non inualidat professionem, vndè vbi constet de rectitudine finis intrinseci, & substantiali valore professionis non sumus in casu, in quo sit dubium an emissa professio sit, vel non sit valida. Quia valida censenda est. An verò hoc dubio existente Religiosus sit reuocandus, Palaus *tr. 16. disp. 4. pun. 26. §. 4. num. 3. post.* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. c. 10. num. 27.* Tambur. *t. 3. disp. 7. q. 1. num. 9.* Sentit Religiosum reuocari posse, quia transitus nullus est, quousque Superior licentiam concedat, vel per superiorem causa hæc decernatur, si tamen qui transijt nondum sit professus. Suarez tamen apud Palaum putat non esse reuocandum, quia reuocatio sit inutilis, quia reuocatus petita licentia, & non obtenta ingredi potest. Sed Palaus putat tunc solum non esse reuocandum, quando constet eum transisse ad arctionem ex zelo maioris perfectionis. Nam in dubio de hoc reuocatio potest esse vtilis, quia potest esse, quod reuocatus interim animum mutet. Verũ dicendum est, quod in, dubio non potest, qui transiuit hoc reuocari, nisi lite terminata, & constito per sententiam iudicis professionem fuisse nullam, vel nullum ingressum. Nam tempore litis, & discussionis Religiosus debet manere in Religione ad quam transiuit, cum ipsa sit in possessione illius, *arg. cap. ex literis, de probat. & l. Ordinaria ff. de liber. com. Innocent. num. 7.* Panorm. *ad cap. licet n. fin. de Regularibus* Io: And. *num. 11.* Hostien. *num. 16.* Butr. *num. 10.* Anchar. *num. 13.* Rota in Bononien. professionis coram Merlino, quæ est *dec. 365. num. 19. parte 4. tom. 1.* Recent. Reuerendiss. Fagnanus *ad cap. Non est vobis num. 33. de Regul.* Quia secundum Monasterium est in quasi possessione Religiosi, & rei partes sustinet, & ideò pendente iudicio super validitate transitus hæc quasi possessio est manutenenda, *ad §. retinenda Instit. de interdict. cum vulgar.* Videtur verò, quod Rota *citata num. 28. & 30.* duplicem ponat limitationem. Prima quando primum Monasterium statim instat pro purgatione spolij: Secunda quando Religiosus in secundo Monasterio nondum est professus, vt tunc manutentio debeat dari priori Monasterio. Sed hoc Rota non approbat, sed solum asserit, quod doctrina Zabarellæ, & Sanchez tenentium manutentionem deberi priori Monasterio non applicatur casui de quo ipsa disputabat & qui casus erat Religiosi, qui in secunda Religione solemnem emiserat professionem, & in ea vixerat per sex annos, & posteà ad priorem Religionem redierat. Prima tamen limitatio verà est, & est conformis doctrinæ eiusdem Rotæ in illa decis. Sed considerandum est, quod vel transitus est ipso iure nullus, & nullitas constat, vt quia trasitus est ad laxiorem nulla obtenta licentia, vel Religiosus, qui transijt est illius Religionis, in qua ex speciali constitut. Apostolica transitus ad aliam Religionem etiam arctiorem, cum decreto irritante, est prohibitus haberi sine obtenta licentia, & constat licentiam non haberi. Et in his casibus lis etiam in petitorio citò finitur, & qui transijt, velit nolit, instante priori Religione reuocatur. Si etiam adsit licentia prioris Religionis, vel expressa, vel tacita non habet locũ spoliũ, quia transitus non fuit factus priore Religione inuita. Si etiam transitus sit ad arctiorem manifestè, ex eo quod sit habitus licentia non petita, nec est nullus, nec est iniustus, quia obligatio petendi licentiam non est ex iustitia, sed ex Religiosa humilitate, vt habet D. T. in corp. Et ideò in hac parte non habet locum spolium, quia non est spolium, vbi non est iniustitia. Nihilominus vbi non sit certum, quod religio ad quam fit transitus sit arctior, & transeat Religiosus sine licentia, tunc intrat

spo-

ſpolium, quia prior Religio ſpoliatur inuita ſubdito ſuo. Nec obſtat, quod non ſit certum religionem, ad quam Religioſus tranſiuit eſſe laxiorem, quia imò ex quo non eſt certum, quod Religio illa ſit arctior eſt certum ius prioris Religionis, vt ea inuita ſubditus ſuus ad illam non tranſeat, quia in dubio potior eſt pars poſſidentis, & ideò potior eſt pars Religionis habentis quaſi poſſeſſionem ſui ſubditi, vt ſine eius conſenſu ad Religionem in dubio arctiorem non tranſeat. Quod ſi id fiat, ſpoliatur Religio illa ſubdito ſuo, quæ habet ius, vt ſtatim cognito receſſu inſtet pro purgatione ſpolij, & reuocet ad ſe ſubditum ſuum; vndè in hoc caſu datur illi manutentio. Secunda tamen limitatio non admittitur; nimirum, vt debeatur priori Religioni manutentio ſi Religioſus nondum emiſit profeſſionem in poſteriori Religione. Hæc inquam limitatio non admittitur, quia poſterior Religio habet ius tenendi in probatione profeſſos alterius Religionis, qui legitime ad illam tranſierint; Vbi ergo aliquis Religioſus, eſt in nouitiatu poſterioris, ipſa poſterior Religio, quaſi poſſidet, & ideò in dubio eſt manutenenda in quaſi poſſeſſione, quam habet. Tertia tamen limitatio datur in caſu, quem diſputauit Rota in illa *deciſ.* 365. Nimirum ſi loquamur de receſſu à poſteriore ad priorem religionem poſt ſolemnem emiſſam profeſſionem in poſteriori, cum recedens in priori religione ſolam tacitam emiſerit, & etiam non omninò certam, & poſterior religio ſtatim à reditus notitia inſtiterit redeuntem ad ſe reuocari. Hic enim eſt caſus illius Rotæ, quia nimirum Cacialuppus Eques Hierſolym. ſed non profeſſus expreſſe, ſine licentia tranſierat ad Bernabitas, & ibi poſt annum probationis emiſerat ſolemnem profeſſionem, & per ſex annos computato anno probationis inter Bernabitas vixerat, & poſtea nulla obtenta licentia ad Equites Hierſolym. redierat. In hoc caſu Rota iudicauit dandam eſſe manutentionem Bernabitis ex ea ratione, quod certiſſimum ſit in concurſu petentium manutentionem obtinere habentem clariores, & meliores probationes, ac magis titulatam, & nitidius probatam poſſeſſionem Bartol. *in l. ſi duo num.* 4. *ff. vti poſſid.* Surd. *conſ.* 294. *num.* 9. *d.* 2. Rota in vna Senogalien. iuris patrendi 25. Maij 1609. In hoc caſu vero primo comparatur profeſſio expreſſa cum tacita, & expreſſa habita in poſteriori Monaſterio in hoc ſumariſſimo iudicio præferenda eſt tacitæ habitæ in priori Soccin. *in l.* 1. §. *per ſeruum num.* 14. *ff. de acquir. poſſeſs. & conſ.* 270. *num.* 12. *&* 13. *l.* 2. Prob. ad Monach. *in cap. Conſtitutionem num.* 2. *&* 3. *de Regul.* Et præcipuè (exiſtimo enim, quod ſi plenè conſtaret de profeſſione tacita in priore Religione, in hac parte non eſſet ei præferenda profeſſio expreſſa in poſteriore habita) quia profeſſio tacita habita priùs apud Equites Hieroſ. non erat omninò certa, ſed impugnabatur à Bernabitis tanquam non ſuffulta illis quatuor requiſitis de quibus per Sanchez *lib.* 5. in Decal. *cap.* 3. *num.* 14. *vſque ad* 18. qui etiam monet *num.* 13. poſt Concil. Trident. rariſſimè contingere, vt valdè quis tacitè profiteatur; Vndè in hoc caſu exiſtente dubia tacita profeſſione emiſſa in priori religione, & indubitata profeſſione expreſſa emiſſa in poſteriori, ſi Religioſus ſine licentia à poſteriori redeat ad priorem, manutentio debetur poſteriori Religioni, ſi ſtatim inſtetit pro recuperatione ſui ſubditi, & ex negligentia non omiſit illius quaſi poſſeſſionem. In his ergo caſibus datur manutentio Religioni à qua Religioſus recedit; vniuerſaliter tamen non eſt verum, quod etiam vbi Religioſus recedit, nec obtenta, nec petita licentia ab aliqua religione etiam ſi illa ſtatim à notitia receſſus petat reuocari eum, qui receſſit, ſibi debeatur manutentio. Poſſet quidem ad oppoſitum huius probandum inſtari, quia religio à qua religioſus recedit eſt in quaſi poſſeſſione illius, & licet ex quo ille receſſit prior illa religio amiſerit quaſi poſſeſſionem naturalem, ex quo tamen retinet animum, quaſi poſſidendi, vndè inſtat ſtatim pro receſſi reuocatione continuat quaſi poſſeſſionem Ciuilem, quia velit nolit Religioſus eſt obnexius, & conſtitutus in quaſi poſſeſſione ſubiectionis Monaſticæ Bart. *in l.* 1. §. *per ſeruum el primo num.* 2. & ibi Adden. nec non Alex. *num.* 7. *&* 9. Iaſ. *num.* 23. Aug. in fine *ff. de acquir. poſſeſs.* Qui propterea dicunt Religioſum in hoc caſu non æquiparari ſeruo fugitiuo, in quo ſi ab alio detineatur, & animum non habeat reuertendi, Dominus non habeat continuationem poſſeſſionis, *ad l. ſi rem mobilem ff. de acquir. poſſeſſ. & notatur in d. l.* 1. §. *per ſeruum, eod. tit.* Sed æquiparari filio, & proindè ſemper cenſeri conſtitutum ſub quaſi poſſeſſione poteſtatis Superioris, niſi ipſe animo illam deſtruerint, vt per Bart. *in d.* §. *per ſeruum*, comparatio enim illa quæ ſit inter ſeruum, & Religioſum admittitur quando Religioni magis prodeſt Alex. *d.* §. *per ſeruum nu.* 12. & Adden. ad Bar. Felin. *cap. in præſenti de probat. in fin.* Ceuall. *opin. commun. q.* 446. *num.* 29. Cum igitur in ſimili caſu quaſi poſſeſſio remaneat in ſuperioribus à quo, eiſdem debetur manutentio, quia datur in quaſi poſſeſſione ſubiectionis contra ſubditum obedientiam renuentem, Rota *in d. dec.* 365. *p.* 4. *tom.* 2. *num.* 17. Verum conſiderandum eſt, quod in hac parte parum cõuenit ſimilitudo filij, & patris cum ſubdito, & ſuperiore Religioſo. Quia pater vnus numero eſt, & ſub eius numero poteſtate remanet filius fugitiuus, & inobediens, qui non poteſt tranſire ad alium patrem, vt dubium ſit ſub cuius patris poteſtate manuteneri debeat; ſed filiatio metaphorica Religioſi eſt reſpectu plurium patrum, & in propoſito dubium eſt, cui ex duobus patribus danda ſit manutentio paternæ poteſtatis, an ſcilicet ſuperiori à quo receſſit, vel ſuperiori ad quem acceſſit, vndè hic potiùs debet attendi ſimilitudo ſerui ab vno domino ad alium tranſeuntis; quanuis neque hæc ſimilitudo omninò quadret, quia Religioſus, & eſt etiam veluti filius. Itaque igitur ſi dominus fugitiui ſerui ab alio detenti, & nolentis ad eum redire amittit quaſi poſſeſſionem; ſic quoque potius dicendum, quod ſi Religioſus ad aliud monaſterium tranſeat, & nolit redire ad prius à quo receſſit, illud non continuet quaſi poſſeſſionem, nec poſſit manuteneri, Imò hic non omnino attendi debet voluntas Religioſi, quia non habet velle, vel nolle, vndè ſi ſemel volens tranſijt ad aliam Religionem, & in ea fuit receptus, non eſt in eius libertate in caſu dubio redire ad

re ad priorem, quia id non potest fieri sine iniuria Religionis posterioris, & superiorum illius, qui sunt in quasi possessione illius. Quod si Sanchez *l.6. c.7. num. 89. & 98.* voluit, quod Religiosus qui sine licentia transijt ad arctiorem propria auctoritate possit redire ad priorem, id sensit, quia putauit transitum sine licentia esse nullum, quod quidem supra est reprobatum. Sed & quod superiores à quibus Religiosus recedit, & transit ad alios alterius Religionis, non continuauerit quasi possessionem, sensit Arct. *ad d. §. per seruum post num.68.* vt eadem Rota fatetur *num.* 15. Itaque ergo, vt supra dicebatur hic attendi debet an interet spolium, & sic superior à quo possit instare pro purgatione spolij, in quo casu spolium prius purgari debet, sed vbi cessat ratio spolij in dubio an transitus sit validus, etiam si transitus sit factus sine licentia, vel dubium sit an licentia fuerit sufficiens, manutentio debetur superioribus ad quos Religiosus transijt, & sub quorum potestate de facto est, & qui potestatem super illum quasi possident. Quamuis in reditu ad primos superiores locum habeat limitatio supra posita. In hac parte considerandum quoque est, quod ex negligentia superioris à quo Religiosus recessit omittitur quasi possessio ipsius respectu Religiosi, vt ex Bar. *in l.1. §. huius autem num. 3. & 7. vti possid. & Rota in dec.* 95. coram Mantica, & in Assisien. Canonicatus 14. Iunij 1606. coram Sacrato aduertit eadem *Rota d. dec.* 365. *num.*1. eo quia sicut dominus negligendo custodiam serui fugitiui illius possessionem amitit postquam ab alio fuit volens apprehensus, licet secus ante *l. 1. §. per seruum ff. de acquir. possess.* vbi Alex. *num.*7. ita superior negligens in recuperando subdito, qui ad aliam religionem volens transiuit, amittit quasi possessionem illius. Nec decennio opus est ad hanc quasi possessionem amittendam, sed sufficit modicum tempus *Rota in d. Assisien.* & in Romana Canonicatus S. Marci 15. Februar. 1611. coram Pamphilio, & in Romana Stagni 6. Iunij 1622. coram Reuerendiss. Decano, *& d. dec.*365. *num.*4. Vbi *num.*6. quod cum superior teneatur singulis annis perquirere, & notitiam habere suorum subditorum; *cap fin. de Regul.* præsumitur superiorem habere notitiam recessus sui subditi, qui ad aliam Religionem transiuit, *& num.*8. quod non est necesse, quod notitia huius recessus habeatur à tota Religione, & ab omnibus superioribus illius, sed sufficit illam haberi ab eo superiore seu Priore sub quo degebat Religiosus, qui recessit. Sic igitur ad hoc quod prior Religio dicatur negligens, & ex negligentia amittat quasi possessionem Religiosi recedentis ad aliam Religionem sufficit, quod sciens recessum per modicum tempus negligat illum recuperare. Et in dubio scientia ista potiùs præsumitur, quamuis hæc præsumptio non intret statim, ac Religiosus recessit, quia nec statim ac subditus agit, tenetur superior scire, quid subditus egerit.

77. Hinc verò colligitur, quid dicendum sit de eo, quod ex Innoc. Host. Io. And. Abb. Card. Monach. Anchar. Socin. Greg. Lopez docet Sanchez *num.*38. scilicet superiorem posse statim dare licentiam exeundi à Monasterio, vt sub sua obedientia, adhuc manens, quærat religionem strictiorem, licet hoc non esset consilium, nisi ad maius malum vitandum. Hoc enim modo non habet locum, vt ex Vech. *disp.* 15. *dub.*2. *num.* 9. aduertit Tambur. *tom.* 3. *q.*1. *num.* 13. Quia iam prohibitum est per statutum Vrbani Octaui decretum de Apostatis, vt superiores non permittat ad religionem transire nisi prius, qui vult transire inuenerit beneuolus receptores. Vndè nunc non aliam licentiam potest superior dare suo subdito, nisi quam de iure communi potest concedere ad manendum extra claustrum alicuius negotij occasione, quæ modo est valdè restricta, & limitata, vt suo loco videbimus.

78. Sequitur vlterius religiosum statim, ac petijt licentiam transeundi ad religionem, nedum non posse transire, sed debere expectare superioris responsum, & quod superior pro meritis examinauerit negotium, & quæ consideranda sunt potuerit ponderare. Vndè interim debet in Religione manere, neque ab ea transire, vt habetur *cap. cum in veteri de elect.* & docent Ioan. And. *cap. licet num.* 21. Anton. *num.*12. Ab. *num.* 8. Cardin. *num.* 2. Anchar. *num.* 5. Fagnan. *num.* 47. Syluest. *v. religio* 4. *q.*1. Azor. *l.*12. Instit. *cap* 14. *quæst.*5. Suarez *dicto l.* 3. *c.*10. *num.* 30. Sanchez *dicto c.*7. *num.* 35. à S. Fausto *lib.* 5. *quæst.* 239. Machado *tract.* 5. *dec.*3. *num.*2. Barbosa de iure Eccl. *lib.* 1. *cap.*42. *num.*67. Palaus *tr.*16. *disp.* 4. *puncto* 26. §. 3. *num.*3. Anton à Spir. S. *tr.*3. *disp.* 6. *num.* 734. Sed vlterius dicendum est eum teneri expectare permissionem, seu licentiam aliquam, scilicet decretum permissionis; Iam enim quod implicitè continebatur *in d. cap. licet*, explicatum est in decreto de Apostatis, per quod superior religionis deferendæ constituitur iudex huius transitus. Et in vi *d. cap. licet* habet ius iudicandi de recta intentione transire volentis, & in vi decreti de Apostatis habet ius iudicandi an transitus sit, in tali statu, vt religiosus rectè possit ad arctiorem ordinem transire. Iam ergo in dubio est necessaria permissio superioris ordinis deserendi, & non sufficit notitia seu licentia petita, sed requiritur obtenta, vt ex Caiet. in hoc articulo, & Sanchez *l.* 5. *cap.* 7. *num.* 16. tradit Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. licet num.*32. *de Regular.*

79. Nam ex hoc magis manifestum est, Prælatos religionis arctioris non posse in conscientia admittere venientem ad se sine literis testimonialibus seu dimissorijs sui superioris. Fagnanus *ad d. cap. licet num.* 51. Hoc enim statutum fuerat ab Vrbano 2. in *cap. statuimus* 19. *q.*3. ibi. *Discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum nullus Monachorum sine communi literarum cautione suscipiat.* Neque in hoc fuit huic Capitulo derogatum per *cap. licet*, de regularibus, vbi solum statuitur religiosum posse sine obtenta licentia transire ad religionem arctiorem; si sibi fuerit proteruè negata, vbi etiam considerari debet illud verbum dicti capitis proterua contradictione, per quod habetur, quod vbi superior non omnino determinate neget licentiam necesse est pulsare adhuc, nec transire licet, nisi superior proteruè contradicat. Sed hoc & ex *dicto cap. licet*, & ex decreto de Apostatis colligitur. Nam cum non possit religiosus transire ad arctiorem religionem nisi permittatur transire à suo superiore, seu nisi

à suc

à suo superiore ex iusta causa non impediatur. Ideò Superior Religionis, ad quam fit transitus, debet inquirere causam cur Religioso volenti transire sit negata licentia, nec illum aliter admittere, quam sibi constet de iniustitia negatæ licentiæ Innoc. *in d. cap. licet* Zabarel. *num.* 16. Aoan. *n.* 13. Tambur. *d. q.* 8. *num.* 15. Vbi quod Bartholom. de Vechijs *d. dub.* 2. *num.* 18. pro indubitato habet, quod recipiens alienum Religiosum sine literis testimonialibus peccet mortaliter, & quod hoc tenent Zabarell. *ad d. cap. licet num.* 17. Io. Andr. *num.* 13. Hessen. *num.* 14. Nam in hoc non est præstanda fides religioso venienti, & petenti non ostensis sui superioris literis. Neque obstat quod ex iure communi, si prælatus non habeat iustam causam impediendi sui religiosi transitum ad religionem arctiorem, ille potest transire, & à superiore arctioris Ordinis potest recipi, quod potest dicto superiori constare sine literis dimissorijs alterius superioris. Nam dicitur quod hoc erit difficile, & obiectio supponit falsum, scilicet quod sufficiat ad licitum transitum non existentia iustæ causæ impediendi illum. Non enim hoc sufficit, sed necesse est, vt hæc non existentia iustæ causæ impediendi transitum examinetur, & constet superiori religiosi ad arctiorem transire volentis. Sic enim ex eo *cap. licet* habetur, cum ad licitum transitum sit necessaria petita licentia, & quod superiori constet de petentis sancta intentione, & de religionis maiori arctitudine, & quod religio arctior est parata illum recipere; quæ constare non possunt, melius, quam ex dimissorijs literis eiusdem superioris. Sine quibus si veniat Religiosus, superior, à quo petit recipi, consulet superiorem priorem, qui si fateatur licentiam concessisse aut licentiam denegasse, sic quod manifeste constet de Iniustitia negatæ licentiæ, tunc ipse superior secundæ Religionis illum Religiosum ad se venientem securè recipiet, In dubio tamen, etiamsi Religiosus sit paratus incontinenti probare, quod iniustè est sibi denegata licentia, debet Religiosus remitti ad suum superiorem, seu ad quem spectat cognoscere de iniustitia, aut iustitia negatæ licentiæ Innoc. *ad d. cap. licet num.* 5. Host. *num.* 17. Io. Andr. *num.* 13. Anchar. *num.* 13. Fagnan. *num.* 51. Quamuis si hæc aliundè satis constent, quia nimirum constat recipienti permissio alterius prælati conscij transitus, & illum non impedientis, tunc idem fit, ac si prælatus ille videret alterius literas testimoniales.

80. Colligitur etiam, quid dicendum, si prælatus subdito petenti transitum ad arctiorem religionem neget licentiam, vel neget literas dimissorias. Si enim neget licentiam, non statim potest subditus discedere; quia ex *cap. licet vers. Talis ergo*, conceditur licentia transeundi licentia non obtenta tunc, cum superior proterua contradictione repugnat. Vel ergo religioso hunc transitum petenti superior negans licentiam, nullam huius assignat causam, vel assignat aliquam. Si aliquam assignat, & hæc sit iusta, nullo modo licitus est transitus, quia tunc superior iustè, non verò proteruè contradicit. Sed si causa est euidenter iniusta, tunc religiosus potest inuito superiore transire, si tamen ex parte sui fecit, quod debuit. Nam non sufficit subdito petere humiliter licentiam transeundi, sed necesse est, quod faciat constare superiori religionem arctiorem esse de præsenti paratam ad illum recipiendum, ita vt rectà possit ad illam ire. Sed si causa est non est euidenter iniusta, sed dubia, vel probabilis, & verisimilis, priùs negotium, & causa discutienda per superiorem ad quem appellandum est. Nec licet, vel subdito, vel prælato religionis arctioris rem hanc dirimere, quia ipsi in hoc negotio partes sunt, & quia non licet subdito transire ad religionem arctiorem, nisi vbi constet prælatum suum proteruè contradicere. Ita Innocent. *in cap. licet de regular. num.* 2. Host. *num.* 15. Io. And. *n.* 7. Anton. *num.* 6. Abb. *num.* 9. Card. *num.* 3. Anchar. *num.* 5. Fagnan. *num.* 48. Syluest. *v. relig.* 4. *q.* 1. *notab.* 2. Tabien. ibi *q.* 24. Azor. *l.* 12. *cap.* 14. *q.* 5. Sanchez *l.* 6. Mor. *cap.* 7. *num.* 37. Suarez *dicto l.* 3. *cap.* 10. *num.* 27. & 28. Barbosa *l.* 1. Iuris Ecclesiast. *cap.* 42. *num.* 69. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 26. §. 3. *num.* 8.

81. Sed si Prælatus nullam reddat causam, religiosus eam petere debet, & instare, vt superior sibi illam reddat; quod si prælatus eam assignare nolit, sunt qui dicant eum sibi imputare debere, & subditum sine eius licentia posse ad arctiorem transire. Ita Sanchez, & Barbosa loco citato ex Innoc. *in d. cap. licet num.* 4. Host. *n.* 16. Ioan. Andr. *num.* 9. & Tambur. *num.* 3. *quæst.* 14. Palaus *tr.* 16. *d.* 41. *puncto* 26. §. 3. *num.* 2. Tambur. *d. q.* 8. *num.* 58. Sed hoc non credo verum, quia superior potest habere iustam causam tunc tacendi, & non propalandi causam iustam, quam habet negandi transitum. Nam inter causas iustas negandi transitum est si ob aliquod crimen religiosus sit puniendus, vt ex praxi S. Cong. Card. & regular. constat. Nam in licentijs quas concedit transeundi ad arctiorem hanc conditionem ponere solet, & non ad aufugiendam aliquam commissorum criminum pœnam. Potest verò esse, vt iustitia non permittat propalari processum inchoatum contra petentem. Ideò in eo casu, quod superior neget causam, propter quam negat licentiam transeundi recurrendum est ad mediatum superiorem, dummodo omninò non constet illum superiorem immediatum iniustè, & proteruè contradicere. Sic nec erit locus transitui ex eo solo, quod superior inferior petentem non vult audire, vel eum exaudire. Quia in superiore potest esse rationabilis causa id faciendi.

82. Itaque vbi proteruia superioris negantis licentiam non est manifesta, in quocumque casu dubio recurrendum est ad remedium appellationis, seu recursus ad superiorem cui de iure. Quod verum est, vt ex Syluestro notat Sanchez dicto *num.* 37. & si in ea religione sit interdicta appellatio; quia hoc habet locum in illis, quæ ad correctionem pertinent, non verò in hoc puncto in quo religiosus habet ius transeundi ad meliorem religionis statum Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 26. §. 3. *num.* 2. Si vero quæratur quis sit iudex appellationis ad quem in dubio pro denegata licentia sit recurrendum Innoc. *ad d. cap. licet*, quem secuntur Butr. Anan. & Panorm. Cardin. *q.* 17. 18. & 19. Anchar. *num.* 13. quos sequitur Reuerendiss. Fagnanus *num.* 32. Anton. à Spir. S. *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 741. Syluest. *v. Religio* 4. *num.* 7. Riciull. de

iure

iure person. l. 8. cap. 4. num. 21. existimaot hunc iudicem illum esse ad quem appellaretur, si Religiosus grauaretur, vndè sequitur, quòd hic iudex sit superior mediatus eiusdem Religiosi transire volentis. At Suarez vbi supra *num. 28.* quem sequitur Tamhur. *tom. 3. disp. 7. num. 9.* putat hunc iudicem esse illum, qui est superior vtriusq; Religionis, quia aliter si recurrendum esset v. g. ad Generalem Religiosi transire volentis, vel ad alium superiorem eiusdem Religionis, iam iste superior essec iudex in propria causa. Verùm quia cum Religiones sint immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ, ex consequenti iudex vtriusque Religionis est Summus Pontifex huiusmodi causas cognoscens per S. Regularium Coogregat. non dubitò, quod Religiosus cui negatur licentia trãseundi ad arctiorem in dubio potest immediatè appellare ad Pontificem, quia ad Papam potest immediatè appellari non seruato ordine iuris in appellando. Nihilhominùs ratio illa oon valet, quod non sit necesse, si ordo iuris seruandus est, quod Religiosus appellet ad suum superiorem mediatum, quia hic esset iudex in propria causa, quia propria causa superiorum est iustitia, & Religiosus petens transitum est mediati superioris filius, qui nisi aliquid speciale obstet, non potest, nec debet præsumere ab illo, nisi iustitiam, & cum in *d. cap. licet* in dubio requiratur iudiciũ proprij superioris Religiosi transire volentis; hic verò in casu appellationis sit eiusdẽ Religiosi mediatus superior, ideò vbi seruandus esset ordo iuris in appellãdo, Religiosus transire volens appellare deberet ad suum mediatum superiorẽ: Quamuis semper possit ad Papam immediatè appellare.

83. Si autem contingat superiorem concedere Religioso licentiam manendi in seculo pro interim, vt transitum ad arctiorem sibi procuret, quod oon per hoc Religiosus sit exemptus à iurisdictione eiusdem superioris, contra Gregorium Lopez. *l. 9. t. 7. p. 1.* benè dixerunt Sanchez *lib. 6. c. 7. num. 38.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 26. §. 3. num. 4.* Non enim ex eo Prælatus eximit subditum à suè iurisdictione, ex quo illi dat licentiam transeundi ad alium ordinem. Sed hodie ex vi decreti Vrbani VIII. de Apost. oon potest superior dare licentiam transeundi ad aliam Religionem, nisi sibi constet, eam heuolè illum esse recepturũ, vt etiam dictũ est supra *n. 77.* Quod si Religiosus, tũc de facto transeat ad arctiorem, cũ dubium est, seu non est manifestum prælatum suum iniustè sibi negare transeundi licentiã eũ reuocandũ esse ad religionem desertam, vt in habitu religionis illius suam causam tractet, tradit Suarez *num. 27.* Tambur. *tom. 3. disp. 7. q. 1. num. 8. fin.* sed oppositum supradictum est *num. 76.* ex Innoc. Panorm. & alijs quia possessio nunc est pro ea Religione ad quam Religiosus transiuit.

84. Duæ autem conditiones sunt necessariæ in petente hunc transitum à suo superiore, quas expressit Innocentius III. *in cap. licet, de regularibus, ibi, sicut subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare.* Itaque hæc petitio debet esse humilis, & pura. Vt sit humilis duo præcipuè in proposito obseruari debent, nimirùm vt subditus petat licentiam antequam exeat à Monasterio, secundo vt in petendo seruet formam, quam regula, vel vsus in qualibet religione præstituit pro similibus gratijs postulandis à Prælato. Sed quæri potest, an si subditus sit absens (sufficiat, si petat per litteras, Ità vt si ei sic petenti denegetur) possit ad arctiorem religionem transire. Suarez *dicto cap. 10. num. 31.* censet non sufficere si prælatus eo modo petendi non sit contentus, sed subditum debere redire ad Monasterium. Et inde debito modo egredi. Tum quia ille modus petendi est contrà ius, quod Prælatus habet, vt subditus reddeat ad suam obedientiam, & potestatem. Item quia per illum modum petendi videtur decipi, & illudi Prælatus, & sic non satisfieri præcepto petendi: Per accidens tamen ob vitandum aliquod graue detrimentum posset esse, vt non esset bonum, quod subditus rediret ad Monasterium, & quod sufficeret illum petere licentiam eo modo. Sed oppositum est dicendum, scilicet quod huiusmodi licentia per se sufficit, & per accidens potest non esse sufficiens. Palaus *tr. 16. d. 4. p. 26. §. 3. nu. 7.* Porest per accidens non esse sufficiens, si religiosus absit à Monasterio sine licentia, si sit vbi potest de facili venire ad præsentiam Prælati, & consideratis circumstantijs, hic modus petendi sit quædam irreuerentia cõtra superiorẽ, vel si nõ possit superiori constare, quæ debeat illi esse manifesta, vt transitum permittat. Cæterum per se loquendo petitio per literas non est mala, nec deficiens, nec præseferens irreuerentiam superioris. Ideò dicendum est, quod si superiori legitimè constat de bona intentione petentis, & quod in religione non est processatus, nec infamatus de aliquo crimine propter quod puniri debeat, & quod religio arctior est parata illum de præsenti recipere; & ille legitimè absens est, & pura mente petit, non est vnde superior velit illum compellere ad veniendum ad Monasterium. Et si tunc superior neget transitum iuxta doctrinam supra traditam, non poterit statim, religiosus transire, si non sit manifestum licentiam sibi iniustè negari. Ex ex eo solo, quod subditus legitimè absens petit licentiam per literas, oon potest superior iustè moueri ad licentiam negandam. Et ità ad primum dicitur, quod superior habet ius reuocandi ad Monasterium subditum suum, nisi ille à superiore maiori habeat licentiam manendi extra; qui verò est absens ex legitima causa, & in absentia facie constare superiori, quæ illi constare debent, & petit licentiam per literas, nisi per accidens in hoc offendat superiorem, habet à iure communi licentiam non redeundi ad Monasterium, sed rectà eundi ad religionem arctiorem. Et si superior neget licentiam transeundi ex hoc non licebit illi subdito transire ad Religionem arctiorem, quia non erit manifestum, quod Prælatus iniustè licentiam neget. Ad secundùm dicitur, quod absentem petere licentiam per literas per se nulla irreuerentia est.

85. Circa aliam conditionem verò, scilicet, puritatem, benè idem Suarez aduertit petitionem subditi debere esse sinceram, & veridicam alienam à falsitate, & dolo, vt superior non decipiatur. Ideò si vel repræsentetur superiori aliquid falsum, vel taceatur verùm necessario exprimendum,

dum, ne licentia sit subreptitia, certè petitio ista fraudolenta subreptitia non sufficeret, nec transiens esset tutus in conscientia, si fraudulenter non verò sincerè, & purè licentiam petijt; & fuisset iustè impeditus, nisi fraudulenter accessisset. Non sufficit etiam subdito licentiam petere, sed reddere debet causam, ob quam transire desiderat, & si illam non reddat, superior debet illam inquirere, vt ad d. cap. licet, aduertunt Innoc. num. 2. Hostien. num. 15. Card. num. 7. Fagnan. num. 46.

SVMMARIVM.

1 *Sedes Apostolica meritò pro pluribus Religionibus statuit, vt ex eis non possit transiri sine licentia obtenta. num. 86.*

2 *Ordines à quibus non potest transiri sine licentia earundem. num. 87.*

3 *Et sine licentia Sedis Apostolicæ. num. 88.*

4 *An hoc priuilegium sit communicabile, num. 89.*

5 *Prohibitio huiusmodi facta est in fauorem Religionum. num. 89.*

6 *An præfata statuta sint priuilegium quatenus prohibeat transitum sine licentia Papæ. num. 90.*

7 *Priuilegijs concessis ad fauorem communem, non possunt priuati Prælati renunciare. num. 91.*

8 *Renunciatio priuilegiorum non valet Papa illam non acceptante. num. 91.*

9 *Statuto prohibente aliquid Prælatis non possunt illi renunciare. num. 91.*

10 *In statutis prohibentibus transitum ad arctiorem sine licentia Papæ derogatur iuri communi, num. 92.*

11 *In præfatis statutis prohibetur etiam transitus ex iusta causa. num. 93.*

12 *Præfata statuta non continent priuilegium communicabile. num. 94.*

13 *Vbi est prohibitus transitus sine licentia Papæ non est licitus cum sola licentia Prælati, num. 95.*

13 *Est tamen licitus vbi non est prohibitus. num. 96.*

14 *Vniuersaliter non est verum, quod Mendicantes varias Ordinis possint transire de licentia Prælati ad Ordinem alium Mendicantem. num. 96.*

15 *An stylus curiæ sit, vt non fiat transitus sine licentia S. Cong. num. 97.*

16 *An Prælatus teneatur dare licentiam ad arctiorem. num. 98.*

86. Viso igitur qualiter transitus Religiosi ad aliã Religionẽ arctiorẽ sit licitus de iure communi, videndum est, quid conueniat spectatis iuribus particularibus, quæ à Sede Apostolicã emanarunt. Nam licet ex natura rei transitus de imperfectiori religione ad perfectiorem sit laudabilis, & religiosus habeat ius ad hunc transitum nihilominùs Pontifices bono communi religionum, & religiosorum prospicientes, huiusmodi transitum iustè prohibuerunt. Nam in transire volentibus, vel prætextus perfectioris est falsus (quod sæpiùs accidit,) & ità isti religiosi cohibendi sunt, vel licet prætextus sit verus, sit imprudens, quia pensatis pensandis; religiosi isti nihil magis proficient (quod etiam experientia docet euenire multoties,) & ità nec sunt audiendi. Vel si prætextus vitæ perfectionis est verus, non est hoc multum vtilitatis transire volentibus, qui si velint in propria religione perfecti esse possunt, & alias hoc cedit in magnum detrimentum proprij ordinis, qui nedum priuatur bonis religiosis à se nutritis magno labore, sed valdè conturbatur, & inquietatur, cum ad vnius qui ex recta, & prudenti intentione transitum hunc petat, exemplum, multi alij, vel ex non recta intentione, vel ex imprudenti zelo proprium ordinem deserere tentant, non sine scandalo, & perturbatione religionum; Et ideò Pontifices meritò Religionibus pluribus specialiter concesserunt, vt eorum Religiosi non possint etiam ad arctiorem Religionem transire, nisi obtenta licentia, vel ab eorum superioribus, vel etiam à Summo Pontifice. Et ideò inter conditiones requisitas ad hoc, quod liceat transitus ad arctiorem licentia petita, & non obtenta hæc vna est, quod Religio à qua est transeundum non habeat priuilegium specificum, quod non sufficiat petita licentia, nisi etiam sit obtenta. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. licet. num. 22. de Regul.*

87. Cum verò in præ recitatis specialibus constitutionis Apostolicis duo contineantur, scilicet necessitas licentiæ proprij Ordinis, & necessitas licentiæ Sedis Apostolicæ. Primum ferè omnibus Ordinibus Regularibus expressè, & in specie fuit concessum. Nam primo in Mari Magno cuiuscumque Ordinis Mendicantium, vt supra *num. 55. & sequent.* recensitum fuit, hoc illis fuit concessum licet cum discrimine, vt etiam aduertit Lezana ad Mare Magnum Præd. §. 20. *nu.* 56. Nam dare hanc licentiam in Ordine Prædicatorum spectat ad Generalem, vel Prouincialem, vel Priorem localem, vel eorum Vicarium. Sed in Ordine Minorum spectat solum ad Generalem, & Prouinciales, vt aduertit etiam Casarub. *v. Apostata. num. 7.* vbi ipse putat, quod hoc etiam pertineat ad Guardianos ex communicatione priuilegij Prædicatorum. Priuilegium etiam Eremitarum S. Augustini ad Generalem, Prouinciales, & Priores videtur extendi. Quamuis verò priuilegium Carmelitarum in §. 7. sit indefinitum, & vniuersale videatur pro omnibus Prælatis Ordinis, tamen contentum in §. 91. restrictum est ad Generalem, & Prouinciales. In priuilegio Minimorum comprehenduntur Generalis, & Prouinciales, Correctores, & eorum Vicarij, secundum Lezanam *ad d. §. 20.* Prædicatorum, sed in *Const. 5. §. 4.* Iulij II. apud Peyr. hæc facultas soli Correctori Generali conceditur, & in *Constitut. 6.* Leonis Papæ X. absolutè nulla alicuius Prælati licentiæ facta mentione prohibentur recipi Minimi in alijs Ordinibus. In his verò priuilegijs in Mari Magno contentis habetur necessitas licentiæ in scriptis, seu per literas testimoniales expressa, vt aduertit etiam Lezana ad Mare Magnum Prædicatorum §. 20. Minimorum §. 21. Eremitarum S. Aug. §. 15. Societati Iesu concessit Paulus Tertius, in *Const. licet debitam*, prout habetur in Bullario Societatis *pag. 33.* quod Religiosi illius Ordinis ad alium Ordinem excepta Carthu-

sia non possint transire sine expressa licentia Generalis, aut Sedis Apostolicæ, sed Pius Quintus, *in Constit. Æquum reputamus in eod. Bull. pag. 94.* prohibuit hunc transitum fieri sine expressa licentia sui Superioris. Vnde est, quod neque in eodem Ordine licitus est hic transitus sine Generalis licentia expressè; sic enim, & alijs Ordinibus concessum est, vt hic transitus haberi non possit sine alicuius superioris, saltem Generalis licentia, vt videre est in supra recensitis priuilegijs pro Cassinen. Cistercien. Hieronym. Sanctiss. Trinitatis, Capucinis, Discalceatis Carmelit. Clericis, Bernabitis, & de Somasca. Vnde pauci remanent Ordines Claustralium Regularium, quibus in specie non sit concessum, vt corũ Religiosi non possint ad alios Ordines transire, sine corũ superioris alicuius licentia expressa.

88 Sed multi quoque sunt Ordines, quibus expresse concessum fuit, vt eorum Religiosi non possint transire ad alios Ordines, sine licentia Sedis Apostolicæ. Hic enim primò statutum fuit pro Mendicantibus, in Extrauag. *Viam ambitiosæ, de Regul.* vt ad Monachales Ordines, præter Carthus. transire non possint, sine Sedis Apostolicæ licentia. Idem pro Prædicatoribus statuit Bonifacius Nonus, vt nec ipsi ad alios ordines Mendicantium, nec fratres aliorum ordinum Mendicantium ad ipsos transire possint, vt dictum est supra num. 56. Et pariter huiusmodi transitus ad alios ordines, interdictus est fieri sine licentia Sedis Apostolicæ pro Ordinibus Seruorum, Minimorum, S. Mariæ de Mercede, Sanctiss. Trinitatis tam Calceatis, quam Discalceatis, Carmelitis Discalceatis, Clericis Ministrantibus infirmis. Non verò huiusmodi priuilegia excludunt necessitatem licentiæ dandæ per superiores Ordinum, sed præter illam requirunt etiam licentiam Sedis Apostolicæ, vt est expressum in priuilegio Minimorum, quamuis Pontifex, si velit, possit absolutè concedere licentiam ad hunc transitum, nulla alicuius alteriùs licentia requisita.

89. His verò stantibus priuilegijs, seu statutis dubium est, an ipsa competant omnibus Ordinibus habentibus priuilegium communicationis. Negat Reuerendiss. Fagnanus *ad d. cap. licet. nu. 22. de Regul.* Ex eo quia sub priuilegio communicationis non veniunt, quæ sunt difficilis concessionis, iuxta Theoricam Anton. de Butr. *in cõs. 59.* Quod fuit approbatum sæpè per S. Congregat. & Rotam. Sed prætermisso hanc regulam Ant. de Butrio limitandam esse vbi in priuilegio communicationis sunt clausulæ amplissimæ, & insuper clausulæ quorum tenores, &c. iuxta decisa per Rotam eandem, & notata *supra qu. 187. a. 4. à num. 640.* Nunc ex eadem regula probatur locum habere in præsenti communicationem; cum hoc, quod est Regulares non posse transire ad alios Ordines sine licentia suorum superiorum, & etiam Sedis Apostolicæ ex eo probetur esse facillimè concessionis, quod ferè omnibus Religionibus sit cõcessũ in specie. Nicolius autem *l. 3. tit. 31. num. 5.* idem tenet quia sub communicatione priuilegiorum, non veniunt prohibitiones. Verùm contra hoc videtur obstare; Quod prohibitiones respicientes singulares Religiosos, quando sunt factæ ad fauorem Religionis in communi censenda, sint priuilegia, & fauores, & ideò communes habentibus priuilegium communicationis. Quod enim huiusmodi prohibitiones sint fauor religionum constat legenti Pontificum diplomata, in quibus Pontifices in hoc se fauere illis religionibus profitentur, quorum religiosis transitum ad alias interdixerunt sine licentia etiam Sedis Apostolicæ; ideò huiusmodi fauor vni ordini concessus, communis videtur omnibus, qui priuilegio communicationis priuilegiorum gaudent. Quod magis apparet, si causam spectemus, qua Pontifices moti fuerunt, ad huiusmodi prohibitionem Ordinibus Regularibus concedendam. Siuè enim hæc causa sit iusta præsumptio falsitatis, & fraudis in illis Religiosis, qui sub prætextu perfectioris vitæ à proprijs Religionibus discedere volunt, qua motus fuit Martinus Quartus in extrauag. *Viam*, ibi, *Viam ambitiosæ cupiditatis religiosis præsertim Mendicantibus praecludere cupientes, ad alios Ordines præsertim Monasticos fucatis tamen coloribus afferentibus ob frugem melioris vitæ, &c.* siuè quia laudabile est perseuerare in vocatione; quod considerauit Leo Decimus *in Constit. licet*, pro Cassinensibus, ibi, *licet Sacra Scriptura testante dicatur in ea vocatione, in qua vocati estis perseuerate vsque in finem*, siuè religionum conseruatio; ad quam respexit Paulus Quintus in Const. Romani Pontificem pro Clericis Ministrantibus infirmis, ibi, *& dictam Congregationem conseruandam.* Et respexerat Greg. 13. *in Constitut. Ascendente Domino*, pro Societate Iesu, data anno 1584. ibi; *Ausque enim eum Societas ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis cum religione Catholica, & huius Sedis detrimento priuaretur.* Siuè religionum prosper status, & quies ad quod oculum direxit Vrbanus Octauus *in Constit. immutsi*, pro Capucinis, ibi, *prosperoq; ipsius ordinis statui & quieti consulere volentes.* Siuè Religionum prosperum regimen; quod attendit Vrbanus Octauus, *in Constit. Commissi*, pro Discalceatis Sanctiss. Trinitatis, ibi, *prospero, &c. regimini consulere volens, &c.* siuè vlteriùs religionis augmentum; quod inspexit Vrbanus Octauus ibid. *Nos maiori eorumdem Fratrum quieti, & augmento, feliciorique directioni per amplius consulere volentes, &c.* siuè alia quæcumque similis ratio, communis est, & locum habet in quocumque religiosorum Ordine, vnde nõ videtur dubiũ, quod huiusmodi fauor vni Ordini à Pontificibus concessus, est concessus omnibus quibus priuilegium communicationis priuilegiorum fuit concessum. Et ità expressè docuerunt Suarez *in 3. partem tom. 5. disp. 22. & tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 12. num. 39.* Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 7. num. 28. & num. 31.* vbi sentit Societatem gaudere priuilegio concesso Carmelitis Discalceatis, vt nullus eorum possit ad Carthusiam transire sine superiorum licentia, quam concedere sibi Generalis reseruauit. Casaruuias *in Compend. Priuilegiorum v. Apostata*; vbi pluribus aliorũ ordinũ priuilegijs vult in hac parte frui posse Minores Alexand. Pelegrinus *in Cõpend. priuilegiorũ Clericorũ Regul. Theatinorum, v. transire.* Antonius à Spiritu S. *tr. 3. disp. 6. num. 758.*

90. Sed forsan dicet aliquis, quod horum priuilegiorum communicatio saltem quatenus

requirunt licentiam Sedis Apostolicæ non subsistat; quia in hac parte Constitutiones Apostolicæ non continent fauorem, sed odium, cum priuent superiores ordinum facultate licentiandi suos ad alios ordines, quæ facultas est grandis fauor factus ordinibus Mendicantium, vt patet ex Mari Magno Prædicatorum apud Lezanam §. 24. & Minorum §. 26. & Carmelitarum §. 95. Vel additur secũdo priuilegia Põtificia pro ea parte pro qua requirunt licentiam Sedis Apostolicæ intelligi debere, vbi non adsit iusta causa transeundi, vbi verò hæc adsit sufficere superiorum licentiam. Addi potest tertiò, quod facultas dandi licentiam ad arctiorem est priuilegium concessum à iure communi, imò à iure naturali, & diuino, nec per illa indulta, aut priuilegia est reuocatum; quia neque in illis est hæc prohibitio, nec mens Pontificum fuit minuere ius Prælatorum Regularium, sed illud augere. Et quartò adiungi potest, quod cum Prælati possint renunciare priuilegijs, benè potest aliqua Religio nolle vti in hac parte priuilegijs sibi, vel directè, vel per communicationem concessis; & sic Prælati nolentes vti priuilegijs, quæ reseruant Pontifici dare licentiam ad transitum ad aliam Religionem, poterunt ipsi vti facultate, quam de iure communi habent.

91. Est igitur difficultas, an non obstantibus priuilegijs recensitis Prælati Regulares possint suis subditis concedere licentiam transeundi ad alium ordinem arctiorem. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 13. num. 34.* & Antonius à Spiritu sancto *tract. 3. disp. 6. num. 756.* affirmant. Sed sigillatim examinanda sunt motiua allata. Et incipiendo ab vltimo, quod est valdè debile, dicitur quod deficit ex triplici causa. Prima est, quia non valet renunciatio priuilegij, nisi sit acceptata à concedente illud per tradita à Sanchez *l. 8. de matrim. disp. 32.* Suarez *l. 8. de leg. cap. 33.* Nugn. *in addit. ad 3 p. q. 25. a. 4. dub. praui.* Bonac. *tom. 2. disp. 1. de leg. q. 3. p. 8. §. 4. num. 3.* Et sic non acceptante Pontifice horum priuilegiorum renunciationem illa non tenet. Sed obstat secundò, quia quando priuilegium est concessum ad fauorem communitatis, & ad fauorem Religionis nullus particularium, nec Prælatus aliquis talis Religionis potest renunciare fauori publico, & communi, vt ex communi sensu constat, & aduertit Donatus *in praxi. tract. 12. q. 4.* Bonac. *vbi supra §. 6. num. 7.* priuilegium verò, vt non possint Regulares transire ad alios ordines, non est ad fauorem priuatum subditorũ, sed ad commune bonum Religionum, nimirùm pro illarum quiete, conseruatione, & augmento, vt ex priuilegijs supra num. 89. consideratis constat, non possunt igitur Prælati Religionum his priuilegijs renunciare, vel illis non vti. Sed tertiò additur, quod quando priuilegium (si priuilegium est) consistit in prohibitione, per quam Prælati ipsi prohibentur intuitu boni communis aliquid facere, contra omnem rationem est asserere, quod isti Prælati possint priuilegio renunciare, quia hoc esset dicere, quod possunt non obedire superiori præcipienti, & eius prohibitiones contemnere; modo sic est, quod in priuilegijs in quibus facultas licentiæ transeundi ad alios ordines reseruatur Papæ prohibentur expressè Prælati subditi transeuntis, ne dent licentiam se sola valituram & Prælati ad quos Religiosi transeunt, ne in vi licentiæ Prælatorum inferiorum Papæ illos recipiant, nulli ergo ex istis Prælatis possunt huic prohibitioni renunciare, vel illi resistere. Non est igitur vndè dicatur Prælatos Religionum stante communicatione priuilegiorum posse dare licentiam, quæ se sola valeat ad transitum istum.

92. Tertium verò motiuum vim non habet. Nam lex positiua potest prohibere ob bonum commune, & quotidie prohibet id, quod alias iure naturæ, & Canonico erat concessum. Et sic quamuis transitus ad arctiorem Religionem sit de se licitus, & quilibet habeat ius quoddam religiosum ad huiusmodi transitum; nihilominus lex positiua hoc non prohibendo, benè ob bonum commune voluit non licere transitum hunc nisi examinata causa apud Sedem Apostolicam; & quantum ad hanc partem derogauit iuri communi, contra ius naturale verò, non opus fuit derogatione, quia non est de iure naturæ, quod Religiosus possit transire ad arctiorem religionem Papa inconsulto. Quod verò in dictis priuilegijs derogatur iuri communi patet illa legenti. In *extrauag. Viam ambitiosæ* etiam decernitur nulla professio facta à transeunte ad alium ordinem Monachalem sine Papæ licentia. In priuilegio autem Bonif. IX. pro Fratribus Prædicatorum, & S. M. de Mercede Seruorum, Minimorum Sanctiss. Trinitatis, Discalceatorum Carmelitarum, & Clericorum ministrantium infirmis expressè prohibetur transitus huiusmodi etiam prætextu vitæ, vel sanctioris, vel humilioris, vel arctioris, vel quarti voti, vel strictioris derogando superabondè dispositis, aut in contrarium concessis, & concedendo etiam facultatem Fratres transeuntes sine Sedis Apostolicæ licentia reuocandi ad proprium Ordinem.

93. Sed constat etiam secundùm effugium vanum esse, cum Pontifices expressè explicauerint transitum hunc sine licentia Apostolica fieri non posse etiam ex causa iusta, & ex zelo melioris vitæ, & perfectioris. Vt in Pauli Quinti *Constitut. Alias*, pro Carmelitis Discalceatis, ibi, *seu perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris regulæ, aut obseruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iusta, & probabili, aut legitima causa, &c.* Et in Constit. Vrbani Octaui *Commissi* pro Discalceatis Sanctiss. Trinitat. Congregat. Hispaniæ, eadem clausula de verbo ad verbum habetur. Secundò nam vanæ essent tot Pontificum Constitutiones. Etenim sine iusta causa non posse Prælatos religionum concedere suis subditis licentiam transeundi ad arctiorem Religionem est iure communi statutum ex cap. *Licet de Regularibus*, Ex quo habetur superiorem tunc debere dare licentiam transeundi ad arctiorem Ordinem, quando subditus à spiritu Dei ducitur, vt colligitur ex ver. *Quia tamen*, ibi: *Non quidem, vt ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate, & puritate duxerit postulandam, vt non fictè, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat, transuolare.* Et infra: *Sic Prælatus subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videa-*

tur propositum impedire diximus. Non existente igitur in subdito iusta causa petendi transitum ad arctiorem Religionem, potest Prælatus licentiam transeundi negare; quia tunc subditus non habet ius transeundi, nec adest conditio illa tacita in professione emissa, nisi ex zelo perfectioris vitæ placuerit transire ad arctiorem ordinem; igitur nec Prælatus potest licitè, vel validè licentiam transeundi concedere subdito iustam causã transeundi non habenti; quia cum Religio habeat ius super subdito, vt ab ea non discedat ex vi professionis, nisi ex iusta causa; non potest Prælatus priuare Religionem iure suo, & possessione sui subditi. Et ita, quod Prælatus religionis non posse hanc licentiam concedere subdito non ex iusta causa, tenet Sanchez *l. 6. Mor. c. 7. nu. 63.* & probatur inferiùs: si ergo Pontifices solum statuissent, vt superiores religionum non possent concedere transitum ad arctiorem religionem sine iusta causa, solum, quod erat de iure communi iam statutum, decreuissent. Tertiò, quia nullus est, qui absolutè non asserat Mendicantes sine licentia Pontificis prohibitos esse transire ad ordines Monachales ex vi *extrauag. Viam, de Regularibus*, & Prædicatores ad alios ordines Mendicantes ex vi priuilegij Bonifacij Octaui, & Minimos ad alios ordines ex vi priuilegij Iulij Secundi, & Minores Obseruantes, & Capucinos, & ad Minimos ex vi Constit. Iulij Secundi, & Pij Quinti. Hoc enim est, quod Pontifex sibi reseruauit in huiusmodi priuilegijs, scilicet causam transitus vnius ordinis ad alium examinare, & approbare, & sic licentiam concedere, vel negare; vndè Prælatis regularibus ex nulla causa licet cõcedere licentiam transeundi, vel de ordinibus Mendicantium ad Monachales, vel de vno ordine Mendicantium ad alium, vel de ordine Minimorum ad alios, vel de aliquo alio ordine ad illum Ordinem, ad quem transire sine sui licentia Pontifex prohibuit. Quartò, quia vbi licentia debet esse obtenta ad hoc, vt transitus sit licitus, non habet locum illa interpretatio, vt dicatur priuilegium non impedire illum transitum, qui fit bono fine, & sancto zelo, sed necessariò licentia debet absolutè priùs obtineri, quia Pontifex ob bonum commune Ecclesiæ potest iustè impedire etiam transitum, qui fiat bono fine à priuata persona, & ideò si statuat non posse aliquem transire ad aliquam religionem, nisi obtenta à suis superioribus licentia, eam priùs debet obtinere, vt tradit Sanchez *d. cap. 7. num. 10.* ex Corduba in Reg. S. Franc. *quæst. 17. p. 4.* & Hostien. *cap. non est num. 2. de regular. & eo cap. licet*, & ibi Ioan. Andr. *num. 2.* Anton. *num. 3.* Cardin: *notab. primo*. Cum ergo Pontifex prohibeat transitum de vno ordine ad alium sine licentia, à Sede Apostolica obtinenda; non habet locum interpretatio, vt dicatur Pontifices solum prohibere transitum, qui non fiat ex iusta causa.

94. Remanet igitur primum motiuum considerandum; quod si vim habet, probat quod huiusmodi constitutiones non continent priuilegium cõmunicabile, & ideò quod in eis statuitur non veniat sub communicatione priuilegiorum. Et ità benè omnibus pensatis, & pluries consideratis, mihi videtur dicendum. Quia ad videndum, an aliquod sit gratia, vel priuilegium non sufficit attendere finem legislatoris, seu Principis aliquid statuentis; quia hic finis semper est gratia, & fauor; quia vna de conditionibus legis est, quod conducat ad bonum commune, & ex consequenti, quod sit fauor à legislatore factus communitati, & si hoc sufficeret ad hoc, vt statutum per superiorem esset gratia, & priuilegium sub communicationis priuilegio comprehensum leges omnes essent communes, & statim quod pro vna Religione daretur vna lex, obligaret omnes. Sed priuilegium non ex sola intentione Principis est iudicandum, sed ex natura ipsa constitutionis, & legis est tale; & est concessio alicuius facultatis, contra, vel præter legem communem. Vndè priuatio, seu prohibitio agendi propriè, nec venit nomine gratiæ, vel nomine priuilegij, nec cadit sub communicatione priuilegiorum. Quod si dicatur, quod licet prohibitio non sit priuilegium prohibiti, est tamen priuilegium tertij ad cuius fauorem emanauit illa prohibitio. Modo sic est, quod per recensita Pontificum statuta directè sunt aliæ Religiones, & eorum Prælati, qui prohibentur alicuius Religionis subditos recipere, & ipsi etiam subditi priuati prohibentur transire: vndè, est quod v.g. pœna excõmunicationis contenta in *extrauag. Viam ambitiosæ* afficit transeuntes, & recipientes. Hoc verò totum est fauor Religionis à qua prohibetur transitus, & ideò hoc est priuilegium communicabile. Respondetur doctrinam esse veram, sed non applicari. Nam per huiusmodi statuta quatenùs tollunt facultatem licentiandi absolutè suos ad arctiorem, quã habent Religiones de iure communi, imò de iure naturali, priuantur eo quod habent, & sic non eis aliquid conceditur, sed concessum tollitur, ideò sub hac ratione illa statuta non sunt priuilegium communicabile alijs Religionibus. Sic ergo illa statuta, quia quantum ad illam partem, in qua prohibent alijs Religionibus ne recipiant ad se venientes Religiosos, & quidem sub graui pœna non sunt illarum Religionum priuilegia, sed legem pœnalem continent; igitur & in quantum concedunt vni Religioni, vt sui subditi non possint transire ad quamcumque arctiorem sine licentia eiusdem Religionis alias de se non necessaria, licet videantur illius Religionis priuilegiũ continere, & quidem communicabile, quia illi Religioni fauor conceditur, tamen verè illud priuilegium non est communicabile, quia non potest extendi, nisi extendatur præiudicium factum alteri Religioni, quæ priuata fuit facultate recipiendi vniuersaliter ad se venientes sine alterius licentia obtenta, quam alius haberet de iure communi. Multò minùs igitur est priuilegium communicabile priuatio facultatis licentiandi absolutè suos ad arctiorem, quam priuationem continet statutũ prohibens hunc transitum fieri sine licentia Papæ. Cuius intentio non est, vt hæc præiudicia, & priuationes extendantur ad alios, ad quos ipse expressè non extendit.

95. Dicendum igitur est, quod spectatis iuribus, quæ dicuntur in hac parte priuilegia, & per quæ statuitur ne pateat transitus Religiosi ad arctiorem Religionem sine licentia obtenta, hic transitus remanet interdictus pro illis solis Religiosis

gioſis

giosis, pro quibus huiusmodi prohibitiones emanarunt, & quod vnaquæq; Religio in hoc particularia, & sibi propria statuta seruare debet, quæ alias Religiones, & illarum Religiosos non afficiunt, & ideò Religionum Prælati, quibus specialiter non est prohibitum dare licentiam suis subditis transeundi ad arctiorem sine licentia Sedis Apostolicæ, possunt ex vi iuris communis dare licentiam huiusmodi suis subditis. Et hoc confirmatur ex decreto Vrbani Octaui de Apostatis supra *num.* 53. recensito, in quo supponitur Prælatos Regulares posse dare licentiam ad arctiorem, & præcipitur ne permittant suos egredi, nisi illis constet, quod Religio ad quam transeunt sit parata illos recipere.

96. Sed in illis Religionibus in quibus per Apostolicas Constitutiones prohibitum est, ne Religiosi eorum transeant ad alium Ordinem etiam arctiorem sine licentia Sedis Apostolicæ, Prælati non possunt eisdem Religiosis licentiam absolutam concedere ad huiusmodi transitum, sed solum conditionatam, & quantum in illis est. Est verò considerandum, quod prohibitio facta à Martino Quinto in *extrauag. Viam ambitiosa*, vt sine licentia Papæ non possint Mendicantes transire ad Ordines Monachales, excepta Carthusia obligat non solum Mendicantes Ordines, qui tūc erant, sed etiam Societatem Iesu, & alios Ordines Mendicantes, qui postea in Ecclesia orti sunt. Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *cap.* 12. Tum quia constitutio loquitur generaliter, & continet legem vniuersalem se extendentem etiam ad futura. Tum quia iustum est, vt Religiones quæ inter Mendicantes cooptantur sint subditæ legibus, quę ad fauorem, & pro vtilitate Mendicandium editæ sunt. Et eadem ratio est de priuilegio, vel statuto Bonifacij IX. prohibente transitum Fratrum Ord. Prædicatorum ad alios Ordines Mendicantium, & aliorum Mendicantium ad dictum Ordinem Prædicatorum sine licentia Papæ. Vndè non est vniuersaliter verùm, quod habet Anton. à Spiritu sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 725. scilicet quod Mendicantes possunt transire ad alium Ordinem Mendicantem si sit arctior, quia respectu Ordinis Prædicatorum hoc fallit ex Bonifacij IX. statuto. Et fallit etiam respectu multorum aliorum prout *num.* 93. consideratum est, quibus transitus huiusmodi est prohibitus. Quod si verùm esset, quod huiusmodi statuta continerent priuilegium communicabile, vt tenet idem Doctor absolutè falsum esset, quod de vno ad alium Ordinem daretur transitus Mendicantibus sine licentia Sedis Apostolicæ. Sed nec verùm est vniuersaliter, quod habet idem Doctor *num.* 723. scilicet, quod Mendicantes sint prohibiti de licentia suorum superiorum trāsire ad alium Ordinem non Mendicantem etiam arctiorem, quia per *extrauag. Viam ambitiosa de Regularib.* prohibiti sunt solum transire ad Ordines Monachales excepta Carthusia; igitur si detur Ordo strictior, qui nec sit Monachalis, nec Mendicans non sunt Mendicantes prohibiti ad illum transire de suorum superiorum licentia.

97. Sed contrà prædicta aliud obstare videtur. Nam stylum curiæ, qui facit legem, esse, vt modo non pateat transitus vnius Religionis ad aliam etiam arctiorem, nisi de licentia S. Congregationis Regularium, & causa in ea cognita, vel saltem in S. Pœnitentiaria tradunt Peyr. in *subd. Relig. quæst.* 1. *cap.* 24. Amayd. *in praxi Datariæ lib.* 1. *cap.* 25. *quæst.* 16. *num.* 332. Vbi quod tunc non apponitur clausula *de licentia superioris*, iuxta notata per *Mandos. signat. grat. tit. licentia vers. quando verò Religiosus*. Sed certè mihi constat, quod S. Congregatio multoties non concedit licentiam ad huiusmodi transitum, nisi accedente consensu superioris Religionis à qua transitur. Quamuis enim verissimum sit sæpissimè Regulares petere à S. Congreg. Regular. vel à Pœnitentiaria licentiam transeundi ad aliam Religionem, etiam arctiorem, hoc prouenit, vel quia ipsi ex speciali statuto prohibiti sunt transire sine licentia Sedis Apostolicę, quod certè pluribus Religionibus prohibitum fuit, & patet ex dictis *nu.* 88. Secundò, quia petunt licentiam transeundi ad laxiorem Religionem. Tertiò, quia cum modo sub opinione sit, & valdè sit controuersum, quid intelligatur nomine Religionis arctioris, ad ad quam liceat transitus, & an hæc, vel illa Religio sit arctior, & de facili Prælati præsumunt suā esse arctiorem, & proptereà se posse impedire exitum sui subditi, ideò transire volentes ad fugiendam omnem litem, & vt habeant pacificum transitum ad S. Congr. recurrunt. Quod tamen adsit lex, quæ prohibeat vniuersaliter ne Religiosi in terminis *cap. licet, de Regul.* non possent transire ad arctiorem, mihi non constat. Et quod talis lex non adsit colligitur ex decreto Vrbani Octaui de Apostatis supra relato *num.* 53. in quo Prælatis præcipitur ne permittant suos transire ad arctiorem, nisi illis constet Religionem ad quam transitur esse paratam illum recipere, igitur admittitur, quod transitum hunc permittere possint, si illis constet Religionem arctiorem esse paratam recipere. Sed modo tot sunt prohibitiones transeundi sine licentia Sedis Apostolicæ, & ità litigiosum est, an hæc, vel illa Religio sit arctior, vt vix possit dari pacificus, & quietus transitus sine recursu ad Sedem Apostolicam.

98. Stante verò, quod speciali lege non sit prohibitum in aliqua Religione transire ad arctiorem de licentia sui Prælati, numquid Prælatus tenetur petenti licentiam concedere? Respondetur, quod si Prælatus est dubius de maiori arctitudine Religionis ad quam subditus vult transire non tenetur dare licentiam, imò nec potest, quia sibi non constat de iure, quod habet subditus exeundi, & priuandi Religionem suam, cui se donauit. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 12. *num.* 34. quod si sit certum licentiam non debere concedi, vt quia Religio non est arctior, vel transitus ad illam petitur ex temeritate, peccat superior licentiam concedens. Miran. *quæst.* 31. *a.* 6. *concl.* 1. à S. Fausto *l.* 5. *quæst.* 342. quos sequitur Tambur. *t.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 3. *num.* 4. Vbi quod Prælatus, neque huiusmodi licentiam dare potest in grauem iacturam, & infamiam sui Ordinis. Quod tamen cautè est admittendum, & iuxta declarata *supra num.* 16. Sed si est certus de maiori arctitudine Religionis ad quam, tenetur licentiā concedere de iure communi. Si tamen Religio sua habeat priuilegium, vt Religiosi

non

non possit transire ad arctiorem nisi Prælati licentia obtenta, tunc Prælatus illam non potest negare sine iusta causa Suarez *tom. 4. tr. 8. l. 3. cap. 10. num. 17.* quem sequitur Tambur. *to. 3. disp. 7. q. 1. num. 5.* Et si eam sine causa iusta neget peccat mortaliter. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. licet, num. 15. de Regular,* potest verò ea causa iusta, & inter causas iustas, vna est, si Religio eo Religioso valdè indigeat; Nam priuilegium huiusmodi, vt non liceat Religioso transire ad arctiorem sine licentia obtenta consueuit dari ad Religionum indemnitatem, & conseruationem.

SVMMARIVM.

1 *Quid de transitu ad Carthusiam. nu. 99.*
2 *Et ad Camaldulenses. num. 100.*

99. His verò visis in communi de transitu ad Religiones remanet videndum quando liceat transitus ad Carthusiam, & ad Eremum Camaldulensem. Et quidem si priuilegia supra recensita essent communicabilia, non liceret transitus ad Carthusiam sine licentia sedis Apostolicæ, per priuilegium Pauli Quinti in const. Romanum docet Pontificem 20. datum 16. Maij 1616. vt supra *num. 63.* Et ita tenet Ant. à Spir. S. *tract. 3. disp. 6. num. 755.* Sed supposito, quod huiusmodi priuilegia non sint communicabilia remanet difficultas, an modò liceat transitus ad Carthusiam licentia proprij Prælati petita, & non obtenta. In qua difficultate hoc est certum licentiam obtentam requiri in transitu ad Carthusiam à Cassinensibus, Hieronym. Discalceatis SS. Trinitatis Cong. Hispaniæ, Capucinis, & Carmelitis Discalceatis, quia istæ, Religiones habent priuilegium, vt ab illis non possit dari transitus sine licentia superiorum, vel non excepta Carthusia, vel ea expressè inclusa. Sed & idem puto dicendum de Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis San. Aug. Carmelitis, & Minimis, vt patet ex relatis supra *num. 55.* quia ex eorum Mari Magno absolutè nulla facta exceptione Carthusiæ, quælibet alia Religio prohibetur recipere dictorum Ordinum Religiosos sine licentia suorum superiorum venientes. Nec obstat, quod S. Cong. Regularium de mense Martij 1596. rescripserit Generali Carthusianorum. *Non posse Regulares mendicates transire ad alium Ordinem praterquam ad Carthusiam.* Quia non per hoc S. Cong. dixit Mendicantes posse transire ad Carthusiam sine sui Ordinis licentia, sed in terminis extrauag. Viam ambitiosæ de Regular sine licentia speciali Sedis Apostolicæ. Sed & certum esse debet ad Carthusiam licentia petita, & non obtenta posse transiri à quocumque Ordine, qui sit imperfectior, vel cui concessum sit, vt ad Carthusiam petita sui superioris licentia, licet non obtenta transiri possit. Verum Reuerendiss. Fagnan. *in cap. Sanè, num. 59.* arbitratur, quod absolutè ex quacumque Religione datur transitus ad Carthusianos, quamuis ipsi transire possint ad Camaldulenses Eremitas, sed dicendum est, hunc transitum non esse licitum licentia sui superioris non obtenta, nisi si transitus sit à Religione imperfectiori. vel habente statutum speciale in quo hoc sit concessum. Ex quod alias à Religionibus, quæ ex fine, & medijs perfectiores sunt, hic transitus non est licitus. Hoc autem probatur, quia contraria sententia fundatur super altero ex duobus principijs, quorum nullum meritò admittitur. Reuerendiss. Fagnanse fundat in extrauag. Viam ambitiosæ, de Regularibus in qua à mendicantium Ordinibus conceditur transitus ad Carthusiam. Sed vt supra est consideratum, in ea extrauag. conceditur transitus sine necessitate licentiæ specialis Sedis Apostolicæ, quia Carthusia excipitur ab ea prohibitione per quam prohibentur Mendicantes transire ad Ordines Monachales sine Papæ speciali licentia. Ex hoc verò non potest deduci, quod hic transitus liceat nulla obtenta licentia à suis Prælatis. Aliud principium est, quod Ordo Carthusię sit arctissimus quantum ad imporales austeritates in transitu verò de vno ordine ad alium permittendo consideratur huiusmodi corporalis asperitas, & arctitudo; sed certè de iure naturæ, aut diuino non asperitas corporea principaliter attenditur, sed maior proportio eorum ad quæ Religio obligat ad perfectionem vitæ acquirendam, seu maior arctitudo virtutis, & charitatis, vt abundè supra est probatum, & legenti *cap. licet de Regularibus* in quo datur facultas transeundi licentia petita licet non obtenta, manifestum est, quod Pontifex pro eodem habet Religionem arctiorem, & sanctiorem, & perfectiorem. Quod si dicatur praxim esse, vt in ea Religione recipiantur Religiosi venientes etiam licentia non obtenta. Respondetur quod de hac praxi mihi non constat, & si in hoc consuetudo adest, quod est fundata super opinione eorum Canonistarum, qui putant licere transitum à Religione corporaliter, & quantum ad extrinsecas austeritates minus arcta ad arctiorem. Quod tamen rationi naturali manifestè repugnat, quia perfectio charitatis est quærenda, & summè quærenda, ideò relinquere viam aptiorem imò obligantem ad ea, quæ magis conducunt ad perfectionem charitatis, propter corporeas austeritates assumendas est descendere, & retrocedere. Et isti Canonistæ inconsequenter loquuntur. Nam optimè docent non licere Episcopo à statu Episcopali laxiori quantum ad corporeas extrinsecas austeritates transire ad Religionem etiam zelo humilitatis, & deuotionis, quia hoc esset retrocedere, & à maiori perfectioni recedere, quia status Episcopalis ex eo, quod ordinatur ad curam animarum est perfectior *cap. Nisi cum pridem. eo. de Renunciat.* vbi DD. communiter de quo alias dictum fuit supra *& d. cap. licet de Regular.* Et postea volunt, quod à Religionibus Ordinatis ad contemplata communicanda pro salute animarum, quæ ex instituto obligant suos, vt in cura animarum sint adiutores Episcoporum liceat etiam nulla alicuius obtenta licentia transire ad alias Religiones eo titulo, quod in corporeis extrinsecis austeritatibus excedant, etiam si studium curæ animarum omninò excludant. Nisi igitur Carthusia habeat speciale priuilegium, vel non adsit consuetu-

ſuetudo legitimè præſcripta, de qua mihi, non conſtat, non poteſt recipere venientes ad ſe ex religionibus, quæ ſunt ex hoc perfectiores, ſi veniant ſine licentia ſuorum ſuperiorum. Videantur Palud. 4. *d.* 38. *q.*3. *a.* 1. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 16. *c.* 4. §. 4. Syluеſ. *v. Religio* 4. *q.*6. Suarez *tom.*4. de *Relig. tr.*8. *l.*3. *c.*12.

100. Camaldulenſes verò Eremitæ de quibus mita dicunt Io. Andr. *ad cap. Sanè de Regular. num.*11. & Butr. *num.*8. obtinnerunt indultum ab Eugen. 4. In conſtit. quæ incipit: Illaquæ, edita 8. Cal. Nouem. 1435. & eſt in Bullar. Rom.8. per quod illi Ordini conceditur facultas recipiendi omnes Religioſos etiam Carthuſianos ad ſe venientes petita licet non obtenta à ſuis ſuperioribus licentia. Sed Reuerendiſs. Fagnanus *ad d. cap. Sanè num.*63. ait, quod quia dicta Eremus à rigore primæui inſtituti plurimum declinauit, fortè hodie non liceret ex Ordine Carthuſienſi ad dictam Eremum conuolare, quamuis ex vnione facta cum Eremitis Montis Coronæ ſubſit ſpes proxima reformationis. Sed Nicolius ad *tit.* 31. *de Regul. num.*5. arbitratur, quod priuilegium illud Eug. 4. ſit reuocatum per *conſtit.* 89. Pij Quinti, in qua huiuſmodi indulta vniuerſaliter reuocauit, vndè manſerunt abrogata ſimilia indulta conceſſa Ordini S. Antonij Vienen. & S. Spiritus in Saxia Romæ, & aliorum. Et licet ibi expreſſe Pontifex non nominet Ordinem Camaldulenſem cum tamen plures laxiores exprimat, dici poteſt, quod non fuit neceſſe illum Ordinem exprimere, quia Bulla Eug. 4. in qua illud indultum continetur, non habet clauſulas in futurum derogatorias ob quas fuerit neceſſe, vt illius Ordinis fieret mentio expreſſa. Verùm hoc indultum fuit confirmatum, & innouatum non à Greg. 13. in Conſtit. cum incertua 66. vt dixit ibi Nicolius, ſed à Sixto Quinto pro Congregat. Eremi Montis Coronæ in ſua *conſt.* 35. Caſſinenſes tamen, non poſſunt ad Camaldulenſem Ordinem tranſire ſine ſui Ordinis licentia, vt dictum eſt, ſupra *num.* 64. ex priuilegio Leonis Decimi, ſed dici poterit huic priuilegio eſſe derogatum per dictam Conſtitut. Sixti Quinti, reſpectu tamen Eremi Montis Coronæ. Sed & Carmelitæ diſcalceati habent priuilegium, vt nec ad Camaldulenſes poſſint tranſire ſine licentia ſummi Pontificis, vel ſaltem ſui Ordinis, vt patet ſupra *num.*63. Capucini etiam nec ad Carthuſiam, nec ad quemcumque Ordinem poſſunt tranſire ſine ſui Generalis licentia, vt ſupra *num.* 62. Sic igitur dicitur, quod per ſe piæcilo indulto Apoſtolico Camaldulenſes, non poſſunt recipere niſi Religioſos venientes ex Ordine laxiori, & imperfectiori. Si veniant licentia non obtenta ab ijs, ad quos de iure ſpectato verò Apoſtolico indulto, recipere poſſunt eos, qui non habent priuilegium ne poſſint recipi non obtenta ſuorum ſuperiorum, vel Sedis Apoſtolicæ licentia.

SVMMARIVM.

a *Indulta recipiendi Religioſos venientes reuocata per Pium Quintum. nu.*101.
2 *Indultorum alia permittunt recipi venientes, & alia prohibent tranſeuntes ſine licentia, & prima reuocata &c. num.*102.
3 *Pius Quintus cur irritauit profeſſiones aliquorum. nu.*103.
4 *Prohibere ne Religioſi ſine licentia obtenta poſſint tranſire ad alias Religiones eſt iuſtum multipliciter. nu.*104.
5 *Priuilegia per quæ prohibetur tranſitus ſine licentia comprehendunt etiam tranſitum ex iuſta cauſa. nu.*105.
6 *Militares Ordines quomodo poſſint tranſire ad Clauſtrales. nu.*106.
7 *Suppoſita cauſa iuſta tranſeundi manifeſta in Religionibus in quibus prohibetur tranſitus ſine licentia Papæ, inferior non poteſt licentiam dare. nu.*107.
8 *Religio habens priuilegium, vt eius ſubditi non tranſeant ad aliam Religionem Papa inconſulto, non amittit hoc priuilegium ſi relaxetur. num.*108.

De tranſitu ad laxiorem, vel æquè arctam Religionem.

INSPECTIO II.

101. QVoniam aliquæ ſunt Religiones, quæ à Sede Apoſtolica habuerunt indultum recipiendi aliorum Ordinum Religioſos prius nonnulla circa huiuſmodi indulta conſideranda ſunt. Et quidem primò conſideranda eſt prohibitio Pij Quinti in ſua conſtit. *Quæcumq.* 89. data 14. Octob. 1569. in qua reuocat omnia indulta, & priuilegia quibuſcumque conceſſa ordinibus, in quibus præter iuris communis diſpoſitionem illis datur facultas recipiendi profeſſos aliorum ordinum, etiam pij operis intuitu, & ex quibuſcumque cauſis quantumuis grauibus, & neceſſarijs irritum declarans, quidquid in contrarium fuerit attentatum. Imò receptos ante ſuam Conſtitutionem mandat reuocari ad priſtinos ordines.

102. Conſiderandum verò eſt ſecundò diſtingui priuilegia concedentia aliquibus religionibus facultatem recipiendi ad ſe venientes, à priuilegijs prohibentibus receſſum ab aliquo ordine, & tranſitum ad alios; Nam aduertit Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.*8. *l.* 3. *cap.*12. *num.*1. quod Prioris generis priuilegia ſunt à iure communi exorbitantia, & ſi ſunt fauorabilia vni religioni, ſunt alijs odioſa, & poſſunt inter religiones generare ſcandala, & diſſenſiones, & facilè etiam poſſunt peruerti in relaxationis, & inconſtantiæ occaſionem, ideò meritò reuocata fuerunt à Pio Quinto, imò, & prius in extrauag. viam. de regularib. & ab alijs etiam Pontificibus reſpectu huius, vel alterius ordinis, vt habetur, ex ſupradictis. Sed priuilegia ſecundi generis; nulli ſunt odioſa, & directè conſulunt quieti, immunitati, conſeruationi, & augmento religionis, cui conceduntur, & alijs non nocent, quia ſolum vetant ne religiones cum alterius præiudicio proficere poſſint, quod eſt maximè conſentaneum charitati. Et

ideò

Ideò huiusmodi priuilegia nedum non fuerunt reuocata, sed in dies magis, ac magis multiplicata. Verùm hæc secunda pars non est omninò vera, quia prohibitio non est concessio alicuius facultatis, & actionis, sed est priuatio, vndè ad odia reducitur, nec propriè est priuilegium, vt etiam supra fuit dictum. Sed & non potest negari, quod hoc non cedat in præiudicium aliquod aliarum Religionum non posse ad se venientes recipere. Verum tamen est, quod valdè odiosum est Religiosos vnius Ordinis posse sine licentia, vel eiusdem ordinis, vel Sedis Apostolicæ transire ad aliam Religionem, & ideò statuta prohibentia transitum sine huiusmodi licentia nedum non sunt reuocata, sed in dies magis multiplicata, quia huiusmodi prohibitio valdè conducit ad bonum Religionum. Et sic non est distinctio inter illa indulta, quia prima contineant rem odiosam secunda non, sed quia prima rem magis odiosam continent, & sunt minus vtilia, secunda verò minus odiosa, & valdè magis vtilia, licet ex fine Pontificis legislatoris omnia illa indulta ad fauorem Religionum emanauerint, & boni communis.

103. Considerandum est tertio, quod Pius Quintus rationabiliter annullauit professiones eorum, qui non ex præscripto iuris communis, sed ex vi priuilegiorum recepti fuerant in alijs religionibus. Quia licet professiones illæ validæ essent, quia priuilegia antequam fuissent irritata, valida fuerant. Nihilominus Pontifex potuit illas professiones inualidare quantum ad hanc partem, vt tales professi relicto posteriori ordine ad priorem desertum redirent. Quia hoc non est inualidare professionem quantum ad substantiam, sed solum quantum ad determinationem in hac, vel illa religione, seu in hoc, vel illo Monasterio. Huius verò rationem reddit Suarez loco citato, quia totum hoc pendet ex iure humano. Sed propria ratio est, quia Pontifex est supremus Prælatus, sub cuius supremo regimine, & directione vnusquisque religiosus profitetur, Ideò sicut Generalis vnius ordinis potest subditos suos de Conuentu ad Conuentum, & de Prouincia ad Prouinciam transferre; sic potest Papa religiosos de religione ad religionem transportare, etiam inuitos, respectu enim Pontificis plures religiones se habent sicut in eadem religione plures Prouinciæ ac Conuentus. Neque hic est propriè aliqua professionis, vel voti irritatio, quia permanentia in vna vel alia religione est materia absolutè promissa, sed sub directione, & dispositione summi Pontificis, & quarecumque, & quomodo eidem visum fuerint ob iustas, & rationabiles causas.

104. Quarto autem considerandum est sine dubio Pontificem posse cuiscumque religioso prohibere ne a minus arcta religione ad magis arctam transeat sine expressa, & obtenta licentia suorum superiorum, & eiusdem Pontificis. Et huius prohibitionis iustitia ex multiplici capite deducitur. Primò, quia an aliqua religio sit arctior alia respectu multarum religionum est res valdè dubia sicuti & dubium est, ob opinantium varietatem, an arctitudo mensurari debeat, vel ex maiori austeritate corporea, vel ex perfectiori statu. Vndè hoc non fuit relinquendum priuatorum iudicio, sed conuenienter est reseruatum determinationi superiorum. Secundò nam esto ex genere vna religio manifestè sit arctior altera, tamen non statim ex hoc bonum est minus arctam deserere; quia potest esse, quod arctior in indiuiduo sit minùs proportionata religioso, & qui etiam in illa minus proficere possit, quam in propria, vel alia minus arcta facere potest. Et in propria causa facile est quemque decipi, ideò incte meritò negotium transeundi ad arctiorem religionem discutiendum committitur superioribus, imò Pontifici reseruatur, cuius est decernere an aliqua religio sit, vel non sit arctior. Tertiò quia difficultas deserendi propriam religionem, & transeundi ad aliam est valdè vtilis ad conseruandam pacem, & quietem religiosorum inter se, & stabilitatem singulorum religiosorum, ideò licet vni, vel alteri religioso possit esse incommoda, hoc moraliter intuito boni communis non est valdè æstimandum, cum ex vna parte non impediatur hic transitus simpliciter, sed solum modus transeundi determinetur, & difficilior reddatur; Tum quia nulla est religio in qua religiosus non possit esse perfectus si velit. Cum ergo hæc maior difficultas deserendi primam vocationem, & religionem matrem, quæ religiosum genuit, & aluit, redundet in vtilitatem communem religionis, & priuatam eiusdem, qui transit, quia, & non tam de facili decipitur, & detinetur ab occasione peccandi in huiusmodi transitu, & si transit, redditur in conscientia securior. Ideò Summi Pontifices prudenter, & iustè hunc transitum prohibuerunt nunc vnius nunc alterius religionis religiosis, vt aduertunt Suarez *dicto cap. 12. num. 7.* Corduba in reg. S. Franc. *cap. 2. quæst. 17. part. 4.* Sanchez *lib. 6. Mor. cap. 7. num. 10.*

105. Verum quinto attendendum multos velle; vt locum hic habeat interpretatio *cap. licet de Regularibus*, vt sicut Innocentius Tertius in contextu antiquorum Pontificum statuta prohibentium ne religiosus sine sui prælati licentia transiret ad aliam Religionem interpretatus est, vt intelligantur de illis religiosis, qui temere, & ex leuitate transeunt, non verò de illis, qui ducti desiderio melioris vitæ ad ordinem arctiorem se transferunt, quia in istis requiritur quidem licentia, sed sufficit licentia petita, licet non obtenta, ita hic dici possit Pontifices prohibuisse hunc transitum, vt est ex leuitate, & temeritate, non verò vt procedit ex desiderio melioris vitæ. Quamobrem, quod etiam si Religio laxior habeat priuilegium, vt eius religiosi non possint ad aliam transire sine obtenta licentia superiorum, nihilominus talis Ordinis Religiosi, qui non ex leuitate, sed ex zelo perfectionis mouentur possint ad arctiorem transire petita, & non obtenta licentia, quia indulta & priuilegia solum prohibeant transitum ex leuitate, & temeritate, dixerunt: Nauar. *consil. 52. num. 2. de Regul. num. 1.* Cuch. *Instit. l. 3. tit. 1. num. 132.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 14 q. 4.* Regin. *l. 28. num. 412.* & Rota in Bononien. professionis 14. Martij 1622. coram Merlino. Quos refert, & sequitur Tambur. *d. 7. q. 1. n. 4. p. 3.* sed huic sententiæ aduersantur expressa verba priuilegiorum. Et citata dec. Rotæ quæ est 363. *num. 46. par. 4. tit. 2. Recent.* loquitur de priuilegijs, quæ concessa fuerant ante Innoc. 3.

conditorem *d. cap. licet ; de Regul.* Nam primo Pontifices expresse requirunt ad huiusmodi transitum licentiam nedum petitam, sed obtentam, vt in Constit. Leonis 10. *licet*, pro Cassinentibus, *nisi à suis superioribus licentiam petierint, & obtenuerint*, & ex Const. *Æquum* Pij Quarti, & Quinti pro Societate, ibi, *absque expressa superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta*. Imò & hanc licentiam debere obtineri in scriptis, habetur ex Constit. Vrbani Octaui, *Iniuncti*, pro Capucinis, ibi, *nisi de ministri Generalis licentia in scriptis obtinenda*. Et similia in alijs priuilegijs habentur. Tum secundò quia in huiusmodi priuilegijs excluditur etiam prætextus melioris, & perfectioris vitæ. Vt in Constit. Pij Quarti, & Quinti pro societate, ibi, *etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ*. Et clariùs Paulus Quintus in constit. aliss, pro Carmelitis discalceatis, & Vrbanus Octauus in constitutione *commissi* pro Discalceatis SS. Trinitatis, ibi, *etiam emissionis quarti voti, seu perfectioris, & humilioris vitæ præsumptione, aut strictioris regulæ, seu obseruantiæ prætextus, vel contemplatione, aut alia quantumuis iusta, & probabili, aut legitima causa*. Etenim semper attendi debet, quod non prohibetur transiens ad vitam meliorem simpliciter, sed statuitur modus securus transeundi. Hic enim transitus dubiæ laudabilitatis est, tum ex parte terminorum, quia non de facili constat de maiori, & minori Religionum arctitudine, tum ex parte transeuntium, quos Satan in Angelum lucis transfiguratus potest sub boni specie decipere, vel praua cupiditas ad decipiendum superiores inducere; ideò cum alias hic transitus vix fieri possit sine alterius Religionis damno, & vtique sit ocasio inquietudinis, meritò Pontifices statuerunt pro quam pluribus Religionibus, vt eorum Religiosi non possint ad alios Ordines transire ex quocumque prætextu sine obtenta licentia, vel sui Ordinis, vel etiam Sedis Apostolicæ.

106. Hinc ferri potest iudicium de eo, quod habet Tambur. *tom. 3. disp. 7. q. 1. num. 81.* nimirum Religiosos Milites in Claustris non degentes posse transire ad Religiones Claustrales sine licentia suorum superiorum, vt consuetudo iam obtinuit, & fuit decisum in Bononien. professionis 14. Martij 1625. coram Merlino. Et hoc etiam si Militum Religio habeat priuilegium, ne sui Milites possit ad aliam Religionem transire sine sui superioris licentia. Nam bene verum est, quod iure communi spectato Milites Religiosi possunt licentia petita, & non obtenta ad Ordines Claustrales, & Regulares Mendicantes, aut Monachales transire, quia isti sunt perfectiores, & arctiores, & consuetudo sic transeundi est conformis iuri communi. Sed vbi Ordo aliquis Militaris habeat prohibitionem Sedis Apostolicæ, nō transeundi ad aliam Religionem sine licentia obtenta, statutum debet obseruari, nisi in contrarium sit consuetudo legitime introducta. Et in citata decis. Rotæ quæ est *par. 4. tom. 2. dec. 365.* consideratum fuit, quod indultum Anastasij Papæ pro Equitib. Hierosol. fuerat datum ante Innoc. 3. & per eum declaratum, *in cap. licet*, vt non comprehendat casum transitus ad arctiorem, & ideò quantum sit ex iure communi eadem Rota ibi *num. 36. & 37.* voluit potuisse transiri ab Ord. Equitum Hier. ad Bernabitas, & vniuersaliter ad Religiones Claustrales tanquam ad perfectiores, & arctiores, & duriores imò *num. 42. & seq.* arbitratur, quod vbi Religiosus verè transit ad Religionem arctiorem ex deuotione non sit necessitas petendi licentiam, quia vbi Spiritus Dei ibi libertas. Quod quidem verum est de necessitate iustitiæ, non tamen de necessitate honestatis, & humilitatis.

107. Supposito autem, quod subditus habeat iustam, & manifestam causam transeundi ad arctiorem Religionem, & in indiuiduo hic transitus sit de meliori bono, & quod Prælato hoc constet, & simul constet de animo beneuolo Religionis arctioris, aliqui existimant superiorem ipsum teneri in conscientia licentiam concedere, nisi ex tali transitu timeat suæ Religioni graue damnum, quia in tali casu potest remittere postulantem ad summum Pontificem. Et hoc probant, quia per se loquendo, nec *summus Pontifex* posset in indiuiduo tali Religioso licite licentiam transeundi negare, & illi impedire viam perfectionis, quamuis per accidens ex necessitate boni communis Pontifex possit aliud ordinare, & hunc transitum negare. Igitur in hoc casu prælatus facit iniuriam subdito si illi neget licentiam, & illum remittit ad Pontificem. Ita Suarez *dicto tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 15. num. 9.* Et quidem rationabiliter spectato solo priuilegio prohibente transitum hunc sine licentia prælati obtenta, quia hoc priuilegium non est datum, vt sit impedimentum quærenti ex puro corde meliorem vitam, ideò vbi prælato constat subditum suum ex recta intentione postulare transitum ad Religionem verè perfectiorem, & arctiorem, non potest illam negare, quamuis si videt inde notabile damnum futurum propriæ religioni ex carentia transeuntis possit hunc postulantem remittere ad Pontificem, & licentiam negare, cum priuilegia huiusmodi soleant concedi ad conseruandas Religiones. Sed stante priuilegio tam pluribus Religionibus concesso, per quod prohibetur hic transitus sine licentia Pontificis, vel saltem S. Congregationis non video cur superior Religionis priuilegiatæ, non possit tuta conscientia in quocumque casu remittere postulantem ad Pontificem, vel Sacram Congregationem, imò nedum potest remittere, sed ad id tenetur, & non potest suo subdito dare licentiam transeundi, cum eam concedere sibi Pontifex reseruauerit. Nam & ex huiusmodi priuilegija, aut statutis Pontifex, seu S. Congregatio habet ius, vt eo, vel ea inconsulta hic transitus non sit permissus. Quod tamen vt supradictum fuit virtute communicationis priuilegiorum, non competit alijs Religionibus, sed illis solis pro quibus est interdictus transitus ad alias Religiones, sine speciali licentia Papæ, vel S. Congregationis.

108. Quærit etiam Suarez an Religio cui concessum est priuilegium, vt eius Religiosi non possint ad aliam Religionem transire nisi de licentia superioris sui obtenta, si ab obseruantia decedat, amittat huiusmodi priuilegium. Et respondet *dicto cap. 12. num. 14.* quod in conscientia si euidenter constaret de multa Religionis illius mutatione ab obseruantia suorum statutorum cessaret obli-

obligatio talis prohibitionis. Quamnis quia vix constare potest de tanta mutatione Religionis, quæ ad hoc sufficiat, ideò præsertim in foro externo Religio suo priuilegio priuari non debet, donec priuata declaretur. Sed addendum est, quod ratio adæquata concessionis talis priuilegij non est obseruantia exacta Religionis, vel eius arctitudo aut maior perfectio. Licet enim Pontifices aliquando ex Religionis obseruantia moti sint ad huiusmodi priuilegium illi concedendum; Tamen illa sola non fuit ratio vnica legis, sed aliæ sunt causæ huius prohibitionis, nimirum iusta præsumptio leuitatis, & vanæ cupiditatis in petente transitum; religionum inquietudo ex huiusmodi transitu occasionatum; impedimentum boni religionis ex libertate huius transitus oriens; & damnum, quod religioni deserend prouenit ex huiusmodi transitu. Quod damnum maius est, & periculosiùs in religionibus minus obseruantibus; quia religiosus, qui ex puro affectu cupit perfectiorem religionem, non erit regulariter, nisi valdè bonus, & ideò religioni propter relaxatæ valdè vtilis, ac necessarius, & religioni arctiori paruam vtilitatem faceret. Ideò nedum perfectioribus, & obseruantioribus, sed imò minus obseruantibus, ne magis ruant, valdè conuenit priuilegium hoc, vt religiosi volentes transire ad aliam religionem obligentur nedum ad obtinendam licentiam à proprio superiore, sed etiam à Pontifice, vel à S. Congregatione.

SVMMARIVM.

1 *Indicantur plures opiniones.* nu.109.
2 *Ad non arctiorem non licet, transitus nisi licentia obtenta.* n.110.
3 *Pontifex potest concedere licentiam ad non arctiorem.* n.110.
4 *Transitus ad non arctiorem non potest concedi sine iusta causa.* n.111.
5 *Transitus ad aqualem sine iusta causa de licentia Papa, an sit validus.* n.112.113.
6 *Maxima potestas Pontificis in transferendo Religioso de vna ad aliam Religionem.* numer.113.
7 *Nullus inferior Papa potest alienare personam Religiosi illamque tradere alteri Religioni.* num.113.
8 *Transitus ad laxiorem sine iusta causa ex cuiuscumque licentia est nullus in foro conscientia.* num.114.
9 *An inferiores Papa ex iusta causa possint concedere transitum ad aqualem, vel laxiorem, varie fuit opinatum.* nu.115.116.
10 *In Religionibus in quibus est interdictus trasitus sine licentia Papa nullus inferior potest concedere licentiam transeundi.* n.117.
11 *In Extrauag. ambitiosa interdicitur transitus etiam cum causa iusta si fiat sine licentia Papa.* num.117.
12 *Nullus inferior Papa potest dare licentiam ad non arctiorem.* n.118.
13 *Ex Conc. Trid. interdictus transitus ad laxiorem.* n.119.
14 *Sixtus Quintus Congregationi Regularium negauit facultatem licentiandi ad non arctiorem.* numero 120.
15 *Decretum S. Congregationis Regularium, per quod decernitur Generales non posse dare licentiam ad non arctiorem.* n.121.
16 *Intellectus Cap. significatum, de Regular.* numero 122.
17 *Priuilegium Societatis,* n.123.
18 *Pro,ffio ,ncta in laxiori à transeunte ab arctiori est nulla.* n.124.
19 *Primo si fiat sine iusta causa. ex qua ratione etiam transitus ad arctiorem esset nullus.* numer.124.
20 *Professio in alia religione potest esse nulla ex defectu licentia.* nu.125.
21 *Et hoc etiam in transitu ad arctiorem, si transitus sit prohibitus haberi sine licentia, & cum decreto irritante.* n.125.
22 *Transitus ad non arctiorem sine licentia Papa est nullus ex defectu licentia.* n.126.
23 *Vota in aquale, vel in minus non possunt sine auctoritate superioris commutari.* n.126.
24 *Transitus ad non arctiorem est nullus ex defectu consensus Religionis.* n.128.
25 *Nulliter professus in secundo religione potest imò debet redire ad priorem.* n.127.
26 *Nulliter professus in secunda Religione qua actione possit renocari.* n.129.
27 *Vbi professio nō sit nulla non datur renocatio.* 129.
28 *Attentatus ingressus prius debet purgari.* numer.130.
29 *Lite pendente religiosus, qui trasiit manet in secunda religione.*
30 *An secundum Monasterium teneatur defendere ingressum.* nu.131.
31 *An secundum Monasterium teneatur admittere religiosum, qui in lite obtinuit, vt declaretur validus eius transitus.* 132.

Transitus ad Religionem non arctiorem illicitus sine licentia Papa.

INSPECTIO II.

109. COmmunis valdè sententia est DD. Prælatos ordinum Regularium de iure communi posse ex iusta causa concedere suis subditis licentiam transeundi nedum ad ordinem æqualis arctitudinis, sed etiam laxioris. Quam quidam limitant ad casum, in quo non sit facilis aditus ad Pontificem. Et inquirentes quisnam sit hic superior, qui hanc licentiam valeat concedere, alij dicunt esse Episcopum, alij Abbatem, seu prælatum localem, alij ad solum Prouincialem, & Generalem spectare asserunt, ex quibus alij requirunt etiam consensum Conuentus, alij necessarium illum non putant. Hos verò DD. abundè referunt Sanchez *l. 6. mor. cap. 7. a. n.50.* & Barbosa *l. 1. de iur. Eccles. c.* 42. Caramuel autem in Regulam S. Benedicti *disp.* 45. *num.* 539. existimat, quod Abbas nullum inuitum potest excorporare à Religione sine causa. Postulantem verò standò vni, & soli Regulæ potest de consen-

su suæ communitatis; & sic consentientibus partibus etiam nulla existente causa potest Religiosus excorporari à Religione consentiente tamen Conuentu. Ratio illius est, quia promissio stabilitatis, quam faciunt Benedictini directè fit Monasterio non Deo; igitur illi met, quibus fit hæc promissio illam possunt condonare. Et videtur hoc habere fundamentum ex ijs, quæ de professione Religiosa dicuntur, nimirùm quod in ea fiunt duæ promissiones, quarum vna fit hominibus, seu Religioni, per quam Religiosus tradit se Religioni, & alia fit Deo, cui promittitur obseruantia promissionis factæ Religioni, de qua re videri possunt, quæ dicta sunt *supra quæst.* 186. *a.* 6. *à num.* 14. *pag.* 485. sic ergo cum promissio humana sit dissolubilis de consensu partium, videtur quod talis sit professio Religiosa; nec obstat vinculum voti, quia cum eius materia sit promissio humana, illa dissoluta cessat materia, & vinculum voti. Sed hæc sententia falsa prorsus est, & reijcienda. Non enim omnis contractus humanus est dissolubilis de consensu partium, aliter matrimonium de consensu partium sine causa dissolui posset, quod quidem prorsus falsum est sunt ergo contractus, qui ex eorum natura perpetuitatem talem habent, vt ex solo partium consensu dissolui minimè possint. Et talis contractus, seu cõuentio est religiosa professio, vt nũc suppono tamquam certum secundùm communem Theologorum, & Canonistarum sententiam, & probatur infrà suo loco: Et pro nunc ad rem nostram considerandum est, quod promissio humana, seu traditio per quam profitens se tradit Religioni non est merè humana, sed est religiosa, & virtutis religionis actus, & non fit intuitu commoditatis Religionis, sed intuitu diuini cultus, & obsequij, vt in perpetuum reddendi Deo in statu Religioso, qui etiam ex sui natura perpetuitatem postulat iuxta D. T. & dicta supra *qu.* 183. *a.* 1. Itaque qui profitetur se in seruum, & filium, & subditum perpetuum dat se Religioni intuitu perpetui cultus, & obsequij Deo reddendi, & Religio hanc perpetuitatem approbat, & acceptat, & cum posteà hoc totum confirmetur voto, professio ex omni parte petit perpetuitatem, nec est ex solo partium consensu dissolubilis.

110. Hoc ergo supposito ex communi sententia. Et ab incertis certa distinguendo. Primò manifestum est ad hoc, vt religiosus transeat ad aliam religionem æqualis, vel minoris arctitudinis non sufficere licentiam petitam, sed requiri obtentam. Caiet. in hoc *art.* Sanchez *l.* 6. *in Dec. cap.* 7. *num.* 16. Fagnan. *ad cap. licet num.* 32. *de Regular.* & alij cõmuniter. Tum primo ex natura rei, quia vix intuitu maioris perfectionis religiosus, qui se vni religioni donauit, potest se tollere, & alteri religioni donare: Conditio enim tacita in professione contenta, non est, quod religiosus possit ad placitum religionem deserere, & statum mutare, sed solum si intuitu melioris vitæ, ad arctiorem religionem voluerit transire. Vndè religione inuita non potest religiosus se ad aliam non meliorem transferre. Tum de iure communi. Quia in *cap. licet de regularibus*, ad solam arctiorem religionem permittitur transitus licentia petita; & non obtenta. Certum est secundò, Pontificem hãc licentiam concedere posse. Quia Pontifex potest cum religiosis in votis dispensare. Et respectu illius mutatio religiosi de religione ad religionem se habet, sicut respectu vnius Prouincialis mutatio vnius religiosi de vno Conuentu ad alium; nec ipse approbat religiones, nisi vt subiectas suæ administrationi, & quilibet religiosus in sua professione se donat Deo, & religioni sed sub regimine Pontificis, cui cura vniuersalis omnium religionum, & Ecclesiæ est commissa; vndè ratione boni communis potest religiosum à quacumque religione ad quamcumque religionem transferre.

111. Et nihilominùs tertiò pro certo habetur, vt ad hoc quod huiusmodi licentia transeundi de religione in aliam non meliorem, aut arctiorem licitè detur, & sine peccato, requiritur iusta causa. Nam cum in hoc transitu concurrat, vel voti commutatio, vel etiam dispensatio pro parte, & præterea auferatur subditus à iurisdictione suorum superiorum, & abstrahatur à religione, cui se donauit, & præscindatur à corpore cuius est membrum; non possunt quacumque authoritate fieri sine iusta causa, cum nulli homini concessa sit facultas ad destruendum, sed ad ædificandum.

112. An verò licentia hæc data sine iusta causa sit inualida, & relinquat transeuntem in mala conscientia, distinguendum est inter transitum ad aliam religionem æqualem, & ad laxiorem. Nam ad Religionem æqualem, quod solus Papa possit validè sine iusta causa dare licentiam post Butr. *in cap. Cum dilecti num.* 13. *de Renunciat.* Card. *num.* 2. Panorm. *in cap. Non est vobis num.* 6. *de Regular.* Franc. *in cap. Cum singula.* §. *Probibemus, num.* 4. *de Præbend.* S. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 4. *in princip. ad fin.* Syluest. *v. Religio* 4. *num.* 2. docet Reuerendissimus Fagna. *ad d. cap. Cum dilecti num.* 8. Vbi quod licet Gemin. *in d.* §. *Probibemus num.* 5. concedat etiam Episcopum, & Abbatem sine vlla causa posse hanc licentiam indulgere, quando Religiosus non est exemptus, & Monasterium est in eadem Diœcesi, tamen prior opinio communiter tenetur. Et præter citatos idem sentiunt Tabien. *v. Religio quæst.* 23. *num.* 23. Angelus *v. Religiosus num.* 34. Rosella *v. Abbas num.* 3. Cucchus *l.* 3. *tit.* 1. *num.* 132. Sanchez *l.* 6. *c.* 7. *num.* 42. Azor. *p.* 1. *cap.* 14. *quæst.* 9. Tambur. *t.* 3. *disp.* 7. *quæst.* 5. *num.* 1. Hanc verò licentiam valere etiam pro foro conscientiæ ex Syluest. & Angelo locis citatis docet idem Fagnan *num.* 9. licet oppositum velit Franc. supra citatus. Oppositum tamen, nimirùm quod Pontifex, nec validè, nec licitè in foro conscientiæ possit dare licentiam transeundi ad æqualem sine causa docet Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 26. §. 5. *nu.* 2. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 749. ex eo, quia nec validè, nec licitè votum possit commutari in æquale sine iusta causa. Et quidem si loquamur in foro externo, quia in eo præsumitur Papam non dispensare sine iusta causa, ideò transitus ad æqualem habitus de licentia Papæ subsistit, & est validus. Quia tamen Christus non contulit Papæ facultatem administrandi res Ecclesiæ, nisi religiosè, & ex causa rationabili, & in diuinum cultum ordinata, & præcipuè hoc

verum

verùm est de facultate commutandi vota, aut in illis dispensandi, vt probatum est supra *quæſ.* 187. *a.* 1. *num.* 711. *&* 759. Ideò in foro conscientiæ licentia data ad transitum ad æqualem sine iusta causa est illicita, & inualida per DD. quos ibi citaui. Quamuis quia ad commutandum votum in æquale causa etiam leuis sufficit; vndè moraliter loquendo in commutatione voti in æquale numquam deest causa, vt dixi vbi supra. *nu.* 713. ideò moraliter loquendo numquam sine causa iusta per licentiam Papæ, aut S. Congregationis Religiosus transibit ad æqualem, & sic illè transitus erit, & validùs, & licitùs.

813. Et nihilominùs considerandum est, quod nō est necesse, quod hæc causa iusta sit aliqua impotentia, aut necessitas personæ ob quam, cum non possit manere in vna Religione opus sit, vt ad aliam transeat. Sed huiusmodi causa sufficit, quod accipiatur ab extrinseca circumstantia, & in Ordine ad bonum vniuersale Ecclesiæ. Nam licentia à Pontifice data ad transitum in æqualem religionem est valida ex quacumque causa rationabili, etiam pro foro interno; Quia commutatio voti in materiam æqualem fieri potest authoritate Pontificis; qui alias habet supremam potestatem eximendi subditos à iurisdictione inferiorū; cum etiam traditio, per quam professus se tradit religioni, principaliter fiat Pontifici. Est enim discrimen inter donationes rerum temporalium, quæ dantur in vtilitatem priuatam huius, vel illius Monasterij, ac Religionis, sicut etiam seruus se tradit Domino in Domini vtilitatem, vndè dominium Domini est dominium vtile, sicut & dominium quo Monasterium est Dominus rerum temporalium, sed religiosus tradit se religioni principaliter, & per se primo propter bonum spirituale ipsius, & vt se ponat in statu perfectionis sub regimine supremo Summi Pontificis, ideò tradit se principaliter Pontifici, qui propterea religiosum ad æqualem religionem etiam inuitum potest transferre, propria quoque religione inuita, si id exigat bonum commune Ecclesiæ. Et dum Syluest. & Angelus locis citatis, quibus fauere videtur Suarez *p.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 11. *num.* 11. dixerunt transitum de licentia Papæ factum sine causa esse validum possunt intelligi de causa petita ex sola necessitate Religionis, aut personæ transeuntis. Nam Pontifex ex quacumque causa ad bonum commune Ecclesiæ spectante, etiam sine necessitate personæ, seu Religiosi particularis, aut Religionis potest Religiosum de vna ad aliam Religionem transportare.

814. Loquendo autem de transitu ad laxiorem religionem sine iusta causa concessum euidentiùs est illum esse nedum illicitum, sed inualidum in foro conscientiæ, etiam si fiat de licentia Papæ, quia cum in hoc transitu commutatio fiat ad minùs, non est pura commutatio, sed simul dispensatio in eo, quod est de iure diuino, quæ dispensatio si fiat sine iusta causa est inualida. Et ità huius sententiæ sunt Abbas *cap. Non est. num.* 6. *de regular.* Io. Andr. & Butr. in *cap. Sanè de Regular.* Gloss. *in cap. Monachi vagantes.* 16. *quæſ.* 1. Reuerendiss. Fagnan. *in cap. Cum dilecti num.* 22. *de Renunc.* Franc. *c. cum singula* §. *prohibemus nu.* 4. *de prabend. in* 6. Maior. 4. d. 38. *quæſt.* 21. *concl.* 3. Syluest. *v. religio* 4. *quæſt.* 2. Tabien. ibid. *q.* 23. *num.* 23. Angelus *v. Religiosus. num.* 34. Nauar. *conſ.* 56. *&* 88. *de regular. & Commetar.* 4 *de regular. num.* 10. Cord. *in reg.* S. Franc. *cap.* 2. *q.* 17. *p.* 1. *& q.* 58. *p.* 8. Rodriq. 2. *tom. cap.* 6. *num* 8. *& tom.* 3. *quæſt.* 52. *nu.* 10. Azor. *lib.* 12. *cap.* 14. *p.* 8. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 13. *num.* 102. Sotus *l.* 1. *de iuſt. quæſt.* 7. *a.* 3. *ad finem corp.* Sanchez *l.* 6. *Mor. c.* 7. *num.* 67. Peyr. *in ſubd. Relig. quæſt.* 1. *cap.* 44. Lezana *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 11. Less. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 13. *num.* 102. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 8. Palans *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 26. §. 5. *num.* 2. Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 14. vbi probat professionem emissam in religione laxiori in vi talis licentiæ esse nullam, quia existente, & durante efficacia primi voti facti in arctiori religione votum nouum sine causa iusta factum contrà primum est de re iniqua, & ideò nullum. In religione enim arctiori tam paupertas, quam obedientia melior erat, quam in laxiori, & ideò minùs in ea reddit Deo, quam promisit, ille qui sine iusta causa etiam cum licentia deserta arctiore religione profitetur in laxiori. Et hæc communior sententia omninò vera est, quæ docet transeuntem ad laxiorem religionem ex cuiuscumque licentia data sine rationabili causa non esse tutum in conscientia, licet in foro externo, si licentia sit data à Pontifice præsumi debeat eam datam fuisse ex iusta causa. Et ideò quod solus Papa possit sine legitima causa dare licentiam ad laxiorem dixerunt Gloss. *in cap. cum singula. verſ. Canonicè, de præb. in* 6. & Gemin. ibi §. *Probibemus num.* 5. Franc. *num.* 4. Io. Andr. *in add. ad ſpeculat. tit. de diſpenſat.* §. *ſunt quoque lit. D.* Lap. *Alleg.* 130. *alias* 135. *num.* 3. Butr. *in cap. ſignificatum in fin. & in cap. Non eſt vobis in fin. vbi* etiam Caid, & Panorm. *num.* 2. Quod est verum ex duplici causa. Primò spectato hoc transitu in quantum est prohibitus ex iure positiuo, super quo est Papæ potestas, vndè ex eo iure transitus factus auctoritate Papæ non est inualidus. Secundò, quia etiam vt est prohibitus iure diuino, cessat irritatio, & nullitas eiusdem transitus in foro externo, dum præsumitur non fieri de licentia Papæ, nisi ex iusta causa. Cum tamen si verè sine iusta causa fiat sit inualidus in foro conscientiæ. Antonius tamen à Spir. sancto *tr.* 3. *diſp.* 6. *num.* 750. arbitratur quod in transitu ad laxiorem peccet quidem tam Pontifex concedens, quā Religiosus petens licentiam transeundi sine iusta causa, sed tamen quod dispensatio sit valida, ob supremam potestatem, quam habet Pontifex in Ecclesia. Sed hoc est dictum sine ratione contrà communem sententiam. Nam nec potestas Papæ est in destructionem. Et inconsequenter loquitur hic Doctor, qui *num.* 749. tenet quod transitus ad æqualem cum licentia Papæ sine causa sit nedum illicitus, sed inualidus, & posteà vult, quod sit validus huiusmodi transitus ad laxiorem.

815. His verò sic stantibus, quod controuertitur est, an inferior Pontifice ex causa iusta possit suo subdito religioso dare licentiam transeundi ad religionem, vel laxiorem, vel æquè arctam. Distinguendo autem inter æqualem, & laxiorem, quod inferior Pontifice possit ex iusta causa indulgere transitum ad Religionem æqualem, pri-

mo

mo ex receptissima DD, sententia id posse fieri tenet Reuerendiss. Fagnan. ad d. cap. Dilecti n. 10. de Renunc. qui id confirmat ea eo, quod nihil noui iuris super hoc induxit Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reg. Nam proposito dubio, an Regularibus liceat transire ad arctiorem petita licet non obtenta licentia, & ad æqualem, vel laxiorem petita, & obtenta absque speciali dispensatione Sedis Apostolicæ, nihil ipse reperit decisum, & ex annotationibus colligitur Conc. Trid. nihil noui iuris induxisse. Eandem Conclusionem tenent Suarez tom. 4. tract. 8. l. 3. cap. 11. n. 4. Sanchez l. 6. c. 7. num. 46. Palaus tract. 16. disp. 4. p. 16. §. 5. num. 3. & alij infra citandi, qui conuenientes in hac Conclusione disconueniunt in assignando superiore ad quem spectet dare hanc licentiam. Quamuis præmissa distinctione Religiosorum exemptorum, à non exemptis communius dicatur, quod vbi Religiosi sunt exempti hanc licentiam dare pertinet ad Abbatem Monasterij, seu ad Monasterij superiorem ordinarium, & immediatum. Gloss. in cap. Non est vobis, v. permittatis, de Regul. vbi Io. Andr. n. 7. Gloss. in cap. Cum singula. § Prohibemus, in verbo, Canonicè, de Praeben. in 6. vbi Gemin. num. 5. Franc. num. 4. Bellam. in cap. Ex parte, ad fin. de tempor. ordinand. Lapus Alleg. 130. alias 135. n. 2. Fagnan. ad d. cap. Dilecti num. 12. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 11. num. 2. 3. & 5. Tambur. de iure Abb. disp. 7. quæst. 5. num 4. Quamuis Romanus singul. 452. per Abbatem intelligat Generalem, & Sanchez l. 6. cap. 7. num. 66. solum Generalibus, & Prouincialibus hanc facultatem concedat. Et Bonac. de Clau. q. 2. p. 9. diff. 1. n. 32. Censeat hoc competere soli Generali de consensu Capituli generalis, vel præcipuorum Patrũ, licet probabile iudicet, quod id etiam possit Prouincialis. Pro comperto autem habetur non esse in hoc casu necessariam licentiam Episcopi, cum Episcopus in exemptos nullam habeat iurisdictioné. c. Nũ est vobis, de Reg. Angelus v. Religiosus n. 34. Sylu. v. Reli. q. 9. Tabien. q. 23. num. 24. Card. ad d. cap. Dilecti num. 2. & 3. Fagnan. num. 15. Sed si Religiosus non sit exemptus, necessariam esse licentiam Episcopi, si Religiosus transire debeat ad Monasterium extra Diœcesim, non verò intra Diœcesim dici posset, prout dixerunt Butr. ad cap. significatum in fin. de Regular. & ad d. §. Prohibemus Gemin. num. 5. Franc. num. 4. Quamuis semper necessariam esse licentiam Episcopi voluerint Butr. ad cap. Dilecti num. 13. de Renunciat. Card. num. 2. & 3. & Panorm. eod. num. nec displicet Fagn. num. 17. aduertens semper etiam esse necessariam licentiam Abbatis, ne contemnatur bonum obedientiæ, vt dicitur in cap. Licet de Regularibus. In hoc etiam casu necessarium esse consensum Conuentus dixerunt Gloss. in cap. Cũ singula in v. Canonicè de Praeb. in 6 & ibi Io. Monach. num. 4. Anchar. num. 2. Card. in d. cap. Dilecti num. 2. quæst. 3. Boich. in d. cap. licet. nu. 19. Angelus v. Religiosus num. 34. Syluest. v. Religio 4. quæst. 9. Tabien. quæst. 23. num. 24. Sanchez l. 6. cap. 7. num. 66. & 70. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 106. & 107 Palaus tract. 16. disp. 4. p. 26. §. 5. num. 9. Bellam. in cap. Ex parte ad fin. de temp. Ordinand. Fagnan. ad d. cap. Dilecti num. 18. de Renunciat. Tum quia sicut ad Abbatem, & Monasterium pertinet Monachum recipere, sic & dimittere. Tum quia bona Monasterij non possunt alienari sine consensu eiusdem; igitur multo minùs possunt alienari personæ. cap. Præcipimus 2. quæst. 1. secundùm Hostien. in d. cap. licet. num. 12. Turrecrem. in cap. Statuimus num. 2. 19. q. 3. Et nihilominùs, quod huiusmodi consensus conuentus non sit necessarius, quamuis sit tutius illum adhibere voluerunt ad d. cap. Dilecti. Innoc. num. 1. Hostien. num. 3. Io. Andr. num. 7. Butr. num. 13. & Addit. ad Panorm. cap. Non est, lit. C. de Regular. Cuchus lib. 1. tit. 1. num. 232.

116. Sed si loquamur de transitu ad laxiorem, vbi subest legitima causa, quod etiam Episcopi, aut respectiuè Abbates, & superiores Regulares possint concedere licentiam ad laxiorem multi dixerunt. Nam si Religiosus sit exemptus posse transire ad laxiorem de licentia Abbatis non verò Episcopi senserunt Hostien. in cap. Non est vobis. num. 2. Io. Andr. in addit. ad speculatorem tit. de dispens. §. sunt quoque num. 6. l. D. & in d. cap. Non est vobis, in fin. de Regular. D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 3. §. 9. Sylu. v. Votum 4. quæst. 3. & v. Religio 4. quæst. 8. Tabien. in v. Relig. q. 23. num. 24. Card. in cap. Cum Dilecti, num. 2. q. 3. de Renunc. Sanchez in Decal. l. 6. c. 7. num. 44. & 45. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 5. num. 2. & 7. Lezana p. 1. cap. 22. num. 8. & 9. Anton. à Spir. Sancto tract. 3. disp. 6. num. 744. Vbi verò Religiosus non sit exemptus; quod requiratur licentia Episcopi, & Abbatis simul dixerunt Card. Sylu. Tabien. vbi supra, & ad d. cap. Cum dilecti, Innoc. num. 1. Hostien. num. 3. Io. Andr. num. 7. Butr. num. 13. Panormit. num. 2. & plures alij. Ex quibus etiã Conuentus licentiam exigunt Card. ad d. cap. Cum dilecti num. 2 quæst. 3. Bellam. cap. Ex parte in fin. de temp. ordinan. Palud. 4. d. 38. quæst. 4. a. 4. nu. 43. Sylu. v. Religio 4. quæst. 8. Nauar. cons. 56. num. 3. de Regul. Add. ad Panorm. cap. Non est vobis l. C. ad fin. Quod tamen negant Innocent. & alij n. super. citati. Verùm oppositum, nimirùm quod solus Summus Pontifex possit dare licentiam transeundi ad laxiorem meritò voluerunt alij infrà citandi.

117. In hac controuersia hoc mihi primo est certum, quod nec ad æqualem, nec ad laxiorem possunt dare licentiam inferiores Papa in illis Religionibus pro quibus specialiter, & expressè est per Pontifices statutum, vt transitus huiusmodi non liceat sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, quale statutum datum fuit per Martinum Quintum in extrauag. Viam ambitiosæ, de Regul. ne Mendicantes transeant ad Ordines Monachales excepta Carthusia, & etiam pro multis alijs Religionibus, vt patet ex supradictis, quod enim Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub 13. num. 164. & Sanch. l. 6. cap. 7. n. 68. Tamb. tom. 3. disp. 7. q. 5. n. 7. dicunt extrau. præfatã Martini V. vel nõ esse vsu receptã, vel intelligendam de non transeuntibus ex iusta causa; vt deducitur ex illis verbis. Fucatis coloribus, vt liberiùs degant, & beneficia Ecclesiastica consequi valeant, non est rationi conforme. Nam quod illa extrauag. sit vsu recepta habetur ex stylo S. Pœnitentiariæ de quo testatur Reuerendiss. Fagnanus, qui in illa habet officium, & qui sæpissimè vidit dari licentiam Mendicantibus ad laxiorem ad supplicationem Generalis, aut Pro-

cu-

curatoris Generalis vtriusque Religionis,sic Mendicantium superioribus agnoscentibus se ad hoc non habere facultatem dispensandi, & addit vlteriùs, quod stylus S. Pœnitentiariæ est,vt quantumcumque causa sit iusta Mendicantibus non concedatur transitus, nisi quando inter Mendicantes non inueniuntur beneuoli receptores.Præterea cum hodie illa *extrauag.* faciat ius commune præsumitur vsu recepta. *Rota decis. 30. num. 5. p. 1. Recent.*Fagnan.*vbi supra num.32*.Sed nec subsistit inutiliter, & sine causa data fuisset ,cum transitus huiusmodi sine iusta causa iam antea fuisset prohibitus, *cap. Non est vobis, cap. Sanè, cap. Licet, de Regular.* Nec oppositum colligitur ex illis verbis, *Fucatis, &c.* quia verba illa non continẽt causam finalem, sed impulsiuam : quod colligitur,tum quia non continent causam adæquatam, Nam & propter conseruandas Religiones Mendicantium Martinus Quintus edidit *extrauag.* illã, vt patet ibi. *Ac volentes etiam conseruationi Ordinum Mendicantium prouidere.* Tum quia Constitutio illa afficit omnes Mendicantes, & omnes comprehendit, rationes verò illæ, *Fucatis, &c.* expressè sunt de aliquibus tantum ; sunt igitur rationes impulsiuæ quibus cessantibus non cessat constitutio.*l. 1. §. sexum. ff. de postulan.* Item vt benè argumentatur Palaus *tract. 16. d. 4. p. 26. §. 5. n. 5.* Eum transitum negat Martinus Quintus ad alios Ordines Monachales, quem concedit ad Carthusiam, at verò ad Carthusiam non concedit transitum ex causa non legitima, sed solum ex causa iusta, hunc igitur interdicit ad alios Ordines Monachales. Vndè indubitatum est Mendicantes sine licentia Sedis Apostolicæ non posse transire ad Ordines Monachales. Sicut nec Fratres Ordinis Prædicatorum ad alios Ordines Mendicantium, & è contrà, nec non alij Ordines,quos supra numeraui *num.* 88. Considerando etiam, quod in pluribus ex huiusmodi statutis Apostolicis excluditur expressè transitus etiam prætextu melioris vitæ, & arctioris Religionis, quia Pontifices in huiusmodi constitutionibus non interdixerunt absolutè transitum de vna ad aliam Religionem, sed modum illius, & præcipuè voluentur, vt causa transitus per illos, aut suos Ministros ad hoc in curia deputatos examinaretur.

118. Dicitur secundò, quod absolutè transeundi ad Religionem nedum laxiorem, sed æqualem etiam ex iusta causa nullus inferior Papa potest licentiam concedere. Quamuis verò de iure antiquo difficile sit probare hanc conclusionem, quoniam decretum Edneensis Concilij sub Greg. VII. *in cap. Nullus 19. quæst. 3.* & statuta Vrbani II. *in cap. Mandamus, & in cap. Statuimus, eadem causa, & quæst. sicut & textus in cap. Sanè, de Regularibus* continent prohibitionem transeundi ab Ordine Canonicorum Regularium ad Monachos, & sic videntur continere legem particularem, non verò vniuersalem. Imò vt aduertit Torrecrem. Gratianus in §. *sub audiendum* explicat *d. cap. Nullus, & cap. Mandamus*, vt in eis prohibeantur transitus huiusmodi si fiat sine licentia. Alias verò spectato iure naturali, & Canonico antiquo, dispensare in votis non superat iurisdictionem Episcopalem, nisi vota sint Papæ reseruata ; & præcipuè vbi in voto dispensatur solum secundùm quid,sicuti fit in transitu ad aliam Religionem,cum maneat substantia voti obligantis ad statum religiosum. Et pariter facultatem superioris non superet, quod consentiente subdito, & Religione subditus alienet se, & se tradat alteri Religioni. Nihilominùs quatenus iura præfata approbãt transitum hunc solum ex causa maioris perfectioris, vt in *d. cap. Sanè, & in d. cap. Statuimus*, satis indicant, transitum ad non arctiorem Religionem non approbari à iure, si fiat sine licentia Sedis Apostolicæ.

119. Sed de iure nouo hoc probatur ex decreto Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de regularibus* transitum ad Religionem laxiorem prohibentis. Quod enim ex *Nauar. Consil. 56.* de regularibus communiter dicitur, Concilium scilicet solum prohibere transitũ sine causa iusta, vel sine causæ cognitione,si aliquãdo fieri ante cõsueuerat,reijcitur validè, quia iuxta hanc interpretationem nihil Concilium de nouo ordinasset. Nam transitus ad laxiorem religionem semper fuit illicitus, imò & in foro conscientiæ inualidus, imò etiam factus de Papæ licentia, vt dictum est supra,& tenent etiam quamplures ex DD. modo in præsenti puncto contradicentibus. Si ergo Concilium nihil aliud voluit, nihil noui statuit, quod dicere est alienum ab eius verbis, quæ vniuersalia sunt ibi. *Nemo regularis cuiusumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem.* Quantum enim diuersa sint ista duo nullus cuiuscumque licentiæ vigore, & nullus vigore licentiæ sine causa datæ permittatur transire ad laxiorem Religionem videat vnusquisque. In prima enim propositione à quacumque licentia tollitur efficacia. In secunda, nihil tollitur, quod de se esse posset validum, & iustum, sed statuitur, & prohibetur quod antea erat omninò prohibitum. : Præterea Concilium malè prohibuisset in specie transitum ad laxiorem, quia sine iusta causa,nec ad æqualem, nec ad arctiorem est licitus transitus, vt habetur ex D. T. in hoc *artic.* & aduertit Io. Andr. *ad cap. licet num. 8. de Regul.* Et nec Sedes Apostolica solet concedere huiusmodi licentias sine iusta causa. Quod ergo voluit Concilium est, vt prætextu cuiuscumque facultatis, quã superiores prætenderent habere, vel haberent ex priuilegio aliquo non possent dare licentiam suis subditis transeundi ad laxiorem. Ideò per Concilium reuocata fuit facultasMendicantibus concessa, vt eorum Prælati possent dare licentiam transeundi ad laxiorem ex iusta causa, & quam competere ex illis verbis positis in Mari Magno Prædicatorum, seu in *Constit. 7. Greg. XI. §. 10.* & in alijs priuilegijs. *Et alios Fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos praterquam, &c. licentiandi liberam habentis facultatem,* inferunt Peyrin. *ad Const. 2. Iulij II. §. 17. num. 51.* & Lezana ad Mare Magnum *Præd. §. 24. num. 71.* Sed cum *Concil.* prohibeat Religiosos cuiusuis facultatis vigore trãsferri ad laxiorem, iam facultas huiusmodi est reuocata, & de alijs similibus facultatibus idem est dicendum.

Item

180. Item non est credendum Sixtum Quintum in erectione Congregationis super consultationibus Episc. & regularium noluisse Eminentissimis Cardinalibus concedere, quod erat in facultate prælatorum regularium, & expresse denegasse Cardinalibus huius S. Congregationis, quod conuenire Prælatis regularibus asseri posset. Et tamen Sixtus Quintus dictis Card. concessit, vt possent regularibus dare licentiam transeundi ad ordinem arctiorem negans illis facultatem licentiandi eosdem ad ordinem laxiorem, vel ad parem, vt patet ex *Const. Immensa.* 74. ibi. *Concedimus etiam, vt dictis regularibus non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem religionem transeundi, &c. licentiam dare possint.* Ex quo habetur, quod facultas concedendi licentiam ad transitum in non arctiorem ordinem tanti ponderis sit, quod Pontifex illam soli sibi reseruauit, & nec S. Congregationi concedere voluit. Propterea Congregatio ipsa in vna Hispa. n. 21. Iunij 1588. declarauit superiores Congregationis S. Bernardi non posse iure dare licentiam suis subditis transeundi ad ordinem Carmelitarum, quia in hoc casu non est considerandum, quod religio ad quam transitur sit arctior ex primæua institutione, sed quod de præsenti sit obseruantior, quæ ratio nulla esset, si superiores ex iusta causa possent dare licentiam etiam ad religionem laxiorem. Et quod hoc nõ possint, & quod si cum licentia etiã Generalis Regulares de sua ad laxiorem Religionem transeant, professio sit nulla, declarauit S. Congregat. Episcoporum & *Reg.* die 20. Ianuarij 1631.

181. Et ideò quod Prælati regulares, seu Papa inferiores non possint dare suis subditis licentiam transeundi ad ordinem laxiorem tenuerunt Gloss. *in cap. non est vobis in v. Permittatis de Regular.* speculator *tit. de despons. § sunt quoque nu.* 6. Panormit. *cons.* 96. *num.* 3. *vol.* 1. Monach. *c. cum singula num.* 6. *de prabend. in* 6. & ibi Anchar. *n.* 2. Imol. Clem. I. *num.* 11. *de regular.* Roman. *sing.* 455. Henric. *cap. licet. num.* 10. *de regular.* Reuerendis Fagnaõ. *ad cap. Cum dilecti num.* 28. *de Renunc.* Socin. *consil.* 270. quem refert, & sequitur Rebuf. *in practica p.* 1. *tit. de translationibus Monachorum. num.* 9. Quamuis limitet hoc dictum, vt si causa exigeret celeritatem, tunc posset Episcopus dispensare, quam limitationem admiserunt etiam Anton. *c. significatum, & cap. non est, de regular.* Dominicus *cap. cum singula num.* 8. *de prabend. in* 6. quæ tamen limitatio, nec debet admitti. Tum quia respectu exemptorum nullam iurisdictionem habet Episcopus. Tum quia non est vide[illegible] sit necessarius celer transitus de vna religione ad aliam per dimissionem habitus prioris, & susceptionem habitus alterius causa profitendi in altera. In quocumque enim casu repentino sufficiet, vt religiosus exeat cum habitu propriæ religionis, donec Sedes Apostolica consulatur, & sic casus celeris necessitatis non [illegible] moraliter. Hanc eandem [illegible] scilicet prælatos religionum non posse [illegible] suos subditos ad ordinem laxiorem [illegible] credit Suarez *dicto l.* 3. *c.* 11. *num.* 20. licet oppositum existimet in praxi tutum propter author. Innoc. Host. Io. Andreę, & Panormitam. Sed neque hoc his temporibus debet admitti, propter decretum Concilij Tridentini, & Constitutionem citatam Sixti Quinti, & declarationem S. Congregationis, & Curiæ praxim. Nec ex *cap. significatum, de regular.* fundamentum solidum potuit habere opinio illa Innocentij, & aliorum.

182. Quamuis enim Pontifex Alexander III. ibi statuat, vt si Episcop. Beluac. inuenerit eum, qui ante annos pubertatis acceperat habitum religiosum post 14. annum ratam habuisse professionem priùs factam, eum compellat ad ingrediendum iterum, vel eandem, vel aliam religionem, tamen Glossa ibi benè explicat ad eandem, vel ad aliam arctiorem, saluo scilicet ordine iuris, qui quidem, vt ex decreto *cap. Sanè* eiusdem Alex. III. habetur, tunc talis erat, vt transitus ad laxiorem esset prohibitus. Quamuis Innocentius aliam etiam expositionem addat, & benè aduertat mentem Alex. ibi fuisse, vt professio de qua ibi sermo erat, scilicet eius, qui infantia fuerat oblatus, vel in Monasterio receptus, & per gestationem habitus tacitè fuerat confirmata, non obligaret, nisi ad religionẽ in genere iuxta *caput constitutionẽ de Reg. in* 6. quod quidem verùm est. Ideò ex illo *text.* significatum nihil potuit tunc colligi ad huius quæst. intentum, quia ideò in illo casu poterat ille ad quamlibet religionem transmitti, quia nulli determinatè erat obligatus. Quamuis verò tanta non sint pondera rationum ad probandum, quod solus Papa dispensare potest ad Ordinem æqualem, nihilominùs hoc validè probat secunda ratio ex suprapositis. Cum enim Sixtus Quintus facultatem dandi licentiam etiam ad æqualem negauerit S. Congr. Regularium euidens signum est, hanc facultatem Inferioribus minimè competere. Nam & alias adeò iam dubium est, & controuersum, & ideò adeò difficilè iudicare, quæ nam Religio sit arctior, aut æquè arcta, vt meritò hoc iudicium sit Sedi Apostolicæ reseruatum.

183. In hoc tamen speciale priuilegium, sed incommunicabile habet ordo Societatis Iesu cõcessum à Greg. XIII. in *Constit. Cum alias,* data 22. Septembris 1582. In qua concedit Generali, vt quos iudicauerit emittere à propris religione possit ad alium Ordinem etiam laxiorem licentiare. Circa quod priuilegium aduertendum ex Suarez *t.* 4. *de relig. t.* 8. *l.* 3. *c.* 12. *num.* 40. non concedi facultatem Generali Societatis vniuersaliter, & ex quacumque causa licentiandi subditos ad religionem etiam laxiorem, sed solum [illegible]os suos subditos etiam professos, quos iudicauerit ob maius bonum suæ religionis esse mittendos à religione; quod iure habet, nec habere potest locum, nisi ubi propter eius graues culpas ex [illegible] Societati aliquem professum emittere. [illegible] non parua gratia concessa fuit Societati, qu[illegible] per hoc priuilegium ex multo minori causa potest religiones discolos dimittere, quam possint aliæ religiosos. Secundò, quia potest suos subditos compellere ad ingrediendum alium ordinem [illegible] quamuis enim non possit absolutè compellere subditos suos ad aliam religionem, quia in libertati eorum est ingredi, vel non ingredi religionem; sed tamen Generalis Societatis potest [illegible]are subdito optionem vt, vel manens in Societate

luat

luat pœnas sibi infligendas, vel dimissus ingrediatur talem Religionem, elusdē Religiosis consentientibus. Societas enim talem ob culpas punire volens præfatam optionem illi proponere potest, & ad partem electam eundem obligare, sed & ex hoc priuilegio, vt etiam Suarez aduertit *num.* 41. habetur non esse facultatem in Prælatis Religionum licentiandi subditos ad laxiorem Religionem, quia Pontifex noluit hoc priuilegium Societati concessum esse alijs ordinibus cōmune, etiam si habeant priuilegium communicationis amplissimæ. Vnde modo nedum probabile est, sed prorsus certum supradictis attentis nullum Religiosum posse ad Religionem laxiorem transire sine licentia Sedis Apostolicæ. Quam ex stylo Pontifex non solet dare nisi media consultatione S. Cong. Episcoporum, & Regularium. An verò ad hoc, vt quis transeat ad laxiorem sit necessaria expressa, & determinata licentia Papæ vel potiùs sufficiat licentia indefinita data per clausulam, *Religionem à Sede Apostolica approbatam, vbi beneuolos inuenerit receptores, ingredi &c.* Marchus Paulus Leo, in praxi ad literas maioris Pœnit. *par.* 4. de forma absol. in vtroque foro, *in verb. licentia* §. *Cuiuslis Ordinis Superioribus* censet, quod non liceat ea vi huius licentiæ transire ad laxiorem, quia licet libera eligendi facultas reguletur ab eligentium arbitrio, attamen excludit electionem indigni, *cap. Nihil*, & *cap. Congregatis de Elect.* Est autem indignum, quod Religiosus transeat ad laxiorem *cap. Sanè*, & *cap. licet* §. *Si verò de Regularibus*, Nam & in *d. capit. Sanè* qui transijt ad laxiorem iubetur reuocari. Secundò quia in casu de quo ibi erat sermo, scilicet in casu Apostatæ, si posset transire ad laxiorē in vi dictæ licentiæ reportaret lucrū ex Apostasia. Verùm considerandum est, quod nulla est indignitas, quod Religiosus ex licentia, & iusta causa transeat ad laxiorem. Et in casu *d. cap. Sanè*, Religiosus fugerat, & sine licentia ad aliam Religionem seu Monasterium transierat in *d. verò cap. licet* decernitur, vt transitus ad laxiorem non fiat sine superioris iudicio. Non ergo ex eo potest restringi vis vniuersalis dispositionis, & licentiæ transeundi ad Religionem, vbi inuenti fuerint beneuoli receptores, ex eo quod transitus ad laxiorem sit res indigna, cum hic transitus non fiat nisi in virtute licentiæ auctoritate Apostolica concessæ. Nec est inconueniens, quod apostasia, & peccatum det occasionem pœnitenti, vt id consequatur commodi, quod est vtile in futurum ad eius salutem. Punctum in præsenti considerandum est, quod transitus ad laxiorem non est licitus sine iusta causa; quam examinare debet, & examinasse præsumi debet Sedes Apostolica dum cōcedit huiusmodi licentiam. Ex qua stante transitus ad laxiorem est legitimus. Et bene potest contingere, & imò in Apostata facillimè contingere, quod Religio arctior, vel æqualiter arcta non competat eius fragilitati, & malæ inclinationi, vnde ad salutem sit illo vtilius transire ad laxiorem. Quamobrem cum dictio cuiuslis sit vniuersalissima, si Apostata pœnitens remittitur cuicumque superiori cuiuslis Ordinis, ad hoc vt absoluatur à censuris, & dispensetur cum eo, vt transire possit ad Religionem vbi inuenerit beneuolos receptores, non video cur ad quamcumq; Religionem transire non valeat, si alias iudicans se habere iustam causam ad huiusmodi transitum, bona fide statum suum manifestauit, & licentia obtenta nullo vitio subreptionis laborat.

124. Ex dictis colligitur professiones ab istis transeuntibus habitas esse nullas. Circa quam nullitatem hoc primo considerandum est, quod oritur ex duplici capite. Nam in hoc transitu violatur Religio voti, & iustitia prioris Religionis cuius subditus alienatur, & traditur alteri Religioni: dupliciter autem potest violari Religio voti in hac transitu ad Religionem non arctiorem, vel quia fiat sine iusta causa, vel quia commutatio, aut dispensatio fiat à non habente facultatem commutandi, aut dispensandi. Ex prima radice vniuersalissimè nullus est transitus ad non arctiorem, si fiat non ex iusta causa, etiam si fiat de licentia Papæ, vt probatum est. Quamuis vt dicebatur, moraliter loquendo transitus ad æqualem nunquam fiat sine iusta causa, quia ad commutationem voti in æquale sufficit causa leuis, quæ moraliter semper adest. Sed transitus, & professio ad laxiorem sine legitima causa est inualida. Et quamuis in foro externo, si transitus fiat de licentia Papæ, censebitur validus, quia præsumetur fieri ex iusta causa, tamen in foro conscientiæ nullus erit. Vndè est quod Panor. *in cap. Non est vobis* Io: Andr. & Butr. *in cap. Sanè de Regular.* & alij Canonistæ exclamant contra Mendicantes transeuntes ad ordines Monachales, vel ad alios de licentia Papæ, sed sine causa, & conscientia rationabili Faguan. *ad d. cap. Cum dilecti num.* 21. Ex hac verò eadem radice nullus esset transitus ad arctiorem, si fieret sine iusta causa, v.g. non ex zelo deuotionis. Ita enim, quod quando Religiosus transit ad arctiorem non ex bono zelo, etiam si transeat de licentia superiorum, quod nullus sit transitus, & nulla professio in posteriori Religione dixit Sanchez *d. c.* 7. *n.* 89. & 90. Pariter si omnibus pensatis transitus ad arctiorem non sit vtilis huic singulari, nec sit illi medium proportionatum ad perfectionem acquirendam, quod transitus sit nullus, & illicitus aduertit Caramuel in Regula S. Benedicti *d.* 45. *num.* 536. Quamuis in hac parte, vt supra monuimus, semper adest iusta, & sufficiens causa transeundi, quando qui transit verè potest, & vult viuere secundum regulam strictioris religionis, & perfectioris, & vult eam profiteri, & se ad illam obligare, & illius statum assumere, quidquid sit an causa impulsiua ad transitum sit mala, vel ille habeat aliundè malam aliquam intentionem. In quo casu malè quidem faciet transiens, sed transitus erit validus, & sufficiet, quod ille mutet malam intentionem in bonam. Vndè raro contingere potest, vt transitus ad arctiorem spectato solo iure communi sit irritus ex defectu causæ iustæ. Nam & vbi detur causa iusta recedendi à proprio Ordine, quæ multiplex esse potest, vt ex D.T. in Artic. dictum est superius, quod recedens transeat ad arctiorem per se est laudabile.

125. Ex secunda radice, nimirum ex defectu facultatis in concedente licentiam, potest transitus esse nullus etiā ad arctiorem, & ita est in illis Religionibus in quibus cum decreto irritante inter-

dictus est huiusmodi transitus sine speciali licentia Sedis Apostolicæ. Hoc enim modo nullus est transitus Mendicantium ad Ordines Monachales præter Carthusiam, per *extrauag. Viam ambitiosa, de Regular.* Item Prædicatorum ad alios Ordines Mendicantium, & e contra ex priuilegio Bonif. Noni. Potest verò hic esse difficultas an transitus ex hoc solo capite sit nullus, quod factus sine licentia debita, si in constitutionibus inhibentibus transitum sine licentia, vel superiorum, vel summi Pontificis non adest decretum irritans. Nam quod defectus huius conditionis non irritet professionem, si non adest decretum irritans insinuat Sanchez *l.6. c.7. num.* 88. dicens, quando contra tenorem prioris Religionis quis transit ad aliam, attendenda sunt priuilegia an professionem irritent nec ne. Quia de iure Canonico non eo aliquid est irritum, quo est interdictum, nisi interdicatur cum decreto irritante. Respondebitur verò forsan nullum esse ex priuilegijs per quæ inhibetur Regularibus transitus ad aliam Religionē sine licentia obtenta, in quo non sit decretum irritans, vel expressè, vel æquiualenter. Nam v.g. si Pontifex transeuntes sine licentia vult haberi in hoc, vt Apostatas, & dat superioribus Religionis à qua transierunt facultatem eos ad se reuocandi, & sibi eos subijciendi, proculdubio supponitur professionem emissam in alia Religione sine expressa licentia Generalis esse nullam. Verùm non in omnibus forsan priuilegijs huiusmodi adest decretum irritans, & nisi in eis in quibus requiritur, vel Ordinis à quo est transeundum, vel Papæ licentia obtenta inueniatur, vel expressè, vel æquiualenter decretum irritans, professio emissa in secunda Religione eo quod defuerit licentia non est nulla; quia in iure Canonico, non eo aliquod est nullum, quia prohibitum. Et hoc confirmatur *ex cap. licet, de Regular.* In quo declaratur, quod priuilegia in quibus statuitur, vt non pateat accessus ad aliam Religionem inuita priori non impediunt, quin ad arctiorem Religiosus possit transire petita licet non obtenta licentia. Si ergo transitus sit ad arctiorem ex zelo deuotionis non erit irritus, si fiat sine obtenta licentia, etiam si sit contra indulta; imò vt probatum est supra etiam si fiat licentia non petita, igitur solus defectus licentiæ per se absolute non irritat transitum ad aliam Religionem. Sed in duplici casu aderit nullitas transitus. Primus est si transitus etiam ad arctiorem sine obtenta licentia sit prohibitus cum decreto irritante. Secundus est dum Pontifex prohibeat Religiosos aliquorum Ordinum in alijs Ordinibus recipi, ac retineri; ex hoc satis ostenditur receptionem nullam esse, quia si valida esset professio non est verisimile, quod voluisset Religiosos validè professos in posteriori Religione esse ab ea reuocandos, ad priorem Religionem, & in posteriori non posse retineri, vnde dicendum est eos Religiosos nulliter transire, & profiteri in alia Religione, si transeant sine licentia, quibus specialiter interdictum fuit cum decreto irritante saltem æquiualenter transire sine licentia obtenta etiam si transitus sit ad arctiorem.

126. Si transitus sit ad laxiorem, vel æqualem certum est vniuersaliter nullum esse transitum sine licentia, quia id fieri non potest nisi dispensando in voto; nullus verò auctoritate propria sine superioris legitima facultate dispensantis, potest commutare vota à se emissa in minus. Et ita de omnium sententia transitus ad laxiorem factus sine legitima licentia est nullus, & contra voti Religionem; solum est discrimen, quod aliqui volunt sufficere licentiam superioris Religionis, sed ex probatis est certum esse necessariam licentiam summi Pontificis. De transitu verò ad æqualem, quia non defuerunt, qui dixerint vouentem posse propria auctoritate commutare votum suum in euidenter æquale, ideò isti consequenter docent, quod præcise ex vi voti professionis violati, transitus ad secundam Religionem æqualem, & professio in illa non erit irrita. Verum dicendum est votum sine superioris auctoritate non posse commutari in æquale per rationes, & DD. quibus hoc probatum fuit supra *q.187. a.1. num.726. pag. 171.* Et quia etiam probatum fuit in transitu ad Religionem æqualem non sufficere licentium superioris, sed requiri licentiam Papæ, ideo transitus hic est nullus, & nulla professio ex defectu licentiæ legitimæ, si transitus fiat nedum ad laxiorem, sed etiam ad æqualem. Vnde ex his habetur, quod transitus ad arctiorem, quæ verè & manifestè sit arctior, nunquam est inualidus, nisi fiat contra prohibitionem munitam decreto irritanti, quia vbi transiens verè profitetur arctiorem semper adest causa iusta, quidquid sit an mala aliqua intentio sit impulsiua ad talem professionem; substantialiter enim non nisi ex bono zelo est spectato fine operis, quod quis perfectiorem vitam verè profiteatur. Alias verò vnusquisque spectato solo iure naturali, & diuino, nisi specialiter aliundè sit prohibitus, potest votum suum commutare in melius. Sed transitus ad non arctiorem ex vi voti religionis potest esse nullus, vel quia non fiat ex legitima causa, vel quia fiat sine licentia, & alter ex his defectibus sufficit ad nullitatem eius.

127. Verum in transitu de vna Religione ad aliam non est consideranda sola voti Religio, sed & attendi debet necessitas iustitiæ, quia iustitia vult, quod qui donauit se alicui non possit validè donare se alteri. Ideò etiam si professio facta in priori Religione non esset confirmata voto, quia nihilominus professio continet donationem, per quam qui profitetur se donat Religioni in qua profitetur, ideo transitus ad aliam Religionem esset iniustus, & nullus si fieret inuita priori Religione, cui Religiosus priùs se donauit. Nihilominus transitus ad arctiorem, & professio in illa verè emissa est valida. Quia professio facta in priori Religone est conditionata, scilicet nisi Religioso placuerit transire ad perfectiorem vitam. Et sic prior donatio conditionata huiusmodi conditione non impedit transitum, & professionem in perfectiori religione, sed transitus ad non arctiorem si fiat inuita priori religione ex quacumque alias iustissima causa fiat, semper est iniustus & nullus, quia religiosus, qui se donauit pri religioni non potest validè tollere se ab illa & donare alteri. Non dicitur tamen inuita rel si in transitum consentiat summus Pontifex, habet supremam religionum administrationem

vnde

vnde etiam si prior Religio dissentiret, & nollet permittere transitum, ipsa irrationabiliter dissentiret, si Papa absoluta voluntate transitum concederet. Verum vbi inferior Papa licentiam ad hunc transitum concederet, tunc haberet locum controuersia de qua supra *num.* 115. & 116. Quibusdam volentibus sufficere consensum superioris sine consensu Conuentus, & alijs volentibus esse necessarium consensum Conuentus. Et inter istos esse posset controuersia an sufficiat consensus particularis Monasterij, an vero sit necessarius consensus totius Prouinciæ, aut totius Religionis. Quę controuersia non tam ex iure communi, quam ex specialibus statutis, & consuetudinibus resolui debeter. Et quidem ex iure communi non potest Episcopus, vel superior alienare bona Religionis, sine consensu Capituli, seu Conuentus, vt probatum est supra *q.* 185. *a.* 7. *num.* 551. *pag.* 336. Ad hoc verò de iure communi non requiritur consensus totius Religionis, sed sufficit consensus Conuentus. Verùm in hoc diuersa ratio est bonorum temporalium, & personarum. Quia bona temporalia propria sunt Conuentuum particularium, & ideò non mirum si ad eorum alienationem sufficiat consensus Monasterij, nec sit necessarius consensus Religionis; sed personæ, maximè in Religionibus non habentibus vsum affiliationum, non sunt affixæ huic, vel illi Monasterio, sed Prouinciæ, vel Religioni, ideò natura rei postulat, vt ad alienandum personas non sufficiat consensus Monasterij, sed requiratur consensus, vel Religionis, vel saltem Prouinciæ. Et sic etiam natura rei spectata concedere huiusmodi licentiam non pertineret ad superiores Conuentuales, sed ad Generalem, vel ad summum ad Prouinciales. Et ita sensit Sanchez *d. cap.* 7. *num.* 70. Cuius tamen contrarium tenet Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 26. §. 5. *n.* 7. ibi *n.* 9. Et hæc est cōmunior opinio, vult tamen esse necessarium consensum Conuentus, quem etiam putat sufficere. Sed ab his definiendis supersedeo. Nam hic aduertendum est, quod vel credimus, quod personæ Religiosæ sint numerandæ inter bona Ecclesiastica, quæ non possunt alienari sine solemnitatibus iuris. Et hoc supposito euidens erit ex vi d. extrag. *Ambitiosæ* quod Religiosus vnius ordinis sine licentia Sedis Apostolicæ non potest transire ad aliam Religionem, quia in hoc transitu persona transiens alienatur. Et sic cessant ex magna parte præfatæ controuersiæ, quia ad alienandum necessarium est, sed, & sufficit beneplacitum Pontificis: vel arbitramur personas non esse numerandas inter bona prohibita alienari; quod quidem verum est sumpta persona libera secundum se, & non quatenus eius obsequium, & actio sit pretio æstimabilis. Et hoc modo iam minùs ad rem faciunt, quæ de alienatione rerum Ecclesiæ adducuntur. Verè enim persona religiosa, vt est libera, & in ordine ad obsequia religiosa, quæ non sunt pretio æstimabilia, non debet numerari inter bona Ecclesiastica, quæ per Sacros Canones, & extrauag. *Ambitiosæ* prohibita sunt alienari. Quia leges [illegible] loquuntur de bonis quæ sub contractu, & pre[illegible], & æstimatione pecuniæ cadunt. Vndè supra *q.* [illegible]5. *a.* 7. *num.* 420. *pag.* 309. ex hac ratione probaui reliquias posse [illegible] alijs iuribus ab eis, qui illarum habent dominium donari, & alienari sine solemnitatibus Paulinæ. Itaque cum in transitu de Religione ad aliam consideretur persona Religiosi, vt libera, & in ordine ad actus religiosos, & ideò vt est supra omne pretium, non comprehenditur sub Paulina, neque ad eius alienationem sunt necessariæ solemnitates, quæ ex iure positiuo sunt inductæ, vt seruandæ in alienatione rerum Ecclesiæ. Sed tamen considerari debet, quod nihilominùs sicut habetur quoddam dominium reliquiarum, & aliarum rerum Spiritualium, sic habet Religio dominium suorum subditorum, vndè ex natura rei iniusta est donatio, qua Religiosus se donat alteri Religioni inuita priore Religione, quia donatum vni eo inuito non donatur validè alteri. Consensum verò Religionis dare præcipuè spectat ad superiores, & maximè ad summum Pontificem, qui si sibi soli reseruet, hunc consensum tribuere; iam transitus ad secundam Religionem habitus sine licentia Papæ est nullus ex lege illa naturali, qua iniustum est, & nullum rem donatam vni, & ideò alienum velle alteri tradere donatario inuito. Et sic transitus habitus ad non arctiorem est nullus sine Pontificis licentia, quæ tamen sola sufficit, nisi eam Pontifex conditionatam concedat. Sic ergo hic transitus est nullus, si fiat, vel sine Pontificis licentia, vel sine conditionibus sub quibus ille concessit licentiam, & voluit esse substantiales, & seruandas de forma.

128. Intrat verò hic difficultas, qualiter, qui illicite transijt sit reuocandus, & vbi manere debeat pendente lite. Sanchez *d. l.* 6. *c.* 7. *num.* 98. & sequent. post Panorm. *cons.* 96. arbitratur Professū in secundo Monasterio posse propria auctoritate redire ad prius, cum posterior professio fuerit irrita, & colligitur hoc ex *cap. Intelleximus de Ætat. & qual. & cap. Mandamus* 19. *q.* 3. Quod quidem verum est, vbi professio in secundo Monasterio sit nulla, & hoc sit certum, & manifestum, vt si Religiosus aliquis sine licentia legitima discesserit ab arctiori, & in laxiori professus fuerit. Et in hoc, & similibus casibus Religiosus nulliter professus in posteriori Religione, nedum potest, sed tenetur ad priorem redire. Sed si nullitas professionis emissæ in posteriori Monasterio sit incerta & disputabilis, vndè opus sit iudicio iudicis ad cognoscendam veritatem: Non potest professus in Monasterio posteriori de facto auctoritate propria ad prius Monasterium redire, quia hoc est de facto spoliare Monasterium posterius possessione sua, cum tamen in dubio potior sit possidentis conditio.

129. Si autem Religiosus non redeat *num.* 99. ait Sanchez, quod poterit reuocari triplici actione, scilicet rei vendicatione, conditione, ex can. *Statuimus* 19. *q.* 3. & implorando officium iudicis. Et huiusmodi triplicem actionem ait competere etiam quando Religiosus ad arctiorem transiuit licentia sibi ex iusta causa denegata, vel nulla causa assignata, & non petijt subditus causā. Et quod Abbas potest Religiosum hunc repetere etiam si ante transitum nō appellauerit. Et hoc etiam est verum. Sed tamen in transitu ad arctiorem, ad quem Religiosus habet ius ex lege naturæ sola denegatio licentiæ ex iusta causa non sufficit pro-

fessio in secunda Religione sit nulla, quia potuit negatio fundari in præsumptione v.g. leuitatis, & temeritatis in transeunte, cum in rei veritate ille ex zelo deuotionis transiret, imò ad valorem professionis in secunda Religione sufficit, quod tunc ex verò zelo, qui transijt profiteatur. Vndè vbi constet de valore professionis in secunda Religione, non potest prior Religio agere pro reuocando eo, qui in secunda religione est professus.

130. Quod si Abbas ante transitum ex causa rationabili appellauit, si non obstante appellatione Religiosus transijt ad aliam Religionem, debet ille ante causæ cognitionem per viam attentati restitui officio Iudicis priori Monasterio. Lite verò pendente putat idem Sanchez *num.* 101. Religiosum debere manere in priori Monasterio, quod fuit priuatum sua legitima possessione; eo magis quod Abbas secundi Monasterij ex quo illum Religiosum recepit sine dimissorijs literis, aut sine examine huius transitus est in culpa. Et addit, quod si posterius Monasterium nolit eum defendere, ad hoc cogetur officio iudicis, quando annus à transitu iam lapsus est, antea verò non si verò Religiosus ille litis victoriam obtinuit, posterius Monasterium ob consensum prius præstitum tenebitur eum recipere, nisi ex secunda receptione scandalum immineat, quod arbitrio superioris relinquitur. Sed vt supra probatum fuit ex Innoc. & Panorm. *ad d. cap. licet n. fin.* lite pendente Religiosus, qui de facto transijt ad secundam Religionem, debet in ea manere. Quod voluerunt etiam *ad d. cap. licet* Hostien. *num.* 16. Io: Andr. *num.* 11. Anton. *num.* 10 Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Non est vobis num.* 33. *de Regul.* Quia in dubio Monasterium illud secundum non debet priuari certa possessione quam habet eius Religiosi, qui in ipso professionē emisit, licet de huius professionis valore dubitetur. Nec obstat quod prius Monasterium eiusdem Religiosi possessionem habebat, quia de facto possessionem amisit siue iustè, siue iniustè, & possessionem acquisiuit secundum Monasterium, qua non potest priuari de facto, nec debet priuari etiam à Iudice, nisi constet sibi de iniustitia secundæ professionis. Nam nec latro re aliena apud se de facto existente potest priuari, nisi constet priùs iudici eam esse alienam. Bene verum est, quod in casu attentari, vt si post legitime interpositam appellationem Religiosus transijt ad secundam Religionem, tunc prius purgandum sit attentatum, & sic Religiosus debeat compelli redire ad Religionem priorem.

131. An verò in casu litis secundum Monasterium teneatur defendere Religiosum, qui ad ipsum transijt, dicitur, quod ante Religionis professionem in ipso emissam, Monasterium non tenetur eum Religiosum, qui ad se transiuit defendere; quia ille Religiosus nondum est incorporatus in secundo Monasterio, quod imò ex rationabili causa potest eundem Religiosum eijcere. Et nihilominus tamen licet in hoc casu non adsit debitum ex iustitia, si tamen ille Religiosus sit futurus vtilis Monasterio, secundum Monasterium tenebitur Religiosi transitum defendere ex lege, qua vtilitatem propriam tenetur procurare, & iura sua defendere. Sed post professionem expressam, vel tacitam, per quam Religiosus incorporatur Monasterio, si nolit, cogetur iudicem Monasterium officio iudicis ad hoc vt Religiosum professum defendat, vt ex Hostien. Io: Andr. Ant. & Card. *nu.* 3. *quæst.* 13. *ad d. cap. licet*, docet idem Sanchez *num.* 102.

132. In eadem verò mota lite, si Religiosus obtinuit victoriam, & à priori Monasterio reuocatus fuit Religiosus, vult Sanchez *num.* 103. quod posteriùs Monasterium teneatur illum recipere, & velit, nolit illum admittere. Quia cum i-m in illum consenserit, non potest ampliùs retrocedere, arg. *cap. Dilectis.* 8. *q.* 1. Nisi ex secunda receptione scandalum immineret, quod arbitrio superioris relinquitur. Verum vel loquimur de Religioso nondum professo in secundo Monasterio, vel de professo: si loquimur de nondum professo sed adhuc Nouitio, cum Monasterium ad libitum ex causa rationabili possit illum eijcere, multò magis potest illum non recipere; nec ad hoc cogi potest. Nec fieri potest vis in priori consensu præstito, quia ille fuit conditionalis, & sub conditione, quod Monasterium maneret liberum, vt illum posset etiam eijcere, si sibi Nouitius non placuisset. Sed vbi præmissa fuit professio, & hæc lite mota fuit declarata valida, Monasteri um posterius Religiosum tenetur admittere, qui professionem in eodem Monasterio emisit, quæ valida declarata fuit. Et in hoc sensu intelligi debent Io: And. *ad d. cap. licet, num.* 13. Host. *num.* 16. Card. *num.* 3. *q.* 15. Anchar. *in fin.* ab eodem Sanchez citati. Quamuis si posterioris Monasterij intersit, & illud existente causa possit agere, vt probet professionem Religiosi non fuisse validam, vt Religiosum non teneatur admittere. Quamobrem secundum Monasterium, qui Religiosum ab alia Religione transeuntem admisit ad professionem, si de valore professionis agatur interim pendente lite tenetur apud se retinere Religiosum in eo professum. Non enim est conueniens, quod Religiosus maneat extra Monasterium, & in eo Monasterio manere debet, cui fuit incorporatus per professionem. Et sicut Religiosus est in possessione professionis emissæ in eo Monasterio, ita in hac possessione debet manuteneri, donec constet de possessionis inualliditate; Et hoc eo est veriùs, si Religiosus obtinuerit declarari suā professionem validam. Quamuis verò Monasterium hoc posterius velit agere ad probandam nullitatem professionis, vel appellando à sententia data ad fauorem Religiosi, vel nouum iudicium intentando, nihilominùs interim debet Religiosum professum admittere, qui in suæ professionis possessione debet manuteneri, donec illa declaretur nulla.

SVMMARIVM.

1 *Qui illicitè, & nulliter transit ad alium Ordinem non est propriè Apostata.* n. 133.

2 *De iure communi non subditur pœnis Apostatar.* n. 134.

3 *Nec est excommunicatus ex vi cap.* 2. *ne Clerici vel Monachi*, n. 135.

4 *Potest*

4 *Potest reuocari, & compelli ad redeundum ad primam Religionem. n.136.*
5 *Quibus imposita pœna excommunicationis. nu. 137. vsque ad 142.*
6 *Et pœna apostasiæ, & infamia. n.143.*
7 *Et pœna priuationis vtriusque vocis. num. 144.*
8 *Et pœna nullitatis. n.145.*

Quæ competant, vel non competant ei, qui transijt de vno ad alium ordinem regularem.

INSPECTIO III.

133. CVm hic transiens fieri possit instè, & validè, & iniustè, & inualidè, de eo qui illicitè, & sine licentia requisita transit, quæri potest primo, an sit Apostata. Est enim communissima sententia negans hunc esse Apostatam, quia licet deserat propriam religionem, & proprium dimittat habitum, hoc non facit animo deserendi statum religiosum, sed vnum religiosum statum in alium commutandi. Ità enim sentiunt Caiet. 22. *quæst.* 32. *a.*1. & ibid. Bannes *dub.*1 *concl.*4. & Aragon. *dub. vn.* Syluest. *v. religio* 4. *quæst.*4. & *v. Apostasia quæst.*4. *num.*9. & ibi Armilla *num.* 11. Tabien. *v. religio quæst.*23. *num* 34. Rodriq. *p.*1. *quæst.*30. *a.*1. & *commun.* Canonistæ, & Theologi. Et nihilominùs Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.*31. *sect.*6. *num.*4. & *tom.*4. *de relig. tract.* 8. *l.*3. *c.*11. *a. num.*17. quem sequitur Palaus *tract.* 16. *disp.*4. *p.*16. *num.*8. probat hunc qui indebitè, & inualidè transit esse propriè Apostatam, quia indebitè recedit à propria religione, & illam deserit, & cum nulliter etiam ad aliam transeat remanet, ac si transiret ad sæculum, quia propriam religionem deserit, & nulli alij verè incorporatur. Dicendum nihilominùs est transeuntem indebitè de vna ad aliam religionem etiam laxiorem non esse propriè Apostatam, & ideò de iure communi non subdi pœnis Apostatarum; quamuis alijs pœnis subiaceat, & modò ex vi specialium statutorum in aliquibus Ordinibus puniendus sit tamquam Apostata. Quatuor partes habet hoc assertum, quarum prima est, quod hic transiens non est propriè Apostata. Hanc ex modernis docent Sanchez *l.*6. *moral. c.*8. *num.*8. quamplures DD. referens, Azor. *l.*12. *c.*17. *quæst.*7. Less. *l.*2. *c.*41 *num.* 102. Lezana *tom.*1. *cap.*22. *nu.*22. Reuerendiss. Fagnanus *ad cap. Consultationi nu.*9. & 12. *de Apost. post* Gloss. *in cap. Ex parte, de temp. ordin. v.* ad Nigros, & Innoc. ibi *num* 1. Butr. *num.* 5. Panorm. *in fin.* Anan. *num.* 1. Henric. Vincent. Goffred. & Bernard, Palaus *tr.*16. *d.*4. *p.*16. *num.*6. Et ratio est, quia quidquid sit de grammatica huius nominis Apostasia, & de eiusdem origine, & ethimologia iudicandum est ad quid significandum sit ex vsu communi accommodatum. At verò ex vsu communi Apostasia à religione importat deserionem status religiosi simpliciter, & animo talem statum relinquendi; qui verò transit de vna religione ad aliam, nec retrocedit simpliciter à statu religioso, nec animum ità retrocedendi habet, sed solum de vno statu religioso ad alium transit, & licet inualidè, tamen animus transeuntis est validè transire, seu substantiam status religiosi conseruare, & semper manet sub obedientia Innoc. *in cap. Intelleximus in fin. de ætat. & qualit.* Archid. *in cap. placuit. dist.*50. Quod verò Palaus *tract.* 16. *disp.*4. *p.*16. *num.*7. in contrarium affert probat; quia apostata non dicitur quis ex eo, quod in perpetuum recedit ab obedientia huius, vel illius, sed quia in perpetuum vult recedere à statu obedientiæ, & sæculariter viuere. Quod verò transeuntes sine licentia Generalis à Societate ad aliam Religionem fugiendi sint tamquam Apostatæ ex *Constit. licet debitum.* Pauli Tertij, & *Constit. Equum reputamus* Pij Quinti, & *Constit. Dilectè fili.* Greg. 13. est ex speciali dispositione, & concessione dictorum Pontificum; non quia sic transeuntes propriè sint Apostatæ.

134. Secunda pars sequitur ex hac prima, scilicet hunc transeuntem indebitè, & etiam inualidè non subdi pœnis Apostatarum, quantum sit ex iure communi. Et hanc etiam partem tenent communissimè DD. quia si hic non est Apostata propriè, & simpliciter loquendo, non ligatur pœnis Apostatarum; quia in odiosis, & pœnalibus strictior debet esse verborum interpretatio. Et ità sentiunt DD. *n super citati, & insuper Rom. cons.* 341. Io. Andr. *in cap. Io. de Regul.* Gemin. & Francus *in c.*2. Ne Clerici, vel Monachi. Quidquid in contrarium dixerit Gulielm. *in cap. Sanè, de Regul.*

135. In tertia parte asseritur hunc transeuntem subdi alijs pœnis. Est autem primo dubiū, an sit excommunicatus excommun. lata *cap.* 2. ne Clerici, vel Monachi *in* 6. contrà temere dimittentes habitum religionis. Multi enim affirmant, quia hic temere habitum dimittit, eum indebitè, & inualidè illum dimittat. Et nihil facit, si dicatur, quod non dimittit habitum religiosum, quia in eo capite excommunicatur, qui dimittit habitum religionis suæ. Nam & alias certum esset incurrere hanc excommunicationem Fratrem Prædicatorem dimittentem habitum propriæ religionis, & in habitu alterius religionis vagantem. Et ità hanc partem tenuerunt, Syluest. *excom.* 7. *casu* 24. *num.*54. & *v. religio* 4. *q.*4. Nauar. *cap.*27. *num.*131. Azor. *l.*12. *cap.*13. *quæst.*3. *casu* 16. & *cap.*14. *quæst.*10. & *cap* 17. *quæst.*1. Suarez *tom.*5. *in* 3. *p. disp.*23. *sect.*4. *num.*32. Verùm opposita sententia verior est, quia finis illius canonis est auferre occasionem vagandi; ibi, *Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, &c.* vndè loquitur de ea temeraria dimissione habitus, quæ fiat ad vagandum, vel quæ possit esse materia vagandi; talis verò non est dimissio habitus suæ religionis in illo, qui illum dimittit, vt alium suscipiat, sub quo claustraliter viuat sub obedientia superiorum. Et ità partem hanc tenent Caiet. *v. excommunicatio* Tabien. *v. excommun.*5. *casu* 27. *quæst.*1. *num.*3. Armilla ibi *casu* 53 Paliatelus *compend. priuileg. Minim. c.*34. Aragon. 2. *q.*12. *a.*1. Less. *l.*2. *c.*41. *dub.*13. *num.*101. Rodriq. *l.*2. *q.*76. *a.*4. *notab.*2. Et ex Abbat. Franc. Lap. Domin. Roman. Rebuff. Ang. Rosel. Sanchez *l.*6. *Mor. c.*8. *num.*68.

Re-

Reucreodiſs. Fagnanus *ad cap. Conſaltationi.num.* 30. *de Apoſtatis*.

136. Ex iure communi antiquo ſubditus reuocationi & ſi reſiſtat poteſt compelli ad redeundum *cap. Non eſt vobis*, & ibi Fagnan. *num.* 26. Hoſtien.& Io.And. *& cap. Sanè, de regular. & cap. Nullus, & cap Mandamus* 19.*quæſt.*3.ſic enim ſi reſiſtat poteſt, & debet excommunicari, vt habetur *dicta cap. nullus*.

137. Sed ex particularibus ſtatutis plures pœnæ ſtatutæ ſunt contra illegitimè tranſeuntes de vna ad aliam Religionem quas afficere omnes Religiones communicantes in priuilegijs multi volunt; ſed iam ſatis probatum eſt, non valere communicationem priuilegiorum in his legibus pœnalibus, per quas directè, & immediatè non conceditur aliquid alias lege prohibitum, ſed ſub pœna graui prohibetur id, quod alias ex lege eſſet conceſſum. Primò igitur ex Mart.V. *in extrauag. Viam ambitioſa* tam Mendicantes ſi tranſeant, quam Monachi cuiuſcumq; generis exceptis Carthuſien. ſi recipiât Mendic. ſine licentia Papæ ſunt excôm. ipſo facto excômunic. reſeruata Papæ. Sub qua non côprehenduntur non Mendicantes, ſi tranſeant ad Ord. Monachales, nec Mendicantes ſi tranſeant ad Ordines Mēdicantium, ſed ſolum ſi tranſeant ad Ordines Monachales excepto Ordine Carthuſiæ. Aug. *v.excom.*5.*caſu* 32.D. Anton. 3.*p. tit.*25. *cap.*71. Caiet. *v.excom.cap.*74. Syluest. *v.excom.*7.*num.*82.*ex c.*45. Tabien.*excom.* 7.*num.*11.Nauar.*cap.* 27.*num.*106.Sayr.*l.*3.*cap.*30. *num.*9.Sanchez *l.*6.*c.*7.*num.*110.Bonac. *de Clau.q.* 2.*p.*9.§.5. *num.*12. Non ſufficit verò indultum generale Pontificis, ſed requiritur licentia ſpecialis. Ad licentiam tamen ſpecialem non eſt neceſſe, quod nominetur perſona, cui conceditur tranſitus, quia aliud eſt licentia ſpecialis, & aliud nominatio perſonæ, ſed in propoſito erit licentia ſpecialis, ſi nominentur Mendicantes, & Ordines Monachales, vndè eſſet licentia ſpecialis, ſi Papa Ordini Minorum de Obſeruantia v. g. concederet, vt poſſent tranſire ad eoſdem Ordines, vel ſi Papa Ordinibus Mendicantium concederet, vt poſſent tranſire ad Ordines Monachales. Bonac. *d.* §. 5. *diff.* 2. *num.*15. Sufficit etiam ſi indulto generali derogetur illi extrauaganti, ex qua expreſsè eſt prohibitus etiam tranſitus ad Camaldulenſes, vt ex proœmio illius *extrauag.* patet: ſed quantum ad Camaldulenſes primo derogatum fuit *d. extrauag.* per Eugenium Quartum in ſua *Conſtit.*8. Et quamuis huic derogatum fuerit per *Conſtit.* 89. Pij Quinti, tamen iterum Sixtus Quintus *in Conſt.ſua* 35. conceſſit, vt ad Heremum Montis Coronæ omnes tranſire poſſint etiā Mendicantes, etiam Carthuſien. de quo dictum fuit *ſupra num.* 100. Aduertit etiam ex Sanchez Bonac. excommunicationem hanc non incurri, niſi à tranſeuntibus, & recipientibus prætextu priuilegij. In textu tamen non fit mentio priuilegij, ſed licentiæ, vel indulti, vndè incideret in hanc cenſuram Religioſus Ord. Mendicantium, qui prætextu licentiæ alicuius Legati, vel Nuncij, vel alicuius licentiæ Papæ non ſpecialis tranſiret ad Monachos præfatos, vel qui tranſeuntem ſic reciperent.

138. Contrà Prædicatores tranſeuntes ſine licentia Papæ ad alios Ordines Mendicantium nullam cenſuram, vel pœnam impoſuit Bonifacius Nonus, *Conſtit.* Sacræ Religionis ædita quinto Cal. Maij Pontificatus eius anno 13. Sed Minores eſſe excommunicatos ſi præſumant recipere Fratres Ordinis Prædicatorum venientes ſine ſpeciali licentia Summi Pontificis faciente de hoc indulto mentionem, vel niſi petita, & obtenta licentia ſuorum Superiorum ex *Conſtit.* Clement. Ad Minores. *Quo vos* referunt S. Anton. 3. *par. cap.* 70. *in fine* & ex eodem S. Anton. Suarez *de cenſ. diſp.* 22. *ſec.* 5. *num.* 17. Armill. *v. excommunicatio.num.*67. Filliuc.*tract.*15.c.8.*nu.*197. Bonac. *de Clauſ. q.*2.*p.*9.§.5.*num.*7. Putat verò Suarez excommun. hanc non eſſe reſeruatam, quod affirmat Filliuc. Eandem excommunicationem incurrere Eremitanos ex *cōſtit.* Alex. ad Heremitas. *Veſtram*, tradit, ibid. S. Anton. Vtrumque horum reperio etiam in indice priuilegiorum Ord. Prædicatorum impreſſo Venetijs per Lazarum de Soardis anno 1506. In Bull. etiā Ordinis præfati in formam authenticam redacto per Franciſcum de Albericis Auditorem Cameræ *fol.* 18. inuenio Bullam Innocentij Quarti, quæ incipit. *Quo nos*, & data fuit 11. Cal. Maij Pontificatus anno primo. In qua Papa prohibet ſub pœna excommunic. reſeruatæ eidem, ne Minores recipiant Fratres Ord. Præd. vel ad dictum Ordinem voto, vel iuramēto obligatos ſub prætextu Indulgentiæ alicuius, ſeu literarum obtentarum à Sede Apoſtolica, vel obtinendarum, quæ de præſentibus non fecerint expreſſam mentionem. Et ſucceſſiuè in eodem Bullario eſt alia Bulla eiuſdem, quæ incipit. *Meminimus vobis*, & fuit data 8. Cal. Iulij Pontificatus anno primo. In qua idem Pontifex reſtringit prædictam prohibitionem, & cum prius ſub pœna excommun. prohibuiſſet Minoribus recipere nedum profeſſus Ord. Præd. ſed etiā voto, vel iuramento ad eundem Ordinem obligatos, poſtea declarauit excommunicationem non incurri, niſi ſi Minores recipiant profeſſos non verò ſi recipiant obligatos non profeſſos. In Bullario verò paruo eiuſdem Ord. Prædic. impreſſo Venetijs apud Lazarum de Soardis anno 1506. legitur *Conſt.* Alex. IV. quæ incipit. *Quo nos*, & eſt ſimilis prorſus, præfatæ quam dedit Innoc. IV. ad fauorem Ord. Prædic. & fuit edita Neap. vndecimo Cal. Iulij Pontif. eiuſdem Alex. anno primo. in qua ſub eadem pœna excommun. Fratres Ord. Præd. prohibentur recipere Minores, vel ad eorum Ordinem voto, & iuramento obligatos. *Rodriq.* refert præfatam Bullam ſecundam Innocen. IV. quæ incipit: *Meminimus*, & eſt tertia inter Bullas Innocent IV. & refert etiam Bullam Alex. IV. pro Minoribus, quæ eſt 21 inter Bullas Alexandri, ſed idem Rodriq. inter Bullas Clem. IV. *num.* 12. ponit vnam in qua Clemens declarat, quod prius declarauerat Innoc. IV. pro Prædicatoribus, & decernit excommunicationem latam contra Prædicatores recipientes Minores vel contra Minores recipientes Prædicatores incurri ſolum ſi recipiantur profeſſi in iſtis Religionibus. Et ſic modo ſub pœna excom. reſeruatæ Papæ per *Conſtit.* Innoc. IV. Alex. IV. & Clem. IV. [illegible] reſpectiuè non poſſunt Fratres Prædicatores recipere Minores, nec Minores Prædicatores

tores sine licentia suorum Superiorum, scilicet Prioris, vel Ministri viuentes. Et receptio aliter facta est ipso iure irrita, & nulla. Præfatus verò Innoc. IV. in *Constit. quæ incipit*. Cum olim, ædita 8. Cal. Iulij Pont. anno 4. & est in *eod. Bull. p.* 25. prohibet Cisterciensibus recipere Prædicatores venientes sine licentia sui Prioris prætextu cuiuscumque indulgentiæ, & mandauit receptos restitui.

139. Simile indultum ad fauorem Minorum refert Cæsarub. *v. recipere num.* 4. vt datum ab Alex. IV. In quo sub pœna *excomm.* reseruatæ Papæ prohibiti fuerunt Monachi S. Benedicti, Cistercienses, Sancti Augustini, Præmonstratenses, Camaldulenses, Vallis Vmbrosæ prætextu quarumcumque literarum Apostolicarum generaliter, vel specialiter obtentarum, vel obtinendarum, quæ de præsentibus expressam non facerent mentionem recipere Fratres Minores. Et receptio aliter *facta* fuit declarata nulla. Sed & post Paulum Tertium, & Iulium Tertium, Sixtus Quintus in sua *Constit.* 20. Capucinis recipere Minoribus verò de obseruantia transire ad Capucinos sine licentia in scriptis Sedis Apostolicæ, vel Generalis, aut Prouincialium prohibuit sub pœna excommunicationis, sed non est reseruata. Et sic subiectum huius excom. sunt Generalis, Prouinciales, Ministri domorum, Guardiani, Vicarij, seu Præsides, si recipiant; & Minores de obseruantia si transeant ad Capucinos sine præfata licentia. Addit verò pœnam priuationis dignitatum, administrationum, & officiorum ipso facto, & inhabilitatis ad ea, & ad quoscumque actus legitimos. Sorbus *in v. recipere*, Filliuc. *tr.* 14. *cap.* 8. *num.* 150. Bonac. vbi supra *num* 2. Tambur. *disp.* 7. *q.* 1. *num* 11. Capucinis etiam per Vrbanum Octauum *in Const.* 91. excommunicatio non reseruata imposita fuit si transeant sine licentia Sedis Apostolicæ ad laxiorem, & ad arctiorem, vel ad Carthusiam sine licētia sui Generalis in scriptis. Addidit verò pœnam priuationis vtriusque vocis, & notam Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ. Tambur. *vbi supra*. Sed & Minimi recipientes Fratres Ordinis Minorum de obseruantia sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, aut illos retinentes sunt excommunicati, per *Constit.* Iulij II. Exponi nobis, quæ apud Peyr. est 16. Sed excommun. non est reseruata. Bonac. vbi supra. *num.* 3. Tambur. *disp.* 7. *quæst.* 2. *num.* 10 Vbi ex Sorbo *in v. recipere.* § *Item in anno*, addit, quod huiusmodi prohibitio est reciproca, & quod nec Minores de obseruantia ad Minimos, nec Minimi ad Minores de obseruantia possunt transire *per Constitut.* Pij Quinti confirmatam à Greg. 13. Et quod S. Congreg. Card. authoritate Greg. 14. statuit, vt transeuntes, & illos recipientes incurrant priuationem officiorum ipso facto, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum *Constit. præfatæ* Pij V. & Greg. XIV. habentur in fine *Compend. Priuileg. Cæsar. pag. mihi* 546. *&* *Constitut.* Pij, quæ incipit, *Sedis Apostolica* data fuit 6. Octobris 1567. & prohibetur hic transitus ex quacumque causa; & etiam de licentia superiorum. Sed non apposuit, nisi indignationis suæ pœnam, & nullitatem transitus. Greg. verò XIV. in *const. quæ incipit* B. Francisci, & fuit data 6. Iulij 1591. loquitur de Reformatis Conuentualibus, prohibet ne Capucini recipi possint ab illis, pœnam excommunicationis latæ sententiæ, non tamen reseruatam fertus tam in recipientes, quam in receptos. Minimi verò non solum ad Minores de Obseruantia transire non possunt, sed ex *Constit.* Iulij II. quæ incipit Sacer Ordo, & est apud *Peyr. quinta* §. 4. ad nullum alium Ordinem transire possunt sine licentia Generalis. & pariter tam recipientes eos, quam recepti sunt excommunicati, licet excommunicatio illa non sit reseruata ex vi *d. Constitut.* sed est reseruata ex vi *Constit.* Leonis X. quæ est apud Peyrin. 6. Pariter Minores reformatos non posse transire ad non reformatos, & tam receptos, quam recipientes esse excommunicatos statuit Leo X. in Bulla vnionis. Et nihilominùs exceptionem admisit, vt liceat Capitulis Prouincialibus, si eis videbitur minùs malum, aliquem licentiare, vt transeat ad non reformatos. Cæsarub. *v. Conuentuales num.* 2. Bonac. *d.* §. 5. *diff.* 2. *num.* 2. Qui addunt etiam in hoc casu transitum esse permissum, sed non esse in conscientiis tutum ex determinatione Capituli Generalis Mechlinensis. Sed certè in eo casu locum non haberet excommunicatio Pontificia.

140. Pœna quoque excommunicationis reseruatæ lata est tam in recipientes, quam in receptos Patres Societatis, & eis consilium, auxilium, aut fauorem tribuentes, si sine licentia Generalis transeant ad quemcumque alium Ordinem præter Carthus. Ad quam tamen solùm semel transire possunt, & quidem transire debent infra tres menses à die, qua à Societate recesserint, & ad alium Ordinem transire tenentur habita licentia intra terminum sibi à Generali præfixum, aliter ad Societatem redire tenentur, sicut & facere debent, statim ac in eo Ordine ad quem transierūt, nolūt permanere. Et ad hæc sub eadem pœna excommunicationis tenentur, à qua tamen licet alias Papæ reseruata potest absoluere Generalis Societatis. Sic enim habetur statutum per *Constit.* Pauli Tertij, Pij Quarti, & Pij Quinti, & Greg. XIII. qui addidit contra sic illegitimè transeuntes Apostatarum censuras, & pœnas ipso facto incurrendas, & à quibus absolui non possint, nisi à Pontifice, vel à Generali eiusdem Ord. Sanchez *l.* 6. *c.* 7. *n.* 28. Tambur. *d. q.* 2. *num.* 9. Bonacina *d.* §. 5. *diff.* 2. *num.* 5. Suarez *de relig. disp.* 22. *sec.* 5. *n.* 5.

141. Hanc eandem excommun. non reseruatam Fratribus Discalceatis Sanctiss. Trinitatis transeuntibus ad quamcumq; aliam *relig.* excepta Carthus. imposuit idem Vrban. *Constit.* 2. in *Apend.* & Discalceatis Carmelitis Paulus Quintus in *Cōstit. Alias.* 16. Martij 1616. Sed Clericis Congreg. Somaschæ sine licentia superioris dictæ Congregationis transeuntibus ad quamcumque aliam religionem excepta Carthus. & Capucinorum Sixtus Quintus imposuit pœnam excommun. latæ sententiæ Papæ reseruatam in *Constit. Equum. quæ est* 4. *inter Constit. huius Pontificis*. Quam eandem reseruatam Clericis Congregationis S. Pauli Decolati transeuntibus ad quemcumque alium Ord. excepta Carthus. imposuit Greg. XIII. in *Constit.* 48. sed ab hac excommun. potest absoluere Generalis dicti Ordinis.

142. Excommunicationem etiam Papæ reserua-

seruatam incurrunt; quicumque etiam prætextu arctioris vitæ, & etiam authoritate literarũ Apostolicarum in quibus de eorum personis, & Congregatione mentio non fuerit facta Monachos Cassinens. vel ab eorum Congregat. abstrahere, vel apud se spontè venientes retinere presumunt sine consensu Capituli Generalis, seu Præsidentis, & maioris partis Visitatorum Congregationis, si tamen facta eis notitia de huiusmodi priuilegio intra tres dies personam Congregationis non restituerint cum effectu, vel à se realiter non abiecerint. Ità statuit Eug. IV. in *Constit. Et si ex debito* edita 7. Cal. Martij anno 1434. & habetur in *Bullar. Cassinens. sub num.* 59. §. 17. sed ex *Constit.* licet Leonis X. quæ in eodem *Bullar. est.* 127. & fuit data 17. Martij 1517. tam recipientes, quam recepti Cassinens. sunt excommunicati excommunic. Papæ reseruata, si sine licentia suorum superiorum ad alios Ordines transeant etiam ad Camaldulensem; sed quid dicendum de transitu ad Camaldulen. adnotatum est supra *num.* 100. Videri etiam potest in eodem *Bullar. Const.* 152. Pauli Tertij in qua inter alia statuitur, vt Cassin. non possint transire ad alios Ordines, & præcipuè ad Hospitale S. Spiritus in Saxia sine superiorum suorum licentia. Pariter Cœlestini, si transeant ad alium Ordinem sine superiorum suorum licẽcia tam recepti, quam recipientes incurrunt excommunicationem, si infra mensem requisiti à se receptum non reiecerint, ex *Constit.* 2. Bened. Vndecimi §. 13. Cisterciensibus competere idem priuilegium, quod Cassinens. ex vi *Constit.* Eugenij Quarti tradunt Barbosa *lib. 1. de iure Eccl. cap.* 42. *num.* 56. & Tambur. *tom. 3. disp. 7. q. 2. num.* 2. quibus asserunt etiam concessum à Mart. V. simile *priuil. excepta*, quod non est veritum transire ad Carthusiam. Iidem etiam DD. referunt Eugen. IV. concessisse Congregationi S. Benedicti in Hispania, vt sine licentia Generalis, aut sui Monasterij cum Abbate ad nullam aliam Religionem etiam ad Carthusiam non possint transire sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ tam recipientibus, quam receptis. An tamen istis huiusmodi sint specialiter prohibita, vel potius sic dicatur ex vi communicationis priuilegiorum mihi non constat, & vt dicebam in his locum habere communicationem priuilegiorum non iudico. Sorbus etiam *v. Apostata* in fine refert Innocent. VII. anno 1492. sub pœna excommun. latæ sententiæ sibi reseruata aut Generali dicti Ordinis prohibuisse Monachis Ord. S. Hier. sine licentia Generalis transire ad Ord. Minorum, & quemlibet alium etiam ad Carthusiam, etiam ex bona intentione, etiam prætextu quorumcumque priuilegiorum, & literarum Apostolicarum, in quibus non sit expressus consensus Generalis, quam excommunicat. incurrunt tam recipientes, quam recepti. Quam prohibitionem confirmauit Gregor. XIII. anno 1579. Camaldulensibus etiam Eremi Montis Coronæ Sixtus V. *in Const.* 35. prohibuit sub pœna excommunic. latæ sententiæ sibi reseruatæ aliijque pœnis, Apostasiæ reatus, suspensionis à diuinis, alijsque arbitrio maioris illius Religionis moderandis, infligendis, & declarandis ne ad quemcumq; alium Ordinem transire audeant, sine obtenta licentia dicti maioris, quamobrem ex his apparet, quod omnibus quasi Ordinibus est prohibitus sub pœna excommunicationis trãsitus ad alias Religiones sine obtenta licentia; vel Pontificis, vel proprij Generalis, aut respectiuè alicuius Prælati sui Ordinis.

143. Sed præterea contra huiusmodi indebitè, & sine licentia requisita transeuntes ad alium Ordinem statuta est nota Apostasiæ, & infamiæ pœna, aliæque Apostatarum pœnæ Greg. XIII. Pro Religiosis Societatis Sixtus V. *in Const.* 4. pro Somaschis; *Et in singulos transeuntes Apostasiæ pœnam, &c.* Greg. XIII. in *Constit.* 48. pro Clericis S. Pauli Decolati. *Liceat præfato Generali, seu alijs dictæ Congregationis Præpositis, & Superioribus easdem transgressores, & exeuntes tamquam Apostatas, &c. reuocare, eosque capere, & incarcerare, ac debitis pœnitentijs subijcere.* Vrbanus Octauus in *sua Const.* 91. pro Capucinis. *Sub Apostasia, & infamia perpetua nota: & in Constit.* 2. *in Apend.* pro Discalceatis Sanctiss. Trinitatis. Quæ clausula ad verbum habetur etiam *in Const. Alias.* Pauli Quinti pro Carmelitis Discalceatis, & S. Congreg. Episcoporum, & Regularium in decreto supra relato.

144. Pœnam etiam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ imposuit huiusmodi transeuntibus indebitè ad aliam Religionem Vrbanus Octauus *in Const.* 91. pro Capucinis, quam etiam continet supra dictum decretum Sac. Congregationis.

145. Pœnam verò nullitatis professionis in religione ad quam fit transitus continent omnes ferè Pontificum Constitutiones huiusmodi transitum prohibentes. Et præterea transitus huiusmodi multiplici de causa est nullus, vt supra dictum est *num.* 121. *& sequ.* Vndè est, quod contrà huiusmodi transeuntes nulliter ad Religionem aliam sine licentia superiores procedere possunt, & illos reuocare, vt in terminis Maris Magni, & Priuilegij Societatis, & multorum aliorum priuilegiorum.

SVMMARIVM.

1 *Translatus qualiter debeat retineri in claustro.* *num.* 146.
2 *Est incapax beneficiorum.* *num.* 147.
3 *Mendicantes priuantur loco, & voce in Capitulo.* *num.* 148.
4 *Mendicantes non possunt translati assumi ad dignitates, & officia.* *num.* 149.
5 *Mendicantes de iure communi sunt quatuor.* *num.* 150.
6 *Isti omnes sunt tales ex regula.* *num.* 151.
7 *Dispensatio super esu carnium exceptis ijs, qui ex regula abstinere debent, non se extendit ad Prædicatores.* *num.* 151.
8 *Quamuis aliqui Ordines ex dispensatione habeant bona stabilia adhuc sunt Mendicantes.* *num.* 152.
9 *Alij sunt Mendicantes ex Constitut. Apostol.* *num.* 153.
10 *Omnes comprehenduntur sub legibus latis pro Mendicantibus.* *num.* 153.
11 *Moniales non sunt Mendicantes.* *num.* 154.
12 *Sub nomine Mendicantium in Clem.* I. *de Regul.*

gul. non venient, qui gaudent Mendicantium privilegijs. num. 155.
13 *Nec novitij nondum professi. num. 156.*
14 *Nec Ordines, qui non sunt approbati. num. 157.*
15 *Nec Episcopus Religiosus. num. 158.*
16 *Nec qui revertitur ad Mendicantes. num. 159.*
17 *Ex vi d. Clem. sunt privati voce utraque. num. 160.*
18 *Et loco. num. 161.*
19 *Et officijs etiam onerosis, & administratione. num. 162.*
20 *Etiam transeuntes ad Carthusiam sunt inhabiles ad officia, nisi dispensentur. num. 163.*
21 *Sub nomine officij comprehenditur officium prædicandi. num. 164.*
22 *Et docendi. num. 165.*
23 *Non tamen gradus literarij. num. 166.*
24 *Nec Vicariatus Episcopi. num. 167.*
25 *Translati Ord. Præd. Minorum, &c. sine licentia non possunt prædicare, &c. num. 166.*

146. LOquendo autē de illis, qui ex legitima licentia transeunt ad aliū ordinē primo occurrit consideranda prohibitio Conc. Trid. *sess. 14. c. 11. de reformatione*. Quæ continet duas partes. In prima prohibetur ne regularis ad aliam religionem admittatur, nisi animo eum retinendi perpetuò in claustro, sub sui superioris obedientia. Quod decretum non continere ius novum asserunt Navar. *Com. 4. de regular. num. 11. & 12.* Rodriq. 3 *p. q. 53. a. 4.* Azor. *l. 12. c. 14. q. 12.* Sanchez *l. 6. Mor. c. 7. nu. 82.* Barbosa in *c. 11. sess. 14.* Conc. Tri. *n. 1.* quod tamē negat Sua. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 15. n. 11.* sed nō est discedendum à priori sententia. Sed imò dicendum, nunc etiam superiorem posse suo subdito ex alia religione ad suam translato concedere eam licentiam manendi extra claustra, quam ante Concilium ex causis iustis potuisset concedere; vndè Navar, Sanchez, & Barbosa deducunt eundem superiorem huiusmodi subdito posse concedere eam licentiam manendi extra claustrum, quam cæteris subditis elargiri potest. Et hoc sine dubio est verùm, & colligitur, quia nedum Concilium ibi non intendit, nisi tollere regularibus occasionem vagandi, & apostandi, vt patet ex illis verbis, quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur; sed quia Concilium non loquitur de claustro materialiter, sed formaliter, quomodo ille dicitur extra Claustrū qui manet extra superiorum obedientiam, vel qui est extra Monasterium sine superioris obedientia, & ideò Concilium prohibet aliquem regularem ad alium Ordinem admitti, *nisi vt in ordine ipso ad quem transfertur sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat*; vndè quod intendit Concilium est, quod huiusmodi translati non permittantur viuere extra obedientiam superiorum, non verò intendit, quin possint eis concedere licentiam exeundi à Monasterio talem, qualem alijs eorum subditis valeāt concedere. Ideò S. Cong. Concilij declarauit superiorem translato posse dare licentiam ad modicum tempus manendi extra claustra causa prædicationis, vel audiendi confessiones. Hodie tamen valdè limitata est authoritas superiorum, circa licentiandum Fratres ad manendum extra claustra, vt suo loco infrà dicetur.

147. Secunda pars dicti decreti Concil. Trid. continet, quod translatus etiam si Canonicus regularis fiat, ad beneficia sæcularia etiam curata incapax existit. Quod quidem decretum vniuersalissimum est tum respectu translatorum, quorum nullus excipitur, imò quia nec excipiuntur Canonici regulares, quibus speciali ratione beneficia curata cōpetere possēt, vndè multo minus alius quicumque regularis excipitur. Tum respectu religionum. Nulla enim hic fit exceptio, vel differentia inter laxiores, & arctiores, & ideò translatus quicumque in nulla religione est incapax beneficij sæcularis etiam curati. Etiam si transierit de licentia Papæ, nisi fuerit cum eo super hoc expressè dispensatum. Lessius *l. 2. cap. 41. dub. 13. num. 105.* Sanchez *l. 6. Mor. cap. 7. num. 108.* Leaana *tom. 1. cap. 22. num. 20.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 15.* & alij communiter. Et cum aliàs omnis Religiosus sit incapax Beneficij secularis, si sit translatus ad aliam religionem remanet, ex hac causa etiam est incapax beneficiorum eorumdem Palaus *tr. 16. disp. 4. p. 17. num. 1.*

148. Clement. I. de regularibus duo alia statuit circa Mendicantes ad non Mendicantium ordines translatos. Primum respicit etiam eos, qui antea erant translati, de quibus decernit, vt qui translati habent prioratus, & administrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcumque non habeant locum, & vocem in Capitulo, etiam si hoc ab alijs liberè concedatur.

149. Secundùm respicit in futurum; Nam Concilium Generale decreuit, vt Mendicantes regulares translati ad aliquem ordinem non Mendicantium non assumantur ad prioratus, administrationes, aut quæcumque officia, nec etiam vt Vicarij, aut aliorum locumtenentes, vel habentes regimen, aut curam animarum. Multa verò circa hoc decretum sint consideranda. Et quidem primo considerandum est, qui sint religiosi Mendicantes. Horum enim nomine veniunt, quibus ex instituto, aut regula interdictum est habere ad cōgruam sustentationem redditus, & possessiones sufficientes, vt tradunt Canonistæ communiter ad *cap. unicum, de religiosis domibus in 6.* Palud. *4. d. 38. quæst. 2. num. 17.* D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 3. in princ.* Rodriq. *tom. 3. quæst. 52. a. 11.* Verùm aduertendum, quod si darentur aliqui, qui ex regula à se ipsis statuta, vel ab alijs, qua prohiberentur habere redditus, sed mendicare compellerentur, sed huiusmodi regula, aut constitutiones, aut statuta non essent a Summo Pontifice approbata, isti nec essent religiosi propriè, nec venirent sub nomine Mendicantium in Tum quia hic est sermo de Religiosis, hoc loco. tunc quia ex priuata lege, & conuentione, & pacto, seu regula à Pontifice non approbata, nemo potest sibi legem ponere à qua non liceat recedere saltem altera parte consentiente, & iuramentum, seu votum simplex, nec constituunt vouentem religiosum, nec impedit quin possit ipse transire ad religionem approbatam. Non ergo huiusmodi veniunt nomine Mendicantium in hoc loco, sed illi soli; qui ex regula approbata à Summo Pontifice, impediuntur habere etiam in communi suf-

ficientes redditus, & possessiones, vt benè post Ancharan. Imolam, Bonif. & Card. *ad cap. vnicum de religiosis domibus in 6.* & Fedec. *cons.* 25. tradit Nauar. *consil.* 65. *de regularibus*, & Sanchez *l.6.Mor.c.7.num.* 114.

150. Ideò de iure communi quatuor sunt ordines Mendicantium, scilicet ordines Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, vt habetur *cap. vnico de religiosis domibus in 6. §. Sane*, & docent Lapus *alleg.* 44. Glossa *v. quoslibet in Clement.* 1. *de regular.* Isidor. Moscon. *de maiestate milit. Ecclesia. l.1. p.4. cap.1. de regularibus, vers.* Mendicantes. Zerol. *in praxi Ep. v.* Mendicantes. Azor. *l.12.cap.23.quæst.2.* Miranda *in manual. q.4.a.6.* Galgsnes de iure publico *l.3.tit.41.* D. Anton. *p.3.tit.6.cap.1 §.8. & tit.19.c.3. & tit.23. & 24.* Cassan. Cathal. gloriæ mundi *p.4. consid.* 68. 69. & 70. Rodriq. *tom.1.q.2. & q.4.a.3.* Lezana *tom.2. cap.1. num.1. & v. Mendicantes. num.2.* Barbosa *de Apel. verb. iuris signific. cap.14.* Quia isti ordines ex regula, seu instituto non habent redditus, & possessiones.

151. Quod verò Azorius *l.12. cap.23.* distinguit Mendicantes in eos, qui sunt tales ex regula, & ex constitutionibus, quia Minores sunt Mendicantes ex regula, Prædicatores verò, & Carmelitæ ex Constitutionibus, verbalis est hæc distinctio, & non multum consideranda, quia in illis religionibus, quæ sub aliqua regula communi militant, propria regula constituitur ex illa communi regula, & proprijs constitutionibus, vt tradit Suarez *tom.4. de relig. tract.8.l.1.cap.1.* Neque enim regula Sancti Augustini est propria regula Prædicatorum, sed est regula communis ipsis, & omnibus alijs, qui sub ea Deo militant, sed propria regula Prædicatorum est regula S. Augustini, vt acceptata, explicata, limitata, & ampliata per huius ordinis constitutiones, ità cum hoc anno Summus Pontifex dispensauerit occasione pestilentiæ super vsu carnium cum sæcularibus, & regularibus illis exceptis, qui ex regula non comedunt carnes, ortumq; fuerit dubium apud aliquos ad verba materialiter respicientes, an Pontificis dispensatio extenderetur ad Prædicatores, quibus non regula S. Augustini, sed constitutiones prohibent vsum carnium, Summus Pontifex etiam consultis Theologis declarauit non extendi; verè enim Prædicatoribus ex regula propria interdictus est vsus carnium, cum sit illis interdictus ex proprijs constitutionibus. Vndè ipsi etiam ex regula sunt Mendicantes, quia eorum propria regula ex constitutionibus completur, quibus interdicitur habere in communi possessiones, ac redditus.

152. Verùm tamen est, quod modo huiusmodi ordines ex dispensatione Concilij Tridentini. *sess.25. de regularibus cap.3.* exceptis Minoribus de obseruantia, & Capucinis, bona in communi possideant. Sed nihilominus, & nomen, & iura, & priuilegia Mendicantium retinent. Nam priuilegium tollens vnum non tollit aliud *l. si domus sua. ff. de seruit. vrban. prædiorum. & cap. pastoralis, de priuileg. cap. ex tuarum, de author. & vsu palij.* Quamuis igitur Concilium Tridentinum dispensauerit cum istis ordinibus, vt possint habere bona stabilia in communi, non eos tamen liberauit ab obligatione seruandi, alia quæ Mendicantibus ordinibus in iure præcipiuntur, vndè nec remanent priuati priuilegijs, quæ eisdem Mendicantibus ordinibus concessa fuerunt, vt docent Domin. & Franc. *ad cap. vnicum de religiosis domibus in 6.* & ad Clemen. 1. Imola, & Bonif. Felin. *cap. in præsentia n.52.* Rebuf. *in concord. rub. de regul. ad prælaturas nominat. facien. v. Mendicantib.* Syl. *v. relig.4.q.3.* Rod. *t.2.q.52.a.15.* Mãd. *reg.3.* Cãcel. *q.4. n.4.* Sanch. *loco citato num.* 15. Barbosa *de appellatiua verborum vtriusque iuris signific. cap.* 147. *n.5.* Barbosa *de clau. quæst. 2. p. 9. tr. 5. num.6.* Suarez *tom.4. de relig. tract.9.l.1.cap.8 num.12.* Vbi aduertit, & benè, quod Concil. Trid. non abstulit ab huiusmodi ordinibus mendicitatem, sed permisit habere bona in communi propter temporum iniquitatem, vel incommoditatem, tamquam necessarium ad conseruandam perfectionem in statu religioso; ideò remanet in dictis ordinibus substantia status Mendicantium, & de facto tales religiosi mendicant, vbi opus est, & in multis locis viuunt ex eleemosynis.

153. Præter hos quatuor ordines, qui sunt de iure communi Mendicantes, alij sunt tales ex constitutionibus Apostolicis. Nimirum Serui B. Mariæ *ex constit.* 44. Pij Quinti *Romanus Pontifex* 1. *Octobris* 1568. Minimi S. Francisci de Paula *ex constit.* 5. Sixti Quarti, *& ex constit.* 49. Pij V. *Apostolicæ Sedis benignitate 9. Nouembris* 1567. Iesuatæ Congreg. S. Hieron. *ex constit.* Pij Quinti, *Romanus, sub die 19. Nouembris* 1567. Patres Societatis Iesu *ex constit.* Pij Quinti. *Dum indefessa, sub die 7. Iulij* 1571. Et quod etiam Collegia Societatis, & Scholastici in ea degentes sint Mendicantes latè probat Reuerendiss. Fagnanus *ad cap. In præsentia. num.91. de probat.* Item Mendicantes sunt Carmelitæ discalceati ex declaratione 101. Clem. Octa. *Romanum Pontificem, sub die 20. Aug.* 1603. Discalceati Sanctiss. Trinitatis per *const.* 60. Pauli Quinti. Numerantur etiam Iesuati S. Hier. à Lezana *v. Mendicantes num.* 2 & à Lucerna *Regul. v. Mendicantes num.* 4. Ideò omnes huiusmodi ordines Mendicantes, quia verè tales sunt manere obligatos ad ea iura seruanda, ad quæ antiqui ordines tenebantur, & sub nomine Mendicantium comprehendi ratio dictat, quia lex loquitur personis natis, & nascituris, & tenent Nauar. *com. 4. de Regul. num.* 13. Rodriq. *tom.3. quæst. 52. a. 23.* Suarez *tom.5. in 3. partem disp. 31. sect.6. num.7. & disp.22. sect.5. num.16.* In specie verò, quod omnes præfati ordines comprehendantur sub dispositione Clementinæ primæ de regularibus, de qua loquimur docent Azor. *l.12. c.14. q.12.* Suarez *to.4. de relig. tr.8. l.3. c.15. n.3.* Sanc. *l.6. c. Mor. c.7. num.117.* Barbosa loco citato *nu.18.*

154. Non tamen hæc Clemen. locum habet in Monialibus Prædicatorum, aut Minorum, aut alterius Ordinis Mendicantium, quia Monialium monasteria non ex dispensatione, sed ex regula redditus habent, & possessiones, nec eorum statum valdè condecet mendicare, vt benè tradiderunt Gulielm. de monte Laud. in Clem. 1. *de regularib.* Palud. *4. d.38. q.2. num.17.* D. Anton. *3. p. tit.16. c.3. in princ.* Sylu. *v. religio 3. quæst.3.* Angelus *v. Nomina num.6.* Barbosa *de Appellat. verb. iuris signif. c.147. num.13.* Bonac. *de clausura quæst.2. p.9. §.5 nu.6.*

San-

Sanchez *l. 6. Mor. c. 7. num.* 116. contra Lapum, Mandof. Gloss. Imol. Bonif. Dominicum, & Franc. ab eo relatos. Quod etiam inde colligitur, quod Moniales illæ per gratiam specialem obtinuerunt communicationem in priuilegijs ordinum Mendicantium, vt enim considerant Rodriq. *tom. 1. q. 55. a. 1. & 13.* & Tambor. de iure Abbatum *tom. 1. disp. 17. num. 49.* Monialibus Prædicatorum Leo Decimus, & Monialibus Minorum Clemens Septimus priuilegia ordinum Mendicantium concesserunt, quod non fuisset necessarium, si illæ fuissent Mendicantes.

155. Ideò nec sub hac Clemen. prima sub nomine Mendicantium comprehenduntur ordines non Mendicantes licet gaudeant priuilegijs Mendicantium per communicationem. Nam vt ait Suarez *tom. 4. de relig. tract. 9. c. 8. num. 15.* ad religionem Mendicantem in rigore non sufficit, quod gaudeant priuilegijs Mendicantium. Nam modo hoc conuenit etiam Monachorum ordinibus, quos non numerari inter ordines Mendicantium constat per *extrau. Viam ambitiosæ, de regularibus*, in qua Mendicantibus ordinibus prohibetur transitus ad ordines Monachales præterquam ad Carthus. Participant enim priuilegija Mendicantium Canonici regulares, Monachi, & Clerici regulares, vt relatis Bullis Pontificum probat Barbosa loco citato. Qui tamen non sunt Mendicantes. Et in hac Clementina veniunt sub nomine non Mendicantium. V. Lucernam *Reg. in v. Mendicantes*.

156. Sub nomine etiam Mendicantium veniunt solum professi in aliquo Mendicantium ordine: Nouitij enim nondum professi sicuti liberi sunt, vt ad sæculum redeant, ità & vt ad quemcumque ordinem transeant, & discedentes ab ordine vno prius secularizantur, quam alterius habitum induant. Clementina verò loquitur de professis, qui ex vi professionis tenentur permanere in vocatione. Glossa *v. vt professores*. Imol. *num. 6.* Bonif. *num. 53.* Card. *num. 9.* Sanchez *l. 6. Mor. c. 7. num. 112.* Non tamen, vt idem aduertit inter nouitios numerandi sunt religiosi Societatis post emissa vota biennij, quia iam sunt religiosi professores ordinis Mendicantis, & verè Mendicantes.

157. In eadem etiam Clement. excipiuntur Ordines, si qui sunt, qui non sint simpliciter approbati à Sede Apostolica, sed illis prohibitum est ne aliquem ad habitum & professionem admittant, ipsique possint ad quemuis alium Ordinem transmigrare.

158. De Religioso vero Ord. Mendicantium facto Episcopo, & postea ex Pontificis dispensatione ingrediente Ordinē non Mendicantium existimant aliqui illum esse subiectum pœnis huius Clement. quia in prima vocatione non persistit. Ita Sanchez loco citato n. 119. post Paulum, Lapum, Anchar. Imola, & Card. ad dictam Clement. Palaus *tr. 16. d. 4. p. 27. num. 4.* Quod de mente eiusdem Sanchez & Reuerendiss. Lucarini de Episcopo Regulari nu. 370. retuli supra *q. 585. a. 8. n. 274. pag. 494.* Sed nunc ex Constit. 21. Pauli Quarti Episcopi Regulares, si ex dispensatione Apostolica redeant ad Ordinem Regularē, sunt inhabiles ad Officia, & Dignitates illius Ordinis. Cæterum quantum sit ex vi Clement. opinio Sanchez habet instantiam vrgentem. Nam religiosus Episcopus, qui iam à iugo suæ regulæ fuit aliquo modo absolutus, & ad alium statum translatus non venit sub simplici nomine religiosi Mendicantis, & hic iam à prima vocatione multum recessit, dum in Episcopum translatus fuit, licet enim manserit religiosus, tamen euasit in religiosum conditionis valdè diuersæ, & talis vndè non venit sub nomine simplici religiosi Mendicantis. Et ità docuit Bonif. ad eam Clemen. *num. 83. & 84.* quem sequitur Bonac. *de clauf. q. 2. p. 9. §. 5. num. 5.*

159. Pœnis huius Clement. adstrictus etiam non manet, qui translatus ex Mendicantibus ad non Mendicantes, posteà ad Mendicantes reuertitur. Nam textus intelligi debet respectu ordinis non Mendicantis, & quatenus religiosus in ordine non Mendicanti inueniatur. Ratio enim pœnæ est transitus à Mendicante ad non Mendicantem ordinem, vndè si quis ex ordine non Mendicante redeat ad Mendicantem non est puniendus, vt benè docet idem Bonifacius ibi. *num. 85.* cui consentit etiam Sanchez *num. 118.* Bonac. *de clauf. quæst. 2. p. 9. §. 5. num. 5.* quamuis oppositum senserint Lapus, Anchar. & Cardin. ibi. & Rebuff. *prax. benef. tit. de dispens. cum regul. num. 52.* Itaque igitur personæ, quæ pœnas huius Clementinæ incurrunt sunt religiosi alicuius ordinis Mendicantium, etiam si constitutione Pontificis Mendicantes sint, dum tamen sint viri in aliquo Mendicante ordine simpliciter ab Apostolica Sede approbato professi, & non ad statum Episcopalem eleuati, & transeant ad aliquem ordinem non Mendicantem, & in ipso permaneant.

160. Pœnæ autem, quas translatus de ordine Mendicante ad non Mendicantem incurrit plures sunt. Prima verò est priuatio vocis, & loci. Quamuis enim hæc pœna videatur imposita solis illis, qui iam ad non Mendicantium ordinem transierant, tamen non ità est, sed vniuersaliter respicit omnes quocumque tempore transeuntes, vt tradunt Bonif. *num. 87.* Rebuff. *in praxi, seu cita-to num. 56.* Sanchez *num. 125.* Palaus *num. 5.* quia expressè loquitur de illis, qui transibunt, & qui transierunt, & omnes priuat loco, & voce, quamuis ex illis, qui transierunt aliqui sint priores, vel habeant administrationem, aut regimen. Intelligitur tamen hoc, vt supra dictum est de loco, & voce in Capitulo solo, & in rebus honoris, non verò in rebus oneris Bonac. *de clauf. quæst. 2. puncto 9. §. 5. num. 3.* Dubium verò est, an sit sermo nedum de actiua voce, sed etiam de passiua. Quidam enim hoc limitant, vt sit verum de sola actiua voce, quia hæc sit lex pœnalis in qua debet fieri stricta interpretatio. Sed verior est sententia opposita, licet enim decretum hoc sit pœnale respectu particularis religiosi, est fauorabile religioni in communi, & cum indistinctè, seu melius absolutè textus loquatur, absolutè est intelligendus: Et cum apertè statuat hunc religiosum transeuntem esse incapacem, vt eligatur in Priorem, & ad officia, & regimen, sine dubio textus intendit eum esse priuatum nedum actiua, sed etiam passiua voce, vt tradunt Nauar. *Comment. 4. de regular. num. 24.* Sanchez loco citato *num. 130.* Barb. ad Clem.

ad Clem. primam de regular num. 6. Vechis *dub.* 5. *num.* 15. Lezana *tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 21. Palaus *d. disp.* 4. *p.* 27. *n.* 5.

161. Quantum ad locum autem, cum hic translatus etiam authoritate Apostolica non habeat locum in Capitulo, ibi nec aliquem praecedere debet. Extra Capitulum verò, seu etiam in Capitulo vbi translatus fit ad Religionem mendicantem, vel ex non mendicante in non mendicantem locum habere debet iuxta antiquitatem professionis in posteriori Religione, vt tradunt Nauar. *tital. de maior. & obedient. cons.* 23. *lib.* 1. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 52. *a.* 29. Sanchez *dicto cap.* 7. *n.* 86. Tambur. *dicto t.* 2. *q.* 6. *num.* 5. Miranda *q.* 21. *a.* 23. *conclus.* 1. Bonac. de Clau. *q.* 2. *p.* 9. §. 5. *num.* 5. Barbosa *l.* 1. *de iure Eccles. cap.* 42. *num.* 86. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 27. *n.* 9. De translato tamen, vt fuit Praelatus, quod finito officio debeat tenere locum post Praelatum in memoriam pristinae dignitatis ex Nauar. Rodriq. & Sanchez dixit Palaus *d. p.* 27. *num.* 10. Nisi adsint Praelati ante priores. Sed in hoc puto seruandas leges, & consuetudines Religionum. Nam v. g. in Ord. Praed. qui fuit Prior, post Prioratum non habet nisi locum suae professionis.

162. Praeterea verò hi translati ex mendicantibus ad non mendicantes prohibentur assumi ad Prioratum, administrationem, officia, regimen, animarum curam, & etiam ad Vicariatum, & Locumtenentiam pro alijs: Quid tamen horum nomina veniat dubium est. Nam aliqui limitant huiusmodi prohibitionem ad officia non onerosa ideoque censent non comprehendi sub hac prohibitione syndicatum, & similia alia officia. Quod tenuerunt Gloss. *v. officia* Imola ibi *num.* 13. Bonif. *num.* 70. *&* 71. Card. *n. v. ad prioratus q.* 1. Sed oppositum verùm est, vt scilicet huiusmodi translati non possint esse Camerarij, Oeconomi, Gastaldi, Syndici, nec habere similia officia, quae in religione per religiosos exercentur. Quoniam textus nedum prohibet illis officia, sed administrationes, & hoc nedum, vt non sint principales, sed vt nec sint Vicarij, & Locum tenentes principalium vndè textus interdicit omne officium, vel habens iurisdictionem, vel nudam administrationem rerum Monasterij siue sit officium principale, siue subordinatum, Camerarij verò, Oeconomi, Syndici, & alij similes res Conuentus administrant. Ideò hanc partem docent ex Paulo, & Stephano Anchar. ibi *num.* 5. Nauar. *comment.* 4. *de regular. num.* 24. Azor. *l.* 2. *c.* 14. *q.* 12. Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 7. Sanchez *l.* 6. Mor. *c.* 7. *n.* 127. Vechis *dub.* 5. *num.* 15. Barbosa ad Clem. primam *de regular. num.* 7. Palaus *tract.* 16. *d.* 4. *punct.* 27. *num.* 8.

163. Sed difficultas est an ab hac regula excipi debeant transeuntes ex ordine mendicantium ad Carthus. Nam debere excipi videtur, quia textus loquitur de illis, qui transeant ad non mendicantes ex priuilegio, & indulto, at verò Mendicantes de iure communi transire possunt ad Carthusianos, per extrauagan. *Viam ambitiosa*, *de regularibus*. Et ita tenent Sanchez *nu.* 110. Vechis *dub.* 5. *num.* 13. Suarez loco citato *num.* 6. vbi ad hoc affert declarationem Congregationis Concilij cuius etiam meminit Sellius in Select. Canon. *cap.* 15. *num.* 8. Barbosa in summa Apostolicarum &c. *v. Transitus Regularis num.* 16. Bonac. de Clau. *q.* 2. *p.* 9. §. 5. *n.* 5. Verùm stando in iure communi oppositum puto dicendum. Nam primò falsum est, textum loqui de solis transeuntibus ad ordinem non mendicantem ex priuilegio, sed absolutè, & vniuersaliter loquitur, & quia poterat dubitari an loqueretur de transeuntibus authoritate Apostolica, hoc explicat non limitans, sed amplians, & sic dicens, *mendicantes quoslibet, qui ad non mendicantes ordines etiam authoritate apostolica transibunt in posterum &c.* vndè vniuersaliter loquitur de transitu ad quemlibet ordinem non mendicantium. Et praeterea exceptio ordinis Carthus. facta est post Clementinam primam, vndè tunc non erat iure communi licitus transitus ad Carthusianos magis quam ad alium ordinem strictiorem, vndè limitatio ista non potest illi textui aptari. Sed hoc euidentius probatur ex decreto Congregationis Epis. & Regularium die 6. Martij 1596. quod refert Barbosa *lib.* 1. de iure Eccles. *cap.* 42. *num.* 53. In quo expresse decernitur regulares mendicantes translatos ad Carthusianos priuatos esse voce actiua, & passiua atque ad quaevis officia inhabiles, vt patet ibi. *Inter quos postmodum mendicantes huiusmodi iuxta Constit. Clem. Quinti voce actiua, & passiua carent, atque ad quaeuis officia, ac ministeria, ac gradus istius Religionis perpetuo inhabiles existant.* Circa quod decretum tamen, quod Barbosa alibi scilicet in summa Apostolicarum *v. transitus n.* 12. ex Aldano *l.* 2. *t.* 23. *n.* 15. refert aduertendũ quod in eo adest error, quia ponitur Clem. Octau. pro Clemente Quinto, sed & secũdo considerandũ, quod in eo decreto prout refertur ab illis, translati mendicantes ad Carth. sunt absolutè priuati voce actiua, & passiua & inhabiles ad officia: quod tamen debet intelligi sine praeiudicio priuilegij concessi illi Ordini à Iulio Secundo: nam Iulius Secundus in Constit. 17. *Dum ad fructus*, sub die 10. Iunij 1508. concessit Priori, & Capitulo Generali, seu Definitoribus Capitulo Generali durante, vt quoslibet fratres dicti ordinis etiam ex mẽdicantibus translatos ad quascumque Ordinis obedientias etiam curam animarum fratrum dicti ordinis habentes assumere possent, & sic assumpti eas exercere, & locum, & vocem actiuam, & passiuam tam in dicto Capitulo Generali, quam omnibus alijs tractatibus, & negotijs in in ipso ordine expediendis habere possint. Non obstante hac Clementis Quinti constitutione. Ideò certum est, huiusmodi translatos non posse in Religione Carthus. assumi ad officia nisi ex dispensatione. Declaratio verò Cong. Concilij, de qua mentio est apud Suarez, & Barbosam locis citatis, si vera est, vel fundata fuit in hoc priuilegio Iulij Secundi, vel loquitur quantum sit ex vi decreti Concilij Trid. *sess. illa* 24. *cap.* 11. *de reformat.* prohibentis ne huiusmodi translati maneant extra claustra, & non obtineant beneficia, ex quo decreto dubium oriri poterat maximè circa Procuratores dicti ordinis extra claustra commorantes, & ideò Congregatio declarauit ex vi talis decreti non prohiberi, quin in dicto ordine translati possent esse Priores intra Claustrum, & extra Claustrum Procuratores. Sed de prohibitione Clementinae sermonem nõ habuit.

habuit ; Tam verò ex priuilegio Iulij Secundi quam ex decreto S. Cong. Epis. & regular. habetur, quod ex vi decreti Clem. Quinti translati mendicantes ad non mendicantes ordines sunt vtraque voce priuati, quod expresse in dicto decreto decernitur, & super quo conceditur, vt in Carthus. ordine dispensari possint,

564. Alia etiam difficultas est, vtrum sub nomine officij comprehendatur prædicatio. Negant enim aliqui, quia prædicare non est exercere curam animarum. Nec obstat, quod prædicare sit officium Parochi, non enim est officium prout dicit potestatem, sed prout dicit actum ; At verò translatis non interdicitur omnis actus curandi, sed ipsa cura, & regimen. Tum secundò quia etiam ministrare sacramentum pœnitentiæ est actus & officium Parochi, & tamen nullus dicet hos translatos esse inhabiles ad ministrandum huiusmodi Sacramentum, vel Sacramentum Eucaristiæ. Tum quia non est eadem ratio de huiusmodi actione, & de alijs, quia non est verisimile aliquem transire à mendicantibus ad non mendicantes ea nimio affectu concionandi, quia ad hoc munus sunt aptiores mendicantes ordines quod secus est de ministerijs temporalibus, aut de aliquo beneficio. Tum quartò, quia munus prædicandi, seu etiam docendi, & legendi est officium oneris, non honoris, vt declarauit Sixtus Quintus in declaratione sui motus proprij de illegitimis, igitur, non est verisimile, quod Pontifex voluerit hoc munus prohibere, quod ad salutem animarum ordinatur. Et ita propter huiusmodi rationes hanc partem tenuit Suarez *dicto l.3.c.15. num.7.* quam prius amplexus fuerat Bonifacius ad dictam Clement. *num.* 74. *& c.* Sed oppositum verum est, quod docent Glos. ea Clement. 1. Anchar. *numer.* 5. Imola *numer.* 14. allegato Stephano, Card. *v. ad prioratus num.* 2. *quæst.* 3. Nauar. *com.* 5. *de regular. num.* 14. Azor. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 12. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 13. *num.* 105. Sanchez *l.6. mor. cap.7. num.* 128. Surd. *de alim. tit.* 1. *quæst.* 59. *num.*7. Barbosa ad dictam Clementinam *num.* 8. Palaus *tract.16. disp. 4. p.17. num.* 8. Et ratio euidens est, quia licet prædicare sit actus, ad hunc tamen actum in Religionibus deputantur Religiosi, vndè est quod munus prædicandi est officium quoddam, & non potest negari, quin sit quid partiale spectans ad officium curati, & quoddam officium curandi animas. Vndè ad primum in oppositum dicitur, quod prædicare semel, vel iterum ex particulari commissione superioris est actus, & non officium, & non est interdictum huiusmodi translatis, sicut nec semel, vel iterum exigere pro Conuentu aliquid, & habere sine officij deputatione vnum, vel alium actum ad ministrationis bonorum conuentus, seu exercere aliquem actum spectantem ad Oeconomum, vel Syndicum, vel etiam ad Priorem, sed facere ista ex officio, & deputatione ad similia ministeria, hoc est illud, quod est interdictum. Ità & interdictū est prædicare ex officio, & deputatione ad hoc munus, siue hoc officium tribuantur per modum principalis, siue per modum Vicarij, & substituti. Et per hæc patet responsio ad secundum. Nam multo magis huiusmodi translatis prohibitum est, quodcumque officium ministrandi sacramenta, licet ex priuata commissione, & ex accidenti non sit illis illicitum aliquandò Sacramentum Eucaristiæ ministrare, vel etiam Sacramentum pœnitentiæ maximè inter Religiosos, & vbi non est vsus deputandi aliquem, qui ex officio aliorum Confessiones audiat, sed quilibet Sacerdos semel approbatus potest hoc præstare; Tunc enim ministrare Sacramentum pœnitentiæ propriè, non est officium, sed est exercitium commune, quo vnus religiosus alteri obsequitur. Ad tertium dicitur, quod imò est eadem ratio de officio prædicandi, & de alijs officijs. Nam ratio motiua Concilij fuit etiam ista, vt transeuntes ad non mendicantium ordinem quietius conuersari studeant, quo in ipsis discordiarum, & schismatum productiua ambitio reprimatur: igitur officium, quod potest ambiri præ alijs possidendum, sicuti potest esse occasio discordiarum, & schismatum, ita cadit sub prohibitione illius Clementinæ. Constat verò, quod officium prædicandi collatum alicui ex translatis potest esse occasio, vel inuidiæ, vel discordiæ, vel schismatis alicuius originalibus Religiosis illud idem ambientibus, & prætendentibus, & dolentibus se esse postpositos, & contemptos propter translati aduentum. Ad vltimum verò dicitur, nihil interesse an officium prædicandi sit oneris vel honoris, quia translatis etiam officia oneris sunt interdicta: & præterea officium concionandi non est ita oneris, quod non sit etiam non parui honoris,

565. Hoc idem propterea dicitur de officio lectoris, aut Doctoris prout ex Paulo docent Anchar. Imola, Azor Less. Sanchez, Palaus, & Barbosa supra citati. Huiusmodi enim legendi munus, siue legatur Theologia, siue alia facultas est quoddam officium, quod discordiarum, & schismatum occasio esse potest inter religiosos, & cui in Religionibus plures prærogatiuæ conceduntur, imò quod, & potest esse motiuum Religioso, vt transire velit ad aliam non mendicantem Religionem, in qua quo possunt esse rariores, qui apti sint ad prædicandum, aut docendum in maiori etiam sunt æstimatione, & pluribus prærogatiuis super alio gaudent.

566. Hoc tamen non extendi ad gradus literarios, vt ad Præsentaturam, & Magisterium putat Sanchez *num.*131. ex Cardinali ad dictam Clement. *v. ad Prioratus num.* 4 *q.* 5. Sed oppositum ex Paulo docuit Bonif. *num.* 91. quia licet huiusmodi gradus literarij non sit officia, sunt tamen approbationes ad officia, & discernunt valdè vnū Religiosum ab alio, & dant ius ad vocem, vel ad locum super alios habendum, & dici possunt officia in actu primo, quia datur graduatis potestas aliqua docendi alios, licet ad hoc vt illam exerceant deputatio alia requiratur. Nec obstat, quod constitutio ista sit pœnalis, quia vt dictum est respectu Religionum tam mendicantium, quam non mendicantium est maximus fauor, vt non sit facilis, sed difficilis transitus à Religionibus mendicantibus, ad non mendicantes; propterea Pontifex transeuntibus etiam licitè hanc pœnam inhabilitatis ad officia Religionis imposuit; & sic vtraque ratio legis etiam in gradibus locum habet, quia & valdè durum esset mendicantibus esse inha-

inhabiles ad gradus, si transeant ad aliam Religionem; & alia ex parte hæc inhabilitas valdè vtilis est ad quietem conuersationem in Religione, ad quam quis transfertur, quia tollit occasiones discordiarum, & schismatum, quæ possent de facili oriri, si originarij Religiosi viderent adoptiuos sibi ipsis præferri in loco, & voce, vel alijs prærogatiuis, quæ graduatis competunt. Mihi pro secunda opinione vim facit non etiã illa ratio, qua asserit hanc Clementinam continere legem favorabilem, quia hoc non est verum; neque enim ex fine legislatoris lex dicitur fauorabilis, vel odiosa, aut pœnalis; quia sic nulla esset lex odiosa cum omnis lex fauore boni communis edatur. Sed lex illa odiosa dicitur, licet edita fauore boni communis, quæ prohibet, quod de iure communi est licitum sub pœna graui, qualis nunc est priuatio vtriusque vocis, & inhabilitas ad officia, & dignitates; sed mihi consideratione dignum est, quod in declaratione S. Cong. Reg. supra relata ex Barbosa; mendicantes transeuntes ad Carthusiam declarantur inhabiles etiam ad gradus ex vi d. Clementinæ. Vndè de mente S. Cong. illa Clemen. etiam ad gradus se extendit.

167. Sed noua insurgit difficultas, an doctrina data ampliari debeat etiam ad officia, quæ non sunt Religiosorum propria, licèt ex accidenti, vel ex dispensatione illis committi possint, vt v.g. an translatus ab ordine mendicantium ad ordinẽ non mendicantium possit esse Vicarius Episcopi. Hoc enim fieri non posse docent Paulus, Imola, Anchar. & Card. ad dictam Clementinam. Bonac. etiam de Clausura *q.2. p.9. §.5. num.2.* putat Religiosum mendicantem sic translatum esse priuatum loco, & voce etiam si contingat habere administrationem in Capitulo Seculari, quia textus generaliter loquitur. Verum cum textus loquatur de translato ad Religionem non mendicantem, proculdubio loquitur de Capitulo Regulari directè, & ideò meritò Bonif. *num.* 86. id temperat, vt sit verum, si officium Vicariatus Episcopi ex consuetudine, vel priuilegio obiri deberet per illius Religionis Religiosos. Textus enim loquitur de officijs proprijs Religiosorum, & quæ per illos consueuerunt exerceri, vt tradit Sanchez *num.* 130. Ideò si Religioso translato committatur, vel Vicariatus Episcopi, vel aliud officium extra Religionem potest loco, voce, & prærogatiuis talis officij gaudere, vt docuerunt Glossa ibi *v. inibi*, Paulus, Stephanus *num.* 12. Imola *num.* 13. Bonif. *num.* 60. & Sanchez loco citato *num.* 121.

168. Obiter autem hic non erit inutile aduertere, quod translatis ex ordine Prædicatorum ad quemcumque alium ordinem sine licentia, vel Sedis Apostolicæ, vel Magistri ordinis, aut Prioris, aut Vicariorum ipsorum prohibitum est prædicare, confessiones audire, & docere, ex Mari Magno dicti ordinis §. 24. & simile quid etiam concessum fuit Minoribus, in eorum Mari Magno §. 54. & Carmelitis, vt in eorum Mari Magno §. 93. & Minimis in bulla Iulij Secundi *Virtute conspicuos* §. 15. quæ est Secunda apud Pyer. & contrafacientes possunt dictorum ordinum superiores admonitione præmissa excommunicare.

SVMMARIVM.

1 *Translatus validè non manet subiectus prioris Regulæ statutis. n.*169.

2 *Hoc fallit in primo, quia si translatus apostatetur, vel sine licentia transeat iterum ad laxiorem, potest etiam à priori religione compelli, vt redeat ad desertam Religionem. n.*169.

3 *Vota emissa in priori Religione durant. numero* 170.

169. QVæritur secundò an translati legitimè ad aliam Religionem sint totaliter absoluti ab obligatione prioris regulæ, vel à superiorum prioris ordinis iurisdictione. Quamuis enim affirmatiua pars videatur certa, quia per huiusmodi transitum Religiosus totum se tradit posteriori Religioni, & superioribus eius; vndè manet obligatus regulæ talis ordinis, & ad obediendum superioribus illius secundum eandẽ regulam, & ex consequenti manet absolutus à vinculo regulæ prioris ordinis, & Prælatorum illius iurisditione, qui propterea non habent super eum vim coactiuam, vt illum pro delictis corrigere, aut punire possint. Nihilominus eundem non esse omninò absolutum à priori obligatione, & iurisdictione in duplici casu ostenditur. Primus est, si translatus à posteriori sua Religione apostatetur, vel ad laxiorem Religionem transeat. Nam per priuilegium concessum Minimis de quo fit mentio in Compendio priuilegiorum Societatis *v. Apostata* §.15. vt referunt Suarez *dicto l. 3. cap.12. num.31.* & alij, & habetur in Constit. *Virtute conspicuos* Iulij Secundi, quæ est 2. *cap. Peyr.* vbi sic dicitur §.4. *Illud idem* (scilicet vt procedere possint tanquam contra Apostatas) *intelligi volumus de illis, qui post Susceptionem habitus alterius Religionis intra tempus probationis nulla professione facta, indè præsumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi ad Religionem laxiorem, seu mitiorem Ordinem transierint, vel* (*quod absit*) *ad seculum reuertantur, volumus, vos contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.* Sed hoc idem priuilegium concessum fuerat à Greg. XI. Ord. Prædicator. & habetur *in constit.*7. §.17. Et sic si Religiosus Ordinis Prædicatorum, vel Minimorum à posteriori Religione apostatetur, vt in sæculo maneat, vel ad Religionem laxiorem transeat, possunt Prælati Prædicatorum, & Minimorum contra illum tanquam contra Apostatam agere, illumque compellere, vt ad obedientiam seu Religionem desertam redeat. Cuius quidem concessionis duplex est ratio, Nam primò talis Religiosi Apostasia redundat etiam in iniuriam prioris Religionis. Secundò per hoc occurritur fraudibus, quæ adesse possent, si aliquis ea intentione transiret ad alium Religionem, vt indè meliorem occasionem vagandi, & Apostatandi haberet. Notat verò Suarez hoc priuilegium non extendi ad Religiosum, qui transeat ad Religionem parem, nec ad eum, qui transeat ad laxiorem cum dispensatione legitima. Et quidem hoc secundùm est indubitatum, quia transiens ad laxiorem cum dispensatione non est Apostata, nec peccat, nec

facit

facit iniuriam alicui Religioni; vndè non est vndè Religiones prior, & posterior ab eo desertæ conquerantur. Sed primùm difficultatem habet; quia transitus ad parem Religionem propria authoritate in substantia non est Apostasia. Sed nihilominus, quia hęc est concessio specialis, nec transiens ad aliam Religionem sine legitima facultate est proprie Apostata; & priuilegium solum cōcedit facultatem respectu transeuntium ad laxiorem, dici potest hanc facultatem non extendi ad transeuntem ad parem Religionem. Et cum hoc priuilegium sit communicabile, quod possunt Prælati Prædicatorum, & Minimorum cum suis, possunt Prælati aliarum Religionum cum proprijs Religiosis, videlicet si illi post transitum ad aliā Religionem ab ea exierint, vel Apostatando, vel transeundo sine licentia ad laxiorem Religionem, possint Prælati prioris Religionis contra huiusmodi procedere tanquam contra Apostatas.

170. Secundus casus est, quod vbi in aliqua Religione præter tria vota substantialia emittuntur aliqua alia vota, in transitu ad aliam Religionem manet illorum votorum obligatio. Verum est, quod DD. communiter hoc negant, quia huiusmodi vota sunt annexa professioni factæ in priori Religione, vndè cessante prioris professionis obligatione recessat videtur obligatio talium votorū. Et sic minimus transiens ad minores potest vesci carnibus, & professus Societate transiens ad minimos est liber à specialibus votis, quæ in Societatis emittuntur à professis. Ita Sanchez *l.6.* Mor. *c.7. num.*87. Suarez *tom.2. de relig. l.6. de votu c.3.n.7.* Bordonus *tract. de profes. cap. 2. q.* 72. vbi habet, quod minimus ad aliam Religionem translatus etiam dum est Nouitius potest vesci carnibus. Quod etiam sentiunt alij. Verùm primò hoc non admittitur in voto speciali de non petenda, vel acceptanda dignitate extra Religionem, quod emittunt aliqui Regulares, quia hoc votum durare etiam Religioso qui illud votum emisit translato ad aliam Religionem declarauit Vrbanus Octauus in sua *Constit.* 140. Sed idem dicendum respectu omnium votorum similium quia S. Cong. Epis. & Regul. non concedit licentiam ad huiusmodi transitum nisi cum expressa conditione, quod translatus maneat ad huiusmodi vota obligatus, vt patet in vna Clericorum Minor. 16. Decemb. 1639. Et ita hanc partem sustinui, & probaui supra *q.*185. *a.*8. *nu.* 168. *pag.*418. Non est enim diuersa ratio de voto illo non petendi dignitates, & alijs, quæ ex religionum statuto à religiosis emittuntur. Et ex Const. Vrban. Octaui *Honorum*, quæ est 165. satis apparet eandem esse rationem de his votis omnibus, ibi: *Nihilominus aliqui ex Regularibus translati ad ipsis Ordines Regularium etiam Mendicantium, qui prædictū, aut simile votū non emittunt retro aspicientes &c.* Et cum Pontificis ratio in *d. Const.* sit quia Religiosi retro respicerent, si extingueretur præstitum votum per transitum ad Religionem, bene apparet, quod hæc est ratio, quæ in omni simili voto durat. Vndè talia vota nedum non cessant, sed super illis solus Papa potest dispensare.

SVMMARIVM.

1 *An bona transeuntis remaneant priori Religioni: varia opiniones. n.*171.172.173.
2 *Affirmatiua pars eligitur. n.*174.
3 *Professio non est conditionata ex parte bonorum quæ acquiruntur Religioni. n.*175. *&* 176.
4 *Professio non est dissolubilis ex partium consensu. num.*177.
5 *Bona transire possunt ad secundum Monasterium, si Papa id velit. n.*177.
6 *Donationes facta causa professionis non sunt conditionata conditione perseuerantia. num.* 178. 179.
7 *Tam ex Ciuili, quam ex Canonico iure bona Religiosi remanent priori Monasterio. numer.*180.
8 *Intellec. cap. Statutum. num.* 18. *quæst.* 2. *n.*181.
9 *DD. explicantur. num.*182.
10 *Etiam libri. n.*183.
11 *Quid de Manuscriptis proprijs. n.*184.
12 *Etiam acquisita tempore Nouitiatus. numer.*185.
13 *Et ita quod nec vsusfructus nec alimenta debentur Monasterio secundo. n.*186.
14 *Et ita quod nec Prælati possint bona immobilia, vel mobilia pretiosa concedere secundo Monasterio. n.*187.
15 *Dos Monialis remanet priori Monasterio. numer.*188.
16 *Quid vbi Monialis compellitur ad aliud Monasterium. n.*189.
17 *Et qui detraditur in Monasterium pænitentia causa debentur alimenta. n.*190.
18 Qui *rejicitur non recuperat bona. n.*191.
19 Nec *qui coactè exit ob publicam vtilitatem transfert vsus fructum. n.*192.
20 *Vbi dominium remanet apud dantem vsus fructi transit cum Religioso. n.*193.
21 *Si donatio fuisset conditionata debuisset impleri conditio. n.*194.

171. QVæritur tertiò, an transiens ex vna Religione ad aliam possit secum aliquid deferre ex bonis ad suum vsum concessis. Et insuper an bona, quæ intuitu professionis illius priori Religioni obuenerunt transeant cum illo ad posteriorem Religionem. Indubitatum enim est, quod ea quæ post professionem in secunda Religione acquirit Religiosus, vel eius intuitu relinquuntur, aut donantur sint secundæ Religionis, cuius est ipsa persona Religiosi, nec habet ampliùs aliquid commune, cum priori Religione Nauar. *cap. Non dicatis num.* 31. *c.* 2. *q.* 2. Rodr. *t.* 2. *q.* 78. *n.* 2. Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *q.* 3. Molin. *tract. d.* 140. Tuscus *t.* 5. *l. M. conc.* 322. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 13. Mirand. *t.1. q.* 31. *a.* 14. Ægidius, Pereira, Villalob. Hier. Rodriq. quos sequitur Tambur. *de iure Abbatiss. d.*21. *q.*7. *num.*7. Bord. de Profes. *cap.*5. *q.*44. Sicut, & indubitatum est, quod si Nouitius ante emissam professionem in priori Religione transeat ad secundam, & in ea profiteatur, bona eius acquiruntur secundæ Religioni, Et ita quod

si ali,

si aliquid priori religioni donasset intuitu, seu causa ingressus in religionem, Nouitius, vel Nouitia hanc donationem, tamquam similem donationi factæ causa mortis posset reuocare. Rota *in Romana donationis de Mongellinis* 14. Ianuar. 1636. coram Carillo. quæ est 8. apud Tambur. *de iure Abbatiss.* Sed dubium est, an ad secundam religionem spectent etiam bona, quæ occasione professionis acquisiuit prior religio. Et ergo prima sententia, quæ affirmat, quod bona tanquam accessoria personæ sequuntur personam, & sic quod bona, quæ intuitu religiosi aduenerunt priori religioni eo religioso transeunte ad secundam religionem transeant cum illo, & quod secunda religio in istis bonis succedat. Et fundatur maximè *in cap. vn. 18.quæst.1.* ex quo habetur quod spes succedendi parentibus transit de vno Monasterio ad aliud, si transeat ad illud Monachus. Et secundò, quia cum secundum Monasterium teneatur alere religiosum iustum est, vt sentiat commodum si sentit onus. Et ideò huius sententiæ sunt Gloss. *in cap.quod à te.in fin.de Cler. coniug.* & ibi Hostien. *num.4.* Anton. *num.* 9. Io. Andr. *num.7.* Anchar. *num.9.* Panorm. *num. vlt.* Card. *num.vn. oppos.2.* Henr.*num.2.& 3.* Imola *Clem.1.num.38.de stat.Monach.*Archid.*cap.1.num. vn.17.quæst.4.*& ibi Bellam.*num.1.* Nicol.de Vbal, *de success. ab intest. Cler. reg p.2. num.15.*Socin.*sen. cons. 52. num. 18. lib.4.*Rosell.*v.Religio 4.num.12.* Angelus *v.Monasterium num.6.* Armilla *v.Religio num.17.*Menoch. Mandel.Vincent.Anibald.apud Sanchez *lib. 7. in Dec.cap.32.*Eandem sententiam tenuit Regens San Felicius *tom.2. dec.322.num.18.* Sed in casu particulari Monialium aliquarum Neap. quæ desiderio perfectionis vitæ à Monasterio recesserant, & aliud Monasterium eiusdem religionis, & sub eadem protectione Regia sibi ædificauerant, vbi *num.12.* refert S. Congr. ordinasse, quod primum Monasterium singulis annis daret secundò pro qualibet moniali aureos quinquaginta. Et in hoc casu secundùm monasterium prætendebat alimenta, tamquam non esset à primo distinctum, vt refert Capicius Latro *tom.3.dec.193.num.1.*

172. Neque tamen hi DD. sine limitatione dictam sententiam tenent. Quidam enim limitant eam, vt procedat in bonis patrimonialibus acquisitis in priori Monasterio, non verò de acquisitis Religiosi industria, quia hæc priori Monasterio remanent. Ità Panorm. Rosella, Angelus, & Armilla citati. Alij distinguunt inter modum acquirendi, quia priùs Monasterium bona Religiosi acquirit, vel ex lege, & vt accessoria personæ, vel ea acquirit donatione. Priori modo acquisita, quia adueniunt in consequentiam personæ transeunt cum persona ad secundùm Monasterium, Non verò secundò modo acquisita. Ità Gloss. Card. supra citati, & Natta *cons.* 180. *n.8.*Verū è cōtrà Carolus Bottilierius in quodam consulto typis impresso tenet, quod bona priori modo acquisita remaneant priori Monasterio, non verò acquisita donatione: Et pro hac sententia refert Pellicionum quæstionum illustrium 21. *num.* 10. Quantum etiam ad hæc bona donatione acquisita multi distinguunt, & sentiunt, quod si sint donata intuitu ingressus in Religionem, pertineant ad secundùm Monasterium; seu ad illud transeant cum persona. Ità Panorm.& Rosell. citati, Socin. *cons.* 222. *num.3. vol.* 2. dicens se nolle disputare, an hæc bona transeant ad secundùm Monasterium, quantum ad proprietatem, vel solum, quantum ad vsumfructum Nicol. de Vbald. *de success. ab intest. p.2. de successione Regul. num. vlt.*Redoan. *de spol. quæst.8.num. 79.& 80.* Tapia *auth. ingressi v. sua. cap. 6. num. 10. C. de Sacros. Eccl.* sed supercitatus Carolus Bottilierius alio modo distinguit inter Religiosum, qui exit merè voluntariè à Religione, & eum qui exit ex iusta causa, & asserit, quod *licet* quando Religiosus exit merè voluntariè bona remaneant priori Monasterio, hoc tamen non est verùm, quando exit ex iusta causa, sed tunc bona cum Religioso transeunt ad secundùm Monasterium.

173. Secunda sententia distinguens inter proprietatem, & vsumfructum asserit bona remanere in priori Monasterio quoad ad proprietatem, sed vsumfructum illorum transire ad secondùm Monasterium, Quod deduci videtur ex *cap. De lapsis 16. quæst. 6. & cap. Si quis rapuerit. 27. quæst.1.&* Auth.*de Sanct.Episc.§.penult.* & ideò hoc tenuerunt Speculator limitans, si posteriùs Monasterium sit inops. *de statu Monach. §. vlt. num. 10.quæst.6.*Hostien.*in sum.tit.de Cler.coniug.*Barth. Socin.*cons.51.num.18.vol.4.*Anton.*cons.76.*Mandos.in praxi *signat. gratia.§.translationes,colum.penult.*Cald.*cons.14. paulò post princ.de Regul.*D.Anton. *3.p.tit.16.c.4. §.3.* Menoch. limitans quando posteriùs Monasterium est inops *cons.193.num.12. vol.2.*Antonius *cap. Quod à te, ad fin. de Cler.coniug.* & ex hoc allegantes ad fauorem secundi Monasterij Monialium de quo supra apud Capic.Lat. *dec. 193.lib. 2.* contendebant probare, quod ei deberentur alimenta Monialium saltem tempore litis.

174. Tertia sententia absolutè docet bona, siue ex vi professionis Religiosi, siue donatione, siue alio titulo, acquisita priori Religioni etiam si concessa ad vsum eiusdem Religiosi non transire ad secundam Religionem ex transitu religiosi ad illam, etiamsi Religiosus transeat cum licentia, vel ad Religionem arctiorem, sed ea manere priori Religioni, tam quoad ad proprietatem, quam quoad ad vsumfructum. Et ità tenuerunt *ad cap. fin. de Regular.* Io. Andr. *num.* 3. Panorm. *num.* 3. Card. *num.2.* Henr *num.4.* Ananias *num.* 8. Imol. *Clem. fin.num.8.quæst.7.de elect.* Anchar. *cons.352.fin.* Paulus *l. inter antiquam num.* 2. *C.de vsufr.* Euerard.*loco à simili ad Monachum* Petrus de Perus.*tract.de mutat.stat. Eccl.cap.1.num.3.* Nicolaus de Vbald. *de success.ab intest. p.2. vbi de success. Regul. num. vlt.* Redoan.de Spol.*quæst.8. in princ. num.79. & 80.* Bellam.*cap. Quanta num.11. de off.Ordin.* Bald.*nouell.de Dote p.c. num.10.*Sylu. *v.Religio 4.num.10.*Tabien.*v.Religio quæst.27. num. 28.*Couar.*cap.c.de testam. à num.20.*vsque ad fin. Nauar.*comm.4.num 11.de Regular. & l.3.cons.55. num. 9. de Regul.* Rinald. *Iunior cons.342.num.25. vol.3.*Aluar.de cōlectionata mente tellar.*l.2.cap.3. in princ. num.* 7. Tapia *authent.ingressi v.sua.cap 6. n.7.C.de Sacros.Eccles.* Anastas.Hermon.*de Sacrorum. immun.l.3. cap.4.num.37.*Spino.*pec. testamen.*

Gloss.

Gloss. 12. *in princ. num.* 23. *&* 24. *& in rubr.* Gloss. 6. *num.* 3. Surdus *de alim. tit.* 6. *quæst.* 27. *num.* 8. Sà in *v. Religio num.* 35. Molina *tom.* 1. *disp.* 140. Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 3. *& cap.* 16. *quæst.* 8. Rodriq. *to.* 3. *quæst.* 5. *art.* 5. *&* t. 2. *quæst.* 79. *a.* 2. Sanchez *l.* 7. *in Decal. cap.* 32. *num.* 8. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 14. Bonac. *de claus. q.* 2. *p.* 9. *§.* 4. *diff.* 2. *nu.* 2. Tuscus *lit. M. concl.* 322. à S. Faustο *lib.* 5. *q.* 365. Miran. *quæst.* 31. *a.* 24. Villal. *p.* 2. *tr.* 35. *diff.* 14. Tambur. *tom.* 3. *d.* 7. *quæst.* 6. *nu.* 7. *& de iure Abbatiss. d.* 21. *quæst.* 7. Bordon. *de profess. cap.* 5. *quæst.* 144. Anton. à Spir. S. *par.* 3. *disp.* 6. *num.* 765. Barbosa *de iure Eccles. p.* 1. *cap.* 42. *num.* 91. *& ad cap. Quod à te num.* 4. *de Cler. coniug.* Et secundum hanc sententiam censuisse S. Congreg. in vna Parisien. 20. Ianuar. 1634. & in vna Neapol. Monast. S. Crucis de anno 1639. & de anno 1640. 3. August. in vna Monast. S. Io. Baptistæ refert. Capic. Latro. *dec.* 193. *num.* 31. *lib.* 2.

175. Huius communis assertionis ratio est, quia priori Monasterio acquisita sub eius dominio sunt, nec sunt Religiosi dominij incapaces, sed Monasterio sunt acquisita, quod tamquam verus dominus iustè illa possidet, & retinet, nec ad aliud Monasterium transire possunt, nisi eo illa donante, vel alienante. Verùm opposita sententia vim rationis huius fugit dicendo primum Monasterium non acquirere bona sui Religiosi absolutè, sed solum sub conditione perseuerantiæ eiusdem Religiosi in Religione, & ideò in casu transitus eiusdem Religiosi ad aliam Religionem, vel ad Episcopatum vim prioris acquisitionis resolui. Tota ergo difficultas istius quæstionis consistit in hoc puncto. An prius Monasterium bona Religiosi acquirat absolutè, vel potiùs solum sub conditione perseuerantiæ eiusdem Religiosi. Cum verò DD. hic distinguant duplicem modum acquirendi bona professi, vel scilicet ex iure communi, seu magis propriè loquendo, consecutiuè, & necessario præcisè ex acquisitione personæ Religiosi profitentis, vel ex donatione distincta ab ipsa traditione, qua Religiosus se tradit Monasterio, de vtraque acquisitione singillatim videndum est, an sit conditionata. Nam quod acquisitio necessaria, & accessoria ad acquisitionem personæ Religiosæ non sit conditionata probat Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 6. quia nec Religiosus, nec lex communis reddit illam acquisitionem conditionatam. Nam religiosus, nec potest conditionem apponere, quia licet in voluntate eius sit profiteri, vel etiam liberè disponere, & absolutè, & sub conditione disponere de bonis suis ex quo tamen nulla facta dispositione vult profiteri, iam bona sua necessario acquiruntur religioni, cui eiusdem persona acquiritur. Lex verò nullam conditionem imponit, sed absolutè decernit, quod bona Religiosi ex professione prouenient religioni. Verum contrariæ opinionis sectatores dicunt, quod imò ex natura ipsa rei acquisitio ista bonorum ex quo est accessoria personæ, est conditionata, & resolubilis, quia conditionata, & resolubilis est acquisitio personæ, quoniam persona de religione, quam primo profitetur, potest transire ad aliam religionem, vel etiam ad Episcopatum, & ita quod ad religionem arctiorem potest transire etiam inuita priori religione. Ratio autem petit, vt accessorium sequatur naturam principalis: Nec rationi conforme est, quod sit immutabilis acquisitio bonorum, quæ intuitu personæ acquiruntur, si acquisitio personæ de sui natura est mutabilis, & resolubilis etiam priori religione inuita. Et si dicatur, quod professio in qua religiosus se tradit religioni habet modum contractus absoluti, & non conditionalis, quia conditio vt possit religiosus transire ad arctiorem tacitè inest, & necessario, conditio verò, quæ tacitè inest non reddit contractum conditionalem. *l. conditiones. ff. de cond. & de.* Syluester *v. conditio* 2. 7. *& v. matrimonium* 3. *num.* 3. *&* 11. hoc admisso instatur, quia sicut non obstante, quod professio dicat conuentionem absolutam, nihilominùs est solubilis ex parte personæ, cur non erit solubilis respectu bonorum, quæ sunt accessoria ad personam, vt transeunte persona ad aliam religionem non transeant simul bona?

176. Respondetur igitur longè esse in hac parte diuersam rationem de persona, & de bonis, quæ ratione personæ competunt Religioni, quia respectu bonorum nulla inest huiusmodi tacita conditio. Itaque certum est, quod conditio, quæ tacitè, & necessario inest, non reddit contractum, aut conuentionem conditionalem, & sic contractus, seu conuentio inita à profitente cum Religione non est conditionalis ex eo, quod illi insit tacitè, & necessario conditio facultatis transeundi ad arctiorem Religionem, vel etiam ad laxiorem de consensu Religionis, vel Summi Pontificis, cum quo principaliter conuenit, qui professionem emittit. Nam conditio libertatis transeundi ad arctiorem inest intuitu maioris perfectionis, & in hoc consistit quod Religiosus non possit à Religione impediri, ne transeat, si intuitu melioris vitæ voluerit transire ad Religionem. Sed hæc conditio afficit personam, non verò bona, quæ sunt personæ accessoria, & quæ tradita fuerunt priori Religioni; quia hæc non sunt necessaria ad transitum à laxiori ad arctiorem, imò hic transitus, nec est pecunia æstimabilis, nec potest fieri propter aliquod bonum temporale; & Religio quo est arctior forsan erit bonorum incapax, & quatenus arctior minùs illi competit in recipiendo ad sui consortium respicere ad bona temporalia. Cum verò conditio tacita, quæ non reddit conuentionem conditionalem sit illa, quæ necessario inest, vt benè docet Syluest. loco citato *v. matrimonium* 3. *nu.* 3. Ideò in conuentione, quam init Religiosus in sua professione cum Religione laxiori, quia non inest necessario conditio intuitu transitus ad arctiorem, nisi respectu eius, quod ad huiusmodi transitum est necessarium. Ad huiusmodi verò transitum necessarium quidem est, quod persona Religiosi non impediatur, sed non est necessarium, quod habuerit, vel habeat bona, quæ transeunt ad arctiorem cum illo. Ideò professioni Religiosi in laxiori, seu priori Religione inest quidem per se, & ex natura conuentionis conditio, vt non impediatur Religiosus, quin possit intuitu perfectionis vitæ transire ad arctiorem, vel etiam ex iusta causa ex licentia superiorum ad aliam Religionem suæ saluti magis pro portionatam. Sed

non inest conditio ; vt bona transeant simul cum Religioso professo ; quia hæc uon est conditio necessaria, sed contingens, & quæ non inest, nisi adsit pactum, vel conuentio de eius existentia. Et præcipuè, quia ea quo Religiosus in prima professione moritur mundo, & renunciat cuicumque dominio, eius conditio petit, vt nec habeat amplius aliquid de quo disponat, nec nisi vt pauper agat, & ad perfectiorem vitam transeat sine aliquo, vel minimo iure ad ea, quæ semel propter Deum reliquit. Itaque ad rationem in oppositum dicitur quod bona, quæ intuitu personæ Religiosæ peruenerunt ad primam Religionem, non sunt ampliùs accessoria personæ, sed ad illam se habent, ac si numquam fuissent illius; sed sunt prioris Religionis; nam & in ordine ad huiusmodi bona professio est donatio, & traditio omninò absoluta, & nec etiam tacitè conditionata.

177. Addet forsan aliquis, quod qui profitetur in aliqua Religione principaliter conuenit cum Summo Pontifice; qui est Ecclesiæ caput, & supremus Religiosum Prælatus ; & conditio illa tacita, scilicet, vt Religiosus non impediatur in transitu ad arctiorem, limitata est, scilicet, nisi aliter disposuerit Summus Pontifex, qui etiam transitum ad arctiorem potest impedire ex iusta causa, & de facto pluribus Religionibus laxioribus concessit, vt eius Religiosi sine ipsius licentia ad aliam Religionem transire non possint, vt constat ex supradictis: Igitur Religioso non competit transire ad aliam Religionem, nisi de licentia Papæ, vndè conuentio inita in professione est de se adeo inseparabilis, & perpetua, vt non nisi de consensu partium possit separari. Et sic intantum est solubilis in quantum partes conueniunt, sed aduertendum, quod hoc non est omninò propriè dictum, quia licet conuentio principaliter fiat cum Pontifice tamquam cum Prælato supremo religionis, quam ingrediens profitetur, tamen professio ex natura sua est perpetua, quia per eam homo se tradit Deo in perpetuum vsque ad mortem, licet cum hac tacita conditione, vt possit transire ad arctiorem Religionem. Vndè professio non est conuentio, quæ propriè sit dissolubilis de consensu partium, quia licet de licentia Papæ possit Religiosus exire de Religione transeundo ad aliam, in hoc Pontifex non concurrit propriè, vt pars, neque (vt sic dicam) vt Prælatus proprius illius Religionis, quam primo Religiosus professus fuit, sed vt Christi Vicarius ex iurisdictione Christi vniuersali, quam habet super tota Ecclesia. Nam alias professio importat conuentionem de se perpetuam, & nec ex solo partium consensu dissolubilem, sed ex ea subordinatione per quam Religiones, vt partes Ecclesiæ subsunt Christi Vicario potest vnus Religiosus de vna Religione ad aliam transire, sed ità tamen, quod licet Papa de bonis, quæ ex vi professionis acquiruntur vni Religioni possit disponere, & illa alteri Religioni applicare, hoc non est, quia illa bona non sint prioris Religionis, & illa non sint domina illorum absolutè omni eo modo, & proprietate, quo vna Ecclesia absolutè est domina bonorum, sed quia Pontifex tanquam vniuersalis bonorum Ecclesiarum administrator potest vnius Ecclesiæ bona ad aliam transferre. Cæterum ex natura rei, & spectatis legibus Ecclesiasticis bona Religiosi acquiruntur illi Religioni, cui ille primo se tradit, at fiunt illius absolutè, & simpliciter, & ità quod ex quo Pontifex disponit de persona Religiosi permittendo, vt transeat ad aliam Religionem, non per hoc disponit de bonis primæ Religioni acquisitis, nisi ipse id exprimat, & velit vti ea potestate suprema, per quam potest bona vnius Ecclesiæ ad aliam transferre. Et sic verùm est, quod professioni adest tacita conditio, nisi Pontifici placuerit, vt professus transeat ad aliam Religionem ; sed hæc conditio non respicit Pontificem, vt partem cum qua profitens conueniat, sed vt supremum Principem, cui priuatæ conuentiones subordinantur. Cæterum professio ex consensu partium non est dissolubilis, & ex eius vi bona Religioni acquiruntur inamissibiliter salua tamen suprema Pontificis administratione. Modo esto Summus Pontifex cum quo conuenit, qui profitetur, consentiat, vel per legem vniuersalem, vt in *cap. licet, de Regul.* vel per licentiam specialem, vt transeat personæ tantum abest, vt consentiat, quod transeant bona, quod vbi opus sit (vt infra dicam de Monialibus) expressè ponit in licentia conditionem, vt in transitu non præiudicetur iuribus acquisitis à priori Religione. Itaque igitur est manifestum, quod professio est donatio, & traditio absoluta per quam Religiosus se, & omnia sua de quibus antea non disposuit, tradit Religioni; vndè talia bona sunt Religionis, nec ampliùs spectant ad Religiosum, qui in ordine ad illa se habet, vt mortuus : Ideò eo transeunte ad aliam Religionem, vel ad Episcopatum remanent priori Religioni, vt decernitur *in cap. statutum.* 18.*q.*1.

178. Si verò loquamur de donatione speciali, quæ ante professionem à professuro fiat, & per quam professurus disponendo de suis bonis ea in totum, vel in partem donet Religioni, videri posset, quod sit conditionata hac tacita conditione si in Religione perseuerauero, & vitam in Religione terminauero, & pro hoc sensu referuntur Decius *cons.* 86. *num.*5. Socin.*consil.*183.*v. Purpuratus in §.fin.num.*194.*C.de pactis* Hondedeus *cons.* 29.*num.*7 *t.l.*3.Surdus *cons.*445.*num.*3.*l.*3. Beccius *cons.* 74. *num.*11. Cum verò hæc conditio habeat tractum successiuum, successiuum requirit implementum, iuxta notata in *l. si antr. ff. si seruitus vendicetur. l. si quis ita legauerit. ff. de condit. & demonstr.* Bald. *in l. humanitatis num.* 28. *C. de impub. & alijs subst.* Ang. *cons.* 39. *num.*9. Et propterea Religiosus professus si exeat ex iusta causa à Religione donatio facta Religioni corruit tamquam non esset facta, *l. si quis fundum. ff. de contrah. emptione. l. necessario. ff de periculo, & commodo rei vendita*, quoniam datum sub conditione, sub contraria dicitur ademptum. *l. si legatum pure. ff. de adimend. leg. l. legata inutiliter. ff. eodem. l. 6. ff. quando dies legati cedat*, Surdus *dec.*7.*nu.*16. *Rota dec.* 228. *num.*4.*p.*2 *diuers.* Costa *l.*1.*selectarum cap.*5.*num.*4. Donellus *l.*8.commentariorum *cap.*31. Quod quidem tunc magis procedit, si in donatione facta fit mentio perseuerantiæ, vt si donans dixerit se intendere profiteri, & perseuerare in Religione vsque ad mortem, & propterea donare. In hoc enim casu cum intentio perseuerandi disposuerit

animum

animum donantis est causa finalis, & principalis. Afflictus dec. 127. num. 2. Alex. cons. 46. num. 7. vol. 1. Grat. discep. 96. num. 41. & 42. Sanchez de matrim. l. 3. d. 39. num. 14. & l. 4. d. 21. num. 8. Nam & dicitur finalis, quæ dispositioni cohæret, atque connectitur secundùm Baldum in l. demonstratia. §. quod autem num. 13. ff. de condit. & demonst. Rota dec. 449. num. 2. p. 2. Recen. Et fortiùs verba illa indicant causam finalem cum fuerint apposita in prohemio donationis iuxta textum in l. f. ubi DD. ff. de iustit. Seraph. dec. 1337.

179. Verùm supposito, quod professurus donans non apponat aliquam conditionem expressam, ex eo solo, quod donet intuitu emittendæ professionis, & perseuerandi in Religione non sequitur, quod donatio sit conditionata propria conditione perseuerantiæ in Religione, & ità quod si exeat, donatio, vt facta priori Religioni corruat. Nam hic distingui debet inter professionem, & perseuerantiam in Religione post professionem, quia illa contingens est, & libera ipsi donanti, sed supposita professione non est liberum illi non perseuerare in Religione, sed contractus professionis est de se perpetuus, & insolubilis; igitur perseuerãtia supposita professione tacitè inest, quia necessario inest, & non intrat, vt conditio, sed vt quid intrinsecum, & connaturale, & per se coniunctum professioni, & non facit donationem conditionalem, sed eam absolutam relinquit. Ideò dicitur quod donatio professuri facta Monasterio, nisi fiat expressè sub conditione perseuerantiæ in Religione, ex eo solo, quod fit intuitu professionis, & perseuerantiæ in Religione potest quidem esse conditionata conditione professionis, vt si contingat donantem non profiteri, vel professionẽ esse nullam, sit & nulla donatio; sed supposita professione à nulla conditione pendente in futurum pendet; quia nec professio in futurum pendet, sed est absoluta donatio personæ, & omnium bonorum de quibus ante professionem non fuit dispositum. Ideò per professionem donata consolidantur Religioni, & fiunt illius absolute, & sine aliqua conditione pendente in futurum. Quod exemplo demonstratur. Si enim professurus Religionem intuitu ingressus nõ donet Religioni, sed donet v. g. Hospitali, si professio non sequatur, nullius effectus erit donatio, sed si adsit professio in Religione valida erit donatio, & licet Religiosus ad aliam Religionem transierit, bona donata Hospitali remanent, nec ab aliquo euentu futuro inualidatur donatio illa, quæ verè licet fuerit conditionata conditione professionis, ea tamen sequuta transijt in omninò absolutam. Sic ergo ad rationes in oppositum dicitur, quod qui donat Religioni causa ingressus in illam, donat causa profitendi, & etiam causa perseuerandi, & ex perseuerandi intentione, & admitti potest, quod perseuerantia sit aliquo modo causa finalis donantis, sed tamen non est causa distincta a professione, nec est res contingens supposita professione, sed est quid intentum ex intentione professionis, & quod de se non reddit donationem conditionatam, nisi conditione professionis; & tamquam id, quod ex intentione professionis per se consecutiuè est intentum, & quod tacitè inest ex vi professionis non verò ex speciali pacto, aut conuentione, vndè non reddit donationem specialiter conditionatam, sed pendentem solum ex professionis conditione.

180. Stante igitur, quod donatio per quam qui profitetur in aliqua religione donat sua vel accessoriè donando se, vel donatione specialẽ non est conditionata conditione perseuerantiæ in eadem Religione, nisi hæc conditio specialiter apponatur, sententia communis fulcita, hac ratione probatur etiam ex lege tam Ciuili, quam Canonica. Sic enim in Authent. de Monachis. §. si verò, collat. 1. habetur. Si verò relinquens Monasterium in quo conuersationem habuerit, ad aliud transeat Monasterium: etiam sic quidem eius substantia maneat, & vindicetur à priori Monasterio, vbi abrenuncians hanc reliquit. Cuius textus consideranda sunt vltima verba, in quibus Imperator reddit causam suæ dispositionis, quia nimirum ex quo ille transiens ad secundùm Monasterium abrenunciauit suis ad fauorem prioris Monasterij; ideò ea ad illud debent remanere. Et collat. 9. tit. 6. de Sanctissimis Episcopis. §. si Monachus dicitur. Si Monachus reliquerit suum Monasterium, & in aliud ingrediatur, quascumque res, tempore quo Monasterium dereliquerit, habere videbitur, propria Monasteria in quod ab initio ingressus est, eas competere iubemus. Sed & hoc idem verùm esse de iure Canonico comprobatur ex cap. statutum 18. q. 1. Vbi statuitur de Monacho transeunte ad Episcopatu, quod quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat antequam transeat remaneant Monasterio. Ideò quæ dicta sunt de transeunte ad aliam Religionem dicuntur de Religioso transeunte ad Episcopatum, vt etiam probatum est supra quæst. 185. a. 8. & DD. in hoc communiter asserentes secundum Monasterium non succedere in acquisitis priori Monasterio ante professionem in secunda id dicunt etiam de Ecclesia ad quam transfertur Episcopus Regularis; quia iuxtà sancita in d. cap. statutum, quæ acquisiuit Religiosus ante translationem priori Monasterio acquisiuit. Ponderandum est etiam ad hunc effectum decretum Concil. Triden. sess. 25. cap. 16. de Regular. Vbi loquens de renunciatione, donatione, & obligationibus Nouitij Regularis, & statuens solemnitates seruandas in illis, subdit: Et non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Admittens in hoc donationes nouitiorum sortiri suum effectum secuta professione, vndè ea data iam res donatæ Monasterio sunt illius, independenter à quocumque alio euentu in futurum, nisi in donatione specialiter aliqua alia conditio fuerit expressa.

181. Nec habetur aliquod ius quod contrarium suadeat. Quod enim prima sententia adducit ex cap. statutum. 18. quæst. 1. verissimum est, sed non aduersatur nostræ sententiæ; quia spes acquirendi, vt notant Syluest. Couarruuias & Sanchez, & alij non dat ius, vel in re, vel ad rem, ideò non mirùm si non proficiat Monasterio, si licet ipsam haberet spem acquirendi intuitu Monachi, tamen antequam spes fuerit impleta, & bona sperata sibi fuerint delata iam Monachus factus est Episcopus. In hoc enim casu bona acquiruntur post Episcopatum, licet spes acquisitionis præcesserit, ideò bona acquiruntur Ecclesiæ ipsius Episco-

Episcopi Regularis. Sicut & in simili casu bona acquiruntur secundò Monasterio frustrata spe prioris Monasterij, cui bona acquisita non fuere ante transitum Monachi ad secundum Monasterium. Textus verò pro 2. opinione adducti ad rem non faciunt cum in eis non sit sermo de transeuntibus ad aliam religionem, vt in ea profiteantur, sed vt ibidem pœnitentiam agant.

182. Sed & DD. qui in contrarium allegantur, vt notat Rota in Romana de Millinis 7. Aprilis 1657. coram Reuerendissimo D. Cerro, vel loquuntur in exeunte à Religione ante emissam professionem, vt Dec. *cons.* 86. *num.* 5. *vers.* & *ista donatio*, Menoch. *de arbitr. cas.* 436. *num.* 6. & 7. Grat. *discept.* 96. *num.* 1. *cum seqq.* Vel in eo, qui numquam religionem ingressus fuit, vt Socin. Sen. *cons.* 333. *num.* 3. *lib.* 2. Surd. *cons.* 445. *num.* 36. *Aut si professio annullctur* Hond. *cons.* 73. *num.* 10. & 11. *lib.* 2. Nouar. *prat. quæst. p.* 2. *quæst.* 72. *num.* 1. & *per tot.* quod verum esse, quando professio est nulla ignaro profitente, declarat Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 25. *cum seqq.* Aut demum quando adest expressa conditio reuocandi, & redeundi ad bona in omni casu exitus è Religione, vt firmat Natt. *cons.* 180. *num.* 1. & *per tot.* & in his terminis loquitur Rot. in Bononien. successionis de Zanis 17. Maij 1642. coram. bo. mem. Bichio.

183. Ampliatur autem primo communis assertio, vt omnia bona remaneant priori religioni, vt neque ab hac generali assertione excipi possint libri, etiam si huiusmodi soleant concedi per modum peculij stabilis: quia semper dominium est religionis, & non conceditur vsusfructus, sed nudus vsus facti reuocabilis ad nutum superioris, & pro eo tempore, quo religiosus in religione permanserit, vt Suarez *num.* 9. aduertit. Imò in rigore priori religioni reddendæ essent vestes actuales quibus indutus religiosus à priori religione exit antequam alteriùs religionis habitum induat, vt asserit Suarez *num.* 8. quia & illæ vestes sunt sub dominio prioris religionis; quamuis ea vrbanitate, & interpretatiuo consensu consuetudine comprobato, huiusmodi vestes non restituantur Nauar. *cons.* 55. *num.* 9. *de Reg.* Rodriq. *t.* 2. *quæst.* 79. *a.* 2. Sanchez *l.* 7. *c.* 32. *num.* 13.

184. Limitat nihilominùs Suarez præfatam ampliationem, vt non habeat locum in proprijs scriptis, licet non omninò assertiuè, sed Diana *p.* 1. *tract.* 6. *resol.* 25 ex Valero, & nō displicet Bordon. *de professf. cap.* 5. *q.* 44. absolutè affirmat scripta esse religiosi, eumq; posse illa secum deferre transeundo ad aliam religionem, idque nulla petita licentia, & nullis relictis copijs, sicque de facto quemdam religiosum transeuntem ad Carthusiam secum detulisse duos libros à se conscriptos nulla petita licentia. De hoc autem egi supra *quæst.* 186. *a.* 7. *num.* 416. *pag.* 600. Et conformiter ad ea, quæ ibi dicta sunt, respondetur, quod manuscripta propria, & à religioso composita, quantum ad dominium sunt religionis, sed quantum ad vsum proprium sunt religiosi irreuocabiliter; quia vsus talium librorum respectu authoris non est res pretio æstimabilis, sed supra omne pretium, nam est quid intrinsecè spectans ad vsum scientiæ, ad quem religiosus habet naturale ius quo non priuatur per votum paupertatis; sed respectu aliorum eadem est ratio de libris impressis, aut manuscriptis, quorum vsus est pretio æstimabilis, & ideò prohibitus ex vi voti paupertatis, si sine licentia superioris habeatur. Idrò transiens ad aliam religionem propria manuscripta ad sui vsum potest deferre, sed tamen, vel debet eorum copiam relinquere priori religioni, vel originalia assecurare illi, nisi habeat facultatem, vt seruatis seruandis, ea imprimere possit, & sic omnibus communicare; quod vbi non fecerit, prior religio habet ius illa recuperandi, quia quatenus sunt vsui aliorum ab authore sunt pretio æstimabilia, & ideò sub dominio prioris religionis. Possunt tamen esse talia, quæ paruæ vtilitatis sint, & à priori religione merito non æstimentur.

185. Ampliatur secundò dicta principalis assertio, vt sit vera nedum de acquisitis in sæculo, vel in priori religione ante susceptionem habitus in posteriori, sed etiam de acquisitis tempore nouitiatus ante professionem; quia religiosus per solam professionem in posteriori religione fit liber à priori, & antequam à prima religione sit separatus, illi acquirit. Ananias *ad cap. final. de regular.* Nauar. *Com.* 4. *de regul. num.* 24. Molina *tom.* 1. *disp.* 140. Rodriq. *t.* 2. *quæst.* 72. *a.* 2. Sanchez *l.* 7. *Mor. cap.* 32. *num.* 9. Bordon *de profess. cap.* 5. *num.* 44. Quamuis oppositum sentiat Card. *Clem.* 1. §. *quia verò num.* 14 *q.* 12.

186. Ampliatur tertiò, vt à primo Monasterio, ne dum non debeatur vsusfructus, sed nec debeantur alimenta transeunti ad secundùm Monasterium; quod enim bona acquisita priori Monasterio non transeant ad secundùm, quantum ad vsumfructum, ex eo est manifestum, quod res fructificat domino, priùs verò Monasterium est dominus omnium illorum bonorum, quæ ei delata fuerant antequam religiosus profiteatur in secundò Monasterio, & ideo eorumdem bonorum vsusfructus est eiusdem prioris Monasterij. *Authen. de Monachis.* §. *si verò relinquens*, & *in authen. ingressi. C. de Sacros. Eccles.* Io. Andr. *cap. fin. num.* 3. *de Reg* & ibi Card. *num.* 2. *quæst.* 3. Aretinus *l. si quis mihi* 25. §. *serui num.* 2. *ff. de acquir. hæred.* Imola in Clem. *cot. fin. num.* 8. *q.* 7. *de elect.* Euerardus *in topicis loco à serno ad Monachum numero* 5. Lapus *alleg.* 65. Henric. *in cap. cū olim el.* 2. *num.* 7. *de priuil.* Petrus de Perus. *tract. de mutat. stat. Eccles. cap.* 1. *num.* 3. Redoan. *de spol. in prin. q.* 8. *num.* 79. Bellam. *in c. quando num.* 2. *de offic. ord.* Tabien. *v. Religio q.* 27. *num.* 28. Syluest. *v. Relig.* 4. *q.* 12. Nauar. *cō.* 4. *n.* 24. & *cons.* 11. *de Reg.* Germonius, Surd. Sà, Azor. quos sequitur Tamb. *de iure Abatiss. d.* 21. *q.* 8. *n.* 1. Sanchez *l.* 7. *c.* 32. *nu.* 16. Sed & hoc idem dicitur de alimentis. Nam nec Pater tenetur alere filium adoptatum ab alio, sed hoc pertinet ad adoptantem *l. penult. ff. de adop.* Sic enim alimenta debentur à secundò Monasterio, qui transeuntem prioris Monasterij filium in proprium filium recipit, & adoptat. Et amplius, quia primum Monasterium sicut amittit ius superioritatis in transeuntem, ita liberatur ab onere illum alendi, cum alere quis teneatur illum cuius operibus vtitur. *l. in rebus.* §. *possunt. ff. commod.* Cord. *in l. si quis à liberis.* §. *si mater. num.* 9. *ff. de liber.*

liber. agnoſ. Grat. *diſcep.* 374. *num.* 11. Saochez *l.* 7. in Decal. *cap.* 32. *num.* 8. Et qois ali debet de illo altari cui ſeruit *cap. Cum ſecundum*, de Præben. Et alimenta præſtari debent io domo præſtare debentis Grat. *diſcep.* 552. *num.* 42. Boer. *d.* 195. Molfeſ. ad Comluetud. Neap. *p.* 5. *tit. de alimen. q.* 2. *num.* 7. Et eum ex fructibus, & non ex proprietate accipi debeaot alimeota *l. qui bonis ff. de ceſſ. bonor.* Crau. *conſ.* 199. Alex. *conſ.* 100. Giurb. *dec.* 6. Barz. *dec.* 69. ex hoc ſequitur, quod præcipuè à monaſterijs monialium non debentur alimenta tranſeuntibus ad alia Monaſteria ratione dotium datarum priorib. monaſterijs, quia huiuſmodi dotes ſæpe oon extant, nec fructus redduut ex quibus Moniales traoſeuntes poſſint ali prout conſiderauit Rota io vna alimentorum 28. Iunij 1613. coram D. Damaſceno, & ita in facti contingentia Neap. in Collaterali conſilio. & cum iuncta Regiæ iuriſdictionis die 5. Iunij 1642. viſum fuit monaſterio monialium, de quo ſupra *num.* 575. non deberi alimenta à priori, ex quo factum fuit, quod maior pars Monialium quinque exceptis reuerſa eſt ad prius monaſterium.

187. Ampliatur quarto, vt licet aliqui apud Capic. Latro *dec.* 193. putauerint bona tuluiru Religioſi acquiſita priori monaſterio poſſe de licentia Prælatorum tranſportari cum Religioſo ad ſecundum monaſterium, tamen loquendo de bonisimmobilibus, vel mobilibus preriofis, hoc non eſt verum, quia huiuſmodi bonorum tranſlatio eſt vera alienatio, & donatio per quam prius monaſterium propria bona donat ſecundò. At verò Prælati inconſulta Sede Apoſtolica, & ſine ſolemnitatibus iuris oon poſſunt alieoare bona Eccleſiarum ſuarum. Neque ex quo Pootiſex concedit perſonæ licentiam tranſeuodi ad aliam Religionem concedit etiam, vt tranſeant booa, ſed hoc indiget ſpeciali conceſſione, & expreſſione *Rota dec.* 755. *num.* 4. 5. *&* 6. coram Bururto, ſic enim in dubio ſemper debet intelligi ſimilis licentia, vt concesſa ſine præiudicio iurium prioris Religionis Nauar. *conſ.* 55. *num.* 8. *de Regul.* Barboſ. *l. de iure Eccl. c.* 42. *n.* 94.

188. Ampliatur quinto, vt ſi Monialis tranſeat ad aliud Monaſterium ſiue eiuſdem ſine diuerſi ordinis dos remaneat priori Mooaſterio. Quamuis enim Baldus nouell. de dote *p.* 1. *nu.* 20. Tapia Authent. ingreſſi, verbo ſua, *cap.* 6. *nu.* 50. Rodriq. *tom.* 2. *cap.* 31. *num.* 9. Sumpta ratione ex dote Matrimonij acceſſoria perſonæ mulieris, ſentiant monialem tranſlatam ad aliud Monaſterium deferre ſecum ſuam dotem. Tamen oppoſitum tenendum. Dotem enim monialis tranſlatæ ex iuſtitia remanere Priori Monaſterio declarauit S. Cong. Epiſ. & Regularium in vna Neap. 20. Iulij 1583. & cum ſit eidem ab initio incorporata illam non poſſe ab eo auferri niſi irrogando illi iniuriam manifeſtam declarauit eadem S. Coug. in vna Terdonenſi 14. Martij 1589. Vndè aperta eſt differentia inter dotem matrimonij, & monialis, quia maritus non acquirit illius dominium, ſed imò marito mortuo reſtituitur vxori; imò & ſæpius vxore mortua reſtituitur dotanti, aut hæredibus, Sed dos monialis mortuæ dotanti noo reſtituitur, ſed remanet Monaſterio, quod factum fuit dominus illius, ideò prior opinio fundatur in falſo, nimirum qood in contractu dotis monialis adſit conditio, ſi monialis in Monaſterio perſeuerauerit, non eoim hæc conditio interuenit, Sed Mooaſterium ex vi profeſſionis monialis remanet dominus dotis. Et ideò hanc partem tenuerunt Nauar. *com.* 4. *de regul. num.* 24. Iiom. 2. *q.* 7. *a.* 2. Sanchez *l.* 7. *Mor. c.* 32. *num.* 12. Bonac. *de clauſ. q.* 9. *§.* 4. *diff.* 2. *num.* 6. Tambur. de iure Abb. *diſp.* 21. *q.* 7. *num.* 2. Pelix. de Monial. *cap.* 3. *num.* 69. Et alij apud ipſos. Nam dotem, & alia bona monialis tranſlatæ remanere priori Monaſterio niſi Papa aliud concedat de conſenſu &c. tenet Nicoliut *v. tranſlatio num.* 19. *ex deciſ.* S. Congr. Epiſ. & Regul. 1583. Neapol. 20. Iul. 188. & 1635. Carmel. Diſcal. 3. Aug. 288. Et Reuerendiſs. Fagnanus *ad cap. Recolentes, de ſtat. Monachor. num.* 48. inter alias conditiones ſub quibus conceditur Mooiali tranſitus ad aliud Monaſterium hanc numerat, vt ſecundò Monaſterio dos à cæteris Mooialibus præſtari ſolita perſoluatur.

189. Verùm eſt, quod ſi Monaſterium poſterius compellatur, vt monialem alterius Monaſterij recipiat, dicit Sanchez, quem ſequitur Tambur. *num.* 3. quod priùs Monaſterium tenebitur dotem reſtituere poſteriori Monaſterio, vel vt ait Pelix. tenebitur ei alimenta præbere; ſed neutrum eſt vndequaque verùm, ſed tunc quidem habet locum cum priùs Monaſterium monialem eijcit, ſeu, vt exeat, iuſtat; Nam ſi ipſum Monaſterium paratum ſit eam retinere, nec illius interſit, quod exeat, oon erit Monaſterium grauandum pro monialis culpa, vel eius commoditate, aut interreſſe. Vndè huiuſmodi caſus prudentiæ Eminentiſſimorum Card. & arbitrio regulandus eſt. Et puto oon poſſe dari regulam vniuerſalem certam, quia multum intereſt videre, quænam ſit huius tranſitus cauſa, & ad cuius intereſſe pertineat tranſitus cauſa, & ſi monialis tranſit cauſa profitendi io nouo Monaſterio, vel potiùs in pœoam, vel ob aliam ſimilem cauſam.

190. Eſt tamen circa præfatam communem aſſertionem conſiderandum; quod locum habet, vbi Religioſus ex vna Religione tranſit ad aliam, vt in ea profiteatur. Tunc enim bona omnia vſque ad illud tempus acquiſita remanent priori Religioni, nec in hoc habet poſterior religio vndè conquæratur, quia voluntariè nihil proprij habentem recipiens, non habet vndè aliquid prætendat. Sed vbi Religioſus per iudicem transfertur ad aliam Religionem, non vt illam profiteatur, ſed pænitentiæ cauſa, prior Religio tenetur ad poſteriorem pro alimentis arbitrio prudentis neceſſarijs. Tunc enim Religioſus manet Religioſus prioris Monaſterij, nec iuſtum eſt, vt illud teneatur proprijs expenſis alienum Religioſum nutrire. Et nihilominùs ſi Religioſus ille aliqua acquirat, illa priori Monaſterio acquirit, quod non tenetur niſi ad præbenda alimenta conuenientia poſteriori Monaſterio. Mortuo verò Religioſo illo etiam vſusfructus boorum, qui pro alimentis conceſſus fuerat poſteriori monaſterio priori conſolidetur, vt tradiderunt Gouar. *cap.* 5. *num.* 20. *de Teſtamentis* Tapia Authent. ingreſſi *ver. ſua. c.* 6. *num.* 38. Molina *t.* 2. *d.* 140. Rodriq.

2 t.3.

*t.*3. *q.*5. *a.*5. Azor. *l.*12. *c.*15. *q.*3. Sanchez *l.*7. Mor. *c.*32. *num.*46. Bonac. loco citato *num.*2. Tambur. *t.*3. *d.*7. *q.*6. *num.* 7. Barbosa *l.* 1. de iure Eccles. *c.*42. *num.* 96. Nauar. *com.* 4. *de regul. num.* 24. Menoch. *de arbit. casu* 436. Et ad huc Sanchez *num.* 48. hoc limitat nisi Religiosus sit vtilis, & inseruiat posteriori Monasterio, quia si hæc vtilitas æquiualet valori alimentorum, prior monasterium ad nihil tenetur. Sed hæc vtilitas valet pro alimentorum expensis. Et si excederet alimentorum valorem, & expensas, tunc excessus priori monasterio reddi deberet, quia ei suus religiosus acquirit.

191. Hinc est, quod Religiosus bona priori religioni acquisita non recuperat, etiam si religiosus exeat iuste damnatus, & ad exeundum coactus propter culpas suas. Non enim religio admittendo talem religiosum, & eius donationem accipiendo voluit se priuare iure suo illum expellendi, si id necessarium sibi fuerit, & ita si altera religio talem recipit voluntariè onus eum alendi subit, nec tenetur ad aliquid prior religio, quæ etiam in casu, in quo suus religiosus in pœnam damnetur ad ingressum alterius monasterij & sic monasterium compellatur talem religiosum recipere, religio prior, vt supra dictum fuit tenebitur ad alimenta, non quia aliquid receperit ab eo religioso, sed quia ille religiosus est suus, & eadem & non alia ratione, qua tenetur ad alimenta aliorum religiosorum à quibus nihil accepit. Nec interest an iste religiosus transeat ad arctiorem religionem, quia non per hoc religio à qua exit tenetur ad aliud, nisi vt non impediat transitum, non verò vt donata restituat. Et ita hanc partem absolutè docent Nauar. Azor. Rodr. supra allegati Sanchez *dicto c.*32. *num.* 51. Suarez *dicto l.*3. *c.*13. *a. num.*10. Quod si religiosus iniustè expellatur à religione, non propterea ex hoc titulo religio tenetur illi restituere, quæ ab ipso accepit etiam titulo donationis; quia huiusmodi bona sunt religionis, ac si illi à quocumque alio fuissent donata, nec religio tenetur pati detrimentum ex alicuius sui subditi imprudentia, vel iniustitia, quamuis compellendus sit superior iniustè expellens subditum, vel vt illum recipiat, vel vt alat, vel iniuriæ alio modo satisfaciat. Suarez *dicto l.*3. *c.*13. *num.*11. Sed vbi religiosus, vel iustè eijcitur, vel ipse liberè vult exire à religione parata illum intra se retinere, & alere, religio talem exeuntem alere non tenetur, & si in alio monasterio recipitur, non per hoc priùs monasterium illi alimenta subministrare tenetur.

192. Hinc non approbatur omnino limitatio illa, qua ab aliquibus limitatur principalis assertio, vt non habeat locum, quando transitus de vno ad aliud monasterium fit ex eo, quod religiosus exit ob necessitatem, aut vtilitatem publicam, aut grauem vtilitatem priuatam, vt tunc vsusfructus bonorum pertineat ad posterius monasterium Nauar. *com.* 4. *num.* 24. *de Regul.* Rodriq. *p.* 2. *q.* 79. *a.* 1. Nam quænam est vtilitas publica? Si est monasterij posterioris, ipse alat religiosum ad se pro sui vtilitate transeuntem, si verò est vtilitas prioris monasterij, & illud est, quod cogit. Primò nullus religiosus potest cogi vt profiteatur in alia religione; si verò transmittitur in pœnam, iam dictum est, prius monasterium teneri ad alimenta siue aliquid receperit à Religioso siue non receperit. Pro priuata verò vtilitate transeuntis si priùs monasterium paratum est illud retinere non tenetur illum alere extra monasterium. Solum est aduertendum, quod si causa exeundi sit iusta, & adeo, quod superiores illam concedere teneantur, tunc tenetur religio suum subditum alere vbicumque ille sit de suorum superiorum licentia, quia suus subditus est, & in claustro censetur esse, vbicumque est de superiorum licentia,

193. Limitatur verò, seu explicatur commune assertum, nam in casu quod aliquid relictum sit religioso taliter tamen, quod dominium rei relictæ remaneat apud donantem, vel eius hæredes, solusque vsus religioso competat; quod non fuit à religioso consumptum, & manet tempore transitus ad nouam religionem, vel acquiret religiosus successiuè ex vi consimilis concessionis pertinet ad eundem in posteriori religione translatum huius enim dominus non est religio, sed donans, seu concedens, religioso verò competit vsus de licentia religionis vbicumque religiosus inueniatur, nisi qui donauit, aut legauit aliud decreuerit. Sanchez loco citato *num.*14. Bordon. de profess. *c.* 5. *q.* 44. Sed vbi primum monasterium ius acquisiuit, transitus fieri debet sine præiudicio iuris acquisiti à priori monasterio.

194. Si verò donatio fuisset conditionata; tunc deberet impleri conditio. Potest enim statim ab initio ante ingressum in aliquam religionem apponi conditio in donatione, vt si contingat casus in quo donans transeat ad aliam religionem tunc prior religio, vel totam rem donatam, vel partem, vel eius vsumfructum tradat alteri religioni. Licet enim religiosus non possit sibi reseruare ius, & dominium aliquod post professionem, tamen potest velle, quod hoc ius competat alteri religioni, vt eo ad aliam transeunte bona illa donata iuxta donantis intentionem restituantur Suarez loco citato *a. num.* 17. Bosc. de Claus. *quæst.* 2. *par.*9. §.4. quem sequitur *diffic.*2. *num.* 21. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *dub.*6. *num.*769.

SVMMARIVM.

1 *Delatio hæreditatis potiùs, quam aditio consideranda in puncto quæst. an hæreditas spectet ad prius, vel posterius Monasterium, numer.*195.

195. QVæritur quarto, an dato quod religioso in ordine capaci hæreditatis professo delata sit hæreditas morte testatoris, sed antequam illam adeat transeat ad alium ordinem hæreditandi capacem, hæreditas ad primùm, vel ad secundùm ordinem spectet. Relictis verò DD. sententijs respondetur pro nunc probabiliùs esse, vt in hoc puncto attendatur delatio hæreditatis non aditio, vndè in hoc casu hæreditas pertinebit ad monasterium prius, cui ex persona sui religiosi delata fuit hæreditas morte testatoris. Verè enim ex huius hæreditatis dela-

tione

sione prius monasterium ius acquisiuit super hæreditate, quo non debet priuari, & ideò eius erit hæreditas, vt tradunt Panorm. *cap. in præsentia num.* 77. *de probat.* Beroius ibi *num.* 560. *& cap. Raynutius n.* 38. *de testam.* Curtius iunior *consil.* 48. *fin.* Couar. *cap.* 1. *num.* 21. *de testam.* Molina *l.* 1. *de primog. c.* 12. *num.* 36. *&* 37. *Rota decis.* 756. *num.* 11. coram Buratto Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *d.* 11. *num.* 88. Sanchez *l.* 7. *mor.* 1. *cap.* 32. *n.* 18. Bordon. *de profess. cap.* 5. *q.* 44. Bonac. loco supra citato *n.* 7. Et ad hoc facit, quod habet *Rota dec.* 341. *l.* 2. *par.* 4. Recen. quod nimirum ius adeundi hæreditatem est in bonis debitoris, & quod non est nuda facultas, sed ius habendi, & quod si huiusmodi ius habens adeundi nolit adire, sed renunciet hæreditati, creditor potest agere ad hoc, vt repudiatio irritetur, & vt debitor ex ea soluat debita, ad quæ soluenda aliundè est impotens. Ex his patet, quod ex quo primum monasterium habet ius adeundi hæreditatem, non potest sibi fieri præiudicium in hoc iure ex quo Religiosus transit ad aliud Monasterium. Quia tamen monasterium ius adeundi hæreditatem non habet nisi illam acceptet, & antequam acceptet datur in eo sola facultas adeundi hæreditatem non verò aliquod ius, si contingat quod Religiosus emittat professionem in secundò Monasterio antequam primum Monasterium acceptet sibi delatam hæreditatem, hæreditas pertinebit ad secundùm Monasterium, cum primum post professionem Religiosi emissam in secundò non habeat ius aliquod acquirendi de nouo intuitu eiusdem Religiosi. Et licet hæreditas ipso iure censeatur delata; hoc tamen non est verum ante acceptationem, quia huiusmodi dispositiones tacitam habent conditionem, si hæreditas, vel donatio acceptetur. Ideò priùs monasterium non habet ius ad hæreditates, seu donationes sibi prouenientes ex persona sui Religiosi antequam eas acceptet. Si tamen antequam Religiosus emittat professionem in posteriori monasterio, priùs monasterium acceptauit hæreditatem sibi absolutè delatam, licet eam non adierit acta, nihilominus illa eidem primò monasterio remanet, quod potest illam adire se voluerit. Et idem dicitur de Religioso transeunte ad Episcopatum, quod Religioni à qua recedit remanent omnia bona ab ea adita, vel acceptata, & ad quæ habet proximum adeundi ius. Et in hoc sensu intelligi debent, quæ supra dixi *q.* 185. *a.* 8. *nu.* 200. Sola enim illa bona ad fauorem Episcopatus, aut secundi Monasterij purificantur, quorum conditio post translationem ad Episcopatum, vel secundùm monasterium purificatur, vel quæ deferuntur post illud tempus, aut si priùs delata fuerunt, non fuerunt à priori monasterio acceptata. Hic tamen casus vix est moralis, quia nisi deferatur hæreditas, & taliter vt delatio hæreditatis ignoretur, vt si deferatur in fine anni probationis, & nouitiatus transeuntis ad posteriorem ordinem, non erunt sic fatui ministri prioris monasterij, vt admoniti de hæreditate statim illam non acceptent, & non adeant, si illorum intersit eam adire.

SVMMARIVM.

1 *In transitu à Religione incapaci hæreditandi ad capacem, vel econtra hæreditas delata, & non adita ante professionem spectat ad priorem Religionem, vel hæredem. n.* 196.

2 *Idem dicendum de transitu Religiosi ad Episcopatum, vel aliam secularem dignitatem. numer.* 196. *&* 199.

3 *Facultas hæreditandi per professionem in incapaci consopitur. n.* 197.

4 *Delata post professionem in capaci, ad eam pertinent. n.* 198.

5 *Hæres tempore habili si factus postea Capucinus eius hæres ab intestato non adeat hæreditatem, antequam Capucinus transeat ad Carthusiam, Carthusiæ erit hæreditas. numero* 200.

6 *Religiosus vt succedat tanquam hæres necessarius sufficit, quod tempore mortis sit in Religione capace. n.* 201.

7 *Non institutus hæres, quia in Religione incapaci, si tempore mortis sit in Religione capaci succedet, vt posthumus. n.* 202.

8 *Incapacitas medio tempore non obstat. numero* 203.

9 *Sufficit quod tempore substitutionis purificandæ Religio sit capax. n.* 204.

10 *Potest Religiosus ante professionem in incapaci, sibi reseruare bona pro tempore, quo fit vel Episcopus, vel in Religione capaci. numero* 205.

11 *Si Religiosus transeat ad Religionem capacem antequam fœmina hæreditet, hæreditas spectat ad Religionem. n.* 206.

12 *In transitu de Capaci ad incapacem considerandus est Religiosus ac si veniret de seculo. numer.* 207.

13 *Translatus de Religione incapaci ad capacem non recuperat bona quæ possidebat ante professionem. n.* 208.

196. QVæritur quinto, an vbi sit transitus à religione incapaci hæreditandi ad capacem, vel è contra à capaci ad incapacem, ad quem pertineat hæreditas ante professionem religiosi in posteriori religione delata, sed non adita. Si enim hæreditas nedum sit delata, sed adita ante professionem, certum est quod in neutro casu hæreditas spectat ad secundam religionem Fagnan. *cap. In præsentia. num.* 76. *de probat.* Nam si prior religio erat incapax ad hæredes ab intestato spectat hæreditas delata, quod si eam adierunt ante professionem religiosi in religione capaci non est vndè alia religio licet capax aliquid prætendat. Si etiam prior religio capax adiuit hæreditatem, non est vnde ex transitu ad incapacem hæredes ab intestato aliquid prætendant. Sed difficultas est si prior religio non adiuit hæreditatem ante professionem religiosi in posteriori religione, & fit transitus de religione capaci ad incapacem, vel è contra. Et respondetur sicut ad præcedentē *quæst.* quod nec 2. religio, nec respectiuè hæredes ex transitu ad incapacem,

capacem, sed religio prior, vel hæredes eo eo, quod religiosus sit ordinis incapacis babêt ius ad hæreditatem in hoc casu, & illis competit. Et ratio est, quia hic debet attendi tempus delationis hæreditatis; si ergo v. g. Frater Ord. Prædicatorum transeat ad Minores, & ante transitum delata sit hæreditas, iam Monasterio Prædicatorum debetur illa hæreditas, quia habet ius ad illam, sed si Capucinus transeat ad Prædicatores, & ante transitum sit delata hæreditas morte testatoris, iam hæredes ab intestato hæreditate gaudebunt, quibus acquisitum fuit ius ante transitum. Capucini incapacis ad Ordinem Prædicatorum capacem. Et ita tenent Bald. *l. si alienum digress. de hæred. instit.* & ibi Imola, & Faber. Lapus *in quodam respons. relata in consil.* 27. Feder. *fin.* Griffal. de Monte Pollit. & Francisc. de Monte Altero apud Feder. *cons.* 26. *num.* 3. & 4. Syluest. *v. religio* 4. *quæst.* 10. Tabien. *quæst.* 18. *num.* 29. Rosel. *n.* 13. Ang. *v. religiosus num.* 34. *fin.* Portius *cons.* 23. *a. num.* 28. *vsque ad finem.* Tiraquel. *de retract. lignag.* §. 1. Gloss. 9. *num.* 105. Molina *l. 3. de primog. c. 2. nu.* 17. Aluarad. *de coniect. mente test. l. 2. c. 3. nu.* 11. Sanchez *l. 7. Mor. cap. 32. num.* 22. & apud eum Gulielmus, Benedictus, Bertrandus, Maynee. Calder. Mesca. Gemuinus, Casanat. & vlterius pro anteceden. *quæst. allegati.* Quod tamen iuxta prædicta intelligi debet, si hæreditas delata sit acceptata, quod ampliatur, vt sit verum, etiam in casu, in quo religiosus ordinis capacis postea fiat Episcopus post delatam morte testatoris hæreditatem. Nam eadem ratione ad prius Monasterium spectare hæreditatem docent Bald. Imo. Syl. Rosell. Aluarad. & Sanchez citati. Non tamen verum est, quod habet Anton. à Spir. Sancto tr. 3. *disp.* 6. *num.* 768. nimirum quod si deferatur hæreditas religioso tempore incapaci, & interim hæredes alij non adeant hæreditatem, si ille Religiosus transeat ad religionem capacem possit illa religio adire hæreditatem. Nam hæreditas iam est delata ad hæredes priusquam delata validè ad religionem, ideò ad illos pertinet hæreditas, quibus primo delata fuit cum in huiusmodi attendi debeat delatio acceptata non aditio.

197. Hinc sequitur, quod per professionem in ordine incapaci non extinguitur, sed solum consopitur ius succedendi in hæreditate, ideò licet religiosus in ordine Minorum Capucinorum v. g. transiens ad ordinem Carthusianorum capacem hæreditandi, non recuperet bona intuitu sui delata ante transitum, quia huiusmodi pertinent ad eos hæredes, qui veniunt ab intestato. Circa quod adest decisio S. Congr. Concilij die 17. *Iunij* 1617. apud Barbosam *lib.* 1. *de iure Eccles. c.* 42. *num.* 93. huius tenoris; scilicet. *S. Congregatio Card. S. Concil. Trident. interpretum censuit. Si agatur in religione incapaci nulla facta dispositione bonorum validam professionem emiserit, bona ipsa fuisse acquisita venientibus ab intestato, ac proinde nec successioni secundæ religionis capacis, ad quam fuit translatus, esse amplius locum, nec bonorum renunciationi.* *Adden. ad decis.* 756. Buratti. *num.* 26.

198. Nihilominus vbi post translationem bona deferuntur, secunda religio ex persona talis religiosi succedit. Et ideò vt refert Barbosa ibid. *num.* 90. Cum dubitaretur in causa Neriton. *An religiosus ex indulto à religione Fratrum Minorum de Obseruantia ad tertium Ordinem S. Francisci ex legitima causa translatus recuperet ius succedendi in bonis sibi ex testamento post translationem delatis? die* 22. *Ianuar.* 1628. *proposito supradicto dubio Illustr. PP. S. Concil. Trident. interpretes censuerunt recuperare ad commodum secundi Monasterij.* Et ideò hanc partem docuerunt Bartol. *in tract. Minor. l.* 1. *dist.* 3. *cap.* 2. Iason *in lege ex facto num.* 10. *ff. de vulgari.* Tiraquel. *de retract. lig.* §. 1. Gloss. 9. *num* 105. Buratt. *dec.* 756. *fin.* Nicolaus de Vbald. *de success. ab intest. Cleric. p.* 1. *num.* 3. Angel. *v. religio* 4. *num.* 10. Sanchez *l.* 7. *Mor. cap.* 32. *num.* 26. Tambur. *disp.* 7. *quæst.* 6. *num.* 8. Rota in Romana fidei commissi 26. *Nouemb.* 1627. coram Virili. Rodoan. *de spolijs Cleric. quæst.* 8. *num.* 22. Barbosa *loco citato.* Fagnan. *ad cap. Recolentes num.* 39. *de stat. Monach.* Burdon. *de profess. c.* 5. *quæst.* 44.

199. Quod amplietur etiam in casu, quod religiosus de ordine incapaci assumatur in Episcopum. Quoniam licet in Episcopo regulari maneat obligatio voti paupertatis quantum ad substantiam. Non tamen eodem modo ligat: Nam religiosus factus Episcopus habet liberam bonorum administrationem, & si non sibi vt domino Ecclesiæ suæ potest acquirere, & ideò Episcopum religiosum recuperare ius succedendi tradiderunt Syluest. *v. religio* 4. *quæst.* 10. Tabien. *quæst.* 28. *num.* 29. Rosel. *num.* 10. Angel. *v. religiosus num.* 38. Portius *consil.* 23. *a num* 28. *vsq. ad finem* Calder. *de nominat. emphyt. quæst.* 12. *num.* 62. Natta *cons.* 180. *num.* 5. Tapia *authen. ingressi cap.* 6. *a num.* 29. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 58. *a.* 7. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 11. *num.* 88. *Molina tom.* 1. *d.* 140. Azor. *l.* 12. *cap.* 15. *q.* 3. Sanchez *l.* 7. *cap.* 32. *num.* 26. & apud istos alij. Quod Bartol. Syluest. Tabien. Rodriq. Tapia *num.* 34. Sanchez ampliant, vt sit verum de religioso legitimè translato etiam ad aliam secularem Ecclesiam, & dignitatem extra Ordinem. Et ampliùs hoc extendant Rodriq. & Sanchez etiam ad eum, qui eiectus de religione ob dementia postea legitimè transierit ad religionem capacem succedendi. Siuè vt addit Sanchez ad Episcopatum fuerit assumptus.

200. Inde etiam sequitur quod institutus hæres tempore habili, si antequam adeat hæreditatem fiat religiosus in religione incapaci, vt puta Capucinus, sed antequam qui veniunt ab intestato adeant hæreditatem transeat ad Carthusiam, iam Carthusia ex persona talis religiosi est hæres, quia hæreditas delata fuit tali religioso tempore habili, & non adita hæreditate ab aliquo alio in tempore intermedio in quo ipse erat incapax adeundi hæreditatem, iam ipse factus est habilis adeundi fauore Monasterij, & ita docuerunt *Feder. cons.* 26. *num.* 2. & 3. Menchaca alios referens *in qq. vsu frequent. l.* 1. *cap.* 1. *num.* 25. Sanchez loco citato *num.* 27. asserens quod idem videntur sentire Gregorius Lopez, Aluerad. & Rodriq. quamuis oppositum tenuerit Faber. Nec obstat si dicatur, quod hæreditas delata Capucino dum erat secularis ex vi professionis eius delata fuit ad hæredes, & sic illi possunt adire hæreditatem quandocumque volunt, quia hæreditas delata fuit ad hæredes per consopitionem fa-

cultatis succedendi factam in Capucino, quæ facultas reuixit translato ad Carthusiam; & ideò si hæredes non adiuerunt hæreditatem, non habent ius ad illam, quia illorum ius extinctum fuit, per id, quod religiosi ius consopitum esse desiuit. Nam tacita illa renunciatio aditionis hæreditatis, & iuris illam adeundi, quam fecit ille profitendo religionem Capucinorum non est absoluta, sed habet tacitam conditionem, nisi re integra, idest, ante aliorum hæredum aditam hæreditatem fiat capax. Illa enim renunciatio fit per consequentiam, & ex incapacitate religionis, vndè meritò intelligitur, vt conditionata, & præcisè stante religionis incapacitate.

201. Sequitur tertiò, quid sit dicendum si Capucinus instituatur hæres ex testamento, sed tamen ante mortem testatoris transierit ad Carthusiam, ad fauorem cuius est capax succedendi, & ita tempore delatæ hæreditatis est religiosus ordinis capacis. Cum enim hinc inde sit disputatio, an in hoc casu religioso competat ius succedendi; ex eo quia tempore compleri testamenti religiosus erat incapax succedendi, & regula sit quod institutio ab initio inutilis non possit tractu temporis conualescere, vt habet *regul. penul. ff. de reg. iuris, & expressè in l. si alienum 49. §. in extraneis ff. de hæredibus instit.* determinatur, vt ad valorem testamenti requiratur capacitas tempore confecti testamenti. Nihilominùs vera distinctio est, vt hæc locum habeant in hæredibus non suis, cum in hæredibus suis afficiat capacitas tempore mortis testatoris. *lege in suis, ff. de suis, & legitim. hæred.* Et ita vbi huiusmodi religiosus instituatur hæres ab externo, non valebit testamentum, etiam si tempore mortis testatoris sit capax succedendi, sed si instituatur hæres à Patre, vel à Matre, aut etiam à Fratre taliter, vt ab intestato ei succederet, vnum de duobus verum erit, scilicet quod testamentum erit validum, & talis religiosus translatus ad ordinem capacem, vel factus Episcopus tempore mortis testatoris poterit iure testamenti succedere, vt *l. Regia* 22. *tit.* 3. *p.* 6. succedere in suo Regno dixit Sanchez *l.* 7. *Mor. c.* 32. *num.* 29. Vel idem religiosus succedet non iure testamenti, sed pro sua parte, vt hæres ab intestato. Vt enim habet Gloss. *l. si alterum* 49. *§. in extraneis, v. hæreditatem, ff. de hæred. instit.* necessaria est capacitas tempore testamenti, cum quis vult succedere tanquam extraneus, sed cum vult succedere, vt hæres necessarius, sufficit capacitas tempore mortis testatoris. Sanchez *num.* 30. & 31.

202. Sequitur quartò, quod si Capucinus à patre nõ instituatur hæres ratione incapacitatis suæ ad hæreditandum, nihilominùs si ante Patris mortem sit in ordine capaci, vel factus sit Episcopus potest succedere instar posthumi postea nati, quia tempore mortis est capax succedendi, quod quidem in hærede necessario sufficit, vt tradit Sanchez *num.* 33.

203. Sequitur quintò, quod si quis tempore habili substituatur pupillo, & tempore mortis pupillus sit religiosus in ordine capaci, vel Episcopus nihil obstare, quod tempore intermedio fuerit religiosus in ordine incapaci, quia incapacitas medio tempore inuenta nihil obstat, vt tradiderunt *l. ex facto. § final. ff. de vulg.* & ibi Ang. *num.* 3. Natta *cons.* 180. *num.* 5. *vol.* 1. Ayman. *cons.* 152. *vol.* 2. Anton. Cuccus *l.* 3. *instit. maior. t.* 1. *num.* 108. Tapia *auth. ingressi. c.* 6. 31. Cod. *de Sacros. Eccles. Rota decis.* 643. *num.* 20. *coram* Buratto.

204. Imò idem dicendum est, si tempore substitutionis factæ à testatore hic religiosus erat incapax, vel si erat incapax tempore mortis substituentis, si tamen sit capax tempore mortis pupilli, vel cuiuscumque alterius hæredis grauati. Quia omnes huiusmodi substitutiones sunt conditionales nempè si pupillus, vel hæres grauatus non vixerit, & substitutus superuixerit grauato, vel pupillo; Ad valorem verò dispositionis conditionalis sufficit quod impleatur conditio. Nam si potest substitui, qui nondum est in mundo, sed potest esse, multo magis valet substitutio pro eo, qui est in mundo, & potest esse capax tempore exequendæ substitutionis. Sanchez *num.* 36.

205. Sequitur sextò, quod si ante professionẽ in religione incapaci quis sibi bona reseruet pro casu contingenti, quod vel transeat ad religionem capacem, vel fiat Episcopus, adueniente casu recuperat bona sibi reseruata. Natta *cons.* 180. *num.* 2. Tapia loco citato *cap.* 6. *num.* 32. Sanchez *num.* 37. Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 3. *d.* 6. *num.* 769.

206. Sequitur septimò, quod existente statuto, quod existentibus masculis fœmina non hæreditet, si antequam fœmina hæreditet, ob incapacitatem religiosi ipse transeat ad ordinem capacem, vel fiat Episcopus, obstabit fœminæ ne succedat, & ad eum hæreditas deuoluetur re adhuc integra. Bald. *dicta auth. ingressi. in fine.* Tapia ibi *v. tua. c.* 6. *num* 38.

207. In consimilibus verò casibus, vbi ea aduersò transitus sit de religione capaci ad incapacem bona non acquiruntur priori Monasterio, vt voluit Tapia *eod. cap.* 8. *num.* 25. sed iudicandum est de illo, ac si veniret ex sæculo, & nullum aliud Monasterium ingressus fuisset, quia per ingressum in aliam religionem fuit absolutus à priori, ac si eam non fuisset ingressus. Sanchez *num.* 39.

208. Translatus etiam à religione incapaci ad capacem non recuperat bona, quæ possidebat ante professionem, vt decernit Rota coram Burat. *decis.* 576. *num.* 2. & tenuerunt Feder. *cons.* 26. *num.* 3. Beroinus *cap. in præsentia num.* 550. *de probat.* Barbosa *l.* 1. *de iure Eccles. c.* 42. *num.* 94. quia dispensatio Apostolica non retrotrahitur in præiudicium tertij. Quod verum est iuxta declarationem S. Congr. Concilij supra relatam, si religiosus ante professionem de suis bonis non disposuit, vndè ea adierunt hæredes venientes ab intestato; quia si de bonis suis disposuit sub conditione illa recuperandi, si transeat ad religionem capacem, transeundo illa recuperat. Et idem verum est, si tertius ad quem pertinuit adiuit bona à Religioso professo relicta. Nam si nullus adijt illa bona statim, ac Religiosus profitetur in Religione capaci reuiuiscunt iura prius ex vi professionis in religione incapaci consopita, iuxta dicta supra *num.* 181. & 182.

SVMMARIVM.

1 *In institutione conditionata ex testamento attenditur tempus impleta conditionis. num. 209.*

2 *Quid dicendum vbi institutio sit ex contractu? num. 210.*

3 *Capucinus potest institui hæres pro tempore quo sit capax. num. 219.*

209. QVæritur sexto, quid dicendum vbi institutio sit conditionata? Nam distinguendo dicitur, quod vel institutio est ex testamento aut legato, vel est ex contractu. Si est ex testamento, & legato, dicitur quod ad acquisitionem, seu capacitatem acquirendi debet attendi tempus impletæ conditionis. In vltimis enim voluntatibus spes non transfunditur ad hæredes, sed impleta conditio dat ius acquirendi vt constat ex lege sicut hæres 4. *ff. quando dies leg. ced. & regul. quæ legata.* 18. *ff. de regul. iuris*, *& docent* Glossa *l. non ad ea.* 88. *v. præsent. ff. de cond. & demonstr.* Tiraquel. *de retract. leg.* §. 1. Glossa 9. *num.* 84. *&* 91. *&* 97. Cras. *de succes. & testam. & ab intest.* §. *institutio quæst.* 28. *num.* 3. *&* 4. ex Alexand. Ripa, Socino, & Hypol. Casaneta plures referens *cons.* 26. *num.* 16. *vol.* 1. Sanchez *l.* 7. *Mor. cap.* 32. *num.* 41. & apud eum Peralto, Meres, Barbosa, & Peregrin. Ideò si quis religiosus Ordinis capacis sit institutus hæres sub conditione, si postea impletur conditio eo translato ad alium Ordinem capacem, etiam si testator obierit ante translationem, hæreditas conuenit posteriori Monasterio; neque priùs Monasterium habuit Ius ad hæreditatem, nisi dependenter à permanentia religiosi in eo tempore impletæ conditionis. Quia vt dicebatur in legatis conditionalibus attenditur capacitas de tempore purificatæ conditionis. *l. interuenit. ff. de legat. præstan. l. eum qui, vbi* Glos. *v. conditio. l. Pater Seuerinam. ff. de condit. & demon,* Rota *in Vrbeuetana hæreditatis 3. Aprilis* 1620. *coram* Manzanedo, *& dec.* 643. *num.* 11. *coram* Buratto. Vbi *num.* 12. quod in annuis legatis attenditur si quis sit capax in principio cuiuslibet anni. Et ideò quod hæreditas pertineat ad Monasterium in quo reperitur religiosus tempore impletæ conditionis docent *cap. vnic.* 18. *quæst.* 1. Archidiac. *in fine,* Bellamena *in fine,* Card. Clement. *final. num.* 18. *quæst.* 16. *de elect.* & ibi Imola. *num.* 9. *quæst.* 7. Bonif. *num.* 38. 39. *quæst.* 7. Rom. *l. si seruus. num.* 6. *ff. de acquir. possess.* Couar. *cap.* 1. *num.* 20. *de testam.* Natta *cons.* 180. *num.* 5. *vol.* 1. Tapia *aut. ingressi v. sua c.* 6. *num.* 16. Cod. *de Sacros. Eccles.* Azor. *l.* 12. *c.* 15. *fin.* Rodriq. 2. *tom. cap.* 31. *num.* 10. Sanchez *l.* 7. *Mor. c.* 32. *num.* 41. Bonae. *quæst.* 2. *d. claus. p.* 9. §. 4. *diff.* 2. *num.* 21. Et apud istos alij. Quod verum est etiam si religiosus tempore impletæ conditionis sit Episcopus, quia tunc non priori Monasterio, sed Ecclesiæ acquiret, vt tradunt Archid. Bellam. Card. Bonifacius, Felinus, & Sanchez ibid. Rota coram Burato *num.* 17.

210. Sed si institutio sit ex contractu tunc si conditio sit casualis religiosus acquiret Monasterio in quo reperitur tempore contractus; quia in contractibus conditionalibus quoad ius acquirendi tempus contractus attenditur. *lege, si filius famil.* 78. *ff. de verb. oblig. & regula quæ legata* 18. *ff. de regul. iuris.* Et ita tenent Archidiac. Bellam. Couar. Card. Imola, supra. Sanchez *num.* 42. Bonac. *& Rota num.* 21. allegati supra. Sed si conditio sit potestatiua, & ex libertate religiosi ponenda, tunc tempus adimpletæ conditionis inspici debet, *l. qui balneum* 9. *in princip. & l. potior.* 11. *in princ. ff. qui potior in pignor. hab. atque ita docent* Imola Clem. *fin. q.* 7. *num.* 9. *de elect.* Sanchez, & Bonae. citati. Ex quo sequitur Capucinum posse institui hæredem sub conditione, & pro tempore quo erit capax succedendi, vt ex Greg. Lopez, ait Sanchez *num.* 45. & tunc tempus capacitatis attenditur, seu acquisitionis, vt habetur *l. in tempus. ff. de hær. instit.*

SVMMARIVM.

1 *In legato successiuo fructus transeunt cum Religioso ad Monasterium secundum. num. 211.*

2 *Hoc limitatur multipliciter. num. 212. 213. 214. 215.*

211. QVæritur septimo, quid dicendum in legato annuo, & successiuo? Ex prædictis enim dici debet, quod legatum annuum, siuè etiam successiuus vsusfructus bonorum aliquorum pro tempore futuro transit cum religioso ad quemcumque statum, siuè religiosus transeat ad aliam religionē capacem, siuè ad Episcopatum, & hoc non obstante, quod prior religio, vel hæredes ab intestato adiuerint legatum illud, & illud possederint, & annuam solutionem illius obtinuerint Sanchez *l.* 7. *Mor. cap.* 13. *num.* 63. & ratio est, quia legatum annuum non est vnum, sed tot legata quot sunt anni. *l. si in singulos. l. Cum in annos. ff. de ann. leg. l. Cum in singulos. ff. quando dies leg. ced. l.* 11. *Pater Seuerinam.* §. *fin ff de condit. & demonst.* Rota *decis.* 643. *num.* 8. *coram* Buratto. Et huiusmodi legatum annuum pro primo anno est purum, & pro sequentibus conditionale. *d. l. si in singulos, & l. si in annos, & si stylum.* §. *stipulatio. ff. de verb. obligat.* Imò in principio cuiuslibet anni dicitur nouum legatū, & noua nascitur obligatio. *d. Rota* 643. *coram* Buratto *num.* 10. *vbi num.* 12. quod in legatis annuis inspicitur si quis sit capax in principio cuiuslibet anni. *l. Cum in annos. ff. de ann. legat. l. Cum semel.* §. *Vndè* Iulianus. *ff. Quando dies leg. ced.* Vnde legatum annuū relictum seruo eidem manumisso acquiritur. *d. l. Cum semel.* §. *Vndè* Iulianus. *ff. quand. dies leg. ced.* Et Bannitus remissus simpliciter legatum annuum recuperat. Propterea si contingat quod alicui sit relictum legatum annuum, si quidem erat in religione incapaci, & ideo legatum remansit apud hæredes, statim ac ille [illegible] ad religionem capacem, recuperat in [illegible] legatum, quod religioni illi capaci acquiritur Sanchez *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 28. *Rota coram* Buratto *dec.* 643 *num.* 15. siuè si religiosus de religione capaci transeat ad capacem; Prior religio amittit ius percipiendi legatum annuum; quia hoc ius illi competebat temporaliter, & conditionaliter. Vndè translato religioso ad aliam religionem transfertur ius ad habendum legatum. Nam & integram

gitis annuis tot requiruntur præscriptiones, quot sunt anni, vndè ad præscribendum ius exigendi censum, non sufficit vna præscriptio, quia contractus census est conditionalis, cum ei fructus nõ debeantur, nisi census non fuerit redemptus, pec DD. quos refert, & sequit. *Addeu.ad d. decis.643.* Buratti *num.*38. Eadem verò est ratio de vsufructu quia vt habetur ex *l.*1.*§.fin.ff.de vsufr. Vsusfructus quotidie constituitur, non vt proprietas eo tempore, quo vendicatur.* Et sic vsusfructus est quid successiuum diuisibile in tot donationes, seu legata quot sunt anni, & est quid personale dependens à perseuerantia religiosi in Monasterio, cum & ad vtilitatem eiusdem sit concessum, & illius intuitu. Sanch. vbi supra. Qui tamē *l.*7.*c.*15.*n.*28. probat nõ esse eandem rationem de maioratu, sed hoc importare vnicū ius simul in momento acquisibile.

212. Verùm limitanda est doctrina ista primò vt si legatum relictum alicui religioso, vel Monasterio illius intuitu, non sit relictum adæquatè intuitu illius, sed ex alijs causis æquè principaliter, vt v. g. causa amoris specialis respectu Monasterij, vel pro fabrica Monasterij, vel pro Sacristia, vel ex alia simili causa, tunc legatum manere debeat Monasterio etiam si religiosus, vel ad Episcopatum, vel ad aliud Monasterium transierit. Nam quando renunciationis, seu donationis factæ ad fauorem alicuius non cessant omnes causæ, sed aliquæ remanent, renunciatio, seu donatio non resoluitur, sed manet ad fauorem illius, cui est facta manente aliqua ex causis propter quam est facta, vt ex §. *affinitatis Inst. de Nup. dixerunt* Grat. *discep.*971 *num.*6.& 7. *Rot. dec.*587.*nn.*7.*p.*1.*rec.* & corā Eminen. Ottob. *d.*10. *n.*46. & in Romana de Mellinis 7. *Aprilis* 1657. coram Reuerendissimo Certo Decano. Si igitur fiat legatum successiuum fauore Monasterij non præcise intuitu religiosi, sed ex aliqua alia causa, quæ duret eo non durante, sed transeunte ad Episcopatum, vel ad aliam religionem, legatum priori Monasterio manet etiam si successiuum, quia manet causa ob quam factum fuit legatum.

213. Limitatur secundò in legato ab eodem religioso facto ad fauorem Monasterij, quod ingreditur, nimirum si ante professionem religiosus reliquit annuum legatum Monasterio, seu annuum redditum. Nam donatio facta à religioso intuitu ingressus in religionem non est conditionata, nisi specialiter conditio apponatur, vt supra est probatum, sed est absoluta, nec dependet à perseuerantia eius in primo Monasterio. Est enim considerandum, quod intantum secundum Monasterium, vel Ecclesia Episcopalis succedit in annuo legato relicto priori Monasterio, in quantum legatum illud censetur conditionale. Ex quo enim factum est intuitu personæ ipsius religiosi, & in gratiam illius, & non alia causa, intrat implicitè conditio, quatenus, & donec religiosus maneat in illo Monasterio. Nam alias vbi legatum esset absolutum, & perpetuum, Monasterium priùs ad totam successionem simul per modum vnius acquisiuisset ius ad illud, quia acquisiuisset ius ad perpetuitatem annuæ consecutionis, quæ est quid indiuisibile, quod totum simul acquiritur. Nam nec obstat, quod legatum sit annuum, vt non possit esse perpetuum, & intra-

missibile. *l. annuam, & l. annua §. fin. ff. de ann. leg. Rota decis.* 643. *coram* Buratto *numero* 5. quia esset ius ad perpetuitatem habendi, quod est indiuisibile. Inde etiam est, quod vndecumque adueniat, quod legatum non sit conditionale conditione perseuerantiæ Religiosi in priori Monasterio, legatum annuum non transit ad aliud Monasterium, licet ad illud transeat religiosus; quia vbi legatum non est conditionale conditione perseuerantiæ religiosi, iam est priori Monasterio absolutè concessum, & ideò illi conuenit independenter à perseuerantia religiosi in Monasterio. Sic huiusmodi legatum non conditionale transire ad hæredes, seu in perpetuum deberi, colligitur ex *l. si in singulum, l.annuum, l. annua. §. fin. de ann. leg.* Modo sic est quod legatum factum à Religioso ipso ingrediente Religionem ad fauorem Monasterij non est conditionale conditione perseuerantiæ; quoniam imò ex quo est conditionale conditione professionis non est conditionale conditione perseuerantiæ in religione, quoniam cum perpetuitas, & perseuerantia sit per se coniuncta professioni, ideo perseuerantia tacitè inest, nec facit legatum conditionale, sed secuta professione legatum transit in absolutum, & perpetuum. Et professione secuta Monasteriū acquirit ius ad legatum quantūuis successiuum, ideò siue postea Religiosus perseueret, siue non perseueret legatū manet priori Monasterio. Tanta ergo veritate dicitur quod legatum annuum factum à Religioso ad fauorem prioris Monasterij permanet, in priori Monasterio non obstante transitu Religiosi ad aliud Monastrium, quanta asseritur, quod bona acquisita priori Monasterio, vel vt accessoria professionis, vel vt donata, illi priori Monasterio remanent, non obstante, quod Religiosus transeat ad Episcopatum, vel ad aliam Religionem. Quod quidem esse verum probatum est, & docent DD. supra *num.*174. allegati.

214. Hinc vniuersalis limitatio tertia additur, vt scilicet vniuersaliter legatum annuum, & successiuum non transeat ad alium ab eo ad fauorem, cuius est factum, quando legatum non fuit conditionale, conditione aliqua non durante in eo ad fauorem, cuius fuit factum, sed fuit absolutum, & absolutè illi donatum, & sic ille cui primo legatum, fuit statim ab initio acquirit per modum indiuisibilis ius consequendi annuū beneficium independenter ab omni amissibili conditione.

215. Limitatur quarto, vt si testator, vel donator reliquerit annuum redditum simul ordinando, vt legatario assignetur fundus fructifer ad hoc, vt ex illo annuum beneficium percipiat. Tunc enim perinde est, ac si fundus illi fuerit legatus, & donatus, & sic legatum non est successiuum, sed totum simul, ad quod legatarius simul acquirit ius. *Rota dec.* 643. *num* 7. coram Buratto.

SVMMARIVM.

1 *In transeunte necessarius nouitiatus, num.* 216

216. QVæritur septimo, an religiosus transiens ad alium ordinem teneatur ad

Ee 2 noui-

nouitiatum. Quamuis verò Sorbus in compend. priuil. v. *Nouitius post* 3. Notab. absolutè teneat non requiri, quod idem censent Corduba *in sum. q.*38. in priori Edit. & Henriquez *l.* 13. *de excom. c.*40. *num.*2. *in com. l.*t. Caramuel autem *in reg.*5. Bened. *a. num.* 544. sentiat non requiri annum probationis integrum in transeuntibus ad vnam ad aliam Religionem. Et dum obijcitur decretum Conc. Trid. *sess.*25. *de regul. c.*15. respondeat Côcilium loqui vbi facienda sit professio substantialis non verò de transeunte de vna ad aliam, cum talis transiens iam substantialia religionis expertus sit, & solum accidentalia propria posterioris Religionis experiri debeat. Tum præterea, quia si Concilium comprehenderet omnes probationes comprehenderet etiam probationes ordinum Militarium; cuius oppositum decidit Rota 11. Dec. 1570. Verùm ex supra *in tr. de Nouit. à n.*165. nihilominus communis sententia probatum est necessarium esse probationis integrum annum transeunti etiã ex strictiori ad laxiorem religionem. Hoc verò limitatur, vt non sit verùm de eo, qui transit ad aliam Religionem, vt in ea sit Prælatus, cum in eo nec requiratur professio noua, quia in substantialibus iam est professus, ad cætera verò obseruantias censetur obligari ea consuetudine, & lege qua Prælati Regulares se statutis Regulæ conformare tenentur Less. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*13. *num.*62. Vech. *disp.*15. *dub.*5. *num.*18. quos refert, & sequitur Tambur. *t.*3. *d.*7. *q.* 1. *num.* 20. Federicus de Senis *cons.* 5. quem refert Fagnan. *cap. ad Apostolicam num.*36. *de Regal.* & ibi Petrus de Perus. *in tract. de mutat. status Personarum num.* 7. & 18. Oppositum tamen tenet Nauar. *cons.*60. *de Regal.* Considerandum est, quod si transitus solum est, vt transiens præsit, non verò vt sit Religiosus eius Ordinis ad quem transit, professio non est necessaria, quia & per exterum possunt Regulares regi, vt patet in Monialibus. Sed si Religiosus transit ordum, vt præsit, sed vt sit Religiosus illius Ordinis, vt quia non potest præesse nisi sit eius Ordinis Religiosus, tenetur profiteri de nouo, quia sola professio Religiosum facit, vt probatur quæst. sequenti, & ideò esset etiam ex iure nouo necessarius nouitiatus, sed solum esset, vt cum eo dispensaretur super Nouitiatu, cum non deceat Nouitium præesse professis, imò iure ordinario Religiosus vnius ordinis non possit præesse malis.

217. Quæritur octauo, an transiens ad Religionem teneatur ad nouam professionem emittendam in posteriori religione. Nam Caramuel in Com. super regulam S. Benedicti *nu.*540. asserit non teneri iterum profiteri essentialia, quæ in priori religione professus est, licet *num.* 541. asserat in tali casu omnes promissiones hominibus factas esse repetendas; numero autem 541. asserit Secundam professionem in qua nihil substantiale additur, aut mutatur non esse solemnem professionem, sed prioris professionis repetitionem. Ratio prima est, quia ex priori voto tenetur essentialia obseruare; vndè non tenetur idem iterum vouere, nisi aliqua substantialis mutatio in materia votorum intercedat. Ratio secundi est, quia debet promittere stabilitatem in secundò ordine, & obseruantiam nouo superiori: Verùm ex his duobus dictum secundùm repugnat primò Nam materia votorum professionis proxima, & immediata non est hoc vel illud, quod in regula præcipitur, seu quod à religioso obseruandum est, sed est promissio facta homini, scilicet Prælato Religionis religionem repræsentante, nimirum contractus ille religiosus, quem religiosus habet cum religione tradendo se ipsum illi, & obligando se ad viuendum in religione sub prælati religionis gubernio. Hoc enim est, quod Religiosus Deo promittit, scilicet se stare promissis, & seruare obligationem suam, iuxta regulæ prescriptum, vt supra sæpiùs probatum fuit. Ideò inter vota essentialius est votum obedientiæ, quod etiã sufficit, vt expressè fiat, sicuti fit in religione Prædicatorum; cum igitur trãsiens ad nouam religionem humanas promissiones repetere debeat, & inire nouum humanum religiosum contractum cum noua religione, debet quoque vota repetere. Quod quidem de omnibus votis asseritur. Nam quod in professione Deo promittitur est obseruantia promissionis factæ Religioni viuendi in castitate, & paupertate secundùm regulam, & directionem superioris, & prætermisso quod & paupertatis modus longè ac longè diuersus est in diuersis Religionibus, etiam si alias conueniant in hoc, quod possideant, vel non possideant bona in communi, & qui profitetur debet vouere nedum paupertatem, sed modum seruandæ paupertatis in regula præscriptum. Ad necessitatem nouæ professionis inferendam sufficit, quod promissio humana varietur, & quod alteri homini promittatur, quod priùs vni promissum fuerat. Et sic esto dentur duæ Religiones omninò conuenientes in Regula, si distinguerentur in Generali, in transitu de vna ad aliã variaretur materia voti professionis, quia promitteretur vita sub alterius Generalis directione, & hæc esset noua promissio per votum professionis Deo consecranda. Ideò quod transiens ad nouam Religionem absolutè teneatur ad nouam professionem tenent Nauar. *cons.*60. & 61. *de regul.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. ad Apostolicam num.* 37. *de Regular.* Rodriq. *to.* 2. *cap.*6. *num.*10. Miranda *p.*1. *q.*31. *a.*22. Lezana *t.*1. *c.*22. *num.*16. Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 4. *num.*13. Quamuis oppositum sentiat Sel. apud Barbosam *in cap.*15. *sess.* 25. Concil. Trid. *num.*18.

218. Imò ampliatur, vt hoc habeat verùm etiam dum quis transit de vno ordine ad alium eiusdem Institutoris, vt si minor Conuentualis transeat ad Capucinos, quod tamen verùm est solum vbi familiæ sunt sub diuerso Generali, quia vbi Monasteria sub eodem sunt Generali, manet idem votum, quod principaliter fit Generali, nisi aliqua alia mutatio substantialis intercedet in materia obedientiæ, ita quod absolutè dicendum esset illas familias esse Ordines numero distinctos, & militantes sub regulis, aut constitutionibus simpliciter diuersis, vel adesset statutum obligans ad nouam professionem.

219. Nam & hoc est considerandum, quod si Generalis vni familiæ non posset absolutè præcipere, quæ obseruat & ad quæ alia familia obligatur, quia illa verè sint supra regulam, & constitutiones, quas profitetur illa alia familia; quia

quia tunc istæ duæ familiæ esto conueniant in Generali, vel in Institutore, vel etiam in quam plurimis regulæ statutis, sunt verè duo Ordines numero, in quorum altero est aliquod notabile, & valdè considerabile ad quod Religiosi alterius familiæ non sunt nec possunt obligari ex vi voti obedientiæ ab illis emisso, ideò tunc manifeste in transitu isto est necessaria noua professio dum de familia, & Ordine laxiori transitur ad arctiorem etiam sub eodem Generali. Quæ tamen professio non esset necessaria in transitu ab arctiori, ad laxiorem sub eodem Generali, si in laxiori nihil speciale esset, quod esset supra regulam arctioris, & ad quod ex vi voti obedientiæ in arctiori non teneretur, si Generalis illud sibi voluisset præcipere. Quia in hoc casu materia voti obedientiæ non mutaretur. Et sic nouæ professionis habendæ duplex est causa; vel scilicet mutatio materiæ voti obedientiæ, quæ est extensior in ordine ad quem fit transitus, vel mutatio superioris, quia transiens se tradit alteri superiori, cui tenetur se obligare per votum obedientiæ.

SVMMARIVM.

1 *In transeunte est necessarius amor proficiendi. num.220.*

220. EX respons. ad primùm colligitur transeuntem ad aliam Religionem etiam arctiorem, debere habere animum proficiendi in iustitia, & præcipuè debere cauere superbiam; quæ de facili sese ingerit mentibus humanis, nec desunt in quibus ambitio sub vestimento zeli cooperta vrget eos, vt propriam Religionem deserentes aliam quærant.

SVMMARIVM.

1 *Responsio D.T. ad secundum. n.221.*
2 *Eam impugnat Suarez. n.222.*
3 *Religio quæ ex instituto habet Clericatum est perfectior Religione Laicorum, n.223.*
4 *Clericatus opera aptissima ad perfectionem. nu. 224. 225.*
5 *Religio habens pro instituto Clericatum valdè similis statui Episcoporum. n.225.*
6 *Religiosus Ordinis laici spectata natura rei potest ad Religionem Clericorum transire petita licet non obtenta licentia. n.226.*
7 *Intra eundem Ordinem Laicus idoneus per se posset ad Clericorum statum transire, sed non potest modo ex prohibitione iuris positiui. n.227.*
8 *Clericum posse transferri ad statum Laicorum in eodem ordine aliqui volunt. n.228.*
9 *Non potest Clericus in eodem Ordine transferri etiam non inuitus ad statum Laicorum. numer.229.*
10 *Clericus in pœnam potest de facto priuari habitu, & deputari ad opera Laicorum non tamen illum ad statum Laicorum transferri. n. 230.*
11 *Transire de statu Clericorum ad statum Laicorum ex desiderio vitæ humilioris moraliter non est laudabile; nec est de meliori bono, nec licet Generalibus ex hac causa Clericum etiam non inuitum transferre ad statum Laicorum, numer. 231.232.*
12 *Etiam in eodem ordine vota laicorum, & Clericorum sunt valdè differentia, & authoritate Prælatorum ordinis indispensabilis. n.232.*
13 *Validè admissus ad statum Clericorum, non potest etiam non inuitus ratione ineptitudinis transferri ad statum Laicorum. n.233.*
14 *In Societate aliqui recipiuntur indeterminate pro vtroque statu. n.234.*
15 *Possunt aliqui recipi ad habitum licet non ad statum Clericorum. n.235.*
16 *Prælatus non potest eximere Clericum obligatum ab obligatione recitandi officium. n.236.*
17 *Canonicus Regularis an possit transire ad ordinem Monachalem. nu.237.*
18 *Antiquitus, & tempore Vrbani Secundi Monachi ex instituto, & lege communi non habebant adiunctum Clericatum. n.238.*
19 *Clerici Seculares non sunt in statu perfectionis, ideò eis licet transitus ad Monasterium. numero 239.*
20 *Monachatus via ad Clericatum. n.240.*
21 *SS. Antonius, Benedictus &c. fuerunt sanctissimi, sed ex hoc non arguitur, quod fuerint in statu perfectissimo. n.241.*

221. SVarez *tom.4. de relig. tract. 8. lib. 3. c.10. num. 2.* responsionem ad secundùm D.T. diuidit in 3. partes, & asserit D.T. tria docere. Primùm est decretum *cap. Mandamus 19. q.3.* intelligendum esse de Monachis secundùm antiquum statum in quo erant Laici, Canonici verò regulares Clerici, & ideò isti prohibebantur transire ad Monacos, quia in hoc descendebant a statu Sacri Ministerij ad statum Laicalem. Secundùm est, quod si Monachi essent Laici liceret transire de statu Monachorum ad statum Clericorum iuxta dictum Hier. *Epis. ad Rusticum.* Tertiùm est nunc licere Canonico regulari transire ad Monachos, petita licentia superioris, quia iam Monachi Sacerdotes sunt.

222. Tria verò hæc dicta impugnat. Primùm quidem, quia difficilè creditu est in dicto *cap. Mandamus* sermonem esse de Monachis secundum antiquum statum eorum, in quo erant Laici, cum illud caput sit Vrbani Secundi, qui regnabat anno 1180. quando Monachi frequenter ordinabantur, cum hæc consuetudo á tempore D. Gregorij fuerit introducta. Secundò quia hoc dato propter ordinationem non debuerant Canonici regulares impediri ne transirent ad Monachos arctiores, alias Clericus non deberet permitti fieri Religiosus, quod est falsum, & contra iura *cap licet de Regularibus*, quia nec Clericus regularis debet transire ad statum Laicorum. Nec sufficit dicere, quod Clericatus non est status perfectionis, quia instabitur dicendo, quod neque Clericus regularis est in statu maioris perfectionis, ac propterea propter Clericatum non est impediendus, vt transeat ad statum Laicorum Monachorum. Eo præcipuè, quod licet Monachi non essent Clerici ex instituto nó prohibebantur tamen esse, vndè ille status erat indifferens Clericis, & Laicis, & sic Clericus regularis transiens ad Monachos non impediebatur esse Sacerdos. Secundùm dictum impugnat, quia ex eo

sequi-

sequitur, quod Laicus ordinis arctioris possit transire ad ordinem laxiorem, si in eo recipiatur ad ordinem Clericalem, quod est absurdum. Nam Clericatus per se non pertinet ad perfectionem, neque illam confert, licet eam suo modo postulet; ergo non est licitum deserere statum maioris perfectionis sine sacerdotio propter statum perfectum cum sacerdotio. Et si dicatur supposito statu perfectionis sacerdotium ex proprio instituto cõiunctum constituere statim simpliciter perfectiorem. Instatur, quia assumptum profecto incredibile est, maximè vbi vterque status ad finem vitæ contemplatiuæ ordinatur, & ibi sistit, vt de Canonicis regularibus D.T. supponit, & de Monachis est manifestum. Nam licet ad hunc finem multum conferant Sacra Ministria Clericorum, tamen in ordine ad propriam perfectionem obtinendam possunt multo plus conferre diuturnæ vigiliæ, & contemplationes, & obedientia, humilitatis, & pœnitentiæ opera, ergo pensatis omnibus potest esse Monachatus Laicorum ex vi status perfectior, quam religio Canonicorum. Item neque valet ad intentum D. T. probandum authoritas Hieron. Nam Hier. solum vult Monachum non debere affectare Clericatum sed vitam, quæ Clericatum mereatur, vndè non sequitur esse meliorem statum Clericatus, quam statum Monachorum Laicorum, quando alias non habet tot media ad perfectionem assequendam. Tandem dicendum esset antiquos illos Sanctissimos Monachos, Benedictum, Paulum, Antonium, Pachomium, & similes ex vi status non fuisse professos maiorem perfectionem, quam Canonicos Religiosos.

223. Horum occasione, & vt responsio ista D.T. ad secundùm explicetur, & obiecta dissoluantur, & veritas aperiatur. Quæritur primò an Religio, quæ ex instituto habet Clericatum, & Sacerdotium sit simpliciter perfectior Religione Laicorum; negantem enim partem tenet Suarez capite citato in positis obiectionibus, & num. 5. & per totum caput, & mouetur propter motiua supra posita. Sed nihilominus dicitur Religionem, quæ per se ex instituto habet Sacerdotium est perfectiorem perfectione finis, & proportione mediorum ad finem, quam sit Religio Laicorum, quę per se, & ex instituto Sacerdotium non habet. Ratio est euidens ex multiplici capite. Quia cum finis Religionis sit perfectio consistens in excellentia charitatis, & vnionis animæ cum Deo, nullum est medium ità ex se proportionatum, & efficax ad hanc vnionem consequendam, quam Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum amoris, & vinculum charitatis, quod ex opere operato charitatem constituat, & auget. Aliæ enim meditationes, & bona opera extra Sacramenta operantur ad perfectionem ex parte operantis; In quo tamen Missæ celebratio propter mysteria charitatis, quæ celebranti meditanda offeruntur, & propter excitationem charitatis per quam celebrans offert sacrificium pro viuis, & defunctis, non cedit alijs meditationibus, & orationibus, & ex consequenti alijs bonis operibus, quæ sunt actus inferiorum virtutum à virtute Religionis. Sed præterea omnia superat hujusmodi opera ex efficacia operis operati per quam habet, vt animam spiritualiter nutriat charitatem conseruando, & augendo. Cui accedit conexio sacramenti pœnitentiæ, celebraturus enim missam nedum si in mortale ceciderit tenetur statim ad statum gratiæ se reducere, & Sacramentum pœnitentiæ, quo mundetur suscipere, sed vt dignius ad tremendum altare accedat sæpiùs hoc Sacramentum debet iterare etiam si sola venialia habeat; nihil verò vtiliùs ad perfectionem acquirendam, & nedùm ad mortalia, sed ad venialia peccata vitanda, quam duo hæc Sacramenta pœnitentiæ, & Eucaristiæ frequentare; quod facit per se, & ex instituto, qui ex instituto tenetur celebrare. Ideò hinc alia oritur ratio. Quia status perfectionis acquisitæ est perfectior statu perfectionis acquirendæ; quia melior est status termini, quam viæ, vndè ex quacumque perfectissima Religione licitus est transitus ad Episcopatum: Quanto igitur vna Religio magis participabit de statu perfectionis acquisitæ erit simpliciter perfectior alia. Modo religio, quæ ex instituto habet Sacerdotium, maximè participat de statu perfectionis acquisitæ; Quia condigna Sacrorum Mysteriorum celebratio maximam puritatem supponit, & requirit in celebrante. Et præterea Sacerdos ex vi ordinis est deputatus minister Episcoporũ ad alios perficiendos, vndè ex vi ordinis est minister Sacramentorum subordinatus tamen Episcopo, status igitur religiosus habens per se annexum Sacerdotium est ex magna parte status perfectionis acquisitæ, status verò Laicorum est status perfectionis acquirendæ, vndè ille est longè perfectior.

224. Ad motiua in oppositum respondetur, & quidem illa propositio, nimirum, Clericatus per se non pertinet ad perfectionem, neque illam confert, licet eam suo modo postulet, est euidenter falsa quantum ad primas partes, & quatenus est vera pro vltima parte probat assertum nostrum. Nam pertinere ad perfectionem contingit dupliciter, vel scilicet tanquam forma, aut pars perfectionis, vel tanquam medium ad illam Priori modo ad perfectionem non pertinent nisi actus charitatis, & etiam aliarum virtutum, & hoc modò perfectio est finis religionis status. Et nihilominus cum actus Clericatus, & præcipuè sacri celebratio sit altissimus actus religionis, non minus pertinet ad perfectionem charitatis, quam pertineant aliarum virtutum actus. At vero simul euidentissimum est, actus Clericatus, & præcipuè celebrationem missæ esse aptissimum medium ad perfectionem acquirendam, cum imò illam conferat, & augeat ex opere operato, Clericatus igitur, & pertinet ad perfectionem acquirendam, & ad illam conducit multo meliùs, & efficacius, quam inferiora opera virtutum Et eo magis, quod celebrationi missæ adiunguntur altissimi actus fidei, spei, & charitatis, in quibus maximè consistit perfectio, ipsaque est excellentissimus actus virtutis Religionis.

225. Et dum dicitur vlterius, quod ad propriam perfectionem acquirendam possunt multò plus conferre diuturnæ vigiliæ, & contemplationes, & obedientiæ, & humilitatis, & obedientiæ opera, quam actus Clericatus. Respondetur, quod hoc argumentum deficit multipliciter. Pri-

mò

mò quia maior perfectio status simpliciter est tespe in perfectionis ac... quam acquirendæ, vndè ex eo quod status non Clericorum excederet in maiori vtilitate ad acquirendam perfectionem, non concluditur quod sit simpliciter perfectior statu Religioso Clericorum, qui pro magna parte supponit, vt acquisitam illam perfectionem ad quam acquirendam tendit status Religiosus Laicorum. Secundò deficit, quia non attendit, quæ actibus Clericalibus annexa sunt per se, & præcipuè Horarum Canonicarum recitatio, & Psalmodia etiam sæpius in choro, & nedum de die, sed de nocte, & maximè quia status Religiosus Clericorum non habet pro medio ad assequendam perfectionem solos actus Clericatus, sed & orationes alias, & contemplationes, & obedientias, & actus patientiæ, & humilitatis; Nulla enim est Religio, quæ suos pro quocumque tempore non ordinet ad perfectionem per media sibi qua. Ideò dicitur tertiò, quod poterit quidem esse, quod Religio Laicorum excedat in asperitatibus corporeis, in vestitu, ieiunijs, vigilijs vel etiam in exercitio alicuius virtutis particularis, sed excessus huiusmodi erit secundum quid; verum Religio Clericorum, quæ ex obedientia altissimos actus Religionis exercet, & ad huiusmodi etiã condignè exercendos ex obedientia aptat proportionata media, omnibus pensatis erit semper etiam ad perfectionem acquirendam magis apta, & proportionata. Ideò Religionem, quæ ex instituto est Clericorum esse ratione finis, & proportionis mediorum ad finem perfectiorem docuerunt D.T. hic, & supra q. 184. a. 8. Syluest. v. religio 4. num. 8. Nauar. comm. 4. de Regul. num. 1. & 4.

226. Sed quæritur secundò, an natura rei spectata Religiosus Laicus possit sola petita licentia à superiore suo transire ad aliam Religionem minus arctam, si per hoc ad statum Clericalem eleuetur. Negat enim hoc Suarez num. 11. Tum ex cap. licet, in quo indistinctè prohibetur transitus ad laxiorem, & ideo hoc prohibetur nedum Clericis, sed Laicis. Tum quia hoc esset occasio Laicis ambiendi Clericalem dignitatem sub titulo perfectionis. Oppositum verò sentiunt D.T. hic, Turrecrem. cap. nullus 19. q. 3. q. 5. conclus. 3. Nauar. tom. 4. de regul. num. 2. & 4. & alij. Respondetur verò Laicos duplicis generis esse, alios scilicet eius Religionis, quæ non admittat Clericatum, vel ... illud admittit est per accidens, & ex instituto illam non habet adiunctum, alios verò eius Religionis, quæ ex instituto Clericatum admittit, vndè huiusmodi Laici per se recipiuntur, ... ministrent Clericis. Loquendo de primis sententia est D.T. Turrec. Nau. & aliorũ tales posse transire ad Religionem Clericorum, & in ea ad statum Clericalem. Cuius ratio est, quia status regularis Clericorum est perfectior statu regulari Laicorum. Nec motiua in oppositum vrgent. Non quidem primum, quia supponit falsum, scilicet statum quemlibet Religiosum Clericorum ... arctiorem statu Laicorum, si loquamur de ... animi, quæ virtutum exercitio est ... tell ... Religio Laicorum esse asperior asperitate corporea, non verò arctior arctitud... virtutis, & quia hæc est cum maiori perfectione Religionis semper coniuncta. Spectata verò natura rei, in transitu vnius Religionis non maior corporis asperitas, sed maior virtutis perfectio est attendenda, vt supra probatum est. Secundum autem motiuum considerat, quod est per accidens, & quod est motiuum sufficiens ad hoc, vt sine magna consideratione non concedatur Laicis licentia ad transeundum ad Religionem Clericorum; non verò probat, quin ex natura rei, & per se hic transitus non sit licitus.

227. At verò loquendo de laicis Ordinum, qui ex instituto habent Clericatum, non est vndè isti possint prætendere transitum ad Religionem non arctiorẽ, quia in propria religione arctiori possunt ascendere ad statũ Clericatus, ex natura rei loquẽdo. Qua sola spectata, & laico existente idoneo ad Clericatũ, & non existente in superiore iuxta causa negandi hanc transitũ, debet illũ concedere, quia laicus habet ius trãseundi ad statũ perfectiorem si sit idoneus, nec adsit iustũ impedimentũ. De facto tamen hic transitus est prohibitus per decretum editum authoritate Clementis Octaui, die 19. Martij 1603. & item confirmatum, & publicatum ab Vrbano Octauo anno 1614. quod ita habet. *Si qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericatum statum transire, etiam durante tempore probationis non possint*. Vndè modo in vi huius decreti nedum laicus professus, sed nec laicus nouitius potest transire ad habitum, & statum Clericorum. Hinc benè aduertit Donatus limitatam esse facultatem Magistri Ordinis Prædicatorum, quam habebat ex c. 13. §. 4. dist. 1. Constituendi licentiam Conuersis transeundi ad statum Clericalem, siquidem, & Superioribus aliarum religionum est ablata per illud decretum: Quod ex malis accidentibus, vt plurimum tali transitui coniunctis valdè rationabiliter fuit factum.

228. Quæritur verò tertiò, an Religiosus Clericus possit transferri ad statum Religiosi laici. Id fieri posse aliqui affirmant, nimirum Sotus l. 10. de iust. q. 5. a. 3. colum. penultima. Petrus Ledes. 2. p. tr. 9. c. 4. Aragon. 22. q. 83. a. 12. dub. 4. in quartò argumento Sanchez l. 6. mor. c. 7. num. 80. vbi num. 81. ait hanc mutationem fieri non posse à Prælato immediato, sed vel à Prouinciali, vel à Generali, & de consensu Conuentus Azor l. 10. c. 6. q. 7. Peyrin, Relig. sub. q. 1. cap. 24. §. 3. Lezana tom. 1. cap. 22. num. 25. Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. de horis Canonicis cap. 17. num. 7. Donatus p. 4. tr. 14. q. 19. Qui etiam dicunt hunc de statu Clericorum ad statum Conuersorum mutatum non teneri ad horas canonicas. Ratio horum est, quia hæc non est mutatio status Religiosi, cum tam Conuersi, quam Clerici eiusdem ordinis ad eadem vota obligentur. Tum secundò quia etsi esset mutatio status, Prælatus ex iusta causa potest licentiare subditum ad Religionem laxiorem. Tum tertiò, quia Prælatus potest hoc iniungere in pœnam iustam. Oppositum tamen iure merito tenuit Nauar. cap. *Quando* q. 21. n. 20. de consecrat.

229. Dicitur igitur primò, quod per se loquendo non potest superior regularis quemcumque etiam Generalis Clericum inuitum transferre de statu Clericali ad statum Laicorum in eadem Religione. Probatur primò, quia euidens est, quod ad maius hæc mutatio est supra regulam; non

pote-

potest verò Prælatus præcipere ea, quæ sunt supra regulam, vt supra ex communi sententia est probatum. Probatur secundò, quia licet hæc mutatio spectato eo cui per professionem religiosus se obligat non sit mutatio, quia religiosus eidem Prælato manet in vtroque statu subiectus, spectata tamen materia obedientiæ, & voti est valdè substantialis, & magis substantialis, quam sit de vna religione eiusdem ordinis in aliam; quia tantum distat votum Clericorum à voto conuersorum in ordine ad perfectionem, quantum distant orationes, meditationes, Psalmodia, chorus, docere spiritualia, prædicare, sacrificare, ministrare sacramenta à cultura hortorum, custodia portarum, & similibus manualibus operibus ad quæ laici deputantantur, vndè non secundum quid, sed simpliciter status Clericorum est perfectior, & eorum votum est verè substantialiter aliud ex parte materiæ, licet non ex parte Prælatorum; quod sufficit ad diuersitatem etiam substantialem votorum, & statuum. Non enim obligatio speciem sumit ab eo, cui fit, sed à materia super quam cadit obligatio, aliter non essent distincta vota vouere Generali pecuniam, & vouere obedientiam. Obligatio igitur humana qua religiosus se obligat v.g. Generali Societatis, & se tradit illi ad officia Clericatus, est longè diuersa ab ea, qua quis se obligat illi ad inseruiendum corporaliter Societati; ideò & distincta sunt vota, quæ habent pro materia distinctas huiusmodi obligationes, nec potest Generalis exigere à subdito, nisi id ad quod se obligauit.

230. Hoc verò magis probatur examinando causas, ob quas prior opinio censet Prælatum posse transferre Clericum de statu Clericali ad Laicalem. Tres verò causas huius transitus assignat Sanchez *d. cap. 7. num. 81.* scilicet culpa, ardor vitæ humilioris, & ineptitudo ad actos Clericales. Quantum verò ad primam causam. Certum est, quod cũ Prælatus in pœnam culparum possit subditum excommunicare, suspendere, & irregularem declarare, multo magis potest eum habitu Clericorum priuare, & ad officia laboriosa, & conuersorũ propria deputare; sed tamen nõ potest illum de statu ad statum mutare, nec potest votum subditi emissum pro statu Clericali commutare in votum conuersorum; quia votum est voluntarium, & assumptio status est voluntaria; Et sic solum respectu illorum quæ subditus potest pati inuitus potest Prælatus supposito demerito illum obligare; huiusmodi autem sunt exteriora opera, & habitus. Quorum priuatio in perpetuum non potest infligi, nisi pro grauissima culpa; Et quatenus perpetuò infligatur non variat professionem, nec statum, sed subditus punitur pro culpis, & obligatur, vt faciat quod non promisit, & ad quod voluntariè non se obligauit, nisi sub conditione culpæ. Ex quo magis apparet quod subditus tunc non mutat statum, nec professionem, nec votum, sed punitur secundum regulam, & votum, & secundum id ad quod se obligauit non absolutè, sed sub conditione culpæ. Prior igitur opinio adhuc in hoc puncto deficit, quia esto possit punire subditum priuando habitu Clericorum, & obligando illum ad Conuersorum labores per modum pœnæ, hoc non potest facere simpliciter, & perpetuo, nisi pro grauissima culpa, & adhuc non potest illum transferre ad statum Laicalem, vndè nec potest auferre illi ius recuperandi exercitium sui status media pœnitentia delictorum, vel quacumque alia via legitima.

231. Secunda causa ponitur desiderium humilioris vitæ. Iam verò ex hac causa non posse subditum inuitum transferri ad statum Laicorum tradit Sanchez loco citato, & est euidens cum in causa huius translationis ponatur ex parte subditi desiderium ardens vitæ humilioris. Verùm neque hæc causa sufficit, & dicitur propterea secundo non posse superiores religionis, nec etiam Generales subditum transferre de statu Clericorum etiam ad eius petitionem, & ex desiderio vitæ humilioris, & deiectioris. Ratio est primo, quia omnibus pensatis in religioso innocente, & ad actus Clericatus idoneo mutatio de statu Clericali ad statum religiosum laicalem non potest moraliter loquendo esse de meliori bono etiam respectu indiuidui. Nam operum spectantium ad religiosos laicos, quædã sunt charitatis, & misericordiæ, vt ministrare infirmis, visitare in carcere detentos, & similia. Et pro exercitio huiusmodi operum non est necesse relinquere statum Clericalem, quia non dedecent Clericos. Et huiusmodi sunt etiam officia portarij, & Sacristæ, & similia. At verò altas compensatio operum contemplatiuæ vitæ ad quæ tenetur ex voto, & professione, seu etiam aliorum operum, quæ sunt propria Clericorum, cum operibus corporalibus, quæ ita sunt propria laicorum, vt non deceant Clericum est simpliciter inæqualis, & quæ nullo honesto fine potest honestari taliter, vt sic de meliori bono. Cum præcipuè humilitas non in vilium operum exercitio, sed in animi demissione, & subiectione consistat, quam non minus consequi potest Clericus religiosus in statu Clericali, quam laicus. Et si fingantur mille circumstantiæ honestæ, vel casus erit metaphysicus non moralis, vel mutatio ista non erit de meliori bono etiam respectu indiuidui, quia nulli idoneo ad statum meliorem, & perfectiorem vtilior est status imperfectior.

232. Secundò, nam in hac mutatione materia votorum adeò variatur, vt non possit religiosus eximi ab onere operum Clericorum, pro obligatione ad opera laicorum, sine voti prioris dispensatione; In votis vero solemnibus prælatus non potest dispensare. Et hoc magis explicatur; nam in præsenti puncto distingui debet exercitium operis à deputatione, & obligatione ad talia opera sufficiente ad statum constituendum. Nam Prælatus consentiente subdito potest ei imponere opera laicorum, & imò deputare illum ad laicorum officia deputatione temporanea, & mutabili, quemadmodum deputantur alij subditi ad officia Conuentus. Et tunc etiam ab aliquibus actibus Clericorum ex incompossibilitate illorum, cum officio ad quod Clericus est deputatus, manebit exemptus. Sed commutare votum professionis Clerici, seu dispensare super illud, & eximere illum simpliciter, & perpetuo ab omni obligatione ad propria opera Clericorum ad quæ est idoneus imponendo illi obligationem ad opera laicorum, hoc est verè commutare

tare, & dispensare in voto solemni, nec est in potestate alicuius superioris, nec moraliter loquendo potest habere rationem melioris boni supposito, quod religiosus innocens sit idoneus ad opera Clericorum propria. Tertiò, nam cum modo prohibitum sit superioribus transferre etiam nouitium de statu conuersorum ad statum Clericorum, multo magis eis erit prohibitum transferre professum de statu Clericorum ad statum Conuersorum, cum hæc mutatio sit per se in id, quod est deterius, illa verò in meliùs. Esto igitur Prælatus subdito consentiente possit imponere ex causa iusta opera propria conuersorum, & saltem ad tempus aliquod aliquando concedere habitum laicorum. Non potest tamen subditum etiam volentē transferre de statu ad statū eū liberando, ab obligatione vnius status simpliciter, & ligando alterius status obligatione. Et quia habitus est signum professionis, & obligationis; ideò nec est iustū, nec potest a superiore fieri, nisi per modū pœnæ, vt Clericus professus præcipuè in perpetuum induatur habitu conuersorum; quia signum non debet à re significata discordare, habitus verò conuersorum discordat à statu Clericorum. Et quatenus priuatio habitus detur in pœnā hæc priuatio est mutabilis, etiam si sit data in perpetuum; quia pœnitentia delictorum habet vim, vt mereatur pœnarum relaxationem.

233. Tertia causa esse ineptitudo ad opera Clericorum. Et quantum ad hanc partem subditum non posse inuitum fieri de Clerico conuersum docet idem Sanchez *num. 81. citato.* Et ratio est, quia cum sua ineptitudine fuit voluntariè ad professionem receptus, ideò inuitus non potest cogi ad id, quod non est secundum suam professionem, & obligationem. Sed dicitur tertiò, quod nec subdito consentiente potest Prælatus regularis transferre hunc de statu Clericorum, ad statum conuersorum. Nam hoc nequit fieri sine aliqua dispensatione in voto solemni: supponitur enim, quod non sit tanta ineptitudo, quæ reddiderit votum nullum, & professio pro statu Clericorum fuerit nulla, vnde ad minùs iste sciet recitare officium, & in ministerijs diuinis alijs ministrare, & alia etiam aliqua opera Clericorum exercere, & vlteriùs in eo erit obligatio faciendi, quod in se est, vt Clericorum opera habeat. & sic non poterit ab hac obligatione simpliciter eximi, nisi dispensando cum illo saltem ex parte. Verùm quidem est, quod meritò huic imponentur etiam inuito opera quæ statum Clericalem non dedecent licet sint potiùs conuersorum, quam Clericorum; imo si ineptitudo sit culpabilis poterit puniri, & pro modo culpæ etiam priuari habitu Clericorum ad tempus, vel etiam perpetuò, si negligentia eius sit perpetua, nec emendari velit. Verùm de statu ad statum non potest mutari.

234. In aliquibus verò religionibus, vt in Societate caurè multum recipiuntur aliqui indeterminatè pro statu laicali, vel Clericali, iuxtà *Constit. cap. 1. Exam. §. 11. ibi. Quarta classis sunt, qui indeterminate ad id admittuntur, ad quod idonei esse temporis successu inuenientur, nondum statuente Societate ad quem ex dictis gradibus eorum talentum magis sit accommodatum. Illi autem indifferentes ingrediuntur ad quemuis ex dictis gradibus, qui superiori videatur. Et ex parte sua omnes (vt dictum est) eadem animi dispositione ingredi oportet.* Et hoc quidem verum est, quod vbi quis per modum indifferentis admittitur, potest à superiore applicari ad quemcumque statum suæ religionis. Sed hoc habebit locum ante professionem. Nam in professione vbi religiosus ad alteram partem se obligat, non poterit amplius de vno ad alium statum transire, vel saltem postquam semel est applicatus ad ordinem Clericalem per susceptionem Tonsuræ, vel Ordinis; iam eius votum se extendit ad opera Clericatus, ac si illa vouisset, & sicut ad ea obligantur, qui determinatè vouent statum Religiosum Clericalem; Et sic non potest ampliùs ad statum laicalem transferri; sed ex vi voti ad Clericales functiones tenetur, nec potest in voto dispensari, vt ad illa non teneatur. Nec est in superiore potestas cum liberandi ab hac obligatione. Quamuis superior illum possit in pœnam, vel ex causa iusta ad opera aliqua laicorum deputare.

235. Est etiam consuetudo in aliqua religione, vt laicus aliquis veniens ex nobili familia gratia honoris recipiatur ad habitum Clericorum pro operibus conuersorum, quam consuetudinem esse abusum videri posset, quia est contra religionum primæua instituta, quæ distinctionem habituum inter Clericos, & conuersos instituerunt in signum distinctionis vocationis, & professionis. Et prætereà in sic suscepto admissio ambitionem potius præfesert, cū velit gratia honoris indui habitu, quē nō meretur, & abominatur, vt ignobilē habitum conuersorum quorum statum profitetur. Est etiam hoc parum vtile religioni, quia huiusmodi postea inepti ad opera Clericorum, conuersorum officia etiam contemnunt. Vndè huiusmodi abusus tolerari non debet. Sed nihilominùs dicitur, quod recipere nobilem ad habitum Clericorum ex iusta causa non est abusus. Et ideò verè supponitur in *Constitut. Ord. Præd. dist. 1. cap.* in *Gloss. lit.* Et ad primum eorum, quæ in oppositum adducta sunt, respondetur, quod diuersitas habitus Clericalis, & laicalis in eodem Ordine non est necessaria, vndè sunt quamplures Ordines in quibus non est hæc habitus distinctio. In ijs verò Ordinibus in quibus hæc distinctio est in vsu, hoc fit non in signum diuersæ Religionis, sed in signum honoris, & reuerentiæ intra eundem Ordinem; eximia verò nobilitas sanguinis in eo, qui iam non est capax, vt sit idoneus ad Clericatum, est motiuum rationabile, vt talis recipiatur cum singulari honoris, & reuerentiæ signo; & ideò ei conferatur habitus Clericorum. Neque hoc præfefert ambitionem, cum fieri possit ex causa rationabili. Et non est per se causa damni in religione; quia si iste erit irrationabiliter inobediēs puniri debebit: quamuis alias huiusmodi nobilibus non committere officia nobilitati eorū minùs conuenientia laudabile erit in superiore. Et alias maius damnum longè esset Religiones priuari similibus viris, qui de facili statum religiosū non reciperent, nisi ad habitū Clericorum admitterentur.

236. Ex his modo habetur an dato casu, quod Prælatus eo modo quo potest Clerico imponat onera conuersorum intra ordinem, tunc Clericus

absoluatur ab onere recitandi officium;nisi enim incōpossibilitas vtriusq; operis excuset Clericus, manet sēper obligatus ad officiū diuinū persoluēdū,& quidē puto nō posse prælatū in hoc dispensare,nisi id exigat iustitia vindicatiua culparum, vel Monasterij necessitas, vel causa valens excusare implicare Clericum taliter, vt non possit officium diuinum recitare. Sed de hoc puncto suo loco erit dicendum; Nunc enim sufficiat,quod cum Prælatus non possit transferre Clericum de statu ad statum, non potest etiam per se, & directè eximere eum ab obligatione recitandi officium.

237. Quæritur quartò, an Canonicus regularis possit transire ad Ordines Monachorum. Respondetur verò, quod modo huiusmodi transitus non licet duplici ex causa, nimirum, & ratione priuilegiorum, ex quibus,vt supra visum fuit,sine obtenta licentia Sedis Apostolicæ, vel S. Congr. non licet transitus ad aliam religionem,etiam arctiorem, Tum secundò, quia sine licentia Sedis Apostolicæ non valet transitus ad laxiorem religionem, vt constat per *cap. Quod Dei timorem. 5. de statu Monachorum.* Antiquitus quoque id non fuit licitum, quia prohibitum in dicto *cap. Mandamus*, & etiam *cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. spectata tamen sola rei natura, antequam Monachi ex instituto ordinarentur ad Ordines Sacros,& sic admitterent laicos solum in obsequium Clericorum, non erat licitum Canonicis regularibus transire ad Ordines Monachorum,quia tunc eorum institutum erat perfectiùs, & è contra poterant sine dispensatione Monachi transire ad Canonicos regulares, quod modo locum non habet, cum Monachi ex instituto ad Ordines Sacros promoueantur, non recipientes laicos, nisi in obsequium Clericorum, vndè modo Ordines Monachorum, quia austeriores, sunt etiam perfectiones, nec illis est licitus transitus ad Canonicos regulares, nisi cum dispensatione Sedis Apostolicæ.

238. Ex his ad ea, quæ obijcit Suarez respondetur, & dicitur quod licet primum dictum non habeatur expressè *in respons.* D. T. sed implicitè, & quantum ad sensum, est tamen verum, nec prima obiectio in oppositum viget; quia responsio D. T. consistit in hoc,quod est habere adiunctum sacerdotium directè, per se, & ex instituto, non vero per accidens, & in paucioribus. Hæc verò est manifesta distinctio, quod Ordo Canonicorum regularium habet adiunctum sacerdotium directè per se, & ex ordinis instituto; quod non competebat ordini Monachorum tempore Vrbani Secundi. Antiquitus enim prohibiti erant Monachi promoueri ad Sacros Ordines, vt patet ex *cap. Nemo potest, & cap. Alia causa.* 16. *quæst.* 1. Et licet aliqui ex eis admitterentur ad Sacerdotium, hoc non permittebatur, nisi post diuturnam perseuerantiam in habitu Monachali, vt dicitur *cap. de Monachis, qui diu morantes in Monasterijs, &c. eadem causa, & quæst.* 16. Vndè & Syricius Papa *epist.* 1. *ad Himerium cap.* 13. & refertur *eadem causa, & quæst. cap. Monachos*, decreuit eos non nisi post maturam ætatem esse ordinandos. Et sic in Monachis Sacerdotium non erat ex ordinis instituto, sed aliquibus qui inter cæteros virtute excellerent concedebatur. *cap. si quis Monachus, eadem causa, & quæst.* Solum vero in Concil. Gen. *cap. sic viue, cap. si Clericatus*, Viennensi sub Clemente Quinto statutum fuit quoslibet Monachos ad Abbatis monitionem esse ordinandos, vt habetur *Clem. p.* 5. *Ad amplitationem*, de statu Monachorum. Vndè tempore Vrbani II. Cum Ordo Monachorum non haberet ex instituto, aut lege communi adiunctum Sacerdotium, quod habebant Canonici Regulares; benè ex hoc Vrbanus II. potuit moueri, vt prohiberet transitum Clericorum regularium ad Monachos, quia hic transitus esset tunc de religione perfectiori ad imperfectiorem, licet Monachorum religio esset austerior,

239. Ad secundam impugnationem negatur paritas, Clericatus enim non est status perfectionis simpliciter,cum Clericus ad vota paupertatis, & obedientiæ non obligetur. At verò comparatio est inter religiosos status conuenientes in substantia generali perfecti status religiosi; & inter hos dicimus illum esse perfectiorem, qui vltra huiusmodi vota habet ex instituto annexum Sacerdotium. Ideò non licet transitus religiosi ad Clericos sæculares, & licet transitus Clerici sæcularis ad regulares, quia Clericus non est in statu perfectionis. Sed licet transitus à religione Laicorum, ad religionem Clericorum, quia est transitus à statu imperfectiori ad perfectiorem.

240. Ad obiectiones contra secundùm, dictum patet ex dictis. Solum ad id, quod ex Hieron. adducebatur, dicitur, quod ex quo Hier. ibidem censet non omnem Monachum esse dignum Clericatu, sed imò Monachum multo tempore debere addiscere, quæ postea doceat, & sic viuere in Monasterio, vt mereatur fieri Clericus,cum ad perfectam ætatem peruenerit, vt habetur ex Hier. *epist. ad Rust. & refertur cap. sic viue, & cap. si Clericatus* 16. *q.* 1. benè colligitur, quod Monachus perfectus erat in via ad Clericatum,& ideò status imperfectior à quo ad Clericatum dari poterat transitus, non relicto tamen proposito Monachali, & non è contra à statu religioso habente annexum clericatum ad statum purum Monachorum.

241. Sed ad id quoque,quod ex statu Sanctorum Monachorum refert respondetur Sanctos Benedictum, Antonium, Paulum, Pachomium, fuisse viros sanctissimos, sed inde non sequitur statum religiosum eorum fuisse perfectissimum, quia in imperfectiori statu benè possunt esse perfectiores viri.

SVMMARIVM.

1 *Ordo Doctrinæ. num.* 242.
2 *Decretum Vrbani VIII. num.* 243.
3 *Quid sit Apostata. num.* 244.
4 *Fugitiui dicuntur Apostatæ. num.* 245.
5 *Qui sint Apostatæ. num.* 246.
6 *De ratione Apostasiæ est animus perpetuò manendi extra obedientiam. num.* 247
7 *An de ratione Apostasiæ sit dimissio habitus. num.* 248.
8 *Negatiua pars probatur. num.* 249.
9 *Vbi non dimittitur habitus Apostasia non constat de facili. num.* 250.
10 *Sola dimissio habitus non facit Apostatam. n.* 251.

Per

De Apostatis.

242. CVm transeuntes ad aliā religionē sine legitima licentia, per priuilegia nonnullis religionibus concessa, noia, & pœnis Apostatarū subijciantur, huius occasione de Apostatis à religione tractandum est, & simul de fugitiuis, atque etiam de eiectis, propter eorum connexionem. Primo autem ne pluries illud sit necesse referre, decretum Vrbani VIII. de Apostatis, & eiectis præmittimus.

243. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere illorumq; scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, req; diligentissimè perpensa communicato etiam consilio cum S.D.N. Vrbano VIII, atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps nè serantur in vinea Domini, censuit, esse Innouādas, & Sāctissimi authoritate innouat Constitutiones, & Decreta generalia sanct.me. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia: Districtéq; præcipit Generalibus, atq; alijs omnibus Ordinū Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in ijsdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasterijs ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis Nouitij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi prius à Cōgregatione Reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout, authoritate Sanctissimi Domini Nostri, absoluit, atque eximit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionē paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis, tecta se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus cōsignari, secundum regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atq; efficere, vt apprehendantur; salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij cap. 3. sess. 6. Quod si Apostatæ huiusmodi citramontes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua spontè ad suā quilq; Religionem redierint, tum pœnarum omniū ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarū remissionem, atq; impunitatem assequantur. Ita tamen vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

Ad hæc, vt imposterum è Religionibus nullus legitimè professus eijci possit; nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apost. approbatis, & confirmatis: verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrū ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque nonnisi instructo secundum eorum sty-

lum, & Constitutiones, processu & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereà tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infrà quatuor menses à præsentis Decreti publicatione, seruata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic verò eiecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Constitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam in cap. fin. de regul. ac propterea declarat, eam Constitutionem in ijs quoque vendicare sibi locum, seruandumque esse, qui iustè, diffinitiuèque, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio seriò onerauit.

Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbiquè locorum existentium iniungit, serioque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus, quorumcumque Monachorum, ac Regularium vbique locorum existentibus, efficiantq; vt tam Decreta supradicta fel. recor. Clementis VIII. quàm præsentis Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reseruata, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum, & inane quicquid secus, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Cōgregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo onerofo, vel in limine fundationis concessis etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quò ad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresè Sanctitatis Suæ authoritate, derogat, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Cardinalis Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secr.

De Natura Apostasiæ.

INSPECTIO I.

244. PRimo verò quæritur quid sit Apostata. Et quidem si quid nominis inquiramus Apostata à religione ille est ex D. T. supra *quæst.* 12. *a. p. e.* qui retrocedit à religione, sicut Apostata à fide est, qui à fide retrocedit, & Apostata ab ordine, qui retrocedit ab ordine.

At si quid rei consideremus, duo sunt ex quibus essentia Apostasiæ integratur. Primum est egressio, seu recessus à claustro; vndè quacumcumque religiosus manens intra claustrum recedat ab obedientia superiorum, erit quidem inobediens, & pertinax, sed non erit Apostata, quia manet sub potestate religionis, nec recessit à religiosorum domo, & statu. Secunda conditio est, vt recedat animo excutiendi iugum obedientiæ in perpetuum; Non enim religiosus est Apostata, nisi recedat à statu religioso, & ad alium statum transeat, quantum est ex se ipso; Non verò à statu religioso recedit, qui causa vagandi, vel aliquid agendi, exit à claustro post tempus reuersurus, licet talis religiosus dici possit vagus, vel fugitiuus. Ità Caiet. *supra quæst.* 12. *a.* 1. & ibi Bannes, & Aragon. Syluest. *v. religio* 4. *nu.* 9. Innoc. *in cap. intelleximus de ætat. & qual.* Panorm. *cap.* 2. *num.* 2. *de Apost.* Nauar. *l.* 5. *consil. vnico de Apostasia*, Sanchez *l.* 6. *Mor. c.* 8. *num.* 2. Suarez *t.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 1. *num.* 2. Bellar. *de pœnis cler.* *q.* 34. *a.* 5. *&* 13. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 12. Azor. *p.* 2. *l.* 13. *cap.* 26. *q.* 1. Rodriq. *p.* 1. *q.* 30. *a.* 1. Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 16. *num.* 2. Bassæus *v. Apostasia num.* 4. Anto. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1243. Tamb. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 1. *nu.* 10. Moron. *res.* 86. *num.* 17. & reliqui DD. communiter.

245. Benè verum est, quod vagi, & fugitiui dicuntur Apostatæ aliquo modo, sed communiter, largè, & impropriè. In quo sensu huiusmodi vagantes Apostatas vocant D. Antoninus 2. *p. tit.* 12. *cap.* 6. *& p.* 3. *tit.* 16. *f.* 5. *&* 3. circa Raynerio, Tabien. *v. Apostasia q.* 14. *num.* 17. Armilla *n.* 6. Sed Apostata propriè est, qui recedit animo manendi in sæculo, & excutiendi perpetuò iugum religionis, & obedientiæ.

246. Est verò quantum ad has priores conditiones considerandum, quod ad Apostasiam requiritur, vt sit recessus à Religione propriè dicta; ideò Tertiarij, vel Tertiariæ etiamsi voueant paupertatem, castitatem, & obedientiam voto simplici, quia tamen eorum status non est à Sede Apostolica approbatus, vt propriè Religiosus, ideò si recedant ab obedientia non sunt propriè Apostatæ; quia eorum status non est propriè Religio. Sanchez *l.* 6. *c.* 8. *n.* 5. Tambur. *tit.* 3. *d.* 8. *q.* 1. Suarez *d. l.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 16. *n.* 5. Imò si huiusmodi Tertiariæ contrahant matrimonium illud est validum, licet illicitè initum. Rota apud Puteum *dec.* 136. *lib.* 1. Bannes 12. *q.* 12. *a.* 1. *dub.* 1. Aragon. *ibid. dub.* 11. Sanctarel. de Apostasia *l.* 3. *dub.* 2. *num.* 5. Bonac. *de claus. q.* 2. *p.* 1. *t.* 5. *§.* 1. *num.* 3. Vbi quod idem dicendum sit de Monialibus Turris speculorum Romæ, quia non sunt propriè Religiosæ. Nauar. *cons.* 6. *&* 7. *de stat. Monach.* Ricinllus de iure personarū *l.* 8. *c.* 2. *n.* 7. Colligitur secundò Apostatas esse illos, qui sub prætextu falso nullitatis professionis eam validam esse scientes reclamant contra professionem, & animo non redeundi recedunt à Religione Bellatus *v. Apostata num.* 32 Bordon. *res.* 41. *num.* 7. quos sequitur Ant. à Spir. Sancto *t.* 3. *disp.* 6. *num.* 1401. Colligitur tertio, quod Apostatæ sunt Religiosi Societatis si post vota biennij recedant à Religione, quia per talia vota incorporantur Religioni, & sunt propriè religiosi. Colligitur quartò, quod Apostatæ sunt Moniales professæ, si recedant à Claustro animo perpetuo deserendi Religionem, vt *collig. ex cap. periculoso* 27. *q.* 1. & aducit Farinac. de hæresi *q.* 183. *num.* 68. Tambur. de iure Abbatiss. *disp.* 28. *q.* 5. Lezana *v. Apostata. num.* 5. Colligitur quintò, quod in conscientia Apostata est, qui recessit animo non redeundi, licet posteà pœnitentia ductus redierit. Colligitur sextò, quod Nouitij Apostatæ non sunt, cum liberum illis sit ad seculum reuertere. Pariter nec Apostata est transiens ad laxiorem Religionem sine licentia, quia hic non recedit simpliciter à statu Religioso. Gloss. *in cap. fin. de apo. & in c. ex parte de temp. ord. v. apostasia* Rodriq. *p.* 1. *q.* 30. *a.* 1. Mirand. *p.* 1. *q.* 11. *a.* 1. Sanc. *l.* 6. *c.* 8. *n.* 2. *&* 8. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 1. *& cap.* 17. *q.* 7. Bassæus *v. apostasia num.* 4. Sà *v. Religio num.* 71. Bonac. *de claus. q.* 1. *p.* 11. *§.* 1. *num.* 4. Tamb. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 1. *num.* 5. Peyr. *de subd. Rel. q.* 1 *cap.* 26. Vbi tamen vult, quod Minimus transiens ad aliam Religionem sine causa legitima, & authoritate sit apostata; quia recedit à substantia Religionis de qua est quartum votum vitæ Quadragesimalis. Sed hoc non probat, quia quilibet transiens ad aliam Religionem recedit à substantia Religionis talis à qua recedit, sed eo non est apostata, quia non recedit à substantia religiosi status absolutè; à quo nec recedit Minimus indebitè transiens ad aliam Religionem, vndè neque est apostata. Transiens tamen ad Monasterium alterius Ordinis indebitè, & sine legitima licentia est fugitiuus, & vt talis capi, & puniri potest. Sylu. *d. nu.* 9.

247. Sed dubium hic esse potest, an de ratione apostasiæ sit animus perpetuò non redeundi? Nã S. esse apostatã Religiosum qui fugit ab obediẽtia animo cõmorandi diù extra religionẽ voluit Suarez *to.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 21. *& c.* 2. *n.* 14. Tambur. *t.* 3. *d* 8. *q.* 1. *num.* 13. Tum quia multi ex antiquis sic recedentem a Religione Apostatam vocant, vt Innoc. Panorm. & alij *cap. vlt. de renunc. & cap. Intelleximus, de ætat. & qual.* Tum secundò, quia communi sensu, vt apostata punitur, qui egreditur animo militandi per aliquot annos, & postea redeundi. Tum tertiò, quia Apostata ab Ordine censetur Clericus in sacris, qui dimisso habitu sæculariter viuit, tametsi habeat animum assumendi habitum. Tum quartò, quia ad veram retrocessionem non est necessarius animus nunquam redeundi ad priorem statum, sed sufficit animus statum deserendi; sic enim apostata à fide est, qui absolutè à fide recedit, & qui peccat mortaliter cadit à gratia Dei. In arbitrio autem prudentis est positum iudicare quantum tempus in præsenti dicendum sit diuturnum. Et sic si quis commoretur extra Religionem per tantum tempus, vt meritò censeri possit permanenter, & stabiliter viuere extra Religionem est apostata, sicuti apostata est statim, ac quis egreditur à Monasterio cum animo commorandi diu, & vagandi quousque sibi redire placuerit, & talis pœnis apostatarum subijcitur. Huic verò sententiæ Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 16. *num.* 3. sit fauere D. Anton. 2. *p. t.* 12. *c.* 6. *paulo post princ. & 3. p. tit.* 16. *c.* 5. *§* 3. Tabien. *v. apostata q.* 14. *num.* 17. Armill. *num.* 6. Sed non est recedendum à communi sententia. Nam recedens cum animo redeundi non recedit simpliciter, nec animum auertit simpliciter

ter

ter à Religione, sed ad tempus, nec excutit iugum obedientiæ omnimodè, quoniam aliquando vult obedire, & ideò talis dicendus est fugitiuus propriè non Apostata. Et rationes quas prorsus addicit Suarez, quia manifestè nimis probant, nihil probant. Nam si probant, hoc probant, quod exiens à Religione animo vagandi pro horam, vel dimidium horæ, vel per minimum tempus est Apostata, quia qui à fide recedit etiam si per minimum tempus recedat, est Apostata à fide. Et qui peccat fit Dei inimicus etiam si animum pœnitendi habeat. Sic igitur ad primum in contrarium dicitur, quod DD. aliquando fugitiuum appellant Apostatam, quia talis dici potest, & est minùs propriè communiter loquendo. Ad secundum dicitur, quod fugitiui diù commorantes extra Claustra præsumptiuè sunt Apostatæ, & ideò puniuntur. Ad tertium dicitur, quod Apostasia ab Ordine consistit in dimissione habitus, vt signi Clericatus, vnde dimisso habitu cessat simpliciter signum Ordinis, nec opus est illud in perpetuum dimitti. Sed Apostasia à Religione consistit in recessu ab obedientia in perpetuum promissa, & ideò ex vsu, & institutione Ecclesiæ, & DD. hic duplex fuga distinguitur alia ad tempus, alia in perpetuum, & hæc sola dicitur propriè Apostasia. Ad quartum dicitur, quod infidelis importat eum, qui non credit, & peccator significat eum, qui Deum offendit, ideò simpliciter infidelis est, qui semel recedit à fide, & simpliciter est peccator, qui vno actu Deum offendit. Et sic simpliciter inobediens est, qui semel præceptum superioris contempsit. Sed Apostasia totalem recessum à stata obedientiæ importat, qui non inuenitur, nisi Religiosus habeat animum perpetuò manendi extra obedientiam.

248. Verùm cum huiusmodi recessus fieri possit dimittendo, & non dimittendo habitum, dubium est secundò, an demissio habitus religiosi sit de essentia Apostasiæ. Nam sententia communis est, vt dimissio habitus non sit de essentia Apostasiæ, sic enim docuerunt Canonistæ cum Innoc. *ad cap. final. de renunciat.* vbi Abbas. *num.* 3. & Caiet. Bannes, Arag. & alij *expos. D.T. supra quæst.* 12. *a.* 1. Syluest. *v. Apostasia numer.* 9. ex Innoc. *cap. fin. de renunciat.* Nauar. loco citato, Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. Sanchez *supra n.* 4. Tamb. *t.* 3. *decis.* 8. *quæst.* 1. *nu.* 1. & 12. Suar. *n.* 13. Valent. & Rodriq. supra citati, & plures alij communiter. Et ratio est, quia habitus Monachum non facit, sed professio regularis. *cap. Porrectum*, & *cap. Ex parte, de regular.* & *cap. Consuluit*, qui Clerici vel vouentes. Imò vt habetur ex *cap. Porrectum*, potest esse professione facta sine susceptione habitus, & habitus delatio in Apostata, aut fugitiuo cedit in ordinis dedecus, & contemptum, *cap. Decus*, & *cap. Et decorem*, & *cap. Clerici officia de vita, & honest. Cler.* & *Clem.* 2. *eodem titulo*. Et hoc confirmatur, quia Clem. 8. in decreto de casuum reseruatione enumerat Apostasiam habitu dimisso, vel retento; igitur de mente eius est dari Apostasiam etiam retento habitu. Et ratio hoc suadet, quia excussio iugi obedientiæ est retrocessio propriè, & simpliciter dicta à religione, vndè hæc sola ad Apostasiam sufficit, etiam si habitus retineatur. Nihilominùs contrariam sententiam tenent alij asserentes non esse propriè Apostatam, nisi illum, qui dimittit habitum animo transeundi ad sæculum. Pro qua sententia citatur Calder. *in cons.* 1. *de Apostatis*. Et eam tenet Barbosa *ad cap. fin. de Apostatis num.* 5. Vbi pro hac sententia citat Nauar. *consil.* 20. *num.* 6. *de Apostatis*, sed Nauar. sub eo titulo non habet, nisi vnicum Consilium, in quo expresse tenet oppositum cum Caiet. quem citat, & sequitur *supra q.* 1. *a.* 2. Citat etiam decisionem Rotæ coram Oradino 11. *Februarij* 1654. *inter decis.* Achil. 346. quæ est vnica de Apostatis, sed ibi Rota nec verbum habet de hac *quæst.* & longè diuersam tractat, an scilicet sola dimissio habitus faciat Apostatam, vbi etiam breuiè hoc negat, cæterum quod recedens à religione retento habitu, sed ex animo totaliter deserendi statum religiosum non sit Apostata, numquam Rota asseruit, nec ex aliquo ab ea asserto colligitur. Eandem verò sententiam videtur tenere Laurent. de Franchis quem refert, & sequitur Lotesna *regula* 11. *Apostata num.* 6. pro quanto requirit pro secunda conditione ad Apostasiam, vt assumatur habitus sæcularis. Et pro eadem sententia referuntur Farin. *tract. de hæresi q.* 123. Riccius *in praxi. p.* 3. *tit. de Apost.* Megala *in Promptuar. v. Apostata*. Mediam sententiam amplectitur Donatus *p.* 2. *tract. de Apost. q.* 2. *num.* 13. & 14. dicens hanc secundam esse veram in foro externo, & de Apostasia propriè dicta, primam verò de Apostasia minùs propriè dicta, & in foro interiori per quam sola excommunicatio incurritur.

249. Sed non est recedendum à priori sententia, ita quod Apostasia propriissimè dicta fiat cum habitus retentione, si religiosus claustrum deserit cum animo nō redeundi ad obedientiam, sed excutiendi perpetuò iugum obedientiæ, seu deserendi simpliciter statum religiosum, quod præter supra citatos tenent Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 6. Bassæus *v. Apostasia num.* 4. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 1440. Peyr. *in Relig. sub. q.* 1. *c.* 26. Moron. *resol.* 86. *num.* 16. Beliet. *disq. Cler. de pœna Cler.* §. 24. *num.* 5. & *num.* 15. Quia non potest negari quin retrocedat simpliciter à statu religioso, qui exit numquam reuersurus ad obedientiam, & si retinet habitum non est, nisi in maiorem status religiosi contemptum, vel in fraudem, vel ob finem aliquem alium priuatum, aut à statu religioso alienum. Nec distinctio de foro interno, aut externo quæstionem explicat. Quia nisi actus externus egressionis à claustro cum animo non redeundi sit talis, vt indicet sufficienter animum internum non redeundi nulla pœna Apostatarum incurritur, siuè hæc sit excommunicatio, siuè alia pœna; quia pœnæ Ecclesiasticæ non afficiunt actus pure internos, & qui in facie Ecclesiæ, vel non sunt, vel non præsumuntur mali. Si autem actus externus retinentis habitum, sed recedentis à claustro ex animo numquam redeundi est talis extrinsecè, vt indicet sufficienter præfatum malum animum, talis est verè subiectus pœnis Apostatarum, & contra illum procedi potest, tamquam contra Apostatam; seruato semper discrimine pœnarum, quod aliquæ incurruntur ipso facto, ad alias requiritur aliqua iudicis sententia.

250. Verum igitur est, quod vbi apostata non dimittit habitum non potest tam de facili, & cum tanta euidentia præsumi animus apostatiæ, sed tamen non deerunt indicia, vndè prælatus animus præsumi possit, & ideò exiens a Claustro cum animo non redeundi, etiam si retineat habitum, est verè, & propriè apostata etiam in foro externo, nisi in singulari factum sit tale, vt animus recedendi perpetuo extrinsecus aliquo modò non indicetur, quantum scilicet sufficit ad hoc, vt actus apostasiæ sit externus, & Ecclesiæ iudicio subiectus.

251. Econtra autem dubium esse posset, an sola dimissio habitus sine animo recedendi perpetuo à Religione faciat Apostatam in foro externo. Ratio autem dubitandi est, quia Rota 28. Nouem. 1554. apud Achil. citata *dec.346. nu. 11.* determinauit Apostatam esse eum, qui habitum regularem occultat, quod voluit Franc. post Io: Andream *in cap.2.* nec Clerici: vel vouent in sexto, Io: Anan. in rubricâ de Apost. Galean. *in cons.* 123. pro qua sentantia plures alios citat Sanchez *dicta cap.8. num 5.* inter quos D.Anton. 3. *p.t.16. cap.6.* & *tit.24. c.53.* & Syl. *v. excommunicatio 9. casu 24. num.53. q.4.* Verùm dicendum est solam habitus dimissionem sine animo manendi perpetuo extra obedientiam, & redeundi ad sæculum, non sufficere ad apostasiam. Quod decidit Rota Romana citata *num.2.* ex Oldrad. *cons.* 102. Io: And. *in addit. ad Specul. in Rub. ne Clerici, &c.* Archidiac. Petrus de Anchar. *in cap.2.* Franc. *in cap. Secundùm* ne Clerici, vel vouent in sexto, & ibi Domine §.1. *num.5.* D.Anton. p.3. *t.12.c.6.* Syl. *ver. apos. q.4. num.9.* Caiet. *supra q.1* x. *a.1.* & ibi Bannes, & Arragon. & Nauar. *cons. vnica* de Apos. *num.* 6. Sanchez *dicto cap.* 8. *num.* 2. Suarez *dicto cap.1. num. 12.* Lauret de Franchis de Apos. *resp. ad 16.* & Pasqualigus ibi *a. no.* 140. Lucerna *regular. v. Apostata* Bussæus *v. Apostasia num.* 4. Syluius 25. *q.12. a. 1. q.1. concl.* 2. Anton. à Spir. S. *tr.3. d.6. num.*1244. Tambur. *t.3. d.8. q.1. n.13.* Et est communis sent. Nec obstat, quod adducebatur ex Rota; quia eadem Rota in citata decisione 346. coram Oradino *num.* 12. & DD. ab ea citati locuti sunt de apostasia late sumpta, prout dicitur etiam de vagis, & fugitiuis, quia alias non differunt non deferre habitum, & deferre illum occultum, & præfati DD. voluerunt præfatum sit occultantem habitum Religiosum esse excommunicatum per *cap. Secundum ne Clerici, vel Monachi in sexto*, quod excommunicat temere habitum Religionis dimittentes. De quo dicendum erit infra.

252. Dubitatur tertiò per quid consumatur extrinsecus Apostasiæ peccatum? Peccatum enim apostasiæ in ordine ad incurrendas pœnas Ecclesiasticas debere esse exterius consummatum, non est dubium. Quo stante quidam dicunt dari paruitatem materiæ etiam in genere apostasiæ, quæ ad apostasiam non sufficit. Vt verò assignent materiæ magnitudinem per quam externus actus discedendi a Religione sit peccatum apostasiæ distinguunt inter forum conscientiæ, & forum fori. Nam in foro conscientiæ putant quod recedere, & manere extra per vnam, vel duas, vel tres horas sit modicum tempus, & sic crimen apostasiæ erit extrinsecus consummatum, & perfectum si Religiosus recedens manserit per tempus maius, quam sit tempus trium horarum. Verum in foro contentioso requireretur maius tempus, quam sit tempus trium dierum, non computato die fugæ, & die redditus, & sic non posse censeri Apostatam, qui quinto die reuertitur. Ita Donatus *p.2. tr.6.* de Apostatis *q.3. & 4.* Cui consentit Pasqualigus ad Franc. *num.*1040. *& seqq.* nisi quod respectu fori conscientiæ inquit non posse dari certum numerum horarum, sed hunc exitum extendi debere vsque ad primùm actum viuendi Laicaliter; animus enim Laicaliter viuendi non completur exterius nisi per aliquem actum vitæ laicalis. Egressum autem per semi horum reuertentem non incurrere pœnas Apostasiæ, licet interiùs peccet, ex Bordon. *res. 41. num.* 7. tradit Anton. a Spir.S. *tr.3. disp. 6. num.* 1405. vbi *nu.* 1401. admittit talem, qui recessit animo non reuertendi, sed statim penitētia ductus reuertitur esse apostatam in foro interno, non tamen in foro externo licet contrarium teneat Moron. *cons.* 88. *num.* 14. Si de delicto constet in foro externo. In quo tamen qui cito reuertitur non præsumitur esse Apostata Bonac. *de claus. q.x. p.11. §.1. num.* 1. Sed difficultatem habet primò hæc sententia, quia ipsemet recessus à Conuentu sine licentia est actus laicalis, & ideò apostasia per ipsummet actum recedendi extrinsecus completur, vndè quod sic recedens maneat, vel non maneat extra per longum, vel per breue tempus accidentarium est; quia iam peccatum apostasiæ per ipsum recessum sine licentia animo deliberato non redeundi fuit consummatum, si sufficit ad hoc, quod apostata aliquem actum vitæ laicalis exerceat. Indè difficultatem habet aliud dictum eiusdem sententiæ, scilicet dari in hoc genere paruitatem materiæ. Nam vel hæc paruitas sumenda est spectata actione externa præcisè, vt est contra obedientiam superioris, & secundùm se independenter à qualitate voluntatis deserendi Religionem, vel sumenda est spectata externa actione, vt qualificata per animum deliberatum perpetuo non redeundi. Si primùm admittatur iam multò magis esset extendenda quantitas actionis, quam ad tres horas, quia exire è Conuentu sine licentia, & manere extra etiam per diem, non est per se mortale peccatum, vt infra probabitur, & tamen nullus dicet, quod non peccet mortaliter, qui sine licentia recedens cum animo numquam redeundi sic extra maneat per diem, & non redeat. Ideò quantitas huius peccati non debet mensurari à quantitate actionis externæ præcise, vt est actio subditi inobedientis, sed debet mensurari ab actione externa, vt vestita animo redeundi ad sæculum. Hoc verò modo ad consummandum apostasiæ peccatum sufficit quilibet exitus à Conuentu ex contemptu authoritatis ordinis, seu ex deliberato animo numquam amplius obediendi, quia huiusmodi egressus est plusquam actio laicalis facta animo laicali, & sic est actio Religiosi facti laici, & qui suam Religionem deseruit.

253. Respondetur propterea, & dicitur primò, quod ex parte temporis non datur in genere apostasiæ paruitas materiæ, sed sufficit quod per instans morale consumet actum recedendi ab ordi-

ordine, & ponendi se extra ordinem. Probatur quia grauitas peccati apostasiæ essentialis illi non mensuratur ex duratione existendi extra Conuentum, sed ex qualitate recessus, quia scilicet apostata recedit à Religione animo deliberato non reddeundi, igitur ex quo cum tali animo recedit, siue redeat, siue non redeat, siue pœniteat, siue non pœniteat commisit crimen apostasiæ, & est, vel fuit verè apostata. Et hoc magis explicatur distinquendo crimen apostasiæ, quia aliud est, quod est tale in se essentialiter, aliud est quod est tale nedum in se, sed est Ecclesiæ manifestum, & notorium, quod nulla possit tergiuersatione occultari. Neque enim imaginandum est, quod per solum illum actum consummatur exterius apostasia per quem apostata sit ita notoriè apostata, vt non possit aliqua tergiuersatione celari. Itaque breuitas, vel longitudo temporis in redeundo ad claustrum minimè facit ad hoc, vt apostasia sit, vel non sit occulta, vel possit, aut non possit occultari, vel sit, aut non sit notoria. Et in hoc, sed ad substantiam actus apostasiæ se habet accidentaliter, quia qui exit animo non redeundi iam ex vi huius exitus est apostata.

254. Dicitur secundò quod apostasia est multiplex, alia enim est purè mentalis, alia verò extrinsecus prorumpens, & hæc diuiditur in attentatã, & consummatam, quæ subdiuiditur in protertnam, & pertinacem, & non pertinacem, & rursus in occultam, præsumptam, & manifestam, & in ordine ad pœnas non quælibet apostasia sufficit, nam in ordine ad illas, quæ per iudicem infligendæ sunt necessaria est apostasia notoria, licet ad pœnas aliquas extraordinarias sufficiet apostasia præsumpta: si quæ verò sunt pœnæ (de his enim sermo erit inferius) quæ sint propriæ apostatarum, & incurrantur in foro conscientiæ, ad has incurrendas sufficit apostasia consummata licet sit occulta. Probatur verò hoc assertum per partes suas.

255. Apostasia mentalis in solo animo deliberato recedendi à Religione consistit. Qui enim hunc animum habet iam apud Deum est apostata. Apostasia extrinsecus attentata consistit in actibus externis, quibus Religiosus se præparat ad exitum, & recessum nimirum in illis actibus, quæ exitum terminatum antecedunt, vt si Religiosus induit habitum secularem, vt exeat, si præparat clauem ianuæ, vt illam aperiat; si illam aperit, si se mouet, vt exeat, huiusmodique agit ex animo laicaliter viuendi, & deserendi Religiosum statum.

256. Sed apostasia consummata extrinsecus essentialiter, consistit in exitu à claustro animo deserendi Religiosum statum. Verùm quia in motu est duplex terminus à quo, & ad quem, & motus non est consummatus, nisi mobile sit in termino ad quem, considerandum est in præsenti, quod huius motus, qui est exitus à claustro, nullus est terminus ad quem in singulari determinatus, sed terminus ad quem est quicumque locus, qui sit extra claustrum. Vndè hic motus, qui est exitus à claustro est consummatus per hoc, quod Religiosus non est in claustro, sed extra claustrũ. Non verò essentialiter, & substantialiter distingui potest apostasia ex materialibus, huius exitus, vt quia fit ad domum propriam fugientis, vel ad domum alienam, vel quia fit ad multam, vel paruam, vel minimam distantiam. Quia non specificatur apostasia ex materiali exitus distinctione, sed ex libertate à iugo obedientiæ, & animo talem iugum excutiendi; Vndè tunc exitus iste est consummatus, quando Religiosus à claustro ad locum libertatis exiuit, seu ad locum secularem peruenit, iam enim per hoc laicaliter viuit, & à se iugum obedientiæ excussit, quantum sit ex se ipso. Ideò apostasiæ peccatum substantialiter consummatur per exitum à Claustro animo deserendi statum Religiosum, ad quamcumque distantiam peruenerit. Imò ad huiusmodi peccatum vitandum nec sufficit fraudolenta licentia superioris ad exeundum; Neque enim desinet esse apostata, qui vt libere exeat, & securius ad sæculum transeat petit licentiam exeundi, quia hic sub ficta obedientia iugum obedientiæ verè excutit, & iam est apostata cum de loco obedientiæ, qui est claustrum in locum libertatis, qui est quilibet locus extra claustrum se posuit. Ideò DD. communiter non distinxerunt in præsenti, sed absolutè dixerunt apostasiã esse recessum à Monasterio animo deserendi perpetuo statum Religiosum. Et optime huius transitus malitiam non per accessum ad aliquem terminum, sed per recessum à Monasterio tanquam à termino à quo explicauerunt, quia consummatur hic transitus per hoc, quod Religiosus est extra Monasterium animo apostatandi, vbicumque sit, & quantumcumque à Monasterio distet. Quod probatur ex decreto Clem. 8. de casuum reseruatione, vbi dicit apostasiam reseruari, *quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij seu conuentus egressio fiat*. Ideò benè Suarez *dicto l. 3. c. 1. num. 27.* dixit apostasiæ peccatum consummari, quando ita exteriùs consummatur, vt ad reseruationem sufficiat. Quod si Religiosus exierit à claustro cum licentia, & animo redeundi; si postquam est extra claustrum deliberat non redire vnquam ad claustrum, & obedientiam, iam sine materiali motu nouo consummat peccatum apostasiæ, quod de materiali dicit existentiam extra claustrum, & de formali animum numquam ad claustrum redeundi.

257. Ex quo sequitur non dari in hoc peccato paruitatem materiæ, quia minimus exitus sufficit ad apostasiam. Et ratio est, quia hoc peccatum non habet grauitatem à quantitate materiæ, neque materiæ quantitas est necessaria ad eius notabilem iniuriam. Quia in sua specie constituitur per animum deserendi totaliter Religionem, nec importat totalem desertionem, vt exercitam, quia hæc totalis desertio non habetur nisi per mortem, dum enim apostata viuit semper potest redire, & sic numquam exercitè totaliter deseruit Religionem, sed apostasia perficitur per animum non redeundi in futurum, & per voluntarium exitum de præsenti; inter exitum verò, & non exitum non datur medium, quia inter esse, & non esse in termino à quo non datur medium, & vlterius à materiali rerum non habetur malitia, sed ab animo ex quo quis recedit, qui animus malus si desit, nulla est apostasia, si adsit est peccatum mortale grauissimum. Si verò detur materialis recessus quicumque cum tali animo, iam

extrin

extrinsecus apostasia est consummata, quia de eius ratione est solum initium viuendi extra obedientiam cum animo perseuerandi. Si verò non est recessus, sed est animus recedendi, adhuc apostasia est mortalis, licet non consummata, sed attentata. Et sic in hoc genere non potest esse peccatum veniale nisi ex indeliberatione, non verò ex paruitate materiæ, quia quæcumque materiæ paruitas malitiam maximam contrahit ex eo animo deliberato animus excutiendi iugum obedientiæ. Sic nec in furto esset peccatum veniale ex paruitate materiæ, si non posset esse peccatum furti nisi fur haberet animum maxima furandi; tunc enim ex eo minima furaretur semper peccaret mortaliter, quia furtum minimæ rei esset ex animo furandi maximam. Sic verò est in præsenti, quod recessus quicumque à claustro tam magnus, quam minimus nullum est peccatum apostasiæ, & solum est apostasia si adsit animus deserendi totaliter Religionem, quo animo posito, nihil interest, quod materialis recessus sit maximus, vel minimus.

258. Quod autem consideratur de recessu ad multam distantiam, vel ad multum tempus valet ad distinguendam apostasiam in pertinacem, & non pertinacem, seu proternam, & non proternam. Quod attendendum est in ordine ad pœnas, quia maiori pœna puniendus est apostata pertinax, quã ille qui statim ex quo exijt reuersus fuit. Et pœnarum, quæ contra apostatas in iure sunt impositæ, quædam (vt videbimus) supponunt pertinaciam in apostasia: similiter recessus ad paruam distantiam, vel ad paruum tempus multum facit ad occultandam apostasiam, & ad fugiendas pœnas iudicum in foro externo; quia animus perpetuo manendi extra obedientiam non tam de facili præsumitur in eo, qui recessit à claustro, sed statim rediijt. Ideò apostasia aliquando est occulta de facto, quia est talibus vestita circumstantijs, vt ciua non appareat indicium sufficiens ad procedendum contra apostatam. Vt si Religiosus fraudolenter de licentia superioris exeat cum animo non redeundi, & per multum tempus cum eodem animo maneat, sed antequam expiret licentia manendi extra claustra redeat. Vel si exitu extra claustra sine licentia, & animo non redeundi, sed ea causa quæ fugam ad tempus manifestè ostendit, & euidenter, & postea statim reuertitur talis enim, vt fugitiuus habendus erit, non vt apostata. In omnibus verò his casibus per accidens est, quod non habeatur inditium ad inquirendum contra apostatam. Solum circa illum, qui cum licentia fraudolenta exit, est considerandum, quod si animus apostatandi nullo modo relucet in aliquo opere externo nec ex ratione operis, nec ex ratione circumstantiæ alicuius, in hoc casu apostasia est occulta tam actu, quam potentia, quia nihil externum datur ex quo possit Ecclesia probabiliter suspicari animum apostatam, nam si aliàs habetur aliquod externum ex quo haberi posset inditium illius praui animi, licet de facto nullus malum illud suspicetur, iam apostasia est occulta in actu, & manifesta in potentia.

259. Apostasia verò præsumpta est cuius dantur exterius indicia seu præsumptiones sufficientes ad inquirendum contra apostatam. Inter quas præsumptiones visa satis vehemens esse dimissio habitus, vt tradunt Ricclus *in dicta 3. p. praxis de crim. apos. resol. 11. num. 8.* Donatus *dicta q. 3.* Pasqualigus *nu.* 1042. Nam habitus est signum professionis Religiosæ *cap. Clerici officia, de vita, & hones. Clericorum, & cap. In non nullis eodem tit. in 6.* vnde dimissio habitus est signum dimissæ professionis. Bene verò Pasqualig. aduertit, ex hoc haberi solam præsumptionem ad apostasiam iuxta legem *licet ff. de leg. 1.* quæ tamen præsumptio transfert onus probandi in Religiosum habitum dimittentem, *l. fin. ff. quod metu cau.* Sed tamen hæc præsumptio poterit ex probationibus euacuari *l. Si chirographum ff. de probat.* Apostasia autem notoria est, quæ vel ex facto non possit tergiuersatione celari; vel est notoria notorietate iuris, quia apostatam est de ea, vel iuridice confessus, vel omnino plenè conuictus.

260. Quomodo verò apostata subjiciatur pœnis apostatarum; & qualis apostasia ad illas incurrendas sufficiat, dicendum est in sequentibus, quia non eadem apostasia ad quascumque apostatarum pœnas sufficit, & ideò etiam prior opinio in hoc deficit, quia considerauit pœnam excommunicationis latam in eos, qui temerè dimittunt habitum, & quia DD. excusant ab huiusmodi pœna illum, qui habitum dimittit ad breue tempus, ex hoc absolutè à crimine apostasiæ exclusit, qui ad breue tempus, vel ad paucos passus recedant, quod non valet. Tum quia aliud est dimissio habitus, & aliud apostasia; tum quia excommunicatio illa non attingit expoliationem habitus ex quacumque causa, sed temerariam dimissionem, vt infra est explicandum, ideò alia ratio est de apostasia, & de habitus Religiosi dimissione.

261. Quæritur tertiò, an apostasia sit peccatum specie distinctum à fuga extra claustrum. Negat Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 3. c. 1. n. 15.* Quia in vtroque peccato est per se sola malitia iniustitiæ contra obediendi debitum, & sacrilegij contra votum. Et vtrobique Religiosus recedit ab obedientia superioris, licet apostata recedat simpliciter, fugitiuus verò recedat ad tempus: sicut qui furatur cum animo restituendi committit peccatum idem specie cum peccato eius, qui furatur cum animo numquam reddendi furtum. Et nihilominus asserit huiusmodi duo peccata distingui specie moraliter; Tum primo ratione confessionis, quia etiam in sententia dicentium circumstantias aggrauantes non esse de necessitate exprimendas in confessione, communis tamen sensus DD. est, vt circumstantia apostasiæ, sit exprimenda. Cuius ratio esse potest, vel rigorosa distinctio specifica eius à fuga, siue quia aliter non potest exprimi status pœnitentis, siue quia apostasia est peccatum completum, fuga vero in hoc genere est quid incompletum, sicut mutilatio membri est quid incompletum respectu homicidij. Tum secundo ratione pœnarum, quia fugitiuus non est subiectus pœnis apostatarum.

262. Respondetur apostasiam distingui specie à fuga à Religione propter malitiam contemptus, & inobedientiæ formalis intime clausam in apo-

stasia, contemnere enim superiorem est nolle ei subijci ac eius legi, aut præceptis, apostata verò penitùs subiectionem ad superiorem excutit, cum ab eius obedientia simpliciter recedat, & se ad statum sæcularis libertatis quantum sit ex parte sui reducat, Nec obstat, quod in peccato inobedientiæ formalitas consistit in hoc, quod nolli subijci legi sit motiuum transgrediendi legem, potest verò apostata ex alio motiuo exire à Religione, quam ex hoc quod est nolle subijci legi. Quia in hoc, quod est nolle vnquam obedire legi, seu velle recedere à statu obediendi continetur etiam motiuum illud, quod est nolle subijci legibus ordinis. Et in idem coincidunt nolle vniuersaliter subijci legi, vel nolle subijci legi absolutè, & nolle subijci legi, quia subijci iudicetur malum, & quia nolit subijci. Quod si plures DD. senserunt, quod sola consuetudo transgrediendi regulam sit contemptus, quod tradiderunt D. Anton. 3. p. *tit.* 15. c. t. § 9. citans Io: de Neap. Syl. *v. religio* 1. *q.* 12. *dicta* 4. Val. 22. *disp.* 10. *q.* 4. *part.* 5. multo magis dici debet, quod regulam contemnat, qui deliberate in nullo illam vult obseruare. Sed hoc magis explicatur distinguendo in apostasia motiuum inpulsiuum, seu finem ex parte volentis à motiuo finali, seu fine operis. Nam motiuum, quod est ex fine volentis, & hoc est impulsiuum potest esse ea aliqua passione, sed operis huius, quod est velle esse apostatam, idest velle in nullo obedire, seu libere excutere omninò iugum obedientiæ obiectum formale proximum, & motiuum finale est obedientia superioris, vt obedientia illius, quæ vt sic formaliter sumpta habetur in odio, & excutitur, & reijcitur, & ideò reijcitur, quia non obedire absolutè superiori regulari bonum indicatur, & obedire malum, vndè nolle obedire absolute, seu vniuersaliter propriè est contemnere. Videantur *dicta sup. q.* 186. *a.* 2. *num.* 35. *& ar.* 9. *num.* 10. Apostasia igitur per se habet coniunctam inobedientiam formaliter, quia nolle absolutè seruare legem est verè legem contemnere. Nam hoc est velle in singularibus casibus ex hoc legem transgredi, quia non vult subijci legi. Et sic electio apostasiæ est principium contemnendi legem; & illius executio est legis contemptus,

263. Dicitur secundò, quod & si apostasia nō distingueretur specie à fuga non per hoc tamen dici debet, quod sit pura circumstantia aggrauans in infinitum, sed est peccatū extensiue ad plura speciè, & distincta peccata, nec est eadem ratio de eo, qui furatur cum animo restituendi, & cum animo non restituendi, sed apostata assimilatur illi, qui vult furtum, & adulterium seu peccata plura specie distincta committere, fuga verò illi, qui vel tantum vult furari, vel non tot peccata committere.

264. Pro quo est considerandum, quod principaliora media, quæ Religio assumit, vt suos perducat ad perfectionem charitatis sunt actus eiusdem charitatis, & aliarum virtutum quatenus sunt de consilio. & quos actus Religio ipsa mandat, aut præcipit. Nam & quando præcipit res alias de se indifferentes, eas præcipit in ordine ad actus virtutum, vt v.g. præcipit ieiunia, & corporis austeritates intuitu virtutis temperantiæ, vndè Religiosus, qui non ieiunat tempore statuto à lege verè est intemperans, simul verò est irreligiosus, quia Religio virtutem temperantiæ ordinat ad Religionem, & quia per votum, quod est actus virtutis Religionis ordinat actus temperantiæ, quos præcipit ad finem acquirendæ perfectionis. Pariter religio præcipiens psalmodiam, præcipit actum Religionis, & sic benè apparet, quod Religio plures actus virtutum proximè intuitu plurium virtutum præcipit, licet actus virtutum plurium in vnius charitatis perfectionem summam acquirendam ordinet. Qui ergo vult non obedire Regulæ, seu iugum obedientiæ excutit, vult committere plura, & tot peccata specie distincta, quod sunt actus virtutum, qui licet alias essent de consilio ex vi regulæ sunt de præcepto. Et quia in potestate superiorum est præcipere omnes virtutum actus proximè intuitu bonitatis virtutū in specie, qui non vult iam superiori obedire simul non vult habere actus virtutum, qui alias sunt de consilio etiam in casu in quo essent de præcepto superioris, & ita apostasia est culpa, quæ omnium virtutum inobedientiam continet, & tot peccatis specie distinctis æquiualet, quot sunt actus virtutum quos superior, vel præcipit, vel præcipere potest, Sic ergo peccatum apostasiæ distinguitur à peccato fugæ non tanquam peccatum grauius intra eandem speciem, sed tanquam peccatum continens malitias plures specie distinctas. Quia fugitiuus solum vult esse extra claustrum, sed ex hoc non vult omnia alia præcepta regulæ contēnere; & quæ vult contemnere, nō pro semper, sed pro aliquo tempore; ideò fugitiuus non est inobediens formaliter, & contemnens, sed solum materialiter. Sed apostata perpetuo nullum vult superioris preceptum seruare. Ideò nilmirum si necesse sit distinctè explicare in confessione peccatum apostasiæ, & non sufficit si apostata dicat se fuisse fugitiuum.

265. Sed forsan dices, posse dari inobedientem formaliter, quæ sit talis solum ad tempus, & sic posse contingere, quod etiam fugitiuus sit inobediens formaliter, & non distinguatur ab apostata. Sed primò hoc si daretur, nihil faceret ad rem, quia non est necesse, quod fugitiuus sit inobediens formaliter; ideò per malitiam fugæ non explicatur in confessione malitia apostasiæ. Sed dico secundò, quod conuertibiliter se habent inobediens formaliter, & apostata saltem mentalis. Nam Inobediens formaliter absolutè, non vult obedire; Nam qui non vult obedire, quia non vult obedire, quod est esse inobedientem formaliter, absolutè non vult obedire, & qui absolutè non vult obedire, vniuersaliter non vult obedire, quia si aliquando vellet obedire, non ideò in alijs vellet non obedire, quia absolutè non velit obedire, sed quia non vult obedire in hoc, vel illo, sed tamen vult obedire in aliquo, vndè non reijcit in totum obedientiam, quam reijcit, qui ideò non obedit, quia non vult absolutè obedire. Sic ergo patet, quod inobediens formaliter, absolute, & vniuersaliter non vult vnquam obedire, quia si vellet aliquando obedire, non ideò nunc non obediret, quia absolutè non velit obedire, sed quia non vult obedire nunc. At verò qui nunquam vult obedire est apostata, & sic omnis qui

est for-

est formaliter inobediens propriè est apostata, & omnis apostata est formaliter inobediens, quia omnis apostata vult absolutè, & vniuersaliter non obedire. Et si dicatur, quod potest dari inobedientia formalis sine exitu à claustro, dicitur quod etiam apostasia mentalis potest dari sine exitu à claustro, & ideò inobediens formaliter per se, & ex hoc est apostata saltem mentalis. Et ad apostasiam, vt est peccatum mentale exitus à claustro, & perpetuitas non obediendi, & vniuersalitas pertinent obiectiuè, quia volitæ ex vi voluntatis apostatandi, non quia actu existentia, & hoc modo, qui formaliter contemnit, in mente sua approbat exitum à claustro, & perpetuam, & vniuersalem inobedientiam.

266. Ex dictis modo consequitur integra definitio apostasiæ. Hanc enim definit Megala in promptuar. v. *Apostasia num.* 21. vt sit temerarius recessus à Religione in qua quis tria essentialia vota tacite; vel expresse emisit sine animo ad illam redeundi, vel ad aliam Religionem transeundi. Dicitur verò temerarius recessus, quia exitus non culpabilis habitus ex legitima licentia, vt cum quis authoritate Pontificis assumitur ad Episcopatum, vel Cardinalatum, non est apostasia. Terminus à quo huius recessus est Religio approbata, in qua quis vel professionem, vel tria vota substantialia emisit, quia nouitius recedendo non est apostata. E contra verò est apostata Religiosus societatis, qui ante professionem post emissa vota biennij recedit temere à societate. In hoc verò completur essentialiter apostasia, vt sit sine animo redeundi, quia transitus temerarius cum animo redeundi est fuga, non verò apostasia. Quod verò additur, vel sine animo transeundi ad aliam Religionem, est verùm de iure communi, vt probatum est supra *num.* 133. Nihilominus in aliquibus Religionibus transeuntibus sine licentia ad aliam Religionem imposita est vota apostasiæ, vt dictum est *num.* 143. Sed & in his Religionibus sic illicite transeuntes ad aliam Religionem non sunt ex natura rei apostatæ, sed sunt apostatæ præsumpti, & legales, quia ex lege habendi sunt, vt apostatæ. Sicuti & haberi possunt tanquam apostatæ, qui ab Ordine Prædicatorum transire volentes etiam ex legitima licentia, si intra duos, vel tres menses aliam illam Religionem non fuerint ingressi, vt habetur in Mari Magno Prædicatorum §. 21. Quod idem pro minoribus habetur in eorum Mari Magno §. 22. & pro Carmelitis in eorum Mari Magno §. 91. apud Lezanam, & simile alijs etiam Religionibus fuit concessum. Aliter potest apostasia definiri, vt sit Religiosi exitus à claustro sine legitima licentia, & animo non redeundi, sola enim persona religiosa est capax apostasiæ à Religione, illa verò est Religiosa, quæ per vota substantialia alicui approbatæ Religioni est incorporata, consummatur verò ex duobus apostasia, primò ex animo recedendi à statu Religionis, & secundò ex corporali exitu à septis clausuræ, sed melius, & breuius definitur, vt sit religiosi retrocessio à statu Religioso, & obedientia suæ Religionis cum animo non redeundi. Seù quod sit absolutè retrocessio ab obedientia,

SVMMARIVM.

1 *Apostasia delictum grauissimum.* n. 267.
2 *Nulla pœna de iure communi est imposita pro apostasia.* n. 268.
3 *Apostatam esse excommunicatum de iure communi multi volunt.* n. 268.
4 *Apostata si non dimittit habitum non est excommunicatus.* n. 269.
5 *Apostata in multis Religionibus est excommunicatus.* n. 270.
6 *Leges pro aliquibus Religionibus imponentes apostatis excommunicationem non continent priuilegium communicabile.* n. 270.
7 *Excommunicatio lata contra apostatas an reseruata?* n. 270.
8 *Multæ excommunicationes sententiæ ferendæ contra apostatas.* n. 271.
9 *Excommunicatio lata contra illicite transeuntes ad aliam Religionem non afficit apostatas.* num. 272.
10 *Glossa textus Constit. Ordinis Prædicatorum.* numer. 273.
11 *Apostata statim ex ipso quod exit, cum animo &c. est excommunicatus.* n. 274.
12 *Non incurritur excommunicatio nisi apostata exeat.* n. 275.
13 *Cap. fin. de Regul.* n. 276.
14 *Apostata aliquam irregularitatem incurrit.* numer. 276.
15 *Lex d. cap. fin. comprehendit omnes Religiosos.* num. 277.
16 *Apostata ex vi cap. fin. de apostatis non est irregularis, aut suspensus.* n. 278.
17 *Neque ex vi cap. penult. dist. 50.* nu. 278.
18 *Apostata non potest ordinari ad sacros ordines:* num. 278.
19 *Nec consecrari Episcopus.* n. 279.
20 *Apostata, qui in apostasia recepit ordinem aliquem sacrum non potest promoueri ad maiores.* num. 284.
21 *Dispensatus à suspensione in eo casu potest ad alios ordines promoueri.* nu. 280.
22 *Prohibitus à minori est prohibitus à maiori.* num. 280.
23 *In accessorijs dispensatio super principali extenditur ad accessorium.* n. 281.
24 *Transiens illicito ad alium Ordinem si ordinetur non est suspensus.* n. 282.
25 *Apostatæ suscipientes ordines non sunt suspensi, ex vi cap. Cum illorum, de sent. excommunicationis.* n. 283.
26 Neque ex vi const. 14. *Pauli 4. quæ à Pio 4. fuit reducta ad terminos iuris.* n. 284.
27 *Nec sunt inhabiles ad gradus ex vi d. Constit. Pauli 4.* n. 285.
28 Nec *sunt irregulares.* n. 286.
29 Nec *per se directè inhabiles ad dignitates,* numer. 287.
30 *Inhabiles sunt in Ordine Prædicatorum.* numer. 287.
31 *Apostata an infames infamia iuris.* num. 288. & 289.

32 Intellectus cap. Alieni 2. q.7. & cap. Beatus 3. q.4. ibid. num.289.
33 Apostata gaudet priuilegijs sui Ordinis ad quæ est dispositus. n.290.
34 Possunt superiores compellere apostatas ad redeundum ad Ordinem. n.291.
35 Priuilegia plura pro Ordine Prædicatorum; num.292.293.294.
36 Qui Vicarij in Ordine Prædicatorum possint apostatas reuocare. nu.295.
37 Priuilegium Minimorum. n.296.
38 Priuilegium Societatis, n.297.
39 Qui possint apostatas compellere. n.298.
40 Priuilegium hoc commune. n.299.
41 Apostatas censuris, vel vi reuocare est de ordinaria superiorum facultate. n.300.
42 Superiores omnes apostatas in suis Prouincijs existentes possunt reuocare. n.301.
43 Superiores Ordinis Prædicatorum etiam contra translatos ad alium Ordinem, si ab eo apostata. uerint, procedere possunt. n.302.
44 Iudices seculares tenentur auxilium dare contra apostatas. n.303.
45 Ligantes &c. apostatas non sunt excommunicati. n.304.
46 Episcopi possunt carcerare apostatas, numero 305.
47 Apostata insurdescens in excommunicatione est suspectus de fide. n.306.
48 Contemptus excommunicationis positiuus, & negatiuus. n.306.
49 Insurdescentia reddit suspectum de fide si duret per annum integrum, & continuum. numero 307.
50 Hic annus incipit ac declaratione excommunicationis. n.308.
51 Et requiritur mora pertinax. n.309.
52 Multis de causis excluditur pertinacia. numero 310.
53 Ad excludendam insurdescentiam sufficit causa etiam alias iniusta. n.311.
54 Ex insurdescentia in censura lata non ob causam fidei oritur leuis suspicio. nu.312.
55 Praxis S. Officij est non procedere regulariter contra insurdescentes in censura lata non ob causam fidei. n.313.
56 Si post declaratam à iudice insurdescentiam quis obstinato animo persistit, S. Officium contra illum procedit. n.314.
57 Suspicio in hoc casu potest crescere, vt sit vehemens, imò violenta. n.314.
58 Apostata insurdescens qualiter puniendus. numero 315.
59 Apostata absolutè quali pœna mulctandus. numer.316.
60 Ordo doctrinæ. nu.317.
61 Cap. Vt periculosa, Ne Cleri, vel Monachi in sexto. n.318.
62 Textus habet legem pœnalem. n.319.
63 Primò eius excommunicatio requirit 4. conditiones. n.319.
64 Qui non sunt propriè Religiosi non subduntur huic legi. n.320.
65 Nec Tertiarij, nec Equites subduntur huic legi. num.320.
66 An dimittens habitum intra Conuentum sit excommunicatus, variè fuit opinatum. numero 321.
67 Religiosus, licet exeat de licentia, si dimittit habitum est excommunicatus. n.322.
68 Religiosus ex eo, quod dimittat habitum intra Conuentum, non est excommunicatus. numero 323.
69 Religiosum non posse dormire sine proprio habitu dixerunt aliqui. nu.324.
70 Religiosi de iure communi solum ex honestate tenentur dormire cum habitu. n.325.
71 Quid sit temeritas. n.326.
72 Non dimittit temerè habitum, qui illum dimittit ex rationabili causa. n.327.
73 Nec qui ex timore, aut passione. n.328.
74 Nec qui ignoranter, & bona fide. n.329.
75 Nec etiamsi aliqua suspicio de prohibitione præcessit. n.330.
76 Nec qui se expoliat. n.331.
77 Dimittit temerè, qui sciens dimittit, cum licet animo reassumendi. n.332.
78 Potest temerè dimitti habitus sine apostasia. numer.333.
79 Fugitiuus si non dimittit habitum non subditur huic excommunic. n.334.
80 Priuatus habitu si fugiat non incurrit hanc censuram. n.335.
81 An sufficiat Religiosum se expoliare habitu proprio, diuersimodè opinatum. n.336.
82 Non datur moraliter dimissio vnius habitus sine assumptione alterius. n.337.
83 Religiosus qui se expoliat, si non remanet vestitus habitu proprio, est excommunicatus, numero 337.
84 Religiosus assumens non ad profitendum habitum alterius Religionis est excommunicatus. numero 338.
85 Hoc minus bene limitatur ab aliquibus. numer.339.
86 Transiens illicitè ad aliam Religionem si temere id facit est excommunicatus ex vi d. cap. 2. num.340.
87 Non ligatur censura, qui assumit habitum nouitiorum. n.341.
88 Ligatur, qui habitum occultat. n.342.
89 Limitatur hoc in aliquibus casibus. n.343.
90 Breuitatem temporis excusare, vel non excusare multi tenent. n.344.
91 Attendi debet an actio externa sit periculosa materia vagandi. n.345.
92 Difficultas circa prædicta. n.346.
93 Ex sola breuitate temporis non excusatur dimissio habitus. n.347.
94 Excusatur a censura dimittens habitum, vt ludat &c. n.348.
95 Et qui assumit habitum alienum, vt celebret festum amici. n.349.
96 Et qui dimittit habitum ob maiorem delectationem in malo. n.350.
97 Non excusatur, qui etiam ad breue tempus dimittit habitum, vt securus exeat. n.351.
98 Excusatur, qui habitum dimittit, vt fugiat scandalum. n.352.
99 Non qui dimittit habitum, vt securius exeat ad malum

malum finem. n.353.

100 *Excusatur, qui iuste fugit ad superiorem. numer.354.*

101 *Non tamen, qui iniustè fugit etiam si timeat iniustum damnum. n.354.*

102 *Per se non debet hic attendi intentio dimittentis habitum respectu breuitatis temporis, sed si dimissio sit apta materia vagandi. n.355.*

103 *Dimissio proprij habitus in Religioso ex genere mala n.355.*

104 *Vix dabilis casus in quo dimissio habitus ex sola breuitate temporis excusetur. n.356.*

105 *Peccatum hoc an consummetur in instanti dimissionis habitus, n.357.*

106 *Superior directè non potest concedere licentiam dimittendi habitum. n.358.*

107 *Superior indirectè dat licentiam dimittendi habitum. n.359.*

108 *Religiosi societatis sunt excommunicati, si temere dimittant habitum sua Religionis. numero 360.*

109 *Non tamen Episcopi, aut Cardinales Regulares si dimittant habitum Religiosum. numero 361.*

110 *Nec Abbates extra Religionem promoti, & exempti habentes quasi Episcopalem iurisdictionem, & Diœcesim propriam. numero 361.*

111 *Religiosi non possunt ire ad studia extra claustra, num.362.*

112 *Quid sit accedere ad studia, & qualiter prohibitum. n.363.*

113 *Ad quem spectet dare licentiam ad studia. numer.364.*

114 *An sit necessarius consensus conuentus. numero 365.*

115 *Superior non indiget licentia, vt eat ad studia. num.366.*

116 *Episcopus non exemptis potest dare licentiam ad studia. nu.366.*

117 *Hodie Superiorum auctoritas est magis restricta ad dandam licentiam degendi extra claustra. n.367.*

118 *Doctores excommunicati si Religiosos doceant habitu dimisso. n.368.*

119 *Quid veniat nomine Doctoris. n.369.*

120 *Religiosi, vt incurrant hanc censuram debent dimisisse habitum. n.370.*

121 *Doctores sunt excommunicati si doceant, vel retineant Religiosos habitu dimisso. n 371.*

122 *Doctor an Religiosum expellere debeat a schola. n.372.*

De poenis Apostatarum.

INSPECTIO II.

267. NOn est dubium apostasiam esse delictum grauissimum, vndè & vnum de iis, quos sibi possunt reseruere Regulares ex decreto Clem.8. de casuum reseruatione Lezene *v. Apostata num,* 10. Nihilominus in iure communi nullas esse impositas pœnas apostatis aduerterunt Nauar. *cons.* 2. *de regular. num.* 63. Suarez t.4. de Relig. *tr.*8. *l.*3. *c.* 1. *num.* 10. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 16. *num.* 10. & colligitur ex Concil. Trid, *sess.*21. *cap.*4. *de Regul.* vbi loquendo de iniquè recedentibus à suis Conuentibus nullam pœnam eis imponit, sed puniendos relinquit ad arbitrium superioris. Et nihilominus aduertendum est, quod apostata Clericus si simul recedat à Religione, & à Clericatu, subditus manet pœnis debitis etiam apostatæ ab Ordine; est enim tunc dupliciter apostata, scilicet ab Ordine, & à Religione Lezene *v. Apostata num.*14. Balsros *num.*4. Vt tamen videatur an, & qualiter sit verùm, quod de iure communi non sunt impositæ pœnæ determinatæ, pro apostasia examinandi sunt plures textus, & in speciè de pluribus pœnis disserendum est, & videndum an apostata illarum aliquam incurrat.

268. Quæritur autem primò, an apostata sit excommunicatus. Qui enim putant non esse apostatam illum Religiosum, qui non dimittit habitum, dicunt omnem apostatam esse excommunicatum, per *cap. vt periculosa, ne Clerici vel Monachi in sexto*, vbi temerè dimittentes habitum excommunicantur. Et quod magis est Donatus *p.*2. *tr.*6. de apostatis *q.*2. *num.* 12. sentit omnem Religiosum vagantem, siue deferat habitum palam siue occulte, siue habitum dimittat incidere in excommuni, dicti capitis, quia illius legis finis est, ne Religiosi vagentur. Et ibidem *q.* 11. sustinet, quod in dicto *cap. vt periculoso* prohibeatur nedùm temeraria dimissio habitus, sed etiam recessus à claustro sine licentia. Hanc verò eandem sententiam aliquos tribuisse Syluest. & Caiet. sed inmerito, aduertit Suarez *tom.*4. *de relig. t* 8. *l.*3. *c.*1. *num.*17. vbi ait eam insinuare Armil. *v. apostasia num.*11. Hanc tamen sententiam tenuerunt Glos. *in d. caput vt periculosa v. ipso facto*, & ibi Dom. *num.*11. Archid. *t.* Abbates. 18. *q.*2. & ibi Bellam. *num.*10. Io: Andr. *cap. fin. num.*1. de Apost. & ibi Anton. *num.* 4. Anchar. *num.* 2. Card. *num. vnico q.*1. Henr. *cap. ex parte num.*3. *de tempor. ordin.* & ibi Bellam. *num.* 3. Rosel. *v. excommun.* 1. *casu* 16. *num.*1. Alten. 2. *p. l.* 6. *tit.* 4. *a.* 3. Tebien. *v. excom.* 5. *casu* 23. *quæst* 1. *num.*2. Henriq. *l.*3. *de excommun. c.* 39. *num.*1. & *cap.* 40. *n.*1. Azor. *l.*12. *c.*17. *q* 6. Peyrin. *in relig. sub. c.*26.

269. Verùm opposita sententia est certa, quod scilicet de iure communi apostata eo quod apostata non est excommunicatus. Nam in iure hæc excommunicatio non continetur. Nec excom. *cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in sexto* afficit apostatas si temerè habitum non dimittant, quia illa afficit temerè habitum dimittentes, & incurritur independenter ab apostasia. Nec ex fine legis potest fieri extensio, non enim leges semper præcipiunt omne medium ad finem vtile, vndè licet finis illius Canonis sit tollere occasionem vagandi, non tamen omnem prohibet, nec excommunicationi supponit omnem vagandi occasionem, vel vagationem ipsam, sed excommunicat dimittentes temerè habitum ad vagandum. Nec facit, quod textus loquitur in plurali, ibi, *si quis autem eorum temerarius violater extiterit*, Quia verè textus plura prohibet, quia pro-

hibet

plura huiusmodi priuilegia habentur in quibus Prælatis facultas excommunicandi apostatas cōceditur. Inter alia adesse etiam pro Prædicatoribus priuilegium Leonis X. *in Constit. Accepimus, data 14. Aug. 1518.* & quæ habetur in *Bullar. eiusdem Ord. fol.* 188. vbi de apostatis sic habet. *Qui nisi vobis paruerint, & infra octo dies mandato vestro proximos habitum perpetuò gestandum resumpserint, excommunicationis lata sententia pœnam incurrant, à qua per solum Romanum Pontificem, aut Magistrum Generalem dicti Ordinis (nisi in mortis articulo) absolui possint.*

272. Difficultas etiam esse posset, an apostatæ sint excommunicati excommunicatione lata contra indebitè transeuntes de vna ad aliam religionem, de qua supra *n.* 137. *& seq.* sermo habitus est, multo magis enim videri posset hac pœna affici apostatas, qui totaliter ab obedientia recedunt, quam illi qui non recedunt à propria religione, vt transeant ad alienam, isti enim non deserunt statum Religiosum. Verùm hæc extensio nequit fieri. Neque in pœnis attenditur maior grauitas delicti, sed an ad reipublicæ bonum conducat coercere magis vnum delictum quam aliud; fuit verò conueniens, vt transeuntibus indebitè ad aliam religionem imponeretur pœna excommunicationis, quia prætextus speciosus ex causa transeundi ad religionem, & est occasio apostatandi, & turbare potest religiones non parum, & damnum religionibus inferre, & cum habeat apparentiam boni faciliùs sese ingerit mentibus, & vniuersalius serpit, nisi præcidatur. Ideò excommunicatio lata contra indebitè transeuntes ad aliam religionem non afficit apostatas, neque ad illos extendi debet, tum quia in pœnis non fit extensio de vno casu ad alium. Tum quia transitus indebitus de vno ad alium ordinem habet specialem causam, vndè prohibeatur sub pœna excommunicationis.

273. Quæritur secundò, quando & per quem actum apostata incurrat excommunicationem. De hoc dictum est aliquid supra *à num.* 252. *In Constit. Ord. Præd. dist.* 1. *cap.* 20. §. 1. Glossa *litera A.* sic habet. *Declaramus quod ille, qui per se ordinem egreditur, & subitò, ac statim reuertitur non est iudicandus apostata, nec incidit in pœnas Constitutionum. Quia tamen actum apostasia commisit, debet ab excommunicatione absolui, & ad cautelam ad gratias ordinis restitui, sicut fuit declaratum Tolosæ* 1328. *& in multis alijs capitulis.* Quam declarationem refert Donatus de Apostatis *q.* 11. vt probet quod excommunicatio *cap. Vt periculosa,* ne Clerici, vel Monachi *in* 6. incurratur ob duplicem causam, scilicet ob dimissionem habitus, & ob recessum à Conuentu sine licentia. Cum tamen ibi nec Constitutio, nec Glossa, vel verbum habeat *de d. cap. vt periculosa,* sed Glossa illa loquatur de excommunicatione per Constitutionem ibidem in apostatas fulminata. Et de hoc, vel alia excommunicatione contra apostatas per constitutiones Pontificias lata nobis modo est sermo; de illa enim, quam continet *d. cap. vt periculosa,* postea loquitur d. Glossa, & infra erit sermo, cum illa non afficiat apostatas, vt apostatas, sed dimittentes habitum religiosum temerè.

274. Bene verò Glossa illa distinguit inter excommunicationem, & alias pœnas à constitutione statutas contra apostatas, & declarat istis pœnis non esse subiectum illum, qui subito ac statim reddit. Sed quantum ad excommunicationem supponit, quod qui exijt à Conuentu animo apostatandi inciderit ipso facto in excommunicationem, etiam si subito ac statim reuersus fuerit, & ideo decernit illum debere absolui. Et verè sic est, quod per exitum à septis Monasterij ex animo deserendi statum religiosum, exiens fit apostata, & incidit in excommunicationem contra apostatas latam, vt docet etiam Suarez dicto *l.* 3. *cap.* 1. *num.* 27. Et hoc idem verum est de eo, qui exit habens licentiam exeundi à septis Monasterij ob aliquam aliam causam, non enim religiosus est apostata, quia exit è claustro sine licentia, sed quia sic exit à claustro materiali, quod simul exit à formali, & discedit ab obedientia animo nunquam reuertendi, qui exitus semper est sine licentia, & temerarius. Quod si religioso existenti extra claustrum superuenit animus apostatandi, qui est animus exeundi ab obedientia sine reditu. Tunc primo apostata incidit in excommunicationem, cum habet aliquem actum apostaticum, seu quocumque modo suam internam apostasiam extrinsecus manifestat, vel verbo, vel facto. Et licet tunc corpore non exeat à claustro, cum priùs fuerit extra illud in domo sæculari, vel alia extra suum ordinem, exit tamen animo, & exit ab obedientia cum eligit viuere extra obedientiam sine reditu ad illam.

275. Ad incurrendam tamen hanc excommunicationem non sufficit solus animus apostatandi etiam extrinsecus manifestatus, sed requiritur etiam corporalis egressus à claustro, vt benè docet Suarez ibidem. Vndè si religiosus adhuc in Conuentu manens animo iam exierit ab obedientia, & expoliauerit se habitibus religiosis, & assumpserit vestes sæculares, & eat vt exeat, & iam sit in limine exeundi, imò ideò non exeat, quia violenter capitur, & detinetur ne exeat, non est excommunicatus, quia vsque ad talem terminum, & donec religiosus nondum exierit corporaliter à Monasterio apostasia est attentata non verò consummata, excommunicatio verò sicut & aliæ pœnæ non incurruntur, nisi propter actus consummatos, nisi aliter lex expressè disponat.

276. Quæritur tertiò, an apostata sit irregularis, vel suspensus, & qualiter, & quo iure; & quidem Apostatam esse irregularem tenent Bonac. *de cens. q.* 2. *a.* 11. §. 4. *num.* 4. & ex eo Nicolius *ad tit. de apostatis. num.* 1. *qui eodem tit n.* 5. §. 13. *pag.* 214. *& ad tit. de tempo. ord. num.* 12. §. 19. *pag.* 27. vult quod apostatæ quamdiu in apostasia, vel extra Monasterium extiterint non possint ordinari ex *Constit.* 26. Vrban. VIII. *& Sac. Congr. decl.* 9. in Flosc. *tamen, in verb. apostata. n.* 1. hoc limitat dicens apostatas esse irregulares saltem ante pœnitentiam. Sed plures textus sese offerunt explicandi. Et quidem primo *cap. fin. de apostatis,* quod est Honorij Tertij, & est tale. *Consultationi tuæ breuiter respondemus, quod Monachus aliquem Sacrum Ordinem in apostasia recipiens quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absq; dispensatione Romani Pon-*

ttris

ticij ministrare non poterit in ordine sic suscepto. Hic verò textus aliquam continet imperfectam irregularitatem, sed non perpetuam, & de se cessabilem cessante apostasia, quia apostata redditur inhabilis ad suscipiendos Sacros Ordines tempore apostasiæ, & si aliquem suscipiat, tunc incurrit suspensionem ab vsu ordinis suscepti indispensabilem ab alio, quam à Romano Pontifice.

277. Primò verò, difficultas hic esse potest, quid veniat nomine Monachi, & præcipuè an Canonicus regularis sub hoc nomine comprehendatur, quia in odiosis Canonici regulares non veniunt sub nomine Monachi. *arg. cap. Quod Dei timorem. de statu Monachi.* vbi id notat Panorm. & Nauar. *Com. 3. de regul. num. 4. & 41.* Nihilominùs dicitur hic nomen Monachi omnes religiosos etiam Canonicos, seu Clericos regulares comprehendere. Quia illa lex respicit bonum religiosi status absolutè, & ideò religiosis omnibus loquitur. Et ad hoc confirmandum assumitur *argum. à cap. Ex parte tua. 2. de postulando.* Vbi cum Canonici quidam regulares munere aduocati fungerentur, & sibi id licere præsumerent, quia caput per quod tale munus prohibetur religiosis regularibus loquitur de Monachis, Innocêtius Tertius respondet, quod quantum ad supradicta idem iudicium habendum est de Monachis, & de Canonicis regularibus. Huius enim declarationis ratio est, quia prohibitio facta Monachis ne essent aduocati in causis aliorum fuit facta intuitu status religiosi, & ideò sub illa comprehendi debeat quilibet religiosi etiam si Canonici regulares. Imò ex Panormit. ibi, & Nauar. *com. 3. de regular. num. 41.* regulam vniuersalem tradit Suarez *dicto cap. 1. num. 29.* vt quando fundamentum Canonis tale est, vt in eo secundum ius antiquum æquiparentur Monachi, & Canonici regulares, fiat extensio legis, etsi exorbitantis, seu pœnalis à Monachis ad Canonicos regulares, quia tunc intentio legislatoris est loqui de religiosis absolutè, licet quasi materialiter nominet Monachos. Ita in præsenti cum lex præfati Canonis in odium Apostasiæ, & in fauorem religionis absolutè sit facta, & ex fundamento omni Religioni communi, ideò eadem lex omnibus religiosis est communis. & ita DD. communiter sine aliqua distinctione eandem legem tanquam omnibus religiosis communem in omnes apostatas latam intelligunt. Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. disp. 6. n. 1235.* Bonac. *de claus. q. 2. p. 11. §. 4. num. 7.*

278. Secundò, difficultas esse potest circa illud verbum Sacrum Ordinem, an scilicet intelligatur præcisè de Sacris Ordinibus, an verò accipiatur Sacer Ordo communiter, vt se extendit etiam ad Ordines Minores. Nam fuit plurium Canonistarum sententia, quos refert Sanchez *l. 6. Mor. c. 8. n. 25.* Qui putauerunt apostatam tempore apostasiæ esse inhabilem etiam ad Minores Ordines, & si ad aliquem promoueatur esse suspensum ab illius vsu, quamuis super hac suspensione dicerent posse Episcopum dispensare. Et inter alios hanc sententiam tenuerunt Syluest. *v. Apostasia q. 8. num. 11.* Tabien. *q. 12. num. 15.* Armil. *num. 12.* D. Ant. *3. p. tit. 27. cap. 4.* & iterum Syluest. *v. ordo 5. q. 6.* Maiol. *de irreg. cap. 34. num. 1.* Henriq. *l. 13. de excom. c. 39. n. 1.* Verū hęc opinio in iure fundamentū non habet, quia è contra textus ille expressè de Sacro Ordine loquitur, nec est vndè in præfiti vox Sacer Ordo impropriari debeat, vt ad Ordines Minores extendatur. Nec alij textus quos aliqui ex prædictis adducunt, probant. Nam *in cap. penult. dist. 50.* non est sermo de apostatis, sed de publicè pœnitentibus, caput verò finale eodem titulo continet sententiam ferendam, & prohibet apostatas ad clericale officium admitti, sed non interdicit vsum ordinis, si promoueantur. Et ideò apostatam ex vi dicti *c. fin. de apostatis* tempore apostasiæ esse inhabilem solum ad Ordines Sacros suscipiendos, ita vt si aliquem suscipiat sit ab illius vsu suspensus tenent Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 31. sec. 6. num. 2. & tom. 4 de relig. tr. 8. l. 3. c. 9. num. 30.* Sanchez *l. 6. Mor. c. 8. num. 26.* & addit Palaus *tr. 16. disp. 4. p. 16. num 12.* quod ille textus cum sit Concilij Prouincialis Arelatensis, secundi non obligat extra illam Prouinciam, Bonac. *de clau. q. 2. p. 11. §. 4. num. 5.* Sed ex DD. qui oppositum sentiunt, plures ideò id tenent, quia putant apostatam esse excommunicatum excom. *dicti c. vt periculosæ*. Et quidem apostatam aliquando esse excommunicatum speciali excommunic. ex priuilegijs aliquibus regularibus concessis, probatum fuit. Vndè ex hac parte non est dubium, quod apostata ad nullos ordines potest promoueri, & si aliquem suscipiat fit irregularis. Sed ex vi præfati *cap. final.* de apostatis solum prohibetur ordinari ad Sacros Ordines, & si aliquem suscipiat est suspensus ab illius vsu.

279. Alia quoque difficultas se offert, an scilicet si apostata consecretur in Episcopum maneat suspensus ab officio Episcopatus, cum Episcopi consecratio inter ordines non numeretur. Nihilominùs apostatam, nec posse consecrari in Episcopum in vim dicti *cap. finalis de apostatis* docet Suares dicto *cap. 1. num. 30.* Tum per regulam à fortiori, quia plus est consecrari in Episcopum, quam ordinari in Diaconum. Tum quia per Episcopi consecrationem perficitur, & extenditur Sacerdotalis characteris, vndè illa intelligitur sub nomine ordinis.

280. Quantum autem sit ex vi dicti *cap. fin.* apostata non manet suspensus ab ordinibus ante apostasiam susceptis, sed solum ab eo ordine sacro, ad quem fuit in apostasia promotus. Sed dubium est, an ex hoc sit etiam suspensus, & impeditus ne possit ascendere ad ordines superiores. Licet verò aliqui oppositum senserint, eo quia in textu fit sermo de solo vsu ordinis suscepti, tamen ex regula illa *cap. cum illorum de sentent. excom.* scilicet, *cum maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora*, dicendum est apostatam si in apostasia aliquem ordinem sacrum suscipiat nedum esse suspensum ab vsu illius ordinis, sed ex hoc manere impeditum ne etiam post apostasiam possit ad maiores ordines promoueri sine Papæ dispensatione, vt docent Io. Andreas, & *cap. fin. num. 1.* Anton. *num. vlt.* Card. *fin.* Anch. *nu. 3.* Ab. *num. 2.* Anan. *à princ.* Henr. *cap. ex parte, nu. 5.* & ibi Belam. *num. 3. de temp. ordin.* Tabien. *v. apost. q. 12. num. 15.* Armil. *num. 12.* Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 31. sec. 6. num. 3.* Sanchez *l. 6. Mor. c. 8. num. 22.* Pa-

laus

lius d.p.16.num.12. Anton. à Spir. Sancto tr.3. disp. 6.num.1238. & d.6.num.1424. Bonac. de claus. q.2. p.11.§.4.num.5. & 9.

281. Ex quo sequitur, quod si apostata dispensetur a Pontifice super vsu ordinis sacri suscepti in apostasia, simul dispensari, vt possit ad alios ordines promoueri: licet enim hæc duo sint separabilia, & regulariter in separabilibus ex vna dispensatione non inferatur dispensatio alterius; tamen in accessorijs extensio valet. Et quia in præsenti apostata manet impeditus ne ascendat ad maiores ordines non principaliter, sed accessoriè ex eo, quod est suspensus ab vsu ordinis minoris, ideo si absoluatur à suspensione ista simul liberatur ab impedimento promouendi ad ordines superiores. Suarez de cens. disp. 31. sect. 6. Azor. p.1.l.12.c.17.q.5. Sanchez ibid. num.23. Bonac. d. num.9. Ballæus v. apostasia. num.6.

282. Dubitat etiam Sanchez num. 27. an quæ dicta sunt vera sint de religioso indebitè translato ad alium ordinem. In qua difficultate ipse sustinet partem negantem cum Hostiens. Astens. Sayro, & Azorio. Quibus Maiolum, Altetium, Lessium, Sanctarellum addit Bonac. de claus. q. 2. p.15.§.4.num.6. Sed quia modo in illis Religionibus in quibus illicitè transeunti sunt impositæ nota apostasiæ, & eius pœnæ, seu censuræ ipso facto incurrendæ, sicut in Const. Gregorij XIII. Esponi data 13. Octobris 1584. huiusmodi censuræ, & pœnæ latæ sunt contra illicitè transeuntes à Societate, sic transeuntes, & in alio ordine promoti ad aliquem sacrum ordinem manent perpetuò suspensi ab vsu suscepti ordinis, nisi per Papam dispensentur. Nec verum est, quod tradunt Gloss. cap. ex parte. v. liberè, de tempor. ordin. & ibi Henr. num.6. & Bellam. num.3. quod scilicet Episc. possit in hac suspens. dispensare, quia hoc directè est contra textum illum cap. fin. de apostatis. Si verò apostata in apostasia ad nullum ordinem fuerit promoueatur, apostasia cessante liber est, vt possit ad quemcumque ordinem promoueri, quia ad hunc casum illius textus dispositio non se extendit, vt ibi tradunt Innoc. Host. Io. Andr. num. 5. Card. q. 5. Anch. num.3. Suarez tom.5. in 3. p.d.31. sect.6. num.5. Sanchez loco citato num.29. Palaus num. 12.

283. Sic verò expenso textu illo cap. final. de apostatis, se offert considerandum cap. cum illorum de sententia excom. Nam Donatus p.2. tr.6 de apostasia q.20.num.4. ait, quod apostatæ habitu dimissо suscipientes ordines etiam Minores remanent perpetuò suspensi ab exercitio ordinum susceptorum ex cap. cum illorum, de sent. excommun. idem tenent Bonac. de Sacr. ord. p 5.§.1.num.11. Verùm in eo cap. non est sermo de apostatis, sed de excommunicatis ob violentam Clerici percussionem. Quod si ex eo cap. desumatur hæc suspensio, quia communis omni illi, qui suscipit ordines in excommunicatione, iam hæc suspensio non est pœna specialis, sed est contenta in excommunicatione, quam tamen non incurrunt omnes apostatæ, vt ex dictis manet probatum, sed solum qui vel dimittunt habitum, vel ex speciali statuto illis est imposita.

284. Tertio autem adduci posset Constit. 14. Pauli IV. Postquam diuinu per quam apostatæ suspenduntur ab exercitio cuiuscumque ordinis. Hanc enim esse confirmatam per Pium Quintum in sua Constit. Quacumque sacrarum, affirmat Donatus loco citato num. 5. Nihilominus eam suspensionem non subsistere, quia illa constitutio non sit in vsu docent Sanches dicto l.6.c.8.num.30. & Rodriq. tom.1.q.30.a.4. Palaus d.p.16. num.13. & Donatus ibid. Veritas verò est, hanc suspensionem hodie non subsistere, quia Constit. illa Pauli IV. fuit ad terminos iuris reducta per Constit. 3. Pij Quarti. Bonac. de claus. q. 2. p. 15. §. 4. num.5. Pius verò Quintus, vt aduertit Sanches dicto cap. 8.num.10. in fine, & considerauit etiam Pasqualigus ad Franc. num. 1051. nec declarauit, nec confirmauit bullam Pauli IV. Quia imò nec de eadem re tractat, Paulus enim Quartus contra apostatas agit, Pius verò Quintus contra illos ordinum Prælatos, qui virtute priuilegiorum recipiunt ad se venientes ex alijs ordinibus, prohibens ne in posterum possint recipere aliquem, nisi secundum iuris communis dispositionem.

285. Ex quo deducitur, nec inter pœnas apostatarum ex iure communi posse numerari illam inhabilitatem perpetuam ad omnes gradus, & beneficia, quam ex Paulo IV. & Pio V. enumerat 6. loco Donatus ibid. num. 7. licet dicat non esse in vsu. Quia in Bulla Pij V. hæc inhabilitas non extat, & bulla Pauli IV. reducta ad terminos iuris communis vigorem non habet.

286. Deducitur etiam falsum esse, quod aliqui apud Lezanam t.1.c.16.num 12. dicunt, scilicet apostatas de iure communi esse irregulares, cum de hoc nullus sit textus, solumque ex illo cap. finali de apostatis sint irregulares secundum quid, quatenus in apostasia non possunt ordinari ad Sacros ordines. Quamuis per accidens, vt plurimum illi sint irregulares, quia exercent actum alicuius ordinis cum aliqua censura, vt idem Lezana obseruat ex Suarez tom. 5. in 3. par. d. 31. sect. 6. num. 2. & Sanchez l. 6. Mor. c. 8. num. 25. & 26.

287. Quæritur quartò, an apostata sit inhabilis ad dignitates. Nam non desunt, qui dicant apostatam esse inhabilem etiam post apostasiam, vt assumatur in Abbatē, vel Superiorē religionis. Citatur pro hac sententia D. Anto. 3.p.tit.24.c.53. sed ibi loquitur nō de apostata, vt apostata, sed de dimittente habitum religiosum. Citatur etiam Sylu. v. excommunicatio 9. casu 54.num.52. Vbi Sylu. verè supponit quod apostata non possit eligi in Abbatem, sed non per hoc asserit, quod sit simpliciter inhabilis. Citatur etiam pro hac sententia Archid. c. 2.num. 1. ne Clerici, vel Monachi in 6. & cap. legi num.1.c.6 q 1. & ibi Bellam. & probatur ex cap. perpetuas, de voto, vbi electus in Episcopum habens votum religionis non impletum cogitur renunciare. Et ita hanc eandem sententiam tenet Donatus dicta q.20.num 8. Verum prorsus nō est hæc pœna admittenda per se, & directè; si enim alias apostata ob aliquā causā sit irregularis, erit quoq; inhabilis ad dignitates ordinē supponentes, sed per se, & directè Apostata non contrahit hanc inhabilitatem, quia nullus est textus in quo promulgetur hæc pœna contra apostatas. Nec ad rem facit cap. perpetuas de voto, quia ibi Episc. cogitur resignare Episcopatum non in pœ-

nam alicuius culpæ, sed quia est ligatus voto, cui priùs tenetur satisfacere. Minùs probat *cap. legi* 16. *q.* 1. quod adducit Pasqual. ad Franc. *num.* 1038. ad idem probandum cum in eo *cap. quod est* Augustini contineatur consilium, non præceptum, seu capitulat quid recta ratio dictet. Et præterea sermo ibi est de clericatu, non de dignitatibus. Et ideò hanc partem tenuerunt Oldrad. *cons.* 202. Anchar. *cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi in* 6. & ibi Probus *addit. ad Monach. num.* 7. Domin. *num.* 4. Franc. *num.* 7. Azor. *l.* 12. *c.* 17. *q. vlt.* Suarez *dicta cap.* 8. *num.* 31. vbi docet præter *suspens. cap. final. de apos.* nullam aliam pœnam esse iure communi statutam contra apostatas, Sanchez *l.* 6. *Moe. c.* 8. *num.* 31. & alij DD. quorum aliquos refero infra, In ordine verò Prædicator. apostata est inhabilis nedum ad Prælaturas, sed etiam ad Minora officia Supprioratus, & Vicariatus Conuentus, & est voce actiua, & passiua priuatus. Sed in hac pœna dispensat Magister Ord. vel Capitulum Generale, vt in *Constit. d.* 1. *c.* 20. §. 4.

288. Quæritur quinto, an apostatæ sint ipso iure infames, ac proinde inhabiles, vt admittantur in testes, & sint quoque ea hac parte irregulares. Est enim valdè communis sententia apostatas à religione esse de iure communi infames, Sic enim ex *cap. alieni* 23. 2. *q.* 7. & ex *cap. Beatus* 2. 3. *q.* 4. tenent Ledesma *de statu relig. c.* 8. *concl.* 1. *dub.* 1. Chapeauille de casibus reseruatis *p.* 2. *c.* 2. *de apostasia, v. apostasia ab ordine*, Graffius *l.* 3. *de cas. reseru. c.* 2. *num.* 36. Diaz in sua practica *cap.* 114. *num.* 2. Cotiol. *p.* 2. *de cas. reser. casu* 2. *n.* 14. Peyr. N.S. *q.* 1. *cap.* 26. *ver. Dira* 2. Hostiens. in *sum. l.* 5 *tit. de apostatis num.* 3. §. *qualiter puniantur*, Lezana *tom.* 1. *cap.* 36. *num.* 12. Pasqual. ad Franc. *num.* 1038. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 6 *num.* 1422. & apud eum Belasius. Nihilominùs Suarez *tom.* 4. *de rel tr.* 8. *l.* 3. *c.* 1. *num.* 31. admittens apostatam si sit publicus esse infamem infamia facti, negat esse infamem infamia iuris, & ad prædicta capitula duo respondet. Primum, quod in eis non est sermo de apostasia à religione, sed de apostasia communiter, & ita pœna infamiæ non est propria huius apostasiæ. Secundò, quia in dictis *cap. est sermo de infamia inferenda*, non verò de infamia, quam apostata incurrat ipso facto. Ea his verò duobus dictis Suarez. Primùm est sine dubio verum, nam in vtraque *cap est sermo* maxime de apostasia à fide, quod apparet *cap. alieni*, quod est Dyonis. Papæ Episc. ad Seuerum, ibi. *Alieni erraris consciam. &c.* & ibi *infames esse, qui suam, aut Christianam præuaricantur legem, &c.* & ea *cap. beatus*, quod est Anacleti Papæ, ibi: *his, qui Christianæ religionis, & nominis dignitatem, &c.* Vndè in vtroque capite est sermo de apostasia communiter sumpta, vt est communis Apostasiæ à fide, & ab obedientia, & ab ordine, & à religione, sed præcipuè est ibi sermo de apostasia à fide, quod amplius probatur ex *cap. si quis*, 3. *quæst.* 4. ibi. *Si quis verò à sua proposita exorbitauerit, & iussum Apostolicæ Sedis libenter transgressus fuerit, infamis recipitur. Reprobari ergo oportet eorum redarguitiones, qui in recta fide suspecti sunt. Fides autem, & conuersatio primum scrutanda est, &c.* In nullo igitur ex dictis *cap. est sermo* de sola apostasia à religione, sed de apostasia in communi, vndè pœna in illis capitibus statuta non est propria apostasiæ à religione. Secundum autem dictum Suarez maiorem habet difficultatem. Nam licet *cap. Beatus* continere videatur infamiæ pœnam per iudicem infligendum, vt colligi potest ex illis verbis, ibi: *testificandi licentia denegetur*, & ibi, *omnis autem apostata refutandus est ante reuersionem suam.* Hæc enim verba officium iudicis important, cuius est licentiam negare, & refutare. Et eo magis, quod solum durante apostasia refutandus dicitur apostata à testificando, quod est signum esse ibi sermonem de infamia facti, & peccati publici durantis, quæ non fit infamia iuris, nisi per iudicis sententiam, & quæ non durat, nisi durante peccato.

289. Sed nō est ita facilè applicare hanc intelligentiam *cap. Alieni*, cuius verba ex malo codice retulit Suarez. Non enim dicit, vt Suarez refert *infames omnes esse censendas*, qui, &c. sed ait. *Infames omnes esse censemus*. Et sic Pontifex supremus iudex sententiam protulit, & infames declarauit omnes, qui suam, aut Christianam præuaricantur legem, &c. Sed nihilominùs dicitur, quod verba illa infames esse censemus non important necessario infamiam iuris, sed benè intelligi possunt, vt significent infamiam facti, qualem contrahunt omnes publici peccatores. Et quod ità debeat textus ille intelligi probatur primo, quia verbum censemus non est nouæ pœnæ inductiuum, sed est declaratiuum eius, quod est, & sic sensus est, infames esse censemus, id est infames esse existimamus, & iudicamus; cum verò non constet, quod ante Dyon. Papam promulgata fuerit lex, quæ infamiam iuris ipso facto imposuerit apostatis, quibus tamen ex iure naturali competit infamia facti, de hac intelligi potest textus, qui infamiam non irrogat, sed supponit, nec apparet, vndè supponere debuerit aliam infamiam, quam facti. Secundò, quia ibi textus loquitur de omni apostasia, etiam de communissime accepta, quæ est apostasia ab obedientia legis, vt patet ibi, *aut Sacris Patrum regulis, & Constitutionibus non obedientem*. Et ibi. *Qui suam, aut Christianam præuaricantur legem*. At verò certum est apostatam ab obedientia absolutè, & vniuersaliter non esse infamem infamia iuris, sed facti. Probatur tertiò, quia infamia iuris non lauatur per solam pœnitentiam, nisi per iudicem auferatur, sed hoc est proprium infamiæ facti, vt tollatur per pœnitentiam. At verò, quod infamia hæc quæ tribuitur apostatis tollatur per pœnitentiam patet ex *d. cap. Beatus*, ibi. *Omnis autem apostata refutandus est, ante reuersionem suam.* Vndè post reuersionem refutari non debet. Et ideò quod de iure communi apostata etiam à Religione postquam reuersus pœnitentia lauit infamiam, & bonam opinionem recuperauit possit eligi ad Prælaturas, & dignitates docent Oldrad. *ratio cons.* 202. Io. Andr. *add. ad specul. tit. ne Clerici, nec Monachi*, §. *contr. l. E.* Anchar. *c.* 2. *n.* 3. *ne Cler. vel Monach in* 6. Probus *add. ad Monach n.* 7 *f.* Domin. ibi. §. *Doctores. num.* 4. Franc. *nu.* 7. Azor. *l.* 12. *Instit. cap.* 17. *q. vlt.* Sanchez *l.* 7. *c.* 8. *n.* 32. *Bonac. de claus. q.* 2. *p* 11. §. 3. *num.* 6. & Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *nu.* 1425. Itaque ergo textus ille *d. cap. alieni* potest intelligi de infamia, quæ per pœnitentiam

potest

potest purgari, iuxta sensum *d. cap. Brotas*, & sic potest intelligi de infamia facti. Quartò additur, quod, & in *cap. Si quis*, quod est Pij Papæ sermo est de infamia facti, & sic de infamia iudicanda per quam aliquis sit medio iudicis sententia repellendus ne in iudicio sit testis, vt apertè colligitur ex illis verbis: *Fides eorum, & conuersatio primum scrutanda est, & deinde qui irreprehensibiles apparuerint sunt recipiendi, & non prius.* Iudicium enim, & examen iudicis exigit Pius, & omnem inobedientem, & reprehensibilem censet repellendum esse à testimonio ferendo: cum ergo & *in cap. alieni* sermo sit de omni inobediente, pariter est sermo de infami infamia facti, qui per iudicem comperta sic infamis declarandus sit infamis, & sic sit infamis de iure, & vt talis repellendus, & de hac infamia facti intelligendi sunt etiam DD. supra citati, vt per infames de iure intelligantur illi quos ius vult haberi, vt infames infamia facti, & subiectos esse inhabilitati, quam secum ferre possit notorietas delictorum, seu facti infamia, quæ tamen possit lauari per pœnitentiam, vt aliqui eisdem DD. expresse admittunt.

290. Quæritur sexto, an apostatæ, gaudeant Religionis priuilegijs. Non gaudere enim pro indubitato habet Mandosius de priuil. ad instar Glos. 3. *num.* 10. & tenet Donat. *dicta q.* 20. *num.* 9. & fundantur super decreto Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 19. Sed ibi Concil. Trid. loquitur solum de eo, qui exit prætextu professionis malæ, quem decernit esse tanquam apostatam puniendum, & quod *interim nullo priuilegio suæ religionis iuuetur* Sanchez verò *dictu cap.* 8. quem sequitur Bonac. *de clau. q.* 2. *p.* 1 c. §. 3. *n.* 2. censet hanc pœnam esse ferendam, non latam, quia exprimitur per verbum futuri temporis, verbum enim futuri temporis non continet sententiam latam, sed ferendam, ex Tiraquel. *l. si vnquam v. reuertatur n.* 152. & tribus sequentibus *C. de reuoc. donat.* Couar. *cap. si haredes num.* 10. *de testam.* Azor. *l.* 7. *cr* *Epil. tit.* 3. *l.* 4. *num.* 9. Molin. *tom.* 1. *d.* 88. Nauar. *cons.* 17. *de tempor. ordinat.* Hæc ergo pœna afficit solos dimittentes habitum sub prætextu nullitatis professionis Basilæus *v. Apostasia num.* 6. & non est pœna latæ sententiæ, sed ferendæ. Cæterum Apostata gaudent priuilegijs sui Ordinis, si ad ea sit dispositus, vnde gaudet priuilegio fori, & canonis, & immunitatis à gabellis. Ant. à Sp. S. *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1426. Sanchez, & Bonacina citati.

291. Quæritur septimo, quid possint Religionum superiores in Apostatas, & quibus pœnis eos possint coercere? Et respondetur apostatas huic pœnæ subiectos esse, vt à Religionum superioribus possint excommunicari, capi, ligari, incarcerari, reduci etiam per vim ad ordinem, & hoc etiam si sint extra territorium, & vbique inueniantur, etiam inuocato brachio sæculari, & summariè, & sine figura iudicij eos reuocare, etiam si fuerint in curia Romana, etiam si ad aliã Religionem transierint, vt patet ex Mari Magno Prædicatorum, Minorum, August. Carmelit. Seruit, & priuilegio Pij Quinti pro Societate, & aliarum Religionum priuilegijs, & tradunt Nauar. *tom.* 3. *de regul. num.* 50. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *a.* 6. Sanchez *dicto c.* 8. *num.* 33. Peyr. *ad constit.* 13. Leon. x. *num.* 7. *& ad const.* 7. Pij Quinti *num.* 10. Lezana *tom.* 1. *c.* 16. *num.* 16. Leander à Murcia *in c.* 2. *reg.* S. Franc. c. 15. *num.* 6. Cornecus 3. *p. tra.* 3. *de excom. disp.* 6. *d.* 5. Palaus *d. p.* 16. *num.* 14. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1428. Tambur. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 3. *num.* 2. Bonac. de Clau. *q.* 2. *p.* 1 c. §. 3. *n.* 6. Donatus *tract.* 6. *p.* 2. *de apos. q.* 17. Qui etiam ex Baldo bene decernit superiorem regularem posse hæc præstare, etiam antequam apostatam moneat, vel eum, vt contumacem excommunicet, vel antequam imploret brachium sæculare, quia superior regularis in his agens de re sua, potest apostatam tanquam suum vbique capere, & ad se reuocare propria author. *l. si quis §. differentia ff. de acquir. possess.* & ibid. Bartol. & Nauar. *Com.* 1. *de regul. num.* 12. Et quia in hoc apostata comparatur seruo, quem dominus vbicumque inuenerit fugientem potest capere *l.* 1. *§. per seruum ff. de acquir. possess. & leg.* 2. *C. vbi curialis*, & ex alijs *legib.* quas ibid. Nauar. *allegat.* Et tandem quia hoc concesserunt Summi Pontifices in suis priuilegijs. Quamuis ad hoc, vt captura apostatarum securius, & quietius, & cum minori sæcularium scãdalo executioni multoties bonum erit imò necessarium priùs inuocare brachium sæculare. Et hæc quidem extenduntur ad eos religiosos, qui transacto termino manendi extra claustrum sine licentia, nolunt ad Claustrum redire. Peyrin. loco citato. Auila de censuris *part.* 2. *cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 4.

292. De apostatis igitur, vt ad claustrum redeant compellendis ità habetur pro Ord. Præd. *in constit.* 7. Greg. XI. seu in Mari Magno apud Lezanam §. 20. *Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro factam, ab ipso Ordine sine sui Magistri, seu Prioris licentia decedat, decedentem verò absque cautione litterarum alterius ipsorum prætextu alicuius priuilegij Apostolica Sedis nullus audeat retinere, quod si forte retinere præsumpserint, vobis Magister, & singuli Priores dumtaxat, & vestris Vicarijs liceat sit in ipsos decedentes Fratres excommunicationis sententiam promulgare: detinentes verò eosdem secum, vel in Monasterijs, seu Ecclesijs suis, nisi eos eiecerint, postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententia volumus subiacere, non obstantibus quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem.* similia verò habetur in Mari Magno Minorum §. 21. & Eremitarum S. Aug. §. 15. & Carmelitarum §. 74. & 9.

293. Pro eisdem verò Prædicatoribus Leo Decimus in constitutione Accepimus edita 24. Aug. 1518. in Bullar. eiusdem Ord. pag. 188. ad rem hanc infrascripta habet. *Quodque vnusquisque vestrum in sua prouincia, dum & quoties opus fuerit, fratres extra ordinem prædictum quauis occasione, vel causa commorantes, ad ordinem huiusmodi redire cogere, & compellere possitis, apostolica authoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. De illis verò qui post apostasiam, vel per assertionem, qua professionem nunquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim, & metum emisisse asserentes apostolicas vel à pœnitentiaria nostra litteras obtinuerunt, aut obtenturi sunt in posterum quarum vigore ha-*

vt habitu Religionis dimisso, & seculari assumpto, extra iugum obedientiæ vagantur, aut vagaturi sunt committimus vobis, vt nisi ad aliam religionem in qua actu regularis vita obseruetur transierint, non obstantibus literis apostolicis, vel pœnitentiaria nostra, processibusque desuper habitis vel habendis, quas eis (etiam si vera narrassent) non nisi in foro conscientiæ, & nullo modo contra religionis vestræ iura, & consuetudines suffragari volumus, ad ordinem & ordinis locum reuocetis, Bullas & processus auferatis, habitum sacrilege relictum resumere, & pœnitentiam subire cogatis. Inuocato etiam (si & quotiens opus fuerit) auxilio brachij secularis. Qui nisi vobis paruerint, & infra octo dies mandato vestro proximos habitum perpetuo gestandum resumpserint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrant, a qua per solum Romanum Pontificem, aut magistrum generalem dicti ordinis (nisi in mortis articulo) absolui possint. Eisdemque authoritate motu, & scientia statuimus, & ordinamus, quod in quibuscunque literis ad ipsorum fratrum instantiam siue sub annulo piscatoris aut sub plumbo, vel per pœnitentiariam super præmissorum aliquo in regularis obedientiæ derogationem, etiam super quibusuis supplicationibus à nobis aut Romano Pontifice quomodocumque in posterum impetrandis, semper & indifferenter subintelligi debere (etiam si apposita non fuerit) clausula huiusmodi. Et de licentia superioris, & ea durante. *Decernentes literas prædictas, huiusmodi clausula carentes nullas nulliusque roboris, vel momenti fore, nec his nostris literis derogari posse nisi motu, & scientia supradictis. Inhibentes districtius locorum ordinarijs sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, nec non vniuersitatum rectoribus, ac illarum conseruatoribus, parrochialiumque Ecclesiarum rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem parrochialium Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, eo ipso (si contrafecerint) incurrendis, ne vos quominus fratres dicti vestri ordinis sub indultorum, exemptionum, gratiarum, & literarum apostolicarum prædictarum specie, extra domos, & obedientiam vestram vagantes, capere & apprehendere, etiam violenter, illosque ad domos, & loca vndè recesserunt reducere, & carceribus mancipare valeatis, quouis modo per se, vel alium seu alios directè, vel indirectè impedire præsumant,*

294. Breuiter in substantia hæc eidem ordini concessa fuerant per Innocentium quartum in Constit. *Prouisionis nostræ* edita Tertio Nonas Martii Pontificatus anno primò, ibi. *Vobis itaq; quos in diuini nominis amore vigiles, delectat extirpare vitia, plantare virtutes: vt apostatas, vel insolentes, vestri ordinis (nisi vestris salubribus monitis acquiescant) excommunicare, capere, ac ligare, & carceri tradere (si videbitur expedire) possitis, auctoritate præsentium concedimus facultatem.* Et in Constit. *Deuotionis nostræ* edita Calen. April. Pontificatus anno tertio ibi. *Deuotionis vestræ precibus benignum impartientes assensum, capiendi, ligandi, incarcerandi, & alias subdendi disciplinæ rigori apostatas vestri ordinis, per vos, ac etiam per alios (si necesse fuerit) in quocunque habitu eos contigerit inueniri, plenam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem.*

295. Quæ duæ constit. habentur in Bullario eiusdem Ord. *pag. 16. & 22.* Vndè in hoc ordine nedum Generalis, & Prouinciales, sed & Priores locales, & eorum Vicarij possunt Apostatas coercere. Arbitratur verò Donatus *d. q. 20. num. 14.* quod hæc facultas competat etiam Vicarijs locorum. Sed hoc habere potest difficultatem; quia tam Greg. XI. seu Sixtus IV. in Mari Magno, quam Leo X. in supra citata constitut. loquitur de Vicarijs Generalis, Prouincialium, & Priorum, qui nimirum in dictorum absentia tenent vicem eorumdem, & possunt dici eorumdem Vicarij; sed illi, qui dicuntur Vicarij locorum, qui scilicet sunt superiores in Conuentibus, qui non sunt prioratus, non sunt simpliciter Vicarij alicuius Generalis, vel Prouincialis, aut Prioris. Verùm est, quod horum Vicariorum duplex est genus, nam horũ locorum quædam sunt membra alicuius Conuentus Principalis, & isti nomine Priorũ eorundem Conuentuum principaliũ ibi præsunt Vicarij. Alia loca verò sunt absoluta, & immediatè sub Prouinciali constituta, quorum superiores Vicarij dicuntur, & sunt superiores Ordinarij eorumdem locorum. Neutri tamen propriè loquendo sunt simpliciter Vicarij, vel Prouincialis, vel Prioris, quia non sunt vices gerentes, & administrantes officium Prouincialis, aut alicuius Prioris, sed sunt superiores ad parua illa loca regenda deputati. Nam Vicarij locorum immediatè sub Prouinciali non sunt Vicarij Prouincialium, quia non sunt delegati, sed ordinarij superiores illorum locorum, Vicarius verò est superior delegatus, vel si est Ordinarius, vt est Vicarius in carentia Prioris gerit officium Prioris, at verò illi Vicarij non gerunt officium Prouincialis, sed superioris localis. Vicarij verò Grangiarum sunt officiales Prioris, habentes limitatam auctoritatem, & solum secundum quid tam respectu loci, quam respectu authoritatis gerentes personam Prioris. Sed dicitur nihilominus, quod Vicarij locorum immediatè sunt Prouinciali, licet propriè, non sit Vicarij Prouincialis, vel Prioris, tamen quia in illis locis habent auctoritatem Ordinariam, & quasi prioralem, veniunt sub nomine Priorum, quia sunt veluti Priores illorum locorum, vndè etiam ordinaria auctoritate possunt excommunicare, & processus formare, & suos subditos coercere. Et ideò isti in vi priuilegiorum præfatorum apostatas suos possunt censuris, & pœnis ad sua loca reuocare. Sed Vicarij Grangiarũ hęc minime præstare possunt, quia solum secundùm quid tam respectu loci, quam respectu auctoritatis gerunt officium superioris, & dependenter à Priore principalioris Conuentus, cuius est apostatas sibi subditos reuocare. Sed distingui etiam debet, nam isti Vicarij licet non possint Apostatas excommunicare, nisi hæc facultas illis specialiter concedatur, possunt tamen, & debent apostatas retinere, & capere à suis postea superioribus puniendos.

296. Pro Minimis etiam plura similia priuilegia concessa fuerunt, nimirum à Iulio 2. *const.* 3. apud Pyt. §. 38. & *const.* 52. §. 15. & *const.* 21. §. 7.

§. 7. sed speciali consideratione dignum est priuilegium Leonis X. in const. 13. apud eundem Peyr. §. 2. 3. & 4. ibi. *Nos itaque salutaribus petitionibus vestris libenter annuere, & ita prouidere volentes, quòd excessus huiusmodi non remaneant impuniti, vobis, ac singulis vestrum, dicti Ordinis fratres, talia pro tempore perpetrantes, per vos, & familiares vestros, Clericos, & laicos, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, capiendi, & ad dictum Ordinem, seu ad aliquam domorum eius deducendi, seu deduci, & mancipari faciendi, liberam concedimus tenore præsentium licentiam, & facultatem; Ita quòd propter captionem fratrum per vos, vel laicos faciendam huiusmodi, nullas ex faventibus censuras, aut aliquam excommunicationis sententiam incurrat.*

§. 3. *Et nihilominùs venerabilibus fratribus Melfiten. cæterisque singulis Archiepiscopis, necnon Licien, & Sancti Marci, & alijs Episcopis, Prælatis Ecclesiasticis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, seu alios F. aliàs I. de Trono, & eius socios tamquam dicti Ordinis Protectori, & generali Correctori huiusmodi inobedientes, & contumaces, ac omnes, & singulos alios dicti Ordinis professores fugitiuos, & apostatas extra dicti Ordinis domos per seculum, seu aliàs, absque dicti Generalis obedientia vagantes, in eorum domibus, vel aliàs occultare præsumentes, aut de illis quouis modo notitiam habentes, ex parte, & auctoritate nostris publicè in Ecclesijs coram populo moneant, quatenus ipsi infra certum terminum, quem ad hoc eis præfixerint, dictum F. alias I. ac eius socios, aliosque singulos dicti Ordinis apostatas, & fugitiuos huiusmodi, vobis, seu alicui vestrũ, cum omnibus, & singulis libris, literis, instrumentis, ac mulis, cæterisque quibuscumque dicti Ordinis, quæ secum detulere, bonis, etiam cum fauore regio, seù brachij secularis auxilio, cum effectu restituant, & reuelent. Quòd si forsan ipsi taliter moniti non adimpleuerint, infra alium competentẽ terminum, quem ad hoc eis peremptoriè duxerint præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam auctoritate nostra publicè proferant, & eam faciant, vbi, quoties, & quando id expedire viderint, vsque ad omnium prædictorum restitutionem, & condignam reuelationem, solemniter publicari.*

§. 4. *Singulis etiam literis Apostolicis, ac indultis per præfatum F. aliàs I. dicti Ordinis professorem, ac eius socios, seu quoscumque fugitiuos, & apostatas huiusmodi sub plumbo, vel aliàs à nobis, seu Sede Apostolica, sub qualibet etiam verborum forma subreptitiè, vel obreptitiè forsan impetratis, seu pro tempore impetrandis, quibus singulis, eorum totos tenores hic pro expressis haberi volentes, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, etiamsi de ipsis, ac eorum quolibet specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, & non per generales clausulas, fieri deberet mentio in literis, pro hac vice expressè derogamus; easque F. aliàs I. ac eius socijs, vel alijs quibuscumque dicti Ordinis fugitiuis, & apostatis huiusmodi nullatenus suffragari debere decernimus: Necnon fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & de duabus dietis in Concilio generali editis, dummodò vigore præsentium aliquis vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscumque.*

297. Pariter Pius V. in sua *Const. Equum*, *quæ in Bullar. Societ. habetur pag. 90.* ita eidem Societati concessit. *Et nihilominus si quis ex Religiosis præfatis, animo indurato aliquid in contrarium attentare præsumeret, vel à dicta Societate, post in ea emissa vota, vt præfertur, absque Superioris licentia exiret, & in sæculo, vel alio etiam Regulari loco degere præsumeret, licitè dicto Generali, alijsque dictæ Societatis Præpositis, & Superioribus, eosdem transgressores, & exeuntes, tanquam apostatas, etiam per auxilij sæcularis brachij inuocationem, summarie, & sine figura iudicij, ad dictam Societatem reuocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subijcere, auctoritate Apostolica, perpetuò statuit, ordinauit, præcepit, atque mandauit.*

298. Vndè est, quod facultas procedendi contra apostatas ex vi huius priuilegij, & etiam priuilegij Pauli Tertij *in Const. licet debitum*, competit etiam Præpositis localibus. Aduertit verò Sanchez *l. 7. c. 8. num. 33.* Generalem Societatis concessisse hanc facultatem omnibus superioribus localibus contra apostatas vagantes in seculo, sed contra indebitè transeuntes ad alias Religiones solum Prouincialibus, vt in compendio priuilegiorum *v. apostata.* §. 5. Nam, & in hac parte discrimen est inter priuilegia, nam quod in Ordine Prædicatorum conceditur Generali, Prioribus quibuslibet, & eorum Vicarijs, vt ex Cæsarub. *v. apostata num. 7.* notat Lezana ad Mare Magnum Præd. in Ordine Minorum conceditur Generali, & Prouincialibus dumtaxat. Quamuis Cæsarub. putet hoc competere etiam Guardianis per communicationem priuilegiorum. Priuilegium verò Maris Magni Eremitarum S. Aug. videtur extensum ad omnes Prælatos, & priuilegium Carmelitarum in eorum Magni Magno §. 74. est indefinitum, sed §. 91. est restrictum ad Generalem, & Prouinciales. Sed priuilegium Leonis Decimi pro Minimis se extendit vniuersaliter ad omnes illius Ordinis superiores. Sed & pro Minoribus, vt videre est apud Cæsar. *v. apostata num. 5.* Innoc. IV. concessit quod Generalis, & Prouinciales, & Custodes, & cæteri Fratres, apostatas, & insolentes eiusdem Ordinis possint excommunicare, ligare, capere, & carceri mancipare, si videbitur expedire. Bulla ista Innocentij IV. est in libro dicto monumenta Ord. Minorum *pag. mih. 121. num. 264.* & similis est prorsus altera datæ ad fauorem Prædicatorum in eorum *Bull. pag. 16.* & altera datæ ad fauorem Carmelitarum ab Alex. IV. & habetur in eodem *lib. monumentu Minorum fol. 174.* sed tamen non credo, quod facultas ibi data, & præsertim facultas excommunicandi competat, nisi Prælatis, seu superioribus, qui iurisdictionem habent, incredibile est enim, quod Pontifex etiam Fratribus Laicis facultatem excommunicandi concedere voluerit. Vndè licet literæ illæ Apostolicæ sint directæ Generali, Prouincialibus, & Fratribus, concessio tamen facta debet intelligi secundum distributionem accommodam, vt ea quæ iurisdictionis sunt, solum habentibus iurisdictionis administrationem intelligantur concessa, alia verò, quæ sunt facti, omnibus Fratribus sint indulta. In priuilegio etiã Alex. IV. pro Carmelitis, literæ solum Generali, & Prioribus sunt directæ.

Sed

299. Sed considerandum, quod cũ huiusmodi priuilegiũ contineat facultatem agẽdi, & potestatẽ ex natura sua est gratia, & fauor, & priuilegiũ, & ideò est commune omnibus habentibus priuilegium communicationis, & sic Religionibus communicatione gaudentibus priuilegiũ hoc agendi contra apostatas est commune. Conar. *v. apostata. num. 7.* Sanchez *l. 7. c. 8. num. 33.* Rodriq. *t. t. q. 30. a. 3.* Mirand. *p. 1. q.* Donatus *d. 20. num. 16.* & alij communiter.

300. Sed & aduertendum est, quod etiam sine priuilegio possunt Prælati Regulares suos subditos capere, & ad redeundum ad claustra compellere, quia hoc sub ordinaria eorumdem facultate continetur. Nauar. *com. 3. num. 50. de Regul.* Suar. *t. 4. de Relig. tr. 4. l. 3. c. 2. num. 16.* Peyr. *ad const. 13. Leonis X. num. 7.* Et hoc nedum ratione iurisdictionis, quam habent super illos, ratione cuius etiam censuris possunt illos ligare, sed etiam ratione dominij, vi cuius, vt supra dicebatur, vnusquisq; potest rem suam vbicumque inuenerit recuperare. Sic enim iura hoc modo permittũt capi posse seruos fugitiuos. *l. si quis. §. different. ff. de acqui. possess. l. t. §. Per seruum, qui in fuga. ff. eodem.* Sic maritus, vxorem, Prælatus subditum, vbique capiunt. Gloss. *in l. s. ff. de rei vendic. v. vendicare.*

301. Dubium autem esse potest an Prælati Regulares possint apostatas nedum sibi subditos, sed & non subditos ab ordinem eorum reuocare. Ita quod Prouincialis nedum Prouinciæ suæ apostatas, & superior localis nedum apostatas sui Conuentus, sed etiam totius Religionis suæ possint excommunicare, capere, ligare, carceri tradere, &c. Affirmat Rodriq. *p. 1. q. 30. a. 6.* asserens ita obseruari ex vsu, & consuetudine religiosorum, idque concessisse Leonem X. Camaldulensibus, Eugenium IV. Oliuetanis, Clem. III. Clem. IV. Greg. IX. Carthus. prout refertur in *in Compend. Cister. Ord.* Idem tenent Lezana ad Mare Magnum Prædic. *numer. 66.* & certè hoc est conforme Priuileg. relatis Innocen. IV. pro Prædicatoribus, & Minoribus cum literæ Põtificiæ sint directæ superioribus nedum, sed etiam Fratribus, & priuilegium Maris Magni est valdè indefinitum. Sed nihilominùs non est admittenda confusio iurisdictionum. Si ergo vnius Prouinciæ apostata sit in alia Prouincia, indubitatum esse debet, quod Prouincialis illius alterius Prouinciæ potest contra talem apostatam procedere, & illum censuris, & vi, si opus sit, reuocare. Sed & in hac parte ille apostata est subditus illius Prouincialis ratione delicti, quia in eius prouincia ille delinquit contra Religionem seculariter viuendo extra obedientiam nedum sui Prouincialis, sed Religionis. Sed si Prouincialis vnius Prouinciæ apostatam alterius Prouinciæ existentem in alia Prouincia vellet censuris, aut violentia reuocare confunderetur iurisdictio; nec credo, quod virtute alicuius priuilegij id possit fieri. Sic ergo quilibet superior apostatam siuè suæ, siuè alterius Prouinciæ in sua Prouincia existentem potest capere, & ad Ordinem reuocare. Sed non extenditur facultas Prouincialis vnius Prouinciæ ad apostatas alterius Prouinciæ extra dicti Prouincialis Prouinciam existentes. Quod verò Lezana vbi suprà arbitratur hoc concedi veluti priuilegium, quasi de iure communi non competat superioribus Regularibus, vt in non subditos suos possint iurisdictionem exercere; cũ nos simus in casu delicti successiui, & continui; quod apostata committit vbicumque sit; cumque ratione delicti quis fiat subditus, si in alieno territorio delinquat, superiores etiam de iure communi possunt animaduertere in quoscumque apostatas sui Ordinis intra suum territoriũ existentes, quia isti etiam sic existentes in eodem territorio delinquunt, sed priuilegia dantur etiam ad tollenda dubia, & lites, & impedimenta, quæ vel ex mala legum intelligentia, vel ex coloratis prætextibus oriri possunt. Et huiusmodi est priuilegium hoc compellendi apostatas.

302. Considerandum est etiam priuilegium concessum Prædicatoribus, prout in eorum Mari Magno habetur. §. 22. quod est tale. *Illud idem* (scilicet vt superiores possint procedere contra suos tamquam contra apostatas) *intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis intra tempus probationis nulla professione facta inde præsumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi od religionem laxiorem, seu mitiorem ordinem transierint, vel quod absit, ad sæculum reuertantur, vos volumus contra ipsos rigorem vestri ordinis exercere.* Vndè superiores horũ religiosis contra suos subditos, nedum si à sua Religione apostatauerint, sed etiam si apostatauerint à Religione ad quam transierant, vel ab ea ad laxiorem illegitimè transierint, possunt animaduertere. Quod fuit concessum etiam Minimis, vt dictum est supra *num. 169.*

303. Ex recensitis verò priuilegijs deducitur, quod dum superior regularis implorat brachij sæcularis auxilium contra apostatas, tenentur iudices sæculares in conscientia hoc auxilium præstare. Peyrin. *ad Constit. 1. Iulij II. num. 97.* Pasqualig. *ad Franc. n. 1087.* quia agitur de re graui, & in qua iurisdictio sæcularis spirituali subordinata tenetur ad ei præstandum auxilium. Ideò iudices sæculares poterunt ad id cogi, & arbitrio iudicis puniri, vt habet Menoch. *l. 2. de arb. casu 452.* Farin. *in prαxi q. 97. num. 82.* Barbosa *de off. & pot. Episcopi all. 107. num. 105.* Palaus *t. 1. tr. 3. d. 4. p. 2. §. 10. num. 7. & 8.* Lezana ad Mare Magnum Præd. *num. 68.* & insuper cogi posse censuris dicit idem Lezana. Sed laicos posse excommunicatione cogi ad præbendum Ecclesiæ brachium, & adiutorium docuit Panorm. *ad cap. 1. de off. ord. n. 1.*

304. Et in casu, quod adhibeatur brachium sæculare, apprehendentes, ligantes, & cogentes redire huiusmodi rebelles, imò vbi opus fuerit pugnis, percussionibus, imò vulneribus resistentiam eorum compescentes non incurrere excommunicationem notat Peyr. *ad Const. 1. Iulij II. num. 95.* & habetur ex *cap. si Clericos, de sent. excom. in 6.* ibi, nisi ex proposito excedatur ab ipsis, & tenent Gloss. ibi, & Alciatus, & Pasqualig. ad Franc. *num. 1088.*

305. Sed nedum superiores religiosorum, sed etiam Episcopi possunt apostatas incarcerare ex *decret. Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de reformat.* & ex decretis Vrb. Octa. de apostatis, sed tamen Episcopus tenetur eos suis superioribus consignare

ab

ab eis puniendos, vt aduertit Pasqual. ad Farin. n. 1089. Vndè Episcopi officiū est solū cooperari capturæ apostatarum. Sed de his plura inferius.

306. Quæritur 8. An apostatæ sint suspecti de hæresi, si in apostasia per annum insurdescant, & sic per Inquisitores possint puniri. Affirmatiuam enim partem maximè propter decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* tanquam certam DD. supponunt. Verùm nonnulla aduertenda sunt. Primò verò hic considerandum, quod duplex contemptus censurarum datur, vt aduertunt Syluest. *v. contemptus num.* 1. Menoch. *de arbitr. cent.* 5. *casu* 416. *nu.* 27. Carena *p.* 2. *tit.* 17. §. 2. Sallelles *lib.* 5. *cap.* 5. *reg.* 394. *num.* 406. alter scilicet positiuus, seu affirmatiuus, & alter negatiuus. Primus est cum aliquis positiuè aliquem actum irreuerentiæ, aut iniuriæ infert censuræ verbis, vel factis, quod multis modis contingere potest. Sed contemptus negatiuus impropriè est contemptus, & consistit in hoc quod quis censuram non curat, nequaquam tamen illi iniuriam infert, & hoc modo excommunicationem contemnere dicitur, qui pro aliquo tempore in illa insurdescit, & non curat ab ea absolui. Et de hoc contemptu, & insurdescentia loquitur Concil. loco citato asserens illam reddere insurdescentem suspectum de fide.

307. Est verò ad hoc, vt insurdescentia inducat præfatam suspicionem necessarium primo, vt duret per annum integrum, & continuum. Vndè si quis post sex menses absoluatur ad reincidentiam, & postea reincidat in eam, & duret in ea ad alios sex menses, hæ tempora non continuantur, aut coniunguntur, vt reddant sic insurdescentem suspectum de fide. Rota *dec.* 195. *ex impressis post* 2. *volumen cons.* Farin. & ex Sanctarello de *hæres. c.* 4. *n.* 1. & Farin. *de hæres. q.* 192. *n.* 36. notat Carena *p.* 2. *tit.* 8. de insurdescente in *excom. num.* 4. cui consentit Sallelles *l.* 5. *c.* 5. *reg.* 395. 308. *n.* 409.

308. Tertiò verò considerandum hunc annum non incipere a die inentiæ excommunicationis, sed à die in quo quis declaratur excommunicatus, vt tradunt Albert. *rubr. de hæret. in* 6. *q.* 13. Riccius *in praxi* 1. 3. *resol.* 236. Sanctarel. *de hær. c.* 4. *n.* 6. Pasqualig. ad Farin. *n.* 101 Et sic nō sufficit in proposito nostro, apostatam manere in apostasia per annum, ad hoc, vt dicatur suspectus de hæresi, sed necesse est, vt priùs declaretur apostata excommunicatus, & tunc per annum pertinaciter maneat in excommunicatione.

309. Sed & quartò, aduertendum requiri ad hoc pertinaciam, ita quod non ex sola perseuerantia in excommun. sed ex sola pertinaci perseuerantia, quæ includat contemptum clauium oriatur hæc hæresis suspicio, vt cū DD. in *cap. bona, de ætat. & qual.* decidit Rota *dec.* 196. *num.* 2. *in impressis post* 2. *vol. consiliar.* Farin. & tenuit eadē Rota *decis.* 132. *p.* 2. *recent. num.* 7. ex quo infert Riciul. *de iure person. l.* 4. *c.* 8. *num.* 3. quod ad probandam insurdescentiam necesse est probare pertinaciam animumque malum, & contemptum clauium, quod & tradit Carena loco citato *num.* 6. & post Carenam *p.* 2. *t.* 8. §. 2. *num.* 6. Sallelles *d. reg.* 395. *addit. num.* 411. quod excommunicatus debet citari, vt dicat cur per tantum tempus in excommunicatione permanserit.

310. Ex quo sequitur, quod non incurrit hanc insurdescentiam excōmunicatus denunciatus perseuerans per annum in excommunicatione nedum si ignorauit se esse denunciatum, Rota Rom. *dec.* 181. *num.* 2. *inter impressas post* 5. *vol.* Consil. Farin. & Riciul. vbi supra *num.* 4. & Carena *num.* 7. & Sallelles *num.* 409. & nedum, qui intra annum institit pro absolutione, vel vt dixerunt Riciul. *n.* 7. Farin. loco citato, Carena *num.* 8. & Rot. Rom. *dec.* 202. apud Farin. *vol.* 2. *Consil. si fecit diligentias pro absolut. obtinenda*, & nedum qui propter impedimentum non potuit comparere. Ric. *var. resol. tom.* 3. *resol.* 214. Riciull. loco citato *num.* 10. Carena *num.* 8. sed & quicumque aliquam causam etiam iniustam ad sui excusationem potest adducere, vt tradit Rota Rom. *d.* 196. *ap.* Farin. *volum.* 2. *Consil.* & idem Farin. *de hæresi q.* 192. *num.* 20. Riciul. vbi supra *num.* 10. & 11. Carena loco citato. Et propterea Rota apud Seraph. *dec.* 1285. dixit quod ad effectum, vt quis propter insurdescentiam possit priuari beneficijs, tanquam suspectus de hæresi post annum debet citari ad purgandam insurdescentiam. *cap. cum contumacia*, & ibi Glossa, & DD. *in* 6. & idem docuerunt Marcs. Variar. *resol. l.* 2. *c.* 35. *num.* 6. Riciull. vbi supra *num.* 13. & hanc esse praxim testatur Carena vbi supra *num.* 8. Quamuis hic processus fieri debeat per Sanctum Officium, vt Seraph. aduertit. Et propterea addunt Riciull. *num.* 12. & Carena, non posse ad iuris effectus ex insurdescentia prouenientes procedi, ex suspitione hæresis, nisi per S. Officium priùs probata fuerit insurdescentia. Et sic ob insurdescentiam non potest apostata excommunicatus damnari tanquam de hæresi suspectus, nisi priùs probatum fuerit ipsum per annum pertinaciter, & in Clauium Ecclesiæ contemptum insurduisse in excommunicatione.

311. Circa id tamen, quod supra dictum est, scilicet, quod non est habendus vt pertinaciter insurdescens, qui aliquam causam etiam iniustam reddit suæ perseuerantiæ in excommunicatione est difficultas, quia Sallelles *d. reg.* 395. *num.* 413. tanquam certissimum asserit declarandum esse insurdescentem, qui non allegat causam iustam suæ moræ in censura lata; Et certè si sufficeret quælibet causa, nullus declararetur insurdescens, quia nullus esset, qui aliquam causam non allegaret iustam, vel iniustā. Sed respondetur, quod hic causa dici potest iusta, vel iniusta dupliciter, vel scilicet ad effectum excludendæ pertinaciæ, seu animi obdurati in excommunicatione, & contemptu clauium, & hoc modo illa est causa iusta, quæ talis est, quæ potest excludere obstinationem, seu pertinaciam, & ostendere quod mora non fuit ex clauium contemptu, sed ex alia ratione, & motiuo. Alio modo iusta dicitur causa secundum se, quia secundum se sit rectæ rationi conformis. Hoc modo dictum est non esse necesse ad excludendam insurdescentiam, quod causa sit iusta, si alias causa iniusta sit talis, quæ excludat pertinaciam contemptiuam clauium. Sic v.g. si excommunicatus moram faciat, ob causam omninò alienam ab ea, ob quam fuit excommunicatus, vt quia ob homicidium patratum iniustissimè impeditus fuit ne absolutionem procuraret, vel ab hoc fuit detentus ne valdè magnum

lucrum

fuctum ex causa etiam alias iniusta susciperet, quia ex huiusmodi causis benè constat, quod mora non est ex clauium contemptu, sed ex alia causa licet aliundè illicita, huiusmodi causa sufficit ad excludendam insurdescentiam, quia sufficit ad excludendam pertinaciam, & contemptum clauium Ecclesiæ.

312. Hæc quoque suspicio hæresis in eo, qui insurdescit in excõmunicatione lata extra forum S. Officij, est suspicio leuis. *Direct. Inq. p. 2. q. 47.* & ibi Penna. Couar. *in cap. Alma mater p. 1. §. 7.* Symach. *tit. 27. num. 4.* Genuen. *in praxi* Archiep. *c. 68. num. 8.* Farin. alios referens de hæresi *q. 192. nu. 23.* Sanctarell. *de hær. c. 4. num. 4.* Carena loco citato *num. 25.* Sallelles *d. reg. 395. num. 427.*

313. Et nihilominus praxis S. Officij est, vt contra insurdescentes in excommunicatione lata ob aliam causam, quam hæresis, regulariter non procedat, vt tradunt Penna *com. 72.* *Stat. de iudic. l. 1. c. 98. num. 36.* Lælius Zecchius *in summa p. 1. rubr. de fide c. 11. de hæresi. num. 13.* Graff. *p. 1. l. 4. c. 14. num. 3.* Lazzar. *de monit. sect. 4. q. 8. num. 20. & 21.* Borg. *decis. 33. p. 2. num. 61.* Sallelles *d. reg. 395. num. 427.* Carena vbi supra *num. 18.* referens rescriptum *Inquis. Crem. de anno 1627.* à S. Cõgregatione, ne contra huiusmodi insurdescentes procederet, nisi eadem S. Congregatione in singulis casibus consulta, & rescriptum *sub die 30. Septembris 1606. datum Vic. Epis. Placent.* in quo S. Congr. mandauit eidem esse procedendum sub nomine S. Officij Inquisitionis contra aliquem ob insurdescentiam prouenientem ex inobedientia excommunicationis censurarũ impositarum à Rota Romana, vel similium: sed tantum super insurdescentia prouenienie ex inobedientia excommunicationis, & censurarum impositarum in S. Officio. Et sic præcipuè spectato iure Concil. Trid. hæc insurdescentia verè inducit aliquam suspicionem de hæresi, & possunt Sanctissimi Tribunalis Ministri huiusmodi insurdescentes vocare, & contra illos inquirere, & procedere, vt præter citatos tenent Graff. *Simanca*, Rojas, Suarez Genuens. apud Sall. *num. 431.* & Palaus *t. 1. tr. 4. disp. 4. p. 7. n. 5.* Sed quia rari sunt, qui in contemptũ clauiũ insurdescant in excõmunicatione non lata ex causa fidei, praxis huiusmodi Sanctiss. Tribunalis est, vt non nisi cum magna maturitate contra huiusmodi non propter causam fidei excommunicatos procedat.

314. Addit verò Sallelles *d. reg. 395. num. 431.* quod huiusmodi consuetudinem S. Officij egregie moderatur praxis manuscripta *cap. 13.* vbi præmisso quod non sit procedendum contra permanentes anno integro in excommunicatione lata non ob causam fidei, sed ob aliam, vel criminalem, vel ciuilem tanquam contra suspectos de fide, & quod de hoc fuit editum decretum, & pluries in eodem tenore Episcopis rescriptum, subdit ex ordine Sanctissimi aliquando oppositum fuisse seruatum, exprimens etiam, quod tunc præcesserat sententia declaratoria insurdescentiæ, & condemnatoria, postquam si insurdescens non obediat, sed adhuc obstinato animo in insurdescentia persistat, statim incipit esse saltem leuiter suspectus de hæresi, atque non ab Ordinario, sed ab Inquisitore debet puniri, & ad abiurandum de leui dãnari. Ex quo eadem praxis regulam scitu, & obseruatu dignam collegit dicens: *Dal che si deduce, che quando pure s'habbia à procedere contra gl'insordescenti, come sospetti di fede, è necessaria, che prima siano citati, e moniti come tali auanti Monf. Aud. della Camera, ò all'Ordinario, & come tali siano condannati, & dichiarati per sentenza; che così il Santo Officio ragioneualmente v'entrarà, essendo che l'insordescenza in tal modo qualificata, induce di sua natura sospettione di mala credulità dalle censure.* Ex quo ipse Sallelles *num. 436.* deducit quod in hoc casu postquam insurdescens cœpit esse suspectus saltem leuiter de hæresi possit insurdescentia, tamdiù crescere, & animo adeò indurato, vt inducat malæ credulitatis vehemẽtem præsumptionem, imò gradatim violentam, & sit iniungenda abiuratio de vehementi, & tractandus insurdescens tanquam hæreticus, iuxta *cap. Cum contumacia de hæret. in 6.* Sed & ex hoc aduertendum mihi videtur, quod cum supra dictum sit processum super insurdescentia fieri debere per Sanctum Officium, hoc intelligitur quando insurdescentia est in excommunicatione lata ob causam fidei. Nam vbi mora sit in excommunicatione lata ob aliam causam Criminalem, vel Ciuilem, iam secundum dictam praxim S. Officium non cognoscit, nisi priùs per Ordinarium declarata insurdescentia, adhuc insurdescens obstinato animo persistit. Et sic propter simplicem huiusmodi insurdescentiam delinquentes ab eo, qui excommunicationem tulit, puniuntur. Sallelles *d. reg. 395. num. 429.* qui eadem tradit *l. 6. c. 8. reg. 500.*

315. Tandem ex his colligitur, quod insurdescens in excommunicatione lata ob apostasiam à Religione potest modo supradicto puniri per Sanctam Inquisitionem tanquam suspectus de fide. Qualiter verò sit puniendus? Ex mente Genuen. in Praxi *cap. 68. num. 8.* respondet Carena *d. tit. 8. §. 8. num. 37.* cui consẽtit Sallelles *lib. 6. cap. 8. regula 500. num. 372.* quod cum suspicio de hæresi istorum insurdescentium in excommunicatione ob alia causa, quã fidei lata, sit tantum leuis, possunt expediri cum solis pœnitentijs salutaribus. Sed, vt puto, in his semper circumstantiæ particulares sunt considerandæ.

316. Quæritur nono quibus pœnis puniendus sit apostata, qui de apostasia est conuictus plenè, vel confessus. Quæstio distingui debet. Nam vel pœnitet, vel non pœnitet criminis. Si pœnitet criminis, puniendus est iuxta cuiuscumque religionis statuta, vel si hæc non determinant pœnam, ad arbitrium iudicis. In iure enim communi non sunt pro apostasia à religione determinatæ pœnæ, vt aduertit Pasqualig. ad Franc. *num. 1099.* & prius adnotauerant Pasarell. *in sua Formular.* & Peyr. *eod. tit. lit. A.* Confectus *in sum. priuil. Mendic. tit. 13. c. 23.* Rod. *tom. 1. q. 30. a. 10.* nihil reperiri in iure cautum circa modum recipiendi apostatas. Donatus vero *p. 2. t. 6. de apostatis q. 18.* refert ex Peyrino declarationem Pij V. tunc Cardinalis Alexand. & supremi Inquisitoris, factam ex viuæ vocis oraculo habito à Pio IV. pro Ordine Minimorum, in qua tradit praxim apostatas recipiendi, & illos puniendi. Verùm cum declaratio ista emanauerit die 10. Aprilis 1559. & tota innitatur Constitutioni Pauli IV. contra apostatas, quam Pius IV. anno sequenti 1560. die 3.

Apri-

Apostat, reducit ad terminos iuris communis; modo iuri communi standum est, & particularibus religionum statutis. Et cum de iure communi nullus sit determinatus modus recipiendi apostatas, & illos puniendi, relinquitur hoc arbitrio iudicis determinandum, vbi statuta religionum non declarent. In Ordine Prædicatorum puniuntur pœnis grauioris culpæ, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & etiam aliquando carceris, & alijs salutaribus, sed grauibus pœnitentijs, & remanet nouissimus omnium fratrum, nisi pœnitentiæ operibus in dies misericordiam consequantur ex dispensatione Capituli Generalis, aut Magistri Ordinis. Sed si induratus maneat apostata, & abiectum habitum reasumere nolit, iuxta *cap. à nobis de apostatis*, est duro carcere mancipandus, & ibi durè affligendus, ita quod solummodo vita sibi misera reseruetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscat.

De temerè dimittentibus habitum religionis.

INSPECTIO III.

317. QVi indebitè de vna religione ad aliam transeunt habitum suæ religionis dimittunt, & alterius induunt; Quæstio propterea est, an hæc propriæ religionis habitus dimissio dici possit temeraria. & ita vt ex hoc transiens indebitè ad aliam religionem incidat in excommunicationem *cap. vt periculosa*, ne Clerici, vel Monachi *in 6.* & hac occasione textus ille est explicandus, & considerandus. Qui sonat in hæc verba.

318. *Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè, vel expressè professus, in scholis, vel alibi temere habitum religionis suæ dimittat: nec accedat ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Doctores quoque seu Magistri, qui religiosos habitu suo dimisso leges, vel physicā audientes scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere similiter eo ipso sint sententia innodati.* Tres verò excommunicationes continet hic textus, vna in religiosos dimittentes temere habitum suæ religionis, altera in religiosos accedentes ad studia sine licentia. Tertia in Doctores docentes, vel in scholis præsumentes retinere religiosos dimisso religioso habitu. Nulla autem ex istis excommunicationibus est reseruata.

319. Primò verò supponendum huius textus legem pœnalem esse, & odiosam, ideo que strictè interpretandam prout tradunt. Sanchez *l.6. Mor. c. 8. num. 40.* & Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 23. sec. 4. num 37.* & considerandum est, quod tamen, quia est lex pontificia in ea solus Pontifex dispensare potest, quamuis Prælati in dubio illam possint interpretari. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 5. num. 14.* Palaus *tract. 56. disp. 4. p. 6. num. 13.*

Prima excommunicatio lata est in religiosos habitum temere dimittentes. Et quatuor conditiones ad eam incurrendam sunt necessariæ. Prima est dimissio habitus facta in scholis, vel alibi. Secunda, quod habitus dimissus sit propriæ religionis. Tertia, quod dimissio sit temeraria. Quarta, quod sit talis, vt attentis circumstantijs sit apta ad periculosè vagandum. Caiet. *sum. v. excomm. c. 61.* Syluest. *v. excom. 9 num. 51.* Bannes *sup. q. 52. a. 1.* vbi de apostasia à religione. Valent. *2. 2. d. 1. q. 12. p. 1. ad finem.* Pallarel. *in princ.* Miran. *cap. 24.* Sanchez *l. 4. Mor. c. 8. num. 38.* Bonac. *de cens. in par. d. 2. q. 8. p. 6. n. 8.*

320. Primò verò quæritur qui veniant nomine religiosorum. Et dicitur eos intelligi, qui propriè sunt religiosi, siuè viri, siuè fœminæ; isti verò sunt, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua religione à Summo Pontifice approbata. D. Ant. *3. p. tit. 24. c. 53.* siuè huiusmodi religio, túc fuisset, vel nō fuisset instituta. Ideo oblati, Tertiarij, Beatæ, vel similes non cōprehenduntur in hoc textu, Donatus *p. 2. tr. 6. q. 6.* Et quia ordinum Militarium equites, licet sint propriè religiosi non veniunt in odiosis sub nomine religiosorum; ideò equites huiusmodi non comprehenduntur sub hac censura, si habitum, vel signum suæ Religionis emittant. Eo magis, quod ipsi in proprijs domibus more secularium degentes, liberam habent facultatem eundi quo volunt, etiam cum propriæ Religionis signo, vnde non est vndè dimissio habitus sit illis propria ratio vagandi. Vbi tamen inter æquites dentur, qui propriè sint Religiosi viuentes in claustro, & ad clausuram obligati sicuti sunt alij Religiosi, his non licebit dimittere temere habitum suæ Religionis, & si dimittent, incurrent in hanc excommunicationem.

321. Quæritur secundò, an excommunicatio huius textus afficiat religiosos intra claustra manentes, seu an ad incurrendam hanc excommun. sit necessaria vagatio extra Conuentum. Videtur enim eam requiri, quia in textu dicitur, vt periculosa euagandi materia subtrahatur, vndè videtur quod prohibeat solum ne religiosus extra Conuentum vagetur sine habitu. Ideo aliqui sentiunt hanc pœnam afficere solos religiosos, qui sine licentia superioris extra Conuentum sunt, & dimisso habitu vagantur. Calcaneus *consil. 123. ad primum*, apud Sanchez. *num. 59.* Alij verò credunt pœnam hanc non habere locum in religioso dimittente habitum intra Conuentum; quia hæc dimissio habitus non est materia vagandi. Ita Angelus *v. excom. 7. casu 27.* & ità iudicandum post factum ait Rosell. *v. excom. 1. casu. 16. num. 5.* Donatus *p. 2. tr. 6. q. 9.* sed alij credunt, religiosum dimittentem habitum etiam intra claustra esse excommunicatum. Ita Syluest. *v. excom. 9. casu 24. num. 54. q. fin. & num. 53. notab. 3.* Tabien. *v. excom. 5. casu 23. q. 1. num. 2.* Nauar. *sum. c. 27. num. 131.* Suyt. *de censuris c. 33. num. 41.* Azor. *l. 12. c. 17. q. 15.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 6. num. 10.* D. Anton. *3. p. tit. 24 cap. 53.* Plures alios citat Sanchez *dicto cap 8. l. 6. nu. 61.* Bonac. *de cens. in particulari disp. 2. q. 8. p. 6. num. 13.* Sed Nauar. nihil habet loco citato de hoc puncto, & D. Anton. apertè fatetur, quod dimittens habitum in propria cella, non est excommunicatus,

nec tam apertè loquitur, vt possit colligi, quod dimittens habitum extra Conuentum subdatur huic excommunicationi. Et nihilominus Sylu. Sayrus, Rodriq. p. 2. q. 76. num. 2. & alij limitant eorū sententiam, vt non procedat, nisi quando Religiosus se oculis aspicientium ostendit; secus si se occultat, quia qui sic se occultat ostendit se non habere animum vagandi. Sed limitationem reijciunt Azor. q. 13. & 14. Sanchez d. num. 61. Palaus d. num. 10. quia textus non attendit, an dimittens habitum pateat oculis intuentium, sed an assumat occasionem se offerendi incognitum, & per orbem vagandi.

322. Dicitur autem primò certum esse, ad incurrendam hanc excommunicationem non esse necessarium, vt Religiosus existat extra Conuentum sine licentia. Et ratio aperta est, quia textus non petit vagationem extra Conuentum, sed demissionem habitus ad vagandum aptam, prohibet enim demissionem habitus, quæ sit materia vagandi; at verò sine Religiosus exeat à Conuentu sine licentia, siuè cum licentia, si dimittit habitum, illa dimissio est materia apta ad vagandum, vndè est per hunc textum prohibita; vt Sylu. v. excom. 9. casu 24. num. 55. Tabien. v. excom. 5. casu 23. q. 3. num. 4. Ledesma 2. p. q. 16. a. 2. inter excommunicationes nulli reseruatas casu 25. Sayr. de censuris l. 3. c. 33. num. 19. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 23. sect. 4. Sanchez l. 6. Mor. c. 8. num. 60.

323. Dicitur verò secundò dimissionem habitus intra claustra non comprehendi sub hoc canone. Et ratio est, quia hæc non est occasio vagandi, intentio verò Pontificis fuit subtrahere à Religiosis occasionem vagandi, vt patet ex verbis textus. Nec valet dicere, quod dimissio habitus facit vagandi potestatem, quia primò hoc falsum est, quia vagari non potest, qui clausus intra claustra manet. Secundò, neque verum est, quod Pontifex intendat tollere potestatem omnem vagandi, quia hanc habet etiam Religiosus habitum non dimittens, sed occasionem proximam, & non remotam vagandi tollere vult; hæc verò importat potentiam proximam, vel proximam aptitudinem ad vagandum, quam non habet religiosus intra claustra manens. Cum enim Religiosum vagari, sit eum huc illucque ire extra monasterium dimissio habitus nec est occasio proxima, nec dat potentiam proximam ad vagandum nisi inquantum sit circumstantia se mouentis, & quiescentis extra claustra, cum vagari sit Religiosum extra claustra se mouere, & quiescere. Addo quod intantum dimissio habitus dat occasionem vagandi, in quantum Religiosum se mouentem huc illucque extra clausta potest occultare, & abscondere, & securum reddere, igitur suum effectum non potest producere nisi, vt est circumstantia se mouentis huc illucque extra claustra. Pontifex verò prohibet dimissionem secundum, quod proximè potest suum effectum producere; igitur prohibet illam, vt est circumstantia se mouentis huc illucque extra claustra. Et sic quod prohibet Pontifex est Religiosum extra claustra degere, vel esse, vel se mouere sine proprio habitu. Respondetur igitur non esse eandem rationem, quia Religiosus in quocumque loco extra claustra potest esse vagus etiam in carceribus, ad quos etiam potest moueri ex proposito in habitu alieno vt se abscondat superiori; ideò dimissio habitus coniuncta existentiæ Religiosi extra claustra, est medium per se, & proximè vtile ad occultè vagandum; & solum per accidens potest impediri ne sit proxima se occultandi, & secretè vagandi causa, sed Religiosus intra claustra sua non potest esse vagus. Secundò additur quod, Nec etiam valet, quod textus prohibet dimitti habitum nedum in scholis, sed alibi, quia hoc intelligitur de omni loco in quo religiosus vagari possit; quia vbi Religiosus vagari non potest, vel non potest esse vagus, nec locum habet finis huius legis, qui est impedire vagationem, nec casus sub hac lege comprehenditur. Religiosus verò in Conuentu nec est, nec potest esse vagus; nec dimissio habitus dat illi proximum posse ad vagandum; ideò si intra Conuentum dimittat habitum, non manet excommunicatus per hunc canonem, qui intendens impedire ne Religiosi augentur, prohibet dimissionem habitus Religiosi, tunc & vbi Religiosi vagari possunt, vel dimissio habitus potest esse occasio, & causa vagandi, & medium vtile ad vagandum. Et si dicatur, quod etiam dimissio habitus intra Conuentum potest esse occasio vagandi, quia ea intentione potest Religiosus dimittere habitum; vt securius exeat à Conuentu occultus, & incognitus, & sic postea vagetur extra Conuentum, & sic dimissio habitus etiam intra Conuentum est medium aptum ad vagandum. Respondetur, quod cum Religiosus in Conuentu vagari non possit numquam dimissio habitus, vt facta intra claustra est proxima occasio vagandi, sed tunc incipit esse causa materia, cum Religiosus è Conuentu exit. Ideò qui intra Conuentum dimittit habitum Religionis, & induit v.g. habitum secularem animo vagandi, & exeundi extra claustra, si ante exitum à Conuentu pœniteat, & habitum Religiosum reassumat non est excommunicatus. Quia dimissio habitus intra claustra per se est nimia remota occasio, & medium vtile ad vagandum, imò ad eum finem inepta, & impossibilis nisi coniuncta exitui à septis Monasterij, ideo nec de se est materia periculosa vagandi, & propterea ad hoc, vt dimissio habitus sit materia vagandi periculosa, seu ad vagandum per se apta, necesse est vt sit coniuncta cum existentia extra claustra. Et si iterum instetur, sequi ex hic, quod Religiosus carceratus, seu detentus vbi non potest exire si dimittat habitum, non sit excommunicatus, quia vagari non potest. Respondetur, & dicitur quod si Religiosus in aliquo loco extra Conuentum ità detineatur, vt non sit spes, seu moralis possibilitas exeundi, & extra vagandi, neque ibi sit aut possit esse vagus nihil interest sub quo habitu maneat, quantum ad casum huius canonis, in quo prohibetur dimissio habitus inquantum est periculosa materia vagandi: Itaque si Religiosus detineatur in carceribus extra Conuentum de scientia suorum superiorum, & sit ità custoditus vt exire non possit, nulla habitus mutatio potest illi esse periculosa vagandi occasio, ideò parum interest in ordine ad vagandum, quod hoc, vel illo habitu induatur, cum sub nullo possit exire. Quod si posset iustè exire mutando habitum, non peccaret habitum mutando, & exeundo. Si verò Religiosus extra Conuentum degens in domo

v.g.

v. g. suorum consanguineorum, assumat ibi habitum secularem, quia ibi potest esse vagus, & se occultare superioribus erit excommunicatus si id temere fecerit, vel non excusetur ex aliqua ex causis, de quibus dicemus infra, quod excusant ab incursu huius censuræ.

324. Quæritur autem tertiò horum occasione, an Religiosus teneatur semper, & vbique deferre habitum propriæ Religionis, ita vt nec vt dormiat possit illum deponere. Nam Religiosum ad hoc teneri aliqui existimat. Et ex his Graff. l. 3. *decis. c. 5. num. 76.* apud Donatum putat Religiosum etiam dum dormit teneri sub mortali ad deferendum habitum suæ Religionis, solumque à mortali excusari si ad breue tempus, nimirum ad horam habitum dimittat, & pro tunc, vel nullum, vel alium habitum sumat. Sed à S. Fausto *de voto obedientia l. 6. q. 191.* apud eundem negat hanc habitus dimissionem esse peccatum mortale, quia nullo iure hoc statuitur, & *cap. vt periculosa*, non habet locum nisi in temeraria habitus dimissione. Sed Lezana *tom. 1. cap. 13. num. 7.* distinguit; Nam putat cum Graff. esse peccatum mortale si Religiosus nudus omninò dormiat, esse verò peccatum veniale, si aliqua decenti veste indutus Religiosus dormiat sine habitu Religionis. Imò nullum esse peccatum, si ex rationabili causa solo paruo habitu suæ Religionis, & tunica interiori Religiosus dormiat, quia hoc videtur consuetudine introductum, fundantur verò hi DD. *in cap. vidua 20. q. 1. & in cap. Sanctimonialis dist. 23.* vbi præcipitur, vt Monialis nec sine habitu dormiat.

325. Vera tamen sententia est in iure communi nullum dari præceptum obligans Religiosum ad semper deferendum habitum, etiam dum dormit, sed in hac parte non adesse nisi obligationem honestatis, & decentiæ, vel maiorem si ex particularibus statutis Religionum aliquid circa hoc decernatur sub obligatione culpæ, aut mortalis, aut venialis, quod à quocumque Religioso pro sua parte attendendum est. Ratio est, quia *cap. vt periculosa*, solum prohibet temerariam dimissionem habitus, quæ contineat periculosam materiam vagandi. Nullus verò alius textus inuenitur in toto iure communi, in quo sub obligatione peccati præcipiatur, vt habitus hæreat ossibus Religiosorum sicut pellis inseparabilis. Nam capitula illa citata, nec sunt alicuius Concilij Generalis, aut Summi Pontificis, sed *cap. vidua est Concil. Tolet. x. & cap. Sanctimonialis est Concil. Carthag. 4. cap. 11.* Et non continent præceptum, sed consilium honestatis, & decentiæ. Non enim in illis textibus est aliquod verbum, quod in rigore exprimat præceptum, sed dicitur, *in cap. vidua*, quod Monialis constanter vtatur habitu Religioso, qui modus loquendi, non est præceptiuus. In *cap. verò Sanctimonialis* solum dicitur, quod in *talibus vestibus applicetur, quibus semper vsura est*. Quibus tunquam semper vsura est, cum adest occasio vtendi; Et hoc confirmatur ex consuetudine Religionum, quæ cognoscentes in hoc ex iure communi nihil esse statutum, varia decreuerunt prout ad eorum finem conueniebat, & quamplures sunt in quibus expressè statuitur Religiosos non dormire cum integro habitu. In Ordine Predicatorum lex est, vt Fratres dormiant, cum interiori indusio, seu tunica parua, e singulo, & caligis, vt habetur d. 1. *cap. 9.* Et tamen huius Ordinis proprius habitus est scapulare album, vt etiam aduertit Glossa ibid. & adhuc constitutio illa ad nullam culpam, per se obligat. Et ita quod ex sola honestatis decentia de iure communi Religiosi nunquam totum habitum dimittere possint, docuerunt D. Anton. 3. *part. 24. cap. 53.* Syluest. *v. excommunicatio 9. num. 51.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 1. cap. 5. num. 18.* Sanchez *l. 6. mor. cap. 8. nu. 49.* Donatus *p. 2. tr. 6. q. 10.* Nauar. *cap. 27. num. 131.* Bonac. *d. p. 6. n. 4.*

326. Quæritur Quartò, quænam sit temeraria habitus dimissio, ac proinde talis, ob quam huius Canonis incurratur excommunicatio. Duo autem termini hic sunt explicandi, scilicet quid sit dimittere, & quid sit temere. Itaque dimittere potest accipi, vel communissime propterea importat, non vti habitu aliquo; & hoc modo etiam, qui se expoliat, vt dormiat, dimittit habitum; alio modo sumitur propriè, & hoc moraliter loquendo est non vti tunc habitu, quando vsus exigit eo vti. Sed in proposito considerandum est, quod dimissio habitus interdicitur quatenus est occasio securè vagandi, ideoque & vagandi absolutè imò, & patrandi delicta vagando, quam occasionem dimissio habitus præstat, inquantum occultat personam, vnde persona sic occultata liberius vagari potest, & vagando patrare delicta, hinc est quod in proposito dimittere habitum propriæ Religionis est non vti habitu, tunc cum ex vsu eo vtendum esset ad se occultandum. Verum quia Ecclesia interiorem intentionem non iudicat nisi sensibiliter in aliquo signo, aut effectu innotescat, ideò dimittere habitum propriæ Religionis est occultare se per non vsum proprij habitus. Indè est, quod non omninò bene dixit Bonacina *de cens. in part. d. 2. q. 8. p. 6. num. 3.* quod hic interdicatur dimissio habitus ex intentione se occultandi, quia Ecclesia intentionem non videt, nec iudicat. Et si quis Religiosus dimitteret habitum non ex intentione se occultandi, sed v. g. ad pompam, & vanagloriam veste seculari ornatissima indutus incederet, esset sine dubio excommunicatus, quia illa habitus dimissio, & esset exterius occultatio personæ, & temerariè fieret. Nam considerari debet, an ipsa dimissio habitus exterius sit occultatio personæ, quod quidem tunc est præcipuè, quando in eo tempore, & loco, & occasione quo vsus habet, vt Religiosus incedat indutus habitu suæ Religionis ipse illum dimittit. Sed cum Religiosus dimittit habitum exiens ex causa agendi aliquid, ex qua vsus habet, vt habitus dimittatur vt cum dimittitur causa dormiendi, vel laborandi, & aliquid simile agendi, hoc est expoliare se, non verò est habitum dimittere, seu ad se occultandum habitu non vti. Debet ergo hic summopere distingui inter se expoliare, & dimittere habitum; illud est non vti habitu, cum ex vsu hominum ad aliquid agendum quis deponit habitum, sed dimittere habitum, & se per talem dimissionem occultare est tunc non vti habitu in communi conuictu, cum vsus habet, vt vnusquisque incedat

incedat habitu proprio indutus. Quid verò sit temere habitum dimittere, habetur ex Diuino Thoma, qui *supra q. 53. a. 3. ad secundum* temeritatem descripsit dicens. *Illa dicuntur fieri temere, quæ ratione non reguntur. Quod quidem potest contingere dupliciter. Vno modo ex impetu voluntatis, vel passionis, alio modo ex contemptu regulæ dirigentis. Et hoc propriè importat temeritas, vnde videtur ex radice superbiæ prouenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ: præcipitatio autem se habet ad vtrumque. Vnde temeritas sub præcipitatione continetur, quamuis præcipitatio magis respiciat primum.* Huic verò textui breue, sed insigne commentarium adhibuit Caiet. dicens: *Nota quid propriè importet temeritas, inordinationem; scilicet ex contemptu regulæ. Ex hoc enim poteris interpretari canones, quando temere transgredientes excommunicant, seu aliter puniunt, verba enim iuris non frustra apposita, nec impropriè sumenda sunt, quamuis quandoque communiter sumantur. In materia tamen pœnali, vtpote restringenda, proprietas vocabulorum restrictiua pœnarum amplectendo est. Memento ergo, quod temeritas species est præcipitationis contemptum addens.*

327. Ex his verò sequitur primò, quod id quod fit ex rationabili causa non fit temere, & quod dimittens habitum Religiosum, quia ad id habet iustam causam, & rationabilem non dimittit temere habitum. Nam nec ex contemptu, imò nec præcipitanter fit, quod fit ex iusta, & rationabili causa. Vt si Religiosus inter hostes Religionis transitutus est, vt inter Turcas, aut hæreticos, iuste habitum, aut occultat, aut dimittit, prout docent communiter scribentes in hac materia. Quæ autem sit causa iusta, & rationabilis arbitrio prudentis relinquitur Sayr. *l. 3. de cens. c. 33. num. 9.* Et sufficit causa probabilis, quia cognitio probabilis excludit temeritatem Palaus *tr. 16. d. 4. p. 6. num. 12.*

328. Hoc verò ampliatur, vt sit verum etiam si causa non sit iusta, sed apparens, quamuis non omninò excusans à peccato, vel ob ignorantiam culpabilem, vel ob imprudentem timorem eius, qui timet vbi non est iusta causa timendi. Et ratio est, quia non agit temere, qui putat se agere ex iusta causa; hic enim non agit ex contemptu regulæ, & ita si quis, vel ex impetu passionis, & leuitate animi cum aliqua apparenti excusatione dimittat habitum, non dicitur temere dimittere illum Suarez loco citato, Sanchez *dicto cap. 8. num. 41.* Lezana *t. 1. cap. 23. num. 2.* Bonac. *d. p. 6. num. 19.*

329. Et quia facere aliquid temere, idem est, quod facere illud scienter Card. Clem. 1. §. *si quis not. 1. de statu Monac.* & ibi Anchar. *num. 15.* Sanchez *dicto cap. 8. num. 43.* Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 4. sect. 10. num. 3.* qui addit esse etiam idem, quod consulto, & præsumendo, nec minorem vim, & energiam habet, quam præsumere, vt docent ijdem Suarez ibi *disp. 23. sec. 4. num. 29.* Sanchez *dicto num. 43.* Imò temere, vt ex D. T. supra. & Caiet. importat facere ex contemptu regulæ. Et quamuis, vt bene explicant Suarez *dicta d. 23. sec. 4. num. 27.* & Palaus *d. num. 8.* non accipiatur hic contemptus formalis, prout est non obedire legi, ex eo quod quis non vult legi subijci; accipitur tamen contemptus prout importat agere ex scientia, & malitia. Ideò peccans ex infirmitate, vel ignorantia etiam culpabili, quæ non tollit bonam fidem, non agit temere, quia non agit ex malitia, sed ex ignorantia, ideò non agit ex legis contemptu, & scienter. Et ita, quod dimittens habitum ex ignorantia etiã culpabili, non incurrat huius canonis excommunicationem præter Suarez, & Sanchez citatos docent, Lezana *tom. 1. c. 13. num. 2.* Donatus *p. 2. t. 6. q. 6. num. 4.* Bassæus *v. Apostasia num. 4. not. 2.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 6. num. 8.* Propterea Syluest. *v. excommunicatio 9. n. 52.* ad incurrendam hanc excommunicationem requirit dolum.

330. Ex quibus Sanchez *num. 44.* bene colligit contra Suarez *tom. 5. in 3. p. d. 4. sec. 10. num. 3.* non dici temerariam transgressionem legis illam quam in transgrediente præcessit aliqua suspicio, vel dubitatio talis legis, sed eo non adhibente diligentiam debitam ad videndum an lex detur, vel in eo casu obliget. Quia licet consimilis transgressio sit præcipitata, & culpabilis, non est tamen temeraria, quia non ex contemptu, & quia solùs peccat ex ignorantia, non verò ex malitia. Nam alias ignorantia, quam nulla omninò præcessit dubitatio, aut suspicio de legis obligatione erit ignorantia inculpabilis, quia inuoluntaria, & quia illi indiuiduo lex nullo modo est promulgata sufficienter. Et sic solus, qui peccaret ex ignorantia inculpabili, seu solus qui peccaret ex ignorantia inuincibili non peccaret temere, quod est contra doctrinam D. T. citatam, quam amplectitur idem Suarez ibid. *disp. 23. sect. 4. num. 27.*

331. Secundò colligitur, quod non quælibet derelictio habitus dicitur temeraria dimissio, quia aliud est se spoliare habitu, aliud est illud dimittere: hic verò non excommunicantur Religiosi se expoliantes habitu, sed illum dimittentes. Vnde requiritur talis expoliatio, quæ moraliter dicatur dimissio Syl. *v. excom. 9. casu 24. num. 52. not. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 24. cap. 53.* Nauar. *sum. c. 27. num. 131.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 23. sec. 4. num. 27.* Azor. *lib. 12. Mor. cap. 13. q. 5. casu 16.* Rodriq. *tom. 2. q. 76. a. 6.* Bassæus *v. Apostasia n. 4.* Bonac. *d. p. 6. num. 3.*

332. Tertiò colligitur è contra incidere *in excom. huius canonis*, qui dimittit habitum scienter, licet ad tempus, non desinit enim esse temeraria dimissio ex eo, quod dimittens habitum intendat illum aliquando reassumere Caiet. *v. excom. cap. 61.* Nam & Religiosi, qui in habitu sæculari morabantur in scholis post completa studia habitum reassumebant, & tamen præcipue contra istos fulminata fuit hæc excommunicatio; Et Pontifex intendit prohibere dimissionem habitus, quæ est materia vagandi; ad vagandum verò non est necessarius habitus perpetuò dimissio Caietanus *in sum. v. excommun. cap. 61.* Sanchez *num. 48.* Bassæus *v. Apostasia num. 4.* Bonac. *d. p. 6. num. 20.*

333. Ex quo apparet ad incurrendam hanc excommun. non esse necessariam apostasiam, sicut enim potest esse apostata sine dimissione habitus,

bitus, ità potest Religiosus dimittere temere habitum sine apostasia; stat enim quod dimittat temere habitum cum animo vagandi ad tempus aliquod, & postea redeundi. Palud. 4. d. 18. q. 3. a. 3. num. 41. Nauar. cons. vnico de apostatis. Valent. 22. disp. 1. q. 12. p. 1. ad finem. Less. l. 2. c. 41. dub. 15. num. 109. Rodriq. t. 5. q. 30. a. 1. Sanch. l. 6. Mor. c. 8. num. 45. Barbosa ad cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. num. 6. Lezana t. 1. c. 13. num. 3. Bassæus v. apostasia. num. 4. Qui tamen sub prætextu nullitatis professionis dimittunt habitum suæ Religionis, non seruata forma Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Regular. non admittũtur ad aliquid allegandum, & habitum reassumere coguntur, & tanquam apostatæ puniuntur. Similiter Religiosus sub prætextu, quod non fecerit Nouitiatum in Conuentu deputato, si iuribus suis in S. Cong. Regularium non deductis, & sine illius expressa licentia è Religione exire ausus fuerit, puniendus est vt apostata, ex decreto Vrbani VIII. Fagnan. ad cap. si quis. num. 58. de Regul.

334. Collig. 4. excessisse Rebuf. praxi benef. tit. de disp. cum regularib. n. 17. dicentem Religiosum sine licentia superioris vagantem habitu non dimisso incurrere hanc excommunicationem. Neq; enim in fugitiuos lata est hæc excommum. sed in dimittentes temere habitum. Bannes sup. q. 12. a. 1. vbi de apostasia à relig. dub. 1. concl. 6. Nauar. com. 2. de Regul. num. 61. Less. l. 2. cap. 41. dub. 15. nu. 109. Sanchez loco citato num. 46. Suarez tom. 5. in 3. p. d. 31. sec. 6. num. 1. & tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 1. num. 27. Sanctarell. de apostasia c. 3. d. 2. num. 17. Barbosa in dict. capit. vt periculosa. nu. 6. Bonac. d. p. 6. n. 5.

335. Colligitur quinto, religiosum iustè priuatum habitu si fugiat ex carceribus sine habitu non incidere in hanc excommunicationem; quia imò nec potest habitum reassumere, cum sit priuatus illo iustè. Nauar. com. 4. de regul. nu. 64. corol. 5. Rodriq. t. 2. q. 22. a. 6. Sanchez citatus num. 47. Bonac. de cens. in part. d. 2. q. 8. p. 6. n. 7. Quod idem dici debet de eo, qui per vim expoliatus est, licet iniustè, habitu religioso. Donec enim alium habitum habeat, quem induat, non ipse dimittit habitum temere, sed eo expoliatus manet inuoluntariè.

336. Quæritur quinto, quid sit habitum religiosum dimittere, est enim difficultas, an sola habitus religiosi derelictio dici possit habitus dimissio, vel requiratur alterius generis habitus assumptio. Nam sufficere proprij habitus dimissionem sine alterius assumptione tradit Suarez to. 5. in 3. p. d. 23. sect. 4. num. 18. Cui fauet, quod D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 53. sub disiunctione ait incurrere hanc excom. religiosum, qui se conspectui sæcularium exhibet, vel sine proprio habitu, vel cum alio. Idem tenet Palaus tr. 10. par. 6. num. 4. Bonacina de cens. in part. d. 2. quæst. 8. par. 6. num. 8. Vbi quod Religiosus, qui nudus fugit, aut cum fæmoralibus, hanc excommunicationem incurrit. E contrà verò, qui è claustro exit de licentia superioris, vnde de facto non vagatur quantum sit ex hac parte: si tamen dimittit habitum est excommunicatus, quia sumit eam occasionem vagandi; imò vagatur, quia licentia superioris egrediendi est licentia egrediendi retento habitu, non verò habitu dimisso. Bonac. d. p. 6. num. 12. Et ratio est, quia canon ille imponit excom. in eos, qui habitum dimittunt, at verò habitum dimittit, qui se nudat proprio habitu. Sed alij tenent, quod ad incurrendam hanc excommun. necessaria sit alterius habitus assumptio. Nam in proprietate, & vsu sermonis non dicitur dimittere habitum, qui se spoliat illo vel in toto, vel in parte, sed talis dicitur se spoliasse, vel nudasse, ille verò dicitur dimisisse vnum habitum, qui alium induit. In præsenti verò materia termini non sunt ampliandi, sed in proprio significato restrictiuo sumendi. Secundò, quia depositio proprij habitus non est periculosa materia vagandi per se, & regulariter. Nudus enim non procedet, qui vel non sit fatuus, vel ex valdè vrgenti causa, & timore aliquod periculum fugiat, sed & qui integrum habitum non defert, vel non desinet cognosci vt religiosus, & ita ex hoc non assumit materiam vagandi, vel si posset esse, quod non cognoscerετur rarius accidere potest, vt religiosus hoc modo indecenter vestitus, & pro parte exeat à Monasterio causa vagandi. Leges autem non dantur pro casibus, quæ raro contingunt, l. nam ad ea. ff. de legibus. Et ideò hanc partem tenent Sylu. v. excom. 9. casu 24. num. 52. not. 2. & num. 13. not. 3. fine. Nauar. sum. c. 27. num. 131. Tolet. l. 4. sum. c. 18. num. Bannes supra q. 12. a. 1. vbi de apos. a relig. d. 1. post 1. conclus. corol. 1. Rod. t. 2. q. 76. a. 6. not. 1. & 2. Val. 22. d. 1. q. 12. p. 1. ad finem. Sà v. excom. de non restrin. n. 92. Bassæus v. apostasia num. 4. not. 1. Sayr. de cens. l. 3. cap. 33. num. 13. Diana p. 5. tr. 5. res. 60. & tra. 14. res. 72. Syluius 22. q. 12. a. 1. quæst 2. concl. 2. & 3. Sanchez loco citato num. 51. addens huic sententiæ fauere Io. Andream, Probum, Domin. Franc. ad d. cap. vt periculosa, & Rosell. v. excom. 1. casu 16. pro quanto dicunt tunc huic excommun. locum esse, cum religiosus habitu proprio exutus, & habitu sæculari indutus se alijs ostendit.

337. Mihi videtur, quod vtraque opinio supponat casum, qui moraliter non est dabilis, scilicet quod possit dari casus, in quo dimittatur vnus habitus sine assumptione alterius. Nam excepto casu in quo quis velit omninò nudus incedere in publicum, quod certe nullus non fatuus faceret, nisi grauissima necessitate compulsus. Et in quo casu dimittere habitum non esset temerarium, quia non fit temere, quod fit cogente necessitate. In nullo alio casu potest dimitti habitus, quin alius assumatur. Nam ille habitus qui remanet, est simpliciter alius habitus à priori dimisso. Nec dicatur, quod non est habitus assumptus de nouo, cum prius haberetur, quia hic non debet attendi physicus motus, sed moralis, & debet considerari non tam motus, quam terminus illius, an scilicet terminus sit alius habitus à priori de nouo resultans. Cæterum quod nouus habitus resultet ex motu nouo, qui sit habitus assumptio physica, vel ex motu nouo, qui sit habitus physica dimissio, hoc legis, & finis legis d. cap. 2. non interest, quia lex attendit, & prohibet ne Religiosus incedat in habitu, qui sit materia vagandi, & propter hoc prohibet ne incedat in alio habitu,

quam

quam in proprio, quomodocumque fuerit, quod Religiosus alienum habitum induerit. Dicitur igitur ad quaestionem, quod dum Religiosus se expoliat aliqua parte habitus suae Religionis, vel id, quod remanet est proprius eiusdem Religionis; & hoc modo dimittens habitum Religiosum exteriorem, & retinens interiorem per quem cognosci potest vt Religiosus eiusdem Religionis cuius est, non est excommunicatus, quia non dimittit simpliciter habitum propriae Religionis, sed solum secundum quid. Vel habitus, qui remanet, non est habitus religiosus, vel non est proprius illius Religionis, sed communis illi, & alijs, & in hoc casu religiosus ille temere sic dimittens habitum est excommunicatus, quia verè, & proprium dimittit, quo se expoliat, & alium assumit, qui non est proprius sibi, sed alienus, vel communis Suarez *dic. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 28. Bonac. *de cens. in partic. d.* 2. *q.* 8. *p.* 6. *num.* 9. sic si daretur religiosus, qui interiorem habitum deferret similem secularibus, si iste dimisso exteriori habitu religioso vagaret sub habitu interiori, indubitatum est, quod esset excommunicatus, quia & habitum proprium dimisisset, & assumpsisset secularem. Quod si daretur casus Metaphysicus, quod religiosus sine necessitate temere nudus omninò in publicum prodiret, deberet puniri poena stultorum, & flagellis ad secreta suae cellae reduci, sed non credo, quod esset excommunicatus in vi d. c. 2. quia leges ad huiusmodi casus moraliter impossibiles non respiciunt, vndè lex illa loquitur de ijs qui vestiti incedunt, & prohibet ne Religiosi alicubi extra sua monasteria appareant temere habitu proprio demisso, seu quod idem est, alieno non proprio habitu assumpto: sic non approbo, quod retuli supra ex Bonacina, scilicet quod hanc censuram incurrat, qui fugit nudus, vel cum feruoralibus. Quia contra huiusmodi casus fortuitos, & raros non dantur leges humanae.

338. Quaeritur sexto, an necesse sit quod alter habitus assumptus sit habitus saecularis, vel potius incidat in hanc excommun., qui temere deposito habitum propriae assumit habitum Religionis alienae. Vnum autem est hic certum. Scilicet assumptionem habitus alterius Religionis non ad profitendum in illa religione esse materiam vagandi periculosam, idioq; religiosum temere dimittentem proprium habitum, & assumentem habitum alienae religionis esse ex vi huius canonis excommunicatum D. Antun. 3. *p. t.* 24. *cap.* 53. Caiet. *v. excom. cap.* 61. Armil. *v. excom. casu* 53. Bannes *supra q.* 12. *a.* 1. vbi de apostasia *à relig. post* 2. *conclus. corol.* 2. Passarell. *in Priu. Min. cap.* 34. Confec. *tit.* 13. *c.* 15. Rod. *tom.* 2. *q.* 76. *a.* 8. *num.* 2. Sanchez *l.* 6 *Mor. c.* 8. *num.* 65. Sayrus *de Censur. l.* 3. *c.* 38. Lezana *tom.* 1. *c.* 13. *num.* 6. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 6. *num.* 9.

339. Limitat tamen hoc Bannes loco citato, nisi alterius habitus assumptio fiat ex rationabili causa, & de licentia superioris illius Religionis, vt vnius ordinis Religiosus alteri obsequium praestet, vel concionando, vel docendo. Cui assentit Lezana *dicto c.* 13. *num.* 6. sed contradicit Sanchez *num.* 66. nisi vbi adsit grauis necessitas alterius religionis, & lex charitatis suadeat exhibendum tale obsequium, quod etiam retento proprio habitu exhiberi non possit, vt tenuit etiam Azor. *l.* 12. *c.* 17. *q.* 14. Ego puto vix dari posse casum moralem, in quo tanta sit ex parte religionis alterius necessitas, & ex parte obsequij praestandi talis incompossibilitas, cum proprio habitu religionis alicuius, vt idem religiosus possit dimisso proprio habitu, habitum alterius religionis induere ad longum tempus praecipuè; ideò nisi aliunde v. g. ex breuitate temporis haec dimissio habitus excusetur, non effugiet de facili vim huius canonis, qui dimittet proprium habitum, & alienae religionis induet, vt illi obsequium praestet. Puto etiam non esse discrimen in hoc inter habitum saecularem, & alterius religionis, & non posse religiosum etiam alterius Religionis habitum sumere, nisi ex causa ob quam posset induere habitum saecularem vrgente aliquo praecepto naturalis legis. Et tandem dico, officium concionandi, vel docēdi nō esse tale ratione cuius liceat religioso dimittere proprium habitū, nec etiam de sui superioris licentia. Nam immò Pontifex prohibet dimissionem habitus ad actus literarios adiscendi; & benè haec habitus mutatio potest esse materia vagandi.

340. Sed si religiosus exoat se habitu suae religionis, & alterius habitum indebitè sumit, vt in ea profiteatur concertatio fuit inter DD. talem enim non esse excommunicatum ex vi *d. cap.* 2. dixerunt Sanchez *l.* 6. *Mor. cap.* 8. *num.* 68. Rodr. *t.* 2. *quaest.* 76. *a.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 102. Bellet. *de poena Cler.* §. 24. *num.* 8. sed hunc esse excommunicatum dicendum est. Nam, & hic transitus secundum se potest esse vagatio, & de facto prout fit sine licentia, seu illicitè, & temerè est verè propriè fuga à religione, & ita hanc partem tenent Syluest. *v. excom.* 7. *casu* 24. *nu.* 34. *fin.* Nauar. *sum. cap.* 27. *num.* 131. Azor. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 10. & *cap.* 17. *q.* 2. Sayrus *l.* 3. *de cens. cap.* 33. *num.* 17. Suarez *tom.* 5. in 3. *p. d.* 13. *sect.* 4. *num.* 32. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 6. *num.* 9. Bonac. *de cens. in part. disp.* 2. *q.* 8. *p.* 6. *num.* 18. Puto tamen excusari posse talem transeuntem ab incursu huius excom. si laboret ignorantia & non ex contemptu, seu temere habitum dimittat. Nec opposita sententia habet fundamentum, dum asserit, transitum ad aliam religionem sine licentia non esse occasionem, vel materiam vagandi; quia immò hic transitus est fuga, & vagatio, cum sit exitus indebitus à claustro sine licentia legitima superioris.

341. Quaeritur septimo, an ob dimissionem habitus professorum, & susceptionem habitus nouitiorum eiusdem Religionis, quando huiusmodi habitus differunt, incurratur huius canonis excommunicatio. Sanchez *dicto l.* 6. *c.* 8. *num.* 53. distinguit, & ait, quod si professus non assumit habitum particularem, & proprium nouitiorum, sed solum dimittit aliquod signum peculiare distinctiuum nouitiorum à professis, non incurrit, quia nullum alium habitum assumit. Sed si nouitij portent habitum specialem, & hunc professus assumant, incurrit censuram huius canonis. Quia iste deponit habitum suae Religionis, & alium assumit; habitus enim nouitiorum, non est habitus religiosorum dicti ordinis, sed est habitus experientium. Tum secundò, nam & haec muta-

tio

tid est materia vagandi, cum fuga nouitij oon possit impediri, & ad sommum nouitius possit compelli ad dimittendum habitum, sed Bonac. d. p. 6. n. 10. discordat quantum ad secundam partem, & ait, quod si distinctio est, quia vestitui professorum aliquid addatur, si professus illud additum dimittat, ansam vagandi arripit, & est excommunicatus. Secus si distinctio est, quia habitui nouitiorum aliquid addatur, & professus illud additum assumat, quia tunc habitum non dimittit, sed aliquid aliud assumit. Sed vtraque opinio inutiliter distinguit, quia si habitus nouitiorum non est habitus illius Religionis, in omnibus dictis casibus verè professus dimittit habitum suæ Religionis, & alienum assumit; ad habituum enim Religiosorum distinctionem simpliciter sufficit distinctio per aliquod signum, quod ad distinguendam religionem sit impositum, vt patet inter habitum Prædicatorum, & Mercenariorum Hispaniæ, qui vtuntur tonica, & scapulari albo, & cappa nigra, ità quod non est distinctio nisi quia Mercenarij Crucem deferunt super habitu. Ideò vbi habitus nouitiorum esset distinctus ab habitu professorum per aliquod signum simile esset alius habitus, & quidem taliter, quod habitus nouitiorum diceretur non esse habitus illius Religionis: sed non ita fit de facto, nec habitus nouitiorum est habitus alterius Religionis. Et licet ex aliquo signo distinguatur, illud signum non est impositum ad significandam Religionem distinctam, sed ad distinguendum in eadem Religione nouitios à professis. Et ideo dicendum est, quod assumens habitum nouitiorum relicto habitu professorum non est excommunicatus, quia habitus nouitiorum alicuius Religionis est aliquis habitus illius Religionis, & cum sicus in lege pœnali, accipienda est illa significatio, quæ magis fauet, & à iure communi minùs recedit. Tum quia non potest Religiosus vagari sub eo habitu quin cognoscatur vt religiosus dicti ordinis, & ità si fugit detineatur, & impediatur ne vagetur; Vagari cum non posse minùs conuenit nouitijs, quam professis. Et licet nouitij possint redire ad sæculum, non possunt tamen vagari cum habitu Religioso.

342. Quæritur octauo, an idem sit habitum proprium dimittere, & alium assumere, & habitum proprium occultare sub alio habitu, ità vt etiam temerariè occultans habitum propriæ Religionis sit in vi huius canonis excommunicatus. Non esse tenent Io. de Ligonais *Clem.* 1. *de vita, & honest. Cleric.* Panorm. *cap. Deus qui, de vita, & honestate Cleric.* Palud. 4. d. 18. q. 3. a. 3. num. 41. Tabien. *v. excom.* 5. *casu* 23. q. 1. *num.* 1. Sayro *de censl. l.* 3. c. 33 *num.* 9. & 10. Suarez *tom.* 5. *in* 3. d. 23. *sect.* 4. *num.* 33. & 34. & *tom.* 4. *de Relig.* t. 8. *l.* 3. c. 5. *num.* 15. Sayr. *l.* 3. c. 33. *num.* 9 Bonac. d. p. 6. *num.* 11. Idem vt probabile sustinet Pa. lauser. t 6. *disp.* 4. p. 6. n. 16. Quamuis veriùs putet oppositum, & n. 7. existimat esse peccatum mortale habitum occultare, etiam dato quod occultans non esset excommunicatus. Ratio horum est, quia cum hæc sit lex pœnalis, verba in propria significatione accipienda sunt, si pœnam inuitant, & restringunt, at verò occultatio habitus, non est dimissio. Verum hæc ratio parum viget, quia occultatio licet physicè non sit dimissio habitus, est tamen moraliter, & æquiualenter, & quantum ad effectum quem lex prohibet idem sunt habitum occultare, & dimittere, vt considerauit Rota Romana apud Achilem de Graffis *decis.* Et est in lege pœnali extensio fit, quoties ea omissa frustratetur lex, & eludi posset, vt constat *ex cap. Quam, de vsuris in* 6. & ex DD. in illud scribentibus. Sic enim lex irritans testamentum vsurarij extenditur, vt irritet etiam codicillum, & donationē causa mortis, ne lex illa eludatur, & *in Clem.* 1. *de sepul.* excommunicatio lata in sepelientes in cæmeterijs tempore interdicti extenditur ad sepelientes in Ecclesijs. Et hæc non est extensio, sed tacita inclusio, vt tradit Glossa *com. recepta in cap.* 1. *v. Italia de tempor. ordinand. in* 6. At verò si liceret omninò occultare habitum proprium frustraretur lex prohibens habitum dimitti; cum religiosi tuto vagari possent habitum occultando. Nec satisfacit Bonacina respondens, quod nō eluditur constitutio ista, quia haberet locum in ijs qui dimittunt habitum, & non est facile quod Religiosus alijs vestibus proprium habitum ita occultet, vt non cognoscatur à circumstantibus. Nam imò facillimum est Religiosis ita totum habitum occultare, vt non cognoscantur, vt Religiosi suæ indiuidualis Religionis, & sic facillimum esset eludere legem. Secunda autem ratio huius opinionis est, quia non est excommunicatus religiosus, si se abscondat in curru, aut incedat in tenebris, vel velata facie, licet hæc sit vagandi causa, quia lex ista non prohibet omnem occasionem vagandi, sed solam illam, quæ fit per dimissionem habitus. Sed neque hæc ratio valet, quia non est simile, cum occultatio habitus sit æquiualenter, & moraliter habitus dimissio. Sed contra huiusmodi opinionem vrgeo magis, quia occultatio totalis habitus proprij est in rigore, & proprietate sermonis dimissio; quia deferre habitum religiosum non est illum materialiter supra se gestare. Nam & qui in sarcina inclusum illud deferret diceretur deferre habitum, quia illud materialiter portat. Deferre ergo habitum religiosum in sermone communi, & proprio est deferre illum, vt protestatiuū religionis patenter, seu portare illum, vt sensibile signum professionis religiosæ, vnde est illum deferre exterius, & visibiliter, & illum dimittere est illum non habere vt sensibile signum professionis religiosæ. Ideò absolutè dicitur religiosum, qui occultat temerè habitum religiosum, habitū dimittere, & esse excommunicatum. Ità Caiet. *v. excom. c.* 61. Sylu. *v. excom.* 9 *casu* 54. *num.* 13. q. 4. Armilla ibi *casu* 35. Bannes *supra q.* 12. *a.* 1. Nauar. *sum. c.* 27. *num* 111. Gloss. *in Clem. quoniam verò extrinseci, de vit. & honest. Cleric.* Oldrad. *consil.* 184. *num.* 15. & *ad cap.* 2. *de vita, & honest. Cler.* Io. Andr. *num.* 2. Anton. *num.* 3. Card. 1. Anchar. *num.* 4. Imola *num.* 2. & *Clem.* 2. *de vita, & honest. Cler. & ad cap. vt periculosi, ne Clerici vel Monachi in* 6. Francus *num.* 2. & ibi Probus. Sanchez *l.* 6. *Mor. cap.* 8. *num.* 63 plures alios referens Rota Rum. apud Achil. *decis. num.* Rodriq. t. 1. q. 30. *a.* 2. & *tom.* 1. q. 76. *a.* 6. Azor. *l.* 12. *c.* 13. q. 5. *casu* 16. & *cap.* 17. q. 10. Lezana *tom.* 1. *cap.* 13. *num.* 8. Sanctarell. *de apostasia cap.* 1. *num.* 20. Bellet.

let. *de pœnis Cleric.* §. 24. *num.* 6. Bonac. & apud eum alij plures, *ad cap.* 2. *num.* 6. *ne Clerici, vel Monachi in* 6.

343. Verùm tamen est, vt aduertunt Caiet. & Nauar. quod si religiosus nõ occultat omninò habitum proprium, sed ita illum defere, vt à familiariter cum illo conuersantibus communiter cognoscatur, vt religiosus sui ordinis, quod tunc non dimittit temere habitum. Quia non se occultat omnibus, sed imò se manifestat illis, qui secum familiariter, & de propinquo conuersatur. Sed & Paludanus benè aduertit, quod si religiosus in itinere defetens palium itioeris ad morem sæcularium, sicut multis religiosis est concessum, sic illo se cooperiat, vt non cognoscatur à transeuntibus, non incidit in excommun. quia talis habitus est communis religiosis, & illis concessus, vnde non defert alienum habitum, nec dimittit proprium. Inter DD. autem prioris opinionis excessit nimis Panorm. admittens non incidere in Censuram huius canonis eum, qui solum minorem habitum Religionis suæ deferens exterius induit habitum secularem, vnde illum reprehendit etiam Suarez, quia iste vestimentum exterius, & proprium signum suæ religionis dimittit. Quod verò Sanchez *num.* 64. extendit hoc, vt si professus habitum professorum occultet temere alio habitu nouitiorum, fit excommunicatus, iam fuit hoc impugnatum, quia non est dimittere exterius signum sensibile suæ religionis.

344. Quæritur 9. An omnis temeraria dimissio habitus sit punienda ista excommunicatione. Sunt autem hic plures difficultates. Et quidem prima, & principalis an dimissio habitus ad breue tempus, subijciatur huic excommunicationi, seu an ex paruitate materiæ vitetur huiusmodi censura. Nam Suarez *de censf. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 30. distinguit, & putans debere attendi intentionem dimittentis habitum, ait, quod si religiosus, vel nihil cogitat de mora manendi fine habitu, vel dimittit illum ex intentione non reassumendi illum, nisi ad longum tempus, etsi post habitus dimissionem statim pœniteat, & habitum reassumat incidisse in hanc censuram, nõn tamen si habitum dimittat pro breuissimo temporis spatio. Sed Sanchez loco citato *num.* 54. impugnat opinionem Suarez ex ea regula à se probata *l.* 2. *Mor. c.* 8. *num.* 7. quod quoties actio externa non est grauis, & lætalis, sed est talis solum per relationem ad prauam operantis intentionem non subiacet excommunicationis, vndè non est excommunicatus, qui leuiter percutit Clericum licet interius intendat illi inferre iniuriam, & fur tunc solum incidit in excommunicationem latam contra furantem, quando notabilem quantitatem furatus fuerit. Et ita quod in hac parte detur paruitas materiæ multi tenent. Bassæus *v. apostasia num.* 4. ex Syluio 2. 2. *q.* 1 a. *e. t. q.* 2. *concl.* 1. breue tempus existimat esse spacium vnius horæ. Bonac. *de cens. disp.* 2. *q.* 8. *p.* 6. *num.* 21. idem tenet, sed *num.* 22. extendit ad duas, vel tres horas. Bellet. *disp. Cleric. de pœna Cler.* § 24. *num.* 7. explicat breue tempus, vt sit illud, in quo moraliter loquendo secundum prudentem æstimationem dimissio habitus est potius expoliatio, quam dimissio.

345. Hæc verò regula Sanchez meliorem obtinet locum, vbi non prohibetur per censuram aliquid, quia sit in se malum, vel ratione malitiæ quam habet ex genere suo, sed quia est vtile ad aliquem malum finem, nam tunc attendendum est præcipuè, an actio externa habita fuerit vtilis, vel inutilis in ordine ad malum finem, quia si, & habita per multum tempus sit inutilis, non cadit sub legis censura, & pœna; alias verò erit etiam externè mala, & subiecta censuræ si pro breui tẽpore durans valeat inducere finem quem lex intendit impedire. Cum igitur in præsenti per hunc canonem non prohibeatur sub excommunicatione fuga, & vagatio, sed dimissio habitus, vt medium præbens occasionem ad vagandum, ideò si quis religiosus fugiat cum habitu non est ex hoc canone excommunicatus, vt probatum est supra num. 334. & è contra si dimittat habitum temere, & non rationabili ex causa etiam si non vagetur est ex hoc canone excõmmunicatus; ideò multo minùs debet hic attendi animus dimittentis habitum temere, sed consideranda est dimissio habitus, an secundum se in ordine ad vagationem sit notabiliter mala, vel non, nimirum si ratione periculosæ materiæ sit notabiliter mala, vel non, quidquid sit de intentione mala operantis, quæ non cadit sub lege, tanquam id, cui imponitur pœna.

346. Et nihilominùs cum difficultate hæc doctrina applicatur ad propositum nostrum; quia imò ex quo hic non est attendenda sola malitia, quæ veniat ex animo dimittentis habitum, sed & alias non est necessaria ad incurrendam hanc censuram actualis vagatio; & nihilominùs dimissio habitus secundum se est medium vtile quod potest esse occasio vagandi; igitur quælibet habitus dimissio temere facta est per hanc legem prohibita, quia dimissio habitus ex sui substantia potest esse occasio periculosa vagandi. Nec valet dicere, quod dimissio breui tempore durans, vel non est notabiliter mala, vel non est materia vagandi grauiter periculosa. Nam primum primum non est ad rem, quia non prohibetur dimissio habitus, quia sit in se mala, & prohibita, sed quia esse potest periculosa occasio vagandi. Ideò & hoc spectato difficultas remanet, quia si dimissio habitus per accidens durat breui tempore, non obstat, quia de se potuit esse occasio vagandi; & breuitas temporis accidit, actus verò iudicare debet ex eo quod est per se, non ea eo quod est per accidens. Sed si dimissio dicatur per se durare breui tempore, iam ex hoc videtur haberi recursus ad intentionem dimittentis animum pro breui tempore, quod Sanchez impugnat. Et præterea potest esse vagatio breuissimo tempore durans valdè, & notabiliter indecens illarum religioso, vt si religiosus ad horam fugiat a Conuentu, vt in platea publicè munus histrionis per vicos, & plateas obeat; igitur dimissio habitus pro breui tempore potest esse occasio turpiter vagandi extra Conuentum.

347. Propterea dicendum mihi videtur, quod ex sola breuitate temporis per se, & nude sumpta non excusetur à censura temeraria dimissio habitus, nisi sit paruissima, & talis, quæ ad nullam vagationem possit esse medium aptum; quia si ad

si ad aliquam vagationem potest esse medium aptum. non est vndè ex hac parte excusetur à censura. Et quia octdum in hora, aut dimidio aut quadrantis horæ potest Religiosus turpissimè vagari extra claustra, sed in multo minori tempore. Et ego vidi Religiosum, qui sub mentito secularis habitu in breuissimo tempore egressus à domo consanguineorum accessit vbi inimicus, erat in parua distantia, & illum occidit; ideò non potest dici, quod dimissio habitus etiam per quadrantem horæ, etiam per tempus breuius sit res parua, & non subiecta censuræ huius textus. Sed consideremus prius casus examinatos à DD. vt ad quæstionem respondamus.

348. Primò igitur communiter excusantur ab hac censura, qui dimittunt habitum, vel vt citius currant, vel vt saltent, vel vt lapidem proijciant D. Antoninus 3. *p. tit.* 24. *c.* 53. Syl. *v. excommun.* 9. *casu* 24. *num.* 52. *not.* 1. & *num.* 53. *not.* 3. Tabien. *v. excom.* 5. *casu* 23. *q.* 1. *num.* 2. Nauar. *sum. c.* 27. *num.* 131. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 23. *sec.* 4. *num.* 27. & 29. Sanchez *dicta l.* 6. *c.* 8. *num.* 55. Bellet *disq. Cler. de pœna Cler.* §. 24. *num.* 7. Baliæus *v. Apostasia num.* 4. Palaus *tr.* 16. *par.* 6. *num.* 3. Tamb. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 1. *num.* 14. Bonacina *d. p.* 6. *num.* 3. & alij communiter. Sed hoc est verum, sed non ratione breuitatis temporis; quoniam dormire per noctem non est dormire per breue tempus. Sed ratio est, quia in hoc casu religiosus se expoliat habitu, sed non dimittit habitum iuxta explicata supra *num.* 337.

349. Secundò excusant ab hac excommun. Religiosum, qui nedum deponit proprium habitum, sed assumit alienum, vt si Religiosus assumat ad breue tempus vestes virgatas, vel partitas, Clericis interdictas, vt festum amici celebret v. g. nuptias, vel Sacrum Doctoratum. Ita Card. Clem. 2. *in princ. num.* 4. *q.* 3. *de vita, & honest. Clericor.* Rosel. *v. excom.* 1. *casu* 56. *num.* 3. Syluest. Nauar. Suarez Sanchez locis citatis Rod. *t.* 2. *q.* 76. *a.* 6. *not.* 2. Barbosa *loco citato*, & alij plures. Sed primò ego considero, quod non est credibile, quod detur alicubi vsus, vt Religiosi laruati assistant amici nuptijs, & præcipuè ita vt laruati, aut vestiti veste Seculari per vias Ciuitatis extra domos incedant, cum illis nec sit licitum in habitu proprio adesse nuptijs, & conuiuijs iuxta dicta supra *q.* 187. *a.* 5. Nihilominus dico, quod in præsenti casu nunquam excusaretur similis Religiosus ex paruitate temporis, si alias hæc esset temeraria habitus dimissio; sed excusaretur, quia hæc dimissio non est nec esse potest ex natura sua occasio vagandi. Quia vbi Religiosi habitus dimissio, & alieni assumptio est manifesta, & publica, & vsu publico comprobata sicut non est aptum medium ad occultandum Religiosum, qui sub mentito habitu cognoscitur, & in publica actione detinetur, ita non est aptum medium ad securè vagandum, & ita non est materia censuræ huius canonis, qui prohibet dimissionem habitus, quæ possit esse occasio securè vagandi. Sic ergo vbi Religiosus assumat habitum alienum scienter, & manifeste, & publice, hæc habitus assumptio non est nec esse potest vagandi occasio, nisi Religiosus habitum publicè notum assumptum, postea secretè retineat. Et ideò talis demissio habitus non subest excommunicationi huius canonis, qui respicit dimissionem habitus, quæ deseruiat, vt Religiosus occultè est, & agat, & sic securè vagetur.

350. Tertiò excusant eum, qui deponit habitum ad malum finem, sed ad breue tempus, vt v.g. eum maiori delectatione fornicetur. Ita Syluest. Nauar. Suarez supra citati Sanchez *num.* 56. Azor. *p.* 1. *l.* 15. *cap.* 13. *quæst.* 5. *casu* 16. Passarell. *comp. priuil. Minim. cap.* 34. Sayr. *l.* 3. *de cens. c.* 33. *num.* 16. Lezana *p.* 1. *c.* 13. *num.* 4. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 115. & *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 61. & *tract.* 14. *res.* 72. Baliæus *v. Apostasia num.* 4. Palaus *d. p.* 6. *num.* 4. Bonac. *d. p.* 6. *num.* 3. Sed huius causa non est temporis breuitas, quia & excusaretur licet ad longum tempus actio duraret, sed ratio est, quia in hoc casu adest quidem expoliatio, sed non adest habitus dimissio; quia in his ex vsu habitus reassumendus deponitur secundùm solitum vsum. Præterquam quod habitus non deponitur nisi coram persona conscia depositionis, & sic non est ad occultandum actum, & vt Religiosus non cognoscatur, quia habitus non deponitur nisi coram persona conscia depositionis. Et ideò casus admittitur licet illum negauerint Palud. 4. *d.* 18. *q.* 3. *a.* 3. *num.* 31. D. Anton. 3. *p. tit.* 24. *num.* 53. Rod. *p.* 1. *q.* 76. *a.* 6. *num.* 2. Tambur. *t.* 3. *dis.* 8. *q.* 1. *num.* 14.

351. Sed quartò excusant eum, qui nedum deponit habitum proprium, sed pro breui tempore ad malum finem assumit alienum, vt scilicet v.g. securus eat ad meretricem, vel furetur. Hunc enim excusant Sanchez *num.* 57. Tolet. *l.* 4. *c.* 18. *num.* 3. Emanuel Sà *v. excommunicatio nu.* 9. de non reseruata Azor. *l.* 15. *cap.* 13. *q.* 5. *casu* 16. Diana locis supra citatis Bonac. *d. q.* 6. *num.* 21. Contrarium tamen sentiunt Syl. Tabiena, Nauar. Passar. Sayrus supra citati, Bannes *supra q.* 12. *a.* 1. *dub.* 2. *concl.* 5. Rod. *in sum. cap.* 43. *num.* 1. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 23. *sec.* 4. *num.* 31. Palaus *tr.* 16. *p.* 6. *num.* 3. Tamb. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 1. *num.* 14. Peir. *de subd. Relig. q.* 1. *cap.* 56. Beller. *de pœna Cleric.* §. 24. *num.* 7. Et hæc sententia vera est, neque enim Canon iste respicit durationem temporis, quo quis stat sine habitu, sed habitus dimissionem quæ sit periculosa occasio vagandi, illamque prohibet, & eo magis si animo vagandi fiat, seu intuitu alicuius vagationis. Modo in Religioso assumptio alieni habitus de se, & per se est mala, & exire à Conuentu sine licentia ad locum superioribus incertum est extra Conuentum vagari, & multo magis dum Religiosus exit ad malum finem, quod est quoddam vagari illicitum, & malum; non est igitur vndè dicatur, quod dimittens habitum proprium, & induens alienum, vt extra Conuentum securus, & occultus possit ire, quo voluerit ad fornicandum, non sit dimissio habitus apta ad pessimè vagandum, & hoc intuitu facta. & ideò huius canonis excommunicationi subiecta.

352. Quintò excusant eum, qui de nocte transiturus de vna domo in aliam, vt vitet scandalum, dimittit habitum. Vt si religiosus sit in domo Patris, vel consanguinei, & ad domum alterius consanguinei transire debeat, sed sit periculum, vt scandalizentur qui extra domum per

viam transeuntem videbunt, non peccat, si ad vitandum scandalum dimittat habitum Religiosum. Ita Bannes supra *q. 12. a. 1. de Apostasia relig. d. 2. post secundum conclus.* & Sanchez *num. 69.* Sed in hoc casu, vel dimissio habitus non est temeraria, vel non excusatur à censura. Nam vel adest causa aliqua rationabilis eundi de vna ad aliam domum; vel non adest. Si adest, cum simul ex causa rationabili dimittatur habitus, nihil temere fit, & ideò nihil fit dignum pœna huius canonis. Sed si non adsit causa rationabilis transeundi de domo ad domum, vt non adsit scandalum tenetur Religiosus non ire nec potest ob hanc rationem, vt vitet scandalum dimittere habitum, quia huius dimissionis non est causa rationabilis. Nam imò, quod intendit Pontifex est quod dimissio habitus non sit medium ad illicite vagandum; igitur in hoc casu Religiosus à transitu abstinere debet, ne det scandalum, non verò potest sine necessitate, aut causa iusta transire, & interim habitum dimittere, ne adsit scandalum.

353. Sextò excusant eum, qui ne comprehendatur in crimine per breue tempus dimittit habitum. Ità Sanchez *d. c. 8. num. 58.* Sed meritò contrarium tenent D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 6.* & Syl. *v. habitus q. 1.* Neque enim negari potest, quin huiusmodi dimissio sit de se medium ad vagandum, cum imò sit assumpta pro occultando crimine. Si tamen non esset habitus dimissio, sed expoliatio, non subderetur censuræ.

354. Septimò excusant Religiosum, qui ab immediato superiore grauatus valdè, & ad superiorem maiorem iter dirigens, quia sibi valdè timet in itinere dimittit habitum Religiosum, & sub alieno habitu transit. Hunc enim excusant Glos. *in d. cap. vt periculosa v. timere* Azor. *l. 12. cap. 12. q. 8.* Portell. *dub. regul. v. habitus in addit. num. 3.* Peyrin. *in relig. subd. q. 1. cap. 20.* Bannes *supra q. 12. a. 1. d. post 6. conclus.* Miranda *q. 51. a. 1. conclus. 2.* Coriol. *de casib. reseruatis p. 2. casu 2. de apost. num. 13.* Hieron. Rodriq. *in comp. resol. 11. num. 27.* Pasqual. ad Franc. *num. 1047. & 1048.* Belles *de pœna Cler. §. 24. num. 17.* Donatus *par. 2. tr. 7. q. 12. & 13.* Et quamuis Bannes, Miranda, Coriol. Hier. Rodriq. & Peyrin. *ad Const. 13.* Leonis 10. *§. 1. num. 10.* dicant hoc habere locum in foro conscientiæ, tamen bene aduertunt Donatus, & Pasqual. hoc valere in vtroque foro in notorijs, & manifestis. Sed hic casus in duplicem diuidi debet, vel scilicet vbi religiosus iuste exire potest, & exit à Conuentu iturus ad superiorem. Et in hoc casu loquuntur supradicti DD. sed talis habitus dimissio excusatur in vtroque foro, quia non est temeraria, sed rationabilis; ideoque excusatur etiam si duret per tempus longum. Sed si non habet iustam causam exeundi, & exit sine licentia eundi ad superiorem, tunc certè non excusatur si dimittat habitum, vt occultus incedat, vel vt effugiat iustitiam, & damnum sibi iuste inferibile à superioribus, quia dimittere habitum ad hoc modo occultè eundum, est dimittere illum ad vagandum. Et nihilominus, quid dicendum si supposita alias eius voluntate transeundi siue bona, siue mala, dimittat habitum ad vitandum latrones, vel priuatos inimicos, & persecutores, seu ad vitandum malum sibi iniustè inferendum si cognoscatur, tunc enim videtur excusari ab incuria huius excommunicationis, quia dimissio habitus non est tunc temeraria, sed rationabilis licet irrationabilis sit eius exitus à Conuentu, seu iter quod sibi est causa periculi, & occasio habitum dimittendi. Sed respondetur, quod si periculum non fuit præuisum antequam Religiosus ex illicita causa exeat, & vagetur, & non possit periculum vitare redeundo ad Conuentum, & à vagatione cessando excusabitur, quia tunc habet rationabilem causam dimittendi habitum, cum periculum aliter vitare non possit, sed si non vagando potest periculum iniusti damni fugere; tenetur non vagari, nec excusatur ex eo, quod rationabile sit fugere periculum iniusti damni, quia hoc periculum fugere potest hic Religiosus non vagando, & hoc est, quod lex intendit, vt dimissio habitus non ferat Religioso vagandi securitatem.

355. Ex his ergo quæstio principalis *num. 341.* proposita soluitur, & dicitur primo, quod per se loquendo hic non est necessario attendenda intentio dimittentis habitum respectu durationis temporis in quo habitus dimittendus est, sed consideranda est quantitas ipsa externæ dimissionis si attenta prohibitione huius canonis sit mala notabiliter, vel non. Nam in hoc bene Sanchez impugnat Suarez, quoniam incursus censuræ latæ in actionem externam non pendet, & regulatur ex intentione extrinseca, & accidentali operantis, sed ex voluntario exercitio externæ actionis in suo genere spectata prohibitione legis notabiliter malæ; vndè non excommunicatur tanquam fur, qui minimum quid furatur, etiam si habeat animum furandi quid maximum, si posset. Ideò dicitur secundò, quod dimissio habitus religiosi per assumptionem alterius habitus externi, est ex suo genere notabiliter mala, quatenus secundùm se spectata, & in proprio genere est materia vagandi: est igitur hic distinguendum inter finem huius legis & materiam; finis legis est prohibere, & impedire ne Religiosi vagentur, & per hoc prohibere, & impedire actiones indecentes religiosorum, quæ in vagando facilius occasionantur. Ideò intentio canonis est impedire ne religiosi turpiter, & indecenter vagentur, cum Dei offensa, religionis dedecore, & fidelium scandalo. Materia verò prohibitionis est dimissio habitus religiosi per assumptionem alterius, eo quod hæc dimissio sit materia, & medium aptum ad vagandum turpiter, & indecenter. Et quia hoc habet dimissio habitus secundum se, & ex suo genere, ideò secundùm se, & ex genere est prohibita.

356. Vndè colligitur, quod vix est dabilis dimissio religiosi habitus per assumptionem alterius extra Conuentum, quæ ea breuitate temporis sit materia leuis, quia nedum per horam, sed per dimidiam, & per quadrantem, & per tempus etiam valdè breuius potest religiosus turpiter vagari. Et vt dicebam ego vidi religiosum in breuissimo tempore, dimisso seu occultato habitu occidentem secularem. Non igitur hic considerandum est, quod ferre habitum sæcularem per horam videtur secundum se quid minimum, quia hæc alicui habitus dimissio non est probibi-

ta ratione indecentiæ, quam habet secundum se, sed quia est medium periculorum, & materia, seu occasio vagandi indecenter, & turpiter, seu turpia agendi, hoc verò conuenit cuicumque dimissioni habitus etiam valdè breui, ita vt non possit fere assignari tam breuis morula, quæ de se non sufficiat, vt religiosus turpiter vagetur, & indecenter. Sed benè contingere potest, quod breuia depositio habitus ea causa, & circumstantijs non fit occultatio personæ, vel non sit grauis; sic igitur dimissio habitus excusatur in Religioso ab incursu excommunicationis d. cap. 2. vel quia non est dimissio, sed expoliatio, vel quia non est occulta, sed manifesta, & sic nec est, nec esse potest occasio vagandi, vel quia non est temeraria, sed rationabilis,& vix excusari potest,quia sit breuis.

357. Non tamen assentior Suarez *num.* 31. dicenti peccatum hoc dimissionis habitus, vt sufficiens ad incurrendam censuram consummari in ipso puncto dimissionis habitus, & tunc censuram hanc contrahi; quia dimissio habitus per momentum non est materia apta ad vagandum. Bonac. *d. p 6. num.* 2 3. Ideò si habitum dimittens statim, & in continenti pœniteat,& alieno habitu deposito proprium reassumat, non est ca hoc canone excommunicatus etiamsi ex animo vagandi per multum tempus, imò & apostatandi deposuerit habitum. Nec est eadem ratio de apostasia, cuius formalitas essentialis consistit in animi malitia,quæ in instanti consummantur etiam cæteris. Sed peccatum hoc consistit in voluntaria,& temeraria dimissione apta ad vagandum,quæ non potest esse talis, si duret solum per instans, aut per breuissimum tempus. Extendere tamen hoc ad duas, vel tres horas, imò ad horam, imò ad horæ quadrantem nimium est, vt dixi *num.* 347. & quod Saytus *l.* 3. *de censur. cap.* 33. *num.* 14. ex Caiet. referat dimittentem habitum etiam per totum diem domesticè manendo excusari, si hominum sæcularium conspectui non se exhibeat, hoc est verum, quia hic dimissio habitus manifesta,& cognita non est medium vtile ad occultandum,& ad securè vagandum. Imò in eo casu,etiam si Religiosus se exhiberet conspectui sæcularium à domesticis tamen non exeundo hanc censurā non incurreret,quia sufficit Religiosum cognosci,& non esse occultum illis,cum quibus conuersatur,vt effugiat hanc censuram. Et ideò Caiet. non apponitur illam conditionem, si non se exhibeat sæcularium conspectui. Cæterum vbi Religiosus extra claustrum dimittit temerariè habitum, sufficit quod per tantum tempus illud dimittat,quantum sufficeret ad occultè vagandum, & vagando aliquid illicitum patrandum.

358. Quæritur 10. an aliquis Religiosus incidat in censuram huius canonis etiam si de licentia superioris dimittat habitum. Superior dupliciter potest subdito dare licentiam dimittendi propriæ Religionis habitum, scilicet directè dispensando in lege obligante ad deferendum habitum, vel indirectè præcipiendo, vel dando licentiam ad opus, quod nequit fieri sine periculo grauis damni, nisi habitu dimisso. Primo modo solus Pontifex potest dare licentiam ad dimittendum habitum extra Monasterium. Et ratio huius est,quia religiosum deferre proprium habitum est præceptum de iure communi, & traditione omnium Religionum, & etiam Sacrorum Canonum,vt habetur *cap. Clerici* 2. *de vita, & honest. Clericorum*,& etiam ex hoc Canone, *vt periculosa*; non potest verò Prælatus inferior Papa dispensare in iure communi. Suarez *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 15. *nu.* 16. Lezana *tom.* 1. *c.* 13. *num.* 9. Imò Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. de regularibus prohibet dari licentiam regularibus ferendi habitum occultè, vndè Prælati regulares, nec dispensare possunt, vt subditi habitum occultè ferant. Ideò si etiam de licentia superioris regularis dimittat habitum proprium, religiosus dimittens subditur huic excommunicationi nisi aliàs, ex aliqua ex supradictis causis excusetur, sicut potest excusari ex simplicitate, vel ignorantia, vel etiam ex apparentia iustitiæ causæ, si enim superior subdito asserat illum habere instans causam dimittendi habitum, & illi credat, & ex hac credulitate habitum deponat non est excommunicatus, etiam si causa iusta non sit, quia dimissio illa non est temeraria.

359. Indirectè verò Prælatus regularis potest subdito dare licentiam dimittendi habitum, dum dat licentiam ad opus, quod nequit fieri sine habitus dimissione, vt dando licentiam subdito, vt eat per ditiones hæreticorum. Sed hoc modo si omnibus pensatis opus ad quod superior dat licentiam sit bonum, & necessarium, non est dubium, quod vbi aliàs hoc opus non possit fieri sine periculo grauis damni, vel scandali, quod religiosus ex ea causa habitum dimittens non est excommunicatus, quia ea habitus dimissio non est temeraria. Sed vbi opus omnibus pensatis non sit licitum, & alicuius virtutis actus, tunc non licet religioso dimittere habitum ob tale opus ad fugiendum periculum, quia tunc periculum non est inuitum, sed voluntarium, & potest religiosus, & debet cessare ab illo opere non iuuante illum licentia indebita, & illicita sui superioris, si tamen res sit integra; & possit religiosus sine periculo cessare ab opere; Nam si res non est integra, vt si religiosus constitutus in itinere, vnde se verrat inuenit periculum, tunc iure naturæ potest se defendere à damno sibi imminenti dimittendo habitum.

360. Quæritur vndecimo, an legi huic Canonis subdantur PP. Societatis Iesu. Negat enim Sanchez *dicto cap.* 8. *num.* 70. quia Religiosi Societatis non habent proprium habitum, & vtuntur habitu communi accommodato vsui Patriæ. Secundò probari posset, quia textus loquitur de professis, at verò multi sunt ex Societate, qui verè religiosi sunt, quia emiserunt vota biennij; & tamē non sūt professi, vndè ad illos nō potest lex illa pœnalis extendi. Sed merito oppositum sentiunt Castro Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *d.* 4. *punct.* 6. *num.* 2. Bonac. *q.* 2. *de clauſ. p.* 2. *num.* 14. *& de censſ. disp.* 2. *q.* 8. *p.* 6. *num.* 25. Diana *p.* 9. *tract.* 7. *res.* 5. Nam & ista religio proprium habet habitum suo modo. Nam eius constitutio *parte* 6. *cap.* 2. §. 15. sic disponit: *In vestitu ibidem ratione tria obseruantur; Primum vt honestus ille sit, alterum vt ad vsum loci, in quo viuitur accommodatus, tertium vt professioni paupertatis non repu-*

gnet, videretur autem repugnare, si sericis, vel pretiosis pannis vteremur, à quibus abstinendum est; vt in omnibus humilitatis, & submissionis debita ad maiorem Dei gloriam ratio habeatur, & Glossa ibid. litera L. explicans secundam conditionẽ ex suprapositis, ait; *Vel saltem quod omninò non recedas*. In eadem verò religione seruari debere vniformitatem in vestitu, decernit *Constitutio p. 8. cap. 1. §. 8.* dicens: *Multum etiam confert consensio, tam in interioribus, &c. tum etiam in exterioribus, vt est vestitus, cæremonia, missa, & reliqua; quantum personarum, & locorum, & cæterorum varietas permittet*. Considerandum est etiam, quod habetur *exam. c. 1. §. 13. de nouitijs intra biennium probationis, in quo*, inquit, *habitus vllus certus Societatis non sumitur*. Sed & Iulius III. *in Constit. Exposcit debitum, data anno 1550.* in qua confirmat institutum Societatis, hæc habet. *Socij autem omnes cum presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiæ ritum, sed priuatim, & non communiter, vel in choro teneantur, & in ijs, quæ ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent honestorum Sacerdotum communem, & approbatum vsum sequentur, &c.* Ex his enim habetur, quod vestitus Societatis non est omninò indifferens, & vagus, sed suo modo certus. Et quidem primo Clericalis esse debet; Deinde inter habitus Clericales debet esse honestus, & pauper. Religiosus igitur Societatis si vel sæcularem, vel alterius religionis habitum induat dimittit habitum religionis suæ; sicut idem facit si sericis vestibus Clericorum vtatur, quæ paupertatis signum esse non possit; Sed & quantum ad formam, & circumstantias aliquas vniformiter seruatas habet hic ordo aliquam proprietatem. Vndè licet in genere non habeat habitum proprium vbique seruatum, in singulis tamen regionibus habet habitum peculiarem ab alijs distinctum, ex cuius dimissione cessat signum distinctionis, & habetur occasio vagandi per hunc textum vitanda. Quod verò dicitur de nondum professis, sed tamen per vota biennij incorporatis religioni non valet. Quia iste canon comprehendit verè religiosos, & intantum exprimit eos, qui tacitè, vel expresè professi sunt, inquantum tunc nullus erat religioni incorporatus, qui non fuisset professus. Modo verò cum ex speciali institutione, & approbatione Sedis Apostolicæ, qui in Societate emiserunt vota biennij, licet nondum professi, sunt verè religiosi, ideò isti in hac parte se habent sicut professi; Et sicut si recedant à religione sunt veri apostatæ, ità si habitum Clericalem proprium huius religionis dimittant temerè sunt excommunicati, hac excommunicatione.

361. Quæritur 11. An sub hoc canone comprehendantur Cardinales, & Episcopi ex religionibus assumpti, si habitum religionis dimittant. Respondetur verò, quod Episcopum dimittentem habitum suæ religionis talem, qualem tenetur deferre non subijci censuræ excommunicationis tenuerunt Rodriq. t. 2. *q.* 58. Azor. *lib.* 13. *cap.* 7. *qu.* 4. quos referunt, & sequuntur Sanchez *l. 6. Mor. c. 6. num.* 23. Barbosa *ad cap. 19. sess. 25. Concil. Trid. de Regular. num.* 39. Lezana *t. 1. cap. 17. num. 9. in fine.* Diana *p. 2. tr. 2. de dub. regularium resol.* 50. & hanc partem amplexus sum *supra qu.* 185. *a. 8. num. 142. pag.* 431. Nec est opus aliud addere. Episcopi enim regulares non veniunt sub nomine Religiosi, in odiosa. Loquendo tamen de religioso non beneficiato, quod sit excommunicatus si habitum suæ Religionis dimittat tradit Bonacina *d. p. 6. num.* 26. ex Sylu. *v. Relig. 7. q.* 11. D. Anton. 3. *p. tit. 16. c. 5.* & Sanchez *l. 6. Mor. c. 6. num.* 36. Qui tamen *num.* 28. eandem rationem in hoc esse putat etiam de Regulari extra Ordinem promoto ad Abbatiam habentem propriam Diœcesim exemptam, & quasi Episcopalem iurisdictionem, quæ est de Cardinalibus, & Episcopis.

362. In secunda parte *cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicantur religiosi euntes ad studia extra claustra. Qui excommunicantur sunt religiosi professi vel tacitè, vel expresse, si secundum ius antiquum loquimur, modo sunt religiosi veri, qui vel sunt professi, vel emiserunt vota biennij in Societate Iesu. Hos enim comprehendi sub hoc textu benè probat Sanchez *l. 4. Mor. c. 8. num.* 74. Bonac. *de cens. in partic. d. 2. q. 8. p. 8. num.* 14. Quia Pontifex per professos intelligit veros religiosos, ad exclusionem nouitiorum, tales verò sunt, qui in Societate Iesu vota biennij emiserunt.

363. Actio prohibita est ire ad studia quæcumque illa sint, etiam Theologiæ sine sententia superioris, & consilio Conuentus. Nomine verò studiorum, illa intelliguntur, quæ sunt extra religionem. Caiet. *v. excom. cap.* 61. Syluest. *v. excom. 9. casu. 25. num.* 55. Tabien. ibi *casu* 23. Sayr. *l. 3. cap. 33. num.* 19. Ledesma *p. 2. q. 26. a.* 2. Imò nec interdicitur adire studia sæcularium ad audiendum Magistros dummodò religiosus maneat in Conuentu. Ledesma citatus, Suarez *tom. 4. in 3. p. d. 13. sect. 4. num.* 35. Sanchez *l. 6. Mor. cap. 8. num.* 75. Bonac. *de cens. in particulari d. 2. q. 8. p. 8. num.* 3. Imò si non exit ab oppido in quo est Conuentus suus, licet maneat extra Conuentum, & in scholis sæcularibus doctores audiat, & addiscat, non comprehenditur sub hac censura, quia qui non recedit ab oppido vno, & transit ad aliud non dicitur accedere ad studia. Palud. *4. d. 18. quæst. 3. a. 3. num.* 4. Sayr. *l. 3. de cens. c. 33. n.* 10. Sanchez *num.* 76. Bonac. *num.* 4. Vndè actio prohibita est Religiosum ab vno loco ad alium transire, & manendo extra claustrum in loco vbi non est Monasterium Religionis scholarem esse in scholis, quæ non sunt eiusdem religionis, & hoc sine licentia superioris, & consilio Conuentus. Imò qui à suo Conuentu recedit sine licentia, & accedit ad aliud Oppidum in quo est Conuentus, & etiam studium ex vi huius textus non est excommunicatus, quia iste accedit ad Conuentum sui Ordinis. Vndè non est excommunicatus nedum si studium sit in Conuentu. Sed etiam si studium sit extra Conuentum, & Religiosus manet in Conuentu Bonac. *num. 4. & 5.* Et ad hanc excommunicationem incurrendam non est necesse, quod religiosus accedat ad studia dimisso habitu, vt voluit Armil. *v. excom. casu* 35. allegans pro se Caietanum, quia neque Caiet. hæc dicit, neque est verum, quia textus hanc conditionem in hac parte non requirit, vt ex Anchar. & Franco docet Sanchez *num.* 73.

Licen-

364. Licentia verò concedenda est ab immediato superiore Monasterii nisi alias ex propria regula hoc sit ei prohibitum, in eo enim casu non potest immediatus prælatus talem licentiam concedere Suarez *num.* 37. Sanchez *num.* 77. Per hunc enim textum nulla conceditur facultas Prælato inferiori, sed imò eius auctoritas restringitur, vt non possit dare hanc licentiam sine consilio Conuentus Caiet. Nauar. Sayro Sanchez, & Suarez citati. Quam tamen licentiam dare potest superior immediatus, multo magis potest concedere Prouincialis, vel Generalis, imò isti illam concedere possunt independenter à consilio Conuentus, quia textus de immediato prælato loquitur; Nec Prouincialis, aut Generalis habent Conuentum determinatum, quem consulant. D. Anton. 3. p. t. 24. c. 53. Tabien. *v. excom.* 5. *casu* 23. *q.* 5. Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 21. Sanchez *nu.* 77. ex Archid. Anchar. Domin. Franco, & Rosella Bonac. *nu.* 8. Si igitur Religiosus sine aliqua prorsus licentia, vel cum licentia inualida, vel etiam subreptitiè obtenta accedat præfato modo ad studia extra suum ordinem, est excommunicatus per hanc excommunicationem Sanchez *numero* 79. Suarez tamen *numero* 37. putat, quod sufficiat ad vitandam hanc excommunicationem licentia superioris prohibiti per proprias leges illam dare, & quæ est ex vi talium legum inualida, sed oppositum vult Bonac. *d. num.* 9. Et hoc est probabilius.

365. Necessarium verò est consilium Conuentus ad dandum huiusmodi licentiam: circa quod est dubium an etiam requiratur consensus. Non requiri tenent Franc. ad hunc textum *num.* 3. & 5. Probus in addit. ad Monachum *num.* 1. Anfretius decisione Tholosana *Decis.* 271. *n.* 2. Suarez citatus *num.* 37. Bonac. *num.* 10. quia aliud est consilium, & aliud consensus, & textus primum solum exprimit. Sed nihilominus consensum requiri volunt Palud. Decisio capellæ Tholosanæ citata, scilicet 571. Nauar. *sum. cap.* 27. *num.* 133. Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 20. Sanchez *num.* 85. Conuentus enim est Collega, & particeps officij superioris localis, vnde in rebus arduis vbi requiritur consilium Conuentus, simul est necessarius consensus. Et verè in alio sensu non potest explicari nisi extorquendo sensum illum disiunctiuum textus, scilicet cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem; sensus enim planus est, necessarium esse consensum totius, vel maioris partis Conuentus, quidquid in oppositum senserit Bonacina, nam alias singuli de Capitulo seu totum capitulum congregandum est, nec est verisimile, quod textus velit facere præiudicium alicui parti, vt non sit vocanda ad capitulum, ac propterea sensus est cogendum esse capitulum, & dandam licentiam de consensu saltem maioris partis.

366. Si autem, qui vult ad studia accedere, sit aliquis Prior, qui sit extra Conuentum sufficiet illi licentia Abbatis irrequisito Conuentu. Palud. citatus, & Sanchez *num.* 83. Ipse verò Abbas seu superior localis immediatus, non indiget licentia, vt eat ad studia, quia textus de subditis immediato Prælato loquitur D. Anton. 3. p. t. 24. c. 53. Nauar. *cap.* 27. *num.* 133. Anfret. *decis.* Tholos. 571. Suarez *num.* 38. Sayrus *num.* 22. Sanchez *num.* 85. Bonac. *num.* 14. An verò in Religionibus non exemptis Episcopus sine consensu Abbatis, & Conuentus possit hanc licentiam concedere alicui religioso, vt eat ad studia quamuis aliqui negent cum Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 23. tamen id concedendum est, cum in illis religionibus Episcopus sit Prælatus Abbate superior Sylu. *v. excom.* 9. *c.* 25. *num.* 55. *q.* 2. Sanchez *num.* 87. Abbatem verò etiam non exemptum posse ad studia ire sine licentia Episcopi dixit Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 22. Nomine etiam Abbatis venire eius locum tenentem, qui sit prælatus seu superior immediatus Conuentus asserunt Archid. Io. And. Dom. *ad hunc textum*, & D. Anton. Tablen. & Saytus citati, & Sanchez *num.* 88.

367. Hæc verò dicta sunt quantùm sit ex vi huius textus. Nam alias hodiè multò magis restricta est facultas etiam Generalium ad dandam licentiam manendi extra claustra.

368. Tertia pars huius capitis continet excommunicationem in Magistros, & Doctores retinentes, vel docentes religiosos dimisso habitu physicam, vel leges audientes. Quatuor verò conditiones requiruntur ad hoc, vt detur locus huic censuræ, vt aduertit Caiet. *v. excommunicatio cap.* 61. Duæ ex parte religiosi, scilicet vt audiat legem, vel Physicam, scilicet medicinam, & hoc dimisso habitu, & duæ ex parte docentium, vt scienter, & præsumptuosè tales, aut doceant, aut retineant.

369. Nomine Magistri, aut Doctoris idem hic significatur, scilicet officium docendi in scholis, vnde Doctor hic non importat purum gradum, vt vult Suarez t. 4. *de Relig. d.* 23. *sect.* 4. *num.* 39. & 41. quem sequitur Bonac. *de cens. in partic. d.* 2. *q.* 2. *p.* 32. *num.* 13. Sed importat officium docendi, quia in vniuersitatibus docentes vocantur, vel Doctores, vel Magistri; puri enim graduati non docentes, non habeant scholas suas, & tamen hic excommunicantur Doctores, qui in scholis suis retinent religiosos habitu dimisso. Ideò DD. communiter intelligunt idem significari nomine Doctoris, & Magistri Caiet. *v. excom. c.* 61. Nauar. *cap.* 27. *num.* 134. Sanchez. *l.* 6. *mor. cap.* 8. *num.* 96. Ideò qui non sunt actu docentes in scholis non comprehenduntur, sub hac censura etiam si positiuè religiosos dimissu habitu retineant, vel exire non compellant, etiam si ex officio ad id teneantur, quia in solos Doctores, siuè Magistros lata est hæc censura Suarez. *nu.* 41. Sanchez *n.* 92.

370. Similiter si Religiosi non dimiserint habitum, non habet locum hæc excommunicatio Caiet. Nauar. Suarez *num.* 36. Sanchez *num.* 90. Bonac. *num.* 2. citati Tabien. *v. excom.* 5. *casu* 23. *q.* 2. *num.* 4. Quod verò dicunt aliqui huiusmodi Doctores docentes Religiosos habitu non dimisso esse excommunicatos *per cap. nuper, & per cap. si concubinæ de sentent. excommunicationis*, quia cooperantur Religiosis excommunicatis in crimine criminoso, tunc solum habet locum, cum Religiosi audientes sunt denunciati excommunicati Tabien. eo *num.* 4. *q.* 3. Suarez *num.* 41. Sanchez *num.* 90. Bonac. *num.* 3. Si etiam audientes non sint Religiosi, sed sint Sacerdotes sæculares

locum

locum non habet hæc excommunicatio, quia de solis religiosis loquitur textus, quidquid sit de eo, quod *cap. final. ne Clerici, vel Monachi* excommunicentur tam religiosi, quam Sacerdotes Sæculares legem, & physicam audientes Tabien. *v. excom.5. casu* 23. *q.*5. *num.* 6. Sanchez *num.* 91. Sicut non habet locum hæc censura si religiosi non audierint leges, vel physicam idest medicinam.

371. Actiones verò, quæ Magistris seu Doctoribus prohibentur sunt docere, & retinere. Et quia vtraque actio sub disiunctione prohibetur singula earum sufficit ad hoc, vt Doctores sint excommunicati. Suarez *num.* 41. Sanchez *n.* 93. Similiter erunt excommunicati si doceant siue in scholis, siue extra scholas, solum verò si retineant in scholis Archid. hic *num. vlt.* Io. And. *num.*3. Domin. *num.* 2. Franc *num. vnico notab.* 1. Sanchez *num.*94. Vndè licet Doctores sciant religiosos in domo propinqua scholis audire, & adiscere leges, vel physicam, cum ipsi eos non doceant non sunt excommunicati Syluest. *v. excom.*9. *casu* 26. *num.* 57. *quæst.* 2. Tabiena *v. excom.* 5. *casu* 23. *quæst.* 4. *num.* 5. & plures alij apud Sanchez *num.*95.

372. An verò Doctor sciens in schola sua adesse religiosum sine habitu teneatur etiam vi expellere, multi id affirmant, alij negant hoc posse fieri licitè, nisi Doctor sit rector, & iurisdictionem habeat. Primùm tenent Syluest. *v. excom.*9. *casu* 26. *num.*57. *q.* 3. Limitans vim citra sanguinis effusionem, Tabien. *v. excom.* 5. *casu* 23. *q.*4. *num.* 5. Armilla *v. excom. casu* 53. *secundùm tenent* Suarez *num.*40. Sanchez *num.*98. Similiter si facta diligentia religiosus non exeat, quidam volunt Doctorem teneri exire è schola Sylu. & Tab. citati. Alij dicunt Magistrum ad nihil aliud teneri, si facta diligentia vt exeat, non possit, illum expellere, & posse munus suum prosequi; quia tunc mere negatiuè se habet, & non retinet, sed inuoluntarius permittit Suarez *n.* 41. Sanchez *num.* 99. Retinere enim est voluntariè admittere. Et ita non requiritur influxus positiuus præstitus rogando, consulendo, vel defendendo, vt voluit Suarez *num.* 41. Sed sufficit voluntaria admissio Bonac. *num.* 6. Cum, verò ad incursum huius censuræ requiratur præsumptio, non incurritur ex ignorantia etiam crassa Suarez *n.*39. Sanchez *n.*100. Bonac.

SVMMARIVM.

1 *Claustrum idem, quod Monasterium. numero* 373.
2 *Monasterij multiplex acceptio. nu.*374.
3 *Hortus est intra Monasterium. nu.*375.
4 *Sufficit Monasterium circumdari sepe. numero* 376.
5 *Cæmenterium non est extra Monasterium. numero* 377.
6 Hospitium, *infirmaria, &c. non extra Monasterium. n.*378.
7 *Terminos clausuræ ponunt superiores ex lege. num.*379.
8 *Clausura perpetua, & non perpetua. numero* 380.
9 *Pontifex potest clausuram perpetuam inducere. num.*381.
10 *Ex quo iure Regulares teneantur ad clausuram variè opinatum. n.*382.383.384.
11 *In corpore iuris non est præceptum obligans ad clausuram. n.*385.
12 *Adest lex Concil. Trid. & Clem. 8. numero* 385.
13 *Neque ex Regulis Religionum adest hoc præceptum. nu.*386.
14 *Clausura, obligatio ex vi professionis vitæ Cænobiticæ. nu.*387.
15 *Clausuræ, obligatio mensuranda ex efficacia voti, & iuris communis. n.*388.
16 *Obligat* Nouitios. *n.*388.
17 *Frangere clausuram non esse ex genere peccatum mortale, quidam dicunt. n.*389.
18 *Oppositum probatur. nu.*390.
19 *In diuersis Religionibus fuga est maius, vel minus peccatum. nu.*391.
20 *Datur casus, in quo nullum est peccatum exire à claustro non petita licentia. nu.*392.
21 *Imò, & negata.* 393.
22 *Præcisa mala circumstantia exitus diurnus ad breue tempus, non est peccatum mortale. nu.*394.
23 *Plures exitus non continuantur ad constituendam mortale peccatum. n.*395.
24 *De die exitio per viam extraordinariam sine licentia non est mortale. nu.*396.
25 *Nocturna furtiua eggressio inter casus reseruatos, sed non est talis, qua fit in crepusculo. numero* 397.
26 *Furtiua eggressio non est, quæ fit de licentia etiam iniusta, non tamen vi, vel fraude obtenta. nu.*398.
27 Nec *si superior noctè exeat. n.*399.
28 Nec *si inferior furtiuè noctè intret in hortum intra septa Monasterij. nu.*400
29 *An nocturna furtiua egressio à Conuentu per se præcisa mala circumstantia sit peccatum mortale. nu.*401.
30. *An furtiuus exitus cum animo pernoctandi sit peccatum Mortale. n.*402.
31 *Ad vitandum peccatum sufficit licentia etiam sine causa data. n.*403.404.
32 *Vbi licentia non fit dispensatio in lege, sed agendi conditio ad eius valorem, non requiritur causa ibid. n.*404.
33 *Non sufficit licentia vi, vel fraude extorta. numero* 404.
34 *Superior exiens non peccat contra Clausuram. num.*405.



Da

De fugitiuis à Claustro.

De Claustro virorum.

INSPECTIO I.

373. APostatis, & dimittentibus habitum Religiosum proximi sunt à Claustro fugitiui, seu leges clausuræ non seruantes. In præsenti verò non de Monialium, sed de virorum clausura sermo noster erit. Quæritur autem primò, quid veniat nomine claustri. Nicolaus 3. *cap. Exijt. de verb. signif. in 6. §. Denique* loquens de Monialibus explicat, quid significetur nomine Monasterij dicens. *Et nomine Monasterij volumus claustrum, domos, & officinas interiores intelligi*. Communiter verò nomine Monasterij intelligitur, quidquid intra Monasterij septa continetur. Nauar. *com. 4. de regular. num. 61.* Rodriq. *t. 1. quæst. 46. a.* Sanchez *l. 6. Mor. cap. 17. num. 12.* Bonac. *de claus. q. 5. p. 1. num. 1.* Pazin. *sua practica tit. 1. p. 5. c. 3. §. 3. num. 32.* Barbosa de Appell. *verb. iuris signif. v. Monasterium, num. 3. & de off. & potes. Epis. alleg. 102. num. 87.* Lezana *tom. 1. c. 10. num. 11.* Bassæus *v. Clausura num. 15.* Fagundez *in 5. præc. Eccl. l. 8. c. 5. num. 23.* Claustrum verò idem est, quod Monasterium apud Canonistas, vt habetur in Lexic. Iuris *v. Claustrum*, & licet ibi dicatur hoc esse impropriè dictum, & impura esse quantum ad latinitatem attinet Canonistarum ferè omnia; tamen hoc irrationabiliter affirmatur. Quoniam dato Claustrum dici id, quo aliquid clauditur; non est nouum neque reprehensibile, quod nomen commune per figuram approprietur alicui particulari speciei, & sicò Monasteris per quandam antonomasiam dicuntur claustr, quia eis clauduntur viri Religiosi. Nomine igitur claustri, à quo nomen clausuræ deriuat, idem significat, quod Monasterium.

374. Verùm hic considerandum, non esse eandem significationem nominis Monasterij, vbi est sermo, vel de Monialibus, vel de Mulieribus domos virorum ingredientibus, vel de viris de domibus Religiosis egredientibus: quoniam respectu virorum, & Mulierum ingredientium in Monasteria Monialium, & Mulierum ingredientium in Monasteria virorum Ecclesia est extra Monasterium, & plerumque etiam aliqui horti contigui; At verò respectu virorum Religiosorum egredientium Ecclesia, Sacristia, Cæmeterium, & sæpe horti aliqui contigui Monasterio sunt intra Monasterium; Neque enim Religiosus egrediens de dormitorio ad Ecclesiam censetur exire è claustro. In proposito igitur nostro quidquid intra muros, vel sepes Monasterij continetur, totum intra claustrum esse dicitur, siue sit Ecclesia, siue dormitorium, siue refectorium, siue aliæ interiores officinæ pro vsu fratrum deputatæ, siue horti, siue quidquid intra ambitum continui muri, aut septum clauditur, ad quem ambitum non nisi per portas, quæ suis horis clauduntur est ingressus.

375. Nec est hic opus considerare, an horti habeant portam, quæ respondeat extra Monasterium ad publicam viam, vel non, quia dummodo ex Monasterio sit ingressus ad illum, etiam si, vt sæpe contingit non sit clausura respectu Mulierum, quæ in illum ingredi valeant, si tamen custoditur vndequaque claue, apud superiorem Monasterij, aut apud ab eo fratrem, aut famulum deputatum, non erit extra clausuram respectu fratrum. Imò quia aliquando contingit, quod Monasterium habeat hortos domui coniunctos in grandi mensura, quorum pars imò sine sepe, per fossum, aut aliquid aliud per simplicem sepem diuisa ab alia, quæ pro Religiosorum vsu, & recreatione retinetur secularibus locatur manente integra quantitate intra circuitum murorum, vt videre est Romæ in Conuentu S. Xisti; licet in ea parte ingrediantur mulieres, & ideò illa censenda sit extra clausuram respectu mulierum, non tamen simpliciter est extra clausuram respectu Religiosorum, saltem ad effectum incurrendi pœnas graues; quia adhuc Religiosus intra ambitum Monasterij continetur, & sub oculis superioris, vt à superiore euocari possit pro libito, quod tamen non esset verùm, si hortus ille esset extra muros, vel ambitum Monasterij, & non vndequaque intra septa Monasterij clausus. Neque obstat, quod ad talem partem possint ingredi Mulieres, quia non est eadem ratio de ingressu mulierum, & egressu Religiosorum. Nam & Mulieres ingrediuntur Ecclesiam, imò pluribus in locis ingrediuntur communiter primum claustrum, seu atrium, & tamen Religiosi euntes in Ecclesiam, vel claustrum primum, non dicuntur egredi extra Monasterium. Nam respectu virorum totum, quod intra muros, vel sepes seu circumferentiam continuam Conuentus continetur intra claustrum esse dicitur; quia totum est veluti sub oculis superioris, qui ad omnem partem libere accedere potest, neque à potestate superioris elongatur, & extra ponitur, quia est inter muros Conuentus.

376. Hinc admitti non debet, quod ait Donatus *p. 2. tr. 3. q. 5.* & voluit etiam Bordon. *resol. 76. num. 8.* Scilicet sepes hortorum non posse esse terminos clausuræ, quia de iure communi ex declaratione Pontificum non sepes, sed muri, & parietes faciunt circulum, & terminum clausuræ. Nam de hoc iure communi, & Pontificum declaratione non docent. Et statuta Concil. Aquisgran. sub Ludouico primò Imper. relata ab eodem Donato *q. 4.* ex Trullo *l. 2. cap. 1.* decernunt, vt claustra vndique sint circumdata munitionibus, vt nulli omnino intrandi nisi per portam pateat aditus, sed non determinant, quod hoc fiat per parietes murorum, vel per fortes sepes; aut repagula lignorum. Clemens verò Octauus in Constit. sua pro reformatione regularium confirmata ab Vrbano 8. *constit. sua §. 35.* Solum decernit, vt clausura diligenter custodiatur. Sed & puto addendum, quod absolute virorum clausura sufficit, quod sit quomodocumque à superioribus designata, etiam sine muro, vel sepe, quia à superiore linea descripta sufficit, vt virtute

gutę obedientiæ contineat Religiosos ne illam transgrediantur sine superioris licentia. Quamuis pro Religiosorum securitate forti muro circundari, & contineri debeant eorum habitacula. Et certè quamplures sunt Conuentus nōdum perfecti in quibus horti sola sepè circumdati sunt. Et ita hanc partem, scilicet sufficere pro termino clausuræ munitionem sæpium tenuit Franciscus longus de casibus reseruatis *p.2 casu 3. num. 7.* qui asserit ità practicari apud Capucinos.

377. Sed quid dicendum de Cęmeterio, si sit extra Ecclesiam, & ambitum, & portam Conuentus, nec sit cinctum muro, vel sæpè, sed omnibus in eum pateat ingressus, licet sit Ecclesiæ contiguum? Respondetur, quod ad minùs, ad minùs egressio à Conuentu in tale Cęmeterium est quid modicum in hoc genere; Et si scientibus, & permittentibus superioribus regulariter religiosi sine habitu externo, & egredientibus à Conuentu proprio in illud egrediuntur, non est censendum extra Conuentum; Est enim verè pars Ecclesiæ, & Conuentus, à quo ad illū patet aditus immediatè, & religiosus in eo existens non est extra directionem, & oculos, & iurisdictionem superioris, & cœmeterium suos limites habebit extra quos existere est esse extra Monasterium.

378. De locis verò à Monasterio separatis, vt sunt hospitia pro fratribus, infirmariæ, vel loca, quæ ædificari incipiunt affirmant aliqui non censeri intra ambitum, & septa Monasterij; ita Naldus *v. clausura num. 1.* Lezana *eod. verbo. num. 3.* Verùm si huiusmodi loca sint deputata vsui Religiosorum Monasterij, & sint ferè contigua Monasterio, vt ex illo ad illa non medie, nisi aliqua via, & illa sint sub eodem superiore, ita quod hospitium, vel infirmaria sit membrum Monasterij, non puto quod iam parua distantia disconiungat huiusmodi loca moraliter, vt religiosus de vna parte ad aliam transiens dicatur exire è Claustro; quia semper in loco eodem superiori immediato subiecto, & vix a principali Monasterio separato religiosus manet sub oculis superioris, cui patet aditus ad quæcumque loca sui Monasterij.

379. Quæritur secundò, ad quē spectet statuere terminos Claustri. Spectare ad superiores religionum, vt ipsi iuxta regulam septa Monasterium ponant, tenent Suarez *tom. 4. de rel. tr. 8. l. 1. c. 7. num. 2. Confes. in priuil. Mend. v. Manuelium clausura s. 4. Thes. p. 2. v. clausura.* Naldus *eodem tit. num. 1.* Lezana *num. 3.* Donatus *p. 2. t. 3. quæs. 2.* Sed hoc declaratione indiget. Nam superiores locales, vel etiam alij qui præsunt fabricæ Conuentus, dum ambitum Monasterij cingunt longiori, vel breuiori muro, ex consequenti terminos clausuræ, ponunt largiores, vel strictiores tam pro ingressu alienorum, quam pro egressu religiosorum. Verùm non est in potestate superiorum huiusmodi terminos variare, & clausuram mutare. Et v. g. potest superior alicui religioso præcipere ne exeat ad Ecclesiam, vel ad primum Claustrum, vel ad alium locum Conuentus, sed non potest facere, quod si religiosus exierit, dicatur egressum fuisse à Conuentu. Et adhuc nec materialiter potest ad libitum mutare terminos clausuræ. Non enim potest illam restringere, vel muros ad arbitrium diruendo, vel partem domus alienando. Itaque dicendum est, quod termini clausuræ formaliter sunt determinati à lege iuxta constitutiones cuiuscumque religionis ab Ecclesia approbatas. Sed materialiter subduntur arbitrio superiorum non libero, sed regulando iuxta leges tam proprias, quam communes canonicas, & hoc tam in terminis clausuræ ponendis, quam in eis conseruandis postquam positi sunt.

380. Quæritur tertiò, quid & quotuplex sit clausura. A claustro clausura dicitur, & est obligatio manendi intra claustrum, & ab eo non exeundi sine licentia, vt docent Glossa, Card. & alij in Clement. Ne in agro Dominico, de statu Monachorum. Diuiditur verò in clausuram perpetuam, & non perpetuam, quæ distinctio melius datur diuidendo clausuram in dispensabilem à prælatis inferioribus, & non dispensabilem, nisi à summo Pontifice, & quidem rarissimè, & ob causas vrgentissimas. Nam omnis clausura religiosa est perpetua, quia numquam religiosus potest exire à claustro sine licentia, & quilibet religiosus etiam Moniales possunt quocumque tempore exire cum licentia. Sed religiosi viri exeunt de facili, & frequenter, & cum sola licentia suorum superiorum, etiam localium plus minusue secundum quod permittunt statuta religionum: Nam in aliquibus, vt in Carthusia clausura est strictissima, ideò hæc clausura non dicitur perpetua quantum ad effectum, quia religiosi de facto exeunt de licentia superiorum. Sed Monialibus solus Pontifex licentiam exeundi à Monasterio concedere potest, & de facto eam non concedit regulariter, sed rarissimè, & ex causis grauissimis, & paucissimæ sunt Moniales, quæ non moriantur intra illud claustrum, in quod ingressæ fuerunt. Verùm quantum ad genus obligationis eiusdem rationis est omnis clausura religiosa, quę est obligatio ad numquam exeundum à claustro, nisi de licentia superiorum.

381. Quæritur quartò, an viris religiosis possit imponi clausura perpetua. Distinguunt communiter DD. inter Prælatos ordinis, & Summum Pontificem, & dicunt non posse Prælatos regulares statuere clausuram perpetuam suis subditis, id verò posse Pontificem Romanum. Quia Pontifex qui est nedum supremus religiosorum Generalis, sed totius Ecclesiæ Pastor, & rector, potest Religiosos restringere prout Ecclesiæ suæ viderit magis expedire. Ita Nauar. *com. 4. de regular. a. 13.* Bonac. *de Claus.* & tenuerat prius Bannes *22. q. 1. a. 10. fin.* Donatus *p. 2. tr. 3. quæst. 12. & aly* Nam & Bonifac. Octauus monialibus perpetuam clausuram indixit, quod confirmauerunt Conc. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 5.* & Pius Quintus *in Const. Circa pastoralis, & Decori.* & Greg. XIII. *in Const. Deo Sacris, & Vbi gratia, & Dubij.* Nam Pontifex spectato eo quod conuenit totiùs Ecclesiæ decori, potest obligationes religiosorum augere, & extendere, & etiam id quod est supra regulam præcipere, & ideo potest clausuram perpetuam inducere. Sed tamen respectu earum religionum, quæ ex Instituto habent opera extra claustrum exercenda, vt sunt prædicare, & docere sacramenta ministrare, moribundis assistere, si in his religioni-

gionibus clausura monialium institueretur, mutaretur substantialiter religio, & antiquior anihilaretur, & noua institueretur. Benè verum est, quod nedum Pontifex, sed & Capitula Generalia possunt strictiorem clausuram suis indicere prout commune bonum religionis requirit, & ad obseruantiam regulæ conseruandam, vel restituendam est valdè vtile. Quia verò capitula Generalia non habent facultatem anihilandi religionem, vel mutandi eam substantialiter, aut præcipiendi supra Regulam non possunt talem clausuram imponere, quæ repugnet fini ad quem religio est instituta, Capitula enim facultatem habent conseruandi, non destruendi Religiones suas. Videri possunt, quæ supra dicta sunt *q.186. art.8. dub. 8. & 9. num. 147. & seq. pag. 608.*

382. Quæritur quinto, ex qua lege religiosi sint ad clausuram obligati; sed loquimur modo de religiosis cœnobiticam vitam profitentibus, quales nunc sunt in Ecclesia. Hos verò ad aliqualem clausuram teneri constat ex communi praxi religionum. In quarum qualibet religiosi exire non possunt à Monasterio, nisi de superioris licentia, & sic clausura prout dicit obligationem ad non exeundum sine licentia omnibus Cœnobitis est communis. Quæritur verò ex qua lege orta sit hæc obligatio. Est verò prima sententia, quæ docet hanc obligationem non esse præcisè ex vi regulæ, sed esse obligationem iuris communis fundatam in consuetudine religionum, & ex parte roboratam per decreta Pontificum, & Conciliorum, quæ habentur *16. q. 1.* Vndè duo docet hæc sententiam. Primum est nec in iure communi, nec in regulis religionum haberi præceptum obligans religiosos viros ad clausuram religiosam, quæ importat obligationem ad nunquam exeundum à claustro sine licentia. Secundum est hanc obligationem consuetudine introductam fuisse. Primum probat, quia licet in causa *16. q. 1.* habeantur plura capitula prohibentia Monachis exitum à claustro, tamen non loquuntur canones illi vniuersaliter, sed de exitu, vel ad malum finem, vt *cap. Placuit el. 2.* pro lucro terreno, vel ad exercitia Ecclesiastica Monachis prohibita, vt ad prædicandum, mortuos sepeliendum, & alia similia, quæ ibidem prohibentur, vel ad permanendum extra claustra, & discurrendum per vicos, castella, Ciuitates, &c. *cap. iuxta*. Præterquam quod Canones illi loquuntur de Monachis iuxta antiquum illorum institutum, qui erat vt tanquã Laici intra Cœnobia sibi solis attenderent, & contemplatiuæ vitæ operam darent, vndè illis Ecclesiasticæ functiones prohibebantur, quæ hodie religiosis maximè competunt. Et hoc ampliùs confirmatur, quia religiosis licitum esse exire à claustro de simplici licẽtia superioris immediati constat, sed ex vi canonum illorum, nec superiores poterant dare Monachis licentiam ad eundum, vel ad turpe lucrum captandum, vel ad Ecclesiastica munera obeunda, quæ Monachis, tunc erant prohibita sine Sedis Apostolicæ, vel certè Episcopi licentia, vt patet ex *decreto Paschalis 2. ad Victorem Baaon. Episc.* & habetur *cap. Peruenit, eodem titulo*. Vndè habetur, quod prohibitiones illæ non respiciebant clausuram, nec intuitu clausuræ factæ fuerunt, sed intuitu actionum, quæ Monachorum statui tunc non conueniebant. Item Canones illi supponunt Monachis licitum esse exire, & peregrinari extra Claustrum. Nam *cap. Placuit, al 2.* conceditur Monachum alterius Monasterij posse in alieno Monasterio sepeliri si adueniens in eo mori contigerit. Et in *Chalced. concilio c. 23.* & habetur ibid. *cap. Quidam Monachi*, reprehenduntur, & prohibentur Monachi venire Constantinopolim, non quia esset illicitum Monachis exire de Claustro, de licentia Abbatis, sed quia in ea Ciuitate tumultus excitabant, & statum Ecclesiasticum perturbabant. Ex iure ergo Canonico non habetur hæc clausuræ obligatio ad numquam exeundum à Claustro sine superioris licentia.

383. Sed nec habetur ex regulis religionum. Quia vbi S. Aug. *in regula cap. 10.* ait. *Qui habet aliqua eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit ire debebit.* Supponit obligationem non exeundi sine licentia, & solum statuit, vt non exeat sine socio à Præposito assignato: Religiosum enim sine socio non debere exire statuerat *cap. præcedenti.* Sanctus verò Basilius in sua regula nullum de hoc peculiare tradit præceptum, quamuis vtilitatem manendi intra claustra commendet *regul. 35. ex fusioribus, & cap. 8. Constit. Monas.* vbi tamen addit. *Neque verò tamen propterea perpetua est tanquam in custodia permanendum, sed quandocumque, & res poscet, & conscientia non reprehendit, liberè est, fidenterque prodeundum, ita tamen vt in prodeunda modus teneatur; & pr. na amnis suspicio euitetur.* In regula verò S. Benedicti, aut S. Francisci, nihil expressum habetur de hoc exitu absolutè, & vniuersaliter sumpto. In regula autem S. Pecchomij *cap. 36. 47. & 71.* prohibetur exitus à Monasterio sine licentia, sicut prohibentur locutio, vel deambulatio in Monasterio, vel alia similia. Obligatio igitur clausuræ, quæ sit obligatio præcepti rigorosa, non habetur ex aliqua regula.

384. Secundum verò, scilicet quod hæc obligatio sit ex consuetudine, probatur quia exitus à Monasterio absque licentia habetur tanquam res grauis, quæ licet ex directione regulæ ortum habuerit, tamen ex vsu obtinuit, vt tanquam quid graue haberetur, & de se obligans sub aliqua culpa etiam in religionibus in quibus regula non obligat ad culpam. Et ita hanc sententiam tenent Nauar. *com. 4. de regular. num. 35.* Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 1. c. 6. num. 4.* qui addit, quod nonnihil potuerunt conferre Concilia, & Pontifices ad introductionẽ huius præcepti, maximè *c. qui verò, & cap. iuxta 16. q. 1.* Donatus *autẽ p. 2. tr. 3. q. 9.* sentit clausuram regularium esse de iure humano ortam ab antiquis Monachis, roboratam à fundatoribus religionum, & stabilitam *in cap. placuit, & cap. iuxta 16. q. 1.*

385. Dicitur primo verum esse, quod in iure communi in corpore iuris contento nullus extat textus in quo clausura virorum religiosorum quãtum ad eorum exitum à claustro præcipiatur. Nam vt probant DD. citati in causa *16. quæst. 1.* non prohibetur exitus Monachorum à Monasterio simpliciter, & formaliter intuitu ipsius exitus, sed prohibetur exitus vt talis, nimirum ad ministeria Ecclesiastica tunc Monachis interdicta, & am-

amplius in illis sermo est de Monachis secundum ieorum antiquum institutum; extra tamen corpus uris adest decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regularibus*, & vlterius Constitutio Clementis Octaui de reformatione regularium confirmata ab Vrbano VIII. In qua statuitur, vt nullus claustralium egrediatur à Monasterio, nisi cum socio, & licentia singulis vicibus obtinenda, & benedictione superioris accepta. Sed hæc ius antiquum continent, & supponunt, neque hæc clausuræ obligatio incepit tempore Concil. Trid. sed antiquissima fuit, quam etiam supposuit Innoc. III. *cap. Quando de tempor. ordin.*

386. Dicitur etiam secundò obligationem clausuræ in Cœnobitis non esse solum ex statutis regulæ, vel Cõstitutionum particularium religionum, sed ex aliquo iure communi, & altiori. Hoc etiam bene probant DD. citati, verè enim Regulæ religionum quamplurium de hoc non disponunt expressè, sed supponentes obligationẽ non exeundi sine licentia de modo exeundi decernunt, vt ex regula S. Augustini constat; in diuersis verò Religionibus strictior, vel minùs arcta est clausura, vt in Mendicantibus ex eorum instituto non est clausura tam stricta, sicut in Monachis; & inter istos in Carthus. & Eremitis est arctissima.

387. Nihilominùs dicitur tertio, quod huiusmodi obligatio non est ex pura consuetudine, sed est ex lege naturali supposita institutione religionis Cœnobiticæ, & professione religiosi. Est enim religio Cœnobitica vnũ corpus viuentiũ in loco sibi proprio, singulis de tali corpore cõmuni existẽtibus sub obedientia superioris. Religio enim Cœnobitica illa est, quæ in congregatione plurium viuentium simul sub eodem superiore, & regula consistit. Vndè ad illam spectat vita socialis, & ea consequenti communis domus, in qua religiosi simul viuant, sub obedientia vnius superioris. Præterea verò votum obedientiæ aliud requirit, nimirum vt religiosus non sit alicubi, nisi sciente, & volente superiore. Nam vt dictum est supra ex D. T. *q.* 186. *a.* 5. *ad* 4. votum obedientiæ ad religionem pertinens se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ, & secundum hoc votum obedientiæ habet quandam vniuersalitatem, & quidem talem, quod religiosus tenetur ad obediendum secundum regulam pro quocumque tempore, & pro quocumque loco, & multo magis superiori subditur, quam Domino seruus; igitur ex vi status cœnobitici debet viuere in domo communi, & sociali, & ex vi voti obedientiæ non potest ex hac domo exire, nisi sciente, & consentiente superiore, quia si exeat simul exit ab obedientia, quam vouit, quia ponit se in statu in quo superior pro eo tempore illi non valeat præcipere, qui enim tenetur obedire pro quocumque tempore superiori, debet pro quocumque tempore esse sub oculis superioris in loco in quo superior possit illum habere, & ei præcipere, seu in loco obedientiæ, & ad vitam obedientialem deputato, qui locus est Claustrum, quod est domus religiosorum in communi sub obedientia viuentium. Ideò clausura est ex connaturali lege intrinseca vitæ Cœnobiticæ religiosæ, vndè supposita professione iam de iure naturali est, quod religiosus nullibi sit nisi sciente, & volente superiore, quod benè considerauit etiam Suarez *dicto cap.* 6. *num.* 8. & post eum Anton. à Spir. Sancto *tract.* 3. *d.* 6. *nu.* 384. & Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 7. *num.* 2. Ideò nil mirum, si vsus Religionum ab antiquis Monachis vsque ad hæc tempora obtinuit, vt non liceat religiosis exire de Claustro sine licentia, & huius transgressio in omni religione magni facta fuit, & fit, & grauiter fuit, & est punita.

388. Ideò benè verũ est, transgressionẽ huius obligationis non esse mensurandam tantũ iuxta formam statutorum huius, vel illius religionis obligantium, vel non obligantium ad culpam; sed iuxta efficaciam voti obedientiæ, & iuris communis, & altioris, nec posse ab aliqua culpa excusari, quia ius commune ad culpam obligat, vt benè tradunt Nauar. *dicto comment.* 4. *de regular. num.* 35. Suarez *dicto tom.* 4. *de relig. l.* 1. *c.* 6. *nu.* 5. *& l.* 3. *c.* 1. Lezana *tom.* 1. *c.* 56. *num.* 2. Bordonus *resol.* 76. *n.* 14. obligatio verò clausuræ est ex vi institutionis vitæ cœnobiticæ, quæ est de iure communi. Ex quo colligitur legem hanc clausuræ obligare etiam nouitios, vt tradit Bordonus loco citato, quia clausura de iure communi est præcepta, cui & ipsi tanquam pars communitatis subduntur, & hoc præcipuè debent experiri, vt nullibi sint extra scientiam, & voluntatem superioris, sed illi semper obedire sint parati. Sed de obligatione, & modo obligationis Nouitiorum ad ea, quæ sunt Religiosorum, infra erit sermo.

389. Quæritur sexto, an violatio clausuræ in viris religiosis per egressum à Claustro sit ex suo genere culpa mortalis. Negant nonnulli sentientes, quod præciso contemptu, scandalo, prauo fine, & damno graui Monasterij, aut aliqua alia simili mala circumstantia exire de Claustro in viris religiosis sit peccatum veniale, non mortale. Et ita ex Nauar. *tom.* 4. *de Regular. tenet* Donat. *p.* 2. *tr.* 3. *q.* 13. *num.* 2. & Bord. *res.* 76. *num.* 12. quia obligatio clausuræ non est de iure diuino, sed humano positiuo, per quod strictissimè non præcipitur. Citat etiam Nauar. pro hac sententia, cui fauere videntur illi, qui tenent violationem clausuræ in viris religiosis sine licentia egredientibus è Claustro esse regulariter peccatum veniale, quod tenent Mirand. *t.* 1. *q.* 32. *a.* 2. Bonac. *de claus. q.* 2. *p.* 1. *num.* 2. Rodriq. *t.* 1. *q.* 50. *num.* 1. Barbos. *ad cap.* 4. *sess.* 25. *num.* 3. *Concil. Trid. de regularibus.* Graff. *de casibus reseruatis l.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. Bordonus *citatus resol.* 42. *num.* 5. qui loco supra citato pro hac sententia citat etiam D.T. *supra q.* 186. *a.* 9. apud Graffium loco citato, cum tamen D. T. ibi nec verbum habeat de hac quæstione, & ex doctrina illius articuli oppositum deducatur. Verùm hæc sententia non loquitur consequenter, & absolutè, & per veram causam, cum alias citati DD. admittant furtiuam, & nocturnam egressionem à claustro esse peccatum mortale, & negare non possit, quod fugere à claustro cum animo non redeundi per multum tempus, & vagandi extra Conuentum non sit peccatum mortale.

390. Præscindendo igitur à contemptu, prauo fine, scandalo, & graui damno, & simul præscindendo à specialibus statutis religionum particularium in quibus sub maiori, vel minori rigore

clau-

clausura præcipitur; dicitur quod violatio clausuræ per exitum virorum Religiosorum à claustro est de sua natura culpa mortalis, spectata, & supposita graui, & notabili quantitate talis violationis. Ita Suarez *d.l.1. cap.6. num. 6.* & ex Lezana *p.1. c.16. num.2.* Anton. à Spir. S. *tr.3. disp. 6. num.1391.* Bellet. *de pœn. Cler. §. 24. num. 16.* Palaus *tr.16. disp.4. p.7. num.12.* Violatio enim clausuræ per exitum furtiuum à Claustro continet peccatum cuiusdam iniustitiæ contra Prælatum, & Religionem, & sacrilegij contra Deum, & opponitur promissioni, & professioni Religiosæ, per se ab intrinseco, & ex natura sua independenter à quolibet proprio cuiuscumque Religionis statuto. Nam vt dictum est *quæst. sup.* Religiosus ex vi voti obedientiæ obligans se ad obediendum Prælato pro omni tempore, & pro omni loco, simul se obligat ad non recedendum à statu, & loco obediendi, quod tamen facit si à claustro, quod est locus obedientiæ recedat Prælato nesciente, & non consentiente. Vndè est etiam, quod non potest Religiosus furtiue à Monasterio exire, quin recedat simul ab obedientia Prælati donec se ad pristinum obedientiæ locum restituat. Cum verò iniustitia, & sacrilegium sint ex genere peccatum mortale, ideò exitus furtiuus à claustro est ex suo genere, & per se peccatum mortale etiam præcisa circumstantia mala, vel particulari Religionis præcepto, quia hoc ab intrinseco repugnat voto obedientiæ, nec est reponendum inter violationes statutorum regulæ, sed inter violationes voti obedientiæ, quas esse ex genere suo culpas mortales docuit D.T. *supra q.186. a.9.*

391. Verùm tamen est, quod quia non est eadem professio in quacumque Religione, nec violatio clausuræ est eodem modo culpa mortalis in quacumque Religione, & ad hoc iudicandum attendi debet praxis cuiuscumque Religionis, cum etiam hæc obligatio maximè per consuetudinem sit roborata, & ideò per eam explicanda. Nec refert, quod dicebatur, quia scilicet obligatio ista non sit de iure diuino, quia hoc est falsum supposita assumptione status Religiosi cœnobitici, qui habet proprium locum obedientiæ deputatum.

392. Ex his verò descendendo ad particulares casus colligitur primò, quod dari potest casus in quo exitus à claustro sine licentia nullum sit peccatum, quando scilicet necessitas grauis vigeat, nec admittat quærendi superiorem, & petendi licentiam; Nam in hoc casu adest licentia de iure præsumpta; non enim est illicitum religioso exire è claustro cum causa, sed hoc illi conuenit, & est conforme Religiosorum institutis, & illis præcipuè, qui non ad puram contemplatiuam, sed etiam ad vitæ actiuæ operationes ordinantur ex instituto; igitur vbi adsit grauis necessitas exeundi, vel ad defendendum, vel ad præbendam absolutionem morienti, vel ad aliquid simile, & non adest tempus petendi licentiam à superiore poterit Religiosus etiam sine aliqua culpa exire, quia tunc habet licentiam à iure præsumptam, nam Prælatus postulatus eam concederet, imò illam ita admitteret. Ita Suarez *dicto cap. 6. num. 11.* Anton. à Spir. S. *d. disp. 6. num.1391.*

393. Imò existente graui necessitate si Prælatus indebite ex malo affectu, vel falsa præsumptione licentiam neget, tunc si res non est dubia, sed necessitas exitus iusta sit manifesta, & instans nec admittens temporis moram poterit Religiosus exire, etiam denegata sibi licentia, quia tunc superiore immediato irrationabiliter contrarie negante licentiam adest maiorum superiorum, & iuris licentia præsumpta. Excipit tamen Suarez casum in quo oriretur scandalum, vel infamia Religionis ex exitu Religiosi. Sed & in hoc casu videndum esset an scandalum esset actiuum, & datum, an verò passiuum, & acceptum, & infamia talis ac tanta, vt non teneretur Religiosus ex alia lege alicuius virtutis exire. Verùm est, quod huiusmodi casus non est talis, qui de facili oriri possit, vt tanta sit necessitas, quæ obliget Religiosum ad exeundum, & hæc sit manifesta, & prælatus licentiam neget. Et prætereà vbi agitur de licentia negata, non quælibet iusta, & rationabilis causa exeundi excusat à culpa; sed illa sola, quæ sit necessitas manifesta orta ex lege alicuius virtutis obligante in illo casu particulari Religiosum ad exeundum, vel sit talis, vt probabiliter in casu tali præsumatur licentia superioris maioris iuxta doctrinam datam superius tractando de paupertate *q. 186. a.7. inspectione quinta num. 94. & seq. pag. 517. & inspectione septima num.172. & seq. p.536.*

394. Colligitur secundò, quod præcindendo à speciali Religionis præcepto, & omni mala circumstantia exitus furtiuus diurnus, & ad breue tempus non est peccatum mortale, sed veniale. Ita sentiunt bene DD. supra pro priori opinione citati, & admittunt sectatores secundæ. Quia huiusmodi exitus ex praxi etiam, & consuetudine Religionum non censetur continere grauem iniuriam in superiorem, & notabilem recessum ab obedientia; quamuis nihilominus contra latitudinem disciplinæ regularis non parum æstimetur, & grauiter etiam puniatur, seu corrigatur propter periculum, quod imminet Religioni si religiosi huic culpæ assuefiant. Et potest hoc declarari exemplo serui, qui non censetur peccare mortaliter si ad horam se subtrahat à Domino etiam cum aliquali incommodo Domini.

395. An verò iteratio, & frequentia huius transgressionis vniatur ad constitutionem vnius grauis iniuriæ sicut in minimis furtis accidit. Puto non vniri, nec continuari per se loquendo, & præcisa infamia, & damno, vel scandalo graui, quia peccata venialia non continuantur ad constitutionem mortalis, nisi habeant effectum, qui duret, & crescat per actuum frequentiam vsque ad quod sit materia notabiliter irrationalis, & virtuti repugnans, sicut in furtis crescit damnum iniustum ex frequentia furandi, & fur euadit notabiliter ditior ex re aliena. Sed violatio ista clausuræ non relinquit per se loquendo hunc effectum in quo plures violationes in vnam magnam vniri possint, non enim aliquid Prælato aufertur per huiusmodi violationem clausuræ, nec aliquod damnum (vt supponitur) illi, vel Religioni causatur, sed huiusmodi violatio est simplex inobedientia, ac actus vero inobedientiæ, qui sunt culpæ veniales, non continuantur, vt supra q.788. a.9. ad

ad tertium à numer. 164. *pagina* 748. dictum fuit.

396. Colligitur Tertiò, quod non peccat mortaliter Religiosus, qui de die ad breue tempus exit à claustro, licet non exeat per portam ordinariam, imò nec per portam, sed per viam extra ordinariam, per se loquendo, & praeciso scandalo, vel alia mala circumstantia. Quamuis enim verum sit, quod ait Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.*8. *l.*3. *c.*1. *num.*1. Nimirum quod valdè difficile est, excusare huiusmodi egressionem à culpa mortali, saltem propter periculum morale scandali, & infamiae, non tantum egredientis, sed Religionis. Tamen de se non continet hic actus grauem iniuriam in superiorem, vel Religionem, & quatenus exitus fit per aliquam portam, licet non ordinariam facilius est actum hunc eximi à periculo damni, & scandali. Et nihilominus etiam in hoc puto habendam considerationem Religionis, & consuetudinis illius, quia bene potest esse, quod in aliqua Religione huiusmodi egressio per viam extraordinariam, vel ex speciali praecepto, vel ex consuetudine legitimè praescripta sit peccatum mortale.

397. Colligitur quartò non esse eandem rationem de egressu furtiuo, & nocturno. Et quidem hunc esse peccatum mortale docent Suarez *tom.*4. *de relig. l.* 1. *cap.*6. *num.*7. & *l.*3. *c.* 1. *nu.* 1. Long. *p.*2. *cap.*3. Graff. *l.*3. *c.*3. Mass. *tom.*1. *tr.*7. *c.*20. *a. num.*37. Quar. *summa bullar. v. casus reseruatus num.*5. Fagund. *in* 2. *praec. Eccles. l.*8. *c.*5. *num.*52. Peyrin. in P. R. *q.*3. *c.*2. *num.*40. Lezan. *tom.*1. *c.*16. *num.*3. & *tom.* 3. *verb. clausura nu.*4. Naldus *v. clausura* §. *Dummodo nu*. Bordonus *resol.*76. *num.* 13. Bonac. *de claus. q.* 2. *p.*1 *num.* 2. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 7. *num.* 3. Anton. à Spir. S. *tr.*3. *d.* 6. *num.* 1393. Bellet. *de paen. Cleric.* §. 24. *num.*16. Et praecipuum fundamentum huius sententiae est decretum Clem.8. de casibus reseruatis vbi in tertiò casu ponit egressionem nocturnam, & furtiuam, reseruatio verò supponit peccatum mortale. Est autem hic primò certum requiri ad hunc casum reseruatum vtramque conditionem, scilicet quod egressio sit nocturna, & furtiua, nec alteram tantum sufficere, quia vtramque coniunctim requirit decretum Clementis Octaui. Nocturna verò non censetur egressio, quae fit in crepusculis, quia de ratione noctis est totalis absentia lucis Peyrin. & Lezana citati. Cui puto addendum totum illud noctis, quod ex vsu antecedit totalem clausuram portarum, & in quo religiosi consueuerunt ob negotia permanere extra Conuentum. Nam tempore hyemis non clauduntur portae, tam cito in principio etiam noctis, vndè si Religiosus tunc furtiuè exeat, & redeat antequam portae Conuentus totaliter clauduntur, v.g. antequam portarius claudat vltimatè ianuam, & iuxta solitum deferat claues ad superiorem: nam hoc tempus est velut complementum diei concessum exitui ad negotia, vndè cum sit valdè breue, & exiens rediturus ad tale tempus non exeat permansurus extra Conuentum tempore clausurae nocturnae, quae est specialis, & rigorosa, & custodita diligentiùs, ideò egressio pro tali tempore inter diurnas reputari debet in materia odiosa, qualis est casuum reseruatio.

398. Non sufficit, quod sit nocturna, sed requiritur, quod sit furtiua. Illa verò furtiua dicitur, quae est sine licentia, etiam si habeatur amicis, vel alijs videntibus, & scientibus Peyrinus, & Lezana citati. Quod verò Suarez *tom.*4. *de relig.* l.2. *c.*18. *num.*5. extendit hoc ad egressionem ex licentia indebita, vel iniusta habitam, quia huiusmodi licentia sit nulla, meritò reijcitur à Peyrino, & Lezana citatis, quia non est furtiuum, quod fit vidente, & sciente eo, & consentiente cuius interest consentire. nec est verum, quod huiusmodi licentia sit inualida ad effectum hunc, vt Religiosus dicatur esse extra Conuentum de licentia, quia talis Religiosus non est extra oculos superioris, neque extra statum obediendi, dum est extra Conuentum de licentia eius, qui potest illam concedere, & illam concedit. Si tamen licentia sit nulla, quia per vim, vel fraudem obtenta, tunc egressio magis est, quam furtiua, & ex hac parte censendus est exiens sine licentia exire, & in casum reseruatum incidere Suarez *dicto* l.2. c.18. *num.*5.

399. Qui tamen cum Peyrino sine sufficienti fundamento extendit casum hunc ad Praelatum, seu superiorem localem de nocte exeuntem occultè à Conuentu, vt & peccet mortaliter, & incidat in casum reseruatum, quia hic modus exeundi est contra voluntatem superiorum maiorum, & Religionis. Haec enim ratio non valet, quia cum Praelatus localis non teneatur petere licentiam exeundi, numquam exit furtiuè, licet exeat occultè, nec habet legem specialem obligantem illum ad conformandum se voluntati superiorum Praelatorum, aut Religionis; idcirò si exeat de nocte, & occultè ad malum finem, vel cum aliqua mala circumstantia peccat, sed non committit speciale peccatum ex eo, quod exeat de nocte furtiuè, quia non datur specialis lex obligans illum ad petendam licentiam exeundi à superioribus, & sic occultè exit, sed non furtiuè, seu sine licentia petenda, & non obtenta. Ideò etiam si superior primarius reseruaret sibi egressionem nocturnam, & furtiuam, neque in hoc casu, quem admittit Lezana *d. nu.* 4. superior localis immediatus exiens occultè incideret in casum reseruatum, quia ex vna parte restrictio casuum non facit esse furtiuum, quod non est, modo egressio Praelati immediate non est nec esse potest furtiua, quia non tenetur petere licentiam exeundi, quantum sit ex vi iuris communis; ideò numquam exit inuito eo cui ex iure communi, vt prohibente exitum, petere deberet licentiam exeundi. Et dum dicitur quod superiores maiores sunt inuiti, respondetur, quod possunt esse inuiti ratione modi exeundi, si sit peccaminosus, & ad malum finem, non tamen ratione exitus, quia in hoc superior immediatus non pendet à voluntate superiorum ex vi iuris communis, & nisi speciali lege prohibeant exitum superioris immediati sine maiorum licentia, quae lex nec adest, nec esset rationabilis absolutè posita, casus verò reseruatus supponit exitum peccaminosum, & factum sine licentia, & qui sit contra legem exitum prohibentem.

400. Peyrinus etiam limitat, & restringit Monasterium ad solas officinas interiores Religioso-

giosorum; vt nomine Monasterij veniat solum quidquid continetur intra portas claudentes dormitoria fratrum, vndè exiens de nocte in hortum conuentus existentem intra septa Monasterij, censeatur exire è Monasterio. Quod quidem nullum fundamentum habet, & nomine Monasterij venit quidquid intra septa domus religiosæ continetur, vt probatum est supra ex communi sensu DD. Vndè quod Clemens non dicat egressionem nocturnam, & furtiuam à septis Monasterij, sed à Monasterio nullius est considerationis, cum Monasterium supponat pro omni contento intra septa domus religiosæ. Nec est, aut dici potest esse extra Monasterium, qui est in horto existente intra septa Monasterij. Et contra communem sensum est velle, quod si iuuenes de nocte descendant in hortos Monasteriorum ad furandos fructus incidant in casum furtiuæ, & nocturnæ egressionis à Monasterio.

401. Dubium tamen adhuc remanet, an hæc furtiua egressio nocturna à Monasterio præcisu prauo fine, & periculo scandali, & damni grauis, & omni alia mala circumstantia sit per se peccatum mortale. Non enim apparet ratio, quæ hoc conuincat. Nam quod refertur ex Decreto Clementis Octaui de casibus reseruatis non vrget; quia Pontifex non prohibet per tale decretũ hanc furtiuam egressionem, sed supponit illam esse malam; sufficit verò ad casus reseruationem, quod sit mala; quia regulariter habet adiunctum prauum finem, & periculum scandali, & infamiæ religionis. Alias verò ex lege connaturali professioni religiosæ existere per noctem in loco occulto, & superiore inscio non videtur esse notabilis iniuria facta superiori, & religioni. Quod verò ex consuetudine exitus nocturnus furtiuus magni fiat in religionibus, hoc est quia moraliter loquendo per se, & vt plurimum habet adiunctum prauum finem exeuntis, scandalum aliorum, & religionis infamiam; vndè extrinsecus, & ex iusta præsumptione sic exiens est valdè malus. Decretum verò Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regularibus* non loquitur de simplici exitu à Monasterio, sed de recessu, qui importat exitum ad multam distantiam, & ad multum tempus, & decretum Clem. VIII. pro reformatione regularium vbi prohibet exitum à claustro sine licentia non continet nouum ius, sed antiquum, & ex communi sensu non prohibet exitum ad modicum tempus. Neque sufficit dicere, quod in huiusmodi exitu fit vis quædam custodiæ Conuentus, quia non loquimur de exitu violento, vel habito ex cōtempto superioris, sed de simplici exitu, per quem violatur quidem ius clausuræ, sed quia hoc fit per modicum tempus, non videtur, quod sit culpa grauis. Neque obstat, quod ponderat Suarez, quia nimirum finis prauus exeuntis est extrinsecus egressui, sicut & periculum damni, ideò Clemens VIII. in Decreto de casibus reseruatis ad huiusmodi extrinseca non respexerit, cum hoc non declarauerit; Nam huiusmodi extrinseca per se moraliter sunt huic furtiuo, & nocturno exitui coniuncta, & regulariter, seu vt plurimum huiusmodi exitus est peccatum mortale propter huiusmodi adiuncta, vnde absque alia declaratione potuit hoc peccatum inter casus reseruabiles numerari.

Et ità pro hac sententia sunt; qui tenent cum Nauar. *comment.* 4. *de Regul. num.* 35. Exitum à Conuentu sine licentia non esse ex natura sua peccatum mortale; consequenter enim tenentur asserere, quod exitus nocturnus sine licentia ex natura sua nō sit mortale peccatū. Mihi certum est, quod regulariter ex circumstantia mala nocturnus, & furtiuus exitus à claustro est peccatum graue; & quod præsumptiuè semper est tale, & meritò reseruabile. Sed etiam negari non potest quod huiusmodi exitus non possit esse ab omni mala circumstantia, imò vestiri circumstantia bona, & iusta causa etiam si sit furtiuus, & solum esse non possit circumstantia nocturni. An verò hic exitus sine licentia ex eo præcisè quod furtiuus, & nocturnus, sit peccatum mortale, si fit ad vnam noctem tantum, vel vt Palaus vult, si fit tantum ad horam, relinquo definiendum superioribus.

402. Colligitur quinto, quod præciso malo fine, contemptu, scandalo, damno, & alia mala circumstantia exire de die à Monasterio furtiuè animo pernoctandi, seu manendi extra Conuentum ad duos, vel tres dies, non est peccatum mortale. Suarez *dicto l.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. cui consentit Palaus *d. p.* 7. *num.* 3. putat esse mortale exire cum animo pernoctandi extra Conuentum etiam per vnam noctem, quia egressus à Conuentu est malus nedum ratione modi exeundi, sed etiam ratione existentiæ extra Conuentum tanto, & tali tempore in quo per se inest periculum scandali, & infamiæ tam propriæ, quam aliorum. Sed hæc ratio innititur extrinsecis adhærentibus huic exitui, quæ separabilia sunt ab actu, ideò non probat, quod in casu, quod quis exeat ad pernoctandum taliter quod fiat ex bono fine, & sine aliquo periculo scandali, vel infamiæ, id sit peccatum mortale. Præcisa igitur malitia aliarum circumstantiarum sola quantitas temporis notabilis facit quod egressus furtiuus, vel existentia religiosi extra claustrum sine licentia sit culpa mortalis. Non videtur verò ad hunc finem notabilis quantitas, nisi excedat duos, aut tres dies mora enim trium dierum est breuis, vt probo infra. *num.* 407. In ordine tamen Prædicatorum pernoctare extra Conuentum in loco vbi est Conuentus, est prohibitum. *Massiliæ* 1300. *ord.* 3. *Romæ* 1601. *ord.* 22. Vallisolet. 1605. *confir.* 31. Et ideò in hac parte quilibet Religiosus debet attendere sua instituta: Nam aliud est quod dicatur Religiosus peccare ex transgressione legis clausuræ absolutè, aliud quod dicatur peccare, quia speciale præceptum suæ Religionis contemnat. Et in omni Religione hoc merito habetur tanquam graue quid, sed hoc est tum ratione annexi periculi scandali, & infamiæ, & praui finis, tum quia esto ex natura sua non sit peccatum mortale, est de illorum numero, quæ & si venialia sint, tamen magni sunt facienda, quia eorum transgressio maximè disponit ad disciplinæ regularis relaxationem, vnde non sunt vnquam permittenda fieri sine graui delinquentis correctione.

403. Quæritur septimò, quænam licentia requiratur, & sufficiat ad hoc vt religiosus possit exire è claustro. Et quidem sufficere licentiam superioris expressam, vel tacitam, vel rationabili-

ter

ter præsumptam, vel in speciali, vel etiam in generali concessam tradit Nauar. *com. 4. de regular.* Secundum decreta Clem. VIII. de reformatione Regular. requiritur licentia specialis data toties quoties, & vt ita vt non sufficiat generalis. De iure tamen communi generalis sufficeret Anton. à Spir. S. *tr. 3. d. 6. num.* 1386. & non potest negari, vt aliquando non sufficiat implicita, vt si occurrat necessitas ministrandi sacramentum pœnitentiæ, defendendi innocentem succurrendi domui vicinæ comburenti. In his enim, & similibus casibus in quibus præponderat lex charitatis adest licentia implicita exeundi. Suarez *d. l. 3. cap. 6. num.* 12. Antonius à Spir. S. *d. disp. 6. nu.* 1391. Et cum de iure communi Religiosis non sit prohibitus egressus, sed egressus sine licentia, at verò licentia præsumpta est licentia, igitur de iure communi ad exeundum sufficit licentia præsumpta Palaus *d. disp. 4. p. 7. num. 4.* In Ordine Prædicatorum ex *cap. Rom.* 1608. quod cuicumque fratri exeunti nominatim socius deputetur, & quod licentia toties quoties detur, & quod reuertentes à superiore benedictionem accipiant. Gloss. *d. 1. cap. 27. de graui culpa, lit. H.* Sed dubium speciale est, an etiam ad vitandum peccatum veniale sufficiat licentia sine causa aliqua iusta concessa. Videtur enim quod non sufficiat, quia vbi aliquid fieri prohibetur sine licentia, requiritur licentia ex iusta causa concessa, quia alia est irrationabilis, & nulla, quia contra mentem legis concessa: Secundò, quia inter conditiones, quæ sunt necessariæ ad exitum licitum ex decreto Clementis Octaui de reformatione vna est, quod adsit iusta causa exeundi. Et ita hanc partem tenet Nauar. *tom. 4. de regular.* Nihilominus distinctione hic opus est, nam aliud est loqui de licentia necessaria ex vi iuris communis, & de ea, quæ sit necessaria ex vi iuris particularis. Nam ex vi iuris communis non est necessaria licentia ad exeundum, quæ sit dispensatio in aliqua lege, sed quæ sit veluti conditio ad hoc, vt exitus non sit prohibitus. Lex enim hæc iuris communis non prohibet exitum absolutè, sed prohibet exitum sine licentia, & sic licentia non est necessaria tamquam dispensatio legis, sed tamquã conditio materiæ ad hoc vt nõ sit prohibita per legẽ.

404. Dicitur propterea, quod quantum sit ex vi communis iuris ad vitandum peccatum etiã veniale contra talem legem sufficit quæcumque licentia etiam sine causa rationabili imprudenter data. Suarez *tom. 4. de relig. t. 8. l. 1. c. 6. n. 12.* Palaus *d. p. 7. num. 4.* qui enim ex licentia superioris exit, nec est apostata, nec fugitiuum, nec furtiuè exit, vndè contra legem non exeundi non peccat, quia illa non prohibet exitum absolutè; sed exitum sine licentia. Quod ex doctrina data probatur. Vbi enim licentia est necessaria per modum dispensationis, ipsa nulla est, nisi detur ex iusta causa; quia non valet dispensatio in lege sine iusta causa concessa. Sed vbi licentia non est dispẽsatio in lege; quia lex nõ prohibet actũ absolutè, sed solũ prohibet actũ si fiat sine licentia, si licentia adsit, iam actus non est materia legis prohibentis, quia est adimpleta conditio legis. Quod magis declaratur: quia finis huius legis non est existentia subditi in Monasterio, sed est non recessus subditi à voluntate superioris; & vt subditus non se subtrahat à loco, & statu obedientiæ; hoc verò subditus facit quotiescumque non nisi ex voluntate superioris à Conuentu discedit. Neque obstat, si quis dicat, quod religiosus discedens à Conuentu sine rationabili causa peccat, quia ad minùs otiosè agit; Nam hoc dato non sequitur quod peccet contra legem communem prohibentem exitum à Conuentu sine licentia, quia hæc non habet locum, nisi vbi licentia deest, licet qui exit aliundè peccet, si non agit bonum benè, & si aliqua mala circumstantia. Sicut contra ieiunij legem non peccat, qui tempore prandij intemperanter comedit, licet peccet contra temperantiam. Et sicut si quis haberet præceptum non comedendi sine licentia contra hoc præceptum non peccaret si sibi licentia comedendi concessa, comederet intemperanter, licet peccaret contra virtutum temperantiæ, sic qui non habet iustam causam exeundi, sed licentiam exeundi habet, licet peccet si exeat otiosè, non peccat contra legem non exeundi sine licentia, quia cum licentia exit. Et hoc magis confirmatur; quia furtiuus egressus à Conuentu, ex eo est malus quod sit quædam iniustitia erga Prælatum, & inobedientia; Non est vero ablatio iniusta, quæ fit domino consentiente, nec est inobedientia, si non agitur nisi iuxta voluntatem superioris; Non ergo furtiuè exit, & peccat, qui exit ex licentia licet sine causa iusta illicitè à superiore concessa. Secus tamen dicendum esset de licentia per vim, vel fraudem obtenta, quia hæc non excusat iniustitiam, & inobedientiam, sed superior vim passus, aut circumuentus manet inuoluntarius. Limitat verò hoc Suarez *num.* 13. ad exitum ad breue tempus; quia ad habitandum extra Conuentum requiritur licentia per modum dispensationis, quæ si detur sine iusta causa nulla erit. Sed de hoc infra dicendum erit. Vndè etiam est, quod in illis Religionibus in quibus exitus est prohibitus habere etiam de licentia, nisi superior in casu occurrente dispenset in lege, si licentia detur sine iusta causa non valet, quia tunc licentia est dispensatio in lege, quæ sine causa iusta non valet. Palaus *d. p. 7. num. 4.*

405. Benè tamen colligit idem Suarez *nu.* 14. contra Nauar. *dicto com. 4. num.* 32. Prælatum localem non habentem superiorem in loco non peccare contra clausuram exeundo è Monasterio, quia non tenetur petere licentiam ab aliquo, & lex loquitur de subdito, non de Prælato. Vndè licet Prælatus si ex mala causa exeat peccat ex hac parte, sed non violat legem clausuræ, quia nec datur lex specialis illum obligans ad petendam licentiam exeundi, nec datur specialis lex quæ prohibeat illum abuti libertate ad exeundũ. Ex quo magis probatur, quod supra dictum fuit. & quod Suarez non fuit consequenter locutus dum *l. 2. c. 18. num. 5.* voluit Prælatum regularem egredientem de nocte occultè incidere in casum reseruatum furtiuæ egressionis; quia cum non peccet contra legem clausuræ, quæ in eum lata non est, sed in subditos, non habet vndè claudatur sub casu supponente peccatum mortale contra legem clausuræ, qualis casus est nocturnæ, & furtiuæ egressionis à Conuentu.

SVMMARIVM.

1 *Fugitiuus quis sit. num. 406.*
2 *Fugitiuus non iudicandus, qui manet extra Conuentum per tres dies, num. 407.*
3 *Fuga à Claustro est ex genere peccatum mortale. num. 408.*
4 *Contra fugitiuos de iure communi non est pœna ipso iure lata. num. 409.*
5 *Fugitiui non sunt excommunicati ex priuilegio Iulij II. pro Prædicatoribus. num. 410.*
6 *Fugitiui non deserunt Religionem. num. 410.*
7 *Fugitiui nec ex vi Bullæ Innoc. Oct. pro Minoribus, vel Pij Quinti pro Societate, vel ex priuilegio particulari pro aliqua Religione. num. 411.*
8 *Fugitiui non sunt ipso iure suspensi. num. 412.*
9 *Fugitiuos possunt superiores censuris, & pœnis reuocare. num. 413.*
10 *Possunt puniri, & carcerari ab Episcopo, non tamen excommunicari. num. 414.*
11 *Puniendi ad arbitrium. num. 414.*
12 *Contra fugitiuos in iure communi nulla certa pœna, &c. num. 415.*
13 *In Ord. Prædicatorum fugitiui non sunt apostatæ. num. 416.*
14 *Quibus pœnis puniantur in eodem Ordine. num. 417.*
15 *An exire à Conuentu sine licentia recurrendo ad superiores sit peccatum mortale. num. 418.*
16 *Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de Reg. noluit auferre iustam defensionem. num. 419.*
17 *Licitum est subdito fugere ad superiorem adhibitis quatuor conditionibus. num. 420.*
18 *Per se quantum sit ex vi legis clausura ad hoc, vt subditus possit recurrere ad superiorem maiorem, sufficit probabilitas sufficiens ad non friuolam appellationem. num. 421.*
19 *Ad hoc vt non teneantur petere licentiam sufficit timor probabilis damni. num. 422.*
20 *Fuga ratione scandali est mala. num. 423.*
21 *Qui sine licentia it ad superiorem peccat, si se exponat periculo grauis damni. num. 424.*
22 *Contra eundem sine licentia stat præsumptio. num. 424.*
23 *Qui ad superiorem accedit sine licentia minus malum eligere debet. 425.*
24 *Qualiter accessus ad superiorem sine licentia sit prohibitus in Ord. Præd. num. 426.*
25 *Et in Ord. Minorum. num. 427.*
26 *Fugientes ad superiores ex iusta causa recipi debent à superioribus localibus. num. 428.*
27 *Illos non potest Ordinarius incarcerare. num. 429.*
28 *Nec possunt à maiori superiore puniri. num. 430.*
29 *Possunt accedere ad alium Conuentum. num. 431.*
30 *Si sit necesse possunt mutare habitum. num. 432.*
31 *Possunt recurrere, & ire ad Amicum. num. 433.*
32 *Exire possunt ex cuiuscumque iniusti damni timore. num. 434.*
33 *Fugiens à carceribus est fugitiuus. num. 435.*
34 *Nisi cito redeat. num. 436.*
35 *Vel iniustè detineatur. num. 437.*
36 *Vel iniustè inclutur num. 438.*
37 *Vel si immineat ei mortis periculum. num. 439.*
38 *Vel si coram Deo sit innocens. num 440.*
39 *Vel si ad perpetuum carcerem damnatus fugiat ad superiorem. num. 441.*
40 *Iudex non potest reum damnare ad carcerem, vt non fugiat si illi immineat mors. num. 442.*
41 *Quid de fugiente à triremibus. num. 443.*
42 *Venientes Romam quando sint fugitiui. nu. 444. 445. 446. 447.*
43 *De istis quid statutum in Ord. Præd. num. 448. 449. 450. 451. 452.*
44 *De iure communi Regulares Prælati possunt suis concedere licentiam manendi extra claustra. num. 453.*
45 *Ex pluribus causis potest hoc esse honestum. num. 454.*
46 *Etiam licentiam perpetuam dare possunt Prælati Regulares. num. 455.*
47 *Requiratur ad hoc iusta causa. num. 456.*
48 *Multæ causæ iustæ concedendi hanc licentiam. num. 457.*
49 *Decretum Concil. Trid. num. 458.*
50 *In eo non derogatur antiquis canonibus. n. 459.*
51 *Prælati Regularium indirectè dant licentiam manendi extra claustra. num. 460.*
52 *Regulares non possunt manere in studijs Generalibus, vt audiant legem, & physicam. num. 461.*
53 *Possunt in proprijs domibus audire legem, aut in studijs, dum non habitent extra Conuentum. num. 462.*
54 *Duo menses intra quos manens extra claustra ad studendum leges debet redire ad claustrum incipiunt à puncto itineris, &c. num. 462.*
55 *Censuram incurrit, qui exiens alio animo postea habet animum eas artes audiendi, & in eo perseuerat per duos menses. num. 463.*
56 *Secus de eo, qui mutat animum audiendi dictas artes. num. 463.*
57 *Sub hac censura comprehendi possunt omnes Religiosi. num. 464.*
58 *Quantum sit ex vi canonis supradicti, qui docent non comprehenduntur. num. 465.*
59 *Prælati non possunt suis concedere licentiam audiendi legem, & medicinam. num. 466.*
60 *Pœna contra audientes leges. num. 467.*
61 *Clausula habeatur sicut excommunicatus, an sit sententia lata. num. 467.*
62 *Prohibitio audiendi leges ad quales Clericos sit extensa. num. 468.*
63 *Clem. Ne in agro, de stat. Monach. comprehendit solum Monachos nigros, & Canonicos Regulares. num. 469.*
64 *Idem est de prohibitione tenendi arma intra septa Monasterij. num. 469.*
65 *Cap. Ad nostram 2. de Regul. 470.*
66 *Prohibitum Religiosis ire vltra mare. num. 470.*
67 *Religiosi omnes mitti possunt in Iaponiam, n. 471.*
68 *Mercatura prohibita Missionarijs. num. 471.*

De

De eo, qui possit dici fugitiuus à Claustro.

INSPECTIO II.

406. QVæritur primo, quis sit, & dici debeat fugitiuus à Claustro? Fugitiuus absolutè est, qui moratur extra Claustra, vt se celet superiori. Reuerendiss. Pagnan. *cap. ex parte nū. 23. de Regul.* Sed hoc conuenit etiam apostatæ. Distinguunt tamen commun. DD. fugitiuum ab apostata, vt apostata dicatur, qui recedit à claustro, vt non sit religiosus: sed fugitiuus est, qui recedit cum animo redeundi ex aliqua alia causa, vt vel ob sæuitiam superioris localis, vel ob concupiscentiam vagandi ad tempus, vel ob aliam similem causam. Ità Syluest. *v. apostata q. 4. num. 9.* Caiet. *22. q. 12. a. 1. circa resp. ad 2.* Bannes ibid. Sanchez *l. 6. Mor. c. 8. num. 2.* Donatus *p. 2. tr. 7. qu. 1.* Nauar. *l. 5. cons. vn. num. 5. de apostatis.* Val. *t. 3. disp. 1. q. 12. p. 1.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 16. q. 1.* Less. *l. 2. c. 41. num. 109.* Rodr. *t. 1. q. 31. a. 1.* Tambur. de iure Abbat. *t. 3. d. 8. q. 1. num. 11.* Bordon. *res. 76.* & aduertit D. Ant. *3. p. tit. 16. cap. 5. §. 3.* quod non debet iudicari apostata, qui diù ad longinqua vagatur, nisi animum non redeundi ostendit, quod & aduertit Tabien. *v. apostasia num. 10.* & alij communiter. Sed difficultas esse potest, an omnis exiens à claustro ad tempus dici possit fugitiuus. Apud Iuris Ciuilis consultos ille seruus fugitiuus dicebatur, qui extra domini domum, quo se celaret mansit, vt Ofilius scripsit; vel vt dicit Cassius, qui certo proposito dominum relinquit; vel vt voluit Celius, qui eo se contulit, vbi eum dominus recuperare non possit; & vt Viuianus admonuit non tam à fuga, quam ab effectu relinquendi Dominum seruus fugitiuus iudicandus erat, quamuis Vulpianus *l. quis sit, de edilit. edict.* arbitratus sit vtrumque exquiri, vt scilicet seruus in ipsum factum fugæ vitium mentis deduxerit. Ex serui igitur similitudine ille religiosus est fugitiuus, qui extra claustrum exit, vt se ab obedientia superioris sui subducat. Quare solus apostata magis propriè, & perfectè est fugitiuus, qui exit à claustro, vt se subducat ab obedientia simpliciter, ille verò est fugitiuus, sed non tam perfectè, & propriè, qui se subducit ad tempus ab obedientia huius, vel illius Prælati, vel etiam omnium Prælatorum, sed ad tempus; seu qui ad tempus exiens à claustro, manet vbi obedientiæ non est subiectus, nec inueniri potest à superiore, vt eo vtatur ad obediendum. Et sic videretur dicendum omnem religiosum exeuntem à claustro sine licentia dici posse fugitiuum, quia se occultat superiori, & manet vbi superior eum inuenire non potest, vt eo vtatur ad actus obedientiæ. Nihilominus ex communi vsu loquendi, qui exit solum extra Conuentum ad breuissimum tempus rediturus, non dicitur fugitiuus, sed ille talis est, qui vel ad magnam distantiam exit, vel non nisi post notabile tempus rediturus, qui verò non discedit ab oppido in quo est Monasterium, & non animo se subtrahendi ab obedientia, sed ob aliquam vtilitatem exit ad paucas horas rediturus non dicitur propriè fugitiuus, sed communi nomine dicitur exiens à claustro sine licentia. Potest tamen dici vagus, quia per ciuitatem hinc inde incedit, & vagatur sine licentia.

407. Inde est, quod qui sine licentia exit, sed reddit ad Conuentum suum per triduum non potest puniri, vt fugitiuus, seu in externo foro non est fugitiuus, quoad pœnas, quæ sententiam iudicis supponunt, etiam si animo fugiendi recesserit, qui enim spontè ad modicum tempus redit, non præsumitur voluisse fugere. *l. nihil interest, ff. de cap. & posthlim. reuers.* Vndè qui fugit à carceribus animo redeundi non dicitur carcerum fractor, vt probant Boer. *decis. 215. num. 17.* Riccius *p. 4. collect. p. 333.* & plures alij apud ipsos. Et nimis graue esset, vt ea breui interuallo pœnam ita incurreret quis, vt moram purgare non posset, vt tradit Giurba *consil. 34.* Quod verò mora breuis sit mora per tres dies, seu quod tempus trium dierum concedatur in huiusmodi ad purgandā moram, ex his, quæ de apostatia docent DD. potest colligi, & ex Riciul. *l. 8. de iure person. c. 2. n. 32.* & Gloss. *in cap. ad nostram, de regular. v. triduum.* docet Donat. *p. 2. tr. 6. q. 4.* qui etiam vult in hac numeratiòne non computari diem exitus, & diem reuersionis, & sic qui solum manet extra Conuentum per tres dies integros præter diem recessus, & reuersionis non debet haberi vt fugitiuus, quod tamen limitandum est; nisi ex circumstantijs facti oppositum præsumatur legitimè, siuè contra religiosum, siuè pro illo.

408. Quæritur secundò, an fuga à claustro sit peccatum mortale. Iam ex præcedenti *quæst.* habetur non omnem exitum à claustro sine licentia dici propriè fugam, sed illum solum, qui est cum mora notabili; addit Suarez *tom. 4. de rel. trac. 8. l. 3. c. 1. num. 2.* & scandalosa, sed vel hæc conditio est per se annexa exitui à claustro sine licentia, & cum notabili mora, vel non est necessaria ad essentiam fugæ, sed solum est circūstantia aggrauans. De se enim exitus à claustro sine licentia cum notabili mora, & sine iusta causa est scandalosus, quod verò actu scandalum ingerat, vel non ingerat, aggrauat, vel minuit peccatum, nō illud constituit, vel tollit. Dicitur igitur quod fuga à Claustro de se est peccatum mortale; Tum ex natura rei, tum ex lege Ecclesiastica. Ex lege quidam naturali primo per se; quia se subtrahere à loco, & statu, & potestate superioris permanenter per tempus notabile est inobedientia notabilis facta superiori. Secundò per accidens propter periculum scandali, vel infamiæ, quod oriri potest ex tali fuga, & imò regulariter oritur. Tertiò ex decreto Concil Trid. *sess. 25. de regular. c. 4.* prohibentis regularibus recedere à proprijs Cōuentibus. Quod decretum non potest accommodari soli exitui à Conuentu sine licentia ad breue tempus, quia de eo, qui hoc modo exit non potest propriè dici, quod recedat à claustro, nec talis sic exitus potest in rigore dici desertor sui ordinis, Concilium verò vult Episcopos posse punire recedentes à claustro sine superioris licentia tanquam sui ordinis desertores. Ille ergo recedit,

qui

qui exit, & per notabile tempus non reuertitur, sed extra claustrum manet, vndè transgreditur legem Concilij. Et ita, quod huiusmodi fuga sit culpa mortalis docent Bannes supra *q.12. dub.* 1. de apostasia à Religione *concl.* 6. Suarez *dicto num.*2. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 1416. Limitant verò assertionem, nisi Religiosus exeat ex iusta causa, quod verum est, sed tunc exitus à claustro, non est fuga. Quænam verò sit iusta exeundi causa infra est examinandum.

409. Quæritur 10. quæ sint pœnæ fugitiuorum Rebuff. *in praxi benef. de disp. cum regular. num.* 17. sentit fugitiuos esse excommunicatos, *per cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi* in sexto, etiam si non dimittant habitum Religiosum. Quod alia ratione affirmat Peyr. *in S. R. q.*1. *c.*26. §. 1. *fin.* Quia nimirum fugitiuus ad longum tempus in foro externo est *præsumptiuè* apostata, at verò apostata hanc excommunicationem incurrit. His consentit Donatus *p.*2. *tr.*7. *q.*24. Qui addit aliam rationem, quia nimirum *in cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi duo sub excommunicatione prohibentur*, scilicet recessio à claustro sine licentia, & temeraria dimissio habitus; vndè fugitiuus ob primam causam est excommunicatus. Addit verò Peyrinus fugitiuos esse excommunicatos ob priuilegia Eugenij 4. & Cœlestini quinti, quæ refert Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *a.*8. & per quæ huiusmodi fugitiui excommunicantur. At verò in iure communi nullam esse fugitiuis statutam pœnam, quam ipsofacto incurrant docent Suarez *dicto l.*3. *cap.*1. *num.*3. Lezana *tom.*1. *c.*16. *num.* 11. Verum fugitiuum non dimisso habitu non esse excommunicatum *per d. cap.*2. *ne Clerici, vel Monachi* tenent Nauar. *com.* 2. *de Regul. num.* 61. Sanchez *l.*6. *Mor. c.*8. *num.*46. Bannes *supra q.*12. *a.* 5. *dub.* 1. *de apos. à relig. concl.*6. Anton. à Spir. S. *tr.*3. *disp.*6. *num.*1415. Et, vt supra probatum est, contraria opinio fundamentum non habet, quia *in d. cap.* soli dimittentes habitum temerè, vel recedentes sine legitima licentia, vt accedant ad studia excommunicantur. Fugitiuos verò huiusmodi non esse apostatas etiam est certum, quia deest illis animus recedendi totaliter à Religione. Quod verò præsumptiuè sint apostatæ, non valet ad incurrendas pœnas in foro conscientiæ, & ante sententiam iudicis, cum tales in foro conscientiæ non sint apostatæ. Qui tamen prætendentes professionem esse nullam lite adhuc pendente fugiunt, pœnis apostatarum subijciuntur iuxta decretū Conc. Trid. *sess.*25. *c.*19. *de Reg.* quia isti in facie Ecclesiæ sūt apostatæ, si eorū professio non est nulla, cum discedant non reuersuri, & esto in rei veritate professio nulla esset, in facie Ecclesiæ non est nulla, donec talis sit declarata, ideò in facie Ecclesiæ habendi sunt, vt apostatæ. Quamuis propriè coram Deo tales non sint, & in rigore, quia licet recedant non reuersuri, hoc faciunt non in obedientiæ contemptum, sed quia putant se non teneri obedire, ex eo quod credant se nulliter esse professos. Eodem modo verò habendi sunt vt apostatæ ex vi decreti S. Cong. Concilij, & Vrban. 8. qui sub prætextu, quod non fecerint nouitiatum in Conuentibus designatis, non deductis prius rationibus suis coram ipsa S. Congregatione & fine, illius expressa licentia exire à Religione ausi fuerint. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. si quis num.* 58. *de Regular.* Quamobrem dicitur, quod in iure communi nulla est pœna lata in fugitiuos, quam ipsi incurrant ipso iure, vt ex Nauar. *com.*2. *num.* 61. *de regul.* habet Palaus *d. disp.* 4. *p.* 16. *num.* 8. Suarez *d. l.*3. *c.*1. *num.*12.

410. An verò iure priuilegiorū cōcessorū particularibus Religionibus huiusmodi fugitiui sint excōmunicati, vel in aliam pœnam ipso facto incurrant, videri posset ita esse dicendum ex multiplici capite. Primò ex priuilegio Iulij Secundi concesso Ordini Prædicatorum, quod habetur apud Casarub. *in comp. Priuil. Ord. Min. v. Apostata* §. 25. Pontifex enim excommunicationem latæ sententiæ tulit in Religiosos professos huius ordinis sine licentia Prælatorum discedentes ab eodem ordine. In cuius priuilegij vim Alexander Peregrinus Clericus Regularis *in compend. priuil. v. Apostata* §. 2. tenet nulli ex Clericis regularibus licere sine sui Prælati licentia de domibus dictæ suæ Religionis discedere. Vt enim aliud est discedere à Conuento, & aliud est discedere ab ordine: Neq; enim omnis, qui à Conuentu discedit, ab ordine discedit, si non discedit, vt vel inter seculares perpetuo viuat, vel ad aliam religionem transeat. Sic enim Pius Quintus in Constit. *Equum* data ad fauorem Societatis dans facultatem Generali contra exeuntes à Societate sic loquitur, *vel à dicta societate post in ea emissa vota, vt præfertur, absque superioris licentia exiret, & in sæculo, vel alio etiam regulari loco degere præsumeret.* Vbi quid sit à Societate exire explicat per hoc, quod est in sæculo, vel in alia Religione degere. Vndè ab ordine discedere idem est, quod apostatare, vel ad aliam Religionem transire, seu egredi, nedum à Monasterio, sed à Religione. Vndè Casarub. *in priu. mend. v. Apostata* in fine pro eodem habet apostatam, est eum qui sine licentia discedit ab ordine. Nam & hæc duo pro eodem habentur in Mari Magno Prædicatorum §. 20. Minorum §. 21. Carmelitarum §. 91. Et in bullis Greg. 9. Innoc. 4. Clementis 4. Innocentij Octaui apud Casarub. loco citato. Et ita in vi illius priuilegij Iulij Secundi nec in ordine Prædicatorum fugitiui non apostatæ, vel non discedentes à Religione animo ad eam non redeundi, sunt excommunicati, & quamuis fugitiui, maximè qui in sæculo commorantur, & præcipuè habitu deposito extrinsecus habeantur vt apostatæ, hac ratione etiam habentur, vt excommunicati, non quia fugitiui, sed quia vel apostatatæ, vel temere habitum dimiserunt. De reliquo in hoc ordine fugitiui, qui nec sunt apostatæ, nec dimittunt temere habitum, non censentur excommunicati, nec vt tales puniuntur.

411. In ordine Minorum Apostatæ sunt excommunicati per priuilegium Innoc. Octaui apud Casarub. loco citato §. 21. Sed expresse de apostatis loquitur. Quod verò Portel. *v. Apostata n.* 2. *in addit.* dicat per statuta generalia Toletana declaratum fuisse, vt apostatæ censeantur, qui sine licentia superiorum exierint, siue dimisso, siue non dimisso habitu, & siue soli, siue associati vndè ipse ibi, & apostatam, & excommunicatum iudicat,

dicat, qui nocte exit furtiue eadem nocte reuersurus, potest valere ex vi statutorum Generalium d. cap. *Toletani*, si in eo hæc excommunicatio lata fuit, non tamen respectu bullæ Innocentij Octaui, vel alterius Pontificis; Nam in iure Canonico, & communi fugitiuus, & apostata distinguuntur, nec eo aliquis dicitur apostata, quo exit è claustro sine licentia iterum reuersurus; maximè si sit reuersurus in breui. Etiam in Societate Iesu per priuilegia Pij Quarti, & Quinti apostatæ sunt excommunicati, sed ibi sermo est de exeuntibus, aut recedentibus à Societate, ac proinde de Apostatis, non verò de pure fugitiuis. Nam & Greg. 13. in bulla, *Ascendente Domino* deficientes à Societate excommunicat, & veros Apostatas esse declarat, ex quo magis etiam constat, hæc duo idem esse, scilicet deficere ab ordine Religioso, & apostatam esse à Religione. In Ordine Carmelitarum recedentes à Conuentibus sine licentia haberi vt excommunicatos, & vt tales absolui, & puniri refert Lezana *tom.* 1. c. 16. *num.* 11. Sed id reducit in Constitutiones dicti ordinis, in quib. *p.* 3. *cap.* 1. §. 1. 2. & 3. statuitur tales censendos esse apostatas, quos ipse *num.* 13. putat esse excommunicatos ex vi priuilegiorum per communicationem illorum. Sed iam pluries dictum fuit priuilegiorum communicationem non habere locum in censuris, & pœnis.

412. Sicut verò fugitiui non sunt ipso iure excommunicati, ita nec sunt suspensi. Licet enim Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 25. id asserat ex hoc quod in Constit. Pauli Quarti: *Postquam diuina bonitas &c.* imponitur huiusmodi vagis, ac fugitiuis pœna suspensionis, tamen hanc Pauli 4. Constit. fuisse per Pium Quartum ad terminos iuris reductam constat vndè vis illius Constitutionis extincta est pro hac parte.

413. Quamuis verò fugitiui non sint ipso facto excommunicati, possunt tamen à superioribus ordinum, etiam localibus, si redire noluerint, cogi etiam per excommunicationem, & carcerari, & puniri, etiam inuocato auxilio brachij sæcularis. Hoc enim illis competit ex Constit. Leonis X. *Arrepimus* ad fauorem Ordin. Prædicatorum, quæ habetur in huius Ord. Bullar. p. 188. & cuius meminit Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 25. & eiusdem Leonis, pro ordine Minorum apud Casarub. in priuil. Min. *v. Apostata* §. 29. & 30. & Eugenij quarti pro Congreg. S. Hieron. Fesol. & Gregor. 13. pro eisdem apud Capucinum ad Casarub. ibidem. Sed in hac parte sine specialibus priuilegijs ex potestate ordinaria possunt Prælati regulares iuxta cuiuslibet ordinis statuta procedere contra fugitiuos, & eos per censuras, & pœnas cogere etiam vi, & eos ligando, & carcerando, & vbi opus sit auxilium brachij sæcularis inuocando ad claustra reducere, & punire, vt aduertit Lezana in Mari Magno Prædicatorum num. 63. & in Mari Magno Carmelitarum n. 479. Habent enim in suos subditos iurisdictionem quasi Episcopalem, vt latius supra est probandum.

414. Præter huiusmodi pœnas infligendas si redire recusent, alijs subijciuntur, quia priuilegium exemptionis quodammodo perdunt. Nam ex decreto Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. possunt puniri per Episcopos. Circa, quod decretum bene aduertit Suarez *dicta* l. 3. c. 1. *num.* 3. ex vna declaratione Cardinalium S. Concilij interpretum Concilium dixisse, quod huiusmodi recedentes ab ordine puniantur, & non dixit, quod excommunicentur; ex quo colligitur, quod ab Episcopo non possunt excommunicari; sed & vlterius habetur ex eadem declaratione, quod non sunt excommunicati. In Constitut. autem Sixti Quinti 73. contra illegitimos hæc Ordinariorum iurisdictio in fugitiuos ampliatur, quia illis præcipitur diligenter inquirere an Religiosi declinantes ad sæcularium hospitia literas suæ obedientiæ secum ferant, alias contra illos procedant, & sub custodia tandiu detineant, donec de illis certa notitia habeatur. Et simul Prælatis regularibus præcipitur, ne huiusmodi fugitiuos recipiant. Sed tamen, vt idem Suarez aduertit, contra vagantes, & fugitiuos nullam nouam prohibitionem, aut specialem pœnam imponit.

415. Contra etiam huiusmodi fugitiuos nulla certa pœna statuta est in iure communi ad quam damnari debeant postquam fuerint reuocati: Eos enim reuocandos esse plures decernitur, sed qua pœna ob delictum fugæ puniendi sint non decernitur. Vndè in hoc quælibet Religio sua statuta considerabit, & vbi non non sit pœna determinata arbitrio prudentis superioris pro qualitate delicti punienda erit huiusmodi fuga.

416. Pro Ordine Prædicatorum quæri potest quæ pœna sit contra fugitiuos lata, & an habendi sint, vt apostatæ, & pœnis apostatarum puniendi: Nam Festus in sum. Confl. *p.* 3. c. 18. in fine asserit fugientes à quorumcumque Prælatorum obedientia etiam habitu retento esse verè apostatas, & hanc ait esse sententiam communem; Nam peius est ab obedientia recedere, quam habitum dimittere, qui Monachum non facit, Et in Constitut. nihil dicitur de habitus dimissione, & aperte fugitiuos connumerat *d. p. cap.* 20. §. 2. dum dicit, si secundo fugerit. Quam sententiam sequitur Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 23. & ait apud Prædicatores hanc conclusionem esse certissimam, quia in eorum Constitut. nulla mentio fit de habitu dimisso, vel retento, vt videre est *d.* 1. *cap.* 20. & *dist.* 2. c. 3. §. 10. vbi non de habitus dimissione, sed de sola licentia est sermo. Sed *num.* 3. Explicans mentem suam, ait hinc colligi alium esse apostatam ab ordine, & alium ab obedientia huius, vel illius Prælati, & cum triplici causa Religiosi fugiant, vel scilicet at nulli subsint, vel a grauamine minoris ad maiorem superiorem recurrendo, vel vano prætextu, & ob friuolas causas; ideò prudentis iudicis erit causas examinare, & secundum illas iudicare absoluendo, vel condemnando. Sed hæc sententia, nec vera est, nec habet fundamentum in legibus ordinis, nec est in in praxi. Constitutio enim *d.* 1. *cap.* 20. optime loquitur, & non dicit, qui fugerit, vel qui recesserit, sed *quicumque apostatauerit ipso facto sit excommunicatus*. Et sic in sequentibus contra apostatas decernit pœnas, & modum recipiendi, & nec verbum habet de fugitiuis. Et quod Constitutio non distinguat inter dimittentem, & non dimittentem habitum bene verum est, quia ad

apo-

apostasiam non est necessaria dimissio habitus, sed benè est necessaria fuga ab obedientia simpliciter, & in perpetuum, quantum sit ex animo fugientis, vt ex communissima DD. sententia supra probatum est: Constitutio verò solum apostatas excommunicat, & contra eos pœnas illius *cap.* 20. statuit, non verò contra fugitiuos, qui non fugiant ab obedientia totius Religionis, & ea animo eorũ nũquam redituri. Et quod in §. 2. *eiusdem cap.* 20. dicat. Quod si secundò fugerit, & iterum redierit supradicto modo pœniteat, non probat Constitutionem loqui de fugitiuis, vt distinctis ab apostatis, sed de illo qui secundo fugit apostatando. Priùs enim decreuerat quomodo apostata pœnitens recipi debeat, & postea tractans de relapso, scilicet de eo qui post pœnitentiam prioris apostasiæ iterũ est apostata inquit. Quod si secundo fugerit, scilicet si apostata, qui rediit, & receptus fuit, secundò fugerit, & iterum redierit, prædicto modo pœniteat, & priori anno secundus annus addatur. Si tertio tertius, & si quarto quartus. Decernitur igitur pro apostatis primo redeuntibus vnus annus pœnitentiæ ibi, & duobus diebus in qualibet septimana per annum in pane, & aqua ieiunabit. Sed relapsis pro qualibet vice relapsus vnus annus pœnitentiæ superadditur, & nihil de fugitiuis non apostatis decernitur. Ex textu autem 10. *cap.* 2. *dist.* 2. clarè habetur oppositum eius, quod dicta opinio intendit, quia ibi Constitutio inter apostatas, & vagos distinguit, vndè non veniunt vaghi sub dispositionibus factis contra apostatas, nisi constitutio id exprimat, prout facit ibi, & expressè Constitutio decernit; quod Prælati ordinis, scilicet Magister ordinis, Prouinciales, & eorum Vicarij possint concedere Ecclesiasticis personis extra ordinem potestatem super apostatas, & super vagos, id est sine licentia ordinis extra ordinem commorantem, quamdiu sic extra manent. Sed vbi Constitutio id non exprimit numquam dispositiones contra apostatas extendi possunt ad vagos, vel fugitiuos. Ideò cum modo 55. anni sint ex quo per Dei misericordiam habitum huius ordinis porto, numquam vidi fugitiuum habitum fuisse vt apostatam, & pœnis apostatarum punitum.

417. In hoc ergo Ordine Prædicatorum ad impediendum discursus vagos, & exitus Fratrum, seu transitus de loco ad locum sine licentia superiorum statutus est carcer, & sub pœnis grauibus etiam absolutionis ab officio præceptum est superioribus, vt transeuntes, vel de vna prouincia ad aliam, vel de vno ad alium Conuentum, & vagantes per Prouincias carcerent, & puniant, & punitos ad suos Conuentus remittant, vt ex Capitulis Generalibus. Nouariæ 1465. Romæ 1474. Romæ 1580. & 1583. Venet. 1592. Romæ 1601. Valisoleti 1605. & ex Glossa *Const. dist.* 2. c. 13. §. 2. *l.* r. referunt Camillus, & Fontana *in sum. Constit.* verbis discursus Fratrum, fugitiui, & vagabundi. Duplex autem pœna lata est in eos, nimirum priuatio vocis per annum. Gloss *Constit. loco citata* ex *cap. Gen. Placent.* 1310. *&* Carcas 1312. *&* Montepes. 1316. & pœna grauioris culpæ. Gloss. ibid. *ex eisdem capit. & insuper. cap. Gener.* Brixiæ 1346. & Bonon. 1347. Montepes. 1350. Rom. 1481. *&* Bononiæ 1564. vbi statuitur vt nullus à suo Conuentu recedat, etiam causa eundi ad superiorem sub pœna grauioris culpæ, quam tamdiù persoluet, quamdiù extra Conuentum sine licentia fuerit commoratus. Perpiniani etiam 1327. & Clacam. 1339. statutum fuit eos, qui sine licentia ad Prouincialem, vel Magistrum Ordinis eunt non recto tramite, sed solos sine socio hinc indè discurrunt esse vagos, & tamquam apostatas esse iudicandos, & carceri mancipandos. Quod tamen non debet intelligi simpliciter, & quia illi sint subiecti apostatarum omnibus pœnis inter quas est excommunicatio, sed quantum ad pœnam ibi expressam, quia incarcerari debent. Nam alias dato quod Capitula illa voluissent huiusmodi vagos puniendos censuris in apostatas latis, in hoc nullam vim retinerent, quia vt decernit Constitutio in prologo §. 10. ordinationes Capitulorum Generalium, & Mag. Ord. quantum ad vim præcepti, & censurarũ sũt ordinationes hominis, & cum illis expirant, & vita Capituli vsq; ad solum sequens Capitulum durat. Qua obtem cum etiam in *cap. apud Saulianum* 1439. præceptum sit sub pœna excommunicationis ne Fratres prætextu extranei quæstus, & indulgentiæ prædicandæ audeant vagari extra Conuentum, quantum sit ex vi dicti *cap.* hæc pœna locũ ampliùs non habet. Et ità in hoc ordine fugitiui carcerari debent, & priuari voce, & damnati ad pœnas grauioris culpæ, nec contra illos alia pœna est statuta. Benè aduertendum est, quod Basileæ 1473. vt refert Camillus *v. discussus Fratrum l. E.* decretum fuit, vt qui cum alia licentia, quam Magistri Ord. aut Prouincialis, seu eius Vicarij transit de Prouincia in Prouinciam, easdem pœnas incurrat, quas incurreret sit transiret sine literis testimonialibus. Ex quo deducitur eiusdem rationis esse recedere sine licentia, & cum licentia eius, qui eam non valet concedere.

418. Quæritur et. an qui recedit ex iusta causa, vt eat, & recurrat ad superiorem maiorem sit fugitiuus pœnis fugitiuorum puniendus. Bannes 2. 2. q. 2 s. a. 1. de apostasia à religione *dub.* 1. *post* 6. *conclus.* existimat religiosum sine licentia recedere à Conuentu causa adeundi superiorem maiorem esse ex genere suo peccatum mortale, licet in indiuiduo possit esse solum peccatum veniale. Mouetur autem primo, quia huiusmodi religiosi a superioribus puniuntur pœna graui, quod non fieret si hoc ex genere non esset peccatum graue. Secundò, quia hoc est prohibitum per Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regular.* vbi præcipit, vt nullus prætextu accedendi ad superiores recedat à Conuentu sine licentia, & contra sic recedentes vult Ordinarios procedere tamquam in sui ordinis desertores. Tertiò, nam ex tali recessu sequuntur in religionibus, & maxima perturbatio, & plura scandala. Nihilominùs omnes DD. ferè vnanimiter sentiunt oppositum, quamuis aliqui distinguant inter forum conscientiæ, & forum externum.

419. Primò igitur puto Concil. Trid. noluisse auferre subditis religiosis iustam, & necessariam defensionem, vt cum Nauar. *Com.* 2. *de regular. num.* 61. docent omnes ferè scribentes in hac materia; Quia defensio iusta est de iure natu-

ta, contra quod leges positiuæ non disponunt. Et hoc manifestiùs apparet ex decreto Sixti V. qui in Constitutione sua moderatoria alterius Constitutionis suæ de illegitimis, de recedentibus religiosis sine literis testimonialibus sui superioris sic disponit: *Quod si dixerint, se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis superioribus sibi illata, & ideò ab ipsis superioribus licentiam, & literas obtinere non potuisse, non propterea vllo modo recipi debent, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos superiores denegata constiterit.* Ex hac enim dispositione habetur, quod recursus ad superiores tãquã iusta defensio, etiam non obtenta licentia exeundi est licitus, quia à Pontifice approbatus. Nec obstat quod loquatur de recursu ad Apostolicam Sedem, quia in hoc eadem est ratio de recursu ad quemcumq; legitimum superiorem, vt aduertit Suarez *dicto l.* 3. c. 1. *num.* 6. cum & in alijs superioribus regularibus sit legitima authoritas ab eadem Apostolica Sede proueniens, & alias spectatis extrinsecis non minùs scandalizare, & perturbare religiones possit proficisci Romam sine licentia superioris inferioris, quam proficisci ad Prælatum regularem. Et eadem potest esse ex parte subditi iusta causa, & necessitas recurrendi ad suum superiorem, quæ ad Pontificem, cum imò non habeat causam Romæ proficiscendi ad Pontificem, si à Prælato regulari intra religionem potest obtinere defensionem.

430. Propterea dicitur secundò, non esse fugam culpabilem, nec subdi pœnis fugitiuorum religiosum, si absque licentia sui immediati superioris recedat à Conuentu, & recto itinere se transferat ad Prælatum superiorem. Conclusio ista est communis pro qua 13. *D D. refert* Barbosa *ad d. cap.* 4. *sess.* 25. *Concil. Trid.* Intelligenda tamen est secundum multos adhibitis sequentibus conditionibus. Prima est, vt grauamen, quod recipit ab inferiore Prælato sit iniustum. Posset verò dubitari, an si non sit manifesta, & certa iniustitia grauaminis, licet sit certum, & manifestum grauamen, vel si nec grauamen est certum, sed in futurum pendet sufficiat, & sit iusta causa recedendi ab inferiori ad superiorem Prælatum. Portel. *v. apostata in add. num.* 6. censet tunc locum esse huic fugæ, cum subditus est certus moraliter de damno sibi inferendo. Sanchez *autem l.* 6. *Mor. c.* 8. *num.* 17. & Suarez *dicto l.* 3. *c.* 1. *num.* 6. Bonac. *de clau. q.* 2. *p.* 11. §. 1. *num.* 9. & Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 12. *num.* 5. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1410. Tambur. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 2. *nu.* 7. dicunt tunc esse locum huic recursui, & fugæ quando iniustitia est certa, & manifesta. Bellet. *de pan. Cler.* §. 24. *num.* 18. quando certo, & euidenter constet de seuitia superioris. Sed secunda conditio est, vt grauatus non possit se defendere, nisi à Conuentu recedat. Circa quam conditionem eadem dubitatio esse potest, an scilicet hic timor, seu impotentia defensionis intra Conuentum debeat esse certa moraliter, vel solum sufficiat si sit probabilis. Suarez *loco citato num.* 8. talem putat esse debere necessitatem, quæ non det locum petendi licentiam exeundi à superiore maiori, & necessaria sit præsentia se defendentis, nec per solas literas spetetur aliquod remedium, vel licentiam posse obtineri; & sic necessaria est desperatio obtinendi remedium, vel licentiam exeundi. Sanchez *loco citato*, ait tunc religioso esse licitum hunc exitum, quando constat eum ad sui defensionem nullum alium remedium habere, quod & tenet Donatus *loco citato*. Tertiam conditionem ponunt aliqui talem, vt scilicet grauamen non sit illatum, sed sit inferendum, quia si grauamen est illatum non poterit subditus adire superiorem pro fama recuperanda, quia hoc potest fieri per literas, vel petendo visitatorem: poterit verò si grauamen sit inferendum, & timeatur certo moraliter de futuro. Sed alij DD. communiter non distinguunt. Et meritò, quia in secunda conditione continetur quidquid potest per hanc secundam explicari. Cum enim ad faciendum quod factum non sit factum, nulla detur potentia, & alias ex secunda conditione sit necesse, vt non adsit aliud remedium ad fugiendum grauamen, certè hæc fuga respicit aliquid pendens in futurum, quia ad præteritum non est potentia; sed licet grauamen sit illatum potest impediri ne durer, & potest cassari inferioris iudicis sententia, & religiosus ad integritatem sui iuris, & famæ restitui, & alterius potest superior puniri ob iniustam vexationem sui subditi; ideò vbicumque habet locum defensio iusta, & ad hanc sit necessaria præsentia grauati ad superiorem, licita erit fuga grauati à Conuentu. Quartam conditionem petunt alij, vt petatur licentia recedendi à superiore grauante; quam conditionem esse necessariam negant multi cum Nauar. *Com.* 1. *de regular. n.* 6t. affirmat Anton. à Spir. Sancto *to.* 3. *disp.* 6. *num.* 1413. si prudenter timeat eam sibi à Prælato esse denegandam Suarez verò *num.* 8. *citato* putat esse necessariam si ex eius petitione nullum damnum timeatur, & vel est spes, vel saltem non est desperatio illam obtinendi. Cessante enim timore noui damni, & maioris grauaminis, seu præiudicij iniustæ defensionis, locum habet lex clausuræ, à qua subditus non eximitur, nisi habeat probabilem rationem desperandi. Imò si illam non petat suæ causæ præiudicat.

431. Circa huiusmodi conditiones autem distinguendum est id, quod est necessarium per se ex lege clausuræ, & id quod est necessarium per accidens, vel causa vitandi scandalum, vel vitandi rigorem intia præsumentis fugam, vel apostasiam etiam in eo, qui à Conuentu recedit, & vagatur sine literis testimonialibus sui superioris. Nam si loquamur per se ex sola vi legis obligantis ad clausuram, seu ad non recedendum à Conuentu sine licentia, requiritur quidem grauamen notabile, & remediabile siuè sit illatum, siuè timeatur inferendum, sed neque est necesse, quod hoc grauamen sit notorium, vel si sit notorium, non est necesse, quod sit notoriè iniustum, & si non est illatum, sed inferendum non est necesse quod omninò certò timeatur; sed ad hæc sufficit quod grauamen sit notum grauato, & ab eo timeatur probabiliter, & rationabiliter. Semper quidem considerare debet Religiosus obligationem, quam habet obediendi superioribus in dubio, & vbi non constet de iniustitia præcepti. Sed vbi locum non habet ius obedientiæ, & agitur de eo iure, quo Religiosus non se priuat ex vi professio-

alis, vbi probabiliter timet, quod illud ius sit sibi violandum, & ipse passurus sit damnum, potest ad superiorem recurrere concurrentibus alijs conditionibus ad hoc necessarijs, & saluo iure obediendi etiam in dubijs, de quo videri possunt scripta supra q. 387. a. 8. tota inspectione tertia; Et tamen hoc pro aduertendum, quod in ijs, in quibus subditus habet ius, vt non grauetur à Prælato immediato, si sit dubium an grauamen sit iniustum, dubij huius resolutio ad superiorem maiorem spectat, & merito subditus qui probabiliter tenet grauamen esse iniustum, nec oppositum habetur manifestè communiter vt probabilius, potest ad maiorem superiorem recurrere etiam fugiendo à Conuentu, si grauamen sit notabile, & graue, & aliter non possit euitari, inxta superius explicata. In hoc enim casu proximus superior grauans sub dubio se habet vt pars, & ideò alterius iudicis est de iustitia, vel iniustitia grauaminis decernere, & sic dubium casum determinare etiam si dubium sit merè negatiuum. Nô enim maior notitia, vel certitudo requiritur, quam sit necessaria ad hoc, vt aliquis habeat ius se defendendi; ad hoc verò nec requiritur quod grauamen sit notum alijs, nisi quatenus opus est, vt grauamen probetur in iudicio, si iudicialiter agendum sit, vel ad fugiendum scandalum. Ius enim & possessio est pro iusto, qui non debet iniustè vexari, vnde habet ius, vt coram superiore se defendat, quotiescumque prudenter iudicat se vel esse grauatum iniustè, vel timet se fore grauandum. Eo magis, quod non recedit ab obedientia, qui ad superiorem recurrit, vt ab eo subleuetur à grauamine. Nec lex clausuræ est vinculum iniustitiæ, vt faueat sæuitiæ, & iniustæ crudelitati superiorum, & tollat religiosis remedium iustæ defensionis. Ideò Nauar. *Com. 2. de regul. nu.61.* absolutè docet, quod religiosus ratione grauaminis, vt se defendat potest à Conuentu recedere, & maiorem superiorem adire, quem sequuntur. Azor. *l. 11. c. 11. q. 7.* Sà *v. religio. num.81.* Sanchez *cl. de apos. c. 3. d. 1. num. 51.* Diana *p.3. tr.2. de sub. regularium resol. 56.*

412. Et eadem ratione circa secundam conditionem dicitur, quod sufficit, desperatio remedij per aliam viam sit rationabilis, licet non sit notoria, & certa, quia & talis sufficit ad se defendendum, nec maior requiritur in aggresso, vt aggressorem occidat sine peccato in foro conscientiæ. Dubius enim an possit se alia via defendere contra inuasorem, sinè dubium sit negatiuum, siuè sit positiuum, ità quod non est certus se posse defendere alia via, meritò desperat, quia non habet spem certam se defendendi alia via, quæ sit rationabilis, & iam est in probabili, imò & certò periculo suæ vitæ, & non tenetur seruare alienam vitam exponendo periculo propriam. Et licet Bonac. *disp. 2. de restit. q. vlt. p.8. n. 1.* dicat, quod qui probabiliter putat posse se defendere cũ leui percussione peccat si grauius percutiat. Tamen debet considerari quod probabile, quod est tale quod eius oppositum probabile non est, est moraliter certum, & ideò qui hoc modo probabiliter credit, se posse defendere sine morte inuasoris, non desperat se posse alio modo defendere, sed probabile cuius oppositum etiam est probabile, est verè dubium, ideò qui sic probabile iudicat se posse defendere alia via, cum & oppositum sit sibi probabile, verè dubitat, nec habet, vndè habeat spem nisi dubiam, vt se alia via defendat, qui vero habet solam spem dubiam conseruandi vitam suam alia via, est in certo periculo illam perdendi, nisi aliundè se tueatur, & habet ius vitam suam assecurandi eo modo quo id fieri possit, si non sit moraliter certus posse se defendere alia via, vt in simili dixit Martinez de Prado. *cap.20. q.3. nu.18.* Et circa quartam conditionem idem dicendum; sufficit enim timor rationabilis præiudicij suæ iustæ defensæ si licentiam petat, ad hoc, vt non teneatur illam petere, vndè absolutè Nauar. dicit non esse necessitatem hanc licentiam petendi, quia non de facili hoc iusto timore caret talia petitio. Quo tamen cessante verè lex clausuræ vrget, quia legem sine iniusto damno sibi imminente potest religiosus seruare. Imò si possit sine notabili præiuditio iustitiæ suæ causæ licentiam à superiore petendo illam expectare ad id tenetur, quia necessitas exeundi non vrget, ideò non potest exire sine licentia.

413. Verùm extrinsecis spectatis maiora sunt necessaria in fugiente ad hoc, vt tamquam fugitiuus non peccet, nec puniatur. Et quidem ad vitandum scandalum, & perturbationem Religionis tenetur vnusquisque ex lege charitatis. Tamb. *c. 3. d. 8. q. 2. num. 7.* post Sanchez *l. 6. cap. 8. n. 37.* Ideò quantum potest tenetur religiosus iniustè grauatus, vel grauandus, iustificare apud homines suum exitum, vel iuridice per Notarium, vel alio priuato modo salua semper iustitia proximi, nulli detrahendo. Cæterum duo hic consideranda sunt. Primum est quod non dat causam scandali, qui vtitur iure suo, vt se defendat iustè, & iniustum damnum à se propulset, vndè poterit esse, quod scandalum sit acceptum, non datum. Et quidem ad hoc scandalum vitandum magis tenetur superior, quam subditus, ideò ex hac parte longe maior est obligatio in superiore abstinendi ab iniustitia, & non præbendi subdito occasionem iustam fugæ, & recursus ad superiorem, quam in subdito iniustè grauato manendi sub grauamine ne alij scandalizentur; illud enim est debitum, & est scandalum actiuum, sed hoc per se non est scandalum actiuum, sed passiuum. Secundum est nihilominùs, quia fuga à Conuentu de se habet speciem mali, & multis incommodis est vestita, & charitas etiam exigit, vt nos paulisper sustineamus aliquod damnum, & cedamus iuri nostro propter bonum commune, ideò subditus ex parte sua debet auferre à fuga sua speciem mali quantum potest, vel etiam si charitas propter bonum commune obliget ad sufferendum aliquod damnum illud libenter sustinere.

414. Sed difficultas est in vincenda præsumptione fori externi, qui religiosos præsumit fugitiuos, vel etiam apostatas, si vagentur extra Conuentus sine literis testimonialibus, & contra huiusmodi religiosos clamant Concil. Trid. & Constitutiones Pontificium, per quas etiam Ordinarijs datur facultas carcerandi eos, & puniendi, & particularia religionum statuta contra recedentes à Conuentibus sine licentia pœnas graues tulerunt. Vndè ex hoc multiplex causa non recedendi con-

fugit,

fugit, & quidem obligans in conscientia. Prima ex parte fugientis ad superiores, si se exponit graui periculo, & damni, & infamiæ tam sibi, quam religioni tum in itinere ab Ordinarijs, & eorum Ministris, tum in termino coram superiore ad quem, à quo forsan non recipietur nisi ad carceres, & forsan remittetur ad Conuentum, & ad iudicem à quo. Secunda ex parte legum prohibentium huiusmodi exitus, & accessus sub grauibus pœnis. Sed quantum ad hanc secundam partem, nisi leges speciales religionum explicitè, & sub præcepto aliquid singulare disponant circa hunc casum, non obligant sub mortali, nisi recedentem à Conuentu ad notabilem distantiam, & tempus sine iusta causa, & admittunt interpretationem communem datam decreto Concilij Tridentini, vndè iustam defensionem non impediunt. Et licet leges, & iura præsumant contra recedentem sine licentia, vel non habentem, vndè iustam causam sui exitus probet, ex hoc solum sequitur, quod in foro externo superiores iustè possunt contra huiusmodi religiosos procedere, & illos incarcerare, & nisi suam causam legitimè defenderint, etiam punire, non tamen propterea in conscientia huiusmodi religiosus est legum transgressor, & culpabilis coram Deo ex eo præcisè quod leges clausuræ transgrediatur.

425. Sed benè potest esse, quod mortaliter peccet nedum ratione scandali, sed contra charitatem sui duplici modo; vel si infructuosè, seu sine spe fructus exponat se periculo morali, & probabili grauis damni ex sui charitate vitandi, vt v. g. graui periculo suæ salutis, & sic vtrinque perdat, quia nec liberatur ab iniusto grauamine à Prælato inferiori sibi illato, & maius grauamen incurrit propter egressum sine licentia. Imò ex hac parte violatur nedum lex charitatis, sed lex clausuræ. Nam vbi nulla sit spes, vt per accessum ad superiorem maiorem iniustè grauatus, vel in totũ, vel in parte notabili liberetur à grauamine, nulla est causa iusta exeundi. In dubio tamen, seu vbi desperatio profectus non sit moraliter certa, sed aliqua spes dubia fulgeat, vt per accessum ad superiorem liberetur ab iniusto grauamine alias religioso probabiliter desperante remedium, nisi accedat, non tenetur ex vi legis clausuræ non recedere, quia tunc habet ius defendendi se omni modo honesto, quo possit; accessus verò, seu recursus ad superiorem ab iniusto grauante non est illicitus. Sed nihilominùs secundò etiam data spe victoriæ in sua causa potest peccare mortaliter, si multo maius sit damnum ex sui charitate vitandum, cuius periculum morale incurrit religiosus recedendo sine licentia à Conuentu, quàm grauamen à quo intendit liberari, sic enim si religiosus stat dubius inter spem, & metum; ità vt consideratis omnibus lex charitatis obliget ad potius sufferendum grauamen illatum, quam ad tentandam liberationem ab illo exponendo se morali periculo illius maioris damni, tenetur non fugere ex lege charitatis erga se. Vbi verò in religioso recedente cesset morale periculum talis damni notabilis ex recessu sine licentia, vel quia licentiam petijt, & defert testimonium, quod illi fuerit denegata, vel quia defert sufficienter probatum grauamen iniustum, & causam iustam non petendi licentiam, vel quia ex aliqua alia causa iusta securus recedit, aut si grauamen illatum est adeò notabile, & magnum, vt expediat exponere se alicui damno, propter liberationem ab illo, non erit peccatum mortale recedere à Conuentu sine licentia, & adire superiores maiores; & quatenus iustitiam sui recessus sufficienter probet, non potest iustè vexari, vel ab Ordinarijs, vel à superiore maiori, vel ab alio.

426. In ordine Prædicatorum nulla est lex specialis, quæ in hoc magis obliget quam lex Concil. Tridentini. Quamuis enim in Capitulis Generalibus Paris. 1256. & 1264. Treuir. 1289. Venet. 1297. prohibitum sit fratribus ne sine Prælati licentia eant ad Prouincialem, vel ad Magistrum Ordinis, & hos grauius puniri sit præceptum. In Capitulo verò Bonon. 1564. iuxta dispositionem Concil. Trid. huiusmodi recedentibus à Conuentu sine licentia sub prætextu adeundi superiores imposita sit pœna grauioris culpæ, tamen hoc intelligitur de recedentibus sine causa iusta non verò de illis, qui recedunt vt liberentur ab iniusto grauamine. Imò alias videtur admissus huiusmodi recessus, quia Perpin. 1327. & Claremon. 1339. statuitur habēdos, vt apostatas, & incarcerādos huiusmodi euntes sine licentia ad Prouincialem, vel Magistrum Ordinis si tamen non recto tramite, sed vagando hinc indè discurrant; vndè nulla pœna inflicta est in his *cap.* illis, qui licet sine licentia, recto tamen itinere incedunt ad superiores. Nec obstat, quod in hoc ordine appellatio sit penitus interdicta: Quia, quidquid sit de hoc pro nunc, aliud est appellatio, & aliud iusta defensio, & vt bene aduertit Suarez *dicto l.* 3. *c.* 8. *num.* 5. iustitia huius recursus ad superiores non fundatur super iure appellandi, sed super iure iustæ ac propriæ defensionis, quam, vt probat Nauar. *dicto com.* 1. *num.* 61. *de regular.* Concilium noluit auferre, nec auferunt aliæ leges municipales ad instar Concilij disponentes.

427. In ordine Minimorum *ex cap.* Valentino 5. *num.* 15. teste Peyrin. *in R subd. q.* 1. *cap.* 20. Si subditus non expectata sententia Prælati inferioris superiorem adierit, ad superiorem inferiorem remitti debet ad expectandum eius iudicium, & pœnas Apostatarum luere debet. Et consimile statutum habere fratres Minores in statutis Valisolet. refert idem Peyrinus ex Spathario *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *num.* 8. Sed & addit ità vniuersaliter statutum fuiße a Pio 4. in sua Constit. *De salute* 10. *§.* 6. & a Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 1. *de refor.* Sed tam Pius 4. quam Concilium solum tractant de modo appellandi à sententijs Episcoporum; & vt dictum est, ius recedendi à Conuentu, & adeundi superiores non fundatur in solo iure appellandi, sed in iure se defendendi ab iniusto grauamine; vndè, & ante omnem processum si Religiosus sibi timeat iniustum grauamen à Prælato immediato, nec aliud remedium habeat, nisi recedere a Conuentu, & adire superiorem potest id facere Aduertit etiam Bellet. *disquis.* 2. *de pœn. Cler.* §. 24. *num.* 10. quod Vrbanus Octauus *const.* 57. ad instantiam Catholici Regis Hispan. Philip. 4. reuocauit omnia, & singula priuilegia, & exemptiones etiam à Sede

Aposto-

Apostolica concessas quibuscumque Religiosis in Regnis Hispaniarum commorantibus, per quas ab obedientia suorum Prælatorum eximuntur, & et eorum Monasterijs, & Regularibus domibus ad eorum libitum, & cum socijs sibi bene visis etiam superiorum suorum non petita licentia egrediuntur.

428. Colligitur verò primò, huiusmodi Religiosos ad superiores fugientes debere recipi à superioribus localibus Conuentuum, & locorum per quos transeunt, & huiusmodi superiores non incurrere pœnas latas contra recipientes, fugitiuos; quod est verùm nedum, vt ait Donatus q.13. si constet de appellatione adhibita à talibus Religiosis, & non admissa; sed si constet quantum prudentia exigit quomodocumque de bono iure Religiosi, & iusta causa recessus à suo Conuentu sine licentia, quia pœnæ latæ sunt in superiores fugitiuos recipientes, sed hi non sunt fugitiui; vndè si superior nolit eos recipere tanquam hospites inturiam illis facit.

429. Colligitur secundò, quod nec Ordinarius potest huiusmodi Religiosos incarcerare, vel impedire ne iter prosequantur, nisi ipso quanto illi non constet de iustitia recessus Religiosi, & iniersa ad suos superiores, quod si prius carcerauerit, tenetur eum liberare sibi constito de carcerati iusto itinere Nouar. c.1. *sum.* Bul. *tit. de religiosis recurrent. num.*9. Diana 3. *p. mor. tract.* 2. *resol.*56. Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 14. Sufficit verò, quod sibi constet de iusta causa recedendi. Et non est necesse, quod sibi constet de grauamine illato, sed quod in Religioso sit, vel rationabilis timor futuri grauaminis, vel tanta probabilitas iniustitiæ, & grauaminis illati quanta sufficit ad iustè appellandum, aut recurrendum ad superiorem. Cæterum DD. Episcopi non sunt iudices competentes ad cognoscendas causas Regularium exemptorum, nisi pro quanto id sit necesse ad cognoscendum an Regulares isti sint vagi, vel fugitiui, vel nisi in sua diœcesi delinquant iuxta infra dicenda ex Concil. Trid.

430. Colligitur tertiò hunc eundem Religiosum non posse puniri à superiore ad quem accedit, nec remitti ad superiorem à quo aufugit. Quia superior est custos iustitiæ, & iuste se defendenti tenetur fauere, illumque protegere, & audire, illique iustitiam facere, vt ex Nauar. *consf.*4.*de appellat.in p.edit.&* Rod.1.1.q.30.a.3.habet Donatus q. 15. *num.* 8. Quod si Religiosus non possit statim probare iustitiam suæ causæ & recessus, quamuis pro fuga possit eum aliqualiter retinere, si tamen subditus ostendat fumum aliquem sufficientem, & rationabilem suæ iustitiæ superior prudenti arbitrio iudicabit, quid magis pensatis pensandis expediat.

431. Colligitur Quarto, quod si subdito iniuste grauato, vel grauando non sit necesse ire ad superiorem maiorem, sed sufficiat recedere à Conuentu in quo manet; potest ab eo recedere, & se ad alium Conuentum transferre, & inde superiorem admonere seque eius obedientiæ per literas præsentare, eumque & eius protectionem implorare. Imò hoc sæpius erit vtilius ad fugiendam vagationem, & itinera, & expensas, & superior illius Conuentus sibi constito de fugientis iustitia poterit sine pœnarum timore illum Religiosum recipere; quia non est fugitiuus.

432. Colligitur quintò, quod vbi in subdito est iusta causa eundi ad superiorem maiorem, & eius iustitiam implorandi, si necesse sit, vt euitet carcerem, vel notabile damnum sibi ab inferiori infligendum, habitum dimittere, id facere possit, & tunc non incurrat in censuram *cap.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi* Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.*37. *num.*3. Donatus *d. tr.*7. *q.* 11. *num.* 14. Requirunt verò ad hoc, quod Religiosus sit moraliter certus de damno sibi imminenti, si habitum non mutet. Sed Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 7. *num.* 12. vniuersaliter aduertit, quod ad vitandam illam excommunicationem, non est necesse, quod cuidenter constet de iusta causa dimittendi habitum, sed sufficit si probabiliter appareat, quia cognitio probabilis excludit temeritatem.

433. Colligitur sextò; non esse fugitiuum Religiosum, si vt euitet iniustum grauamen, quod sibi imminet, exeat sine licentia, & ad amicum confugiat, vt illum habeat deprecatorem, apud superiorem, vt ex *l. Quid si fugitiuus* 9. *Sin autem ff. de Ædilit. edict.* Bossio *tit. de carcer. fideiuss. nu.* 46. Riciol. *de iure personar. extra gen. Eccl. exist. l.*8. *c.*2. *num.*24. habet Tambur. *tom.*3. *disp.*8.*q.*2. *num.*6. quem sequitur Anton. à Spir. S. *d. disp.*6. *num.*1418.

434. Colligitur septimò, idem dicendum esse, vt Religioso liceat exire sine licentia quotiescumque hoc sit sibi necessarium ad vitandum graue damnum, sibi iniustè imminens à quocumque alio à superiore.

435. Quæritur 12. an Religiosus fugiens à carceribus censendus sit fugitiuus, & pœnis fugitiuorum puniendus. Per se loquendo affirmatiua pars est vera iuxta communem sententiam, quam tenent Caiet. *supra q.*69. *a.*4. *dub.* 2. *in fine*, Bannes *ibi post. Secundam conclus.* Arag. *ibid. circa resp. ad secundum* Salon. ibi Couar. 2. *post* 2. *conclus.* Petrus de Ledesma 2. t. *sum. tit.* 8. c. 24. Donatus p. 2. t.7. q. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1404. Nauar. *com* 4. *de regular. num.* 64. *concl.* 5. Beller. *de pæn. Cler.* §.24. *num.*17. Rodriq. t. 2. q. 12. a.2. Sanchez *l.*6. *Mor. c.* 8. *num.* 12. & cæteri communiter. Ratio autem est, quia Religiosus se priuauit libertate per votum obedientiæ, vt nullibi esse possit nisi de licentia, & ita ex lege obligante eum ad clausuram, & ex decreto Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 4. *de regularibus* si non potest sine licentia exire à Claustro, multo minus à carcere.

436. Limitatur tamen hæc conclusio multipliciter. Et primò quidem generaliter, quia nisi Religiosus speciali vinculo præcepti detineatur in carcere, sed solum ex lege clausuræ, sicue non omnis exitus à claustro non est propriè fuga, & culpa mortalis, sic neque omnis exitus à carcere est fuga, vndè exiens à carcere breui reuersurus non fugit, nec pœnis fugitiuorum manet subiectus. Et sic præscindendo ab alia quacumque lege, aut præcepto ratione cuius, non possit fugere à carcere, ex vi legis de clausura seruanda, fugiens è carcere breui reuersus non est cendus fugitiuus.

437. Limitatur secundò si Religiosus iniuste deti

detineatur, siue carcer sit ad custodiam, siue ad pœnam, & siue iniustitia oriatur ex causa, siue ex forma processus: iustat enim tunc iusta detentio ex parte carcerati Nauar. *eod. num.* 64. Sayr. *l.* 12. *clau. reg. c.* 18. *num.* 10. Rodriq. *l. tom. sum. c.* 40. *num.* 1. *& tom.* 2. *q.* 52. *a.* 6. Sanchez *dicto l.* 6. *c.* 8. *num.* 13. Hier. Rodr. *resol.* 48. *num.* 6. à S. Fausto de voto solemni *l.* 6. *q.* 141. Donatus *p.* 2. *tr.* 7. *q.* 18. *num.* 4. Suarez *d. l.* 3. *c.* 1. *num.* 6. Tambur. *l.* 3. *d.* 8. *q.* 2. *num.* 5. & apud eum Aroc. & Riciul. Anton. a Spiritu Sancto *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 1407.

438. Limitatur tertiò si supposito iusto carcere, iniusta sit carceris executio, seu modus detinendi, quia contra iustitiam priuatur necessarijs, scilicet cibo, potu, vestitu, vel in loco nimis frigido, vel humido, vel aliunde nimis saluti contrario crudeliter detinetur, & spectato delicto supra id, quod delictum meretur iniustè affligitur. Quia vbi est iniuria, & iniusta violentia, subditus potest se defendere fugiendo, si alio modo non potest. Vndè si vel custos carceris ex propria malitia; siue ex iussu iniusti iudicis iniquè vexet carceratum, qui aliter non potest se ab iniusta crudelitate liberare, si ipse fugiat, non est pœnis fugitiuorum subiectus. Nauar. *com.* 4. *de reg. num.* 64. Sayr. Rodriq. Sanchez locis citatis, Donatus *q.* 19. *num.* 5. Anton. à Spir. S. *num.* 1406.

439. Limitatur quartò, si Religioso immineat periculum mortis, quia nimirum agatur de vita illius, & adsit periculum, vt damnetur ad mortem, quia nimis arduum videtur, vt ex lege clausuræ obligetur cum periculo mortis ad non discedendū à quocumque loco claustri, sed naturale desiderium tuendi vitam dat Religioso ius ad fugiendum de carcere Baones, Aragon, Salon *supra allegat.* Tambur. *num* 8. & apud eum Sanctarell. & Lessius, Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. quod Sāch *n.* 12. *d.* 6. *n.* 1405. Tambur. Ant. à Sp. S. & Donatus *q.* 18. *num.* 9. vt verum sit etiam si solum sit periculum abscissionis alicuius membri eadem ratione, Et vtrumq; verum erit nedum si hoc periculum oriatur ex eo, quod carceratus damnandus sit ad pœnam mortis, vel mutilationis alicuius partis corporis, sed vndequaque hoc periculum oriatur, quia eadem ratio in vtroque militat. Nec limitatio ista nunc cessat, vt ait Donatus *num.* 6. quia huiusmodi pœnæ non infliguntur à Prælatis religionum, quia nihil interest à quo religiosus damnandus sit ad mortem, sed sufficit quod religioso detento in carceribus immineat periculum mortis si non fugiat, ad hoc vt fugere possit.

440. Limitatur quinto, si sententia sit quidem iusta, quia ordine iuris seruato sit data, sed tamen sententiatus coram Deo est innocens, vel pœnam valdè mitiorem meretur. Quia sententia est lex; at verò lex non obligat ad id, quod est contra finem legis; cum igitur finis sententiæ sit punire delicta, si delicta verè sūt non obligat. Tamb. *l.* 3. *d.* 8. *q.* 2. *num.* 4. ex Soto *l.* 5. *de iust. q.* 6. *a.* 4. Less. *l.* 2. *cap.* 31. *d.* 4. *num.* 14. qui testatur de communi Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 3. *n.* 1. Idem tenuit Sanchez *d. l.* 6. *c.* 8. *num.* 14. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 1408.

441. Limitant sexto aliqui, si religiosus sit ad perpetuum carcerem damnatus, vt possit fugere non ad vagandum, sed causa adeundi superiorem ad impetrandam pœnæ huius remissionem. Ità Bañes *supra q.* 69. *a.* 4. *post* 5. *conclus.* Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 6. *num.* 1409. & apud eum Lezana *p.* 1. *c.* 16. *num.* 10. Bellet *de pœn. Cler.* §. 24. *num.* 17. sed limitatio non admittitur ab alijs, quia carcer non iniustè datus, & executus non est pœna religioso improportionata. Et eo magis, quod probabilis valdè est sententia, quæ tenet, quod nec sæculari damnato ad carceres liceat fugere. Et si hoc post sententiam admitteretur, admitti deberet etiam ante sententiam ad vitandum pœnæ periculum, quod non admittitur. Et tandem hoc probat Sanchez, quia Conc. Trid. prohibet religioso adire superiorem, nisi missus sit, aut vocatus, à quo præcepto liberantur religiosi solum ob iniustum grauamen, quod alio modo vitare non possunt. Sed hæc ratio non vrget, quia ex multis alijs causis non leuibus, sed iustis potest religiosus etiam inuito superiore immediato adire superiorem, si v.g. bonum commune, vel etiam alterius religiosi iniustè vexati, vel grauis quæcumque, & iusta causa id suadeat. Sed ratio vrgens videtur illa, quæ fuit allata, quia si semel admittitur, quod religiosus ad impetrandam remissionē iustæ sententiæ, & pœnæ proportionatæ statui religioso liceat fugere à carceribus, extenderetur hoc, & ad periculum pœnæ, & imo ad pœnas leuiores, cum tamen vix rationabile sit hoc admittere in pœnæ mortis, & mutilationis membrorum. Et ità hanc partem ex Nauar. *eodem n.* 64. *coroll.* 7. Sayr. *dicto cap.* 18. *num.* 9. Salzedo in *addit. ad pract.* Bernar. Riaz. *cap.* 137. §. *Sed virum Clericus in fine* tenuit Sanchez *loco citato num.* 13. Mihi dicendum videtur, quod si spectemus solam vim legis clausuræ probabilior sit prior sententia, quia carcer perpetuus est pœna grauissima, & ius naturale petendi tantæ pœnæ condonationem, & obtinendi misericordiam superioris dat ex æquitate quadam carcerato facultatem recursus ad superiorem, Nec sequuntur inconuenientia allata; quia hæc assertio cum fundetur in valdè magna acerbitate pœnæ perpetui carceris, non potest deduci consequentia ad leuiores pœnas, nec etiam ad periculum pœnæ perpetui carceris fugiendum absolutè, sed solum ad recurrendum ad misericordiam superioris. Qui potest si voluerit misericordiam non concedere. Punctum est an iste sic bona fide exeat, promptus ad subeundam pœnam, si superior eam condonare renuerit.

442. Verùm dubium remanet, an iudex possit reum damnare nedum ad mortem, sed etiam ad carcerem ne fugiat si possit causa mortis vitandæ, & si detur hæc sententia, an possit damnatus fugere. Posse enim talem sententiam dari eamq; obligare reum docent. Caiet. *supra q.* 69. *a.* 4. *d.* 2. Val. 22. *disp.* 5. *q.* 13. *p.* 4. *col.* 4. *ad* 3. Sayr. *l.* 12. Clauis Regiæ *c.* 18. *num.* 14. Sed verius est huiusmodi sententiā dari nō posse, nec obligare, quia est damnare reum nedum, vt mortem patiatur, sed vt illi cooperetur, quod est intolerabile tanquam charitati naturali, & proportioni tuendi vitam contrariam. Syluester *v. fugere num.* 5. Soto

l. 5.

l. 5. de inst. q. 6. a. 4. ad. 2. Arragon. 2a. q. 69. a. 4. ad 2. Salon. ibi a. 2. conclus. Lopez 2. p. instruct. c. 66. Valquez p. 2. d. 174. num. 10. Less. l. 2. de iust. c. 31. d. 5. num. 34. Sanchez l. 6. mor. cap. 8. num. 15.

443. Hinc verò alia quæstio solui potest, an scilicet liceat fugere à triremibus. In qua quæst. qui tenent hoc non licere secularibus, multò magis hoc tenent de religiosis. Hi verò sunt Nauar. Com. 4. de regular. num. 64. corol. 2. Vol. 22. d. 5. q. 13. p. 4. ad. 4. Petrus Nauar. 3. p. d. 4. n. 185. & 188. ad 2. Sayr. l. 15. Clau. Reg. c. 18. n. 10. Valquez p. 2. d. 174. c. 1. n. 7. sed & licet alij sentiant hoc licere sæcularibus, negant licere religiosis, quia non gaudent eadem fugiendi libertate, quæ seculares. Sanchez dicto l. 6. c. 8. n. 16. seu quia religiosi ex voto obedientiæ se obligauerunt ibi manere, vbi eis à Prælato dictum fuerit esse manendum. Donatus d. tr. 7. q. 21. n. 4. Et nihilominus quod liceat Religioso fugere ex triremibus tenent Tambur. t. 3. d. 8. q. 2. n. 9. & apud cum Bannes 2a. q. 69. a. 4. post 5. conclus. Bonac. de claus. q. 2. p. 11. §. 1. n. 8. Anton. à Spir. Sancto tr. 3. d. 6. n. 1409. Tum quia hæc est pœna grauissima, & tanquam mors perpetua reputatur. l. seruitutem. ff. de reg. iuris. Tum quia qui damnatur ad triremes non damnatur, vt ibi spontè maneat, sed vt inuitus patiatur. Ego in hac parte dico primo non esse multum considerabile discrimen inter secularem, & religiosum. Et ratio est, quia primo non est verum, quod religiosus ex voto obedientiæ teneatur manere absolutè, vbi superior voluerit, quia nec religiosus vouit clausuram, nec vouit obedire nisi secundum regulam, nec tota authoritas Infinitorum Prælatorum regularium se extendit ad præcipiendam religioso, vt maneat in triremibus galeota, nisi imponendo hoc in pœnam pro delictis commissis, qua ratione etiam secularis tenetur parere sententiæ iustè contra se latæ illamque pati, & sustinere. Nec obstat, quod supposito delicto, & sententia iusta, superior posset etiam in virtute obedientiæ præcipere subdito, vt sententiam patiatur, quia hoc præceptum non potest inducere obligationem, nisi ea supposita sententiæ obligantis, qua obligatione cessante inutilum esset superioris præceptum obligantis religiosum ad esse galeotam, quia non potest obligare ad hoc, nisi in pœnam, & tamquam iustus Iudex obligando ea sententia, & ideò quantum ex vi sententiæ obligare potest. In hoc ergo est discrimen, quod Religiosus duplici vinculo est ad triremes ligatus, scilicet vinculo sententiæ, & sententia supposita vinculo obedientiæ. Sed si vinculum sententiæ non ligat, quin damnatus ad triremes possit fugere; Religiosus sic damnatus fugiens, sed in loco obediendi se ponens, non erit fugitiuus, sed solum fugitiuus erit si extra omnem locum obedientiæ se ponat, quia cum obedientia in tantum obliget eum ad triremes, in quantum ad id eundem obliget sententia, cessante hac obligatione, quæ est principalis cessat altera, quæ est accessoria, & solum remanet obligatus Religiosus si recedit à triremibus ponere se in loco obedientiæ. Ideò negari non potest quin sit probabile etiam Religiosum negligenter custoditum posse à triremibus fugere, sed tamen sibi non licet extra obedientiam viuere. Ideò si Religiosus recurrat ad superiorem gratia obtinendi remissionem tantæ pœnæ, quæ consistit in à morte viuente, non erit fugitiuus iuxta doctrinam Bannes supra num. 441. relatam; quia si licet fugere ob hanc causam à perpetuò carcere, multò magis à triremibus. Et idem tenet Lezana t. 1. c. 36. num. 10. quia hæc pœna sit contra decorem religionis.

444. Quæritur 13. an venientes Romam sine licentia sint censendi fugitiui, & qua pœna puniendi. Contra venientes Romam sine licentia plura statuta fuerunt. Sixtus V. in Constit. ad Romanum moderatoria Const. contra illegitimos ità statuit. *In alma verò Vrbe nostra religiosi aduenæ, & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi literis, aut licentia recipientur, nisi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotijs regularium à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum, & personarum qualitate, quid agendum sit statuetur.* In huius igitur statuti vi non prohibentur religiosi fugientes ab iniusto grauamine venire Romam absolutè, & recipi, sed solum si veniant, aut sine licentia, aut sine literis testimonialibus fidem facientibus de licentia petita, & non obtenta. Quamobrem in foro conscientiæ hic recursus iuxta dicta supra q. 11. non est illicitus pro foro verò externo est necessarium nedum iustificare grauamen, sed etiam carentiam, aut licentiæ, aut supradictarum literarum, quia scilicet licentia, aut non potuit postulari, aut non potuit obtineri.

445. Congregatio verò Regularium anno 1587. ita decreuit. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siuè dum imminentem admissorum Criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causati non ad immediatè sui ordinis superiores, scilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiuscumque religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potiùs quam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt, placuit S. Congr. regularium ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis regularium temere, leuius ex causa hanc Vrbem Romam, siuè Curiam absque sui superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad eosdem superiores salutari pœna plectendos remittatur.* Nulla certa pœna statuitur hic contra venientes Romam sine licentia, sed huiusmodi remittuntur ad superiores salutari pœnitentia puniendi. Et hanc esse Curiæ praxim tradit Ioann. Anton. Nouat. parte 1. sum. Bull. tit. de relig. apud Donatum par. 2. t. 7. quæst. 3. Ad hoc tamen, vt hic religiosus puniri debeat, requiritur in eo temeritas, præsumptio, & leuis causa recursus. Vndè ex vi huius decreti stante causa non leui, si quis sine licentia, vel omisso recursu ordinato à Priore ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem immediatè Romam veniat, non est remittendus ad superiores, sed audiendus, quia per hoc decretum solum prohibetur Religiosus adire Romam temere, &

re, ex præsumptione, & leui causa,

446. Sed Clemens Octauus in decreto de reformatione regularium, quod confirmauit Vrbanus Octauus, & habetur tom. 4. *Bullar*, ità statuit, §. 22. *Nullos Fratres Romam venire superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore duntaxat licentiam in scriptis impetrauerint.* §. 23. *Si quis autem sine huiusmodi facultate venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas pœnas, quæ item omnia aduersus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeat.* In hoc verò decreto Religiosi præsumentes venire Romam, & illos admittentes priuantur nedum voce vtraque, sed insuper limitatur facultas concedendi hanc licentiam ad solus Generales, & Protectores.

447. Pro hac parte tamen supradictum decretum moderatum fuit de ordine eiusdem Clementis S. Cong. Regularium die 30. Martij 1601. prout habetur in 4. *tom. Bullar.* in hac forma. *Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totiùs Prouinciæ dumtaxat, facultatem huiusmodi facere valeat; declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omninò eorum superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, & relaxandi.* Nunc igitur solus Protector, aut Generalis dat licentiam validam veniendi Romam, & Prouincialis in casu speciali pro causa communi totiùs Prouinciæ, & tam venientes, quam recipientes priuati sunt vtraq; voce per biennium. Quia tamen solum in præsumentes venire Romam sine tali licentia, lata est hæc pœna, ideò si religiosus non temerè, sed ex graui causa Romam adierit sine licentia; quia tunc non præsumit, non incurrit hanc pœnam. Nam & dari potest grauis, & grauissima simul & iustissima causa non petendi licentiam. Vnde quia huiusmodi leges non priuant religiosum iusta, & necessaria defensione, quæ est de iure naturali, si quis non temerè, nec præsumendo, sed ex necessaria, & graui causa Romam veniat sine licentia, non incurrit hanc pœnam. Verùm quidem est, quod cum Cong. regularium Romæ maneat, debet religiosus ab ea licentiam ingrediendi petere, si non potest sine graui, & iniusto damno illam aliundè petere, vel obtinere. Nicolaus etiam *tit.* 38. *de Regular. anm.* 43. *refert, S. Cong.* 26. *Octob.* 1604. *&* 18. *Martij.* *&* 28. *Maij* 1640. declarasse, quod Regularis, qui se existimat grauatũ à suo superiore, si recurrat ad Sedẽ Apostolicam, non incurrat pœnas impositas in constitutionibus sui Ordinis contra venientes Romam sine licentia. Qui tamen addit, quod Regulares quouis modo Romam venientes, si ad eorũ Conuentus non vadant, carceribus mancipari debeant, ex decreto eiusdem S. Congregat. Regularium 6. Iun. 1614.

448. In Ordine Prædicatorum plura contra adeuntes Romam sine licentia statuta sunt. Et quidem primò solius Magistri Ordinis, vel Capituli Generalis est hanc licentiam concedere. *Constit. d.* 2. *cap. de itinerantibus* §. 4. ibi. *Nullus Frater vadat ad Curiam, nisi de licentia Magistri Ordinis, aut Capituli Generalis*, cuius constitutionis obseruantia fuit etiam sub grauibus pœnis pluries iniuncta in Capit. General. Bonon. 1285. Bisunt. 1303. Tol. 1304. Paris. 1306. Placentiæ 1310. vbi etiam expressum fuit, vt nec causa procurandi negotia Ordinis possint Fratres Romam adire sine licentia Magistri Ord. Quod & expressum fuit Bonon. 1410. Trib. 1419. Metis 1421. In Cap. vero Rom. 1601. denunciatum fuit decretum f. mem. Clem. VIII. eiusque obseruantia statuta; quod & factum fuit Valis. 1605. & Romæ 1608. Et Paulum V. f. mem. idem prohibuisse, scilicet ne sine licentia Mag. Ord. aliquis Frater Romam adeat denunciatum fuit Bonon. 1615. de quo decreto obseruando admonentur Fratres in Cap. Gen. Med. 1622. Et iterum Tholosæ 1628. habetur hoc idem statutum fuisse à f. mem. Vrbano VIII. ibi. *Denunciamus sub die* 28. *Ianuarij* 1628. *à Sanctiss. D. N. Vrbano VIII. per suum speciale Diploma interdictum, & prohibitum fuisse, ne de cætero vllus nostri Ordinis Professor quauis ex causa, etiam quantumuis rationabili, priuilegiata, & iusta, siue sub quocumque prætextu ad Romanam curiam venire audeat, siue præsumat, nisi priùs à Magistro Ordinis dumtaxat licentiam inscriptis impetrauerit, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, per biennium, tam per eosdem Fratres Romam, absque huiusmodi licentia venientes, quam per eos, qui dictos Fratres admiserint, & receperint, ipso facto incurrenda; à qua non nisi ab eadem Sanctitate sua, & Rom. Pont. pro tempore existente absolui possit, nec non alijs pœnis superiorum arbitrio infligendis.*

449. Plures verò pœnæ statutæ sunt contra transgressores huius legis. Nam Placentiæ 1310. imposita fuit pœna excommunicationis, & priuationis gratiarum Ordinis. Quæ tamen ordinatio vim non habet, quia quantum ad censuras ordinationes Cap. Generalium non durant, nisi vsque ad sequens *capit. vt decernit Constit. in prologo* §. 9. in Capit. autem Bonon. 1410. Trib. 1419. Met. 1421. & Salmant. 1551. statuta fuit pœna carceris. Pœna etiam grauioris culpæ decreta fuit Romæ 1518. 1525. 1530. Valis. 1523. Priuatio quoque vtriusq; vocis per quinquennium fuit ordinata Auin. 1561. Modo duæ pœnæ sunt regulariter in vsu, nimirum pœna carceris, & priuationis vtriusque vocis. Nam pœna priuationis vtriusque vocis habetur etiam expressa in Pontificum decretis. Pœna verò carceris ad sex menses statuta fuit *in cap.* Mediol. 1622. *admon.* 6. *& in cap.* Rom. 1601. denunciatur Pontificem declarasse, quod sub alijs pœnis arbitrio superiorum infligendis comprehenditur carcer ad sex menses. Pœna verò priuationis est reseruata Pontific. An verò sit reseruata pœna carceris videtur quod Camillus *in sum. Constit. v. Roma. l. B. id affirmet, ibi, à quibus pœnis non possint absolui, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente.* Sed oppositum dici debet. Neque enim hæc est pœna à Pontifice imposita, sed per superiores Ordinis ex eorum auctoritate ordinaria, ideò etiam potest per eos relaxari.

458. Licentiam verò Mag. Ordinis debere esse obtentam in scriptis decretum fuit Bisunt. 1303.

1303. Tol. 1304. Paris 1306. Met. 1451. Auin. 1442. 1470. Romæ 1501. Et expresſè continetur in decretis Clem. VIII. & Vrbani VIII. ſupra relatis. Sed ampliùs in dicta licentia debent contineri cauſæ tractandæ, & id infra diem naturalem Procuratori ordinis oſtendi debet Met. 1421. Auin. 1442. 1470. Romæ 1501. Et apud Montem Peſul. 1456. ord. 5. & Nouomag. 1459. ord. 5. ſtatuitur vt Procurator Ordinis nulli licentiam concedat reſidendi in Curia, niſi priùs ſuſcepto iuramento, quod nihil per aliquem apud quamcumque perſonam per ſe, vel per alium procuret in Curia, niſi de eius ſcitu, vel eius Viceſgerentis.

451. Quæri autem poteſt, an in hoc ordine locum habeat declaratio S. Congregationis Regularium concedentium Prouinciali facultatem mittendi Romam ex cauſa communi toti Prouinciæ. *Dicitur* autem locum habere, tum quia illa declaratio fuit facta authoritate Pontificis. Tum quia Romæ 1619. *declar.* 15. conceſſum fuit Prouincialibus, vt ob negotia grauia dilationem non admittentia aliquem Patrem Romam mittere poſſint, admonito tamen Generali tam de negotio, quam de neceſſitate tranſmiſſionis ipſius Fratris. Et quia hæc eſt licentia Magiſtri Ordinis, ideò in hoc caſu miſſi à Prouinciali non veniunt ſine licentia.

452. Quæri etiam poteſt, an modo vigeat Ordinatio Capit. Auen. 1561. in qua excipiuntur à communi lege illi, *quibus propter Conuentus ſuarum Prouinciarum ad quos vadunt, neceſſe eſt inde tranſire, vel illa accedere*. Dicitur verò praxim eſſe, vt qui à ſuis Prouincialibus aſſignantur in aliquo Conuentu Romæ exiſtente veniant ſine alia licentia, & ſimiliter illi qui recto itinere debent per eam Vrbem tranſire, vt ad Conuentum ſuæ aſſignationis vadant. Quamuis vbi in hoc præſumi poſſit fraus, Generales huiuſmodi tranſitum non permittant, maximè ſi Prouinciales non mittant aſſignatos, ſed dent licentiam v. g. eundi Neapolim ex Lombardia, vel Tuſcia. Fratres verò Prouinciæ Romanæ, niſi aſſignati veniant, non poſſe adire Romam ſine licentia Mag. Ordin. fuit etiam ſtatutum Salamant. 1551. *confir.* 1.

453. Quæritur 14. An ſuperiores regulares poſſint ſuis ſubditis concedere licentiam manendi, ſeu viuendi extra clauſtra. Diſtingui in hoc debet ius antiquum à iure nouo. Nam ſecundum ius antiquum poſſet religioſus profiteri, & manere in propria domo, iuxta *cap. inſinuante, qui Clerici, vel vouentes*. Quod antiquum ius non eſſe reuocatum cenſet Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 7. *num.* 3. Sed cum in eo textu habeatur ſermo de muliere, & modo religioſis mulieribus ſit ſtatuta clauſura perpetua non poteſt dici, quod modo illud caput non ſit reuocatum. Ideò Nauar. *com.* 2. *de reg. num.* 16. conſimilem caſum mulieris profitentis religionem, ſed volentis manere extra clauſtra referens, ait ſe conſuluiſſe, vt ad Pontificem recurrerent, ſicuti fuit factum. Modo enim mulieribus religioſis indicta eſt Clauſura per Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *& per Conſtit. Pij V. Decori, & honeſtati*. Et nihilominùs de iure antiquo etiam Clauſtralibus conceſſum fuit extra clauſtra manere de ſuperiorum licentia, vt patet ex *cap. Monachi* 16. *q.* 1. *& in cap. vt periculoſa* 2. *ne Clerici, vel Monachi*, vbi admittitur quod religioſus retento habitu de licentia ſuperioris, & Conuentus poſſit in ſtudio Generali manere extra Clauſtra. Sed & Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de regularibus* admittit regulares de licentia ſuperiorum poſſe extra clauſtra manere, ibi. *Prohibet Sancta Synodus, ne quis regularis ſine ſui ſuperioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu ſubijciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuerſitatis, vel communitatis, vel alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci, neque aliquod priuilegium ab alijs ſuper ijs obtentū ſuffragetur, quod ſi contra fecerit tanquam inobediens, arbitrio ſuperioris puniatur*. Cum igitur Concilium prohibeat religioſo ne ex huiuſmodi cauſis maneat extra Conuentum ſine licentia ſuperioris, ſupponit, admittit, & permittit id cum licentia fieri poſſe.

454. Nec obſtant Canones aliqui antiqui, ex quibus videtur prohibitum eſſe Religioſis manere extra clauſtra. Plures enim Canones adduci poſſent ea *cauſa* 16. *q.* 1. ſed vt dicebatur *ſupra num.* 382. Ibi eſt ſermo de Monachis ſecundum antiquum ritum, quibus vti Laicis non conueniebant miniſteria Sacrorum Ordinum, ſcilicet Sacramenta conficere, & adminiſtrare, ſicut nec prædicare, aut publicè docere, ſeu cooperari Epiſcopis in cura animarum, ideò Monachis prohibitum fuit exire à Clauſtris ad huiuſmodi Eccleſiaſtica officia exercenda, vt in *cap. Placuit.* 16. *q.* 1. Itaq; Canones illi non afficiunt Religioſos omnes. Sed ſecundò aduertitur, quod in illis neq; prohibetur Religioſis Monachis abſolutè exitus à Clauſtro, ſed ſolum ad vſus illicitos, vt ad mercaturam, vel aliud lucrum terrenum, & ſtatui Religioſo illicitum, vt in *d. cap. Placuit*, ibi, *vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monaſterio exire*, vel ad vagandum hoc illucq; vt in *cap. iuxta*; ac proptereà vnico verbo dicitur Religioſis fuit prohibitum exire ſine licentia ſuperioris, vel ad ea, quæ Religioſis non conueniebant. Vndè dicitur quod abſolutè de iure antiquo Prælati poterant ſuis ſubditis dare licentiam manendi extra Clauſtra. Ratio verò huius eſt, quia ex vna parte religioſus extra Clauſtra poteſt obſeruare ſubſtantialia religionis, obedientiam quidem ſeruando regulam, quantum poteſt, & viuendo ſub nutibus ſuperiorum; paupertatem etiam nihil habendo tamquam proprium. Et ſi aliquas obſeruantias regulæ ſeruare non poſſit, non eſt inconueniens, niſi regula eorum diſpenſationem omninò prohibeat, quod ex iuſta cauſa ſuperior ſuper illis diſpenſet. Ex alia verò parte ex honeſtate cauſæ poteſt huiuſmodi exitus à Conuentu reddi honeſtus, & meritorius. Et ideò Prælatos regulares poſſe ſuis ſubditis concedere licentiam manendi extra Clauſtra de iure antiquo tradunt. Nauar. *Com.* 2. *de regul. num.* 16. *&* 40. *Com.* 4. *num.* 14. Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 81. Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 7. Bordon. *reſol.* 7. *q.* 16. Donatus *p.* 1. *tract.* 3. *q.* 14. Tamb. *t.* 3. *diſp.* 8. *q.* 6. *num.* 3. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1394.

455. Ampliatur vt hoc ſit verum etiam de licen-

licentia perpetua non tamen irreuocabili. Non potest quidem Superior eximere subditum à sui, vel superiorum maiorum obedientia, ideò non potest subdito concedere licentiam manendi extra Claustra irreuocabilem à se, vel à suis superioribus maioribus, vt benè tradunt. Nauar. *Com.* 2. *de reg. num.* 16. Suarez *loco citato num.* 18. Donatus *dicta q.* 14. sed tamen potest concedere licentiam illimitatam, & ad nullum tempus determinatam, licet ad sui nutum reuocabilem, siuè etiam irreuocabilem ab inferioribus, licet à se, & à suis superioribus reuocabilem. Suarez ibid.

456. Dubium verò est, an ad hoc, vt Prælatus det huiusmodi licentiam sit necessaria causa iusta, & ità vt si hæc deficiat licentia sit nulla. Ità enim affirmat Tambur. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 6. *num.* 6. Et ratio eius est, quia ad dispensandum requiritur iusta causa, qua deficiente licentia est nulla. Sed hæc sententia supponit, quod ex lege Canonica, vel generali aliqua sit absolutè prohibitum Religiosis degere extra claustra, quod non est verum, quia vt dicebatur antiqui Canones, nec loquuntur de omnibus Religiosis, nec prohibent Religiosus exire extra claustra, nisi ad vsus illicitos, aut Religiosis tunc temporis non permissos. Et contra illos Canones Prælati ex nulla causa possunt Religiosis dare licentiam exeundi extra Claustra. In hoc ergo non habet locum dispensatio in lege absoluiè, & de antiquo iure, sed sine dispensatione possunt Prælati dare licentiam ad manendum extra claustra. Dicitur igitur, quod quidem illicitè facit Prælatus si absque rationabili causa permittit suos viuere extra Claustra; quia proprius locus Cœnobitarum est Claustrum; sed tamen si detur sine causa, licentia est valida, & Religiosus ea vtitur securè, si non est obtenta vi, vel fraude. Et si subditus induelt Prælatum etiam sine vi ad dandam illicitam licentiam, & ipse peccat, sed non est inualida licentia, nisi detur in casu prohibito, & tali, quod in eo sit necessaria dispensatio. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 7. *num.* 7. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 7. *num.* 4. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 6. *num.* 1396. Vbi et Suarez aduertit minorem causam sufficere pro Mendicantibus, qui etiam ad opera actiuæ vitæ ordinantur, & ad opera misericordiæ erga proximos, quam pro Monachis, qui soli contemplationi incumbunt.

457. Multæ autem sunt causæ iustæ concedendi huiusmodi licentiam, quæ a iure non sunt determinatæ, sed arbitrio superioris relinquuntur. Nau. *Com.* 2. *de regul. num.* 40. Suarez *dicto c.* 7. *num.* 17. Inter has verò Nauar. ibid. numerat vtilitatem Monasterij. *cap. Monachi* 16. *q.* 1. etiam indirectam, idroq; posse concedi religioso, vt extra Conuentum maneat, vt sit Procurator patroni Ecclesiæ, vel Episcopi, vel amici, iuxta Innoc. *in cap. cum G. & A.* de re iudicata, similiter vt possit manere in studio Generali, vel vt addiscat, vel vt doceat facultates religioso licitas. Posse quoque sufficere quamlibet communem vtilitatem, imò & priuatam pietatem ipsius religiosi, addit Suarez. Inter huiusmodi causas autem numeratur Parentum necessitas grauis per ea, quæ habentur ex D. T. *supra q.* 101. *a.* 4. Posse enim de iure antiquo Generalem, & Prouincialem concedere licentiam manendi extra claustra ad subueniendum parentibus non dum in extrema, sed graui necessitate existentibus, docent Nauar. *Com.* 4. *de reg. n.* 38. *& in sum. cap.* 14. *n.* 14. Mirand. *q.* 32. *a.* 7. *concl.* 1. *&* 2. Bonac. *de leg. d.* 6. *q. vn. p.* 4. *n.* 4. quos refert, & sequitur Donatus *p.* 2. *tr.* 3. *q.* 16.

458. Ex iure tamen nouo hæc facultas superiorum restricta est per Clem. VIII. *in decret. de reformat. regular.* §. 32. *Iubetur tamen, qua sublatis licentijs ac facultatibus, hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conuentus Claustra ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda huiusmodi facultates concedi possint.* Hoc tamen decreto non obstante Tambur. *tom.* 3. *disp.* 8. *q.* 6. *n.* 3. arbitratur Prælatos posse suis subditis Regularibus dare licentiã manendi extra Claustra pro aliqua vrgente necessitate Monasterij, seu ex iusta causa, dicens per Canones, & decretum Clem. VIII. prohiberi id fieri sine iusta causa. Donatus verò *p.* 2. *tr.* 3. *q.* 16. *n.* 2. negat id fieri posse stante Clem. VIII. decreto. Et Pax Iordan. *tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 21. aduertit quod antiquis temporibus concedebatur Episcopis accipere sibi in obsequium Regulares cuiuscumque Religionis etiam eorum superioribus inuitis, *cap. Cum Pastoris* (tunc tamen Monachi non erant à iurisdictione Episcopi exempti) Vndè in Concil. Vienen. indultum fuit eisdem Regularibus inseruientibus Episcopis, vt possent in officij diuini recitatione se conformare cum illis quibus inseruiebant. *Clem.* 1. *de celebrat. Miss.* Hodie tamen Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 4. requirit superiorum Regularium licentiam; sed postea S. Cong. eiusdem S. Cong. adiunxit licentiam, & assensum summi Pontif. quæ de raro, ex certis causis, & ad breue tẽpus eã cõcedere solet. Idem tenet Bellet. *disq. Cleric. de pænis Cler.* §. 24. *num.* 10. Ità vt nec pro necessitate parentum id liceat sine licentia S. Congregationis.

459. Considerato tamen, quod decretum Cleme. VIII. non derogat iuri communi, vel Concilij Tridentini decretis: & cum *in cap. vt periculosa de regular.* concedatur, vt superiores possint suis subditis de consilio Conuentus dare licentiam manendi causa studij in aliqua Vniuersitate extra Conuentum, si ibi religio Conuentum non habet, & in Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 4. permittatur, vt religiosi possint inseruire Prælatis, Principibus, Vniuersitatibus, seu communitatibus prætextu prædicationis, lectionis, aut alterius pij operis, *& in cap. Monachi* 16. *q.* 1. concedatur vt Monachi de licentia Abbatis possint esse extra Conuentum propter Monasterij vtilitatem, videri fortasse posset, quod in hoc ius antiquum non sit correctum. Nam huiusmodi causæ tanquam legitimæ sunt a Pontifice, seu a Sede Apostolica approbatæ: monet vero Lezana *t.* 1. *c.* 16. *num.* 33. vt cautissimè superiores procedant in concedenda licentia inseruiendi Episcopis, vel Principibus propter decretum Clem. VIII. iussu Vrbani VIII. confirmatum. Nihilominus quia praxis S. Congregationis Episcoporum, & Regularium est, vt decretum illud Clem. VIII. intelligatur vniuersaliter, & vt habetur ex Nicol. *ad tit.*

de Re-

de Regular. num. 26. *pag.* 161. *S. Cong. Episc. & Regul.* declarauit, & censuit superiores Regularium etiam Generales non posse suis subditis dare licentiam degendi extra Claustra, sed hæc licentia solum à Pontifice concedi posse, vt in Casalen. 26. Aug. 1597. & 8. April. 1600. & in Bitunt. 22. Nouemb. 1604. & Procurator. Regul. 23. Decemb. 1617. Et si alicui Regulari data sit licentia manendi extra Claustra, reuocatur, si querelæ audientur, vt in Ascul. 20. Ianuar. 1601. Et si reuocatus non redeat, declaratur apostata, & denunciatur Ordinario sententia, vt non permittat eum celebrare, & si potest illum carcerari faciat. 27. Maij 1603. Ideò in hac parte superiores Regularium absolutam licentiam manendi extra Claustra dare non possunt, & decretum Clem. Oct. debet vniuersaliter intelligi.

460. Aliud etiam est directè licentiare religiosum ad degendum extra Claustra, & aliud est hoc præstare indirectè dando licētiam ad aliquod opus, quod haberi non potest in Conuentu. Nam sunt aliqua opera religiosorum propria, ad quæ tenentur ex regula, & institutione suorum ordinum, quæ non possunt haberi intra Claustra, qualis opus est prædicatio in locis, vbi non sunt Conuentus. Ideo etiam nunc superiores dant licentiam prædicandi extra loca, vbi sunt Conuentus, & habendi missiones per vicos, & Castella, & Prouincias. Et licet in hoc requiratur consensus Episcoporum, hoc non est ex ea ratione, quod non possint religiosi degere extra claustra ad huiusmodi opera peragenda, sed quia non possunt religiosi in Diœcesibus extra eorum Ecclesias conciones habere, nisi de licentia Episcoporum. Item etiam considerandum est, quod degere extra Claustra importat permanentiam quandam ideò hodie etiam praxis est, vt superiores concedant suis subditis licentiam eundi ad loca, vbi religio non habet Conuentum ad aliquod tempus, nimirum v. g. ad aliquot menses, vel eundi ad patriam, vel causa sanitatis recuperandæ, vel ad inuisendos, & consolandos parentes. Et quod negari non possit, quin superiores possint impertiri licentiam subditis suis morandi extra Claustra ad tempus ex rationabili causa, docuit Reuerend. Fagnan. *ad cap. Insinuante nu.* 39. qui Clerici, vel vouent. Qui verò religiosi manent in Conuentuum Grancijs, vt curam possessionum Conuentuum habeant: extra Conuentum degere non dicuntur.

461. Quæritur 15. An sint aliqua loca, ad quæ non liceat regularibus exire, nec superioribus religionum suis subditis licentiam concedere, vt ad illa exeant. Plures sunt huiusmodi exitus religiosis prohibiti. Et quidem primo Alexand. III. in Concil. Turon. & postea Honor. III. in *Const. super specula, vt habetur. cap. Non magnopere, & cap. super specula; Ne Clerici, vel Monachi* prohibuerunt religiosis exire à Claustro, & extra Claustra manere in studijs ad audiendam legem, vel medicinam, & eos religiosos, qui post biennium non redierint sicut excommunicatos haberi voluit, & alijs pœnis puniri. Est autem circa hoc considerandum primo, quod actio propterquam hæc censura incurritur non est vna, sed ex pluribus integratur. Non enim sufficit exitus à Claustro, & etiam habitatio extra Claustrum; quia per hos Canones excommunicantur soli, qui exeunt à Claustro, vt audiant legem, vel physicam, scilicet medicinam, vt communiter DD. exponunt. Ideò qui exit à Claustro, & habitat in Ciuitate vbi est studium generale ob aliam causam (quidquid sit, an aliundè peccet, & sit puniendus,) non incidit in censuram huius Canonis. Syluest. *v. excom.* 9. *num* 12. Palaus *tom.* 6. *disp.* 3. *de cens. p.* 32. *num.* 4. & apud eum Sayrus Toletus, Bonacina, & Suarez, Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 6. *n.* 1011. Suarez *disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 15. Quod quidem adeò verum est, vt si religiosus exiens à Claustro ex alia principali causa, & manens ex hac alia principali causa in aliqua Vniuersitate ex accidenti, & occasione audiat leges, vel medicinam, vt quia vult honorare amicum in suo principio lecturæ in legibus, vel medicina, vel vt videat modū docendi legistarum, vel si amicum habentem paucos discipulos vult honorare audiendo continuo, sine fraude, vt ex Panorm. docet Syluest. *v. excom.* 9. *num.* 17. quidquid in contrarium dixerit Host. Imo si audit, vt adiscat leges, sed non manet extra Claustra principaliter ad hunc effectū nō ideò sit excommunicatus per huiusmodi Canones. Suarez *dicta d.* 23. *sect.* 3. *num.* 15. Anton. a Spir. Sancto *num.* 1012. & apud eum Sanctarellus, Bonacin. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 8. *p.* 3. *num.* 4. Nam nec ex vi horum Canonum est excommunicatus religiosus, qui audit leges, & medicinam, vel intra Monasterium suum, vel etiam in scholis publicis dummodo non habitet extra Monasterium. Panor. *cap. Non magnopere nu.* 9. Caiet. *v. excomm. cap.* 50. Nauar. *cap.* 27. *n.* 116. Syluest. *v. excomm.* 9. *n.* 25. Bonac. *tom.* 3. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 7. *n.* 3. Barbosa *n.* 6. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 23. Palaus *tom.* 6. *de cens. disp.* 3. *p.* 32. *n.* 4. Ant. à Spir. Sancto *vbi supra. num.* 1011. *sect.* 6. *n.* 12. & 13. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. super specula num.* 10. & 13. quidquid in contrarium dubitauerit Hostiens. ibid. asserens, quod in dubio Religiosus reputet se ligatum. Et ratio est, quia excommunicatio ista est lata contra exeuntes, & manentes extra monasteria, vt audiant leges, & medicinam. Quod apertè habetur ex eo, quod Pontifices concedunt tempus duorum mensium ad redeundum ad claustra; quod supponit religiosum extra claustrum habitare; quia qui in claustro habitat, non indiget, vt ad claustrum redeat. Cum verò assertio ista duplicem habeat partem, nullam habet difficultatem, quantum ad primam partem, scilicet, quod non sint prohibiti Religiosi audire Doctores dictas facultates intra claustra docentes, seu eis priuatim operam dare intra claustra nullo Doctore docēte. Nā in hoc casu Religiosi nullo modo exeūt à claustro, vt legē audiant, vel medicinā. Sed in secūdo sensu, scilicet, si audiāt Doctores eas disciplinas docētes extra Monasteriū in scholis publicis, intra tamen eandem Ciuitatem, vel oppidum, mouet plures difficultates Suarez, & præcipue, quia prohibitio ista facta est non propter vitandam habitationem extra claustra, sed propter vitandam auditionem dictarum facultatum, quæ ad mundana negotia ordinantur. Et quia aliter prohibitio ferè nullius momenti esset, cum non soleant Regulares exire ad loca, vbi non habent Cōuentus, vt vacent etiam studijs Theologiæ.

Nihil-

Nihilominùs, & ipse Suarez sequitur sententiam communem, vndè immeritò à Bonac. refertur pro contraria sententia. Sed manifestum est Alex. Tertium, loqui de exitu ad loca, vbi non sunt Monasteria, vel de exitu Religiosi ad commorandum, & degendum extra Conuentum; Nam Religiosus qui in Conuentu manducat, & dormit, & assistit communibus actibus in iure non dicitur simpliciter exire de Monasterio, cum in Monasterio degat, & viuat. Sufficit verò, quod lex habeat locum in casu à se expresso, & finis legis non cadit sub sub legis præcepto, sed sub illa cadit actio, quæ propter aliquem finem prohibetur.

462. Considerandum verò secundo est, quod ad incurrendam hanc censuram necessariam est audire leges, & medicinam, Ideòq; tempus duorũ mensium datum ad redeundum nõ incipiet à die exitus à Monasterio, sed à die in quo religiosus manens extra claustra incipit audire leges, & medicinam. Et ità videtur sentire Caiet. Contrarium verò ex Innocent. tenuit Panorm. *cap. Non magnopere, Ne Clerici, vel Monachi num.* 8. *&* 9. Suarez *loco citato num.* 14. Palaux *vbi supra*, Bonac. *n.*6. Barbosa ad *d. c.* quia per textum excommunicantur exeuntes ad audiendum, & ante duos menses non redeuntes. Vndè si quis Religiosus in itinere consumat duos menses antequam perueniat vbi audiat legem, & medicinam iam est excommunicatus, quia animo perseueranti audiendi leges, & medicinam exiuit, & infra bimestrè non est reuersus. Verùm licet actio prohibita in *d. cap.* [*Non magnopere*, sit exire à claustro intentione audiendi leges, aut medicinam. Tamen primò dicitur, quod ad hoc, vt deficiat huius excommunicationis materia sufficit, quod Religiosus mutet intentionem, & extra claustra non maneat intentione audiendi artes illas; quia cessante illa mala intentione, cessat actio prohibita à lege. Sed dicitur secundò, quod principale intentum legis illius est, ne Religiosi in effectu audiant leges, & medicinam, quod illet eos mundanis se ingerere actionibus, ideò actio prohibita sub cẽsura est exitus à claustro intentione audiendi artes illas, quæ fit in effectu completa, quoniam lex non respicit principaliter intentionem hominis, quæ non cadit sub sensu, sed respicit intentionem sensibiliter expressam per effectum. Et ideò illa censura non incurritur, nisi Religiosus actu incipiat audire leges, aut medicinam, & ab auditione incipit bimestrè intra quod debet redire ad claustra, vt verè sensit Caiet. D. Ant. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 52. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 8. *qu.* 2. *num.* 127. Ant. à Spir. Sancto *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 124. Imò vt aduertit idem S. Antonin. ex Gofred. Vincent. & Io. Andr. Non incurritur hæc excommunicatio ex hoc, quod Religiosus semel audiat, sed solum si duret audire per duos menses, & Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Super Specula num.* 46. licet teneat, quod hoc bimestrè in Religiosis incipiat à die exitus à claustro, in secularibus verò à die, quo inceperint leges, vel medicinam audire, tamen tenet iam Religiosos, quam Clericos seculares non ligari, nisi post lapsum duorum mensium, quæ fuit sententia Innocentij *ad d. cap. Super Specula*, & ibid. Abb. antiqui, Card. *num.* 2. Anchar. *num.* 6. Abbat. Sicul. *num.* 8. Et idem sensit Syluest. *num.* 17. Et hæc sententia verior est, quia ex quo religiosus exit à claustro animo audiendi leges, vel medicinam, & non reddit per duos menses consumat actum extrinsecus propter quem lata est censura.

463. Quid verò dicendum sit, si religiosus alia ex causa exiens à Conuentu postea mutata intentione permanet per duos menses extra Conuentum, vt audiat leges, vel medicinam? Aliqui putant non incidere in hanc censuram, quia intentio Pontificis est punire egredientes animo audiendi dictas facultates. Ita probabile putat Serio. *loco citato*. Sed oppositum est dicendum, nam qui stat extra Conuentum ad audiendas leges, vel medicinam censetur egressus ad illas audiendas. Nam iam est egressus è conuentu, & de facto permanet, vt tales facultates audiat; excommunicantur verò audientes dictas facultates, qui egressi non redeunt infra bimestrè. Ita Suarez *loco citato num.* 25. Barbos. *ad d. cap. Non magnopere, num.* 8. Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *num.* 3. Palaus *d. p.* 32. *n.* 4. Bonac. *d. p.* 7. *num.* 5. Hoc tamen explicant, & limitant Syluest. *v. excom.* 9. *num.* 22. & Anton. à Spir. Sancto *vbi supra num.* 1012. vt sit verum, si iste Religiosus maneat extra castra principaliter, vt audiat præfatas facultates, non verò si ob aliã causã manens illas audit, sicut è cõtra, si quis religiosus animum mutet, & ab initio egressus animo audiendi leges, vel medicinam, relicta hac intentione maneat extra Conuentum, ob aliam causam non incidit in hanc censuram, vt benè ex Butr. Gofred. Vinc. & Io. Andr. tradit Syluest. *v. excom.* 9. *num.* 22. *&* 24. & Caiet. *l. cit.* & ex Abbate *in cap. Super Specula*, tradunt ibid. Suarez, Palaus *d. p.* 32. *num.* 4. Sayrus *l.* 3. *c.* 33. *num.* 4. Tolet. *l.* 1. *c.* 37. *num.* 9. Anton. à Spir. Sancto *vbi supra num.* 1014. licet oppositum senserint Innoc. *in cap. Super Specula*, & Bonac. *d. puncto.* 7. *nu.* 7. & Barbosa *vbi sup. num.* 9. Nam non est materia huius censuræ, nec solus exitus quocumque animo habitus, nec quæcumque perseuerantia animo audiendi leges; vel medicinam. Et Pontifex præcipiens reditum ad claustrum habuit respectum ad ipsum effectum audiendi, & perseuerantiam in proposito priori.

464. Considerandum verò tertiò, Religiosos omnes subijci huic censuræ, etiam si earum religiones institutæ sint post statutos illos Canones, dummodò sint verè Religiosi incorporati alicui Religioni, vndè Religiosi Societatis, licet nondum professi solemniter post emissa vota biennij, quia per talia vota fiunt verè religiosi subijciuntur huic censuræ, si exeant ad leges, vel medicinam audiendas. Suarez ibidem *num.* 9. Serio *loco citato. num.* 8. Sanchez *l.* 6. *c.* 8. *num.* 74. Filliuc. *vbi sup. num.* 127. Bonac. *d. p.* 7. *num.* 12. Barbosa *ad d. c. Non magnopere. num.* 3. Non tamen comprehenduntur Nouitij, quia isti liberè ab ordine exire possunt. Nec obstat, quod *in d. cap. Non magnopere dicatur, vt nulli post factum votum Religionis, &c.* vbi videtur, quod loquatur etiam de secularibus, qui vouerunt Religionem, quia per votum Religionis intelligitur professio, & in eo textu tanquam Synonima. Bonac. *d. p.* 7. *num.* 14. Suarez *n.* 9. Barbosa *ad d. cap. Non magnopere. n.* 4.

An

465. An autem extendi debeat excommunicatio ista ad eos religiosos, qui exeunt, vt doceant leges, vel medicinam. Affirmarunt Hostiens. Io. Andr Butr. & alij ad *cap. Super Specula*, *ne Clerici, vel Monachi*. Et Sylnel. *vbi supra n.* de hoc est dubius, eo quia *in cap. Non magnopere* excommunicantur Religiosi exeuntes a claustro, vt legant leges, vel medicinam, at verò qui huiusmodi facultates docent eas legere dicuntur. Sed negant Innocent. & Panorm. & Reuerendiss. Fagnan. ibid. *num.* 41. Nauar. *cap.* 27. *num.* 117. Suarez *loco citato num.* 18. Serio *loco citato nu.* 30. Palaus *d. p.* 32. *num.* 4. Bonac. *d. p* 7. *num.*8. Anton. à Spir. Sancto *num.* 1016. Filiuc. *tr.* 14. *c.*8. *q.* 2. *num.* 129. Tolet. *l.* 1. *c.*37. *num.* 9. Sanctarell. *de apostasio cap.* 2. *num.*18. Barbosa *ad d. cap. Non magnopere*. *num.* 5. quia Honor. III. exponens verbum illud *legere* Alex. III. asserit eius mentem fuisse excommunicare religiosos exeuntes ad audiendum leges, vel physicam, non verò est dicendum, quod Honorius retulerit mentem Alex. incompletè, & imperfectè. Ideò & in *c. Non magnopere* verbum legere accipitur in eo vsitato sensu, in quo aliquam facultatem legere dicuntur, qui ex alterius disciplina illam adiscunt, & in hoc sensu Honorius 3. intellexit Alex. & eius excommunicationem confirmauit. Ideò per se loquendo non est excommunicatus religiosus, qui exeat è claustro ad docendas leges, vel medicinam, quantum sit ex vi huius Canonis.

466. Non possunt igitur Religiosorũ Prælati cõcedere suis subditis licentiã manẽdi extra claustra ad audiẽdas leges, vel physicã: Bonac. *d. p.* 7. *n.* 15. Nõ est verò eadẽ ratio de alijs facultatibus, aut scientijs. Nam vt supra visum fuit. *Ex cap. vt periculoso, ne Clerici, vel Monachi in* 6. permittitur superioribus, vt de consilio Conuentus mittant subditos ad audiendam Theologiam, & alias scientias religiosis conuenientes.

467. Considerandum quarto, quod *in cap. Non magnopere* pœna excommunicationis fertur per hæc verba, *sicut excommunicatus ab omnibus habeatur*. Fuit verò controuersia, an hæc verba importarent sententiam latam. Affirmauit enim Butr. *in d. cap. Super Specula. num.* 1. Ex eo, quia Honor. 3. *in d. cap. Super Specula*, expresse decreuit audientes leges, & medicinam, vi supra esse ipso iure excommunicatos. Vndè Butr. dixit per hoc decidi *quæst.* quam de præfatis verbis ponunt DD. *in cap. Placuit* de Iudæis, & hunc Butrij sensum latè alij defendunt *ad d. cap. Super Specula*. Sed contrarium senserunt Petrus de Anchar. ibid. *num.* 3. & Panorm. *num.* 1. volentes, quod verba præfata non importent latam sententiam, quod probant, ex illis verbis Hon. 3. *in d. cap. Super Specula. Nos volentes, vt de cætero ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districtè præcipiendo mandamus, &c.* Nam hæc verba non important declarationem *cap. Non magnopere*, sed sonant nouæ legis institutionem. Quam significat verbum volentes, quod de se legis impositionem significat, & non importat explicationem antiquæ legis, quia non dicitur volentes, vt lex præterita sic intelligatur, sed volentes vt de cætero excommunicatio ipso facto incurratur, vndè nedum lex respicit futurum dicens *de cætero*, sed quod mandatur non est, quod lex antiqua hoc idem senserit, sed quod in futurum ità sit, & tales delinquentes, vt de facto excommunicati nuncientur. Et licet Honorius 3. mentionem faciat opinionum præcedentium, secundum quas alij firmabant, alij negabant verba præfata Alex. 3. scilicet, *sicut excommunicatus ab omnibus habeatur*, esse latæ sententiæ, tamen Honor. Tertius in dispositiua negantem opinionum non damnat, nec asserit eos malè intellexisse legẽ illam Alex. Tertij, sed imò ex quo ipse præcipit de nouo, vt in posterum hæc excommunicatio sit latæ sententiæ potius confirmat eos benè sensisse, qui negarunt eam excommunicationem esse sententiæ latæ ex vi Constit. Alex. Tertij. Cum igitur verba Honor. Tertij non sint declaratio legis Alex. 3. sed noua legis institutio, ex illis non habetur, quod verba illa, *sicut excommunicatus ab omnibus habeatur*, contineant sententiam latam, sed potiùs oppositum colligitur. Ex vi tamen legis Hon. 3. modo hæc excommunicatio est latæ sententiæ, licet non sit reseruata. Præter excommunicationem verò aliæ pœnæ decernuntur, nimirum primo, vt tales Religiosi in nulla causa (si patrocinium præstare voluerint) audiantur. Ex quo colligitur, quod prohibitum fuit Religiosis audire leges ad effectum exercendi officium aduocati, aut procuratoris in causis; quoniam huiusmodi, vt habetur *in d. cap. Non magnopere*, sunt actiones mundanæ, quæ religiosos non decent. Vndè audire leges non ad finem patrocinandi causas, sed melius intelligi Canones, non est contra mentem dictorum Pontificum. Secunda pœna est, vt præfati Religiosi dum fuerint reuersi (nimirum post bimestre) in choro, mensa, & Capitulo, & cæteris vltimi Fratrum existant, & (nisi fortè ex misericordia Sedis Apostolicæ) totiùs spem promotionis amittant. Ex qua pœna grauissima benè colligitur, quod Pontifex non respexit ad solum exitum intentione audiendi facultates illas, sine effectu auditionis; quia non est verisimile, quod propter solam attentam auditionem illarum facultatum tantam pœnam imposuisset, sed respexit auditionem ipsam, & ideò eos Religiosos, qui per duos menses pertinaces fuerunt in existẽdo extra claustra, & in audiẽda aliqua ex dictis facultatibus inhabilitati ad quamcumq; promotionem subiectos esse voluit. Et huiusmodi pœnæ ipso facto incurruntur, vt ex *cap. Super Specula* habetur. In Concil. verò Lateran. sub Alex. 3. *part.* 27. *c.* 2. in fine clausulæ additur. Episcopi verò, Abbates, Priores tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, spolientur proprijs honoribus, & ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hæc tamen pœna non est latæ, sed ferendæ sententiæ.

468. Considerandum vltimo, quod Honor. 3. *in cap. Super Specula* extendit hanc prohibitionem censuram, & pœnas ad aliquos Clericos ibi. *Quia verò Theologiæ studium cupimus ampliari, vt dilatato sui tentorij loco funiculos suos faciat longiores, vt sit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex aduersa; ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, nec non Presbyteros (nisi ab his*

intra spatium prædictum destiterint) hoc extendi volumus, ac mandamus, & appellatione postposita firmiter obseruari. Cum verò Canonistæ circa hunc tractatum non parum dissideant, & ex eis aliqui contra ipsam literam, & Pontificis mentem loquantur, mihi summoperè placet, quod habet Panorm. *num.* 13. ibi. *Secundò dico, quod non esset peccatum in eis attentare, quod si in domibus studerent in istis, quod caderent has pœnas, quia textus iste in vers. Quia verò, solum voluit extendere const. Turonen. Concilij ad istos habentes personatus, &c. Vt ergo hæc sit vera extensio, debemus facere illam, cum omnibus suis qualitatibus s. quando exeunt proprios lares causa audiendi has scientias, & effectualiter eis dant operam. Nam constitutio pœnalis non est multum laxanda, maxime cum ex se scientia non sit mala, sed necessaria ad regimen vniuersalis Ecclesiæ saltem in temporalibus*. Nec est vndè dicatur Panorm. hæc dixisse magis ad ostendendam ingenij subtilitatem, quam quod ità senserit, quoniam primo nedum asseruit, sed probat, quod asserit, efficacissima ratione, quia Pontifex hic prohibitionem pœnalem latam contra Religiosos extendit ad præfatos Clericos. vndè standum est naturæ extensionis, vt extendi dicatur nedum prohibitio, sed prohibitionis qualitas, & limitatio, vt nec magis, nec minùs afficiat Clericos, quam Religiosos. Et secundò, quia Panorm. ex hac sua doctrina multas quæstiones determinat, vt ipse fatetur dicens. *Et per hoc faciliùs deciduntur quæstiones sequentes*. Minùs valet dicere, quod Pontifex loquendo de præfatis Clericis extendit prohibitionem nouam formam præscribendo in illis verbis, *nisi ab his infra præscriptum spatium destiterint*, per quæ verba in dictis Clericis non considerat, nisi continuationem, & perseuerantiam in audiendo, & ex consequenti spatium duorum mensium debet computari ab eo tempore quo incipiunt audire, prout tenent communiter DD. Et eo magis, quia Clerici attentates delicti extra proprios lares non delinquunt dupliciter sicut Regulares, vndè maior est ratio prohibitionis in Religiosis exeuntibus à claustro, quam in secularibus exeuntibus à proprijs domibus. Hæc, inquam, non obstant, quia non apparet hæc nouæ formæ præscriptio. Nam dictio *his* refert prohibita ab Alex. 3. Regularibus, quorum prohibitionem Honorius extendit ad dictos Clericos, & quæ ipse priùs commemorauerat, hæc verò non sunt audire leges, & medicinam simpliciter, sed exire ad audiendas dictas facultates, seu *exeuntes* audire leges, aut medicinam, vt patet ibi, *exeuntes ad audiendum leges, vel physicam*: quod verò Pontifex vsus sit verbo destiterint, & non verbo rididerint, optima ratione id fecit in hoc explicando prohibitionem Alexand. 3. quia ad vitandam excommunicationem non est necesse, quod qui exiuit ad studium generale materialiter redeat ad propriam domum, sed sufficit quod intra bimestrè desistat ab audiendis dictis facultatibus, vt etiam supra de Religiosis dictum fuit. Et ad hunc sensum facit ponderatio illa, quod Regulares magis delinquunt, si delinquant extra claustra, quam seculares extra propriam domum, quia ex hoc benè quidem deduci potest Regulares magis esse puniendos non verò minùs; at verò longè minùs punirentur ex vi huius decretalis; si eorum prohibitio esset minùs extensa, quam Clericorum, & si ipsi essent excommunicati solum audiendo leges, aut physicam extra proprios lares, & Clerici subderentur huic censuræ etiam si id præstarent nedum extra, sed etiam intra proprios lares. Et eo magis, quod dator ratio istius prohibitionis limitatæ ad exeuntes ad audiendas leges, vel physicam; quia Ciuitates, aut oppida in quibus sunt studia Generalia sunt in paruo numero, & in minori erant tempore Honorij Tertij, vndè non erat quid magnum, quod existentes in locis vbi sunt studia generalia vacarent scientijs istis, quæ de se licitæ sunt, & vtiles etiam Ecclesiasticis, vndè satis visum fuit sub pœnis istis grauissimis prohibere exitum ad studia generalia ad huiusmodi facultates audiendas; cum & in hoc exitu inueniatur particularis ratio prohibitionis, cum & minùs liceat Ecclesiasticos iuuenes etiam seculares viuere in domibus conductis extra propriorum parentum oculos, inter laicos iuuenes, vt plurimum satis discolos. Et in Clericis secularibus est specialis ratio, quia isti sunt beneficiati, & vt plurimum eorum beneficia assistentiam petūt, vndè meritò habita est specialis ratio nedum auditionis talium facultatum, sed absentiæ à proprijs beneficijs, & existentiæ in cameris locandis extra proprias domos. Vndè Honorius Tertius non extendit prohibitionem ad omnes Clericos, sed Archidiaconos, &c. & habentes personatus, & ad Sacerdotes, quibus ratione, vel beneficij, vel Ordinis minus conueniebat manere in studijs generalibus in cameris locandis inter alios scholares laicos; & quidem ad finem principalem audiendi laicas facultates. Et certè ex quo Pontifices non prohibuerunt studium legis ciuilis, & physicæ omnibus Clericis, manifestè constat, quod prohibitio ista potius respicit conditionem personarum, & modum studendi improportionatum personis, quam studium ipsum. Cum ergo simus in lege pœnali, & habeatur specialis ratio, vndè prohibeatur exitus à proprijs laribus ad audiendas leges, & hic solus fuerit prohibitus Religiosis non est vndè dicatur, quod sit respectu Clericorum prohibitio extensior, cum ad illos non sit extensa, nisi prohibitio facta Religiosis. Cum ergo quæritur, an præfati Clerici possint audire leges in proprijs domibus, nedum concedendum est, quod etiam præfatis Clericis licitum est studium legum principaliter ad meliorem intelligentiam Sacrorum Canonum, prout voluit Hostien. *ad d. cap. Super Specula num.* 18. & in hoc eius opinionem sequuti sunt Io. And. Butr. Card. Anchar. & Abb. vt testatur Reuerendiss. Fagnan. ibid. *num.* 30. Sed dicendum est, quod studium istarum facultatum de se nulli Clerico, vel Religioso est illicitum etiam si habeatur ex fine sciendi legem ciuilem vel physicam, quia hoc nec est de malum, nec est prohibitum. Et si ordinetur ad malum finem, vt ad finem exercendi munus aduocati in casibus prohibitis Clerico, tunc erit malum ex circumstantia mala, non verò ex substantia actus, quæ nec mala est secundum se, nec quia prohibita. Ideò non fuit limitanda ad studium habitum ex fine intelligendi melius Sacros Canones, sed dicendum fuit eam absolutè,

& de

& de se non comprehendi sub illis decretalibus. Colligitur secundò, quod quidquid in contrarium dixerint Nauar. c. 27. n. 117. Suarez. *disp.* 23. *sect. n.* 19. Hostien. *ad d. cap. super specula.* & aliqui alij non est illicitum præfatis Clericis domi audire Doctorem interpretantem leges, vel doctrinam physicam, quia ad hoc non se extendit prohibitio facta pro Religiosis, & alias, id de se non est illicitum prout voluerunt Calderin. *cons. fin. n.* 7. *de Magn.* Anchar. *in d. cap. super specula, n.* 4. Panorm. *ibid.* Tolet. *l.* 4. *c.* 37. *n.* 5 Bonac. *to.* 3. *de censf. d.* 2. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 5. Palaus *de censf. d.* 3. *p.* 32. *n.* 5. Barbos. *ad d. cap. super specula n.* 3. quod vero Diana *p.* 3. *tract.* 5. Miscelan. *resol.* 27. ex Sanctarell. de Apostas. *cap.* 2. *d.* 3. *n.* 21. Barbosa *ad d. cap. super specula n.* 7. Squillan. de oblig. *Cler. p.* 2. *d.* 18. *n.* 57. dixerint Clericis nec esse prohibitum in foro conscientiæ studere legibus in studio publico ad finem intelligendi melius canones, si intelligatur de Clerico extra domum, & patriam, seu habitationem & domicilium proprium in scholis degentem non admittitur, quia imo Pontifices principaliter interdixerunt exire ad audiendas leges, &c. Colligitur tertiò, quod nec dictis Clericis est prohibitum docere leges, aut physicam etiam publicè non obstante, quod oppositum voluerit Hostien. *ad d. cap. super specula.* Nam esto potuisset hoc habere aliquam difficultatem de Religiosis ob verbum legere, quod habetur in *d. cap. Non Magnopere*, non potest habere difficultatem de Clericis, quia *in cap. super specula* est sermo expressè de exeuntibus ad audiendum leges, vel physicam, vnde nequit extendi ad docendum, vt benè tradiderunt Panorm. *ad d. cap. super specula, n.* 16. & ibi Fagnan. *n.* 40. Barbos. *n.* 3. Nauar. *c.* 27. *n.* 117. Sayr. *l.* 3. *cap.* 32. *n.* 10. Filliuc. *tr.* 14. *cap.* 7. *q.* 3. *n.* 104. Suarez *d.* 23. *sec.* 3. *nu.* 20. Bonac. *de censf. disp.* 2. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 6. Palaus *de censf. d.* 3 *p.* 32. *n.* 5. sed & vniuersaliter vnico verbo dicendum est, licere in hoc dictis Clericis, quod licet Religiosis, quia quantum fit ex vi decretalis super specula, ad dictos Clericos solum est extenta prohibitio facta pro Religiosis cum suis qualitatibus, & limitationibus, vt dixit Panorm. *loco citato*. Quantum autem ad personas, communiter dicitur, quod prohibitio se extendit ad habentes dignitates. & personatus & ad Sacerdotes omnes. De sacerdotibus simplicibus, seu qui sint minores quam Archidiaconi Decani, & Clerici præbendati, constat extenditur enim prohibitio ad alios Clericos præbendatos, nec non Presbyteros. Non vero extenditur ad Sacerdotes maiores Archidiacono, quia isti fuissent exprimendi, si eos Pontifex voluisset sub sua lege comprehendere non est dubium, quod omnes excluduntur ne exeuntes præfatas facultates audiant. Bonac. c. *ante d. p.* 6. *nu.* 9. arbitratur quod Episcopi, Abbates, Archidiaconus, Archipresbyter, Decanus, alijque Clerici dignitatem habentes incidant in pœnas d. Decretalis si leges audiant. Sed immerito numerat inter istos Episcopos, aut Abbates quorum nulla fit mentio in d. Decretali, in qua nec dicitur prohibitionem hanc extendi ad omnes clericos dignitatem habentes, sed ad omnes clericos habentes personatum, at vero in odiosis nec Episcopus neque Abbas veniunt sub nomine Clerici personatum habentis, vel sub nomine presbyteri, vel sacerdotis. Pariter idem Bonacina inter istos numerat simplices Canonicos cathedralis Ecclesiæ eo quia isti habeant dignitatem ex Panorm. *Rubr. de vita & honest. cler. n.* 4. & Sanchez *l.* 6. *mor c.* 15. *n.* 74. Sed & Panorm. ibi non *n.* 4. vbi de hac re non agit, sed *n.* 10, non dicit quod Canonici cathedralium habeant dignitatem, sed solum quod in odiosis non veniunt sub nomine Clerici; nec verum est, quod Canonici præfati sint dignitates; nam euidens est in Collegijs cathedralium distingui dignitates, personatus, & simplices Canonicos, vnde non est vnde dicatur, quod simplices Canonici sub hac prohibitione comprehendantur nisi si sint sacerdotes. De Plebanis quoque adest limitatio ex *cap.* 1. *Ne Cler. vel Monachi in* 6. vt comprehendatur illi soli, qui sub se habent capellas, in quibus instituantur clerici perpetui nequeuntes ab ipsis absque causa rationabili amoueri. Cæterum alij Parochi, si non sint sacerdotes, sicut Diaconi, & inferiores clerici non comprehenduntur sub hac prohibitione. Quamuis modo ex decreto Concilij Tridentini *sess. cap.* Clerici habentes curam animarum teneantur ad residentiam nec causa studij etiam Theologiæ possint abesse. Non defuerunt autem quidam, qui dicerent clericos non subiacere omnibus pœnis latis contra Religiosos audientes leges, vt videre est apud Glossam *vlt. in d. c. super specula*, sed hoc repugnat textui manifeste, & ideo dicendum est pœnis omnibus latis ab *Alex.* 3. *in d. c. Non magnopere*, subdi præfatos clericos, si contra præscriptum audiant leges, vel physicam. An vero Doctores admittentes Religiosos, vel Clericos ad scholas eosque docentes leges, vel physicam sint excommunicati, vel peccent communicando excommunicatis; respondetur quod ex vi d. Decretalium. *Non magnopere*: & *Super specula* nullam censuram incurrunt; nec eis illicitum est communicare scholaribus excómunicatis non denunciatis; sed de his videri possent dicta supra *n.* 368. circa decretalem. *Vt periculosa*, *Ne Cler. vel Monachi in* 6. Hinc tandem deducitur non esse prohibitum Clericis, vel Religiosis suscipere lauream doctoratus in legibus ciuilibus, quia isti prohibentur quidem exeuntes audire leges, non tamen prohibentur si illis studuerint in tali professione doctorati, vt ex Salzedo ad Berand. *in pract. cap.* 59. Rodriq. *t.* 1. *q.* 77. *a.* 1. Farin. *in* Frag. Crim. *v. Clericus n.* 208. *tradit* Barbos. *ad d. cap. super specula. num* 4. Et dixi supra *q.* 587. *a.* 2. *n.* 1154. Vbi quod præmissum fuit, scilicet Religiosos non posse audire leges, easque docere dictum fuit secundum sententiam dicentium prohibitum esse Religiosis docere leges, & physicam, quæ opinio ibi non fuit examinata, quia & in illius suppositione, etiã sub conditione admissa, ad huc verũ est, quod Religiosi, qui alias callent leges, vel physicam nõ sunt impediti, quin lauream Doctoratus in illis facultatibus recipiãt.

469. Secundò autem in Clem. *ne in agro*, de statu Monachorum, prohibentur Monachi, & Canonici regulares aliquam administrationem non habentes ire ad curias Principum sine suorum Prælatorum licentia. Et vlterius excommunicantur ipso facto, qui ad huiusmodi curias se conferre præsumpserint, vt suis Prælatis aut Monasterijs dam-

damnum aliquod inferant. Sed hæc excommunicatio non afficit omnes religiosos, sed solos Monachos, & Canonicos regulares. Sunt verò circa hunc excommunicationem aliquæ difficultates. Prima est, an comprehendat omnes monachos. Nam quod afficiat solos monachos nigros ex eo probatur, quod in ea *Clementina* agitur de reformatione monachorum nigrorum; vt patet ibi. *Ne in agro Dominico, sacra, videlicet Monachorum nigrorum Religione, &c.* Et in §. Quia vero, in quo hæc excommunicatio fuit lata de eisdem loquitur, vt ibi *quia vero nonnulli Monachorum ipsorum, &c.* dictio enim ipsorum refert Monachos nigros, de quibus in antecedentibus expressè fuerat loquutus. Vnde solos monachos nigros afficit dispositio illius §. Et etiam Canonicos Regulares, quia & illos exprimit, non vero alios monachos. Et ita sentiunt Angelus, *v. excom. n.* 38. Suarez *de cens. disp.* 23. *sec.* 5. *n.* 4. Filinc. *tr.* 14. *c.* 8. *q.* 6. *n.* 139. Vasq. *p.* 2. *disp.* 160. *cap.* 5. *n.* 22. Martinez *p.* 2. *q.* 96. *a.* 3. *dub.* 5. §. *Pro plena tamen.* Sed alij sentiunt, quod afficiat omnes monachos, quia in dispositiua parte loquitur absolute de monachis, licet ex abusionibus monachorum nigrorum motus fuerit ad sic disponendum. Et ita sentiunt Panorm. *n.* 9. Syluest. *v. excom.* 9. *n.* 75. Toletus *l.* 1. *cap.* 39. *n.* 5. Sayr. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 26. Bonac. *tom.* 3. *d.* 2. *q.* 8. *p.* 9. *n.* 12. Palaus *de cens. disp.* 3. *p.* 34. *n.* 4. Et videtur supponere Caiet. *v. excommunicatio, cap.* 62. & sentiunt etiam Tambur. *tom.* 2. *disp.* 13. *q.* 14. *n.* 41. & 42. Gibalinus in synopsi *v. Curia nu.* 5. Thesaurus in praxi *p.* 2. *v. Curia, cap.* 10. Sed prior sententia licet minus communis est verior, quia dispositio semper refertur ad principale intentum disponentis, & ad totam dispositionem, nisi aliud exprimatur, principale autem intentum totius illius *Clementinæ* est reformatio Monachorum nigrorum, vt per se patet. Nec opus fuit, vt Clemens Quintus in qualibet parte illius *Clementinæ* semper nominaret Monachos Nigros, sed ex quo iam præmiserat se de eis loqui, satis fuit in sequentibus nominare monachos, cum iam ex *Clem.* prohæmio constaret eum loqui de Monachis Nigris. Sed ex d. §. *quia vero*, & ex parte dispositiua ipsius, hoc idem colligitur, ibi. *Nos eorum in hac parte reprobis ausis obuiare volentes, interdicto perpetuo prohibemus, ne monachi, aut regulares Canonici*, Dictio enim *eorum*, refert monachos, quos prius expresso nomine vocauerat Monachos Nigros, & de quibus in tota illa Clementina agebat. Et sic disponendo in eo §. de illis etiam loquebatur. & sic nomen monachi ibi ex antecedentibus, & subsequentibus satis limitatur, vt comprehendat solos Monachos Nigros, nec ad alios extendatur. Nam si Pontifex voluisset dispositionem esse communem ad omnes, sicut expressit Canonicos Regulares, ita vniuersale signum apposuisset, bene sciens id tunc necessarium fuisse, quia alias simplex nominis Monachi significatio ex antecedentibus, & subsequentibus, & principali eius intentione limitabatur, vt solos Monachos Nigros significaret. Adde quod nec conueniebat, quod in tota illa Constitutione, quoties sibi erant nominandi monachi, semper adderet dictionem Nigros, minus enim elegans, & consuetus modus loquendi fuisset, & dispositio quasi superflua. Ex quo enim in prohæmio se de Monachis Nigris dispositurum expressit, inelegans superfluitas fuisset toties quoties opus erat semper dicere monachi nigri hoc faciant, vel ab hoc abstineant *Clement.* igitur ista pœnalis, & odiosa non debet extendi, sed potius restringi, & vt in ea non comprehendantur nisi monachi nigri. Secunda difficultas est circa illum terminum *administrationem*. Nam Sayrus *n.* 27. sentit etiam monachis administrationem habentibus prohiberi accessum ad Curias animo &c. quod & sensisse Syluest. *d. n.* 73. & tenet tanquam sibi certum Thesau. in praxi. *p.* 2. *v. Curia n.* 10. Item nomine administrationis, temporalem intelligunt Angel. & Cardin. & Sayrus, sed alij etiam spiritualem comprehendi volunt, & sic sub hac censura non comprehendi monachos administrationem siue temporalem, siue spiritualem habentes si ad curias accedũt tenẽt Gloss. & Panor. ibi Suarez *d. d.* 23. *sec.* 5. *n.* 5. Bonac. *d. p.* 9. *n.* 13. Palaus *d. p.* 34. *n.* 4. Gibalin. in Synop. *v. Curia num.* 5. Legenti textum in illo §. quia vero manifestum Pontificem loqui de monachis subditis, ideo per monachos administrationem non habentes intelligit eos, qui ex vi officij, quod habent non habent facultatem exeundi à Monasterio sine speciali licentia superioris. Nec potest intelligi textus de quacumque administratione temporali, vel spirituali, quam habeant monachi circa aliqua particularia, vt delegati, seu vt ministri superioris monasterij, qui alias subditi sunt, & solum secundum quid administrant, sed intelligendum est de administratione vniuersali Abbatum, vel Priorum, vel saltem tali, quod ex illius vi non indigeat administrator licentia superioris, vt accedat ad Curias. Neque enim Pontifex voluit aliquem eximere à necessitate petendi licentiam exeundi, & eundi ad curias, qui ex præscripto Regulæ, ex vi officij, quod gerit, non fuerit exemptus à necessitate talem licentiam petendi. Et contra huiusmodi administrationẽ non habẽtes promulgat excommunicationem, si accedant animo nocendi. Vnde licet, accedant sine licentia, licet ex hoc peccent, non tamen sunt excommunicati, si non habent animum nocendi Monasterio, vel Prælatis. Quod si dicas Pontificem loqui de illa administratione, quæ possit præbere iustam causam eundi ad curiam. Hoc admitto, sed dico hoc non sufficere. Nam in textu illo agitur de accessu cum licentia, vel sine licẽtia, & prohibetur accessus sine licentia. Esto ergo Monachus habeat aliquam administrationem, ex qua oriatur necessitas accessus ad curiam, si alias hæc administratio non sit talis, quæ det facultatem eundi sine superioris licentia, non intẽdit Pontifex, quod ille possit sine licentia ire ad curiam, comprehenditur igitur sub Pontificis inhibitione, ne ad curiam accedat sine licentia speciali. Et si iterum dicas quod Pontifex requirit licentiam specialem in non habentibus administrationem necessitatem ad accessum ad curiam, permittens, vt habentes administrationem possint ire ex licentia generali. Sed neque hoc satisfacit, quia licentia specialis sufficit, quod sit tacita, vel præsumpta, & ideo licet Sayrus, & Bonacina aduertant, quod non sufficit licentia gene-

calis

talis eundi quo quis vult ad hoc vt Monachus possit ire ad Curiam. Tamen si licentia generalis sit in se ipsa talis in indiuiduo, quod æquiualeat speciali, & contineat tacitam, vel præsumptam specialem sufficit, vt Monachus nullam habens administrationem possit sine peccato accedere ad curiam. Econtra verò si licentia generalis quam habet administrator aliquis particularis nō sit talis, quæ contineat tacitam, vel præsumptam specialem eundi ad Curiam, non est verisimile quod Pontifex voluerit permittere, quod ille possit sine licentia speciali accedere ad curiam. Et si iterum dicas, Pontificem respectu eius, qui habet aliquem administrationem negatiuè se habere, vt circa illum nec prohibeat, nec permittat ire ad curiam sine licentia speciali, sed illum relinquet dispositioni suæ Regulæ, neque hoc est verisimile, voluit enim hunc accessum prohibere quantum salua vtilitate Monasterij fieri potest, & ideo noluit quidem prohibere accessum ad curiam ad quam monachus habet ex Regula facultatem, sed vbi ea regula est necessaria licentia, vt monachus eat ad Curiam, inhibuit monachis, ne sine illa ad curiam accedant. Ideo textus est intelligēdus de administratione secum ferente licentiam, & necessitatem eūdi quo opus fuerit pro vtilitate administrationis, & hanc permisit ire ad curiā sine speciali licētia. Tertia difficultas est, an sit excommunicatus monachus accedēs cū licētia ad curiā, si accedat malo illo animo nocendi communitati, aut Prælatis, quia affirmant Gloss. Panorm. Card. Nauar. *c.* 27. *n.* 138. Suarez *d.* *sec.* 5. *num.* 8. Tolet. *l.* *c.* 39. *num.* 5. Sayr. *d.* *c.* 13. *n.* 57. Bonac. *d.* *p* 9. *num.* 6. Licet enim Pontifex prius præcipiat ne Monachi accedent sine licentia, non tamen in sequenti dispositione loquitur solum de accedentibus sine licentia, sed absolutè decernit, quod accedentes animo, vt supra sint excommunicati. Nihilominus alij sentiunt quod ad incurrendam hanc censuram duo copulatiue sint necessaria, scilicet accessus sine licentia, & malus animus nocendi Prælatis suis, vel Monasterijs. Ita tenent Palaus *d.* 34. *num.* 4. Gibalinus *d.* *nu.* 5. Et ratio illorum est, quia clausula in qua fertur excommunicatio habet pro subiecto illud idem, quod est subiectum clausulæ præcedentis, scilicet monachi nullā administrationē habentes, & sine licentia ad curiam se conferentes, vnde non fuit necesse quod in ea clausula fieret aliqua mentio, vel administrationis, vel licentiæ, quia sufficit quod in secunda clausula vbi fertur excommunicatio nullo explicato subiecto, tota clausula referatur ad subiectum prioris clausulæ, quod subiectum est Monachus sine administratione aliqua, & sine licentia se conferens ad curiam, & de quo in ea sequenti clausula statuitur, vt si accedat etiam malo animo sit excommunicatus. Sed secundo probatur, quia actio euntis ad curiam, cū debita licentia, & ex consequenti in foro externo ex causa rationabili, & iusta, est actio honesta & bona, at verò nunquam ab Ecclesia fertur censura excommunicationis pro externa actione bona, quæ denominatiuè tantum ab intentione praua sit mala, cum intentio sit occulta, & extra Ecclesiæ forum, & malitia internæ intentionis iudicium externi fori fugiat. Non est ergo verisimile, quod Pontifex voluerit esse excommunicatum accedentem in foro Ecclesiæ ad curiam ex iusta causa, & cum debita licentia, ex eo quod intus corde habuerit intentionem malam. Et ideo propter huiusmodi rationes huic sententiæ adhæret. Ex quo etiā magis patet nō esse excōmunicatum illum qui habens administrationem modo dicto, accedit illo prauo animo nocendi ad curiam, quod est de mente nedum Palai, & Gibalini, sed Suarez, Bonac. & aliorum communiter contra Sayrum, Syluest. & Thesaurum, & sic verè tres conditiones requiruntur ex parte subiecti ad incursum huius excommunicationis, scilicet quod nullam habeat administrationem, quod non habeat licentiam eundi ad Curiam, & quod eat malo animo. Quarta difficultas est, an sit excommunicatus Monachus, qui cum licentia, & bono animo accedit ad Curiam, sed postea quam accessit mutato animo procurat nocere Monasterio, vel Prælatis. Negat enim Bonac. *num.* 4. quia in materia odiosa fieri non debet extensio; & sicut dicendus est excommunicatus, qui accedit malo animo, licet Curiam ingressus animum mutet, ita non est censendus excommunicatus, qui accedit animo bono, licet postea ex malo animo agat. Sed contrarium tenent Suarez, *num.* 6. Filliuc. *nu.* 141. Palaus *num.* 4. quia prohibetur accessus non ratione motus ad Curiam, sed potius ratione assistentiæ. Quod confirmatur, quia prohibetur accessus permanens, & ita prohibetur assistentia. Sed respondetur, quod licet intentio Pontificis sit vitare iniustum damnum Prælatorum, & Monasteriorum, actio tamen prohibita non est sola assistentia, sed accessus & aliqua assistentia simul; neque enim Pontifex excommunicat hic qui Prælatos quomodocumque persequuntur apud Curias, sed qui ea hoc fine ad illas accedunt. Et ideo qui bono fine accedit ad Curiam non est excommunicatus, si Curiam ingressus postea animum bonum in malum mutat. Et hoc ampliùs explicatur. Nam si iste qui bono animo accessit ad Curiam; accessit cum licentia, & iusta causa, iam etiam secundum Gibalinum non est excommunicatus ex malo animo, cum in Curia non assistat sine licentia, quæ est conditio necessaria, vt dictum est ad incurrendam censuram. Si autem adest & assistit ibi sine licentia, quia tamen exiuit, & accessit bono animo, & verè se contulit ad Curiam sine animo prauo, non subest censuræ, quæ lata est in eos, qui se conferunt ex animo nocendi iniustè. Benè verum est, quod qui bono animo egreditur à Monasterio, sed in itinere mutat animum, & ex prauo præfato nocendi, vel prosequitur iter, vel in fine itineris ingreditur Curiam quantum sit ex hac parte est excommunicatus, quia prauo animo se confert ad Curiam. Sicut econtra, vt aduertit Bonac. *num.* 3. qui malo animo exit à Monasterio, sed vel in itinere deponit prauum animum, vel impeditus non potest ingredi Curiam, non est excommunicatus, quia prauo animo non se confert ad Curiam. Quinta difficultas est, an censuræ subiaceat, qui & malo animo exiuit à Monasterio, & eodem durante peruenit ad Curiā, sed tamē nihil iniustè egit ex illo prauo animo, vel quia animū malum deposuit, vel quia non potuit vel quia ex-

quacumq. causa noluit. Nam de isto in proprietate sermonis verificatur, quod sine licētia, & malo illo animo se contulit ad curiam, & ideò quod hic sit excommunicatus tenent Panormit. Syluest. Sayr. Suarez, Bonac. Palaus, Gibalinus locis citatis, & alij DD. communiter. Et nihilominus in hoc mihi placet ea sententia, quæ tenet, quod quando actus interior est, vel causa, vel circumstantia actus externi non per se, sed accidentarie illi connexa, non cadat sub humana lege, nisi ex tenus apparet, per aliquod sui signum. Quod ex Alphons. de Cast. 2. *l. de iust. hær. punit. c.* 18. & Simanc. *tit.* 42. *nu.* 11. docuit Vasquez *p.* 2. *q.* 160. *cap.* 3. *num.* 9. Ideò in præsenti casu necesse est, quod illa mala intentio erumpat foris sensibiliter, vt de ea possit Ecclesia ferre iudicium, quæ non iudicat de occultis. Nec valet dicere, quod externa actio accedentis Monachi ad Curiam sine licentia sit mala, quia hæc non est illa præcise, quæ punitur censura, vndè non est excommunicatus, qui sine praua intentione nocendi Prælatis suis, aut Monasterio se confert ad curiam ideò nisi aliundè constet de malo animo accedentis, nō erit locus censuræ ex sola mala intentione occulta, & extrinsecus, non significata. Et nec valet dicere, quod actus internus potest esse conditio, qua posita puniatur ab Ecclesia actus alias, malus, hoc enim valet vbi actus interior sit sensibiliter notus, & possit in foro externo innotescere. Nam Ecclesia non fert censuras nisi pro causa à se cognita, vel cognoscibili, & propterquam in foro externo possit compellere nocentem ad pœnam subeundam. Non ergo fert censuram pro mala intentione intus omnino in animo latente, & extra Ecclesiæ iudicium posita. Sexta difficultas est, quid veniat nomine Prælatorum, aut Monasteriorum. Palaus *d. nu.* 4. sub nomine Prælatorum putat intelligi etiam Prouincialem, & Generalem, & hæc est communis intelligentia Suar. Bonac. Filliuc. & aliorum. Sed nomine Monasterij intelligit, vel Religionem in communi, vel Monasterium in quo Religiosus accedens habitat, Et verè textus loquitur de accedentibus animo nocendi Prælatis ac Monasterijs suis, & propterea in hoc conueniunt citati DD. vt non sit excommunicatus, qui accedit animo nocendi Monasterio non suo, etiam si sit eiusdem ordinis; est autem certum non incurrere hanc censuram, qui accedit animo nocendi, vel alteri Religioni, vel Religioso priuato etiam eiusdem Religionis, & Conuentus. Tandē addit ex Vital. ad d. *Clem.* & Thesau. in prax. *p.* 2. *v. Curia cap.* 10. non incurri hanc censuram nisi per accessum ad Curias Principum secularium. Et quia excommunicatio contra detinentes arma sine licentia intra septa Monasterij fertur in eodem §. *Quia verò*; Ideò nec illa extendi debet ad alios Religiosos, vel Monachos, sed solos Monachos nigros comprehendit.

470. Tertiò *in Extrau. ad nostrum* 2. *de regul.* Io: 22. prohibet Religiosis transitum vltra mare sine licentia superiorum suorum sub pœna excōmunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ. Et quantum ad personas comprehendit vniuersalissime omnes religiosos cuiuscumque ordinis conditionis, & status, & actiones prohibitæ duæ sunt, scilicet ire sine suorum Prælatorum licentia per ipsorum literas patentes concessa vltra mare. Quod tamen intelligitur si transitus sit ad partes vbi pauci fideles respectu infidelium commorantur Bonac. *t.* 3. *d.* 2. *q.* 9. *p.* 8. *num.* 3. Et respectu superiorum dare huiusmodi licentiam eundi nisi Religiosis literatis, prouidis & expertis. Quod copulatiue intelligi debet, & ita vt vna sola harum conditionum non sufficiat Bonac. *vbi supra num.* 5. per Superiorem Ordinis autem Bonac. *d. p.* 8. *num.* 8. intelligit solum Generalem, qui Antonomastice est Ordinis superior, Verùm dicendum est illum quemcumque intelligi, qui iuxta cuiuscumque Ordinis Regulam potest huiusmodi licentiam concedere. Nam statim Pontifex in numero plurali loquitur de superioribus mandans illis ne licentiam hanc dent subditis sui Ordinis nisi literatis, prouidis, & discretis, in quolibet verò ordine non sunt plures Generales, sed vnus. Sed præterea huiusmodi Religiosi admitti non possunt ad prædicationem, vel ad celebrationem Missarum, & tanquam apostatæ tractandi sunt, & incarcerandi, donec constiterit de licentia præfata, Et insuper conceditur Episcopis, vt contra huiusmodi religiosos de plano, & sine strepitu iudicij procedere possint, si persenserint eos approbare, quæ Sedes Apos. reprobauit, vel quæ alias sunt fidei *contraria* in suis prædicationibus, aut secretis collocutionibus dogmatizare.

471. Quartò Greg. 13. die 28. Ianuarij 1585. sub pœna excommunicationis prohibuit omnibus Religiosis cuiuscumque ordinis, præter Societatis Iesu, ne ad Prouincias Iaponicas, & regiones propinquas prædicandi Euangelij causa, Christianam doctrinam docendi, sacramenta administrandi, aliaque munia Ecclesiastica obeundi se conferrent sine Sedis Apostolicæ licentia. Sed postea Clemens Octauus in Constit. *Onerosa* data anno 1600. Indulsit, vt omnes Religiosi ordinum mendicantium approbati à Generalibus, vel alijs superioribus ad Iaponiam, Chinam, & regiones adiacentes se transferre possent prædicandi Euangelij causa, & alia munera Ecclesiastica obeundi, ita tamen, vt per Lusitaniam sumpta nauigatione in Indias, ad Ciuitatem Goensem prius peruenirent, & ibidem suis superioribus se præsentarent, & sic ad Iaponicas insulas tam ipsi, quam alij in partibus illis existentes accedere possent. Prohibuit verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reseruatæ, nec non sub pœna priuationis vtriusque vocis, priuationis insuper dignitatum, administrationum, & officiorum, & inhabilitatis, ne quis ex dictis religiosis ad prædictas insulas per viam Philippinarum, aut Indiarum occidentalium se transferre posset. Sed Paulus Quintus à Philippo Rege Hispaniarum edoctus prohibitionem huiusmodi fidei propagationi minus vtilem esse, in sua Constit. *Sedis Apos.* 90. data anno 1608. Indulsit Ordinum mendicantium Magistris, Ministris, aut Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis ordinum Capitibus, vt cum necessitas postularet, viros Religiosos suorum ordinum eruditos, & idoneos per quamcumque viam ad superiores Ordinum in illis partibus existentes

ſtentes ſeruata in reliquis forma Clem. 8. tranſmittere poſſent: Tandem verò Vrbanus Octauus in Conſtit. *Vniuerſis*, data die 22. Februar. 1633. magis hanc facultatem extendit, & conceſſit omnibus, & ſingulis nedum mendicantium, ſed cuiuſcumque Ordinis, aut inſtituti, Magiſtris, ſeu Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupentur ordinum capitibus, vt cum eis expedire viſum fuerit, quoslibet ſuorum ordinum, & inſtituti religioſos, quos ætate, vita, & moribus, & ſcientia Idoneos eſſe ad miſſiones iudicauerint, ad prædictas inſulas, Prouincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis etiam per alias vias, quam per Luſitaniam libere, & licite mittere poſſint, ac valeant, ſeruata tamen in reliquis forma literarum Clementis Octaui. Inſuper verò Eccleſiaſticos, & Religioſos cuiuſcumque ordinis etiam Societatis Ieſu, & ſæculares impedientes Religioſorum acceſſum ad dictas regiones excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodauit. Et inſuper Chriſtianis in Iapone exiſtentibus conceſſit, vt à quibuslibet Sacerdotibus ab eorum Generalibus miſſis Sacramenta omnia ordinem Epiſcopalem non requirentia ſuſcipere valeant. Item religioſis ibidem exiſtentibus mercaturam omnem, ſeu negociationem tam per ſe, quam per alios, tam nomine proprio, quam communitatis, & tam directè, quam indirectè ſub quocumque prætextu, aut colore exercendam interdixit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, priuationis vtriuſque vocis, & dignitatum, & officiorum, & inhabilitatis, & amiſſionis mercium, & lucrorum, quæ per ſuperiores ordinum ad vſum miſſionum, quæ Religiones habent in dictis Indiarum partibus reſeruari voluit. Paulus quoque Quintus in alia Conſtit. quæ incipit, *Accepimus* 76, & fuit data 8. Iulij anno 1609. præcepit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Religioſis, qui ad Indiarum partes à ſuis ſuperioribus mittuntur ad prædicandum Euangelium, & Eccleſiaſtica Miniſteria exercenda, rectò itinere vadant ad loca ad quæ mittuntur, neque in itinere commorentur ſine ſuperiorum licentia, & legitimo impedimento ceſſante, Itaque igitur ſoli Generales poſſunt ſuis ſubditis concedere licentiam ad miſſiones in Iaponiam & alias conuiguas regiones; Cæterum cuiuſcumque ordinis Generalis ſuos ſubditos per quamcumque viam ad illas partes mittere valet, nec miſſi poſſunt impediri, quin accedant, & ibidem Sacramenta miniſtrent. Miſſi verò nedum in Iaponiam, ſed ad quaslibet Indiarum partes tenentur ſine mora recto itinere ſe conferre ad loca, ad quæ ſunt miſſi. Aduertit verò Anton. à Spir. S. *tract.* 3. *diſp.* 6. *à num.* 1085. quod Conſtit. Vrbani 8. comprehendit omnes Religioſos ſiue ſui ſiue alterius Ordinis Religioſos impediant, quin ad miſſiones Iaponicas, aut Indicas accedant; ad cenſuram autem *d. Conſtit. incurrendam* neceſſe eſſe, quod impedimentum ſit poſitiuum per vim, aut metum, aut quocumque alio modo iniuſto, non verò ſufficere, quod quis mandet, vel conſulat. Sed puto conſiderandum, quod mandatum poteſt vim inferre, vel metum, & continere iniuſtitiam, & impedire acceſſum. Aduertit quoque Vericell. *de miſſ.* q. 98. *num.* 107. quod ex conceſſ. Adrian. 6. Religioſi ad Indos mittendi nominandi ſunt à ſuis Prælatis, & aſſignandi à Rege Catholico, vel eius Regali Conſilio & *num.* 108. quod quamuis olim ab Alex. 6. ſub pœna excommunicationis prohibitum fuerit, ne aliquis ad Indias Occidentales iret ſine licentia Regis Hiſpaniarum, tamen hæc prohibitio hodie ceſſat: quia non fuit per modum ſtatuti perpetui, ſed ſententiæ, vndè expirauit, vt notauit Rodriq. *p.* 2. *q.* 99. *a.* 7. De his videri etiam poteſt Bellet. Diſq. Cler. *p.* 2. *de pen.* Cler. §. 24. *num.* 31.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia circa fugitiuos.* n. 472.
2 *Quid facere poſſint Prælati pro reducendis Apoſtatis, & fugitiuis.* n. 473.
3 *Fugitiui citandi ſunt antequam excommunicentur.* n. 474.
4 *Quantum fieri poteſt ſine ſcandalo, & infamia Religionis fugitiui reducendi ſunt.* numero 474.
5 *Non datur ordo neceſſarius inter remedia Eccleſiaſtica, & ſecularia.* n. 475.
6 *Auxilio brachij ſecularis, & violentijs non eſt vtendum ſine neceſſitate.* n. 475.
7 *Facultas capiendi fugitiuos de iure communi competit Prælatis.* n. 476.
8 *Fugitiui ſunt, qui cum exierint cum licentia tempore debito non reuertuntur.* numero 477.
9 *Vbicumque ſint fugitiui poſſunt reuocari.* numer. 478.
10 *Nedum Apoſtatæ, ſed fugitiui capi poſſunt.* numer. 479.
11 *Pro ſolo exitu ſine licentia non poteſt religioſus capi ad carceres.* n. 479.
12 *Etiam Prælatus localis fugitiuos etiam non ſubditos poteſt capere.* n. 480.
13 *Sæpius neceſſe eſt implorare brachium ſeculare ad fugienda ſcandala.* n. 481.
14 *Seculares à quo cogi poſſint ad ferendum auxilium.* n. 481.
15 *Singuli ſuperiores tenentur inquirere Apoſtatas, & fugitiuos.* n. 482.
16 *Omnes Apoſtatæ, & fugitiui reuocandi.* numer. 483. 484.
17 *Etiam ſi non ſit ſpes emendationis.* numero 484.



De

De potestate, & obligatione, quam habent Superiores pro fugitiuis, & Apostatis ad ordinem, & obedientiam reducendis.

INSPECTIO II.

472. SVperiores ordinum posse reuocare ad claustrum suorum ordinum fugitiuos, aut Apostatas, per se euidens est ex priuilegijs concessis Religiosorum ordinibus, prout supra loquendo de Apostatis visum fuit.

473. Quæri autem potest primò, quid possint facere Superiores regulares, ut Apostatas, vel fugitiuos ad claustra reducant. Dicitur verò, quod possunt eos citare, excommunicare, capere, ligare, etiam inuocato brachio sæculari, etiam violentiam inferendo, & pugnis, calcibus flagellis illos vrgere, fustibus percutere, imò & vulnerare, vbi violentia ista cum moderamine inculpatæ tutelæ sit necessaria *Apostatas verò vestri ordinis* (decernit Greg. XI. in Constit. *Vt tate conspicitutes*, pro Ord. Præd.) *excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu contigerit eos inuenire, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis.* Et Iulius Secundus in Constit. *Dudum*, quæ est prima apud Peyr. pro ordine Minimorum ita decreuit *Nos non eiusdem ordinis minimorum apostatas, & Gyronegos quoscumque vbilibet repertos, & quibuscumque litteris, ac prouisionibus Apostolicis, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias Clausulas in se continentibus munitos, quas eis nullatenus suffragari posse decernimus, inuocato etiam ad id (quatenus opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, capere, incarcerare, & punire, seu capi, incarcerari, aut puniri facere libere ac licite valeant.*

474. Ex his verò medijs ad reuocandum fugitiuos, vel apostatas ordinatis primum locum habere debent citatio, vel captura. Præmittenda enim est antequam excommunicentur, cæterum immediate capi possunt, & ad carceres duci etiam nulla præmissa citatione, seu monitione de redeundo ad claustra, quæ monitio etiam, vt plurimum ad nil valeret, nisi vt apostatæ, vel fugitiui se absconderent, & manus superiorum vitarent. Vnde in hac parte hoc solum debent aduertere superiores, vt quantum possunt sine scandalo, & Religionis infamia Religiosos ad claustrum reducant. Quod si potestate possunt secure absque auxilio brachij sæcularis, ideoque sine captura per birruarios, & sæculares ministros, id facere tenentur; quia priuilegia Pontificum concedunt recursum ad auxilium brachij sæcularis, si opus fuerit. Ex hoc satis insinuatur non esse vtendum hoc auxilio sine necessitate Nauar. *tom. 3. de regul. num.* 50. Rodriq. *t.* 1. *q.* 30. *a.* 6. Peyr. *ad constit.* 13. Leon. 10. *num.* 7. *& ad const.* 7. Pij Quinti *num.* 20. Lezana *t.* 1. *c.* 26. *num.* 16. Mutcia *in cap.* 2. *reg.* 5. Franc. *cap.* 15. *num.* 6. Cornejo *t.* 3. *p. tract.* 5. *de excom. d.* 6. *d.* 5. Donatus in praxi *regul. p.* 2. *t.* 6. *q.* 17. *num.* 1. Pasqualig. ad Franc. *n.* 1086. Ex his tamen Peyr. *ad const.* 1. Iulij Secundi §. 38. *num.* 96. existimat, quod Prælati regulares prius contra apostatas, & fugitiuos vti debeant Ecclesiasticis remedijs illos citando, & excommunicando, ita vt tunc solum possint inuocare brachium sæculare, cum nullum superest remedium Ecclesiasticum, & hoc colligit *ex Trid. sess.* 14. *de refor. cap.* 8. & Tusco *v. brachium seculare concl.* 159. *num.* 11. Verùm hic ordo non est necessarius, tunc enim inuocare possunt regulares auxilium brachij secularis, quando opus est Barbosa *ad cap.* 1. *num.* 8. *fin. de iudic.* & apud eum Segur. & Salzed. Tum veró semper opus est, quando apostata capi potest, & debet, & per birruarios duci ad carceres, & alias ex hac parte si hoc tunc non fiat, cum fieri potest, adest morale periculum, vt apostata, vel fugitiuus fugiat, & se abscondat, & amplius haberi non possit. Sed & considerari debet *cap. si Clericos, de sent. excom. in* 6. in quo statuitur. *Si Clericos tuæ iurisdictioni subiectos propter commissos excessus etiam per laicos capi facias, & eos (ne fugiant) in carcere pœna debita postea castigandos includas, vel capientes eosdem (licet nondum appareat incorrigibiles illos esse) nulla credimus excommunicatione innodari.*

475. Cùm *in his* (*nisi alias ex proposito excedatur in ipsis*) *temeritas, vel iniuria nequeat deprehendi. Eosdem quoque Clericos si de parendo iure sibi fideiussoriam dederint cautionem detinere non debes nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis eos suaserit detinendos.* Hæc ergo regula seruanda est, vt si secure possit Religiosus apostata, vel fugitiuus reduci ad claustra sine auxilio brachij secularis id fiat; sed si non adest securitas, non est omittenda commoditas reducendi fugitiuum ad claustra, sed modo possibili est reducendus. Quæ regula seruanda est etiam circa violentias extraordinarias adhibendas. Si enim Religiosus sinit se duci pacifice nec resistit, non licet vti alia violentia. Et essent excommunicati satellites si Religiosum non resistentem, calcibus pugnis, percussionibus vrgerent. Sed vbi Religiosus resistat, & vim faciat, vi vti licet contra illum quatenus opus sit, & semper cum moderamine vi, colligitur *ex cap. si Clericos de sent. excom. in* 6. ibi, *nisi alias ex proposito excedatur in ipsis, & ex cap. Vt famæ de sent. excom.* §. *Laici vero*, & docent Glossa, & Aleiatus *in dict. cap. si Clericos* Peyr. *ad const.* 1. Iulij Secundi *num* 95. In Concil. autem Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. *de reformat.* nihil habetur, quod ad rem faciat. Quia ibi solum habetur, quod Episcopus non procedat contra Clericos alteri Episcopo subiectos. Et alias *in cap.* 1. *de off. ord.* datur facultas cum sit opus inuocandi brachium seculare, ibi. *Et cum opus fuerit publicum inuocent auxilium, non ad praeiudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo sunt placita prosequendum.*

476. Benè quoque aduertunt DD. hanc facultatem capiendi apostatas, & fugitiuos competere

petere superioribus religionum ex propria authoritate, & dominio, quod habent in religiosos. Vnde sicut dominus seruum fugitiuum capere potest, *leg. 1. §. per seruum, ff. de acquir. possess. & l. 1. C.* ibi curialis. ibi *Curiales*. Ita superior Religiosū fugientem potest capere, & ad Claustrum reducere. Peyrin. *ad Constit. 7. Pij* Quinti *n. 20.* Pasqual. *dicto num.* 1086. Donatus *p. 2. q. 17. nu. 1.* Lezana *l. 1. c. 16. n. 16.*

477. Nomine verò fugitiuorum veniunt etiam, qui exierunt cum licentia superiorum, sed termino transacto sine licentia manent extra Claustrum, vt docent Peyrin. citatus Auila *de censur. p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 4.* Pasqual. *dicto n.* 1086. Lezana *t. 1. lib. 16. n. 16.*

478. Nec locus aliquis suffragatur huiusmodi fugitiuis, sed siue sint in territorio, siue extra territorium. Nauar. *Com. 3. de regul. num.* 50. Rodriq. *1. 1. q. 30. a. 6.* Peryn. *loco citato*. Donatus *dicta q. 17. num. 1.* Lezana *loco citato*. Pasqual. *dicto n* 1086. siue etiam sint in Curia Romana, ex priuilegio concesso Carmelitis, prout ex eorum Mari Magno, *§. Apostatas*, refert Cæsarub. *v. Apostata nu. 9,* siue sint apud quemcumque Episcopum. Ex Constit. Pij Quinti. Et si Mendicantium. Peryn. *loco citato* Lezana *t. 1. c. 16. num. 16.* Baileus *v. Apostasia num. 5.* siue etiam sint in Ecclesia. Peryn. ad dictam Constit. 7. Pij Quinti, *n. 7.* Et ratio est, quia priuilegia dant superioribus regularibus facultatem capiendi huiusmodi fugitiuos, seu apostatas vbicumque reperiantur, vt patet ex Innoc. VIII, & Clem. IV. prout habetur in monum. Ordinum *fol. 37. in prima impres. & fol. 121. in secunda, & ex Constit. Dudum* Iulij Secundi, §. 38. prima apud Pyerinum: vbi aduertendum etiam, quod Pontifex voluit, vt huiusmodi fugitiuis suffragentur literæ Apostolicæ, ibi *vbilibet repertos, & quibuscumque literis ac promissionibus Apostolicis etiam quascumque derogatoriarum derogatorias clausulas continentibus munitus, quas eis nullatenus suffragari posse decernimus.* Videantur priuilegia recensita supra *n. 292.* & sequent.

479. Posset vero esse difficultas, an hæc extendi debeant ad fugitiuos non apostatas, quia priuilegia Pontificum de apostatis loquuntur. Sed dicitur primo quod fugitiui præsumptione sunt Apostatæ. Cum enim apostasiæ formalitas in animo consistat, in foro externo præsumitur apostata, qui exit & vagatur extra Religionem sine licentia. Verum hoc non est vniuersaliter verum, nec præsumi potest apostata, qui solum exit sine licentia, & etiam vagatur, nisi aliæ circumstantiæ ad sint, vt *v. gratia* sit vocatus, & monitus non redierit. Alia igitur ratio vniuersalior redditur, quia nonnulla priuilegia expresse loquuntur etiam de fugitiuis. Primò enim Innoc. IV. & Bonifac. VIII. concesserunt ordini Minorum, vt apostatas & insolentes Fratres possent capere, incarcerare, &c. Vt habet apud Cæsarub. *v. Apostata num. 5. &* 13. huiusmodi autem fugitiui insolentes dici possunt. Leo etiam Decimus apud Cæsarub. *ibid. num. 30.* concessit ordin. Minorum Obseruantiæ, vt omnes Fratres suos extra obedientiam Obseruantiæ vagantes possit capere, & detinere quousq. ostendant se alterius Obedientiæ esse. Iulius etiam Secundus in dicta Constit. *Dudum, 4. §. 38. 1.* apud Peyr. concessit vt Fratres ordinis Minimorum nedum apostatas, sed & gyrouagos capere possent. Ex Concil. etiam Trident. *sess. 25. cap. 4. de regular.* & ex Const. Sixti V. contra illegitimos habetur huiusmodi vagos, seu fugitiuos puniri debere ab Episcopis: sed in hac parte superiores regulares non indigent priuilegijs, quia & ex propria auctoritate, & de iure communi, vt supra dictum fuit suos subditos fugitiuos ad claustra reducere possunt omni modo possibili, vnde si alia via nō possint, possint eos capere etiā inuocato auxilio brachij secularis. Quāuis pro solo exitu à Conuentu sine licentia non possit religiosus puniri pœna carceris. Sed in hoc puncto captura etiam per birruarios potest sub duplici respectu considerari; vel vt medium & via ad carcerem, & huiusmodi captura non est licita nisi in casu in quo Religiosus mereatur carcerem, siue in pœnam, siue pro custodia, & assecuratione personæ; vel potest considerari, vt mediū & via necessaria ad reducendum Religiosum ad Claustrum. Et hoc modo tunc est licita, cum religiosus alia via reduci non potest ad Monasterium. Fugitiui vero, qui propriè tales sunt nedum capi, sed etiam carcerari possunt, vt supra est probatum.

480. Potestas verò reducendi apostatas, & fugitiuos ad Claustrum nedum est in Generali, vel Prouincialibus, sed in Superioribus localibus quicumque illi sint, & nedum respectu subditorum suorum, sed respectu omnium apostatarum, & fugitiuorum sui ordinis. Quod quidem in ordine Prædicatorum constat ex Constit. Innoc. 4. *Deuotionis. Data Lugduni 5. Calendas Aprilis* Pontificatus sui anno tertio, & ex Constit. Greg. XI. *veritate conspicuos*, quæ habetur in bullario Cherubini. Quod aduertit etiam Cæsarub. *v. Apostata, num. 7.* sed & hoc verum esse vniuersaliter de omnibus Religionibus collig. ex *cap. Ne Religiosi*, de Regularibus, & tradunt Peyerin. *in P. Sub q. 1. cap. 26. conclus. 6.* & ex Constit. Leon. X. supra *nu. 293.* recensita, & *n. 295.* explicat Pasqualig. ad Franc. *num.* 1084. Hoc enim ad commune bonum Religionis spectat, cuius cura singulis superioribus est commissa. Reuerendiss. Fagnanus ad *cap. Ne Religiosi, n. 16. de Regul.* & ibi Host. in *princ.* Card. *n. 9.* Panorm. *not. 3.* Archid. *in cap. Abbates n. 4. 18. q. 2.* Syul. *v. Apostasia* 10.

481. Cum autem Superiores regularium possint ad reducendos apostatas inuocare auxilium brachij secularis, consideranda sunt duo in hoc. Primum ex parte Superiorum, quia scilicet etiam si alias possent apostatas, vel fugitiuos capere; tamen sæpius necesse erit id non exequi sine inuocato auxilio brachij sæcularis, ad vitanda dissidia, & contentiones, & scandala. Et quidem vbi iudicis Ecclesiastici auxilium sufficiat, non erit opus auxilio brachij secularis, sed sufficiet vti ministris iudicis Ecclesiastici. Sed vbi hoc nō sufficiat, & pensatis omnibus non possit sine morali periculo scandali apostata, vel fugitiuus per vim duci ad Claustra sine scientia, & permissione superioris secularis, illius auxilium inuocari debet. Ex parte vero superiorum secularium quorum auxilium imploratur considerandum est, eos teneri ad auxilium præstandum. Vt tenent Peryn.

ad

ad Const. 1. Iulij II. *num.* 93. Pasqual. ad Franc. *num.* 1087. quia agitur de re graui, quæ cadit sub obligatione ex mutua connexione iurisdictionum inter se: Cum enim iurisdictio temporalis subordinetur spirituali, tenetur illi auxilium præstare, vbi fuerit opus. Ideo posse iudices sæculares ad præstandum huiusmodi auxilium cogi tradidit Menoch. *l. 2. de arb. casu* 451. qui veró sint illi, qui huiusmodi sæculares cogere possint ad auxilium præstandum regularibus: Peryn. loco citato ait, esse Conseruatores religiosorum, sed de hoc alias dicendum erit. Est vero indubitatum hoc pertinere ad illos, qui sunt delegati Apostolici assignati á Pontificibus pro executione priuilegiorū Religionibus concessorum, in quorum vim regulares suos apostatas & fugitiuos reuocare contēdunt etiam brachio seculari inuocato, sed & Ordinarij locorum id præstare poterunt. Quod si iudices seculares tenentur ad præstandum huiusmodi auxilium; multó magis tenentur iudices Ecclesiastici, quibus etiam, vt videbimus cura reducendorum apostatarum, & fugitiuorum commissa est.

482. Quæritur secundó, quando & quid facere teneantur superiores regulares, vt apostatas, & fugitiuos ad Claustra reducant. Superiores regulares teneri inquirere apostatas, & fugitiuos, & pro posse, illos ad Claustrum reducere habetur determinatum *in cap. vlt. de regular*, quod innouatum fuit die 1. Septembris 1624. in Const. 16. Vrbani Octaui, de apostatis, & eiectis §. 4. ibi atque *ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere atque efficere, vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorū attributa decreto Conc. Trident. cap. 3. sess. 6.* Omnes veró superiores etiam locales comprehendit hoc decretum, quia apostatæ, & fugitiui Religionis membra sunt, & curare bonum religionis spectat ad quoscumque superiores. Pasqual. ad Franc. *num.* 1084. Et tam *cap. final. de Regul.* quam Concil. Tridentinum absoluté de superioribus loquitur, vnde omnes & singulos comprehendit.

483. Quia tamen non præcipitur nisi inquisitio prudens, ideo ad hoc vt superiores ad huiusmodi inquisitionem teneantur, necessaria est aliqua notitia, & existentiæ apostatarum, seu fugitiuorum, & loci vbi inquiri possint, & quod certo non desperetur eos posse inueniri, & reduci ad Claustrum. Sed præterea non omnes apostatas, & fugitiuos esse inquirendos, & reducendos, sed eos quorum sit spes, vt emendentur, & sint vtiles Religioni, tenent Syluest. *v. Apostasia num.* 10, Rodriq. *t. 1. q.* 30. *a.* 5. Mirand. *q.* 51. *a.* 4. Riccius *resol.* 16. *num.* 4 *p.* 3. Lezana *t.* 1. *c.* 16. *num.* 16. Donatus *p.* 2. *tr.* 6. *q.* 15. *num.* 2. Tambur. *tr.* 3. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 6. Pasqual ad Franc. *nu.* 1085. quod quidem fundatur, quia *in cap. final. de regul.* præcipitur, vt huiusmodi fugitiui reducantur, salua ordinis disciplina. Vnde ibidē statuitur, vt si salua ordinis disciplina non possint reduci ad Claustrum, vel ad aliud monasteriū, vel ad alium locū Monasterij reducātur. In quadā etiam declaratione quam ad instātiam Minimorum authoritate sibi delegata à Pontifice dedit Pius V. tunc Cardinalis die 20. April. 1559. ad bullam Pauli Quarti contra fugitiuos & apostatas, & habetur per extensum apud Peyr. *to.* 1. *priu.* & apud Donatum *p.* 2. *tr.* 6. *q.* 18. continetur non fuisse mentem Pontificis, vt quicumque huiusmodi apostatas sine discrimine, atque vllo delectu recipiantur, sed illi tantum de quibus emēdationis spes concipi, & sperari probabiliter potest, & qui Religioni possint esse bono vsui. Et Vrbanus Octauus in *const.* 20. de apostatis & eiectis innouans *cap. fin. de regularib.* & declarans illud extendi etiam ad eiectos, subdit. *Dummodo tamen a expulsis huiusmodi sit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, &c.* Ideo non tenentur superiores inquirere, & recipere eos quorum emendationis non est spes, & quos ordini esse futuros inutiles, vel damnosos iuste timeri potest.

484. Verum in hac parte distingui debent tria, scilicet inquirere apostatas, & fugitiuos, secundó eos coercere & punire, & tertio eos ad cōsortium aliorum Religiosorum, & pristinum statum recipere. Doctrina horum DD. locum habere potest quantum ad hoc tertium, de quo infra ex professo agendum est; sed licet non omnes apostatæ, seu fugitiui & insolentes sint recipiendi ad consortium, & pristinum statum religiosorum, omnes tamen sunt inquirendi, & coercendi, & puniendi si id commodé fieri possit Tamb. *t.* 3. *d.* 8. *q.* 3. *num.* 3. Et in hoc sola impossibilitas id præstandi excusare potest; Nam alias siue sint futuri vtiles, siue non; & siue sit spes emendationis illorum, siue non, reducendi sunt ad claustrum. Et hoc est quod decernitur *in d. c. fin. de Regul.* In quo præcipitur, quod si fugitiui possunt reduci ad Monasterium salua Ordinis disciplina id fiat, & Prælati Regulares ad id compellantur. Si vero id fieri non potest non per hoc permittitur, quod fugitiui non requirantur, & reuocentur, sed præcipit eos vel ad alia loca apud Monasterium, vel ad alia monasteria reduci *D. Ant.* 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. *in princ.* Illa autem clausula salua ordinis disciplina posita fuit præcipué propter Regulam S. Benedicti in qua præcipitur, quod qui ter apostatauit amplius non recipiatur D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. §. 2. Syluest. *v. Apostasia q.* 7. *num.* 10. & omnes Canonistæ ad *d. cap. final.* & sic est sensus, vt si sit contra Regulam, quod Apostata recipiatur in Monasterio recipi debeat, vel in aliquo loco apud Monasterium, vel in alia domo Regulari. Dicunt vero D. Anton. & Syluest. quod loca competentia in quibus potest poni fugitiuus secundum Butr. sunt loca seruientium, sed secundum Host. sunt Ergastula de quibus exire non possint. Graue autem scandalum dicitur, quando alij dicunt se potius exituros, quam moraturos cum illo, quia cum eo durare non possent, vt Hostiens. fatetur se vidisse de facto, & pariter Archid. in quadam Moniali. Subdit vero, & bene Syluest. in hoc stādum arbitrio bonorum. Quod verissimum est, & quatenus isti contumaces sint, & inobedientes, vt aduertit Bellet. *de pœn. Cler.* §. 24. *num.* 10. in duris carceribus pro qualitate criminum detinēdi, donec via iuris seruata eijciantur á religione tanquam incorrigibiles, si vitam malam in meliorem conuertere noluerint. Ex officio enim tenentur superiores subditos á malo coercere, & in hoc &

Reli-

Religionis puritati, & honori, & iustitiæ, seo bono communi prospicere, & simul impedire oe subditi seculum scandalizent, & in exemplum male agendi sint tam religiosis, quam sæcularibus. Et periret omnino disciplina; si liceret religiosis apostatis, & vagari sine licentia impune, & sine vindicta iustitiæ; quantum igitur spectat ad præsentem quæstionem dicitur, quod superiores omnes nedum Generales, aut Prouinciales, sed etiam locales tenentur pro posse inquirere, & reducere apostatas & fugitiuos ad claustrũ eos capiendo,& in carcerẽ puniendo seruata via iuris *c. fin. de Regul.* & ex Archid. *in cap. Abbates n.4. 18.q.2.*Panorm. *c.fin.de regul. num.3.* Sylu. *v. Apostasia q.6.num.10.* Azor. *p.1.l.12. c.17.q.2.*Rodriq.*t.1.q.30.a.5.*Sanchez *l.6.Mor.cap.9.n.11.* Tambur.*tom.3.disp.8.q.3.num.4.*& alij *ua. supr.cit.* An vero hæc inquisitio fieri debeat quotannis ex vi *d.cap. final.* multi negant dicentes *cap.* illud finale fuisse consuetudine abrogatum. Ita Sanch. *lib.6 Mor.c.9. nu.18.* Azor *tom.1. l.12. cap.17.q.5.* Tambur.*tom.3.disp.8.q.3. num. 4.* Et Reuerendiss. Fagnan. *ad c.fin. n.69.de Regul.* dixit quod re vera *Const. illius c. fin.* numquam fuit vsu recepta. Nihilom.*ibid.num.2.*vult quod Prælati Regulares, qui quotannis non reuocant ad Religionem suos eiectos, & fugitiuos peccent mortaliter. Mihi videtur considerandum, quod modo *cap. illud fin.* fuit innouatum per decretum Vrban. VIII. sed tamen in eo *cap. non præcipitur* Prælati Regularibus, vt reuocent, sed vt requirant. Sed neque verisimile est, quod ad impossibile, vel inutile Pontifex voluerit obligare, ideo vbi reuocatio fuerit impossibilis non obligantur Prælati, qui ex vi dicti decreti directè, & primo nec obligantur ad reuocandum, sed ad requirendum. Hæc vero requisitio fieri potest multis modis, & per multas actiones. Satisfacient verò Prælati huic legi, si inquirant extraiudicialiter vbi sit apostata, vel fugitiuus, & si possit aliqua via capi, & reduci ad Conuentum, quo facto si inueniant nullam sibi remanere spem probabilem reuocandi ad nihil ampliùs tenebuntur. Quod vero quotannis inquirere sit illis præceptum, factum est, ne obliuiscantur obligationis eorum, & sciant non sufficere semel requisiuisse,& ideo eos non posse amplius differre, quin saltem quotannis requirant; videant, attendant an huiusmodi possint corrigere, & ad obedientiam reuocare: lex tamen diuina ad hanc requisitionem obligat quotiescumque sese offere occasio requirendi, & non desit spes probabilis obtinendi. Qualiter vero,& quãdo recipi debeant ad commune consortium Religiosorum alia quæstio est.

SVMMARIVM.

1 *Quid possent Episcopi de iure antiquo. numero 485.*
2 *Quid de iure nouo. num. 486.*
3 *An Episcopi possint punire fugitiuos. num. 487.*
4 *Episcopus etiam contra Regularem degentem extra Claustra cum licentia si delinquat potest procedere. num. 488.*
5 *Non dicitur degere extra claustra, qui est ibi ad breue tempus. num. 489.*
6 *Degit extra claustra, qui est ibi ex causa permanenti, num. 489.*
7 *Tempus breue trium mensium. num. 489.*
8 *Apostata, eiecti, & fugitiui degunt extra claustra. num. 490.*
9 *Quid sit degere extra Monasterium. num. 491.*
10 *Non degant extra Claustra, qui viuunt in Grancijs. num. 492.*
11 *Quid de manente vbi Conuentus erigitur. numer. 492.*
12 Non *degit extra Claustra, qui manet vbi à superiori solet visitari. num. 492.*
13 *An puniri possit ab Ordinario, qui dilinquit in officio sibi ab eo commisso. num. 493.*
14 *Quid de eo qui degit extra claustra occasione docendi doctrinam Christianam. num. 493.*
15 *Quid de existente in Vniuersitate. num. 493.*
16 *Non tamen Parochi degentes in Parochijs vnitis Monasterio. num. 494.*
17 *Quid de pluribus alijs casibus. num. 494.*
18 *Nec per censuras potest Episcopus procedere contra degentes extra claustra. num 495.*
19 *Episcopus degentes extra claustra solum punire potest in visitatione. num. 495.*
20 *An facultas hac data sit Episcopo cumulatiue. num. 495.*
21 *An Prælato reuocante ad claustra suum subditum cesset facultas Episcopi. num. 495.*
22 *Decretum Concil. Trident. sess. 25. c. 14. de Regul. num. 496.*
23 *Episcopus non procedit contra Regulares delinquentes intra claustra. num. 497.*
24 *Qui sunt in Grancijs sunt intra Claustra. numer. 497.*
25 *Solum si delictum sit notorium & scandalosum Episcopus potest procedere. num. 498.*
26 *Hæc qualitas debet prius summariè probari. num. 498.*
27 *Vbi iurisdictio datur sub conditione qualitatis illa debet probari. num. 498.*
28 *Episcopus Regularem intra claustra degentem, & extra delinquentem non potest carcerare ex vi decreti Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de Regul. secundum aliquos. num. 499.*
29 *Sufficit quod Episcopus semel moneat Prælatum Regularem, vt puniat, &c. num. 499.*
30 *Praxis Episcoporum. num. 500.*
31 *Potest Episcopus accipere summariam informationem. num. 501.*
32 *Non potest in hoc casu examinare Regularem. numer. 502.*
33 *Possunt in hoc casu capere Regulares si timetur de fuga. num. 503.*
34 *Secus vbi non est fuga periculum. num. 504.*
35 *Episcopi in hoc casu solum per accidens pro assecuratione iustitiæ possunt capere Regularem. num. 505.*
36 *Vbi delictum non sit notorium, si Regularis inuenitur in fragranti, & sit timor fugæ potest capi etiam à seculari. num. 506.*
37 *Vbi delictum non sit notorium non intrat lex Concil. Trid. sess. 25. c. 14. de Regul. num. 507.*
38 *Religiosi capti in fragrãti, sed non in delicto notorio non possunt duci ad carceres Episcoporum. num. 508.*

39 *Si delictum sit notorium ad summum per duas dies potest detineri in carceribus Episcoporum, num.* 508.

40 *Si superior localis sit in delicto repertus debet consignari illi, qui in absentia Prioris est superior, num.* 509.

41 *Si Regularis delinquat notorie in Ecclesio habet locum lex cap. 24. sess. 25. de Reg. Conc. Trid. num.* 510.

42 Ex *delicto licet notorio commisso intra claustra non acquirit Episcopus iurisdictionem super Regulari, num.* 511.

43 *Episcopus non debet designare breuiorem terminum ad puniendum Religiosum, qui deliquit extra claustra.* 512.

44 *Superior Episcopum reddat certum de punitione. num.* 513.

45 *Qui facit quod in se est, non est in mora. numer.* 514.

46 *Superior Regularis potest purgare moram. numer.* 514.

47 *Superior Regularis non potest punire subditum ex processu Episcopi. num.* 515.

48 *Processus factus ab Episcopo in hoc casu valet ad instruendum. num.* 516.

49 *Religiosus à Prælato non potest cogi ad perseuerandum in confessione facta coram Episcopo. num.* 516.

50 *Si Religiosus sit non seuere pro demeritis punitus, quid agendum? num.* 517.

51 *Decretum Clem. VIII. num.* 518.

52 *Superior inobediens præfato decreto non potest declarari per Episcopum incurrisse pœnas, numer.* 519.

53 *Apostata, & fugitiui capi possunt per Episcopum sed non puniri pro apostasia, vel fuga. numer.* 520.

Quid possunt & teneantur agere Episcopi, seu locorum Ordinarij circa apostatas, seu fugitiuos Religiosos.

INSPECTIO III.

485. DE iure antiquo ex *cap. fin. de regularibus*, tenebantur Episcopi apostatas excommunicatos à suis superioribus denũciare, vt tales, vt habetur ibi. *Si vero huiusmodi fugitiuos inuenerint inobedientes inuenerint eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur*, Ex nouo autem iure plura habentur, quæ Episcopis cõueniunt. Et quidem primo in Concil. Trident. *sess. 6. c. 3. de reformat.* habetur. *Nemo regularis extra Monasterium degens etiam sui ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Et sess. 25. cap. 4. de regular. *Nec liceat regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint, qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur, Illi autem, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinarijs contra illos procedatur,*

486. Sixtus etiam Quintus in sua Const. cum de omnibus 6. Calend. Decembris 1576. ita statuit. *Ideoque præcipimus vniuersis, & singulis locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs in spiritualibus, vt per suos officiales, ministros, vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per suas Ciuitates, vel Diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcumque hospitia, vel diuersoria se recipere contigerit diligenter perquiri, num huiusmodi literas obedientiæ, seu commendatitias secum deferant; quod si eos dictas literas non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos, etiam tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tandiu illos custodia detinere, donec certa de eis notitia habeatur, &c.* Vrbanus etiam Octauus in sua Const. 26. de Apostatis, & Eiectis ita decernit. *Rursus statuit vt fugitiui, & apostatæ, siue habitum Regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi morum trahunt in carceres conijci, ac superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi,*

487. Ex his decretis habetur Ordinarios locorum posse conijcere in carceres apostatas, & fugitiuos, illos scilicet qui verè, vel apostatæ sunt vel fugitiui, prout supra explicatum fuit; sed an illos punire possint dubium esse potest. Nam Concilium Trident. decernit vt huiusmodi vagantes sine licentia superiorum ab Ordinarijs puniantur tanquam instituti proprij desertores. Et Sixtus Quintus decernit, vt Ordinarij locorum contra similes vagantes possint procedere. Verum econtra Vrbanus Octauus statuit, vt Episcopi hos apostatas, vel fugitiuos detineant in carceribus, tradendos suis superioribus puniendos iuxta regularia instituta. Ideò delicta horum Apostatarum, aut fugitiuorum distingui debent. Alia enim sunt distincta ab Apostasia, vel fuga, & patrata ab illis extra claustra degentibus, aliud verò est crimen apostasiæ, vel fugæ, vel alia delicta non extra Claustra, sed intra ab apostatis commissa. Seu aliter distinguere possumus. Vel enim loquimur in terminis decreti Conc. Trident. *sess. 6. cap. 3. de reform.* vel in terminis decreti *sess. 25. cap. 4.* Nam in terminis c. 3. *sess. 6.* Religiosi nedum apostatæ, & fugitiui, sed etiam de licentia habitantes extra claustra, si extra claustra delinquunt visitari, corrigi, & puniri possunt ab Episcopo. Nam & expresse Conc. statuit vt contra eos, qui cum licentia manent causa studij in Vniuersitatibus extra Conuentum Ordinarius procedat. Circa quod decretum tamen nonnulla aduertenda sunt.

488. Et quidem primò Peyr. *ad constit. 2. Sixti Quarti num. 22.* existimat decretum Concilij intelligi de illis Religiosis, qui sine licentia superiorum manent extra claustra, quia in Monaste-

rio dicitur esse Monachus, qui manet in quocumque loco non nisi de superioris mandato, prout docent Panor. *in cap. Ex rescripto, de iure iurand. num.* 5. Syluest. *v. Religio* 3. *q.* 19. & alij plures, quamuis hoc idem Peyr. postea explicat, & limitat, vt decretum Concilij locum habeat, quando Religiosus manet in loco distanti, & ad longum tempus. Verùm quoniam Concilium *sess.* 25. *c.* 4. decernit Episcopum posse procedere contra regularem de licentia manentem causa studij extra Conuentum, doctrina illa, & primum Peyr. dictum locum habere non potest, & ideò Episcopum posse procedere contra Religiosum de licentia suorum superiorum degentem extra claustra, si extra claustra delinquat referunt declaratum, & dicisum Piasec. in praxi *Episc. p.* 2. *c.* 3. *num.* 42. Genuens. in practica Archiep. Neap. *c.* 59. *num.* 2. Bonac. *de off. Episc. alleg.* 105. *num.* 16. *& ad cap.* 3. *sess.* 6. Concil. Trid. Sperell. *dec.* 38. *a.* 19. Lez. Antonel. *de regim. Eccles. Episc. l.* 7. *c.* 14 *num.* 2. Et hanc declarat Sac. Congregationis tanquam datam 26. Nouembris 1626. refert Pasqual. *par.* 1. in additione ad Francum.

489. Benè ponderandum est illud verbum Concilij *degere*, quod existentiam permanentem importat, ideò decretum Concilij non habet locum nisi respectu Religiosorum, qui permanent extra Conuentum. Degere enim est alicubi habitare, permanenter, & non esse ibi, vt peregrinum per modum transeuntis, sed habere domicilium propriæ habitationis Rodriq. *tom.* 1. *q.* 65. *a.* 13. Io. de cruce *de stat. Relig. l.* 2. *c.* 10. *d.* 6. *conc.* 1. Peyr. *tom.* 1. *ad const.* 2. Sixti Quarti §. 11. *n.* 29. Ricc. *dec.* 231. *num.* 4. *p.* 4. Donat. *p.* 2. *tr.* 13. *p.* 40. Lezana *t.* 1. *cap.* 11. *num.* 9. Vericell. de Apostolic. Mission. *q.* 98. *num.* 98. Pasqual. ad Lauret. de Franch. *p.* 1. *num.* 4. Et sic decretum Concilij non habet locum nisi respectu eorum, qui sunt extra Conuentum ex causa permanenti, siue ex priuilegio, siue de licentia, siue sine licentia, vt quia alicui Parochiæ inseruiunt, vel in aliquo loco pro ordinario Magistro, & Doctore habitant, vel alicui Principi deseruiunt, vel quia causa studiorum in aliqua habitant Ciuitate, vel ex aliqua alia simili causa existunt extra Monasteria, vbi non habent proprij ordinis superiorem. Non verò decretum Concilij locum habet respectu eorum, qui sunt extra Monasterium ex causa ad breue tempus duratura, vt causa honestæ recreationis, visitandi consanguineos, prædicandi in Aduentu, vel Quadragesima, quæstuandi, missiones habendi, audiendi confessiones, vel ad aliquod simile breue negotium. Neque enim censentur abesse in breui reuersuri *l. Postliminium §. Captiuus l. Nihil. ff. de cap. & postlim. reuer.* Quod confirmatur ex eodem Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reformat.* ibi, *Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt.* Qui igitur cum licentia superiorum sunt extra claustrum ad aliquod negotium, & ad breue tempus non censentur abesse à Claustro, ideò tales non possunt venire sub nomine Religiosorum degentium extra claustrum. Et hoc vlterius confirmatur ex *sess.* 25. *cap.* 14. *de regul.* ibi statuitur modus puniendi Religiosos intra claustra degentes, sed extra claustrum delinquentes. Ex hoc enim textu apertè habetur aliud esse existere extra claustra, & aliud degere extra claustra; Nam delinquens extra claustra existit extra claustra, & tamen à Concilio supponitur casus in quo Religiosus degens intra claustra, extra claustra delinquat, qui casus tunc contingit, quando Religiosus habitans intra claustra est extra ad breue tempus, in quo si delinquat non est ab Episcopo puniendus, sed remittendus ad superiores suos. Et ita, quod decretum Concilij *sess.* 6. *c.* 3. de reformatione non comprehendat Religiosos existentes extra claustra ad breue tempus, docent Peyr. loco citato, Pasqual. ad Franc. *p.* 1. *c.* 1. in quarto, & difusius eodem *p.* 1. *num.* 114. casu Lezana *par.* 3. *v. Episc.* quoad regulares *num.* 24. Antonel. *dicto lib.* 3. *ca.* 4. *num.* 3. Quodnam verò sit hoc breue tempus, idem Pasqual. ex Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 1. censet esse duorum, vel trium mensium ad summum, quia Concil. ibi censet hoc tempus esse illud breue per, quod Episcopi existentes extra Diœcesim non censeantur abesse, tanquam in breui reuersuri.

490. Et tamen est considerandum, quòd aliud est degere in certo loco non claustrali, aliud est degere extra claustra. Ad hoc secundùm sufficit, quod Religiosus non viuat in Monasterio, etiam si extra Monasterium sit vagus. Ideò degentes extra Monasterium sunt Apostatæ, qui exierunt à Monasterio animo perpetuo viuendi in seculo; & isti esto alias in seculo essent vagi, nihilominus in seculo permanent, & domicilium extra Monasterium habere censentur, quia à Monasterio recesserunt, quantum sit ex eorum intentione, nunquam ad illud reuersuri, sed in seculo sibi domicilium elegerunt, & in eo degunt. Et ideò statim ac exeunt in seculo extra Monasterium iam degunt coram Deo; quamuis in foro externo, vt degentes extra claustra ex hoc statim haberi non debeant, nisi constet de apostasia. Pariter eiecti sine dubio extra Monasterium degunt, cum à Monasterio sint eiecti. Fugitiui verò quatenus præsumantur esse Apostatæ, præsumptione iuris censebuntur degere extra claustra, vbi tamen ex causa paruam permanentiam extra Religionem exigente sunt extra Monasterium non possunt dici degere extra illud, sed illud fugere ad breue tempus. Ideò in decreto Vrbani VIII. de apostatis, & eiectis sic præcipitur Episcopis, vt apostatas, & fugitiuos capere faciunt tradendos suis superioribus, quod tamen excipitur facultas, quam Episcopi ex Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 3. habent puniendi eos, qui degunt extra claustra, quia apostatæ, sunt extra claustra degentes, & præsumptione tales esse possunt fugitiui, nisi constet eos pro breui tempore fugisse. Ideò fugitiuus ex vi præcisa decreti Concil. Trid. *sess.* 6. *c.* 3. nisi per longum tempus sit extra Monasterium non potest visitari, vt degens extra claustra, maximè si non dimiserit habitum, vndè non debet haberi, vt apostata, nisi aliundè apostasia colligatur, aut præsumatur. Et quia Episcopo non competit facultas visitandi, corrigendi, & puniendi Regularem si delinquat extra claustra, nisi Regularis degat extra claustra,

ideò Episcopo priùs debet constare de hac degentia aliter licet delinquentes extra claustra notoriè possit punire in terminis decreti Concil. Triden. *sess.25. cap. 4. & 14.* de quibus infra erit sermo, non tamen potest, eos visitare, corrigere, & puniire ex vi *d. cap.3.* Et ideò quia sola existentia extra claustra non sufficit ad hoc, vt Regularis dicatur ibi degere, nisi extra claustra habeat habitationem, & domicilium per modum permanentis, hoc primò debet constare Episcopo antequam Regulares visitet, corrigat, & puniat si deliquerint per notata in Fran. *num.499.* Ideò nisi Episcopo constet, quod Religiosus est extra claustra ex causa de se permanenti, & requirente domicilium, vel quod de facto iam Religiosus extra claustra manet à longo tempore, non potest vti dicta facultate *cap. 3.* Inter causas verò de se permanentes numerantur nedum officia exigentia existentiam Religiosi extra claustra ad multum tempus, & per modum habitationis, sed absolutum propositum Religiosi sic permanenter existendi, quod etiam sine dubio præsumitur in eo, qui de facto per multum tempus manet extra claustra. Sic ergo erga apostatas, & fugitiuos, sic se habebit Episcopus, vt si inueniat eos degentes extra claustra possit eos pro præteritis visitare, corrigere, & punire, & postea ad suas Religiones debeat eos remittere. Sed & considerandum est minime inter degentes extra claustra posse numerari Religiosum, qui coactè, & sine culpa sua est extra Monasterium, & impeditur ne ad illud redeat, vt si in itinere Religiosus infirmetur, & non possit ad Monasterium redire, iste non habet domicilium permanens extra Monasterium, sed per accidens, & contra suam voluntatem ibi est, animo permanens in Monasterio. Sic nec degit extra claustrum Religiosus, qui à seculari Magistratu, vel ab Episcopo iniustè, detineatur in carceribus, non enim carcer est domicilium, & habitatio, cum carceratus, ibi sit inuitus, & sine iusta causa detineatur, & non vt ibi viuat, quia imò si posset statim exiret; & per accidens ibi est inuoluntarius. Sic nec degit extra claustra Religiosus si rationabiliter iniustum grauamen sibi inferendum timeat, si ad Monasterium redeat; quia non est in claustro contra suam voluntatem, & iustè fugit claustrum inuitus. Neque enim iustum est, vt quis inuitus sine sua culpa perdat priuilegium exemptionis, & censeatur degere extra Monasterium, extra quod inuitus sine sua culpa detinetur; nō censentur igitur degere, vel habitare, vel viuere extra Monasterium, quia per accidens, & contra suam voluntatem ibi est. Et hoc est verum etiam si impedimentum sit ex metu mali grauis iustè infligendi, quia & hic timor causat inuoluntarium, & repugnat habitationi, & degentiæ, quæ importat habitare alicubi perseueranter per se, & ex animo, nō verò inuitè; aliud enim est habitare alicubi aliud ibidem vi, vel metu detineri.

491. Sic ergo explicato, quid sit degere remanet explicandum, quid sit esse extra Monasterium. Potest autem primò dari hæc regula, vt ibi sit Monasterium, vbi conuentualiter viuitur, & seruantur regulares obseruantiæ pro loco, & tempore, & quia Religiosus non potest exire sine licentia, habet consuetas orationes, custodit silentium indictum, & sub superiore regulariter viuit, secus vbi non sit superior, & Religiosi sub eo regulariter non viuant. Circa quod à DD. sequentes declarationes S. Cong. Concilij referuntur. *Fuit dubitatum vtrum existens in aliqua domo ad erectionem Monasterij destinata comprehendantur in d. decreto. Respōdit & fuit resolutū sub die 24. Maij 1588. quod licet ibi existerent de licentia suorum superiorum, tamen si non haberent in d. domo Priorem, siue Guardianum, & non viuerent iuxta institutum regulæ illius Religionis comprehenderentur in d. decreto, & ab Ordinario puniri possent.* Item hæc alia declaratio refertur. *Regulares degentes de licentia superioris in domo ad erectionem Monasterij destinata hic non comprehenduntur, si in ea domo sub superiore conuentualiter viuant, adeo, vt si deliquerint, ab ordinario puniri nequeant.* Sub alijs verbis consimilis declaratio refertur, nimirum sub hoc tenore. *Regularis manens extra claustrum de licentia superioris etiam in domo deputata ad erectionem Monasterij, nisi in dicta domo sit Regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore Conuentualiter, potest puniri ab ordinario.* Huiusmodi autem declarationes non vidi authenticas, de illis tamen videri possunt DD. citandi, & eorum idem est sensus, quod scilicet Regularis non degat extra claustra si alicubi viuit Conuentualiter sub superiore, censeatur verò degere extra claustra si alicubi degit etiam de licentia superioris, si ibi non viuit conuentualiter sub cura superioris, & ita hoc idem docent Sperell. *dec. 38. num. 21.* Genuen. in praxi *cap. 59.* Campanil in Diuersi *dub.12. cap.13. num. 22.* Ricc. *p.1. dec. 225. nu.5. & p.2. dec.276.* Rubens *dec.15.* Barbosa *de off. Epis. all.105. num.16. & ad d. cap.3. sess.6. Concil. Trid. num.1.* Lucerna *regul. verb. Delinquens num. 10.* Lezana *par 3.* Episcopus quoad Regulares *nu.24.* Cespedes *dub. d. 241. num. 8.* Piasec. in praxi *p.2. cap.3. a.6. num.15.* Antonell. *lib.7. cap. 14. nu.2.* Tambur de iure Abb. *part.1. disp.15. quæst.7. nu.7.* & apud eum Rota *dec.223. num. 5.* Vercell. de Apos. Miss. *quæst. 98. num. 94.* Donatus *part.2. tract. 13. quæst. 38.* Pasqual. ad Laur. de Franch. *p.1. num. 116.* vbi benè notat, quod sufficit qualiscumque superior, qui ibi sit, & quocumque nomine appelletur.

492. Hinc verò plures soluuntur difficultates colligitur enim primò, quod domus erigenda in Monasterium venit nomine Monasterij, si in ea adsit superior sub quo Religiosi ibi manentes cōuentualiter viuant, secus si non adsit ibi superior vt tradunt DD. citati. Quod si domus illa sit propinqua alteri Monasterio iam erecto & habenti superiorem, in eo Religiosi habentes curam noui Monasterij erigendi interim viuant, tales in Monasterio degunt, quia exitus diurnus à Monasterio non tollit quin habitatio propria, & domicilium in quo de nocte Religiosus manducat, & dormit, & diebus festis reperitur dicatur intra Claustrū. Modo tamen ex vi Constit. Vrb. 8. Greg. 15. & Innoc. X. Cōuentus nuper erecti vnquequo in effectu in eis habitent Religiosi in numero duodenario sunt subiecti iurisdictioni Episcopi. Sed hoc est ex vi nouæ legis, nō ex vi Conc. Trid. *in d. c.3.* Item colligitur, quid dicendū sit de

Grau-

Grancijs Monasteriorum an veniant sub nomine Monasterij. Distinguendum est enim secundum aliquos eodem modo. Nam si in Grancijs non sit superior aliquis, sed sint domus prædiales, aut seculares, licet in eisdem habitent pro vtilitate Monasterij vnus, vel duo Religiosi, tales domus non sunt Monasteria, nec gaudent priuilegijs proprijs Monasteriorum. Hoc enim iam est definitum per S. Cong. Concilij, & per Innoc. X. in causa Angelopolitana, & Constit. *sua data* 16. Aprilis 1648. quam retuli supra *tom.* 2. *ad quæst.* 187. Ibi enim inter alia dubia à S. Cong. soluta, habetur decimumquintum sequens. *An præd. rustica, metallorum fodinæ saccari officina à Regularibus Societatis, vel alijs possessa, vel alia domus seculares in quibus, vnus vel duo regulares tantum commorantur, gaudeant priuilegiò Collegiorum, seu Conuentuum respondit non gaudere.* Si ergo non gaudent priuilegijs Monasteriorum; igitur non veniunt sub nomine Monasterij, & Religiosi, qui ibi viuunt, viuunt extra Monasterium. Ita tenet Vericell. de Apos. Mission. *q.*98. *num.*94. Sed puto non valere consequentiam, quia non valet consequentia à locis ad personas, vt in proposito aduertit Barbastren. in Pastorali *p.*2. *q.*15. *n.*22. vt quia illæ Granciæ non gaudent priuilegijs Monasteriorum, nec Religiosi gaudeat priuilegijs degentium in Monasterijs. Nam quantum ad priuilegia personarum, & eorum exemptionem præcipue à visitatione, & correctione Episcopi hoc præcipuè considerandum est, an Regulares licet degant extra materialia mœnia Monasterij sint tamen in loco vbi à superiore possint, & soleant corrigi, & visitari, & sic verè degant sub illius obedientia, cura, & iurisdictione etiam fori externi. Nam si ita sit tales Religiosi, in Monasterio degunt, nec possunt ab Episcopo visitari, & corrigi, vt docuerunt Peir. *ad const.* 2. Sixti Quarti *num.*22. Cespedes *d. dub.* 241. *num.* 3. quos sequitur Vericeli. de Apost. Missiòn. *q.*98. *num.*94. Censent enim Moraliter habitare in Monasterio, dum sunt ibi, vbi à superiore visitari solent. Tum quia grauamen magnum est, Religiosos subiacere visitationi Ordinariorum, & Prælatorum, tum quia non est necessaria Episcopi visitatio, vbi Regulares iuxta eorum regulam à suis superioribus visitantur. Et hoc probatur ex eadem Constit. Innoc. X. Quia cum 16. dubitatum fuisset. *Vtrum Regulares prædicti Apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia præsertim propè Collegia siue Conuentus exercentes possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne huiusmodi exerceant. Respondit, non posse Episcoporum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in præmissis ita notarie delinquant extra claustra, vt populo scandalo sint seruandum esse, quod dictum est supra ad duodecim.* Ibi verò respondet Regulares puniendos iuxta decretum Concil. Tridènt. *sess.* 25. *cap.* 14. nimirum eo modo, quo Regulares degentes in claustro puniendi sunt si extra claustrum delinquant; igitur ibi S. Cong. Regulares exercentes Apothecas &c. extra Collegia, habet pro degentibus intra claustra, & ita ste est dicendum, quod nedum vbi Granciæ sunt parui Conuentus, Monasteria, & Collegia in quibus manet superior aliquis habens sub se vnum, vel plures Religiosos, sed etiam Religiosi conuersi habitantes in Grancijs vnus, vel duo sine alio superiore censeantur degere intra claustra, & si delinquant non potest Episcopus eos corrigere ex vi decreti Concilij Trid. sed hoc pertinet ad superiorem Regularem tantum, cùm ibi viuant subiecti obedientiæ, visitationi, & correctioni eorumdem superiorum Regularium, pro negotijs, & vtilitate conuentuum, vt tenuerunt Ricc. *dec.* 231. *part.* 4. *num.* 4. Barbos. *de off. & pot. Episc. alleg.* 105. *num.* 13. & *ad cap.* 3. *sess.* 6. *Concil. Trid. num.* 2. Antonel. *de regim. Eccles. Epis. l.*7. *c.*24. *num.*2. Lezana *par.* 3. Episcopus quoad Regulares *num.* 24. Cespedes *dub.* 241. *num.* 7. Pasqual. ad Lauret. de Franch. *num.* 115. Lucerna Regul. *v. delinquens num.* 11. Bordon. *resol.*7. *q.*16. *num.*58. Donatus *p.*2. *tr.*13. *q.* 39. Solum si contingeret Granciam esse adeò distantem ab omni Monasterio Religionis, vt religiosi ibi manentes sine superiore à nullo superiore ordinaria corrigi possent, saltem semel in anno, illi vel illi Religiosi visitari possent ab Episcopo. Et in hoc sensu limitari etiam debet superius assertum de Religioso manente in domo designata pro ædificatione noui Monasterij, si enim viuat sub obedientia alicuius vicini Monasterij sub obedientia, visitatione, & correctione superioris Regularis, non habet locum decretum *d. cap.* 3. Concil. Trid. & quia vbi ex Religiosis manentibus hoc modo in illis Grancijs, aut domibus vnus sit Sacerdos regulariter instituitur superior, sub aliquo titulo Vicarij, vel simili, ideò Regulariter in istis Gracijs, vel domibus si adest Religiosus Sacerdos viuitur conuentualiter, & sub sua regula, & obedientia. Nec obstat, quod habet Ciarlinus *cap.*50. *num.*8. non posse scilicet vigere obseruantiam regularem vbi manent solum duo, vel tres Religiosi, quia obseruantia consistit substantialiter in tribus votis, & præcipuè in voto obedientiæ, & subordinatione vnius ad alium, aliæ verò obseruantiæ, vel vbique etiam in Grancijs seruari possunt, vel obligant solum pro loco, & tempore, & vbi Regula permittit existentiam in Grancijs eximit sic existentes, ab illis, quæ Societatem multorum in Cœnobijs exigunt Cespedes *d. dub.*241. *num.* 7. Lezana *d. num.* 24. Verùm tamen est, quod nunc non ex vi Concil. Trid. sed ex vi decreti Innoc. X. quod habetur apud Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Relatum num.*73. *Ne Cler. vel Monac.* Regulares in huiusmodi Grancijs existentes in numero minori, quam senario, & ita vt quatuor ex illis sint Sacerdotes probatæ vitæ, & maturæ ætatis, sunt subiecti iurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinarij, in Italia tamen, & Insulis adiacentibus.

493. Item colligitur, quid dicendum de Religiosis existentibus, & manentibus alicubi vbi non est Monasterium nedum de licentia superioris, sed ad negotia Monasterij, vt v.g. ad patrocinandam aliquam litem Monasterij. Nam Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *num.* 4. arbitratur talem non posse visitari ab Ordinario *arg.* ex *cap. vnic.* §. *Quia verò, de Cler. non resid.* in 6. vbi Clericus absens pro vtilitate Ecclesiæ suæ censetur interesse, & non abesse. Sed hic considerandum est an talis viuat sub obedientia alicuius Prælati sui Ordinis, & sub eius visitatione, & cor-

rectione, quia si hoc deest, licet censeatur esse in Monasterio quantum ad hoc, quod non potest puniri, vt apostata, aut fugitiuus, sed solum sub conditione si delinquat; hac tamen conditione posita subditos erit visitationi, & correctioni Ordinarij, cum non sit in loco obedientiæ, visitationis, & correctionis suis Prælatis. De existentibus verò extra Monasterium in scholis, seu studijs generalibus disposuit expresse Concil. Trid. *sess. 25. cap. 4.* ibi, *Illi autem, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinarijs contra illos procedatur*. Circa quod decretum considerandum est illud verbum mittantur, quod importat motum à loco Conuentus ad locum Vniuersitatis, vndè consignificat distantiam Monasterij à loco Vniuersitatis talem nimirum ac tantam, vt studens non possit visitari, & corrigi à superiore Monasterij. Et nihilominus si in aliquo Conuentu etiã alterius Ordinis maneat, quod non subiaceat visitationi Episcopi ex Bordon. *ref. 7. num. 62.* voluit Vericell. de Apost. Mission. *q. 98. num. 102.* Et videtur habere fundamentum in verbis citatis, cum enim Concil. loquatur de ijs, qui à Monasterijs mittuntur ad Vniuersitates, non videtur loqui de Religiosis habentibus Monasterium sui Ordinis in loco Vniuersitatis, sed de missis à Monasterio distante. Et qui non mittuntur solum ad horam, & mere vt tempore lectionis audiant Lectores, sed qui mittuntur studiorum causa ad locum vbi sit Vniuersitas, vt in eo habitent, & quia Concilium absolute loquitur de Conuentu sui Ordinis, vndè si Religiosus missus studiorum causa maneat in aliquo Conuentu Religioso non subest visitationi Episcopi. Vndè ex hoc deducunt DD. illi, quod Religiosus se alicubi degat extra Monasterium aliquod non subdatur visitationi, & correctioni Ordinarij. Ego non dubito, quod Prælati proprij Ordinis mittentes subditum ad loca vbi non habent Conuentus possunt alicui Prælato alterius Religionis conferre iurisdictionẽ super subdito illo, qui in Monasterio illius Prælati degens, vbi non habet proprium Monasterium si viuat in Monasterio alterius Ordinis, non sit subiectus visitationi Episcopi, quia habet Prælatum, qui sui Ordinis authoritate illum corrigat. Sed si Religiosus sit vbi authoritate Ordinis non possit visitari, & corrigi, non credo, quod excuset, & eximat eum habitatio in alio Conuentu, quia mens Concilij est, quod Religiosi non maneant vbi nullum correctorem, visitatorem, & punitorem habent, si delinquant. Sed vbi Religiosi sunt sub obedientia, visitatione, & correctione suorum Prælatorum, non est necesse, vt visitentur ab Episcopo, & sufficit vt si contingat Religiosos notorie delinquere extra claustrum, Episcopus possit illos retinere, & suis superioribus omnino puniendos tradere. Sed quid dicendum, si in loco vbi adest Monasterium, Religiosus de licentia sui superioris viuit extra Monasterium in domo consanguineorum, vel alicuius alterius? Quoniam ille viuit nedum sub obedientia, sed sub oculis Prælati Regularis, à quo potest libere visitari, & corrigi, & puniri, dicerem saluo semper meliori iudicio ipsum censendum esse degere in Monasterio.

494. Et ex his potest ferri iudicium de aliquibus alijs casibus, vt quod Religiosus degens extra claustrum, & ab Episcopo deputatus ad aliquod officium, si in illo cum scandalo delinquat possit puniri ab Episcopo; quod ex Aldan. *in comp. Canon. resol. l. 1. tit. 6. num. 3.* tanquam decisum à S. Cong. 14. Febr. 1585. docet Barbosa *ad d. cap. 3. sess. 6. Concil. Trid. num. 3.* Nam ex vi præcisa, quod iste Religiosus degat extra claustra non potest puniri ab Ordinario nisi iuxta limitationes, & explicationes positas, neque in decisione S. Cong. relata ab istis DD. potest fieri fundamentum, quoniam illorum mos est declarationes datas in casibus particularibus, vt vniuersales referre, quamuis explicationes datæ superius, nec sint contrariæ declarationibus non authenticis ab eisdem DD. relatis. Ideò quod ex eod. Ald. 16. *num. 5.* tanquam decisum in vna Mamilen. anno 1626. tradit idem *Barbosa d. num. 5.* & in sum. Apostolic. *v. Episcopus quoad Regulares num. 9.* nimirum, quod degentes extra claustra occasione docendi doctrinam Christianam, possunt visitari ab Ordinario addens, prius in vna Liman. 10. Iun. 1591. declaratum fuisse hoc non habere locum in PP. Societatis Iesu, qui munere docendi doctrinam Christianam funguntur, dum tamen habeant illis in locis superiores, qui curam ipsorum gerant, & apud quos se recipiant iuxta Regulæ Institutum viuentes; quod inquam sic refertur non approbatur à Vericell. de Apost. Mission. *q. 98. n. 99.* eo quod dicat contrarium fuisse declaratum anno 1585. & 1601. Sic & Donatus *p. 2. tr. 13. q. 45.* existimat, quod Regulares, qui id præstãt ex proprio instituto, vt PP. Societatis vel temporaliter de licentia superiorum non subdantur illi decreto Cocil. Trid. Nam & quod Canonicus Regularis extra Claustrum habitans in Parochia vnita suæ Congregat. in ijs, quæ non concernunt curam animarum non possit ab Ordinario visitari, & corrigi, ex eod. Aldan. *d. tit. 6.* tanquam decisum anno 1601. 8. Februar. tradit idem Barbosa *ad d. cap. 3.* Concil. Trid. *nu. 4. & ad cap. 14. sess. 7. num. 4.* & Nicolius. *l. 1. t. 29. num. 9. §. 5. de off. Deleg.* Quod quidem, & est verum vniuersaliter etiam iuxta Constit. Inscrutabili Greg. 15. vt aduertunt Donatus *p. 2. tract. 14. res. 41.* ex Ricc. *p. 1.* praxis *dec. 736. in p. edit.* & Peir. *ad const. 2.* Sixti 4. *nu. 27.* Et idem docet Vericell. *d. q. 996. num. 99.* Vbi *num. 100.* addit Missionarios ad partes Infidelium ex constit. speciali Clem. 8. quam ibi refert non esse censendos esse extra claustra, & quod hoc conuenit omnibus Missionarijs etiam missis à suis superioribus, quod & refert Nicol. *lib. 1. tit. 29. num. 9. §. 5. de off. deleg.* Pariter, quod regulares, qui secundum sua instituta, & ex obedientia superiorum degunt in Monasterijs Monialium non subiiciuntur visitationi Ordinarij, quia non censentur extra claustra dixerit Donatus *d. tr. 13. q. 42.* ex *Panor. ad c. Cum illorũ de sent. excom.* & Nauar. *cons. 73. de regul.* Pariter tanquam decisum à S. Cong. dicitur, quod si Religiosus inseruiat beneficio simplici vnito Monasterio, vel Religioni, non potest ab Episcopo visitari.

495. Et nihilominus etiam loquendo de illis Religiosis, qui vere degunt extra claustra, adhuc

hac

huc assertio illa, vt si delinquant possint puniri ab Ordinario primo limitanda est, vt sic vera solum in actu S. Visitationis, quod esse de sententia S. Congreg. Concilij refert fidelissimus testis Reuerendissimus Fagnanus ad *cap. Tuarum num. 34. de Priuil.* qui d. S. Cong. fuit Secretarius, & qui ibi & ad *cap. Quod super his, num. 22. de Maior. & obed. id probat.* Tum primo, quia verba illa *punitioni, & correctioni Episcopi*, limitantur & restringuntur à verbo *visitari*, quod immediate præcedit, & sic solum in visitatione Episcopus potest Regulares degentes extra claustra corrigere, & punire si delinquant. Tum secundo, quia idem Concil. Triden. *sess. 14. cap. 4.* quæ prius statuerat *cap. 3. sess. 6. de exemptis Clericis* tam secularibus, quam Regularibus degentibus extra claustra extendit tantum, quantum ad Clericos seculares, vt Episcopus possit eos corrigere, & punire extra visitationem. Hoc enim est signum Manifestum, quod in *d. cap. 3.* solum dederat facultatem Episcopis corrigendi, & puniendi exemptos in visitatione, quia aliter superfluè, & sine necessitate, hoc extendisset postea *in cap. 4. sess. 14. ad Clericos seculares tantum.* Et in omni casu, si quis contenderet, quod decretum *cap. 3. sess. 6.* esset vniuersale, fateri cogeretur quod Conc. *sess. 14. cap. 4.* correxisset decretum *d. cap. 3. sess. 6.* Quia ibi expresse decernit, quod Episcopus extra visitationem solos exemptos seculares Clericos possit corrigere, & punire. Ex illo igitur textu, duo aperte colligi tradit Reuerendissimus Fagnanus. Primum Regulares extra visitationem etiam si degant in loco non exempto, atque ibi delinquant, nullatenus subesse Episcopi iurisdictioni. Secundùm Regulares intra claustra degentes vbiuis delinquant, nec visitationi quidem Episcopi subiectos esse, cum ad hoc, vt Episcopus habeat ius visitandi, Concilium voluerit duo concurrere, idest, vt Regulares extra claustra degant atque ibi delinquant. Ex his verò magis probatur explicatio data supra, vt extra claustra esse, sit esse in loco vbi Religiosus non potest à suo Prælato visitari, & corrigi; quia cum non detur Episcopo potestas nisi visitandi, & sic corrigendi & puniendi, habetur quod Concilium voluit, vt Regulares non essent sine eo, qui eos visitare, & corrigere posset, & non remanerent Regulares sine Visitatore, & Correctore. Vbi verò Regulares sunt, & possunt, & solent à suis superioribus visitari, corrigi, & puniri, cum non sit necessaria Episcopi visitatio, ideò tales Regulares non sunt censendi degere extra claustra, quia viuunt vbi sunt sub obedientia, & visitatione sui superioris, vndè ad huiusmodi Regulares, nō se extendit facultas, & iurisdictio Episcopi. Et ex hoc datur iudicium de alia limitatione, scilicet quod facultas Episcopo intelligitur data cumulatiuè, non priuatiue à superioribus Regularibus. Ita ex Zanardo Donatus *p. 2. tr. 3. q. 37.* Bordon. *de resol. 7. num. 61.* Vazquez *tom. 2. cons. 465.* Pasqual. ad Lauret. de Franc. *p. 1. num. 117.* Nam iurisdictio semper censetur concessa cumulatiue respectu iudicis Ordinarij *Bart. in l. 1. num. 3. C. de off.* Præf. Vrb. Bal. *in l. vn. §. vbi autem num. 6. C. de caduc. tollen. dec. cons. 3. num. 3.* Ancar. *cons. 164. num 5.* Ruin. *cons. 7. num. 5. lib. 4.* Surd. *cons. 56. num. 19.* Ludouis. *dec. 4. num. 9.* Quæ limitatio esset indubitate vera, si intelligeremus Concilium dedisse Episcopo facultatem puniendi Regulares extra claustra degentes etiam extra visitationem, vel etiam vbi à suis superioribus possunt, & solent saltem singulis annis visitari, sed his positis limitationibus non habet locum hæc alia limitatio, quia non habet locum Episcopi visitatio, vbi Regulares à suis Prælatis visitantur, & corriguntur, & facultas Episcopi extra visitationem non se extendit. Nec valet dicere, quod benè potest esse, quod Religiosus simul subdatur duobus superioribus à quibus corrigatur, quia cum hoc exorbitet à iure communi, & sit res durior, & simus in casu legis limitantis exemptionem Regularium, non habet locum talis intellectus, cum expresse id Concilium non decreuerit, & in hoc strictè intelligi debeat, sic nec habet locum alia limitatio, scilicet quod si contingat Religiosum Prælatum procurare, vt reducat ad claustra fugitiuum suum degentem extra Claustra, non comprehendatur sub d. decreto *cap. 3. sess. 6.* Ita Barbosa *de off. Episc. all. 105. num. 16.* Campanil. *d. rub. 12. cap. 13. nu. 32.* Peyr. *t. 3. cap. 2. num. 17.* sed & hæc limitatio, quæ alias vera esset, fere non est necessaria, nisi quia vbi adsit casus visitationis Episcopi, benè poterit Episcopus de præteritis punire Regularem, qui degens extra claustra deliquit, non tamen poterit impedire quin ad claustra reuocetur. Nam & expresse in decreto de Apostatis sic præcipitur. Episcopis vt fugitiuos tradant superioribus puniendos, quod tamen eis permittitur vti facultate tradita *sess. 6. cap. 3.* Concil. Trid. Benè locum habet alia limitatio, nimirum quod in casibus supradictis in quibus religiosi degentes extra claustra puniri possunt ab Ordinario; id nequit fieri per censuras, vt tradunt Sanchez *de matr. l. 7. d. 33. n. 22. & 23. & in præcepta Decalog. l. 6. cap. 1. num. 14.* Miránd. *t. 2. q. 15. a. 11.* Portel. *v. Episc. num. 5. in addit.* Rodr. *sum. t. 3. c. 105. num. 2. in addit.* Villal. *sum. tr. 35. dif. 5. num. 17. §. 2.* Hier. Rodriq. *in Compend. q. regul. resol. 62. de exrom. num. 7.* Barbosa *ad cap. 3. sess. 6.* Concil. Trid. *num. 7.* Episcopus enim non potest per censuras punire eos, qui priuilegium habent, vt non possint excommunicari, vel censuris subijci.

496. Nihilominus tamen vniuersaliter contra religiosos extra claustra cum scandalo delinquentes possunt Episcopi aliqualiter procedere iuxta decretum Concil. Trid *sess. 25. cap. 14. de regularibus*, ibi. *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, vt populo scandalo sit. Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuere puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo superiore priuetur, vt delinquens ab Episcopo puniri possit.* Circa quod decretum plura etiam sunt consideranda.

497. Nam primo delictum debet esse commissum extra claustra, ibi extra claustra deliquerit. Vnde si religiosus delinquat intra claustra, licet delictum extra claustra innotescat cum scandalo, Episcopus non habet ius instandi, vt talis religiosus puniatur ex vi huius decreti, vt tradunt Cocher. *de conseruat. p. 2. q. 102. a. n. 5.* Peyr. *in formul. Regul. lit. P. c. 7. num. 3.* Barbosa ad cap. 14. *sess.* 25.

25.Concil. Trident. Reuerendiss. Fagnan. ad *cap. Quod super his, de maior. & obed.num.* 22.Pax Iordan.*t.2. l.7.t.1.n.*128.

498. Sed non ex quolibet delicto commisso à regularibus extra Claustra oritur in Episcopo iurisdictio, sed solum si religiosus cum scandalo populi notorie delinquat, ibi, *& extra Claustra ita notorie deliquerit, vt populo scandalo sit*. Hic vero primò dubitatur, an hæc qualitas delicti ita notorij, vt populo scandalo sit, debeat probari ad effectum, vt Episcopus punire valeat delinquentem, vel sufficiat illam allegare. Non esse necessario probandam tenuerat Lauret. de Franchis ad *constit. Clem.* 8. *suscepti muneris*, q.5. Aloys. Riccius *in praxi resol.* 546. quoniam quando ex certa qualitate fundatur iurisdictio sufficit illam allegare, licet negetur per aduersarium, dummodo de falsitate non constet euidenter, quæ qualitas etiā si vera non sit, nō excluditur iurisdictio per text. *in leg. cum quadā, §. quoties, ff. de iurisd.* Sed oppositum omninò est tenendū, quoniam cū iurisdictio concedatur solū ex supposita qualitate delicti & ideo fundetur super præsupposito qualificato, si qualitas delicti nō adsit, cessante fundamēto ruit iurisdictio, & si delicti qualitas sit dubia, est dubia iurisdictio. Ideo vbi qualitas fundat iurisdictionē quod qualitas sit summariè probanda, vt prius de ea constet, prout Menoch. *de arbit. Concl.*1045. allegans pro hac sententia pluSquā quinquaginta DD. Card. Tuscus *l.q.concl.*18. Rota *tom.*3. Nouissimarum *decis.*4. *nu.*30. Et quod iustificatio qualitatis statutæ à lege sit necessaria agenti ex lege, & statuto docuit eadem Rota *p.*4. *recentiorum decis.*603. *num.*1. ex Bartolo; Felino, Surd. Io. And. Bol. & Claro. Et præterea iurisdictio, quæ conuenit alicui ex criminis qualitate, non conuenit ei absolutè, sed sub conditione talis qualitatis, vnde si deficit qualitas deficit iurisdictio, & si qualitas est dubia, est dubia iurisdictio, Ideo quando iurisdictio conceditur sub conditione debere prius purificari conditionem aduerterunt Glossa in *Clem.* 1. *v. reperiertur, de offic. Deleg.* Card. *in Clem.* 1. *num.*18. *de concess. preb.* Anch. *cons.*36. *num.*4. Dec. *cons.*603. *nu.*9. Gozad. *cons.*2. *num.*16. Rota coram Felin. Greg. XV. *dec.*2. *num.*3. Et quod vbi iurisdictio est concessa sub conditione, si non doceatur de implemento conditionis perinde esse, ac si nulla esset concessa iurisdictio, vt docet Rota *tom.*2. Nouissimarum *decis.*173. post eandem Rotam coram Verul. *t.*50. *num.*2. p.1. coram Seraph. *d.*655. *num.*1. & sequent. coram Mant. *dec.*343. *num.*1. & coram san. me. Greg. XV. *decis.*378. *num.*1. Vnde si Regulares intra claustra degentes non ita notorie delinquant, vt sint scandalo populo, non possunt Ordinarij ex vi solius decreti Conc. Trident. procedere contra illos, vel instare, vt puniantur, & vt hoc faciant debet saltem summariè constare Episcopis notorietas ista, vt tradunt Ferr. *qq. mor. p.*2. *q.* 110. Lezana *tom.*1. *c.*16. *n.*27. Pasqual. ad Franc. *n.*122. *&* 123. Bordon. *resol.*7. *q.*9. Donatus *p.*2. *tr.*11. *q.*48. Aliter Iudex secularis posset punire Clericum foren. à se captum, & putatum secularem, nullo modo probato, an captus sit clericus, vel non clericus.

499. Dato vero delicto notorio, & scandalum inducente, non propter hoc Episcopi possunt procedere contra regulares, vt eos puniant, sed debent instare vt à superioribus puniantur. ibi. *Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuere puniantur*. Cum vero aliqui voluerint non sufficere, vt Episcopus semel moneat, seu instet pro punitione Religiosi, merito hoc reijcitur, sufficit enim quod Episcopus semel instet, & ita declaratum fuisse à Sac. Cong. Concilij refert Barbosa ad *cap. final. de statu Monachorum, num.*8. Econtra tamen per se loquēdo non posse Episcopum ex vi solius decreti Concil. Triden. facere capere religiosum sic notoriè delinquentem, & ducere illum ad suos carceres, Quia Concilium solum decernit, vt Religiosus sic notoriè delinquens instante Episcopo intra terminum ab Episcopo statutum puniatur, & sic Episcopum posse instare, vt similis Religiosus puniatur, nō vero possit illū carcerari tradūt Notat. *in lucerna regal. v. delinquent, n.*6. Peryn. *ad Const.*2. Sixti IV. *n.* 63. Cespedes *de exempt. Regul. c.* 25. *dub.*238. Pasqual. ad Lauret. de Franch. *n.*18.

500. Sed interrogabit aliquis vnde ergo fundata sit praxis Episcoporum, qui Religiosos extra claustra etiam occultè, & sine scandalo populi delinquentes per suos ministros capiunt, & ad proprias carceres ducunt, & contra eos informationes sumunt, & postea captum cum copia actorum remittunt ad superiorem, & non nisi post aliquos dies. De qua praxi testatur Lauret. de Franchis, ad bullam *Clem.* 8. *suscepti muneris* Genuen. in praxi Neap *cap.* 59. *num.*3. Bellet. *de par. Cler.* §.24. *num.*311. vbi quod sic vidit obseruari in Archiep. Mediol. & Bonon. vbi fuit Vicarius Generalis Archiep. In hac vero praxi plura consideranda sunt: nimirum captura Regularium, secundò captura etiam pro delicto non notorio. tertiò retentio eorumdem, & quartò informatio de delicto.

501. Incipiendo vero ab hoc vltimo, iustificatur hæc praxis, quia cū Episcopus possit instare pro punitione Religiosi delinquentis extra claustra, ex hoc habet ius sumendi informationes, ex quibus delictum constare possit. Tum quia Episcopo incumbit, vt saltem summariè constet de notorietate delicti & scandalo populi. Tum quia instantia, quæ competit Episcopo non est instantia accusatoris, vel actoris; sed superioris ad quem præcipuè ex officio spectat scandala prohibere. Ideo Episcopi est per modum superioris facere constare de delicto, et eius notorietate, quod facere non potest nisi sumendo informationes, & processum fabricando. Ideo hanc partem declarauit S. Congr. Concilij, prout refert Barbosa *de off. Episc. alleg.*105. *num.*20. affirmans se vidisse declarationem authenticam in hac forma. *Cum cap.*14. *de Regular. sess.*25. *det normam Episcopo procedendi in castigando delicta regularium, qui degunt intra claustra, & extra ea notorie cum scandalo delinquunt, dubitatur an Episcopus statim habita notitia delicti possit capere informationem, & illam ad superiorem regularis mittere, vt nequeat de eorum delicto ignorantiam prætendere. Congregatio, respondit posse.* Et propterea hanc partem tenēt Piasecchan praxi *p.*2. *c.*3. *n.* 43. Ferrer. *qq. mor. p.*2. *q.*110 *n.*11. Vulp. in praxi *iud. c.*42. *num.*13. Barbosa *de off. Episc. alleg.*105. *num.* 20. Sperell. *decis.*38. *num.*13.

num.13. Ciarlio, Controv. for. cap. 50. Bellet. vbi supra.

502. Verum hic attendendum, quod aliud est sumere informationem summariam facti aliud eli reum ipsum constituere, & examinare. Primum enim possunt Episcopi, & hoc est, quod illi concedit S. Congregatio. Possunt enim informare de facto, tum vt superior regularis non possit prætendere ignorantiam, tum vt instantia eiusdem Episcopi sit iuridica, & firma, & non possit à superiore regulari reijci, vel contemni, & non attendi. Sed non posse Religiosum constituere iudicialiter, nec contra illum procedere nisi instando; quia Religiosus Episcopo non est subiectus, nec Concilium dat Episcopo facultatem puniendi huiusmodi delinquentes nisi in casu, quod eo instante in termino legitimè præfixo nō fuerint puniti à superioribus regularibus. Nec Sac. Congregatio admittit praxim contrariam, nō enim permittit Episcopos constituere, & examinare religiosos hoc modo delinquentes. Ideo Episcopum non posse in hoc casu formare processum iuridicum contra Religiosum delinquentem docuerunt Hier. Rodriq. *in comp. resol.* 62. *num.* 8. Diana 3. *p. tr.* .. *resol.* 132. Bordon. *resol.* 7. q. 10. Peyr. *in addit. ad Const.* 4. Sixti IV. *cap.* 2. *num.* 3 t. Alphons. de Lion *de cons. recollect.* 2. *nu.* 495. *p.* 134. Sanchez *l.* 2. *opus.* c. 9. *d. t. n.* 30. Donatus *p.* 2. *tr.* 13. *q.* 53. *nu.* 8. Aldrete, *lib.* 1. *de discip. relig. cap.* 3. *n.* 39. Nec oppositum sentiant DD. supra citati affirmantes Episcopum posse sumere informationes super delicto Religiosi delinquentis extra Claustra, loquuntur enim de informationibus facti, & delicti, quas Episcopi possunt accipere, & sumere examinando suos subditos nedum in vim prædicti cap. Conc. Triden. per consequentiam iam dictam. Sed ex propria authoritate, & quatenus hoc in vtilitatem suæ plebis cedere potest: quod & facere possent Iudices sæculares, vt hoc modo pro eorum interesse instare possent apud superiores Regularium, vt scandalis occurreretur.

503. An vero Episcopi Regulares intra claustra degentes, sed extra notoriè & cum scandalo delinquentes capere possint. Hoc primo est certum, quod vbi sit periculum de fuga eos capere possunt. Quoniam eorum est procurare, vt puniantur, imo & eos punire, si superiores fuerint negligentes in eosdem puniendo; igitur eorumdem est assecurare, & ponere reos in loco vnde quo fugere non possint iudicium, & pœnam, si fugæ periculum adsit. Et ita pro hac parte sunt Felio. *cap. fin. num.* 7. *de foro compet.* Card. *in Clem.* 1. q. 3. *de usf. ordin.* Nauar. *in sum. c.* 17. *n.* 85. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 25 *num.* 7. Flamin. *de resign. l.* 3. *q.* 11. Ceucd. *p.* 4. *q.* 52. Pyrr. *ad Const.* 2. Sixti Quarti, *num.* 64. Hier. Rodriq. *in compend. resol.* 63. *num.* 19. Villalobos *t.* 3. *tract.* 35. *diff.* 5 *nu.* 3. Bordon. *resol.* 7. q. 10. Lezana *tom* 1. *c.* 16. *num.* 26. & *t.* 3. *v. Delinquens n.* 2. Donatus *d. t* r. 13. *q.* 53. *n.* 5. Et habet hoc cum leue fundamentum *in c. Si Clericus de sentent. excom. in* 6. Et in Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.* De quo videri potest Rota *in Cunch. Iurisd.* 3. Maij 1617. coram Card. Sacratio. Et in *Calciatea. Iurisd.* 21. Iunij 1681. coram Rembold. Donat. *p.* 2. *t.* 13. *q.* 53. *num.* 5.

504. Sed vbi non sit fugæ periculum Episcopum non posse carcerare Regularem exemptum tenent Cened. *p.* 4 *q.* 52. *num.* 3. *per l generali, ibi, si præsid. rupin desit C. de decur. l.* 10. & *Clem.* 5 *ne nulli de excess. Prel.* Rodriq. *c.* 2. *q.* 63. *a.* 7. Natt. *cons.* 157 *nu.* 7. Camil. Borrel ad Bellug. *rub.* 11. *§. videndum* i. F. Hier. Rodriq. Villalob. Bord. Lezana, Donatus supra citati Fuscus *de Visit. l.* 2. *c.* 8. *n.* 8. Antonel. *de regim. Eccles. Ep. l.* 1. *c.* 18. *num.* 5. Barbosa *de off. Ep. alleg.* 105. *num.* 64. Quoniam nec Conc. Trid. nec Clem. VIII. in Const. *suscepti numeris* hoc illis permittit imo Cong. Conc. apud Pasqual. ad Franc. *num.* 120. declarauit: Episcopos non posse delinquentes huiusmodi carcerare, vel procesfare.

505. Duo vero hoc consideranda sunt. Primum est, quod non debet in hoc attendi sola fuga materialis ipsius rei notoriè delinquentis, sed & fuga à iudicio, & pœna; parum enim interest, quod reus maneat in loco vbi delinquit, si manendo fugere possit iudicium, & sic agere, vt delictum probari non possit, nisi per capturam assecuretur iudicium, & delicti veritas, & probatio. Tunc propterea fugæ periculum adesse dicendum est, cum adest periculum, vt reus eludat iudicium, & punitionem fugiat sibi iustè debitam, nisi per eius capturam iustitiæ iudicij à periculo liberetur. Potest enim de facili contingere, vt reus muneribus, minis, fauoribus testes corrumpat, vel discedere faciat, vel alio modo veritatis notitiam impediat. Ideo Episcopi quorum interest, vt scandala puniantur, & ex Concil. Tridéut. habent, vt insistent pro eorumdem iusta punitione, vbi sit periculum nedum materialis fugæ ipsius delinquentis, sed fugæ formalioris, quæ est à iudicio, vbi scilicet sit periculum, vt reus eludat iudicium, & non possit iustè puniri nisi capiatur, possunt pro assecuranda iusta punitione reum capere. Verum cum facultas data Episcopis sit respectu delicti notorij, benè aduertit Peir. *ad const.* 2. Sixti Quarti, *num.* 64. Quod non deerunt testes, qui deponant pro iustitia, cum præcipuè, & ministris Curiæ magna fides præstetur in istis, vnde raro potest esse casus, vt timeatur de hac fuga à iudicio, si non timetur fuga personæ. Considerandum est secundò, quod vt dicitur infra specialis ratio est capiendi huiusmodi delinquentes, quando reperiuntur in fragranti. Cæterum, vbi non reperiuntur in fragranti, non possunt Regulares capi iussu Episcoporum, vt bene citatis DD. tradiderunt, cuius ratio est manifesta, quia Episcopi non habeant iurisdictionem in exemptos licet in huiusmodi casibus possint instare, vt puniantur. Regulares vero, qui non sunt fugitiui dum sunt in Claustro iam sunt carcerati, & à superiore strictiori carcere possunt sine difficultate detineri. Quod sit esse praxim, vt Episcopi capere faciant huiusmodi Regulares delinquentes dixerunt, Genuen in praxi Archiep. Neap. c. 59. *num.* 3. Io. Bap. Ciarlin. *contrau. for. c.* 50. Vgol. *de off. Epis. p.* 1. *c.* 20. *§.* 8. *num.* 2. Pistec. in *praxi p.* 2. *c.* 3. *num.* 43. Ricc. *p.* 4. *d.* 202. *num.* 6. Nou. *p.* 1. *Bull. tit. de regul. delinq. n.* 9. Considerandum est tertiò, quod Doctori de consuetudine testimonium ferenti minimè est credendum habetur ex regula Rotæ *recent.* quæ regula tunc maximè procedit, quando consuetudo est de illa, quæ non

non potuerunt cadere sub experientia eorum, qui de consuetudine testimonium ferunt, sicuti est ista. Potuerunt enim illi DD. habuisse experimentum eius, quod fit in vna vel altera diœcesi, non verò de eo, quod fiat, vel in omnibus, vel in maiori parte, vel in parte magna Diœcesum mundi. Et additur quod consuetudo, quam viderunt pro quanto sit legitima fuit fundata in periculo fugæ, vel iure capiendi delinquentem in fragranti delicto inuentum. Nam alias hoc est certum, quod Concilium non dat illis facultatem huius capturæ nec expressè, vt patet, nec implicitè, aut consecutiuè, quia vbi nullum sit periculum fugæ vel impedimenti iustitiæ, nulla est huius capturæ necessitas ex parte Ordinarij, vnde non intrat regula illa, quod qui dat facultatem ad aliquid, dat facultatem ad ea, quæ sunt ad illud necessaria, & sine quibus illud non potest consequi. Quia nihilominus periculum fugæ, vel impedimenti iustitiæ ex communiter accidentibus videtur vt in pluribus coniunctum huiusmodi delinquentibus notoriè, & cum scãdalo, propterea super hoc potuit fundari dicta consuetudo, Et Nicolius *lib.1. tit.19. de off. deleg. num.9. §.5.* refert *S. Cong. Concil.* censuisse in vna Mediolanen. Religiosos notoriè cum scandalo extra claustra delinquentes posse à ministris Ordinarij in carcerem conijci, remittendos tamen esse statim absque eo, quod processus conficiatur ad superiores suos Regulares, cum probationibus, quascumque habuerint. Et nihilominus, vt bene aduertit Pax Iordan. Episc. Tragurien. *l.7. tit.14. num.132.* Cautè in hoc est procedendum, nam dum timetur fugæ periculum, multoties oritur scandalum non ex Regulari delinquente, sed ab Ordinario publicè illum capere faciente; vnde publicatur delictum, & scandalum oritur. Et semper tamen attendi debet, quod Episcopi per se, & directè non possunt carcerare religiosum exemptum, sed solum per accidens propter periculum fugæ, vel impedimenti iustitiæ, quo cessante si manus iniiciant per suos ministros in regulares exemptos, & peccant, & sunt excommunicati per Canonem *si quis suadente diabolo 17. q.4.* vt tradunt Henriq. *l.7. de Indulg. c.25. num.7.* A Sorbo in *Comp. v. Conuentu.* Fuscus *de visit. l.1. c.10. n.20.* Nauar. *cap.27. nu.79.* Peyrin. *ad Const.1.* Sixti Quarti *n.62.* Pax Iordan. *d. nu.132.*

506. Sed maior difficultas videtur esse circa alteram partem istius praxis, quæ respicit occultè delinquentes, quales regulariter sunt incontinentes Religiosi ad domos meretricum accedẽtes. Nam huiusmodi crimen rarius est notorium, & tale, vt sit populo scandalum, quia huiusmodi dum domos meretricum intrant caute id faciunt, & ita vt vel à nullo, vel ab vno, vel altero solum videantur, ac propterea nec delictum huiusmodi est notorium, nec aptum vt scandalizet populum. Imò captura horum est, quæ & delictum notorium facit, & grauissimè populum scandalizat, si publicè Religiosus delinquens simul cũ muliercula ad carceres ducitur. In hoc tamen casu duo distingui debent, scilicet captura ipsa, & ius instandi, vt puniatur reus, vel eum puniendi in casu negligentiæ superioris. Nam si consideretur captura Religiosi sic in fragranti crimine in domo meretricis inuenti, hæc iustificari potest ex doctrina, quam tradit Panorm. *in cap. fin. num.11. de foro competen.* quod in maioribus criminibus vbi timetur de fuga possit Ordinarius loci tales delinquentes carceri mancipare, & ad superiorem remittere *arg. opt. in Authen. d. defens. Ciu. §. Audientia*, vbi defensor Ciuitatis, qui non iudicat de maioribus criminibus, potest pro talibus criminibus capere, & ad superiorem remittere. Et facit quod notat Innoc. *in cap. Vt famæ de sent. excomm.* Nam & hoc videtur licitum personæ læsæ, si timet de fuga, vt innuit gloss. *in nullus, C. de Iud.* Ideo vbi adest fugæ periculum, nec potest expectari auctoritas superioris exemptorũ Episcopus deuenire potest ad capturam delinquentium, & eos premittere ad suum Superiorem. Card. *in Clem.1. q.1. de off. ordin.* Felin. *in cap. fin. num.7. de foro compet.* Cocher. *de iurisd. Ordin. in exemptos p.2. q.35. num.10. & p.4. q.52. num.3.* Barbos. *alleg.105. num.64.* Pax Iordan. *l.7. tit.14. n.135.* Ideo quod vbi sit periculum fugæ etiam secularis iudex Ecclesiastico iudice non existente, qui id præstare valeat, possit Ecclesiasticos in fragranti crimine inuentos capere, & ad suos Superiores statim remittere ab eis puniendos, dicit Guido papa *q.73.* & ea co notat Peyr. *ad Const.1.* Sixti Quarti *num. 66.* & est omnium Curiarum praxis. Nam & hoc pertinet ad reipublicæ bonum, vt Ecclesiastici non sint scandalum populo, & iustitiam non violent. Et iurisdictio temporalis in hoc famulatur Ecclesiasticæ. Vnde multo magis Episcopi possunt Religiosos in fragranti crimine inuentos capere, & statim ad suos superiores reducere.

507. Sed vbi delictum Religiosi non est notorium, ita vt sit in scandalum Populo si aliquis Episcopus prætendat ius instandi Superioribus pro punitione delinquentium, & delinquentes puniendi in casu negligentiæ superiorum Regularium, vnde id colligat, non video. Quia Concil. Trident. solum concedit Episcopis hanc iurisdictionem si Religiosi delinquant notoriè, ita vt sint populo scandalũ, sic enim & decretum Concilij non habere locum, quando Religiosus delinquit extra Claustra sine scandalo, licet delictum probari possit, declaratum fuisse à S. Cong. Concilij refert Nicolius *lib.1. tit.29. de off. de leg. nu.9. §.5.* Sed neque video esse praxim Episcoporum, vt in his casibus vtantur facultate Conc. Triden. *sess.25. cap.14.* Quamuis enim non desint ex Episcopis aliqui, qui hoc faciunt, tamen multi alij huiusmodi delinquentes à birruarijs repertos, & secretò ducunt, & statim ad superiores remittunt nulla iuridica instantia facta. Et licet Lauretus de Franchis, Marcus Antonius Genuensis, Ciarlinus, & alij aliqui asserant huiusmodi delinquentes esse capiendos, nec remittendos nisi capta informatione, & cum instantia, & termino præfixo ad puniendum. Textum tamen vbi hoc definiatur, & detur Episcopis huiusmodi facultas non possunt adducere ideo eorum sententiæ non est standum. Quia in vi Conc. Trid. *sess.25. c.14. & Clem.8. in Const. suscepti muneris, &c.* Solũ tribuitur eis iurisdictio ista in solo casu delicti notorij; vt aduertit Reuerendiss. Fagnanus *ad c. Turbarum num.42. de priuileg.* Bellet. *de pen. Cler. §.34.*

num.

num. 30. Et quia regulariter delictum incontinentiæ, & alia huiusmodi delicta non sicut notoria, non intrant eorum iurisdictio. Et superiores Regulares non tenentur, vel eorum instantiam recipere, vel præfixum ab eis terminum seruare, vel eos de subditi punitione certiores reddere, & contra eorum vim in hoc possunt se deffendere.

408. Et ita quantum ad detentionem carceratorum huiusmodi in carceribus Episcoporum, dicendum est, quod Religiosi capti in fragranti crimine non notorio, nec possunt duci ad carceres Episcoporum, nec in eis retineri, nisi sicut & posset laicus iudex ex ea ratione, quod Ordinarius loci delicti clericos exemptos in graui crimine in fragranti repertos potest capere, & ad suos Superiores remittere, vbi sit timor fugæ. Ideo statim ad suos Superiores debent huiusmodi capti remitti; quia respectu eorum Episcopi iurisdictionem non habent nec ex cap. 14. sess. 25. Concil. Trident. nec aliunde: si vero Religiosi sint capti pro crimine notorio, quod licere, si adsit periculum fugæ dictum fuit, tunc praxis Episcoporum sustineri potest, si ad diem, vel ad summum ad duos dies Religiosum detineant. Nam religiosos huiusmodi statim esse remittendos declarauitSac. Cong. Con. Trident. prout referunt Donatus p. 5. tr. 13. q. 18. n. 7. Palqual. ad Franc. n. 150. *Quando inquit, extra Claustra Regularis delinquit notoriè, dubitatum fuit, an retinendus sit in carceribus Episcopi, donec processus in curia Episcopali formetur, eoque compilato instante Superiore remittendus sit vna cum processu puniendus: an potius non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem, vna cum his probationibus, quæ habentur. Congregatio respondit statim remittendum esse etiam posito, quod Superior nullam instantiam faceret.* In hac vero declaratione supponitur Religiosum captum esse, quod quidem quādo & qualiter possit fieri ex supradictis constat; quæritur enim & dubitatur, non an sit capiendus, sed an sit detinendus Religiosus captus; admittitur etiam in hac declaratione aliqua facti informatio, & probatio facta per Episcopum; quia deciditur remittendus Religiosus captus vna cum probationibus, quæ habentur. Sed negatur eum detineri posse pro compilando processu, sed statim captum remittendum esse, etiam non instante superiore. Et quia detentio in carceribus Episcopatus non est omninò necessaria etiam ad sumendas informationes; dummodo enim reus sit captus, non poterit testes indocere ad eludendum iudicium; ideo Episcopi statim remittere debent huiusmodi Religiosos non permissa eis maiori mora pro capiendis informationibus, quam illa, quam compatitur aduerbium statim, vnde vel eodem die, vel altero remitti debet, nimirum ad summum intra duos dies, vt tradunt Sperell. d. 38. n. 13. & 14. Vulp. in prax. c. 42. num. 23. Barbos. de off. Episc. alleg. 105. Antonel. de regim. Eccles. Episc. l. 7. c. 18. num. 4. Genuens. in praxi c. 59. num. 3. Ciarlin. Controu. for. cap. 50. Bellet. de pœnis Cler. §. 34. numer. 30. Quamuis Paz Iordan. l. 7. tit. 14. num. 134. aduertat quod dictio statim intelligenda ciuili modo importet celeritatem bono viro arbitrariam. Quod si Episcopus etiam Superiore non instante Religiosum huiusmodi reum amplius detineat, eum non vitare excommunicationem ex eo quod detineat carceratum in casibus nō permissis tenent Barbosa, & Anton. locatis ex Gloss. in Clem. vnic. v. sapiant. de excess. Prælat. Quod idem de Episcopo differente sumere informationem docent, Marcellus, Vulpes in praxi c. 42. nu. 23. Genuens. in praxi c. 59. Nouar. lucerna regal. v. delinquens nu. 7. quos sequitur Donatus p. 2. tr. 13. q. 18. n. 7.

509. Sed quid dicendum, si superior localis sit ille, qui extra claustrum delinquens notoriè est captus per ministros Episcopi, & ad carceres Episcopales ductus? Io. Baptista Ciarlinus in controu. for. cap. 50. num. 12. putat hunc detinendum in carceribus Episcopi donec admoneatur Prouincialis, & ise scribat, cui captus sit consignādus. Quia Superiores sunt Prior, seu Guardianus, Prouincialis, & Generalis, Religiosus vero captus Superiori reddi debet, si verò superior localis sit ipse reus, sibi restitui non debet, nec potest, Prouinciali igitur consignari debebit. Verum non rectè discurrit Ciarlinus, nec in hoc est sequendus, vt bene tradit Donatus p. 2. tr. 13. q. 54. nu. 3. Dum enim detinebitur iste superior in carceribus Episcopi Monasterium erit ne sine capite & superiore, qui reum custodire possit? Minimè quidem. Ideo falsum est, quod soli Priores, vel Guardiani, vel similes sint superiores locales, sed dantur superiores locales, cum facultate opportuna, qui sunt tales in absentia Prioris, aut ordinarij superioris; In hoc ergo casu, censendus est Prior, vel superior ordinarius, ac si esset absens à Conuentu, quia est reus carceratus, & tradendus est Religioni custodiendus per superiorem Monasterij, & puniendus iuxta regularia statuta assignato tempore conuenienti. Et si superior localis ordinarius esset absens, non posset Episcopus Religiosum captum detinere donec ille superior rediret, quia ad ipsum non pertinet, nec reum iudicare, nec illum custodire, sed eum remittere debet ad illum, qui pro tunc est superior localis, quocumque nomine vocetur, & qualiscumque sit qui Religiosum custodiet puniendum iuxta Ordinis statuta, vel per se ipsum, vel per alium superiorem prout regula petit.

510. An autem Religiosus delinquens in Ecclesia sui Monasterij notoriè censeatur delinquere notoriè extra Claustra fuit olim dubitatum, sed hodie propter declarationem S. Congregationis quam referunt Barbos. de off. Episc. alleg. 105. n. 20. Lucerna regul. v. delinquens n. 9. Donatus p. 2. t. 13. q. 56. Nicolius l. p. tit. 29. num. 9 §. 5. de off. deleg. & alij res pro certa habetur. Hæc enim est declaratio S. Coug. *Sacra Congr. respondit facultatem Episcopo attributam in regulares notoriè cum scandalo extra Claustra delinquentes vendicare sibi locum etiam cum regulares notoriè, & cum scandalo intra Ecclesiam delinquunt, non ita si intra Claustra.* Et istam hanc partem tenent, Barbosa, Lucerna regul. & Donatus citati, Bordon. resol. 7. q. 10. & tom. 2. resol. 68. num. 8. Cokier de controu. Eccles. p. 2. q. 103. num. 5. Peyrin. in formul. l. P. c. 7. num. 3. Tambur. c. 3. d. 5. q. 11. num. 61. Putat vero Bordon. hoc non valere vbi Ecclesia sit intra claustra sicuti sunt Ecclesiæ Carthosianorum, & vna sui Ordinis in

Ciuitate Comi. Quia quidquid continetur intra clausuram dicitur esse intra Claustra. Sed hæc ratio non militat; quia omnis Ecclesia Regularium est intra clausuram Monasteriorum. Et nihilominùs ad effectum de quo loquimur Ecclesia censetur extra Claustra, quia est locus publicus, & communis tam Religiosis, quam secularibus, vnde vbicumque Ecclesia sit, si sit Ecclesia communis ad quá accedant seculares cēsetur in hac parte esse extra claustrum Religiosorum, Sed tamen non omne delictum commissum à Religiosis in Ecclesia, sed solum delictum notorium secularibus. Et ideo cum scandalo secularium. Vnde si vel dum Ecclesia est clausa, vel dum in Ecclesia non sint seculares in eo numero, qui sufficiat ad notorium, & ad scandalum populi Religiosus in Ecclesia delinquat, non habet locum hæc S. Cong. declaratio, quæ delictum notorium, & cum scandalo supponit.

511. Hinc non habere in præsenti locum argumentum à paritate rationis, ita vt si contingat delictum intra claustra commissum extra publicari cum scandalo, tunc ratione scandali publici possit Episc. instare pro punitione delicti bene deducunt Cespedes *de exempt. Regul. d.* 237. *num.* 2. Donatus *p.* 2. *tr.* 13. *q.* 56. *num.* 6. Nam dicta declaratio expressè id excludit. Nec adest paritas rationis; quia duo requirit Concilium scilicet quod delictum sit commissum extra claustra, & quod sit notorium cum scandalo. In delinquente verò in Ecclesia præsentibus secularibus vtrumque inuenitur. Quia Ecclesia quæ est locus etiam secularium iure censetur locus extra claustra, sed vbi intra claustra, quæ non sunt locus secularium delinquitur, hoc delictum nullo modo potest dici commissum extra claustra, & ideo ex hoc nulla Episcopo acquiritur iurisdictio.

512. Supposito igitur delicto notorio, & cum scandalo commisso extra claustra à Religioso degente intra claustra partes Episcopi sunt instare apud superiorem Regularem, vt Religiosus puniatur, & assignare illi terminum ad id præstandum. Hunc terminum debere esse 20. aut 30. dierum voluit Sperell. *decis.* 58. Sed hoc arbitrarium esse bene aduertit Donatus *p.* 2. *tr.* 13. *q.* 57. ideo cauere debet Prælatus ne assignet breuiorem terminum. Afflict. *dec.* 134. quia iuste Religiosi à præfixione breuis termini appellare possunt ad iudicem competentem. Nouar. *p. p. sum. Bullar. tit. de Regular. delinq. num.* 12. Hanc verò requisitionem Episcopi debere fieri in scriptis per literas quas dicunt requisitorias, quæ præsentari debent Superiori coram testibus, aduerterunt Fulc. *de visit. l.* 1. *cap.* 15. *nu.* 15. Barbosa *d. alleg.* 105. *nu.* 20. Pax. Jordan. *l.* 7. *tit.* 14. *n.* 130.

513. Superior vero Regularis instante Episcopo, & tempus discretum præfigente debet intra tempus præfixum Religiosum punire, & certiorem reddere Episcopum de punitione, iuxta decisionem Sac. Congregationis relatam à Barbosa *de off. Epis. alleg.* 105. *n.* 20. Donato *p.* 2. *tr.* 13. *q.* 60. Lucerna *regul. v. delinquens num.* 9. quæ talis est. *Congregatio respondit non sufficere, vt superior Regularis sententiam, aut etiam acta ad Episcopum transmittat: sed opus est, vt de punitione ipsa & sententiæ executione Episcopum certiorem faciat.*

Non ergo sola acta aut sententia remitti debent, sed de punitione, & sententiæ executione doceri debet Episcopus, vt sciat deficere in se ipso iurisdictionem puniendi Religiosum. Tradūt vero Peyr. *in for. c.* 7. & Donatus citatus formam monendi Episcopum, quæ tamen, poterit non sufficere, quia ex præfata declaratione etiam acta, & sententia est transmittenda, vt Episcopus videre possit, an reus fuerit iuxta allegata, & probata seuerè punitus, & fuerit satisfactum Concilio.

514. Sed si superior Regularis intra terminum præfixum non puniat subditum poterit ne purgare moram? Negant Nouar. 1. *p. Bullar. tit. de regul. delinq. num* 15. & Donatus *p.* 2. *t.* 13. *q.* 59. Quia terminus præfixus currit de momento ad momentum, quia termino elapso ius deuoluitur ad Ordinarium. Iusta *decis.* Vaiij 531. & Verall. *c.* 2. *d.* 232. Verum aduertendum est non esse in mora, qui facit, quod in se est, vt habetur ex ea *decis.* Verall. ideo si Prælatus Regularis non sit negligens, sed aliunde ex facti qualitate, vel accidentibus non possit complere processum, & religiosum punire, non erit in mora, nec per hoc resoluetur ius puniendi Religiosum in Episcopum. Terminus enim superiori præfigitur ad vitandam eius negligentiam, non ad auferendam illi suam iurisdictionem si faciat, quod in se est.

515. Quæri etiam hic potest, an superior regularis possit reum punire ex solo processu formato ab Episcopo. Affirmat enim Portell. *v. Punitio Religiosi.* & *p.* 1. *casu* 19. *num.* 2. *p.* 147. dummodo superior reum iterum citet, & audiat, vt per se possit nouam defensionem adducere. Quod Bord. *resol.* 3. *q.* 21. dicit habere locum etiam si processus ex defectu iurisdictionis iudicis non sit iuridicus, dum tamen alias sit formatus secundum ordinem iuris, cum ad Regularem puniendum, nec etiam apices iuris requirantur. Sed oppositum est verum prout tenent Hier. Rodriq. *in compend. resol.* 62. *n.* 8. Peyr. *tom.* 3. *c.* 2. *nu.* 32. Diana 3. *p. tr.* 2. *res.* 13. Donatus *p.* 2. *t.* 13. *q.* 55. Quia processus nullus ad puniendum reum non valet; processus verò contra Regularem formatus ab Episcopo in hoc casu est nullus, cum non possit procedere contra Regularem nisi tunc cum eo instante superior Regularis sit negligens ad puniendum, ideo Episcopus nulliter constituit Religiosum & illi contestat litem, & illum habet, vt reum, ac proinde eius acta, nec probant, nec faciunt Iudicium coram iudice Regulari, sicut nec acta iudicis secularis coram Ecclesiastico. De quo videri possunt scribentes ad *cap. At si Clerici, de iudic.* vbi textus decernit Clericum nulla pœna debere puniri ex confessione facta coram Iudice laico.

516. Distinguendum igitur est, & dicendum, quod processus factus ab Episcopo in hoc casu contra Regularem valet ad instruendum, non verò ad puniendum. Nam dicta testium iuratorum ab Episcopo pro informatione facti, quia sunt iurata coram iudice competente valent, vt superior regularis possit reum constituere, & examinare, nisi reus ipse excipiat contra illos, & velit eos iterum examinari à superiore regulari. Ideo Prælatus regularis antequam vtatur processu tene-

tenebitne interrogare reum, an velit, vt testes examinati coram Episcopo iterum examinentur. Sed cõfessio Religiosi facta coram Episc. iudice incompetente in hoc nihil valet, tanquam non iuridica, sed iniuste extorta. Quod verò ait Donatus, quod reus Religiosus in hoc casu poterit cogi ad perseuerandum in ea confessione, quam fecit coram Episcopo, non est verum. Quia reus potest contra illam mille modis excipere, & se habet illa confessio etiam minus quam extraiudicialis, quia extorta fuit, & reus coram iudice incompetente non sponte loquens, sed citatus, interrogatus et pressus sine timore periurij imò & mendacij æquiuocando potest respondere quidquid sibi vtile est ad fugiendam iniustam vexationem. Et in hoc sibi non præiudicat, sed postea coram legitimo iudice constitutus potest contra confessionem suam iniustè extortam excipere, & si exceptiones rationabiles adducat, non potest cogi ad perseuerandum in ea priori confessione. Ideo quod confessio facta à coacto & inuito coram Iudice incompetente non valeat nedū ad condemnandum, sed quod nec faciat indicium ad torturam probat aliorum reiectis sententijs Panorm. *in cap. At si Clerici, num. 14. de iudic.* Quod probat ex eo textu in quo decernitur Clericum ex confessione facta coram iudice laico nulla pœna esse puniendum; & tamen aliqua puniretur, si ob eam confessionem posset cogi ad torturam. Vbi subdit etiam non esse eandem rationem de confessione ista, & de extraiudiciali, quia in ista ius violatur, & tribuitur materia violandi ius Ecclesiasticum, & vlterius præsumptio est, quod fuerit extorta per metum, quia laici clericis oppido sunt infesti *cap. laici 2. q. 7.* quod late prosequit. *addit. ibi l. B.* Vbi inter alia dicitur, quod semper præsumitur, quod officialis inferat metum *Bald. in l. nouissime, ff. quod à falsus*.

517. Sed quid dicendum, si superior Religiosus punierit subditum sibi ab Episcopo remissum minus quam delictum requirat. Poterit ne tunc Episcopus punire religiosum pœna delicto condigna? Affirmat Nouarus *1. p. tit. de regul. delinquent.* quia ex pœna miniori, & non condigna delicto non fuit satisfactum Conc. Tridentino, ideo Episcopus potest pœnam augere vsque ad condignum. Sed negat Donatus *p. 2. tr. 13. q. 61.* Quia hæc facultas non est tributa Episcopo à Concil. Trident. sed solùm, vt instet pro punitione; ideo Episcopus debet instare coram superiore, vt puniat ad condignum. Sed distinguendum puto, præmisso prius, quod reus huiusmodi non ad libitum Episcopi, sed secundum statuta Religionis, & sacros Canones est puniendus; & vbi pensatis omnibus quantitas pœnæ reddatur arbitraria, potest Iudex Regularis pro sui arbitrio regulato tamen à iure illam taxare: neque enim semper est locus pœnæ ordinariæ à iure taxatæ. Sed vbi iudex regularis iniustè procedat diminuendo notabiliter pœnam omnibus pensatis delicto condignam, vel nondum lapsum est tempus sibi præfixum ab Episcopo ad puniendum Religiosum, & sic nondum est acquisitum ius puniendi ipsi Episcopo non potest ille augere pœnam, sed instare apud superiorem Regularem pro pœnæ condignitate. Sed si terminus puniendi expirauit, & superior iniustè defecit, & reum Religiosum pro meritis non puniuit, iam instantia in Episcopum; quia puniuisse minus quam iustitia exigat, est quoddam non puniuisse intra terminum præfixum, quo posito intrat ius Episcopi. Quia Concilium, & Clemens Octauus statuunt, ut Religiosus huiusmodi à suo superiore seuerè puniatur, vnde præcipitur nedum punitio, sed seueritas punitionis, & subdit Concilium sin minus delinquens ab Episcopo puniri possit. Vnde ius Episcopi intrat si Religiosus non sit seuerè punitus. Verum tamen est, quod inæqualitas punitionis debet mensurari ex allegatis in processu, & debet constare, quod religiosus iniustè non fuerit iuxta allegata seuerè punitus, quia si salua iustitia reus pro arbitrio iudicis erat puniendus, censetur reus seuerè punitus, quando ex iusto iudicis arbitrio fuit punitus. Nec Episcopus habet vnde conquæri possit. Hinc est quod superior Regularis debet Episcopo instante tradere copiam actorum, vt videat Religiosum iuxta acta seuerè punitum fuisse, si in pœnam ordinariam non fuit damnatus.

518. Tandem hic locum habet decretum Clem. VIII. in sua Constit. *suscepti muneris*, data anno 1599. per quam nedum confirmauit decretum Conc. Tridentini, sed alia de nouo statuit. Nam primo superioribus Religiosum subditum intra Claustra degentem; sed extra claustra notoriè, & cum scandalo delinquentem instante Episcopo non punientibus, & decretum Concilij nō seruantibus in omnibus, & per omnia imponit pœnam suæ indignationis, priuationis officiorum, & dignitatum ipso facto. Secundò statuit, vt si Superior regularis Religiosum, vt supra delinquentem extra Diœcesim Episcopi trāsmiserit, teneatur intra terminum ab Episcopo præfixum illum reuocare, & in locum in quo deliquit constituere sub pœnis priuationis officiorum, ac dignitatum ipso facto, & inhabilitatis in posterum, & priuationis vtriusque vocis ipso facto, ad quas non nisi à Pontifice restitui possit. Tertiò statuit, vt si superior Regularis hoc facere prætermiserit, Ordinarius loci in quo delinquens reperitur, vel ad instantiam Ordinarij loci in quo Religiosus deliquit, vel aliunde informatus de delicto tanquam Sedis Apostolicæ delegatus decretum Concilij omninò exequi, & in delinquentem animaduertere possit, ac debeat. Non poterit vero Religiosus contra huiusmodi Episcoporum auctoritatem se tueri priuilegio exemptionis, cum in hoc Episcopi specialem authoritatem habeant à Pontifice, & à Concilio, & sint delegati à Sede Apostolica, Rota coram Seraph. *in vna Salonen. iuris. 14. Decemb. 1596.* Nouar. *p. p. tit. de regul. delinq. n. 16.* Flauius Cherub. *in comp. Bull. schol. in d. Bullam Clem* Donatus *p. 2. tr. 13. q. 64.*

519. Cum verò licet pœnæ latæ, in hac Constit. incurrantur ipso facto, nihilominus ad eas incurrendas requiratur sententia declaratoria criminis per tradita à Sanchez *l. 2. mor. c. 22. nu. 8.* Diana *p. p. tr. 15. seu 3. Miscel. resol. fin.* Ricc. *collec. 103.* & alijs de pluribus, non spectat ad Episcopum

scopum hanc sententiam declaratoriam criminis in superiores Regulares proferre. Non enim eis hæc facultas conceditur, & in Concil. Triden. decreto expresse habetur, quod superior negligens punire Religiosum huiusmodi delinquentem ad instantiam Episcopi à suo superiore officio privetur, & delinquens Religiosus ab Episcopo puniatur.

520. Sic igitur pro delictis extra Claustra à Regularibus commissis possunt regulares puniri ab Episcopis, si vel regulares degunt extra Claustra, vel si instantibus Episcopis non fuerit Regulares à suis Superioribus intra terminum præfixum puniti. Sed pro delicto fugæ, vel apostasiæ, quia huiusmodi crimina consistunt in egressu à Claustro, non verò proprie sunt delicta commissa extra Claustra, Apostatas, & fugitiuos punire spectat ad suos superiores. Et ideo licet videatur, quod ex decreto Conc. Trid. *sess. 25. c. 4.* Episcopi possint fugitiuos punire, ibi. *Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Tamen seruandum in hoc est ultimum decretum Vrbani Octaui in *Const. 26. de electis, & Apostatis*, ibi. *Rursus statuit, vt fugitiui & apostatæ, siue habitum Regularem deferant, siue non possint ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt in carceres coniici, ac superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi.* Et ita tenent Miranda *q. 51. a. 3.* Lezana *t. 1. c. 16. num. 17.* Cespedes *de exemp. regul. cap. 16. dub. 24. n. 2.* Pasqual. ad Franc. *a. 130.* vbi ait quod videtur per decretum Vrbani derogatum Concilio, sed melius dicitur quod vnum explicat aliud, capi enim ad carceres quædam punitio est; ideo Vrbanus Octauus explicat illud *puniatur* Conc. Trident. vt intelligatur de eo genere punitionis, quod consistit in prima captura, per quam delinquens capitur puniendus. Sic enim et Sixtus Quintus concedit Episcopis, vt contra Religiosos transeuntes, & non habentes licentiam suorum superiorum procedere possint tanquam contra suspectos criminum. Bellet. *disq. Cler. p. 2. §. 24. num. 24.* existimat, quod onus reducendi apostatas, & fugitiuos ad Religionem ex vi Conc. Trid. *d. cap. 4. sess. 25.* spectet ad Episcopos, vel quando in hoc Prælati Regulares sunt negligentes, vel quando in Diœcesibus non sunt Superiores Regulares, qui tales punire valeant. Sed hoc non bene dicitur, quia Episcopi semper possunt reducere apostatas, aut fugitiuos eosque capere, vt remittantur ad claustra. Sed eos punire pro fuga spectat ad Religiosos Prælatos, quamuis vbi commodè non possint remitti, nec petantur à superioribus ob nimiam distantiam, possit eos punire Episcopus. Sed qualiter Episcopi procedere debeat, explicat Sixtus per sequentē clausulam ibi, *& tandem illos sub custodia detinere, donec certa de eis notitia habeatur.* Debent enim Episcopi statim à Superioribus regularium inquirere, qui sint, quos captos detinent, & vbi inuenerint eos esse verè Religiosos, & non seculares iustitiam fugientes, eos ad suos superiores ab eis puniendos remittere. Et quod fieri debeat distinctio inter delictum Apostasiæ, vel fugæ, & inter delicta commissa à fugitiuo, vel apostata extra claustra, constat ex decreto Vrbani Octaui, ibi *Salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij cap. 3. sess. 6.* Vult enim Vrbanus, vt si fugitiui, vel Apostatæ extra claustra degentes delinquerint subijciantur punitioni Episcopi, sed quod pro crimine Apostasiæ, vel fugæ ad suos Superiores ab eis puniendos remittantur:

SVMMARIVM.

1 *Apostata & fugitiui redeuntes recipi debent. numer. 521.*
2 *Cap. final. de Regular. nu. 522.*
3 *Apostata recipiendi in Monasterio, vel alia domo. num. 523.*
4 *Recipiendi sunt, vt probandi in camino pœnitentia. num. 524.*
5 *Vbi est vsus Affiliationum si non possunt recipi proprio Conuentu in alio sunt recipiendi, tenebitur tamen proprius Conuentus ad alimenta. num. 525*
6 *Vbi aput est vnum aliud Monasterium, seu Prouincia non potest recusare quin recipiat Apostatam de ordine superioris. num. 526.*
7 *An Religio teneatur soluere debita apostatæ. numer. 527.*
8 *Religio tenetur soluere debita apostatæ. numer. 527.*
9 *Religio tenetur ad alimenta apostatę, si illum non recipit, vnde tunc tenetur etiam ad debita pro alimentis contracta. num. 528.*
10 *Apostata, morientis in apostasia bona spectant ad Cameram Apost. num. 529. 530.*
11 *Excipiuntur bona intuitu alicuius Ecclesiæ, vel ex fructibus beneficij acquisita. num. 531.*
12 *Bona acquisita ex illicita negotiatione sunt Cameræ Apostolicæ. num. 532.*
13 *Apostata misericorditer recepti absoluuntur à censuris. num. 533.*
41 *Apostata à Prælatis qualiter absolui possunt à suspensione, & irregularitate. num. 534.*

Quomodo fugitiui, & Apostatæ redeuntes recipi debeant.

INSPECSIO IV.

521. CVM Superiores Religionum huiusmodi fugitiuos, & Apostatas teneantur inquirere, & reuocare ad claustra multo magis tenentur eosdem venientes recipere, *cap. final. tit. de Regularibus*, & Vrbanus Octauus in *Const. 26. de electis & Apostatis*, esse autem benignè & blandè recipiendos ex Nauar. *cons. 69. num. 1. de Regul.* admonet Tambur. *t. 3. d. 8. q. 4. num. 2.* Sed non si ad sanam mentem non redierint acerbiora sunt adhibenda remedia, & cauendum ne Apostatæ, & fugitiui ex proprijs delictis reportent commodum.

522. Qualiter tamen recipi debeant non est in iure vndequaque determinatum. Eos enim recipi debere salua Ordinis disciplina decernit Greg. IX. *in dicto cap. fin. de regul.* ibi. *Qui si in monasterijs suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum salua ordinis disciplina. Quod si hoc regularis ordo non patitur, authoritate nostra prouideant, vt apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in alijs Religiosis domibus eiusdem ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ ministeria ministrentur.*

523. An vero omnes fugitiui, & Apostatæ venientes recipi debeant, videri posset non teneri, quia prout docent DD. plures supra citati, nec est necesse omnes inquirere, & reuocare, non enim est necesse reuocare eos, quorum correctio est desperata, vel est periculum, vt sine scandalo alijs, & salua disciplina reduci non possunt. Et quia in aliqua Religione, vt in Religione Sancti Benedicti, qui ter apostatauit non debet amplius recipi. Verum oppositum est tenendum. Aliud enim est, quod apostatæ sint recipiendi in eodem Monasterio, aliud est, quod vel in eo, vel in alio, vel aliter recipi debeant, & ali, prout melius fieri possit. Greg. IX. in illo *cap. fin.* dum dicit, quod recipiendi sint apostatæ salua ordinis disciplina loquitur de receptione in eodem Monasterio. Quod si hoc fieri non possit sine scandalo, & salua ordinis disciplina, mandat id fieri recipiendo apostatas in alia domo, D. Ant. 3. *p. tit. 16. c. 5. in princ.* Et sic vult omninò, vt recipiantur, sed vbi recipi debeant relinquitur in arbitrio superiorum, ita vt recipi debeant salua ordinis disciplina, et vbi nõ possint esse scãdalo alijs. Quod & habetur definitum à Pio Quarto in Constit. Sedis Apostolicæ data anno 1563. in qua Pauli Quarti Const. moderatus fuit, & decretum fuit ab Vrban. VIII. in Constit. *de Apostatis*, vbi & innouatur statutum *d. c. fin.* & latè probat Reuerendiss. Fagnan. ad *cap. fin. de Regular.*

524. Et iure merito recipi debent, quia non præcipitur, vt statim recipiantur ad statum pristinum, sed vt recipiantur ad misericordiam, & pœnitentiam, & vt declarauit tunc Cardinalis Alexandrinus postea Pius Quintus ad fauorem PP. Minimorum, recipi debeant, vt probandi in camino patientiæ, & humiliationis virum pœnarum timore, vel virtutis amore reuertantur. Et in hac parte quæ modum recipiendi respicit, cuiuscumque Religionis statuta seruanda sunt. Et ideo vbi adsit periculum infectionis aliorum Religiosorum, vel non recipiendi sunt ad idem Monasterium, seu modo ad eandem Prouinciam, vel etiam detinẽdi sũt in carceribus, & benè probandi prout superioribus visum fuerit expedire illorum saluti, & totius communitatis, & secundum quod cuiuscumque Religionis statuta decernunt. Quod si apostata nolit reuerti nisi recipiatur sine pœnis ab ordine statutis, poterit in hoc prudentia Superioris videre quid expediat, si in ordinis statutis potest dispensare; Cæterum si potest tenetur apostatam cogere, & renuentem vi ad claustra reuocare, & iuxta ordinis statuta illum punire, & detinere. Et sic locus pœnitentiæ non est venienti apostatæ negandus, sed tamen illius & aliorum saluti consulendum, quod fiet cuiuscumque Religionis statuta seruando circa modum recipiendi apostatas.

525. In Religionibus vero vbi Religiosi habent propria Monasteria cuius sunt filij si contingat apostatam non posse salua ordinis disciplina, & sine scandalo & periculo recipi in proprio Monasterio, recipiendus erit in alio, sed proprium Monasterium tenebitur ad expensas alimentorũ, vt decidit idem *cap. final. de regul.* & aduertit Pasqual. ad Franc. *num.* 1091. Et in hac parte etiam quantum ad modum & quantitatem soluendi alimenta seruanda erunt Religionum statuta. Nam alias quando apostata iam restitutus ad munera ordinis inseruire potest Monasterio sicut alij Religiosi, cessabit obligatio proprij Monasterij, si Religiosus ponatur in alio Monasterio tanquam vnus de familia illius. Vnde hæc obligatio locum habet pro illo tempore pro quo apostata est in alio Monasterio, vt in loco pœnitentiæ, nec inseruit Conuentui.

526. Aliud vero Monasterium, seu alia prouincia eiusdem Ordinis non potest repugnare, quin huiusmodi apostatas ad arbitrium superiorum recipiat. Quod est verum nedum spectata ordinaria potestate superiorum cuiuscumque ordinis, sed considerato tenore dicti *cap. final. de regularibus*, in quo præcipitur, vt si regularis disciplina id postulet, nec apostatæ possint in proprio Monasterio recipi sine scandalo, recipiantur in alio eiusdem ordinis. Et cum, vt aduertit Pasqual. ad Franc. *nu.* 1091. antiquitus Monasteria magis essent separata vnum ab alio, quam sint modo vna Prouincia ab alia, multo magis nunc ad superiorum dispositionem vna Prouincia tenetur aliarum Prouinciarum apostatas recipere, & retinere. Cui tamen vt dictum est supra, proprium Monasterium tenebitur subministrare alimenta. Quod tamen locum non habet in Religionibus in quibus Religiosi non habent, vt sint magis, vel in vno Monasterio, vel in vna Prouincia quam in alia, sed hoc in arbitrio Superiorum est omninò positum.

527. Quamuis vero Religio teneatur recipere apostatas, & fugitiuos redeuntes; Non tamen tenetur ad soluenda debita, si aliqua apostatæ etiam pro alimentis contraxerunt tempore fugæ, vel apostasiæ, vt bene tradunt Nauar. *cons.* 73. *num.* 3. *de regul. l.* 3. Rodriq. *t.* 1. *q.* 30. *a.* 11. Portell. *v. apost. num.* 7. Lezana *tom.* 1. *c.* 16. *num.* 19. Donat. *p.* 2. *tr.* 6. *q.* 16. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 8. *q.* 5. *num.* 2. Basseus, *v. Apostasia, num.* 7. Quia Monasterium non tenetur alere fugitiuos, & apostatas. Et quia Monasterium non tenetur, vel pro delictis Religiosorum, vel pro contractibus non ad vtilitatem Monasterij, & sine licentia ab eisdem initis, vt tradit Gloss. *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. *in v. possidere, & cap. de persona*, 11. *q.* *in v. aut Monachum*, & habetur & expresse *cap. quod quibusdam* 4. *de fideiussoribus*. Neque obstat, quod Religio teneatur alere Religiosos, quia non tenetur alere fugitiuos, & apostatas, vt ex Sanchez, Surdo, Sanctarell. & Pinello aduertit Tambur. *t.* 3. *disp.* 8. *q.* 9. *num.* 7. Donat. *p.* 2. *t.* 6. *q.* 16. *num.* 1. Nam nec

Pater tenetur alere filium sua culpa à Patre recedentem. Et Gloss. *cap. significasti, v. Matrimonium, de diuortio;* dicit, quod vxor culpa sua à marito diuertens expensas interim factas repetere non potest. Nihilominus tamen pro ea parte pro qua Monasterium vtilitatem sensit ex contractu apostatæ tenetur ad restitutionem, vel satisfactionem, iuxta regulam iuris in 6. qui sentit commodum, sentire debet, & incommodum. Vnde si apostata adducat secum bona aliqua, quod debeat Monasterium ex illis soluere debita, tradunt Mirand. *q.51.* Portell. *v. Apostata num.7.* Bellet *disq.cler.p.2. de priu.Cler.§.24 num.28.* Donat. *p.2.t.6.q.16.n.10.* Quod tamen nec absolutè, sed cum restrictione accipi debet. Quæ enim defert Apostata, vel sunt iniustè acquisita, vel iustè nimirum non ex iniusto contractu. Si sunt acquisita iniustè; illa nec sunt apostatæ nec religionis, nec sunt cuicumq; alteri debitori obligata, sed sunt domini à quo iniustè fuerunt ablata, & ei restitui debent: sed si non iniustè acquisiuit, iam eorum dominium spectat ad Religionem. Et ita non datur medium inter hac duo. Vel enim eorum, quæ Apostata defert dominium non est apud religione, sed apud eos, aut eorū hæredes à quibus illa accepta fuerūt, & totum illis debet restitui, neq; possunt ea eidē alia debita solui nec ab Apostata, nec à Religione, quia sunt æs alienum, nec licet ex alieno propria debita soluere. Si autem eorum dominium est apud Religionem, sic ab Apostata acquisita fuerunt, quod sibi acquisiuisset, si esset capax dominij, & quia sibi non acquirit, acquisiuit Religioni. Certè poterit esse, quod Religio ex illis teneatur soluere debita apostatæ ex charitate ad vitandum scandalum, vel ex honestate, quia id pensaris pensandis cedat in maiorem Dei gloriam. Sed tamen non tenebitur ex iustitia, quia de suo non tenetur Religio soluere debita Apostatæ. Tambur. *to.3. disp.3. q.5.num.2.* Pasqual ad Laurer. *p.p.num.1093.* Si vero Apostata aliqua acquisiuit ex contractu, sed non soluit pretium, quia adhuc dominium illorum non est absolutè omnino translatum in Religionem ordine apostata, si illa remanent in toto, vel in parte, ideo tunc Religio, vel illa restituere debet, vel respectiuè soluere pretium illa. Sed si illa fuerunt ab apostata consumpta & non in Monasterij vtilitatem, Religio ex iustitia ex aliunde acquisitis per Apostatam restituere non tenetur: si tamen Religio solita est concedere suis quæ acquirunt ad vsus honestos, & apostata ex illis tenebitur ex vera iustitia debita soluere, quia hoc honestissimum est, & id facere potest. Et superior licet non ex propria iustitia, ex iustitia tamen legali, & fidelitate officij sui tenebitur tali apostatæ relinquere huiusmodi ad vsum soluendi, quæ debet, quia tenetur quantum secundum regulam fieri potest procurare, vt subditi sui satisfaciant obligationibus suis. Tenetur etiam religio soluere, quæ necessaria sunt pro captura apostatæ, seu pro reducendo apostata ad claustrum, vt aduertunt à S. Fausto *q.135.* Donatus *d.q.16.num.14.* Quia ad huiusmodi reductionem religio est obligata.

528. In vno tamen casu tenetur Religio ad alimenta fugitiui, & apostatæ. Et quidem si fugitiuum, vel apostatam venientem ad pœnitentiam noluit Religio recipere. Tunc enim fugitiuus, vel apostata remanet extra claustrum inuitus, & id volente Religione, quæ alias ad alimenta sui Religiosi tenetur, vt probant Canonistæ, in *capite periculosa, Ne Clerici, n. 6. & in cap. quanto de off. ordin.* & tradit Surdus *de alimentis tit. 8. q.75. num.1.* Et ideo pro hac parte si apostata debita contrahat, tenetur Religio ad satisfaciendum creditoribus pro ea summa, quæ alimentis Religioso conuenientibus spectat. Debita enim huiusmodi ad vtilitatem monasterij censentur facta, cum sint facta pro alimentis debitis à Monasterio Religioso.

529. Apostatæ autem redeuntis bona, quæ affert, Monasterio proueniunt. Apostata enim acquirit Religioni, nisi acquirat ex beneficio Ecclesiastico, vel dum degit extra claustra moriatur. In casu enim mortis bona Religiosorum degentium extra Claustra spectant ad Cameram Apostolicam. Hoc autem locum habet non de omnibus Religiosorum bonis, sed de illis, quæ acquisierunt extra claustrum degentes. De his enim bonis loquitur Const. Pauli IV. contra apostatas, vt patet etiam ex Const. Greg. XIII. officij nostri, 43. *in Bullar. §.1.* ibi. *tempore quo extra claustra huiusmodi fuissent acquisita.* Successiuè autem Greg. 13. *ibid. §.2.* de huiusmodi bonis interpretatur Const. Pauli Tertij *Romanus Pontifex*, 19. in bullario, vt patet ibi. *Nec non præfata bona regularium extra claustra degentium & tandem*, §.3. Statuit, vt bona omnia per Regulares degentes extra claustra acquisita spectare ad Cameram Apostolicam. Ideo quæ Religiosus acquisiuit antequam egrederetur è claustro, Religioni remanent. Nam fuerunt Religioni acquisita, ideo illi debentur. Sed quæ acquirit apostata, fugitiuus tempore apostasiæ acquirit Monasterio prout est de iure antiquo, *cap. Abbates c.8. q.1.* Panormi *cap. fin. de regul.* D. Ant. *3. p. tit. 16. cap. 5. §. 1.* Vbi quod nullum tempus excusat, sed pro toto tempore etiam longissimo, per quod maneat extra claustrum semper acquirit Monasterio, & quod vbi constet fugitiuum esse Religiosum, Monasterium illum reuocat cum omnibus bonis illius; & quod talia monasterio debentur de plano, & sine libello expediri *cap. alim 1. de accus. cap. si quis vbi clerico 11. q.1.* Sed sub conditione, quod Religiosus non moriatur extra claustra in apostatia, vel fuga; nam in hoc casu, hæc remanent Cameræ Apostolicæ tanquam illi acquisita. Donat. *p.2. tr.6. q.23.* Cui etiam simpliciter acquirit Religiosus eius Ordinis, qui sit incapax habendi, & possidendi, vt post Nauar. *cons. 73. de regul.* vult Tamb. *t.3. d.8. q.5. num.2.* & Rodriq. etiam *p.1. q.30. a.12.* Bassæus, *v. Apostasia num.7.* refert priuilegium Leonis X. pro Minoribus, vt possint vti bonis Apostatarum, & fugitiuorum redeuntium, si sunt talia, quorum vsus sit eis ex regula permissus, & de alijs, quod possint de alijs facere id, quod de similibus fieri mandatur in eorum Regula. An verò Sedes Apostol. quæ succedit in iuribus vtilibus Religiosi apostatæ succedat etiam obligationibus, ex Nauar. loco citato, & Mirand. *in manual. p.1. q.51. a.8. concl.1.* Tambur. *d. q.5. num.3.* ait non succedere ex iustitia, sed ex æquitate Bassæus, *v. Apostasia n.7.*

530.

530. Itaque huiusmodi Religiosorum decedentium extra Claustra bona ad Cameram Apostolicam spectant solum; si ante reditum ad claustra Religiosus moriatur, vt patet ex Const. Greg. XIII. §. 2. ibi. *post eorum obitum*, & ex §. 3. ibi, *nisi ijdem ad quos illa spectauerint sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaq; legitime vsi fuerint.* Spoliorũ enim nomine, quæ remanent post mortem, & nõ sunt successoria intelliguntur. Et in eodẽ §. 3. ibi *ius, & nomen veri hæredis, &c.* vbi decernitur, quod Camera sit hæres bonorũ huiusmodi; hæres verò est, cui proueniunt bona post mortem eius, cuius dicitur hæres. Ideo religioso viuente bona spectant ad Religionẽ, cui etiã apostata Religiosus omnis acquirit, *cap. Abbatese* c8. q. 2. de & possũtplano, & siuelibello expediri *c. ulim 1. de accus. c. si quis*, vbi Glos. *v. acquisierit*, & *c. cũ olim 2. de priuilegijs*, vbi Innoc. & tenẽt D. Ant. 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. Syl. *v. Apostasia n.* 12. Sanchz *l.* 7. *mor. c.* 33. *nu.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *n.* 11. Portell. *v. Apostata nu.* 2. Lezana *t.* 1. *c.* 16. *num.* 20. Donat. *p.* 3. *tr.* 6. *q.* 28. *num.* 12. Pasqual. ad Franc. *num.* 1095. Eidem vero Religioni debentur bona Apostatæ, aut fugitiui morientis extra claustra, vbi non vigeat lex spoliorum, illaque non acquirantur Cameræ Apostolicæ, quod tamen limitat Sylu. *v. Apostasia q.* 6. *num.* 10. dicens, quod si superior redire volentem noluerit recipere; imò secundum Archid. si eum reuocare neglexerit, & ipse manens in seculo aliqua acquisierit, & postea moriatur extra Monasterium non receptus, nihil de bonis eius petere potest superior, quia impiè Monacho suo alimenta negauit. *cap. vn. de lang. expo.* & pertinebit ad secundum Monasterium, si ingrediatur illud, alias ad Episcopum secundum Arch. Quod tamen ait esse verum, si Conuentus totus, vel eius maior pars deliquit, alias delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet, per Regulam *delictum, de regul. iuris in* 6. Et idem dicendum ait de Religioso eiecto. Idem docet ibid. Sylu. *num.* 15. limitans tamen id, quod dixerat, scilicet quod in dicto casu Monachus acquirit Episcopo, quia scilicet hoc verum sit de Monacho non exempto. Nam Monachus exemptus in eo casu acquirit primo Prælato suæ Religionis. Verum huiusmodi resolutio iuri non conuenit. Nam nullus ex culpa propria amittit rei propriæ dominium, nisi adsit lex, vel sententia, quæ priuationem talem inducat. Cum vero Religiosus Apostata, vel fugitiuus, vel eiectus acquirat Monasterio suo spectato communi iure, Prælatus, & totus Conuentus ex eo, quod iniquè fugitiuum vel eiectum nolit recipere, non priuatur dominio eorum, quæ eidem Monasterio acquisiuit idẽ fugitiuus. Et quod dicitur, quod fugitiuus acquirat Episcopo nullum habet in iure fundamentum, cum Religiosus ex eo quod fugitiuus, vel eiectus non desinat esse Religiosus Prælatis Regularibus subditus. Nauar. *com.* 2. *de reg. num.* 34. 35. 36. & *com.* 3. *num.* 46. Cord. *in reg. S. Franc. c.* 2. *q.* 21. *sec.* 3. Molin. *disp.* 140. Vasquez *p.* 2. *q.* 96. *num.* 4. *disp.* 165. *num.* 87. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 21. *sec.* 3. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. final. num.* 6. *de regul. & exced. cap. final.* & sic verè pertinet ad Religionem, cum statum Religiosum retineat, & sit substantialiter Religiosus; Nam nec eiectus licet per sententiam expulsus desinit esse religiosus; cum manifestissimum sit quod nullus Papa inferior potest facere de Monacho non Monachum. *cap. cum ad monas. vers. Nec existimet Abbas*, & ibi Gloss. *in v. abdicatio*, Innocen. & alij, *de stat. Monach.* Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. final. num.* 34. *de Regul.* Ideo etiam eiectus Monasterio acquirit, sicut & ipse Monasterij est, eum ergo nulla sit Lex, quæ Prælatum, seu Conuentum iniquè non recipientem fugitiuum, aut eiectum priuet dominio acquisitorum per eundem fugitiuum aut eiectum, nisi quod si moriantur bona illa spectant ad Cameram Apostolicam, non est, vnde dicatur, quod Monasterium, vbi non viget lex spoliorum, sit ex causa illis bonis priuatum. Quamuis verum sit, quod Conuentus tenetur ad talis fugitiui, vel eiecti alimenta, & ad soluenda debita contracta ratione alimentorum, vt dictum est. Et ideo vel ex acquisitis à fugitiuo aut eiecto, vel aliunde ea soluere tenetur. Cui autem Monasterio acquirat non potest iudicari nisi ex statutis cuiuscumque Religionis, ideo absolutè dicitur, quod Apostata aut fugitiuus acquirit religioni suæ. In illis autem religionibus in quibus est vsus affiliationum, acquirit Conuentui, cuius est filius, secundum quod statuta religionum decernunt.

531. Excipiuntur tamen bona acquisita ex fructibus beneficij, & intuitu Ecclesiæ si contingat apostatam extra ordinem impetrare aliquod beneficium. Etiamsi enim apostata ad ordinem reuertatur, tenebitur huiusmodi bona relinquere Ecclesiæ intuitu cuius illa acquisiuit, Quamuis quæ acquisiuit propria industria, vel intuitu personæ Religioni acquisierit, & secum deferre possit ac debeat, cum ad Religionem reuertitur, vt tradunt D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. §. 1. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 8. Lezana *t.* 1. *q. regul. c.* 16. *num.* 1. Pasqual. ad Franc. c. *num.* 1096. Sed quantum ad huiusmodi acquisita ex fructibus beneficij considerandum est, quod multa ex illis sunt, quæ non statim Ecclesiæ acquiruntur omninò, sed sunt in potestate beneficiati etiam Regularis, vt ea cui voluerit donare possit, quamuis si de eis non disposuerit viuens ea donando, vel alienando, post eius mortem remaneant, vel Ecclesiæ, vel inter spolia numerentur. Et quantum ad ista; si beneficiatus tempore legitimo ea donet Religioni, illi acquiruntur, nec spectant ad spolium. Beneficiatus verò apostata, vel eiectus deferens talia bona secumdum reuertitur ad Religionem, ex hoc censetur illa donare religioni tanquam accessoria personæ suæ, quam restituit religioni, & ideo bona ista ad religionem spectant, & non ad Ecclesiam beneficij, vel ad spolium. Nihilominus Bellet. *disq. Cler. p.* 2. *de pœn. Cler.* §. 24. *num.* 27. dixit quod si Religiosus iste in vita donauerit Religioni videtur non teneri ad restitutionem Cameræ, nisi Camera petat, quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem. Sed de donatis in vita donatione inter viuos facta in tempore debito non est difficultas, quod remanent Religioni. Videnda sunt, quæ data sunt *supra tom.* 2. *q.* 187. *a.* 2. *num.* 254.

552. Excipiuntur etiam secundum aliquos, quæ apostata ex mala arte acquisiuit, scilicet vel ex

ex iniuria, vel ex illicita negotiatione, aut quouis exercitio religiosis prohibito, quale est mederi aduocare, chirurgiam exercere, inseruire principibus, aut secularibus indecenter, & contra iura, aut quodcumque aliud exercitium prohibitum. Huiusmodi enim bona spectare ad Cameram Apostolicam etiam in vita Religiosi degentis extra claustra, & qui ea extra Claustra acquisiuit, ex Nauar. *Com. de spol.* §.7.n.4.& 5.& *l.3. de stat. Monach. cons.*17. Sanchez *l.7. in decalog. cap.*33.*num.*9. Portell. *v. Apost. num.* 7. & 8. Hier. Rodriq. *in com. resol.*11. *de Apost. num.*9. Leo in thes. *for. Eccles. p.*3. *c.*3. Pasqual. *decis.*37. tradit Donatus *p.*2.*tr.*6.*q.*23.*num.*14. 17. & 19. sed hæc assertio non est vera in tanta vniuersalitate. Vera est quidem de acquisitis ex illicita negotiatione, sed non est vera de acquisitis quocumq; modo contra sacros Canones, vt ex Chirurgia Principum seruitute, &c. Videnda sunt quæ probaui supra *q.*187. *a.*2. *in spoll. nu.*336. & *seq. pag.*352. Sed nec omnes DD. cit. in illa vniuersitate loquuntur.

533. Tandem apostatæ reuersi ad suos Ordines, & misericorditer recepti iuxta statuta cuiuscumque Ordinis, possunt etiam absolui à pœnis latis contra illos. Et quidem à pœna excommunicationis, si non sit reseruata, sicut reseruata non est de iure communi illa quæ habetur in *cap.*3. *ne Clerici, vel Monachi* à quolibet Confessario approbato; si vero sit reseruata ab eo superiore, cui facta est reseruatio, nihil quantum ad hanc partem suffragante bulla Cruciatæ, vel alia simili concessione iuxta Const. 105. Vrban. 8. *tom.*4. *bullar.* vt tradunt Portell. *v. apost. in add. n.*1. Lezana *v. apostata n.*13. Pasqual. ad Franc. *n.*1097. qui asserit quod etiam non iuuent iubilæa particularia: Sed in hoc attendi debet tenor concessionis Pontificis iubilæum *indicentis*, si enim Pontifex expresse in bulla iubilæi exprimat, & concedat Regularibus, vt à Confessario approbato, & ab illis electo absolui possint à censuris reseruatis possunt Regulares à simili Confessario absolui, non obstante illa Constit. Vrbani Octaui.

534. A suspensione autem vel irregularitate contracta tempore apostasiæ, consulenda sunt etiam priuilegia Regularium concedentia Prælatis regularibus absoluere suos à censuris Papæ reseruatis, de quibus latè tractaui *de elect. cap.* ... Et dummodo non proueniat ex bigamia, mutilatione membrorum, aut homicidio voluntario, possunt Apostatæ, absolui, vel dispensari à suis Prælatis virtute priuilegiorum. Neque obstat, quod suspensio, quam apostata incurrit suscipiendo Ordines sacros in apostasia sit Papæ reseruata, *cap. Consultationi, de apostatis*, sicuti est Papæ reseruata suspensio, & irregularitas incursa ex eo quod excommunicatus suscipiat ordinem sacrum in excommunicatione. Quia hæc vera sunt de iure communi, sed ex speciali iure priuilegiorum, possunt Prælati regulares ab huiusmodi suspensione suos subditos absoluere, & cum illis in irregularitate dispensare, excepta illa quæ ex bigamia; homicidio voluntario, vel mutilatione membrorum sit orta. D. Ant. 3. *p. tit.*28.*c.*7. §. *vlt.* Miranda *tom.*2.*q.*8. Peyrin. sub A. *q.*1.*c.*16. & *in formal. lit. A. cap.*20. Calatub. *in comp. priuil.* *v. Dispensare*. Sorbus ibid. *v. Ordines sacri*. Naldus *v. infamia num.*1. Lezana *v. infamia, num.*27. & *v. irregularitas num.*72. Bordon. *in Cancell. regul. resol.*31. *num.*50. Donat. in praxi, *p.*2. *c.*6. *q.* 21. Pasqual. ad Franc. *num.* 1098. Sed de his plura dixi *tract. de elect. cap.* 37. Nam & obseruari debent nouiora decreta Pontificum, si quæ sunt, & obseruari, quod vsu receptum est, & multæ sunt irregularitates super quibus Prælati suos dispensare non possunt. Ab alijs vero pœnis, quas iuxta cuiuscumque Religionis statuta incurrunt fugitiui, vel apostatæ, absolui, vel non absolui poterunt, iuxta eorumdem ordinum statuta, & Pontificum priuilegia.

SVMMARIVM.

1 *Cooperantes apostasia peccant, & tenentur ad restitutionem. num.*535.
2 *Non tamen tenentur Religionem ingredi. numer.*535.
3 *Contra detinentes apostatas, & ei fauentes procedi potest per censuras. num.*539.
4 *Et hoc extenditur ad detinentes fugitiuos. numer.*536.
5 *Detinentes apostatas & fugitiuos si admoniti non dimittant sunt excommunicati. num.*537.
6 *Clausula volumus subiacere importat sententiam latam. num.*537.
7 *Plures aliæ excommunicationes in huiusmodi priuilegio, communicatiuæ. num.*538. 539.
8 *Facultas excommunicandi est gratia communicabilis non vero excommunicatio, num.*540.
9 *Ponderantur priuilegia præfata. nu.*541.
10 *Plura deducuntur. num.*543.
11 *Excommunicatio non incurritur à detinentibus Apostatas, nisi ob contumaciam post monitionem. num.*543.
12 *Plures casus in quibus dicitur non incurri præfatam excommunicationem. num.*544.
13 *Alia prohibita sub censura est exterior iniusta detentio. num.*545.
14 *Qui detinet, vel fauet apostasiæ ante monitionem licet peccet non est excommunicatus. numer.*546.
15 *Excommunicati sunt qui cooperantur fugæ, recipiendo sine licentia ad habitum Religiosos alterius ordinis. num.*547.
16 *Et in aliquo casu qui cooperantur, vt recipiatur Religiosus Societatis. nu.*547.
17 *Non licet Prælatis recipere ad hospitium ignotos sine licentia venientes. num.*548.
18 *Detinentes eum qui recedit sub prætextu nullitatis professionis non est excommunicatus. numer.*549.
19 *Non licet Principibus, vel Episcopis assumere ad se religiosos sine licentia &c. num.*550.
20 *An Episcopi detinentes apostatas sint excommunicati. num.*551.

De

De cooperantibus fugæ, vel Apostasiæ Religiosorum.

INSPECSIO V.

535. ET quidem huiusmodi fauentes fugæ, vel apostasiæ Religiosorum peccare mortaliter est indubitatum, cum vel inducant, vel auxilium præbeant, vel cooperentur male agentibus, & mortaliter peccantibus. Iuxta etiam regulas restitutionis certum est eosdem teneri ad restitutionem damnorum temporalium, quæ religioni proueniunt, vt v. g. lucri cessantis, expensarum, quæ fiunt necessario pro reducendis fugitiuis, seu apostatis ad claustrum, & cuiuscumque alterius similis damni; quia huiusmodi cooperatores fugæ, vel apostasiæ religiosorum iniustè agunt contra religionem, & ad eius damnum iniustè cooperantur, vnde tenentur ad restitutionem. Eo modo & in ijs casibus in quibus tenentur, qui iniuste damnificationi causam dant consulendo, inducendo, auxilium dando &c. Vt tradunt Caiet. *v. restitutio c.7.* Suarez *tom.4. de relig. tr.8. l.3. c.3. num.8.* Lezana *tom.1. c.16. num.14.* Pasqualig. ad Franc. *nu.1055.* Palaus *tr.16. disp.4 p.18.* late hoc punctum explicans. Quod præcipuè verum est; si isti vi aut fraudè inducant religiosum ad fugam, vel apostasiam. Tenentur quoque ad compensandum detrimentum bonæ opinionis, & famæ, quod ob huiusmodi fugam, vel apostasiam subit Religio. Non tenentur tamen vel ad ingrediendam Religionem, vel ad procurandum, vt alius loco apostatæ ingrediatur. Ingressus enim Religionem voluntariè ob vitæ spiritualis, & perfectionis desiderium fieri debet; vt tradunt Soto *l.4. de iust. q. 6. a. 3.* Ledesma *2. p.* Quarti *q.18. a.2.* Lezana ibidem, Bellet. *de pœn. Cler. §.24. num.32.*

536. Quæri autem potest, an cooperantes fugæ, vel apostasiæ regularium incurrát aliquam pœnam, ex iure positiuo Ecclesiastico. Greg. IX. ad fauorem Minorum in bulla, quæ incipit *cum secundum*, data 6. Calend. April. Pontificatus anno 1 2. & habetur in Monum. Minor. fol. mihi 201 *num.493.* ita concessit. *Post factam vero professionem, nullus Fratrum Ordinem vestrum relinquere audeat, nec relinquentem alicui sit licitum retinere. Quod si quis forte retinere præsumpserit: licitum sit vobis in fratres ipsos regularem sententiam promulgare.* Nomine autem regularis sententiæ Casarubias *v. apostata num. 1.* intelligit excommunicationem. Vbi *num.7.* etiam refert contineri in Mari Magno Carmelitarum, quod Prælati dicti Ordinis possint Regularem ferre sententiam in retinentes Apostatas eorum, quod quidem habetur in Mari Magno Carmelitarum. §.74. ibi. *Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in domibus vestris professionem fas sit sine Prælati sui licentia de eisdem locis discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere, quod si quis forsan retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsas Fratres, & eos, qui dictos Fratres detinent Clericos, vel laicos regularem sententiam promulgare.* Nomine autem sententiæ regularis intelligi sententiam excommunicationis notat idem Lezana ibidem, & in Mari Magno August. §.15. *num.41.* Sed res est dubia. In priuilegio etiam Leonis X. pro Minimis supra citato datur facultas Episcopis compellendi fugitiuos ad redditum, & excommunicandi eos, qui huiusmodi fugitiuos retinent, seu non restituunt, occultant, & non reuelant.

538. Ex alijs vero priuilegijs huiusmodi detinentes videri potest esse ipso facto excommunicatos. Et quidem Greg. XI. in Constit. *Virtute conspicuas*, quæ confirmata fuit à Sixto IV. in Mari Magno Prædicatorum, ita statuit *detinentes vero eosdem secum, vel in Monasterijs, seu Ecclesijs suis; nisi eos eiecerint, postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiæ volumus subiacere, non obstantibus, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem.* Clausulam autem hanc excommunicationi sententiæ volumus subiacere continere sententiam latam aduertunt Panorm. *in cap. Clericis num.14. ne Clerici, vel Monachi.* Caiet. *v. Excommunicatio n.76.* Nauar. c. 27. *nu.117.* Suarez *de cens. d.23. sec.3. num.22.* Tolet. *l.1. c.37. §.5.* Sayr. *l.3. c.32. num.6.* Molin. *tract.3. d.8.* Barbos. *in d. cap. Clerici num.7.* Thesaur. in praxi. *v. iudex. cap.2.* Peytin. ad Const. 2. Iulij II. §.13. *n.48.* Lezana ad Mare Magnum Prædicat. *num.60.* Filliuc. *tract.14. c.7. num.1106.* Quamuis vero verbum subiaceat non semper continere sententiam latam teneant Sayrus *l.3. c.8. nu.19.* Salas *p.1. q.96. tract.14. d.15. sect.6. nu.78.* & alij apud Barbosam loco citato tamen vbi illi verbo adiungitur pœna specifica, & determinata, & dicitur talis subiaceat excommunicationi, continere sententiam latam tradit Suarez *de legibus l.5. c.6. num.25.* Sed & Leo Decimus in Constit. *Accepimus* data 24. Augusti anno 1518. ad fauorem Prælatorum Ord. Prædicatorum, cuius particulam supra posuimus, inhibuit locorũ Ordinarijs sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum; Vniuersitatibus verò Rectoribus, ac Conseruatoribus, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, alijsque quibuscumque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem Parochialium Ecclesiarum, & omnium aliorum Beneficiorum & inhabilitatis ad illa, & alia obtinenda pœnis eo ipso incurrendis, ne eosdem Prælatos quominus Fratres sui Ordinis sub prætextu indultorum, & literarum Apostolicarum quarum fecerat mentionem vagantes extra domos, & eorum obedientiam capere, etiam violenter, & ad domos reducere, & carceribus mancipare valerent per se, vel per alios, directè, vel indirectè quouis modo impedire præsumerent, literæ autem Apostolicæ quarum prius mentionem habuerat, erant illæ in quibus eiusdem ordinis fratres post apostasiam, vel per assertionem, quod professionem nunquã, aut intra pubertatis annos, aut per vim & metum emisisse asserentes, Apostolicas, vel à Pœnitentiaria literas obtinuerunt, vel obtenturi sunt in posterum, & quarum vigore habitu Reli-

gionis dimisso,& seculari assumpto extra iugum obedientiæ vagabantur,vel vagaturi sunt,& quarum literarum tenorem non obstante voluit tales Fratres posse reuocari,& cogi ad habitum reassumendum. Et declarauit, quod in posterum in similibus literis semper intelligeretur clausula. Et de licentia Superioris, & ea durante. Sic ergo ordinis Prædicatorum Fratres huiusmodi literis non possunt se munire, quin à Prælatis ad claustra non cogantur redire, & pœnis præfatis puniantur respectiue tam Episcopi, quam alij, qui præfatos Prælatos præsumpserint impedire, ne reducant ad domos, & carceres suos Fratres prætextu præfatarum literarum sine Religioso habitu, extra domos, & iugum obedientiæ vagantes.

538. Innocentium etiam quartum decreuisse, quod detinentes Fratres Minores sine licentia recedentes sint ipso facto excommunicati, refert Casarub. *in compend. num.*4. Et idem statuisse Innocentium Octauum dicitur ibi *num.* 21. & aduertit Donatus in praxi *p.*2.*tr.*9 *q.*22. Refert etiam Casarub. *in comped. priuil. v. apostata num.*16. Iulium Secundum excommunicasse ipso facto Fratres ordinis Eremitarum Sancti Augustini qui ab ordine illo recesserint, vel eius habitum dimiserint, si infra octo dies post Generalis mandatum non redierint, & eadem censura ligatos voluit esse omnes, qui dictis Fratribus fauorem, consilium,& auxilium præstiterint. In Mari Magno Seruitarum §.47. excommunicantur ipso facto, qui dicti ordinis Fratres contra tenorem prohibitionis ibi factæ, receperint, & monitione præmissa requisiti eos simul cum bonis eorum ad Religionem illam non remiserint. Huiusmodi etiam apostatas detinentes esse ipso facto excommunicatos per *priuil.* Leonis Decimi pro Camaldul. quod habetur in Const. 11. eius, §.23. & Iulij Secundi pro Oliuetanis in Constit.12. Eius §.31.22. tradit Lezana ad Mare Magnum Prædicat.*num.*57.

539. Et randem Casarub. *num.* 17. ait Pium Secundum fecisse quamdam magnam copiosam prouisionem contra omnes Principes, & Duces, & alios Magnates fauentes apostatis, & alijs fratribus inobedientibus Ordinis Carmelitarum, mandás procedere contra per censuras Ecclesiasticas, & inuocationem brachij secularis. Hæc tamen relatio dispositionis Pij Secundi satis est confusa, & æquiuoca. Constitutionem Pij Secundi habemus apud Monumentum Minorum *pag. mihi* 173. *numer.* 404. Et incipit *Pontificalis authoritas*, & data fuit Nonis Decembris Pontificatus anno secundo. Sed ibi inhibentur quidem tam Ecclesiastici, quam seculares cuiuscumque conditionis, & dignitatis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, ne dicti Ordinis reformationi se opponant, illamque impediant. Cæterum nedum nulla potestas datur Prælatis dicti Ordinis aduersus Ecclesiasticos, & seculares, si faueant eiusdem ordinis apostatis, vel fugitiuis,sed solum Pontifex rogat, requirit, & hortatur Archiepiscopos, Episcopos & alios Prælatos, Principes, Duces, & alios laicos Superiores, vt Prælatis eiusdem Ordinis præstent auxilium, consiliú, brachium, familiá, si fuerint requisiti adhoc, vt ijdem Prælati nimirú Generalis,& Prouinc discolos incorrigibiles, delinquétes possint punire,& ad obseruantiá suarú legum compellere. Habetur vero consimilis requisitio & hortatio in alia Constit. Pij Secundi, quæ, incipit *Solicitudo Pastoralis officij*, & fuit data eodem die scilicet Nonis Decembris Pontificatus anno secúdo,& est inserta in Mari Magno Carmelitarum apud Lezanam *nu.*31. In qua nulla est excommunicatio contra impedientes reformationem, sed data ampla facultate prælatis dicti Ordinis Prælatis puniendi, corrigendi, & capiendi apostatas, incorrigibiles, & delinquentes, requirit, & hortatur Prælatos, Principes, & Magistratus, seu superiores, vt ad hunc effectum illis tribuant auxilium, fauorem, & familiam, vt præfatos valeant corrigere, & punire. Præterea adest Constit. Leon. X. quæ est 13. apud Petr. in qua præcipitur Episcopis, vt post secundam monitionem eos excommunicent, qui apostatas, vel fugitiuos dictæ Religionis, vel non restituunt, vel non reuelant. Et propterea Anton. de Spirit. Sanct. *tract.*3. *disp.*6 *nu.*143. vult,quod Regulares Prælati per suos Conseruatores possint procedere per censuras contra recipientes, vel dátes auxilium, aut fauorem apostatis, & fugitiuis ex priuil. Iulij Secundi pro Carmelitis. Sed & Donatus *p.*2.*tract.*6.*q.*22.existimat, quod tam Regulares, quam laici tenentes apostatas, vel fugitiuos, aut eos occultantes, aut eis auxilium dantes aut fauorem, vt in tali statu permaneant, peccant mortaliter, & sunt excommunicati. Et fundatur, quia licet priuilegia continentia excommunicationem videantur loqui de Regularibus recipientibus Fratres aliorum Ordinum ad habitum Religionis, secundario tamen, & ob maiorem rationem verificantur etiam in laicis, vt notat Mirand. *p.*1.*q.*51. *a.*2. Tum quia priuilegia loquuntur simpliciter,& absolute. Tum ob priuilegium, Innocentij Octaui, vt refertur apud Donatum, quod habetur apud Casarubia, §. 4. Vbi dicitur, quod Innocentius decreuit, quod retinentes Fratres Minores sine licentia recedentes sint excommunicati. Contra Palaus *tr.* 16. *disp.* 4. *p.*18. *num.*7. existimat nullas pœnas in iure esse munitas contra cooperantes apostasiæ: ac spectatis priuilegijs eos putat esse excommunicatos excommunicatione latæ sententiæ imposita ab Innocen. IV. Leone Decimo, & Iulio Secundo, vt habetur in libris monumen. Ord. *canc.*554. & 651. Et in Compend. priuil. Mendicant. §.8. Et in Compend. priuil. Societ. §.4. Et idem sentit Suarez *tom.*4.*de Relig tract.*8.*l.*3.*c.*3. *num* 26. Idem refert Pereg. in Compend. priuileg. Cleric. Regul. *v. Apostata*, §.3. Lezana *p.* . *cap.*16.*num.*15. Petr. *ad Constit.*2. Iulij Secundi, §.13.*num.*47.& ad Constit. 13. Leonis X. *num.*4.

540. Sed necesse est priuilegia præfata diligentius examinare. Et quidem primo distingui debet inter facultatem excommunicandi, & excommunicationem ipsam. Quia facultas excómunicádi est res bona, & vt ex gratia conceditur, vnde eius concessio est gratia, & priuilegium, ac propterea ex vi communicationis priuilegiorum communis est habentibus priuilegium communicationis. Sed excommunicatio est pœna, & excommunicare est punire, ideo excommunicatio

tio ex vi priuilegiorum non communicatur. Quamobrem si excommunicentur retinentes Apostatas, vel fugitiuos alicuius Ordinis, ex hoc non sunt excommunicati retinentes apostatas, aut fugitiuos alterius Ordinis, sed in hoc cuiuscumque Ordinis priuilegia inspici debent, quæ non sunt quoad hoc communicabilia, quia esse excommunicatum hunc vel illum non est priuilegiũ, vnde nec ex eo est excommunicatus, qui retinet apostatas Ordinis Prædicatorum, quia sit excommunicatus, qui retinet Apostatas Ordinis Minorũ.

541. Hoc supposito, & considerando distinctè priuilegia recensita apparet primo, quod ex priuilegio Greg. 11. pro Minoribus nulla pœna vel lata, vel ferenda est imposita contra cooperantes apostasiæ, vel fugæ, sed solum datur facultas Prælatis contra ipsos Fratres Ordinem illum relinquentes promulgare regularem sententiam. In constit. aut Iulij II. quæ est apud *monum. Minor.* sic continetur. *Districtè inhibemus, ne reformationi domorum, aut personarum Ordinis antedicti quenis quæsito colore se opponere, aut illam impedire præsumant, sub excommunicationis pœna, quam si secus fecerint, eos & eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, & à qua donec à præmissis resipuerint cum effectu absolui nequeant præterquam in mortis articulo constituti.* Sed misso quod satis inverisimile est, quod Sedes Apostolica eadem die duas Bullas de eodem negotio ediderit diuersas. In ea verò Bulla Iulij II. quæ de hoc eodem negotio agit, & est prorsus indubitata cum sit inserta in mari magno Carmelitarum præfata excommunicatio non continetur. Hoc inquam misso, considerandum est, quod illa excommunicatio non est lata contra cooperantes apostasiæ, aut fugæ, sed contra impedientes reformationem domorũ, & personarum Ordinis Carmelitarum. At verò non crediderim, quod censendus sit excommunicatus qui aliquem Carmelitam adiuuat ad malũ, vel ei ad hoc dat consilium, vel fauorem, ex eo quod videatur ex hoc impedire reformationem, Reformatio enim importat nedum correctionem delictorum, quia hæc fit etiam regulariter in Religionibus non reformatis, sed importat reductionem ad pristinum obseruantiæ statum, ideò ex vi dictæ Constit. non sunt excommunicati, qui fauent inobedientibus, & illos tuentur, & apostatas detinent, ne capiantur, quando superiores in hoc intendunt præcisè correctionem delinquentis, & illius punitionem, & emendam, sed solũ quando superiores agunt ex fine restituendi Religionẽ, & Religiosos ad pristinum statum obedientiæ. In quo casu nedum qui retinent apostatas, aut fugitiuos, sed qui quocumque modo fauendo inobedientibus reformationem impediunt. Et quidẽ ex præsumptione, vndè ad incurrendam hanc excommunicationem necesse est, quod fauens inobedientibus illos defendendo contra superiores sciat quod superiores intẽdũt reformare, & ad pristinũ statum obedientiæ reducere Ordinem, & eius Religiosos, & quod ex hac intentione inobedientes corrigere volunt. Id enim statuitur in ea Bulla, *vt eptate ipsius Ordinis, illiusque domorum, & personarum reformatio absque alicuius impedimenti, aut obstaculi machinatione succedat*, & quid sit reformatio, Pontifex ipse in proœmio illius Constit. explicauerat. Ibi, *reformationi, & ad statum pristinum reductioni per vos faciendæ, &c.* Vndè illa excommunicatio lata fuit contra impedientes superiores ne Religionem, & Religiosos ad pristinum obedientiæ statum reducant. Itaque illa excommunicatio non est lata contra simplices cooperantes apostasiæ, & fugæ, aut apostatas, aut fugitiuos detinentes, sed contra impedientes reformationem quomodocumque. Priuilegium autem pro Minimis nullam dat facultatem Prælatis illius Ordinis procedendi per censuras contra cooperantes Apostatis, aut fugitiuis, sed hoc remittit Episcopis, quibus mandat vt contra retinentes, aut occultantes apostatas, fugitiuos, inobedientes, & contumaces post secundam monitionem sententiam excommunicationis proferant, & faciant publicari. Et sic hæc excommunicatio est sententiæ ferendæ ab Episcopo post secundam monitionem. Excõmunicatio etiam lata à Greg. 13. pro Prædicatoribus prærequirit denunciationem. & monitionem. Habetur verò similis dispositio facta pro Minimis à Iulio II. *in Constitut. Virtute conspicuos.* §. 13. quæ est secunda apud Peir. sed verè in vtraq; est sermo solum de transeuntibus ad aliam Religionem sine superiorem licentia, vel etiam de exeuntibus translaris ad aliquod beneficium, vel ad inseruiendum alicui Ecclesiæ cum exemptione ab Ordine, non verò de apostatis, & fugitiuis. Est enim sermo de decedentibus ab Ordine ipso, & fertur excommunicatio contra retinentes sic discedentes in Monasterijs, aut Ecclesijs prætextu literarum Apostolicarum. At verò fugitiui non discedunt ab Ordine, quia essent apostatæ: at apostatæ discedunt quidem ab Ordine, & statu obedientiæ, sed non vt eant ad alia Monasteria, aut Ecclesias, sed vt redeant ad sæculum, & non detinentur in Monasterijs prætextu literarum Apostolicarum, quarum nulla est, quæ det licentiam detinendi apostatas. In mari magno autem Eremitarum S. Aug. §. 15. apud Lezanam fit sermo de discedentibus ab ipsis locis, vnde videtur ibidem comprehendi apostatas, & fugitiuos, sed nulla ibi imponitur pœna contra retinentes Fratres sic à Conuentibus sine licentia discedentes, sed solum datur facultas contra ipsos discedentes Fratres regularẽ sententiam promulgandi.

542. Benè in mari magno Carmelit. §. 74. datus facultas promulgendi sententiam regularem contra retinentes Fratres illius Ordinis discedentes de Conuentibus sine licentia, sed ibi non exprimitur qui sint, quibus talis facultas tribuitur, & incertum est, quid veniat nomine sententiæ regularis. In Constit. autem Leon. X. pro Prædicatoribus excommunicantur quidem ipso facto impedientes ne capiantur, & ad Conuentus, & carceres deducantur fugitiui, & vagi dicti Ordinis, sed Constit. non loquitur de omnibus fugitiuis, sed de his qui post apostasiam, vel per allertionem quod professionem nunquam, aut infra pubertatis annos, aut per vim, & metum emisisse asserentes obtinent literas Apostolicas, vel Pœnitentiariæ, & earum vi habitu dimisso, & sæculari assũpto extra Ordinẽ vagantur, decernẽs quod in huiusmodi literis in posterum obtinendis semper intelligetur clausula, & de licentia superioris, & ea durante. Quod verò adducitur ex Innoc. 8.

non

non est ad rem. Habetur Bulla illa apud *monum. Minor. fol.* 122. *num.* 265. Sed loquitur de transeuntibus de Ordine Minorum ad alios Ordines, & sic loquitur de recipientibus illos ad habitum Religiosum. Priuilegium verò Leonis X. pro Camaldulen. & Iulij II. pro Oliuet. præsupponit monitionem, & non incurritur censura, nisi post monitionem, & contumaciam trium dierum apostatæ detineantur. Et ibi non respicitur directè apostasia, vel fuga, sed recessus sine licentia, & receptio retentio Religiosorum intuitu obsequiorum, & seruitiorum à Religiosis dictorum Ordinum recipiendorum ab eos retinentibus, & non incurritur excommunicatio, nisi si moniti post tres dies non restituantur, aut à se abijciant. Priuilegium quoque Seruitarum præsupponit monitionem, vt incurratur excommunicatio. Sed nec loquitur de apostatis, aut fugitiuis, sed de transeuntibus sine licentia suorum superiorum ad alios Ordines, vel ad beneficia extra Ordinem, aut ad exemptionem aliquam transeuntes virtute indulti alicuius legati, vel literarum Pœnitentiariæ, aut etiam Sedis Apostolicæ non habentiũ conditiones ibi descriptas. Priuilegium autem Iulij II. pro Eremitis S. Aug. Habetur per extensum apud *monum. Min. fol.* 267. *num.* 695. & afficit exeuntes ab Ordine illo, sed & excommunicatio requirit monitionem, & contumaciam octo dierum post monitionem. Est vero reseruata; eamque incurrunt, qui sic recedentibus auxilium consilium, vel fauorem præstiterint. Nimirum, qui postquam vocati sunt, eis, vt non redeant infra illos octo dies cooperantur. Remanet tandem considerandum priuilegium Innocentij Quarti pro Minoribus; sed quia nec in *monum. Min.* illud priuilegium ponitur per extensum, sed solum insinuatur. *fol.* 260. *num.* 651. non potui videre an loquatur de recipientibus ad habitũ Religiosum, an verò de recipientibus apostatas, & fugitiuos, & relatio illius priuilegij in Monum. & apud Casarub. est satis ambigua, & per verba valdè communia contra stylum literarum Apostolicarum. Non enim explicat qui sint isti recedentes ab Ordine, vel à Conuentu, & an recedentes, vt transeant ad aliam Religionem, vel vt fugiant obedientiam, vel vniuersaliter omnes recedentes. Ideò non potest aliquid certi deduci ex illis compendijs, nec censura excommunicationis ex tam vaga relatione potest deduci in præiudicium, & grauamen animarum. Et si illa verba sic prout sonant intelligi debent, dicendus erit excommunicatus etiam qui Religiosum Ordinis Minorum qui exijt sine licentia in Vrbem, recipit in domo. Sed illa Constit. vt puto non est intelligenda, nisi de recipientibus ad habitum Religiosum. Nam vbi est sermo de apostatis, & fugitiuis id quod præcipuè prohibetur non est illos recipere, sed illos retinere, ne redeant ad Religionem. Ibi vero excommunicantur recipientes, nulla facta mentione de retentione; solent verò excommunicari, & ita de facto ex multis Constitut. Pontificum sunt excommunicati recipientes ad habitum eos, qui sine licentia à suis Ordinibus recedunt, vt ex supra dictis est manifestum.

543. Ex his primo colligitur non dari in iure communi aliquam pœnam determinatam contra cooperantes apostasiæ, vel fugæ apostatarum, vel fugitiuorum. Secundùm quod licet possint Prælati Religionum apostatas, & fugitiuos capere, & etiam vi ducere ad Conuentus, & carceres intrudendo ad hoc si opus est brachium Ecclesiasticũ, & seculare, ipsi etiam possunt contra cooperantes, & retinentes, aut illis fauentes procedere per censuras, medio Episcopo, qui quidem nedum ex priuilegio Leonis decimi pro Minimis, sed de iure communi potest per censuras compellere laicos ne apostatas, aut fugitiuos detineant, aut eis faueant. An autem hoc fieri possit per Conseruatores, res alia est, & in hoc standum iuri communi, & Const. Greg. 15. Nec datur circa hoc priuilegium particulare. Solum ex vi priuilegijs maris magni Carmelitarum possunt Prælati contra detinentes fugitiuos promulgare sententiam regularem, quam sententiam Casarubias, & Lezana dicunt esse excommunicationem, quod est incertum. Nam sententia regularis ex vi nominis non significat, nisi sententiam ex vi alicuius regularis legis ferendam, & in hoc sensu benè in mari magno Eremitarum S. Aug. §. 15. licitum esse Prælatis contra Fratres apostatas, & fugitiuos promulgare sententiam regularem, seu quæ ex regula contra illos potest promulgari. Cum vero Sixtus 4. non explicet, qui sint hi Prælati, quibus concedit hanc facultatem cum loquatur in plurali, ad minus intelliguntur Generalis, & Prouinciales respectu suarum Prouinciarum. Tertiùm quod licet ex vi aliquorum priuilegiorum retinentes apostatas, aut fugitiuos sint post monitionem, & ea contumacia supposita excommunicati non tamen omnia priuilegia loquuntur vniuersaliter, sed lata sunt contra modos speciales cooperandi, vt v. g. contra retinentes prætextu obsequiorum, vel seruitiorum propriorũ, vt in *priuil.* Iulij II. pro Oliuet. & Leon. X. pro Camaldul. sicut nec infertur pœna excommunicationis contra omnes cooperantes apostatis, & fugitiuis, sed contra detinentes. In priuilegio tamen Iulij II. pro Eremitis S. Aug. excommunicantur dantes auxilium, consilium, & fauorem ne Fratres dicti Ord. moniti post octo dies non redeant ad suos superiores, vndè non afficit, nisi cooperantes per auxilium, consilium, & fauorem ne apostatæ, vel fugitiui moniti infra octo dies redeant ad suos superiores. Quartum non dari aliquod priuilegium certum per quod cooperantes apostatis, vel fugitiuis sint ipso facto excommunicati nulla præuia monitione. Nam priuilegia, vel loquuntur de recipientibus Religiosos alterius Ordinis ad habitum propriæ Religionis. Dicere vero, quod ex maioritate rationis huiusmodi censuræ extendantur ad recipientes apostatas, & fugitiuos est contra regulas iuris non admittentes in pœnis, & censuris extentionem de casu ad casum ex similitudine, aut etiam maioritate rationis. Vel etiam loquuntur in casu particulari, vt in priuilegio Leonis X. pro Prædicatoribus, contra impedientes Prælatos dicti Ordinis ne reducant Fratres prætextu aliquarũ literarum Apostolicarum extra Ordinem vt supra explicatum est, manentes. Priuilegium etiam Innoc. IV. pro Minoribus solum afficit recipientes eos, qui recedunt sine licentia, sed prorsus incertum est de quibus recedentibus, & recipientibus loquatur. Quintum nihilominus quod colligitur,

gitur, est, quòd excommunicatio ista lata ipso facto contra recipientes; vel retinentes apostatas, aut fugitiuos vnius Ordinis non est communis ad recipientes, aut retinentes Fratres alterius Ordinis, sed in hoc attendi debet, an Ordo cuius apostatæ, aut fugitiui detinentur habeat priuilegium per quod sic cooperantes sint excommunicati, quia si non habet, eam censuram non incurrunt præfato modo cooperantes.

544. Nonnulli etiam sunt casus in quibus defineutes huiusmodi apostatas excusantur à DD. ab incursu huius excommunicationis, vt si quis faueret Apostatæ, putans eum habere ad id causam legitimam manendi extra religionē, vel quia intra religionem non esset tutus, vel ex aliquo alio simili capite, vel vt induceret illum ad pœnitentiam. Pasqualig. ad Franc. *num.* 1057. vel si quis detineret apostatam non vt apostatam, & vt faueret apostasiæ, sed titulo consanguinitatis amicitiæ, vt in familiaribus. Nauar. *rēs.* 69. *de regul.* n. 1. & in Man. c. 27. Portel. *v. apostata* n. 4. Miranda to. 1. 4. 5. a. 2. Hier. Rodriq. *resol.* 1. t. *num.* 7. Sanctarell. *in stat. Minorum c.* 2. *stat.* 62. Rodriq. t. 1. *q.* 30. *a.* 9. Peyrin. *ad Constit.* 2. Iulij II. *num.* 49. Pasqual. ad Franc. *num.* 1089. Donatus *in praxi p.* 2. *tr.* 6. *q.* 22. quod probant. Tum quia excommunicatio lata in fautores hæreticorum non incurritur, nisi quis faueat hæreticis, vt hæreticis. Tum quia excommunicatio ista lata est in odium apostasiæ, ideo non incurritur, nisi quis apostasiæ faueat.

545. Verùm hæc non sine explicatione admitti possunt. Nam si quis etiam consanguineus etiam Pater monitus, & requisitus impediret absolutè superiores religionis ne suum subditum possent recuperare, & etiam punire, sicuti iniustè ageret, ita etiam esset excommunicatus ex vi supradictarum Constitutionum, quia Pontifices hoc præcipuè intendant, ne iniustè impediantur superiores regulares quin apostatas & punire, & reuocare possint. Est ergo circa huiusmodi cooperatores considerandum, quod dupliciter potest aliquis cooperari fugæ, vel apostasiæ nimirum positiuè, & negatiuè. Et positiuè quidem primo persuadendo religiosum ad exitum, secundo consulendo, tertiò approbando, quartò adiuuando, quinto post fugam Religiosum recipiendo, occultando, & defendendo. In primis quatuor modis euidens est culpa, & fautoria apostasiæ, aut fugæ, quæ vel suaderut, vel consulitur, vel iuuatur, aut approbatur. In quinto autem modo cadere potest excusatio. Sed attendi debet, an ex actione cooperātis firmetur apostata in apostasia, aut fugitius in fuga. Si enim per se ex vi actionis præstitæ, apostata firmatur in apostasia sic quod auxilium præstitum est causa influens in perseuerantiam apostasiæ, tunc recipiens, occultans, defendens cooperatur apostasiæ, vel fugæ, nec excusatur quod hoc faciat intuitu amicitiæ, vel consanguinitatis, quia interim talis est apostasiæ, vel fugæ causa moralis; secus vero contingit, si ex his apostata, vel fugitiuus non deducit in peccato suo maiorem perseuerantiam, sed tales actiones ad apostasiam concommitanter se habent, nec aliquid fautoris influunt in illam. Hinc enim sequitur, quod ex sola receptione apostatæ intra domū non concluditur cooperatio apostasiæ, quia hæc receptio fieri potest ex amicitia, & alias receptio, vel etiam sustentatio apostatæ sunt actiones nimis indifferentes, & de se non conducunt ad apostasiam. Sed si apostatæ quis det pecuniam equum, aliaue vt commodius fugiat, iam apostasiam fouet. Suarez *tom.* 4 *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 2. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 18. *num.* 1. Item, si quis occultet apostatam à Religione, ne ipse, vel eius Religio detrimentum patiatur, non cooperatur apostasiæ, nec male facit. Sed si occultet eum Religiosis sui Ordinis, seu Prælatis, aut eorum ministris, ne eum absolutè capiant, & reducant, etiam si hoc faciat ex amicitia cooperatur apostasiæ. Sic si quis defendat apostatam ab inimicis, nulla est apostasiæ cooperatio, secus si defendat ne capiatur à suo Prælato; nec excusatur, quod hoc faciat intuitu consanguinitatis, vel amicitiæ, quia iniustitia fit Religioni, dum impeditur ne apostatam capiat, & ad se reducat. Negatiuè autem potest quis cooperari apostasiæ si eum quis potest impedire apostasiam illam non impedit. Tenetur autem omnis fidelis ex charitate peccatum proximi impedire, si absque graui suo detrimento id facere potest. Sed licet si non faciat peccet contra charitatem, tamen non per hoc dicitur esse cooperator apostasiæ, secus si teneatur ad illam impediendam ex iustitia, tunc enim si non impedit apostasiæ cooperari censetur, illique fauere. Suarez *vbi supra num.* 3. Palaus *d. p.* 18. *num.* 2. Itaque ad videndum an cooperator sit excommunicatus considerari debet externa actio si sit cooperatio, & si sit iniusta actio contra ius Religionis, & si sit actio illa, quæ sub excommunicatione est prohibita. Materia autem huius excommunicationis est actio externa iniusta, quæ sit morale, & notabile impedimentum ne apostata reducatur ad claustra. Hoc enim est detinere apostatam, scilicet impedire ne superiores illum possint reducere ad claustra. Nam & hoc est fauere apostatæ, vt apostatæ scilicet aliquo modo causare apostasiam illius. Et quidem occultare apostatam, & impedire ne capiatur, seu ad tempus reducatur ad claustra potest fieri sine iniustitia, vel quia adsit iusta causa defensionis, ne cadat in manus inimici iniustè vexaturi apostatam, vel si pensatis pensandis id non fiat inuita religione, vt quia detinetur ne cum dedecore religionis deducatur, & vt interim apostata ad pœnitentiam redeat, vel ex alia quacumque causa, vnde possit præsumi superiorum permissio, & consensus. In his enim casibus, in quibus detentio non est iniusta, vel non est in eo iniustitia notabilis, quia est ad breue tēpus, sicuti detentio, vel nullum est peccatum iniustitiæ, vel est veniale, ita non est materia excommunicationis eius. Similiter vbi fauor, qui adhibetur apostatæ non est aliquo modo causa apostasiæ directè, nec indirectè, vt quia nihilominus apostata remaneret; sicuti talis fauor non est iniustus, ita non potest esse materia huius excommunicationis, quia eius materia est externa iniusta actio, per quam quis cum religionis iniuria, & damno fauet nedū apostatæ, sed apostasiæ.

546. Ex his verò colligitur quod si quis ante monitionem, & instantiam detineat apostatam iniustè, & animo fauendi apostasiæ, licet grauissimè peccet, non est tamen excommunicatus, quan-

do excommunicatio ista supponit contumaciam post monitionem. Similiter si quis aliunde faueat apostatæ etiam inducendo ad apostasiam, si hoc fiat antequam apostata sit monitus, & citatus, vbi monitio requiritur, & prohibetur impedire ne apostata monitus redeat, non habet locum hæc excommunicatio. Quod enim dantes consilium, auxiliũ, & fauorem aliter quam illum detinendo sint excõmunicati non inuenio nisi ex Const. Iulij Secundi pro August. At vero ex vi illius apostata tunc solum est excommunicatus, cum monitus à Generali non redit ad claustrum intra octo dies; ideo cooperatores huic apostasiæ tunc solum sunt excommunicati, cum dant auxilium, consilium, vel fauorem ad hoc quod apostata monitus à Generali non redeat intra octo dies à monitione, seu mandato Generalis, vnde ex vi illius Const. nec apostata, nec fautores ante Generalis mandatum, & ante elapsum terminum 8. dierum sunt excommunicati.

547. Quæ quidem vera sunt loquendo absolute de cooperantibus apostasiæ, vel fugæ Religiosorum; Nam aliàs qui tali, vel fugæ, vel apostasiæ cooperantur nimirum recipiendo fugientes ad habitum alterius Religionis, sunt excommunicati, & per priuilegia particularia concessa Religionibus, vt supra visum fuit, & per Const. 91. Pij Quinti, qui omnia priuilegia recipiendi ad habitum alios Religiosos cassauit, & prohibuit sub pœna excommunicationis ne aliquis Religiosus alterius religionis venientes reciperet ad habitum nisi iuxta formam iuris communis. Et huiusmodi excommunicatio extenditur etiam ad dantes auxilium, consilium, & fauorem, per Constit. *Aequum* eiusdem Pij Quinti ad fauorem Societatis, prout in eius bullario fol. 90. ibi. *Quam excommunicationis pœnam, tam ipsi Religiosi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel fauorem præstantes, etiam incurrerent.* Quamuis hæc extensio, seu excommunicatio respectu dantium auxilium, fauorem, & consilium non habeat locum vniuersaliter ex vi dictæ Constit. sed solum in casu in quo Religiosus qui habens licentiam transeundi ad aliam religionem, vel intra terminum statutum non transierit, vel si ingressus ante professionem in eam perseuerare nolens, aut non valens, non redierit sine mora ad Societatem. De hoc enim casu speciali ibi loquitur Pontifex, qui prius loquens absolutè de transitu sine licentia ad alium ordinem solis transeuntibus, & eos recipientibus excommunicationis pœnam imposuerat, & postea loquens de transitu cum licentia iubet, vt Religiosus trãseat infra assignatum terminum, & ingressus statim sine mora redeat, si in ea Religione perseuerare, aut nolit, aut non possit, sub pœna excommunicationis, quam incurrant tam Religiosi Societatis, quam recipientes illos, & eis auxilium, fauorem, & consilium dantes, & ita hæc excommunicatio afficit eos qui cooperantur, vt Religiosus Societatis aut recipiatur ad habitum alienum transacto tempore in licentia sibi præfixo, aut non redeat sine mora, si cum licentia ingressus in aliam religione perseuerare, vel nolit, vel non possit.

548. Ad huiusmodi etiam cooperationem fugitiuorum spectat receptio Religiosorum itinerantium etiam eiusdem Ordinis sine licentia aduenientium, quam prohibuit Sixtus Quintus in Const. *Cum de omnibus*, sub die 26. Nouembris 1578. contra illigitimos, & in Const. *Ad Romanum*, declaratoria istius prioris, vt habetur ibi. *Et tamen volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut sine licentia, vel literis vt supra receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentarum, atq. inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant.* Quod in Constit. *ad Romanum*, extendit, & obseruare voluit *in ijs quoque qui proficiscuntur de vno in aliud eiusdem Prouinciæ Monasterium, tam sui, quam alterius Ordinis.* Ad hanc tamen pœnam incurrendam duo coniunctim requiruntur, vt scilicet Religiosus receptus, nec habens licentiam itinerandi, nec sit notus recipienti, vnde si alterum horum desit, quia vel Religiosus adueniens habet licentiam, vel si non habet, est notus recipienti, non incurritur hæc pœna, cuius impositionis finis fuit ne facinorosi homines sub mentito Religioso habitu iustitiæ manus effugerent. Vnde est quod inter eandem Prouinciam eiusdem Ordinis non potest tam de facili accidere casus, vt Religiosus non sit notus Prælato recipienti illum ad hospitium. Potest tamen contingere, maximè in amplis Prouincijs, ideo non bene Donatus *p. 2. tract. 7. q. 5.* absolute docuit, quod pœnæ prædictæ, non comprehendant superiores recipientes fugitiuos eiusdem Prouinciæ, cum hoc aperte sit contra textum Constit. *Ad Romanum &c.* quæ constitutio etiam supponit, quod contingere possit, vt Religiosus fugitiuus possit esse intra eandem Prouinciam ignotus Prælato illius Conuentus ad quem fugitiuus accedit.

549. Hoc etiam aduertendum, quod pœnæ latæ, contra detinentes apostatas, aut eis cooperantes secundum aliquos afficiunt eos, qui detinent, vel fauent ei, qui indebito modo recedit ab ordine prætendens se non esse legitime professum, quia ille est apostata, & vt apostata habendus, neque ex prætextu nullitatis professionis recipi potest, donec eius professio fuerit legitimè declarata nulla. Pasqual. ad Franc. *n.* 1057. Verum considerandum est, quod licet iste, qui prætẽdit professionem suam fuisse nullam, & ideò recedit à Religione vere recedat cum animo non reuertendi, tamen propriè non est apostata, quia non vult recedere ab obedientia, quam fuit professus, sed quam putat non fuisse professum, & quam si vere non fuit professus, est liber, vt ab ea recedat. Ideo talis est apostata solum præsumptione, & fictione iuris. Et ideo non credo, quod detinens huiusmodi apostatam sit excommunicatus ex vi legum prohibentium sub excommunicatione detineri apostatas, quia huiusmodi leges de propriè, & verè apostatis intelligendæ sunt, cum sint odiosæ.

550. Deducitur quoque ex prædictis non licere alicui, vel Prælato Ecclesiastico, vel Principi seculari, cuiuscumque conditionis sit extra-

here

here à Religione aliquem Religiosum ad sui obsequium. Hoc enim est illis prohibitum, vt in Mari Magno Prædicatorum apud Lezanam §. 18. seu in Const.7.Greg.XI.§.ibi. [Cæterum Magistri, & singuli Priores Prouinciales, atque ipsorum Vicarij, illos ex Fratribus de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, vel alijs quibuscumque prouisum extitit, vel in posterum cõtigerit prouideri, corrigere, ac non obstante contradictione aliqua, possint ad suum Ordinem reuocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu Legatorum ipsius iam de cetero obtinendas, aliquos de fratribus ipsius Ordinis, præfatis Archiepiscopis, & Episcopis aut alijs teneantur in socios deputare, nisi dictæ literæ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & Ordine ipso expressam fecerint mentionem, & alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem Legatus nisi de latere nostro missus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & Ordine vestro non facientibus mentionem, nullusque Prælatus, aut aliqua persona religiosa vel secularis, de fratribus eiusdem Ordinis, seu Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, ad sua, seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos Magister, vel Prior prouincialis ipsorum, tamquam idoneos & discretos sibi duxerint assignandos, quos etiam volumus subiacere Ordinis disciplinæ.] Similia vero habẽtur in Mari Magno Minor.§.18.19. Carmelitarum. §.89. Minimorum, § 11.& in Const.Greg.13. pro Societate, quam refert Rodriq. *p.2.q.64.a.1*, & facit priuilegiũ quoddam Alex.6. pro Mercenarijs, quod est tertium in eorum Bullario. Et nunc etiam de hoc prouisũ est decretum Conc.Trident.*sess.25.de Regularibus.c.4.* *Prohibet S.Synodus, ne quis Regularis, sine sui superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis operis pij prætextu, subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut cuiuscumque personæ, seu loci, neq. ei aliquod priuilegium, aut facultas, ab alijs super ijs obtenta suffragetur. Quod si contrafecerit, tamquam inobediens arbitrio superioris puniatur.*

551. An veró excommunicatio, quæ lata est in detinentes apostatas Religionum afficiat Episcopos, negant Peyrin. ad Const.2. Iulij secundi §.13.*num.*47. Lezana *tom.*1.*c.*16.*num.*15. Pasqual. ad Franc. *num.* 1056. & alij eo quia Episcopi habent priuilegium de iure communi, vt non possint excommunicari. Ex Conc. Trid. *sess.* 24. *c.*5. *& excep.Sedes apostolica de rescriptis.*

S V M M A R I V M.

1 *Prælati Regularium possunt incorrigibiles eijcere. num.*552.
2 *Posse Religiosum eijci etiam ob enormia delicta plures senserunt. num.*553.
3 *Solum incorrigibiles possunt eijci nu.*554.
4 *Non potest Religiosus eijci ex eo, quod conspirauerit contra superiorem. num.*555.
5 *Generalis non potest Religiosum malum eijcere ad tempus, nisi iuxta leges damnando eum ad triremes. num.* 556.
6 *Incorrigibilis dicitur dupliciter. num.*557.
7 *Prima conditio incorrigibilis, quod graue delictum commiserit. num.*558.
8 *Secunda, quod de delicto constet in iudicio, numer.*559.
9 *Tertia, quod sit de delicto damnatus. numer.*560.
10 *Quarta, quod pluries pro pluribus delictis fuerit inquisitus, & damnatus. num.* 561.
11 *Non est necesse quod delicta sint æque enormia. num.*562.
12 *Sufficit vero si sint eiusdem speciei: etiam contemptus pœna est delictum graue. num.*563.
13 *Quinta conditio quod pluries sit monitus. numer.*564.
14 *Monitio ista iudicialis aliquando, est eadem cum punitione, aliquando non. num.*565.
14 *Monitio ista debet esse iudicialis. num.*566.
15 *Non sufficit vna monitio pro trina. num.*567.
16 *An requiratur trina monitio. num.*568.
17 *Requiritur quod ter puniatur, seu monitus contemnat. num.*569.
18 *Incorrigibilis de facto est qui perseuerat in delictis, sed non fuit monitus iudicialiter nec punitus. num.*570.
19 *Ad eijciendum Religiosum sufficit incorrigibilitas facti secundum aliquos. num.*571.
20 *Oppositum eligitur, & probatur. num.*572.
21 *Diuersi modi incorrigibilitatis. num.*573.
22 *In vnaquaque Religione si requiratur aliquid amplius ad incorrigibilitatem, quam sit illud quod requirit ius commune illud est seruandum. num.*574.
23 *Non requiritur ad incorrigibilitatem, quod damnatus recaiat pœnam. num.*575.

De eiectis.

INSPECTIO I.

552. Religionum Prælatos subditos suos incorrigibiles repertos posse in perpetuum à Religione eijcere negauerunt ex Canonistis Goffrid. *sum. v. Apostata, num.*11. Host. *num.*4. Abbas *cap. cum ad Monast.de statu Monach. num.*13. Card. *Clem.*1.*§. Quia vero num.* 5.*eod. tit.* Imola *cap.cum in Eccles.num.*8.*de maior.& obed.& ibid.* Io-Andr.*num.*9. Lapus *de libert.Eccles. p.*2. *q. fin.num. vlt.* Crassus *p.p.l.*3.*c.*5.*num.*145. Angelus *v. Abbas num.*18.*Fundati in cap. Impudicas, & in c.si quis sacro* 27.*q.*1. Et ex eo quia hoc sit contra iustitiã & contra charitatẽ. Contra iustitiã quidẽ, quia cum non possit Religiosus exire, & recedere inuita Religione, æqualitas contractus initi cum Religione in professione requirit, vt nec religio possit inuitum Religiosum abijcere. Contra charitatem autem, quia ponitur subditus in statu in quo nisi difficillimè potest saluari, cũ ex vna parte nõ per hoc desinat esse Religiosus, & ex alia extra Religionem vix vota obseruare possit. Sed certissimum est Superiores Ordinum posse morbidas oues eijcere, & subditos insolentes, & incorrigibiles reijcere, & à Monasterijs, seu domibus, &

consortio Religiosorum separare, & repellere. Quod habetur ex iure communi, *cap. final. de regulac. & cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum, & cap. final. eod. titulo, & cap. relatum. ne Clerici, vel Monachi, & cap. cum in Eccles. de maiac. & obed.* & ex Const. 26 Vrbani Octaui de eiectis, & apostatis. Idem quoque colligitur ex statutis Religionum, vt ex Basil. in *regula* 28. ex fusius disputatis, *& ex regula* 44. 57. *&* 61. ex breuioribus, & in animaduersione ad Canon. *delinq. reg.* 8. & in Const. Monast. *cap.* 34. Item ex S. Bened. *in reg. cap.* 28. quem vsu hoc seruasse refert S. Greg. *l.* 2. *Dialog. cap.* 25. Item S. Aug. in regula *cap.* 20. & ex Const. Ord. Prædicatorum. *dist.* 1. *cap.* 9. & ex regula S. Francisci *cap.* 13. Vnde hanc partem tenuerunt, & decreuerunt D. Thom. *quod.* 12. *ar. vlt.* D. Bonauen. in regulam S Franc. *q.* 14. D. Anton. 3. *p. t.* 16. *cap.* 4. Turrecrem. in regulam D. Bened. *tract.* 88. Humbert. in reg. S. Aug. c. 99. Sylu. *v. religio* 6. *q. vlt. & v. Abbas q.* 3. *num.* 6. Nauar. com. 2. *de regul. num.* 33. *& l.* 3. *cons.* 77. *de regularibus n.* 1. Rodriq. 1. 1. *q.* 30. *a.* 13. Suarez *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Barbosa in *cap. Ne religiosi. de reg.* Bonac. *de claus. q.* 2. *p.* 12 §. 1. *num.* 54. Sanchez plura referens *l.* 6. *mor. cap.* 9. *num.* 3. Tambur. *tom.* 3. *disp* 8 *q.* 7. *num.* 4. & cæteri DD. communiter. An vero expediat malos eijcere non parua eget consideratione. Certe quod Paulus Quintus concesserit Canonicis Regularibus Sanctæ Crucis Conimbricæ anno 1615. quod incorrigibiles, vel ad carceres perpetuos, vel ad triremes damnarent ex Portell. *v. eiecti num.* 4. & Hier. Rodriq. *resol.* 57. *num.* 7. tradit Lezana ad Mare Magnum Carmelitarum, *num.* 486. qui etiam arbitratur potius sic cum illis agendum esse, eo quod experientia ipsa ostenderit plures ex industria fieri incorrigibiles, vt eijciantur. Ego summopere approbo decretum S. Cong. Conc. in §. 8. vbi Superiores admonet, & per Iesu Christi viscera obtestatur, vt nihil intentatum relinquant, antequam grauissimum, & extremum eiectionis remedium experiantur.

553. Quo supposito primo quærendum se offert, pro qua culpa possit religiosus eijci à Religione. Nam id fieri posse propter enormia delicta affirmarunt aliqui, & ita sensisse Syluestrum *v. Abbas q.* 3. *num.* 6. refert Donatus in praxi *p.* 2. *tr.* 8. *q.* 5. sed tamen id non habetur ibi, sed imo Sylu. ibi docet non posse Religiosum eijci nisi ob contumaciam & incorrigibilitatem, quamuis postea subdat sufficere in hoc incorrigibilitatē præsumptam. In quo Syluestrum sequitur Suarez t. 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 4. *nu.* 11. Probatur vero hoc quia pluribus Religionibus concessum fuit priuilegiū, vt possint expellere suos pro graui delicto, sic enim teste Palao *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 19. *num.* 7. concessit Minoribus Leo Decimus, & Societati Greg. 13. in bulla incipiente: *cum alias Præposita Generali*. Affertur etiam priuilegium Pij Quinti sub die 19. Septembris 1566. concessum Ord. S. Hieron. in Hispania per quod datur facultas Capitulo Generali, & postea fuit eadem facultas extensa ad Generalem, vt possit Religiosos propter delicta grauiora, prout sunt inobedientia, contumacia, & incorrigibilitas, dummodo Generalis id non faceret nisi de consilio Patrum Conuentus Sancti Bartholomæi de Lubiana. Vnde ex iure particulari, & statuto Religionum posse eijci Religiosos nedum propter incorrigibilitatem, sed ob alia etiam grauia delicta tenuerunt Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 16 *q.* 3. Sanchez *l.* 6 *mor. c.* 6. *nu* 5. Mirand. *t.* 1. *q.* 52. *a.* 1. Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *p.* 19. *num.* 7. quam sententiam tuetur etiam Suarez *t.* 4. *de relig. tra.* 8. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 11. explicans priuilegium præfatum Pij V. vt licet exemplificet de inobedientia, contumacia, & incorrigibilitate tamen indefinitè intelligi debeat de delictis grauioribus, vel grauissimis. Et hoc nedum quando adest in delinquente præsumpta incorrigibilitas, vt voluit Syluester, sed etiam si licet sit spes correctionis in priuata persona nō tamen possit satisfieri publicæ infamiæ, aut scandalo Religionis nisi expellendo Religiosum delinquentem, aut sine magno dispendio Religionis non possit delinquens in carceribus detineri, & alio modo puniri. In his enim casibus quantum sit etiam ex iure communi possunt huiusmodi delinquentes ob grauiora delicta eijci, bono communi præponderante bono priuatæ personæ prout etiam tenuerunt Rodriquez t. 1. q. 30. a. 14. Clar. *l.* 5. §. *Sacrilegium, num.* 3. Maranta in *speculo f.* 29. *post num.* 53. Quæ vero sint grauia delicta ob quæ iuxta priuilegium illud Pij Quinti possunt eijci Religiosi, expressit idē Pontifex & declarauit esse illa pro quibus in iure communi est imposita pœna mortis, vel carceris perpetui, vel triremium. Sed ex Portell. & Iulio Claro in Pract. crim. §. 1. *num.* 9. plura recenset Donatus *p.* 2. *tra.* 8. *q.* 6. nimirum læsa Maiestas, homicidium ex proposito, falsificatio monetæ, Vulnus illatum cum sclopero etiam morte non sequuta, si fiat proditoriè, captus virginis honestis parentibus ortæ, coitus cum Moniali intra septa Monasterij, sodomia, latrociniū in vijs, falsificatio sigilli Principis, vel Senatus. Additur vero etiam Apostasia siue sine habitu, siue cum habitu. Pro his ergo aut similibus delictis posse Religiosum eijci à Religione sentiunt præfati DD. Palaus tamen *d. p.* 19. *num.* 8. illud delictum putat exclusione dignum, quod in seculo meretur pœnam mortis. Verum cum modo ex decreto Vrbani 8. in Constit. 26. de apostatis, & eiectis non possint Religiosi eijci nisi ab incorrigibilitatem, nihilominus adhuc aliqui putant dari casum, in quo hæc expulsio sit licita propter alia delicta, vel non seruata forma Constitutionis Vrbani Octaui, nimirum si probabiliter timerentur Religioni, aut grauis infamia, aut graue scandalum si expulsio differretur aut ordinaretur causa modo præscripto in decretis Vrbani 8. Quoniam cum huiusmodi expulsio competat Religionibus de iure naturali, cui iuri derogare non potest ius positiuum humanū *l. scientiam*, §. *qui cum aliter, ff. ad leg A. quiliā*, licet Pontifex ex plenitudine potestatis operetur, non intendit impedire, quæ sunt de iure naturali, *cap. cum inter, de except. & Clem. Pastor.* §. *cæterum de sent. & re iudicata*.

554. Verum absolute dicendum est, Religiosum non posse eijci, & priuari habitu simpliciter nisi ob incorrigibilitatem solam, vt decernit Vrbanus Octauus in sua Constitut. 26. & antiquitus docuerunt D. Thom. *quodl.* 12. *a. vlt.* D. Bonauentura

tura in regula S. Francisci q. 14. Card. *cap. cum aliis num. 4. de priuilegiis.* Atmilla, *v. religio num. 9.* Antonius Cuccus *t. 2. instit. moral. l. 1. num. 130.* & ex Modernis Donatus in praxi, *p. 2. tra. 8. q. 5.* Bellet. *de pœnis Cler. §. 25. num. 10.* Pasqual. ad Franc. *numer. 1602.* Et ratio est, quia Religioni non punientem pro meritis delicta non remanet infamia, vel scandalum. Vtrumque enim horum prouenit ex delicto iam commisso, & vtrumque tollitur ex pœna delicto proportionata; nisi religio prætenderet impossibile, scilicet, quod in ea non sint nec fuerint delinquentes, & petitioni homines pœnam grauissimis puniendi. Tunc vero solum Religio non potest scandalo, vel infamiæ remedium offerre puniendo delicta, cum punitio non iuuat, vt noua delicta impediat, & delinquentem coerceat. Quod si cum Religionis infamia ex Prælatorum negligentia multiplicantur in aliqua religione grauia delicta, non est aptum remedium delinquentes eijcere, sed Prælatos corrigere, & punire. Nec fingi potest casus moralis, in quo Religio scandalis, vel infamiæ occurrere non possit puniendo iuxta leges ipsos delinquentes non incorrigibiles, absque eo, quod illi eijciantur à Religione.

555. Ex quo deducitur primo non habere locum id, quod tradunt Viual. in *cand. p. 3. tit. de deposit. num. 21.* Diaz in pract. *cap. 90.* apud Donatum nimirum ob conspirationem in aliquem Superiorem posse Religiosum eijci à Religione, quia in tali casu Clerici possunt deponi, magis vero Religiosus tenetur obedire suo Superiori, quam Clericus Episcopo. Nam per noua decreta non potest Religiosus eijci à Religione nisi propter solam incorrigibilitatem, §. 6. ibi. *Ad hæc vt imposterum è Religionibus nullus legitimè professus eyci possit, nisi sit vere incorrigibilis.* Donatus in praxi *p. 2. tract. 8. q. 7.* Pasqual. ad Franc. *num. 1063.*

556. Deducitur secundò, non posse Generalem aliquem priuare habitu, & eijcere ad tempus, nisi iuxta leges damnando illum ad triremes, quia si damnat subditum, vt incorrigibilem debet illum simpliciter eijcere, & in perpetuum quantum sit ex vi sententiæ; ob aliam verò causam non potest illud eijcere, vt ex Nauar. tradunt Leand. in *cap. 2. regul. S. Franc. q. 16. in fine* Pasqual. ad Franc. *num. 1064.*

557. Quæritur secundò, quis censeri possit, & debeat incorrigibilis, vt possit iuste eijci à Religione. Incorrigibilis dupliciter dicitur ex Sylu. *verbo incorrigibilis,* scilicet incorrigibilis de iure, & incorrigibilis de facto. Multipliciter verò describitur incorrigibilis de iure communi, vt patet ex Carolo de Graffis de *effect. Clericatus, effect. 1. à numer. 798.* Vt verò habetur *ex cap. final. de statu Monach. & cap. vt fama sua, & cap. contingit el 2. de senten. excomm. & cap. cum non ab homine de iudicijs,* ad hoc vt aliquis dicatur incorrigibilis plures conditiones requiruntur.

558. Prima vero conditio est, vt Religiosus commiserit aliquod graue delictum, & scandalosum, vt est delictum proprietatis, aut furti, aut homicidij, aut formalis inobedientiæ, vel similem, vt habetur ex *cap. cum ad Monasterium, de statu Monach. & cap. cum non ab homine, de iudicijs,* Et tradunt Suarez *t. 4. de relig. tract. 8. l. 3. cap. 4.* Lezana *p. p. cap. 23.* Palaus *tract. 16. disp. 4. p. 19.* *num. 5.* Bellet. *de pœn. Cler. §. 25. num. 13.* Donatus in praxi *p. 2. tract. 8. q. 9. num. 19.* Pasqual. ad Franc. *num. 1059.* Pro leuibus enim inobedientijs etiam multiplicatis, non potest quis censeri incorrigibilis, vt ab ordine eijciatur.

559. Secunda conditio est, vt de delicto constet legitimè, ita vt delinquens de eo sit, vel confessus in iudicio, vel conuictus, vt habetur ex *cap. Vt fama de sent. excom. & cap. cum non ab homine de iudicijs,* & tradunt Celsus Vgo *consil. 63. in princ.* Barbat. *in cap. Cum non ab homine, col. 3. vers. Nota ibi.* Alexan. *cons. 72. col. 1. & 2.* Carolus de Graffis *de effect. Cler. effect. p. num. 807.* Suarez, Donat. Bellet. *& num. 16.* & Pasqual. loco citato. Neque enim pro delictis occultis, & non publicis potest quis eijci à Religione cum huiusmodi delicta vel non sint scandalosa, nec inferant communitati detrimentum, si sint omnino occulta, vel prius corrigi debeant, antequam de iure habeatur aliquis, vt incorrigibilis. Publicum verò iuris est, id de quo in iudicio legitimè constat, vel per confessionem, vel per testes plene probantes & concludentes.

560. Tertia conditio est, vt pro huiusmodi delicto reus fuerit legitimè damnatus. Quod habetur ex eisdem textibus. Non enim sufficit quod quis sit de delicto inquisitus, ad hoc vt dicatur incorrigibilis, vnde si inquisitus absoluatur à delicto non potest ratione huius dici incorrigibilis, vt tradunt benè ex Riccio *dec. 202. in fine p. 4.* Donatus loco citato *q. 14.* & Pasqual. citatus *numer. 1069.* Quia non entis nullæ sunt qualitates, & vbi non est delictum, ibi locum non habet nec correctio, nec dici potest impœnitens, & in delicto contumax, qui non deliquit. Et hoc verum est etiam si Religiosus vere deliquit, sed quia delictum non fuit in iudicio probatum, idem ab eo fuit absolutus; quia talis non est ad hunc effectum publicus, aut notorius delinquens, qui per iudicem non potuit declarari & damnari, vt talis, vnde à iudice talis non habetur, vt delinquens, vel criminosus.

561. Quarta conditio est, vt reus non semel tantum, sed pluries grauiter deliquerit, & pro huiusmodi delictis inquisitus, & damnatus fuerit, vt ex eisdem textibus deducitur, quia semel delinquens non potest dici contumax, vel perseuerans in malo. Verum est, quod aliqui quos refert, & sequitur Carolus de Graffis loco citato *nu. 802.* & Donatus in praxi *p. 2. tra. 8. q. 15.* voluerunt quod ad incorrigibilitatem sufficiat vnum delictum sæuum, & enorme. Et Graffium sequutus est Rodriquez *tom. 1. q. 30. a. 5.* Sed hoc non habet in iure fundamentum. Nam in *cap. Cum non ab homine, de iudicijs,* decernitur quidem quod Clericus propter furtum, vel homicidium, vel periurium deponi possit, sed tamen statuitur, vt non possit tamquam incorrigibilis per Iudicem secularem puniri, nisi prius post depositionem excommunicetur & crescente contumacia anathematis mucrone feriatur, & huiusmodi Ecclesiasticas pœnas iterum contempserit, & pertinax in delicto perseuerauerit. Vbi Glossa optimè hoc explicat, & ostēdit hunc ordinem seruandum, vt quando proce-

ditur contra aliquē pro delicto primo iuxta delicti exigentiam debet, vel suspendi, vel deponi, & si correctus appareat, & non incorrigibilis, non procceditur amplius contra ipsum, si verò sit incorrigibilis excommunicatur, & si hoc non proficit tunc tanquam incorrigibilis Curiæ seculari traditur, & à Clericatu eijcitur, Non igitur vnū delictum sufficit, sed plura requiruntur. Nec obstat, quod delictum possit esse tale, vt secolari deberetur pœna mortis, cui in Religione respondet expulsio. Quia hoc falsum est, quod expulsio adæquatè respondeat pœnæ mortis, sed multæ aliæ pœnæ graues in Religionibus respondent pœnæ mortis latæ pro secularibus, vt sunt triremes, perpetuus carcer, & huiusmodi, & sæpius Religiosus pro delictis secutis pœna mortis est puniendus. Pœna verò expulsionis pro sola incorrigibilitate incurritur, vt decernit Vrbanus Octauus.

562. Difficultas verò esse potest, an huiusmodi plura delicta debeant esse æque grauia. Negat enim Panorm: *ad cap. Cum non ab homine, de iudicijs.* At affirmant Barbat. in addit. ad prædictum locum Panorm. *verb. alia delicta,* Sayro *de censf. l.5.c.21.num.37.* Maiol. *l.5. de irregul. c.26.n.4.* Graff. *p.p.l.2.c.24. nu.19.* Sanchez *l.6.mor.c.9. n. 4.* quem sequitur Palaus *tract.16.disp.4.p.19.num.6.* Sed puto non posse esse controuersiam in hoc, vbi enim delictum sit graue, & tale, quod si Religiosus in eo persistens, & perseuerans censeri deberet incorrigibilis, parum interest an prius delictum fuerit grauius, & enormius, & hoc posterius non sit priori simile in grauitate, vt ita dicam specificādum conuenit in generica ad incorrigibilitatem sufficiente. Alias verò si delictum in quod Religiosus reincidit non sit graue, sed leue, certum est non posse ex tali reincidentia censeri incorrigibilem. Necesse igitur est, & sufficit, quod Religiosus pluries grauiter delinquat, & pro grauibus delictis damnetur, quidquid sit an huiusmodi delicta specifice sint æque grauia, & similiter senua, vel enormia Bellet. *de pœn.cler. §.25.num.15.*

563. Verum tamen est, quod nec est necesse, quod ista plura delicta sint diuersæ speciei, sed sufficit eiusdem delicti multiplicitas; incorrigibilis enim est, qui ab eodem delicti genere non desistit, sed in eo perseuerat. Imo & qui semel delinquens, & damnatus pœnam illatam contemnit, Nam & hoc est nouum delictum, pœnam iustam contemnere. Ideo delicta multiplicat tam qui grauia crimina diuersarum specierum committit, vel qui in eodem delicto perseuerans illud committit pluries, quam qui semel delinquēs & ad pœnam damnatus, iterum delinquit pœnam contemnendo, & iterum damnatus de hoc delicto, iterum delinquit, & nouam pœnam cōtemnit, & exequi repugnat. Et ita quod incorrigibilis dicatur, qui pœnitentiam sibi iniunctam ob aliquem excessum non exequitur, vel se occultat, vel tergiuersatur docent Decian. *in tract. crim. p.1.l.4.c.9.num.130.* quem refert, & sequitur Carolus de Graffis loco citato *num. 799.* Verum est, quod Antonius *cap. Cum non ab homine n. 22. de iudicijs* asserit non esse incorrigibilem: qui pœnam non implet, sed Abbas ibid. explicat hoc esse verum, vbi delinquens non fugiat; sed si fugiat à loco pœnitentiæ, sic pœnam contemnat, eum esse incorrigibilem asserit, & idem tenent Maiol. *l.5. de irregul.c.26. num.4.* Sayro *de censuris l.5.c.21.num.37.* Sanchez *l.6.moral. c.9. num.4.* Sed in hac parte considerandum est non esse omninò eandem rationem de Clerico, & de Religioso, qui ex voto obedientiæ tenetur obedire superiori, & ideo etiam exequi pœnam, cum Prælatus in virtute sanctæ obedientiæ, præcipit sibi vt pœnitentiam pro delicto exequatur. Ideo in hac parte sic distinguendum puto; vel enim se occultare, & tergiuersari; vel pœnitentiam non exequi non est in se ipso nouum crimen graue, & graue delictum, & tunc ex hoc non potest qui pœnitentiam non exequitur censeri incorrigibilis; quia ex hoc non iterat delictum, nec grauiter peccat, & plures dari possunt casus, in quibus etiam carcerato liceat fugere. Vel non exequi pœnitentiam est pensatis pensandi culpa grauis, sicut frequentius est in Regularibus quibus prælati in virtute sanctæ Obedientiæ præcipiunt, vt pœnam exequantur, & in hoc casu, cum delinquens iterum delinquat hoc valet ad hoc vt dici possit incorrigibilis, quia perseuerat in graui inobedientia, & contemnere pœnam sub obedientia iniunctam est de nouo grauiter peccare, Bonsc. *de clauf.q.2.p.12.§.1.n.6.* Riccius *p.4.decis. 502. & p.p.dec.87.* per totum Nouat. *Lucerna regul. v. incorrigibilis.*

564. Quinta conditio est, vt pluries publicè, & cum scandalo delinquens pluries moneatur, vt se emendet. Ita habetur ex *c.contingit el 2. de sent. excom. & cap.fin. de statu Monachorum.* Verum hæc conditio, vel non est distincta à præcedente, vel non est necessaria nisi sub disiunctione. Monitio enim fieri potest, & verbis, & factis, Nam cum delinquens vocatur in ius, & vel conuictus, vel confessus de crimine damnatur tanquam reus, & punitur, perfectissimo modo monetur, vt resipiscat, & in posterum abstineat à delictis. Ideo posita præcedente conditione, scilicet quod delinquens plublicus pluries sit vocatus in ius, & dānatus tanquam delinquens, non est necessaria alia monitio, quia sufficienter monetur per sententiam per quam damnatur vt reus, vt bene tradunt Megala in *pract.crim.canon.c.21.n.3.* Et Pasqual. ad Franc. *num.1061.*

565. Dubium verò hic esse potest, an monitio verbalis, & præcipuè extraiudicialis sufficiat ad incorrigibilitatem iuris, quoniam talis monitio extraiudicialis non est iuridica, cum non supponat delictum iuridice probatum, aut manifestum, alias verò monitio supponens constare iuridice de delicto locum habere non videtur, nisi simul delinquens puniatur, quia delicta manifesta non debent manere impunita. Nihilominus in oppositum est, quod in *d. cap. Contigit* iudicatur incorrigibilis qui ter monitus ab Episcopo non se emendat. Et ita docent Gemin. *in c. Neminem 45. distinct.* Butr. & Felin. *in cap. Cum non ab homine, de iudicijs.* Celsus Vgo *conf.65.num.2.* Decian. *tract. crimin.p.1.l.4.c.9. num.130.* Farin. *q.8. num.49.* Carolus de Graffis *de effec. Cleric. eff. 5. num.798.* Maiolus, Sayro, Graffius, Sanchez supra citati. Aduertendum igitur est, quod obiectum

huius

huius monitionis est delictum iam commissum vt emendandum, debet enim delinquens moneri, et nō se corrigat, & emendet. Ideo monitio hæc vt sit legitima, & iudicialis cum supponat delictum, debet esse de delicto in iudicio via iuris manifesto, vel ex rei confessione, vel quia reus sit conuictus. Quo stante adhuc potest habere locum monitio, vt distincta à punitione, quia ex causis contingentibus potest superior abstinere à punitione, & delinquenti veniam concedere, & illum monere, vt in posterum abstineat. In quo sensu præcedit practica Parisiens. Quam ex Cassaneo probat Clarus in pract. crimin. q. 36. num. 34. Et sequitur Salzedo ad pract. crim. Diaz. cap. 142. vt scilicet Clericus cui pluries concessa fuit venia pro delictis puniendis pœna mortis, si non emendet se censeatur incorrigibilis. Et sic contingere potest, vt reo conuicto, vel confesso concedatur venia delicti, siue post sententiam damnationis, siue ante sententiam à superiore, qui hanc veniam concedere possit, & tunc locum habeat monitio distincta à punitione. Quod & locum habere posset etiam si superior iniquè veniam concederet, & moneret reum, vt in posterum abstineret à delictis; quia licet iudex peccaret non puniendo reum, valeret tamen monitio ad effectum incorrigibilitatis, si delinquens non se emendaret. Imo in rigore loquendo neque hic alia monitio necessaria esset, si reo iudicialiter contestata lite, per iudicis decretum, vel imponeretur pro tunc causæ silentium, vel concederetur reo venia. Nam per huiusmodi decreta satis moneretur reus, vt in posterum abstineret, & de monitione satis constaret iuridice, si decretum iudicis veniam concedentis registraretur in actis. Potest ergo dari monitio sufficiens ad incorrigibilitatem iuris distincta à punitione. Nec ad incorrigibilitatem est per se necessaria punitio exercita, sed sufficit, quod delinquens moneatur; non est verò absolutè necessaria expressior monitio quam illa, quæ fit per decretum iudicis reum iuridice publicum, & manifestum, vel damnantis ad pœnam, vel recipientis ad veniam, vel quomodocumque iuridice declarantis delinquentem esse reum pœnæ. Ideo DD. duplicem incorrigibilitatem assignant, vel quia reus pluries damnatus & punitus non se corrigit; vel quia pluries monitus non se emendat. Cum tamen hæc monitio, & semper supponat delictum in iudicio manifestum, & sufficienter fiat per iudicis decretum reo, vel pœnam vel veniam concedentis.

566. Sed monitio extraiudicialis supponit quidem delictum, sed non supponit illud vel iuridice confessum, vel iuridice probatum, & vlterius potest etiam deficere à forma iudicij ex hoc quod de ea non constet, vel nec constare possit iudicialiter. Et quidem si de monitione constare non potest inutilis est monitio ad hoc vt monitus in iure censeatur incorrigibilis, vt habetur ex cap. Sacro, de sentent. excommun. Sed absolutè loquendo dicendum est monitionem extraiudicialem nihil valere ad incorrigibilitatem iuris statuendam, nisi in iudicialem transeat. Nam dato quod ad assignandum alicui annum incorrigibilitatis sufficeret, quod delinquens Religiosus sæpius deliquerit grauiter, & cum scandalo, & quod extra iudicialiter monitus fuerit sine processu tunc fabricato per quem constaret de delicto, & de monitione, totum hoc nihil valeret ad effectum expellendi delinquentem; quia ex Constit. Vrbani 8. expulsio nequit fieri nisi instructo processu, &c. & plene probatis causis expulsionis ad præscriptum sacrorum Canonum. Vnde tandem iudicialiter in processu debet constare, & de delictis expellendi, & de monitionibus sibi factis, & ita quod si non fieret in principio commodè cum delicta possunt probari, deberet tandem fieri cum maiori difficultate, & si non fieret non posset quis declarari incorrigibilis. Sed iura de iudiciali monitione loquuntur, ac propterea de ea quæ & supponit delictum iuridice manifestum, & de ea de qua iuridice constet. Vbi vero Pasqual. ad Lauretum num. 1066. dicit incorrigibiles esse qui aut puniti sunt, aut verbaliter correcti, seu moniti authentice, nempe à superioribus authentico modo, hic modus authenticus debet intelligi, vt monitio fiat iuxta viam iuris coram notario, & testibus, & pro delicto iuridice constante; Quia nihilominus ex cap. sacro de sentent. excom. non habetur nisi quod monitio fiat coram personis idoneis per quas probari possit, dici posset non esse necesse, vt monitionem præcedat processus in quo constet de delicto, nec quod monitio fiat coram notario, sed quod tam delictum delinquentis, quam monitio superioris talia sint vt possint in iudicio probari tunc cum opus fuerit, sed tamen hoc admisso, nisi de vtroque iuridice constet non habet locum incorrigibilitas iuris, quia nisi de vtroque constet nullus potest iuridice declarari incorrigibilis: Ideò incorrigibilis est, qui pluries deliquit grauiter, & cum scandalo, & pluries à superiore, vel punitus, vel monitus fuit.

567. Et aduertendum, quod hic non sufficit vna monitio pro pluribus, quia vt benè notat Portell. v. ejcere num. 1. pertinacia consistit in resistentia per distinctas obligationes, nec incorrigibilitas colligi potest ex vna sola resistentia. Ideò qui vnico impetu simul plura delicta committit, vel etiam per tempora, & annos delinquit, pro vno delicto in præsenti censetur, si non fuit, vel punitus, vel monitus cum distinctis interuallis; quia semel tantū monitus semel cēsetur resistere, & sic nō potest dici incorrigibilis. Ideò quod in præsenti non sufficiat vna monitio, vel punitio pro pluribus tenent Portell. citatus, Donatus in praxi p. 2. tr. 8. q. 10.

568. Quoties verò quis est monendus, vt dicatur incorrigibilis? Duas monitiones sufficere docent Menoch. consil. 83. num. 130. Castro l. 2. de iusta heret. punit. cap. 2. Castro, & Salzedo supra citati. Verùm quod requiratur trina monitio, vel punitio affirmant. Butr. in cap. Cum non ab homine, de iudicijs, num. 22. Abbas. ibi num. 30. Portell. v. ejcere num. 1. Peyrin. in R. S. q. 1. c. 25. concl. 3. Donatus in praxi p. 2. tr. 8. q. 10. num. 2. sed Pasqu. ad Franc. num. 1061. concordare nititur has opiniones dicens sufficere duo delicta probata, & superueniente tertio posse habere locum annum probationis.

569. Verum absolutè dicendum est, quod ad hoc, vt aliquis censeatur incorrigibilis de iure, necessarius est contemptus post trinam punitionem,

nem, Nam in *cap. Cum non ab homine de iudicijs*, vt Clericus tamquam incorrigibilis sit à seculari Iudice puniendus præmittitur, quod primo pro delicto deponatur, secundò quod pro aliqua contumacia excommunicetur, tertiò quod contumacia durante anathematis mucrone feriatur, & postea quod si iterum contempserit Curiæ seculari tradatur puniendus. Et in *cap. Contingit el. 2. de sent.excom.* decernitur, vt illi Clerici tamquam incorrigibiles sint exortes immunitatis, qui ter admoniti contempserint se ipsos emendare. Vnde duo necessaria hic sunt, vt scilicet delinquens ter fuerit monitus, & punitus, & secundò quod post monitionem adsit emendationis contemptus, qui contemptus emendationis, vel ex nouis delictis, & factis, vel ex verbis ipsius delinquentis colligi debet et in iudicio probari, antequã delinquens possit declarari incorrigibilis. Et sic Incorrigibilis de iure est, qui ter pro grauibus delictis legitimè in iudicio damnatus, & punitus, vel saltem monitus contemnit se emendare. Hinc potest explicari, quod habent Syluest. *v. Religio 6. num. 17.* & Armilla *v. Religio num. vlt.* vbi existimant non posse eijci, vt incorrigibilem, qui ad hoc non consentit, sed paratus est corrigi, & emendationem promittit. Hoc verò impugnat Palaus *tr.16. disp.4. p.19.n.4.* Nam esto hoc habeat locum in pœna excommunicationis, eo quod sit pœna medicinalis in bonum excommunicati ordinata, minimè in expulsione procedit, quæ non tam in bonum expulsi, quam in bonum aliorum, quibuscum societatem habet, ordinatur. Quo circa si semel, atq; iterum monitus fuit Religiosus, & punitus, & hoc non obstante iterum recedit, potest à Religione expelli, quamuis promittat correctionem, & sit paratus pœnam sustinere, quia non præsumitur corripiendus, sed potius similia commissurus. Quod sufficit vt expellatur, sicut sufficit in hæretico relapso, vt condemnetur morti hæc futuri casus præsumptio. Quia in pœnis in aliorum bonum impositis non tam spectatur præsens dispositio delinquentis, quam futuris euentus præsumptua, & damnum quod inde timetur cuenturum Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 4. num. 8.* Sed dicitur ad hæc quod huiusmodi mala præsumptio non oritur, nisi post præfatam trinam punitionem adsit contemptus, vt ex citatis iuribus deducitur. Quod si promissa emendatione post trinam punitionem, aut monitionem adhuc Religiosus delinquit, & non stat promissis tunc intrat præsumptio incorrigibilitatis. Sed huius oppositum non senserunt Syluest. & Armilla, qui non sunt loquuti de eo, qui toties vicibus fuit correctus inaniter, & sine spe emendationis. Sic etiam vbi Vmbertus super regula S. Augustini *cap. 99.* inquit, quod propter præsumptam incorrigibilitatem potest Religiosus expelli, licet se offerat ad pœnitentiam, tunc potest haberi locum, quando post trinam monitionem, vt supra, Religiosus contemnens iterum deliquerit. Admonet verò Vmbertus ibi incorrigibilem non esse eijciendum, si sit periculum, quod eiectus desæuiat in res Monasterij eas comburendo, vel destruendo, vel in personas eas occidendo, vel vulnerando, vel si credatur quod ad peccata multos inducet, vt sodomitæ, vel hæretici; tales enim ait, esse includendos in loco forti, vt minùs noceant, faciliùs verò expelli poterunt de quibus sit spes quod expulsio eos ad bonam frugem reducet.

570. Incorrigibilitas autem facti illa est quam habet, qui de facto plures delinquit, & in malo perseuerat. Displicet autem quod habet Donatus *in praxi p. 2. tr. 8. q. 11. num. 1.* admittens incorrigibilem dici etiam illum, qui commisit non grauia delicta sine spe emendationis; talis enim nec est simpliciter delinquens, nec dici potest simpliciter incorrigibilis, & DD. communiter ad incorrigibilitatem grauitatem delicti requirunt; neque enim ex perseuerantia in delictis non grauibus potest quis eijci à religione, cum hæc pœna æquiualeat pœnæ mortis. Hæc igitur incorrigibilitas importat perseuerantiam in delictis grauibus, distinguitur verò ab incorrigibilitate iuris, quia deest trina iudicialis monitio, damnatio, seu punitio. Ideò incorrigibilis de facto est ille, qui licet multiplicia delicta committeret, & in male agendo perseuerer, tamen pro delictis non fuit damnatus, & in iudicio monitus, & punitus, quia vel delicta eius fuere dissimulata, vel quia super illis processus non fuit ritè formatus, vel quia in processu delicta non fuerunt sufficienter probata. Et ità hic coram Deo, vel etiam extraiudicialiter coram hominibus est incorrigibilis, cum in malo contumaciter perseueret sine spe emendæ, sed in iudicio, & de iuris præsumptione non est talis, quia de eius delictis in iudicio non constat, nec in iudicio fuit monitus, vt se de suis delictis emẽdet.

571. Quæritur propterea, an quis possit eijci à religione propter facti incorrigibilitatem. Ponatur enim casus, quem describit Peyrin *Sub. relig. q. 1. cap. 25.* ex Rodriq. & Miranda, scilicet de vno religioso, qui plures apostasias commisit, in quibus per multum tempus perseuerans excommunicatus celebrauit, & sacramentum pœnitentiæ sæpius ministrauit, & reuersus ad Ordinem contra regulam pecuniam contrectauit, ludos vetitos exercuit, arma portauit, fratres infamauit, discordias inter illos seminauit, & alia mala quotidie perpetrauit, sine vlla spe emendæ, quæritur an talis, vel similis religiosus, licet in iudicio de huiusmodi criminibus non damnatus, nec iudicialiter monitus, vt se emendet, possit à religione eijci? Ex his enim qui scripserunt ante *Constit. 26.* Vrbani Octaui de apostatis, & eiectis multi affirmarunt hunc talem, vt incorrigibilem eijci posse Syl. *v. incorrigibilis* Rodriq. *tom. 1. q. 30. a. 15.* Miranda *tom. 1. q. 52. a. 2.* Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 4. num. 11.* Peyrin. *loco citato.* Festus *in summario Constit. Ord. Præd. p. 4. cap. 55.* Et ad hoc probandum fertur quædam declaratio parlamenti Parisiensis, per quam dictum fuit, quod in criminibus in quibus imponitur pęna mortis, reputatur Clericus incorrigibilis ad effectum, vt degradatus possit tradi brachio sæculari, si bis ipsi venia data fuit. Quam doctrinam probant Clar. *in pract. crim. q. 36. num. 34.* & Salzedo *ad practicam* Diaz. c. 142. & Cassaneus à Claro *citatus*. Sed ex Doctoribus, qui post dictam *Constit. 26.* Vrbani Octaui scripserunt, Alphonsus de Leone *de Censur. in recol. 6. n. eijcere n. 314. & sequent.* affirmat huiusmodi incorrigibiles de facto posse eijci, si tamen detur eis annus incorrigibilitatis in carceribus. Nam decretum Vrbani non excludit incorrigibilitatem facti,

facti. Nam licet decernat, vt nullus censendus sit incorrigibilis, nisi qui sit talis ex iuris dispositione, tamen hoc dicit ad excludendum modos incorrigibilitatis quos ponebant statuta religionũ, vt patet ibi, *sublatis in hac parte statutis*, &c. Tum secundò, quia etiam incorrigibilitas facti est secundum iuris dispositionem in quo fundatur, sicut est distinctio ignorantiæ iuris, & facti. Tum tertiò. Nam *cap. final. de stat. Monach. habetur.* Quos contumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ vice nostra eijciant. Possunt verò Religiosi inueniri rebelles nedum ex iure, & in iudicio, sed ex facto; quia non se emendant, & in malo perseuerant. Hanc vero sententiam Alphonsi de Leone referunt, nec contradicunt Donatus *in praxi p. 2. t. 8. qu. 11.* Pasqual. ad Franc. *num.* 2065. Quamuis Donatus *in princip. illius quæst.* absolutè neget nunc posse aliquem eijci ob incorrigibilitatem facti.

572. Verùm absolutè dicendum est nunc non posse eijci religiosum à propria religione propter incorrigibilitatem facti, sed per solam incorrigibilitatem iuris. Nam decretum Vrbani Octaui hoc expressè disponit ibi. *Verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscumque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, &c.* Nec releuat quod adducebatur, dicendo, quod hoc decretum est non ad excludendam incorrigibilitatem facti, sed solum ad excludendum statuta religionum; quia verba clara sunt, & excludunt omnem modũ incorrigibilitatis cui desit aliquid ex requisitis ad incorrigibilitatem secundum dispositionem iuris communis. Et ex motiuo illius opinionis desumitur argumentũ à maiori ad minus. Si enim Pontifex ita voluit in hoc seruari ius commune, ita vt nihil de requisitis ex iure communi deficiat, vt propterea derogauerit statutis religionum etiam authoritate Apostolica roboratis, & confirmatis, multo minus voluit sufficere illos modos incorrigibilitatis à iure communi deficientes, qui non habent fundamentum in aliquo simili statuto; & ita vniuersalissimè excludit omnem modum incorrigibilitatis cui deficiat aliquod ex requisitis à iure communi, quicumque ille sit, siue Apostolica authoritate confirmatus, siue non. Et ita nec secũdum motiuum illius opinionis valet; quia esto incorrigibilitas facti habeat aliquale fundamentum in iure, quia in iure naturali fundatur, non tamen est incorrigibilitas iuris, seu habens omnia, & singula, quæ ex iuris dispositione necessaria sunt ad incorrigibilitatem, ideò iuxta decretum Vrbani Octaui, non est iuris incorrigibilitas. Tertium etiam motiuum infirmum est; quia nunc lex noua decernit, & declarat, vt non possit eijci, nisi qui via iuridica fuerit inuentus rebellis. Et ita absolutè loquendo, & nulla facta mentione incorrigibilitatis facti, quod ob solam incorrigibilitatem iuris eijci possint religiosi asserunt Barbosa in *sum. Apostol. Const. collect.* Bassæus *v. religio 6. num. 3.* Lucerna *regular. v. incorrigibilis num. 1.* Lezana *t. 1. cap. 23. num. 2.*

573. Ex his colligitur primo, quod licet in diuersis ordinibus diuersimodè statuta sit incorrigibilitas pro qua religiosi eijci possunt, & debeãt, nihilominus modo standum est iuri communi, vt non censeatur incorrigibilis, nisi publicus grauiter delinquens ter damnatus, vel authenticè monitus, & se emendare contemnens. In regula S. Benedicti, vt refert Syluest. *v. apostata num. 10.* ille incorrigibilis dicitur, & eijci debet, qui ter apostatauit. In Ordine Minorum ille qui ter fuit conuictus, & punitus de eodem delicto graui, & non resipiscit. *cap. 6. de correct. delinq. §. 18. de incorrig.* D. Bonau. *super regulam Fratrum Minorum q. 14.* Rodriq. *t. 1. q. 30.* Miranda *tom. 1. q. 52. a. 2.* In ordine Minimorum; qui ter arripuit fugam, ne puniatur. Peyr. S. N. *q. 1. cap. 25.* In Ordine Prædicatorum, qui nec culpas timet admittere, & pęnas recusat ferre, vel ex pęnarum sæpius repetita inflictione iudicio discretorum cognoscitur non proficere. Et quidem hoc dictum *Constit. dist. p. c. 19.* de grauissima culpa, quod valdè conforme est iuri communi. Requirit enim ad incorrigibilitatem pluralitatem culparum, & damnationem ad pęnas, & emendationis contemptum, qui consistit, vel quia damnatus ad pęnas eas ferre recusat, vel quia siuè ferat, siuè non ferat non se emendat.

574. Colligitur secundò, quod licet Vrbanus Octauus reuocet statuta particularia religionum in eo, quod est statuere quis sit incorrigibilis, hoc nihilominus intelligi debet solum vbi illa statuta deficiunt à iure communi, non verò vbi addunt. Quod patet ex verbis Constitut. Vrbani Octaui supra relatis, *nisi non solum concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis in hac parte statutis, &c.* Vbi non reuocat statuta Religionum absolute, sed pro ea parte pro qua habent pro incorrigibili illum delinquentem, in quo non concurrunt omnia requisita ad incorrigibilitatem de iure communi. Nam & finis illius Constitutionis est restringere facultatem eijciendi Religiosos. Vnde ita hoc disponit, vt ferè sit impossibile in practica aliquẽ eijcere, & certè id non possit fieri nisi cum maxima maturitate, & consideratione. Vnde hortatur superiores Religionum, vt faciant totum, quod possunt, vt lucrentur animas perditorum Religiosorum, antequam deueniant ad grauissimum, & extremum remedium expulsionis. Vbi igitur in aliqua Religione ad hanc expulsionem requiritur aliquid amplius, quam quod requiritur ex lege communi, id est obseruandum, neque in hac parte est illi derogatum. Inde est, quod si v.g. in regula Sancti Benedicti continetur, vt non detur locus eiectioni Monachi, nisi in casu triplicis apostasiæ, hæc regula seruanda est, nec licet ob alias culpas Monachum eijcere. Et in ordine Prædicatorum, quia Constitutio non habet pro incorrigibili illum, qui solum monitus non se emendat, sed qui vel pœnas recusat ferre, vel ex eis non proficit, & simul vult vt expulsio non fiat nisi maturè, & ita vt appareant gesta, cum toto processu, & sententia in scriptis, ideò ex hoc ordine non potest eijci Religiosus nisi qui (seruatis alijs ab Vrbano Octauo statutis) damnatus pluries pro grauibus criminibus ad pœnas secundum ritum Constitutionum, non se emendat, sed vel pœnas recusat, vel eis conuincitur non proficere.

Colli-

575. Colligitur tertio non rectè à Nonat. *in Lucerna regul. v. Incorrigibilis*, & à Lezana t. 1. c. 43. num. 2. Requiri tria copulatiuè ad incorrigibilitatem, primum scilicet quod sæpius crimina grauia committantur, secundum quod delinquens sæpe monitus non desistat à crimine, tertium quod pœnitentiam pro illis non acceptet. Nam hoc tertium non est necessarium. Verum quidem est, quod recusare pœnam iustam est signum incorrigibilitatis, sed non est vnicum signum, nec ad illam constituendam necessarium, quod bene stat, quod ita in profundum malorum demersus sit delinquēs, vt pro nihilo habeat ferre pœnas illasq; subire, dummodo culpam possit perpetrare, & in ea perseuerare. Sicut contingit quod delinquens pœnas sustineat, sed non proficiat. Imo in hoc vera est doctrina Clari supra relata num. 565. vt incorrigibilitas locum habeat in eo cui pluries pœna remissa est, & culpa condonata. Nam non requiritur ad incorrigibilitatem executio punitionis, vt supra probatum est, sed vt habetur ex *cap. Contingit el 2. de sent. excomm.* sufficit trina monitio de emenda delictorum habenda. Ideo ad incorrigibilitatem secundum iuris dispositionem supposita multitudine iterata delictorum duæ conditiones sufficiunt & sunt necessariæ, scilicet quod publicus delinquēs sit vel pro delictis commissis ter damnatus, vel ter authenticè monitus, vt se emendet. Secundò, quod post trinam punitionem aut monitionem non se emendet, sed in delicto perseueret.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Vrbani Octaui. num. 576.*
2 *Sub eo non continentur Nouitij, vel qui ex nullitate professionis exeunt. num. 577.*
3 *Ob solam incorrigibilitatem eijci potest Religiosus. num. 578.*
4 *Ad incorrigibilitatem nunc requiritur annus incorrigibilitatis. num. 579.*
5 *Vt assignetur annus incorrigibilitatis debet iuridicè constare de iuris incorrigibilitatis. num. 580.*
6 *Annus incorrigibilitatis debet esse integer. numer. 581.*
7 *Et debet esse continuus. num. 582.*
8 *Debet constare de pertinacia durante post annum incorrigibilitatis. num. 583.*
9 *Debet hæc pertinacia per sententiam declarari. num. 584.*
10 *Qualiter pertinacia probari possit. num. 585.*
11 *Si delinquens dicat se correctum non potest interim eijci, num. 585.*
12 *Si post annum incorrigibilitatis iterum delinquat potest eijci. num. 586.*
13 *Solus Generalis potest eijcere à Religione qui neque hoc potest delegare. num. 587.*
14 *Probanda sunt in processu causę expulsionis. numer. 588.*
15 *Generalis nullum potest eijcere sine consilio sex Patrum. num. 589.*
16 *Isti PP. debent ad hoc eligi in Capitulo Generali. num. 589.*
17 *Non est necesse, quod PP. maneant simul, & sufficit quod illis transmittatur processus; & possunt dare votum per litteras. nu. 590.*
18 *Est necessarius consensus maioris partis sex PP. num. 591.*
19 *Generalis non potest hoc iudicium delegare. numer. 592.*
20 *Forma sententiæ. num. 593.*

A quo, & qua formata seruata eijci possint incorrigibiles.

INSPECTIO II.

576. VRbanus Octauus in sua Constitutione 56. de *apostatis & eiectis* §. 6. hanc formam seruandam in expulsione Religiosorum statuit. *Ad hæc vt in posterum à Religionibus nullus legitime professus eijci possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi nō solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris cōmunis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscumque Religionis & Ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verum etiam vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres, in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tumque non nisi instructo secundum eorū stylum, & Constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrarum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idēmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione, seruata tamen in reliquis forma superius præscripta.*

577. Ex hoc vero decreto habetur primo, quod soli professi legitime prohibentur eijci, nō seruata hac forma; vnde sub hoc decreto non comprehenduntur nouitij nondum professi, vel etiam non professi legitime. Nam non professi sicuti libere possūt exire, ita si nō sint ad Religionem apti liberè possunt eijci. Professi quoq; non legitime eijci possunt seruata ea forma quam tradit Conc. Trid. *sess. 25. cap. 19.*

578. Secundo habetur non posse eijci nisi vere incorrigibilem. Quamuis enim, dum delictū aliquod sit graue valde & enorme Religiosus puniendus sit pœna graui, vel triremium, vel carceris perpetui, vel etiam mortis, pœna tamen expulsionis locum non habet, nisi vbi Religiosus sit de iure incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis non est, nisi ille qui publicè, & cum scandalo delinquens pro interpolatis delictis ter punitus, vel monitus adhuc contemnit se emendare, vt habetur ex *cap. Cum non ab homine, de iudicijs, & cap. Contigit el 2. de sent. excom.* & supra probatum est. Vnde modo locum non habet sen-

sen-

tentia Rodriquez, & aliorum, qui voluerunt Religiosum professum posse expelli propter vnum enorme delictum. Quod nec de iure antiquo fuit verum, sed & de iure antiquo ob solam incorrigibilitatem poterat Religiosus eijci, vt dictum fuit supra ex D.Thom. *quod.* 12. *a. vltim.* & alijs Doctoribus.

579. Tertio supposita hac incorrigibilitate secūdum cōmunis iuris dispositionē de iure nouo huius decreti Vrbani Octaui, non potest statim Religiosus eijci, sed debet Religiosus per annum in ieiunio, & pœnitentia detineri in carceribus, & probari an velit corrigi. Et sic modo ad iuris incorrigibilitatem præter trinam punitionem, vel monitionem, requiritur probatio per annum incorrigibilis in ieiunio, & pœnitentia in carceribus, & contemptus emendæ post huiusmodi probationem. Decretus verò est hic annus probationis, tum vt hac via rebellis se cogat, tum vt euidenter appareat in facie Ecclesiæ eius pertinacia, si se corrigere noluerit.

580. Dubium vero hic esse posset, an antequam assignetur alicui annus incorrigibilitatis constare debeat iuridice de incorrigibilitate delinquentis secundum ius commune. Posset enim videri hoc non esse necessarium, sed sufficere existentiam talis incorrigibilitatis extraiudicialiter notam, & taliter, vt cum opus fuerit deduci possit in actis, quia in hoc decreto non exigitur processus nisi ad expulsionem. Sed oppositum est verum. Nam assignatio anni incorrigibilitatis est actus iudicialis, qui est veluti vltima dispositio ad expulsionem, ideo debet iuridice fieri, & legitime; non potest vero iuridice, & legitime fieri, nisi constet de incorrigibilitate iuxta dispositionem iuris communis. Nam non habent superiores facultatem detinendi in carceribus Religiosum nisi pro delicto, vnde non possūt damnare ad carcerem nisi delinquentem, & ex consequenti non habent iurisdictionem ad detinendum subditum in carceribus, nisi probata qualitate delicti, quia vbi iurisdictio fundatur in qualitate, hæc prius probanda est in actis, vt probatū est supra n.498. Tertiò. Ideo ordo iudicij per se loquendo requirit, vt in actis constet de multiplicibus delictis, & trina punitione, vel monitione, & contemptu, vel pertinacia post trinam monitionem, nimirum quod ex trina monitione non profecerit. Alias delinquens posset ab assignato anno incorrigibilitatis iuste appellare, & ad eius instantiam decretum talis assignationis esset annullandum, & cassandum; quia non potest talis annus assignari nisi ei, qui extra carcerem ex trina punitione, vel monitione non se emendauit.

581. Quartò. Hic annus probationis incorrigibilitatis debet esse integer, & non interpolatus. Cum enim vt refert Pasqual. ad Franc. n. 1083. ad instantiam Procur. Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum interrogata fuisset Sac. Congr. Conc. Tridentini. *An regularis constitutus in carceribus spatio vnius anni in ieiunio, & pœnitentia ad finem, vt tanquam incorrigibilis à Religione eijciatur, si è carceribus fugiat (dicto carcerationis anno nondum expleto) & deinde sit captus, possit tunc, vt incorrigibilis eijci. An vero quid aliud faciendum sit?* die 21. 1653. *Sac. Congregatio Eminentiss Card. Conc. Trid. interpretum omnibus maturè perpensis. Respondit, Regulares delinquentes, vti incorrigibiles, eijci non posse à Religione, anno carcerationis nondum expleto.* Ex qua declaratione habetur non posse declarari incorrigibilem eum, qui infra annum incorrigibilitatis fugit è carceribus, vt contra Belletum *p. 2. disq. Cleric. tit. de pæn. Cleric.* §. 25. *num.* 13. deducit Pasqual. ad Franc. *nu.* 1067. neque alium quemcumque qui annum incorrigibilitatis in carceribus non expleuerit. Et ex consequenti, quod si contingat delinquentem infra incorrigibilitatis annum fugere e carceribus necesse est, vt iterum ad carceres reducatur, & per annum integrum iterum probetur. Quamuis & pro huiusmodi fuga puniri possint, vt ex declarat. Sac. Cong. die 13. Nouemb. 1632. aduertunt Peyr. *tom. 3. de priuil. circa finem*, & Pasqual. ad Franc. *num.* 1067.

582. Quinto hic annus incorrigibilitatis debet esse continuus, & non sufficit quod sit interpolatus. Contrarium huius tenuit Bellet. *de pænit. Cler.* §. 25. *num.* 14. sed id non est tenendum. Nam eadem Sacra Congregatio apud eundem Pasqual. ibid. Secundò interrogata ad instantiam dicti Proc. Generalis. *An regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diuersis temporibus commissis in carceribus detentus possit vno carcerationis anno (vt supra interpolate expleto) tanquam incorrigibilis è Religione eijci, si post dictum annum carcerationis interpolatum animo indurato in sua pertinacia perseuerans, iterum delinquat. Respondit, non sufficere annum carcerationis interpolate expletum, sed requiri spatium vnius anni continuum, & integrum.* Vnde est, quod sicut annus probationis pro professione facienda, sic annus iste probationis pro expulsione ab ordine debet esse continuus.

583. Sexto ad incorrigibilitatem requiritur, vt pertinacia duret post incorrigibilitatis annum. Vnde non est necesse, quod iterum extrinsecus delinquat post hunc probationis annum, sed sufficit quod duret mala voluntas extrinsecus manifestata. Incorrigibilis enim est, qui cum male fecerit, non vult se emendare, vbi poterit male agere, vt tradunt Alphon. de Leone, *de censur. recol.* 6 *nu.* 318. Donatus in praxi *p. 2. tract. 8. q. 12. nu. & 2.* Pasqual. ad Franc. *num.* 1068. Qui etiam bene aduertunt, quod promptitudo sustinendi carcerem, & alias pœnitentias non est signum sufficiens correctionis, quia imò hæc promptitudo potest esse effectus obstinationis, cuius est etiam mala, & pericula contemnere, vt vincat peccando, & praua desideria impleat. Ideo si alias constet de mala delinquentis voluntate, & obstinatione, non erit habendus pro correcto ex hoc quod prompte pœnitentias suscipiat.

584. Septimo hæc animi in malo indurati pertinacia, & in malo perseuerantia in actis deduci debet, & concludenter probari, & per sententiam declarari. Quidquid enim fuerit de iure antiquo de quo Farin. in praxi *p. p. q. 8. num. 49. &* Nouat. *in sum. Bullar. tit. de apost. & eiectis num.* 51 modo ex iure nouo res est certa, cum requirat institui processum, & in eo probari causas expul-

sionis & sententiã expulsionis notificari ordinario Ita hoc docetClarus in pract.crim.q.36.n.34.Foller.in pract.crim, v.Audcotar n.4.Felin.in cap.cum non ab homine n.20.de sent.excom. Capye. dec.112. n.6. Donat.citat. q.12.Pasqual. ad Franc.n.1071. Nam expulsio ab ordine est pœna grauissima per quam Religiosus priuatur habitu, & Iure conuiuendi cum alijs Religiosis intra Claustra, quo non potest priuari nisi de eius incorrigibilitate constet.

585. Quomodo vero hæc incorrigibilitas, & pertinacia probari possit? Certè super hoc interrogandus est Religiosus per annum probatus, & si suam pertinaciam fateatur, res erit clara. Sed si eam neget, & dicat se esse correctum, & velle viuere religiosè, conuincendus erit, ex effectibus pertinaciæ si qui adsint, & per testes probari possint, Quod quidem erit difficile. Ideo consulunt Donatus q.19. & Pasqual. nu. 1070. vt Superiores infra annum probationis mittant Religiosos prudentes, qui scrutentur voluntatem eius, qui est in hac pœnali probatione, & similiter attendi debet, an infra hunc annum idem grauiter delinquat, vel graue delictum intentet, Verum si post annum ipse se emendatum fateatur; & firmiter proponat, & promittat se religiose in posterum victurum, etiam, si fingat, donec eius pertinacia aliunde appareat non potest eijci, quia tunc datur locus eiectioni si elapso anno nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit. Ideo quidquid infra annũ commiserit, vel attentauerit, non valet ad probandam incorrigibilitatem, si elapso anno animum mutet, & resipiscat, & in sua pertinacia non perseneret.

586. Sed si ille elapso anno simulet veram poenitentiam, sed egressus è carceribus iterum delinquat, vel fugiat, aut apostatetur, nulla spes vere emendationis præsumi poterit in eo, & sic sine alio probationis anno iuxta iuris communis dispositionem instructo processu poterit eijci, seruatis alijs, quæ in supra relato decreto continentur. In quo non præcipitur quod iteretur annus probationis in carceribus, sed quod elapso anno si ille perseuerauerit in pertinacia eijci possit. Censendus vero est permanere in pertinacia, & incorrigibilitate ex eo quod iterũ ad delicta toties monitus, vel punitus reuertitur. Nam & ex frequentia, & diuturna perseuerantia in delinquendo insurgere præsumptionẽ incorrigibilitatis dixit Rota in vna Ianuen. separationis thori 24. Nouemb. 1631. Coram Coccino par. 5. recent. decis. 155.

587. Octauo ad solum Generalem spectat ferre sententiam expulsionis cõtra eum, qui post annum probationis in carceribus repetitur pertinax, & incorrigibilis. Vnde pro hac parte reuocata sunt omnia priuilegia concedentia facultatem eijciendi Religiosos quibuscumque alijs. Nouar. de nouo iure Pontif. concl. 83. num. 3. Alter Nouar. in summ. Bull. tit. de electis, num. 21. Megal. in pract. crim. canon. cap. 23. n. 8. Pasqual. ad Franc, num. 1072. quod adeo verum est, vt Generalis nulli alteri, nec Vicario ipso Generali possit delegare hanc facultatem, Nam S. Congr. ad instantiam d. Procuratoris Generalis Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede de hoc interrogata respõdit. Generalem Ordinis non posse delegare facultatem eijciendi à Religione Prouincialibus per eorum Prouincias, seu Commissarijs, vel Vicarijs Generalibus, Quod tamen non intelligitur respectu processus instructionem; hanc enim Generalis cuicumque delegare potest, quia decretum Vrbani, & dicta Congregationis declaratio solum requirunt quod Generalis sit qui eijciat, seu ferat expulsionis sententiam. Pasqual ad Franc. ibidem, Vbi etiam aduertit non esse necesse seruare apices iuris in formando processu, sed seruandum esse stylum regularem iuxta Constitutiones cuiuscumque Ordinis, vt in decreto Vrbani Octaui continetur. Ex his sequitur abrogatum esse priuilegium concessum Minoribus ab Alex. 6. apud Calarub. v. Eijcere Bonac. de claus. q. 2. p. 1 §. 5. 1. num. 15. Donat. p. 2. tra. 8. q. 16. in quo concessum fuit Genarali, vt per se, & Prouincialibus de consensu maioris partis Capituli posset eijcere incorrigibiles.

688. Nono ad effectum expellendi incorrigibilem debet instrui processus talis, in quo nedum probanda est incorrigibilitas in genere, sed in specie, & vt proueniente ex talibus delictis in specie, quia plene probari debent causæ expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Ideo in hoc processu debent plene probata esse delicta in specie super quibus fũdatur incorrigibilitas, & monitiones, vel punitiones datæ pro talibus delictis & annus probationis in carceribus elapsus, & perseuerantia contumaciæ post tot monitiones & annum probationis. Prius vero instructos processus de prædictis, sufficit nouo huic processui inserere; & bene notat Pasqual. num. 1072. quod non licet eos insinuare, sed quod per extensum sunt inserendi nouo processui, vt Generali & eius Consiliarijs innotescere possit, causas expulsionis plene fuisse probatas.

589. Decimo nec Generalis potest Religiosum incorrigibilẽ expellere nisi adhibito consilio sex Patrum grauiorum, qui ad hunc effectum in Capitulo Generali eligi debeãt. Dubium tamen est, an huiusmodi sex Patres eligi debeant à solo Capitulo, seu Congregatione generali. Nam Peyrinus tom. 2. ad Const. 10. Vrbani Octaui §. 4. refert emanasse quandam declarationem S. Congregationis in qua ob difficultatem quæ reperiretur si Generales tempore visitationis secum deferre deberẽt sex illos Patres à Capitulo seu Congregatione generali electos ad effectum expellendi incorrigibiles, concessum fuit Generalibus, vt in qualibet Prouincia hos sex Patres eligere possent; quando opus esset. Et ita ex hac declaratione ita fieri posse censuerunt idem Peyrinus, Lezana t. 1. c. 23. n. 5. Alphonsus de Leone de cens. recolec. 6. v. Eijcere num. 322. Nauar. p. p. bull. tit. de Apost. & Electis num. 35. quos refert, & sequitur Donatus in praxi p. 2. tract. 8. q. 17. Verum vt bene Lezãna aduertit tom. 2. c. 18. nu. 8. declaratio huiusmodi incerta est, & dubia nec ita fundata, vt fidem mereatur, nec Peyrinus loco citato refert huiusmodi declarationem nisi de auditu. Et qui in ea se fundant forsan æquiuocant, & vnam pro alia declaratione accipiunt, & non distinguunt inter hoc quod est eligi posse hos sex Patres

in quacumque Prouincia, & inter hoc quod est hos sex Patres eligi à Generali. Hoc enim secũdum non est affirmandum, nisi ostendatur decretum superiorum in magis authentica forma, in quo hoc fieri concedatur. Nam Constit. Vrbani Octaui vult hos Patres, sine quorum consilio & assensu nullus eijci potest à religione eligi debere in Capitulo Generali. Primum vero est verum iuxta declarationem Sac. Congregationis. Nam cum ad Instantiam dicti Proc. generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede quatuo interrogata fuisset Sacra Congregatio. *An sex Patres de quorum consilio, & assensu eiectio fieri debet, sint eligendi de tota Religione, an potius sufficiat ex qualibet Prouincia, seu Regno. Sac. Congregatio inhærendo declarationi alias factæ die 9. Augusti 1625. à san. mem. Vrbano Octauo approbatæ, respondit, sex Patres eligi posse in vnaquaque Prouincia, seu Regno.* Decretum vero & declaratio ad quam responsio ista se refert, quæ fuit data 9. Augusti 1625. & fuit à Pontifice approbata, & quam Eminentiss. Card. de Lugo Protector dicti ordinis Beatæ Mariæ de Mercede in authenticam formã tradidit Procurat. generali d. Ordinis de ordine S. Cong. est tenoris sequentis. *Die 9. Aug. 1625. Sac. Congreg. Concilij S. D. N. approbante, declarauit sex Patres in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus eligendos de quorum consilio, & assensu Generalis potest regulares incorrigibiles à Religione eijcere in vnaquaque Prouincia eligi posse, eosdemque sic electos si Generalis tam longe abfuerit, vt vna conuenire non possit debere ad eundem transmittere summarium processus vna cum eorum voto, vt iuxta illud Generalis possit ad sententiam expulsionis procedere. Interea tamen vsque ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem proxime celebrandam Sanctitas sua annuit, vt eiectio (seruata in reliquis forma decreti hac de re editi) fieri possit a Generali itidem cum consilio, & assensu sex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Prouincia infra quatuor menses elegerit.* Generali igitur electio horum Patrum solum cōcessa fuit pro tempore antecedente primum generale Capitulum aut Congregationem, sicuti etiam continebatur in Constit. Vrbani Octaui, & decreto generali Sac. Congregationis. Cæterum extra hunc casum eorumdem electio spectat ad singula Capitula generalia, vel Congregationes, quamuis non sit necesse, vt isti Patres eligantur de tota Religione, sed possint eligi de vnaquaque Prouincia. Vnde est, quod non sufficit quidem in vno Capitulo eligere pro semper huiusmodi sex Patres, sed quod in quolibet Capitulo Generali, seu Congregatione eligendi sunt. Sed tamen non est necesse, vt soli sex in totum eligantur, sed possunt eligi sex in qualibet Prouincia, vt Generalis vbicumque sit habeat Patres, quos consulat pro incorrigibilium expulsione, & quos ipse eligere non potest, sed à solo Capitulo generali seu Congregatione sibi sunt deputandi, vt tradit Pasqual. ad Franc. *num.* 5073. Quod si præfati sex Patres in Capitulo generali, seu Congregatione non fuerint electi, non erit in potestate Generalis eos eligere, sed vsque ad aliud Capitulum generale, seu Congregationẽ in quo eligantur toties quoties opus fuerit recurrendum erit ad sacram Congregationem. Quæ & de hoc quinto loco interrogata nomine dicti P. Procur. generalis, sub hac forma. *Quod si a religione huiusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione generali, quid faciendum sit vsque ad primum Capitulum generale? respondit. Recurrendum ad sacram Congregationem in singulis casibus.* Vnde in illis religionibus in quibus sex isti Patres non sunt electi à Capitulo generali, seu Congregatione nullus incorrigibilis potest eijci sine recursu ad sacram Congregationem in singulis casibus. Sed quid agendum si aliquis, vel aliqui ex sex Patribus interim moriantur? Nicolius *lib. 3. tit. 35 num. 8.* Respondet quod Generales de consilio, & assensu superstitum, vel etiam Capituli eius Cōuentus in quo reperitur subrogabit alium; vel alios in locum demortuorum, vsq; ad proximum futurum Capitulum, seu Congregationem generalem. Subdit vero, quod sacra Congregatio subrogationem indulgere solet, 11. Januar. 1647. Nisi Capitulum generale, aut Congregatio in proximo celebrari debeat, quia tunc deberet expectare, & interim incorrigibilem diligenter in carceribus custodire. 22. Nouemb. 1647. Ego existimo quod in hoc casu seruari debeat, quod Sac. Cong. disposuit de tempore primum generale Capitulum antecedente, pro quo dedit Generali facultatem hos Patres eligendi. In hoc enim casu mortis alicuius ex Patribus electis seruari debet Sac. Congr. decretum quantum fieri potest; non igitur sine sex Patrũ consilio eiectio fieri potest, quia Sac. Congr. hoc omnino prohibet fieri, quæ tamen ex quo indulsit hos Patres eligi à Generali pro tempore antecedente Generale Capitulum significauit mentem suam non esse, vt incorrigibiles post completum incorrigibilitatis annum nimium detineatur in carceribus, vt noui Capituli generalis celebratio habeatur: si ergo sex Patres desint, sicut S. Cong. dedit facultatẽ Generali eligendi hos sex Patres pro tẽpore antecedẽte primũ Capitulũ generali, ita à simili intelligetur cōcessa facultas subrogãdi alios in defunctorũ locũ. si tamen non instet generale Capit. de proximo ne alias vel eiectio fiat sine sex Patribus, vel post annũ incorrigibilitatis nimiũ in carceribus debeat detineri is, cui annus incorrigibilitatis fuit datus.

590. Ex his vero declarationibus habetur non esse necesse vt huiusmodi sex Patres maneant simul cum Generali, imo nec quod pro examinanda causa congregentur simul, sed sufficit, quod vnicuique illorum transmittatur processus, & quod illorum quilibet votum suum transmittat ad Generalem. Et quidem nec est necesse, vt aliquis illorum, vel formet processum, vel illius formationi assistat, sicut nec est necesse, vt processus fabricetur à Generali, sed ipse processus iuxta stylum ordinis compilari potest à Prouinciali, vel à Priore, & postea cum fuerit perfectus ad istos Patres est trasmittendus, vt illum examinent, & sufficit postea vt eiusdem processus summarium simul cum voto sex patrum transmittatur ad Generalem. Nam eadem S. Cong. vt supra interrogata sexto loco. *An sufficiat vt Prior Conuentualis, seu Prouincialis conficiat processum stylo Religionis seruato, & illius summarium transmittat Generali ordinis, seu illius Delegato, qui adhi-*

bitis sex Patribus electis, quilibet eorum videat eundem processum, & transmittat votum suum per litteras eidem Generali, seu Delegato? Respondit. Processus esse conficiendos iuxta stylum & Constitutiones Religionis, & illorum transumptum authenticum esse trasmittendum ad singulos ex sex Patribus electis qui per litteras possunt votum dare. Est etiam considerandum, quod ad Generalem debent transmitti nedum vota sex Patrum, sed etiam summarium processus, vt decernitur in alia declaratione supra relata, & data 9. Aug. 1625. sed Patribus debet transmitti transumptum authenticum processus, vt in hac declaratione statuitur. Sed forsan sufficiet, vt illis quoque transmittatur summarium plenum, & authenticum; quia sic consueuit fieri dum iudices causarum, & consiliarij sunt absentes; nec ad ferendum iudicium iustum necessarius est totus processus, sed sufficit summarium continens essentialia, & substantialia, quæ ad causam faciūt tam respectu materiæ, quā respectu formæ seruatæ, & seruandæ in processus constructione.

591. Sed neque necesse est, vt omnes sex Patres consentiant in expulsionem incorrigibilis, neque verò sufficit tres ex illis pro illa sint, sed requiritur assensus maioris partis illorum, Nam eadem S. Cong. vt supra septimo interrogata. *An Generalis, seu Delegatus possit ferre sententiam eiectionis à religione, quando a tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum maiori parte dicta sententia approbatur. An potius sit necessarium vt omnes sex dent votum, ita vt ex defectu voti vnius, non possit sententia valide ferri?* Respondit. *sententiam eiectionis a religione ferri debere saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum.* Et sic isti sex Patres non sunt coniudices, nec eorum est sententiare, sed consulere. Solus verò Generalis est iudex, ideo merito votum illius non numeratur cum alijs consulentibus, quia ipso iudex non est consulens, qui tamen non potest sine consilio, & assensu sex Patrum ferre sententiam. At verò cēsetur à toto tempore consulentium conclusum, quod est à maiori parte decisum. *cap. ne Epist. de tempor. ord. & cap. ex parte, de censibus.* Ideo sufficit quod sententia eiectionis approbetur à maiori parte.

592. Quoniam verò in supradictis sexto, & septimo interrogatorio sub disiunctione quæsitū fuit, an Generalis, vel Delegatus possit sententiam ferre expulsionis. Ex quo sac. Congr. in responsionibus nihil ait de Delegato, colligit Pasqual. ad Francum *num.* 1076. quod Congr. tacitè approbauerit Generalem posse delegare causam expulsionis incorrigibilis. Et licet decretum Vrbani Octaui dicat, quod eiectio ista possit fieri tātum à Generali, respondet dictionem taxatiuam excludere alium qui concurrat tanquam ordinarius iudex non tanquam delegatus. Verum hoc sustineri non potest, cum sac. Congregatio in responsione ad tertiam interrogationem sibi factam nomine vt supra, expresse responderit Generalem non posse delegare facultatem eijciēdi à religione etiam Vicario generali; Neque vis aliqua facienda est in hac parte in interrogationibus. Cum enim interrogans dubitaret, an causa hæc delegari posset, in suis interrogationibus sub disiunctione loquitur de Generali, vel Delegato. Sacra Congregatio verò, quæ ad tertiam interrogationem responderat causam hanc non posse delegari, in sexta postea, & septima responsione nihil de hac delegatione loquitur, quæ iam fuerat exclusa, & solum directè ad præcipuum punctum interrogationum respondet. Ideo omninò certum est, Generalem causam expulsionis à Religione nulli posse delegare. Mortuo tamen Generali posset hæc causa expediri à Vicario generali, aut à quocumque tunc vicem Generalis gerente, quia tunc iste Vicesgerens Generalis est iudex ordinarius supremus Religionis, habens facultatem ordinariam Generalis non tanquam Delegatus, sed tanquam ordinarius.

593. Formam sententiæ expulsiuæ ponit Donatus citatus *q.* 17. ex Megal. & Conrado; eius autem copia tradi debet expulso, vt idem Donatus tradit, *q.* 18. & est quoque notificanda Ordinario, hoc enim decernit Constit. Vrbani Octaui in §. 7.

594. Pro Minoribus de Obseruantia dicitur per sacram Congregationem Concilij annuente Pontifice fuisse concessum Generalibus Commissarijs, & Visitatoribus ad Prouincias Orientales & Occidentales Insulas, & Prouincias Germaniæ, & Flandriæ delegatis, vt Regulares incorrigibiles eijcere possint vna cum sex Patribus grauioribus pro vnaquaque Prouincia eligendis in singulis Capitulis, & Congregationibus generalibus. Atque interea vsque ad primum generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam indulsisse, vt eiectio seruata in reliquis forma Decreti hac de re editi fieri posset à Commissarijs, & Visitatoribus ante dictis vna cum consilio, & assensu sex Patrum, quos idemet Commissarij, & Visitatores in qualibet Prouincia elegissent, & quod Sanctissimus audita S. Congregationis consultatione annuerit.

S V M M A R I V M.

1 *Decretum Vrbani Octaui. num.* 595.
2 *Eiecti non possunt deferre habitum Religionis. num.* 596.
3 *Debet deferre habitum Clericalem. num.* 597.
4 *Sub cuius potestate sint eiecti. num.* 598.
4 *An eiecti maneant sub potestate Religionis varie fuit opinatum. num.* 599.
5 *Eiecti non sunt soluti a vinculo votorum. numer.* 600.
6 *Distinctio eiectorum in perpetuum, & non in perpetuum reijcitur. num.* 601.
7 *Eiecti acquirunt Religioni, vel Cameræ Apostolicæ. num.* 602.
8 *Distinctiones aliquæ reijciuntur. num.* 603.
9 *Cui acquirat eiectus transiens ad aliam religionem. num.* 604.
10 *Eiectus habet administrationem bonorum. numer.* 605.
11 *An eiectus expendens in vsus illicitos sit proprietarius, varie fuit opinatum. num.* 606.
12 *Negans pars eligitur. num.* 607.
13 *Administratio non importat dominium. n.* 608.

Re-

Ad quid teneantur eiecti post sententiam eiectionis.

INSPECTIO III.

595. DE hoc etiam ita decernit Vrban. VIII. in sua Const.26. *de Apost. & eiectis* §.7. *Sic vero eiecti, quãdiu non redierint ad religionem in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur*, & infra §. 9. *Præterea statuit, vt ijdem superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.* & §. 10. *Item vt eiecti extra religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.*

596. Plura in hoc decreto continentur, ex quibus nouum ius statuitur, vel antiquum declaratur. Et in primis determinatur dubium de habitu in quo eiectus incedere debeat, & duo continet hoc statutum in hac parte, scilicet quod eiectus non vtatur nec deferat habitum religionis, à qua eiectus fuit: secundum, quod deferat habitum Clericalem. Quantum verò ad primum aliqui ante Constit. Vrbani 8. distinguebant dicentes eiectum si sit priuatus habitu religionis non posse illum deferre, sed grauiter peccare, & & puniri posse, & debere; Nauar. *Comm.2. de regul.nu.36.* Azor. *tom.1 l.17. c.18.q.13.* Lessius *l.2. c.41.d.15.num.112.* Tambur.*t.3.disp.8.q.8.num.10.* Sanchez *l.6.in Decal.cap.9.num.55.* Suarez *t.4.de relig.tract.8.l.3.c.6.num.14.* Rodriq.*t.1.q.30. n.27.* Sayr.*Clau.reg.l.6.c.9.num.28.* Sed si religio eijciat aliquem sed cum habitu non priuet, talem nec debere nec posse sine habitu religionis incedere voluerunt Rodriquez, Sayrus, & Sanchez citati. Sed hic modus eijciendi religiosos non est conueniens, quoniam vt aduertit Suarez delatio habitus regularis in eiecto cederet in infamiam, & dedecus religionis. Et cum eiectus sit membrum à corpore religionis præcisum, non conuenit illi habitus religionis, qui est signum vnionis religiosorum in obedientia eiusdem capitis. Ideo modo ex vi decreti Vrbani Octaui non possunt eiecti incedere in habitu religioso, sed gestare tenentur habitum clericalem, vt declarauit etiam Sac.Congr.21.Septemb.1624. & 1. April.1628. & tenent Nouat. *Lucerna regul. v.Eiecti nu.7.* Lezana *v. Eiecti num.8.* Graff.*cons.3 de regular.* vbi ait, quod eiecti puniri possunt & cogi, vt religiosum habitum non deferant, Pasqual. ad Franc.n.177. Donatus in praxi *p.2.t.8.q.41.*

597. Quantum ad secundum vero, scilicet quantum ad delationem habitus clericalis, Suarez loco citato sensit ad hoc non teneri nec laicos eiectos, nec eos Clericos, qui non sunt ordinati aliquo ex ordinibus minoribus; quia eiectus non tenetur esse clericus, si non vult, & sufficit si cælibatum seruet in vita, & ex consequenti in habitu laicali. Imo addit nec Episcopum posse illi præcipere, vt habitum clericalem deferat, quia hoc religiosus non vouit. Lezana quoque *v. Eiecti num.8.* Conuersos, & non ordinatos ordinibus minoribus censet non teneri ad deferendum habitum clericalem, & videtur fauere Nouat. *Lucerna regul. v. eiectus num. 7.* sed limitatio ista non admittitur, quia Constitutio Vrbani Octaui non distinguit, sed absolutè præcipit eiectos incedere debere in habitu clericali. Secundò quia cum eiectus tanquam religiosus, & non laicus sit specialiter Episcopo subiectus debet vti veste clericali, vt à secularibus distinguatur, & esse inter Ecclesiasticos dignoscatur, vt tradit Donatus in praxi *p.2.t.8. q.41.num.2.* Imo si eiectus vellet vti habitu clericali, sed aliorum Clericorũ habitu differente, vnde posset cognosci se esse Regularem, posset hoc illi interdici, & compelli, vt ad modum aliorum Clericorum habitum deferret Bellet. *disq. Cler. p. 2. de panit. Cler. §. 25 num.18.*

598. Secundum in prædictis decretis conside-

derandum est, quod statuitur, quod eiecti sint sub iurisdictione & obedientia Episcopi. In quo duo etiam continentur; primum est, quod dismenbrantur a corpore religionis, & ideo videntur desinere esse sub iurisdictione superiorum ordinis, secundum est, quod transeunt sub iurisdictione Episcopi. Horum autem vtrumque explicandum est, & videndum, an eiecti sint omnino extra religionis potestatem, & an & quomodo, seu quo titulo sint subiecti Episcopo, & cui Episcopo.

599. Et quidem quantum ad primum, aliqui tennerunt, quod eiectus iustè per sententiam diffinitiuam eximatur omnino ab ordinis illius iurisdictione à quo eijcitur, & ita vt nec ipse teneatur redire ad ordinem illum, nec per superiores cogi possit, vt redeat. Refertur pro hac sententia Nauar. *Comm. 3. de regul. nu. 36.* & pro eadem sententia sunt Rodriq. *p. 1. q. 30. a. 20. & t. 2. sum. c. 95. n. 11.* Azor. *t. 1. lib. 12. c. 17. q. 1. & c. 16. q. 6.* Sorbus *v. Eijcere, in fine,* & fauent Tolet. *l. 4. summa cap. 18. num. 1.* Quod probarent, quia cum eiectus desinat esse membrum religionis, simul desinit esse sub iurisdictione superiorum eiusdem religionis. Tum secundò, quia seruus eiectus à domino sui iuris efficitur, religiosus vero se habet ad Superiorem sicut seruus ad Dominum. Tertiò quia res iudicata seruanda est, *l. res iudicata. ff. de regulis iuris.* Sententia igitur expulsionis seruanda est, & ideo eiectus non potest cogi, vt ad religionem redeat. Quarto quia Glossa, Panorm. *in cap. fin. de regul.* & D. Anton. *3. p. t. 16. cap. 5.* de solis fugitiuis asserunt, quod sint cogendi, vt redeant, cum tamen dicant fugitiuos, & eiectos esse inquirendos. Contrariam sententiam tenuit Glossa Constit. Ord. Prædicatorum *cap. 19. de grauissima culpa* in fine sic dicens. *Ille autem qui propter culpam suam expellitur à Prælato, adhuc est suus subditus, secat ouis morbida, licet sit expulsa a grege adhuc est pastoris.* Et hanc candem sententiam amplexi sunt Vmbertus ad regulam *D. Aug. cap. 99.* Sylu. *v. apost. q. 6. num. 10. & v. Religio 6. q. 12. & v. votum 4. q. 3.* Sotus *l. 7. de iust. q. 3. a. 5.* ad tertium aliique plures, quos infra referam distinctius explicando, in quo sub iurisdictione superiorum remaneat eiectus.

600. Nam primo dicitur, quod eiectus non definit esse religiosus, nec absoluitur à voto professionis seu à votis obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Nam superior eijciens religiosum, non potest illum absoluere ab obligatione votorum solemnium, de essentia vero Monachatus, seu religionis sunt hæc tria vota, *cap. Cum ad Monas. de statu Monachorum.* Amplius non est diuersa ratio voti castitatis, & votorum obedientiæ, & paupertatis quantum ad vinculi perpetuitatem & indissolubilitatem, & tamen certum est eiectum non liberari ab obligatione voti castitatis. Tertiò, quia nihil obstat, quod eiectus proijciatur extra obedientiam, & remittatur ad seculum, vbi non est locus seruandæ paupertatis; quia, vt infra dicitur & in seculo seruari potest paupertas, & obedientia quantum ad multa, in alijs vero suspenditur votorum obligatio, sed non extinguitur, aliter ex culpa eiectus commodum reportaret, si obligationem votorum deponeret, contra id, quod statuitur *cap. 1. de postul. Prælat. & cap. Sedes Apostol. de rescriptis.* Quod eo absurdius admitteretur, quod religiosi assumpti ad Episcopatum & Cardinalatum non liberantur à votorum obligatione, & ita eiecti, quia rebelles, & contumaces eximerentur ab obligatione suarum promissionum, quod viris plurium meritorum assumptis ad dignitates, & ad manendum extra claustra intra sæculares negatur. Et ita quod eiecti non liberentur à votorum, seu professionis obligatione præter DD. supra allegatos tenent Reuerendissimus Fagnanus ad *cap. Ex parte num. 6. de regul.* D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 5. §. 3.* vbi quod tenetur viuere regulariter & honestè. Corduba *ad regul.* S. Franc. *c. 2. q. 21. p. 3.* Arrgon. *22. q. 88. a. 3.* Conrad. *in respons. p. p. q. 185.* Azor. *t. 1. l. 12. t. 16. q. 4. & q. 7. & q. 11. & c. 17. q. 2.* Petrus de Ledesma *2. t. tr. 10. c. vlt. dub. 2.* Suar. *t. 5. in 3. p. d. 21. sect. p. n. 20. & t. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 6.* Ribad. *in lib. Inst. Societ. c. 14.* Vasquez *p. 2. q. 96. n. 4. disp. 165. nu. 87.* Les. *l. 2. c. 41. d. 15. n. 112.* Molin. *t. 1. de iust. d. 140. & 2. t. disp. 276.* Sayro *Clau. reg. l. 10. c. 9. num. 25. & 27.* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. nu. 27.* Bonac. de Claus. *q. 2. p. 12. p. 12. §. 3. nu. 1.* Laurent. Peyr. *in S. R. q. 1. c. 25. conc. 5.* Maranta *to. 3. resp. 57. num. 4.* Donatus in praxi *p. 2. tr. 8. q. 22.* Pasqual. ad Franc. *numer. 1078.* Lezana *tom. 1. c. 23.* Tambur. *t. 3. d. 8. q. 8. num. 5.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 21. num. 1.* Bellet. *de pæn. Cler. §. 25. n. 19.*

609. Et quidem quod eiecti non sint absoluti à vinculo voti castitatis est per se manifestum, & si contrahant matrimonium sunt excommunicati ex *Clem. vnica de consanguin. & affin.* & puniendi sunt tanquam suspecti de hæresi per indices fidei. vt tradit Donatus citatus *q. 23. fin.*

Votum paupertatis.

602. PAriter manent obligati voto paupertatis, quia nihil possunt acquirere aut habere tanquam proprium, sed eorum quæ possident habent solum vsum facti, & administrationem nudam. Nauar. *com. 2. de regu. n. 35.* Les. *lib. 2. c. 41. dub. 15. num. 112.* Sayrus *Clauis Regia l. 6. c. 9. num. 18.* Molina *t. 1. d. 140. & t. 2 d. 779.* Azor. *t. 1. l. 12. cap. 16. qu. 4.* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. num. 45.* Lezana *t. 1. c. 23.* Donatus in praxi *p. 2. trac. 8. q. 45. & seq.* Pasqual. ad Franc. *num. 1078.* Rota *dec. 109. par. 5. recent.* Tambur. *tom. 3. c. 8. q. 8. num. 7.* & apud eum Salas, & Sanctarell. Diana *p. 2. tr. 2. res. 60.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 23. nu. 2.* Bellet. *dis. cler. de pæn. Cler. §. 25. n. 21.*

603. Vt verò videatur cui eiectus acquirat, antiquiores Doctores, vt videre est apud Suarez loco citato *n. 19. & 20.* vtebantur distinctione, & differentiam inter eum qui sit eiectus in perpetuum & omnino, & inter eum qui non sit omnino in perpetuum eiectus ponentes, dicebant illū esse eiectum in perpetuum, qui sit eiectus sine spe redeundi, & ita vt non sit amplius recipiendus. Sed hæc distinctio, vt aduertit etiam Donatus *q. 50. num. 8.* modo locum non habet, quia nullus eijci potest sine spe redeundi, cum imo ex capite finali *de regular.* innouato, & confirmato

per

per Const.16. Vrbani Octaui superiores nedum recipere, sed inquirere debeant eiectos. Vnde eiecti semper manent religiosi & tales, vt recipi possint, & recipi debeant, si velint ipsi, & nisi per accidens non sint recipiendi, vt infra est explicandum.

603. Inquirenti igitur cui eiecti acquirant, iuxta supradicta de fugitiuis, & apostatis, dicitur quod eorum bona, si extra religionem decedant, spectant ad Cameram Apostolicam, cui in hac parte acquirunt. Sed nihilominus exceptis bonis acquisitis ex beneficio aliquo, quæ remanere debent Ecclesiæ, si eorum dominium absolutum acquisiuit, & non sunt talia, quæ Beneficiatus donare potuisset, iuxta dicta supra de Apostatis n.531. si eiectus redeat ad claustrum bona illius pertinent ad religionem à qua fuit eiectus, & quam fuit professus, & cuius est membrum. Ita quod illa bona post eiectionem acquisita sub conditionibus diuersis sunt diuersorum dominorum; Nam sub conditione reditus ad religionem ante mortem, sunt religionis cuius est membrum licet putridum, & separatum, sed sub conditione mortis in statu eiectionis sunt Cameræ Apostolicæ. Quod igitur eiectus acquirat Cameræ Apostolicæ in casu tamen mortis illius extra claustra est certum ex Constit. *Officij nostri partes*. *Greg.* 13. & docent communiter DD. Quod vero eiectus acquirat monasterio sub conditione, quod redeat ad religionem, probatur ex eo, quod religio per iustam sententiam electionis non sibi præiudicat, nec priuatur iure, quod habet ad omnia ea, quæ religiosus acquirit, & eo magis, quod eiectio inuenta fuit, & à iuribus statuta in commodum, & fauorem religionis, & ne religiosus incorrigibilis inficiat alios, sed pœna condigna eius incorrigibilitas coerceatur; quod vero in fauorem introductum fuit, non debet verti in damnum, *ex reg.61. l.6. Cod. de legibus*. Sed hoc maximè probatur, quia cum religio teneatur inquirere, & recipere eiectum redeuntem correctum, imo illum possit compellere vt redeat, vt infra probabitur; eiectus manet & Religiosus, & non totaliter dismembratus à corpore religionis, sed & ipse religionis est, & tam ipse, quam sua sub religionis manent dominio. Et in hoc sensu vera est opinio S.Anton.3.*p tit.*16. *c*.5. §.4. Aug *v.Monasterium*, *num*.6. Texedę *tom.*1. *l*.2. *tract*.1. *conor*.10. *d.p.num*. 84. Molin.*tom*.1. *disp*.140. Less. *l*.2.*c*.41. *num*.1t2. Lezana *l*.2.*c*.23.*num*.15. Card. de Lugo *tom.*1. *de iust. disp*.3. *num*. 240. Nec oppositum sentiunt illi qui asserunt eiectum acquirere Cameræ Apostolicæ, quia vtrumque est verum, vt dictum est. Meritò tamen displicet, quod habet Bellet. *trisque Cler. p* 2. *de pœnis Cler*. §.25. *n*.85. negans eiectum acquirere Monasterio. Nec loquitur consequenter, quia cum bene ibi doceat, quod eiectus non desinit esse Monachus, non ergo desinit esse Religionis ipse, & omnia sua. Vnde cum subdit, quod acquirit, Deo, & Pontifici habenti ius summum administrādi patrimonium Christi, hoc verum esi etiam de non electis, proximè tamen acquirit Monasterio ita tamen, quod si decedat in statu eiectionis acquisita spectent ad Cameram Apostolicam. Videnda sunt dicta super *num*.530. & 531.

604. Hinc deducitur locum iam non habere illa multa, quæ habent DD. antiqui distinguentes inter eiectum iustè, vel iniustè, & hoc cum totius aut maioris partis Conuentus culpa, vel solum culpa Prælati, aut minoris partis Cōuentus, siue considerantes eiectum pœnitentem, & correctum, vel iniustè excludi, & non recipi, vel iustè, siue alia similia ponderantes. Quia totum hoc vnica hac distinctione modo resoluitur. Nam vel eiectus ante mortem redit ad religionem à qua fuit eiectus, vel ad eam non redit, sed extra claustrum moritur. Si moritur extra claustrum, omnia eius bona post eius eiectionem acquisita pertinent ad Cameram Apostolicam, vt ad legitimum heredem. Si reuertitur cū ad religionē vertitur omnibus bonis eius extra iusto titulo acquisitis, & nulli restitutioni obnoxijs. De bonis tamen acquisitis ex fructibus beneficijs seruandum est dictum superior.

605. Solum posset esse dubium, si eiectus non redeat ad propriam Religionem nec moriatur extra claustra, sed transeat ad aliam religionem. In quo distingui debet, si enim redeat, & retineatur in pœnam in aliquo Monasterio tanquam in carcere, tunc idem est ac si redijsset ad propriam religionem, quæ tenebitur pro alimētis alteri Monasterio, vel religioni, sed omnia Religiosi bona erunt propriæ Religionis. Et licet Sylu. *v. Apostasia q*.9.*num*.12. ex Raym. Host. & *sum. Confess.* Dicat huiusmodi bona quantum ad ad vsum fructum esse Monasterij assignari loco pœnitentiæ ipsi religioso, sed quantum ad proprietatem erūt prioris Monasterij ex quo fuit eiectus, tamen hoc debet intelligi solum pro valore alimentorum, & iuxta prioris Monasterij beneplacitum, quod quidem tenetur ad alimenta sui Religiosi, sed ea soluere potest modo sibi benè viso, seu iuxta contractum initum cum posteriori monasterio, vt supra de Apostatis dictum fuit. Sed si Religiosus eiectus transeat ad aliam Religionem, & ibi professionem legitimè emittat, Sanchez *l*.7.*mor.c*.33.*num*.19. distinguit de Religione incapaci, vel capaci succedendi; & de capaci asserit, quod huius eiecti bona ante professionem acquisita quantum ad proprietatem erunt Cameræ Apostolicæ cui defuncto Religioso debebantur, sed quantum ad vsum fructum erunt monasterij, seu religionis in qua eiectus professionem emisit. Sed si monasterium sit incapax succedendi fiet sicut de alijs bonis, quæ Religiosus acquirit in monasterio incapaci. Sed meritò Card. de Lugo *tom*.1. *de iust. disp*.3. *n*.248. hoc reijcit. Quia cum iste eiectus moriatur intra Claustra locum non habet Constitutio Greg. 13. vt Cameræ Apostolicæ bona ab eo acquisita debeantur. Idem vero Religiosus habuit quidem administrationem, & vsum bonorum à se acquisitorum pro tempore quo fuit eiectus, sed statim ac fuit in alia Religione professus, hæc administratio cessauit, vnde statim vsus fructus talium bonorum, cum eorum proprietate, & dominio consolidatus fuit vero domino illorum. Atque ideo siue monasterium in quo eiectus profitetur de

de nouo sit capax, siue sit incapax succedendi non potest habere vsumfructum illorum bonorum, sed hic redit ad dominum illorum, qui est prius Monasterium, seu Prior religio à qua fuit eiectus. Nisi vt ait Card. de Lugo eiectus ex vi administrationis bonorum, quam habet, eadem bona applicauerit, & donauerit monasterio posteriori antequam in eo profiteatur, & dum adhuc est eorum bonorum administrator. Bona tamen quæ post transitum ad aliam religionem acquirit emissa professione eiusdem Religionis sunt.

605. Nam licet eiectus ex vi voti paupertatis à quo non manet liber, non possit habere dominium aliquod rerum à se acquisitarum, habet tamen earum administrationem, vt possit illis vti, & etiam alijs donare. In quo tamen vnum est certum, & aliud dubium. Certum enim est, quod potest eiectus bonis à se acquisitis vti ad vsus necessarios, & pios, qui sunt actus virtutis, & tales, quod ad eos posset habere facultatem legitimam, & iustam à suo superiore si esset extra claustra, & haberet superiorem Religiosum à quo illam peteret. Bellet. tamen de pan. Cler. §. 25. num. 21. Asserit, quod non potest facere magnas expensas, & donationes. Sed dicendum est, quod quantum sit ex voto paupertatis, eiectus non prohibetur ab illis alienationibus quæ à Religioso fieri possunt de licentia superioris eo voto non violato, quia omnem hanc licentiam habet, ex quo habet bonorum administrationem.

606. Sed dubium est, an possit vti talibus bonis ad vsus illicitos, & superfluos, & cum certum sit vsum bonorum ad finem illicitum esse peccatum, dubium est, an sit in eiecto speciale peccatum sacrilegij contra votum paupertatis, aut contra iustitiam debitam religioni, & ex consequēti, an recipientes ab eiecto teneantur ad restitutionem. Affirmant enim Lupez, Texeda t. 1. mor. l. 2. trac. 1. contr. 10. num. 17. A S. Fausto in l. 6. q. 288. in annis. Lezana tom. 1. c. 23. num. 14. Donatus in praxi p. 2. tract. 8. q. 50. Pasqual. ad Franc. num. 1002. & 1003. Tum primo, quia libera, & vniuersalis administratio ad omnem vsum aduersatur voto paupertatis, quoniam facultas ampla disponendi de rebus absque alterius iniuria est dominium, vt docent Theologi in 4. d. 15. & Iuris periti Instit. de rerum diuis. & tit. de vsu, & vsufructu. Tum secundò, quia eiectus non potest expendere, & consumere bona à se acquisita nisi de facultate Superiorum, cum in eo maneat votum paupertatis. At vero à superioribus non habet licentiam expendendi in vsus illicitos, quia imo nec superior potest illi hanc licentiam concedere, quia non est dilapidator bonorum Conuentus, sed administrator in eius vtilitatem. Tum tertiò, quia licet Religio de bonis eiectorum non se intromittat, non ideo benè infertur, ergo eiectus remanet illorum Dominus. Nam à diuersis non fit illatio. Nec ista conuenientia potest præiudicare Ecclesiæ in iuribus quæsitis, & eo magis, quod isti eiecti tenentur cum bonis suis redire ad claustrum, vel si moriantur bona eorum sunt Cameræ Apostolicæ. Tum quartò, quia huiusmodi Religiosi si essent cum licentia beneficiati non possent in vsus illicitos, & vanos, seu superfluos expendere; igitur multo minus hoc possunt facere eiecti. Nihilominus hos eiectos expendendo in vsus illicitos, & superfluos non peccare contra votum paupertatis, & recipientes ab eis non teneri ad restitutionem tenēt Molina tom. 2. de iust. disp. 276. num. 5. Less. de iust. l. 2. c. 41. num. 213. Sanchez l. 6. mor. c. 9. num. 47. & 48. Bonac. de Claus. q. 2. p. 12. §. 3. num. 2. Diana p. 7. tract. 12. resol. 5. Sanctarell. de Apost. cap. 6. dub. 2. num. 11. Salas tract. 5. de ludo dub. 21. num. 5. Quoniam ex quo religiosus eijcitur ponitur in statu, vt nō habeat superiorem à quo dirigatur, & ideo remanet in eo ampla administratio omnium quæ acquirit, ac si esset illorum dominus, nimirum tanquam non habens Superiorem de cuius licentia bonis vtatur. Nec valet dicere, quod habet Episcopū, quia Episcopus non est Dominus illorum bonorum, cum non Episcopo, sed Religioni acquirit eiectus. Nec Religiosus promisit Episcopo obedientiā, sed Generali ordinis, & alijs Superioribus. In hac parte igitur eiectus est sine superiore à quo dirigatur, & ideo habet bonorū, quæ acquirit vsum facti, ac si esset eorum dominus, vnde expendēdo in vsus illicitos non peccat contra votum paupertatis, nec qui ab eo recipit est restitutioni obnoxius.

607. Hanc verò secundam sententiam in casu præsenti probabiliorem iudico. Quamuis enim supra q. 186. a. 7. num. 168. inspectione iexta docuerim licentiam generalem non extendi ad vsus illicitos, tamen assertio illa limitanda est in casu præsenti, in quo eiecto conceditur nedum licentia vtendi temporalibus indifferenter, & in genere, sed à gubernio superiorum Regularium eijcitur, & sine directore relinquitur (quod non est fauor, sed pœna grauissima) & tamquam putridum membrum sibi ipsi relinquitur, & ab aliorum communione separatur, vnde per necessariā consequentiam sibi conceditur temporalium vsus independenter à necessitate petendi licētiam toties, quoties, seu independenter ab exercita directione superioris, & sibi ipsi relinquitur ac si esset in hac parte dominus. Quia nimirum aufertur impedimentum, quod in vsu temporalium exercito prouenit, vel ex eo quod Monasterium est dominus rerum illatum, vel ex eo, quod superior est director specialis talis vsus, cum à superiore eijciatur, & ab eius cura proijciatur. Ideo male vtendo rebus temporalibus peccat, sed non peccat contra votum paupertatis, aut contra iustitiam.

608. Ad primum in oppositum, negatur assumptum; Dominium enim dicit ius vtendi independenter à quocumque alio, sed administratio concessa ab alio, & ab alio reuocabilis non est dominium, sed dicit purum vsum facti. Administratio verò bonorum quam habet eiectus est sibi concessa à Religione, quæ est domina rerum ab eiecto acquisitarum, & est ab ea reuocabilis. Tum quia reuocare potest eiectum ad claustrum. Tum quia si vellet, & expediret posset limitare vsum bonorum in eiecto, sed ex quo à sui cura eiectum eijcit, non expedit, vt se ingerat in diri-

gendo

gendo eiectum in vsum temporalium, sed illum sibi ipsi relinquit, & à speciali sui prouidentia illum obligat.

609. Ideò ad secundum dicitur, quod supponit falsum, scilicet quod religio det eiecto licentiam ad vsum malum, seu quod vsus temporalium ad illicita necessariò sit peccatum contra votum, nisi religio det licentiam vtendi determinate ad vsum malum, quod non est necessarium, sed stant simul, quod religio det licentiam validam, & iustam, & sanctam sine peccato, & cum merito ex parte sui, & tamen quod alias eiectus hac licentia abutatur, ideoque peccet, non quia agit sine licentia, sed quia contra legem aliquam operatur. Superior enim in hac parte se habet vt dominus, & vt superior sine cuius licentia non est licitus vsus temporalium, dando autem eiecto licentiam indifferentem, & indeterminatam ad vsum temporalium, potest dici quod peccet, vel quia dat commoditatem peccandi, vel quia non impedit peccatum. Primum non est verum; quia licentia vtendi rebus temporalibus de se nec est mala, nec est mali occasio; & si hic est occasio aliqua illa est ea malitia vtentis, & potius occasionata ex possessione rei temporalis, quam ex licentia vtendi re temporali. Sic dominus dans alicui licentiam vtendi equo suo, ex hoc per se non peccat, si vtens eo vtatur ad malum finem, quia dominus rei, vt rei dominus non est director ad bonum, & quantum sit ex se non dat nisi licentiam ad vsum, vt vsus non sit iniustus, quod si vtens ex malitia sua male vtitur, sibi imputet. Non ergo superior dans eiecto licentiam vtendi acquisitis eam non limitando, neque ad hoc, neque ad illud, peccat ex eo quod concurrat ad peccatum alterius, vel sit alij causa, aut occasio peccandi. Sed neque peccat, quia non impediat peccatum illius, Tum quia superiore, vt est præcise dominus sine cuius licentia non est licitus vsus temporalium non est director ad bonum, nec ad ipsum pertinet impedire malum vsum prouenientem ea malitia vtentis. Tum quia superior talem malum vsum sufficienter impedit quantum sit ex parte sua, per leges à se, & à superioribus statutas, & malum vsum prohibentes. Et cum alias circa eiectum expertus fuerit superior se nihil facere in dirigendo eum in bonum, & ideò iustum esse vt eum sine sui cura derelinquat, iam omnino ab omni vmbra peccati est liber, si eiectus male vtitur bonis, & in hoc superioris pietas, & misericordia commendatur, qui dando licentiam indifferentem, & illimitatam ad vsum bonorum temporalium facit, quod peccatum eiecti sit minus, & non sit saltem contra iustitiam, & votum paupertatis, bene sciens superior, & religio; quod si hanc licentiam negaret, & impediret eiectum iam in malo obstinatum ne abstineret à malo vsu temporalium ex hoc eius iniquitas (licet ex sola eiecti malitia) magis cresceret. Ideò bene facit dando eiecto ad vsum temporalium licentiam in genere indifferentem, & illimitatam, licet ex malitia vtentis determinabilem ad malum.

610. Ad tertium dicitur, quod ex quo religio de bonis eiectorum non se intromittit, non colligimus, quod eiectus sit illorum dominus, sed quod religio habet talia bona tanquam quasi derelicta, & quod quantum sit ex se ipsa, & ex dominio quod habet non impedit, quod eiectus illis vtatur, & eis eiectus non vtitur ea inuita. Et si dicitur, quod religio est inuita, quia non vult eiectum vti bonis suis ad malum; Respondetur quod religio considerata, vt domina talium bonorum est inuita negatiue, quia ipsa positiue non vult malum vsum, sed imò quantum sit ex se ipsa non vult nisi vsum bonum, sed non est inuita positiue, quia in quantum domina temporalis, & temporalium ad ipsam non pertinet prohibere malum. Est verò inuita quatenus est superior, & dirigens in bonum. Ideò eiectus vtens temporalibus ad malum non peccat contra iustitiam, aut contra votum paupertatis, sed contra aut alias leges religionis, vel etiam contra votum obedientiæ.

611. Ad quartùm dicitur, quod nec beneficiatus peccat contra paupertatem expendens in vsus illicitos. Ideò etiam dicitur, quod aliud est loqui de licentia generali data alicui fratri priuato ad vtendum bonis sibi ad vsum concessis, de qua loquutus sum supra *q. 186. a. 7. inspec. 6.* Aliud est loqui de administratione vniuersali, quæ datur alicui titulo alicuius officij, vt quæ datur Regularibus Episcopis, aut Beneficiatis, aut etiam aliquibus officialibus, vt Magistro S. Palatij, aut Commissario S. Officij, aut similibus, quibus datur vniuersalis administratio bonorum, quæ ad eorũ vsum spectant. Et quantũ ad hunc vsum eximuntur à necessitate petendi licentiam vtendi rebus in casibus contingẽtibus. Huiusmodi enim vniuersalis administratio non continet limitationem ad vsus licitos tantum, cum sit vniuersalis, & coniuncta vniuersali administrationi tributæ ratione publici officij. Vndè est quod supra in *ead. inspect. num. 164.* de Episcopis, & morantibus extra Religionem dixi non dari licentiam vtendi rebus cum limitatione ad vsus honestos tantum. Et de Episcopo Regulari supra *q. 185. a. 8. num. 256. p. 440.* dixi non peccare contra votum paupertatis si abutatur bonis temporalibus. Et secundò additur non esse eandem rationem, quia eiectus est proiectus à cura Religionis, & superiorum, & in maximam sui pœnam sibi sine dirigente superiore relictus, ideò ex magna misericordia sibi conceditur licentia indifferens ad vsum temporaliũ, vndè minus eius peccata sint grauia.

612. Sed tamen considerando vsum temporalium in quantum potest esse inuita Religione, vt domina, multoties potest esse iniustitia in eiecto. Nam bona immobilia alienare non potest, sicut nec mobilia pretiosa. Et hoc nedum, quia hæc sunt bona Ecclesiastica prohibita alienari sine licentia sedis Apostolicæ, sed etiam ratione dominij, quod eiectus non habet, vt aduertit Pasqual. ad Franc. *num. 994.* & quia circa huiusmodi Religio, quæ est illorum domina censeri debet inuita. Hæc enim bona seruando seruari possunt, & simul cum eiecto reuerti possunt ad Religionem, siue eiecto redeunte libere siue coacte; ideò non est censendum, quod Religio, vel habeat ea pro derelictis, vel concesserit eiecto li-

pentiam ea alienandi, nisi quantum sit ex se ipsa in casu grauis necessitatis. Quod in bonis eiecto ex testamento seu hæreditate ab intestato, aut legato prouenientibus est indubitatum, hæc enim pleno iure immediate Religioni proueniunt, nec eiectus ad illa siue immobilia siue mobilia sint, habet aliquod ius, nec potest illa adire, vel possidere. Sed etiam si extra Religionem ex propria industria acquirat aliqua bona immobilia, vel mobilia pretiosa, hoc quoque est certum, quod illa nuiliter alienat sine beneplacito Apostolico, & verisimile est etiam, quod iniustè id faciat, & contra voluntatem Religionis, quæ sub conditione, quod eiectus redeat, sicut potest cogi redire, est illorum bonorum domina. Et in hac parte limitandum est id, quod supra dictum est ex Card. de Lugo, scilicet quod si eiectus transeat ad aliam Religionem, quod possit illi donare bona quæ acquisiuit, hoc enim de immobilibus, & mobilibus pretiosis non est concedendum, sed hæc priori Religioni debentur, cui fuerunt acquisita,

613. Quantum etiam ad restitutionem considerandum est, quod licet obligare se ex turpi causa ad aliquid erogandum sit malum, & illicitum, translacto tamen peccato eoque completo, postquam Religiosus ex contractu, vel ex iniusta acceptione vsus est re aliena, aut rem alienam consumpsit, tunc stare contractui soluendo promissum, vel restituendo ablatum non est malum, nec inhonestum; sed rationabile, ideo dato etiam, quod eiectus non haberet licentiam expendendi nisi pro vsu honesto, posset tunc stare promissis, vel alienum aut restituere, aut compensare & iuste, & valide; & recipiens non teneretur restituere,

614. Concluditur verò ex dictis, quod eiectus de bonis testari non potest, quia non est bonorum suorum dominus, sed quia si decedat extra ordinem eius necessarius hæres est Sedes Apostolica. D. T. *supra q.* 185. *a. vi. ad tertium* Molina *disp.* 277. Less. *l.* 2. *cap.* 41. *num.* 117. Sayro *l.* 6. Clauis regiæ *c.* 9. Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 9. *nu.* 46. Donatus *q.* 49. Pasqual. ad Franc. *num.* 996. Bellet. de pœnis Cler. §. 15. *num.* 21.

Votum obedientiæ.

615. PAriter verò tenetur eiectus etiam ad votum obedientiæ, sicut & ad illud tenentur Religiosi ad Episcopatum assumpti, vt docuit D. T. *supra q.* 185. *art. vi. ad tertium*. Quamuis enim non defuerint, qui dixerint eiectos eximi à voto obedientiæ, non quia in eo dispensati sint, sed quia deficit materia circa quam versetur ac proinde eius obligationem suspendi, quam sententiam tenuerunt Molina *tom.* 1. *disp.* 140. *&* *t.* 2. *disp.* 276. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 30. *a.* 19. Leuius *l.* 2. *c.* 41. *in fin.* Sanch. *l.* 16. *c.* 9. *num.* 29. *&* 31. Nihilominus sententia communis est, vt licet votum obedientiæ maneat suspensum quantum ad multa nihilominus adhuc expulsus quantum ad plura maneat sub obedientia Prælatorum, & simpliciter sub obedientia Papæ. Vt autem videatur qualiter; & in quo eiectus obedire teneatur hoc primo communiter asseritur contra Nauar. *com.* 1. *de regul. num.* 36. *& conf.* 78. *&* 80. *de regul.* Azor. *t.* 1. *l.* 12. *cap.* 17. *q.* 1. Villalob. *p.* 2. *tr.* 35. *diff.* 39. *num.* 2. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 30. *a.* 13. & Dianam *p.* 3. *t.* 2. *resol.* 60. existimantem id esse probabile, cum tamen nihil adducant, quod videatur habere aliquid ponderis. Hoc inquam est certum; Quod tenentur eiecti mores suos corrigere, & se emendare, & dignos reddere, vt ad Religionem à qua eiecti fuerunt redire possint. Vouerunt enim perseuerantiam in Religione, vnde taliter viuere debent, vt per ipsos non stet, quin in Religione, & aliorum consortio viuere possint. Et sicut, qui habet simplex votum Religionis tenetur ex parte sua non ponere obicem, & facere quid quid potest, vt accipiatur in Religione, ita multo magis, qui Religiosam vitam professus est ex vi voti tenetur se idoneum reddere, vt iterum recipiatur, si fuerit expulsus, & suos mores corrigere, & instare vt iterum recipiatur Syl. *v. religio* 6. *q.* 11. *& v. apostasia q.* 5. *&* 6. Soto *l.* 7. *de iust.* *q.* 2. *a.* 1. *ad tertium* Reuerendiss. Fagnan. *ad cap.* Ne *religiosi num.* 9. *de regul.* Angles *tit. de voto a.* 2. *diff.* 8. *cap.* 3. Cordub. *in reg.* S. Franc. *cap.* 2. *q.* 21. Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 9. *num.* 25. Sanchez *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 5. *num.* 4. Zerola *in praxi episc.* 2. *p. verb. regulares vers. ses.* 65. Gral. *p.* 1. *l.* 3. *c.* 5. *num.* 147. Arragon. 22. *q.* 88. *a.* 3. Conrad. *in respons. p.* 1. *q.* 285. Sayr. *Clau. reg. l.* 10. *cap.* 9. *num.* 25. *&* 27. Lauretus de Franchil. *de regular. eiectis q.* 2. Pasqualig. *num.* 972. vbi quod eiecti tenentur tendere in perfectionem Lezana *t.* 1. *c.* 23. Donatus in praxi *p.* 2. *tr.* 8. *q.* 25. A. S. Faustio *l.* 6. Thes. *q.* 226. Bonac. *de Claus. q.* 2. *p.* 12. §. 2. *n.* 1. Layman *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 13. *num.* 6. Bordon. *contro.* 8. *num.* 20. Nauar. Canon. *in sum.* Bullar. *de apost.* *& eiectis num.* 27. *& p.* 2. *eod. titulo num.* 10. Valq. *p.* 2. *d.* 165. *num.* 87. Less. *l.* 2. *cap.* 41. *num.* 111. Barbos. *ad cap. fin. de regular. n.* 7. Tamburr. *t.* 3. *disp.* 8. *q.* 8. *num.* 1. Palaus *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 18. *num.* 5. *& p.* 23. *num.* 5.

616. Sed & pro certo habendum est, quod eiecti etiam non emendati possunt cogi ad redeundum ad Religionem, & tenentur in hoc superioribus regularibus obedire. Et si enim contrarium tenuerit Nauar. *com.* 2. *de regular. n.* 36. *& com.* 3. *num.* 52. *& l.* 3. *Consil.* 77. *de regular.* tamen ex *cap. final. de regularibus*, & *ex decreto Vrbani* 8. *in sua Constit.* 16. innouantis dictum *cap. & præcipientis* superioribus Religiosorum, ut iuxta decretum illius *cap. huiusmodi* eiectos inquirant, & salua ordinis disciplina redire compellant, nulla iam remanet difficultas circa hoc nec valet Glossa Nauar. dicentis *cap. illud finale* loqui de eiectis iniuste, quia Vrbani decretum expresse declarat, & innouat illud caput de iuste eiectis. De quibus etiam debere intelligi latissime probat Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. fin. num.* 18. *& seqq.* Et ratio id suadet, quia eiectio fit, vt in fauorem Religionis, quæ ius suum non amisit, quin possit quando sibi in Domino videbitur expedire, reuocare suum subditum, & illum ad reuertendum compellere. Ad quod facit

est etiam exemplum Matrimonij in quo coniux innocens potest compellere alterum coniugem adulterum ad sibi cohabitandum quamuis hoc exemplum alia ex parte non sit omnino simile, quia in separatione vnius coniugis ab alio, & reductione eiusdem ad alterum agitur de reintegratione iniuriæ, innocentis, vel de interresse, & iustitia priuata coniugum, sed hic nedum agitur de priuato interesse religionis, sed & de obseruatoria voti facti Deo, & de salute Religiosi, quæ cadit sub cura, & prouidentia Religionis; vnde est, quod multo magis, & ex multiplici capite tenetur eiectus, & se corrigere, & ad ouium superiorum redire. Et ita hanc partem tenent omnes DD. supra *num.* 615. *citati*.

617. Et ita ad rationes Nauar. *supra n.* 599. relatas respondetur. Et ad primam dicitur, quod eiectus est membrum Religionis, sed putridum, & ad beneplacitum superiorum separatum, sicut & ouis marcida non desinit esse Pastoris, & sui iuris est eam ad ouile reducere quandocumque voluerit. Ad secundam dicitur longe diuersam esse rationem de seruo, & Religioso. Nam Dominus potest seruo libertatem tribuere, & ideò illum eijciendo censetur eundem manumittere, & liberare. Sed obligatio Religiosi est facta Deo, & respicit principaliter Dei cultum. & est obligatio voti perpetua. Vndè est, quod Religio nec volens potest cedere iuri suo, quia est ius Dei principaliter, ac propterea nec potest absoluere Religiosum ab obligatione votorum, nec potest se priuare iurisdictione, quam habet in suum Religiosum, quia illam habet nomine, & vice Dei. Sicut nec eiectus potest cedere iuri, quod habet, vt recipiatur à Religione ex suppositione, quod verè se correxerit, & velit Religiosè viuere. Ad tertiam dicitur per sententiam contra eiectos non decerni, quod eiectus sit absolutus a votorum obligatione, & iugo Religionis, & obligatione redeundi, si reuocetur; sed solum, quod tanquam ouis morbida extra ouile maneat ad superiorum placitum. Neque hæc obligatio redeundi est noua pœna iniuncta, sed est intima obligationi professionis, & ab ea inseparabilis. Ad vltimam dicitur DD. illos vnum expressisse, sed non negasse aliud. Quamuis & si negassent, eorum authoritas non prodesset contra iura clara decernentia etiam eiectos esse, & inquirendos, & compellendos, vt redeant salua ordinis disciplina.

618. Verum dubium remanet, an postquam Religiosus eiectus se correxit, & petijt iterum recipi in Religionem, & admitti, si reijciatur, nec audiatur possit tuto manere in sæculo. Hoc enim primo affirmauit Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 3. *a.* 1. *ad tertium* quem sequuti sunt Nauar. *tom.* 1. *de re. ul. num.* 36. Arrag. 22. *q.* 88. *a.* 3. Corrad. in *re*[illegible] 2. § 3. *p.* 1. Rodriq. *t.* 1. *q.* 30. *a.* 21. à S. *Fausto l.* 6. *de voto ob*[illegible] *dub. q.* 206. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 13. *num.* 8. Graffius *l.* 3. *de regul. cons.* 3. *num.* 6. Sayrus *Clau. Reg. l.* 10. *c.* 9. *num.* 27. 28. Quia iste iam fecit, quod in se est, vt reciperetur, ideò si non recipiatur est tutus in conscientia, & potest in sæculo manere. Imò Sotus, Corrad. Graf. Arragon, Sayrus, & Monaldus *cons.* 69. *num.* 5. censent hos manere absolutos ab obliga-

tione voti obedientiæ & paupertatis. Sed quantum ad hanc partem sensus horum Doctorum est iuxta Sayri explicationem, quia non teneantur ea vota seruare nisi meliori modo, quo possunt, quoniam quantum ad votum paupertatis habent liberam administrationem bonorum, quæ acquirunt, vt est probatum. Et votum obedientiæ maneat in illis quantum ad multa suspensum, vt est explicandum. Sed quantum ad hoc, quod isti si non fuerint recepti possint manere in sæculo, dicendum est nunquam eos fecisse, quod in se est, quotiescumque sit spes probabilis, vt recipiantur. Ideò semel, iterum, atque iterum septies, decies, pluries non auditi, & reiecti, si insurgat noua spes, vt recipiantur, debent instare vt recipiantur. Bellet. autem *de pen. Cler.* §. 25. *num.* 21. putat votum obedientiæ commutari ad tempus in obedientiam Ordinarij: Quod non puto bene dictum, si enim votum esset commutatum non obligaret pro illo tempore. Sed eiectus ex vi obedientiæ semper tenetur se corrigere, & procurare reditum ad statum obedientiæ, vt idem Doctor docet *num.* 20. & eodem *num.* 21. ait quod eiectus non est solutus a votis obedientiæ, & paupertatis. Melius igitur ibi subdit, quod votum obedientiæ manet suspensum, quod tamen intelligitur solum permissiue, & quantum ad aliqua.

619. Imò eiecti per viam iuris cōpellere debent superiores, vt illos recipiant. Sicut enim superiores Religionis possunt suos eiectos reuocare, & compellere, vt redeant, ita eiecti vere emendati habent ius, vt compellant superiores, vt illos recipiant, si habeant ea, quæ de iure requiruntur, ad hoc vt Religio sit obligata ad eos recipiendos. Quamuis enim huius oppositum tenuerint Azor. *tom.* 1. *lib.* [illegible] 7. *q.* 2. Rod. *tom.* 1. *q.* 30. *a.* 20. Sanchez *l.* 6. *c.* 9. *num.* 32. à S. Fausto *l.* 6. Thes. *q.* 227. Quia non sit par ratio de ipsis, & de Religione, cum ipsi sint in culpa, & Religio sit innocens, coniux verò innocens non tenetur recipere coniugem adulterum post diuortium. Nihilominus oppositum est certum, & omnino tenendum, & ita antiquitus tradiderunt D. Bonau. in reg. D. Franc. *q.* 14. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 5. Syluest. *v. Apost. q.* 5. Nauar. *l.* 3. *cons.* 18. *de regular.* Mol. *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. Cord. *in cap.* 2. *reg.* S. Fran. *q.* 71. *p.* 2. Less. *lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. Tapia authent. ingressi verbo sua *cap.* 6. *num.* 43. Murcia *in cap.* 12. Reg. S. Franc. *cap.* 16. Donatus *p.* 2. *tr.* 8. *q.* 26. Barbosa *ad cap. fin. de regular. num.* 9. Quia præcipitur Superioribus in dicto *cap. finali* innouato, & confirmato per Vrban. Octauum, vt eiectos inquirant, & recipiant, dummodo in huiusmodi eiectis sit spes emendationis. Et ratio, & æquitas hoc postulat. Si enim Religio potest compellere eiectum, vt redeat, ita eiectus emendatus potest compellere Religionem, vt recipiatur, nec obstat, quod Religio sit innocens, & eiectus in culpa, quia & eiectus est iam emendatus, & ius istud non est priuatum, & humanum, sed est ius Dei, & sicut Religio nomine Dei potest compellere eiectum, vt redeat, & vota impleat, ita eiectus emendatus ablata causa suæ eiectionis potest

test compellere Religionem, vt illum admittat ad eadem vota implenda. Ideoque si eiectus habeat spem probabilem obtinendi via iuris sui receptionem ad ordinem, hanc viam experiri tenetur; nec vnquam manet tutus in conscientia quousque refulget sibi spes redeundi; quia hæc est obligatio, quam Religiosus habet ex vi voti, à qua non potest se absoluere, & quæ semper manet, & viget,

620. Habent igitur superiores ius, vt possint compellere electum ad redeundum, & ita eiectus ex vi voti obedientiæ tenetur obedire prælato eum reuocanti ad Claustra, vnde ex hac parte non est absolutus ab obligatione voti obedientiæ. Sed vt etiam probatur infra, Prælati nedum ex priuilegijs, sed ex iure communi, vt aduertit Lezana ad Mare Magnum Minimorum §. 16. possunt excommunicare eiectos, si prædicent, confessiones audiant, & doceant. Est vero vlterius specialis difficultas, an eiecti teneantur ad regulæ obseruantiam, prout patitur. Ad eius status enim eos non teneri dixerunt Sotus *lib. 7. de iust. q. 2. a. 3. ad tertium* Aragon. 22. *q* 55. *a. 7.* Nauar. *tom. 3. de regul. n. 46, & consil. 78. n. 2. de regular.* Corrad. *p. 1. resp. q. 255.* Sayrus Clau. Reg. *l. 6. c. 9. num. 28.* [illegible] *lib. 2. cap. 41. dub. 15,* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. num. 52.* Sà *v. religio nu. 40.* Layman. *l. 4. tract. 5. cap. 13.* Grat. *l. 3. consil.* [illegible] *de regul. num. 9.* à S. Faustio *l. 6.* Thesaur. [illegible] Barbosa *ad cap. final. de regular. num. 12.* Diana *p.* [illegible] *resol. 216.* Lezana *t. 1.* [illegible] *13. num. 17.* Bordon. Controu. *mor.* [illegible] *num. 19.* Vega *p. 2. sum. c. 86. casu 36, 10.* Suarez in Enchir. *l. 3. 5 de voto obed.* Tamburin. *tom. 3. disp. 8. q. 8. num. 15.* Palaus *tr. 16. d. 4. p. 23. num. 10.* Pasqual. ad Francum *num. 979.* Quod adeo verum censent Vega, Sanchez *n. 56.* à S. Fausto, Bordon. Pasqualigus Leander à Murcia *in cap. 2. Reg. S. Franc. c. 17. num. 20.* vt dicant huiusmodi eiectos non teneri ad vota specialia, quæ in Religione emiserunt, quale est votum vitæ quadragesimalis Minimorum, vel votum obediendi Pontifici ad missiones PP. Societatis Iesu. Et huiusmodi vota pro tempore expulsionis manere suspensa neque obligare voluit etiam Palaus *d. tract. 16. d. 4. par. 21. num. 3.* Ducuntur vero rationibus, quarum robur est, quod nullus præter intentionem suam obligatur ex vi promissionis, & voti; at vero Religiosi obligantur ex directa intentione ad statum regularem, ad particulares verò obseruantias obligantur quatenus ipsi statum regularem conseruant, & secundo quia huiusmodi obseruantiæ pertinet ad singulares personas, non vt sunt personæ particulares, sed [illegible] sunt de communitate, vnde cum sunt eiecti, & iam amplius non sunt membra communitatis, ad ea non tenentur.

621. Hæc vero sententia duo ab [illegible] non probata assum[illegible] [illegible]imum [illegible] [illegible]ectum [illegible] membrum illius Religionis [illegible] est eiectus, [illegible] eiectum mutasse statum, [illegible] statum Religiosum. Nam status Religiosus est immutabilis, & cum essentialiter consistat in obligatione trium votorum *cum ad Monasteria de statu Monachorum &* [illegible]mente fere omnium DD. præfatæ [illegible] nionis, eiectus non sit extra obligationem [illegible] votorum, nec ab ea sit liberatus, ita [illegible] est extra statum Religionis, sed verè Religiosus manet, vnde etiam est, quod adhuc est Religionis membrum & est vere de corpore Religionis; & licet sit membrum separatum, hoc est verum secundum quid; quia ipse est separatus à consortio aliorum, ne illos sua contagione corrumpat, non vero est separatus à statu Religioso, vel à prouidentia & cura superiorum Religionis, qui adhuc tenentur illum inquirere, & vbi non adsit periculum, ne alios suo malo exemplo inficiat, etiam compellere, vt redeat. Ideo nec est separatus in perpetuum, sed ad temp[illegible], & per accidens; manente substantia status R[illegible] & essentiali vnione eiecti ad Religionem. [illegible] non est, vnde n[illegible]gatur ei ex hac parte obligatio ad Religiose [illegible]dum iuxta regulam inquantum potest.

622. Sed præterea voluntariè dicitur [illegible] quod intentio profitentium sit se obliga[illegible] regulæ obseruantiam, vel ad vota specialia [illegible] pro tempore [illegible] viuunt coll[illegible] [illegible] Claustra. In professione enim prom[illegible] obedi[illegible] secundum regulam simpliciter [illegible] [illegible] mortem. Ideo iam falsitas illius [illegible] illius opinionis est certa ex Con[illegible] [illegible] 40. [illegible] Appendice Bull. 30. Vrbani Octaui [illegible] sicut sub die 21. Ma[illegible] 635. In q[illegible] statuit Pontifex, vt Religiosus alicuius ordinis, in quo Religiosi vltra tertia vota, votum, vel iuramentum solemniter aut simpliciter emittunt de non petenda nec procuranda, [illegible] sque acceptanda aliqua dignitate, extra ordinem &c. si vel transferantur de illo ad alium ordinem, in quo simile votum [illegible] [illegible] non emittitur, vel quomodo [illegible] exeant ab eo ordine etiam expulsi, [illegible] cumque, non remanet ab eius voti, [illegible] ti obligatione liberatus, [illegible] habetur [illegible]. *Declaramus, & determinamus quoscumque regulares* [illegible] *dictas cuiusuis ordinis, Congregationis, &* [illegible] *etiam quomodolibet exemptos, etiam Societatis* [illegible] *per quamcumque translationem ha*[illegible] *sterum quandocumque de sua, ad aliam* [illegible] *vel ordinem, vt profitetur, seu alias quamod*[illegible] *etiam plures, & quamcumque expulsionem,* [illegible] *iusque regularis dimissionem pro tempore facta* [illegible] *esse tunc esse fore minusque dici, aut censer*[illegible] *seu debere* [illegible] *præfato* [illegible] *oto* [illegible] *promissione,* [illegible] *mento liberatos* [illegible] eo nunc, vt supra [illegible] fuit *num.* [illegible] Congregatio Regularium [illegible] cedit Religiosis licentiam transeundi ad [illegible] ordinem, [illegible] sub conditione, quod integr[illegible] neant vota specialia, in priori ordine emi[illegible] ter tria vota essentialia. [illegible] notandum, q[illegible] cet in translatione Religiosus simpliciter [illegible] perpetuum separetur à priori ordine, & [illegible] desinat esse membrum illius, adhuc rem[illegible] tegra obligatio votorum, quæ Religio[illegible] stituto prioris ordinis emi[illegible]. Multo [illegible] tur hæc obligatio integra m[illegible] non est in perpetuum, & si [illegible] ordine separatus.

623. Vnde quantum ad huiusmodi vota specialia ex instituto Religionis simpliciter emissa, res est certa, & penitus obseruanda, eiectos, [illegible] licet ab huiusmodi votorum obligatione non [illegible] liberatos, sed ad eorum obseruantiam teneri [illegible] perinde ac si expulsi non fuissent, Quar[illegible]s eorum

Constit.

Constit. Vrbani Octaui de solo voto non procurandi, seu acceptandi dignitates loquatur, tamen eadem est ratio de omnibus alijs. Nec constitutio illa purum præceptum continet, sed est declaratio Iuris, emanata ad tollendam vanam prætensionem Religiosorum, prætendentium per translationem, expulsionem, aut habitus regularis dimissionem, se esse ab eo voto liberatos. Et ideò quantum ad huiusmodi vota, eiectos non manere liberos, sed ad eorum obseruantiam eos teneri docuerunt Peyrin. in subd. R. q. 1. cap. 25. §. 1. Tambur. t. 3. disp. 8. q. 8. num. 8. Donatus in praxi tr. 8. q. 51. & per consequentiam D. Th. & omnes alij, quos supra suo loco retuli, qui tenent in assumptis ad Episcopatum manere obligationem ad seruanda vota, & regulam ordinis ex quo fuerunt assumpti, quantum decet illorum dignitatem.

624. Et ita quod etiam eiecti teneantur ad regulæ obseruantiam in quantum illa extra Religionem, & consortium Religiosorum seruari potest, probant supradicta, & amplius probatur, quia non est rationabile, vt eiectus ex culpa sua reportet commodum, & quia rebellis, ideo sit immunis ab obligatione seruandi leges. Nec subsistit responsio Sanchez dicentis posse contingere, vt eiectus per accidens ex delicto consequatur vtilitatem quatenus defficiente perseuerantia in Religione, quæ est principale, accidit vt deficiat obligatio ad regulam, quæ est accessorium. Nam hoc deficit primo; quia vbi principale non deest nisi ex culpa, & rebellione subditi contrarationem est, vt deficiat accessorium, & quod proprie, & per se non aliunde subditus sit immunis ab illis, quæ accessorie dicuntur præcipi, nisi quia est rebellis circa id, quod lex principaliter iubet; & in proposito, quod ex quo eiectus voluntaria rebellione sua non perseuerat, ideo sit immunis ab alijs, quæ regula prohibet. Sed præterea falsum est, quod deficiat principale, quia non deficit status Religiosus, & obligatio ad substantialia Religionis. Imò & non bene dicitur, quod deficiat perseuerantia; quia hæc non deficit nisi secundum quid; deficit enim perseuerantia solum quantum ad consortium aliorum Religiosorum, cum alias eiectus perseueret esse Religiosus, & subditus. Et amplius illa perseuerantia quantum ad consortium, & cohabitationem non deficit nisi ad tempus, & cum subordinatione ad voluntatem superioris. Vnde [illegible] teneri ad ieiunia, & alias sui ordinis obseruantias, & ea omnia quæ non consistunt in [illegible] sibus socialibus; & communitati, & possunt extra consortium, seu Claustrum seruari, docuerunt D. Ant. 3. p. t. 16. c. 5. §. 8. Sylu. v. religio 6. q. 17. Rodriq. t. 1. q. 30. a. 10. Corduba in reg. S. Franc. c. 2. q. 21. par. 3. Miranda tom. 1. p. 52. a. 5. [illegible] Hier. Rodriq. resol. 57. num. 6. Passar. ad [illegible] Donatus citatus q. 52. Portell. v. eijcere num. 5. Villalob. par. 2. tract. 33. diffic. 39. num. 5.

[illegible] Ex quo colligitur eiectos ita manere subditos [illegible] voto obedientiæ, & superioribus vt teneantur illis obedire secundum regulam. Vnde non est verum, quod asserit Sanchez l. 6. mor. c. 9. num. 31. [illegible] quod eiecti non teneantur obedire superioribus suæ Religionis, nisi quando præcipiunt, vt eiecti redeant, quia imò sunt obligati ad ea omnia facienda, quæ superior illis præcipit secundum regulam. Neque enim eiecti eijciuntur à iurisdictione, vel etiam à prouidentia superiorum, sed eijciuntur à claustro, seu à consortio, & cohabitatione aliorum, manent vero subiecti suis superioribus, & obligati, & ad se corrigendum, & ad viuendum secundum regulam, & ad obediendum superioribus secundum regulam præcipientibus.

626. Particularis verò difficultas est respectu m eorum, qui non sunt subdiaconi, an teneantur ad officium diuinum. Non teneri asserunt Sotus l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad tertium. Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 6. num. 12. Lezana tom. 1. c. 23. num. 7. & cap. 12. num. 7. 10. Suarez in Euchar. l. 3. 8. de voto obed. à S. Fausto l. 6. Thelan. relig. q. 217. Leander à Murcia in cap. 2. reg. S. Franc. c. 17. num. 30. Pasqual. ad Francom num. 983. [illegible] ducuntur, quia obligatio recitandi diuinum officium extra chorum, quoad non ordinatos in sacris siue sit ex Constitutione ordinis, siue ex consuetudine non afficit eiectos, qui sunt extra Monasterium, & non sunt membra communitatis. Sed contrarium tenent Nauar. de ho[illegible] c. 7. num. 30. Ledesma 2. p. sum tr. 9. cap. [illegible] Rodriq. t. 1. q. 30. a. 10. Suarez tom. 2. de relig. l. 4. c. 17. num. 9. Peyrin. de S. R. q. 1. c. [illegible] §. 1. Donatus in praxi p. 3. tr. 8. q. 52. Et ver[illegible] est dicendum Eiectos eandem obligationem habere recitandi horas, quam habent non eiecti eosdem recitandi extra chorum. Et iam satis exclusum manet illud principium, quod scilicet Religionis statuta, & consuetudines non obligent Religiosum nisi pro tempore, quo viuit, vel est de consortio; sicuti & est falsum, quod eiectus non sit membrum Religionis actu corpori vnitum substantialiter, & taliter vt non sit subditus, & obligatus ad obseruanda statuta, & consuetudines suæ Religionis. Et iterum vrget illud, quod scilicet ex delicto eiectus perciperet commodum. Nec valet, quod habet Pasqual. num. 985. dicens eiectum reportare incommoda maxima, quia priuatur consortio aliorum, & bonis, quorum Religiosi participes sunt, & ... priuatur obligatione, priuatur etiam fructu obedientiæ; aliter dicendum esset, quod excommunicatus teneretur audire missam, & recitare officium in choro. Nam primo hoc exemplum non est ad rem, sed ex eo oppositum probatur; Nam aliud est liberari obligatione, aliud est priuari aliquo bono. Excommunicatio per accidens liberat ab obligatione, & ex hoc non resultat excommunicato commodum; quia priuat excommunicatum bono illius obligationi annexo, & sic non tam liberat ab obligatione audiendi Missam, quam priuat illum obligationis executione; quatenus hæc est bonum excommunicati. Sed eiectus non est priuatus recitatione diuini officij, nec fructu ex ea resultante; ideo si liberatur obligatione illud recitandi, non priuatur bono, sed eximitur ab onere, & non sentit incommodum, quia si vult potest recitare, nec à tali actione priuatus, sed merè & directè sentit commodum, quia ad recitandum non est obligatus: Et ita in consequen-

gla dictæ opinionis semper sequitur, quod eiectus, quia rebellis, & inobediens eximitur ab onere, & liberatur à legis obligatione, & relinquitur in sui dominio, & libertate. Quod excommunicato non conuenit, cui non relinquitur libertas agendi, sed in pœnam actione priuatur. Et vlterius, quod eiectus priuetur consortio, hoc est quia vult, & ob eius voluntariam rebellionem, non tamen excommunicatur nec priuatur consortio fidelium, nec priuatur facultate recitandi officium, vnde per hoc non eximitur ab obligatione illud recitandi.

SVMMARIVM.

1 *Eiectus sic est subditus Episcopo, quod simul est subiectus superioribus sua Religionis. numer. 627.*
2 *Eiectum teneri ex voto ad obedientiam Episcopi aliqui volunt. num. 628.*
3 *Alij negant eum ex voto teneri ad obediendum Pontifici. num. 628.*
4 *Eiectus ex vi voti non tenetur obedire Episcopo num. 629.*
5 *Eiectus ex quo perdit ab Episcopo exemptionem non per hoc tenetur illi ex voto. n. 629.*
6 *Eiectus per se, & ex natura rei non perdit exemptionem ab Episcopo, sed illam perdit ex lege positiua. num. 629.*
7 *Eiectus ex voto tenetur obedire summo Pontifici. num. 630.*
8 *Ex vi Concil. Trid. & const. Vrb. 8. Eiecti subsunt iurisdictioni Episcopi. num. 631.*
9 *Ante Concilium cui subdebantur. n. 631.*
10 *Eiectis tria genera actionum potest Episcopus præcipere. num. 632.*
11 *Episcopi est regere eiectos secundum canones. num. 632.*
12 *Eiectus est subiectus Episcopo loci in quo extra claustro. num. 633.*
13 *Eiectus sicut alij Clerici potest transire de vna ad aliam Diœcesim. num. 634.*

De subiectione eiecti ad Episcopos.

INSPECTIO IV.

627. Concluditur igitur [illegible] dictis eiectū hic supponi iurisdictioni Episcopi ita tamen, vt non abstrahatur a iurisdictione superiorum, quamuis in pœnam eijciatur extra quandam paternam prouidentiam, & curam. Modo remanet videre qual[iter] eiectus sit subditus Episcopo. In decreto enim Vrbani Octaui §. 7. Sic statuitur. *Sic vero eiecti quandiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque ordinarij loci iurisdictioni, & obedientia subsint [...] proindeque Generalis illius expulsionis sententiam eidem ordinario notificare [...].* Cum verò Laurentius de Franchis *cont. inter Epis. & reg.* teneat Episcopum posse cognoscere de iustitia sententiæ eiectionis, quod & vult Bellet. *de pen. Cler. 6.20. num. 17.* Merito reijcitur, quia huiusmodi cognitio est actus iurisdictionis, cum ex posse cognoscere de iustitia sententiæ, qui sententiam inuentam iniustam potest reformare, quod iurisdictionis est; Episcopus verò iurisdictionem non habet in Prælatos Religiosos exemptos Pasqual. *cent. 2. q. 155.* & ad Laur. *p. t. num. 974.*

628. Eum verò sic subdi Episcopo, vt ei teneatur obedire ex vi voti obedientiæ etiam si ordo ex quo est eiectus sit exemptus à iurisdictione Ordinarij, voluit Nauar. *Com. 2. de regul. num. 33. & com. 3. num. 46.* quem sequitur Palaus *tract. 16. d. 4. p. 23. num. 5.* & videtur fuisse *sent.* Host. in *cap Quod Dei, de statu Monach.* lo. Andr. in *Clem. 1. eod. ut* quos sequitur Suarez *t. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 6. num. 4.* Confirmatur hoc primo ex pluribus DD. qui dixerunt electum acquirere Episcopo. Secundò, quia non est rationabile eiectum manere sine superiore, cui ex vi voti obedire teneatur, nullus autem est, cui præstari possit hæc obedientia, quam Episcopus. Tertiò. Nam pri[us] [reli]giosi subdebantur Episcopo, & ei vouebant; vnde cum religiosus eijcitur, ex quo à corpore Religionis separatur, reducitur ad pristinum statum, & perdit exemptionem, & reducitur ad ius antiquum. Quartò, quia Religiosus si non est exemptus vouet Episcopo, si autem est exemptus vouet etiam Episcopo formaliter isitem, quia vouet se obedire Prælatis, tunc verò Episcopus est Prælatus religiosi illius, quia non est verisimile, quod Pontifex velit illum esse sine Prælato qui illum regat. Et quintò quia beneficiatus statim ex [...]o assumitur ex ordine manet subiectus Episcopo, & nō est dicendum, quod ei subijciatur [...] subiectione communi, vt Clericus Episcop[o], sed subiectione proportionata Religioso statui, & ideo subiectione voti, è contrario vero alij negant eiectum ex vi voti teneri obedire etiam Romano Pontifici. Quia inquiunt, quod [v]ouerunt obedientiam solum quamdiu manent in Religione, & religio eos patitur. Vel, v[t] dicunt, religiosi promittunt obedientiam Pontifici in eis proprijs prælatis, & quia eiecti liberantur à voto obedientiæ respectu prælatorum, nec tenentur obedire Pontifici ex vi eius voti. Nec est eadem ratio de religiosis Episcopis, quia isti eximuntur à Prælatorum obedientia ex priuilegio, sed non eximuntur ab obedientia Pontifi[cis]. Et ita hanc partem tenet Sanches *l. 6. mor. cap. 9. num. 9.* Texeda *l. 2. Contron. dub. 9.* Pasqu[al] ad Fr[a]n. *num. 965.*

629. Vtraque verò opinio deficit. Prima quidem, quia religiosus ex vi voti non tenetur obedire, nisi ei cui vouēdo promisit obedientiam. At vero religiosus exemptus ex vi professionis promittit obedientiam Prælatis religionis, non verò Episcopo. In ordine Prædicatorum promittitur obedientia Magistro Ordinis, & ita fit in alijs religionibus, vt votum Prælatos religionis respiciat. Nec quæ adducūtur in contrariū valent. Non primum. Tū quia, quidquid illi Doctores senserint nec est verū, quod religiosus eiectus acquirat Episcopo sed acquirit Religioni, aut Summo Pontifici. Et secundo hęc sunt diuersa valde, nec ideo acquiritur vni, quia illi sit promissa obedientia, cum imo & votum obedientiæ possit esse sine

ne paupertate, & alias ideo religiosus acquirat religioni, quia illi tribuit dominium, quo se priuat per votum paupertatis; loco cuius malè illi DD. putarunt succedere Episcopum, cum Religiosus eijcitur. Ad secundum dicitur hanc consequentiam esse nullam scilicet Religiosus perdit exemptionem, ergo tenetur ex vi voti obedire Episcopo; sed solum sequitur, quod teneatur illi obedire tanquam subditus Ecclesiasticus: sed & falsum est, quod ex natura rei, & præscindendo à statuto speciali Papæ, eiectus perdat exemptionem ex quo eijcitur à religione. Et dum dicitur quod non est rationabile, quod eiectus sit sine superiore à quo regatur, dicitur quod solum probat pertinere ad Pontificem, si & quatenus sibi visum fuerit assignare illi superiorem, vel immediate illum regere, aut illum gubernare per legatos, & nuncios, aut alio modo sibi bene viso; non verò sequitur, quod eiectus ex vi eiectionis exemptionem perdat; quamuis de facto illam perdat modo, ex decreto. Conc. Trid. & Vrbani Octaui. Ad tertium dicitur quod licet sit probabile, quod Religiosus non exemptus voueat Episcopo obedientiam in sua professione, de religioso exempto hoc improbabiliter dicitur, nec religiosus promittit obedientiam Prælatis quibuscumque, aut quibuscumque superioribus, sed superioribus sui Ordinis. Ego non promisi obedientiam nisi Generali mei Ordinis, sic enim promittit Religiosus ordinis Prædicatorum, licet ex hoc intelligatur promissa obedientia Summo Pontifici. & alijs Prælatis ordinis, quia hoc est secundum regulam. Vnde falsum est, quod ex natura rei & secundum se ex vi eiectionis à Claustro exemptus religiosus eiectus habeat Episcopum pro Prælato suo superiore, & quod illi teneatur obedire, sed remanet soli Pontifici Romano subiectus. Quamuis modo rationabiliter statutum sit, vt maneat sub iurisdictione Episcopi. Ad quartum dico multo etiam improbabilius affirmari Religiosum beneficiatum teneri obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ. Ideo quod religiosus exemptus eiectus non teneatur obedire Episcopo ex vi voti obedientiæ docent Sanchez *l.6.mor.c.9.nu.29.* Tezeda *l.3.Contr.dub.9* Portell. *v. Eijcere in addit.nu.6.* Cespedes *de exemp. regul. c.21 d.3 15.nu.3.* Barbosa *ad cap.final.de regular.num.11.* Lezana *l.4. trac.5.c.13. num.3.* Faustus *l.6.* Thes. *q.128.* Less. *l.2. de iust.c.41. num.114.* Donatus *in praxi 2. tract. 8. qu. 34.* Pasqual. ad Franc. *nu.964.* Tambur. *t.3.d.8.q.8.n.9.*

630. Altera verò opinio deficit, quia promissio obedientiæ facta Põtifici est intima, ac intrinseca, & inseparabilis à professione Religiosa, quia non potest religiosus vouere obedientiam subordinato Prælato, nisi illam voueat subordinanti; omnis verò Prælatus religiosus est subordinatus Pontifici. Quod verò dicitur, quod hæc obedientia promittitur illi pro tempore quo quis degit intra claustra, gratis dicitur, quia imo votum obedientiæ independentius fit Pontifici respectu cuius iurisdictionis numquam religiosus est extra. Tambur. *t.3.d.8 q.8.num.9.* Palaus *d.23. num.5.* Quamuis etiam falsum sit, quod religiosus eiectus sit omninò extra obedientiam sui Prælati.

631. Colligitur verò ex his, quod antequam per Conc. Trident. *sess.6 cap.3.* Religiosi degentes extra claustra puniendi essent per Epis. vt supra probatum est, & per Const. Vrban. 8 eiecti subderentur iurisdictioni Episcopi religiosi exempti ex vi eiectionis ab eorum ordinibus non erant subditi Epis. Et licet aliqui DD. vt Innocent. *cap. Cum dilectus el. 2. num. 4. de priuileg.* Host. *in cap. Quod Dei, de statu Monach.* Ioan. Andr *in Clem. 1. eod.* titulo tenuerint eiectos fuisse subiectos Epis. quos refert, & sequitur Pasqual. ad Francum *num.960.* reddens rationem, quia per sententiam eiectionis dissoluitur contractus per quem religiosus incorporabatur religioni, & ipse fit extraneus, ideoque non potest frui exemptione Religioni concessa, quæ non se extendit, nisi ad membra illius. Nihilominus vel DD. illi intelligendi sunt de Religiosis non exemptis, vel non sunt audiendi, quia semper locum habuit, & habere debuit *cap. final. de regular.* ex quo habetur eiectos adhuc esse membra religionis, & inquirendos, recipiendos, & imo compellendos ad redditum ad Religionem. Vnde antiquitus eiecti vel licentiabatur ad aliam Religionem, quod facere poterant superiores regularium, vel remittebantur ad Pontificem, vt colligitur ex decreto Vrbani Octaui, vel superiores ipsi eiectos inobedientes excommunicabant iuxta decretum dicti *cap. final. de regul.* vel alio modo prouidebant, vel prouidere debebant ex illorum parte, vt eiecti insolenter non viuerent. Et quod ex Azorio inquit Sanchez *l.6.mor.c.9. n.18.* scilicet dictum *cap. fin. de regularibus,* consuetudine abrogatum fuisse, nec est probatum nec est vndequaque verum. & quatenus ita esset non ex eo sequitur, quod eiecti ex ordinibus exemptis essent subiecti Episcopo, sed quod rationabiliter institutum fuerit, vt Episcopo subderentur, quia pro statu eiectionis parum conueniebat illis exemptio à iurisdictione Episcopali, non quia non sint adhuc membra Religionis, à qua sunt eiecti, vel quia sit dissoluta professio eorum, & contractus initus cum religione, sed quia sunt oues ab ouili separatæ tanquam pestilentes, ne alios inficiant, sed tamen adhuc sunt oues Pastoris, & sub eius cura & prouidentia, vt nedum Vrbanus Octauus, sed Greg. IX. in eo *cap. Ne Religiosi de regul.* decernit. Dicitur igitur Eiectus nunc esse subiectos Episcopis, & eorum iurisdictioni ex decreto Constit. Vrbani Octaui de apostatis, & eiectis; & etiam ex decreto Conc. Trid. *sess. 6. cap. 3. de reformat.* decernentes Religiosos degentes extra claustra si delinquant non posse se ex priuilegio exemptionis tueri ne visitentur & puniantur ab Episcopo. Sed in vim decreti Vrbani tenetur eiectus se Episcopo præsentare, sicut & superiores tenentur eidem sententiam eiectionis notificare.

632. Statim autem oritur dubitatio, quæ sint illa, quæ Episcopus potest præcipere eiecto, & in quibus ille tenetur ei obedire. Suarez *t.4 de relig. tr.8.l.3.c.6.n.18.* quẽ sequitur Pal. *t.6.d.4.p.23.n.9* docet eiectũ teneri obedire Episc. in tribus materijs. Primo in his rebus, quæ secundũ generale arbitriũ prudentiæ pertinuerint ad decentiam status Religiosi, prout in illo modo viuendi dictat, in honestate, ac decentia habitus, occupationis,

ſeu negotiationis, conuerſationis, & ſimilia; Secundò in his quæ pertinent ad voti caſtitatis obſeruantiam. Tertiò in his, quæ neceſſaria ſunt ad vſum paupertatis. Neq. enim eiectus eſt ſimplex Eccleſiaſticus, vel Clericus, ſed ſemper remanet Religioſus, & ſemper obligatus ad viuendum religiosè, & prout Religioſum decet. Verum aduertendum, quod eiectus ſubditur Epiſcopo ab eo regendus primario non ſecundum priuatas leges Religionis, quas Epiſcopus, vel neſcit, vel ſaltem ſcire non tenetur, ſed ſecundum ſacros Canones, & iura. Ideò eſt Epiſcopi præcipere eiecto, vt obſeruet ſacros Canones, & Eccleſiaſtica ſtatuta, & iuxta illa viuat, & ad eorum formam mores componatur. Quamuis, quia & in eiecto manet obligatio ad regulam ſeruãdum quod poteſt, ideo Epiſcopi etiam eſt curare, vt regulã ſeruet, & maximè nè ob regulæ inobſeruantiam cauſet ſcandalum.

633. Dubitauerunt etiam DD. antiquiores cui Episc. remaneat ſubiectus eiectus, an ſcilicet, Epiſcopo originis, an loci in quo fertur ſententia eiectionis. Nam pro Episc. originis opinati ſunt, Nauar. *Com. 2. de regul. num. 33. 34. & com. 3 nu 46* & Conſ. 79. *num. 4. de regul.* Vgol. *de poteſt. Episc. cap. 20. §. 9.* Federicus de Senis *conſ. 5. in fin.* Marta *de iuriſ. p. 4. num. 182.* Riccius *p. 3. dec. 95. num. 1. & ſreſ. 185. n. 3.* Miranda *t. 1. q. 52. a 4. concl. 2.* Alij vero ſcripſerunt pro libertate eiecti, vt poſt ſententiam eiectionis poſſit ſe præſentare cuilibet Epiſcopo voluerit ſiuè ſit Epiſcopus originis, ſiue loci, ſiuè alterius diœceſis. Suarez *t. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 6. num. 16. in fine.* Alij diſtinguunt inter religioſos exemptos, & non exemptos, & dicunt iſtos ſubijci in hoc caſu Episc. originis, & illos Epiſcopo loci. Molina *tom. 1. de iuſ. diſp.* 140. & Azor. *to. 1. l. 12. cap. 16. n. 11.* Sed res eſt certa modo. Nam pro Epiſcopo loci decreuit Conſtitutio ſupra relata Vrbani Octaui, quæ vniuerſalis eſt tam pro exemptis, quã pro non exemptis, & valdè rationabilis. Tũ quia religioſus nõ habet, vel diœceſim vel domicilium, quia per profeſſionem omne eius domicilium fuit extinctum, vnde nullum habet Epiſcopum originis, cui ſubdi debeat. Tum quia aliter plura inconuenientia ſequi potuiſſent, nimirum quod eiectus ad remotiſſimas partes ire debuiſſet, & longius vagari, vel quod cũ ſui, & familię, infamia & dedecore grauiſſimo in patria viuere debuiſſet, vel etiã, quod ibi debuiſſet viuere, vbi eſſet maius animæ ſuæ periculum. Ideo Vrbanus Octauus rationabiliter ſtatuit, vt eiecti ſubdantur Epiſcopo loci, nimirum loci illius, in cuius diœceſi eſt Conuentus à quo eijciũtur, & ſic in qua veluti renaſcũtur ſeculo, & incipiũt, eſſe & degere extra clauſtra. Et ita pro hac parte ſunt Rodriq. *t. 1. q. 30. a. 25. à* Fauſto *l. 6.* Theſau. *q. 128* Theſau. *2. p. praxi. v. relig. legit. eiectus*, Diana *3. p. mor. tract. 2. reſol. 60.* Portell. *v. eijcere num. 6.* Donatus in praxi *p. 2. trac. 8. q. 33.* Paſqual. ad Franc. *num. 362.* Palaus *tract. 16. d. 4. p. 23. n. 8.*

634. An vero eiectus poſſit ſe transferre ad alium locum, vel Diœceſim. Federicus de Senis *conſil. 5.* cenſuit Epiſcopum poſſe obligare eiectum, vt viuat in aliquo loco ſolitario, vt ibi ſeruet ſubſtantialia religionis. Quod tamen refellit Nauar. *conſil. 79. de regular.* ſed Paſqual. ad Francum *nu. 963.* ceu ſet hunc eiectum non poſſe mutare domicilium ſine licentia ſui Ordinarij, quia ſi cõcedat tenebitur monere aliũ Ordinarium de ſtatu eiecti, qui etiam tenebitur ſe eidẽ præſentare. Ducitur verò hoc quia electus nõ eſt ſubiectus Epiſcopo ſicut alij clerici, ſed ex obedientia, quam eiectus violat, ſi à diœceſi ſe ſubtrahat. Quæ eſt ratio Nauar. *Comm. 2. num. 34.* Suarez vero *d. c. 6. n. 16.* quem ſequitur Palaus *tra. 18. d. 4. p. 23. n. 8.* putat hunc poſſe exire de Diœceſi ſine licentia Epiſcopi, & ad aliam diœceſim tranſire, ſicut & alij Clerici. Et hoc quidem verum eſt; quia Conſtit. Vrbani ſolum præcipit, vt eiectus ſit ſubditus Epiſcopo loci, nimirum loci illius in quo eſt, & viuit. Vnde veriſimile eſt, quod ſi eiectus nolit viuere in ea diœceſi, in qua primum eſt, dum exit è clauſtro, poſſit ſtatim ex illa exire, & ad aliam ſe transferre ad libitum; quia Conſtitutio Vrbani intelligitur de loco habitationis ipſius eiecti. Alias vero Religioſus, nec vt cleric. nec vt religioſus eſt obligatus ad manẽdum in vna diœceſi determinata. Et licet religioſo competat nõ exire ſine licẽtia Superioris, hæc eſt obligatio Regulæ, & priuata illum afficiens dum manet in clauſtro, & reſpiciens Superiores regulares. Non verò afficit regularem iam extra clauſtra manentem, & ad manendum extra Clauſtra damnatum. Iuxta Canones verò ſufficit, quod eiectus viuat ſub aliquo Epiſcopo, à quo regatur, & coerceatur.

SVMMARIVM.

1 *Quaſtiones antiquitus diſputabiles. num. 635.*
2 *Eiecti non poſſunt cogi ad ingrediendam aliam Religionem. num. 636.*
3 *Superiores non poſſunt concedere eiectis licentiam tranſeundi ad aliam Religionem. numer. 636.*
4 *Eiecti ſine licentia Sedis Apoſtolica non poſſunt tranſire ad aliam religionem. num. 636.*
5 *Eiectus deponens habitum clericalem non eſt excomm. ex vi cap. Vt periculoſa. num. 636.*
6 *Eiectus poteſt fieri apoſtata. num. 637.*
7 *Eiecti indeſpenſabiliter ſunt ſuſpenſi ab exercitia ordinum. num. 638.*
8 *Eiectus adminiſtrans Euchariſtiam in caſu Clemen. Religioſi de priuileg. eſt excommunicatus num. 639.*
9 *Eiecti non poſſunt prædicare. num. 640.*
10 *Nec ordinari. num. 641.*
11 *Sunt irregulares. 642.*
12 *Hæc Irregularitas non eſt diſpenſabilis per Epiſcopos. num. 643.*
13 *Si redeunt ceſſat ſuſpenſio, & ſuper irregularitate diſpenſari poſſunt à Superioribus. numer. 644.*
14 *Ad quem titulum poſſint ordinari, ſi diſpenſetur cum illis num. 645.*
15 *A quo Epiſcopo ordinandi ſint, ſi cum illis diſpenſetur. 646.*
16 *Modo honeſto ſibi victum debent parare. numer. 647.*

Qua

Quæ sint Eiecti prohibita?

INSPECTIO V.

635. TErtium, quod in supra relato Decreto Vrbani 8. cótinetur est prohibitio, qua prohibentur superiores eijcientes regularem, ne illi dent literas testimoniales, vel remissorias ad Summum Pontificem, vel præceptiuas, vt eiecti ingrediantur aliam religionem. In decreto enim illo sic statuitur. *Præterea statuit vt ijdem superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant illos ad sedem Apostolicam rejcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.* §. 10. *Item vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* Ex quo decreto multæ quæstiones nunc solutæ sunt, nec amplius disputabiles. An scilicet eiectus, si non recipitur in propria religione teneatur ingredi in aliam; quod affirmarunt D. Bonauen. *in regul.* S. Francisci q. 14. Cordoba in eandem *reg. cap. 2. q. 21. p. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 4. fin.* Pastorell. *super priuil. Minim. cap. 26. & cap. 39.* & id supponere Syluest. *v. Religio 6. q. 12.* Armillam *num. 15.* Tabien. *nu. 26.* & D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 5. §. 3. fin.* tradit Sanchez *l. 6. mor. c. 9. num. 34.* Quod probabile censuit Sorbus *v. eijcere*, & tenuit Altisiod. *l. 3. tr. 22. quæst. penult.* Item an religiosus, electus propria authoritate posset ingredi aliam religionem, etiam laxiorem: quod affirmarunt D Anton. *3. p. t. 16. cap. 4.* Armilla *v. Religio nu. 15.* Nauar. *cons. 78. de regular.* Pastorell. *super priuil. Minim. cap. 39.* Sà. *v. religio, num. 40.* Rodriq. *t. 1. q. 30. a. 21.* Sorbus *v. Eijcere.* Sanchez *l. 6. mor. cap. 9. num. 36.* Suarez *tom. 4. de relig. trac. 8. l. 3. c. 5. num. 18.* Item tertiò. An superiores eijcientes regularem possint illum compellere, vt religionem aliam ingrediatur. In qua quæstione affirmatiuam partem tenuerunt D. Bonauentura *in regul.* S. Francisci *q. 14.* Passarel. *in priuil. Minim. c. 16.* & probabile tenet Sorbus *v. eijcere*, & Antonius de Amatis *decis.* Genuens. *46. in fin.* Sed modo hæc omnia non licent.

636. Quod enim eiecti non possint compelli ad transitum ad aliam Religionem expresse præcipitur in Decreto Vrbani VIII. Et quia status Religiosus libere assumi debet. Indirectè tamen cogi posse videtur, vt v. g. si Religiosus damnetur ad triremes, & tamen illi condonetur pœna, si ad aliam religionem transeat, quia nimirum datur illi optio, vt vel pœnam subeat, vel aliam Religionem intret. Quia hoc non est onus illi impositum, sed est gratia, quæ illi fit, vt liberetur à pœna sub conditione transitus ad aliam religionem. Et quamuis hoc habeat aliquid grauaminis, iuste illi imponitur pro delictis commissis. Suarez *tom. 4. de relig. trac. 8. l. 3. c. 5. nu. 20. & trac. 10. l. 11. c. 2. num. 7.* Layman *lib. 4. trac. 5. c. 13. q. 5.* Palaus *tract. 16. disp. 4. p. 22. num. 2.* Vbi ait ex his firmari praxim societatis, cum scholaribus approbatis petentibus dimissionem legitima causa non allegata. Non enim illam regulariter concedit nisi sub conditione ingressus in aliam Religionem, quam conditionem sic dimissi exequi tenentur, sin minus ad societatem redire debent. Eandem sententiam tenuerũt Sanchez *lib. 6. cap. 9. num. 43.* Lezana *ad Mare Magnum Minimorum num. 58.* An vero eiectus aliunde possit in aliquo casu, vt quia est emendatus, & tamen eius Religio illum recipere non vult, tunc teneatur ille aliam Religionem intrare? Certum esse dicitur eiectum ad hoc non teneri, quia solam suam Religionem professus fuit. Nauar. *Comm. 2. de Reg. num. 36.* Sanchez *l. 6. c. 9. num. 34.* Suarez *d. cap. 5. num. 20.* Layman *d. q. 5.* Palaus *d. p. 22. num. 1.* Lezana *d. num. 58.* Imo si aliquis Religiosus ad aliam religionem transierit, & post emissam in ea professionem, vel ab ea expulsus fuerit, vel illa religio fuerit suppressa, talis religiosus ad priorem suam Religionem non tenetur redire, sed si religio illa sit suppressa ille potest in seculo viuere, vel vbi Pontifex in Bulla suppressionis iusserit. Sed si ille sit expulsus, potest in habitu clericali sub iurisdictione Episcopi viuere (salua semper obligatione se corrigendi; vt supra dictum est) & minimè ad religionẽ à qua se transtulit sed ad illam à qua fuit expulsus tenetur redire, quia à iugo illius prioris religionis fuit omninò liberatus. Suarez *t. 8. trac. 8. l. 3. cap. 5. num. 21.* Sanchez *lib. 6. mor. c. 7. num. 81.* Bordon. *de profess. cap. 2. q. 72.* Bonac. *de claus. q. 2. p. 9. §. 4. diff. 1. n. 2. & 3.* Palaus *trac. 16. d. 4. p. 17.* Barbosa *ad cap. Licet num. 28. de regul.* Butigl. *de success. cap. 2.* Oliner. 77 *num. 14.* Rota *in Romana de Millinis 14. Ianuarij 1658. coram Reuerendissimo D. Cerro Decano*, Tambur. *tom. 3. d. 8. q. 8. num. 14.* Sic enim & prior religio à qua religiosus se transtulit, & in alia professus ab ea expulsus fuit, non tenetur recipere expulsum illum etiam emendatum, nisi ille vel redeat ante professionem in secunda Religione emissam, vel transitus & professio in illa secunda Religione fuisset inualidus. Syln. *v. Religio 4. q. 5.* Sanch. *l. 6. c. 7. num. 104.* Bonac. *d. diff. 1. num. 3.* Donatus *p. 2. tr. 5. q. 5. nu. 8. & 9.* Bordon. *ref. 29. nu. 57.* Rota citata §. *Eadem prorsus modo.* Pariter quod Superiores non possint dare eiectis licentiam trãseũdi ad aliam religionem colligitur ex eo, quod eiecti iubentur manere in habitu Clericali quandiu non redierint ad propriam religionem. Lezana nihilominus ad Mare Magnum Prædicatorum *num. 71.* oppositum sentit. Et cum *p. p. c. 23.* dixerit, se credere, quod priuilegium Innocentij Quarti non sit in vsu, tamen *d. num. 71.* existimat, quod sit in sua vi. Nec obstat quod in Decreto Vrbani Octaui dicatur, quod superiores non dent expulsis literas testimoniales ad sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi religionem. Nam ibi solum præcipitur ne superiores Regulares præcipiant talibus eiectis, vt ad aliam religionem transeant, non autem prohibet, quod illis hoc posse facere concedant. Verum licet ita sit quod Regularibus Prælatis concessum fuerit, vt nedum eiectis, sed & alijs fratribus possent ex rationabili causa concedere licentiam transeundi ad alios Ordines quoscumq. exceptis aliquibus, vt patet ex Mari Magno Prædicatorum apud Lezanam §. 24. *Minorum* §. 24. & 25. *Carmelitarum* §. 93. & 94. *Minimorum* §. 16. &

præterea adsit pro Minoribus specialis concessio facta ab Innocen. 4. in Bulla *Paci, & tranquillitati*, data 7. Idus Septemb. Pontificatus anno quarto quæ habetur apud Monumenta Minorum *fol.* 130. *num.* 262. in qua concessit Generali, & Prouincialibus, vt per suas testimoniales literas possent eiectis concedere licentiam transeundi ab alios ordinea exceptis aliquibus, scilicet arma portantibus prout etiam in Mari Magno. Nihilominus dicitur, quod Pontifex in illo decreto simul præcipit, vt eiecti maneant in habitu clericali quãdiu ad propriam religionem non redierint; cum ergo Pontifex excipiat solum reditum ad propriam religionem, firmatur regula vniuersalis in contrarium, scilicet quod debeant manere semper in habitu clericali, nec ad aliam possint trãsire religionem. Ideo nec ad arctiorem transire possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. Et cum vt supra probatum fuit, modo Prælati Regulariũ non possint suis fratribus non eiectis ex quacumque causa iusta concedere licentiam transeundi ad quamcumq; religionem, sed solum ad arctiorem, si alias etiam hoc non est illis prohibitum, non obstante priuilegio Maris Magni, sic neque similem licentiam possunt tribuere eiectis. Quod etiam suo tempore superiores Regulares nõ possint de iure communi dare eiectis licentiam ad laxiorem refert Vmbertus ad regulam *S. Aug. cap.* 99. Ideo nec eiecti sponte propria possunt eadem ratione ad aliam religionem transire, sed in habitu Clericali manere sub cura Episcopi, vt benè tradunt moderni scribentes, Bellet. *disquis. Cleric. tit. de pœnis Cleri.* §. 25. *n.* 23. Donat. in *praxi p.* 2. *trac.* 8 *q.* 57. Lezana *ad Mare Magnum Carmel, num.* 489. Pasqual. ad Franc. *num.* 1077. Vnde nunc eiecti ad aliam religionem transire non possunt nisi de licentia Sedis Apostolicæ, & suorum Prælatorum. Et meritò; quia si sunt verè correcti iustum est, vt ad suum ordinem redeant. Si non sunt correcti, manere debent expulsi à quacumque religione, ne bonos religiosos corrumpant, Cessant igitur modo communia priuilegia Regularium, perque superiores Ordinum poterant dare licentiam eiectis, vt Religionem aliam ingrederentur; sed eiecti, vel modo ad suum ordinem redeunt, vel manent sub Episcopo in habitu clericali, nisi à Sede Apostolica licentiam obtineant transeundi ad aliam Religionem. Hinc patet non habere locum, quod tradidit Bonac. *de cens. in partic. disp.* 2. *q.* 9. *p.* 1. *nu.* 9. scilicet quod eiectus in perpetuũ potest ad aliam Religionem transire, quia verisimile non est Summum Pontificem voluisse electo occludere viam ad perfectiorem statum. Nam primo nullus datur eiectus in perpetuum, cum & eiectus teneatur redire emendatus ad suum ordinem, & suus Ordo teneatur illum recipere. Tum secundò, quia apertissima via est aperta eiecto ad statum perfectionis, cum possit se emendare, & sic ad ordinem suum redire. Alias verò minus conuenit, vt sine licentia Sedis Apostolicæ incorrigibilis in propria Religione transeat ad aliam. Quod etiam dicunt D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *c.* 5. §. & Tabien. *v. Apostasia, num.* 14. scilicet, quod si in propria Religione non viuitur regulariter eiectus apostata rediens recipietur in Monasterium obseruantius cum vsufructu rerum quas contulit primo monasterio non potest admitti. Votum enim professionis, vt modo cõstat ex Conc. Triden. *sess.* 25. *cap.* 15. de Regularibus non obligat nisi ad illam religionem in specie quam ingreditur, vnde si in illa non potest recipi, non tenetur aliam quamcumque ingredi. Cæterum non est moraliter possibile, quod religio propria iã statim à suo exitu sit adeo substãtialiter deformata, vt ad illam non teneatur redire, nisi etiam sit per Pontificem suppressa, in quo casu eiectus viuere posset secũdum quod de alijs dictæ Religionis filijs Pontifex in suppressione disposuisset.

637. Hinc deducunt aliqui quod eiectus si deserat habitum Clericalem est excommunicatus per *c. Vt periculosa Ne Clerici, vel Monachi*, quia respectu huius habitus retinet eandem obligationem, quam habebat *respectu habitus* religiosi, tradunt Maranta *p.* 3. *controu. resp.* 58. *num.* 3. quem sequitur Donatus *in praxi trac.* 8. *q.* 41. Pasqual. ad Franc. *num.* 106. sed oppositum puto esse dicendum, quia habitus clericalis non est habitus religiosus, & Claustralis; per Const. vero. *Vt periculosa*, excommunicatus qui temerè dimittit habitũ suæ Religionis, quẽ nõ temerè dimittit eiectus, sed expoliatus per sententiam. Subrogatur verò habitus clericalis propter decentiam, non vt sit externum signum suæ Religionis. Et in eo non habet locum finis illius Decretalis, qui est auferre occasionem secretè vagandi, quia eiectus in habitu clericali potest ire quo voluerit: subdit vero Pasqual. hunc non esse apostatam, quia est iam viuat extra claustra, non deposuit habitum animo laicaliter viuendi, idest viuendi extra Claustra. Sed hoc non approbo, quia eiectus habet obligationem religiosè viuendi in habitu clericali, imo & in habitu religioso si reuocetur ad claustra, ideo si hunc habitum dimittat animo numquam illud vel regularem reassumendi, & viuendi laicaliter, excusso penitus iugo obedientiæ more sæculariũ est vere apostata, non vero si illum deponat ad tempus.

638. Quartum, quod de eiectis statutum est in Decretis Const. Vrbani 8, supra relatis est, quod eiecti sunt indispensabiliter ab Episcopo ab exercitio ordinum suspensi, dum degunt extra Religionem. Quod rationabiliter fuit ordinatum suggerente Reuerendissimo Fagnano, vt ipse aduertit *cap. Ex parte num.* 11. *de regul.* quoniam eiecti tanquam incorrigibiles de iure Diuino sunt indispositi ad celebrandum. Ex quo colligitur primo iam locum non habere, quod alias docuit Sanchez in *l.* 7. *Consil. mor. cap.* 9. *dub.* 24. nimirum posse à Superioribus dispensari cum eiectis, vt exerceant ordines, Hoc enim iam locum non habet. Sed imo si in aliquo Ordine ministrent fiunt irregulares. Donatus *in praxi to.* 2. *tract.* 8. *q.* 38. Pasqual. ad Franc. *num.* 1005. & merito ab exercitio ordinum suspensi sunt, cum sint infames, vt habetur ex Lapo, & Feder. de Senis ad *cons.* 35. Nauar. *in addit. ad consil.* 77. *de regular.* Bordon. *controu. mor.* 8. *num.* 14. Pasqual. ad Franc. *num.* 1003. Donat. *q.* 35. *num.* 9. & *q.* 60. si tamen eiecti ingrediantur aliquam Religionem licet laxiorem cessat hæc suspensio, vt ex verbis Decreti Vrb. 8, colligitur, & tradunt Lezana *p.* 1. *cap.* 23. *num.* 8.

Tambur l. 3. disp. 8. nu. 11. Antonius à Spir. Sao. t. 3. disp. 6. n. 1240. Qui addit hanc suspensionem esse sententiæ ferendæ, quoniam dicitur *sint perpetua suspensi*. Verbum autem *sit* est futuri temporis iuxta doctrinam Sanch. l. 1. mor. c. 38. num. 90. & verbum futuri temporis importat sententiam tenet Lauret. apud Cespedes de *exemp. dub. 13.* qui hoc probabile putat: Nisi dicere velis hoc decretum non fuisse legitimè promulgatum, nec constare de illo authenticè, ac per consequens nullam inducere obligationem. Vnde cum de iure communi electi non sint suspensi non est, vnde eos tali suspensione onerentur. Sed primo quantum ad publicationem Decreti Sacræ Congregat. res ardens est, illud fuisse iuxta stylum Curiæ legitimè publicatum, & notoria vnde non est, vnde sit minima suspicio de eius obligatione. Et quantum ad verbum *sit*, quod sit futuri temporis, quando est Imperatiui modi sicut est in præsenti sine sufficienti fundamento asseritur, importat enim efficaciam voluntatis de præsenti, & idem est, ac si diceretur fiat; quis vero, quod quãdo Deus dixit fiat lux, verbũ fiat esset futuri tẽporis, & significaret, quod lux futura esset, & non potius quod esset tũc statim in eodem momento? sic enim & in proposito verbũ *sit*, quod est signũ efficacis voluntatis, importat quod electus pro tempore existentiæ eius extra Claustra subiectus sit de præsenti ex vi talis Decreti suspensioni ab exercitio Ordinum. Et hic est communis sensus DD. certatenendus.

639. Secundò sequitur electos non posse ministrare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Sed an ministrando incurrant excommun. *Clem. Religiosi, de priuil.* Negant Cespedes *de exemp. regul. cap. 6. dub. 117. num. 3.* Donatus citatus *q. 61. num. 4.* Pasqual. ad Franc. *num.* 1079. quia electus ad habitum clericalem est translatus, & sic non gaudet priuilegijs religionis, ita non debet subdi pœnis, & tenò, quia ex quo est subditus Episcopo censetur tamquam Clericus quantum ad vitam communem, & politicam. Sed huiusmodi rationes non probant. Neque enim habitus facit Clericum, vel Monachum, vnde ex quo electus debet deferre habitum clericalem dici possit eum ad statum clericalem esse translatum, cum semper verus Religiosus maneat, & ideo S. Canonibus dispone[n]tibus de Religiosis verè subiectus & obligatus. Ideo secunda ratio deficit, non enim eadem est ratio de gratijs, & de pœnis respectu peccatoris rebellis, & contumacis. Quia imo et hæc pœna illi tribuitur, & debetur, vt gratijs priuetur, & nedum ordinarijs pœnis, sed amplioribus & maioribus obligetur. Tertia quoq; ratio minimè probat: quoniam electus est subiectus Episcopo, vt religiosus suis superioribus rebellis, nec sola communicatio cum clericis in habitu clericali facit, vt sit exemptus à propria legibus, seu quod non subdatur nisi legibus clericorum, maximè cum & inter clericos differentia sit, & aliqui strictiori vinculo legum obligentur quam alij, iuxta diuersitatem qualitatum; Ideo electum ministrantem Eucharistiam in casu illius *Clem.* sine licentia Parochi puto nedum peccare mortaliter ex Const. Vrbani Octaui, sed etiam vt docuit Texeda *l. 2. tract. 1. controu. 10.* incidere in excommunicationem illius Clementinæ.

640. Tertiò deducitur electos non posse assumi ad munus prædicandi. Licet enim ex vi Const. Vrbani Octaui solũ sint suspensi ab exercitio ordinum; tamen ex priuilegijs concessis multis Religionibus, eorum religiosi electi non possunt prædicare, nec docere, vt patet ex Const. Greg. 11. pro ordine Prædicatorum, seu ex eorum Mari Magno §. 24. vbi electis interdictum fuit concionari, & ministrare Sacramentum pœnitentiæ, & docere. Quod idem habetur in Mari Magno Minorum apud Lezanam §. 24. & in Mari Magno Carmelitarum §. 93. & 94. & Minimorum §. 16. & ex parte in Mari Magno Seruitarum §. 49. & Minimorum §. 45. & superiores huiusmodi electos inobedientes, & audentes, vel conciones habere, vel confessiones audire, vel docere in eorum districtu; seu intra suas Prouincias possunt excommunicare. Quæ priuilegia adhuc viuunt. Præterquam quod cum electi, vt incorrigibiles sint etiam ipsmet infamia facti, ac proinde dignitatum, & similium bonorum incapaces, non possunt ad huiusmodi munera assumi Rodriq. t. 1. q. 30. a. 21. Mirand. *t. 1. q. 52. a. 5.* Peyrin. R. S. *q. 1. c. 25. §. 1.* Sed & Conc. Trid. *sess. 5. cap. 2.* prohibet, ne Episcopi permittant prædicare Regulares extra claustra existentes, nisi ipsis sint noti, & moribus, & doctrina probati. Pasqual. ad Franc. *num.* 1080. Spathar. *de modo corrig. regul. tr. 10. p. 3. c. 10. n. 9.*

641. Quartò deducitur iam non habere locum doctrinam. Nauar. *l. 3. consil. 84. de regul.* Rodriq. *l. 6. t. 1. q. 30 a. 23.* Sanchez *mor. c. 9. nu. 59.* Portel. *v. Eijcere in add. num. 6.* dicentium electos posse sacris Ordinibus initiari, nisi alias ob aliquod criminis sint irregulares. Modò enim cum non possint in susceptis ordinibus ministrare multò minus possunt ad ordinem aliquem, quem non habent promoueri, Bonac. *de Claus. q. 2. p. 2. §. 7. num. 4* Lezana *v. Electi, num. 4. Laterna regul. ibid. num. 1.* Donatus *in prax. p. 2. tr. 8. q. 35.* Pasqual. ad Franc. *nu.* 1006. Tambur. *l. 3. d. 8. q. 8. num. 11.* Vbi quod nec potest electus recipere beneficium cui annexus sit Ordo, seu functio Ordinis.

642. Quinto deducitur electos esse nedum suspensos, sed etiam irregulares, nempe irregularitate ex delicto; ex quo enim non eijciuntur nisi propter grauia, & enormia delicta, pro quibus puniti sunt, efficiuntur infames infamia iuris, vt tradunt Sanchez *l. 7. consil. cap. 1. d. 24.* & Donatus *p. 2. tr. 8. q. 44.* Pasqual. ad Franc. *num.* 1008. Sed quatenus non semper eijciantur ob delicta grauia, & enormia punita, quia non eijciuntur nisi quatenus incorrigibiles, ideò sunt infames infamia facti, & ex hac parte irregulares, vt notant Miranda *tom. 1. q. 52. a. 5.* Rodr. *tom. 1. q. 30. a. 21.* Peyrin. in R. S. *q. 1. c. 25. §. 1.* Lezana ad Mare Magnum Minorum §. 24. *num. 63.* Donatus, & Pasqual. loco citato. Sed mihi omnino videtur dicendum, quod sint infames infamia iuris, quia delictum incorrigibilitatis de iure Canonico est publicum, & qui per sententiam iudicis ordinarij propter illud diffinitiue damnatur est infamis, infamia iuris, per ea, quæ addu-xi *de elect. cap. 25. num. 569. & seqq.* Et præterea nullis

nullis potest eijci, nisi propter grauia delicta, & ita eiectus est infamis delicto iuridice notorio. Vnde bene admonet Peyrin. hos esse priuatos iure testimonij ferendi, eisque nullam esse adhibendam fidem, si propriæ Religioni detrahant.

643. Sexto deducitur non esse tenendum, quod docet Thesaur. *p. 2. prax. 3. c. 13. v. religiosi legitime eiecti num. 5.* scilicet Episcopum posse dispensare super hac irregularitate, si crimen non ob quod Religiosus est eiectus, non sit grauius adulterio per *cap. At si clerici* de adulterijs: quoniam cum per huiusmodi decretum Vrbani Octaui Episcopus non possit dispensare super suspensione à ministerio ordinum, multo minus potest dispensare ab irregularitate. Tum quia per d. *cap. At si clerici* Episcopus potest dispensare super infamia; quando infamis nō pœnitet, eiecti vero non possunt dici resipuisse, quandiu manent in sua incorrigibilitate; si autem pœniteant debent ad castra redire. Pasqual. ad Franc. *num.* 1009. Donat. *q.* 44.

644. Quod si eiecti redeant ad claustrum primo cessat suspensio ab exercitio ordinum, vt ex decreto Vrbani Octaui expresse habetur; suspenduntur enim dum manent extra Religionem, & notant Donatus *q.* 40. & Pasqual. *num.* 1010. Et ab irregularitate contracta propter infamiam à suis superioribus dispensari possunt, ex vt in specie concessit Pius Quintus Monachis Cassin. *Const. sua* 179. & tradunt Pasqual. ibidem.

645. Septimo deducitur modo non habere locum illam quæstionem, de qua tractant Rodr. *tom. 1. q. 30. a. 14.* Sanchez *lib. 6. tr. c. 9. num.* 59. Lezana *v. eiecti num. 6.* Cespedes *de exemp. regul. cap. 4. dub. 75. num. 4. & cap. 315. num.* 9. Donatus *q. 36. num.* 6. nimirum ad quem titulum ordinari debeant, si dispensentur, cum non ad titulum patrimonij ordinari possint, cum sint pauperes, nec ad titulum Religionis cum sint eiecti, nec ad titulum beneficij cum sint eius incapaces *cap. cum de beneficijs, de præb. in 6.* & Clement. *vnic. de suplen. neglig. Prælat.* & Trid. *sess. 14. c. 10. de reformat.* Nam non possunt ordinari nisi à Pontifice dispensetur cum illis. Quod si contingat Papam cum eiecto dispensare, vt maneat extra claustra, & promoueatur ad ordines; Eiusdem erit prouidere eiusm, vel de beneficio aliquo Ecclesiastico, vel de aliqua certa pensione, vel alio modo, vt habeat vnde viuat, nec teneatur mendicare.

649. In casu autem, in quo cum eiecto dispensetur, vt degens extra claustra ordinetur, à quo Episcopo debeat ordinari, dubitant DD. Et plures tenent, eum ordinari debere ab Episcopo loci originis. Nouar. in praxi *tit. de ordinib. concl. 2. alias 102. num.* 7. Barbosa de *potest. Epis. alleg. 41. num. 32.* Lezana *v. eiecti num.* 5. Donatus in praxi *p. 2. tract. 8. q. 36.* Cespedes *de exemp. regul. c. 31. dub. 315. num.* 9. Et ratio horum est, quod cum eiectus non possit habere domicilium certum, cum sit Religiosus, qui non habet velle, vel nolle, & respectu Religionis à quolibet domicilio arceatur sequitur redeundum esse ad domicilium originis, quod est immutabile. Verum hæc ratio non probat; quia respectu Religiosi nullum est domicilium originis, quia hoc domicilium cessat penitus respectu Religiosi mundo mortui. Ideò dicitur, quod ex quo eiecti damnantur ad viuendum extra claustra in habitu Clericali, simul datur illis facultas habendi, & eligendi sibi domicilium sicut, & cæteri Clerici, qui ibi habere dicuntur domicilium, vbi habitationem habent, cum animo permanendi. Ideò nisi Papa dispensando cum eiecto, vt possit ordinari, simul disponat à quo Episcopo debeat ordinari, de iure ordinari debet ab Episcopo domicilij, si alia requisita habeat Pasqual ad Franc. *num.* 1021. Etenim cum eiecti viuant sub obedientia Epis. non poterunt ordinari sine licentia illius Episcopi, sub cuius obedientia viuunt.

647. Octauo deducitur, quod cum eiecti sub cura Episcopi viuere debeant in habitu Clericali, licet suspensi ab exercitio ordinum, nihilominus vt viuant non debent exercere vilia officia, aut Clericis prohibita. Quod si non habent vnde viuant, tenentur modis honestis sibi victum parare, vel petendo eleemosynam, quod Religiosos non dedecet, vt probatum est supra *q.* 187. *a.* 4. vel honesta officia exercendo, vel etiam manibus laborare, & via licita sibi victum quærere. D.T. supra *q. 187. a.* 3. Ad nullum tamen determinatum modum tenentur, sed sufficit, quod licito modo victum quærant. Vnde & si possint, non tenentur manibus laborare, sed possunt de eleemosynis viuere D.T. supra *q. 187. a. 3. & opusc. 19. cap.* 5. Nauar. *cap. Non dicatis num.* 27. Bellet. *de pan. Cler. §. 25. num.* 19. Quod Pasqual. ad Franc. *num.* 989. extendit etiam ad Religiosum, qui ex regula tenetur manibus laborare, quia inquit cessat in eiectis obligatio regulæ. Sed hæc ratio deficit, vt supra *num.* 644. est probatum, ideò si extra posset eiectus laborare ad præscriptum regulæ, teneretur id facere ea obligatione, qua obligatur ad laborandum ex regula.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Vrbani Octaui. n.* 648.
2 *Peccant Generales eijciendo iniuste aliquem; num.* 649.
3 *Iniuste eiecto debentur alimenta, num.* 649.
4 *Cap. fin. de Regular. innouatum. nu.* 650.
5 *Tenentur superiores singulis annis inquirere eiectos, nu.* 650.
6 *Religio tenetur correctos eiectos recipere, numer.* 651.
7 *Si tamen sit spes euidens emendationis. numero* 655.
8 *De hac spe sufficit, quod constet per literas Episcopi, num.* 653.
9 *Timor scandali non potest esse ratio, vt eiectus emendatus non recipiatur. nu.* 654.
10 *Nec timor infamiæ. nu.* 655.
11 *Nec damnum Religionis, nu.* 656.
12 *Religio non tenetur ad alimenta eiecti, numero* 657.
13 *Nisi iniuste illum non recipiat. n.* 657.
14 *Nec tenetur ad soluendum debita eiecti. numero* 658.
15 *Debita eiecti solui debent ex acquisitis per eum, num.* 658.

Reli-

De obligatione Religionis erga suos eiectos, & præcipuè qualiter, & quando illos recipere debeat.

INSPECTIO VI.

648. Qvantum verò ad hanc partem; ita decernit. Vrbanus Octauus in d. Constit. §.26. *Ac postremo esse innouandam, & suæ beatitudinis authoritate innouat Constit.fel.recor. Gregorij 9. relatam in cap. fin. de regular. ac propterea declarat eam Constitutionem istis quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iuste, diffinitiueque ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis S. Congnitio serio onerauit.* Cum verò in dicto *cap. final.* præcipiatur superioribus, vt eiectos inquirant, & recipiant, vt videamus qualiter, & quando hæc fieri debeant.

649. Distinquendum est primo inter iniuste, & iuste eiectos. Nam certum est Generalem, & alios, qui concurrunt ad iniustam eiectionem Religiosi peccare mortaliter, quia in professione sicut Religiosus perpetuo se obligat Religioni, sic religio perpetuo manet obligata Religioso, vt illum extra gremium suum non eijciat absque iusta causa. Vnde religio tenetur talem eiectum statim recipere, & eiectus ad hoc potest via iuris compellere Religionem, & tradiderunt Panor. *cap. Cum dilecta num.* 13. & ibid. Felin. 16. *de rescriptis* Nauar. *com.* 2. *de regul. num.* 83. Sanchez *l.6. mor. c.9. num.* 7. *& seq.* Donatus in praxi *p.2. tr.8. q.*53. Bellet. *disp. Cler.p.2. de pœnis Cler.*§.25. *num.*10. Et propterea Religio tenetur ad alimenta taliter eiecti, qui quidem nec est, nec censeri debet præcisus à Monasterio, vt tradunt Felin. citatus, Afflictus *decis.* 10. *num.*4. Surdus *de alim. tit.*5. *q.*1. *num.*48. *& tit.*6. *q.*35. *num.*6. Nau. *com.* 2. *de regul. num.* 65. Mol. *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. Sanchez citatus *num.*8. Fagnan. *ad cap. fin. n.*20. *de regul.* Syl. *v. Apostasia num.* 10. vbi ait hoc verum esse etiam si Ordo repugnet Bellet vbi supra Donatus loco citato. Et licet limitetur hoc ad alimenta futura, non præterita, nisi illa vel id vnde habita sunt mutuo acceptum fuerit, tamen hoc idem est ac dicere, quod nisi talia eiectus acquirat, & habeat iuste vnde viuat, tenetur Religio ei ministrare alimenta, nec ipse tenetur aliunde ea quærere, vel acquirere, magis quam alij Religiosi, sed tanquam vnus de illis alendus est à Religione de bonis communibus. Quod quidem ita verum est, vt si iniuste eiectus litiget, cum Religione, etiam dum litigat debeantur ei alimenta, vt tradunt Imola Clem. 1. *num.*37. *de monach.* & ibi Card. *q.*4. *num.*7. Boetius, Alciatus, Afflictus quos refert, & sequitur Menoch. *de præsumpt. l.*1. *q.*35. *num.*31. Velasc. *consil.*7. *nu.* 3. *tom.*1. Surdus *de alim tom.*1. *quæst.*138. *num.*10. Quod ampliatur, vt sit verum etiam dum disputatur an eiectus sit monachus Bartol. *tract. de alim. num.* 43. Surdus, & sufficere tunc, quod pro eiecto adsit aliqua præsumptio monacatus tradunt Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 138. *num.* 8. Simon de Præis *de interpret. vlt. vol. l.*5. *d.* 2. *num.*12. *&* 13. Boetius *decis.* 324. *num.* 4. Menoch. *de præsumpt. l. q.* 35. *num.* 31. Ioseph. Ludou. *decis.* 46. *num.* 4. Et imò tenetur Monasterium expensas ad litem eidem ministrare, vt ex Velsi. *cons.*7. *num.*3. *tom.*1. tradit Sanchez *dicto num.* 8. quem sequitur Palaus *tract.* 16. *disp.* 4. *par.* 10. *num.* 11. Quæ omnia vera sunt, quis eiectus iniuste, ante quam per diffinitiuam, & vltimam, & iustam sententiam si præcisus à Religione, censeri debet tanquam de corpore, & gremio, & consortio communi Religiosorum, cui religio tenetur præbere alimenta, & omnes expensas sibi requisitas ad finem honestum, & Religiosum, & necessarium, qualis est defensio, vt non expellatur iniuste. Quod si aliquis interim hunc Religiosum alat, non animo donandi poterit à Monasterio alimenta repetere, quia qui talem Religiosum aluit, dicitur vtiliter negotium Monasterij fecisse Surdus *de alim. tit.* 6. *quæst.* 19. *fin.*

650. Eiectum verò iuste tenetur religio singulis annis inquirere, ex *cap. fin. de regul.* Nec est vnde dicatur amplius, vel cum Nau. *c.*8. *de reg. num.*36. Rodriq. *t.*1. *q.*30. *a.*11. Azor. *l.*17. *cap.*16. *q.*2. *& c.*17. *q.*2. quod textus ille loquatur de iniuste eiectis, vel cum Azor. *l.* 12. *c.* 17. *q.*1. & Sanchez *l.*6. *mor. cap.* 9. *num.* 18. quod illud *cap.* sit consuetudine abrogatum; Nam & primam expositionem periculosam agnouit Nauar. *cons.* 77. *de regul.* Et iam modo constat ex Constit. Vrbani Octaui illud c. esse innouatum, & intelligendum etiam de iuste eiectis. Qualis verò sit hæc obligatio requirendi annuatim etiam eiectos dictum est supra *num.*484.

651. Multo magis autem eiectum emendatum tenetur Religio recipere Vmbert. *in reg.*5. Ang. *cap.* 99. Et quamuis oppositum senserint, Syluest. *v. Apostasia num.* 10. DD. *ad cap. fin de regul.* D. Anton. *p.*3. *t.*16. *cap.* 5. in princ. Azor. *l.*12. *cap.*17. *q.*8. Sanchez. *l.*6. *mor. cap* 9. *num.*32. Rodr. *t.*1. *q.*30. *a.*20. Mirand. *p.*1. *q.*52. *a.* 8. Faustus *l.*6. Thes. *q.* 227. Bellet. *de pœn. Cler.* §. 25. *num.* 25. Tamen res modo est certa ex *d. Const. Vrb.* 8. Religionem teneri ad recipiendos eiectos emendatos, ipsosque posse eandem Religionem cogere ad id faciendum. Quod etiam tradiderunt

runt DD. *num.* 649. *cit.* Vnde nūc improbabilis prorsus, & omnino reijcienda est opinio Tambur. *de Iur. Abb. tom. 3. disp. 8. q. 8. num. 12.* dicens Prælatus Regulares in nulla positos esse obligatione, eiectos iam emendatos, & petentes Religionem ingredi iterum recipiendi. Nec iuuat pro sua sententia citare Sanchez, & alios, quia scripserunt ante Decretum Vrbani 8. in quo expressè innouatur *cap. fin. de regul.* & præcipitur huiusmodi eiectos recipi. Quamuis & solo naturæ iure spectato, eiecti pœnitentes non possunt reijci, quin Deo reddant vota sua in Religione, sicuti promiserunt. Ac dices obstare, quod eiecti sunt infames, ideoque non recipiendi ad religionem. Respondet Lezana ad mare Magnum Carmelitarum *numer.* 486. esse infames infamia facti, quæ tollitur per pœnitentiam. Sed dicitur quod esto sint infames infamia iuris; cum iam sint Religiosi, & Religionis filij; si simul sint pœnitentes debent recipi tales quales sunt.

652. Obligatio tamen ista recipiendi eiectos non est absoluta, sed conditionata, nimirum sub conditione, vt adsit spes euidens emendationis: Ita decernitur in d. decreto Vrbani 8. Quare non sufficit spes dubia vel probabilis, sed requiritur spes certa, & euidens emendationis, quoniam scilicet eiectus nedum de præteritis pœnitet & abstinuit, & abstinet à relapsu, sed certitudo est, & euidentia moralis, quod in futurum abstinebit à grauibus delictis, & scandalis & in religione pacifice, & religiosè viuet.

653. Vnde vero possit haberi hæc spes euidens, Vrban. 8. decreuit sufficere si habeatur ex literis testimonialibus Episcopi. Verum si aliunde non constet, non quælibet literæ testimoniales Episcopi sufficientes erunt, vt ferant hanc spem euidentem, nisi Episcopus sumptis informationibus iuratis ab honestis personis de hac euidenti spe testimonium ferat, Leander à Murcia *in cap. 2 Regul. S. Franc. cap. 16. num. 14.* Pasqual. ad Franc. *num.* 1020. simplici enim attestationi Episcopi religio exceptionem insufficientiis, & ex non plena, & certa notitia prouenientis poterit opponere; sed si pensatis omnibus attestatio Episcopi apud prudentes certam, & euidentem spem emendationis generet, tunc locus erit receptionis necessitati, nec poterit religio eiectum non amplecti, & recipere. Et si Episcopus ipse tanquam informatus de visu, & propria scientia testetur per suas literas de euidenti spe emendationis, illi credendum erit. Vrbanus enim 8. expresse vult quod sufficiat attestatio Episcopi.

564. Aliæ vero conditiones numerantur sine quibus religio dicitur non necessitari ad recipiendum eiectos. Nimirum primo, nisi eos recipere non possit sine scandalo: Innocentum enim scandalo occurrendum est. Et videtur probari hoc ex *d. cap. final. v. si absque graui scandalo.* prout docuerunt Glossa ibi D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 5. §. 1.* Syluest. *v. Apostasia num. 10.* Armilla *num.* 16. Graff. *p. 1. decis. l. 3. c. 5. num.* 151. Corduba *in cap. 2. Reg. S. Franc. q. 28. p. 2.* Rodriq. *t. 1. q. 30. a. 5.* Layman. *l. 4. tr. 5. c. 13. n. 7.* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. nu. 10.* Donat. *p. 2. trac. 8. q. 26. num. 2.* Leander à Murcia *in cap. 2. Regul. S. Franc. cap. 16. num. 15.* Pasqual ad Franc. *num.* 1021. Verum vel hæc conditio reducitur ad priorem, vel hodie locum non habet. Vbi enim eiectus est emendatus, & ita vt habeatur spes euidens vitæ religiosæ in posterum per illum habendæ, non potest habere locum scandalum, quod ex parte eiecti sit actiuum, & propter quod ille non debeat recipi. Quod si nihilominus ex parte aliorum timeri posset aliquod scandalum, quia v. g. alij religiosi innocentes monasterij à quo fuit eiectus ex aliqua causa refugerent eiecti consortiū, non per hoc eiectus est reijciendus, sed alibi ponendus, & curandus. In eo enim *cap. final.* præcipitur absoluta receptio fugitiuorum, & eiectorum, & solum quantum ad modum recipiendi statuitur, vt recipiantur in eodem monasterio, si id patitur disciplina regularis, & quod si absque graui scandalo apud idem monasterium illis prouideri nō possit, in alijs Monasterijs eiusdem ordinis vitæ necessaria ministrentur. Ratio igitur scandali potest esse sufficiēs, vt non recipiatur ad idē monasteriū, & locum, sed non vt non recipiatur absolute, quia nec absolutè potest esse scādalum recipere eiectum euidenter emendatum. Et Const. Vrbani 8. non ponit nisi conditionem spei euidentis emendationis, qua posita iubet eiectum recipi.

655. Altera conditio est, nisi ex receptione timeatur grauis infamia religioni, quia nimirum post eiectionem ab ordine commisisset graue aliquod & enorme delictum, vt v. g. fuisset hæreticus. Nam tunc talē recipere posset cedere in infamiam & dedecus Religionis, quam religio ex naturali iure tenetur tueri, maximè cum interesse commune religionis priuato commodo religiosi eiecti præponderet. Donatus *d. q. 26.* Pasqual. *nu.* 1022. Sed hæc quoque conditio locum habere non potest. Nam pro huiusmodi criminibus si mors debetur, & pro eis ad mortem eiectus damnetur non erit locus redditui ad ordinem. Sed si non damnetur ad mortem, damnabitur ad carceres extra ordinem, vel ad triremes, & ita non debetur locus redditui. Verum si sit in statu redeundi ad ordinem, & alias ipse sit verè emendatus, & de hoc constet, & habeatur certa spes, nulla noua infamia imminere potest religioni ex hac receptione. Quod enim infamia quædam oriri possit ex eo, quod Religiosus eiectus enormiter deliquerit, dato casu delicti enormis hoc genus infamiæ est ineuitabile, & maior esse potest infamia, si eiectus maneat extra claustra pluribus notus. Sed delicto iam præterito, & emendato recipere delinquentem pœnitentem nulla est infamia. Ideo huiusmodi conditiones locum habere possunt vbi non sit euidentia emendæ; sed hac posita locum non habent.

656. Tertia conditio assignatur, si eiectus extra religionem degens contraxisset morbum contagiosum, non teneretur religio illum recipere, quamtumuis emendatum Donat. *d. q. 26.* Pasqual. *num.* 1023. *de eiectis num.* 8. Addunt idem esse dicendum si eiectus sit factus inhabilis ad seruitia religionis. Quia bonum commune religionis præferendum est, nec leges humanæ obligant, cum graui damno, & detrimento communitatis. Sed neque hæc conditio locum habet supposita emendatione euidenti ipsius eiecti. Neque enim Const. Vrbani 8. continet legem nouam, sed ex-

plicat

plicat legem naturalem consequentem ex natura religiosè professionis, ex qua & Religiosus religioni, & religio religioso obligata manet in perpetuum, & quamuis religio titulo incorrigibilitatis possit Religiosum ejicere, sublata tamen causa propria, non potest remanere effectus, ideo sublata incorrigibilitate subintrat ius naturale obligans Religionem ad curam, & prouidentiam eiecti, vt filij obedientis, & pœnitentis, & ideo debet illum recipere in filium. Quantum vero ad modum recipiendi sic agere debet, vt scandala, & damna impediat. Et ita laborantem morbo contagioso, si non conuenit recipere intra Conuentum ad consortium aliorum debet recipi alibi ac si non fuisset eiectus, & debet religio talem illius curam habere, qualem debet habere de non eiecto sola salua differentia innocentis, & pœnitentis. Et sic parum interest, quod eiectus iam senex sit inhabilis ad ordinis seruitia, & quod v. g. viuendo luxuriosè sanitatem consumpserit; quia non potest non esse religiosus filius, & qui deficiente iam rebellione, & contumacia, haberi debet vt filius pœnitens, & ad consortiū aliorum Fratrum, quantum sine periculo aliorum fieri potest restituendus, vel à religione curandus prout ægritudo eius requirit extra aliorum consortium. Vnica igitur est conditio, scilicet, emendationis spes euidens, qua posita absolutè eiectus recipi debet sub religionis cura, & prouidentia. Sed quid dicendum si eiectus non sit emendatus, & tamen offerat se ad carceres? Vmbertus *in Regul. S. Aug. cap. 99.* dicit esse recipiendum, si eiectus in seculo multa mala operatur, & causat; addens in hoc casu posse eiectum recipi ad carceres, & non ad habitū, donec emendetur; sed si scandala non causat in populo, nec peccata noua committit, & creditur, quod ex difficultate receptionis fiet cautior, potest differri receptio, licet finaliter non sit neganda. Sed nunc cum eiecti sint subiecti iurisdictioni Ordinarij, non intrat necessitas recipiendi eiectos nō emendatos ex præfata ratione scandali; quia ad Ordinarios spectat impedire eorū scandala, & cū iura non præcipiant recipi eiectos, nisi adsit spes emendationis Religiones eiectos non emendatos, nec ad carceres tenentur recipere.

657. Quod si Religio eiectum emendatum redeuntem non recipiat; sine dubio tenetur ad alimenta illius, & ad expensas litis quam eiectus cogitur assumere, vt recipiatur. Quia ex eo tempore quo eiectus deferens testimonium sufficiens spei euidentis suæ receptionis petit recipi, & non recipitur, iam manet iniustè eiectus, & locum habent, quæ supra de iniustè eiecto dicta sunt, *num. 649.* Non tenetur quidem Religio ad alimenta iustè eiecti, cum & iustè hac pœna puniatur, vt sibi ipsi relinquatur, & prouidentia paterna priuetur. Donatus citatus *q. 31.* Pasqual. ad Franc. *num. 991.* Ideo non potest eiectus petere alimenta à Religione, nisi ab eo tempore ex quo est iniustè reiectus.

658. Et dum redit non tenetur Religio soluere debita ab eiecto contracta siue pro alimentis, siue alio titulo Castrens. *conf. 76. num. 2, vol. 1.* Surd. *de alimen. tit. 7. q. 35. num. 1.* Sanchez *l. 6. mor. c. 9. num. 20.* Pasqual. ad Franc. *n.* 124. Quamuis si eiectus tempore eiectionis acquisierit, vnde soluat, ex illis teneatur soluere, & cum eorum habeat administrationem liberam, & teneatur ipse soluere debita à se contracta, debet eam soluere antequam redeat ad religionem. Et si non soluerit, adhuc illa bona censebuntur creditoribus obligata, quia nec fuerunt religioni acquisita alio modo, quia statim ac eiectus debita contraxit obligauit creditori bona acquisita, & acquirenda, & suæ administrationi relicta: quæ ratio non militat in Apostata, cui non est administratio bonorum a Religione concessa. Nam & adhuc huem bonorum administratio eiecto relinquitur. Addit Pasqual. *num. 992.* quod si eiectus detulit Religioni aliqua bona, censetur illa detulisse sub conditione, vt Religio sit datura ei alimenta, & ideo in eo casu Religionem teneri alere ipsum eiectum. Sed hæc ratio non est firma, quia illa bona facta sunt Religionis, quæ quidem se obligat ad alendum Religiosum, sed viuentem religiosè intra Claustra. Et quod eiectus relinquatur siue alimentis à Religione collatis est pœna suæ culpæ proportionata, nec potest in ea donatione subintelligi conditio, vt Religio alat eiectum, si ob rebellionem suam fuerit eiectus, quia qui profitetur, & se Religioni donat, non habet animum essendi rebellem, & contumacē. Sed intuitu virtutis Religioni se absolutè donat, ideo eiectus, nec potest venire contra renunciationem suam, quia & nihil proprium habere potest, nec ex delicto debet consequi emolumentum, nec eius renunciatio fuit conditionata, nisi ipse conditionem expresserit. Ita ex Rota *decis. 109. coram Coccino* Donat. *p. 2. tract. 8. q. 58.* Lezana *v. Eiecti, num. 9.* Nouar. *num. 14.*

659. Recipi igitur cum debeat eiectus emēdatus euidenter, quantum ad modum receptionis fuit opinio Nauar. *conf. 80. de regul.* hunc debere iterum profiteri; sed merito eam reiecerunt Rodriq. *t. 1. qu. 30. ar. 28.* Sanchez *l. 6. c. 9. num. 33.* Donatus *citatus q. 27.* Faustus *l. 6.* Thesau. *q. 23 2.* Tambur. *tom. 3. d. 8. c. 8. num 5.* Palaus *trac. 16. d. 4. p. 21. num. 2.* Pasqual. *num. 1018.* cum per eiectionem eiectus non liberetur à votis & professione, sed semper maneat religiosus.

660. Dubitant etiam DD. an recipi debeant eiecti ad eosdem gradus, honores, præeminentias, dignitates, antianitatem, quibus fruebantur ante eiectionem. Negant aliqui, quia non decet deficientes, & discedentes religiosos præcedere veteranos Religiosos, qui portauerunt pondus diei, & æstus. Rodriq. loco citato. Hier. Rodriq. *resolut. 57. num. 3.* Palaus *tract. 16. disput. 4. p. 21. num. vltim. ex* Suarez *tom. 4. tract. 8. l. 3. c. 5. num. 17.* Donatus *de eiectis q. 27. num. 3.* sed oppositum tenet Sanchez male pro priori sententia citatus à Donato *l. 6. moral. c. 9. num. 33. in fine* s quod præscindendo à statutis particularibus Religionum de iure communi tenendum est, si loquamur de prærogatiuis personalibus, vt sunt antianitas, Lectoratus, Doctoratus, Magisterium & huiusmodi. Nisi enim per sententiam & culpas suas fuerit eiectus huiusmodi prærogatiuis specialiter priuatus, cum alias tales prærogatiuæ de se perpetuæ sint, nulla est ratio, vnde eiecti illis dicantur priuati, & vnde, dum redeunt, debeant illas amittere; & licet huiusmodi præro-

ga-

gatiuæ tempore electionis sint veluti suspensæ, cessat suspensio, dum eiectus reddit, qui illas recuperat, sicut & iura communia Pasq. ad Franc. num. 1019.

661. Tandem aduertendum hic non amplius habere locum distinctionem illam de eiectis verbaliter, vel solemniter, quam ex Miranda t. t. q. 7. concl. 1. & 2. habet Laurentius de Franc. de eiectis q. 10. Tum quia modo eiectio non fit nisi solemniter, & per sententiam. Tum quia non eijciuntur simpliciter, sed ita vt Superiores eiectos emendatos teneantur recipere. Verum tamen est, quod eiectio hæc soli incorrigibilitati debetur. Vnde non sunt prohibiti superiores alijs pœnis delicta subditorum punire seruato ordine iuris.

662. Quæritur sextò. Ad quem pertineat iudicare, an Religiosus iustè, vel iniustè sit eiectus? Nam Laurentius de Franc. de eiectis q. 3. putat ad Episcopum pertinere inquirere de iusta, vel iniusta eiectione regularis. Quod probat auct. Card. in Clem. 1. §. quia vero, v. addo de statu Monachorum. Et quia Generalis eijciens debet Episcopo notificare sententiam electionis. Sed vt benè notat Pasqual. num. 974. hoc nullo modo potest subsistere. Recognoscere enim processum, & sententiam alicuius est actus iurisdictionis, & superioritatis, & qui potest recognoscere, potest & retractare, & cassare, & annullare, corrigere, aut confirmare, arg. ex cap. sententia 35. q. 9. Glos. in cap. Nemini 7. q. 4. Bald. in l. 2. C. de sent. exper. recit. Episcopus vero non habet iurisdictionem super regularibus exemptis, Cap. Nimis praua de excess. Prælat. Et cap. Neque aliquos de Priuilegijs. & ex Conc. Triden. sess. 14. cap. 5. de reformat. ibi, sed exempti omnino sint, & esse intelligantur. Ideo loquendo de recognitione iudiciali, non potest Episcopus recognoscere an iusta sit, vel iniusta sententia, vt notat etiā Donat. de eiect. q. 55. sed ei notificanda est sententia, vt sciat eiectum sub eius cura esse, & in habitu clericali viuere debere. Card. autem loco citatò, loquitur expresse de Monacho non exempto. In casu igitur, quod eiectus prætendat se iniuste damnatum debet recurrere ad sac. Congregationem Episc. & Regularium, vel ad Summum Pontificem. Pasqual. ad Franc. num. 1028.

663. Quæritur septimò. An quæ vsque modo dicta sunt, habeant locum nedum in viris, sed etiam in Monialibus, ita vt etiam moniales incorrigibiles eijci possint. Dicitur vero, cum communi sententia DD. moniales non posse eijci à monasterio ratione incorrigibilitatis nisi à Sūmo Pontifice. Obstat enim lex clausuræ Monialium, super qua solus Pontifex dispensat. Et consuetudo Ecclesiæ talis fuit et est, vt concessio declarandi incorrigibiles ad Moniales non se extendat, non obstante priuilegio Innoc. 4. concesso Cistereiensib. de quo meminit Hier. Rodriq. resolut. 55. num. 3. quia talis concessio numquam fuit in praxi seruata, & obstat lex Clausuræ. Et ita hanc partem docuerunt Sanchez l. 6. mor. c. 9. n. 6 Alphons. de Leon. de cens. resol. 6. num. 322. Nouat. in praxi concl. 2. num. 8. Lezana v. Eiecti, num. 18. Bonac. de Clau. q. 1. p. 9. num. 19. Gauant. in manual. v. Monialium clausura. Mirand. qu. 3. de Moniali ar. 2. Rod. tr. 1. q. 49. num. 1. Riciul. tom. 1. de iure pers. c. 5. num. 8. Barbol. ad cap. fin. de reg. n. 10 Tambur. de iure Abbatis 5. d. 21. q. 4. nu. 3. Bellet. de pen. Cler. §. 25. num. 13. Pasqual. ad Franc. n. 1082. Donatus de eiectis, q. 20. Pal. de manual. c. 3. sect. 1 q. 13. Et res est certa, quia ita declarauit S. Congreg. die 17. Maij 1603. apud Gauantum, Lezanam, Bellettum, Donatum, & alios. Quatenus verò auth. Pontificis aliqua monialis eijceretur, ea quæ supra dicta sunt de viris, cum proportione vera essent etiam de monialibus, nisi vbi Pontifex aliter disponat. Putat vero Palaus t. tr. 16. d. 4. p. 19. num. 4. ex Sanchez l. 6. c. 9. nu. 6. Monialem posse à Monasterio eijci per superiores consulto Nuncio Apostolico; sed mihi non constat Nuncium habere hanc facultatem.

QVAEST. CLXXXIX.

ARTICVLVS IX.

Vtrum aliquis debeat alios inducere ad Religionem intrandum?



AD nonum sic proceditur. Videtur, quod nullus debeat alios inducere ad religionem intrandū. Mādat enim Beatus Benedictus in regula sua, quod venientibus ad religionem non sit facilis præbendus ingressus: sed probandum est, an spiritus ex Deo sint. Et hoc etiam docet Cassianus in quarto lib. de Institutis cœnobiorum. Multo ergo minus licet aliquem ad Religionem inducere. quol. 3. a. 12 & 14. a. 18. lib. 4. c. 3.

2. *Præterea, Matth. 23. Dominus dicit, Væ vobis qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum; & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos. Sed hoc videntur facere qui homines ad religionem inducunt. Ergo videtur hoc esse vituperabile.*

3. *Præterea, Nullus debet aliquem inducere ad id quod pertinet ad eius detrimentum. Sed ille qui inducit aliquem ad religionem, quandoque ex hoc incurrit detrimentum: quia quandoque sunt obligati ad maiorem Religionem. Ergo videtur, quod non sit laudabile aliquos inducere ad religionem.*

SED contra est, quod dicitur Exod.

Exod. 26. *Cortina cortinam trahat. Debet ergo vnus homo alium trahere ad Dei obsequium.*

RESPONDEO *dicendum, quod inducentes alios ad Religionem non solum non peccant, sed magnum præmium merentur. Dicitur enim Iacob. vlt. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Et Dan. 12. dicitur, quod qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Posset tamen contingere circa huiusmodi inductionem triplex inordinatio. Primo quidem si violētar aliquis alium ad religionem cogeret: quod prohibetur in Decr. 20. quæst. 3. Secundo, si aliquis simoniacè alium ad religionem trahat muneribus datis, vt prohibetur in Decret. ibidem quæst. 2. cap. Quam pio. Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministrat in seculo, nutriens eum ad religionem, vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertiò, si mendacijs eum alliciat. Imminet enim sic inducto periculum, ne cum se deceptum inuenerit retrocedat, & sic fiant nouissima illius hominis peiora prioribus, vt dicitur Lucæ 11.*

Præsens 14. ... Nul. ... Abbas.

Ad primum ergo dicendum, quod illis qui ad Religionem inducuntur, nihilominus reseruatur probationis tempus, in quo difficultates Religionis experiuntur. Et sic non facilis aditus eis datur ad Religionis ingressum.

Canon. 24. in Matth.

Ad secundum dicendum, quod secundum Hilar. verbum illud Domini prænunciatiuum fuit peruersi studij Iudæorum: qui post Christi prædicationem Gentiles, vel etiam Christianos ad Iudaicum ritum trahendo faciunt dupliciter gehennæ filios: quia scilicet & peccata pristina, quæ commiserunt, in Iudaismo eis non dimittuntur, & nihilominus incurrunt Iudaicæ perfidiæ reatum. Et secundum hoc non facit ad propositum. Secundum Hieronymum autem hoc refertur ad Iudæos, etiam pro statu illo in quo legalia obseruari licebat, quantum ad hoc quod ille, qui ab eis ad Iudaismum conuertebatur dum esset Gentilis, simpliciter errabat: videns autem magistrorum vitia reuertebatur ad vomitum suum: & Gentilis factus, quasi præuaricator, maiori pœna fit dignus. Ex quo patet, quod trahere alios ad cultum Dei, vel ad Religionem, non est vituperabile: sed hoc solum quod aliquis ei conuertitur, det malum exēplum, vnde peior efficiatur.

Super ... c. 4.

Ad tertium dicendum, quod in maiori includitur minus. Et ideo ille, qui est obligatus voto vel iuramento ad ingressum minoris religionis, potest licite induci ad hoc, quod ad maiorem Religionem transeat, nisi sit aliquid speciale, quod impediat: puta, infirmitas, vel spes maioris profectus in minori Religione. Ille vero qui est obligatus voto, vel iuramento ad ingressum maioris Religionis: non potest licite induci ad minorem Religionem, nisi ex aliqua speciali causa euidenti, & hoc cum dispensatione superioris.

SVMMARIVM.

1 *Tituli sensus.* nu. 1.
2 *Conclusio articuli.* num. 2.
3 *Etiam per motiua humana licet inducere ad Religionis ingressum.* num. 3.
4 *Nedum fouere desiderium Religionis, sed illud excitare est per se laudabile.* n. 4.
5 *Non est bonum inducere ad ingressum Religionis relaxatæ.* n. 5.
6 *Inducere ineptum ad ingressum Religionis non licet, & aliquando licet.* n. 6. 7.
8 *Inductio ad Religionem ex triplici causa illicita.* num. 8.

1. NEdum hic quæritur an liceat alicui inducere alium ad Religionem, sed an aliquis id facere debeat, hoc enim præstare nedum de se est laudabile, sed potest contingere, vt sit ex virtute charitatis debitum.

2. Et igitur in hac parte certa conclusio D. Th. quia scilicet per se ex obiecto, & genere actus inducere alium ad intrandum Religionem nedum est licitum, sed valde meritorium; quoniam hoc est erudire ad iustitiam, ducere peccatorem ad pœnitentiam, & adducere iustum ad augmentum sanctitatis.

3. Et hoc non propterea illicitum erit, quia inducens vtatur medijs etiam humanis ad excitandam, & fouendam in alio piam affectionem erga Religionem; dummodo in indiuiduo, & omnibus pensatis hoc non tendat in aliquam violentiam, vel deceptionem Suarez tom. 3. *de re* ... l. 5. c. 8. num. 10.

4. Hanc tamen conclusionem Suarez loco citato limitat, quia, sicut raro expedire ei, qui nondum est vocatus à Spiritu Sancto ad Religionem, dare Religionis consilium. Et ita bonum quidem est propositum ex Spiritus Sancti vocatione conceptum fauore, & ad perfectionem perducere, sed raro expedit propositum hoc Religionem intrandi excitare. Verum huic assertioni obstat, quod cum vocatio ad Religionem de se, & ex suo genere sit bona, cum sit Spiritus Sancti opus, qui non semper vocat interius non medijs sensibilibus externis, sed imo vsitatior modus gratiæ excitantis est, vt medijs exterioribus Deus interius doceat, suadeat, & moneat voluntatem ad bonum, ideò non est inexpediens, sed per se valde expedit, vt homo sit minister, & instrumentum Spiritus Sancti ad excitandum in alio desiderium perfectionis vitæ spiritualis, cum & hic sit mos Spiritus Sancti, vt per homines homines doceat. Et eo magis, quod eisdem rationibus, quibus non expedit existere in alio desiderium Religionis, nec expedit conceptum desiderius fouere. Ad vtrumque enim præstandum requiritur maxima prudentia, & qui alteri Religionem consulere vult, debet summopere considerare an alius conueniat Religioni, & econtra Religio conueniat illi; quod si hæc mutua conuenientia deficit, sicut vel excitare, sic nec fouere conuenit desiderium Religionis, quia nec excitandum, nec fouendum est desiderium illud, quod omnibus pensatis non est bonum, vel est minus bonum, sed si hæc mutua conuenientia adest, sicut est bonum fauere, sic est bonum excitare desiderium Religionis in alio, quem expedit Religiosum fieri, & à Religione recipi. Prudenter igitur excitare in alio primum desiderium Religionis, v[illegible] conatu ad[illegible] excitandum semper expedit; imprudenter vero id facere, numquam expedit. Et quia raro contingere potest, vt detur etiam in singulari, cui aliqua Religio non competat, si sit sui iuris, ideò raro contingere pot[illegible], [illegible] non expediat etiam nondum vocatum a Spiritu Sancto primo vocare ad Reli[illegible].

5. Vniuersalissim[e] igitur debet intelligi conclusio per se, & præ[sci]ndendo ab accidentalibus ex quibus actio bona in genere, si imprudenter fiat, efficitur mala in indiuiduo. Explicanda tamen est, vt intelligatur formaliter de Religione, quæ non nomine tantum sit status perfectionis tam secundum se, quam respectu ingressuri. Ideò si religio intantum sit relaxata, vt non sit amplius status perfectionis, sed via perditionis, quia in ea non seruantur substantialia legis Dei, & Religionis, non erit licitum consulere alicui ingressum in talem R[e]ligionem, quia hoc non est i[llu]m inducere in perfectionem, sed exponere [i]llum periculo euidenti, & certo perdi[ti]onis, vt Caiet. aduertit. N[is]i persona talis [sit], quæ pensatis pensandis [in] ind[iu]iduo, nedum non sit de[uia] ab obseruantia statutorum, [sed] sit cooperatiua ad Religionis reformation[em].

6. [illegible] ho[c] [et]iam considerand[um], an religio sit [illegible] p[e]rfectionis [r]e[sp]ectu per[s]onæ cui con[illegible]. Nam si [illegible] sit ineptus ad onera, [&] ob[s]eruantias alicuius Religio[nis], [illegible] inducere ad illius Religionis ingressum. Inep[tu]m enim recipi ad Religionem non sit sine maximo damno, tum ingredientis, qui in Religione non est profecturus, cum sit ineptus ad obseruantias regulares, tum Religionis, quæ maximas perturbationes, & scandala patietur nutriendo eum, qui regularia statuta obseruare non potest impotentia, vel necessaria, vel mali iosa, & vo[l]unt[aria]. Et ideo, quod consulere Religionem huiusmodi inepto sit ex genere peccatum mortale tradit Cord. in Reg. S. Franc. cap. 2. q. 2.

7. Et nihilominus, si ineptitudo viri ad obseruantias Religionis non sit malitiosa, & ex habitu malo, aut mala inclinatione, & sit solum respectu obseruantiarum super quibus cadit dispensatio, quia non est v. g. respectu castitatis, vel obedientiæ, aut paupertatis, aut alicuius præcepti legis naturalis, sed respectu ieiuniorum, silentij, vel chori, vel alterius obseruantiæ, in qua in Religione datur ex occasione dispensatio cessante dolo, & deceptione inducere aliquem sic ineptum ad religionis ingr[e]ssum, non esset malum, si tamen etiam ex parte re[l]i[gi]onis hoc fieri posset sine suarum legum transgressione, & sine magna religionis perturbatione, & periculo relaxationis, & ex graui causa tali effectui proportionata.

8. In Secunda autem parte textus D. T. ostendit quomodo inductio alicuius ad religionem possit esse mala ex modo; & triplicem causam assignat, ob quam hæc inductio potest fieri illicita, scilicet si fiat per vim, per simoniam, & per deceptionem, & fraudem.

S V M M A R I V M.

1 *Cogere ad Religionem est malum. n. 9.*
2 *Decretum Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de Regul. num. 10.*
3 *Hoc decretum non comprehendit Imperatorem, & Reges. num. 11.*
4 *Suadens ingressum non comprehenditur sub eo decreto. num. 12.*
5 *Quid sit coactio. num. 12.*
6 *A damno, quod potest quis iuste inferre cessans sub conditione ingressus in Religionem cum cogit. num. 13.*
7 *Pater tractando rigorose filiam, sed non iniuste non cogit. nu. 14.*
8 *Pater non co[gi]t si minetur se non facturum, quod facere non tenetur. nu. 15.*
9 *Inducere bonis [&] fauoribus, gratijs ad ingressum Religionis non est cogere. nu. 16.*
10 *Negare mulieri quod ei [d]ebetur, vel impedire eam à lucro ad, quod habet ius, vt fiat Monialis est i[ll]am cogere. nu. 17.*
11 *Incutiens metum leuem non cog[it]. [nu]. 18.*
12 *Timor reuerentialis non c[o]gi[t]. n. 19.*
13 *Preces importunæ nisi habeant coniunctas pœnas vnde incutiant metum grauem non cogunt. num. 20.*
14 *Relinquere filiam hæredem sub conditione, vt fiat Monialis non est illam cogere. numero 21.*
15 *Inducere mulierum fraude, vt fiat monialis non*

non

non est illam cogere. nu.22.

16 *Non de vi inductiua, sed coactiua etiam indirecta loquitur Concilium.* nu.23.

17 *Non est excommunicatus, qui cogit virum ad Religionem.* n.24.

18 *Peccat, qui virum cogit ad Religionem.* numer.25.

19 *Qui sint casus in iure, in quibus mulier potest cogi ad Monasterium.* nu.26.

20 *Ad incurrendam censuram requiritur ingressus actualis.* n.27.

21 *Sufficit coactio terminata ad ingressum in monasterium.* nu.28.

22 *Requiritur tamen, quod ingressus sit ad monasterium formaliter, & intuitu Religionis.* num.29.

23 *Cogere filiam, vt causa educationis ingrediatur Monasterium potest esse peccatum, sed pater id faciens est non excommunicatus.* nu.30.

24 *Cogere filias ingredi monasterium causa educationis non est materia huius excommunicationis.* num.31.

25 *Ingressus in Monasterium, qui est materia huius censura est ille, qui est ex conuentione suscipiendi statum Religiosorum.* n.31.

26 *Tres actiones prohibita per Concilium.* numero 32.

27 *Pater cogens ad ingressum Monasterij, susceptionem habitus, & professionem est semel excommunicatus.* n.33.

28 *Dantes auxilium &c. sunt excommunicati.* numer.34.

29 *Et qui scienter inuito ingresso &c. sunt praesentes, consentiunt, vel authoritatem interponunt, & qualis praesentia requiratur.* numero 35.

30 *Qui iniuste impedit ne mulier, vel ingrediatur Religionem, vel votum emittat est excommunicatus.* n.36.

31 *Et sufficit ad incurrendam censuram si impedimentum ponitur ex parte Monasterij.* numero 37.

32 *Et sufficit si dolo, & fraude quis impediat.* numer.38.

33 *Et sufficit etiam si fraus sit solum ex parte mulieris circumuenta.* n.39.

34 *Inducere mulierem precibus, & suasionibus ne velum suscipiat, non est illam iniuste impedire.* nu.40.

35 *Nisi praeter metum grauem, & iniustam incutiant.* nu.41.

36 *Voti emissio de qua loquitur Concilium est professio.* nu.42.

37 *Qui impedit susceptionem habitus non est excommunicatus.* nu.43.

38 *Qui iuste causat dilationem professionis non est excommunicatus.* nu.44.

39 *Qui dant consilium &c. vt iuste impediatur professio non sunt excommunicati.* n.45.

40 *Ex iusta causa impedire professionem non est illicitum.* n.46.

41 *Vbi veli susceptio non est professio, impedire veli susceptionem non subest censura.* n.47.

42 *Ex duplici capite inducere, vel impedire ingressum Religiosus est peccatum.* n.48.

43 *Ad quam restitutionem teneatur impediens ingressum Religionis.* n.49.

9. NAm primo cogere aliquem ad statum religiosum per se, & ex genere est peccatum mortale. Quod probat D.T. *ex cap. praesens 20. q. 3.* Cum enim quidam Lambertus Clericus inuitus factus fuisset Monacus, Nicolaus Papa scribens Episcopis in regno Ludouici Regis iussit eum liberum relinqui, & à Monachorum regula solutum. Et huius reddit optimam rationem sic dicens *Quod enim quis non eligit nec optat profecto, nec diligit; quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum quippe bonum nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendum in via virgam, per quam violentia vlli inferatur, praecepit.* Ex hoc enim textu multiplex iniustitia colligitur in eo, quod quis inuitus inducitur in Monasteriũ. Prima respicit ipsum, qui cogitur, quia ius propriae libertatis violatur, dum ad statum Religiosum, qui non est status necessitatis, sed perfectionis, consilij, & libertatis, compellitur. In hoc enim quilibet sui iuris est, vt viam perfectionis per obseruantiam consiliorum arripiat. Et quia violentia tollit voluntatis libertatem, ideò violat ius libertatis. Secunda iniuria fit Religioni, quae exponitur contemptui eam ingredientis quidem, sed non diligentis, quod enim non diligitur contemnitur. Tertia iniuria fit Deo, cui simpliciter non placet opus, nisi fiat voluntariè, & ex eiusdem Dei amore, ingressus verò in Religionem coactus non est nec voluntarius.

10. Quam grauè vero sit hoc peccatum, explicandum est. Sed quia ex Concil. Trid. imposita est poena excommunicationis cogentibus foeminas ad ingressum Monasterij, explicando textum Concilij simul etiam declarabitur quale peccatum sit viros inuitos inducere ad Religionem. Ita vero habet textus Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. de Regularibus. *Anathemati Sancta Synodus subijcit omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, praeterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendum professionem, quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel praesentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subijcit eos, qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quae ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solum in Monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quae poenitentes, aut Conuertitae appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur.*

11. Haec verò excommunicatio non est reser-

uata, vt ex lectura decreti patet. *Omnes & singulas* Dubitant DD. an hac clausula vniuersalissime intelligi debeat, ita vt comprehendat etiam Reges, & Imperatorem Suarez enim *disp. 23. de censuris sect. 5. num. 8. & tom. 3. de Relig. l. 5. cap. 9. num. 5.* affirmat, sed negant Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 4. num. 2.* Portell. *v. monialis num. 6.* Bonac. *de censur. disp. 2. q. 2. p. 2. num. 13.* Barbosa *ad d. cap. 18. sess. 25.* Concil. Trid. Tambur de iure Abbatiss. *disp. 2. q. 8. num. 3.* Bordon. *resol. 54. num. 145.* vbi quod non comprehendantur nec etiam Cardinales. Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 9. num. 6.* Ex eo quia in dispositionibus onerosis, & odiosis non censentur comprehendi sub clausulis generalibus Reges & Imperator, nisi exprimantur. Et idem de Cardinalibus dicendum videtur, quia assimilantur Regibus, habent enim maiestatem, & eorum offensio est crimen laesae Maiestatis *cap. felicis de poenis in sexto.* Tum quia, vt aliquam excommunicationem incurrant in terminis sunt exprimendi *cap. Auia periculosum de sent. excom. in 6.*

12. *Si quomodocumque coegerint &c.* Inducere igitur iustis suasionibus mulierem, vt ingrediatur Monasterium, non est peccatum, quia est illi suadere bonum non vero, est cogere. Coactio enim est violentia per quam contra voluntatem Mulieris ingressus eius in Monasterium obtinetur, ita quod illa si posset euitare malum, quod sibi ex cogente imminet, Monasterium non ingrederetur. Hoc verò modo cogere foeminas ad Religionem fuit prohibitum, etiam *in cap. puella cap. sicut, cap. an. q. 1. & cap. Hoc Sanctum 33. q. 2.* Et sic cogentes peccare mortaliter dixerunt Nauar. *cap. 14. num. 17.* Ledes. de statibus *cap. 5. num. 8.* Sayr. *l. 6. cap. 9. num. 2.* Pelz. *in subd. Relig. q. 1. cap. 29. concl. 2.* Tambur, de iure Abbatiss. *disp. 2. q. 1. num. 2.* & apud eum Reginald. Palaus *tr. 16. d. 1. p. 9. num. 2.* Bonac. *de cens. in partic. disp. 2. q. 2. part. 2. num. 3.* Ledesma *de stat. Relig. cap. 5. concl. 8.*

13. Ex hoc colligitur primo non esse ex hoc capite excommunicatum eum, qui iuste potest inferre malum, & illud non infert sub conditione ingressus, & professionis in Religionem. Vt si damnatae mulieri ad mortem relinquatur vita sub conditione ingressus in Religionem. Vel si iustam accusationem de quocumque crimine quis nolit dimittere, nisi accusanda suscipiat habitum Religiosum. Ratio est quia hoc non est cogere mulierem. Coactio enim importat vim iniustè illatam. Sed qui iuste potest inferre malum alicui, non facit illi iniuriam, si illud inferat, sed illi gratiam facit, si ab eo desistat sub conditione rationabili sibi bene visa. Coactio igitur importat iniustam incussionem, vel comminationem mali, ob quod fugiendum foemina inuita Monasterium ingrediatur. Verum est quod Sanchez *d. l. 4. num. 5.* in hoc distinguit, & ait, quod in sententia eorum, qui tenent, quod metus iustè incussus irritet professionem, dicendum esset, quod inducens mulierem iusto metu ad intrandam Religionem esset excommunicatus. Sed hoc non habet locum in sententia eorum, qui censent talem metum non irritare votum, quos ipse sequitur. Et absolute, ait non dari locum huic excommunicationi, quando metus non datur ad extorquendam professionem, sed paratur via mulieri ad euadendam poenam. Sed vere absolute dicendum est, quod inducere mulierem ad Religionem per incussionem iusti metus, sicuti non est propriè cogere, sic nec est ex obiecto malum, sed si circumstantia mala non adiungatur est bonum, nec est per Concil. Trid. prohibitum Suarez *to. 3. de Relig. l. 5. cap. 9. num. 5.* Pelix. *cap. 2. de monial. num. 30.* Bonac. *disp. 2. de cens. q. 8. part. 2. num. 4.* Ledesma *de stat. c. 5. concl. 8.*

14. Colligitur secundò non esse excommunicatos parentes, qui filiam rigorose custodiunt, & sine excessu, & iniustitia rigidè tractant in vestitu, victu, & custodia. Ex quo ipsa taedio affecta eligat relinquere domum, & ingredi Monasterium. Huius verò rationem reddit Suarez loco citato. Quia accidentarium est, quod ex iusta prouidentia paterna oriatur illud taedium, quod non est morale, sed naturale; subdit verò, quod si Pater hoc faciat ex intentione inducendi filiam ad ingressum Monasterij, quod est violentia, & quod Pater est excommunicatus. Pariter quod Pater male tractans filiam in victu, & vestitu eo fine, vt se resoluat ad ingressum Monasterij voluit ex Diana p. 1. tr. 15. resol. 56 Bordon. resol. 54. num. 145 §. 2. Sed nec ratio adducta, nec distinctio est libera ab obiectione. Quoniam rigori custodiae, & prouidentiae taedium in filia custodita subnascens, & illam inducens ad Religionem valde morale est, & inducens effectum moralem scilicet ingressum in Monasterium, qui non esset illo taedio cessante. Ideò etiam non refert an Pater rigidè tractet filiam ex intentione inducendi illam ad Religionem, vel non, quia si vsus huius rigoris iste est coactio ad Religionem non erit sine intentione patris cogentis. Sed si non est coactio, neque habet annexam excommunicationem etiam si fiat ex intentione. Videndum igitur est, an rigor excedat, & iniustitiam contineat, vel non contineat. Nam si aliquam iniustitiam continet, est vera coactio, & si ex illius taedio filia alias inuita ingreditur Monasterium, propriè cogitur, & Pater est excommunicatus Palaus *tr. 16. disp. 1. part. 9. num. 5.* Ledesma *de stat. cap. 5. concl. 8.* Sed si rigor non continet iniustitiam, & limites iustae prouidentiae paternae non excedit, Pater vtens illo rigore non cogit, sicut non cogit iudex tradens, damnatum iuste ad mortem, nisi fiat Religiosus. Vniuersaliter enim non cogit, qui vtitur iure suo, & non irrogat damnum iniustè. Ideò si Pater iuste rigore vtatur cum filia, vt illam inducat ad Religionem si illam suscipere voluerit nihil iniustè agendo contra illam, non cogit, & ideò non est excommunicatus Palaus *d. num. 5.* Punctum est, an rigor Patris sit iustus, & sine iniuria, & non excedens humanitatem. Neque enim filiae tractandae sunt vt seruae, vel vt bestiae irrationales, sed vt filiae, & debent tractari iuxta status conditionem, & nobilitatem Caeterum si filia non habet, vnde iuste conqueri possit de rigore Patris, ille rigor non est coactio, & filia tenetur obedire, nec potest conqueri.

15. Colligitur igitur tertio, quod non est excommunicatus Pater, qui filiae minatur, se non esse melioraturum illam in ea parte, in qua liberum est sibi illam meliorare, nisi intret Monasterium. Vt iuxta leges Castellae, si Pater minetur filiae,

lis; quod eam non meliorabit præ alijs filijs in tertia, & quarta, nisi fiat monialis. Quia hoc modo Pater non agit iniuste, & vtitur iure suo Bonac. *d.p.2. num.5.* & non cogit Sanchez *d.lib.4. cap. 4. numero 7.* Peliz. *capit. 2. de monial. numer.30.*

16. Colligitur quarto, quod inducere ad religionem fœminam promissionibus, fauoribus, & & donis neque est cogere illum ad religionem, nec habet annexam excommunicationem. Promissiones enim, munera, & fauores non faciunt inuoluntarium, sed voluntatem augent. Nec vlli facit iniuriam, qui suum donat, licet illud donet sub spe alias de se honesta, & laudabili. Solum hic est vitanda simonia, de qua infra erit sermo, sed sine pacto allicere mulierem iustis fauoribus, & muneribus ad ingressum Religionis, non est de se malum, mala alia circumstantia præcisa. Tambur. de iure Abbatiss. *disp.3. q. 3.* Barbosa *ad d. c. 18.* Consil. Trid. *num. 5. fin.* Sanchez *d. l.4. cap.4. num. 6.* Palaus *d.p. 9. num. 5.* Et loquendo de excommunicatione contra cogentes ad Matrimonium tenet Suarez *3. 4. tom. 5. disp. 23. sec. 5. num.6.*

17. Colligitur quinto, quod econtra quemq; negare alicui mulieri, vel absolute, vel ad tempus id, quod ei debet, vt hac via inducat illam ad Monasterium, est vere illi inferre vim, & nedum indirecte, sed directe. Et vniuersaliter arcere aliquem à lucro, ad quod habet ius, est illi facere iniuriam. Vnde si huiusmodi lucri negatio siue dilatio sit graue malum, qui sufficiat ad inducendum metum cadentem in constantem virum, & est grauis iniustitia, & si ex hoc compellitur mulier ad ingressum Monasterij, incurritur excommunicatio à compellente S. Sanchez *d. l. 4. cap. 4. num.6.*

18. Colligitur sexto, quod per solam incussionem metus grauis, non verò per incussionem leuis metus incuritur hæc excommunicatio. Ratio est, quia vt tradit Gloss. *in cap. vnico, de his, qua vi, in sextu* solus ille metus inducit pœnas constitut. aduersus inferentes, qui sufficit ad reuocanda ea, quæ per metum fiunt, & in iure non haberi rationem metus leuis tradit Bonif. in Clem. *1. num. 1.* de foro Compet. & Soto *l.6. de iust. q.2. a.1. ad secundum fi.* ait metum leuem in spiritualibus, vt in voto, non comprehendi metus nomine, ideò qui per metus leuis incussionem inducit Mulierum ad Monasterium nec illam simpliciter cogit, nec incurrit hanc excommunicationem Sanchez *d.l. 4. cap.4. num. 4.* Peliz. *de monial. c. 2. num.30.* Barbosa *ad d. cap. 18. sess.25.* Conc. Trid. *num. 4.* Bordon. *resol. 54. num. 1.45. §. 2.* Bonac. *d. p.29. n.3.*

19. Colligitur septimo incussionem metus reuerentialis, ex hoc nascentis, quod Parentes suadeant filiæ statum Monachalem iustis de causis, vt quia non habent sufficientiam dotis pro illius matrimonio, vel ob alias similes iustas, & rationabiles causas, non inducere hanc excommunicationem vt docent Aloys. Ric. in praxi for. Eccles. *dec. 708. vel 599. in 2. edit.* Portell. in addit ad dubia *regul. v. monialis num.12.* Hier. Rodriquez *resol.101. num.80.* Tambur. de iure Abbat. *disp.3. q.2. num. 2.* Barbosa *ad d. cap. 18. sess. 25.* Concil. Trid. *n.4.* Ratio est, quia metus reuerentialis in filia per se oritur ex debito filiationis, & non tam ex Patre incutitur, quam ex debito filiationis oritur, & de se propterea habet, vt voluntatē augeat, non diminuat, quia debitum virtutis, & honestatis non tollit, sed imo de se auget voluntatem, vnde est extra genus coactionis. Et præterea sequeretur, quod Pater non posset aliquid suadere filiæ, quin illam cogeret, quia ad Patris suasionem si filia honeste, & virtuose viuat, nascitur in ea metus reuerentialis.

20. Addit Portell., & consentit Barbosa, & Pelic, *cap.2. de monial. num.30.* Palaus *d.p.9. nu.5.* Quod etiam si Parentes præcibus importunis suadeant filiæ ingressum in Monasterium, quod non incurrunt excommunicationem hanc, quia suasio etiam importuna, non est coactio, Quod tamen bene limitant Sanchez *num. 8.* & Rodriq. & Barbosa, si præces non excedant limites simplicis persuasionis, & non habeant adiunctas minas, & præces importunæ, non sint tales, vt incutiant metum cadentem in constantem virum. In his enim casibus mulier censeretur cogi, & ideò cogens incurreret excommunicationem. Bordon. *resol.54. num.145. §.8.*

21. Colligitur octauo non esse excommunicatum Patrem, qui relinquit filiam hæredem, cum pacto, vt fiat monialis, aliter ei non relinquens nisi id, quod tenetur ex debito ei relinquere. Quia hæc non est coactio, sed est allicere ad bonum, per boni concupiscentiam Azor. *l. 13. cap.9. q.3.* Suarez *tom. 3. de relig. lib.5. c.9. num.5.* Tambur. de iure Abbat. *disp. 3. num. 8.* Barbosa *ad d. cap. 18. sess. 25.* Conc. Trid. *num. 5.* Bordon. vbi supra, & ita fuisse fuisse decisum à S. Congregatione refert ibid. Suarez. Ex hoc autem Bordon. *resol. 54. num. 145. §. 10.* deducit non incurrere hanc excommunicationem cogens fœminam ad ingressū, ex quo non potest habere aliunde dotem, nisi per ingressum, si aliunde à parentibus ali non potest, quia hoc non est cogere proprie, sed potius eam se inducere ad ingressum Religionis, sed hic cauendum est, ne sit palliata introductio, & & vera coactio. Si enim dos fœminæ debetur, ei tradi debet etiam si nolit esse monialis. Sed si non debetur, dabitur verò si velit ingredi Monasterium, adhuc non debet cogi aliunde, vt ingrediatur; semel libertati suæ relinquatur, & permittatur eligere an velit potius sine dote manere extra Monasterium. Quod si pater non potest eam alere, numquam ex hoc potest eam cogere, vt fiat moniales, sed debet procurare illi victum honesto modo aliunde, vel eam rationibus, & motiuis honestis inducere ad statum Religiosum omni coactione prætermissa.

22. Colligitur 9. quod licet sit illicitum inducere mulierem ad Monasterium per dolum, & fraudem, tamen quia hoc non est illam cogere, ideò id non est huic excommunicationi subiectum. Lex enim pœnalis non extenditur ad alium casum, etiam similem. Suarez *dicto num.5.*

23. Colligitur vltimo textum Concilij intelligi non de vi inductiua, sed de vi coactiua, prout decisum refert Armed. *l.7. de relig. num.62.* & explicant

plicant Azor. Barbosa, Sanchez, Suarez, Bordon. & alij DD. locis citatis, & ideò ad casus particulares descendendo semper videndum est, an inductio mulieris ad monasterium sit coactio, vel potius sit sola inductio. Nam alias omnis huiusmodi coactio nedum directa, sed indirecta ex vi huius textus est subiecta excõmunicationi, quia prohibetur quomodocumque cogere mulierem ad Religionem. Suarez dicto *cap. 9. num. 5.* & alij DD. supra *num. 20. citati*. Inducere vero, vel promissione boni gratuiti, vel ablatione boni non debiti, non est cogere, Bonacina. *d. p. 2. num. 5.*

24. *Aliquam virginem &c.* Dubitant DD. an sit excommunicatus ex hoc textu, qui cogit virum ad Religionem, cum textus de solis mulieribus expresse loquatur. Sed communis sententia est, sub hoc canone non comprehendi cogentes viros ad religionem. Id enim Concilium expressisset, sicuti expressit *sess. 24. de mat. cap. 9.* prohibens aliquem siue virum, siue mulierem cogi ad matrimonium. Et quia ex casu simili in lege pœnali non fit extensio ad casum similem. Et quia hic casus non est similis. Mulieres enim & facilius timent, & ex timore ducuntur, & frequentius mulieres ob penuriam rei familiaris inducuntur ad Religionem, ideo in mulieribus datur causa specialis motiua ad prohibendam huiusmodi coactionem. Ideo quod ex vi huius textus non sint excommunicati, qui cogunt virum ad ingressum monasterij docent Suarez *de censf. d. 23. sect. 5. num. 8. & tom. 3. de relig. l. 2. c. 9.* Sanchez *l. 4. mor. c. 4. num. 3.* Filliuc. *tract. 14. 1. c. 5. num. 89.* Portell. *v. Monialis num. 7.* Bonac. *disp. 2. de censur. q. 2. p. 2. num. 15.* Miranda *t. 1. q. 17. a. 4. & de sacris Monialibus qu. 8. num. 5.* Barbosa loco citato, *num. 6.* Tambur. *de iure Abbatiss. disp. 2. q. 1. num. 4.* Palaus *tract. 16. d. 1. p. 6. nu. 3.* Bonac. *d. p. 2. n. 15.* Ledesm. *de stat. cap. 5. concl. 8.*

25 Quamuis vero non sit excommunicatus, qui cogit virum ad Religionem, peccat tamen mortaliter. Et censetur cogere si ad hunc effectum contra ius, vel irroget, aut minetur malum, vel tollat, aut impediat iniustè consecutionem boni. Non dicetur vero cogere, si vel promittat dare, aut neget id, quod dare non tenetur. Sed dubium remanet, an Decretum Concilij intelligi debeat de omnibus virginibus, etiã de impuberibus. Et quia patres habeant ius offerendi Religioni filias impuberes, & non desunt DD. qui dicunt patres posse ad hoc cogere filios, & filias, vt dictum est supra. Tractat hanc *quæst.* Tamburin. *de iure Abbatiss. d. 2. quæst. 4.* Vbi supponit, quod patres possint filias impuberes offerre religioni, & quod filij teneantur obedire, & quod oblati non possint inuitis parentibus exire durante impubertate, & tamen quæstionem propositam non resoluit, quam tamen resoluerat *disp. 1. q. 4. num. 8.* sentiens huiusmodi parentes non incurrere excommunicationem hanc. Et hoc idem tenet Bordon. *ref. 54. nu. 145. §. Sexto.* Apud eum etiam Po tell. *v. Clausuram Monialium*, est incertus, & dubiosus. Sed iam loco citato probauit patres non habere ius, nec posse filios vsu rationis præditos, licet impuberes, inuitos offerre Religioni, vnde sequitur eos esse excommunicatos ex vi huius Decreti Conc. Trident. si habentes vsum rationis cogant, vel vt ingrediantur monasterium, vel vt habitum Religiosum suscipiant.

26. Præterquam *nisi in casibus in iure expressis &c.* Casus in iure expressi sunt primo, si mulier fecit votum Religionis, aut publicum, aut priuatum, de quo constet *cap. licet de voto*. Secundo, si post quinquennium dicat suam professionem fuisse nullam; si enim valida probatur professio tenetur perseuerare, & cogitur, si recuset. Tertio si sit damnata ad carcerem perpetuum, & datur illi optio, aut suscipiendi habitum Religiosum, aut manẽdi perpetuo in carcere. Quarto si coniugata post duos menses recusat reddere debitũ sub prætextu ingrediendi Religionem. Tunc enim potest cogi, vel vt debitum reddat, vel vt Religionem ingrediatur. Quinto si vir de consensu vxoris ingreditur monasterium, potest ipsa cogi ad ingressum Religionis. *Cap. Quidam. Cap. Placet de consang.* Vide Portell. *v. Moniales num. 7.* Suarez *de censf. d. 33. sec. 5. num. 8. 9. & tom. 3. de relig. l. 2. c. 9. n. 4.* Filiuc. *tr. 14. c. 5. nu. 89.* Bonac. *disp. 2. de censur. p. 2. num. 14.* Barbosa *ad d. cap. 18. n. 7.* Peliz. *c. 2. de Monial n. 33.* Tambur. *de iure Abbatiss. d. 2. q. 1.* Bordon. *resol. 54. num. 145. §. Sexto*, Peyrin. *in subd. q. 1. c. 19.* Miranda *t. 1. q. 17. a. 4.*

27. *Ad ingrediendum monasterium, &c.* Censuram hanc non incurri nisi in effectu fœmina inuita, vel ingrediatur Monasterium, vel suscipiat habitum religiosum, vel emittat professionem docet Nauar. *in man. cap. 27. num. 51. & l. 2. consil. 5. de regular.* Sayr. *de censur. decis. 51. de sent. excommun.* Miranda apud Barbosam loco citato *num. 8.* Suarez *tom. 3. de relig. li. 2. c. 9. num. 2.* Sanchez *l. 4. c. 4. num. 19.* Bordon. *resol. 54. nu. 145. §. 4.* quoniam ad incurrendas censuras requiritur actus perfectus, & consummatus: sed ex hoc colligitur etiam, ex vi huius decreti non esse excommunicatum, qui cogit fœminam ad vouendum Religionem voto simplici; quoniam hoc non est expressum. Tambur. *disp. 2. q. 3.* qui tamen loquitur limitate de fœmina existente in seculo, sed limitatio nõ est necessaria, quia etiam si cogatur mulier existens in monasterio, & etiam suscepto habitu religioso ad vouendum religionem, vel professionem quia vouere voto simplici religionem, non est ingredi monasterium, vel suscipere habitum religiosum, vel profiteri, ideo cogere ad votum simplicem Religionis non est actio cui ex hoc Conc. decreto sit annexa excommunicatio; cum etiam tale votum metu extortum, vel sit nullum, vel sit de facili dispensabile per Episcopum. Et ideo quod cogẽtes fœminam ad votum Religionis non sit excommunicatus dixerunt Sanchez *l. 4. c. 4. nu. 13* Bordon. *resol. 54. num. 145. §. septimo.* Bonac. *d. p. 2. num. 7.* Vbi quod hoc est verum etiam si votum sit iuramento firmatum Palaus *tr. 16. d. 1. q. 9. num. 4.* vbi idem dicit de inductione ad iuramentum.

28. Ad hanc tamen censuram incurrendam sufficit ingressus in monasterium coactus, & inuitus. Mulieres enim intra monasterium sæpè recipiantur antequam recipiant habitum religionis, & ideo qui cogit mulierem, vt intuitu suscipiendi habitum ingrediatur monasterium, sta-

tim

tim ex vi [illegible] ingressus, manet excommunicatus. Suarez d. cap. [illegible] num. 1. & [illegible] Sanchez [illegible] l. 4. c. 4. num. 12. Peliz. [illegible] cap. 2. de monial. num. 1[illegible]. & alij infra citandi, quia Concilium [illegible] loquuntur, & ponit tres [illegible] ingredi monasterium, [illegible] habitum, & [illegible] mittere professionem, vnde sufficit, quod [illegible] ad horum aliquam cogat mulierem.

29. Verum graue dubium hic oritur, an [illegible] Concilium loquatur de [illegible] in monasterium etiam si non fiat intuitu suscipiendi statum religiosum. Nam quod cogentes puellas ad ingressum monasterij [illegible] tum, [illegible] habitum profiteantur, & habitum [illegible], sed [illegible] saeculari habitu retento educentur, [illegible] aetatis aptae matrimonio ex vi huius Decreti Conc. Trident. excommunicari voluit Tamburinus citans pro eadem sententia Ledesm. de [illegible] cap. 5. concl. 8. Raynet. in Catal. censurar. cap. 6. excommun. 63. Zipaeum in iure Pontif. l. 3. de reg. num. 3. Megal. in 3. p. l. 4. cap. 6. num. 1[illegible]. Fontan. tr. 14. c. 6. num. 839. & ducitur quia Concilium [illegible] expressit ingressum monasterij [illegible] natiuis autem sufficit alter ius partis [illegible] Tum quia sine vlla distinctione & simpliciter prohibuit ingressum monasterij [illegible] vbi ergo lex non distinguit, nec etiam nos distinguere debemus. Nicolius in Flosculis [illegible] num. 11. vt [illegible] pro [illegible] Congreg. Regul. asserit puellas non esse compellendas 1621. Vlisiponen. 20. Apr. 60. Spoleto, 10. Decemb. 277. 1622. Genoua [illegible] Octobr. 144. Nisi in aliquo casu particulari [illegible] trarium per Superiores decernatur, 1621. [illegible] 20. Iul. 132. Verum aliud est, quod non sint compellendae puellae ad ingressum monasterij causa educationis sine causa iusta etiam cognoscenda per sacram Congregationem, aliud est quod sic compellens sit excommunicatus ex vi [illegible] Conc. Trident. Primum ratione [illegible] hoc secundum non probatur. Sed dicitur quod per ingressum in monasterium hic [illegible], qui [illegible] ordine ad [illegible] endum [illegible] Religionis, & Religionem profitendam, quia Concilium legem tulit in fauorem foeminarum, & [illegible] religiosi, & [illegible] prospiceret libertati professionis religiosae, & iustitiae mulierum, quae se [illegible] claudant intra septa monasterij [illegible] in maxima inquietudine, & monasteria perturbant, & [illegible] sacras contemnunt, ideo [illegible] prohibuit [illegible] etem compellat [illegible] monasterium ad suscepti [illegible] habitus [illegible] professionem. Et [illegible] Sayr [illegible] c. [illegible] num. 12. Portel. [illegible] Monia. nu. 14. Rod [illegible] num. 10. Hier. Rod. resolut. 101. num. [illegible] tom. 3. de relig. l. 2. c. [illegible] num. 4. Bord. [illegible] 4. n. [illegible] Decimo, Ledesma male pro exposita [illegible] relatis tract. de stat. cap. 5. concl. [illegible]

30. Ex quo colligitur quod Pater, vel Tutor [illegible] ad ingrediendum monasterium [illegible] educationis [illegible] tempus matrimonij [illegible] peccare mortaliter, non tamen [illegible] excommunicatum. Potest [illegible] peccare mortaliter, si cum pubere id [illegible] sine iusta causa. Suarez dicto num. 4. ait Patrem seu Tutorem puellam impuberem posse compellere ad ingrediendum monasterium causa educationis, quia impuberes [illegible] iuris parentum pro ea aetate, & [illegible] artam custodiam monasterij [illegible]. Vnde hoc ex [illegible] bono, & ad bonum finem ordinatum. Sed putat [illegible] non [illegible] patrem, aut tutorem [illegible] ad [illegible] monasterij educationis gratia, quia in [illegible] ante [illegible] pubertatem sunt sui iuris, vnde [illegible] patres illas ad tam arctam custodiam obligare [illegible] ad tem[illegible] ex aliqua [illegible] post pater [illegible] etiam puberi vim inferre [illegible] non [illegible] sermo de clausura perp[illegible], [illegible] de [illegible] huius [illegible] dari potest casus in quo illa clausura [illegible] saecularis [illegible] ecclesiastica, & ex causa honestari, si [illegible] contra [illegible] tatem, [illegible] compellere potest ex [illegible] causa. Nam [illegible] & rationabili causa non [illegible] pater [illegible] ad [illegible] placitum ab [illegible] necessitatem [illegible] & causam [illegible], & [illegible] [illegible] pater [illegible] certi monasterij [illegible] quam in impubere ex parte [illegible], cum ex parte [illegible] impubes [illegible] sub potestate partis, & minus libera, & domina sui. Potest igitur esse, vt patet, vel [illegible] faciat [illegible]. Eam contra suam voluntatem compellendo ad ingressum monasterij, si [illegible] iuste & necessaria causa faciat. Sed tamen non erit excommunicatus, quia ingredi monasterium pro educatione [illegible] ingredi [illegible], & [illegible] non vero tanquam [illegible], & [illegible] religionis. Concilium vero Tridentinum loquitur de ingressu in monasterium [illegible], quod loquitur de religiosis [illegible] & [illegible] professionis religiosae [illegible]. Suarez loco citato explicans [illegible] de [illegible] num. 9. [illegible] tom. 1. [illegible] 14. c. 16. num. 9. [illegible] l. 4. mor. num. 12. Portel. [illegible] Monia. num. [illegible] Diana p. 2. tract. 1. res. 156. Bordon. res. 54 [illegible] Decimo, & alij DD. supra citati. Vide [illegible] minus incurrit excommunicationem [illegible] maritus, qui cum debeat abesse longo tempore [illegible] causa cogit vxorem ad ingressum monasterij, Pell. de subd. 4. cap. 9. q. 29. Bordon. resol. 31. 54. num. 145. & Decimo.

31. Sed quid dicendum, si pater compellat puellam intrare educationis gratia, sed intrinsece intendat eam affici ad Religionem, & à Monialibus precibus, & suasionibus induci ad profitendum Religionem? Concilium fuisse loquutum solum de ingressu, qui per se ordinatur ad susceptionem habitus Religiosi, & sit sub hac conditione, & pactione, tradit Suarez d. l. 5. c. 9. nu. 4. Ideo censuram non incurrit, qui principaliter [illegible] alio fine compellit puellam ad ingressum monasterij, licet sit habiturum gratum, [illegible] habitum suscipiat, & hac via alliciatur ad Religio-

gionem, ad quod illam cogere minime vult. In o si alias ex alia iusta [illegible] inte du-cit [illegible]am, et vim in mona[illegible]ium, [illegible] omni al a mala c[illegible]nmsta[illegible]a, [illegible]n est peccatum habe-re tal[illegible]m [illegible]m quia non est malum m[illegible]ic-rem [illegible] &[illegible]aderi, vt Re[illegible]ionem profitea-tur, [illegible] q[illegible] animo principali compe[illegible]t ad in-gre[illegible]um monasterij puellam, vt h[illegible] modo indu-catur ad Religionem etiam si n[illegible] habeat animũ ad hoc compellendi eam ad sus[illegible]eptionem habi[illegible]tus, [illegible]curtere censuram excommonicationis, q[illegible]ia t[illegible] c ingressus per se ordi[illegible]atur ad habit[illegible] [illegible]ptionem, & hoc est [illegible]item i[illegible] è ve[illegible]e [illegible]pellere ad re[illegible]ion[illegible] volu[illegible]t S[illegible]n[illegible] d. [illegible].4.mor.c 4 num. 12. Sed in hoc attend[illegible] d[illegible]b[illegible]t form[illegible] [illegible]ita [illegible]x-plicata per Suarez, vt sc[illegible]licet in [illegible]s sit ingres-sus in monasterium form[illegible]liter, [illegible] d[illegible]ingui de-bent plures casus. P[illegible]n[illegible] est, qu[illegible]ndo i[illegible]ressum coactum præcess[illegible] [illegible] [illegible] vel Tutor[illegible] & Monast[illegible]um de in[illegible]ssu m[illegible]s, & susceptione Reli[illegible]iosi ha[illegible]itus p[illegible] eam h[illegible]bendæ, & ex vi [illegible]ius [illegible]o[illegible] [illegible], & io[illegible]s executio-nem c[illegible]gitur mu[illegible] [illegible]gredi monasterium. Et in hoc ca[illegible] susc[illegible]ptio reli[illegible] [illegible]status est [illegible] princi-pal[illegible] [illegible]ssum ex parte [illegible]gen[illegible] sed etiam ex parte operis, & ipsius [illegible]gre[illegible] q[illegible] ex h[illegible]c non est n[illegible]i qu[illegible]dam inchoata [illegible]ptio religiosi status. Et in hoc casu indub[illegible]atum est co[illegible] mulierem ad hu[illegible]modi in[illegible], [illegible]cumque illi sint, esse excommu[illegible]icatos. S[illegible]cund[illegible]s casus est, quando licet non fuit habita conuentio a[illegible]qua de [illegible]rata cum monasterio [illegible]a[illegible] habetur conue[illegible]m muliere vt ingre[illegible] mo[illegible]aste-rium a[illegible] [illegible] R[illegible]m [illegible]atum, & sic p[illegible]er, vt v[illegible], [illegible] [illegible]tat re[illegible]onem, & pol[illegible] in e[illegible] p[illegible]ssio[illegible]s ex [illegible]ti[illegible]nem c[illegible]gi[illegible] ingredi m[illegible] & i[illegible] hoc ca[illegible] quoque r[illegible] est indu-bita[illegible], [illegible] cog[illegible]tes sunt [illegible], quia & [illegible] R[illegible] stat[illegible] est ex p[illegible] ni principalis, & ipsemet [illegible] in-choata quæ[illegible] [illegible]ceptio hab[illegible] & cogere ad hu[illegible] [illegible] est [illegible]ge[illegible] ad ingres-s[illegible] [illegible] T[illegible] ca[illegible] præc[illegible] c[illegible]ue[illegible]tio s[illegible] [illegible]x p[illegible] pat[illegible] v[illegible] r[illegible], q[illegible] licet non extor[illegible] re[illegible] [illegible] [illegible]tendæ [illegible] absolutam [illegible]tionem [illegible] vt illa fiat Mo[illegible], & ex h[illegible]c [illegible] co[illegible]nt illam, vt ingrediatur m[illegible]nasterium [illegible] in hoc etiam c[illegible]su cens[illegible]dum est [illegible]ge[illegible] [illegible]o-di ingressum e[illegible] excommunicatos [illegible] hic in-gressu[illegible] ad finem re[illegible]g[illegible]s suscipiendæ [illegible] mu-liere coactus [illegible] est quædam [illegible]atus & nouitiat[illegible] s[illegible] experimentum inch[illegible] sit susceptio cla[illegible] [illegible] ex fine professio[illegible] [illegible]vio en-ter [illegible]ab[illegible]a, & finis proximus & prin[illegible]alis coa-ct[illegible] [illegible] susc[illegible]io religio[illegible] stat[illegible]. [illegible] in hoc sen[illegible] [illegible] alit[illegible] vera est [illegible]ser[illegible] [illegible]ez, quod [illegible] at [illegible]um [illegible]x[illegible]nmunicatio [illegible]tiescum-[illegible] principal[illegible] coactions [illegible]um in-[illegible] [illegible]ectiuum est, vt mulier fiat mo[illegible]ia[illegible]s. Quat-t[illegible] [illegible] est, si [illegible] la[illegible] præcedente conuentione, n[illegible] [illegible]stata inte[illegible] [illegible] sua mulieri, paren-[illegible] [illegible] [illegible]es licet [illegible] m[illegible] [illegible]ten[illegible] per [illegible]gressum in monasterium muli[illegible] ad hoc vt fiat Mon[illegible]is, pro[illegible]mè tamen ex a[illegible] causa [illegible]o[illegible]nt mu[illegible]ercm a[illegible] [illegible]um m[illegible]a[illegible] ita quod intertio [illegible] [illegible] extrinsecus, [illegible]d si[illegible] [illegible]x [illegible] educari in mona[illegible] v[illegible] st[illegible]i, & alia[illegible] [illegible]am [illegible] [illegible] [illegible]etis t[illegible] O[illegible] [illegible]um [illegible] s[illegible]m [illegible]tendu[illegible] r[illegible] u[illegible] [illegible]a [illegible]bertat[illegible] in h[illegible]c ca[illegible]u non hab[illegible] [illegible] quia nu[illegible]a est in h[illegible] ca[illegible] c[illegible]a[illegible] ad r[illegible] statum, n[illegible] h[illegible] [illegible] est [illegible]gressus in mo[illegible]ast. [illegible]rial[illegible], [illegible]c [illegible] proximus, v[illegible] in [illegible] coactionis est [illegible] educatio, vel cust[illegible]a pud[illegible] [illegible] in plena libertat[illegible] [illegible] [illegible]gi[illegible]em [illegible] imo in hoc casu c[illegible]n si p[illegible]r[illegible]es mar[illegible]latent desiderium eorum [illegible]am [illegible] mo[illegible]ial[illegible]m, si tamen [illegible] [illegible] aut vim velle in[illegible]ferre, sed int[illegible] [illegible]tam[illegible] c[illegible] a[illegible]a car[illegible]a velle omnino eam [illegible] [illegible] monasterium etiā inuitam, nō ha[illegible] [illegible] ex[illegible]mmunicatio ista qu[illegible] hic nu[illegible]a est c[illegible]a[illegible] ad ea, [illegible] reli-gioni formaliter, & h[illegible] coa[illegible] p[illegible]ox[illegible]s, & p[illegible]ncipalis non est re[illegible]o imo & [illegible] c[illegible] ad ingressum ex alia causa, [illegible] do ex hoc mulier co[illegible]at[illegible] [illegible] relinquntur in h[illegible]c [illegible]a [illegible]a [illegible]tat[illegible]. [illegible] tam[illegible]n hæc peri[illegible] su[illegible]t, & [illegible] [illegible]lorato potest de facile [illegible]atere ve[illegible] ad st[illegible]m religio[illegible]um [illegible]nie[illegible] permittit pue[illegible]as i[illegible] [illegible] monast[illegible]ia tito [illegible]o[illegible], & [illegible]b[illegible] [illegible]tuauit date h[illegible] a[illegible]s a [illegible].

32. [illegible] c[illegible]t[illegible]o casu i[illegible] reitur h[illegible] c[illegible] mu[illegible] [illegible] qu[illegible] c[illegible]g[illegible] i[illegible] n[illegible] f[illegible] modo e[illegible]pli-[illegible]to[illegible] [illegible]sponte ingre[illegible]m i[illegible] m[illegible] [illegible], et habi[illegible]m Re[illegible] [illegible] [illegible]tem, quæ sponte su[illegible] [illegible]tha[illegible] c[illegible]m[illegible]at ad prof[illegible] C[illegible] [illegible] h[illegible]iu[illegible]m di tres casus [illegible]e, [illegible] [illegible]merat, vt DD.co[illegible] n[illegible] [illegible], o[illegible] difficultas, an [illegible] qui com[illegible] ad ingr[illegible]um & [illegible] ha[illegible] [illegible] & professi[illegible]n[illegible] [illegible] x[illegible] [illegible]es inc[illegible]rat. Id enim [illegible] b[illegible] [illegible] d. 5. [illegible] num. 2 [illegible] pro singula[illegible] [illegible]onum lat[illegible] m[illegible] a C[illegible] [illegible] [illegible]ntè t[illegible] p[illegible] [illegible] m[illegible] excom[illegible]unica[illegible] C[illegible] [illegible]gi[illegible] p[illegible] [illegible]iam ad habitus [illegible] communi[illegible]nem incu[illegible] & ite[illegible]m [illegible] ta[illegible] en [illegible] p[illegible] [illegible]em[illegible]us t[illegible]ent Suar. num. 3. c[illegible] v[illegible]m-ni[illegible] [illegible]atio[illegible] n[illegible], quia [illegible]tum [illegible]a [illegible] mora[illegible] ter vna [illegible]st per c[illegible]t[illegible]ia[illegible] [illegible] potest c[illegible]t[illegible]macia pe[illegible]a [illegible] [illegible]x-cipuè [illegible] [illegible]t est v[illegible] [illegible]a [illegible] mis[illegible]-nem pro[illegible]onis, ob qu[illegible]am [illegible] et[illegible]am v[illegible]ente[illegible]a a[illegible] suscep[illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible]onast[illegible]erij, vnd[illegible] [illegible] m p[illegible] f[illegible] [illegible]amur, & v[illegible]a[illegible] n[illegible] [illegible]s v[illegible] eiu[illegible] ordi[illegible] finis. [illegible] ve[illegible] pe[illegible]a a[illegible]solutione exp[illegible] t[illegible]m, [illegible] gram hanc causam incur[illegible] c[illegible] [illegible]muni[illegible]s

asse-

... idem Suarez. Tum ob probabilitatem tri... communem ..., tum quia non est du... qui in pe... ... erant a contumaciæ, istius sit notal... et aggrauans contumaciam, & ad visum mot... idem patuo refert, qu... hic d... trip... x excommu... catio, vel detur vna velnti triplicem con... ...ns.

34. *Quique consilium &c.* Triplex actio h... in... ...tur, ... licet dare auxilium, dare consilium, & ...orem ei, qui cogit m... ierem ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam religiosam professionem. Verum ... o requiruntur ad hoc vt ob istas actiones incurratur excommunicatio, nimirum vt sequatur coactio, secundum vt sequatur effectus coactionis, ... vt mulier coacta, & inuita, vel ingrediatur ... asterium, vel suscipiat habitum, vel profiteatur religionem; Nauar. *l.2. cons.3. de regul.* Rodriq. *t.2. sum. c.8. num. 9.* Sanchez loco citato *num. 18. & 19.* Suarez loco citato *num. 5.* Peliz. *cap.2. de monial. num.31.* Bonac. *disp.2. num.18. & 32.* Et ratio est, quia censura non incurritur nisi propter actus perfectos, & consummatos.

35. Quique scientes &c. Triplex alia actio hic prohibetur sub censura, scilicet actus inuiti ingressus, inuitæ susceptionis habitus, vel inuitæ professionis emissæ a muliere præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interponere quoquó modo scienter. Et aduertit Ledesma *de stat. cap.5. concil. 8.* quod non sufficit suspicio, sed scientia, & moralis certitudo. Vt igitur incurratur censura hæc requiritur primo scientia violentiæ illatæ, & effectus illius, quia scilicet mulier inuita, & coacta e... Vnde huius ignorantia quamuis crassa, dummodo dolum excludat, sufficit ad hoc vt non in... ...tratur censura ista, quia vbi ad pœnam incur... ...dam requiritur scientia, talis scientia est ne... ...data, quæ dolum inducat, & bonam fidem ... prout late probat Sanchez *l.9. de matrim.* ... *num. 36.* & in proposito id... docent San... *z dis. c. 4. num. 20.* & Peliz. *cap. 2. de monial. num.33.* Bonac *d.p.2. num. 10.* Id... hanc excom... ...nionem incurrere possunt Ep... pi, eorum Vi... Prælati Regulares, Notarij & similes, imo & ... entes, Bonac. *d. p 2. num. 10.* Arbitratur ve... ...rdon. quod incidat in excommunicationem N... qui con... instrumentūdotis tradendæ, a... ...ationi, aut salarij tradendi quia hæc c... habent cum ingressu,& alijs actibus,& c... at coactionem inter positione instrumenti. ... ... non approbatur, qua huiusmodi in... ... ...entia sunt, nec per se connexa cum c... ne... nec... n eam influunt, vt illam inip... ...roborant, illaque nimis sunt extrin... seca ... Doctor subdit, quod non sunt ex... ... qui recipiendæ donant habe... ... a, conuiuium pro ingressu, si alias ... t, quod tamen non est verum si per ho... ...ni fau... ut... E... licet Concilium ponat ... *quoquomodo* ... nihilominus hanc censuram ... qui vel obiter sunt præsentes, q... ...r interponere præsentiam, nisi ... to ad... vel qui ex alia causa sunt ... qui ... ominos associant, vel ... *tiui T...*

qui sunt ibi causa audiendi sacrum. Quia huiusmodi præsentia satis leuis materia est, & tales per accidens adsunt, nec dant authoritatem actui,nec illi consentiunt, vel qui adsunt gratia impediendi actus illos inuitos, si quis a muliere vocatus adesset testis violentiæ mulieri ... latæ Sanchez citatus *numero 21.* Peliz. *num. 33.* Bonac. *dicta parte 2. num.10.*

36. *Simi... quoque anathemati &c.* Duplex actio hic prohibetur scilicet impedire voluntatem mu... ...is su... ipien... ... velum ... u habitum Religiosum, & impe... ...e voluntatem emittendi Religionis votum. Hic verò primo applicanda sunt, quæ superius dicta sunt de coactione, quia inuitum impedimentum prohibetur, est verò impedimentum iniustum, quod fit per violentiam illatam ... licet per metum cadentem in virum constantem, qui causetur, vel per iniustam damni illationem, vel per iniustum impedimentum acquirendi bonum, vel lucrum, ad quod impeditur. Ideo non subdi... ... c ... uræ, qui iustum damnum, quod potest ... minatur mulieri, si vel velum accipiat, v... ...m ...mittat, sicuti nec incurrunt,qui grat... ... æ fœminam a quam legant ... ...ubat, vel cam ... ... in ... ibus institu... ...bat. E... licet posse ... quod al... quis ... ... iuste impediat mu... ... á reli... ..., tamen peccet contra c... ..., & ... ... tamen vbi im... mentum n... ... iniustum, non subditur huic censuræ Sanchez *d. l. 4. mor. cap.4. num.10. & 11.* Bonac. *de cens. in partic.d.2.q.9.p.3. num.8.*

37. Et quia impedimentum potest poni nedum ex parte mulieris, sed etiam ex parte monasterij, sufficit, quod ex altera parte ponatur Sanch... ibi Palacios *4. dist.38. d. p. 1.* Suarez *tom. 3. de relig. lib.5. cap. 9.num. 13.* Quod vero Palacios putat incurr... ... cen...ram ab ... ... qui minau... tur m...na... ... o subtracti... nem e... ...osynarum, si fœm... ... ... on re... ... ... a Sanchez,quia cum mu... ... ...um non hab... ... ... huiusmodi eleemosynas, hoc impedimentum d... se non est iniustum.

38. Quoniam tamen s... ... citot censuræ impedire quoquomodo m... ieris religiosam voluntatem, ideo vniuersaliter est hæc prohibitio, & comprehendit etiam deceptionem, & dolum, & ita qui dolo impedit m... lieris rel... ... onem est excommunicatus, quia hoc est iniuste impedire illam. Ita qui dolo, & fraude decipiendo monasterium, & detrahendo fœminæ, vel alio mendacio, aut via iniusta impedit ne mulier recipiatur ad velum, vel ad votum, sine dubio est excommunicatus, quia mulieris religiosam hanc voluntatem iniuste impedit Sanchez *num. 20.* Bonac. *n.6.*

39. Sed dubium esse potest, an dolus erga mulierem exercitus sobijciatur censuræ. Quia qui decipit mulierem volentem Religionem facit quidem, vt mulier mutet voluntatem, sed non facit, vt eius voluntate durante eam non possit impl... ere. At verò facere, vt mulier mutet volunt... m ... non est voluntatem mulieris impedire; al... ... ... cibus obtinet á muliere, vt non seruet ... tiam, illam diceretur impedire a reli... ... est contra communem sensum, Et ...

*num.*14. hanc partem proba[illegible]at, & Palaus *d.p.*9 *num.*11. sed dic[illegible]nem d[illegible] impedientem mulierem [illegible]one, vel vnit emissione esse p[illegible] censura. Quia deceptio, & [illegible] & causat in[illegible]tar[illegible] & non est pure causa mutandi voluntatem, sed est causa [illegible] inuoluntatis, vnde est causa non exe[illegible]tatem. Quia mulier, quæ [illegible] religionis inuol[illegible] No[illegible] vero voluntatem habet pro[illegible] ad hoc a[illegible] habitum religio[illegible]is, & [illegible] o [illegible] ia mu[illegible] voluntatem id facit inuoluntarie. [illegible] hanc partem docet idem Suarez, & abso[illegible] tenent Sanchez *n.*10. *&* 11 Bonac. *n.*6.

40. Ad id vero, quod add[illegible]cebatur in oppo[illegible]sit[illegible] conceditur, q[illegible] operari [illegible]onibus, & præc[illegible]us ne aliqua mulier fiat [illegible]s, possit esse illicitum, in [illegible] tale sit ex ob[illegible] n[illegible] in singulari non expectat [illegible]lam mulierem [illegible] suscipere velum, & emittere votum: tamen n[illegible] subie[illegible]ctum censuræ Conc. Tr[illegible] vt bene tra[illegible] Suarez, & Sanchez citatt Bonac *d.p.*3. *n.*4. Quia precibus & sua[illegible]nibus obtinere, vt mu[illegible] voluntatem ne[illegible] continet iniustitiam, nec ca[illegible] in[illegible]ta[illegible]m, nec est impedimentum [illegible] voluntati, sed inc[illegible]re voluntatem vt libere [illegible], quod volebat. Sed vbi precibus, vel [illegible]ibus addatur deceptio, & d[illegible]s, iam in[illegible] & ideo iniuste aliquo modo [illegible] inuoluntarie volt, quod pr[illegible] [illegible]tio ut[illegible] non exequitur [illegible] habe[illegible]at, & [illegible] adhuc virtua[illegible] & [illegible]tate manere[illegible]ur.

41. [illegible]s, & suasiones [illegible] a[illegible] im[illegible]p[illegible] n[illegible] c[illegible] em [illegible] con[illegible]tiam[illegible] & [illegible]ultum, [illegible] hu[illegible] [illegible]ctibus a[illegible] m[illegible] Re[illegible] n[illegible]isse impedi[illegible] & ideo est pr[illegible] censura. Quamuis vero [illegible]on. a [illegible] *q.* 6. [illegible] 2. *con*[illegible] 3. in fin[illegible] n[illegible]at, [illegible] vniuersaliter, [illegible] sta causa d[illegible]ade[illegible] te[illegible]m mulieri, e[illegible] fa[illegible]ciat sine metu & [illegible] fit excommunicat[illegible]s tamen iuxta præd[illegible] m est hanc censuram locum non habere n[illegible] impedit religionem mulieri, v[illegible] m[illegible] grauem, & [illegible] vel per dolum, v[illegible] ne tradu[illegible] Sanchez [illegible] tato & Bonac.

42. Remanet verò difficultas, qui[illegible] Con[illegible]um [illegible]ligat per [illegible] verba, vel voti emittendi. An [illegible] intel[illegible] o[illegible] in votum solemne professi[illegible] [illegible] vel etiam votum simplex [illegible]stitatis, & re[illegible]g[illegible] [illegible] Et ta[illegible] q[illegible] velum [illegible] pe[illegible] est moniales [illegible] professionem emittere. Si ergo Co[illegible] per voti emissionem [illegible]geret [illegible] idem, secund[illegible] causa [illegible] *tom.*3. *de* [illegible] 5. *cap.*9. [illegible] prohiberi etiam [illegible] mulieri ne voueat voto [illegible] vel Religionem. Sed ratio al[illegible]. Nam quia [illegible] solem[illegible] per [illegible] suscep[illegible] vel fine [illegible] Co[illegible] ad dom[illegible]ica [illegible]odum professionem [illegible] & per [illegible]

susceptionem i[illegible]xi[illegible] professionem eam [illegible] velum f[illegible] xit pro[illegible]onem [illegible]at [illegible] ad[illegible]m. C[illegible] ste loquatur de sta[illegible] habe[illegible] Religiosi f[illegible] fi[illegible]e [illegible] n[illegible] & mo[illegible]a [illegible] c 2. [illegible] hæc [illegible] 3.*p*[illegible]*m.*5. [illegible] 23. *sec.* 5. *num* [illegible] & re[illegible] Sanchez [illegible] 4. [illegible] *cap.* [illegible] *p.*3. *num.*4. Palaus [illegible] *p* 9. *num.* [illegible] A[illegible] *d.*2. *q.*3. *num.*[illegible] quando [illegible] sed [illegible] saria, quia Co[illegible] no[illegible] de [illegible]pli[illegible]

43. Dubium e[illegible]m est [illegible] fit excommunicat[illegible] q[illegible] in[illegible]tediatur Monasterium, [illegible] R[illegible]g[illegible]sum affirmat [illegible] Suar[illegible] *sec.*5. *num.*9. *&* *tom.*3. *de Re*[illegible] Bonac *d.p.* [illegible] *num.* [illegible] Palaus *d. p.* [illegible] *num* [illegible] cum mulier non p[illegible] profi[illegible] Monasterium, & ha[illegible]um te[illegible] impedit alterum [illegible]m impe[illegible] hoc probabi[illegible] [illegible]m Sa[illegible] [illegible] dec[illegible] memin[illegible] & id[illegible] uitam [illegible] id[illegible] el exc[illegible] m[illegible] profe[illegible]ssionis obstac[illegible] [illegible]re [illegible] [illegible]entibus ad [illegible] vo[illegible] compre[illegible] etiam cog[illegible] [illegible] expressit, vnd[illegible] comp[illegible] sol[illegible] impe[illegible] ingressum [illegible] Sanchez *d.li.*4. *m.* *cap.*4. *num*[illegible] Bordon. *resol.*54. *num.*14. & a[illegible] cum Ma[illegible]a.

44. T[illegible]net am[illegible] Sanchez *num.* 16 q[illegible] q[illegible]s post no[illegible] p[illegible] in[illegible] a[illegible] q[illegible] causa i[illegible]a [illegible] nihilominus [illegible] n[illegible]rio & postea [illegible] non incurrere[illegible] m[illegible] non po[illegible] o[illegible]te [illegible] V[illegible] re[illegible] so[illegible] no[illegible] nondum e[illegible] [illegible] dua professio, licet sit [illegible] lata, v[illegible] o [illegible]lectum de[illegible] m[illegible] [illegible]tere habitum [illegible] & ex[illegible] sterio, tunc professi[illegible] in[illegible] & in[illegible]curritur censura.

45. Considerandum [illegible] cilium quantum ad hanc p[illegible] [illegible]cat dante auxilium, [illegible] impe[illegible] monial[illegible] h[illegible] [illegible]tes [illegible] nialis non [illegible] exeou[illegible] nicatio lata [illegible]ntra fa[illegible] & f[illegible]entes [illegible] nu[illegible] 3. *de mat*[illegible]

4[illegible] mittit[illegible] ca[illegible] im[illegible] ve[illegible]

pertimento compertum sit, nel monasterium non c... mo... iali p... portionatum, vel illam non expedi... Monasterio verbalia similis talia causa suadeat m... ut moniali non prohibeatur, non est ... tum impe... monialis professionem D.T. ... a.4. Suarez dic. c.9. num. 14. fin. ... ute Ab... l. d.2. q.1. num. ... Burdon. 47. ... 4. num. 147. vbi quod iusta causa est om... is ... quam noui ... legi... po... expe... à Re...

4... C... siderandum est etiam, quod Concilium ... iuxta morem, & sensum Sacrorum Canonum ... r vel susceptionem intelligi monialis pro... n. Ideo si contingeret, quod monialis in ... ione velum non susciperet, qui postea ... iuste impediret eam à velo consecutione, ... et excommunicatus, quia censura non respicit ipsam materialem veli susceptionem, sed ... ionem monialis, quam impedire nou vult Suarez citatus num. 12.

48. Concludendo autem hanc partem dicitur, quod in hac materia ex duplici capite praecipuè potest esse peccatum mortale, licet non semper incurratur censura. Primo ex virtute iustitiae, si per vim, & dolum aut vir, aut mulier inducatur, vel ad profitendum, vel ad non profitendum, secundo ex parte charitatis, quia si pensatis pensandis religio non sit proportionata alicui, inducere illam ad religionem etiam sine vi, & dolo est contra charitatem, & si econtra religio est alicui proportionata, & conueniens, impedire illum etiam sine vi, & fraude est peccatum contra charitatem.

49. Ad quid verò teneatur restituere, qui in... e, vel cogit aliquem ad habitus susceptionem, ... illum impedit: dicetur in tract. de professione ... rim hoc certum sit, talem si damnum tulit ... re familiari, vel in fama, teneri ad damni restitutionem.

SVMMARIVM.

1 ... oniacè inducere ad habitum est malum numer.50.
2 ... est dare spirituale pro temporali ex pa... nu.51.
3 ... uid nouitio recipere pro alimentis non est si... nia, num.52.
4 ... D... 12. q. 100. a.3. ad quartum. nu...
5 M... rium diuite recipere aliquid pro alimen... simoniacum. n.53.
6 N... excedere iustum pretium. n.54.
7 ... nis debet recipi sine alimentis. nume...
8 ... d Rel... ionem muneribus caute fieri de... nu.55
9 ... in ... ed. Praedicatorum de non recipien... imentis pro nouitys. n.56.
10 ... stum C... l. ... nu.57.
11 ... cilij aliquid recipi pro alimen... nu...
12 D... potest ... Monasterio tempore ... nu.58.
13 In renunciatione potest nouitius disponere a... d rem monasterij. n.58.
14 Parentes Nouitij de bonis proprijs donare possunt num.59.
15 Puella causa educationis manens in Monasterio potest donare. num.60.
16 Moniales ante nouitiae professionem nihil possunt recipere ad computum dotis. n.61.
17 Prohibitum ... Episcopis recipere occasione ingressus decisum referunt. n.62.
18 Non licet recipere mutuo de bonis Nouitij. numer.63.
19 Nec dato fideiussore. num.63.
20 Nec ad tempus n.63.
21 Non licet Nouitio in ingressu tradere se, & omnia sua Monasterio. n.64.
22 Nec donatio rei non traditae, sicut. n.64.
23 Nouitio redeunti omnia sua restitui debent, vna cum fru... bus, & pretio habitus. numero 65.
24 Nouitio decedente succedunt haeredes. numero 66.
25 Excommunicatio lata à Concilio in hac parte non est lata sententia nu.67.

50. Secundus modus quo non potest induci al qui ad hab... us suscep... ionem est per simoniam, si scilicet ind... ns pac... et, cum inducto, vt daret il... aliquod tempora... e, si habitum Religionis susciperet, vel ii monasterio daretur aliquid tanquam pretium, vt reciperet aliquem ad habitum. Receptio enim ad habitum medio pretio simoniaca est, & illicita cap. quoniam el 2. sen.4. de simonia & cap. quam pio 1. q.2.

51. Est verò considerandum ex Caiet. v. simonia, & Soto l. 9. de iust. q. 7. a. 1. ad simoniam requiri conuentionem, & pactum per quod, vel ematur, vel vendatur res spiritualis pro pretio rei pecunia aestimabilis, vnde simoniaca inductio ad habitum illa est, per quam ex co... uentione, & pacto datur ali... quod tempora... e ... quam pretium, vt vel aliquis Religiosum habitum suscipiat, vel monasterium illum ad eundem habitum admittat. Cessante vero conuentione, pacto, & pretio cessat simonia, vt habetur expresse ex d. cap. quam pio 1. q.2. & videri possunt quae de hoc pu... to ... te ... tuli de elect. cap.7. Et in puncto huius quaest. Mirand. de monial. q.8. a.7. Bonac. de cens. in part. d. 2. q.3. p. 19. Palaus de cens. d... p.27. num. 13. Sibal... ns de simonia quaestine 18. Suarez de cens. dist. 22. sect.5.

52. Ex hoc verò colligitur primo, quod quidquid dixerit in contrarium Constantius Lolius Porexioni in paruo opusculo hac de re edito, quem refert Bordon. ref. 54. num. 148. paci... et, & conuenire de pretio pro alimentis non est simoniacum, nec per se iure communi illicitum. Quia hoc non est conuenire pro pretio rei spiritualis, sed pro alimentis. Vnde est experientia, à Pontificibus confirmata, vt sine dote non recipiatur monialis ad habitum, & professionem, quae dos quia non datur pro susceptione habitus religiosi, sed ... occasione, soluitur pro alimentis monialis ... c datur, & recip... t etiam ex conuentione, & pacto ita eodem modo, & in vitis si detur aliquid monasterio etiam media conuentione, & pacto non

pro habitus susceptione, sed pro alimentis, & titulo alimentorum, hoc non est simonia, neque est de iure communi prohibitum, sed & est in multis Religionibus consuetum, vt pro alimentis nouitij pro tempore nouitiatus detur aliqua summa, seu quod recipiens habitum paret sibi vestimenta, & supellectilia Cellæ. Nec obstat si dicatur, quod in hoc esto non sit simonia est iniustitia, quia nouitio alimenta debentur, quia seruit altari, & ministrat conuentui. Nam nedum dicitur, quod sæpe Monasterium non indiget hoc ministerio, sed additur, quod Nouitius non in vtilitatem monasterij, sed in propriam vtilitatem seruit, & ministrat, & Monasterium est, quod instruit, & docet & exercet nouitium in ijs, quæ ad eius spectant commodum, & ideò eum non tenetur alere proprijs expensis. Sed vt breuiter punctum istud explicetur sufficit referre responsionem ad quartum ar. 3. q. 100. 22. D. Thomæ *Ad quartum, inquit, dicendum, quod pro ingressu monasterij non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium. Licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes. Similiter etiam licitum est, si propter deuotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit largas eleemosynas faciendo, facilius in monasteria recipiatur. Sicut etiam licitum est, aliquem e conuerso prouocare ad deuotionem monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad monasterij ingressum, licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterij, vt habetur 1. q. 2. cap. quam pio* Et in hac doctrina conueniunt communiter Caietanus [illegible] Syluest. v. *simonia q. 15. d.* 3. Tabien. *num. 61.* & DD. communiter.

53. Considerandum verò est circa huiusmodi resolutionem, quod D. T. apponit tanquam veluti conditionem ad hoc, vt monasterium possit recipere pro victu, quod monasterium sit tenue nec habeat, vnde possit commode alere recipiendum, Et in 4. d. 25. q. 3. [a. 2. q. 2. ad septimum aperte docet, quod si monasterium sit opulentum, & sine grauamine possit recipere Religiosum simoniacum sit aliquid ex pacto exigere pro alimentis. Quod idem docuerunt antiquitus Vnder. Sanchez: Ray. Vinc. Host. apud Syluest. vbi supra, sed vt bene aduertit Syluester, [illegible] debet intelligi præsum [illegible], & quia tunc [illegible] receptio habere possit speciem simoniæ, quia apparere possit, vt si conuentio fiat de aliquo habendo pro receptione ad habitum, illud accipiatur, vt pretium receptionis ex quo monasterium non indiget. Sed in rei veritate nulla est simonia, quæ nec est præsumpta [illegible] & [illegible] cu- tio [illegible] vict. S[illegible] *v. simonia num.* 5. [illegible] nam ius alimentorum, quod accipit, qui recipitur ad habitum, & debitum alendi [illegible], quod consurgit contra monasterium est [illegible] temporale, nec tenetur [illegible] aslu- [illegible] hoc [illegible]nus, & se obligare ad alendum al[illegible] propria substantia. Ideò etiam si monasterium [illegible] opulentissimum, non tenetur se obligare ad alendum aliquem sine [illegible] & pretio, ideoque sine [illegible] oquendo potest conuenire pro iusto pretio alimentorum.

Nam & de facto Monasteria mo[illegible] tissima nón recipiunt Moniales sine [illegible] & partem Dotis; imo quo opulentiora [illegible] rem dotem exigunt. [illegible] quod [illegible] diuites possint accipere, & [illegible] ere ali[illegible] nitiorum sine simonia doc[illegible] Sy[illegible] Sotus *l. 9. de iust. q. 6. a. 2. ad quartum* M[illegible]ra[illegible] nialib. *q. 8. a. 7. concl. 2.* Bona[illegible] *1.* [illegible] *d. 2.* [illegible] *numero 4.* Palaus *de cens. d*[illegible] *tati-ne 3.* [illegible] *num. 14.*

54 Verum tamen est, quod non [illegible] de- te iustum precium, & quod in [illegible] rτs io quibus dos [illegible] alimen[illegible] non est [illegible] extra casum veræ [illegible], & [illegible] Monasterij fieret [illegible] rum, generaret [illegible], & esset quædam [illegible] luti præsumpta [illegible] & auaritia, maxime vbi recipiendus esset [illegible], & [illegible] huiusmodi dotem, vel pret[illegible] m[illegible]luere, & impediretur per hoc [illegible] [illegible]ionis, & præcipue si admitte[illegible] vi[illegible] virtu[illegible], & literis, in quo casu etiam si Monasterium haberet facultates propter bonum comm[illegible] admittere deberet, etiam cum aliqua mo[illegible], & [illegible] pia patientia aliorum Religiosorum [illegible] *q. 1. cap. 29.* Existimat autem B[illegible]ac. [illegible] *nu. 4. & 6.* quod si quod accipitur ratione d[illegible], & alimentorum excedit iustum pretium, [illegible] simonia, & censuratata contra al[illegible] ac[illegible] tes pro ingressu in Religionem, [illegible] reijcit Palaus vbi supra. Quia non inf[illegible] in pretium ingressus, id quod superabun[illegible] tur, [illegible] quod [illegible] plus pro alimenti[illegible] quam [illegible] ant. Quamuis ex hoc non [illegible] n oi [illegible] præsumptio oriri po[illegible], vt censeatu[illegible] pi pro ingressu, & non pro alimentis, quod [illegible] pitur amplius, quam valeant alimenta. Ratio[illegible] nien, qua vtitur ibi Palaus nihil valet, dum [illegible] dicit, quod id quod vltra valorem alimen[illegible] exigitur [illegible] sustentationem etiam aliorum, [illegible] tum Dei [illegible] non [illegible] co[illegible] ti [illegible] us ex quo [illegible] x pacto [illegible] ex[illegible] H[illegible] non potest esse tit[illegible] tam [illegible] aliorum, vel Dei cultus, q[illegible] d[illegible] on tenetur, nec debet o[illegible]g[illegible] a[illegible] stei dando, [illegible] ve ad sumministrandum d[illegible] Si vero ad huiusmodi obligatur titu[illegible] n[illegible] la est simonia. Sed dice[illegible] ad id obligari ex pacto titulo alimentorum [illegible] dicatur, quod alimentu non va[illegible] de[illegible] quod ex hoc sequitur, q[illegible] iniu[illegible] non vero, quod committea[illegible] præ[illegible] Circa idcirco, quo[illegible] h[illegible] scilicet, quod non est illicitum ob de[illegible] quam ali[illegible] ad Monasterium ostend[illegible] do eleemo[illegible] illum recip[illegible] Monasterium, att[illegible] bet, quod [illegible] epto date spir[illegible] titulo gratitudi[illegible] sit e[illegible] & [illegible] uperes grati sunt p[illegible] Ex hoc autem B[illegible]. *res.* 4. *nu*[illegible] um, ad[illegible] od & sit to[illegible] captand[illegible] beneuolentiam, & vt [illegible] vel a[illegible] pratur det M[illegible] le[illegible] quia hinc non est dare pro [illegible] uo[illegible], & ami[illegible]: sed a[illegible] le q[illegible] sua dat pro [illegible] ingressu [illegible] c[illegible]

...osari potest coram Deo, si dat pro ingressu ...cij tendo non ex pacto, & ex iustitia, sed ex beneuolentia, & gratitudine. Cæterum si interuenit pactum etiam simonia est velle ex pacto pro temporali habere gratitudinem, amicitiam, beneuolentiam reddentem spiritualia temporalibus. Et ... eo in his bene potest esse velamen simoniæ, quia potest dari sub pacto saltē implicito, quod ... tur dari titulo eleemosinæ sub spe recipiendi ... ex beneuolentia faciliorem ingressum. Quærit autem idem Bordon. *num.* 151. An si contingat, quod parentes alicuius nouitij promiserint monasterio centum vt facilius corū filius reciperetur in Relig. eo recepto possint parētes cogi ad dandū illa ... ū. Resp. auiē non posse cogi quia obstat extrauag. 1. *de simon.* & quia in foro externo talis promissio non censetur libera, & licita, sed coacta & simoniaca. Sed dico vere corā Deo talē promissionē simoniacā esse, si promissio facta est pro facili ingressu. Vbi enim finis proximus, & principalis operis, scilicet tributionis, vel promissionis rei tēporalis est consecutio rei spiritualis, item per ibi est pactum saltem implicitum, & simonia, vnde est sententia illa communissima Theologorum & Canonistarum, quod vbi finis principalis dandi temporale est accipere spirituale, ibi est simonia, vt ergo vitetur simonia opus est, quod finis proximus, & principalis operis, seu tributionis rei temporalis non sit recipere spirituale, sed quod temporale alio titulo detur, & ob alium finem, quamuis dans ex intentione sua spirituale intendat consequi vt habendum ex amicitia, vel gratitudine. Vt quia temporale vere gratis datur titulo eleemosynæ, & intuitu honestatis virtutis misericordiæ, & charitatis, quamuis vlterius postea misericors intendat eleemosynam esse ... medium ad obtinendum faciliorem ingressum ... m titulo amicitiæ, vel gratitudinis. Quod si in ... dato parentes promiserunt dare illa centū ... eleemosyna, vere coram Deo tenentur illam ... Et si hoc in foro externo constaret posset ... asterium implorare officium iudicis pro a... mento promissionis, quia omne promis... ... tum, præcipuè vbi promissio est accep... ... in sententia, quæ dicit promissio... acceptaram non obligare ex iustitia, posset ... etiam implorare officium iudicis Eccle... vt cogeret prom... entem ad implendam ... em, & non violandam fidelitatem ... ini Ecclesiasticus quatenus est director ... m, & protector Diuini honoris, potest co... s ... bditos nedū ad non violandam iu... ... violandam quamcumq. virtutem ... quamcumq. Dei offensam, maxi... ... catum est publicum, & cedit in publi... ... decus, & aliorum scandalum. ... am id, quod est allicere ali... ... onis amorem munusculis, valde ... ne in hoc tecta intentio ingre... ... vt ille ob humana motiua, fi... ... deliberatione, habitum religionis ... Nam & in hoc culpa est, & grauis & ... esse posset attentis personarum conditionibus ... cumstantijs. Suarez *tom. 3. de relig.* ... e ... Sylu. *v. Simonia q.* 15. ... *Qua tum.* Quod ... puella gratis recepta est, & monasterium est tenue, & tamen parentes nihil volunt dare, secundum Hostiensem possint moniales agere contra patrem pro alimento filiæ vel si est mortuus ad patrem hæreditatis, vt *in authent. de S. Episc. Nulli coll.* 9. quia primari non potest iure alimentorum per ingressum religionis, nisi ipsa sponte iuri suo renun ... iasset 19. *q.* 3. *cap. penult.* Sed hic ... asus duos continet. Et quidem si loquatur de hæreditate ... si ad illam ius habet Monialis non obstante quod sit fœmina, certum est, quod potest ipsa agere pro suo iure consequendo. Sed si vel ... agere ad partem hæreditatis ex iure alimentorum, si monasterium acceptit illam gratis, iam non habet ius ad petenda alimenta à patre, vel ab hærede, quia monasterium alimentis sibi debitis renunciauit, ex quo monialem sine dote gratis alendam suscepit. Et ideo etiam si monast. sit tenue, non potest agere ad alimenta obtinenda, cum se careat alere gratis. Sed si vere monast. non recepit monialē gratis tū ius ad alimenta habeat monast. etia si sit ditissimum, quia nec monast. ditissimum tenetur gratis alere Mo... ia ... habet ius ad alimēta moniales. Ex præd. etiam co... igitur plura censeri simoniaca circa ingressum in ... non s... præsūptivè, vel in conie... si habeatur respectu ad ingressū non vero ad alimenta. Talia sunt primo si nullū fiat pactū, sed sit taxatū quantum debeat dari pro receptione ... *Sicut pro certo, de simon.* Secundò, si fiat pactū de seruanda con... uetudine, *c. Veniens eod. tit.* Tertio, si gratis recipiatur, & postea compellatur ad seruandam consuetudinem, *c. Iacobus, eod. tit.* Quarto si quis fecerit Religioso propter promissionē sibi factam de receptione secundum Veruec. *vt cap. Quam pio,* 1. *q.* 1. Omnia enim ista tuta loquuntur de ipsa receptione, non vero quando datur aliquid pro vi... u ... vt notat Syluest. *d. num.* 5 Quinto, si recipiens exprimat conditionem de aliquo dando, sed recipiendus tacet, secundum Veruec. quia tacitu nitas habetur pro consensu *cap. Qui tac... de reg. iur. in* 6. In hoc tamen casu coram Deo erit simonia ex parte recipientis, si exigit temporale, vt pretium receptionis ad habitum Religiosum, sed non ex parte recipiendi, si verè non consentit, in pactum simoniacum. Sexto si recipiendus dicat Abbati, si velleris me recipere datem omnia mea bona secundum Veruec. Et hoc ex parte offerentis si non intuitu promissionis est te... ep... s. Tauc. Bernar. & Hostien. *cap. Nobis de simon.* Sylu. *dicto num.* 15. vbi tamen ex Archid. ait quod si recipiēdus ex simplicitate, & bona fide non paciscendo, sed solum exprimendo bonam suam voluntatem transeundi cum omnibus bonis suis præfata dixisset, & recipientes ad temporalia principaliter non respexissent non esset ibi simonia in foro cōscientiæ. Septimò, si Abbas petenti habitum dicat, recipiam te post duos annos postquam artem talem didiceris, non est simonia secundum Veruec. & ... Id. quia idem est, ac si dicatur, recipiam te si interim te reddideris idoneum & aduertit Syluest. quod licet Archid. dixerit esse in hoc casu simoniam, si habeatur intentio ad vtilitatem artis, id non est verum, quia ad ... d lucrum non habetur intentio nisi mediante idoneitate personæ. Alioquin boni Religiosi quotidie

ridie committerent simoniam recipientes quos viriles sperant esse Religiosos, Idoneitas enim ad religiosa munera, & communitati vtilia est dispositio necessaria in recipiendo. Octauo, si quis in ingressu alicuius societatis promittat soluere aliquid annuatim, non est simonia. Huius rationem reddit Syluester, quia illa societas non sit religio. Sed hoc non probat intentum, quia soci[illegible]as ad benefaciendum, & ad quemcumque Dei cultum est res spiritualis. Sed ratio est, quam secundo reddit, quia nimirum recipere hoc modo aliquid pro eleemosynis faciendis, & pro manutentione Diuini cultus, aut pro expensis, quæ fiunt in soci[illegible]tate est laudabile [illegible] neque id accipitur, vt pret[illegible]m ingressus, sed vt mediu in Dei obsequium ordinatum.

56. In Ordine [illegible]rædicatorum statutum fuit in Capitulo Generali Romæ 1608. Vt in conuentibus vbi alij solent Nouitij in determinato numero, non recipiatur aliquid pro nouitijs induendis, vel pro tempore probationis etiam pro victu & vestitu, aut alio quouis titulo. Sed vbi adesset necessitas, poterit quidem iuxta formam Conc. Trident. *sess. 25. cap. 16.* accipi aliquid pro victu, & vestitu [illegible], non autem quidpiam aliud etiam sponte oblatum, sub pœna accipientibus priuationis officij, & vtriusque vocis, & inhabilitatis ad illud, & ad aliud obtinendum ipso facto incurrenda, vltra illam à Concilio præ[illegible]am pœnam. Et idem fuit ordinatum Paris. an[illegible]o 1611. Festus *in sum. p. 2. cap. 16.*

57. In Concil. autem Trident. *sess. 25. citata cap. 16.* habetur sequens Decretum. *Sed neque ante prof[illegible]nem, excepto victu, & vestitu, Nouitij, vel Nouitiæ [illegible] ius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eius[illegible]m tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat quod totam [illegible] vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit recuperare possit, quin potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant, quod vt recte fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Plura vero considerat[illegible]e digna ex hoc Decreto colligenda sunt. Et quidem primo, quod non est prohibitum, sed à Concilio permiss[illegible]m accipere pro victu, & vestitu eius temporis in quo Nouitius vel Nouitia est in probatione [illegible] Pyrin, l. 2.

58. C[illegible]tur secundo, quod donatio ista bonor[illegible] ij fac[illegible]a monasterio n[illegible]tur [illegible] a [illegible]ndum s[illegible], & non la[illegible] , se[illegible] r[illegible] [illegible]ctat pr[illegible] ne [illegible] ex di[illegible] tate recuperan[illegible]um, vel ex eo quod m[illegible]oc[illegible] pauper sine su[illegible] cōpe[illegible]atur ad professionem [illegible]o ne. Conc[illegible]m prohibuit hanc donationem simpli[illegible]ter, sed pro tempore [illegible]tus. I[illegible] nouitius velit ad fauorem Monasterij disponere [illegible]id vt dandum sequuta professione, id fac[illegible] pot[illegible]st. E[illegible] solum est attendendum aliud Decretum Conc. ibi[illegible]. prohibe[illegible]is [illegible]oui[illegible]o disponere [illegible]e rebus suis ad fauorem cu[illegible]que [illegible] duos menses an[illegible] [illegible]ofessionem, & cum licentia Episcopi, aut eius Vicarij. Su[illegible] *de relig. l. 5. c. 9. num. vlt.* Nedum autem pro[illegible]tum est dare aliquid de boni[illegible] po[illegible] sum eius in religionem, sed etiam ante [illegible] quia Concilium prohib[illegible] aliquid dari ante professionem, & ideo sufficit quod a[illegible] futurus Religionem, & quod de boni[illegible] donetur monasterio. Bordu[illegible] *re[illegible] lu 54. num. 33* Verum Concilium supponi[illegible] oui[illegible] n[illegible] tiam, & ideo ad minus requiritur, qu[illegible]d re[illegible]dus sit iam acceptatus, & si ingre[illegible] prohibentur huiusmo[illegible] dona[illegible]ione [illegible] libere elegit nouitius cogatur [illegible] cogatur profiteri. Vul[illegible] B[illegible]rdon. ibi [illegible]uod nouitius ipse po[illegible]t donare, etiam ad [illegible] desmam *cap. 5. concl. 8. de stat.* [illegible]anchez [illegible]. *7. c. 5. numer. 13.* Peyr. *de subd. q. 1. cap. 29. art.* [illegible]. Quia Concilium expresse lo[illegible] de [illegible]s [illegible]tibus [illegible]ouitio, vnde nou[illegible]ius a[illegible] m suum potest donare monasterio. Ve[illegible] m[illegible] ob[illegible]ari debet Decretum Conc. Tr[illegible] *eadem* [illegible]. *25. cap. 16. de regul. in principio*, in [illegible] o [illegible] nouitios renunciare, vel obligare [illegible], [illegible] forma seruata, quæ ibi statuitur. Quod vero per [illegible]ctum Decretum sit prohibitum [illegible] o d[illegible] inter viuos, ex Nauar. Meno[illegible]h. Mol[illegible]na S[illegible] Tambur. & alijs probat, ibi Ba[illegible] *nu[illegible].* & aduertit Reuerendi[illegible]s. Fagnan. *ad cap. S[illegible] num. 16. de Regul.* quod ex declarat Sacr. C[illegible] nouitius etiam si sit sui iuris, nihilominus [illegible] potest donare in ingressu religionis nisi ob [illegible] Putat vero Ledesma *cap. 5. cont. 8. di[illegible] 1. S[illegible] lo terzero,* quod si aliqua monialis recipiat[illegible] tis ex causa al[illegible]us patronat[illegible], non e[illegible] conueniens, si recipiatur aliqui[illegible] de bonis mere gratis donatum, eo quod in hoc cas[illegible] ficiat finis legis; sed non video, vnde hoc de[illegible] catur. Et quomodo non vigeat ratio Triden. [illegible]cil. quod scilicet hæc donatio non possit [illegible] vllæ occasio inducens a[illegible] pro[illegible]fessionem, [illegible] dendo redeat sine donata[illegible] e ad [illegible] m.

59. Colligitur secundo, quod pa[illegible] al[illegible]j consanguinei, vel amici possu[illegible] de [illegible] illorum bonis tribuere monasterio in q[illegible] vel consanguineus, vel amicus recip[illegible] quia Con[illegible]lium solum prohibet [illegible] bonis nouitij, & hoc ne inducatur a[illegible] p[illegible]nem ex impossibilitate, aut difficultat[illegible] cuperandi, quod tributum est, [illegible] ha[illegible]s recuperandi id, quod de a[illegible] est datum. Et i[illegible]o quod parentes, & [illegible] possunt de proprijs bonis donare [illegible] quo filius, vel minor est nou[illegible]s [illegible]radi[illegible] Tambur. *tom. 3. d. 6. q.* [illegible] *num. 21.* [illegible] d[illegible]m sen[illegible]e[illegible]a Suar[illegible] *tom. 3. de re*[illegible] affi[illegible]mant [illegible]ita [illegible]eclarat Sa[illegible]ram [illegible] nem Portel[illegible] *v. Nouitius num. 3*[illegible] L[illegible] *cap. 5. concl.* [illegible]. Lezana *p. p. c. 24. num* [illegible] qui[illegible]ur Anton. à Spir. San. *tr. 3. d. 2. nu*[illegible]. 15. Q[illegible]d tamen li[illegible]te est intelligendum [illegible] a patre de bonis proprijs non sit c[illegible] in dotem, seu legitimam fi[illegible], q[illegible]a bona [illegible] est numerandum. Ideo qu[illegible] dit Ba[illegible]o[illegible]a ad *d. cap. 16. sess. 25. num.* [illegible] licet p[illegible]er noui[illegible]ij n[illegible] pot[illegible] alta[illegible] Monast[illegible]o, [illegible] quo [illegible] era[illegible]

tu,

[illegible] fuisse [illegible] sub die 12. Augu- [illegible] io casu, quod illud [illegible] s nouit[illegible], etiam [illegible] quod non [illegible] [illegible] a[illegible] Monast. & sic [illegible] r, & in alio pro- [illegible] monast. pro q[illegible] o no [illegible] si [illegible] intuit [illegible] Con[illegible]lium io [illegible] Mona[illegible] [illegible]niam m[illegible]tat [illegible] umq. mo- [illegible] fit datum al[illegible] n[illegible].

[illegible] Colligitur [illegible] p[illegible] tutius [illegible] in Monaste[illegible] etiam si [illegible] habitum R[illegible] donare monast. [illegible] est Mon[illegible] d. n. [illegible] referens ex [illegible] fuisse decil[illegible] a Fau. 31 [illegible] 16[illegible].

61. Colligitur [illegible], Non licere Monia[illegible]bus ante profe[illegible] a[illegible]pere aliquid anticipa- te[illegible] computum d[illegible] quam susceptura habi- [illegible] solu[illegible] be[illegible] Quia hoc est proprie [illegible]- pere de bonis N[illegible] x, [illegible] arbos. ibid. num. 47. vbi ex Aldano asse[illegible] fuisse resolutum a Conc. E- p[illegible] cop. in vna Cam[illegible] in. de anno 15[illegible]0. Inde est quod si nouit[illegible] d[illegible] er Monasterio seruata for- ma C[illegible] ne. [illegible] m tam[illegible] n ante professionem non potest [illegible] a[illegible] alem po[illegible]ssionem bonorum sibi donatorum R[illegible]rend[illegible] an. ad *cap. statuimus, num. 48. de regul.* Vbi *num.* [illegible] monasterijs Monialium prohibitum est ant[illegible] fessionem Nouitiæ accip[illegible] re [illegible] tem [illegible] o [illegible] c[illegible], seu præstita cautione de illa restituenda, q[illegible] [illegible] non sit [illegible] itum dotem depo[illegible] apud [illegible], q[illegible] ta profl[illegible]ione ea[illegible] mo- [illegible] pro[illegible] laratum ac. C[illegible] men [illegible] ixit non permitte[illegible]ndum, q[illegible] a- [illegible] tertim trada[illegible] monast[illegible] [illegible] di[illegible] etiam [illegible] one, & si [illegible] o [illegible] hoc sit [illegible] m dispositio[illegible] Et *num.* [illegible]. a[illegible] declarasse a[illegible] C[illegible] [illegible] sr M[illegible] m titulo p[illegible]s, [illegible] x [illegible] necess[illegible] soluendum [illegible] um [illegible] r a[illegible] no[illegible] lium ante [illegible] p[illegible] [illegible] q[illegible] cti conting[illegible] ia [illegible] Me- [illegible] si[illegible] casu habitus fu[illegible] [illegible] obtinenda, qui e[illegible] gratia [illegible] [illegible] posse fieri data [illegible] [illegible] uitiæ pr[illegible]fessi[illegible] n [illegible] [illegible] us [illegible] d [illegible] a v[illegible] p[illegible] tim in in[illegible]essu [illegible] [illegible] o [illegible], [illegible] ct capi[illegible] ie[illegible]. [illegible] m [illegible] g[illegible] [illegible] 5. [illegible] fuit [illegible] i[illegible] ati 1[illegible]0[illegible]. [illegible] a[illegible] [illegible] a[illegible] fa[illegible] [illegible] m [illegible] [illegible] arui val[illegible] a[illegible] [illegible] ib[illegible] mque [illegible] ata [illegible] c a [illegible] in [illegible] um n[illegible] a [illegible] B[illegible] d. *n.* [illegible] x [illegible] ni[illegible] auag[illegible] [illegible] *comm.* [illegible] *cap. 3* [illegible] Monia-

les. Sed Bordon. *resol.* 54. *num.* [illegible]0. ait illam non obseruari. Et Reuerendis. Fagnan *ad cap. Statui- mus num.* 5[illegible]. *de* [illegible] *ul.* refert [illegible] c. Congr. declarasse pacta intra c[illegible] nouitiæ causa conui- uij non pertinere a[illegible] *d. cap.* 16. Conc. Trident. sed ad [illegible] am [illegible] auagantem *Iane* 1. *de simonia.* Verum illa ex[illegible] agans prohibet da- ri pro ingr[illegible] & ex pacto, & in hos[illegible] al & Mon[illegible] quemcumque, & est [illegible] vio.

63. Colligitur q[illegible]to, [illegible] de bonis Nouitij nec mutuum, [illegible] comm[illegible] datum potest dari monasterio q[illegible] c[illegible] um dixerit Mi- rand. *de Mon*[illegible] 8. *ar.* [illegible] c in oppositum facit, quod dare n[illegible] sit tribu[illegible] e; quoniam hic aperta [illegible] a[illegible] tur, si sub sp[illegible]e mu[illegible] ue[illegible] r id, [illegible] d vere donare- tu[illegible] T[illegible] pro[illegible] t impersonale ver- bum c[illegible] ationem habet, & compr[illegible] id datur [illegible] ex de- bito, [illegible] ratis [illegible] & ideo vere tr[illegible] ana, & fa[illegible] t[illegible] . Ledes. *d. stat* [illegible] z [illegible] *citato* B[illegible]rdon. *r*[illegible] 53 [illegible] 5. *num* [illegible] an *reg*[illegible] riq. *tom.* 3 [illegible] c. 14[illegible] ixerat [illegible] a [illegible] 48. *ar*[illegible] Et li[illegible] ad[illegible] s posse ex bonis [illegible] fiert[illegible] pign[illegible], a[illegible] e [illegible] *t.* 2. *l.* 4. *ar.* 5. P[illegible] c[illegible] posset admi[illegible] in [illegible] i pi[illegible] s [illegible] a [illegible] ius habet [illegible] su[illegible] d[illegible] ate [illegible] e. Sed [illegible] su[illegible] etiam a [illegible] non [illegible] o. & diff[illegible], [illegible] puto [illegible] id fieri [illegible] cedo io ca[illegible] nast. [illegible] vo[illegible] is omni[illegible] sit secur[illegible] recuper[illegible] ac [illegible] oluer[illegible] q[illegible]ia tot[illegible] e [illegible] r, & [illegible] n [illegible] se difficu[illegible] qu[illegible] natura [illegible] nia [illegible] st[illegible] c [illegible] quod m[illegible] [illegible] di[illegible] p[illegible] no[illegible] et de b[illegible] mut[illegible] a[illegible] in- p[illegible] a [illegible] p[illegible] o[illegible] a ex h[illegible] p[illegible] no[illegible] a [illegible], & Co[illegible] o [illegible] b[illegible] a[illegible] o[illegible] Sua [illegible].

64. C[illegible]. [illegible] m d[illegible]na[illegible] a sua mona[illegible] in- [illegible] boni[illegible] [illegible] pro[illegible] r. Io[illegible] xc[illegible] si fiat [illegible] m habitum n[illegible] nouitius p[illegible] est per Con[illegible] s vis, [illegible] estri pro[illegible] ant[illegible] Cæterum vir[illegible] huius d[illegible] vide[illegible] r p[illegible] a dona[illegible], sed [illegible] o quia [illegible] u, & ma[illegible] p[illegible] do- nant[illegible] o [illegible] perari. [illegible] non est verum, [illegible] a dona[illegible] d[illegible] & c[illegible] [illegible] sa[illegible] m, & [illegible] N[illegible] nat[illegible] va[illegible]

65. [illegible] igi[illegible] [illegible] lum redeun[illegible] te[illegible] a[illegible] Monia[illegible]

tius detulit in monasterium, nec minimo eorum retento, vna cum [illegible] inde perceptis deducto tamen victu, & vestitu. Sanchez *lib. 7. moral. c. 5. num. 15.* Suarez *tom. 3. de relig. cap. 11. n. 5.* Tambur. *de iure Abbatis, tom. 3. d 6. q. [illegible] num. 8.* Faustus *l. 5. q 391.* Peyr. *subd. q. 1. cap. 19.* Diana *p. 1. tr. [illegible] resol. 16* Barbosa loco citato *num. [illegible]* & apud eum Sayr. Tapia, Pereira, Valer. Carol. de Grass. Laurent. Vulpe, & alij. Non teneri tamen monasterium ad restituendum in spe[illegible] religiosum, sed solum pretium eius illi esse [illegible]luendum tanquam decisum docent Lucern. *Regul. v. Habitus numer. 6.* Lezana *p. p. cap. 25. num. 38.* Barbos. loco citato *num. 5[illegible] & de off. & pot. Episc. allegat. 101. num. 38.* B[illegible]rdo[illegible] *re[illegible]. 54. num. 152.* vbi quod nec habitus potest r[illegible]d[illegible]i, sed debet emi à Religione, si tamen fuit factus expensis Nouitij.

66. Quod si Nouitius tempore nouitiatus decedat, quæ detulit in monast[illegible]ium vna cum fructibus excepto v[illegible]ctu, & v[illegible] restituenda sunt hæredibus nisi n[illegible], si[illegible] e[illegible]ens sui iuris aliter dispo[illegible] Na[illegible] *Nouitius, num. 6.* Peyr. loco citato.

67. Colligitur vltimo, quod excommunicatio contenta in hoc Decreto C[illegible] non est latæ sententiæ, sed ferendæ tam contra dantes, quam contra recipientes, ide[illegible] [illegible] Papæ, quia Concilium præ[illegible] bonis N[illegible] tribui monasterio sub[illegible] exprimens hoc anathema [illegible] Suarez. Pe[illegible]tatis. [illegible] *ad cap. [illegible] n. [illegible] 9. de regul.* [illegible] declarasse S. C[illegible] *de statib. cap. 5 concl. 8.*

SVMMARIVM.

1 *Inducens ad Religionem per fraudem peccat. num. 68.*
2 *[illegible]raus multip[illegible]er potest adesse num. 68.*
3 *Inducere per fraudem ad [illegible]ionem esse ex genere mortale peccatum [illegible] numer. 69.*
4 *Et maius si detrahatur fama alicuius. numer. [illegible]9.*
5 *In[illegible] fraude ad in[illegible]ssum R[illegible]gionis non [illegible] mortale nisi sit perni[illegible]. n[illegible].*
6 *N[illegible] fraus ess[illegible] talis, quod ex ca[illegible] esset nu[illegible]a. num. 71.*
7 *Licet aliquando occul[illegible]e veritatem cum quis a[illegible]um inducit ad R[illegible]nem, nu[illegible]*
8 *A[illegible] quid tendere de[illegible]at qui c[illegible] R[illegible]gionem. num. 72.*
9 *I[illegible] aliquem [illegible] R[illegible]ione quando sit mortale. num. 73.*
10 *Qui vouit minus actiam potest indu[illegible] ad arctiorem. num. 74.*

68. TEr[illegible] per quod inducere ad religi[illegible]um, e[illegible] deceptio, & [illegible]aci[illegible]m. P[illegible] vero ali[illegible] a[illegible]um decipere [illegible] um[illegible] v[illegible] [illegible]mando R[illegible]g[illegible] esse [illegible]maram, [illegible]axata, seu in ea hoc vel [illegible] obseruari, ex quo concilietur affectio ad eam religionem, quod tamen non est ver[illegible] rum quia defectus, [illegible] manifestantur, vel c[illegible] a[illegible] ritates [illegible], vel cond[illegible] n[illegible] possunt remouere a[illegible] nis. Sed vlterius h[illegible] dec[illegible] re potest tam e[illegible] pa[illegible] ad R[illegible], quam ex parte mo[illegible] m r[illegible] picoris [illegible] que enim fal[illegible] narrar[illegible] sunt, & vtriq[illegible] potest verum abic[illegible] [illegible]rum ne po[illegible] cipi. Est etiam d[illegible] consid[illegible]rando[illegible] eum, qui requisitus da[illegible] ium d[illegible]ceptio[illegible], & inter eum qui [illegible] se ingerit, & decipit. Sicut & aliu[illegible] [illegible]tu[illegible] deci[illegible] & & aliud est decipere pr[illegible] [illegible]ntionem, & materialiter.

69. Dubium igitur non [illegible], illum mortaliter peccare, qui scien[illegible] monast[illegible]ium vel inducendum ad in[illegible]m monasteri[illegible] acendo fallum in se graui, & [illegible] ad prudenter mouendum anim[illegible]m ad R[illegible]onis ingressum, vel ad recipie[illegible]m a[illegible] ad religionem. Ratio est quia h[illegible]c ne[illegible] est malitia mendacij, sed adest causa moralis indu[illegible] proximi ad disponendum innolu[illegible]tariè d[illegible] se, vel de suis in negot[illegible] valde graui, quod [illegible] est sine iniuria illata [illegible]. Et hoc q[illegible] em euidentius apparet verum in eo, qui interrogatus & consul[illegible]us tal[illegible] affirmat. Nam ex quo suscipit munus deb[illegible] co[illegible] fideliter agere, & non vti mendacio. Sed & h[illegible]c verum est de eo, qui se [illegible] vt al[illegible]on[illegible]um tribuat. Semper enim [illegible] fit cons[illegible]o si mendacijs ind[illegible] ad aliq[illegible] gendum. Verum quidem est, quod vbi [illegible]ece[illegible] non sit in se graui, non erit peccatum mor[illegible]a[illegible] vel nul[illegible]m [illegible]rit peccatum, aut leue [illegible] si dece[illegible] fiat præter intentionem, & ex ign[illegible]rantia, & bona fine, & maximè ab eo, qui ex officio non tenetur in hoc verum consilium dare Suarez *t. 3. [illegible] c. 92.* Quod si illud falsum, quod narratur, a[illegible] iniur[illegible]ium alicui, vt si quis de[illegible]ahat, vel [illegible] sterio, vel ei, [illegible] religionem pe[illegible] grauior [illegible]pa committitur, & alterius speci[illegible] & [illegible] malitia adiungitur, vnde sic detrah[illegible] ad restitutionem famæ. Suarez *num. [illegible]o.*

[illegible]o. V[illegible]rum dicitur, quod per se non [illegible] tale hoc, nisi ad[illegible] mendac[illegible] p[illegible]tum [illegible] supp[illegible]to, quod omnibus per[illegible] ve[illegible] al[illegible] ingredi Religionem, et R[illegible]g[illegible] recipere, v[illegible]e ex huiusmodi in[illegible] dam[illegible] i[illegible]ur, vel ingredi isti[illegible] ve[illegible] ri recipi[illegible], neque [illegible] al[illegible] afficitur ve[illegible]tas negatur hoc e[illegible]e n[illegible] catum; quia [illegible] est tale ratione me[illegible] m menda[illegible] n[illegible] vt suppon[illegible] det im[illegible] a[illegible] nec fi[illegible] tabile f[illegible] x[illegible]mi, aut al[illegible] est mend[illegible]m officiosum, non pern[illegible]. Sed ne[illegible] tale ratione dam[illegible] d[illegible] ingress[illegible] h[illegible]usmodi est v[illegible] quam [illegible] gr[illegible]d[illegible]nti monast[illegible] re q[illegible] Religio est [illegible]s graue, v[illegible]e hom[illegible] qui veluti c[illegible]riè hoc suscipere. Nam R[illegible] & vtilissimũ, vnde ra[illegible]ua[illegible],

qui

qui decipitur, sed imò eius vtilitas agitur. Solum grauatur in modo, quia scilicet ad id, quod est sibi valde vtile dicitur mendacijs; sed hæc non est iniuria grauis de se, & præcise ratione sui, sic enim, & infirmi mendacijs ad saluberrima medicamenta inducuntur. Ex duplici ergo capite hic potest interuenire culpa grauis, vel quia decipiens vtitur mendacio pernicioso grauiter, vel quia inducit ad id quod in indiuiduo pensatis omnibus non est bonum proportionatum indiuiduo, quibus duabus causis cessantibus huiusmodi deceptio erit mala, sed non mortaliter. Inducere enim hominem mendacijs ad id, quod sibi est vtile, & proficuum non est mortale peccatum.

71. Explicanda tamen est hæc assertio, vt non sit vera in casu in quo talis ac tanta esset deceptio, vt ratione inuoluntarij redderet irritam professionem, quia hoc esset inferre graue damnum tam fidei professo, quam Monasterio, Sed modo hoc periculum fere non est morale, quia datur annus probationis, in quo Nouitius potest bene instrui de qualitatibus Religionis, & religio de qualitatibus Nouitij, vnde raro ratione deceptionis potest contingere, vt professio ex hoc capite tanquam inuoluntaria sit nulla, sed de his latius dicendum erit *in tract. de professione*. Nam quantum ad ingressum deceptio non potest illum reddere irritum, & inanem, vt bene notat Suarez *num. 6. f.* Sed etsi quis deceptus inuoluntarie habitum Religionis suscipiat, si tempore professionis cessat deceptio, & inuoluntarium deficit, professio valida est.

72. Hinc deducitur, quid dicendum sit, cum hæc deceptio non fit per mendacium, sed per veri occultationem. Nam & hæc deceptio videtur continere iniustitiam. Quia esto quis non teneatur dicere omne verum, si tamen vult inducere aliquem ad aliquid agendum tenetur non abscondere ea, quæ prudenter possent auertere inductum ad non acceptandum consilium, ideò Peyrin. in Subd. *q. 1. cap. 29. conclus. 4.* ait, quod inducens alium ad Religionem debet illi omnia declarare tam bona, quam mala, abstinentias scilicet regulares, duritiam lecti, vestimentorum asperitatem, silentium, ieiunia, abnegationem sui &c. Verum distingui hic debet recipiens ad Religionem, ab eam consulente. Nam recipiens, qui cum recipiendo conthahit debet seruare leges contractus, vt vnum pro alio non offerat qualitatibus rei absconditis, vt contractus non reddatur iniustus, & nullus, sed in inducente non est alia obligatio nisi vt non inducat ad malum. Id ergo quod considerare debet inducens est an ingressus sit in indiuiduo proportionatus, & vtilis tam Monasterio, quam Monasterium ingredienti, vt non inducat ad id, quod est malum, vel etiam quod simpliciter in indiuiduo est minus bonum respectu illius, quem inducit, vel cui dat consilium. Cæterum vbi ingressus in Monasterium sit maius bonum nedum quoad ingressum non tenetur manifestare austeritates Religionis in singulari, quas [illegible] tenetur scire, sed posset esse, quod impediret, si id faceret, & ex hoc remouetur ab eo, quod est sibi magis vtile. Et interest, quod ingrediens aliquid etiam [illegible] sciat, se ante ingressum hoc, vel illud ignorasse, si interim ingressus proficit, & voluntarie eligiosè viuit. Qui ergo vult inducere alium ad Religionem, si vult dare consilium absolutum, & non conditionatum, debet habere tantam notitiam Religionis, & morum, & inclinationis eius, qui inducendus est, quanta sufficit, vt videat an simpliciter ingressus talis expediat; quo cognitio ab ipso, & prudenter deliberato caueat a medacijs, & de [illegible] licitum sibi est proponere ea, quæ valeant ad inducendum alium ad Religionem, silentio tetentis his, quæ sibi visa fuerint oportune non manifestanda. Si tamen ab eo, qui consulitur interrogetur consulens, adhuc potest aliqua reticere, & vbi habeat locum iusta simulatio, prudenter dissimulare, & quæ sibi, vita fuerint reticenda non manifestare.

73. Quæ verò dicta sunt de inducente ad Religionem per deceptionem, cum proportione vera sunt de impediente ingressum alicuius. In hoc verò etiam maiori ratione peccatum esse potest, quia rarius contingere poterit, quod non ingredi Religionem non sit plenum periculi, & graue damnum non ingredientis. Nihilominus, & hic dicitur, quod ex duplici capite potest interuenire peccatum mortale. Primo ex mendacio pernicioso de se, vt si quis detrahendo Religioni remoueat animum alicuius. Et in hoc casu nedum est peccatum mortale, sed adest obligatio restitutionis famæ. Secundo ex damno dato illi, qui ab ingressu Religionis impeditur; Nam contra charitatem, & iustitiam est impedire proximum mendacijs, seu deceptionibus, & fraudibus vt non consequatur maius bonum ad sui salutem conducens Suarez *d. cap. 9. nu. 9.* Præciso tamen damno graui aliquem mendacijs retrahere à Religione non est mortalis culpa, quod eo magis est, verum si non mendacijs, sed veritatis non manifestatione ingressus alicuius in Monasterium impediatur. Nam hoc etiam sine peccato contingere potest.

74. In responsione etiam ad tertium principalis conclusio extenditur, vt scilicet nedum liceat allicere aliquem ad Religionem, sed eum qui vouit Religionem minorem potest quis licite inducere ad ingressum maioris. Non tamen econtra, nisi ex speciali causa, & sub dispensatione apostolica.



QVAEST. CLXXXIX,

ARTICVLVS X.

Vtrum sit laudabile, quod aliquis religionem ingrediatur absque multorum consilio, & diuturna deliberatione praecedenti?



D decimum sic proceditur. Videtur, quod non sit laudabile, quod aliquis religionem ingrediatur absque multorũ consilio, & diuturna deliberatione praecedenti. Dicitur enim 1. Ioann. 4. Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sint. Sed quandoque propositum Religionem intrandi non est ex Deo: cum frequẽter per exitum religionis dissoluatur. Dicitur enim Actuum quinto, si est hoc consilium ex Deo, non poteritis dissoluere illud. Ergo videtur, quod magna examinatione praecedente debeant aliqui religionem intrare.

2. *Praeterea, Prouerb. 25 dicitur, Causam tuam tracta cum amico tuo. Sed maxime videtur hominis esse causa, quae pertinet ad mutationem status. Ergo videtur, quod non debeat aliquis religionem intrare, nisi prius cum amicis suis tractet.*

3. *Praeterea, Dominus Luc. 14. inducit similitudinem de homine, qui vult turrim aedificare, quod prius sedens computat sumptus, qui sunt ei necessarij, si habeat ad perficiendum, ne insultetur ei: Quia hic homo coepit aedificare, & non potuit consummare. Sumptus autem ad turrim aedificandam (vt Augustin. dicit in Epistola ad Laetam) nihil est aliud, quam vt renuntiet vnusquisque omnibus, quae sunt eius. Contingit autem quandoque, quod hoc multi non possunt, & similiter alias religionis obseruantias portare: in cuius figura 1. Reg. 17. dicitur, quod Dauid non poterat incedere in armis Saulis: quia non habebat vsum. Ergo videtur, quod non debeat aliquis religionem intrare, nisi diuturna deliberatione praemissa, & multorum consilio habito.*

SED contra est, quod dicitur Matthaei quarto, quod ad vocationem domini Petrus, & Andreas continuo relictis retibus secuti sunt eum. Vbi Chrysostomus dicit super Matthaeum, Talem obedientiam Christus quaerit à nobis, vt neque instanti tempore moremur.

RESPONDEO dicendum, quod diuturna deliberatio, & multorum consilia requiruntur in magnis, & dubijs, vt Philosophus dicit in tertio Ethic. In his autem, quae sunt certa, & determinata, non requiritur consilium. Circa ingressum autem religionis tria possunt considerari. Primo quidem ipse religionis ingressus secundum se: & sic certum est, quod ingressus religionis est melius bonum. Et qui de hoc dubitat, quantum est in se, derogat Christo, qui hoc consilium dedit. Vnde Augustinus dicit in libro de verbis Domini, Vocat te Oriens, id est, Christus: & tu attendis Occidentem, id est, ad hominem mortalem, & errore potentem. Alio modo potest considerari religionis ingressus per comparationem ad vires eius, qui est religionem ingressurus. Et sic etiam non est locus dubitationis de ingressu religionis: quia illi qui religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis diuinae: secundum illud Isaiae 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Si tamen sit aliquod speciale impedimentum, puta, infirmitas corporalis, vel onera debitorum, vel aliqua huiusmodi: in his requiritur deliberatio, & consilium, cum his de quibus speratur, quod prosint, & non impediant. Vnde dicitur Eccles. 37. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia quasi dicat, non. Vnde sequitur, Non attendas his in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus esto. In quibus tamen non est diuturna deliberatio habenda. Vnde Hieronymus

mus dicit in epistola ad Paulinum. Festina quæso te, & hærentis in salo nauiculæ funem magis præscinde, quam solue. Tertio autem modo considerari potest modus religionem intrandi, & quam religionem aliquis ingredi debeat. Et de talibus potest haberi etiam consilium cum his qui non impediant.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Probate Spiritus si ex Deo sint, locum habet in his, quæ dubia sunt, vtrum spiritus Dei sit: sicut dubium potest esse his, qui iam sunt in religione, vtrum ille, qui religioni se offert, spiritu Dei ducatur, an simulate accedat: & ideo debent accedentem probare, vtrum diuino spiritu moueatur. Sed illi qui ad religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum de ingressu religionis in corde eius exortum sit à spiritu Dei: cuius est ducere hominem in terram rectam. Nec propter hoc, ostenditur non esse ex Deo, quod aliqui retrocedunt. Non enim omne quod à Deo est, incorruptibile est. Alioquin creaturæ corruptibiles non essent ex Deo, vt Manichæi dicunt. Neque etiam aliqui habentes à Deo gratiam, possent illam amittere: quod etiam est hæreticum. Sed consilium Dei est indissolubile: quo etiam corruptibilia, & mutabilia facit: secundum illud Isaiæ quadragesimosexto, Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Et ideo propositum de ingressu religionis non indiget probatione, vtrum sit à Deo: quia certa discussione non eget: vt dicit, glossa, super illud 1. ad Thess. vlt. Omnia probate.

Ad secundum dicendum, quod sicut caro concupiscit aduersus spiritum, vt dicitur ad Galatas quinto ita etiam frequenter amici carnales aduersantes profectui spirituali: secundum illud Michææ septimo, Inimici hominis domestici eius. Vnde Cyrillus exponens illud Luc. 9. Permitte me renuntiare his, qui domi sunt, dicit: Quærere renuntiare his qui domi sunt, ostendit, quod vtcumque diuisus sit. Nam communicare proximis, & consulere nolentes æqua sapere, indicat adhuc vtcumque languentem, & retrocedentem. Propter quod audit à Domino, Nemo cum posuerit manum ad aratrum, & aspexerit retro, habilis est ad regnum Dei. Aspicit enim retro, qui dilationem quærit, occasione redeundi domum, & cum propinquis conferendi.

Ad tertium dicendum, quod per ædificationem turris significatur perfectio Christianæ vitæ. Abrenuntiatio autem propriorum est sumptus ad ædificandam turrim. Nullus autem dubitat, vel deliberat, an velit habere sumptus, vel an possit turrim ædificare, si sumptus habeat. Sed hoc sub deliberatione ponitur, an aliquis sumptus habeat. Similiter sub deliberatione cadere non oportet, vtrum aliquis debeat abrenuntiare omnibus, quæ possidet: vel si hoc faciendo ad perfectionem peruenire, possit. Sed hoc cadit sub deliberatione, vtrum hoc quod facit, sit abrenuntiare omnibus, quæ possidet: quia nisi abrenuntiauerit, quod est sumptus habere, non potest (vt ibidem subditur) Christi esse discipulus: quod est turrim ædificare. Timor autem eorum, qui trepidant, an per religionis ingressum possint ad perfectionem peruenire, esse irrationabilis, ex multorum exemplo conuincitur. Vnde Augustinus dicit 8. Confess. Aperiebatur ab ea parte, qua intenderem faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ; honeste blandiens, vt venirem, neque dubitarem: & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ: ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & viduæ, & virgines anus. Irridebat me irrisione exhortatoria: quasi diceret, Tu non poteris, quod isti, & istæ? An isti, & istæ in semetipsis possunt, & non in domino Deo suo? Quod in te stas, & non stas? Proiice te in eum. Noli metuere. Non se subtrahet, vt cadas: proiice te securus, & excipiet te, & sanabit te.

Exemplum autem illud, quod inducitur de Dauid, non facit ad propositum: quia arma Saulis, sicut glossa dicit, sunt legis sacramenta, tanquam onerantia. Religio autem

est suaue iugum Christi:quia vt Gregorius dicit in quarto Moralium, Quid graue mentis nostra ceruicibus imponit,qui vitare omne desiderium quod perturbat pracipit: qui declinare laboriosa mundi huius itinera monet? Quod quid em suaue iugum super se tollentibus refectionem diuina fruitionis repromittit, & sempiternam requiem animarum. Ad quam nos perducat ipse, qui promisit, Iesus Christus Dominus noster: qui est super omnia Deus benedictus in secula.

SVMMARIVM.

1 *Ingressus in Religionem non debet fieri sine consilio. num.1.*
2 *Diuturna deliberatio locum non habet nisi in magnis, & dubijs. nu.2.*
3 *Religionem esse quid melius est certum, & manifestum.nu.3.*
4 *Qualitas Religionis illa est dubia,qua possit cadere sub aliorum consilio.nu.3.& 11.*
5 *Ex parte persona per se non est locus consultationi aliorum.nu.4.*
6 *Nullus proprijs viribus potest subsistere in obseruantiis regularibus, & potest per vires gratia. num.4.*
7 *Fiducia de diuina gratia necessaria assumenti statum religiosum. nu.5.*
8 *Ex parte persona est locus consultationi aliorum per accidens. num.6.*
9 *Sancta intentio necessaria in eligente statum religiosum. num.7.*
10 *Bona vel mala huius seculi possunt esse occasio el[igen]di statum religiosum, nu.8.*
11 *A quibus accipiendum consilium de ingressu in Religionem. num.9. & 11.*
12 *Diuturna deliberatio non laudabilis. numero 10.*

1. SVpponitur ingressum in Religione non debere fieri sine consilio, & deliberatione ingredientis, quia non est liberum nisi quod fit ex consilio, & deliberatione, sed quaeritur, an sit laudabile Religionem ingredi sine aliorum, & quidem multorum consilio, et sine propria, sed diuturna deliberatione.

2. Optimè autem D.Thom. praemittit *in princip.cor.* quod diuturna deliberatio, & multorum consilia locum non habent, nisi in magnis, & dubijs. Vbi enim res parui momenti est, & parum interest,si quis vnum, vel oppositum operetur, non est necesse diu deliberare, vel alios consulere, quia parum interest quidquid homo faciat. Sed vbi res etiam sit magna, sed certa, cius veritas supra eius opp[osi]tu nec necessaria est, nec laudabilis diuturna deliberatio, vel aliorum multorum consultatio... de re enim certa non est dubitatio deliberatio, & imprudentia est disputare, & inquirere, an sit eligendum id quod est certum esse m[eli]us. Quo [iu]s positu [vi]dendum est, an ingre[ssu]s a[li]cuius in Religionem sit certe, vel dubiae bonitatis, cum non sit dubium illum esse rem magnam.

3. Tria igitur hic consideranda esse, monet auctor. Primum est Religionis ingressus, secundum se consideratus praescindendo à circumstantijs accidentalibus, nimirum [ex] persona, medijs, qualitate Religionis, loco, tempore, & modo ingressus. Et de hoc [in]g[re]ssu sic sumpto certum est illum esse melius bonum, quia Religiosus status, cum sit status perfe[ct]ionis alios hominum status antecedit, sicut supra probatū est. Et benè hic additur, quod qui de hoc dubitat, iniuriam facit Christo, qui hoc consilium dedit, cum dixit, *si vis perf[ectus] esse vende omnia, quae habes & da pauperibus, & veni sequere me.* Matth.c.9. & ex Augu[st.] *serm 7. de temp. tom.10.* id confirmat quia [i]mitari imprudentia magna sit ponere sub hominis ignorantis, & defectibilis consilio id, quod Dei est con[sil]ium. Vnde colligitur, quod quidem sub consilio cadere potest qualitas Religionis, quia non omnis religio est cuicumque proportionata, sed an Religio absolutè sit melius bonum, non est res dubia, quae consilio aliorum, & diuturna propria deliberatione indigeat.

4. Secunda consideratio Religionis est respectu personae ingredientis, & praecipuè respectu virium illius in ordine ad austeritates, & difficultates vitae Religiosae. Et quan[tu]m ad hanc partem per se non est locus consultationi aliorum sed solum per accidens. Duo enim sunt certa per se loquendo. Primum est, quod nullius personae vires propriae sufficiunt ad subsistendum in vita religiosa. Secundum est, quod vires Diuinae gratiae, quae adest cuicumq. & nulli deest abundè sufficiunt. Ideo absolutè non cadit sub diuturna deliberatione, an Religio sit proportionata personae quantum ad vires su[bsiste]ndi, cum sit certum nullius proprias vires sufficere, & cuicumque sufficere vires Diuinae gratiae, quae nulli deest.

5. Hinc benè col[li]git Caietanus, & aduertit postea Suarez *tom.3.de relig.cap.8.num.2.* hanc esse necessariam praecipuè dispositionem [i]n ingressuro Religi[on]em, vt fiduciam suam ponat, eamque certam habeat in Diuino auxi[lio]... nim [q]ui fidit viribus, praesumit, & cadit [... in] Deo igitur fiduciam habere debet, vt iugum R[e]ligionis portare possit. Quod si hanc fidu[ci]am certam non habeat, deficiet, non enim animo forti, absoluto, & efficaci ardua [Rel]igionis a[g]greditur, quia spes con[q]uerendi [... vni]ca vis est, per quam in effectu tentamus pericula. Qui enim finem intentum minus speret minus [a]d illum assequendum se mouet.

6. Per accidens tamen ex parte personae locum habere potest con[sul]tatio, ratio[ne cir]cumstantiarum, p[ropter] infirmitatis, debito[ru]m & aliarum conditionum, & qualitatum, quae ad ingre[ssu]m [dic]tum necessaria sunt, vt e[x ...] ostensum est. Et vbi ex hac parte fit [...] laudabile e[r]it multorum consilium, & d[iuturna] deliberatio.

In

7. In hoc vero Religionem ingressurus sumopere debet attendere vt habeat sinceritatem intentionis, vt monuerunt S. Bern. *serm.* 24. *art.* 2. *cap.* 1. & 2. Caiet. hic Nauar. *Comm.* 1. *de regul. not.* 7. Suarez *dicto cap.* 8. *num.* 6. quæ sancta intentio, vt habetur 2. q. 1. cap. 2. debet esse Deo irreprehensibiliter militandi, & Apostolicam vitam imitandi, seu vt supra ex D. Thom. q. 184. & 187. Ostensum est perfecte vnire Deo per charitatem. In perfectione enim charitatis vitæ spiritualis cōsistit perfectio. Ideo valde errant, qui vel tædio parentum, vel infœlicium euentuum, vel vt viteat ægestatem, aut contemptum, vel ob alium finem terrenum Religiosum statum assumūt. Huiusmodi enim fines, vel non sunt honesti, vel non sunt proportionati, nec præbent vires proportionatas ad regulares obseruantias sustinendas, & perfectionem consequendam.

8. Bene verum est, quod sæpius Spiritus Sanctus vtitur amore etiam ad bona aliqua temporalia, timore, tædio, tristitia, & alijs affectibus tanquam dispositionibus materialibus præparantibus animum ad hoc vt sit bene mobilis ad sanctam & perfectam charitatem. Ideo contingere potest, vt tædium parentum, contemptus, egestas, infirmitas, & alia huiusmodi temporalia mala sint occasio alicui ingrediēdi Religionem. Sed tamen finis ingredientis non debet esse nisi desiderium perfectionis, quę consistit in perfecta coniunctione ad Deum per charitatem.

9. Receptum autem consilium super his accidentalibus circumstantijs, quæ impedire possent ingressum Religionis bene attendat D. Th. consilium, & cautus sit, ne consilium accipiat ab illis, qui vel maleaffecti circa statum religiosum, vel interesse habentes in eius statu regulari sunt potius impedituri eius propositum, quam sinceṙū daturi consiliū. Ideo consiliū sumat à Sanctis, præcipuè ab illis, qui cognitionem habent status religiosi, & etiam qualitatum ipsius consilium petentis, & eius status. Et iuxta consilium Ecclef. 37. Non attendat iniquis in omni consilio, sed cum viro sancto assiduus sit.

10. Et nihilominus esto ratione dubij, quod ex circumstantijs oriri potest laudabile sit desideranti religionem consulere sanctos, nihilominus accepta consultatione diuturna deliberatio non est laudabilis, vt habetur ex Hier. Epist. *ad Paulinum*. Sufficienti enim consultatione habita non est diutius expectandum, & retro respiciendum.

11. Tertia consideratio respicit modum ingressus & qualitatem Religionis. Et in hac parte multum dubij esse potest. Et maxime circa qualitatem religionis locum habere potest consultatio, & inquisitio; ideo desiderans intrare cool[illegible] debet eum qui regularum, & consuetudinum religionum sit conscius, vt possit illum dirigere, vt ubi magis proportionatam Religionem tam [illegible] quam sponte eligere possit. Semper tamen [illegible] ne consilium ab impeditus, vel ma[illegible] ituri, accipiat.

SVMMARIVM.

1 *An propositum ingressus Religionis indigeat probatione vtrum sit a Deo. n.* 12.
2 *Simplex desiderium Religionis est bonum. numer* 13.
3 *Et, qui non est sibi conscius de aliqua mala circumstantia absolutum desiderium religionis est bonum. num* 14.
4 *Stat desiderium bonum esse ex suggestione diaboli, & instinctu Spiritus Sancti, numero* 15.
5 *Stat propositum esse bonum licet sit mutabile. num.* 16.
6 *Non omne propositum bonum datur executioni. num.* 17.
7 *Sub consilio cadit an habendum sit propositum ingrediendi Religionem, non vero an illud propositum, quod habetur ab eo, qui sibi non est conscius malæ circumstantiæ sit a Spiritu Sancto. num.* 18.
8 *Doctrina responsionis ad primum non eget limitatione. num.* 19.

12. Occasione autem eius quod dicitur 1. Io. 4. scilicet. *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint*, aduertit D. Thom. ad primum, dictum Apos. locum considerari debere à recipientibus aliquem ad habitum Religionis, quia isti non omni spiritui hominis credere debent, sed debent experiri, an qui venit, simulatè veniat, vel potius veniat ductus à Spiritu sancto. Sed illi qui petit recipi, inquit D. Thom. non potest esse dubium, an propositum de ingressu religionis in corde eius exortum sit à Spiritu sancto, cuius est ducere hominem in terram rectam. Itaque sentit D. Tom. quod *propositum de ingressu religionis non indiget probatione, vtrum sit a Deo*. Quod tamen videtur habere difficultatem, ex eo quia etiam Diabolus sæpe immittit proposita bona, scilicet, de operibus bonis ex genere, & consilijs aggrediendis ab illis, quos ex sua fragilitate, seu indispositione scit esse casuros. Et augetur difficultas, quia desideranti Religionem incertum esse potest, quo fine illam decideret & vlterius, an Religio sit suæ fragilitati proportionata, & expediat pensatis pensandis illum non manere in sæculo. Communiter enim homines proprias sequuntur inclinationes. Ideo qui sunt ad malum vehementer inclinati, vel in eo per habitum cōfirmati, non videntur apti ad Religionem, sed illis ex propria ind[i]spositione imminet ruinę periculum. Propterea Corduba *in regul. Sancti Francisci cap.* 2. 2. q. 2. inquit limitandam esse, iuxta prædicta, doctrinam D. Thom. quamuis videatur oppositum docere, explicans D. Thom. vt loquatur quantum sit ex genere operis, quamuis, vt ait, Syluest. aliter intelligens *v. Religio* 2. q. 1. & 2. male dicat. Suarez vero *dicto cap.* 8. *nu.* 4. inquit sensum D. Thom. esse, quod propositum religio-

ligionis regulariter fit à Spiritu sancto, & vt tale esse habendum, nisi per accidens ei aliquid adiungatur, quod suspicionem malam inducat, vt si homo in se sentiat desiderium honoris, vel alterius commodi temporalis ex quo moueri possit.

13. Est autem hic primo certum, quod desiderium simplex Religionis, quod est quædam voluntas antecedens, quæ fertur in bonum religionis secundum se sumptum, sicuti est actus in indiuiduo bonus, ita est à Spiritu sancto immissus. Hic enim actus obiectum honestissimum respicit, nec ex circumstantia est malus, cum abstrahat à circumstantijs, & terminetur ad bonum religionis secundum se solum hic actus posset esse malus, si impediret alium actum necessarium, vt cum homo tunc cogitaret, & actu afficeretur ad religionē, cum ad aliud attendere deberet. Cæterum simplex religionis desideriū per se est actus bonus, ideoque à Spiritu sancto donatus, & reperiri potest in eo etiam, cui indiuiduo non cōueniat, imo sit impossibilis Religio: etenim ad id, quod est honestissimum potest voluntas affici etiam si illud consequi non possit. Propositum vero quod habetur ante plenam consultationem est per modum voluntatis antecedentis, & conditionatæ, nimirum nisi plene consultato negotio non sit melius Religionem non ingredi. Alias vero si quis ante consultationem proponat omnino absolute Religionem, hoc propositum est malum, & quidem sine dubio, & certissime, quia est voluntas absoluta de re, quæ potest esse mala ex circumstantijs.

14. Sed secundo dicendum est etiam, quod desiderium absolutum, & absolutū propositū religionis in eo, qui post sufficientem consultationem de circumstantijs, non est conscius alicuius malæ circumstantiæ censeri debet esse à Spiritu sancto. Ratio huius est, quia non est, vnde possit esse dubium de bonitate talis actus, ideoque & de existentia eius à Spiritu sancto, cuius omne bonum est donum, & à quo est omne virtutis propositum. De obiecto enim non potest dubitari, an sit bonum, quia Religio est bonum optimum. Sed neque potest dubitari de malitia circumstantiarum, quia omnem malam circumstantiam exclusam habemus, quantum sit ex scientia proponentis, qui non est conscius alicuius malæ adhibitæ circumstantiæ. Sed si dicas, quod hæc est incertitudo fallax, quia potest esse, quod ali[illegible]m ex minus bona intentione se moueat, quia non non potest homo esse certus se bonum be[illegible]le, & agere prout oportet, al[illegible]ter homo [illegible] certus de statu gratiæ. Resp. hanc certitudinē impossibilem ha[illegible] ab h[illegible] mine non [illegible] e eam, de qua loquitur D. Th. & quæ facere possit ad propositum nostrum, quia hic sermo habetur d[illegible] et de certitudine, quæ ab homine habe[illegible] poss[illegible]. Hæc vero non est cert[illegible] omn[illegible]oda d[illegible]on tare suorum operum, [illegible] de cer[illegible]tudine quadam imperfecta sub qua p[illegible] [illegible] falsum, quæ est certitudo conditionata co[illegible] a e[illegible]licata ab Apost[illegible] nil[illegible] mihi [illegible]onsciu[illegible], [illegible] non in hoc iu[illegible]ficatus [illegible] [illegible] ig[illegible] de[illegible]derans Religionem, & [illegible] conscius alicuius malæ circumstantiæ adhibitæ est certus suum desiderium esse à Spiritu sancto certitudine conditionata quidem hac conditione quantum mihi conscius sum, sed tamen sufficiente ad excludendum nouam inquisitionem, & nouum consilium, an talis voluntas sit à Spiritu sancto; quia cum quantum sibi conscius esse potest talis voluntas sit manifeste, & certè bona certitudine ab homine haberi possibili, non est vnde homo dubitet illam esse à Spiritu [illegible]. Et eo magis, quia vt dicebatur, [illegible] propositum Religionis bonitatis [illegible] habitum continet [illegible] [illegible] conditionem maioris consultationis, vel sit opus eam habere ex parte circumstantiarum, & nisi aliunde appareat ingr[illegible]ssum non conuenire.

15. At inquis, potest esse suggesta à diabolo. Respondetur supponi. vel quod omnis actus, qui est ex suggestione Diaboli sit malus, vel quod si sit bonus non sit donum Spiritus sancti, quorum vtrumque [illegible], ideo verissimum est aliquem actum, qui est in nobis ex suggestione diaboli non esse in nobis nisi ex dono Spiritus sancti, qui etiam malitia diaboli vtitur in finem bonum. Itaque in proposito verum est quod in eo, qui fit, vel ad malum inclinatissimus, vel ex mala consuetudine in malo confirmatus potest esse, quod desiderium absolutum, & propositum Religionis sit ex Diabolo. Sed in tali homine, vel huc propositum habebit adiunctam malam circumstantiam insi[illegible]ntem actum, & illum reddentem malum, vel tale propositum erit principaliter à Spiritu sancto ex alio fine optimo mouente talem hominem in bonum media suggestione diaboli; qui etiam quam sæpè decep[illegible] us fuit? & quos credidit casuros, & ingeios ruituros, in Religione vidit, et expertus fuit Deo adiuuante persistere, & proficere? Co[illegible] derandus igitur est actus in [illegible]di[illegible]duo qui si fit bonus ex obiecto, & circumstantijs est ex Spiritu sa[illegible] interius monente ex cuiuscumque exteriori [illegible] gestione occasionetur. Sed si fit malus non [illegible] Spiritu sancto [illegible] [illegible]r à permittente. At vero vbi qui ha[illegible]s propositum Religionis non si[illegible] co[illegible] a[illegible]ius malæ circumstantiæ, certitudine humana non absoluta, sed conditionata, & sibi possibili est etiam certus illum actum esse a Spiritu sancto, nec habet vnde de hoc dubitet.

16. Vrgebis vlterius, & dices huiu[illegible]odi propositum mutabile est, imo & tale esse [illegible]it, vt non sit bonum illud exequi. Non igitur erit certum illud esse à Spiritu sancto. Sed r[illegible]po[illegible]t D. Thom. & optimè hæc duo stare simu[illegible], quod propositum sit mutabile, imo in præ[illegible]ntia & prouidentia Dei permittentis ma[illegible] mu[illegible]dum, & tamen quod sit donum Sp[illegible]. Nam & creaturæ corruptibiles sunt à Deo, & Dei donum est gratia corruptibilis am[illegible]. Et immobilitas c[illegible] di[illegible]ni est [illegible] vt [illegible] [illegible]ruptibilia, & corrumpenda ordinet in[illegible] modo in finem suum, qui est ipsemet.

17. Quod vero tale proposi[illegible]m sit tale for[illegible] vt [illegible] [illegible]equen[illegible]um n[illegible]t. Nam & Da[illegible] habuit a Spiritu sa[illegible] pol[illegible]un[illegible] erudi templum, & tamen Deus no[illegible] vt [illegible] hoc

hoc propositum exequeretur. Ideo & bene contingere potest, quod propositum religionis sit in homine à Deo, & tamen quod propositum etiam prudenter nõ detur executioni, vel ex noviter superaccidentibus, vel ex præteritis melius etiam consideratis, vel quia Religio ipsa, vel iustè, vel iniustè renuit illum recipere, vel quia aliunde impeditur executio.

18. At tertiò vrgebis, & dices manere integram difficultatem primi argumenti; quia cum propositum Religionis possit esse malum ex circumstantia, iam stat sub dubio, & ideo est subiectum consilio, & deliberationi, & non debet qui semel habet propositum Religionis statim sine alia consultatione Religionem ingredi. Respondetur quod obiectio deficit, quia imo difficultas primi argumenti soluitur. Nam aliud est, an sit necessaria consultatio ad habendum propositum Religionis, vel ad illud exequendum; aliud est, an habenda sit consultatio, an propositum, quod habetur sit à Spiritu sancto. Primum argumentum hoc secundum petebat, & volebat probandum esse, an propositum sit à Spiritu sancto, & hanc difficultatem funditus tollit responsio, quia certum est propositum Religionis non vitiatum à mala circumstantia esse donum Spiritus sancti. Sed primum non tangitur in illo primo argumento. Et iuxta doctrinam traditam *in corp. ar. 4* ad habendum propositum absolutum Religionis & illud exequendum necessaria est consultatio ex illo triplici capite, scilicet quantum ad circumstantias personæ, ad modum obtinendi Religionis ingressum, & ad qualitatem Religionis. Propositum enim absolutum, cum respiciat executionem, & ideo respiciat rem vt stat sub omnibus circumstantijs, quæ quidem dubietatem habent, ideo ad illud habendum debet homo considerare primo se ipsum, an habeat, quod Religioni repugnet, vel quod reddat eum statui religioso improportionatum. Secundò qualitatem Religionis, vt eam eligat, in qua speret se profecturum magis. Tertio, modum ingressus, vt is fiat tunc, & vbi, & quibus medijs sit honestius, & melius, sed vbi hoc propositum detur, non est dubium, an illud sit à Spiritu sancto.

19. Nulla igitur alia limitatione indiget doctrina D.Thom. quam illa, quæ in articulo continetur, & ex qua habetur, quod non est necessaria consultatio nisi vbi est dubium, & quod in præsenti examine dubium esse potest, vel ex parte personæ desiderantis Religionem, vel ex parte particularis Religionis desideratæ, vel ex parte modi obtinendi ingressum religionis, aut aliarum circumstantiarum, & circa huiusmodi laudabilis est consultatio à viris sanctis, & prudentibus assumenda. Et ita etiam inducens ad Religionem non debet id præstare, nisi his consideratis, & consultis. Quod est illud idem, quod docuit Syl. *loco citato*. Vbi de suo nihil ponit, sed in substantia refert doctrinam D.Thom. in hoc & super articulo optimè quidem epilogatam, & intellectam. Et breui discursu doctrina data comprobatur, quia omne propositum Religionis, vel est conditionatum conditione, nisi ingressus ex aliqua circumstantia sit malus, & hoc propositum semper est bonum; Vel propositum est absolutum, & hoc vel habetur non præmissa sufficienti consultatione, & hoc propositum euidenter est malum, cum sit absolutum de re, quæ potest esse mala ex circumstantijs, & ideo non est necessaria consultatio de eius malitia, quæ est certa, vel est propositum absolutum post sufficientem consultationem, & hoc vt probatum est bonum esse est certum.

SVMMARIVM.

1 *In materia ingressus in Relionem consilium amicorum carnalium infidum. num. 20.*

20. IN responsione etiam ad secundum optimum documentum continetur, scilicet negotium ingressus Religionis non esse conferendum cum amicis, quia frequenter amici carnales aduersantur profectui spirituali, vt habetur ex Mich. *cap. 7.* & Cyrill. *in cap. 9.* Lucæ. Et ideo cautus esse debet, qui sentit se vocatum à Spiritu sancto, ne ab amicis carnalibus impedimentum inueniat, & reminisci huius aureæ propositionis. *Aspicit enim retro, qui dilationem quærit, occasione redeundi domum, & cum propinquis conferendi.* Vnde inter amicos carnales, quorum consilium habendum est suspectum numerantur etiam propinqui. Vbi tamen non sit periculum impedimenti, laudabile erit non disponere de seipso in re tanti momenti, nisi de scientia, & obedientia parentum, sub quorum cura filius viuit, & à quibus fuit genitus.

SVMMARIVM.

1 *Ad Religionem dispositio est ex corde abrenunciare sæcula. num. 21.*
2 *Timor non perueniendi ad perfectionem irrationabilis. num. 22.*
3 *Nulla indispositio, quæ sit in potestate hominis debet retinere hominem ab ingressu religionis. num. 23.*

21. IN responsione etiam ad tertium nonnulla aduertenda sunt. Et quidem primo, quod vt habet Caiet. & ex illo aduertunt Corduba, & Suarez optima dispositio ad ingressum Religionis necessaria est abrenunciare ex corde sincero omnibus, & in hac abrenunciatione consistunt sumptus necessarij ad ædificium turris spiritualis perfectionis, ideo toto conatu quisque debet operari, vt hanc abrenunciationem obtineat. Sic enim & Christus dixit Matt. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.*

22. Aduertendum D.Thom. solide exemplo & doctrina S.Aug. *l. 8. Conf.* c. 11. probare, quod timor non perueniendi ad perfectionem in statu religioso est irrationabilis, quia nihil est, quod homo fiduciam habens in Dei auxilio non obtineat.

23. Ex hoc vero colligitur quod de mente D.Thom. in hac responsione, nulla est in homine indispositio, quæ sit in hominis potestate, vt

illam

illam tollat; quæ debeat hominem arcere ab ingressu religionis, quantumcomque illam auferre sit difficile; quia gratiæ Dei nihil est difficile, & iugum Christi est iugum suaue. Nec obstat, quod vt plurimum homines sequuntur prauas inclinationes, quia hoc est verum, quia deficiunt gratiæ Dei, & quia non ex toto, & perfecta quadam voluntate, radicata bonum amant. Sed si quis gratiæ Dei nolit deesse, & in Deo sperans nō resistat Deo inspiranti sanctum propositum, & absolutum velle bonum, & illud conseruanti, ex hoc habebit efficacissimas vires, quæ omnem superant difficultatem. Ideo status religionis absolutè omnibus conuenit, & in eo omnes proficere possunt, si alias sint liberi à vinculis matrimonij vel similibus, quæ impediunt simpliciter ingressum religionis. Et benè admonet D.Thom. quod Religio non est armamentum Saul, quod solum aptetur Sauli, sed est bonum omnibus conueniens, in quo omnis potest per Dei gratiam peruenire ad sempiternam requiem animarum. Ad quam nos perducat ipse, qui promisit Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in seculo.

QVAEST. CLXXXIX.

ARTICVLVS X.

De statu Nouitiorum tempore Nouitiatu.

1. EXpeditis ijs, quæ de Religionis ingressu traduntur à D.Thom. q.189. remanent considerandа, quæ spectant ad Nouitios pro tempore nouitiatus, & quæ sint eorum obligationes, priuilegia, qualiter corrigi possint, & debeant.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij gaudent priuilegio fori. num.2.*
2 *Nouitius est exemptus a iurisdictione Episcopali. num.3.*
3 *Nouitius habet domicilium in monasterio. numer.3.*
4 *Nouitius est subditus Prælato Monasterij, numer.4.*
5 *Opiniones variæ. num.5.*
6 *Nouitius a Prælato Regulari puniri potest & debet. num. 6.*
7 *Et hoc verum etiam de Nouitijs equitum religiosorum. num.7.*
8 *Nouitij possunt a Prælatis carcerari & torqueri. num.8.*
9 *Sententiam Prælati tenentur ex[illegible]ui etiam si discesserint. num.9.*
10 *S[illegible]us de pœnitentia more Religioso data. num.9.*
11 *Prælatus potest præcipere, & suo præcepto obligare Nouitios etiam in conscientia, etiam sub censura. num.10.*
12 *Prælati qui habent in nouitios iurisdictionem sunt Generalis, Prouinciales, & iuxta stylum cuiuscumque religionis superiores locales, num.12.*
13 *An de delicto commisso in nouitiatu cognoscat Prælatus regularis si nouitius ad seculum redijt. num. 12.*
14 *De delicto commisso a nouitio dum in seculi esset, non cognoscit secularis iudex, etiam si delinquens ingrediatur in fraudem si ingressus est validus. num. 13.*
15 *Hoc est verum etiam de iure nouo. nu.14.*
16 *Etiam si iudex laicus cœperat inquirere de delicto. num.15.*

De Nouitij subiectione ad iurisdictionem Prælatorum Regularium.

INSPECTIO I.

2. EOS enim non videri subiectos probari posset, quia non emiserunt votum obedientiæ Prælatis Regularibus, super quo eorum fundatur iurisdictio. Nihilominus hoc primo est certum Nouitios gaudere priuilegio fori esseque exemptos à laicali iurisdictione sicuti sunt religiosi professi, nec posse ante laicales iudices conueniri nec pro ciuili debito, nec pro aliquo crimine. Ratio est, quia licet non sint Religiosi nati, quia Religiosus quis constituitur per professionem. *cap. Consaldus. 17. qu.1.* Gloss. *c. de Viduis 27.q.1.* sunt tamen à Matre Religione iam concepti, & veluti gestantur in utero eius, & ad illam spectant, vt eius filij, licet nondum plene formati, & geniti, ideo ad [illegible]rum Ecclesiasticum, & Religiosum spectant & sunt verè personæ ecclesiasticæ, & latè sumpto vocabulo regulares appellantur Reuerendi. Fagnan. *ad cap. Cum magistrum, num.34. de ele[illegible]. & cap. statuimus. num.45. de regul.* vbi quod non potest negari quin sint Religiosi, quoad iuris[illegible]tionē, & tuitionē sunt enim tales reuocabiliter. Quod amplius confirmatur, quia si aliquis nouit[illegible] percutiat incidit in excommunicationem Canonis, vt habetur ex *cap. Religioso 21. §. Quamuis de sent.excomm. in 6.* Ideo præter Thomam Tricoll. *decis. Venet. l.2. dec.57. num.17. tract. de modo proced. crim inter regul. c.2. ar.2.* quem refert Sanchez *l.5. moral. c.10. num. 9.* communissimè tam Iurisperiti, quam Canonistæ, & Theologi hanc assertionem tenent nimirum Glossa ad *c. Beneficium, v. Conferendum, de regular. in 6.* & ibi Ioan. Andr. Dominicus, Anchar. Francus, & Probus, & ad *cap. Religiosi, §. quamuis, de senten. excommun. in 6.* ijdem Francus, Domin. Anchar. & ad *cap. penult. de regular.* Hostien. Nauar. *sum. cap.12. num.65. & l.2. consil.6. de for. competent.* Ludouic. Lopez. p. 1.

instruct. cap. 47. Corduba l. 1. q. 40. opin. 1. probat. 4. Molina tom. 1. 39. & tom. 3. disp. 671. num. 3. Azor. l. 12. cap. 3. num. 77. Sanchez l. 6. mor. cap. 10. num. 10. Coton. l. 4. controu. 3. cap. 3. num. 77. Suarez tom. 3. de relig. l. 6. cap. 19. Diana p. p. tract. 3. resolut 33. & 34. Donatus p. 3. tract. 5. p. 4. Tambur. de iure Abb. d. 6. q. 27. Farinac. p. praxis crimin. de inquis. q. 8. n. 26. Campanil. rub. 1 x. cap. 4. num. x7. Grass. cons. 8. n. 12. de voto. Bordon. resol. 7. q. 39. & resol. 54. num. 109. & 535. & de profess. cap. 4. q. 54. Palaus tra. 16. d. 1. p. 11. num 5. & 6. Anton. à Spir. San. tr. 3. d. 2. num. 595. Lezana p. 3. cap. 54. num. 4. Reuerendissimus Fagnanus ad cap. statuimus num. 45. de regul. & ad cap. Cum dilectus num. 8. de success. ab intest. & ad cap. Cum inter vos num. 11. de sent. & re iudic. qui plures alias pro hac sententia referunt.

3. Dicitur vero secundò. Nouitios esse exemptos etiam à iurisdictione ecclesiastica Episcoporum eo modo, quo alij professi, nec possunt pro delictis ab Episcopis puniri nisi in casibus in quibus puniri possunt professi. Ratio est eadem quia nimirum sunt de corpore Religionis à qua veluti gestantur in vtero. Et ita docent Nauar. ex Card. Azor. Sanchez num. 25. Suarez Coton. d. contr. 3. num. 65. Palaus, Anton. à Spir. San. Quod vlterius confirmatur, quia nouitius manena in Monasterio exempto contrahit ibi domicilium, vt probat Reuerendis. Fagnan. ad cap. Cum inter ves. num. 8. de re iudicata, nouitius enim voluit mutare domicilium, vt tradiderunt Goffred. Hostien. Archid. & Henr. in cap. de his, qc sepul. Quod & supponunt DD. illi, qui allegunt portionem. Canonicam nouitij decedentis ante professionem non pertinere ad priorem Ecclesiam, cuius erat parochianus, prout tenuerunt Io. Andr. Barbatia, & alij congesti per Tiraquell. de retract. lignag. §. 2. gl. 8. num. 23. prout etiam dixi in antecedenti tomo tract. de quarta Funeralium, quia nouitius iam illam priorem Ecclesiam reliquit, & domicilium transtulit in Monasterium, quod ingressus fuit quantum fit ex se ipso tunc cum animo perpetuo manendi, nisi aliquid inueniat, quod sibi displiceat. Cum ergo nouitius habeat domicilium in Monasterio exempto à iurisdictione Episcopali, respectu Episcopi idem est ac si esset alterius Diœcesis, & alteri subditus, quia vere est subditus Prælato in cuius districtu sibi elegit domicilium. Non ergo est subditus iurisdictioni Episcopi, sed Prælati Monasterij, ex quo vt probat idem Reuerendis. Fagnanus. ad d. cap. Cum inter vos, potest nouitius ordinari ab Abbate Monasterij, & hoc idem docet in cap. Nullus num. 54. de foro competen. & in cap. Tuarum, de priuil.

4. Ex quo sequitur, & dicitur tertiò, quod Nouitius pro tempore sui Nouitiatus sit subiectus iurisdictioni Prælatorum sui ordinis, coram quibus conueniendus est, si debeat acsi esset professus, & à quibus puniendus est, si delinquat. Et ratio est, quia Prælati Regulares habent iurisdictionem super toto corpore regulari ad quod pertinent nouitij licet non, vt omnino incorporati, tamen vt sub habitu Religioso admissi intra claustra ad experimentum vitæ regularis. Tum secundo, quia cum Nouitij sint exempti à foro laicali, & Ecclesiastico Episcoporum,

rum, essent sine superiore, qui illos corrigeret & puniret, si non subderentur Prælato Regulari. Ideò hanc partem docent Nauar, Azor. Sanchez, Suarez citati. Castro Palaus tract. 16. d. 1. p. 19. num. 8. Lezana tom. 1. cap. 54. num. 4. Tum tertio, quia vt dicebatur num. super Nouitij habent domicilium in Monasterio, & districtu Prælati Monasterij.

5. Colligitur autem ex hoc Nouitium delinquentem posse à Prælato regulari puniri etiam pœna corporali, etiam tradendo illum brachio sæculari, si delinquat. Hoc tamen non eodem modo intelligitur. Nam Sylnes. v. Religio 5. q. 7. ex Geminian. tenet, quod nouitius à Prælato regulari non possit puniri pœna perpetui carceris, quia non potest impediri, quin libere redeat ad sæculum, quod etiam tenuerunt Rocell. v. nouitius num. 15. Tabien. q. 13. num. 14. Armil. nu. 8. Antonius Cuchus l. 3. instit. mer. tit. 1. n. 80. Sed alij hanc distinctionem reprobantes aliter distinguunt, & asserunt, quod vel re adhuc integra, nimirum antequam Prælatus incipiat cognoscere de causa, nouitius vult exire de Religione, vel non vult exire. Si vult exire, & interim Iudex Regularis incœpit cognoscere de delicto, potest ab eo puniri, etiam pœna perpetui carceris, & quacumque alia corporali etiam si postea vellet exire. Sed tamen liberum est illi re integra exire, & tunc nulla pœna puniri potest à Iudice regulari. Et ita tenet Sanchez d. l. 6. moral. cap. 10. num. 13. referens pro eodem Sentent. Anchar. Lupum, Franc. & Dominicum. Idem tenet Coton. l. 4. contr. 3. c. 3. num. 66. Vnde iuxta hanc sententiam, si nouitius recedat ante causæ cognitionem pro delicto intra Religionem commisso puniendus est, si sit Laicus, à iudice Laico, & si sit Clericus à Iudice Ecclesiasticô, prout tenet idem Sanchez num. 14. & Farin. & Bobadil. & sequitur Coton loco citato.

6. Sed veritas est, quod Nouitius pro delicto commisso intra ordinem tempore Nouitiatus etiam si exire velit puniri potest, & debet à Prælato Regulari. Quoniam deliquit in Religione, & subiectus iurisdictioni Regulari, & Religionem eiusque Prælatos contempsit, & contra bonum Religionis alijs scandalum dedit. Tum secundo, quia ratio opinionum aliarum, quæ se fundant in libertate Nouitij ad exeundum à Religione, & ita ad se eximendum à iurisdictione Prælati Regularis, non probat, sed locus delicti attendi debet. Nam non est in Nouitio maior libertas ad exeundum à Religione, quam in aduena vnius ciuitatis, & Regni ad exeundum ab ea ciuitate, vel Regno, & sic ad eximendum se à iurisditione illius ciuitatis, vel Regni, & tamen si aduena delinquat in aliqua Ciuitate, vel Regno, ratio loci delicti preualet, & vt detineatur ne fugiat, & exeat, & ibi punitur vbi deliquit. Ita puniri debet Nouitius in Religione vbi deliquit, & à Prælatis Religionis, Neque obstant cap. statuimus, de regul. & cap. non solum eod. tit. in 6. in quibus statuitur ne nouitius impediatur, quin libere redeat ad sæculum, ibi enim est sermo per se, & de iusta libertate, & re integra, & de retentione ad statum; inhibetur enim ne retineantur contra voluntatem ad permanendum

dum in statu Religioso. Sed canones non voluot manuteueri nouitio illam libertatem, quam de iure perdidit, & iniuste possidet. Ratione enim delicti in Religione commissi amisit iuste libertatem exeundi impunem, ideo & vi potest teneri ne exeat, & puniri pro meritis prout docent Suarez d.l. 5. cap. 16. num. 18. Castro Palaus tr. 16. disp. 1. p. 10. num. 8. Bonac. de legibus disp. 10. q. 2. p. 1. *in*. num. 5. Gramat. decis. 10. vbi ait Ita practicatum fuisse Neap. Tambur. 1. 3. d. 6. q. 28. num. 5. Barbosa 2. p. all. 12. num. 37. Diana p. 1. tr. 2. resf. 27. & p. 3. tr. 1. resf. 33. & 67. & p. 4. tr. 5. resf. 38. 84. & 95. Lezana t. 2. cap. 24. n. 4. Anton. à Spir. S. tom. 3. disp. 2. num. 192. & 141. Bordon. de profess. cap. 4. q. 53. Et probabile putat Cotnn. l. 4. contr. 3. num. 67.

7. Hoc verò ampliari, & extendi debere etiam ad Nouitios Militiarum S. Io. S. Iacobi, & Alchant. & cæterarum habentium tria vota, & Constit. à Sede Apost. confirmatas, tradunt Marchinus resol. pro Nouit. D. Iacobi &c. Ricius tom. 4. resol. 249. num. 166. referens ita declarasse S. Congregationem Diana p. 5. tract. 2. resf. 18. & apud eum Nouar. & Carauai. Quia huiusmodi Nouitij Religiosi sunt. Intantum, quod gaudent suarum Religionum priuilegijs, at verò nedum Religio Militum S. Io. sed etiam S. Iacobi Alcantaræ, Calatruez &c. gaudent priuilegio fori Rota decis. 166. num. 5. p. 2. diuers. Nauar. cons. 10. & 13. de regul. Fagnan. cap. Nuper. de bigam. n. 35. Sic ergo, & Nouitij harum Religionum gaudent fori priuilegio, & dictarum religionum superioribus sunt subiecti; & ab eis puniri possunt. Et ita vt etiá si adesset consuetudo, vt huiusmodi delinquentes à iudice laico punirentur, de qua Mastrill. decis. 190. n. 166. hæc non esset attendenda, quia contraria iurisdictioni, & immunitati Ecclesiasticæ reprobata à Sacris Canonibus, & singulis annis in Bulla cœnæ, Diana ibid.

8. Colligitur secundò, quod huiusmodi delinquentes delictis exigentibus possunt carcerari & contra illos processus formari, & si opus sit possunt ipsi torqueri pro veritate habenda Nauar. dic. cons. 6. de foro compet. Sanchez num. 12. Suarez tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 18. Vech. disp. 11. dub. 12. num. 3. Tambur tom. 3. disp. 6. q. 28. num. 7. post Rodriq. p. 2. q. 2. a. 10.

9. Colligitur tertio Nouitium etiam exeuntem teneri exequi sententiam ad quam iuste damnatus fuit in foro iudiciali per Prælatum regularem, fuit enim iusta sententia (vt supponitur) à competente iudice pronunciata, ideoque obligans damnatum ad illam implendam Suarez d/c. num. 18. Castro Palaus d. n. 8.

10. Colligitur quarto, quod Prælatus Regularis potest Nouitio manenti in Nouitiatu præcipere, & obligare illum etiam in foro conscientiæ, quidquid enim sit de precepto in virtute obedientiæ, de quo infra erit sermo, Prælatos Regulares super subditos non habere solam authoritatem fundatam super voto obedientiæ, sed habere potestatem iurisditionis Ecclesiasticæ Episcopali consimilem quam obtinet à Pontifice statum Religiosuor sub regimine Prælatorum confirmante, cuius virtute potest etiam sub censuris precipere Nouitijs, quæ ad bonum regimen suæ Religionis spectant, & opportuna sunt ad scandala vitanda, & quietem communem conseruandam, sicuti possunt Episcopi in suis Diœcesibus Suarez d. num. 18 fin. Castro Palaus loco citato num. 3. Anton. à Spir. S. tract. 3. d. 2. n. 138. & 139. & apud eum Layman Bordon. de profess. cap. 4. q. 53. Tambur. de iure Abb. tom. 3. disp. 3. quæst. 8. num. 6. Coton. lib. 4. contr. 3. cap. 3. num. 68.

11. Qui Ideò admitti non debet, quod ait Diana p. 9. tr. 8. resf. 59. scilicet quod Prælatus Regularis non potest excommunicare Nouitium quamuis possit executionem pœnæ à se latæ præcipere sub excommunicatione, & fulminare excommunicationem latam à Pontifice. Nam ex vi iurisdictionis quasi Episcopalis, quam habent Prælati Regulares in Nouitios possunt procedere contra illos per censuras. Vt contra Candidum de confess. Sacrament. art. 58. dub. 3. probat etiam Bordon. resol. 54. n. 133. Quinto sint huiusmodi Prælati habentes hanc iurisdictionem, certum est esse Generalem, & Prouinciales. & etiam iuxta cuiuscumque Religionis stylum Prælatos locales. Quamuis verò Clem 8. in decret. de Nouitijs statuat, vt Magister Nouit. super illis habeat plenam, & absolutam potestatem, hoc intelligitur de potestate in foro Interno; non verò de potestate, & iurisdictione externi fori, quæ solis veris Prælatis competit, vt bene tradit Lezana tom 2. cap. 13. num. 48. Vnde Mag. Nouitiorum non habet supra nouitijs iurisdictionem externi fori maiorem, quam sit illa, quam sibi tribuunt cuiuscumque Religionis statuta

12. Duo verò singulariter remanent circa huiusmodi delinquentes consideranda. Primo scilicet, quid agendum, vbi Nouitius statim perpetrato delicto fugit à Religione, & efficitur sæcularis antequam religio potuerit causam illius cognoscere, & illum punire. Ex vna enim parte videtur, quod sit remittendus ad iudicem regularem ad hoc, vt ab eo puniatur. Et ratio est, quia ad fundandam iurisdictionem pro delictis puniendis attenditur locus, & tempus admissi criminis l. 1. ff. de pœnis, & l. iniuriarum ff. de iniur. & aduertunt Couar. pract. quæst. cap. 31. Iul. Clar. in pract. crim. §. final. q. 36. Layman. l. 4. c. 4. num. 4. Bonac. de cens. disp. 2. q. 4. part. 1. §. 2. num. 5. At verò Nouitius tempore patrati delicti erat de iurisdictione Prælatorum Regularium. Secundo nam Clericus reuersus ad statum Laicalem pro delicto commisso tempore Clericatus non punitur à iudice Laico, sed ad iudicem Ecclesiasticum remittitur, vt probat Carolus de Grassis in primo effectu Clericatus num. 1074. Et tenent Layman tract. 9. c. 7. num. 5. Diana par. 3. tr. 1. resol. 34. & p. 4. tr. 1. resf 6. & 27. Thoro t. 3. v. Cl[illegible]cus Marcus Anton. Genuen. in pract. c. 9. num. 1. Thomas Graman. dec. 10. de Franchis dec. 417. num. 4. & 5. Donatus p. 2. tr. 6. q. 9. nu. 2. Eadem igitur ratione Nouitius, qui deliquit tempore nouitiatus, debet ad iudicem Regularem remitti ab eo puniendus, nec potest à iudice sæculari puniri. Lezana p. 3. v. Clericus num. 22. & p. 4. v. Prælatus num. 9. Vbi tamen hoc limitat, vt non procedat in casu, in quo delinquens non possit puniri à Prælato Regulari, quia tunc poterit

tetur puniri à iudice laico. Sed alij censent in hoc casu dari locum præuentioni, & ita vt iudex laicus, si preueniat puniire possit talem iam laicum, & qui iam dimisit habitum, & stante ... sum. Paulus de castro, & alij apud Donatum p. 2. tr. 6. q. 6 ... hanc sententiam approbat ex D. Anton. de Marinis l. 3. resol. quotidian. c. 48. dicente in hoc non fieri Ecclesiæ præiudicium, cum nouitius Religionem ... & habitum dimiserit. Thoro tom. 3. v. Clericus se oblig. in fine. Antonius de Marinis l. 1. resol. quotid. cap. 48. vbi refert plures decisiones S.C. Sanchez quoque l. 6 cap. 10. num. 63. quem sequitur Coron. lt. 4. cont. 3. cap. 3. num. 66. Existimant Nouitium delinquentem, si sit Clericus puniendum à Iudice Ecclesiastico, secus vero si sit laicus à iudice laico. Idem sensit Tambur. tom. 3. d. 6. q. 2 ... n. 4. ex ... p. 1. tit. de inquis. q. 8. num. 46. Alij verò absolute existimant hunc fugitiuum nouitium non posse puniri à iudice regulari, quia est extra eius iurisdictionem, nec à iudice laico ratione fi pra posita, quia nouitius deliquit, quando erat persona Ecclesiastica. Et ita tenent Anton. à Spir. S. tract. 3. disp. 2. num. 146. Ex Palao Tamburin. ibi ipsi contrarius in d. q. 28. num. 6. Bonac. de leg. disp. 10. q. 2. p. 1, §. 2. num 5. Layman. l. 4 tr. 9. cap. 8. num. 5. Diana tract. 1. de immunit. Eccles. resol. 34. Bordon. resol. 54. num. 132. vbi considerat, & adducit cap. 14. sess. 25. Conc. Trid. de reformat. Quod tamen non facit ad rem, quia ibi non datur Episcopo facultas puniendi Religiosum intra claustra degentem, licet extra claustra delinquentem, sed solum cum capiendi, & remittendi ad suos superiores. Mihi in hac parte dicendum videtur, quod nouitius iste pro delicto commisso ab eo tempore nouitiatus, in quo erat persona Ecclesiastica, non potest puniri à iudice laico propter regulam illam, quod quantum ad iurisdictionem ... delinquentes attendi debeat tempus delicti: quæ regula potiori ratione verificari debet, quando delinquens committit delictum de tempore quo erat subiectus habenti superiorem iurisdictionem quam contempsit delinquendo: Nam tunc intrat etiam alia regula, quod inferior iudex non debet cognoscere de iniuria facta superiori dici, sed hoc ad iudicë superiorem pertinet cuius maiestas ... offensa. Cum ergo iudex Ecclesiasticus sit superior iudice laico, & nouitius delinquerit tunc cum erat subditus iudici ecclesiastico cuius propterea iurisdictioné contempsit non potest iudex laicus de hoc delicto cognoscere, sed hoc pertinet ad iudicem Ecclesiasticum. Dicitur secondò, quod minus consequenter loquuntur, qui existimant Iudicem à quo huiusmodi nouitius sit puniendus, esse Ordinarium. Nam cum asserunt pro ratione, quod in hoc attendi debeat tempus delicti, cum eo tempore nouitius non esset subiectus Ordinario, sed Prælato Regulari ... ab isto non ab illo debet puniri. Quod vero hoc Lezana limitauit, vt ... procedat in casu in quo nouitius delinquit ... possit puniri à Prælato regulari, quia tu ... deli... maneat impunitum ... iudicare, non admittitur, quia ... potest in quo delinquens huiu... Tom. III.

modi non possit puniri à iudice Ecclesiastico, præcipue si iudex laicus requisitus non negat brachium seculare. Neque verò iudex laicus acquirit iurisdictionem ex eo, quod non Ecclesiæ auxilium, & brachium seculare, quod idem dicitur de ordinario respectu Prælati Regularis, quia scilicet non acquirit iurisdictionem super nouitio ex eo, quod neget suum auxilium Prælato regulari. Quia tamen Religiones non habent Conuentus vbique, & ideo potest contingere, quod delinquens fugerit vbi non est domus regularis, & vnde non potest deduci, in hoc casu poterit Ordinarius talem nouitium punire, ne delicta maneant impunita.

13. Secundò videndum est à quo sit puniendus nouitius, qui in sæculo deliquit, & post patratum delictum habitum suscepit. Quoniam ... vt paulo supra dictum est, in puniendis delictis ... tempus attendi debet; cum nouitius in tempore laicalis status delinqueri, videtur quod sit à iudice laico puniendus. Nihilominus de ... communi sententia quilibet Clericus, ita & nouitius ex eo, quod suscipit habitum Religionis, & velut ... Religiosus, acquirit etiam immunitatem fori, & eximitur à ... iudicis secularis; quoniam per ... in nouitiatum sit Sacer, & Ecclesiasticus, ... quoque gaudet priuilegio fori prout ... in Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. Nec obstat regula adducta, quia illa non valet, vbi mutatur status, & factor in superiorem, excedentem ... potestatem superiorum inferioris ... vt habetur ex Gloss. in l. nemo potest ff de legat. 1. ver. quia nec, & ibi Alex. num. ... Et ideo quod Clericus pro delicto commisso ante Clericatum non possit puniri à iudice laico tradunt Io. And. in cap. 3. de oblig. Quem sequitur Syluester. v. Iudex num. 6. Carolus de Grassis quam plures referens, de eff. Cler. in p. eff. num. 1074. & apud Donatum loco citato Farinacius p. 4. decis 45. Antonius de Marinis lib. 1. resol. quotid. cap. 48. num. 6. Sanfelic. tom. 1. dec. 2. num. ... & seqq. Idem verò de nouitio tradunt, ex Io. Andr. Syluest. d. num. 6. Vechius disp. 1. dub. 12. num. 10. Diana p. 3. tr. 1. res. 34. & p. 4. tr. 1. res. 38. 84. & 95. Donatus p. 4. tract. 6. q. 5. Bordon. de pr. sess. cap. 4. q. 53. Quod extenditur, vt sit verum etiam, si quis ingreditur in fraudem (ita tamen, vt ingressus sit validus) quia non per hoc desinit, qui ingreditur esse nouitius, sicut qui confugit ad ad Ecclesiam, vt fugiat manus iudicis ... non per hoc desinit esse immunis tanquam in loco sacro existens. Ita citati Syluest. Vechius, Diana, & Donatus, ... nihilominus limitat prædicta, vt habeant locum in nouitio, qui in carceribus emisit professionem. Sed dicitur quod modo cum nouitiatus haberi ... in Conuentibus Regularibus, nunc est ... quod captus ante nouitiatum postea dum ... in carceribus laicæ potestatis recipiatur ad habitum, & emittat professionem. Cæterum in ... casu data professione valida, iudex non possit talem iam professum punire, & eo iam ... Religiosus, & ... iurisdictionem laicæ potestatis. Et ideo idem dicitur de

de nouitio, qui legitime, & valide habitum suscepit. In licet [illegible] etiam eorum, qui volunt quod si laic[illegible] fraudem susciptat habitum Religiosum, quod non sit exemptus à laicu potestate, adhuc est considerandum, quod cognoscere de ista fraude pertinet ad iudicem Ecclesiasticum in [illegible]bio, Carolus de Graffis *d.p. effectu Cler. num.* 1079. Et amplius neque lo eo casu fraudis potest iudex laicus cognoscere de delicto, nisi de eo nouitius fuit accusatus, vel inquisitus, vel infamatus ante susceptionem habitus, & ita quod si fuit accusatus solum de vno delicto ex pluribus, quos commisit, iudex laicus solum de delicto de quo praecessit accusatio, vel inquisitio, vel infamia possit cognoscere, vt tradit idem Carol. de Graff. *num.* 1080. Vbi verò est certum, quod laicus, cum fraude non suscepit habitum Religiosum, etiam in illa sententia teneri debet, quod nouitius non potest pro delictis ante nouitiatum commissis puniri à iudice laico, vt per quam plures DD. quos refert idem Carolus de Graffis *num.* 1075. vbi *num.* 1077. quod praesumitur fraus, vbi laicus iam de crimine accusatus, aut inquisitus habitum Religiosum petit, & recipit Syluest. *v. iudex p. num.*6. Sed nihilominus, vt dicebatur absolute verum est, quod de iure communi nouitius etiam si in fraudem susceperit habitum, sit exemptus à iudicis laici iurisdictione, quia vere nec est fraus vti iure transeundi ad statum Religiosum, quamuis occasio impulsiua ad hoc sit timor tribunalis laici. Multi tamen admittunt hoc solum quantum ad personam nouitij, concedentes nouitium posse puniri in bonis suis, si tamen ante susceptionem habitus Religiosi sententia erat data, vel inchoatus processus, Syluest. *d. num.*6. ex eodem Io. Andr. *in cap. primum de oblig. ad rat.* Quamuis Diana *p.*3. *tr.*1. *ref.*33. probabile putet, quod huiusmodi nouitius nec in pecunia, nec in bonis possit puniri: quod iterum repetit *p.* 4. *ref.* 95. In hoc ergo casu, quod nouitius, qui in seculo deliquit, suscipit habitum religiosum, etiam impulsus timore iudicij secularis, exemptus quidem est à potestate laica quatenus praedi[illegible] item quantum ad personam; sed nihilominus multum considerare debent Praelati Regulares ne iustitia remanear violata, ideo Donatus *d. q.*5. arbitratur, quod considerata qualitate delictorum, vel nouitium debent priuare habitu, quod ipse tutius iudicat, vel illum instante Iudice laico punire, quandoquidem expedit Reipublicae, vt delicta puniantur. Et certe si delictum sit tale, vt graui poena corporali puniri debeat, vt mortis, triremium, carcere, & [illegible] ibus puniri debeat, cognita per Praelatum Regularem causa, quam instante parte [illegible] po[illegible] sine dubio debet nouitius priuari habitu, quia non est dignus, vt admittatur ad pro[illegible] qui sic deliquit, & vtterius debet [illegible] cundum [illegible] culpae [illegible] immunitas [illegible] em huiusmodi à iudi[illegible] [illegible] maneat [illegible] nec est eorum [illegible] patrocinium dare [illegible] omnino talis de[illegible] quens puniri [illegible] iusta legum ac iustitiae exigentiam, & debebit etiam priuari habitu, [illegible] ac [illegible] emendationis, vt alias [illegible] dan[illegible] sustineri possit.

14. De iure tamen nouo Sixti Q[illegible] supra visum est, prohibentis [illegible] ipsi ad habitum criminosos, & volentis [illegible] contra eos procedere, [illegible] oppositum esse dicen[illegible] ad uertit Diana *p.*4. *tr.*1. [illegible] Octauus per Constit. in superiora 2. A[illegible] terminos iuris communis C[illegible] Q[illegible] qua. tum ad eam partem in qua [illegible] nouitiatum, & professionem horum criminosorum consequenti etiam reduxit eandem ad terminos iuris, quantum ad fa[illegible]tatem, quam dedit iudicibus laicis procedendi contra nouitios qui in saeculo deliquerunt, quia h[illegible] facultas prout expresse habetur in Const. [illegible] cum de omnibus, tota fundatur in [illegible] nouitius, & professionis, [illegible] *& propterea* [illegible] *te habitum, & prof*[illegible] *quibus* [illegible] *iudicibus &c.* Ideo etiam stante iure nouo [illegible] non possunt à iudice seculari puniri de crimina in seculo patrata, prout tradunt D[illegible] *d. ref.* 5. & apud eum Homob. *vol.* 1. *prac.* [illegible] *ref.* 290. Vechius *disp.*11. *dub.*1 *a. nu.*11. Mar[illegible] de [illegible] *p.*4. *tract.* 2. *casu* 131. *a. num.* 22. & al[illegible] supra citati.

15. Hoc vero limitant aliqui, vt non procedat in casu, in quo iudex laicus ant[illegible] in Religionem coeperit cognoscere de [illegible] patrato: nam in hoc casu potest iudex la[illegible] nouitium extrahere, & punire Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 3. *num.* 196. ex Portell. *v. nouity num.* 7. & fundatur *in constitut.* Sixti Quinti Bor[illegible] de *profess. cap.* 5. *q.* 43. vbi quod Clemens Octauus reduxit ad terminos iuris conft. Sixti Quinti solum quantum ad receptionem habitus, & professionis, vnde professione non emissa no[illegible] possunt à iudice seculari iudicari. Sed bene h[illegible] impugnatur ex dictis. Quia licet Clem. 8 [illegible] recte reduxerit dictas Sixti constitut. ad terminos iuris quantum ad valorem nouitiatus, & professionis, consecutiue illas reduxit etiam quantum ad facultatem tributam laicis indican[illegible] nouitium pro delictis antea commissis, cum [illegible] facultas tota fundetur in nullitate nouitiat[illegible] & professionis Tambur. *tom.*3. *d.*6. *q.* 28. *num.*1. Ex Vech. in praxi *disp.*12. Sic si nouitius habeat [illegible] bita ciuilia coram Praelato Regulari co[illegible] debet ac si esset Professus, non vero coram iudice laico, vel Ecclesiastico, quia nouitius ab vtroque foro est exemptus Sanch[illegible] *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12. Tambur. *d.q.* 28. *num.*9.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij ad obseruantias Regular*[illegible] *non tenentur ex* [illegible] *oto. n.*16.
2 *Ad eas tamen experiendas tenentur* n.16.
3 *An noui ius teneatur ad obseruantias regulares nu.*17.
4 *Nouit*[illegible] *directe tenentur ad obseruantiam regula. nu.*18.

Aduc-

5 *Aduenae tenetur ad . . . es lo . . num.18.*
6 *Prælati habent in nouitios potestatem iurisdictionis n.19.*
7 *Imo & dominatiuam ortam ex conuentione. num.20.*
8 *Non est eadem ratio de Cathecumeno, & nouitio. num.21.*
9 *Cathecumenus receptus in Collegio tenetur ad leges Collegij. nu.21.*
10 *In casu, quod nouitius transgrediatur regulam potest puniri. n.22.*
11 *Nouitius obligatur ad pœnas regulæ. numero 22.*
12 *Nouitius potest cogi ad pœnas subeundas: numer.23.*
13 *Prudentia opus in Magistro nouitiorum. numer.23.*
14 *Si pœna eiectionis sit adæquata, non additur alia. nu.24.*
15 *Qui non puniendus extra ad instantiam Religionis. nu.24.*
16 *Nouitius ad obseruantias regulæ non tenetur ex lege obligante ad culpam. n.25.*
17 *Nisi superior ex speciali ratione velit obligare ad culpam. nu.26.*
18 *Prælatus potest præcipere in virtute Sanctæ obedientiæ. nu.27.*
19 *Nouitius sub culpa tenetur ad pœnas sibi impositas. n.28.*
20 *Et aliquando etiam si recedat à Religione. numer.29.*
21 *Nouitius non amittit dominium bonorum suorum, & illorum vsum. n.30.*
23 *Non potest vti suis bonis in præiudicium obseruantiæ. nu.31.*
24 *Respectu bonorum Conuentus nouitius peccat si sine licentia illa alienat, vel eis vtitur. nu.32.*
25 *Nouitij incontinentia non continet circumstantiam aggrauantem nisi per accidens. numero 33.*
26 *Si exeat potest ducere vxorem. n.33.*
27 *Nouitij non tenentur ad recitandum officium diuinum; nisi ex speciali causa ad id teneantur. num.33.*
28 *Qui voto simplici vouit castitatem, paupertatem & obedientiam tenetur ea seruare ac si esset professus. n.35.*
29 *Prælati habent iurisdictionem etiam in nouitios nu 35.*
30 *Nouitius, qui vouit seruare regulam, comprehenditur sub præceptis latis pro tota communitate. n.36.*
31 *Nouitij an teneatur ad suffragia pro defunctis. num.37.*

De obligatione Nouitiorum ad statuta regularia seruanda.

INSPECTIO II.

16. INdubitatum est primo nouitios non teneri ex professione, & voto ad seruanda statuta Religionis, quam ingrediuntur, quia nondum professi sunt, nec vota Religiosa emiserunt. Certum quoque est secundò eos aliquo modo teneri ad huiusmodi obseruantias regulares, cum ad illarum experimentum susceperint habitum religiosum, & inter Religiosos viuant.

17. Dubium verò esse potest, ex qua virtute, & quomodo teneantur. Dicunt verò communiter eos teneri indirectè, & ex decentia. Indirectè quidam, v.g. ex virtute charitatis, ne alios scandalizent, & conturbent. ex decentia verò quia, vt habetur ex *cap. Recolentes*, de statu Monachorum, dignũ est, vt qui similem cum alijs vitam eligunt, similem sentiant in legibus disciplinam, ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 10. num.7.* onDatus *p.4.tr.6.q.11.* Anton. à Spir. S. *tr.3.disp.2.num.137.* Cæterum nouitios directè, & per se, seu absolute non teneri ad obseruantiam Regulæ tenent Syl. *v. Religio 5. quæst. 6.* Tabien. *v. nouitius quæst.13. num.14.* Armil *num.18.* Ang. *num. 18.* Rosell. *num. vlt.* Cord. *l.1. q. 3. d. col. 5.* Azor. *l. 12. instit. cap.2. q. 10.* Henric. *l. 7. de indulgent. c.22. num.7. & l.6. pœnit. cap.16. num.3.* Sà *v. Religio num.8.* Graff. *p.1. decis. l.3. cap.5. nu. 13.* Rodriq. *p. 1. q. 21. a. vlt.* Cataneus *v. nouitius* Tambur. *t.3. d.3. q.8. num.4.*

18. Verum in hac parte aliter mihi dicendum videtur, duæ enim quæstiones hic distingui possunt. Prima est an nouitius teneatur ad obseruantiam Regulæ. Secunda, est an hæc obligatio inferat culpam, vel potius sit obligatio ad pœnam. Ad primum quæstionem dico, quod directè, & per se nouitij teneantur ad, obediendum statutis regulæ. Et quidem primo, quia ad id tenentur ex conuentione, est enim hæc obligatio intrinseca conuentioni initæ à nouitio in receptione habitus religiosi. Recipitur enim veluti vt ciuis Religionis, & nedum vt ipse experiatur regulares obseruantias, sed etiam vt religio experiatur voluntatem eius erga illas, & aptitudinem ad illas seruandas &. ad vitam regularem. At vero nec ipse nouitius potest experiri, quid possit circa statuta regularia nec religio potest experiri, quantum valeat, & velit eadem seruare, si illas nolit seruare, sed ex hoc solum cognoscere poterit Religio, quod ille nolit se subdi regulæ & sit ineptus ad vitam regularem. Itaque ex hoc sic probatur conclusio. Vnusquisque directè tenetur ad seruandas conuentiones contractus, & pacta inita, sed nouitius conuenit cum Religione viuere secundum obseruantias regulares, ex directione superiorum, quia conuenit, & se tradit Religioni, vt obseruantiam regulæ

gulæ experiatur, directè igitur tenetur regulæ obseruantiam experiri. Secundo nam hominem etiam aduenam subdi legib. loci in quibus reperitur ad minus si intēdat ibi manere per maiorē anni partē negari non potest,& videri possũt DD. quos referũt Sanch. de *matr. l.3. disp.18 n.9.* Diana *p.1. tr.10. resol.15.* & cum non deceat in communitate, quod membra a capite discrepent. *cap. Celebritatem dist.3 de pœnit.* & turpis sit pars vniuersitati non congruens. *cap. Quæ contra dist.8.* Nouitius vero nedũ vt aduena; sed vt ciuis, & habens domicilium in eo, viuat, & habitet in claustro tenetur quamdiu sic manet legibus claustri.

19. Tertiò, quia contraria opinio non distinguit, prout oportet, inter potest[illegible]m fundatam super voto obedientiæ, & potestatem iurisdidictionis fundatam super officio, & prouenientem ex Summo Pontifice, tanquam necessariam ad rectam institutionem, & rectum gubernium communitatis regularis, ex qua Prælati regul. habent, vt sint veri Superiores potentes ligare etiam censuri[illegible], & solu[illegible]re, & omnia ea [illegible]præcipere quæ ad qui[illegible]tem, & pacem communem, & commune b[illegible]num pertineant. Quamuis enim in Prælatis regularibus respectu nouitiorum nondum prof[illegible]ssorum, desit prima potestas non deest tamen sec[illegible]nda, per quā quilibet superior habet iurisdictionē, nedũ super incolis sui loci, sed etiā super aduenι, vt compellit eos ad leges locis quādiu manēt ibi, eosq. cogat, vt nō perturbent pacem, & quietem suorũ subd[illegible]torum. Sic enim etiam Prælatus monast[illegible]ij super suo claustro habet superioritatem, & potestatem, vt nouitios in eo ad experiendam religionem existentes faciat obseruare id, sub cuius condi[illegible]ione illos recepit, & quod si non obseruetur, cedit in inquietu[illegible]inem, scandalum, & perturbationem suæ communitatis. Igitur & nouitij tanquam subditi Prælati regularis debent ei subijci, & mandatis [illegible]ius parere.

20. Quarto quoniam imo si res diligenter pensetur apparet, quod licet in Prælato respectu nouitij non sit potestas dominatiua fundata in voto obedientiæ, est tamen potestas dominatiua fūdata in conuentione, & promissione nouitij, & intrinseca naturæ nouitiatus, qui importat statum personæ experiri volentis, et debentis vitam Regularem sub directione superioris: ex hac enim conuentione initā à nouitio, & condi[illegible]ione nouitiatus necessario in superiore oritur potestas dominatiua, & gubernatiua noui[illegible]q. [illegible]ua in experimēto regulæ. Vnde dat[illegible] etiam, quod superior non haberet super n[illegible]onē haberet tamen hanc po[illegible]minatiuam, & paternam, vel[illegible] habet Abbatissa Monialium, no[illegible] in Moniales, & Nou[illegible]

21. Quinto, [illegible] oppositæ sententiæ non val[illegible] Cathe[illegible] obligatam ad [illegible] [illegible]. quod ne[illegible] obligatus ad leg[illegible] [illegible] ecclesiæ iu[illegible] quæ [illegible] sed nouitius per [illegible]tionem hab[illegible] dicitur de

iuri[illegible] ecclesiastica, scilicet [illegible]tione, qua habet super Cleric. & exim[illegible]tur iurisd[illegible], ideo cathecumenus no tenetur legib. ec[illegible] q[illegible] nō est assũptus à libertate infidelitatis, & subditus iurisd. ecclesiæ, donec per Bapti[illegible]mũ [illegible]. Sed nouitius fit de iuri[illegible]ctione R[illegible]igionis, cum eximatur a foro laicali, imo & E[illegible]copali, & per ingressum Religionis non eximatur ab omni lege, & subiectione superioris, sed ideo eximatur a foro laicali, & Episcopa[illegible], quia [illegible] foro religioso. Deinde secũdo C[illegible] nũ viuit loco, quod sit solius [illegible] ecclesiæ, vnde ratione loci ei subdatur. Licet enim omnis locus sit de iurisdictione eccl[illegible]siæ, hoc est respectu fidelium, nam respec[illegible]u aliorum habet quidem ius docendi fidem, & p[illegible]adendi baptismum, sed non habet ius e[illegible] compellendi ad fidem, & baptismum [illegible] ad seruandas eas leges, ad quas o[illegible]igant [illegible] susceptionis baptismi. Cer[illegible] non potest quis obligatus est a[illegible] [illegible] fid[illegible] est permissa, & ex c[illegible] [illegible] nun obedientia ad leges fidei. Sed si Cathe[illegible]umenus recipiatur ab ec[illegible]lesia in [illegible] vt in Collegio aliquo a[illegible] [illegible]dus, & aleud[illegible] [illegible] teneatur ad leges fidei, q[illegible] adhuc nō exigitur ab ecc[illegible]sia, tenet[illegible] a[illegible] leg[illegible]s loci, & vt in Collegio viuat iuxta Co[illegible] leges, si in collegio manere ve[illegible]. Sic [illegible] admi[illegible]tur in Collegio Cathe[illegible] [illegible]gij tenetur. Ita nou[illegible]tius, quia rec[illegible] in loco proprio iuris[illegible] Prælati R[illegible]gularis, et vlterius in loco specialiter [illegible]putato ad vitam regularē, tene[illegible] ad leges loci, & ideo ad ob[illegible]uantias regulare[illegible] [illegible] leges loci, quamdi[illegible] vult man[illegible] in no[illegible]tiatu. Et ita tenuit Sarmiento *l. a se cellarum cap.5* Bord. *de profes. cap.4. qu.52.* In hoc ergo verum dicit illa prior opinio, quod ex vi vo[illegible] non tenetur n[illegible]itius ad obseruantias regulares, sed non val[illegible] con[illegible]uentia ergo non tenetur ad [illegible], qu[illegible] vnde tenetur. Sed ex q[illegible] a virtute [illegible] ex virtute religionis [illegible] ad experiment[illegible] [illegible] tenetur ex iustitia le[illegible], ex qua [illegible] ad leges, quæ latæ sunt pro bo[illegible]. Te[illegible] tenetur ad superiores ex pi[illegible]tate qua[illegible]am religiosa, vt illis reddat reu[illegible]tiam h[illegible]orem, & obedientiam. Quartò te[illegible]tur ex fi[illegible]ate, quia ex q[illegible] se tradid[illegible] religioni, & Præ[illegible]s eius ad [illegible] secundum regulam, & [illegible] experimenti [illegible] stare p[illegible]m illis. Principalis tamen obli[illegible]atio est ex virtute Religionis.

22 An vero hæc ob[illegible]gatio s[illegible] ad culpam, vel solum ad pœn[illegible]m, [illegible] animum ad primam partem. Nam nouitium si [illegible] regrediat[illegible]r reg[illegible]lam poss[illegible] corrigi, & [illegible] modo puni[illegible] dictum [illegible]pra *nu.6.* & ne[illegible] est, q[illegible]ia certũ e[illegible] posse puoiri p[illegible] au[illegible], si tant[illegible] pœnam m[illegible] ex hoc [illegible] si inob[illegible] si[illegible]ior, potest [illegible]. Ei [illegible] necessarium etiam ad [illegible] dum ex[illegible], appar[illegible] & promptitudo [illegible] cor[illegible]

Ex

Ex quo magis apparet obligatio eius ad obediẽdum legibus regularibus, cum propter inobedientiam puniri possit. quod fieri non posset nisi esset ad obediendum obligatus. Nihilominus nouitium regulæ trangressorem non posse puniri pœna imposita à regula tenet Donatus *p.4.tr.6 q.11.num.* 5. Pariter nouitium non incurrere pœnas in regula contra trangressores impositas dixit Tambur. *t.3.d.3.q.8.num.*8. Sed oppositum est dicendum, quia ad minus nouitius tenetur ad obseruantiam legis regularis obligatione obligante ad pœnam, cum sit veluti ciuis Religionis, & gaudeat priuilegijs religionis, & sit receptus in ea sub conditione, vt experiatur vitam regularem, quod est dicere sub conditione vitæ regularis. Et ita nouitius pro delictis commissis, contra Regulam, & Constitutiones potest puniri iuxta Regulam vsque ad pœnam carceris inclusiuè Azor. *p.1. l.2. cap.2. qu.*11. Sanchez *l.6.c.*10. *num.*13. Rodriq. *t.2.q.2.ar.* 50. Et si velit perseuerare in Religione Syluest. *v. Religio.*5. *q.*7. Tabien. *v. Nouitius, num.*13. Armilla *num.*18. Rosella, *num.*12. Tambur. *tom.3.d.6.q.*28. *num.*8. An vero si re integra, & antequam superior inceperit indicium possit cogi nouitius, qui vult recedere à religione ad luendadam pœnam, negat Tambur. *d. qu.*28. *num.*8. referens pro eadem sententia Vech. *disp.*11. *num.* 6. Dianam *tract.*1. *de immunit. Eccles. resol.* 34. Sed eum posse cogi sentit Suarez *tom.3. de relig. l.*5. *c.*16. *num.*8. Et hic puto dicendum, quia ex quo deliquit contraxit obligationem ad pœnam, recessus vero nouitij à religione illum quidem potest liberare ab obligatione in futurum, sed non ab obligatione de præterito iam cõtracta, ex quo deliquit, & superioris suis mandata contempsit; ideo tenetur, & potest cogi antequam recedat vt pœnam sustineat. Accedit secundo, quod daretur occasio, & ansa nouitijs delinquendi, & regulam, & leges, & superiores contemnendi, si scirent quod post inobedientias, aut delicta possent impunè redire ad seculum, quandocumq. voluerint. Item tertio, & de iure Canonico, & de iure ciuili, qui deliquit in vno territorio, non habet ius vt sic ad libitum exeat ab illo, quod Magistratus Dominus territorij non possit illum retinere ne exeat, vt interim pœnam delicto dignam subeat, velit, nolit. Igitur cum nouitius in nouitiatu deliquit, & sic Religioni & habitui religioso iniuria fecit, à superiore nouitiatus potest interim detineri, vt pœnam recipiat, & non permittere, vt non punitus ad seculum redeat, vbi tamen agitur de sola inobedientia legum ordinis, seu de defectu non admodum graui.

23 In casu vero, in quo nouitius nolit subire pœnitentiam sibi iustè impositam, requiritur in Magistro nouitiorũ valde prudens arbitrium, vt ex vna parte considerata qualitate nouitij, & periculo graui salutis ei imminenti si recedat ab ordine, & ex alia parte grauitate transgressionis & præcipuè si de ea sæpius correctus non se emendauit, & periculo perturbationis religionis, & scandali aliorum nouitiorum si ille inobediens sine pœnitentia retineatur, videat quid agendum, & an indulgendum imprudenti [illegible] nouitij, vel consulendum indemnitati Religionis. Aliquando enim indulgentia in hoc casu melior erit quam consulit Syl. *v. Religio* 5.*q.*6. ex *cap. Quod scripsi* 35.*q.*3. aliquando vero melior, & securior seueritas disciplinæ. Suarez *dicto nu.*18. Et sic in corrigendis nouitijs, vbi sit periculum, quod ex seueriori disciplina, & seuera pœnarum exigentia regulæ recedant, quantum fieri poterit salua disciplina regulari mitius cum nouitijs est agendum. Non quia, vel nouitius non teneatur ad rigorem, vel quia superior non possit vti rigore salua iustitia, sed quia iustitia regi debet ex charitate.

24. In casu vero in quo nouitius inobediens eijciendus sit, vel pœna eiectionis sufficienter adæquat demeritum trangressionis, & tunc non potest nouitius puniri pœna alia in similes transgressores taxata, quia eadem trangressio duplici pœna adæquata non potest puniri. Sed si transgressio sit tanta, vt eiectio à Religione non sit pœna adæquata, potest, & debet amplius quantum decet puniri in religione ad exemplum aliorum, & satisfactionem iustam Religionis, & sic dimitti bene punitus. Suarez *dicto num.*18. Et ex his dicta *num. super.* Explicari possunt. Vbi enim agitur de simplici inobedientia regulæ, & nouitius in pœnam suæ inobedientiæ eijcitur, non erit alia pœna puniendus, quia satis punitur per exclusionem, sed vbi qui vult exire, est nouitius ipse; & iam exitus illi non est pœna, sed ipse exitum eligit, si alias delinquit, bene poterit puniri, & debebit, & maximè si in confidentiam sui exitus deliquit. Non enim iustum est, quod impunitas exeundi sit nouitijs maior ansa delinquendi, sed opus est vt sciant, quod si inobediẽtes erunt, prius punientur, quam exeant. Vnum aliud etiam valde aduertendum est, quod volentes exire prius puniri debent, si delinquerunt, ne desiderium fugiendi pœnam, sit illis occasio exeundi; magis enim obedientes erunt, & in proposito Religionis stabiles, si sciant se pœnam subituros, siue exeant, siue non exeant.

25. Sed quantum ad obligationem ad culpam, puto locum habere sententiam communem, quia scilicet, vbi alias nouitius non est obligatus, vel ex lege diuina, vel ex lege ecclesiastica, ex vi legis regularis non obligatur nouitius ad culpam, etiam si lex regulares pr[illegible] alios ad culpam obliget, Quod est, quod intendunt plures DD ex citatis, dicentes nouitium non obligari in conscientia ad seruanda statuta regulæ. Et ratio est, quia ex vi contractus initi cum Religione non oritur hæc obligatio ad culpam, sed sufficit obligatio, vel ad subeundam pœnam regulæ pro transgressoribus impositam, vel ad subeundam pœnam eiectionis à Religione: etenim nec nimior obligatio est connexa experimẽto regulæ ad quod nouitius se obligat. Satis enim & pro se, & pro Religione regulam experitur, qui vel legem seruat, vel subit pœnam legis, aut subit pœnam nullitatis contractus initi pro experienda regula; quidquid sit an non seruando Regulam Deum offendat per culpam, vel non offendat. Hoc enim ad experimentum regulæ externum, & in facie Ecclesiæ non pertinet. Et ita neque obligatio, quæ oritur ex loco maior est per se, & necessario, vbi quis locum ingreditur

ex

ex conuentione cum superiore loci. Tunc enim ingrediens obligatur iuxta naturam conuentionis. Modo nouitius ingreditur Claustrum ex conuentione cum superiore, non vt profiteatur regulam, sed vt experimentum illius sumat, ideo non tenetur nisi ad experimentum illius sumendum, & ita vel etiam ad experiendam pœnam à lege in transgressores latam, vel ad subeundum pœnam nullitatis contractus, seu eiectionis a Religione, vel etiam maiorem, si non sufficiat illum à Religione eijci.

26. Limitandum tamen hoc est, nisi superior ex speciali ratione præcipiat nouitio præcepto obligante ad culpam, ex ea potestate, qua est illi subiectus, & qua superior vti potest pro communi quiete, & bono suæ Religionis. Potest enim vt supra dictum fuit, superior præcipere nouitio etiam sub pœna excommunicationis, & præcepto obligante ad culpam; quamuis sine speciali necessitate hac facultate non debeat vti Prælatus, vt notat Lezana *to.1.cap.24.n.2.*

27. Ex his verò multa colligi possunt, ad punctum huius quæst. pertinentia. Et quidem primo posse Prælatum regularem præcipere aliquid nouitiò in virtute sanctæ obedientiæ. Quia licet hoc non possit ex vi voti obedientiæ, quia nouitius hoc votum non emisit, ideo ex vi illius non potest obligari: potest tamen ex vi præcepti exigentis obedientiam, quam nouitius debet prælato, vt ordinario superiore tenente locum Episcopi, vel, vt melius loquar Ordinarij Gubernatoris ecclesiastici sui monasterij, & ideo habentis potestatem præcipiendi ea, quæ ad commune bonum sibi commissi Claustri faciunt. Et hoc est de mente illorum DD. qui dicunt Prælatum posse præcipere nouitio obligando eum in conscientia, & sub censuris.

28. Colligitur secundò, an dicendum sit nouitium non obligari obligatione inducente culpam ad pœnitentias regulæ subeundas per se loquendo, & directe. Videtur enim, quod sic dici debeat, quia sicut nec obligatur ad statuta regulæ huiusmodi obligatione, ita nec ad regulæ pœnas subeundas. Et ita vniuersaliter, quod lex non obligans ad culpam neque sub culpa obliget ad subeundam pœnam tenuit Caiet. supra *q.186.ar.9.* ad tertiũ & alij quos retuli supra *d. a. 9.n.45.* Sanch. *d.lib.6.mor.c.10.n.13.fin.* distinguit, & ait quod pœnam impositam nouitio secundum formam iudicij tenetur nouitius subire, & peccat non implendo. Sed pœnã latam extra iudiciũ non tenetur subire obligat. obligante ad culpam, quia præcepta superioris regulariter non obligãt nouitium ad culpam. Sed supra loco citato cum S. Ant. Castro, & Azor. tenui legem non obligantem ad culpam, sed ad pœnam obligare sub culpa ad pœnam legis subeundam. Quod certè est de mente D. Thom. *d. ar.9. ad tertium* D. Ant. *3.p. tit.16. §.1.* Syluest. *v. Religio 3.q.12.* Nauar. *cap.23.nu.49.* Quamuis vbi pœna requirit factum hominis, seu impositionem superioris, tunc sufficit iustam esse pœnam si imponatur. Et ita quod nouitius teneatur ad pœnam regulæ si delinquat docet etiam Palaus *tr.16 d.3.p.10.num.5.* & id ratio petit. Nam & hoc ad experimentum pertinet vt nouitius pœnam experiatur. Et nihilominus etiam si lex non obligaret sub culpa ad pœnam vix dabitur casus in quo nouitius sine culpa possit pœnam impositam refutare, tum ratione scandali, tum per se; quia vbi lex non obligat ad culpam, tamen legis transgressio non est sine culpa, si proueniat ex negligentia vel libidine, vt supra loco citato ex D. Thoma probatum fuit. Ideo qui sine causa rationabili, & sine honesto, legem transgreditur semper peccat. Hęc tamen non erit culpa mortalis nisi adsit speciale superioris pręceptum obligans sub morte.

29. Colligitur tertiò qualiter nouitius recedens etiam post recessum teneatur implere pœnitentiam à Prælato regulari impositam. Si enim in forma iudicij sit imposita, peccat, si non implet, quia iudicialis iusta sententia obligat in conscientia, & ad culpam. Sanchez *dicto num.13.* Palaus *trac.16.disp.1.p.10.num.13.* Anton. à Spir. San. *tr.3. disp.2. num. 143.* Sed pœnam impositam extra iudicium, eum non teneri seruare, dicunt, quoniam huiusmodi pœnæ imponuntur sub cõditione permanentiæ in statu religioso. Ego cẽseo, si velit Prelatus etiam extraiudicialiter procedẽdo posse præcipere recedẽti à religione sub præcepto obligante ad culpam, vt impleat iustam pœnitentiam impositam pro delicto patrato in nouitiatu; quod enim Prælatus procedat non iudicialiter, non diminuit eam potestatem quam habet puniendi nouitium pro delicto commisso tempore nouitiatus; quia hanc potestatem habet ratione officij, & sufficit quod Prælatus iustam pœnam imponat, ad hoc vt possit obligare sub culpa ad implendam pœnam. Ideo si Prælatus imponat pœnam, vt subeundam etiam post exitum, tenebitur nouitius illam subire, etiam sub mortali, si sub mortali fuit imposita.

30. Colligitur quartò qualiter dicendum sit peccare, vel non peccare nouitiũ in materia paupertatis. Distinguitur enim vsus, vel rerũ Conuẽtus, vel earum, quarum ipse est dominus. Nam quantum ad istas nouitius nec amittit dominium, quod illarum habebat, nec est priuatus vsu illarum, quin possit de illis disponere per licitos contractus, & quin possit alias res temporales acquirere. Quia huiusmodi dominium liberum vsum non amittit ex vi voti, cum votum non emiserit, neque ex lege aliqua, quia hæc lex non adest. Neq. id tolli potest ab eo per præceptũ superioris quia ad hoc superioris iurisdictio nõ se extendit, cum de iure nihil intersit per se loquendo ad religionem, quod nouitius nondum professus sit suarum rerum dominus, & quatenus posset esse contra spem aliquam monasterij, cum monasteriũ non habeat ius ad bona nouitij, non potest superior illum impedire ne nouitius de suis bonis disponat liberrimè. Suarez *d.3. de Relig. l.5. c.16. num.5.*

31. Limitatur tamen hoc, vt non liceat nouitio vti suis bonis in præiudicium obseruantiæ regularis, & dignitatis seu honoris Religionis. Ideo non potest nouitius acquirere nouas facultates per negotiationes illicitas. Neq. potest vti suis bonis ad transgrediendum statuta regulæ. Et licet circa huiusmodi ex supradictis possit nouitius sine culpa per se operari. Quia sine culpa per

per .. loquendo potest trangredi præcepta regulæ, & ita etiam si per negotiationes illicitas professis acquireret aliquid, ex hoc per se non peccaret, quia huiusmodi leges sub culpa non obligant nouitium. Nihilominus posset Prælatus prohibere nouitio huiusmodi vsum suorum bonorum etiam sub censuris, si opus esset. Quia in his quæ spectant ad bonum regimen, & commune bonum religionis, nouitius est subditus Prælato regulari. Suarez *ibid. num.6.* Neque nouitio permittendus est vsus rerum suarum; nisi dependenter à licentia superioris, vt statum paupertatis experiatur.

32. Sed respectu bonorum Conuentus potest nouitius peccare, & grauiter contra iustitiam, ac si esset professus. Si enim siue licentia superioris res monasterij extra Religionem donet, seu quomodocumq alienet in magna quantitate peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. In vsu autem rerum monasterij sine licentia superioris siue ad propriam vtilitatē, seu ad commodū aliorum rarius continget peccatum mortale, quia non tam de facili erit superior inuitus, nisi consumatur res pretiosa, rara, & magni valoris, aut in magna quantitate. Semper tamen erit peccatum veniale sine licentia saltem præsumpta superioris vti rebus monasterij. Sed de his satis supra egimus in tractat. de voto paupertatis. Quantum cum sit ex parte iustitiæ eadem est in professis, & in nouitijs, quorum nullus potest vti rebus monasterij inuito Domino, ideoque inuito superiore.

33. Colligitur quinto, quod in materia castitatis nouitius si præceptum diuinum violet de castitate seruanda, non peccat alia specie peccati, quam si esset secularis, per se & directè; quia ex nullo alio præcepto tenetur ad castitatem quam ex lege diuina, ex qua etiam tenetur laicus. Circumstantia vero habitus non aggrauat in infinitum; quia non tenetur ex speciali mandato ad castitatem, & deferre habitum Religionis hoc non sufficit ad aggrauandam hanc culpam in infinitum, cum nouitius deferat habitum ad experimentū. Quod vero nouitius maiora beneficia à Deo receperit, & maiorem boni, & virtutis notitiam, & vberiora auxilia gratiæ, est circumstantia multum generalis, nec valens augere malitiam peccati taliter, vt sit necesse explicare illam in confessione, & huiusmodi Dei dona, & maiora potuisset habere etiam in seculo. Suarez *d. cap.16 num 3.* Palaus *tract.16. d.1. p.10. num.5.* Anton. à Spir. San. *trac.3. disp.2. num.136.* Verum tamen ..., quod per accidens ratione scandali, & ratione damni, quod affert Religioni si publice peccet; magis peccat nouitius intemperans, quam secularis. Et magis peccat contra charitatem, quia maius scandalum generat, & vlterius peccat contra iustitiam, si religioni in fama præiudicat. Ex quo enim defert habitum Religionis tenetur ex iustitia sic illum deferre, vt non cedat in damnum Religionis, quæ habitum concessit. S..., & Anton. a Spir. San. vbi supra. Cæterum d... ..as, quæ fuit g... apud antiquos Canonistas, vt ... te ... in ... ano ... *cap. Consului* ... no ... nouitius ... dens à religione ma... ...tus ad Religionem in communi, vel potius possit contrahere matrimonium validum, hodie cessat ex decreto Concil. Tridenr. *sess. 25. cap. 15. de regular.* Vnde ... noui ius recedens vxorem ducere, & si intemperanter viuat, eum fuisse Religiosum non est circumstantia specialis aggrauans in infinitum. Suarez *ibid.*

34. Colligitur sextò. Nouitium non teneri ad recitandum officium Diuinum. Licet enim Palud. *in 4. d.15. q.* ... crediderit eos teneri, quia viuunt ex eleemosynis, & fruuntur bonis, & priuilegijs Religionis. Nihilominus nouitium non teneri ad persoluendum officium diuinum præcepto scilicet obligante ad culpam docuerunt D. Anton. *3. p. tit.13 cap.4. §.1.* Sylu. *v. hor. Canon. q.2.* Caiet. *in sum. eod. verbo.* Soto *l.10. de iust. q.5. ar.3. fin.* Less. *lib.2. cap.37. d.9. num.49.* Sà *v. horæ canon. num.1.* Suarez *tom.2. de relig. l.4. cap.17. n. 2. & tom.3. l.5. c.16. num.19. & de horis canonicis cap.17. num.2.* Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Præsbytero numer.27. de celebratione Missarum.* Azur. *p.1. l.10 c.6. q.3.* Bonac. *de horis canonicis disp.1. q.2. p.2. num.1.* Baldell. *tom.2. de adorat. l.3. disp.22. num.2.* & apud eum Les. Vasq. Reginal. Sanchez, Laymam. Et ratio est, quia nullo iure, vel consuetudine legitimè præscrita hoc cautum est. Nec quia gaudent priuilegijs, & bonis Religionis ideo tenentur ad officium, quia vt bene aduertit Nauar. etiam Clerici primæ tonsuræ gaudeat priuilegio fori, nec tamen ob hoc obligantur ad horas Canonicas. Et nouitijs competunt bona, & priuilegia Religionis, quia sunt in via, & experimento religionis. Syluester tamen loco citato, ait nouitios teneri ad aliquod indeterminatum, licet non ad horas. Sed neque hoc dictum aliquo iure aut consuetudine roboratur, sed obligatione nouitiatus tenentur nouitij etiam ad horas, sicut ad cæteras obseruantias religionis: sed obligatione magis speciali; & sub culpa, nec ad orandum in genere tenentur, nisi sicut reliqui homines, cum vrget præceptum aliquid à Deo postulandi, vel Deo gratias agendi, eumque laudandi, & inuocandi. Et nisi nouitius habeat beneficium ex quo obligetur ad dicendum officium. Anton à Spir. San. *trac.3. disp.2. num.211.* Benè tamen fidelitate possunt nouitij ad aliquas preces, horas, vel orationes obligari, si scilicet monasterium ex speciali obligatione erga aliquem teneatur ad aliquas præces, seu orationes, ad quas recitandas deputentur nouitij. Si enim id non præstent deficient saltem à fidelitate, quia cum susceperint onus implendi debitum illud monasterij, et hoc superiori promiserint, se id præstaturos, infideles sunt in promissis, si id omittant. Et bene potest contingere, quod in hoc mortaliter peccent etiam contra iustitiam, si omissio sit in graue præiudicium proximi, & ipsi sint causa, quod non satisfiat obligationi Monasterij ipsis non satisfacientibus, & superioribus bona fide credentibus per nouitios satisfieri.

35. Colligitur septimò quid dicendum sit in casu singulari nouitij, qui voto simplici statim ab initio sui nouitiatus ex deuotione promisit Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam sicut consueuit fieri in Societate Iesu. Est enim certum, quod talis peccando contra castitatem, & paupertatem est sacrilegus, quia facit contra

vorum. Est etiam certum, quod possit superior in virtute voti obedientiæ ab illo emissi præcipere illi vt aliquid faciat præcepto obligante ad culpam etiam mortalem. Quia dato etiam quod talis vouens non promiserit Prælato, sed promiserit Deo, res tamen promissa Deo per tale votum est obedientia reddenda Prælato, tanquam nomine Dei illam recipienti. Nihilominus his stantibus Sanchez *l.6 moral c.10.num.8.* existimat primo quod iurisdictio à Pontificibus data Prælatis Regularibus in erectione religionum in solos veros religiosos, & perfectè subditos, nimirum in professos concessa sit secundo, quod vbi superior, vel regula absolutè imponit præceptum obligans communitatem, sub eo præcepto non comprehendantur nisi professi, quia superiorum, & regulæ intentio est eos solos obligare, qui plenè superioribus, & regulæ subijciuntur, & sunt verè partes illius communitatis, & in quos iurisdictionem acquisierunt, quæ tria non reperiuntur in nouitijs non voto obedientiæ obligatis. Ex his vero primum non probatur. Nam sicut Pontifices in Religionum erectione concesserunt religionibus facultatem recipiendi ad nouitiatum, & professionem, ita concesserunt eatum Prælatis fac[illegible]tatem, & potestatem benè gubernandi, & regendi communitatem religiosam, etiam quantum ad nouitiatus, & nouitios, vnde est, quod sine fundamento restringitur iurisdictio superiorum solum super professus. Et si Prælati regulares non habent iurisdictionem super nouitios, quomodo & qua facultate possunt illos pro delictis punire? sicut posse docet idem Sanchez *ibid. nu.13.* Delinquentem enim punire non potest, & non potest instituere processum contra illum, nisi qui habet super eum iurisdictionem.

36. Quantum vero ad secundum dictum puto considerandam esse mentem vouentis: nam si vouit se velle seruare regulam, & statuta religionis, sicuti vouent, & promittunt professi, non video cur non obligetur ad statutorum regularium obseruantiam ex obligatione qua professi obligantur. Nec obstat, quod institutor regulæ & statutorum ea sanciuit pro professis, quia omisso quod & hoc non est vndequaque verum, quia statuta Religionis sunt, vt experimento probanda etiam à nouitijs. Dicitur quod in hac parte non est inspicienda mens legislatoris, sed mens vouit, qui Deo promittit obseruantiam eius, quod legislator statuit pro alijs. Qui enim v. g. voueat viuere secundum regulam, & statuta Ord. Prædicatorum, etiam si maneat in seculo, & statuta illius ordinis ex intentione Prælatorum ad illum non dirigantur, ipse tamen Deo debet obedientiam statutorum [illegible], ac [illegible] esset religiosus ordinis, quia Deo [illegible] promisit. Et sic eadem ratione tenetur ad statuta, & præcepta de nouo facta à Prælatis pro toto ordine, non quia Prælati intendant illum obligare, sed quia ipse se [illegible], qui Deo talium statutorum obedientiam promisit. Vnde [illegible] vouens [illegible], & voueat obedientiam [illegible] in casu [illegible] Prælatus intendat [illegible] promittit Deo, vel seruare statuta ordinis, & præcepta Prælatorum Religione, quæ pro bono regimine ordinis fiunt, vel permittat se velle viuere secundum regulam, & constitutiones ordinis, sub obedientia Prælatorum Ordinis quantum status eius permittat, talis tenetur ex vi voti ad obedientias regulares talis ordinis, etiam si pro ipso, & eius intuitu non fiant. Itaque inspicienda est in hoc casu intentio vouentis, & an sub aliqua exceptione explicita, vel implicita vouerit, an vero vniuersaliter promiserit viuere sub Regula, ac si esset Religiosus professus.

37. Colligitur octauo, Nouitios teneri ad suffragia præstanda pro defunctis Religionis, & non teneri iuxta prædicta, tenentur enim obligatione nouitiorum, non verò obligatione professorum, quæ vt supra dictum est, est obligatio similis illi, quam habent Religiosi professi quorum constitutiones obligant non ad culpam, sed ad pœnam, quia & nouitij si regulam non seruent iuste possunt corrigi, & etiam puniri.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Clem.8. num.38.*

2 *Illicitum est nouitijs confiteri Confessario seculari licet approbato ab Ordinario, imo etiam cuicumque Regulari ad eorum confessiones audiendas non deputato. num.39.*

3 *An nouitij possint confiteri Sacerdoti seculari, variæ opiniones. num.40.*

4 *Id non posse est certum. nu.41.*

Proprius sacerdos nouitij est Prælatus regularis. num.41.

5 *Nouitius valide non confitetur cuicumque Sacerdoti sui Ordinis, sed solum confessori pro nouitijs deputato. nu.42.*

6 *Prælatus est proprius sacerdos religiosorum. numer.42.*

Approbatio ad confessiones duplex. n.42.

Approbatio ad audiendas confessiones religiosorum non se extendit ad audiendas confessiones nouitiorum. n.42.

7 *Nouitius non absoluitur valide a sacerdote sui ordinis ad eius confessiones non deputato. numer.43.*

8 *Regulares non habent facultatem audiendi confessiones nisi dependenter à licentia superioris num.44.*

9 *Nouitij etiam ante ingressum possunt absolui a censuris reseruatis. nu.45.*

10 *Non tamen remanent absoluti, si vel non recipiant habitum, vel nulliter, aut mala fide illum recipiunt. num.46.*

11 *Potest absolui etiam in foro externo, sed non ab excommunicatione ab homine, vel si denunciatus excommunicatus num.47.*

12 *Etiam satisfacta parte. num.48.*

13 *Non obstat quoddam viuæ vocis oraculum. numer.49.*

14 *Nec decretum de non absoluendo a casibus reseruatis Episcopo. num.50.*

15 *Quomodo possit cum nouitijs dispensari super irregularitate: seruanda est constitutio Sixti 4. de criminosis. nu.51.*

A ta-

Cui Nouitij possint sacramentaliter confiteri peccata sua, & qualiter à confessario possint absolui.

INSPECTIO III.

38. DE nouitiorum confessario ita statuit Clemens 8. in decreto de nouitiorum instructione. *Ipsi autem Magistro soli nouitiorum confessiones audiendi cura committatur, liceat tamen superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis, in anno eorumdem confessiones audire.* Est verò aduertendum, quod hoc decretum directè non attingit nouitios, sed Prælatos regulares, quibus mandatur, vt cura confessionis nouitiorum, soli Magistro nouitiorum committatur, ex quo tamen sequi videtur, quod nouitij alio confessario non possit confiteri, quia videtur, quod nullus alius habeat facultatem, eorum confessiones audiendi.

39. Dubium igitur est primo, an nouitius licite possit confiteri peccata sua confessario seculari approbato ad confessiones secularium audiendas. Videtur enim id licere, quia nouitius vere est secularis, vnde potest vti in hoc libertate sua, vt sacerdoti seculari confiteatur peccata sua. Nihilominus certum est id non licere, vt tradunt Rodriq. *in bull.* §. 9. *num.* 26. Diana *par.* 1. *t.* 6. *ref.* 37. *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 4. & 10. & *p.* 4. *tom.* 4. *ref.* 5. Et apud ipsum Pereg. Megula Tambur, & Vech. Donat. *p.* 4. *tr.* 6. *q.* 20. Bordon. *resol.* 54. *num.* 120. Et ratio est, quia tenetur nouitius subdi directioni superiorum in hoc, maxime cum addit decretum Pontificis, per quod deputatur sibi determinatus confessor, & ex consequenti decernitur, vt nouitii illi soli peccata sua confiteri possint, vnde bene deducunt citati DD. nouitium ob hanc causam posse eiici ab ordine. Sed hoc magis erit manifestum ex dicendis.

40. Dubitatur secundo an nouitius validè peccata sua confiteri possit Episcopo, vel Parocho, aut sacerdoti cuilibet ad confessiones approbato ab Episcopo. Partem enim affirmantem plures docent, nimirum Rodriquez, & Diana locis supra citatis, Donatus *p.* 4. *tra.* 16. *q.* 20. Naldus *v. nouitius num.* 7. Bonac. in Decal. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 4. *num.* 28. Antonius à Spiritu Sancto *tr.* 2. *disp.* 2. *num.* 222. & *tract.* 3. *disp.* 2. *num.* 150. Candidus *de confess. sacram. art.* 58. *dub.* 7. & apud Dianam vbi supra Molfes. Ortiz, Homobon, Portell. Petrus Fays, Villal. Mirand. Nauar. Henr. Faustus, & Bariola. Mouentur verò ex eo principio, quod nouitij sint personæ seculares, ac propterea tanquam seculares cuicumque Sacerdoti ab Episcopo loci approbato valide possunt confiteri. Secundo, quia non obstat præfatum decretum Clem. 8. quia continet solum consilium, quia datur per verba imperatiui modi, quæ non important præceptum, & illud decretum respicit directè superiores, quibus mandatur, vt cura audiendi nouitiorum confessiones soli Magistro nouitiorum committant, & ideò illud decretum non importat formam sed modum, & decentiam. Sed per oppositum, quod nouitij sine licentia superioris non possint valide confiteri, vel Episcopo, vel Sacerdoti seculari ab Episcopo approbato defendunt Peregrinus in add. ad Constit. Clerico Regul. *q.* 3. *cap.* 1. §. 7. *num.* 301. Bordon. *resol.* 54. *q.* 34. *num.* 120. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 10. *num.* 9 Coron. *lib.* 4. *contr.* 3. *cap.* 3. *num.* 78. Layman. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *q.* 3. §. Sed tunc quæstio est.

41. Et hanc partem ego, & veram, & certam puto, & omnino tenendam. Ratio est, quia de iure communi *cap. placuit, de pænit. dist.* 6. & *cap. omnis vtriusque sexus*, & *sess.* 14. *cap.* 7. *de reformat. in Concil. Trid.* omnes omnino, tam Ecclesiastici, quam seculares tenentur confiteri proprio Sacerdoti, & certum est quemlibet inualide absolui à quocumque non proprio Sacerdote, nisi non proprius Sacerdos audiat confessiones de licentia proprij Sacerdotes. Et hoc est certum, & indubitatum, & communiter tam à Canonistis, quam à Theologis assertum. Proprius autem sacerdos nouitij est Prælatus Monasterij, proprios enim sacerdos cuiuscumque est ille in cuius districtu fidelis habet domicilium, vt supra *q.* 187. pluries & præcipuè probatum est, & est commune axioma in hac materia, at verò nouitius domicilium suum habet in Monasterio, vt etiam est paulo supra probatum; nouitius ergo sine licentia Prælati sui, qui est illius proprius sacerdos, non potest, vel Episcopo, vel confessario seculari approbato ab Episcopo validè confiteri. Et confirmatur, quia si Episcopus esset proprius Sacerdus nouitij non posset nouitius confiteri nisi Sacerdoti approbato ab Episcopo, ex vi *d. cap. omnis, & Concil. Trid.* Et tamen euidentissima praxi est manifestum confessarios nouitiorum non debere esse approbatos ab Episcopo, sed sufficere si sint approbati à Prælato regulari. Non ergo Episcopus, sed Prælatus Regularis est proprius nouitij sacerdos; igitur sine Prælati regularis licentia non potest nouitius confiteri, vel Episcopo, vel Sacerdoti seculari approbato ab Episcopo. Vnus enim solus est cuiuscumque proprius Sacerdos, nouitij verò proprius sacerdos cum non sit Episcopus, cum ab eius iurisdictione nouitius sit exemptus, nullus remanet alius, qui sit eiusdem sacerdos proprius, quam Prælatus regularis. Et ita oppositæ sententiæ ratio euidenter est insufficiens, quia nec seculares possunt confiteri cuicumque sacerdoti, sed solum proprio, vel alteri deputato à proprio, seu de licentia proprij, nouitij verò existentes quid medium

dium inter secularem, & religiosum proprius sacerdos est Prælatus Monasterij, qui cum non possit semper per se ipsum audire nouitios, prohibitus est per Clem. 8. committere hoc officium alijs à Magistro nouitiorum, ideo nouitij soli Magistro nouitiorum, vel Prælato valide confitentur. Imo etiam professi non sacerdotes dum sunt sub cura nouitiorum Magistri, non possunt valide confiteri nisi eidem Magistro, vel Confessori à Prælato deputato, vt tenent Portell. v. nouitij 9. absolutio, Peregr. ad Constit. sui Ord. p. 2. c. 9. Tambur. l. 2. *disp. 6. q. 3. num. 2.* Quidquid in contrarium dixerit Diana *part. 3. tract. 2. resol. 5.*

45. Dubitatur tertiò, an idem dicendum de confessione facta confessario regulari approbato à Prælato suo pro Religiosorum confessionibus audiendis, Donatus loco citato *num. 6.* sentit, quod confessio facta sacerdoti regulari non approbato ad confessiones nouitiorum audiendas sit inualida, quia talis confessarius vsurpat sibi munus, deputatorum ad similes confessiones, ideoque peccat mortaliter, vnde & mortaliter peccat nouitius cooperans peccato confessarij, & sic ratione indispositionis nulla redditur confessio. Quod tamen limitat, quia ratione alicuius necessitatis potest hoc fieri, vt si confessarius deputatus iniquè neget absoluere nouitium, & vrgeat necessitas communicandi, & nouitius non sit contritus; in hoc enim casu ius naturale tuendi famam, & vitandi scandalum vincit ius positiuum prohibens confessionem fieri tali sacerdoti. Alij verò distinguunt, & dicunt quod si superior regularis prohibeat expresse ne regulares confessarij audiant confessiones nouitiorum inualida est confessio illis sic prohibitis facta, sed si confessarij sint approbat pro Religiosis, & superior non prohibeat eos audire nouitiorum confessiones valida est, sed dicitur quod vbi confessarius regularis non est deputatus ad confessiones nouitiorum, confessio nouitij illi facta est ipso iure nulla ex defectu potestatis in confessario. Quoniam vt aduertit Suarez *tom. 4. de relig. tr. 6. l. 2. c. 77. num. 13.* priuilegium confessiones audiendi concessum regularibus non descendit ad singulos religiosos nisi media concessione, & voluntate superioris, qui quidem potest prout sibi videbitur hanc facultatem concedere limitate, & quantum ad tempus, & quantum ad personas. Ideoque potest approbare, & concedere Religioso Sacerdoti facultatem audiendi confessiones limitatè ad professos excludendo nouitios tam propriæ, quam alienæ Religionis, quo supposito talis sacerdos non habet facultatem audiendi nouitiorum confessiones, ideoque huiusmodi confessiones sunt nullæ ex defectu iurisdictionis in confessario. Et non est dabilis casus necessitatis præter casum articuli mortis in quo huiusmodi confessio valida esse possit, nec necessitas communionis valet, vt quis validè confiteatur confessario non exposito. Et quod dicitur de defectu contritionis nihil facit, quia contritio est in potestate cuiuscumque, pro quocumque instanti, quia vnusquisque mentis compos habet suum velle in potestate, nec gratia Dei necessaria, & sufficiens vlli deest. Ideò certa sententia est, quod necessitas confessionis non dat potestatem confitendi sacerdoti ad confessiones nó approbato. At verò hic considerandum est, quod in Religionibus Sacerdotes approbãtur dupliciter ad confessiones, primo in generali, seu in communi, & veluti speculatiuè, quia censentur digni, quibus committi possit officium audiendi confessiones, & virtute huius approbationis nullius confessionem possunt audire, quia vi talis approbationis non habent iurisdictionem, ad quam habendam non sufficit idoneitas Religiosi; sed practica deputatio ad officium confessarij; vnde idonei ad omnium confessiones audiendas, si deputentur ad audiendas confessiones certi generis personarum, non possunt aliorum confessiones audire ex defectu iurisdictionis; modo in Religionibus nullus regulariter est approbatus, & deputatus ad audiendas confessiones nouitiorum nisi Magister nouitiorum. Nec valet dicere, quod dum examinantur Confessarij iuxta stylum cuiuscumque Religionis approbantur communiter pro omnium audiendis confessionibus, quia licet neque semper hoc sit verum, nihilominus & quando ita sit ista approbatio, quæ non est nisi in genere iudicium de idoneitate Confessarij, non dat iurisdictionem, nisi superior Religiosi sic approbati det actu audiendi confessiones facultatem, sic enim in Mari Magno Prædicatorum §. 29. apud Lezanam habetur. *Inhibemus insuper omnibus fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alijs, quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente articulo; vel nisi forte Magister, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri eiusdem ordinis licentiam confitendi.* Similia autem habentur in Mari Magno minorum §. 32. Carmelitarum §. 97. Minimorum §. 24. Et vt aduertit bene Lezana ad Mare Magnum Prædicatorum *num. 80.* hoc est de iure communi, quia soli Prælati sunt sacerdotes proprij quibus ex iure communi Religiosi tenentur confiteri, nec possunt confiteri alijs sine eorum licentia. Prælati autem isti sunt Generalis, Prouincialis, & superior localis, quibus hoc conuenit immediatè ex communi iure, licet cum subordinatione, & dependentia, vnde Generalis potest in hoc limitare Prouincialium, & Prouincialis superiorum localium iurisdictionem. Sic ergo nullus Regularium potest aliorum sui ordinis confessiones valide audire nisi de licentia Prælati, & non sufficit, quod per examinatores sit aliquis iudicatus idoneus ad confessiones audiendas, sed requiritur, vt ad illud officium sit approbatus, & designatus, seu deputatus à superiore ipso secundum cuiuscumque ordinis statuta, ratione cuius deputationis confessarius habeat iurisdictionem Rodriq. *t. 1. quæst. 62. a. 4.* Portell. *v. confessor* erga Religiosos *num. 10.* Hieron. Rodriq *resol. 32. num. 21.* Bordon. *resol. 4. num. 2. & 3.* Sanctorius & Freitas quos refert, & sequitur Lezana ad Mare Magnum minorum *num. 81.* Anton. à Spir. S. *tr. 2. d. 2. num. 4.* & alij DD. communiter, cum ergo in Religionibus, non approbentur Religiosi Sacerdotes ad audiendas confessiones nouitiorum, imò Clemens Octauus statuerit, & hoc munus solis Magistris nouitiorum committatur, ideò nouitij extra

mortis

mortis articulum nulli possunt valide confiteri, nisi sacerdoti professo specialiter approbato. Nec sufficit deputatio ad audiendas confessiones Religiosorum, quia specialis approbatio est pro nouitijs necessaria, cum & secundum ius Pontificium, & secundum Religionum statuta confessor pro nouitijs debeat esse specialiter deputatus nec in generali concessione veniat id, quod est contra leges, vel quod secundum leges indiget speciali causa, & discussione. Vbi tamen confessarius sit approbatus pro nouitijs, vel vbi Prælatus det nouitio facultatem, vt confiteatur alicui sacerdoti, confessio valida est Coton. *l. 4. contr. 3. c. 3. num. 78.*

43. Dubitatur quarto, an Nouitius, vel à sacerdote seculari, vel à regulari approbato, ad eius confessiones absolui possit à casibus Prælato Regulari reseruatis. Posse enim absolui docuerunt Rodriquez *p. 1. q. 21. a. 13.* quem citat, & *v. nouitius num. 34.* Diana *p. 3. tr. 2. resol. 4.* Miranda *tom. 2. q. 34. a. 16.* Et quam plures alij apud eundem Dianam. Horum verò ratio est, quia casuum reseruatio est actus iurisdictionis, quam Prælatus regularis non habet in nouitios, & propterea sub reseruatione casuum non comprehenduntur nouitij, maxime cum ipsa sit odiosa, & non debeat ampliari. Sed hæc ratio deficit, & supponit falsum. Prælatus enim Regularis habet iurisdictionem super nouitios, vt satis est probatum, & iterum probatur, quia non est dicendum nouitios in ordine ad sacramenta non habere proprium sacerdotem, sub cuius sint cura, & à quo debeant recipere sacramenta, iuxta *cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. & cap. ad apostolicam* de decimis; ideò Claustrum est illis loco domicilij, & Prælatus regularis loco Episcopi à quo sacramenta sibi sunt ministranda cum nouitij pro tempore nouitiatus non subijciantur Episcopis. Etenim nouitij sacramenta recipere tenentur, nam tenentur semel in anno confiteri, & in Paschate communicare, igitur iuxta regulam relatiuorum, illorum datur aliquis, qui habeat officium sacramenta ministrandi, & cum hic non sit Episcopus erit Prælatus regularis, qui propterea sicut Episcopus cum suis Clericis, sic ipse cum suis nouitijs poterit reseruare sibi casus iuxta tamen dispositionem Clementis Octaui. Sed præterea additur, quod ad casuum reseruationem sufficit iurisdictio super confessario, Prælatus igitur regularis, qui potest limitare facultatem absoluendi datam subdito, & respectu temporis, & respectu loci, & respectu personarum, potest etiam eam limitare respectu materiæ, vt non possint absoluere ab illis casibus, quos ipse merito sibi reseruat. Et in societate Iesu P. Generalis Aquauiua per litteras Encyclicas datas 9. Maij 1614. præcepit suis subditis ne quouis modo ad nouitios societatis opinionem prefatam extenderent, aut consulerent. Sic igitur nouitius à sacerdote seculari, vel pro eorum confessionibus audiendi non approbato, non potest absolui à reseruatis, quia non potest ab aliquo peccato absolui ab eo. A sacerdote autem regulari ad eius confessiones approbato nequit absolui à casu reseruato, quia ex vi reseruationis limitata est eius iurisdictio, quæ ad illum casum non se extendit. Et propterea hanc partem tenent Lezana *t. 1. c. 24. num. 7.* Bordon. *de profess. cap. 4. q. 5.* Coton. *lib. contr. 3. c. 3. num. 69.* vbi ex Petr. *ad constit. 10.* Vrbani 8. quod Paulus Quintus de hoc concessit priuilegium Fulgentibus, sed ignoratur an per breue, vel per oraculum Layman. *lib. 4. tr. 5. cap. 1. q. 3.* Corduba *l. 1. quæst. 3.* Rodriq. in Bull. Croc. §. *9. num. 36.* Vecch. *disp. 9. n. 2.*

44. Hinc deducitur quod non est approbanda distinctio; quam ex Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 17. num. 12.* ponderat Palaus *tr. 16. disp. 5. p. 10. num. 9.* nimirum distinguendo inter confessarios regulares habentes iurisdictionem immediate à Pontifice, vel medijs superioribus, & dicendo, quod si regularis habet immediate à Pontifice iurisdictionem ad audiendas confessiones, non limitatam, sed omnium fidelium, cum & nouitij sint fideles, nec obstet reseruatio pro Religiosis, & quia nouitij non sunt Religiosi poterunt à reseruatis absolui. Nam distinctio est de subiecto non supponente, quia nulli sunt confessarij regulares (nisi forsan aliquis ex specialissimo priuilegio) qui independenter ab approbatione, & licentia superiorum habeat iurisdictionem ad audiendas confessiones. Nam facultas audiendi confessiones secularium à Pontificibus est concessa solum deputatis à suis superioribus & approbatis ab Episcopo, vt diffuse satis est probatum supra *q. 187. a. 1.* Pro audiendis autem confessionibus Religiosorum sui Ordinis, nulla est similis Papæ concessio; quin imò ex priuilegijs supra citatis, & ex iure communi prohibentur sacerdotes regulares audire confessiones religiosorum sui ordinis sine licentia sui superioris. Nullus ergo datur Regularis, qui habeat facultatem audiendi confessiones independenter à Prælatis suis, & ab eorum licentia. Sed nec Palaus loquitur consequenter si enim, vt ipse ibidem fatetur, non potest nouitius absolui absolutè ab aliquo peccato à confessario seculari approbato ab Episcopo igitur ab eo multo minus potest absolui à reseruatis. A confessario autem sui ordinis non poterit absolui, quia ad reseruationem casuum sufficit, quod in reseruante sit auctoritas eos reseruandi, qua data, quia superior sibi casus reseruat, respectu omnium subditorum suæ iurisdictioni; nihil interest an nouitius sit, vel secularis, vel religiosus, sed sufficit; quod sit sub iurisdictione Prælati reseruantis, & nolentis illum posse absolui ab à casu reseruato per confessorem ordinarium.

45. Dubitatur quinto, an nouitius à peccatis, & censuris incursis in sæculo possit absolui à Prælatis Regularibus? Distinguendum autem est inter forum conscientiæ, & forum externum. Nam in foro conscientiæ absolui potest ab omnibus illis peccatis, & censuris reseruatis secundum tenorem priuilegiorum, vt videre est in Mari Magno Prædicatorum §. 16. apud Lezanam Minor. §. 14. Carmelit. §. 56. Minimor §. 9. & in priuilegio Societatis Constit. 48. Pauli Tertij, & in priuilegio pro Cassinens. in Constit. 129. & in multis alijs priuilegijs. Nam & in fauorabilibus nouitij veniunt sub nomine Religiosor. Ita Rodriquez *tom. 1. q. 20. a. 21. & tom. 3. q. 51. a. 12.*

Nauar.

Nauar. *lib. 3. consf. 58. de regul.* Bonac. *tom. 3. de censf. disp. 1. q. 16. sec. 1. p. 3. num. 10.* Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. cap. 24. num. 5.* Diana Donatus *p. 4. tr. 6. q. 17. num. 5.* Coron. *lib. 4. contr. 3. cap. 3. num. 77.* Palaus *tract. 16. d. 1. p. 11. num. 2.* Lezana ad Mare Magnum locis supra citatis, Anton. à Spir. Sancto *tract. 1. disp. 2. num. 112. & tract. 3. d. 2. num. 126.* Bordon. *l. 1. resol. 3. num. 11.* Candid. *disp. 14. a. 59. d. 9.* Delbene apud præfatum Antonium à Spiritu Sancto Bonacin. *tom. 3. de censf. disp. 1. q. 16. sec. 1. p. 3. num. 10.* Sed quia de hac facultate absoluendi nouitios egi diffusè *de elect. cap. 26. q. 16.* hic breuiter recensebo, quæ huic loco sunt opportuna. Hoc enim extenditur, vt etiam ante ingressum in Religionem immediate possit, qui est suscepturus habitum, ab eisdem peccatis, & censuris absolui, quod habetur expresse ex Mari Magno, & alijs priuilegijs, Et fuit hoc conuenienter concessum, tanquam sic præparatio quædam necessaria ad digne suscipiendum habitum Religionis *Peir. tom. 3. cap. 3. num 23.* Diana *3. p. tr. 2. res. 46.* Lezana ad Mare Magnum Minorum *num. 36.* Delbene *t. 2. cap. 14. sec. 9. dub. 18. num. 2.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 1. disp. 2. sess. 5. num. 126.* Vbi quod hoc est verum etiam de nouitiatus Monialium, Io. de Cruce *l. 2. cap 6. d. 13. concl. 4.* Rodr. *p. 1. q. 20. a. 23.* Donat. *p. 4 tr. 6. q. 19.* Qui tamen recepturus est habitum Religiosum, & nondum accepit, nec est nouitius, nec persona Ecclesiastica, si sit Laicus, non est de foro Ecclesiæ Panorm. *in cap. Perrectum. num. 3. de regul.* Fagnan. *in cap. Insinuate nu. 45. de regul. & collig. ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 15.* Hoc secundò extenditur, vt nouitius, qui bona fide est simpliciter absolutus à Censuris, post habitum susceptum, si exeat à Religione non reincidat, sed maneat absolutus. Nam absolutio absolute data mox obtinet effectum suum. Et licet aliqui DD. quos sequitur Ricc. *p. 4. resol. 258.* hoc negauerit, tamen ratio id suadet, & conceditur per supra citata priuilegia Donat. *par. 4. tr. 6. q. 18.* Lezana ad Mare Magnum Minorum *nu. 35.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 9. & p. 4. v. nouitius n. 36.* Vecch. *disp. 9. d. 15.* Tamb. *t. 3. d. 6. q. 17. à nu. 18.* Bonac. *de voto d. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 18.* Diana *p. 3. tr. 2. res. 44.*

46. Quod tamen limitatur primò, vt ille qui est absolutus ante susceptum habitum, si statim illum non suscipiat, quantum fit ex vi priuilegiorum Clem. 4. & multorum aliorum Pontificum reincidat in excommunicationem, vel censuram. Vnde, & si bona fide absoluatur, si non suscipit habitum statim; sed differat, ei non valet absolutio. Quod tamen in vi priuilegij Greg. 11. pro Prædicatoribus non habentis, illam clausulam limitatiuam, volumus &c. etiam ingressuri bona fide absoluti, si postea non ingrediantur sunt in foro conscientiæ verè absoluti. Limitatur secundò, vt non possit absolui, qui vel non habet animum ingrediendi, vel ingreditur cum animo non perseuerandi, & sic in fraudem petit absolui, vel qui nulliter ingreditur; quia huiusmodi Religiosorum priuilegiis vti possunt illi, qui vere sunt nouitij, isti verò sunt illi, qui legitime suscipiunt habitum cum animo profitendi. Hoc enim ex priuilegijs colligitur, & docent communiter DD.

47. Quantum verò ad forum externum, hac quidem gratia gaudent, quod si crimen alicuius nouitij nondum est deductum ad forum contentiosum per iudicem Ecclesiasticum, vnde nec est excommunicatus, aut denunciatus, non potest pro eo delicto amplius molestari, quia à iurisdictione Iudicis Ecclesiastici extra suam Religionem est exemptus. Sed vbi apud Iudicem Ecclesiasticum delictum nouitij deductum fuit, & Iudex illum nominatim excommunicauit, & seu excommunicatum declarauit, non potest nouitius absolui, alias perturbaretur sumopere iurisdictio excommunicantis, & cederet hoc in præiudicium etiam tertij ad cuius instantiam ille fuit excommunicatus.

48. Limitant tamen aliqui, vt satisfacta parte possit nouitius excommunicatus absolui etiam pro foro contentioso. Nam absolutio data virtute Bullæ cruciatæ, Iubilæi, vel priuilegiorum, pactis satisfactione valet pro foro externo, vt tradunt Alphon. de Leon. *in tract. de Iubilæo nu. 60. & de censur. resol. 1. num. 794.* Gutier. *l. 1. canon. qq. cap. 2.* Donatus *d. q. 17.* Sed hoc non admittitur, quia Iudicis est videre an fuerit satisfactum parti, & debet etiam satisfieri iudici, qui censuram tulit; Propterea loco citato *de elect. cap. 26. q. 80.* probaui non posse Prælatos absoluere etiam professos suos subditos à censuris deductis ad forum contentiosum coram legitimo iudice Ecclesiastico.

49. Non obstat verò supradictum viuæ vocis oraculum Clem. 8. quod refert Sorbus *v. absolutio, & v. nouitius*, quo declarauit nouitium vi priuilegiorum non posse absolui à superiore regulari, si ante vel post susceptum habitum fuerit obnoxius alicui casui reseruato, vel Papæ, vel Episcopo. Tum quia de hoc oraculo non constat authentice. Tum quia talis declaratio facta fuit pro Capucinis, & odia sunt restringenda. Lezana *t. 4. v. nouitij num. 36.* Donatus *d. quæst. 17. num. 15.*

50. Minus obstat decretum Clemen. Octaui prohibentis Religiosos absoluere à casibus reseruatis Episcopo, quia illud decretum loquitur de absolutione tribuenda laico. Nouitius verò iam non est laicus, sed Religiosus, qui gratijs & priuilegijs Religiosorum frui potest Donat. *d. q. 17. num 16.* Bene tamen considerandus est tenor priuilegiorum, & eorum virtus. Quamuis de nouitijs loquendo, qui sunt subiecti iurisdictioni superiorum ipsi possint absolui à Prælatis Religiosis in ijs casibus, in quibus si essent Clerici absolui possent ab Episcopis; alias verò in virtute priuilegiorum concessorum pro professis, seu Religiosis in communi cautius agendum est, vt enim infra probatur, nouitij non participant in omnibus professorum priuilegijs. Ab illis etiam censuris Papæ reseruatis, vt à Censuris Bullæ Cœnæ, à quibus nec professi absolui possunt à Prælatis suis, multo minus possunt absolui nouitij.

51. Dubitatur sexto, an cum nouitiis possit dispensari super irregularitate? & respondetur, quod

quod Palans *tr. 16. disp. 1. par. 11. num. 3.* Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 5. cap. 14. num. 8.* tenet quod nouitij possunt in irregularitatibus dispensari ex potestate iurisditionis, quam habet superior quasi Episcopalem, non tamen ex priuilegijs concessis alij Religiosis. Sed dicunt alij, quod nouitij possunt dispensari in irregularitatibus sicut alij professi. Ita Anton. à Spir. Sancto *tr. 2. d. 2. num. 222.* Sed hic considerandum est, quod ex triplici capite potest contingere, quod cum nouitijs dispensari possit in irregularitatibus, vel scilicet ex potestate quasi Episcopali, quod Prælati habent, & sic possunt Prælati dispensare cum nouitijs sicut Episcopi cum suis Clericis, vt habet Palaus citatus, ex Suarez *tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. cap. 14. num. 2.* Secundo ex priuilegijs specialibus. Sed hoc modo considerandæ sunt verba priuilegiorum, & restrictiones, quas continent, vt dixi *de elec. cap. 17. q. 6. num. 68.* Tertio ex vi priuilegiorum concessorum Religiosis alijs seu Religioni. Et circa hæc attendi debet, quod si concessa sunt priuilegia expresse pro solis professis, non se extendunt ad non professos. Et propterea cauendum est, ne irrationabilis fiat extensio sine in absoluendo, siue in dispensando cum nouitijs. Infra vero explicatur, in quo sensu nouitij communicent in priuilegijs professorum.

52. Limitanda etiam sunt supradicta, scilicet in sententia eorum, qui dicunt nouitium posse confiteri Sacerdoti approbato ab ordinario, qui non sit Religiosus suæ Religionis, vt non possit absolui ab eo, nec à casibus Papæ reseruatis, nec à casibus reseruatis Episcopo. Et ratio est, quia facultas, & priuilegia huiusmodi non sunt data directè ipsis pœnitentibus, sicut datur priuilegium iubilæi, sed data sunt confessarijs regularibus seu respectiue superioribus regularibus, vnde solum à confessarijs approbatis, ab ordinario Regulari possunt nouitij ab huiusmodi casibus absolui. Et non obstat, si quis dicat nouitium non subdi reseruationi casuum factæ ab ordinario. Quia per reseruationem casuum aufertur à confessario facultas absoluendi à tali casu. Quo pacto Suarez *disp. 30. de pænit. sec. 1. nu. 6.* cum communiori sententia docet Confessarium non posse absoluere à peccato, quod est reseruatum ordinario confessarij, quia ex vi reseruationis casuum Episcopus aufert confessarijs à sua approbatione dependentibus facultatem absoluendi à dictis casibus. In sententia tamen Fagundez *præc. 2. l. 8. cap. 8. num. 51.* & Naldi *v. absolutio*, & aliorum tenentium non subditum reseruationi ordinarij, & eius iurisdictioni posse absolui à quoque confessario, dici etiam posset, quod cum nouitius non subdatur iurisditioni, & reseruationi casuum factæ ab Episcopo, possit à quoque confessario absolui à casibus Episcopo reseruatis. Sed hoc non est verum, quia reseruatio directè respicit confessarios, sicut nec Religiosus absolui potest à casibus reseruatis à Prælato regulari, quia confessor secularis nullo modo, eos potest absoluere, & confessor regularis non potest absoluere à reseruatis à suo superiori.

53. Dubitatur octauo, an nouitius, qui bona fide ingressus est Religionem, sed tamen siue sponte, siue inuitus iam est à Religione recessurus, possit absolui à casibus reseruatis Papæ, vel Episcopo, sicut posset, si non recederet. Affirmat Bordonus *cap. 4. de profess. q. 69.* ex Vechio. quia talis nouitius adhuc vere est nouitius, & tractatur, vt alij nouitij, & manet sub iurisdictione Religionis. Sed hoc habet instantiam, quia priuilegia nouitijs data sunt intuitu perseuerantiæ in Religione. Vnde est quod in aliquibus priuilegijs est expressum, quod conceduntur perseuerantibus, vt in priuil. Pij Quinti Const. 159. pro Cassinen. Vnde huiusmodi priuilegijs frui non possunt; qui à Religione sunt reuocati. Itaque talis nouitius ex facultate ordinaria Prælati, & confessorum ordinis potest absolui ab illis ad quæ se extendit facultas ordinaria, nec talis nouitius est subiectus reseruationi casuum Ordinarij, sed virtute priuilegiorum absolui non potest, si iam est recessurus.

54. Tandem dubitari posset, an nouitius vti possit Bulla cruciatæ, ad effectum eligendi sibi confessarium, qui illum absoluat iuxta priuilegia illius Bullæ, videri enim posset id non licere, si vsus Bullæ sit Religiosis illius ordinis interdictus sed id licere, quia nouitius non est adhuc perfecte Religiosus, sed est suæ libertatis, & in odiosis sub communi nomine Religiosi non venit, dicunt Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 10.* Diana *p. 1. tr. 11. resol. 15.* & de dubijs regul. *reso. 64.* & apud eum Ortiz. & Homub. Donatus *p. 4. tr. 6. q. 38.* Nec obstat si dicatur, quod in materia sacramentorum, se habet nouitius, ac si esset professus, quia eius Prælatus est eius proprius sacerdos, vnde sine eius licentia non potest ab alio absolui; quia hoc est verum de iure ordinario, non verò ex priuilegio; quia valde proprius sacerdos est summus Pontifex; qui concedit facultatem, & eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis pro ijs, qui Bullam recipiunt exceptis solis Religiosis, sub quorum nomine non veniunt nouitij. Sed ad hoc respondetur, sed quod vbi agitur non de extensione legis de casu ad casum, sed de legis loquentis generaliter interpretatione, & amplitudine significationis nominis communis, tantum se extendit nominis significatio quantum se extendit ratio eadem numero legis adæquate, & in singulari accepta, & considerata. Modo ratio ob quam Clemens 8. & Vrbanus Octauus declararunt suæ. Et Sedis Apostolicæ intentionis non esse per Bullam Cruciatæ concedere Religionis facultatem eligendi confessorem, & absoluendi à reseruatis fuit, quia *ratio docent, & experientia conspectum sit, Religionibus valde perniciosum existere, vt earum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere.* At verò valde perniciosum, & plusquam valde est Religionibus, si earum nouitij possint sibi eligere confessarium, à quo etiam à reseruatis absoluantur, cum maxime intersit, ne nouitijs pateat via facilior ad peccata, & scandala ex facilitate obtinendi confessarium ad sui libitum, à quo etiam à grauioribus excessibus absoluantur Religione, & eius Prælatis inscijs, & nouitij sint liberi, vt non experiantur rigorem hunc saluberrimum, qui consistit in hoc, vt non possint sibi eli-

b, eligere confessarium. Dicendum propterea est, quod Pontifices sub nomine Religiosi intellexerunt omnes illos, qui in vsu Sacramenti Pœnitentiæ subduntur Prælatis Regularibus, & ideò intellexisse etiam nouitios, qui ad instar professorum habent Prælatum pro sacerdote proprio, & non possunt absolui nisi, vel ab ipso, vel à confessario ab eo approbato, & ideò quod neque nouitijs ex vi Bullæ cruciatæ competat facultas eligendi confessarium, & vt absoluantur à reseruatis, tenuerunt Corduba *quæst.* 30. Crousers. *sec.*17. §. *An vero* Vech. *disp.*9. quos refert, & sequitus Bordon. *de profes. cap.* 4. *q.*70. Non enim Pontifices voluerunt eximere nouitios ab ea obligatione, quam vere habens ea quo sunt Religiosi conceptione, & experimento, vt subdantur legibus communitatis regularis tanquam regulares ciues, & experiantur rigores regularis obseruantiæ.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius potest promoueri ad Sacros Ordines. num.*55.56.
2 *Nouitius ordinari potest à proprio Abbate. numer.*57.58.
3 *Nouitium ordinari debere à Episcopo Originis. num.*59.
4 *Oppositum probatur. num.*60.61.
5 *Nouitius in Monasterio; habet domicilium. numer.*60.61.
6 *Dedicatio regularis est pura licet resolubilis in conditionem. nu.*61.
7 *Dare testimoniales suis spectat ad Prælatum regularem. nu.*62.
8 *Prælatus potest dare dimissorias ad quemcumque Episcopum. nu.*63.
9 *Non discontinuatur nouitiatus eundo ad ordines suscipiendos. nu.*64.
10 *Tenetur nouitius dimissorias petere. numero* 65.
11 *Et possunt ab Abbate dispensari super interstitijs. num.*66.
12 *Sed non possunt ordinari ad titulum paupertatis. num.*67.
13 *Quid de nouitijs societatis. nu* 68.
14 *Ordinati sine titulo sunt irregulares. numero* 68.



A quo, & quibus dimissorijs nouitij possint ad Sacros ordines promoueri.

INSPECTIO IV.

55. ANtiqui DD. satis communiter asseruerunt nouitium tempore nouitiatus non posse ad ordines promoueri, imò nec prima tonsura initiari. Sic enim tenuerunt Syluester allegans Raynerium, & Goffredum *v. religio* 5. *q* 10. Tabien. *v. nouitius q. vlt.* & ibi Armill. *num.*8. Ange. *num.*28. Rosell. *num.*21. Lambertin. *de iure patron. l. b.* 2. *p.*1. *q.*7. *a.* 14. *num.*4. Azor. *l.*12. *cap.*2. *q.* 13. Cataneus *in sum. v. nouitius in fin.* Tapia *authent. ingressi v. ingress. cap.* 2. *num.*36. Fatentur tamen Syl. *v. dispensatio q.*14. *dic.*5. & Angel. *num.*8. Prælatum posse dispensare cum nouitio, vt tempore nouitiatus initietur, per *cap. Monachus d.* 77. Ratio autem istius opinionis tota fundatur super *cap. Monasterijs*, quod est sumptum ex Greg. *l.* 8. *epis.* 23. in quibus interdicitur ne nouitium ante biennium quis audeat tonsurare.

56. Sed communior, & prorsus vera, & certa sententia est, nouitium ex vi nouitiatus non impediri, quin possit promoueri ad ordines etiam ad Præsbiteratum; quia nulla lex est, quæ hoc prohibeat. In eo enim *cap. monasterijs*, vt explicat Turrecremata non est sermo de ordinibus, sed de tonsura professorum, & sensus est interdici ne quis, ante biennium probationis nouitium ad professorum tonsuram audeat admittere, seu ne illum audeat admittere ad professionem eamque reddit huius rationem, ob quam fuit introductum tempus probationis nouitiorum. *Sed hoc spatio* inquit, *vita moresque eorum solicite comprobentur, ne quis eorum non sit contentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegit.* Ibi igitur textus de tempore probationis, & de admissione ad professionem loquitur, non de promotione ad ordines. Quod eo est certius, quod tunc non omnes Monachi, imò pauci initiabantur Sacris Ordinibus, & tamen textus ille loquitur vniuersaliter de omnibus Monachis. vnde de communi admissione ad professionem loquitur. Nulla igitur lege cautum cum sit nouitios non initiari sacris ordinibus, non est vndè illis hoc denegetur. Et ita posse fieri supponunt Anchar. *cap. cum nullus de tempor. ordinan. in* 6. *num.*4 ibi Francus. *fin.* Henricus *cap. de his num.*16. *de sepult.* Anton [illegible] cus *l* 3. *instit. mor. tit* 2. *nu.*94. Quod idem tenent Henriq. *l.*14. *de irreg. cap.*9. *num.*1. Suarez *de censur. disp.*50. *sec.*5. *num.* 13. *tom.* 3. *de relig. lib.*5. *cap.*16. *num.*17. & Rodriq. *tom.*1. *q.*3. *a.*4. *fin.* Sanchez *lib* 6. *mor. cap.* 10. *num.* 19. Layman. *lib* 4. *tr.*5. *cap.* 4. *num.* 5. Miranda *q.* 28. *a.* 9. Donatus *p.*4. *tr.*6. *q.*25.

57. Statim verò oritur quæstio à quo nouitij ordi-

ordinari possint. An scilicet à Superiore Regulari si sit Abbas quantum ad Minores Ordines, vel potius ab Episcopo, & si ab Episcopo, an ab Episcopo loci originis, vel loci nouitiatus. Abbates enim etiam alias habentes facultatem ordinandi ad Ordines Minores suos subditos regulares, non posse ordinare nouitios, & hoc quia nouitij non sunt illi subditi, huiusmodi verò Abbates ex decreto Concilij Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* non possint cuiquam tonsuram, vel Minores Ordines conferre, qui sibi subditus regularis non sit, tenent Henriq. *l.* 10. *cap.* 13. §. 3. *in commen. l. G.* Rodriq. *l.* 1. *q.* 23. *a.* 2. Tuscus *l. A. concl.* 9. *num.* 7. Sayr. *de cens. l.* 4. *c.* 12. *num.* 5. Mirand. *tom.* 1. *q.* 38. *a.* 9. Nouar. *consil.* 105. *num.* 6. Vecchius *disp.* 11. *q.* 8. *num.* 4 Nald. *v. Nouitius n.* 8. Steph. Grat. *cap.* 741. *num.* 6. Tambur. *de iure Abb. t.* 2. *disp.* 2. *q.* 27. Barbosa *de off. Episc. alleg.* 3. *num.* 8. *& ad cap.* 10. *sess.* 23. *Concil. Trid. num.* 3. & apud eum Vgolin. & Hieron. Rodriq. Donatus *p.* 4 *tr.* 6. *q.* 24.

58. Nihilominùs sententiam contrariam, textus, & ratione munitam docuit Gloss. *in cap. Conualuerunt, de priuil. in* 6. & ibi Io. Andr. & Lapus eius discipulus, Anchar. Gemin. & Franch. Archid. *in cap. Nullus de temp. ordin. in* 6. Reuerendiss. Fagnanus *in cap. inter vos de sentent. & iud. num.* 7. *& seq.* vbi eam probat *ex d. cap. Conualuerunt, & cap. Cum nullus, & cap. fin. de tempor. ordinan.* Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 19. *num.* 12. Quia nouitij sunt verè subditi Abbati Regulari, qui etiã est eorum ordinarius, & proprius Minister sacramentorum, vt supra probatum est. Et confirmatur modo hæc assertio, quia cum huiusmodi Abbates de iure communi haberent facultatem promouendi ad ordines etiam Laicos sibi subditos, seu in quos habent ordinariam iurisdictionem, vt patet *ex cap. Abbates, de priuilegijs in* 6. Concilium verò in eo decreto restringat ius commune, strictè est intelligendum de illis, qui nullo modo sunt regulares, & nullo modo subditi, quia odia sunt restringenda, & maximè cùm restringunt ius cõmune, nouitij verò monachi, & in fauorabilibus veniunt nomine religiosorum, & gaudent religiosorum priuilegijs, & verè subditi sunt, & manent sub ordinaria iurisdictione sui Abbatis regularis, poterunt igitur ab eo ordinibus initiari.

59. In casu verò quod ordinandi sint ab Episcopo, non posse eos initiari, nisi ab Episcopo loci originis, vel loci in quo Nouitij habebant domicilium, quando transierunt à statu laicali ad religiosum, tenent Henriq. *l.* 10. *cap.* 13. *num.* 3. *in comm. l. C. & l.* 14. *cap.* 9. *num.* 2. *& in comm. l. F.* Cui fauent DD. illi, qui censent per nouitiatum non acquiri à nouitio domicilium, eo quia nouitius non habeat animum permanendi, sed experiendi religionem, & post experimentum decernendi; an sibi conueniat manere in religione, vel recedere. Et hi sunt Lapus, & Paulus quos citat, & sequitur Francus *cap.* 2. *num.* 2. *de sepult. in* 6. & ibi Domi. *num.* 2. Cardin. *cap. de his q.* 3. *de sepult.* & ibi Henric. *num.* 25. Petrus de Vbald. *de Canon. Episc. cap.* 9. *num.* 34. Lelius Zechius *de Republ. Eccles. tit. de regular. cap.* 3. *num.* 9. Suarez *tom.* 2. *de Relig. tract. de voto cap.* 11. *num.* 9. *& tom.* 3. *l.* 5. *cap.* 16. *num.* 17.

60. Se opposita sententia meliori nititur fundamento, quia verius dicitur, quod nouitius per assumptionem habitus mutet domicilium, & nouum acquirat. Quia nouitius, qui bona fide assumit habitum Religiosum verè ingreditur cum animo perseuerandi, & nullus assumit habitum regularem, nisi vt perseueret, licet non se obliget ad perseuerandum, nisi dum emittit professionem, ideoq; possit resilire si velit. At verò ad acquirendum domicilium, non est necesse, vt quis se obliget ad perseuerandum in loco, sed sufficit quod accedat ad locum cum animo manendi saluâ tamen semper libertate recedendi si sibi ex aliqua causa visum fuerit. Ideò nouitium per ingressum Religionis acquirere in eo domicilium tradiderũt Gosfredus *in sum. tit. de sepult. num.* 7. Hostien. *c. de his, ad finem, de sepult.* & ibi Goffred. Archid. Guliel. de Monte Laudunò, & Henric. Beich. Fagnan. *ad cap. Cum inter vos num.* 8. *de sent. & re iud.* Bordon. *de profess. cap.* 4. *q.* 52. *&* 70. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 10. *num.* 21. Donatus *p.* 4 *tr.* 6. *q.* 25. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 2. §. 5.

61. Ideò probatur secundò, quia dedicatio nouitij non est conditionalis, sed pura, licet in conditionem resolui possit. Nouitius enim quantum sit ex animo suo totum se Deo dedicat, licet quia non se obligat ad manendum, possit hæc dedicatio resolui in conditionem, quia vbi detur hæc conditio, quod religio ei non placeat, vel ipse religioni, tunc ipse non sit permansurus in religione, Dedicatio autem pura, licet resolubilis in conditionem statim suum effectum operatur, ideò per huiusmodi dedicationem nouitius acquirit domicilium in loco religionis. Neque vrget, quod habet Suarez, quia, scilicet, nouitius non mutat statum simpliciter, igitur non mutat domicilium. Consequentia enim illa non valet, quia ad mutandum domicilium non est necessaria mutatio status. Et quia nouitius intendit mutare statum, quod sufficit ad acquirendum domicilium. Domicilium igitur acquirit nouitius in loco nouitiatus; ideoq; quantum ad ordines suscipiendos est sub iurisdictione Episcopi loci in quo est nouitiatus, & ab eo Episcopo debet nouitius suscipere ordines, si illos vult suscipere, prout tenent Francus *cap. cum nullus fin. de tempor. ordinand. in* 6. Anchar. *num.* 4. Henric. *cap. de his* 3. Cuccus *l.* 3. *instit. moral. tit.* 2. *num.* 94. Sanchez *l.* 6. *moral. cap.* 10. *nu.* 21. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 5. Naldi *v. ordo num.* 10. Lezana *p.* 1. *c.* 34. *num.* 6. Donatus *p.* 4. *tr.* 6. *q.* 25.

62. Ex his verò deducitur etiam, quod dare litteras dimissorias pro ordinibus suscipiendis nõ pertinet ad Episcopum loci originis, vel prioris domicilij, sed ad Prælatum regularem, cui nouitius est subiectus, & sub cuius regimine viuit, cum iam per habitus susceptionem nouitius mutauerit domicilium, & factus sit exemptus à cuiuscumque Episcopi iurisdictione. Et ita tenent, Sanchez loco citato *num.* 22. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 16. *num.* 17. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 7. Lezana loco citato. Limitat tamen hoc Donatus loco citato *num.* 8. vt in casu, in quo nouitius sit ordinandus extra Diœcesim dimissoriæ dadæ sint ab Episcopo loci Monasterij, non à Prælato Regulari, ex quo nullus sine licentia proprij Episcopi ordi-

nari potest. Sed hoc non dicitur consequenter, quia Religiosi Prælati possunt dimittere religiosos sibi subditos ad ordines suscipiendos extra Diœcesim, quando ordinarius loci non habet ordinationes. Nouitij verò gaudent priuilegijs, & indultis Religionis, vnde solum si daretur Religio, quæ non posset dimittere religiosos ordinandos extra Diœcesim, non posset superior regularis huiusmodi dimissorias concedere cæterum praxis est, vt Prælatus Regularis in hoc casu det dimissorias, seu testimoniales, & accipiatur fides à Cancellaria Episcopali, quod Episcopus non est habiturus ordinationes. Videri potest Nauar. *cons. 36. de temp. ordin.* Barbosa *ad cap. 8. sess. 23. Concil. Trid.*

63. Ideò loquendo de dimissorijs datis non pro Episcopo viciniori, sed datis vniuersaliter ad quemcumque Episcopum communicantem cum Ecclesia Romana, Sanchez *d. num. 22. & l. 4. moral. cap. 39. num. 11.* & Suarez tom 2. *de relig. l. 6. de voto cap. 11. num. 9.* tenent eas non posse concedere Prælatum regularem, eo quia nouitius nō sit illis plene subditus, & quia ad finem probationis non sit necessarium, quod Prælatus regularis possit dare dimissorias ad suscipiendos ordines à quocumque Episcopo. Hoc tamen limitant, quia si religio ad id habeat priuilegium, poterit Prælatus regularis eas dimissorias dare, eo quia probabile sit nouitios gaudere priuilegijs professorum. Sed neque hoc dicitur consequenter; quia vel Prælatus regularis potest dimittere professos, vel non potest. Si potest, simul potest dimittere nouitios, ea scilicet ratione, quia nouitij gaudent gratijs, & priuilegijs ordinis, & quia in fauorabilibus veniunt sub nomine nouitiorū. Et ideò, quod Prælati regulares in vi priuilegiorum possint dimissorias concedere etiam nouitijs, quamuis id expressè non contineatur in priuilegijs, docent Tiber. *in institut. pro ord. cap. 7. q. 50.* Vechius *dis. v. q. 8. num. 3.* Tambur. *de iure Abb. t. 2. d. 2. q. 17. num. 2.* Barbosa *ad cap. 10. sess. 23. Conc. Trid. num.* Suarez *t. 3. de Relig. l. 5. c. 16. num. 17.* Anton. à Spiritu Sancto *tract. 2. d. 3. num. 114.* Si verò Prælatus non potest tali dimissione dimittere professos, ne potest dimittere nouitios, non quia hæc dimissio non spectet ad regimen, & finem probationis, quia ad hunc finem spectat quidquid potest esse vtile ad religionem, & ad maiorem spiritualem profectum nouitij, ad quæ maximè conducere potest promotio ad ordines, sed quia in Prælato regulari deest absolutè facultas dimittendi subditos ad recipiendos ordines à quocumque Episcopo. Hodie, quidquid in contrarium dixerit Anton. à Spir. Sancto *tract. 2. disp. 3. num. 114.* seruanda sunt in omnibus, quæ statuta sunt per Concil. Trid. *sess. 23. c. 8.* & declarationem S. Congreg. editam iussu Clem. VIII. De quibus vide Lezanam ad mare magnum Prædicatorum *num.* 18.

64. Benè hic considerandum est, an ex ista dimissione ad exeundum à nouitiatu pro suscipiendis ordinibus extra Diœcesim discontinuetur annus probationis, vt aduertunt Nouar. Canon. *p. 2. sum. Bullar. de nouit. num. 3.* Donatus *loco citato num. 11.* Sed non discontinuari dicendum est, ex notatis supra *num.*

65. Dubium quoque esse potest, an nouitius teneatur accipere dimissorias, vel licētiam à Prælato Regulari ad hoc vt promoueatur ad ordines. Negant enim Sanchez *d. l. 6. mor. cap. 10. num. 22.* Donatus *loco citato num. 10.* Eo quia nouitius nondum vouerit obedientiam. Concedunt tamen hoc esse peccatum veniale graue, & tale vnde dubitari posset, an talis nouitius esset dimittendus à Religione. Sed iuxta dicta in superioribus, hoc directè, & per se nullum est peccatum, quia nouitius non obligatur ad obediendū superioribus obligatione necessitante ad culpam; in indiuiduo tamen vix potest hoc fieri sine culpa, quæ etiam posset esse mortalis. Et vbi superior id prohiberet præcepto ad culpam etiam mortalem obligante, quod facere posset, si sua iurisdictione vti vellet, & esset id peccatum mortale, nisi nouitius priùs dimitteret habitum, & postea ad ordines promoueretur. Et tunc discontinuari posset nouitiatus iuxta dicta supra in tractatu de nouitiatu.

66. Addendum verò est, quod vbi Abbates possunt promouere nouitios ad ordines possunt etiam dispensare cum illis super interstitijs. Quia in omni casu in quo possunt ordinem conferre possunt etiam super interstitijs dispensare. Sorbua *v. Ordines sacri, ver. quando Abbates* Campanil. *rub. 12. c. 13. num. 42.* Mirand. *1. t. q. 38. a. 7. concl.* Hier. Rodr. *resol. 1. num. 21.* Barbosa *de off. Epis. alleg. 18. num. 3. fin. & alleg. 3. num. 6. & 7. & ad cap. 10. sess. 23. Concil. Trid. num. 4.* Et idem dicendum est, cum huiusmodi Abbates suos dimittunt ordinandos, Villalob. *t. 1. tract. 11. diff. 12. num. 4.* Hieron. Rodriq. *d. resol. 1. num. 22.* Barbosa *d. sess. 23.* vbi ex Nauar. *consil. 14. de priuilegijs,* quod tunc nec sunt examinandi ab Episcopis, sed ab Abbatibus non obstante Concil. Tridentino.

67. Ad quem autem titulum nouitius ordinari possit, & debeat. Dicitur, quod licet Religiosi professi possint ordinari ad titulum paupertatis, nouitij tamen non professi non possunt ordinari, nisi ad titulum beneficij, patrimonij, vel pensionis, iuxta decretum Concil. Trid. *sess. 21. cap. 2.* quia hoc expressè declarauit Pius Quintus *in constit. Romanus Pontifex 74.* & propterea id docent communiter DD. quos abundè refert Barbosa *ad d. cap. 2. Concil. Trid. num. 4.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 2. d. 3. num. 113.* Lezana *p. 1. c. 24. nu. 10.*

68. Et licet Greg. 13. concesserit, vt qui in societate Iesu emiserunt tria vota post biennium possint sine huiusmodi titulo ordinari, nihilominus, & in ea Religione nouitij in biennio ante emissionem illam trium votorum, non possunt sine titulo ordinari. Et sic vniuersaliter verum est, quod nouitij non ordinantur ad titulum paupertatis, & quatenus sine titulo patrimonij vel beneficij, vel pensionis ordinentur sunt irregulares, vt tradunt Ric. *p. 8. decis. 283. & in praxi resol. 279. num. 3.* Maiol. *de irregular. l. 4. c. 15. num. 1.* Barbosa *de off. Epis. alleg. 19. num. 5. & 6. & ad d. cap. 2. Concil. Trid. num. 5. fin.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum. num.69.*
2 *Beneficia nouitij non vacant. nu.70.*
3 *Nec ea ad quæ habet ius ad rem. nu.71.*
4 *Nec ex prorogatione professionis. nu.72.*
5 *Quid in Societate Iesu. nu.73.*
6 *Etiam si in fundatione beneficij cautum sit vt beneficiato absente vacet beneficium. numero 74.*
7 *Fructus beneficij sunt nouitij, qui nec potest illa donare. nu.75.*
8 *Congrua debetur Vicario residenti. numero 76.*
9 *Nouitius non percipit distributiones. numero 77.*
10 *Nec fructus si adsit consuetudo non percipiendi illos. nu.78.*
11 *Tenetur ad officium diuinum. Sed satisfacit recitando officium Religionis. nu.79.*
12 *Si beneficium conferratur alteri tempore nouitiatus, collatio est nulla. nu.80.*
13 *Non potest nouitius eligi ad aliquam prælaturam in propria, vel aliena Religione. numero 81.*
14 *Possunt tamen postulari, vel institui. numero 81.*
15 *Potest nouitius eligi in Episcopum. numero 82.*
16 *Potest illi valide conferri beneficium seculare. num.83.*
17 *Sed hoc est illicitum. nu.83.*
18 *Potest illi conferri pensio. nu.85.*
19 *Nouitius non potest beneficium commutare. numer.86.*
20 *In casu, quod nouitius sit vocatus ad beneficium collatio alteri facta est nulla. nu.87.*
21 *Beneficia regularia conferri possunt nouitio. numer.88.*
22 *Non tamen si habeant administrationem: nu-*
23 *In subsidium beneficium regulare potest conferri seculari, & econtra. nu.89.*
24 *Sed tamen non nisi à Pontifice. nu.90*
25 *Quæ beneficia regularia. nu.91.*
26 *Beneficium regulare aliquando ad tempus conceditur seculari in commendam. nu.91.*
27 *Nouitius habens ius vocis actiuæ debet vocari. num.92.*
28 *Etiam si habeat ius nomine Collegij. numero 93.*
29 *Nisi obstet consuetudo. nu.93.*
30 *In propria Religione non habet vocem. numero 94.*

Qualiter Nouitius possit habere beneficia, officia, vel alias dignitates Ecclesiasticas.

INSPECTIO V.

69. TRia in hac quæstione distingui possunt, scilicet beneficia, seu officia iam habita; & beneficia, seu officia obtinenda, & tertio ius, & vox actiua ad alios eligendos pro beneficijs, & officijs.

70. Quantum verò ad primum, hodie certum est beneficia, officia dignitates nouitij nedum non vacare, vt definiuit textus *in cap. beneficium, de regularibus in 6.* Sed nec locum habere conditionem illam positam in dicto textu scilicet *nisi constet, quod vitam voluerit absolute mutare.* Quia hodie ex decreto Concil. Trid. *sess.25. c.15. de regularibus*, Nulla est omnis professio, quæ fiat ante 16. ætatis annum, & ante completum annum probationis post habitum Religionis susceptum *cap. vero 16.* interdicitur nouitius disponere de rebus suis, nisi infra bimestre proximum professioni, & per dispositionem, quæ non habeat effectum nisi secuta professione. Ex his enim duobus decretis necessario sequitur, vt beneficia officia dignitates iura nouitij nedum non vacant ex vi susceptionis habitus iuxta decretum *cap. beneficium, de regularibus*, sed per nullum propositum perseuerandi possunt vacare, quia nullum propositum perseuerandi potest esse professio, vel illi æquiualere, imo nec consentiente nouitio possunt vacare ante professionem, quia non potest nouitius disponere de suis iuribus dispositione, quæ non secuta professione valida sit, si per emissionem professionis non confirmetur. Reuerendiss. Fagnan. *cap. statuimus num.18. de regul.* Suarez *tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 12.* Sanchez *l.7. Moral. cap.5.* Anton. à Spir. S. *tr.3. d.2. nu.115.* Bordon. *de profes. cap.4. q.47.* Nam quod decretum Concil. Trid. *sess.25. cap 16. de regular.* intelligendum sit, vt nouitio sit prohibita etiam renunciatio beneficiorum publicorum temporalium notat ibi multis citatis Barbosa *n.4.*

71. Colligitur primo assertionem positam veram esse nedum de beneficijs iam possessis, & de quibus nouitius habet ius in re, sed etiam de beneficijs nondum acceptatis, sed collatis, ad quæ nouitius fuit electus, seu nominatus, nimirum ad quæ habet ius, quod dicunt ad rem, quia per susceptionem habitus neutrum ius vacat, quia per susceptionem habitus dimissibilis non fit homo incapax beneficij. Et per Concilium Trid. omnia iura nouitij illæsa manent tempore nouitiatus, ne ex amissione iurium suorum compellatur emittere professionem. Et ideò hanc partem etiam antiquitus tenuerunt Gloss. *ad d. cap. beneficium v. conferendum*, & ibi Io. And. *num.1.* Domin. *num.1.* Archid. paulo post initium, Francus *num.1.* Tapia authent. ingressi *cap. 2. num.8.*

C. de Sacros. Eccles. Lancell. Instr. Iur. Canon. *l.1. tit. de regul.* §. Et si contigerit Sayro in Claui Regia *lib.6. cap.5. num. 25.* Sanchez *lib. 7. cap. 4. num.5.*

72. Colligitur secundò eandem assertionem extendi, vt vera sit, etiam si annus probationis prorogetur, ita scilicet, vt tempus probationis duret amplius, quàm per annum *ex iure speciali*, vt in Societate Iesu durat per biennium, vel ex aliqua causa prorogetur. Ita quod modo sic res se habet, vt nec beneficia vacent ex susceptione habitus, nec ex prorogatione anni probationis, imo quod nec nouitius illa renunciare possit, nisi seruata solemnitate Triden. renunciatione habitura effectum sequuta professione licet enim *in d. cap. beneficium* dicatur beneficium non vacare anno nouitiatus, tamen in sensu per annum nouitiatus tempus nouitiatus intelligit, quod vocat annum gratia frequentioris vsus, quia frequentius hoc tempus durat per annum. Verba verò posita gratia frequentioris vsus non restringūt legem ne ad similea casus extendatur, vt probat Sanchez *l.9. de matrim. disp.14. num.16.* Et secundò, quia iam ex illo decreto Concil. Trid. *sess.25. cap. 16.* Nouitius ante professionem non potest spoliari suis bonis, nec etiam de suo consensu. Et ideò hanc partem tenent. Maiolus *de irregul. l.3. cap.6. num. 192.* Lancellot. loco supra citato Sanchez *nu 6.*

73. Colligitur tertiò in Societate Iesu non vacare beneficia nedum in biennio probationis ante emissionem votorum, sed de iure nec vacant post illa vota donec Religiosi illi professionem solemnem emittant per quam reddantur incapaces retinendi bona. Beneficia enim non vacant ex vi habitus Religiosi, vel votorum simplicium, sed ex vi solemnis professionis, que reddit Religiosum incapacem dominij, vota verò biennij non reddunt Religiosum dominij incapacem. Quamuis in Congregatione quinta Generali dictæ Religionis statutum sit, vt nouitij si habent beneficia ea resignent ante vota Scholasticorum, quæ terminato biennio emittunt Sanchez *num.7.* Donatus *p.4. tr.6. q.30.*

74. Colligitur quartò, eandem assertionem veram esse, etiam si in fundatione beneficij cautum sit, vt absente beneficiato tanto tempore, beneficium vacet. Nam in dubio fauendum est Religioni, & voluntas testatoris censenda est conformis iuri communi, vt tradunt communiter DD. *l. heredes mei §. cum ita ff.* de Trebellian. ideò clausula illa non est intelligenda de absentia causa Religionis, quia huiusmodi absentia à iure permittitur fauore Religionis Sanchez *dic. l.7. Moral. c.4. nu.4.*

75. Colligitur quintò nouitium non priuari fructibus beneficij, quidquid enim antiqui super hoc antiquitus opinati fuerint, cum nouitius sit capax dominij, & eius beneficium ei remaneat non est cur non remaneant illi fructus eius: Nec monasterium potest super illis dominium acquirere, cum non sit dominus bonum nouitij. Ideò nedum non est verum, quod fructus beneficij nouitij spectent ad Monasterium, sed nec nouitius pro tempore nouitiatus potest illa donare Monasterio, quia hoc est prohibitum per decretum Concil. Trid. *sess.25. cap.16.* nisi vbi ex pacto conuentum sit, cum Monasterio pro alimentis, et quantum ad valorem alimentorum Suarez *tom.3. de relig. l.5. cap.16. num.12.* Sanchez *l.4. mor. cap. 4. num.18.*

76. Nouitius tamen beneficiatus tenetur ad soluendam congruam Vicario residenti pro eo in beneficio, quia sic decernitur *in d. cap. beneficium de regularibus in 6.* Quæ congrua taxanda est per Episcopum iuxta ea, quæ in simili traduntur a Concil. Trid. *sess. 7. cap. 7. de reform. & sess. 25. cap.16. de reform.* & docent Glossa *in cap. beneficium v. sed interim.* Syl. *v. religio 1. q. 8.* Ang. *v. nouitius num.12.* Tabien. ibi *q. vlt.* Rodriq. *tom.1. q.37. a.1. argum. cap. cum ex eo, vers. porro, de elect. in 6.* Sanchez citatus *n.14.*

77. Limitatur autem, quantum ad fructus, quos percipiunt soli residentes. Vt si nouitius esset Canonicus, non perciperet distributiones quotidianas, quæ dantur solum illis, qui choro intersunt Suarez *d. n.12.*

78. Limitatur secundò ratione consuetudinis, si enim in hoc esset legitima consuetudo, vt beneficiatus non faciat fructus suos, nisi resideat, qualiscumque sit causa ob quam abfit, hæc enim consuetudo veluti priuata lex esset seruanda. Et idem dicitur si detur super hoc similis lex specialis id decernens Suarez, & Sanchez *num. 18.* Syl. *v. Religio 2. quæst.8.* Rodriq. *tom.1. quæst.37. a. 1.*

79. Colligitur sexto nouitium beneficiatum teneri ad onera beneficij, quantum potest ideoq; teneri ad recitandum officium Canonicum, ad quod ex vi beneficij tenebatur. Cum enim maneat beneficiatus, & fructus beneficij faciat suos, & recitatio officij Canonici sit compossibilis, iam nouitiatu tenebitur beneficiatus subire hoc onus Suarez citatus Anton. à Spir. Sancto *tr.3. disp.2. num. 311.* Puto tamen satisfacturum huic debito si officium recitet in choro iuxta ritum Religionis, cuius est nouitius; quia nimis graue esset, nouitium obligari bis in die ad officium Canonicum persoluendum. Ideò si Presbiter sæcularis sit nouitius Dominicanus satisfaciet recitando officium in choro iuxta ritum talis Religionis.

80. Colligitur vltimo, quod si tempore nouitiatus beneficiati eius beneficium alteri conferatur, collatio est ipso iure nulla, quia nulla est collatio beneficij non vacantis. Et vacatio subsequens post beneficiati professionem, non validat prouisionem prius factam, quia illa fuit nulla, vnde est necessaria noua collatio Paulus, quem refert, & sequit Tiraq. de retractu Lignag. Gloss. 8. §. 1. *numero 40.* Sanchez citatus *numero 8.*

81. Quantum ad secundum, an scilicet nouitio conferri possit beneficium, distingui debet beneficium sæculare, & regulare. Sed primo duo certa sunt. Primum quod nouitius non potest eligi ad aliquam præfecturam seu Prælaturam in propria, vel aliena Religione, quia ita statuitur *cap. nullus de elect. in 6.* Et de monialibus *cap. indemnitatibus eod. titulo in 6.* Et quia *in d. cap. nullus* adhoc, vt aliquis eligatur ad prælatum regularem requiritur expressa professio,

colli-

colligitur non sufficere tacitam professionem, Suarez d. tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 15. Sanchez d. l. 7. mor. c. 4. num. 20. Et nihilominus nouitium posse postulari in Prælatum, vel posse ei conferri Prælaturam extra viam electionis colligitur ex cap. 5. de testam. ex quo deducitur posse esse Abbatissam, quæ non est professa Io. Andr. eo cap. 2. num. 3. Card. num. 2. Anchar. num. 1. Abb. num. 4. Imola num. 17. Sanchez loco citato Silua de benef. 3. p. quæst. 52. Barbosa in dicto cap. 2. num. 4. Fagnanus cap. quia ingredientibus num. 27. de testamen. Si tamen ex quo nouitius consenserit postulationi, aut collationi incurrat tacitam professionem, alia quæstio est alibi tractanda. Nunc solum asseritur, quod nouitius valide potest postulari. Loquuntur vero citati DD. de Monial. sed eadem ratio est etiam de Religiosis viris. In eo enim cap. nullus, nouitij non professi prohibentur eligi in Prælatos, non verò prohibentur postulari, vel institui.

82. Certum est secundò, nouitium posse eligi in Episcopum, quia hoc etiam decernit cap. clarum, nullus, de elect. in 6. Et iure merito, quia Episcopatus est status religione perfectior Azor, tom. 1. l. 12. cap. 2. q. 15. Suarez tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 15. Rosella v. nouitius num. 30. Angelus num. 19. Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 4. nu. 20. Tambur. tom. 3. d. 6. q. 27. num. 31.

83. Quibus suppositis dubium primo est, an beneficium sæculare possit conferri nouitio. Multi enim ex antiquis Canonistis ad d. caput beneficium de regularib. in 6. nimirum Glossa, Monachus, Dominicus, Anchar. Guliel. & Angelus v. nouitius num. 23. Tabien. ibi q. vlt. Donatus p. 4. tr. 6. q. 33. Et alij id fieri posse negant. Sed veritas est collationem beneficij sæcularis, factam nouitio valere, posse tamen, & imo fere semper esse illicitam. Primum probatur, quia nulla est lex, quæ id prohibeat fieri. Et quod dubius statu non eligatur ad militiam, l. qui de libertate ff. de libera. li causa, & l. qui status ff. de re militari, non facit ad rem. Tum quia non est eadem ratio de militia, & beneficio; Tum quia illa est lex ciuilis, quæ non afficit Clericos, tum quia status nouitij est certus, solumque dubium est an sit perseveraturus in statu Religioso, vel redditurus ad statum sæcularem. Tum quia minus vrget, quod alij dicunt, scilicet nouitium esse regularem, cui non potest conferri beneficium sæculare ex Trid. sess. 14. cap. 10. Quia nouitius nondum, est regularis simpliciter, sed remanet sui iuris, & est capax dominij, & proprietatis Tambur. tom. 3. d. 6. q. 27. num 32. Cum igitur nullo Canonico iure cautum sit collationem beneficij factam nouitio nullam esse, valida censeri debet. Francus eo cap. beneficium num. 1. & apud eum Paulus, & Lapus, Tiraquel. de retrac. Lignag. Gloss. 8. §. 1. num. 37. Nauar l. 3. concil. vlt. de voto Azor to. 1. l. 12. cap. 3. q. 1. Suarez tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 13. Sanchez l. 7. mor. c. 4. num. 22.

84. Secunda verò pars assertionis probatur, quia conferre beneficium sæculare nouitio est dare illi occasionem, seu inducere illum, ad exeundum à statu Religionis perfectiori ad statum sæcularem, quod non est conforme charitati. Et alias conferre beneficium alicui, vt pro breui tempore eius fructus percipiat de se illicitum est & recipere beneficium non animo seruiendi, sed fruendi eius dote non licet, ideoq; & illicitum est illud ex hac intentione conferre Suarez n. 15. qui addit hoc non esse ita illicitum, vt superior non possit super eo dispensare fauore Religiosi, & pauperis Monasterij.

85. Non esse verò eandem rationem de pensione ex eo probatur, quod pensio licet habeat anexum officium B. Virginis, non tamen datur proprio titulo spirituali, & non est lege prohibitum, vt quis recipiat pensionem, animo illam relinquendi post aliquod tempus, vnde nouitius posset pensionem recipere animo relinquendi illam tempore professionis Suarez ibid.

86. Ex quibus colligi videtur neque verum esse, quod tradunt Anchar. & Gulielmus de Monte Lauduno, & Donatus d. q. 33. num. 6. scilicet quod nouitius non possit beneficium commutare. Nam hoc nedum valide facere potest, sed etiam licite, nisi ex circumstantia id fiat illicitum, quia cum nouitius iam sit beneficiatus, per se non variat statum nouitij, quod habeat hoc, vel illud beneficium. Sed dicitur commutationem beneficij in nouitio inualidam esse, quia continet cessionem, & renunciationem beneficij, quod habet, renunciatio verò est prohibita per cap. 16. sess. 25. Concil. Trid. de regular.

87. In Casu autem, quod aliquis crederet nouitium esse incapacem, vt ei conferri possit beneficium, si nouitius vocetur ad id beneficium, vel specialiter, vel quia vocatur coniunctior cum fundatore, & ille est coniunctior, non posset interim beneficium conferri alteri, & collatio alteri facta esset nulla, quia non potest nouitius priuari suis iuribus pendente tempore nouitiatus Sanchez num. 23. de fructibus autem beneficij indicandum esset, ac de fructibus beneficij vacantis, quia toto eo tempore beneficium vacaret.

88. Quantum verò ad beneficia regularia, relicta dispos. Clem. quia regulares, de supplend. neglig. Prælat. & Clem. ne in agro, §. Sane, de statu Monachorum standum modo est determ. Concil. Trid. sess. 14. cap. 10. de reformat. Ex qua nedum nouitijs, sed sæcularibus possunt conferri beneficia regularia dummodo teneantur omnino habitum illius Religionis cuius est beneficium suscipere, & in eâ Religione professionem emittere, quod etiam decidit Rota in Carpentorat. Prioratus coram Burato dec. 390. Limitatur tamen hæc assertio, vt non valeat de beneficijs habentibus administrationem, huiusmodi enim beneficia, nimirum Abbatiæ, & alia similia administrationem habentia per ordinarios Collatores non possunt conferri nisi expresse professis, prout declarauit S. Congregatio Cardinalium, & refertur in declarationibus Marzillæ, & Farinacij, cuius decis. meminit Rota in alia Carpentor. die 20. Martij 1620. coram Buratto, & inter eius impressas 463. num. 1. Vnde hanc partem tenent Putena decis. 254. lib. 2. Campauil. rub. 12. cap. 2. num. 16. Suarez tom. 3. de relig. l. 5. cap. 16. num. 14. Piasec. p. 2. cap. 3. nu. 23. Garc. de benef. p. 7. cap. 10. num. 10. Gonzalez Gloss. 8. num. 73. ad reg. 8. Cancel. Barbosa ad d.

cap.

cap. 10. *sess.* 14. Concil. Trident. *num.* 11.

89. In subsidium verò beneficia regularia posse conferri sæcularibus, si scilicet intra ordinem regularem non reperiantur idonei ex *cap. inter quatuor, de relig. domibus* resoluunt Gonzalez de Gloss. 8. *num.* 43. Garc. *d. p. 7. cap.* 10. *n.* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 26. *q.* 3. Reginal. *l.* 30. *tract.* 5. *num.* 158. Layman *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. Barbosa *ad dicta cap.* 10. *sess.* 14. Concil. Trident. *num.* 12. Nam & in subsidium beneficium sæculare posse conferri Regulari tradunt Abb. *in cap.* 1. de Capell. Monach. & Cephal. *conf.* 358. *num.* 25. Io. Baptista Costa *de remed. subsid. remed.* 71. *n.* 2. Barbosa ibidem.

90. Verum neutrum horum fieri posse credo inconsulto summo Pontifice. Non quidem secundum, quia non potest regularis extrahi à claustro nisi authoritate summi Pontificis. Et adueniente casu necessitatis poterit quidem ad tempus, & non collato Regulari beneficio in titulum assumi Regularis, vt administret sacramenta alicui populo, vel alia diuina, sed minime poterit ei conferri beneficium, nisi consulatur summus Pontifex. Ex alia verò parte vix dari potest casus, vt nec in Monasterio illo cuius est beneficium, nec in alijs Monasterijs illius ordinis, & nec in aliquo alio Monasterio alterius ordinis inueniatur vir aptus ad beneficium administrandum. Quod tamen necessarium est, vt beneficium regulare detur in subsidium sæculari, vt tradunt Abb. *d. cap. inter quatuor*, Azor *d. q.* 5. & Barbosa loco citato *num.* 13. Et dato, quod huiusmodi casus necessitatis adesset, non propter hoc ordinarius posset beneficium regulare vacans conferre Clerico sæculari, sed ad Pontificem pertineret id facere, cum iura absolute prohibeant huiusmodi collationem.

91. Quæ verò sint beneficia regularia tradunt Nauar. *cons.* 1. & 2. *de præbendis.* Sanchez *l.* 7. Moral. *cap.* 29. *a. num.* 11. Hier. Roderic. *resol.* 15. *a. num.* 17. Barbosa *de off. epis. alleg.* 57. *n.* 168. Stylum verò esse, vt Pontifex beneficium regulare aliquando concedat sæculari in commendam vsque ad certum tempus, intra quod Religionem profiteatur, & postea habeat beneficium illud in titulum aduertunt Staphyleus de literis gratiæ Form. 8. *fin.* Gomez *regul. de infirmis resignant. q.* 13. *num.* 7. & *tract. de expectat. num.* 71. Couar. *cap.* 4. *num.* 2. *de testament.* Sanchez *l.* 7. *mor. cap.* 4. *num.* 25.

92. Quantum verò ad tertium, scilicet ad vocem actiuam, hanc nouitius habere potest, vel nomine alicuius collegij, vel nomine proprio, vt conuenit patrono ius nominandi. Qua supposita distinctione tria dicuntur. Primum est, quod vbi vox actiua conueniat alicui nomine proprio, vocandus est Glossa *d. cap. beneficium v. conferendum fin.* & ibi Anchar. *num.* 3. Franc. *num.* 2. *Dominicus num.* 6. Syl. *ver. relig.* 5. *q.* 11. Angelus *v. nouitius num.* 8. Armill. *num.* 18. Tabien. *q. vlt.* Tiraquel *de retract.* Gloss. 8. *num.* 37. Cuccus *lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 96. Tapia *authent. ingressi c.* 2. *num.* 8. C. de Sacros. Eccl. Azor. *p.* 5. *l.* 12. *cap.* 3. *q.* 1. Sanchez *l.* 7. *moral. cap.* 4. *num.* 12. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 16. *num.* 16. Donatus *p.* 4. *tit.* 6. *q.* 34.

93. Sed si vox ei competat nomine Collegij, debere admitti si sit præsens, siue vocatus sit siue non vocatus, quia non amisit ius vocis, tenent Francus, Azorius, Sanchez *num.* 13. Suarez, Donatus citati. Sed non esse necessario vocandum, senserunt Glossa, Anchar. Franch. Dominic. Syluest. Angelus, Armill. Tabieno. Cuccus Tiraquelli, Tapia, Azorius, Sanchez, Suarez, Donatus supra citati Anton. à Spir. Sancto *tract.* 3. *disp.* 2. *num.* 213. Et hoc quia causa Religionis rite, & legitime abesse censetur, quamuis sit in iure electionis, seu quia regulariter non potest commode adesse, *arg. cap. quia propter de elect.* Tum quia censetur esse in loco remoto. Tum quia Procurator, qui erat Dominus litis per contestationem per ingressum Religionis amittit vsum litis. Sed nulla illarum rationum vrget, vt nouitius priuetur iure suo. Non quidem prima, quia legitime absens non priuatur iure suo, & debet vocari. Non secunda, quia an possit commode, vel non commode interesse est etiam ipsius iudicare, non verò solum consortium, seu conuocalium, quia de eius interesse, & iure agitur. Et ita nouitij, & superiorum Religionis erit iudicare an expediat nouitium vocatum interesse electioni. Non tertia, quia hic non agendum est fictionibus ad tollendum ius tertij, maxime quia nouitius non est Religiosus simpliciter, sed in via, & si sæcularis maneret in Monasterio deberet vocari. Non quarta, quia non est eadem ratio de procuratore, & de domino, nam nouitius habens ex titulo ius vocis actiuæ est dominus illius, nec dominium amittit, quia sit nouitius. Et addunt, quod cum sæpius possit vocalis ferre suffragium per Procuratorem non debet nouitius hoc iure priuari, sed de vacantia, & tempore electionis debet moneri, vt si ipse per se ipsum non possit adesse, adsit per Procuratorem, iuxta disposita per *cap. si quis, de elect. in* 6. Ideò conueniendo cum præfata sententia in hoc, quod nouitius non potest repelli ab electione, vbi vocem actiuam habet, & quod vbi habet ius ad vocem nomine proprio debet vocari, addo illum debere vocari in terminis *cap. Quia propter de elect.* etiam vbi habet ius vocis tanquam pars collegij, quod docuerunt Archid. *ad cap. beneficium an.* 1. *de regular. in* 6. Probus ibi addi ad Monachum *num.* 1. Card. Clem. *final. num.* 8. *q.* 10. *de regular.* Bertach. *de gabellis p.* 7. *principali num.* 56. Mandosius in casibus Annalib. *casu* 197. *nu.* 66. Peyr. *R. P. q.* 3. *c.* 1. *num.* 124.

94. Limitatur tamen hoc, vt non procedat, vbi sit in contrarium legitima consuetudo; quia illa seruanda est Peyrin. Hoc verò aduertendum, quod licet nouitius sit capax vocis actiuæ ex aliquo titulo sibi competente extra Religionem in qua est nouitius, non tamen habet, vel habere potest vocem actiuam in electionibus intra eandem Religionem, cum hoc expresse sit prohibitum in *cap. ex ea de elect. in* 6. Solis enim professis competere potest ius eligendi intra Religionem.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Primum priuilegium nouitiorum, quod sunt Ecclesiastici.* nu. 95.
2 *Secundum, quod gaudent priuilegijs professorum.* num. 96.
3 *Etiam si Nouitius sit impubes.* nu. 97.
4 *Non tamen, qui nondum habitum recepit.* numer. 98.
5 *Tertium gaudent priuilegio canonis, & fori.* num. 99.
6 *Trahentes, nouitium ad forum seculare sunt excommunicati.* nu. 99.
7 *Quartum, gaudent indulgentijs professorum.* numer. 100.
8 *Quintum, exemptio à gabellis.* nu. 101.
9 *Nec si exierint debent gabellam de tempore nouitiatus.* nu. 101.
10 Non *professi societatis sunt exempti à gabellis.* num 101.
11 *Sextum priuilegium, quod sit dispensatus super defectu natalium, non admittitur.* numero 102.
12 *Settimum, quod consequatur legatum factum sub conditione, si ingrediatur religionem.* num. 103.
13 *Octauum, quod possunt absolui à reseruatis.* numer. 104.
14 Nonum, *possunt recipere ordines.* nu. 105.
15 *Decimum, quod eorum vota possunt dispensari.* num. 106.
16 *Non tamen directe irritari.* nu. 107.
17 Vota *nouitiorum non possunt dispensari ab Episcopo.* nu. 108.
18 *Posse vota suspendi, quomodo verum.* numero 109.
16 *Non posset superior dispensare super voto obedientia sibi facto.* nu. 110.
10 *Vndecimum; potest dispensari nouitius in praeceptis.* num. 111.
21 *Duodecimum. Potest cum nouitijs dispensari etiam multoties ad effectus perpetuos.* numero 112.
22 *Tertiumdecimum. Possunt confessiones audire si sint sacerdotes approbati.* nu. 113.
23 *Quartumdecimum. Possunt praedicare, si eis fuerit commissum.* num. 114.
24 *Clerici possunt praedicare.* nu 114.
25 *Quintumdecimum, in articulo mortis possunt profiteri anno probationis non expleto.* n. 115.
26 *Sextumdecimum, possunt, & non possunt sibi eligere sepulturam.* nu. 116.
27 *Decimumseptimum. Nouitius non tenetur Monasterio ad alimenta.* nu. 117.
28 *Nisi ex conuentione, aut consuetudine ad illa teneatur.* nu. 117.
29 *Rationes allata impugnantur.* nu. 118.
30 Religio *alimenta condonat vbi ea non exigit ex conuentione, aut consuetudine.* nu. 118.
31 *Ingredienti ficto animo non condonantur alimenta.* nu. 129.
32 Nouitium, *qui non stat conuentioni de alimentis, quando possit religio expellere.* nu. 120.
33 *Si nouitius titulo alimentorum aliqua contulit Monasterio, & moriatur, Monasterium retinet relictum pro rata.* nu. 121.
34 *Decimumoctauum non subduntur personali interdicto contra Laicos lato.* n. 122.
35 *Interdictus non potest ad habitum recipi.* numer. 122.
36 *Decimumnonum non subduntur legibus poenalibus latis contra Laicos, & Clericos.* numero 123.
37 *Multa leges, quae non ligant nouitios.* numero 124.

Quae sint Nouitiorum Priuilegia.

INSPECTIO VI.

95 PRimum priuilegium Nouitiorum est, quod in iure comprehenduntur sub nomine Ecclesiasticorum, seu Clericorum, seu etiam Religiosorum in fauorabilibus tamen, non in odiosis. Habet hoc fundamentum primo in casu, Duo sunt 12. q. 1. quod est sumptum ex San. Hieronym. Ibi enim contra laicos distinguuntur Clerici, & Deo deuoti, seu commissi. Laici autem dicuntur quibus licitum est vxores ducere, terram colere &c. Qui igitur sunt in statu in quo non licet vxores ducere, & opera alia secularia exercere, sed in eo sunt Deo dicati, & deuoti non sunt laici, sed Ecclesiastici, & Deo deuoti. Et quia nouitij sunt in statu, in quo non licet vxores ducere, & alia secularia opera exercere, sed sunt Deo dicati; ideo veniunt sub nomine Clerici, vel Ecclesiastici in fauorabilibus. Quod explicatur exemplo Hospitaliorum, & Templariorum, qui quia ad seruitia Hospitaliorum, vel Templorum sunt dedicati, veniunt sub nomine Clerici; multo magis nouitij, qui induunt habitum Religiosum animo profitendi, & vouendi vitam regularem, & sunt veluti ciues religionis, seu Religiosi à matre Religione concepti, & veluti in vtero eius absconditi. Secundum & maius fundamentum habetur ex *cap. Religioso, de sent. excomm. in 6.* vbi statuitur, vt licet nouitius non possit censeri Religiosus in effectu, tamen gaudeat priuilegio Canonis, & qui illum percutit sit excommunicatus. Ex hoc enim ad alia fauorabilia, quae non sunt contra statum nouitiatus arguitur, vt eadem ratione alia communia clericorum priuilegia illis sint communia, & vt in reliquis habeantur pro clericis sicuti haberi debent, si percutiantur. Dictum tamen est in fauorabilibus, non in odiosis nouitios censeri ecclesiasticos, seu religiosos, iuxta Regulam iuris *in 6. cap. Odia.* Et ita in fauorabilibus nomina ecclesiastici, Clerici, Religiosi extenduntur ad nouitios, sed in odiosis restringuntur. Et ita hanc partem tenent Sylu. *v. Clerici num.* 1. Nauar. *t.* 1. *cons.* 6. *num.* 3. *de testamentis.* Riccius in praxi *p.* 4. *resol.* 139. Carolus de Graffis *de effect. Cleric. in prelud.* Palaus *trac.* 16. *d.* 1. *p.* 11. *num.* 1. Ant. à Spir.

San.

San. *tr.3. disp.2. num.193.* Caſon. *l.4. c.3. num.77.* Bordon. *de profeſſ. c.4. q.46. & cap.5. q.43.*

96. Secundum priuilegium conſequens ex primo eſt, quod nouitij gaudent gratijs, & priuilegijs profeſſorum illius ordinis, cuius ſunt nouitij. Hoc priuilegium fundatur primo in hoc, quod nouitij quadam iuris fictione ſunt Religioſi, & ſub hoc nomine continentur in fauorabilibus, vt eſt probatum. Sed ſecundo hoc probatur ex eo, quod nouitij ſunt ſub poteſtate Religionis; & pro ſua parte ſuſtinent onera illius, igitur par eſt, vt tanquam filij in eius ſinu louentur, & de eius gratijs, & fauoribus participent, iuxta regulā iuris 55. *cap. Qui ſentit onus, de regul. iuris in 6.* Et ideo licet Rodriq. *to.3. q.5 t. ar. vltim.* Mandoſius *de priuil. ad inſtar gloſ. 7. numer.34.* & Portell. *v. Nouitius num.54.* hoc negent, communiter tamen DD. alij affirmant nouitios gaudere priuilegijs ſui ordinis exceptis ijs, quæ ſuo ſtatui contradicunt, vel quæ cum eorum excluſione ſolis profeſſis conceſſa ſunt. Domin. *cap. Religioſa. §. Quamuis num.3. de ſenten. excum.* Moſina *tr.1. diſp.149.* Azor *t.1. l.13. cap.2. q.10* Sanchez *l.4. moral. cap.39. num.17. & l.6. c.10. num. vltim.* Henriq. *l.7. de indulg. c. an. num.7.* Suarez *tom 4. de relig. tra.10. l.9. cap.1. num.18. & tom.3. l.5. c.16. numer.17.* Diana *p.10. tr.2. reſol.38.* Nonar. *de elect. fori q.46. ſect.2.* Donatus *p. trac.6. q.3.* Palaus *tr.16. diſp.2. p.11.* Anton. d'Spir. Sancto *trac.3. diſp.2. num.194.193. & trac.2. d.2. c.22n.* Cotoni *l.4. contr. 9. cum.76.* Bordon. *cap.4. q.t. & q.42.* Fragoſ. *l.14. p.2. diſp.24. §.11. num.32.* Lezana in *Mari Magno Minimum §.9. num.35.* Diana *p.3. trac.2. reſolut.73.* Delbene *l.1. c.14. ſec.9. d.18. num.1.* Tambur. *tr.3. diſp.6. q.27. num. 1.* Bonac. *de leg. d.4. q.2. p.7. §.4. num.27.* Confirmat hoc Tambur. ex priuilegio conceſſo nouitijs Societatis, vt poſſint communicare in omnibus priuilegijs profeſſis Societatis conceſſis. Et non obſtare ait, quod Suarez *l.8. de legibus cap.17.* negat alias Religiones communicare in priuilegijs Societatis Ieſu, in quibus exprimitur, ne in illis aliqua Religio communicet. Nam illam limitationem non obſtare dicunt. Rodriq. *tom.1. q.55.* Mirand *tit. q.48. art.5.* Portell. *v. Priuilegij communicatio.* Ioan. de Croce, *de ſtat. releg. l.2. c.4. §.2.* Diana *p.2. tr.2. de dub. reg. reſol. 81.* Sed de hoc Deo dante dicam inferius. Nam & illud priuilegium fuiſſe viuæ vocis oraculum concellum à Greg. 13. refert Peliz. in Manual. *tr.8. cap.1 num.71.* ſi tamen vigeret, eſſet communicabile ſine dubio, cum non habeat clauſulam excluſiuam communicabilitatis; ſed ſtante reuocatione oraculorum non habet iam robur illud priuilegium. Bene verum eſt, quod hæc communis aſſertio explicari debet, & limitari, vt nec intelligatur de priuilegijs, quæ ſtatui nouitiorum minus conueniunt; item ſecundo, nec de illis, quæ vel expreſſe, vel tacitè pro ſolis profeſſis conceſſa ſunt, quæ nimirum conceſſa ſunt intuitu perſeuerantiæ in Religione, & ſub eius conditione, quæ quidem multa ſunt, vt etiam ex dicendis apparebit.

97. Extenditur primo hoc priuilegium, vt conueniat nouitio impuberi, quamuis minus propriè ſit nouitius. Ratio eſt; quia licet impubes receptus ad habitum minus propriè ſit nouitius, eſt tamen Deo dicatus, & viuit ſub habitu Religioſo, & ſub poteſtate Religionis, & pro ſua parte onera Religionis fert, vnde merito gaudet etiam Religionis bonis & priuilegijs. Secundò. Nam prout docent Palud. *3. d.39. a.2. fine,* & Angelus *v. canitiui num.21.* Sanchez *l.5. mor. cap.4 num.24.* Nouitius impubes, dum tamen habeat vſum rationis, & non per ſolam voluntatem parentum ſit Deo oblatus, ſed per propriam voluntatem ſit Deo dicatus gaudet priuilegio Canonis. Nam *in cap. Religioſo de ſenten. excumm. in 6.* decernitur excommunicatum eſſe, qui percuſſerit eum, qui ingreſſus eſt religionem, vnde ſi aliquis animo non ficto ſit ingreſſus Religionem licet ſit impubes non poteſt percuti ſine excommunicatione. Eadem igitur ratione, & gaudet alijs priuilegijs Religionis. Tertio quia Rota *deciſ.1. tit. de inſtamen,* docet quod pro bonis deſtinatis ad ædificationem Eccleſiæ nondum conſtructæ, poteſt peti reſtitutio in integrum iure eccleſiæ, ſicut & partus conceptus in his quæ ſpectant ad eius conſeruationem gaudet priuilegijs natorum, *l. pregnantis ff. de pœnis, & l. qui in vtero, ff. de ſtat. homin.* Nouitius vero quilibet, & eſt Deo dicatus, & eſt velut filius Religionis ab ea conceptus, licet nondum natus.

98. Extenditur ſecundò ab aliquibus, vt priuilegijs ordinis gaudeant etiam illi qui nondum ſuſceperunt habitum Religionis, ſed in proximo ſunt illum ſuſcepturi, in quantum ſunt illorum capaces. Ita Peyt, *tr.3. priuil. c.3. num.3.* Vecch. *d.9. de nouit. d.1. num.2* Quod alij limitant, vt hoc maximè verum ſit de illis, qui iam viuunt intra clauſtrum, & ſunt in prima probatione. Verum certum eſt huiuſmodi non gaudere beneficio canonis; vnde non video vnde gaudere debeant alijs profeſſorum priuilegijs. Nec valet regula illa quod breui accingendus habeatur pro accincto, *l. penult ff. de milit. teſtam.* quia hæc valet quantum ad ea, quæ ſpecialiter conceſſa ſunt pro accinctis.

99. Tertium Priuilegium eſt priuilegium Canonis, & fori. De priuilegio canonis, iam patet, ex *c. Religioſo, de ſent. excom. in 6.* Et de fori priuilegio ſatis tam ſupra dictum eſt, & probatum, nouitium manere ſub Religionis poteſtate. Et quia perſona Eccleſiaſtica gaudet priuilegio electionis fori ad defenſionem ſuorum conſanguineorum, & bonorum, iuxta ſancita per *l. vn. C. quando Imperat.* vt docent DD. *in cap. Cum ſit generale de foro compet.* Afflict. *dec.257.* Vinc. de Anania *de oblig. 146.* Rocc. *p.4. prax. reſol.246.* Nouar. *tract. de elect. fori. q.63. ſect.2.* ideo hoc etiam priuilegio gaudet Nouitius tanquam perſona Eccleſiaſtica. Donatus *p.4. tr 6. q.7.* Ideo trahentes nouitium ad forum ſeculare incedunt in pœnas bullæ cœnæ, Riccius *p.4. prax. reſol. 256.* Quia ſub canone bullæ cœnæ comprehenduntur tanquam Eccleſiaſtici omnes, qui gaudent priuilegio canonis, & fori. Sayr. *l.3. c.19. num.7.* Donat. *p.4. prax. t.6. q.16.* Bonac. *de cenſ. d.1. q.16. l.1. p.3. num.4.*

100. Quartum priuilegium eſt, quod nouitij lucrantur indulgentias conceſſas profeſſis. Portel. *v. Nouitij abſolution v.35.* Rodriq. *3. q.51. art.1 a.* Caſtrub. *v. nouitius n.12.* quos refert, & ſequitur Barbos. *3. de c. q.47. num.28.* Probari hoc poſſet primo

mo ex concessione Sixti Quarti facta Monialibus sanctæ Claræ, vt earum nouitiæ possent lucrari indulgentias stationum Vrbis visitando earum Ecclesias. Nec obstaret, quod hoc fuit viuæ vocis oraculum, quia per reuocationem oraculorum viuæ vocis non intelliguntur reuocatæ indulgentiæ. Sed quidquid sit de hoc, obstat reuocatio indulgentiarum facta per Paulum Quintum. Ideo stando intra limites Constit. Pauli Quinti, nouitij in receptione habitus indulgentiam plenariam lucrari possunt. Et alije ab eo concessis possunt frui, quia possunt in hoc Religiosorum priuilegijs gaudere, & sub nomine Religiosorum veniunt Palaue, *tract. 16. disput. 1. p. 21. num. 4.*

101. Quintum priuilegium est, vt sint immunes à Gabellis, iuxta sancita *cap. non minus, & cap. Aduersus de immunit. Eccles. & cap. 1. eodem tit. in 6.* Et ratio est, quia sunt pars communitatis Ecclesiasticæ, & ideo reputari debent, vt personæ Ecclesiasticæ. Tum secundo, quia ex antiquissimo vsu, & receptissimo nouitij non soluunt tributum mere personale, quod est eos cognosci, & haberi tanquam Ecclesiasticos, vnde etiam quantum ad eorum bona debent haberi tanquam Ecclesiastici. Tum 3. quia gaudent priuilegijs Canonis, & fori & alijs priuilegiis Religionum, ideoque gaudere debeat etiam priuilegio exemptionis à gabellis. Ideo quamuis Lasarte *de decima vend. c. 7. 16. n. 50.* Rod. *t. 2. q. 47. a. 8. fin. & t. 3. q. 4. a. 9.* negêt nouitios esse exemptos à gabellis: Contrarium tamen ex prædictis docent, Bertachinus de gabellis *7. p. principali, num. 56.* Molina *3. tom. d. 672. n. 2.* Mena *in suis varijs l. 2. q. 21. num. 198.* Sanchez *l. 6. mor. cap. 10. num. 16.* Peyr. *R. P. qu. 3. c. 1. §. 4. num. 131.* Ricc. *p. 3. praxi resol. 132.* Nouar. *de elect. for. 1. sect. 2. q. 63. num. 10.* Greg. Lopez *in l. 4. tit. 7. p. 1. v. Nouitius,* Donatus *p. 4. prax. t. 6. q. 27.* Laymam, *l. 4. tract. 5. c. 4. num. 4.* Palaus *trac. 16. d. 1. p. 11. n. 11. n. 9.* Ant. à Spir. S. *tr. 3. d. 2. nu. 198.* Coton. *l. 4. contr. 3. num. 77.* Aliqui vero, vt Donatus aduertit, consueuerunt expectare exitum nouitiatus, & vbi nouitius careat à Religione exigunt etiam pro tempore nouitiatus, iuxta doctrinam Parlador. *de rebus quotidian. in 2. edit. l. 1. cap. 13. §. num. 21.* & Girondæ *de gabellis 7. p. num. 46.* Sed hanc distinctionem impugnat etiam Lasarte *in addit. ad. d. cap. 19. num. 50.* Nam vel nouitius vere est exemptus à gabellis, vel non, si non, possunt exigi gabellæ etiam si non exeat à Religione, sed si est exemptus, iniustè ab eo exiguntur etiam postquam exiuit. Neque ex eo, quod exierit præsumi potest, vel quod ficte ingressus fuerit, vel quod iniustè, & dolo ingrediatur, nec potest grauari pro eo tempore in quo sine dolo, & fraude fuit vere Ecclesiasticus, etiam si postea fine causa statum ecclesiasticum deferat. Sanchez *dicto cap. 10. num. 15. fin.* Quod etiam subditur à Lasarte *d. num. 50.* cui consentit Gutierez *qu. 95. num. 37.* nimirum Religiosos Societatis non professos debere gabellam, si Procurator Monasterij eorum bona vendat, merito reijcitur à Palao, cum tales non professi sint vere Religiosi, iuxta Decretum Greg. 13. Tum quia licet retineant dominium rerum suarum, non tamen retinent liberum vsum.

102. Sextum priuilegium est, vt ex vi ingressus in Religionem tollatur irregularitas ex defectu natalium. Ita existimat Rodriq. *t. 1. q. 13. ar. 4.* quem aliqui sequuntur. Et probant ex eo, quod *cap. 1. de filijs Presbyterorum*, sic dicitur: *Illegitimè nati ad ordines non promoueantur, nisi fiant Monachi, vel in Congregatione* Canonica regulariter viuentes. Cum vero nouitij in suorsbilibus veniant nomine Monachi, vel Religiosi, ideo nouitius ex vi susceptionis habitus liberatur ab irregularitate ex defectu natalium. Quod confirmatur, quia textus non loquitur de professione, vnde nec est restringendus, vt loquatur de solis professis. Tertiò quia summatores illius textus, sic eum summant. *Illegitimus non ordinatur, nisi vt religiosus fiat.* Sensus enim est, illegitimum posse ordinari etiam antequam fit simpliciter Monachus per professionem, si tamen ordinatur, vt fiat monachus. Quarto, Nam hoc apertius colligitur ex *cap. p. d. 56.* vbi dicitur. *Nisi aut in Cænobijs, aut in Canonijs religiosi probati fuerint conuersati*, Hæc vero probati fit tempore nouitiatus. Hoc probabile putat Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. d. 2. num. 200.* Verum hoc priuilegium non subsistit, sed per solam professionem tollitur irregularitas ex defectu natalium. Hoc autem probatur, Nam vt Rodriquez fatetur si huiusmodi nouitius illegitimus recedat à Religione manet irregularis. Et vere non credo, quod aliquis Episcopus admitteret ad ordines illegitimum sine dispensatione ex eo, quod per aliquod tempus etiam sine fictione, & dolo fuerit Religiosus. Mens enim Pontificis fuit ab hoc impedimento eximere illegitimum ratione status Religiosi, non vero ratione cuiuscumque susceptionis habitue, status vero perseuerantiam importat, quia noluit hoc priuilegio gaudere eum, qui extra statum religiosum viueret. Et hoc habetur ex verbis illius textus *c. p. de filijs Presbyt.* nisi, inquit, *aut Monachi fiant.* Proprie enim non fit monachus, nisi qui profitetur regulam. Et per subiuncta verba, *vel in Congregatione canonica regulariter viuentes*, magis exprimitur necessitas status religiosi, significatur enim, quod ad fugiendum illud impedimentum, necessarium est illegitimum viuere inter regulares, & quod fauore vitæ regularis permanenter assumptæ priuilegium illud fuit concessum. Et ex *cap. illo p. d. 86.* hoc magis declaratur, ille enim textus requirit probationem iam completam, & factam, *nisi*, inquit *in Cænobijs, aut Canonijs religiose probati fuerint conuersati*; Necesse est igitur, vt illegitimi prius sint in Religione probati, quam possint ordinari, tunc verò sunt probati, cum admittuntur ad professionem. Ideo quæ in oppositum adducuntur non valent. Nam ad primum dicitur, quod nomen Monachi, aut Religiosi in fauorabilibus extenditur ad nouitios, vbi alias non colligitur dispositiones dari intuitu professionis in Religione: modo in præsenti colligitur remotionem irregularitatis ex defectu natalium dari intuitu professionis, quia est libertas simpliciter, quæ liberat pro toto tempore vitæ, vnde est libertas perpetua, quam Pontifex non censetur voluisse concedere nisi ratione perpetuitatis status religiosi, quæ per solam professionem habetur.

Ad secundum dicitur, quod imo textus satis aperte loquitur de professione, quia nec absolutè fit monachus, nisi qui regulam Monasticam profitetur, nec simpliciter viuit inter Canonicos regulares, qui viuit inter Canonicos, vt experiatur illorum vitam, sed qui vitam Canonicam est professus. Ad tertium dicitur, quod in illo summario superfluit particula *vt*. Vnde sine tali particula textum illum summant Antonius, & Abbas. Ad quartum dicitur ex eo textu oppositum arguentis deduci, quia probati in religione sunt professi. Et quod sola professio tollat irregularitatem ex defectu natalium, & quod hic sit sensus illius textus primi, de filijs Presbyterorum docent Francbus *cap. Is qui num. 11. eodem tit. in 6.* Felinus plures allegans *cap. cum deputati, de iudicijs* Richar. *4. d. 25. a. 4. q. 3.* Palud. *4. d. 41. q. 3. ar. 2. num. 24* D. Ant. *3. p. trac. 1. c. 87. §. 2.* Graff. *p. p. decis. 4. c. 27. num. 54.* Suarez *de cens. disp. 50. sect. 5. num. 12.* Palaus *tr. 16. p. 8. num. 10.* Et hanc eandem sententiam illi tenent, qui absolutè docent hanc irregularitatem tolli per professionem, qui sunt Sotus *4. d. 25. q. 1. art. 3.* Nauar. *num. 2. de regular. num 60. & sum. c. 27. num. 201.* Ledes. *2. p. 4. q. 26 a. 2.* Marolus *l. 1. de irregul. c. 10. num. 2.* Valent. *14. tom. disp. 7. q. 19. p. 3.* Sayro *thesauro casuum t. 1. l. 6. c. 11. num. 3* Henriquez *l. 14. de irregularitate c. 8. num. 10. & c. 17 num. 2.* Azor. *l. 13. c. 5. q. 12* Ludou. Lopez *2. p. c. 33.* & alij quos infra referam tractando de professione. Nec oppositum sentiunt, qui docent hanc irregularitatem tolli per ingressum religionis, quia nomine ingressus in religionem in iure intelligitur professio, vt patet ex *c. vlt. 29. q. 3. & cap. Ex publico, de conuers. coniugat.* & DD. indifferenter in hoc puncto vtuntur aliquando nomine professionis, vt videre est apud Couar. *Clem. si furiosus, de homic. p. 1. §. 2 num. 6.* Flam. *de resignat. benef. l. 5 q. 4 num 194. & 195.*

103. Septimum priuilegium est, vt nouitius ex vi ingressus in Religionem bona fide habiti acquirat legatum sibi factum sub conditione ingressus in Religionem, etiam si postea à Religione recedat. Ratio est quia ingressus in religionem, & professio, vt diuersa ponuntur in *cap. Beneficium, & in cap. Qui post votum, de regular. in 6.* Cum igitur legatum expresse factum fuerit sub conditione ingressus, nouitius si bona fide, & animo profitendi ingressus est religionem impleuit conditionem, & ideo lucratus est legatum. Nam in dubio non censetur aliam fuisse mentem testatoris, quam illa quã verba significant, *l. Labeo, ff. de supellect. legat.* Tum secundo quia ex D. Thom. in hac *qu. num. 4.* vt supra visum fuit, qui vouit Religionem satisfacit voto, si eam bona fide ingreditur, quia votum Religionis debet intelligi ad formam iuris communis, concedentis annum ad experimentum, vbi non constet de contraria intentione; igitur à pari, & si quis leget alicui aliquid vt ingrediatur Religionem, id intelligitur iuxta formam iuris communis, vt censeatur adimpleta conditio, si quis ingrediatur bona fide, licet iuxta iuris dispositionem postea recedat, cum verba testatoris non debeant intelligi, vt inducant aliquid à iure exorbitans; vt probant Mantica *de coniect. vlt. volunt. l. 9. t. 6. num. 1.* & Sanchez *l. 1. de matrimon. d. 34. num. 17.* Pelliz. *tr. 2. c. 7. num. 25.* Sed hoc non est certum, quia in sermone communi ingressus in Religionem etiam professionem importat. Et ideo verba legati consideranda essent. Nam tale legatum censetur factum intuitu Religiosi status, qui importat perseuerantiam, & non assumitur nisi per professionem, & non est verisimile, quod legans præcisè intuitu susceptionis habitus reliquerit legatum, cum susceptio habitus sine professione assimilari possit arbori, qui frondes emittat, & non maturet fructus; seu viæ sine termino, & dispositioni sine forma, & medio à fine deficiente. Rationabile vero est, tum spectatis communiter accidentibus, tum attenta prudentia perfecta legantis, quod ipse legauerit intuitu finis, & locutus sit de ingressu perfecto, & terminato, non vero de simplici ingressu.

104. Octauum priuilegium est, quod nouitij possunt absolui à casibus reseruatis Episcopo, & censuris etiam ante ingressum incursis, prout satis supra est probatum. Dicitur etiam, quod nouitij possunt sibi eligere confessarium semel in vita, & semel in morte, qui sit approbatus à superiore, qui illos absoluat, ab omnibus casibus & censuris à quibus possent absolui, si essent professi. Tambur. *t. 3. d. 6. q. 27. num. 29.* ex Suarez *tom. 4. de relig. tr. 1. l. 2. cap. 19. num. 9.* Peir. *to. 2. de prel. cap. 1. num. 203.* Sed in contrarium est, quod hoc priuilegium datum est intuitu perseuerantiæ in Religione, cum sit datum pro tempore mortis habitæ in Religione. Nihilominus quia contingere potest, vt etiam nouitius moriatur potest pro illis dictum priuilegium admitti.

105. Nonum priuilegium est, quia nouitij possunt suscipere ordines, vt etiam tatis supra est probatum.

106. Decimum priuilegium est, quod à Prælatis regularibus possunt illorum vota commutari, seu etiam in eis dispensari. Et licet hoc negent Angles floribus *2. p. q. vn. de voto a. 8. post 10. diffi. cul. dub. 3.* Azorius *lib. 12. num. 9.* Sayrus in claui regis *l. 6. cap. 11. num. 98.* & dubius in hoc inclinet Lud. Lopez *1. p. instruct. cap. 47.* Nihilominus quia isti DD. ducuntur ex eo, quod putant Prælatum superiorem non habere iurisdictionem super nouitijs, quod esse falsum iam est probatum. Nam licet non habeant illam potestatem dominatiuam, quæ in eis resultat ex voto professionis subditorum, habent tamen iurisdictionem spiritualem, quasi Episcopalem eis concessam à Pontifice ex vi erectionis Religionis in corpus spirituale, exemptum à iurisdictione ordinariorum. Propterea huius virtute commutare possunt nouitiorum vota. Et eo magis, quod nouitij gaudent priuilegijs Religionis, vt etiam est probatum. Ideò hanc partem sustinent Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 22. num. 7.* Rodriq. *cap. 1. q. 25. a. 8. & in sum. tom. 2. cap. 89. nu. vlt.* Less. *l. 2. c. 40. dub. 13. num. 107.* Miranda *p. 2. q. 32. a. 6.* Diana *p. 3. tr. 2. resol. 71.* Lezana *t. 2. cap. 18. num. 47.* Palaus *tr. 16. d. t. p. 11 num. 3.* Anton. à Spir. San. *tr. 2. d. 2. num. 223.* & apud eum Candid. & Delbene. Bordon. *tom. 1. resol. 3. num. 11.* Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 27.* Videri possunt, quæ de votorum dispensatione, & commutatione dixi supra *q. 187.*

n. 1. Et semper considerandum in cuius facultatis virtute dispensatio fiat, & quantum illa facultas se extendat.

107 Non potest tamen Prælatus regularis vota nouitij directè irritare, quia non habet super eum potestatem illam dominatiuam ex voto obedientiæ prouenientem, per quam sit dominus voluntatis nouitij Tambur. tom. 3. d. 6. q. 17. num. 24. Et apud eum Nauar. Nald. Rodriq. Mulfesius, & Portel. Quod tamen explicat, & limitat Lezana asserens Prælatum regularem posse irritare indirectè ea vota, quæ contrariantur regimini, & conuenienti regimini ordinis: quia quantum ad hoc habet Prælatus conuenientem potestatem etiam in nouitios, sicut notauit Suarez tom. 2. de relig. l. 6. de voto num. 12. & 13. Verum hæc non erit irritatio, sed suspensio votorum, quam posse fieri à Prælato, quando vota, vel impediunt Religionis opera, vel nimis grauant Religionis onus tradunt Sanchez l. 4. mor. cap. 33. num. 32. Less. l. 2. cap. 40. dub. 10. num. 77. Suarez loco citato Tambur. d. num. 24.

108. Amplius verò in votis nouitiorum posse dispensare Episcopum, aut ea commutare tradunt Henriq. & Sanchez numero 18. Ex eo quia nouitij nondum plenam exemptionem à iurisdictione Episcoporum sortiti sint. Huiusmodi verò dispensationem, aut commutationem fieri posse, vel ab Episcopo prioris domicilij, vel ab Episcopo loci in quo est nouitiatus iuxta diuersas DD. sententias. Sed iam supra probatum est nouitium non esse subiectum Episcopo, sed ab eius iurisdictione exemptum; vnde non possunt per eum commutari, vel dispensari vota Nouitiorum.

109 Verum vota nouitiorum nec indigere dispensatione, sed manere suspensa per Religionis ingressum, tradit Suarez tomo 3. de religione l. 5. cap. 11. numero 9. Non quia sint immediatè ex vi huius ingressus suspensa, sed quia, vel à superiore, vel à Confessario, vel ab ipso nouitio commutari possunt in opera Religionis, cum hæc commutatio fit in bonum euidenter melius; sed & imò inquantum executio votorum sit contraria nouitiatus regimini, quod vota sint ipso iure suspensa tradidit Tambur. d. numero 24. ex Sanchez vbi supra numero 37. Sed in casu, quod huiusmodi vota non essent modo præfato suspensa, nec essent talia, quæ impedirent Religionis opera, adhuc prælatum posse illa suspendere per accidens, si v. g. ex hoc nouitius tot scrupulis premeretur, vt videretur veluti ineptus ad religionis exercitia, aut hæc multo grauiora redderentur, tradit Sanchez d. libro 4. mor. cap. 33. numero 33. Et tandem circa huiusmodi vota id potest Prælatus regularis, quod potest respectu votorum sæcularium, quia nouitij non sunt peioris conditionis, quam sæculares Sayr. in Claui Reg. l. 6. cap. 11. nu. 92. Azor. tomo 1. l. 12. cap. 19. q. 21. Sanchez l. 4. mor. c. 39. numero 22.

110 Sed si nouitius ex sua priuata deuotione emiserit tria vota Religionis, & Prælato obedientiam promiserit, poterit ne superior in hoc casu vota nouitij irritare? Negat Sanchez l. 4. Moral. cap. 24. num. 35. citans Vasquez p. 2. q. 106. disp. 165. cap. 4. num. 85. & 89. Quia per huiusmodi votum, non est iure Ecclesiastico inductum, vt acquiratur aliqua iurisdictio in vouentem, nec vt vota habeant tacitam conditionem pendentem ex Prælato consensu. Sed ratio germana huius est, quia votum non dat potestatem ad sui ipsius relaxationem, ideò ex quo quis voueat alicui obedientiam, datur quidem dominatiua potestas super actibus futuris, & per superiorem constitutum ex voto dirigendis, non tamen datur super eiusdem voti obedientiæ relaxatione, cum votum perpetuitatem non sui ipsius destructionē intēdat, ad conseruationem. Alia verò duo vota castitatis, & paupertatis in voto obedientiæ continentur; vnde illa in præsenti casu relaxari non possunt.

111 Vndecimum priuilegium est, quod nouitij possunt à superiore regulari dispensari, etiā in præceptis Ecclesiæ dispensabilibus. Fundamentum huius est, tum ex parte Prælatorum authoritas, & iurisdictio quasi Episcopalis, ex qua habent, vt possint in præceptis ieiunij, officij diuini, missæ abstinentiæ à carnibus, & alijs similibus dispensare. Tum ex parte nouitiorum, quos non decet, vt in similibus recurrant ad alium extra Religionem. Imò si Prælatus regularis ex priuilegijs suæ Religionis habeat circa huiusmodi maiorem authoritatem, ea potest vti etiam cum nouitijs Suarez t. 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 14. num. 8. & cæteri DD. supra citati docentes communiter Prælatum cum nouitijs posse dispensare in votis, & præceptis. Circa obseruantias ordinis verò putat Suarez nouitium non indigere dispensatione, quia ad illas non tenetur, sed vt suæ probationi satisfaciat, indiget licentia superioris, quam potest dare sine dubio, licet ad eam dandam ratio prudens requiratur. Sed quia verè nouitius ad regulæ experientiam iuxta superioris directionem obligatur, in hac parte locum potest habere etiam dispensatio.

112 Duodecimum priuilegium est, vt cum nouitio possit dispensari à Prælato regulari, etiam ad effectus perpetuos, & in ipsis permanentes, etiam si à Religione recedant, vt v. g. vt possit, cum illo dispensari ad ordines suscipiendos. Negat tamen hoc Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. c. 14. num. 8. seu distinguendo limitat. Nam vt dictum est dispensatio, quæ respectu nouitiorum conuenit Prælatis ex multiplici causa legitima procedere potest, nimirum ex triplici, vel scilicet ex potestate quasi Episcopali, quam habent, vel ex vi communicationis in priuilegijs professorum, vel ex vi specialis priuilegij concessi pro nouitijs. Ex priori causa tantum potest Prælatus dispensare cum nouitijs, quantum posset Episcopus, cum Clericis etiam ad perpetuos effectus, quia nouitij sunt sub cura Prælati habentis iurisdictionem quasi Episcopalem, veluti si essent sub Episcopo; & ideo in casibus dispensabilibus per talem potestatem, Prælati absolute possunt cum nouitijs dispensare. Sed ex secunda causa non possunt Prælati dispensare cum nouitijs ad effectus perpetuos, extensio enim priuilegiorum, quæ data est pro professis non potest prudenter extendi ad nouitios in ordine ad effectus durabiles, si nouitius exeat; quia talis extensio non est accommodata statui nouitiatus, qui est annus, & mutabi-

tabilis, dispositio autem pro professis sit ad rem perpetuam. Tum secundo, quia potestas super nouitios conceditur ad illorum temporale regimen, pro tempore scilicet probationis; igitur per se extenditur ad ea solum, quæ ad hunc finem sunt necessaria, dispensationes verò ad effectus perpetuos non solent aliquid ad illum finem referre. Tum tertio, quia talis dispensatio posset cedere in iniuriam Episcopi, cui nouitius, vt sæcularis est subiectus, quasi radicaliter, & erit actualiter, si ad seculum reuertatur, manebitque Clericus secularis irregulariter ordinatus sine licentia sui Episcopi, quod est inconueniens, & contra debitum ordinem, vnde non est præsumendum, quod Pontifex in hoc sensu concesserit priuilegia. Tum quartò, quia priuilegia huiusmodi professis concessa sunt intuitu Religiosi status, & professionis ferentis perpetuitatem in Religioso obsequio, ideò non est rationabile, vt talia priuilegia communicentur nouitijs mutabiliter Religiosis, nisi pro tempore nouitiatus. Sed ex tertia causa tantum possunt Prælati, quantum illis conceditur, multa autem concessa sunt specialiter pro nouitijs, vt patet ex Mari Magno mendicantium, & alijs priuilegijs supra num. 96. adnotatis, quorum vi etiam ad effectus aliquos perpetuos dispensare possunt. Sed ego fateor, quod præfatæ rationes non multum vrgent, quia in nouitio bonæ fidei status Religiosus est in proposito perpetuus, & sicut potestas iurisdictionis ordinis, quam habent Prælati, se extendit ad effectus perpetuos, vt Suarez ipse fatetur, & ad hoc sufficit, quod licet nouitiatus sit quid temporale, in nouitio tamen bonæ fidei est animo perpetuus, etiam hoc sufficiet ad hoc vt priuilegia professorum se extendant ad nouitios bonæ fidei etiam ad effectus perpetuos; in ordine ad quos de facto data sunt aliqua specialia priuilegia, vt ad dispensandum in votis aliquibus, & in irregularitatibus. Et nulla ex hoc sequitur iniuria in Episcopum, qui non habet ius, quod sui si sint impediti, ne possint recipere ordines, vel beneficia, vel aliquid honorificum ab Episcopo, non petant, & procurent auferri aliunde impedimentum, & sic nulla iniuria fit Episcopo, nec est periculum, quod Clericus aliquis sit irregulariter ordinatus ex eo v. g. quod super aliqua irregularitate fuerit auctoritate Papæ per priuilegia dispensatus. Ex eo ergo præcise, quod effectus sit perpetuus non obstat, quin nouitius possit participare in priuilegijs professorum. Aliud ergo considerandum est, omissum si priuilegia concessa sint intuitu professionis iam habitæ, & perseuerantiæ promissæ, vel si priuilegia supponunt professionem, & in illa fundantur, vnde possit & debeat iudicari, quod priuilegia sint professorum propria, & alijs incommunicabilia, vel si sint talia, quæ Pontifex non esset concessurus non professis, vel quæ non professis minime conueniant, vel alia similia, ex quibus omnibus bene pensatis censeatur impediri communicatio. Nam & ego existimo, quod quam plura sint professorum priuilegia in quibus non communicant Nouitij.

113 Decimum tertium priuilegium est, quod si nouitij sint sacerdotes, possunt seruatis seruandis audire aliorum etiam sæcularium Confessiones. Nihil enim est, quod in hoc eos prohibeat. Et quatenus sint approbati à Prælato Regulari, & ex vi approbationis illius possunt vti facultate, quam habent professi ex priuilegijs summorum Pontificum, vt absoluant pœnitentes etiam à multis à quibus absoluere non possunt simplices confessarij sæculares. Quam tamen facultatem eis non potest competere si solum sint approbati ab Episcopo, quia tunc non audiunt confessiones vt Confessores Regulares, & vt approbati à Religione; facultates verò absoluendi à Pontificibus concessæ sunt Regularibus à suis superioribus approbatis, vt per DD. quos sequutus sum supra q. 187. a. 1. n. 219.

114 Decimum quartum priuilegium est, quod nouitij possunt ex commissione prædicare, etiam si non sint initiati aliquo ordine, imò licet non sint insigniti prima tonsura. Fundatur hoc priuilegium in concessione Pauli Tertij, qui cuilibet Societatis Iesu concessit, vt si fuerit per Præpositum societatis deputatus, possit prædicare verbum Dei in quibus cui Ecclesijs, plateis communibus, & publicis, tam Clero, quam populo. Sic enim habetur in Constit. Pauli 3. quæ incipit inter cunctas. Huiusmodi verò priuilegio per viam concessionis gaudent aliæ Religiones. In hoc verò priuilegio non est difficultas an se extendat ad nouitios, quia concessum est cuicumque Religioso dictæ Societatis Nouitij, verò sunt aliqui Religiosi eiusdem dictæ Religionis in fauorabilibus. Et neque est dubium an hoc per communicationem conueniat etiam alijs Religionibus. Sed difficultas est an se extendat ad illos, qui non sunt insigniti saltem prima tonsura. Non extendi enim sensit Suarez *tom. 4. de relig. tr. 10. l. 9. cap. 1. num. 14. & 16.* Tum quia prædicare est munus minus conueniens Laicis, cum imò antiquitus docere, nec esset officium Monachi, vnde S. Hier. ad Vigilant. dixit, quod Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, vt habetur 16. *q. 1. cap. 4.* Tum secundo, quia Greg. 13. in bulla, *Dilecti filij* confirmans concessionem Pauli illamque declarans ait. *Vobis insuper concedentes, vt etiam Clerici vestri prima tantum tonsura insigniti &c.* Greg. igitur 13. constitutionem Pauli intellexit, vt tantum Tonsuratis concessa fuerit facultas prædicandi. Tum tertio, quia Societas in hoc sensu dictum priuilegium intellexit, & eo vsa fuit, & etiam vtitur. Verumtamen alij ex Societate oppositum sentientes respondent, de iure communi nec Laicis esse interdictum docere, & prædicare, quoniam nec est actus iurisdictionis, qui non possit committi Laico. Et quatenus regulariter non conueniat, & Laicis non committatur, officium prædicandi hoc verum erit de puris Laicis, non verò de illis qui iam sunt ordinis Ecclesiastici, per susceptionem habitus Religiosi. Et sic si quæ iura adduci possunt, intelligi debent de puris Laicis. Quod verò ab officio prædicandi excluderentur Monachi, hoc non erat, quia non essent ordinati, vel initiati prima tonsura, sed quia eorum munus erat contemplationi incumbere; & solitudini. Et nihilominus nunc alij sunt mores, & ad munus prædicandi, etiam Monachi deputantur. Sed id

 verò,

vsu, quod ex Greg. 13. adducitur dicunt, quod Greg. id expressit in casu de quo fuit interrogatus, at vero constat ex eius bulla, quod fuerit interrogatus an priuilegium Pauli Tertij se extenderet ad non ordinatos, & sic respondit, se extendi, & omnibus initiatis prima tonsura id conuenire, sed non per hoc limitauit Concessionem Pauli Tertij, qui absolute vniuersaliter loquitur. Et ad vsum societatis dicunt praxim respicere id, quod vniuersaliter conuenit, & quod decet ex æquitate, cum quo stat quod stricto iure possit aliter fieri, & munus prædicandi possit committi Nouitio etiam prima tonsura non initiato. Sed dicendum est non extendi. Nam in Religiosis sub nomine Clerici veniunt, qui sunt ad choram & clericalia munera destinati. Et isti iam se habent ac si essent Clericali tonsura designati cum portent coronam in signum Clericalis muneris, vnde sub illa verbo Clerici in Constit. Greg. 13. veniunt omnes ad Clericale officium deputati. Et de omnibus illis loquutus fuit Paulus Tertius.

115. Decimum quintum priuilegium est, quod nouitius constitutus in articulo mortis, si excessit ætatis annum 16. potest emittere professionem etiam anno probationis non expecto. Fundantur in concessione Pij Quinti pro Monialibus ordinis Prædicatorum, quæ concessio per communicationem priuilegiorum est communis omnibus Religiosis, de quo priuilegio diffuse tractatum fuit supra in tractatu de nouitiatu inspectione.

116. Decimum 6. priuilegium est, quod nouitius potest sibi eligere sepulturam, nam *cap. fin. de sepul. in 6.* solis Religiosis interdicit electionem sepulturæ, at vero in odiosis nouitij non veniunt sub nomine Religiosi Franc. *ad d. cap. fin.* Tabien. *v. sepult. q. 4. nu. 5.* Armill. *nu. 6.* Peyrin. R. P. *q. 3. c. 1. num. 130.* Coron. *l. 4. cant. 2. cap. 3. num. 81.* Sanchez *lib. 6. Mor. cap. 14. numer. 10.* Sed quod si nouitius vult manere in probatione, & in probatione manet, quod non possit sibi eligere sepulturam late probaui supra *q. 187. a. 4. obseruat. 9. n. 26. pag. 453.* Vbi etiam ostensum est, cuius expensis sepeliri debent.

117. Decimumseptimum priuilegium est, vt non teneatur Monasterio pro alimentis, & ita vt si recedat Monasterium non possit petere alimenta. Circa, quod tamen plura consideranda sunt. Et quidem primo, quia vt supra probatum est, potest Monasterium conuenire cum nouitio pro alimentis, quia per se & ex iustitia non tenetur alere nouitium. Nam Concil. Trid. *sess. 25. cap. 16.* expresse admittit, vt nouitius de suis bonis possit tradere Monasterio aliquid pro victu, & vestitu, supposita verò conuentione illi stare debet tam Religio, quam nouitius.

118. *Præciso verò pacto, & conuentione,* nouitium non teneri ad expensas pro victu, & vestitu, etiam si recedat ad ordine, tradiderunt Domin. *cap. beneficium de regular. in 6.* Franc. ibid. *& cap. 1. in princ. num. 2. eod. tit.* Babat. *cap. in præsent. num. 58. de probat.* Anton. *cap. statuimus de regular.* Sylu. *v. religio 5. q. 8.* Rosell. *v. nouitius n. 11.* Rod. Azor. Sà locis citatis Sanchez *num. 4.* Suarez *tom. 3. cap. 11. num. 5.* Peyrin. Lezana, Bordon *de profess. appit. 4. quæstione 23.* Laymann *lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 6.* Probant verò hoc primo, quia alias nouitius non posset libere egredi, si teneretur ad expensas non habendas, quia posset non habere vnde solueret. Sed vt aduertit Suarez, hæc ratio parum valet, quia vbi ex iustitia teneretur soluere, non fieret nouitio iniuria, si ad soluendum cogeretur. Et ratio illa si valeret, probaret etiam, quod nouitius non teneretur ad alimenta etiam, si pro illis conuenisset, quia etiam tunc ex hoc posset impediri ne exiret. Ideo hoc alij probant; quia, sicut recipitur ad obsequia Monasterij, ita Monasterium tenetur illum alere: sed neque hæc ratio vrget, quia si valeret, probaret, quod Monasterium neque ex conuentione & pacto posset petere alimenta à nouitio. Et præterea hæc ratio posset quidem habere locum, vbi Monasterium indigeret opera nouitij, & ad seruitia præstita à nouitio debuisset alium suis expensis aduocare, sed vbi Monasterium non indiget operibus nouitij, & alias Monasterium nullas expensas facturus esset, non est vnde nouitius in præmium obsequij præstiti mercedem prætendat. Quod eo magis verum est, quod nouitius ad huiusmodi obsequia tenetur ex vi nouitiatus, quia tenetur ad experimentum regulæ, ideoque ad ea præstanda secundum gradum suum, quæ secundum regulam sunt, & à superiore secundum exigentiam regulæ disponuntur. Aliam etiam rationem reddunt, quia scilicet, si obsequia præstita à nouitio plus valerent, quam alimenta, si recederet nouitius non peteret excessum valoris sui seruitij, igitur nec teneretur reddere excessum valoris alimentorum. Sed neque hæc ratio valet, quia natura rei spectata, sicut potuisset iniri pactum, vt si obsequia nouitij magis valerent, quam alimenta in recessu nouitij solui deberet excessus valoris obsequiorum præstitorum, ita signum est, quod rei natura talis est, quæ potest fundare iustum ius petendi talem excessum, & quod sicut nouitius recedens nisi aliud obstaret, posset petere excessum valoris suorum obsequiorum, ita Monasterium posset petere alimenta, vel excessum valoris alimentorum. Nulla ergo alia ratio potest reddi, quæ vrgeat, nisi consuetudo Religionum quantum ad Monasteria virorum, ex qua sic constitutum est, vt pro alimentis nihil recipiatur, quæ consuetudo neque est vniuersalis, sed diuersimode in diuersis Religionibus practicatur. Vbi tamen non adest conuentio tacita, vel expressa aut consuetudo soluendi Monasterium censetur illa condonare nouitio, sicuti ex consuetudine multarum Religionum fit. Ideò nouitius recedens ad huiusmodi alimenta soluenda non tenetur, quia ex consuetudine sibi censentur condonata.

119. Hinc sequitur illum teneri Monasterio ad alimenta, qui ficto animo Religionem ingreditur. Non enim religio huic expensas condonare censetur, Nisi obsequia necessaria Religioni præstitisset. In quo casu nec religio tenetur, nisi ad tantum, quantum necessario expedisset, si per alium talia obsequia habere debuisset Sanchez, *num. 2.*

120. Colligitur secundò, quod vbi religio ex pacto

pacto conuenerit cum nouitio pro alimentis potest illum cogere ad solutionem, & si non soluat potest illum à Religione dimittere. Bordon loco citato. In hoc tamen casu, si nouitius ex causa adueniente factus fuisset impotens ad soluendum alimenta, & alias esset idoneus Religioni, vel graue illi immineret periculum salutis ex recessu, & alias in Religione profecturus esset, locum habere posset charitas, quæ vel ex decentia, vel etiam ex necessitate peteret tali nouitio condonanda alimenta; maxime quod ex tali recessu oriri posset scandalum, & diminutio æstimationis & famæ Religionis. Et ita quod in casu realis impotentiæ, nullo alio in nouitio defectu existente, eijci non deberet, quia facit quod potest, & puto non posse expelli ex vi Religiosæ conuentionis initæ in susceptione habitus.

121. Colligitur tertiò quod, vt supra dicebatur, si nouitius titulo alimentorum aliqua contulit Monasterio, si ipse vel recedat, vel moriatur non tenetur Monasterium totum reddere, sed sibi retinere potest; quod iustum est pro rata temporis, in quo aluit nouitium. Sed si quæ nouitius contulit non sunt data pro alimentis, vel pro alimentis non fuit inita conuentio cum nouitio, nec est consuetudo soluendi alimenta, ei recedenti, vel eo defuncto hæredibus omnia integra restitui debent, præter habitum Religiosum, pro quo soluendum est pretium. Lezana loco citato de expensis verò funeris supra satis fuit dictum. Quod verò aliqui ad probandum, quod nouitius teneatur ad alimenta Monasterio adducunt *cap. de lapsis 16. q.6. & cap. si quis vapuerit 7. q.1.* Ad rem non facit, vt ex Anchar. & Io. And. aduertit Sanchez, quia in illis textibus non fit sermò de nouitijs, sed de Religiosis, qui pœnitentiæ causa in aliud Monasterium detruduntur.

122. Decimumoctauum priuilegium est, vt nouitij non subijciantur interdicto personali lato contra personas Laicorum. Quia nouitij sunt exempti, & vtui, & in odiosis non veniunt nomine Laicorum, sed vbi sit eorum fauor censentur Religiosi Peyr. R.P. *q.3. c.1. num. 105.* Tambur. *t.3. d.6. q.27.* Quod extenditur secundum aliquos adeò, vt si quis sit interdictus, cesset interdictum per ingressum in Religionem. Sed aduertendum, quod nominatim interdictus, & non toleratus, non potest recipi ad habitum: vt probatum est supra tractando de conditionibus recipiendorum.

123. Decimumnonum priuilegium est, vt nouitij non subdantur legibus pœnalibus, quæ vel dantur determinate pro religiosis. Quia in odiosis nec comprehenduntur sub nomine *Laicorum*, nec sub nomine Religiosorum. Donatus *part. 4. t.6. q.1.*

124. Ex quo colligitur, quod non comprehenduntur sub constitutione Clem.8. de largitione munerum. Donatus ibid. Nec sub excommunicatione *cap.2.* Ne clerici, vel Monachi *in 6.* vnde sine timore excõmunicationis illius legis non sunt prohibiti leges, & medicinam audire Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.8. part. 7. num. 13.* Donatus ibid. Nec secundum aliquos subijciuntur casibus reseruatis in Religione Donatus *num.* 4. Sed hoc est supra reprobatum. Nec si intersint agitationi tauro excommunicati sunt, per censuram super hoc latam à Pio Quinto Donatus *num.* 4. Nec si ministrent extremam vnctionem sine licentia Parochi ligantur excommunicatione Clem. 1. *de priuileg.* Nauar. *cap.27. num.102.* Sylu. *v.excom. 7. num. 1.* Donatus *num.* 4. Nec subduntur casibus reseruatis Episcopo Nauar. *decis.* 88. Tambur. *de iure abb. disp.15. q.5.* Donatus *num.5.* Nec subduntur iurisdictioni Epis. nisi in illis casibus in quibus, eis subduntur professi Nouar. Tambur. Donatus nec subduntur prohibitioni factæ Religiosis de nõ accedendo ad Monasteria Monialium. Quamuis subdantur ei, quæ continetur *in cap. periculosa, de statu Regular. in 6.* Quæ innouata fuit per Concil. Trident. *sess. 26. cap. 5.* & in motu quodam Pij Quinti de anno 1569. Ideo sine licentia eorum ad quos spectat, non possunt nouitij accedere ad Monasteria Monialium. Nec continentur sub decreto Concil. Trid. *sess.4.* prohibentia Religiosis imprimere libros sine licentia Prælati regularis. Nec prohibiti sunt appellare, quia iura prohibentia appellationem loquuntur de Religiosis, ideoque intelligantur de professis. Verum vbi religio in qua est nouitius prohibeat appellationem, ad hanc legem tenetur nouitius, sicut & ad alias Religionis leges, prout supra explicatum est. ideò hoc semper aduertendum, quod licet nouitij non ligentur legibus extraneis satis determinatè pro Religiosis, ligantur tamen legibus suæ Religionis ad quas implendas, & experimento comprobandas se obligarunt ex conuentione, idiò & quatenus aliarum legum, quæ pro Religiosis in vniuersum latæ sunt, obseruantia exigatur à propria Religione, & ab eius Prælatis, tenentur nouitij ad talem obseruantiam. Et si non obediant possunt puniri etiam pœna ordinaria, quoniam & huiusmodi pœnæ executio est de numero eorum, quæ nouitius experiri tenetur. Et ita vt si eiectio ab ordine non sit pœna condigna transgressioni possit superior nouitium maiori pœna punire, & punitum etiam eijcere, vt supra satis est probatum.

SVMMARIVM.

1 *Nouitijs prohibita sunt, quæ sunt prohibita professis. nu.125.*
2 Non *possunt eligi ad Prælaturas in eadem ordine. nu.126.*
3 *Valide eligitur in priori Religione nouitius, qui transijt ad aliam Religionem. nu.126.*
4 *Nec habet vocem actiuam. nu.126.*
5 *Nec licite antequam exeat contrahit Matrimonium. nu.127.*
6 *Non licet ei stare in iudicio. nu.128.*
7 *Illicite vouet, quæ repugnant nouitiatui, si vult manere. num.128.*
8 *Non potest manente nouitiatu se subijcere Episcopo. num. 128.*
9 *Non potest donare Conuentui, nisi seruata forma Trident. num.128.*
10 *Tenetur perseuerare. num. 128.*

Quæ

Quæ sunt speciali iure prohibita Nouitijs.

INSPECTIO VII.

125. SVpponimus ea omnia esse illis prohibita, quæ professis Religiosis sui ordinis per ordinis leges, & summi Pontificis decreta interdicta sunt, quamuis vt supra etiam dictum est, hæc obligatio non sit ad culpam, sed ad pœnam, vnde pro transgressionibus puniri possunt, & à Religione reijci.

126. Specialiter verò nouitijs interdictum est posse eligi ad Prelaturas in ea Religione cuius sunt nouitij *cap. nullus de elec. in 6.* prout supra est explicatum. Ad alias etiam dignitates extra ordinem inferiores Episcopatu licet valide, minus tamen licite regulariter, & per se loquendo eligi possunt, quia hoc est illis præbere occasionem, vel discedendi à Religione, vel abutendi bonis, & beneficijs Ecclesiasticis, vt supra etiam expositum est. Si tamen Religiosus, iam professus transiens ad aliam Religionem dum in illa alia Religione est nouitius, eligatur in prælatum prioris Religionis valida erit electio, sed forsan minus licita, si id sit ei occasio recedendi à perfectiori Religione. Secundò nec intra propriam Religionem habent vocem actiuam *cap. ex eo de elec. in 6.*

127. Tertiò nouitij tempore nouitiatus licet valide illicite tamen contrahunt Matrimonium *cap. consulti de regular.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 11. num. 8.* Vnde si nouitius consummasset matrimonium tanquam omnino inhabilis deberet, statim ac commodè posset exire à Religione. Suarez citatus. Sed si non consumasset, sed intenderet consummare ad idem teneretur, posset tamen, si vellet esse Religiosus, permanere cum animo profitendi, vel ad expectandum, si Deus moueat illius cor ad pœnitentiam, & hoc per duos menses concessos *cap. ex publico de conuers. coniug.* An verò bimestri terminato nouitius teneatur matrimonium consummare, vel iudice prorogante terminum bimestris possit expectare completum annum probationis, & tunc profiteri. Videndus est Sanchez *l. 2. de mat. d. 24.*

128. Quartò nouitij licet validè, non tamen licite stant in iudicio. Quia eos maximè decet solitudo, & in eis militant illæ rationes conuenientiæ, quæ militant in professis. Nihilominus quod, vt stent in iudicio non indigeant licentia superioris, *ex cap. Religiosi §. Quamuis de sent. excom. in 6. & cap. 1.* & Gemin. ibi, & Franc. *in p. notab. de regul.* Farin. *in praxi t. 1. de accusat. q. 13. num. 23.* Sanchez *l. 6. mor. c. 12. num. 34.* docet Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. qui Presbiterum num. 10. de pœnit. & remiss.* Sed hoc intelligitur quantum ad valorem iudicij. Quintò nouitij validè quidem imo, & licite emittunt vota tam realem, quam personalia, quia sui iuris sunt, nec licitè tamen, nec validè vouent in præiudicium experimenti obseruantiæ regularis, si volunt manere in Religione, quia huiusmodi vota non sunt pro hac parte de meliori bono. Si tamen voueant, & votum secundum substantiam validum erit, & obligabit si nouitius exierit à Religione. Suarez *tom. 2. de relig. l. 6. cap. 7. num. 12.* Sexto nouitij in ijs, quæ cadunt sub potestate Prælati regularis, non possunt licitè seè subijcere Ordinario Prælato inuito, vel non conscio. Quia sunt sub iurisdictione illius, nec decet vt manente nouitiatu ab ea se subtrahant. Septimo nouitij prohibentur dare de bonis suis Monasterio pro tempore nouitiatus, nisi pro victu, & vestitu prout supra probatum est ex Concil. Trid. *sess. 25. c. 16.*

SVMMARIVM.

1 *Quilibet ingressurus Religionem potest de suis bonis disponere. n. 129.*
2 *Decretum Concil. Trid. num. 129.*
3 *An actio prohibitiu fieri per Concilium sit renunciatio tam ante ingressum in Religionem, quam post ingressum ante vltimam bimestre. Disputatur ad opposita. numero 130. 131. 132. 133. & 134.*
4 *Affirmantium opinio. nu. 135.*
5 *Renunciatio facta ante ingressum Religionis est valida. nu. 136.*
6 *Concilium noluit disponere de renunciationibus Laicorum, quales fiunt nouitij ante ingressum. num. 137.*
7 *Valet renunciatio facta ante ingressum etiam si fiat intuitu ingressus. n. 138.*
8 *Educandæ valide renuntiant ante ingressum. nu. 138.*
9 *Maior 16. annis non renuntiat validè, si renunciet ante 10. menses nouitiatus. n. 139.*
10 *Concilium non prohibe quin iacti fiant obloti. num. 140.*
11 *Renunciatio, & obligatio quid sit. numero 141.*
12 Nouitius *nullam facere potest renunciationem, nisi seruata forma Concilij. nu. 141.*
13 Nec *donare. n. 142.*
14 Nec *donare etiam si donatio fiat Deo. numero 143.*
15 Nec *donare seculari. nu. 144.*
16 Nec *donatio remuneratoria. nu. 145.*
17 Nouitius *modicas eleemosinas tribuere potest. num. 146.*
18 Non *tamen magnas etiam non factas intuitu professionis. n. 136.*
19 *An liceat dare pro solemnitate ingressus. numero 147.*
20 Licet *dare pro victu. n. 148.*
21 *Prohibiti sunt contractus etiam onerosi in quibus nouitius minus recipit, quam tribuat. numero 149.*
22 Non *potest dare dotem puellæ, aut fideiubere. nu. 150.*
23 Non *sunt prohibiti contractus necessarij. numero 151.*
24 Nouitius *quando teneatur liberare tutorem. numero 152.*
25 *Contractus onerosi licent in quibus tantum recipitur*

pitur quantum datur. numero 153.

26 Non licet nouitiu dare mutuum. n.154.

27 Nec liberaliter remunerari. n.154.

28 Licet inire contractum societatis, & ludi. numer.154.

29 Licet renunciare beneficio seruata forma Concilij. nu.155.

30 Episcopos non potest conferra beneficium nouitij ante professionem. nu 156.

31 Licet renunciare patrimonio, & officia seruata forma Concily. nu.157.

32 Nouitio non licet sine forma Concilij cedere hereditati. nu.158.

33 Non valet donatio facta sub conditione, vt sit irrita non sequuta professione, si fiat ante vltimum bimestre. n.159.

34 Non est prohibitum testari. nu.160.

35 Quæ donationes prohibita sint. n.161.

36 Sufficit, quod renunciatio non fiat ante decimum mensem anni probationis. n.161.

37 Licentia Episcopi necessaria: & qualis. numero 163.

38 Episcopi est dare hanc licentiam non verò superiaris regularis. n.164.

39 Consuetudine potest huic legi derogari. numero 164.

40 An duo menses debeant numerari de momento in momentum. n.165.

41 Post decimum mensem anni probationis fieri potest renunciatio etiam si multum expectari debeat ad faciendam professionem. numero 166.

42 Dispensatus super anno integra probationis potest renunciare intra bimestra a professione. numer.167.

43 Ad renunciationem non sunt necessaria solemnitates iuris communis. nu.168.

44 Renunciatio non sortitur effectum nisi sequuta professiane. nu.169.

45 Si nouitius moritur ante professionem ruit donatio. nu.170.

46 Nouitius decessurus potest reuocare renunciationem per testamentum. n.171.

47 Et potest per testamentum disponere ad fauorem eius cui donauerat. n.171.

48 Si nouitius sine testamento decedat bona eius peruentuot ad haredes ab intestato. nu.172.

49 Renunciatis bonis ante ingressum Monasterij nouitio intestato decedente in habitu religioso, an bona remaneant Monasterio. n.173.

50 Quod magis asseritur si donatio sunt facta absolute. nu.173.

51 Sed si nouitius recedit à Religione donatio ruit. num.173.

52 Vbi professio sit nulla, nouitius recuperat donata. n.174.

53 Quod non procedit si professio ratificetur. numer.174.

54 Renunciatio est irreuocabilis. nu.175.

55 Donatio conditionata est irreuocabilis. numero 175.

56 Non potest nouitius post renunciationem imponere nouum onus. n.176.

57 In casu mortis ante professionem potest reuocare donationem. n.176.

58 Fructus medij temporis sunt nouitij non vero donatarij. numero 177.

56 Res donata à nouitio non debet tradi donatario ante professionem. n.178.

60 Renunciatio est reuocabilis titulo ingratitudinis. num.176.

61 Non tamen si facta ad fauorem Ecclesia. numero 179.

62 Prælatus sui subditi donationem factam tertio potest reuocara titulo ingratitudinis. numero 180.

63 Religiosus factus Episcopus non potest rescindere renunciationem. 181.182.

64 Religiosus factus Episcopus manet Religiosus. num.183.

65 Renunciatio nouitij est nulla si fiat sine solemnitibus. n.184.

66 Filius licet non possit testari, potest renunciare. num.185.

67 Nouitius potest apponere onera renunciationi, etiam ad sui fauorem. nu.186.

68 Nouitij societatis in renunciando non tenentur seruare formam Concilij. num.187.

69 Ingressurus Religionem potest testari sine solemnitatibus iuris. n.188.

70 Testamentum ingressuri Religionem non infirmatur professione. nu.189.

71 Professus non potest renocare testamentum antea factum. n.190.

72 Hæres nouitij ex testamento non adit hereditatem nisi post mortem illius. n.191.

73 Testamentum, & renunciatio habita tempore iuris non subditur solemnitatibus iuris. numer.192.

74 Renunciationes frequentius fiunt fauore agnationis. nu.193.

75 Ratio renunciandi duplex. nu.193.

76 Bona renunciata fauore agnationis non transeunt ad extraneos. nu.194.

77 Hoc est verum de bonis propris renunciantis. num.195.

78 Pater de sibi relictis fauore agnationis non potest disponere ad fauorem Monasterij. nu.196.

79 Si renunciatio sit fauori agnationis, & quorumcumque haredum bona renunciata deficiente agnatione transire possunt ad extraneos. numero 197.

80 Si renunciatio sit facta fauare agnationis, quod testamento possint transmitti ad extraneos deficiente agnatione aliqui sentiunt. nu.198.

81 Bona renunciata fauore agnationis non se vltra extendunt. nu.199.

82 Non debet attendi in hoc mens renunciatarij, sed renunciantis. n.199.

83 Causa finalis renunciantis restringit libertatem renunciatarij. nu.200.

84 Renunciationes quoad personas non sunt latè interpratanda. nu.201.

85 Filia non potest renunciando restringere Patris facultatem quantum ad bona paterna. numero 202.

86 Donatio facta intuitu agnationis est conditionata. num.203.

87 Pactum de non petendo bona renunciata in renunciatione conditionata est limitatum. numer.204.

88 Stipulatio restricta est ad concessionem renunciantis.

antis. numerò 204.

89 *Sub renunciatione facta etiam intuitu Religionis non comprehenditur hereditas renunciatarij. num.205.*

90 *Etiam si in renunciatione expresse renuncietur hereditati ab intestato. nu.205.*

91 *Renunciatio est strictissimi iuris. nu.205.*

92 Non est verisimile, quod renunciantis, & renunciatarij mens sic, vt renuncians non possit succedere renunciatario ab intestato. numero 206.

93 *An renunciatio spei intelligi debeat de spe habente causam in futuro. n.206.*

94 *Renunciationes factæ, intuitu Religionis ad fauorem fratrum præsumuntur factæ ad fauorem descendentium masculorum. n.207.*

95 *Nisi adsit persona cui præsumatur, quod renuncians voluerit renunciare. nu.207.*

96 *Renunciatio, vt est repudiatio datur de iure futuro. n.208.*

97 *Ad fauorem alterius non renunciatur nisi, quod est renunciantis. n.209.*

98 *Renunciatio non est donatio nisi, vt est iuris quæsiti. n.209.*

99 *Spes habendi ex gratia non renunciatur alteri. num.210.*

100 *Renunciatio sub conditione, quod aliquid donetur, non est renunciatio, sed promissio. numero 211.*

101 *Sub renunciatione non veniunt bona, quæ ex gratia alterius proueniunt renuncianti. numero 212.*

Quando Nouitius possit de suis bonis disponere maximè attento iure Concil. Trident. sess. 25. cap. 16.

INSPECTIO VIII.

129. QVemlibet ingredi volentem in religionem posse liberè disponere de bonis suis absque vlla superioris requisita licentia, cum sui iuris sit, & suorum dominium habeat est per se manifestum, & tradiderunt Couar. *cap. 2. de testam. num. 5. in fin.* Nauar. *com. 2. de regul. num. 49.* Gutieres Canonic. *lib. 2. cap. 1. num. 15.* & plures alij quos sequuntur Sanchez *l. 7. cap. 3. num. 3.* Suarez *tom. 3. de relig. l. 5. c. 26. num. 7.* Palaus *t. 3. tr. 16. d. 1. p. 14. num. 1.* Nec tenetur ingressurus Religionem aliquid eidem Religioni relinquere, quia ex nullo iure ad hoc obligatur, quamuis teneatur legitimam relinquere ascendentibus, & descendentibus Franc. *ad rubric. de testam. num. 66. & 70.* Nauar. *com. 2. de regul. num. 44.* Sanchez *d. l. 7. cap. 3. num. 7.* Cum verò Corduba super Reg. Min. *cap. 2. q. 8. p. 2.* dixerit ingressurum ordinem minorum debere vendere sua illaque distribuere pauperibus, Rodriquez *tom. 3. q. 16. a. vlt.* quem sequitur Sanchez *d. lib. 3. num 4.* hoc reprobat asserens & probans hoc esse consilium datum à Christo non præceptum. Verum pro dispositione bonorum nouitij Concil. Trid. *sess. 25. c. 16. de regularibus* tradidit formam & solemnitatem seruandam à nouitio in suorum bonorum dispositione per hæc verba. *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, & in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

130. Circa verò hunc textum antiquitus fuit magna controuersia, primò de subiecto huius decreti, an scilicet is cui datur forma disponendi de bonis suis, sit nouitius, vel sit quicumque intuitu ingressus in Religionem, & professionis disponit de rebus suis, & ex consequenti an dispositio facta à sæculari ante ingressum Religionis, sed tamen eius intuitu, sit nulla; nam certa dispositio Concilij nec exprimit determinatum tempus ante bimestre professionis, nec determinatum statum personæ disponentis de bonis suis, sed vniuersaliter, & absolutè ait. Nulla quoque renunciatio antea facta. Ideò videbatur dicendum omnium dispositionem factam à professuro in quocumque tempore ante bimestre professionis ex vi huius decreti esse nullam. Et eo magis quia si dispositio facta à professuro Religionem ante Religionis ingressum esset valida de facili frustraretur hæc lex Concilij, quæ finem suum non sortiretur, qui est libertas professionis, quæ tolli videtur, ex eo quod qui de rebus suis disposuit, videns se suis bonis priuatum compellitur quodammodo ad Religionem, ne in sæculo viuat, vel mendicus, vel minus diues, & splendidus quam erat, & quam ipsius statum decet. Sed ad hanc coactionem inferendam parum interest, quod donatio huiusmodi sit facta tempore nouitiatus vel ante, quod si ante nouitiatum fieri potest, lex Concilij de facili, imo facilius suo fine frustrari potest. Accedit enim tertiò, quod in maiori periculo male disponendi de bonis suis versatur iuuenis sæcularis extra monasterium in medio quam plurium desiderantium ditari ex bonis illius, & in quibus faciliorem locum habere potest auaritia, & ex consequenti fraus, & iniustitia, vt vel dolo, vel etiam vi compellant illum ad disponendum in ipsorum fauorem de rebus suis, vnde postea & compellatur ingredi Religionem, & profiteri.

131. Et hæc maiorem vim habere videntur ex eo, quod rationes, quæ pro aduersa sententia adducuntur debiles sunt, & potius hanc confirmant. Quod enim multi cum Sanchez *l. 7. mor. cap. 5. num. 4.* dicunt, quod in dubio textus intelligendus est iuxta rubricam *l. si quid autem §. si quid. in verò C. de veteri iure enucleando*, & in prohæmio Clementinarum, vers. *licet ex diuersitate.* Cum verò textus Concilij contineatur sub rubrica de regularibus, non potest intelligi, vt loquatur de merè sæcularibus, quales sunt, qui nondum in Religionem ingressi sunt. Hoc enim valde debile est, quia ad rubricam de regulari-

bus pertinet nedum quod fit à regolaribus, sed quidquid pertinet ad regularium statum, & propterea maxime sub rubrica de regularibus reponi debet, quod proponens Religionem intuitu ingressus in Religionem disponat de rebus suis, cum præcipue ex hoc de facili contingere possit, vt ex hac dispositione euenire possit; vt compellatur ingredi. Et sic hoc modo de rebus suis disdisponens sub ordine regolarium continetur, quantum sufficit, vt comprehendatur sub rubrica de regularibus.

132. Qood verò additur ex eodem Sanchez, videtur quidem habere maiorem apparentiam. Dicitur enim quod *cap. 16. illius sessionis* 25. *de regularibus* continuatur cum 15. antecedente per copulatiuam quoque, dicitur enim nulla quoque renunciatio, dictionis verò quoque est copulare sequentia cum præcedentibus *arg.* §. *præterea quoque instit. de iure natural. &* §. *posthumodo instit. de legatis*, & pariformiter determinare, vt notatur *l.* 4. *C. de impuber. & alijs substit.* At verò Concilium *cap.* 15. loquutus fuit de nouitijs, de quibus decreuit, vt non profiteantur nisi post integrum annum professionis, & anno ætatis 16. completo, igitur *& cap.* 16. loquitur de nouitijs. Quod idem colligitur ex verbis *cap.* 16. ibi, nisi fiat intra duos menses proximos ante professionem, & ibi finito tempore nouitiatus, & ibi, ne ante professionem nouitij, vel nouitiæ. Sed ex hac ratione oppositum intenti ab arguente deducitur, Continuatur enim 16 caput ad 15. ratione materiæ de qua agitur, scilicet ratione professionis, quam Concilium intendit fieri cum plena deliberatione, & libertate, & quia huic liberę deliberationi potest obstare, vel minor ætas nouitij, vel inexperientia austeritatum Religionis, vel priuatio propriorum bonorum, ideò postquā *cap.* 15. statuit professionem non fieri valide nisi fiat expleto anno 16. post vnius anni experimentū in *cap.* 16. decreuit, quod priuatio, qua emissurus professionem se priuat bonis suis disponendo de illis non fiat valide nisi de licentia Episcopi intra bimestre professionis. Ideò vtrobique etiam loquitur de eadem persona scilicet de homine professuro Religionem, sed iuxta conditionem materiæ, & actionis de qua loquitur. Et quia professionis actio à solo homine prius nouitio iuxta canones emitti potest, ideò *cap.* 15. loquitor de nouitio. Sed quia disponere de bonis suis intuitu professionis potest fieri etiam ante habitus susceptionem, & in ordine ad libertatem professionis nihil interesse videtur, si nouitius per dispositionem habituram effectum etiam non secuta professione professurus disposuerit de bonis suis ante ingressum Religionis, vel posshmò quia dispositio facienda de bonis proprijs intuitu religionis minus deliberate, & minus libere fieri potest, si fiat antequam professurus Religionem eam expertus fuerit, & plene cognouerit, quid sit Religiosum esse; ideo statuit quod huiusmodi dispositio non fiat nisi talis, quæ solum habeat effectum professione secuta, & quæ fiat post decem mensium experimentum in Religione. Vbi valdè considerandum, quod nullum tempus antecedens determinat, nec aliquem statum professuri, & dispositurì determinat, sed absolute de dispositione rerum loquitur, quia omnis dispositio habitum effectura etiam non secuta professione repugnat libertati professionis, & dispositio facta de bonis proprijs intuitu Religionis, ante Religionis experimentum subiecta est ignorantiæ, & inconsiderationi, & inexperientiæ, ideoque periculum est, vt imprudenter, & minus deliberate fiat. Quod maiorem locum habet in dispositione facta ante ingressum Religionis, quam post ingressum ante decimum mensem anni probationis.

133. Tertium motiuum autem, quia nimirum professurus Religionem ante habitus susceptionem est mere secularis, & sui iuris, & agitur de bonorum temporalium distributione; igitur de ea non loquitur concilium, *arg. cap. nouit*, de iudicijs, *& cap. per venerabilem*, qui filij sint legitimi, debile est, quia professurus non est mere secularis, & dispositio de bonis temporalibus sue intuitu professionis habitura effectum non sequuta professione est contra libertatem professionis, & facta ante Religionis experimentum non est, vt plurimum capax plenæ deliberationis, ideò Pontifex volens professionem fieri cum plena libertate, & deliberatione prohibet illam fieri à quocumque in quocumque tempore ante bimestre professionis, & taliter vt sit habitura effectum etiam non sequuta professione.

134. Quod quartò adiungitur, scilicet quod dispositio huius capitis sit correctio, & restrictio iuris communis, & aufert libertatem disponendi de bonis proprijs, quæ omni iure cuicumque competit, ideò non debet extendi de tempore ad tempus, deficit multipliciter, & quidem primo, quia non tollitur libertas disponendi, sed præbetur modus disponendi libere, & fructuose, & tollitur modus disponendi contra libertatem professionis, & per imprudentiam. Vnde iura omnia præbuerunt modum mulieribus, & minoribus disponendi de illorum bonis assignata speciali forma, & solemnitate ad vitandas fraudes, imprudentias, & minus plene deliberatas dispositiones; vnde non mirum si Concilium Trident. voluerit præbere formam professuris, qui vt plurimum sunt minores, disponendi de illorum bonis. Secundo deficit; quia hic nulla est extensio, sed legis comprehensio, quia dictio antea vniuersalissime distribuit pro tempore antecedente illud determinatum tempus, cui apponitur. Et dictio nulla etiam distribuit pro quacumque dispositione & sic nulla hic fit extensio, sed dicitur, quod non habet locum restrictio, quia & Concilium absolute loquitur, & fiuia legis omnem dispositionem antea absolute factam comprehendit, imò magis comprehendit factam ante ingressum Religionis, quam post ingressum.

135. Propter ea Nauar. *l.* 3. *de donat. cons.* 7. *&* 8. in antiquis, & in nouis *cons.* 81. *&* 82. de regular. sensit quod dispositio renunciatio, aut obligatio facta intuitu Religionis profitendæ ante Religionis ingressum sit nulla. Quem sequuti sunt, Flaminius dicens, sic censuisse San. Cong. Cardinalium, *de resig. benefic. lib.* 3. *q.* 13. *num.* 9. Roias Epitome successionum *cap.* 7. *nu.* 30. *&* 31.

& 31. Spino *specul. testam. gloss.* 12. *nu.* 5. Menoc. *consil.* 388. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *cap.* 9. *q.* 2. Sà *v. religio num.* 5. Lelius Zechina *de republ. Eccles. tit. de regular. cap.* 3. *num.* 10. Ludouicus Lopez *l.* 2. *de contract. cap.* 39. *notab.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 47. *a.* 8. Less. *l.* 2. *cap.* 41. *d.* 4. *num.* 40. Ceuallos *q.* 315. *fin.* Paulus Fuscus *de visit. Epis. l.* 2. *c.* 18. *num.* 37. Sorbus *v. nouitius* Egidius Benedictus *l.* 1. *p.* 4. *S.* 2. *num.* 22. *C. de Sacros. Eccles.* Molina *t.* 1. *disp.* 149. & *disp.* 139. & *tom.* 3. *disp.* 604. *num.* 2. Cancer. *variar. resolut. l.* 2. *c.* 8. *num.* 81. Mal. Antonin. *variar. resolut. l.* 1. *casu* 42. Miranda *tom.* 2. *q.* 23. *n.* 2. Fagund. *l.* 4. *de contrac. cap.* 6. *num.* 6. Coton. *l.* 4. *contr.* 3. *c.* 3. *num.* 95.

136. Nihilominus contraria sententia magis communis est, pro qua abundè cumulant DD. Sanchez *l.* 7. Moral. *c.* 5. *num.* 4. Barbosa *ad cap.* 16. *sess.* 25. *Concil. Trid. num.* 18. & quam ex ijs, qui nouissimè scripserunt, tenent Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. statuimus num.* 42. & *seq. de Regular.* Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 35. & *p.* 3. *t.* 6. *res.* 87. Menoch. *l.* 2. *de arbitr. censu* 436. *a. num.* 3. Garzias *de benef. p.* 11. *cap.* 9. *nu.* 25. Palaus *tom.* 3. *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 17. *num.* 4. Bordon. *de profess. cap.* 3. *q.* 59. Portel. *v. nouitius. n.* 41. Megal. *c.* 2. *l.* 2. *c.* 27. *num.* 25. Anton. à Spir. S. *trac.* 3. *disp.* 2. *num.* 157. Lezana *p.* 1. *c.* 24. *num.* 24. *num.* 24. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 10. *num.* 10. Nicolius *lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 6. Vnicum fundamentum huius opinionis, quod mouere potest vt sufficiat ad eam amplectendam, est declaratio S. Congregationis Concilij, quam referunt, Sanchez, & Barbosa, & sonat in hæc verba. *An dispositio cap.* 16. *sess.* 25. *in princ. comprehendat illum etiam, qui habuit animum ingrediendi religionem, & adhuc in sæculo existit, & tamen acceptatus licet habitum non susceperit, donauit bona sua matri non adhibitis solemnitatibus hoc capite requisitis? Congregatio censuit non habere locum in renunciatione facta ante susceptionem habitus.* Quod S. Congregationem sæpius declarasse affirmat idem Reuerendiss. Fagnanus, qui loco citato hanc aliam declarationem refert. Quæsitum est. *An cum Clara Buccapadulia renunciauerit bonis tam paternis, quam maternis eadem die, qua ingressa fuit Monasterium, prædicta eius renunciatio sufficiat, an nouo requiratur ante professionem, iuxta formam à Concilio præscriptam. Die* 22. *Iunij* 1613. *S. Congregatio censuit decretum d. cap.* 16. *non vendicare sibi locum in renunciationibus factis ante actum, seu momentum susceptionis habitus, & propterea ex eo decreto suprascriptam renunciationem non esse nullam.* Quibus stantibus declarationibus non est amplius locus vllus quæstioni, sed dicendum est Concilium non prohibuisse, quin illi qui ingressuri sunt Religionem, seruatis aliàs seruandis non possint disponere de bonis suis, & dispositiones, nisi eis aliquid aliud necessarium desit, esse validas, & sustinendas.

137. Illa verò, quæ in contrarium allata sunt satisfiunt aduertendo, quod magnum discrimen est in persona, quæ assumit statum religiosum ante, & post ingressum Religionis, quia ante susceptionem habitus est merè laica, post susceptionem verò est religiosa, & si non sit adhuc perfectè talis, est tamen iam simpliciter persona Ecclesiastica, & ad Ecclesiasticum forum pertinens. Concilium igitur, vt aduertit Fagnan. loco citato num. 46. ne inde occasionem acciperent Principes, & Magistratus seculares conquerendi, quod posuisset falcem in messem alienam contra *cap. Cum ad verum, dist.* 96. & notata per Innoc. *in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi*, quodque Episcopis potestatem dedisset interponendi licentiam, & auctoritatem in contractibus merè profanis personarum secularium, quæ in his iurisdictioni Ecclesiasticæ non sunt subiectæ. *cap. si Clericus laicum de foro compet.* & docet idem Innoc. *in cap. Inquisitioni nu.* 4. *de sent. excommun.* propterea noluit disponere de renunciationibus, quæ fiunt à secularibus ante susceptionem habitus Religiosi, sed solum de illis, quæ fiunt à nouitijs post habitus susceptionem.

138. Ex istis verò colligitur non benè dici à Coton. *l.* 3. *contr.* 3. *num.* 93. quod S. Congregatio iterum interrogata, an teneat renunciatio facta intuitu religionis; respondit non tenere, tanquam factam in fraudem illius canonis; quare præcedens declaratio S. Congregat. intelligenda est seclusa fraude. Quoniam in declaratione supra relata ex Barbosa expressè est sermo de renũciatione facta animo ingrediendi Religionem, & in altera est sermo de renunciatione facta ipso die susceptionis habitus, & Reuerendiss. Fagnanus *d. cap. Statuimus num.* 46. refert, quod S. Congregat. interrogata, an valeat renunciatio facta ante ingressum, illius tamen contemplatione, respondit huiusmodi renunciationes factas ante ingressum non comprehendi sub decreto Concilij. Vndè nulla est hic fraus, sed laicus ante ingressum validè disponit de rebus suis, etiam si hoc faciat intuitu ingrediendi Religionem. Ideò aduertit Sanchez *num.* 5. ex Azorio *l.* 13. *cap.* 9. *q.* 2. dispositionem huius capitis non habere locum in puellis, quæ manent in Monasterijs causa educationis, quia non sunt nouitiæ. Et valet earum renunciatio si fiat antequam habitum suscipiant.

139. Ex alia parte autem quæstio insurgit, an sub hoc decreto comprehendantur omnes nouitij, nam non desunt qui illud limitent ad nouitios Minores ætate 16. annorum, ita vt qui annum 16. excedunt non teneantur ad formam à Concilio Trid. præscriptam. Ita quidem senserunt Menoch. *de arbitr.* l. 2. *centuria* 5. *casu* 43. *num.* 8. & Thesean: *quæst. forens. l.* 2. *q.* 56. *num.* 7. & ducebantur, quia cum *cap.* 16. continuetur cum *cap.* 15. in quo sãcitum fuit, vt professio ante 16. annũ emissa sit nulla, ita in *cap.* 16. decernitur, vt sit nulla renunciatio antea facta, idest facta ante annum 16. sed certum est decretum Concilij comprehendere omnes nouitios cuiuscumq; sint ætatis; quia dictio antea non refert ætatem nouitij renunciantis, sed refert tempus antecedens decimum mensem nouitiatus, vt clarè apparet ex contextu. Et ratio finalis huius legis non minùs militat in minore 16. annis, quam in maiori, quia per se loquendo respectu cuiuscumque periculum est, non liberæ professionis, sed coactæ, si nouitius renũcians suis bonis videns sibi non remanere, vnde viuat in seculo, vel absolutè, vel pro sui conditione, ex hoc contra suam voluntatem eli-

gat emittere professionem, Et ideò hanc partem tenent. Rodriq. 2. *tom. sum. c. 7. num. 7. & t. 1. q. 47. a. 13.* Franciscus Molina *q. 99. num. 43.* Sanchea *l. 7. mor. cap. 5. num. 7.* & apud eum Cenedo, Velasc. Gutierez, & Morq. Campan. *cub. 12. c. 3. num. 18.* Vech. *disp. 8. dub. 8. num. 1.* Molfes. *ad consuet.* Neap. *tit. de renunc. q. 16. num. 31.* Lezana *cap. 24. num. 34.* Barbosa *de offic. Episc. alleg. 99. num. 18. & ad cap. 16. sess. 25. Concil. Trid. num. 21.* & apud eum, Armendar, Vechius, & Sperel. Donatus *p. 4. prax. trac. 6. q. 6. nu. 9.* refertos ita fuisse decisum à S. Congr. 2. *Februar.* 1601. Palaus *tr. 16. disp. 1. p. 17. num. 5.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. disp. 2. num. 158.*

140. Quoniam verò oblati, qui se & sua donant Religioni, non recipiunt habitum propriè Religiosum, nec professionem in propriè dicta Religione emittunt. Nec sunt in probatione, nec recipiunt habitum nouitij amissibiliter, & sub intentione profitendi Religionem, si eis placuerit, vel non fuerint expulsi, sed statim se irreuocabiliter, cum omnibus eorum bonis tradunt Religioni, ideò de illis oblatis non loquitur Concilium, neque in hac parte corrigit ius antiquum, neque prohibet quin laici possint illam donare se, & sua in Religionis obsequium, vt latè probat Reuerendiss. Fagnanus. *cap. Cum dilectus, de success. ab intest.*

141. Duos vero modos disponendi de bonis suis exprimit Concilium Tridentinum, scilicet renunciationem, & obligationem. Renunciatio est per quam quis cedit bonis suis ad fauorem alterius in perpetuum, & irreuocabiliter. Nomine verò obligationis intelligitur quicumque contractus per quem quis alteri obligat se vel bona sua, sine dubio irreuocabiliter salua iustitia. Nam si quis potest dispositionem factam ad fauorem alterius reuocare nō est illi obligatus, cū in voluntatis suæ libertate positū sit implere quod disposuit. Colligitur igitur primo nullam renunciationem factā à Nouitio esse validā, nisi seruata forma à Concilio Tridentino præscripta. Quia hoc expressè decernit Concilium.

142. Colligitur secundò, donationem puram, & absolutam factam à nouitio esse nullam, si forma à Concilio statuta non seruetur. Donatio enim est obligatio, & æque repugnat libertati nouitij professuri, quam renunciatio, cum sit irreuocabilis, & in perpetuum priuet donantem re donata, ideóque priuet re sua nouitium donantem etiam non secuta professione Nauar. *lib. 3. consil. 81. & 82. de regular. & comment. 1. de regul. n. 51.* Menoch. *de arbitr. l. 2. centur. 5. casu 36. num. 8.* Rodriq. *t. 1. cap. 90 num. 1. & t. 2. c. 7. num. 8.* Vega *tom. 2. cap. 50. casu 31.* Sà *v. religio num. 5.* Molin. *t. 1. disp. 130. cap. 9.* Sanchea *l. 7. mor. c. 5. num. 10.* A S. Fausto *l. 5. q. 180* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 11.* Tamburin. *de iure Abb. 6. d. 6. q. 10. num. 4. & 12. & tom. 4. disp. 4. q. 10. num. 8.* Palaus *tr. 16. d. 1. p. 17. nu. 7.* Coton. *lib. 4. contr. 3. num. 97.* Bordon. *de profess. c. 3. q. 58.* Anton. à Spir. Sancto *trac. 3.*

143. Limitant hoc Rodriq. *t. 2. q. 47. a. 5.* & Sanchez *d. l. 7. c. 5. num. 28.* vt non valeat doctrina data de donationibus factis Deo, sed solum de donatione facta homini, vel Monasterio. Sed hoc nulla ratione probant, & est contra textum, qui decernit nullam quamcumque donationem factam ea forma non seruata, etiam si fiat ad fauorem cuiuscumque causæ piæ, Et donatio facta Deo non minus potest impedire libertatem professionis, quam facta homini, quia donatio impedire potest hanc libertatem non ratione personæ cui donatur, sed quia priuat re donata irreuocabiliter.

144. Limitant hoc alij apud Sanchez *num. 21.* vt valeat donatio facta sine forma Concilij ad fauorem hominis secularis, licet non valeat, si fiat ad fauorem Monasterij. Sed hæc limitatio est stulta, & contraria textui, expressè omnem obligationem annullantis, quæ non fiat modo ibi præscripto. Et vt dicebatur, donatio non repugnat libertati nouitij ratione personæ cui donatur, sed quia priuat irreuocabiliter re donata, & pauperiorem reddit donantem. Sanchez ibid.

145. Limitant alij vt valeat donatio remuneratoria, quia hæc non sit propriè donatio, Ita post Molfes. & Nouarium, Diana *p. 8. tr. 6. res. 21.* Sed limitatio non potest admitti, si loquamur de remuneratione non necessaria, quia Concilium omnem obligationem reijcit, donatio verò remuneratoria, si non est necessaria est quædam non necessaria obligatio, & talis ex qua possit minui, aut tolli libertas professionis. Coton. *l. 4. cont. 3. num. 97.*

146. Limitatur tamen primo dicta assertio, vt non habeat locum in modicis eleemosynis, iudicando de earum quantitate ex conditione, & magnitudine diuitiarum nouitij. Non enim est verisimile, quod Concilium velit priuare nouitiū exercitio misericordiæ. Nec eleemosynæ reddunt pauperiorem virum misericordiæ, quia imo Deus pro illis reddit vsuram multiplicem. Nec eleemosynæ fiunt intuitu professionis emittendæ, sed & licitè fierent à nouitio in seculo existente: Et non excluditur Monasterium, quod non est deterioris conditionis alijs pauperibus, vt ei non possit tribui eleemosyna à nouitio, quæ potest tribui alijs. Nihilominus tamen, si eleemosynæ non essent modicæ, quia tunc possibile esset, vt impedirent libertatem professionis non possent fieri nisi seruata forma concilij. Ita Sanchez *d. cap. 5. num. 22.* Grac. *p. 13. cap. 10. num. 17.* Azor. *t. 1. l. 13. c. 9. q. 2.* Vech. *disp. 8. d. 7. num. 11.* Lezana *cap. 24. num. 33.* Donatus *p. 4. tr. 7. q. 15.* Tambur. *to. 3. disp. 6. q. 10. num. 17.* à S. Fausto *l. 5. q. 180.* Barbosa *de off. & potes. Episc. alleg. 99. & ad cap. 16. Concil. num. 7.* Palaus *tr. 16. d. 1. p. 17. num. 7.* Anton. à Spir. S. *tr. 3. d. 2. num. 180*, Lezana *p. 1. c. 24. num. 32.* Et quod nouitius habendo has eleemosynas non incurrat in pœnas Constit. Clem. VIII. *de larg. mun.* aduertit Tambur. *d. num. 17.* quamuis, vt dictum fuit supra, nouitij sub ea Constit. non sint comprehensi etiam si maxima donent. Videri autem posset alicui, quod hoc esset sublimitandum, & vt nō procedat si eleemosyna etiā nō modica nō fiat à nouitio intuitu futuræ professionis, sed si animus profitendi, nihil prorsus influat in eleemosynam, non videatur prohibita, quia Concilium loquitur de dispositionibus quæ fiunt à professuro intuitu professionis. Et alias quæ non fiunt hoc intuitu solum per accidens, & raro, & valdè contingen-

ringentes possunt impedire professionem, quia ad professionem faciendam, vel non faciendam non influit id, quod fieret sinè professio esset, siuè non esset facienda. Ideò Azor. absolutè tenet nouitium posse eleemosynas facere. Sed sublimitatio non admittitur, quia Concilium de omni obligatione loquitur; & quælibet donatio ad fauorem cuiuscumque facta, & ex quocumque fine potest tollere, vel minuere libertatem professionis.

146. Limitatur etiam secundò, vt licitè, & validè fiant, quantum sit ex ni Concilij Tridentini donationes, quæ pro solemnitate ingressus, vel professionis tribuuntur Monasterio, vel religiosis, vt consueuit fieri in monialibus, quibus solat dari conuiuium, vel etiam aliqua alia pro ingressus, vel professionis solemnitate, vsus enim, & consuetudo à superioribus tolerata etiam derogat legi. Suarez *disp.* 22. *de cens. sect.* 5. *num.* 15. Sanchez *d. num.* 22. Barbosa *ad d. cap.* 16. *Concil. num.* 10. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 2. *nu.* 181. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 19. *&* 20. Et vt supra dicebatur ex Reuerendiss. Fagnano. *cap. statuimus nu.* 57. *S. Congr. Concil.* de hia interrogata respondit Decretum Concilij ad hunc casum non pertinere, sed id prohiberi per extrauag. Martini Quinti, satè, quæ est prima de simonia, quæ tamen non afficit, nisi quod datur, detur pro ingressu ex pacto. Barbosa ibi *num.* 2.

148. Limitatur tertio, vt nouitius pro victu, & vestitu dare possit iustum valorem Monasterio, quia Concilium in eodem *cap. hoc excipit*, & satis supra probatum fuit.

149. Colligitur tertio, omnem illum contractum nouitij siuè lucratiuum, siue onerosum factum à nouitio non seruata forma Concil. Trid. esse nullum. In quo nouitius liberaliter se obligat, & suum alienat, non recipiendo tantum quantū tradit. De contractibus lucratiuis, vt sunt renūciatio, & donatio, res est certa, quia per illos nouitius fit pauperior, ideoq; se exponit periculo necessitatis professionis. Idem etiam dicendum de contractibus onerosis in quibus nouitius minus recipit, quam tradat. Quia si nouitius minus recipit, fit pauperior, ideò talis contractus non est sibi licitus, nisi seruata forma concilij. Sanchez *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 32. Rodriquez *t.* 2. *c.* 7. *n.* 4. Bordon. *tract. de profess. c.* 3. *q.* 48. Layman. *num.* 5. Portell. *num.* 38. Coton. *l.* 4. *contr.* 3. *num.* 96. Tamb. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 14.

150. Exemplificatur primo in nouitio dante marito dotem pro puella. Nam hic contractus est onerosus, quia dos datur vt maritus obligetur ad onera matrimonij, sed quia nouitius non tantum recipit, quantum tribuit, quia imo ipse nihil recipit; ideo non potest nouitius ex liberalitate dotare puellam. Sanchez Rod. Bor. Layman, Portel. locis citatis. Exemplificatur secundò, in fideiussione etiam accepto pretio. Quia nouitius fideiubendo obligat bona sua, & licet pretium aliquod accipiat, non tamen tantum recipit, quātum tribuit, cum bona sua sine spe lucri obliget Sanchez *num.* 34. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *disp.* 2. *num.* 185. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 17. *num.* 5. & alij supra citati.

151. Limitatur tamen vt contractus necessarij sint liciti nouitio etiam si nō tantum recipiat, imò etiam si nihil recipiat, vt si Pater potest, & debet dotare Filiam, quæ si tempore nouitiatus nubat, tenetur Pater illam dotare. Ita si tempore nouitiatus purificetur aliqua conditio, vnde ex testamento, vel legato teneatur nouitius vel dotare puellam, vel soluere quantitatem pecuniæ alicui, tenetur id præstare. A Concilio enim prohibetur noua obligatio, non vero executio antiquæ obligationis. Ideò probibentur contractus qui ex nouitij liberalitate proueniunt si illum pauperiorem reddunt, non vero prohibentur contractus necessarij.

152. Exemplum huius est in nouitio liberante tutorem, seu curatorem à molestia, & debito aliquid sibi tribuendi; si enim hoc fiat postquam Tutor siue Curator reddidit rationes suas integre, & perfectè, benè fit, quia fit ex obligatione, & debito iustitiæ cum impubes, vel minor teneatur immunem reddere Tutorem, vel Curatorem qui suæ administrationis integras, & perfectas rationes reddit. Et ita etiam respectu cuiuscumq; administratoris potest nouitius receptis rationibus integris illum liberare, & illi quitantiam facere. Sed hoc non posset facere nouitius, si non acceptis rationibus integris ex liberalitate sua vellet liberare Tutorem, aut Curatorem, quia nouitius in hoc multum donat, & remittit. Et hæc liberatio est quædam cessio sui iuris. Nauar. *cons.* 83. *de Regul.* Sanchez *d. c.* 5. *num.* 35. Tambur. *t.* 4. *d.* 4. *q.* 10. *num.* 13. Barbosa *ad d. cap.* 16. *Concil. num.* 6. Coton. *l.* 4. *cont.* 3. *num.* 96.

153. Limitatum etiam hoc fuit in contractibus in quibus nouitius tantum recipit, quantum tradit, vt sunt iusta emptio, & venditio. Licet enim huiusmodi contractus onerosi veniant sub nomine obligationis, quia sub eo nomine veniūt vniuersi contractus. *l. omnes. ff. de nouationibus, &* *l. veluti ff. de verborum oblignt. sicut contractuum obligatione veniunt obligationes. l. labeo, §. contractum ff. de verborum significationibus.* Nihilominus, quia per huiusmodi contractus nouitius non redditur pauperior, ideoque cessat omnino periculum, vt ex illorum vi & paupertate ab illis proueniente impediatur exitus à religione, ideò in his contractibus cessat finis Concil. vnde illi sub eius decreto non censentur comprehendi. Quod benè explicatur exemplo donationis inter maritum, & vxorem, quæ cum probibita sit, *l. ex animo, & l. de fructibus ff. de donationibus inter virum ex vxorem*, nihilominus sustinetur si donantis substantia non minuitur. Et ita hanc partem sustinent Rodriq. 2. *t. cap.* 7. *num.* 4. Sanchez *d. c.* 5. *num.* 32. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 5. Coton. *l.* 4. *contr.* 3. *num.* 96. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 2. *num.* 184.

154. Ideò exemplificant aliqui primo hanc limitationem in mutuo, dicentes nouitium posse alteri mutuum dare, vel ab eo accipere; quia in mutuo quantum datur tantum recipitur. Ita Layman. *l.* 3. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 5. Rodriq. *t.* 2. *sum. c.* 7 *num. vlt.* Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 2. *num.* 187. Sed negant hoc posse fieri Castro Palaus, & Lezana *p.* 1. *cap.* 24. *num.* 35. *si tract.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 8. & apud eum Sanchez *l.* 7. *c.* 5. *num.* 24. Suarez *tom.* 3. *l.* 5. *c.* 9. *num.* 16. Quamuis *tom.* 4. *tr.* 9. *l.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. oppositum sentire videatur in aliquo casu nimi-

nimirum si monialis Episcopo approbante, det dotem monasterio sub fideiussione illam restituẽdi non sequuta professione. Sed Moniales non posse accipere dotem nouitiæ per modum depositi etiam sub cautione, & fideiussione, dixit Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. statuimus. num.* 52. *de Regul.* Et absolutè dicendum est, mutuum esse interdictum nouitio, quia est obligatio irreuocabilis pro tempore pro quo conceditur, & ex quo potest mutuans pauperior reddi, & ad professionem cogi. Exemplificant alij hoc in donatione remuneratoris, hanc enim non esse ex vi huius textus prohibitam, dixerũt Beliar. *ad c.* 16. *sess.* 25. *Concil. Trid. num.* 1. Donatus *p.* 4. *praxis tract.* 7. *q.* 34. quia hæc non est donatio, nec quod retribuitur datur ex liberalitate, sed ex quadam iustitia, nec retribuens fit pauperior, quia prius accepit. Sed vt dicebatur supra hoc non habet locum in remuneratione non necessaria, & quæ sine vllo peccato posset omitti, quia hæc est liberalis donatio. Exemplificant alij in contractibus in quibus nouitius exponitur periculo lucri, & iacturæ vt sunt contractus societatis, & ludi. Quia hi non veniunt sub nomine renunciationis, aut obligationis. Sanchez *numero.* 33. Palaus *tract.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 5. Anton. à Spir. Sancto. *num.* 184.

155. Colligitur quarto, ex vi huius decreti prohibitam esse resignationem officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. Plura verò sunt circa huiusmodi corollarium consideranda. Et primo quidem, quantum ad beneficium Ecclesiasticum, quia eius renunciatio non potest fieri sub conditione, *cap. simul de pactis, & cap. quam periculosum* 5. *q.* 1. Et nihilominus seruata forma Concilij Trid. renunciatio beneficij à nouitio non potest fieri, nisi sub conditione, nimirum sub conditione quod sequatur renunciantis nouitij professio; idcò quidam crediderunt nouitium non posse resignare beneficium etiam seruata forma Concilij Tridentini Maiolus *l.* 3. *de irregularitate c.* 6. *n.* 5. quod in parte approbat Rodriquez *t.* 2. *sum. c.* 7. sentiens nouitium si aliundè nõ habet vndè viuat, nõ posse renunciare beneficio ad cuius titulum est ordinatus, nisi ei renunciet tempore professionis, cum scilicet, iam iam est emissurus professionem. Alij è contra censent nouitium posse renunciare beneficio non seruata forma Concilij Tridentini, quia Concilium locutus est de renunciatione quę potest esse conditionata, & temporalis, qualis nõ potest esse renunciatio beneficij. Et ita tenent Garcia *p.* 11. *cap.* 9. *num.* 11. *&* 12. Barbosa *de off. Epis. alleg.* 99. *num.* 9. *& ad cap.* 16. *Concil. Trid. nu.* 13. Verùm vtraque opinio meritò reijcitur communiter, quia non est prohibitum, nec est inconueniens, vel contra ius, vt renunciatio beneficij, & eius collatio sine conditionata conditione per ius præscripta. Sic enim si non sacerdoti conferratur beneficium curatum, subintelligitur tacita conditio, vt ipse infra annum ordinetur ad Sacerdotium, vndè elapso anno si ipse non sit ordinatus, vacat beneficium. *cap. licet canon. de elect. in* 6. Et collatio beneficij curati facta habenti aliud beneficium curatum habet annexam conditionem, si acceptans dimittat prius beneficium, statim, ac posterius possederit, aliter vtrumque beneficium vacat, vt habetur *extra. de.* 22. *execrabilis §. qui verò, de probat.* Vndè nullum est absurdum, quod renunciatio beneficij facta à nouitio sit conditionata conditione à Concilio præscripta, vt non valeat, nisi sequatur professio. Ideò & nouitius potest renunciare beneficio, quia hoc est illi à iure permissum *cap. beneficium* 4. *de regul. in* 6. neque hoc per Concilium Tridentinum est prohibitum. Neque in hoc est distinctio attendenda inter beneficium ad cuius titulum beneficiatus est ordinatus, vel si beneficiatus habeat aliter, vndè viuere possit; quia cum beneficij resignatio non valeat, nisi sequatur professio, ea verò sequuta nõ desit beneficiato religioso vnde viuat, bene potest nouitius etiam renunciare eo patrimonio, & beneficio, ad quod fuit ordinatus. Cui tamen renunciare non potest, nisi seruata forma Concilij, quia hæc renunciatio est vera cessio de se perpetua, & immutabilis per quam renuncians amittit, & cedit quod suum est, & fit pauperior, & quæ posset compellere nouitium ad profitendum. Flamin. *de resig. benefic. l.* 3. *q.* 13. *num.* 5. 6. *&* 7. Sanchez *l.* 7. *mor. cap.* 4. *num.* 38. Azor. *instit. mor. p.* 2. *l.* 7. *c.* 10. *q.* 6. Molt. *t.* 1. *de consuet.* Neapol. *p.* 4. *tit. de renunc. q.* 6. *num.* 34. 31. *& in sum. tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 18. Ceuall. *q.* 121. *num.* 4. *&* 5. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *cap.* 16. *num.* 12. Miranda *t.* 1. *q.* 23. *a.* 5. Mar. Antonin. *variar. resol. l.* 1. *resol.* 112. *casu* 62. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 181. Nouar. *in cor. regul. v. renunciatio num.* 4. Tamburin. *de iure Abb. t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 23. Layman. *l.* 3. *tract.* 5. *c.* 7. *num.* 6. Donatus *p.* 4. *praxis. tract.* 7. *q.* 17. *&* 18. Peregrin. Vach. Venero, Leyua, Sperell. apud Barbosam loco supra citato. Reuerendiss. Fagnan. *cap. statuimus. num.* 18. *de Regul.* Coton. *l.* 4. *a.* 3. *num.* 66. Anton. à Spir. Sancto, *tr.* 3. *disp.* 2. *num.* 186.

156. In hoc casu autem Episcopum non posse conferre beneficium alteri, nisi sequuta nouitij professione refert Flam. supra citatus fuisse sæpiùs decisum à S. Congreg. Fagnanus *d.* 1. *num.* 18. Vndè non intelligo quod habet Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 37. volens, quod fructus pendentes interim post admissam hanc renunciationem sint successoris. Et si extent apud renunciantem debeant restitui successori exceptis bona fide consumptis in quantum non sit factus locupletior, qui illos consumpsit. Quia Concilium suspendit effectum huius renunciationis vsque ad sequutam professionem, vndè antea nec potest ab Episcopo acceptari, nec nouitius amittit, vel amittere potest dominium beneficij, & fructuum ex quacumque collatione, & acceptatione, quia Concil. suspendit effectum renunciationis, & prohibet renunciationis admissionem, & beneficij collationem, vt aduertunt Gras. *l.* 3. *de voto cons.* 8. *num.* 6. Campanil. *rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 11. Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 18. *num.* 14. & ex consequenti nouitius est dominus tam beneficij, quam fructuum toto tempore nouitiatus. Et si egrediatur non reuertitur ad eum beneficium, quia eo nunquam priuatus fuit, sed semper apud eum mansit, neque vnquam vacauit. Et si Episcopus contulisset beneficium, illa collatio fuisset nulla, & semper beneficium esset nouitij.

157. Inde quoque sequitur ad Rodriq. *t.* 2. *c.* 7. *num.* 3.

num. 3. Nouitium posse renunciare patrimonio ad cuius titulum est ordinatus, quia nullum subest periculum mendicitatis indecentis statui Clericali, sed si Nouitius recedit remanet cum suo patrimonio; si verò profitetur, vel non mendicabit, vel eius mendicitas erit honorifica, & approbata à iure, si ordinem mendicantem profiteatur, ita DD. supra citati. Ex his etiam sequitur idem dicendum de renunciatione officij sæcularis, & temporalis, etenim neque hæc renunciatio fieri potest nisi seruata forma Concilij Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 43. Vech, *disp.* 8. *d.* 7. *num.* 7. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 13. & *t.* 4. *disp.* 4. *q.* 10. *num.* 8. Anton. à Spiritu Sancto *tractatu* 3. *dispositione* 2. *numer.* 186.

158. Colligitur quinto nullam esse renunciationem futuræ hereditatis, vel cuiuscumque iuris habendi in futurum, nisi fiat seruata forma Concilij; quia & hæc est vera renunciatio, & obligatio Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 47. Ideò nullus etiam esset consensus, quo nouitius consentiret se exheredari etiam, ex iusta causa; quia & hoc modo cederet iuri suo, quod habet ad hereditatem sequentem Sanches *d. c.* 5. *n.* 46.

159. Colligitur sexto nullam esse omnem donationem factam à nouitio non seruata forma Concil. etiam si sit conditionata hac conditione, vt sit irrita non sequuta professione. Oppositum huius sensit Molina *t.* 1. *disp.* 149. *col.* 7. quod probabile esse voluit Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 14. *num.* 14. Ex eo quia nullum est periculum, quod hæc donatio impediat libertatem recessus à Religione, cum in nouitio recedente donatio sit nulla. Verum in oppositum facit, quod si Concilium nihil aliud intenderet, non fuit necesse, vt statueret, quod renunciatio fieret intra bimestre, sed sufficiens erat statuere, quod renunciatio, & obligatio non valeret nisi professione sequuta, quia per hoc sufficienter erat prouisum libertati professionis. Vt quid igitur addidit, quod renunciatio fieri debeat intra bimestre proximum professionis? Quia aliud etiam intendit, Quia enim vt plurimum nouitij sunt minores, in quibus deliberatio vacillat, vnde etiam sunt prohibiti contrahere nisi cum certis solemnitatibus à iure statutis, Concilium etiam minores admittere voluit ad renunciandum suis bonis intuitu Religionis, sed tamen voluit, vt huiusmodi renunciatio non fieret nisi in bimestri proximo professioni, vt interim hæc renunciatio non fiat nisi cum maturitate, & prudenti deliberatione. Cui maturitati minus seruit si renunciatio antea fiat, vnde quicumque contractus natura sua irreuocabilis est nullus si fiat à nouitio ante bimestre proximum professione etiam si fiat sub conditione, quod sit irritus non sequuta professione Nauar. *cons.* 81. *num.* 2. *de regul.* Menoch. *cons.* 388. *num.* 7. *vol.* 4. Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 17. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *n.* 5.

160. Colligitur septimo, quod dispositiones, & contractus natura sua reuocabiles ad nutum disponentis, vt sunt testamentum, Condicillus, donatio causa mortis, & huiusmodi dispositiones non subiacent formæ Concilij, sed quocumque tempore fieri possunt à nouitio, quia in his cessant omnino finis Concilij neque huiusmodi dispositiones sunt renunciationes, vel obligationes, cum in potestate nouitij disponentis sit illas reuocare quando sibi placuerit Nauar. *n.* 50. & *conf.* 81. *de regul. num.* 2. & 3. Gasp. Thesaur *decis.* 36. Rodriq. *t.* 1. *cap.* 90. *num.* 5. *t.* 2. *cap.* 7. *num.* 8. & 9. & *t.* 2. *q.* 47. *a.* 10. *Rota decis.* 556. *num.* 9. *par.* 4. *tom.* 3. Recent. Vbi quod hoc declarauit S. Congr. Concilij in vna Burgi S. Sepulchri seu Florentina, quæ in actis causæ habita fuit Menoch. in *add. ad l.* 2. *de arbitr. casu* 436. *num.* 16. Molina *t.* 1. *disp.* 139. Azor. *lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 14. *ff.* Sanchez *d. cap.* 5. *num* 13. Sala. *de benef. p.* 11. *c.* 9. *num.* 17. Grat. *discep. forens. tom.* 5. *cap.* 187. *n.* 30. Tambur. *de iure Abb. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 10. *num.* 7. & 11. Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 30. & plures alij, quos refert, & sequitur Barbosa *de off. Epis. all.* 99. *numer.* 12. & *ad cap.* 16. *sess.* 25. *de regul. Concil. Trid.* contra Spinum in speculo testament. *gloss.* 12. *num.* 50. oppositum sentientem Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 14. *num.* 11. & *p.* 17. *num.* 5. Coton. *l.* 4. *contr.* 3. *num.* 89. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *ref.* 16. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 177. Lezana *p.* 2. *cap.* 24. *num.* 35. Et hoc testamentum confirmari professione ipsius nouitij ac si tunc moreretur, & non posse post mortem reuocari, aduerterunt Nauar. *com.* 2. *de reg. num.* 53. Syluest. *v. Religio* 6. *q.* 4. Tabien. *q.* 40. Rodriq. *t.* 3. *q.* 16. *a.* 3. Miran. *t.* 2. *q.* 23. *a.* 10. Sanchez *l.* 7. *cap.* 3. *n.* 34. Molin. & Azor. quos referr, & *sequit.* Tambur *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 50. *num.* 12. Cauendum tamen est ne in testamento addatur aliqua donatio, vel alia obligatio irreuocabilis, quia hæc nulla esset non seruata forma Concilij Nauar. *conf.* 83. *de regul. num.* 1. Sanchez *d. c.* 5. *n.* 16.

161. Colligitur tandem vnico sermone, quod omnis, & quæcumque dispositio facta à nouitio nulla est non seruata forma Concilij, si habeat coniunctim has duas conditiones, scilicet quod sit natura sua irreuocabilis, & quod nouitium pauperiorem reddat, sicuti sunt renunciatio, donatio, & similes aliæ dispositiones. Sed si dispositio, vel sit ad nutum nouitij reuocabilis, vt est testamentum, & Codicillus, vel nouitium non reddit pauperiorem, quia tantumdem recipit, vt sunt emptio, & venditio, talis dispositio non subditur formæ Concilij, & circa illam nihil est innouatum. Sed iure communi regulanda est.

162. *Antea facta.* Hæc verba Concil. restringunt dispositionem illius, quia scilicet non omnis renunciatio, seu obligatio prohibetur, sed illa quæ fiat antea, & ideò renunciationem, seu obligationem non fieri antea est de forma renunciationis, seu obligationis. Sed dictio antea refertur non ad ætatem nouitij, sed ad duos menses proximos ante professionem. Ideò valet renunciatio facta à non habente adhuc legitimam ætatem ad profitendum, scilicet ab eo, qui nondum habet 16. annos expletos, sed habebit infra illud bimestre in quo disponit de rebus suis, sufficit enim, vt renunciatio à nouitio fiat intra, & non ante bimestre professionis Sanchez *d. cap.* 5. *n.* 8. Seu vt infra melius explicatur sufficit, vt non fiat ante completum decimum mensem anni probationis Tamburin. *de iure Abbatiss. disp.* 4. *q.* 10. *num.* 6.

163. *Nisi cum licentia &c.* Hanc licentiam debere esse nedum petitam; sed obtentam, constat, quia non dicitur cum licentia fieri quod sic non obtenta licentia Sanchez *d. cap.* 5. *num.* 77. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 491. Lauretus de Franc. *q.* 42. Peleg. *in com. constit. Cler. regul. p.* 2. *cap.* 1. *l. C.* §. 32. Barbosa *de pot. Episc. all.* 99. *num.* 10. *& ad d. cap.* 16. *num* 22. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 11. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 1. Eam verò licentiam non esse necessariam in scriptis, quia Concilium hoc non exprimit tradunt Sanchez *nu.* 76. à S. Fausto, Lauretus, & Barbosa citati, Vechius *disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 5. Palaus *d. num.* 11 Tamb. *d. num.* 1. Sed in foro externo hæc licentia in scriptis est necessaria, & in authentica forma, vt posset valor dispositionis sustineri contra exceptionem non apparentis licentiæ. Vnde est, quod licet in conscientia sufficeret etiam licentia tacita, vt ait Sanchez *num.* 79. & Palaus *d. num.* 11. hæc tamen erit insufficiens in foro externo. Necesse verò est, vt hæc licentia adsit in ipso actu renunciationis quoniam id, quod est necessarium ad formam actus debet adesse in ipso actu, & sic non sufficit si licentia subsequatur Sanchez *nu.* 78. Cened. Canon. *quæst. l.* 2. *q.* 6. *num.* 14. Rota in Romana fidei commissi 25. Nouem. 1614 Coram Ranboldo Barbosa *num.* 23. Palaus *d. num.* 11. Ideò non sufficit ratthabitio de futuro, licet sufficiat ratihabitio de præsenti, & seu licentia de præsenti præsumpta Sanchez *num.* 19. Palaus *d. num.* 11. Et si licentia data sit eodem die renunciationis præsumitur aduisse tempore illius. Quam tamen non præsumi per lapsum plurium annorum dixit Rota citata, quam sequitur Barbosa loco citato. Quare nulla hac licentia, & professione sequuta renunciatio est nulla, Vechius *disposit.* 8. *dist.* 9. *numer.* 3. vbi refert hoc decisum, Barbosa citatus.

164. *Episcopi siue eius Vicarij.* Hanc licentiam posse concedere, & Episcopum confirmatum, licet non consecratum, & Archiepiscopum, qui nondum pallium accepit, & Capitulum sede vacante, & Abbates & alios Prælatos habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem, nullique Episcopo subiectos, & Vicarium Episcopi, & Vicarium Capituli Sede vacante, non tamen Vicarium Foraneum, & delegatum ad aliquod particulare, vel ab Episcopo, vel à Vicario Episcopi, tradunt com. DD. & videri possunt Sanchez *d. c.* 5. *à num.* 65. Pereg. *p.* 2. *cap.* 1. *l. C.* §. 26. à S. Fausto *lib.* 5. *q.* 195. Vech. *disp.* 8. *d* 2. *num.* 2. Barbosa *ad d. cap.* 16. Concil. Trid. *a. num.* 25. Donatus *p.* 4. *t.* 7. *q.* 7. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num* 10. Tambur. *t.* 3. *disp* 6. *q.* 10. *num.* 1. Sufficit etiam Vicarius Episcopi pro Monialibus Nicolius *l.* 1. *tom.* 9. *num.* 6. Prælati tamen regulares in Monasterijs exemptis, & sibi subditis hanc licentiam dare non possunt, quia à Concilio est electa persona Episcopi, vel eius Vicarij, & quando aliud voluit, sicuti in petenda licentia pro ingrediendo Monasterium Monialium, Concilium id expressit *sess.* 25 *cap.* 5. *de regularibus* vbi non solius Episcopi, sed vel Episcopi, vel Superioris necessariam esse statuit. Et licet nouitij non sint subiecti Episcopo absolute, sunt tamen subiecti ei in casibus in Concilio Tridentino expressis. Et ita bene tradunt Sanchez *n.* 74 Rodriq. *t.* 2. *q.* 47. *a.* 14. Mirand. *t.* 1. *q.* 23. *a.* 6. Vechius *disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 1. Pereg. *p.* 2. *cap.* 1. *l. C.* §. 30. Barbosa citatus *num.* 28. Nomine verò Episcopi intelligi illum, qui est ordinarius loci in quo est Nouitiatus non est dubium. Non venit vero Archiepisc. comparatione suffraganeorum nisi causa per appellationem ad eum deuoluatur Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 159. Posse verò consuetudine præscribi contra necessitatem huius licentiæ, imo de facto eam iuisse in disuetudinem tradunt Rodriq. & Vega. *tom.* 2. *cap.* 50. *casu* 3. quod approbat Sanchez vbi consuetudo sit legitime introducta Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 160. Licet ad vitandas lites accipere huiusmodi licentiam sit valde vtile, & securum. Non esse verò necessarium licentiam hanc dari in scriptis aduertunt Donat. *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 8. ex Vech. & Francis. Leone & Barbosa *cap.* 16. *sess.* 25. *num.* 27. Concil. Trid. *de reformat.* Vbi ex Rota Romana docet licentiam hanc non præsumi ex lapsu annorum plurimorum.

165. *Intra duos menses proximos ante professionem.* Ex quo dicitur intra duos menses deducitur non esse necesse, vt renunciatio fiat à nouitio duobus integris mensibus ante professionem, sed sufficere si fiat in aliquo die intra illud bimestre Suarez *d. cap.* 5. *num.* 80. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 191. Peregr. *d. p.* 2. *l. G.* §. 30. Dubium verò est an hoc bimestre computari debeat de momento ad momentum. Videtur enim ita esse dicendum, tum quia Concilium assignat terminum à quo hoc bimestre incipiat, & mensuretur, scilicet à die in quo nouitius debet profiteri, quando verò lex assignat tempus determinando eius initium tunc tempus debet numerari de momento ad momentum per ea, quæ tradit Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 24. *num.* 15. Tum secundò, quia ad huiusmodi renunciationem Concil. requirit determinatam ætatem, eam scilicet, quæ sufficiat ad hoc vt homo in termino bimestri emittat professionem, ætas verò ista computari debet de momento ad momentum, vt supra est probatum. Et ideò hanc partem substinent Sanchez *d. c.* 5. *n.* 81. Vech. *disp.* 8. *d.* 9. *num.* 5. Peregrin. *d. cap.* 1. *l. G.* §. 30. Tamburin. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 10. Barbosa *ad d. cap.* 16. *num.* 36. Et apud eum Speiell. Vndè S. Cong. declarasse nullam renunciationem factam à Moniali duobus diebus ante Bimestre refert Aldan. *in compend.* Canonic. *resolut. l.* 4. *tit.* 3. *nu.* 8. Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 19. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 155. Nihilominus Lelius Zechius de Republ. Christ. *tit. de regul. cap.* 3. *num.* 14 existimat hoc bimestre non debere esse Mathematicum, sed morale ideoque renunciationem non esse irritam si fiat paulo ante bimestre. Idem apud Anton. à Spir. Sancto voluerunt Zerola, & Faustus.

166. Illud autem verbum *ante professionem*, non debet intelligi necessario de professione exercite facta, sed de professione regulariter facienda, nimirum pro tempore in quo supposita ætate necessaria ad professionem, completur annus probationis. Tunc enim regulariter fit professio tacita, vel expressa, ideò si contingat, quod facta iam renunciatione intra bimestre prolonge-

tur

tur ex quacumque causa professio nouitij, renunciatio ast valida. Concilium enim respexit id, quod regulariter fit, & quia supposita ætate legitima professio regulariter fit completo anno probationis, ideò si renunciatio fiat post decimum mensem, & postea contingat prorogari tempus professionis renunciatio est valida, quia facta intra bimestre à die in quo nouitius profiteri debebat, nisi ex causa accidentali fuisset impedita professio. Ita Sanchez d. c. 3. num. 82. & ex Armendar. l. 7. de Relig. num. 18. & Vech. disp. 8. dub. 9. num. 4. qui refert hoc fuisse decisum Barbosa ad d. cap. 16. num. 37. Anton. à Spiritu Sancto tr. 3. disp. 1. num. 161. Nicolius lib. 2. tit. 9. num. 6. Pasqual. ad Lauretum p. 1. num. 26. Si tamen certum esset, vel etiam dubium professionis tempus vltra annum probationis extendendum esse; vt quia nouitius non habet ætatem legitimam, vel quia ex causa rationabili prorogatio fieri conueniat, & saltem sub dubio sit an dicta prorogatio fieri debeat; Tunc debere expectari bimestre ante tempus emittendæ professionis videri poslet; quia Sanchez supponit renunciationa iam factam contingere prorogationem professionis. Et ratio est, quia illud verbum ante professionem non debet intelligi materialiter pro die primo post expletum 16. annum, vel post expletum annum probationis, quia non semper eo die nouitius profitetur, sed debet intelligi formaliter pro eo die, in quo legitime est professurus; ia verò, cui prorogandа est professio, non est professurus legitime, nisi pro tempore prorogato. Sed dico, quod, quod per duos menses ante diem professionis intelliguntur duo menses ante tempus à Concilio constitutum ad professionem faciendã, & ideò quod sufficit, si renunciatio fiat post decimum mensem anni probationis, post quem statim fieri potest, etiam si per plures quam per duos menses sit expectandum ad emittendam professionem, vt apud Reuerendiss. Fagnan. ad cap. statuimus num. 19. de regul. declarauit summus Pontifex, & tenuerunt Armed. Vech. & Barbosa vbi supra, & sic in quocumque die post decimum mensem anni probationis, hæc renunciatio valide fieri potest. Hoc tamen est aduertendum, quod non sufficit nouitio, vt possit renunciare bonis suis, quod compleuerit decem menses nouitiatus, si ante quintum decimum annum recepit habitum, quia Concilium in cap. 15. cum disposuerit ætatem legitimam ad professionem emittendam esse annorum 16. per bimestre ante professionem intelligit bimestre ante annum 16. quod ast bimestre antediem professionis vt habendæ iuxta eius statute anno 16. completo. Et sic duo, sunt necessaria adhoc vt nouitius possit renũciare, nimirũ sufficiens ætas, & decem menses nouitiatus iam peracti, post quod tempus nouitius renunciare poterit, etiam si non sit professurus, nisi post illud bimestre. Quod ergo requiratur, quod nouitius habeat ad minus 10. menses post expletum annum 15. ad hoc, vt valide renunciet docuerunt Sanchez l. 7. c. 5. num. 8. Palaus tr. 16. d. 1. p. 17. num. 13. Sed quid dicendum, si quia post renunciationem exeat à Religione, & postea iterum recipiatur, tenebitur ne iterum renunciare, vel valebit Prior renunciatio? Respondetur quod per exitum à Religione, & reditum ad seculum, prioris renunciationis vigor euanuit; quia professio non est sequuta, vnde nec fuit posita conditio sub qua bona fuerunt renunciata, sed fuit posita opposita conditio, scilicet reditus ad seculum, cui per accidens successit nouus ingressus in Religionem, & noua professio.

567. Sed quid dicendum, si contingat ex dispensatione Pontificia professionem fieri ante tempus à iure præscriptum, vel quia fiat ante completum 16. annum, vel quia fiat ante completum annum probationis? Poterit ne tunc renunciatio fieri intra bimestre à die ex dispensatione statuto pro emittenda professione? Negat enim hoc Sanchez num. 83. Ex eo quia dispensatio debet intelligi; vt minus deroget Concilio Tridentino, ideò tunc nouitius renunciare debebit, vel ipso die professionis, vel die antecedente. Et idem tenet Coton. l. 4. c. 3 num. 99. Sed oppositum videtur probari. Ius enim renunciandi conuenit nouitio, neque hoc est ei ablatum à Concilio Tridentino. Et de iure communi nouitius potest quocumque tempore renunciare; Ius verò commune restrictum est per Concil. Trident. ad bimestre ante professionem. Quandocumque igitur nouitius legitime profiteri debeat sibi licet infra bimestre antea renunciare: Hic enim est sensus Concilij, vt renunciatio fieri possit intra bimestre à die in quo nouitius legitime profiteri potest. Vnde si nouitius non indiget dispensatione, quia Concilium; non prohibet id fieri. Et certe talis nouitius renunciare debet in aliquo tempore; hoc verò tempus non est in iure determinatum nisi ad bimestre à legitimo professionis emittendæ; sufficit igitur, quod intra illud bimestre renunciatio fiat. Nec Concilium determinat diem materialem professionis, & licet cap. 15. decreuerit professionem non fieri ante 16. annũ ætatis, & expletum annum probationis, & c. 16. velit, vt nouitius expleto probationis anno si habeat ætatẽ admittatur ad professionem, tamen non prohibet ex dispensatione, ante illud tempus non fieri professionem, vel non fieri post illud ex rationabili causa, ideò Concilium non loquitur de eo die materialiter determinate, & indispensabiliter, sed loquitur de die in quo nouitius legitime possit profiteri omnibus pensatis, seu sit professurus, & intra bimestre ab hoc die potest nouitius sua bona renunciare. Vt tenent Diana p. 8. tr. 3. resol. 23. Palaus tr. 16. d. 1. p. 17. num. 9. Donatus p. 7. tr. 7. q. 11. post Merollam tom. 2. disp. 4. c. 6. n. 30. Et confirmatur, quia Concilium directa intendit vt renunciatio non fiat nisi post decimum mensem anni probationis, si igitur dispensetur nouitius, vt faciat professionem ante etiam decimum mensem, necessario etiam dispensatur, vt non fiat renunciatio in tempore statuto à Concilio. Itaque hac in parte dispensatio super principali se extendit ad accessoria, & cum Pontifex duo voluerit: Primo quod renunciatio non fiat nisi post decimum mensem: Secundò quod tamen detur nouitio tempus competens ad deliberandum de renunciatione, & censuit hoc tempus esse bimestre. Cum horum primum non posset impleri supposito, quod nouitius emissurus sit professionem ante annum probationis, sufficit vt seruetur secundum,

dum. Et sic melius saluatur mens Concilij concedendo nouitio bimestre intra quod possit renunciare. Imò addo, quod Concilium primum disponit, & quantum ad illud derogat iuri communi, sed quantum ad secundum Concilium relinquit nouitium libertati iuris communis, & noluit prohibere, quin infra bimestre à professione nouitius possit de suis bonis disponere. Viget ergo in hoc ius commune, cui non derogauit Concilium; igitur nouitius est ex iure communi liber, vt de suis bonis disponat infra bimestre à professione. Ex quo verò dispensatur, vt non stet in probatione per annum, consequenter dispensatur, vt non expectet decimum mensem ad disponendum de bonis proprijs.

168. Ex his verò colligitur ad renunciationem hanc si nouitius sit minor non esse necessarias iuris solemnitates, nimirum authoritas curatoris, & præsentia iudicis, seu etiam iuramentum, & insinuatio vbi renunciatio excedat quantitatem quingentorum solidorum. Et si enim huiusmodi solemnitates, etiam ante Concilium non iudicarentur necessariæ ad huiusmodi renunciationem factam intuitu ingressus Religionis, prout tradiderunt Berous cap. *in præsentia de probationibus num.* 165. & Abb. ibi *num.* 54. Sylu. *v. minor. fin.* Tablen. *q.* 2. *num.* 3. Armill. *fin.* Angel. *num.* 2. Rosel. *v. legere num.* 17. Fagnan. *cap. statuimus num.* 35. *de regul.* vbi quod hoc declarauit Sacra Congregatio *num.* 17. Ludou. Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 39. *q.* 3. *not.* 5. Sanchez hoc late probans *l.* 7. *mor. c.* 6. *num.* 19. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 15. *num.* 3. *Rota decis.* 556. *num.* 7. *tom.* 3. *p.* 4. Recent. Vnde iuxta sententiam asserentem posse fieri renunciationem ante Religionis ingressum sine forma Concil. Trid. nec sunt necessariæ huiusmodi iuris ciuilis solemnitates, siue renunciatio intuitu ingressus Religionis fiat ad fauorem causæ piæ, siue ad fauorem priuatæ personæ. Cum enim ingressurus Religionem sit professurus paupertatem, & relicturus omnia sua, liberum est illi ea renunciare cui voluerit. Nihilominus hoc euidentius est, & certius de renunciatione facta ad formam Concilij, non requirentis alias solemnitates, nisi, quod renunciatio de licentia Episcopi, vel eius Vicarij fiat intra bimestre proximum professioni modo supra exposito. Post professionem verò de licentia S. Cong. posse fieri renunciationẽ refert Nicolius asserens solere concedi pro renunciatione spei hæreditatis præsertim per transactionem reinuestiendo pecuniam. In Comen. 10. Iun. 1603. Et in Eugub. 24. Maij 1652.

169. *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi sequuta professione.* Decernitur renunciationem factam cum solemnitate supra statuta, non sortiri effectum nisi sequuta professione. Vnde licet renunciatio, donatio, obligatio sit valida, nihilominus ex vi huius decreti suspenditur eius effectus vsque ad sequutam professionem.

170. Colligitur primò ex hoc decreto, quod si nouitius post factam renunciationem, sed ante professionem moriatur, renunciatio nulla etiam si facta ad fauorem Monasterij. Concilium enim decernit, quod renunciatio alias non intelligatur effectum sortiri nisi sequuta professione. Dictio enim *alias* talem vim habet, vt non admittat modificationem separatam à verbis Iason. *cons.* 86. *num.* 16. *vol.* 3. Menoch. *cons.* 921. *num.* 36. *vol.* 10. Ideò non datur locus modificationi, & limitationi, sed deficiente professione renunciatio non sortitur effectum, & irrita manet si ante professionem nouitius moriatur Nauar. *lib.* 3. *Concil. de success. ab intest. concil. vlt.* Passarell. *in. præl. Minimor. cap.* 37. dicens sic sibi respondisse Congr. Cardinalium Rodriq. *t.* 3. *q.* 47. *a.* 12. *& t.* 1. *sum. c.* 96. *num.* 6. Vega *t.* 1. *c.* 91. *casu* 4. Sà *v. religio num.* 7. Sorbus *v. nouitius* Molina *tom.* 1. *disp.* 140. Confectiua in notabilibus post bullas Apost. *tit.* 13. *cap.* 13. Hondedeus *cons.* 94. *num.* 3. Gutierez *qq. canonic. l.* 2. *cap.* 1. *num.* 107. *&* 108. Sanchez *l.* 7. *mor. cap.* 5. *num.* 49. à S. Fausto *lib.* 3. *q.* 86. Vech. *disp.* 8. *dub.* 8. *num.* 3. *& dub.* 9. *num.* 6. Peyrin. *ad const.* 2. *num.* 76. Barbosa *de off. Episc. alleg.* 99. *num.* 22. *& add. cap.* 16. *Concil. Trid. num.* 15. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p* 17. *num.* 13. Anton. à Spir. San. *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 288. Tambur. *tom.* 1. *d.* 6. *q.* 10. *n.* 6. *&* 9. Marauta *tom.* 3. *respon.* 26. *num.* 17. Donatus *p.* 4. *praxis tit.* 7. *q.* 24. Reuerendiss. Fagnanus *ad cap. statuimus num.* 35. *de regular.* Vbi quod modo sublatæ sunt distinctiones Calder. de donatione causa propter professionem expressa, vel non expressa. Panormit. de donatione facta sub conditione, vel sub modo, vel aliorum distinguentium inter scientes professionem non tenere, & ignorantes. Et quod cum duo Nouitij seruata forma Concilij sua bona Monasterio donauerint, sed vterque discesserit vno eorum reuocata alio verò non reuocata donatione S. Cong. censuit neutrius bona posse retineri per Monasterium, cum non fuerit sequuta professio. Sic & cum nouitia quædam post dotem datam decessisset non emissa professione, & fuerit dubitatum an dos repeti posset S. Congregatio, tum ex iure communi, tum ex vi Concilij eam restitui debere iudicauit. Et iterum censuit, quod si Nouitia intra tempus probationis decedat, dos heredibus eius solui debeat. Imò in fortiori casu hoc determinatum fuit. Nam Puella ingressa est Monasterium cum pacto, vt si infra annum moreretur dos data dotantibus restitueretur, si verò post annum facta, vel non facta professione, acquireretur Monasterio, stetit ibi per annum, & tres menses cum velo albo in quo incedunt Nouitiæ, cum professæ incedant cum velo nigro, nulla facta professione, & postea decessit & S. Cong. censuit secundum ea quæ proponuntur dotem esse restituendam heredibus defunctæ.

171. Et ex hoc deducitur, quod accidente casu mortis post renunciationem factam iuxta formam Concilij licet renunciatio de se sit irreuocabilis, quod potest Nouitius eam reuocare per testamentum, & de bonis renunciatis ad libitum disponere. Cum enim renunciatio illa contineat conditionem à iure præscriptam, scilicet, si sequatur professio, si illa conditio sit impossibilis, quia mors non permittit conditionem verificari posse, ideò renunciatio remanere debet inualida necessario, poterit igitur Nouitius ac si illa non adfuisset de suis bonis disponere per testamentum, quod non est alligatum formæ Concilij Tridentini Rodriq. loco citato Nauar. *cons.* 2.

de re-

de regular. num. 49. Sanchez *citatus num.* 50. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 173. Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 24. *n.* 4. *&* *q.* 34. *num.* 2. Laymán. *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 11. *f.* Tambur. *c.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 9. Nec posset nouitius renunciare cum hac conditione, vt renunciatio sua valeret non sequuta professione ob mortis impedimentum, quia hoc Concilium prohibet, Sanchez citatus. Benè tamen in actu renunciandi, per viam testamenti, & vltimæ voluntatis posset disponere de bonis renunciatis ad fauorem eiusdem cui bona renunciat, quia dispositio per modum vltimæ voluntatis non est prohibita nouitio [illegible]

172. Deducitur etiam secundò, quod si nouitius facta renunciatione ante professionem moriatur sine testamento, aut dispositione aliqua per modum vltimæ voluntatis, tota nouitij hæreditas deuoluitur ad heredes necessarios, qui illi succedunt ab intestato, quia tunc nouitius verè decedit intestatus. Rodriq. Molina, Sanch. *nu.* 51. loco supra citato, Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 16. *n.* 9. Palaus *tract.* 16. *disp.* 1. *p.* 16. *num.* 1. Genuens. *in pract. Ecclesi. quæs.* 462. Ricc. *in prax. resol.* 138. *fin.* Donatus *d. q.* 24. *num.* 6. Cum enim nouitius non sit adhuc Religiosus, sed habeat dominium suorum bonorum, si nouitius decedat, & non prius disposuit, vel testamento, vel donatione ad fauorem Monasterij non est vnde Monasterium aliquid de nouitij bonis prætendere valeat. Non quidem legitimam, quia Monasterium non est nouitij, vel pater, vel filius, nec habendus est pro filio, nisi in casibus in iure expressis. Nullum verò datur ius, quod disponat Monasterio deberi legitimam, vel quid aliud à nouitio moriente. Nouitius verò ex eo, quod recipiendo habitum se tradidit Monasterio, non sequitur, quod tradiderit bona sua, quia se tradidit solum ad educationem, & interim dominium bonorum retinuit. Ideò nouitio decedente eius bona transeunt, vel ad eos ad fauorem quorum legitimè disposuit, vel ad heredes ab intestato. Panorm. *cap. in præsentia num.* 68. *de probat.* Nauar. *comm.* 2. *n.* 43. *de Reg.* Gutier. *l.* 1. *cap.* 1. *num.* 101. *&* 107.

173. Si tamen renunciatio, seu donatio intuitu ingressus in religionem facta sit ante ingressũ religionis, supposita sententia eorum, qui putant hanc esse validam, sunt ex vtraq; parte opiniones. quamuis credendum sit mentem donantis esse, vt bona donata Monasterio remaneant, quia tacita conditio contenta in dicta dispositione non est si sequatur professio, sed si disponens perseueret in religione, at verò is dicitur perseuerare in religione qui manet in ea vsque ad mortem. Et ideò hanc partem tenent Syl. *v. Religio* 5. *q.* 12. Tabien. *v. nouitius q.* 12. *num.* 13. Ang. *num.* 11. Armil. *num.* 17. Nauar. *Comm.* 2. *de regul. num.* 49. Abb. *cap. in præsentia num.* 68. *de probat.* Paris. ibi *num.* 187. Fuscus *l.* 8. *de visit. c.* 15. *num.* 67. Gutierez *qq. canonical.* 2. *c.* 1. *num.* 101. *& num.* 107. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 3. Sanchez *l.* 1. *mor. cap.* 3. *num.* 97. *& cap.* 5. *num.* 51. Palaus *tr.* 16. *disp.* 1. *p.* 14. *num.* 2. Vbi tamen probabile putat oppositum. Quod si donatio ante ingressum facta fuisset non intuitu ingressus in religionem, sed absolutè, sicuti præsumeretur facta, si facta fuisset longe ante ingressum religionis multo certius esset donationem non tolli ex morte adueniente ante professionem, & tunc non succedere heredes ab intestato. Sanchez loco citato. Econtra autem donationem intuitu ingressus in religionẽ factam ante ingressum non valere si post ingressum nouitius recedat est certum, quia talis donatio continet conditionem perseuerantiæ in religione. Ricc. *in praxi Ecclesi. dec.* 643. Maranta *tom.* 3. *resp.* 24. Donatus *p.* 4. *prax. q.* 13. Et modo non habet locum doctrina Hostien. *ad cap. statuimus num.* 4. *de Regul.* quod si ingrediens Religionem nullam protestationem fecit, censetur voluisse absolutè vitam mutare, & ideò bona donata non recuperat. Quia vt ibid. aduertit Fagn. *num.* 26. doctrina illa supponebat, quod ex quo ille voluerat vitam absolutè mutare fuerit tacitè professus, Sed hodie non est amplius aliquis locus huic professioni tacitè, vel expressè, nisi fiat professio post annum integrum probationis. Quamobrem cum recedens ante emissam professionẽ intra annum probationis non sit validè professus, nec perseueret in Religione, deficit conditio sub qua donauit, & ruit donatio. Fagnan. *num.* 27.

174. Colligitur secundò, idem dicendum esse, vbi professio nulliter fiat, quia scilicet nouitij renunciatio non habet, nec habere potest effectum, nisi sequuta professione valida. Quod enim nulliter fit, non fit quantum ad operis valorem, & verba Concilij intelligenda sunt cum effectu. Et sicut nulliter professus potest si velit à religione discedere, ità manet suorum dominus; hoc enim est, quod intendit Concilium, scilicet quod nouitius sit dominus suarum rerum, nec per renunciationem fiat pauperior, & ex parte compellatur ad professionem. Atque ita docent Rodriq. 2. *t. sum. cap.* 7. *num.* 6. Ludou. Lopez *l.* 2. *de contract. cap.* 39. *q.* 3. *notab.* 6. à S. Faustio *l.* 6. *q.* 187. Peyr. *ad const.* 2. Sixti 4. *num.* 78. Sanchez *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 55. Pereg. *d. cap.* 1. *l.* 5. *s.* 17. Lezana *t.* 1. *cap.* 14. *num.* 36. Tambur. *de iure Abb. tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 10. *num.* 6. Barbosa *ad d. cap.* 16. *Concil. Trid. num.* 15. Donatus *p.* 4. *tr.* 6. *q.* 21. Ricc. *p.* 4. *dec.* 146. Maranta *tom.* 3. *resp.* 26. Genuens. *in pract. q.* 462. Hieron. Rodriq. *resol.* 53. *num.* 12. Fagnan. *ad cap. statuimus num.* 27. *de Regul.* vbi *num.* 29. hoc esse verum etiam si iuramentum interuenerit. Ideò si ante lapsum quinquennij professio alicuius declaretur nulla simul nulla declaratur renunciatio, & nouitius bonorum renunciatorũ manet Dominus. Ita DD. citati. Sed si per quinquennij lapsum ratificetur professio, manere quoque validam renunciationem docuerunt Spino *in spec. testamen. gloss.* 12. *principali num.* 12. Vega. 1. *tom. cap.* 9. *casu* 4. Rodriq. *t.* 2. *qu.* 47. *a.* 11. *& tom.* 1. *sum. cap.* 90. *num.* 5. *& tom.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. sed Sanchez *num.* 56. asserit quod hoc non est verum in conscientia, quia lapsus quinquennij in conscientia, nec facit verum professum eum qui non est, nec validat nouitij renunciationem. Imò & in foro externo, si detur nouitio restitutio in integrum contra lapsum quinquennij, sicut de facto datur frequenter, si declaretur nulla professio, est nulla est renunciatio. DD. citati. Verùm hoc pendet ab illa *quæst.* an ratificetur professio per quinquẽnium, imò ante quinquennium per delationem habi-

habitus; de qua quæstione sermo erit infra. Et hic sufficiat aduertisse eum, qui ratificat professionem simul complere donationem factam, & reddere eam firmam, & indissolubilem, & in foro Dei non posse reuocare ad se donata per quamcumque restitutionem in integrum ad probandam nullitatem professionis, nec per quamcumque declarationem nullitatis suæ professionis datam in foro extrinseco, quia per purificatam conditionem professionis, donatio conditionata sub conditione professionis transijt in absolutam. An verò si nulliter professus ex ratificatione valida professionis efficiat valere quoque renunciationem, quidam absolutè affirmant, vt Rodriq. ait vltimo loco citato, & Donatus *d. q.* 21. *num.* 10. Et hoc est verum, si renunciatio alias fuit legitima in debita ætate facta. Quamobrem quando ratificatur professio nulla ex defectu ætatis, sola ratificatio professionis non reddit validã renũciationẽ prius factam, si facta fuit nouitio non habente ætatis annos quindecim, & menses decem ad minùs. Sanchez *l.* 7. *c.* 5. *num.* 7. 8. & 81. Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 9. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 165. Vbi ait idem dicendum esse, vbi nouitius post renunciationem discedat, & taliter, vt debeat incipere nouum nouitiatum. Quando enim non impletur conditio professionis à qua valor renunciationis dependet, sed nouitius à statu assumpto recedit, iam vis renunciationis euanuit, Vndè vbi est necessarius nouus nouitiatus ad mentem Concilij Tridentini est necessaria in nouitio noua renunciatio; secus vbi nouus nouitiatus non est necessarius. Nihilominùs, si nouitius egressus fuit à Religione, quia per egressum prior illa renunciatio euanuit, noua renunciatio est necessaria, quæ tamen statim fieri poterit ex quo annus nouitiatus expletus fuit, & alius non est necessarius; Sanchez *l.* 7. *cap.* 7. *num.* 84. sed si nec nouitius egressus fuit ab ordine, nec nouus nouitiatus est necessarius, ratificata professione, ratificatur renunciatio, si alias fuit legitimè, & in legitima ætate facta.

175. Colligitur tertio, quod renunciatio legitimè facta iuxta formam Concil. Trid. à nouitio volente perseuerare in religione non potest reuocari. Nam licet contra hoc posset afferri doctrina illorum, qui arbitrantur donationem conditionalem esse reuocabilem, renunciatio enim nouitij est conditionalis, quia pendet à conditione futuræ professionis. Sic enim Menoch. *consil.* 388. *vol.* 4. loquens de quadam donatione facta à muliere ingressura monasterium, cum hac conditione, vt donatio non valeret, nisi sequuta professione à *num.* 19. probat hanc donationem esse conditionalem, & *num.* 34. ex hoc probat mulierem eam potuisse reuocare ante professionem, & Menoch. sequitur Pasqual. ad Lauretum *p.* 1. *num.* 26. Sed hæc in præsenti non vrgent. Nam primo multo veriùs est, quod donatio conditionalis non possit reuocari pendente conditione, vt bene tradunt Sylu. *v. donatio* 1. *q.* 15. *num.* 19. Tabien. *v. nouitius num.* 12. Angelus *v. donatio num.* 46. Couar. *l.* 1. *variar. cap.* 14. *num.* 16. Cephalus *cons.* 318. *num.* 28. & 29. *num.* 3. Molina *t.* 2. *disp.* 286. *concl.* 4. Sanchez *l.* 7. *mor. c.* 5. *nu.* 58. non minus enim ex contractu conditionato oritur obligatio in spe, seu in euentum conditionis, quam ex contractu absoluto, & puro obligatio absoluta, & in re, dum vterque contractus sit perfectus in suo ordine. Sed secundò additur renunciationem nouitij non esse conditionatam ex parte nouitij renunciantis; quia nouitius ex parte sui omninò cedit suis bonis, sed ex præscripto legis remanet effectus pendẽs à conditione; At verò lex suspendens effectum renunciationis dependenter à conditione, non mutat naturam contractus, seu renunciationis, quæ ex parte donantis absoluta est, sed impedit ne effectus eius sequatur, nisi sequatur nouitij professio. Quod tertiò à posteriori explicatur. Nam si nouitij renunciatio esset ad nutum nouitij reuocabilis, posset fieri à nouitio in quacumque parte temporis nouitiatus, quia non est prohibitus disponere de bonis suis dispositione ad eius nutũ reuocabili, & tamen nouitius non potest renuntiare, nisi infra bimestre à professione, ex hac causa, quod renunciatio non sit reuocabilis nouitio volente permanere in religione. Et certè pro re tam leui qualis est donatio reuocabilis ad quid Concilium tantam solemnitatem instituisset, & voluisset sub pœna nullitatis, vt non fieret nisi infra bimestre ante tempus professionis, & de licentia Episcopi? Dicendum igitur est eam esse irreuocabilem, vt sustinent Sanchez *d. num.* 58. Molina *t.* 2. *d.* 285. à Sancto Fausto *l.* 5. Thes. *quæst.* 172. Bellar. ad 16. *cap. Concil. Trident. v. antea facta.* Diana *p.* 3. *res.* 55. *tr.* 2. vbi refert ità fuisse decisum à S. Congreg. Donatus *p.* 4. *tr.* 6. *q.* 34. *num.* 1. Anto. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 263. Palaus *tract.* 16. *d.* 1. *p.* 17. *nu.* 12. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 165. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *num.* 4. Considerandum est, quod licet renunciatio non sit talis, & tam liberalis donatio, quæ non possit aliquando rescindi ex enormissima causa, vt probat *Rota decis.* 125. *p.* 5. *recent.* tamen renunciatio, quæ fit intuitu ingressus in Religionem, & non est valitura, nisi ingressu, & professione sequuta, non potest rescindi ex causa enormissimæ læsionis Crauer. *cons.* 260. *num.* 1. Ceual. *pract. q.* 115. *num.* 6. Gutier. *in repet. cap. quamuis pactum num.* 3. *de pac. in* 6. Couar. *in repetit. et ad cap.* 3. *p. select.* §. 1. *num.* 5. *Rota decis.* 587. *num.* 10. *par.* 1. & 714. *num.* 9. *p.* 2. *recent.*

176. Vndè etiam est, quod nouitius post factam renunciationem non potest renunciatario imponere nouum onus, quia donationi prius factæ sine onere non potest nouum onus imponi, cũ donatarius iam acquisierit ius ad rem sine onere, vt benè tradunt Couar. *l.* 1. *variar. cap.* 14. *nu.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 18. *num.* 63. Etenim qui acquisiuit ius ad rem sine onere, res debet tradi sine onere *l. perfecta. C. de donat. quæ sub modo*, quæ dicit. *Perfecta donatio conditiones postea non capit.* Quia tamen supra dictum fuit in casu mortis posse nouitium reuocare suam renunciationem per viam vltimæ voluntatis, hoc intelligitur in casu, quod postea nouitius moriatur ante professionem; Nam morte non sequuta, sed professione viua manebit renunciatio, quæ solum pro casu mortis potuit reuocari, vt nouitius nõ priuaretur via disponendi de rebus suis omni meliori modo. Ant. à Spir. Sancto. *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 164.

177. Colligitur quartò, quod fructus rei fructife-

& fructus rerum renunciatæ à nouitio qui percipiuntur pro illo medio tempore, quod intercedit inter renunciationem, & professionem nouitij, sunt ipsius nouitij renunciantis, quia ea vi renunciationis non perdit dominium, nisi sequuta professione. Et licet hæc renunciatio non sit conditionata ex parte nouitij, est tamen conditionata ex præcepto legis, & quidem conditione suspensiua, & impediente ne statim dominium rei renunciatæ, sit renunciatarij. Verba enim illa Concilij, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi professione sequuta important conditionem suspensiuam, quia Concilium decernit, quod renunciatio non sortiatur effectum suum statim, & ita statim non transferat dominium in renunciatarium. Sanchez d. l. 7. c. 5. num. 62. Ideò nouitius fructus illos potest consumere, vel de illis disponere modo sibi licito, & si disposuerit seruanda erit eius dispositio. Et si non disponat pertinebunt ad eius heredem. Ità quod si alius sit hæres à nouitio nominatus & alius is, cui nouitius rem illam fructiferam legauit, sequuta professione res legata erit legatarij, sed fructus medij temporis à renunciatione ad professionem, si nouitius aliter non disposuit, erunt heredis.

178. Colligitur quintò; bona renunciata à nouitio non debere tradi renunciatario ante sequutam nouitij professionem. Licet enim Castro Palaus tract. 16. d. 1. p. 17. num. 15. existimet probabile talia bona tradi posse, quia iure antiquo, Hæc traditio licita erat, & non apparet prohibita per Concil. Trid. Tamen oppositum est verum. Et quidem si nouitius disposuisset ad fauorem Monasterij res est certa, quia Concil. eo cap. 16. prohibet infra annum probationis ante professionem dari aliquid Monasterio de bonis nouitij, sed idem dicendum est etiam si nouitius disposuerit ad fauorem extranei. Tum primò, quia ea vi dispositionis factæ ad formam Concilij nouitius non perdit dominium; Res verò non est tradenda non domino, maximè quod potest ex hoc vero domino oriri præiudicium. Secundo, quia militat ratio Concilij; potest enim contingere, quod nouitius inueniret difficultatem in recuperanda re sua, ideoq; compelleretur profiteri, vt euitaret lites, & perturbationes. Crederem tamen solum incurri pœnas latas à Concilio nimirum pœnam excommunicationis, si bona à parentibus, & consanguineis, aut curatoribus traderentur Monasterio, quia hoc Concilium prohibet sub anathemate, & hoc docet Sanchez d. c. 5. num. 53. Sed si traderentur hæc bona extraneo malum esset, sed non tamen fieret contra dispositionem Concilij prohibentis solum ne detur Monasterio aliquid de bonis nouitij. Et pensatis omnibus circumstantijs, & consentiente nouitio posset etiam fieri sine peccato, quia hoc non est ex speciali lege prohibitum, & posset in casu singulari tolli omnis suspicio periculi. Aduerto etiam quod pœna anathematis non respicit ipsum nouitium si det aliquid de bonis suis Monasterio, quamuis & hoc sit contra mentem Concilij, sed respicit parentes, propinquos, ac curatores, si aliquid dent de nouitij bonis. Et licet hoc sit Ecclesiæ conditio, vt dominium rerum donatarum transeat in Ecclesiam, vel Monasterium etiam sine traditione possessionis. l. vt inter diuinum, C. de Sacros. Ecclesia Calder. conf. 27. post medium. Tamen decreto Concil. Trid. interdicitur ne excepto victu, & vestitu, aliquid, de bonis nouitij Monasterio detur à parentibus, propinquis, vel curatoribus Reuerendiss. Faguanus cap. statutum num. 48. de Regul.

179. Colligitur sextò, quod licet sequuta professione renunciatio obtineat effectum suum, nihilominus manet reuocabilis titulo ingratitudinis in illis casibus in quibus ex l. vlt. C. de reuocand. donat. possunt donationes reuocari. Quoniam ius ciuile etiam pœnale habet locum etiam in iure canonico vbi ius Canonicum non disponit oppositum, vt aduertit Nald. verbo ius, num. 1. cum verò in hac parte ius canonicum, nec in genere, nec in specie prohibeat donationem factam à nouitio reuocari titulo ingratitudinis, habebit locum lex ciuilis. Verùm tamen est, quod si nouitius renunciasset ad fauorem Monasterij, aut Ecclesiæ, non posset illam reuocare ob ingratitudinem Prælati, vel Capituli, quia donatio huiusmodi non intelligitur facta intuitu personarum, sed Dei, qui nulli est ingratus. Layman. l. 3. s. 5. tr. 4. c. 10. num. 17. Anton. à Spir. Sancto tract. 3. d. 2. num. 163.

180. Sed numquid inuoluntario nouitio iam professo posset Prælatus tanquam is in quem iura nouitij transierunt, reuocare nouitij donationem titulo ingratitudinis? Controuertunt DD. an heres donantis possit reuocare donationem factam tertio titulo ingratitudinis? Sed quidquid sit de hac quæstione dicitur, quod Prælatus nouitij non est nouitij heres, sed est voluntatis nouitij dominus, & rector, & gubernator. Vndè nouitio viuente habet eminentiori modo in sua potestate iura nouitij, & ideò sicuti posset nouitius si esset sui dominus, sic potest Prælatus tanquam dominus iurium, & voluntatis nouitij reuocare donationem, quam potest reuocare nouitius. Mortuo verò nouitio, tunc Prælatus habet locum heredis, & eadem est ratio de illo, & herede, & si hæres donantis potest titulo ingratitudinis reuocare donationem factam, ab eo cuius est heres, ità est potest Prælatus nouitij donationem reuocare.

181. Existimat etiam Pasqualig. ad Laurentium p. parte num. 26. quem refert, & non reprobat Nicolius lib. 1. tit. 9. num. 6. quod renunciatio Religiosi rescindi possit, si Religiosus assumatur ad Episcopatum, atque ità decisum fuisse per Sacram Congreg. die 11. Januar. 1631. sic referente Aldan. in Compend. Canon. l. 1. tit. 9. num. 1. apud Barbosam ad cap. 16. num. 17. sess. 25 de Regul. Concil. Trid. & ita tenere Molfes. cons. 1. Idem verò Pasqualig. ibid. p. 2. q. 118. num. 11. sequutus eundem Laurenum ibid. num. 7. idem sentit, & probat, quia cum renunciatio fiat intuitu vitæ regularis, cessante causa finali religionis, cessat, & ipsa. Tum secundò, quia renunciatio censetur facta rebus in eodem statu permanentibus, sicut & intelligitur omnis dispositio; vndè cum mutetur status rerum, cum Religiosus efficitur Episcopus siquidem recuperat proprium velle, & nolle, liberatur à iugo monasticæ professionis, & fit capax hereditatis cap. statutum. 18. q. 1. Nec valet dicere, quod regula illa quod actus

totel.

intelligitur factus, vt valeat rebus sic stantibus; non valet in contractibus, quia hoc ad summum veleret in contractibus onerosis. Imò quod etiam in contractibus onerosis teneat regula illa, ac proinde censeantur contracti sub conditione rebus sic stantibus colligitur ex *l. quod seruius. ff. de cond. ob. cau.*

182. Sed dico primò hanc sententiam nullum fundamentum habere in *decis. S. Congr. sub die* 21. Ianuarij 1632. nec in Aldano, & Barbosa citatis. Nunquam enim S. Congregat. declarauit Episcopum Religiosum posse rescindere renunciationem factam in ingressu Religionis, sed solum ait, quod Religiosus Episcopus recuperat ius succedendi in paterna, & materna legitima, sic tamen quod non sibi, sed Ecclesiæ suæ huiusmodi renunciata acquirit, dum non fuerint alteri acquisita. Hæc enim sunt verba declarationis illius, prout refert Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. cap. 42. num. 242. Patres censuerant, dictum Oratorem recuperare ius succedendi etiam in bonis ab eo renunciatis, dummodò non sint alteri acquisita.* Hoc autem verum est, non quia renunciatio cassetur, & rescindatur. Nam imò quantum ad bona iam acquisita tertiò, scilicet quæ ante assumptionem ad Episcopatum fuerunt adita à Monasterio, vel alio renunciatario, aut illis delata, renunciatio omninò tenet, vt declarauit eadem S. Congr. 7. Iunij 1617. & 10. Decembr. 1633. de Religioso transito de Religione incapaci ad capacem succedendi, sed quantum ad non delata, quia ad illa Monasterium non acquisiuit in re, sed in spe, ideò Ecclesia succedit loco Monasterij, si post assumptum Episcopatum deferantur.

183. Addo verò secundò, quod illa opinio se fundat in eo, quod Religiosus factus Episcopus soluitur à vinculo votorum obedientiæ, & paupertatis, & non maneat substantialiter Religiosus, cuius oppositum est prorsus verum, & certum, vt probaui supra *q. 185. n. 8.* Et habetur ex *eod. cap. statutum. 18. q. 1.* super quo dicta opinio se fundat. Nam in *d. cap. decernitur,* quod Religiosus factus Episcopus, Ecclesiæ suæ proprietatem rerum acquirat. Nam si esset solutus à vinculo voti paupertatis, iam non Ecclesiæ, sed sibi acquireret, quæ sui intuitu ad se perueniunt. Cum igitur Religiosus factus Episcopus adhuc ex vi voti paupertatis sit incapax dominij, certum est quod non est capax testandi, vel testamenta, aut donationes, seu renunciationes reuocandi, cum nullos possit disponere de illo, quod suum non est. Ex natura verò rei renunciatio reuocata non est tanquam facta sub conditione, quia status Religiosus est quidem causa finalis abdicandi dominium rerum, quia votum paupertatis hoc exigit, sed quod renunciando rebus ea renunciet ad fauorē huius, vel illius alia causa est, nimirum, vel agnatio, vel amicitiæ, vel misericordia, vel aliud simile. Vndè motiua illius opinionis non vrgent. Tum quia non cessat finis renunciandi, cum non cesset in Episcopo religioso votum paupertatis, & religiosus status, sed ipse semper remaneat incapax habendi. Tum quia renunciatio ad fauorem Monasterij, vel alteriùs continet vim donationis irreuocabilis inter viuos. *Rota decis. 80.* coram Eminentiss. Ottobono, & ideò reuocari non potest. Et euidens est, & certum, quod regula illa, vt actus censeatur factus sub conditione rebus sic stantibus non habet locum nedum in contractibus onerosis, sed nec in donationibus inter viuos. Et periret omninò firmitas humani conuictus, si contractus mutabiles essent.

184. *Et aliter verò falsa, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, & irrata, irrita sit, & nullius effectus.* Habetur ex his, quod nouitius nō potest renunciare fauori, quo fit eius libertati ex hoc decreto. Posse nihilominùs consuetudine, decretum hoc abrogari dictum est supra, & tradiderunt præter ibi citatos Vega *t. 2. sum. c. 50. casu 3.* Lezana *t. 1. sum. c. 24. num. 34.* Donatus *p. 4. tr. 7. q. 13.* Deficiente autem vna ex solemnitatibus requisitis renunciationem nouitij esse irritam, & nullam indubitatum est, & id etiam declarauit S. Congregatio, & censuit Rota in Romana fideicommissi, 15. Nouembr. 1624. coram Pirouano.

185. Cum verò filij viuente Patre non possint testari *l. qui. in potestate ff. de testam. & l. lex Cornelia 48. ff. de vulg. & pupill. substit.* nisi de bonis castrensibus *l. penul. C. qui testam. fac. poss.* nihilominùs renunciare possunt iuxta formam Concil. Trid. & hoc etiam inuito Patre. Menoch. *de arbit. casu 436.* Bellar. *d. cap. 16. Concil. Trid. sn.* Donatus *p. 4. tr. 7. q. 31. num. 8.*

186. Posse quoque nouitios in suis renunciationibus ligare, & renunciatarios obligare, vel ad maritandas puellas, vel ad alia opera pia, vel etiā ad soluendam quotannis certam summam pecuniæ monasterio pro ipsius indigentijs, seu intuitu propriæ personæ, & verum est, & practicatum quotidie. Miranda *t. 1. q. 23. a. 9.* Donatus *p. 4. tr. 7. q. 32.* Anton. à Spir. Sancto *to. 3. d. 5. n. 174.* vbi *num. 173.* quod potest apponere conditionem, vt si contingat eum post professionem recedere à Religione ex quacumque causa, bona ad ipsum reuertantur, ac si non essent renunciata. Sed hæc conditio est, vel turpis, vel impossibilis; quia cum professus ex vi voti paupertatis sit incapax dominij, in quocumque statu reperiatur est incapax, vt bona redeant ad illū, quantum ad proprietatem; illa igitur conditio solum potest admitti, quantum ad bonorum administrationem, vel vsū. Posset tamen apponere conditionem, vt in eo casu proprietas bonorum ad alium transferret capacem. Putat autem idem Anton. à Spir. Sancto *num. 175.* & Bordon. quod non possit nouitius apponere hanc conditionem, si mihi videbitur petere, vel exigere, nisi ponat illam de licentia Prælati; quia remittere est actus proprietatis, cuius professus est incapax. Sed hæc ratio non militat. Quia hanc remissionem facit ipse nouitius rei suæ dominus in institutione oneris soluendi summam pecuniæ eximens eum, cui onus imponitur, vt non teneatur eam soluere, nisi sit petita, aut exacta, & sic non incurret obligatio eam soluendi, nisi purificata conditione hac, quod ipse pecuniam petierit, siuè exigere voluerit, & sic professus non petendo, nihil remittit, sed non ponit conditionem sub qua est obligatio soluendi. Si verò inquiratur, an præter dictas solemnitates Concilij sit necessaria alia solemnitas, & præcipuè, an sit necessarius aliquis cōsensus Monasterij. Respondetur

detur nullum esse necessarium Monasterij consensum. Quod enim aliqui hunc consensum exigunt is casu in quo nouitius velit renunciare hereditati nondum delatæ ad fauorem extranei à Monasterio, vt si velit renunciare hereditati Patris viuentis, aut viuentis consanguinei, aut cuicumq; hereditati nondum delatæ ad fauorem extranei sit necessarius consensus Monasterij, quod tenuerunt multi relati à Couar. & Sanchez, facilè reijcitur, aduertendo; quod nouitius non professus est dominus illius iuris succedendi, quod habet, & hoc ius potest donare, & per renunciationem donat, & resignat, & transfert in resignatarium, vndè consensus Monasterij est superfluus; Nam Monasterium ius succedendi non habet. Cum verò nouitius hoc ius alteri cesserit, iam quando nouitius profitetur non habet ampliùs illud ius donatum; vndè Monasterium, nec potest habere ius illud, vt repræsentans personam nouitij. Cum igitur Monasterio ius illud non competat, nec ratione sui, nec ratione repræsentationis personæ sui subditi, non est vnde Monasterij consensus sit necessarius, vt nouitius illi cedat ad fauorem cuiuscumque. Et licet renunciatio nouitij non sit habitura effectum, nisi post professionem, hoc non est ex iure, & voluntate, quam tunc habiturus sit nouitius, sed ex iure, & voluntate, quam habuit tunc cum erat sui iuris; & poterat liberè de suis bonis disponere. Et resignatarius adueniente casu habet ius sibi collatum tempore habili, vt obtineat hereditatem, quam obtinuisset nouitius, si iuri suo non renunciasset. Et ita hanc partem tenent Couar. *de pactis* 3. *p.* §. 2. *num.* 3. Sanchez *l.* 7. *cap.* 6. *num.* 2. Palaus *tra.* 6. *disp.* 1. *p.* 17. *num.* 18. At verò Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 2. *num.* 170. distinguit inter bona, quorum nouitius esset heres necessarius, & in eis succederet ab intestato, & in bona, quæ sibi ex testatore aliquo extrinseco liberaliter relinqui possunt; Nam hæc non sunt acquisita antequam ad illum sint delata: vnde de eis non potest disponere ante professionem si ei non sunt delata, & si deferantur post professionē spectant ad Monasterium. Sed priora bona sunt acquisita ante professionem, quia sibi competunt ratione sanguinis, & tamquam cognato. Sed licet hic modus loquendi non sit valdè proprius, quia non potest dici quod nouitius acquisierit bona, quæ ei nondum sunt delata, sed sunt cognatorum adhuc viuentium. Distinctio tamen est bona, quia respectu eorum bonorum, quorum nouitius esset ab intestato heres necessarius, ille habet de præsenti ius aliquod ad ea habēda. Et hoc potest alteri renunciare, & cedere; sed respectu bonorum, quæ nō nisi ex liberalitate prouenire possunt nullum ius habet, sed puram capacitatem; ideò ista non potest renunciare, si ante professionem non acquisiuit aliquod ius ad illa, sed pleno iure spectant ad Monasterium si illi nouitio sunt relicta, aut delata. Et per hoc explicari, & limitari debet doctrina primo allata.

187. *Per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorū Societatis Iesu iuxta piū eorū institutum à S. Sede Apost. approbatū, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint ex hac clausula.* Duo cum statuisset Concilium in eo *cap.* 16. quia primò tradidit formam renunciandi, secundò statuit vt nouitij expleto anno probationis admittantur ad professionem, quia Concilium in plurali loquitur dicendo *per hæc, &c.* colligitur nouitius Societatis non teneri in renunciando ad formam Concil. Trid. quod etiam viuæ vocis oraculo declarauit Pius Quintus, vt habetur in Compendio priuilegiorū Societatis v. Concilium, & consuetudo dictæ Religionis comprobat, & ita etiam tenent Rodriq. *t.* 1. *q.* 47. *a.* 8. Sà *v. Religio num.* 5. Molin. *disp.* 139. Less. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 4. *n.* 41. Sanchez *l.* 7. *mor. c.* 5. *num.* 9. Layman. *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *num.* 10. Vidan. *in Compend. Canon. resol. l.* 1. *tit.* 16. *num.* 10. Barbosa *alleg.* 99. *n.* 23. *& ad cap.* 16. *sess.* 25. *de regular. num.* 41. Donatus *p.* 4. *tr.* 7. *q.* 19. Reuerendiss. Fagnanus *cap. statuimus. num.* 39. *de Regular.* Palaus *tr.* 16. *d.* 1. *p.* 16. *num.* 1.

188. Tandem quia dictum est, quod nouitius ante ingressum in Religionem, potest condere testamentum, & suis renunciare, aliqui circa hoc aduertenda sunt. Primum, quod non est necesse quod in hoc seruentur solemnitates iuris, si intuitu Religionis testamentum fiat. Oppositum quidem multis citatis tenent Sanchez *l.* 7. *c.* 9. *num.* 10. & Palaus *tract.* 16. *d.* 1. *puncto* 14. *num.* 1. Sed considerandum est quod licet in concessione gratiarum, aut dispensatione legum argumentum à simili parum valeat, vndè non sit tutum arguere à testamento militis, quod non subditur solemnitatibus iuris, concludendo ex hac ratione, quod etiam testamentum ingressuri in Religionem eisdem solemnitatibus non obligetur. Tamen habemus textum satis clarum in *authen. de Monachis* §. *illud*, vbi ijs, qui religionem sunt ingressuri conceditur libera facultas disponendi de rebus suis, & adeò libera vt si Pater testando præterεat filios, non per hoc sit nullum testamentum, sed filijs relinquitur actio ad legitimam; quo supposito dicimus in eo, qui testatur titulo ingrediendæ Religionis nō requiri illū numerū testiū, qui ordinariè requiritur in testamentis iuxta totum titulū *ff. de milit. test.* Nec subsistit, quod dicitur in *d. Authent.* per illam legem non concedi aliquod priuilegium nouitijs, sed tantum declarari, quod transacto nouitiatu testari non possunt. Nam verbis textus manifestè huic interpretatio minus conuenit, *Illud quoque*, inquit, *decernimus, qui ad monasterium introire voluerit antequam monasterium ingrediatur, licentiam habere suis vti quacumq; voluerit modo.* In his enim verbis lex non declarat, sed decernit, decernere verò est nouum ius condere non verò est declarare, quid ex antiquo iure seruato conueniat. Item decernit ingressuros in Monasterium habere licentiam, licentia autem supponit prohibitionem, & sic concedere licentiam est concedere, vt id fiat; quod alias est prohibitum fieri. Et sic quando lex personæ alias habili ad testandum secundum quod leges requirunt, concedit liberam testandi facultatem, concedit vt possint testari sine solemnitatibus iuris, vt notat Gloss. communiter recepta *in l. si quando* 35. *verb. conceditur C. de inoff. testam.* Vndè in præsenti ingressurus Monasterium sine iuris solemnitatibus potest testari Bart. *authen. si qua mulier. num.* 7. *C. de Sacros. Eccles.* & ibi Palaus *num.* 4. Iason. *num.* 13. Panorm. *cap. quia nos, num.* 4. *de testa-*

testamen. Syluest. *v. testam.* 1. *q.* 10. *d.* 4. Angel. *n.* 26. Sà *v. testam. num.* 21. & 25. *Rota decis.* 556. *nu.* 7. *tom.* 3. *p.* 4. *recent.* Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 2. *quaest.* 15. Rodriq. *t.* 3. *q.* 69. *a.* 12. *fin.* Iulius Clarus *l.* 2. *sent. par. v. testamentum q.* 28. *num.* 2. Et plures alij apud Sanchez loco citato vbi hoc idem putat probabile. Et nihilominus *Rota decis.* 126. *num.* 48. existimat, quod in renunciatione facta intuitu Religionis seruari debeat forma statuti secularis.

189. Considerandum est secundò, quod nedum si testator emittat professionem in Religione incapaci succedendi, sed etiam si profiteatur in Religione capaci, non infirmatur testamentum prius factum. Si enim testamentum factum ad fauorem aliorum à Monasterio professione infirmaretur, ingressurus Religionem non haberet liberam testandi facultatem. Neque ex eo dici poterit, quod Monasterium succedat tanquam tenens locum filij, quia Monasterium locum filij non habet, nisi in casibus in iure expressis. Ideò etiam si testator, quando condidit testamentum non cogitabat de ingressu in Religionem nihilominus testamentum manet, nec professione infirmatur, nisi testator ipse ante professionem suum testamentum mutauerit Nauar. *com.* 2. *de Regul. num.* 51. Syl. *v. Religio* 6. *q.* 1. *d.* 3. Tabien. *q.* 35. *num.* 36. Armilla *num.* 33. Angelus *v. Religiosus num.* 54. Sanchez *l.* 3. *cap.* 3. *num.* 34. plures referens, Palaus *d. p.* 14. *num.* 4.

190. Considerandum est tertiò, quod testamentum factum ante ingressu Religionis firmatur professione, ita quod testator post professionem non potest amplius reuocare, quia ipse post professionem non est amplius alicuius rei dominus. Et sicut non potest testamentum condere *cap. quia ingredientibus de testam.* Ita non potest testamentum, non nisi testamenti factione reuocetur Nauar. *com.* 2. *de regul. num.* 53. Couar. *cap.* 1. *nu.* 9. *de testam.* Sylu. *v. Religio* 6. *q.* 4. Tabien. *v. Religio q.* 40. *num.* 41. *Rota decis.* 623. *num.* 17. *tom.* 3. *p.* 4. *recent.* Sanchez *l.* 7. *cap.* 11. *num.* 5. Barbosa *de off. Epis. alleg.* 99. *num.* 14. & apud istos plures alij Palaus *d. p.* 14. *num.* 6. Et hoc eisdem rationibus est verum etiam de Episcopo Regulari.

191. Considerandum est quartò, quod cum de iure communi hereditas, & legata non transeant ad heredem nisi post mortem naturalem testatoris *l.* 1. *ff. de testamen.* ideò in Religione capaci succedendi dominium rerum de quibus nouiter professus antea testatus fuit, et ex consequenti vsusfructus illorum pro tempore intermedio à professione ad mortem naturalem Religiosi testatoris spectant ad Monasterium; & ita quod si hoc medio tempore moriatur heres, vel legatarius, hereditas vel legatum deuoluitur ad Monasterium, prout tradiderunt Anton. *cap. in praesentia num.* 33. *de probat.* & ibi Panorm. *num.* 16. & 19. Inch. *num.* 22. Felin. *num.* 55. de omnium sententia Sanchez *l.* 7. *tom.* 3. *num.* 55. Nisi testator aliud disposuerit. De coniecturis verò vnde in hoc mens testatoris colligi possit late tractat Sanchez ibid. *num.* 60. & *sequen.*

192. Considerandum est quinto, quod id quod dictum fuit non teneri ingressurum Religionem ad solemnitates iuris dum condit testamentum intuitu ingressus in Religionem, multo magis valet de testamento, vel etiam renunciatione factos à nouitijs. Erit enim nulla renunciatio si fiat ante decem menses nouitiatus ex vi decreti Concil. Trid. non tamen, quia in ea non seruentur solemnitates iuris. Quia enim huiusmodi dispositiones fiunt intuitu assumendi statum paupertatis, & ex vbi à parte non sequuta professione, vel sunt nullae, vel sunt mutabiles ad libitum disponentis, cessant rationes, ob quas lex Ciuilis induxit solemnitates, & locum habet, dispositio, Auten. de Monachis in §. illum.

193. Considerandum est 6. ex Rota in Maceraten. pecuniaria 12. Maij 1642. Coram Merlino, quod frequentius loquendo in his renunciationibus ingressus in Religionem est occasio renunciandi huic vel illi, sed finis & scopus, ideoque causa finalis est fauor familiae iuxta tradita per Dec. *cons.* 74. *num.* 10. *lib.* 1. Roland. à Valle *cons.* 44. *num.* 15. & *consil.* 69. *num.* 39. *vol.* 4. Menoch. *cons.* 6. *num.* 30. & *cons.* 197. *num.* 14. Bursat. *cons.* 264. *num.* 10. *cons.* 29. *num.* 71. *vol.* 1. Decian. *resp.* 7. *num.* 19. Surd. *cons.* 164. *num.* 31. & 32. & *cons.* 446. *num.* 20. & *dec.* 362. *num.* 4. Bardell. *cons.* 58. *num.* 63. Paschal. *de vir. patr. potest par.* 3. *cap.* 7. *nu.* 55. & 56. Genuen. *in pract. Eccles.* 5. *q.* 222. *num.* 1. & 3. Cyriac. *controu.* 455. *num.* 1. Marant. *dec.* 8. *num.* 25. *Rota decis.* 528. *num.* 3. *p.* 3. *recent.* Molphes. *ad consuetud.* Neap. *tom.* 1. *p.* 4. *tit. de renunciat. q.* 18. *num.* 26. 37. & 38. Qui testatur se plures Religiosos interrogasse cur renunciauerint? Et ingenue fassos esse se renunciasse pro conseruandis eorum familijs, sique agnatio non obstaret, potius velle bona eorum conferre in Religionem, quemadmodum eorum personas conferebant. Oppositum tamen huius voluit Seraphin. *decis.* 587. *num.* 4. *p.* 1. *recent* in causa renunciationis cuiusdam Monialis Dominicanae; dixit enim causam finalem renunciationis fuisse ingressum in Religionem, fauorem verò agnationis fuisse causam impulsiuam, sed prior Rotae doctrina est omnino vera. Et certe considerata debent duo, & distingui, scilicet abdicatio dominij, & translatio eius ad hunc potius quam ad alium. Primum horum est de essentia professionis, & fit per intuitu paupertatis, & eius causa finalis est obsequium Dei in statu paupertatis. Sed secundum non est de essentia status Religiosi, qui consisteret etiam si Religiosus priuans se dominio, illud ad nullum transmitteret. Sed modo leges volunt, quod si Nouitius nulli renunciet, omnia sua transeant in Monasterium quod ergo nouitius huic, vel illi renunciet, debet habere causam aliquam finalem, quae erit fauor alicuius alterius à Monasterio; si verò haec causa exprimatur, non erit dubitationi locus: sed si renunciatio fiat ad fauorem Patris, vel aui, vel matris, vel Patris, vel agnati alicuius facilius poterit coniecturari, quod fiat intuitu agnationis, sicuti fit frequentius.

194. Considerandum est septimo, quod vbi renunciatio facta sit fauore agnationis, deficiente agnatione bona renunciata transeunt ad Monasterium, non verò ad heredes extraneos relictos, ab eo agnatorum, ad quem bona illa peruenerant. Quia cum causa finalis renunciationis fuerit

rit fauor agnationis, hac deficiente cum deficiat omnino causa finalis idem est ac si renunciatio bona spectassent ad Monasterium, ideò ad illud spectant etiam agnatione deficiente. Ideò cum quædam Soror Camilla fauore agnationis renunciasset ad fauorem Petri Pauli Patris, & eo decedente sine filijs ad fauorem Felicis Patrui, cum horum vterque decessisset sine filijs, licet Petrus Paulus suum heredem instituerit quendam Compagnonum extraneum, *Rota in d. Maceraten. pecuniaria 12. Maij 1642. Coram Merlino* censuit bona renunciata per Sororem Camillam pertinere ad Monasterium, non verò ad Compagnonum heredem extraneum.

195. Eadem tamen Rota assertionem distinguens rem explicat, nam bonorum Nouitij alia sunt illi propria vt sunt bona Materna, vel quæ ad nouitium spectant ex auito fideicommisso, & alia aduenticia propria nouitij. Et de his loquendo vera est doctrina data, & si nouitius renuncians fecisset, quod bona sua transirent in Agnatos, & in illos de familia incongruum est, quod Pater nouitij ad cuius fauorem nouitius renunciauit, vel quicumque alius velit illudere voluntati nouitij, & propria nouitij bona transmittere in extraneos. *Gabr. cons. 135. num. 56.* Vasq. *de success. tit. de testamen. potest. l. 2. §. 8. requis. 29. lim. 1. num. 146.* Stante enim, quod renunciatio facta sit fauore agnationis, renunciatarius non potest in alios quam in agnatos disponere *Rota in Maceraten. Pecuniaria 20. Iunij 1644. Coram Eminentiss. Ottobono §. Et licet, & §. alterum, & in Auenionen. fidei commissi 11. Martij 1648. §. Neque huic, & §. Hinc resultat, Coram D. Verospio, & prius in Firmana bonorum 11. Aprilis 1616. Coram Ramboldo, & postea in Romana successionis 7. Iunij 1655. Coram D. Beuilaqua*, & iterum in eadem *Romana successionis 6. Martij 1656. Coram eodem.* Dum ergo nouitius renunciauit in fauorem familiæ, & familia non extat, perinde est ac si non renunciasset, & ideò bona illa spectant ad Monasterium Azor. *instit. mor. p. 1. l. 2. cap. 26. q. 11.* Molina *de rit. nupt. l. 3. cap. 92. num. 24. & 25.* Vasq. *de testam. cap. 6. §. 3. dub. 12. num. 47.* Harthm. *Pist. qq. iur. l. 4. q. 6. num. 45.* Faber *de error. pragmat. tom. 1. error. 9. num. 1.* Genuen. *practicabil. ab Ecclesia quæst. 231. num. 4.* Couar. *in cap. quamuis pactum §. num. 4. & ibid.* Gutier. *num. 14. de patrif. tit. 6.* Sanchez *l. 7. moral. cap. 7. num. 16. & 19.* Sed alia sunt bona, quæ non sunt propria nouitij de facto, sed ad illum spectant in spe minime vallata, & firmata iuris necessitate, & horum bonorum dispositio non est regulanda à voluntate nouitij, sed à voluntate eius, qui illorum bonorum est dominus, cum nouitius talium bonorum nec sit dominus, nec hæres necessarius, vnde nec ad illa habet aliquod ius. Et quantum ad hæc bona, quæ nouitius filius potuisset sperare a Patre spe non firmata necessitate iuris liber est Pater, vt illa transferat ad extraneos, nam eorum dispositio non ex Filij voluntate dependet, & eiusdem Patris voluntate est regulanda.

196. Ex eodem verò principio colligitur, quod si nouitius fauore agnationis renunciet Patri, non potest Pater de sibi à filio relictis disponere ad fauorem Monasterij, vel Religionis in qua filius renuncians professus fuit, si extet agnatio quia Religio in hoc casu est heres extraneus, in fauorem cuius testator non potest disponere existentibus agnatis, vt probauit latè *Rota in dicto Romana Successionis 7. Iunij 1655. & 6. Martij 1656. Coram D. Beuilaqua.*

197. Et nihilominus vlterius considerandum, quod si nouitius renunciet fauore agnationis, sed ita tamen quod renunciatio fiat expresse ad fauorem renunciatarij pro se, & quibuscumque eius heredibus, & successoribus tunc ea renunciatio sit sibi contraria, & renuncians intelligatur se correxisse renunciando prius fauore agnationis, & postea fauore quorumcumque heredum, dispositio debet intelligi, vt facta fauore agnationis simpliciter, facta verò fauore heredum etiam extraneorum sub conditione deficientis agnationis. *Rota in Florent. donat. 9. Decembris 1650. Coram Peutingero, & in Romana, seu Nepesina restitutionis in integrum Coram Reuerendissimo, Cerro, & in Romana successionis 6. Martij 1656. coram D. Beuilaqua.* Quamobrem in hoc casu si nouitius renunciasset fauore agnationis, ea deficiente, non per hoc bona reuerterentur ad Monasterium, sed spectarent ad heredem etiam extraneum eius cui bona à nouitio relicta fuerunt etiam fauore cuiuscumque heredis, & successoris, cuius appellatione veniunt etiam heredes extranei in materia indifferenti, qualis est hæc. Molina de ritu nupt. *l. 3. q. 85. num. 60. Rota in d. Romana successionis 6. Martij 1656.* Vbi etiam aduertit, quod ad hoc, vt dispositio intelligatur limitata ad agnatos, non sufficit coniectura hoc deduci, si alias dispositio facta est expresse fauore quorumque heredum. *Rota in Romana successionis de Comitibus Coram Reuerendiss. D. Lercano 23. Iunij 1642.*

198. Nihilominus considerandum est, quod Rota in dict. causa renunciationis Sororis Constantiæ recessit à decisis, in decis. 14. Iunij 1641. & 12. Maij 1642. Coram Merlino, vt videre est in decis. Maceraten. pecuniaria data 20. Iunij 1744. quæ est coram Eminent. Ottobono, vbi vult quod renunciatio facta fauore agnationis pariat duos effectus. Primus est, quod patre absque agnatis decedente ab intestato, filia quæ renunciauit fauore agnationis possit ipsa succedere ad bona renunciata, quia Pater non disponens præsumitur velle filiam renunciantem ad bona eadem renunciata reuocare. Secundus effectus est, quod renunciatarius non potest testari in preiudicium agnatorum existentium. Cæterum si non extante aliquo agnatorum renunciatarius testamento heredem eligat, & successorem testamentum tenet, nec qui renunciauit fauore agnationis in eo casu potest succedere in bonis renunciatis. Hoc autem probatur, tum primo quia patres procurant à filijs, & filiabus huiusmodi renunciationes vt impinguent sua patrimonia, & de illis ad fauorem cuiuscumque disponere possint. Secundò quia renunciatio stipulatur ad fauorem renunciatarij pro renunciatario, & successoribus; at verò & renunciatarij successor est heres ab eo constitutus. Et si dicatur stipulationem ad heredes & successores esse restringendam ad heredes, &

successores sanguinis ad textum in lege ex facto 17. §. *fin. ff. ad Trebell.* Respondetur, quod hoc est verum quando materia subiecta repugnat nimirum, quando agitur de re, de sui natura ad heredes non transitoria, vel idem est verum quando extent agnati, tunc enim extranei non intrant, vel demum eorum defectus prodesse posset renuncianti, si renunciatarius decessisset ab intestato.

199. Sed nihilominus non deesse videntur motiua, qua confirment priores decisiones habitas in dicta causa Maceraten. pecuniaria coram Merlin. die 4. Iunij 1641. & 12. Maij 1642. Spectata enim doctrina, & distinctione data, quia scilicet causa finalis renunciandi absolutè sit paupertas religiosa in Dei obsequium assumpta. Cui tamen per accidens est, quod bona renunciata transeant in huius, vel alterius dominium; vnde si renunciantur huic puta patri, & non alteri, huius determinationis ad patrem debet dari causa finalis, Qua quidem, quando filius, vel filia renuncians exprimit se renunciare fauore agnationis, est eiusdem agnationis fauor, vltra quem de mente renunciantis non se extendit renunciatio; dicendum est, quod agnatione cessante, & sic cessante omnino causa finali, ob quam bona fuerunt à filia renunciata patri renunciatario, cesset prorsus renunciatio, ac si facta non fuisset, vt per DD. in d. decisionibus Maceraten. citatis asseritur. Quod verò patres petentes renunciationes filiarum intendant impinguare suas hereditates, & de eis libere disponere, non obstat, quia hic inspici debet intentio renunciantis, non verò intentio renunciatarij. Quia renunciatio tantum habet virtutis, quantum renuncians vult, non verò quantum placet renunciatario, aliter etiam extaneis agnatis posset pater renunciatarius relinquere extraneis renunciata, si efficacia renunciationis ex sua voluntate esset mensuranda.

200. Ratio verò prædicta ex causa finali desumpta ostendit, quod nec locum habent limitationes datæ ad illam regulam, quod scilicet renunciatio facta fauore agnationis est restringenda ad heredes, & successores sanguinis, quia vbi causa finalis est fauor agnationis, iam ex naturali lege ex mente, & fine renunciantis vim habente, sequitur quod bona renunciata non sint ad extraneos transitoria, quia renuncians noluit ea ad extraneos transire; Et deficientia causæ finalis, cui est intimè ea naturali lege coniunctus defectus voluntatis; & consensus in renunciante, ligat animum renunciatarij, vt mentem renunciantis non possit excedere, quæ est, vt bona sua transeant ad agnatos, non ad extraneos; Itaque breuibus verbis vis rationis huius ostenditur, & dicitur, quod qui ingreditur Religionem per se ex vi voti, & legis diuinæ se priuat dominio omni suarum rerum, & ex vi iuris communis illud transfert in Monasterium, nisi ipse exprimat aliud; quando verò relinquit fauore agnationis possibilis deficere, bene exprimit quod finis eius est, quod bona renunciata ad agnatos pertineant, illis verò deficientibus adius commune redeat, eo suo veluti heredi ab intestato prouenians; quod est Monasterium, quia ad fauorem alterius non disposuit, nisi ex fine conseruandæ agnationis.

Quod confirmatur; quia verisimile non est, quod Religiosus voluerit præferre suæ Religioni extraneos, quos quales futuri sint, ignorat.

201. Et quod aduertit eadem *Rota Maceraten. pecuniaria data* 20. *Iunij* 1644. *num.* 26. scilicet, quod renunciationes, quæ fiunt à filiabus intuitu ingressus in Religionē larius interpretari debent, quàm fiant renunciationes factæ intuitu nuptiarum, est verum per respectum ad bona renunciata. quia qui intuitu Religionis renunciat id facit ex animo abdicandi à se omnium omnino dominium. Sed non est verum respectu personarum, quibus bona renunciatur, & quæ omnino accidentaliter, & contingenter se habent ad illam rerum abdicationem *Rota decis.* 714. *par.* 2. *recent.* Nec propterea extendi debent renunciationes istæ ad personas non volitas, & non vocatas à renunciante, nec latior sed imò strictior in hoc fieri debet interpretatio, nec debent censeri vocatæ personæ, quas non vocauit renuncians, imò exclusit, cum renuncians vocet ad successionem solum agnatos, non verò extraneos, quos nec debemus coniecturare vocatos in præiudicium Religionis sibi propinquissimæ, & matris. Et cum dicitur huiusmodi renunciationes censeri eo animo factas, & respectiue receptas, vt patentes ad libitum possint disponare, id est verum vbi renunciantes non se explicant, & limitant non verò dum fauore agnationis disponunt, & iam dispositionem ad agnationem restringuant.

202. Quod etiam in d. Maceraten. 20. Iunij 1644. impugnatur distinctio illa data in Maceraten. 12. Maij 1642. quâ distinguuntur bona propria renunciantis à non proprijs, vt bona materna à paternis. Quia si semel admittitur, quod animus renunciantis sit, vt renunciatarius disponeret possit ad fauorem extraneorum heredum, multo magis hoc concedi debet de bonis maternis, quorum dominium renunciantis est iam quæsitum, & respectu quorum renunciatio non est repudiatio iuris de futuro, sed iuris iam quæsiti. Hæc in quam impugnatio non conuincit, quia non est meus illius Rotæ in distinctione data, quod renunciatis filia renunciando bonis paternis fauore agnationis det illi facultatem de eis disponendi ad fauorem extranei, sed sensus est, quod illam facultatem non impedit, quia nec impedire potest. Quod est verissimum, quia cum illa bona non sint filiæ, nisi in spe contingenti, sed sunt patris, qui de eis ad libitum disponere potest, ex eo quod filia renunciat bonis suis restrictè fauore agnationis, potest quidem restringere ne bona materna, vel quæcumque sua sunt, quia vel ea possideat, vel ius ad illa habeat, non tamen potest restringere, quoad bona paterna, quæ sua non sunt sed patris.

203. Nec obstat, quod renunciatio huiusmodi vim donationis habeat, quæ de se est perpetua, & licet fiat pro conseruatione agnationis, tamen non resoluitur ob defectum illius, sed agnatis de medio sublatis transit ad heredes *l.* 1. *ff. de donat.* Achill. *dec.* vn. *cod. tit.* Put. *dec.* 273. *num.* 4. *l.* 3. & in Recent. *decis.* 587. *num.* 1. *part.* 1. & *dec.* 714. *num.* 9. *p.* 2. & in Romana fideicommissi de Incoronatis 5. Nouem. 1639. 1639. coram Pirouano, in eadem ratione donationis vim fecit Rota in decisionibus duabus datis in causa Romana

fidei

fidei commissi 3. Decembr. 1655. & 29. Maij 1656. coram Verospio. Verum si semel verum est, sicuti verum est, quod causa finalis disponendi restricta restringit dispositionem, vnde est quod dispositio fauore agnationis vltra agnatos non extenditur, bene sequitur quod donatio contenta in renunciatione facta fauore agnationis non est pura, sed conditionalis, & restricta, vnde non habet locum lex 1. *ff. de donat. &* Achil. aliorumque DD. qui citati sunt, quia loquuntur de donatione pura, & absoluta.

204. Hinc neque obstat, si in instrumento donationis sit pactum expressum de nunquam petendo, nec aspirando, nec per se, nec per alios ad bona renunciata, quod renunciantem potest excludere, ac si esset mortuus. Quia hoc pactum in donatione, seu dispositione conditionata, & restricta pariter est restrictum ad casus in quibus valet dispositio, non verò, vt valeat in casibus exceptis, in quibus dispositio est resoluta, & vim non habet. In proposito verò nostro vbi renunciatio facta est fauore agnationis, cessante agnatione resoluitur renunciatio, & euanescit, ac si facta non esset vt probatum est. Ideò eadem ratione stipulatio facta pro renunciatario, & heredibus vbi renunciatio de mente renunciantis sit conditionata, & restrincta, restringitur, & iuxta mentem renunciantis limitatur, & sic in renunciatione facta fauore agnationis, vt dicebatur, intelligitur stipulatio, vt facta pro hæredibus agnatis, non vero pro extraneis.

205. Considerandum est octauò, quod quando renunciatio fit intuitu Religionis, quia Religiosi est omninò pauperem esse, & dominio carere, præsumitur quod renuncians voluerit se priuare omni successione, etiam non cogitata. Dec. *cons.* 31. *num.* 5. Vincent. de Franc. *dec.* 375. *n.* 2. *Rota decis.* 587. *num.* 4. *p.* 1. *& dec.* 714. *n.* 2. *p.* 2. *& decis.* 543. *num.* 9. *p.* 5. *recent. & in Perusin. hereditatis 7. Februar.* 1628. Ideò quod huiusmodi renunciatio latiorem patiatur interpretationem ex mente renunciantis; eo magis, quod in ea locum non habeat læsio etiam si renuncians modico recepto patrimonium amplissimum reliquerit, dixit *Rota dec.* 714. *num.* 9 *p.* 2. *recent.* Nihilominùs etiam si renunciatio sit concepta per verba amplissima, vt v. g. quod renuncians renunciat, cedit, donat, & refutat omnem, & quamcumque hæreditatem, &c. vlterius cuiuscumque generis, quæ ipsi ex quouis testamento, codicillo, legato, donatione, & alia quacumque dispositione deuolui, & obuenire posset, quouis iure, titulo, & causa, etiam hic non expressa, & in corpore iuris clausula, etiã si esset necessaria quæuis expressa, & specialis mentio in omnibus, & per omnia nihil penitus excepto ad habendum, &c. Nihilominùs, inquam, etiam si renunciatio his, vel similibus verbis fuerit concepta, numquam eadem renunciatio comprehendit hereditatem, quæ ex morte renunciatarij possit renuncianti prouenire. Et notandũ est primo quod renunciatio etiam facta in amplissima forma est strictissimæ interpretationis, quia odiosa per tradita á Purpur. *cons.* 372. *nu.* 4. Surd. *cons.* 431. *num.* 32. Gratian. *discept. cap.* 565. *num.* 63. *Rota decis.* 782. *num.* 1. *p.* 1. *& decis.* 543. *num.* 10. *p.* 5. *recent.*

206. Secundo est notandũ, quod non est verisimile, quod renuncians in casu mortis renunciatarij nullo superstite existente proximiore se, voluerit eius hereditati renunciare. Caualer *dec.* 109. *nu.* 10. *Rota d. dec.* 543. *n.* 14. sicut & ab omni ratione alienum videtur, quod renunciatarius voluerit, quod data eius morte ipse renuncians deberet esse inferioris conditionis in succedẽdo, quam sint alij vel remotioris gradus, vel in eodem gradu, sexu, & statu existentes. Crauet. *cons.* 42. 1. *&* 2. Vel certè omninò inuerisimile est, quod si eum excludere voluisset id expressis verbis non significaret. Rota in Romana de Pinis 10. Februar. 1620. coram Sacrato, & coram Cauall. *decis.* 340. *num.* 5. Et certè ingratitudinis notam non efugeret renunciatarius, si á sua hereditate in casu contingenti renunciantem excludere vellet. Et renuncians, qui renunciat ad fauorem, & vtilitatem renunciatarij inaniter ageret, & inutiliter, quia renunciatario nihil vtilitatis affert, quod in casu successionis ab intestato, renuncians debeat esse priuatus successione etiam non existente proximiori. Et notandum est tertiò, quod vbi agitur de renunciatione spei habendi in futurum, intelligi debet de illa spe quæ tempore renunciationis habuit causam de præterito, vel de præsenti, non verò de illa, quæ solum habuit causam de futuro non habente spem probabilem in præsenti, per tradita per Cyriac. *iur. controuers.* 291. *num.* 8. Addent. ad Greg. *dec.* 265. *num.* 6. Seraphin. *decis.* 549. *num.* 3. *p.* 1. *recent.* & apud eum Bartol. Iason, Alex. Dec. & Corbul. Ideo renunciatio etiam spei habendi, non comprehendit spem, quam renuncians possit habere succedendi renunciatario, cum talis spes sit ex causa de futuro, sine vlla spe probabili de præsenti Bartol. *in l. qui Romæ.* 122. *§. duo fratres num.* 19. *ff. de verb. oblig.* & alij, quos sequitur *Rota in d. decis.* 543. *num.* 18. Itaque si nouitius renunciet expressa etiam spe habendi, & iure succedendi in quacumque hereditate, non per hoc tamen intelligitur renunciare spei, & iuri succedendi ipsi renunciatario ab intestato. Sed contra principium in hoc tertio, notabili assumptum stat eadem *Rota decis.* 141. *per.* 5. *recent. vbi numer.* 1. præsumit, quod moniales, quæ recepta dote renunciant successioni parentum habeant voluntatem etiam renunciandi eidem successioni ex causa de futuro, & quod huiusmodi renunciationes tales sunt de consuetudine, *& num.* 3. addit quod verba quomodocumque qualitercumq; quacumque de causa, comprehendunt iura futura etiam ex causa de futuro.

207. Sed & notandum est quartò, quod renunciationes factæ ab ingressuro Religionem ad fauorem fratris præsumitur facta ad fauorem masculorum descendentium de familia, vt bona in eis conseruentur, vel vt frater liberè de bonis renunciatis disponere possit, & sic huiusmodi renunciatio tacitam habet conditionem, dummodò fratri superstes sit aliquis descendens masculus vel ipse frater de bonis renunciatis aliquo modo disponat, & hanc sententiam veram, communem, & iudicatam, & non esse ab ea iu iudicando recedendum, multis citatis probat *Rota d. dec.* 543. *num.* 31. *& seqq.* Quam sententiam esse veram etiam quando quis renunciat intuitu ingressus in

Religionem, dummodo non adsit persona, cui præsumatur renuncians, & recipiens potius voluisse prospicere, quam Monasterio docci. *Rota d. dec.* 543. *num.* 45. Ex quibus benè probata manet assertio posita, quod scilicet sub renunciatione nō comprehenditur hereditas ipsius renunciatarij, & maximè si renuncians sit fœmina, & renunciatarius intestatus decedat, nullo masculo superstite.

208. Sed quid dicendum, si renuncians expressè renunciet etiam bonis prouenientibus ab intestato? Rota in Romana hereditatis 2. Iunij 1661. coram D. meo Taya cum D. Lannnina decessisset intestatus superstitibus monialibus Placida, & Scholastica defuncti sororibus hereditatem defuncti adiudicauit Bernardo Euangelistæ cognato defuncti in quinto gradu. Et mota fuit, quia cognato quinti gradus defertur hereditas nō existentibus proximioribus. Nec obstabat existentia Placidæ, & Scholasticæ sororum defuncti, quia ob validam, & amplam renunciationem earum habendæ erant pro mortuis, & non computandæ. *Rota dec.* 109. *num.* 1. *par.* 5. *recent.* & *decis.* 10. *num.* 40. coram Eminentiss. Ottobono. Quia dictarum sororum renunciatio continebat etiam intestatam successionem, quia expressis verbis renunciarunt successioni tam ex testamento, quam ab intestato, vt in his terminis respondit *Rota dec.* 714. *num.* 8. *p.* 2. *recent.* & vlterius hæc renunciatio absque vlla limitatione facta excludit renunciantem ab omni successione tam ex testamento, quam ab intestato, eorum, quorum hereditati renunciatur, vt post alios concludit P. Sanchez *l.* 7. *c.* 7. *n.* 1. ad textum satis apertum *cap. v. de pactis in* 6. Et renunciatio hæc potius excludit renunciantes à successione ab intestato, itaut ex testamento capere non prohiberentur. Rota coram Ludou. *dec.* 85. *num.* 13. & 14. & ibi Adden. *n.* 32. & in puncto eiusdem sororis Alexandræ *d.* 458. *num.* 3. & *dec.* 565. *num.* 8. & *d. dec.* 714. *num.* 8. *p.* 2. & *dec.* 160. *n.* 6. *p.* 3. *recent. ad legem pactum* 15. *Cod. de pact.* Intelligo tamen quod pars huic decisioni non acquieuerit, sed obtinuerit contra illam nouam audientiam in Rota, vnde noua decisio expectanda erit. Interim considerari potest, quod renuncians multa hereditare potest ab intestato, quæ sibi prouenire possunt ab alijs quam à renunciatario, vnde ex eo, quod renuncians renunciet hereditatibus ab intestato, non sequitur quod renunciet hereditati renunciatarij, si illi contingat mori intestatum. Nam semper militat ratio posita *num.* 206. & regula posita *num.* 205. vt sub quacumque generalitate verborum quantumuis amplissima in renunciatione non intelligatur comprehensa hereditas renunciatarij. Quæritur autem ad maiorem explicationem prædictorum, an nouitius possit renunciare iuri de futuro ad fauorem tertij liberè à se electi? Renunciatio enim potest considerari, vel præcisè, vt est repudiatio, & abdicatio futuri iuris, vt cum v. g. quis renunciat futuræ hereditati, vel successioni, & in hoc sensu indubitatum est, quod vnusquisque etiam bono de futuro potest renunciare ad textum. *in l.* 3. vbi Bart. & DD. *C. de pactis. Rota decis.* 1398. *num.* 3. coram Seraphino. Ex nunc enim pro tunc potest quis mentem suam explicare, & decernere se nolle accipere, seu se non recipere ex nunc pro tunc hoc vel illud, si conferatur, vel relinquatur testamento, legato, donatione, &c. actus enim mentis respiciunt omne tempus tam præteritum & præsens, quam futurū, & ideò vnusquisque in præsenti potest de futuro, disponere, & decernere, & ex nunc pro tunc futuræ donationi, vel legato, aut testamento. Et hoc modo renunciatio est idem quod repudiatio eius quod acquiri posset, & obuiat acquisitioni iuris quærendi, vt per Rotam *decis.* 52. *num.* 31. *par.* 6. *recent.* sic enim renunciationem quandoq; sumi pro repudiatione dixit *Rota decis.* 206. *nu.* 11. *part.* 9. *recent.* Verum considerandum est, quod ex vi similis renunciationis, & renunciantis bona renunciata ad nullum determinatè spectant, nisi consecutiuè, sed naturali successioni relinquuntur, aut domini determinationi, vt vel in eis succedant heredes necessarij ab intestato, vel illi ad ad quos rei dominus illa transmiserit. Sed secundò potest considerari renunciatio non vt est pura abdicatio, seu non acceptatio, & repudiatio, sed vt est simul donatio per quam renuncians rem renunciatam, nedum non vult sibi, sed transfert in alium, & illam donat, & sic ad fauorem alterius renunciat. Et huiusmodi renunciatio non est pura rei abdicatio, quia renuncians sic eam non vult pro se, quod eam vult alteri, cui illam donat.

209. Sed quia nullus potest donare quod nō est suum, ideò qui renunciat ad fauorem alterius necessario per prius rem renunciatam acceptat pro se, vt illam faciat suam, & sic illam possit donare. Et in hoc sensu benè dixit *Rota par.* 6. *recent. decis.* 320. *n.* 32. quod donatio non est nisi iuris quæsiti, renunciatio verò est etiam iuris quærendi, sed tamen hæc iuris quærendi renunciatio non est donatio, sed potius omissio lucrandi, obuiat enim principio acquisitionis. *l. si sponsus* §. *si maritus. ff. de donat. inter vir.* & *vxor.* & *num.* 33. subdit, quod aliud est donare, aliud verò lucrum non accipere, vel non delatum adhuc repudiare etiam si hoc fiat contemplatione certæ personæ. *d. l. si sponsus. l. qui autem. ff. qui in fraud. cred.* Lap. *alleg.* 45. *num.* 9. Vincent. de Franchis *dec.* 84. *num.* 24. Et plura similia habentur eadem *par.* 6. *dec.* 343. *num.* 54. Inde est quod renunciatio non potest habere vim donationis nisi bonum renunciatum sit illius, qui renunciat, vnde renunciatio hereditatis non est donatio, nisi renuncians adierit hereditatem, cui renunciat vel saltem hereditas sit ei delata, vt tradidit *Rota decis.* 390. *num.* 10. & 11. *tom.* 1. *par.* 9. *recent.* Quando igitur res futura fit iam alicuius in spe necessaria, quia ad illam de præsenti habet ius, licet illam non possideat, est indubitatum, quod habens de præsenti ius ad rem futuram, potest illud alteri tradere, & sic potest ad fauorem tertij renunciare, & renunciando aliquo modo donare, ex nunc tradendo alteri ius, quod ad rem habet, & sic vnusquisque credita propria, iura, & actiones alteri tradere potest, & qui est heres necessarius, potest hereditati futuræ ex nunc ad fauorem tertij renunciare si est res quæ non sit impedita transire in tertium. Quia ius quod habetur nunc ad rem in futurum est quid, quod de præsenti est in bonis habentis illud, &

ideo

ideo quod potest ab habente, & domino cuicumque donari. Sed loquendo de re ad quam aliquis nullum habet ius de præsenti, quamuis ad eam habeat spem plusquam probabilem, & probabilissimam, non apparet vnde illi possit quis validè renunciare ad fauorem tertij à se nominati, & ex propria libertate electi. Nam tantum vnusquisque potest, tradere, seu donare, quantum habet, & est suum; nam alienum validè donare, seu tradere non potest, cum ergo quis ad rē nullū ius habeat, nullius ad rem illam alteri donare potest. Et si dicatur quod habet spem, primo replicatur, quod spes quæ fundatur, vel in agnatione, aut in affinitate, propria amicitia, aut in alia propria sperātis conditione non est donabilis alteri, quia enim agnatio, affinitas, propria amicitia, aut conditio in alium transferri non potest; non potest quis non agnato, aut non affini, aut non amico, aut talis qualis est habens spem donare spem, & illam transferre in illum, cum spes fundetur in agnatione, vel affinitate, &c. Secundò additur quod cum spes ista innitatur gratiæ, nec sit in aliquo iure fundata, sed mere libertati alterius inhæreat, non potest donari, seu eam donari, & nihil donari coincidunt, quia non est alicuius vt donet tertio id, quod nullo modo est suum, sed alienum, & quod dare est in mera libertate alieni domini illud habentis. Et ad summum renunciatio poterit habere rationem cuiusdam supplicationis, per quam renuncians supplicet rem habentem, vt rem quam ex gratia sua sibi daturus erat tertio loco sui conferat.

211. Nec dicatur, quod hæc renonciatio locum habere potest sub conditione quod habens rem eam tradat, vel relinquat renuncianti, qui ex nunc sub conditione, quod sibi detur illam acceptare potest, & acceptatam, & suam factam illam alteri potest donare. Et sic v. g. filia potest patri donare futuram hereditatem, quam expectat à patruo, quia ex nunc sub conditione quod detur potest illam acceptare, & sic acceptatam Patri donare. Nam primò dicitur quod hic modus renunciandi non potest competere ingredienti religionem; qui non potest ex nunc pro tunc acceptare. Est enim attendendum, quod acceptatio rei non datæ, nihil facit; neque enim de facto acceptatur, vel acceptari potest quod non datur, & sic de præsenti acceptatur quod nunc datur, vel promittitur dandum, sed acceptare quod nec datur, nec promittitur est acceptare nihil, quia nihil datur. Si verò acceptatur sub conditione quod detur, quia conditionale nihil est, nec conditio aliquid ponit in esse, acceptatio sub pacto, quod aliquid in futurum detur est nihil acceptare de facto, nisi acceptatio duret ad tempus exercitæ donationis, vt acceptatio sit rei de facto datæ, & acceptetur aliquid, quia alias dum nihil actu datur, nihil accipitur, & implicat esse correlatiuum si non sit relatiuum, accipere verò est correlatiuum eius quod est dare, & sic possum ex nunc velle accipere si in futurum dabitur, sed hoc erit propositum accipiendi, sed non erit acceptio, nisi duret pro tempore quo res datur, vt pro tunc sit acceptio, & dominij acquisitio, quod prius erat propositum accipiendi, sed in Religioso hæc voluntas non potest durare, quia illam reijcit per votum professionis per quod abdicat à se omne dominium tam de præsenti, quam de futuro, & reddit se incapacem accipiendi, & licitè, & validè donandi. Igitur Ingressurus religionem bono de futuro non potest ad fauorem tertij à se electi renunciare, si ad bonum de futuro nullum ius de præsenti habet, quia illud bonum ex nunc non potest acceptare, cum ex nunc illi non detur, si verò detur post professionem, iam tunc non est capax, vt illius dominium accipiat, aut illud acceptum tertio donet. Sed & absolutè potest quidem quis bono de futuro sub conditione quod detur renunciare ad fauorem tertij per modum promissionis, non tamen propriè per modum renunciationis, & donationis, quia non donatur quod nullo modo habetur, & quod donatur sub conditione quod habeatur promittitur donandum, sed non donatur, quia donatio est datio de præsenti, de futuro verò quis se obligat per promissionem. Ideò sequitur quod Petrus, qui ex nunc renunciet Seio equum si sibi donetur à Paulo si post promissionem etiam intatam tempore donationis actualis, vel nolit accipere donationem, vel equum donatum sibi actu donet Francisco, vel donatio non habebit effectum Petro nunc nolente acceptare donum Pauli, vel equus validè donabitur Francisco, non obstante quod promissum fuerit Seio, quia maioris efficaciæ est traditio de præsenti facta Francisco, quam promissio de futuro facta Seio. Imò quia conditio non ponit in esse, & ex præcisa vi promissionis dandi equum Seio, si sibi donatus fuerit à Paulo, non se obligauit Petrus ad acceptandum equum Pauli, benè colligitur quod renunciatio rei futuræ sub conditione quod sibi donetur, est sola promissio donandi, non donatio, quæ vim non habet, nisi tempore quo donetur equus Petrus possit velle illum acceptare, & illum de facto acceptet, & donec acceptatum. Et sic propriè non potest bono futuro renunciari ad fauorem tertij, liberè electi, si renuncians non habeat de præsenti ius ad bonum, quod ius sit illud cui de præsenti renuncietur. Et si quis renunciet alteri bono futuro ex gratia habendo, si illud detur, nunquam tamen renunciatarius habebit ius in re ad bonum datum renuncianti, nisi bonum illud sibi tradatur, vndè colligitur quod nouitius etiam si sub clausulis generalissimis, & amplissimis renunciet etiam futuræ successioni cuicumque sub hac renunciatione non potest comprehendi successio gratuita ex testamento, legato, donatione, &c. quia licet hæc renunciatio possit habere vim repudiationis, & de facto Religiosus ex vi voti paupertatis abdicet à se omnem futuram acceptionem inferentem dominium seu pro se, & vt sit dominus acceptorum, tamen nulli potest donare, vel tradere huiusmodi ad quæ tempore renunciationis nullum habet ius, nec in re, nec ad rem, nec ex causa de præsenti, nec ex causa de futuro, sed solum potest habere spem in alterius liberalitate fundatam. Et ideò hæc omninò spectant ad Monasterium si contingat vt post professionem aliquis ex gratia, & liberalitate sua illi aliquid relinquat, aut tradat.

QVAE-

QVAEST. CLXXXIX.

ARTICVLVS X.

De professione.

POst completum nouitiatum sequitur religiosa professio, per quam nouitius fit religiosus, vnde restat, vt eius naturam, proprietates, & effectus explicemus.

SVMMARIVM.

1 *Professionis nomen latam habet significationem. num. 1.*
2 *Professio importat assumptionem Religiosi status per votorum emissionem. num. 1.*
3 *Professio est de substantia Religiosi status. num. 2.*
4 *Non est propriè Religiosus, nisi qui professionem emisit. num. 3.*
5 *A tempore in quo incapit Religionis status incæpit professio. num. 4.*
6 *Sine professione status Religiosus non esset status. num. 5.*
7 *Ad Religiosum statum sufficit professio tacita. num. 6.*
8 *Aliqua Monasteria profitentur tacitè. num. 7.*
9 *Requiritur professio valida. num. 8.*
10 *Non sufficit propositum perseuerandi. num. 9.*
11 *Necesse est, quod professio fiat in Religione approbata à Sede Apostolica. num. 10.*

Professio fuit semper necessaria ad religiosum statum.

INSPECTIO I.

1. PRofessionis nomen latissimè habere significationē ex hoc constat, quod, vt habet Sylu. *v. professio*, omnis confessio professio dici potest. Et quia qui assumit aliquod officium exterius cōfitetur, & testificatur verbo, vel facto se velle illud munus exequi, ideò & publica alicuius muneris assumptio dicitur professio, vnde dicuntur homines profiteri militiam, vel medicinam, vel leges. Sic Luc. 2. dicitur, quod Ioseph cum Domina nostra iuit Betleem vt profiteretur, nimirum vt publicè testificaretur, & Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reformat.* statuit aliquando fieri professionem fidei, quæ est iurata fidei confessio, & testificatio. Et D. T. *supra q. 184. a. 5.* docuit in assumptione ad Episcopatum adhiberi professionem cum quadam solemnitate, quia qui Episcopatum assumit publicè fatetur, & testificatur se velle exercere munus Episcopatus fideliter. Dicitur igitur professio primo communissimè omnis exterior confessio, & testificatio. Sed minus communiter, & magis propriè exterior assumptio alicuius muneris, vel officij, vel artis, vel status. Sed ex vsu Ecclesiæ, vt aduertunt Syluester citatus, & Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 1. num. 1.* hoc nomen accommodatum est ad significandam assumptionem religiosi status, & ita proprijssimè sumptum significat externam assumptionem religiosi status, quæ fit per emissionem trium votorum obedientiæ paupertatis, & castitatis. In quo sensu sæpissimè vsurpatur in Sacris Canonibus, & Pontificum constitutionibus. Et ita secundum Archid. *in cap. 1. de Regul. in 6.* & Lopum *Alleg. 129. num. 10.* Fagnan. *cap. Vidua num. 13. de regul.* professio est certæ Religionis solemnis promissio. Et in hoc sensu accipitur à nobis. Et iure meritò hæc Religiosi status assumptio dicitur religiosa professio, quia in ea Religiosus publicè testificatur, & confitetur se obligare Deo, & Religioni ad obseruanda tria vota, & ad viuendum secundum regulam, & statuta Religionis.

2. De hac igitur professione dicimus eam esse, & semper fuisse de substantia Religiosi status, ita vt ante illam, nullus sit vel fuerit propriè Religiosus. Explicatur hæc conclusio, quia religiosus dicitur aliquis quadrupliciter, vt ex Io. Andr. notat Syluest. *v. religio p.* Dicitur enim primo religiosus omnis fidelis, qui Deum per fidem colit. Secundò omnis fidelis iustus qui Deum nedū per fidem colit, sed etiam per bona opera. Tertiò Clericus diuinis deputatus. Et quarto regularis qui in religione à Sede Apostolica approbata Deo seruit. Et hic propriè dicitur religiosus, sicuti nunc ex vsu Ecclesiæ religio propriè dicitur Dei cultus per obseruantiam trium votorum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & regulæ alicuius approbatæ ab Apostolica Sede, vnde & religiosus status propriè dictus est status regularium Deo seruientium in aliqua religione propriè dicta, & de hoc statu religioso sermo est in præsenti.

3. Ideò in iure Canonico non dicitur propriè religiosus, nisi qui religionem est professus per triū votorum emissionem. Sic *cap. Religioso de sent. excom. in 6. dicitur. Quamuis autem is, qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus. Et cap. Porrectum. 13. de regular. dicitur. Monachum non facit habitus, sed professio regularis.* Et Sixtus V. *in Constit. Cum multi de Virgin. data 1587.* ait. *Quæ tunc verè, & propriè religiosi esse dicuntur, cum professionem emittunt.* Et hoc idem habetur in *cap. consulens, qui Clerici vel vou.* & in *Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat.*

4. Et à tempore quo incæpit Religiosus status incepisse etiam professionem, religiososque profiteri consuetos, habetur ex S. Dyon. *cap. 6. de Eccles. Hier.* ex Regula S. Pachomij *cap. 95.* ex S. Basil. Regula 14. & 15. *Et Epist. ad Amphilochium canon. 19.* & ex S. Aug. *ser. 2. de commun. vita Clericorum, & ser. 60. ad Fratres, & in Ps. 75.* ad illud Vouete, & reddite, &c. Ex Cassiano *l. 4. Instit. renunc. cap. 33.* Ex Isidoro in sua regula *cap. 4.* Ex regula S. Bened. *cap. 58.* & ex Hier. *epis. 8. ad Demetriad.* & *epis. 1. ad Eleod.* Et ad hoc idem faciunt, quæ de velandis sacris Virginibus tradūtur à Patribus. Nam sacri veli assumptio fuit quæ-

quædam professio, aut modus quidam professionis, & in aliquibus fuit vera professio, vt haberi potest ex Innoc. I. *epist. 2. ad Victricium cap. 12. & 13.* & ex Tertull. *lib. de veland. virginibus*, & & de eadem re videri possunt Optat. Milev. *l. 6. de schismate*, Ambros. *l. 3. de Virgin.* Chris. *in sermone, quod regulares fœminæ viris cohab. tom. 5.* & Gratianus 20. *q.1.27.q.1.* Et ex his habetur, quod iuxta modum regularis, & religiosæ vitæ semper necessaria fuit aliqua professio ad hoc vt aliquis censeretur esse in statu religioso.

5. Cum enim ad statum religiosum prout est visibilis, & ad decorem visibilis Ecclesiæ pertinet duo sint necessaria, nimirum firmitas, & immobilitas, quæ non nisi ex perpetua votorum obligatione haberi potest, vt satis probatum est supra *q. 186. a. 6.* & quod huiusmodi vota publica sint, & Ecclesiæ manifesta, euidens est de essentia status religiosi esse, vt qui statum illum assumit exterius publicè tria vota emittat, quod est religionem profiteri.

6. Et quia professio diuiditur in expressam, & tacitam, pro nunc dicitur secundò ad religiosum statum sufficere professionem etiam tacitam sic enim habemus ex *cap. statuimus, & cap. vidua de Regular. & cap. non solum, cap. constitutionem, cap. beneficium eodem tit. in 6. Et Clem. eos qui, eod. tit. & in Constitut.* Sixti V. *Cum de omnibus data* 1587. Neque per Concil. Trid. *sess. 25. cap. 15.* de regularibus est ablatus modus profitendi tacitè, seu valor professionis tacitę, licet tam professio expressa, quam tacita ex eo *cap. non sit valida*, nisi fiat expleto anno 16. ætatis, & post integrum annum professionis, sicut declarauit S. Congr. sub die 31. Maij 1597. Nam, & Sixtus V. in declaratione *Constit. de illegitimis*, supponit valere professionem tacitam. Quod & determinauit sæpius Rota, & præcipuè *in Vlixiponen. profess. 10. Decembr. 1621. coram Merlino, & in Meten. profess. 2. Iunij 1621. coram Carillo.* Et specialiter quoad Moniales fuisse decisum à S. Congregatione ex Vech. & Tambur. refert Lezana *v. professio num. 9.* Vnde hoc tenent Nauar. *consil. 28. de regular. num. 5.* Sayr. in floribus *decis. 42. eodem titulo.* Sorbus *v. nouitius.* Azor. *l. 12. c. 4. q. 6.* Rodriq. *t. 3. q. 17. a. 1.* Stephan. Grat. *discep. for. cap. 640. num. 34.* Armendar *l. 7. de Relig. num. 6. & 8.* Vrch. *disp. 13. dub. 8.* Sanchez *l. 5. mor. cap. 3. a. num. 36.* Suarez *t. 3 de relig. l. 6. cap. 1. num. 8.* Tamburin. *de iure Abb. t. 3. d. 6. q. 13. num. 10.* Barbosa *ad d. cap. 15. sess. 25. Concil. Trid. nu. 37. Rota in Vlixiponen. professionis 10. Decembris 1621.* coram Merlino, *& decis. 579. num. 2. p. 1. recent. & in Meten. professionis. 2. Iunij. num. 5.* coram Carillo Portell. *v. professio n. 3.* Lezana *p. 1. c. 7. num. 5.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 11. num. 8.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. decis. 3. sect. 1. num. 7.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. Vidua. num. 13. de regul.* Lezana *v. professio num. 3.* Grat. *discept. 640. num. 34.* Honded. *cons. 78. num. 12. lib. 2.* Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 2. num. 8.* Ad statum enim religionis non interest essentialiter an aliquis, vel verbis expressis, vel factis religionem profiteatur.

7. An verò professus tacitè cogi possit ad profitendum expresse, vel tacitè professus instare possit, vt admittatur ad professionem expressam, videtur decisum ex declaratione S. Congregationis, quam ex Tambur. refert Lezana *v. professio num. 3.* sequentis tenoris. *Moniales, quæ eius Ordinis sunt, qui requirit professionem, si tacitam professionem emiserunt, & si palam, & expresse id faciendum non fuit, cogendæ non sunt, vt expresse profiteantur. Etenim singula Monasteria liberum habent tacitè, vel expresse profitendi.* Nihilominus, quod nouitius possit instare, vt admittatur ad professionem expressam, dum prius emisit tacitam, tradit Bord. *de profess. c. 2. quæst. 40. num. 174.* Sed de hoc puncto dicendum erit infra. Sufficiat enim pro nunc aduertere, fuisse, & forsan esse aliqua Monasteria, in quibus non fuit vsus profitendi expresse, sed profitebantur Moniales per solemnem susceptionem velii, vel consimilem actum, nihil verbis expressè promittendo, & de istis Monasterijs potest intelligi præfata Sacr. Congregationis declaratio: seruandæ enim sunt legitimæ consuetudinis Monasteriorum.

8. Sinè dubio autem supradicta intelligi debent de professione valida, & legitima, quia sine effectu est, quod est inualidum, & nullum, & quia inualida professio non est, sed apparet professio. Suarez loco citato *num. 7.*

9. Et aduertitur etiam quod susceptio habitus cum proposito permanendi in religione non est professio, nec etiam tacita; quia aliud est propositum, seu desiderium permanendi, & aliud est vouere, & promittere, & se obligare ad permanendum, Et hoc secundum importat professio. Suarez *d. cap. 1. num. 11.*

10. Tandem considerandum est, quod professio debet fieri in religione approbata à Sede Apostolica. Vota enim quæcumque obedientiæ, castitatis, & paupertatis, si non sint votum obediendi, & viuendi secundum regulam approbatâ à Sede Apostolica, & in Religione ab eadem Sede approbata non est votum solemne, nec facit vouentem propriè constitutum in statu Religioso, seu propriè Religiosum, *cap. vn. de voto in 6. cap. fin. de relig. domib. cap. 1. eod. tit. in 6.* Et est aduertendum, quod per hoc quod Religio sit relaxata dum tamen substantialia maneant, non impeditur, quin votum professionis in ea Religione sit propriè professio, vt latè probat Rota *decis. 116. p. 2. diuers.* vbi *num. 7.* benè etiam probat, quod professi in huiusmodi Religione tenentur seruare reformationem, si Religio ad antiquum rigorem reducatur, per doctrinam Innoc. *cap. super eo, de regul.* & ibi Io. Andr. Butr. Card. & Abb. Item Abbas plenè id probantis, *cap. ad nostram num. 4.* & ibi Felin. *num. 4. & 5.* Dec. *num. 5. & 6.* Præpos. *num. 9. de appellat.* Butr. *cap. causam num. 13. & 15. de elect.* Nam qui profitentur, regulam, profitentur non consuetudinem, & ideò reiecta consuetudine ad regulam compelli possunt.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones Suarez, & aliorum. num. 11. & 12.*
2 *De ratione professionis est aliqua traditio. nu. 13.*
3 *Sed non à distincta promissione. num. 13.*
4 *Vnde probetur quod professio sit traditio. num. 14. 15.*
5 *Religiosus tradit se in seruum. num. 16.*
6 *Ideò Prælatus potest eius vota irritare. num. 17.*
7 *Et Religiosus est incapax dominij. num. 17.*
8 *Traditio ista non est ex contractu mutuo. nu. 18.*
9 *Religiosus tradit se in sui commodum, & vt semper det, & seruiat. num. 19.*
10 *Traditio est donatio, oblatio, & holocaustum. num. 20.*
11 *Traditio cur debeat acceptari. num. 20.*
12 *Professio non est contractus mutuus. num. 21.*
13 *Professio est votum in singulari, quia sufficit exprimere votum obedientia. num. 22.*
14 *Simul sunt promissio, & traditio in professione. num. 23.*
15 *Promissio religiosa traditionem continet, qua non est actus à professione distinctus. num 24. 25.*
16 *Antiqui DD. non distinxerunt inter traditionem, & promissionem. num. 27.*
17 *Intellec. Const. Greg. 13. Ascendente Domino. num. 28.*
18 *Promittens seruitutem tradit se in seruum. num. 29.*
19 *Religiosus propriè non se tradit in seruum. num. 30.*
20 *Multa differentia inter seruitutem, & religionem. num. 31.*
21 *Nec propriè Religiosus est filius. num. 32.*
22 *Eius est filialis seruitus. num. 33.*
23 *Religio est holocaustum. num. 33.*
24 *Traditio ista est religioso. num. 34.*
25 *Quis sit effectus formalis professionis. num. 35.*
26 *Ex hoc sequitur in Prælatis paternum dominium. num. 36.*
27 *Professionis essentia formaliter consistit in votis. num. 37.*
28 *Traditio perquam Religiosus tradit se Religioni non est essentia professionis, licet sit de eius ratione. num. 38.*
29 *Hoc explicatur. num. 39.*
30 *Professio non coalescit ex traditione, & votis. num. 40.*
31 *Quid sit professio. num. 40.*

Professio essentialiter consistit in sola emissione trium votorum.

INSPECTIO II.

11. SVarez tom 3. de *Relig. l.6. c.2.* distinguens promissionem rei, à rei traditione, & in proposito promissionē qua religiosus promittit obedientiam Deo, & Prælato religionis, à traditione, qua religiosus se donat, & tradit religioni, vt explicet essentiam professionis tria dicit. Primum est traditionem esse de substantia professionis religiosæ. Secundum est, tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ esse de substantia professionis. Tertium est ex traditione, & tribus votis substantialibus coalescere professionem, quantum ad substantiam per modum vnius moralis contractus perfecti, & consummati. Quod explicat quia inter homines consuetum est plures adhibere firmitates contractui, vt ex pluribus titulis crescat obligatio ad standum contractui, sic donationi adiungitur promissio non reuocandi illam, & postea iuramentum, & si materia sit capax, potest etiam addi votum. Professio igitur non est vnus actus, sed coalescit, ex multis, quæ moraliter vnum per se faciunt, quidquid sit de physica vnitate. Donationem quoque, seu traditionem à promissione, & votis realiter distinguit Basilius Pontius *lib. 7. de matrim. cap. 5. & 6. cap.* enim 5. duos quasi contractus, ait, reperiri in professione. Primus est donatio quædam, qua se religioni donat. Alter est promissionis, quæ est in voto, qua suas operas promittit in abstinentia à venereis, in vsu bonorum temporalium, & propriæ voluntatis. Prior illa donatio à religione acceptatur, & eius vi donationis religiosus transit in ius alterius, sicut qui se vendit in seruum transit in ius domini. Et sic primus ille contractus respicit religionem, cui professus se donat; secundus verò quasi contractus respicit Deum, cui fit promissio, & votum. *Cap. autem 6. num. 1.* ait, quod donatio fit religioni, & non Deo, seu promissio fit Deo, & non religioni. Et quod ista duo distingui debeant inde colligitur, quod donatio, seu traditio respicit præsens, sed promissio respicit futurum. Votum verò essentialiter est promissio. Ex donatione verò putat statum Religionis habere immobilitatem status, non ex voto. In hoc verò quod in professione dentur hæc duo distincta, scilicet traditio, & promissio conueniunt etiam ex modernioribus Anton. à Spir. S. *tr. 3. disp. 1. num. 76.* & Coton. *lib. 4. contr. 1. num. 10. & num. 11.* Sed Vasquez *p. 2. disp. 165. cap. 4.* omninò negat in professione inueniri donationem, seu traditionem aliquam ex qua in Religionem consurgat potestas aliqua dominatiua, vnde secundum ipsum professio est sola promissio per quam professus promittit vitam regularem.

12. Alij autem ex modernis DD. diffiniunt professionem, vel vt sit solemnis promissio, vt Lezana *par. 4. v. professio*, & Bordon. *cap. 1. de profess. q. 2.* vel vt sit sacer contractus reciprocus vltro citroque obligatorius Nauar. *cons. 26. nu. 1.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. si quis num. 45. & cap. Porrectum num. 19. de regular.* Sanchez *L. 6.* Decal. *cap. 4. num. 61. & lib. 5. cap. 9. num. 7.* Donatus *par. 4. tr. 10. q. 1. num. 2.* & apud eum Vech. *disp. 23. dub. 15. num. 4.* Bordon. *de profess. cap. 1. q. 39. & resol. 57.* Anton. à Spir. San. *tr. 3. disp. 1. num. 4. & 79.* Refertur etiam pro hac sententia Syluest. *v. Relig. 4. q. 8.* Vbi habet, quod Religio est quasi contractus, & hinc inde oritur reciproca obligatio. Quod tamen est longe diuersum

ab

ab eo, quod citati DD. tenent; nam dicere quod Religio sit contractus mutuus seu reciprocus vltro citroque obligatorius est dicere, quod Religio sit pactum reciprocum ex vi sua inducens obligationem iustitiæ, & hoc ex vi dati, & recepti ex pacto, & contractu, quia hæc est natura contractus mutui vltro citroque obligatorij. Quod est valde alienum ob eo, quod dicatur Religionem esse quasi contractum, & non addat mutuum, seu reciprocum, aut onerosum, & non dicatur quod hinc indè oriatur obligatio ex vi pacti, seu contractus reciproci. Potest enim esse vt oriatur obligatio hinc inde, & non ex vi contractus mutui, sed ex vi plurium quasi contractuum, vt ex donationibus reciprocis, quæ donationes non sunt propriè contractus, alias verò, quod ponere Religionem esse contractum reciprocum vltro citroque obligatorium sit asserere in professione dari simoniam, vel simoniacum contractum esse professionem, aduertit etiam Basilius Pontius *lib. 7. de matrim. cap. 7. num. 3.* Nam verè si est contractus mutuus non est nisi emptio, & venditio, vel commutatio, vel quid simile, quod in materia spirituali simonia est indubitata.

13. Ad huius verò quæst. resolutionem dicitur primo, quod de ratione professionis est aliqua traditio, per quam, qui profitetur se ipsum Religioni donat, & in perpetuum tradit in Religiosum ad vitam regularem sub obedientia Prælatorum Religionis obligatum. Sicut qui se vendit, aut donat in seruum, se tradit domino in seruum ad obsequia Domini obligatum. Hæc fuit antiquorum DD. expressa mens. Ita enim tenuit D.T. supra *q.88. a.7. & dist. 30. q.2. a.1. q. 3. ad primum & dist.32. q.1. a. 1. & d. 38. q.1. a. 2. q. 3. corp. & ad primum & a.3. q. 2. c. & q. 3. v. & ad primum & quodl.3. a.18. & quodl.8. a.10. & quodl.10. a.11. & Alex.2. p.q.151. num.3.* Bonauent. *4. d.38. q.4. a.2. ad secundum* Innocent.5. ibid. *q. a. vlt.* Scotus, ibid. *q. vnica, & eadem dist.* Dyon. Carthus. *q.2.* Durand. *q.1. num.8. & 9. & q.2. num.8.* Richard. *a.7. q.1. c. & q.2. & 3.* Dreza Hispalen. *q.1. a.3. notab.2. & 3.* Capreol. ibidem Thomas de Argent. *q. 1. a. 3. in solut. 1. post. 3. conclus.* Maironis *§. quarta particula* Bassolis *q. vn. a.2.* Aureolus *quæst. vn. a.1. à medio* Gulielm. de Rubion. *q.1. a.1.* Palud. *q.4.* Sotus *quæst. 1. a.1. & 2. & lib. 7. de iust. q.2. a. 5. & iterum q. 4.15.* Palud. *q.12. a.2. concl.1.* Ricard. *a.5. q.2. & q.4.* Scotus *q.3. ad secundum* Gabriel. *q. 17. a.3. dist.1.* Maior. *q.17. in fin.* Extra sententiarios verò, hanc eandem sententiam docuerunt Raynerius *v. votum cap.8. §.1. & v. continentia cap.6.* Vbi Magister Nicolai eius additionator Lopez *2. p. cap.48.* Victoria Relect. de potest. Papæ *num.1. ad 1.* Nugno *in add. ad 3. p.q.9. a.2. d.3. concl. 5.* Catherinus *l.6.* contra Caiet. *à fol. 312.* Texeda *l.1. tr.1. contr.1. & lib.2. contr. 8.* Io. à S. Thom. *tract. de approb. Doctrinæ S.T. disp.1. a.3. prop.13.* Aragon. *supra q.88. a.7.* & ibid. Syluius Thomas Hurt. *t.3. tract. vlt. resol.2.* Cornezo *de Matrim. tr. 6. disp.7. d.9.* Sayrus in Claui Regia *l.6. c.2. num.4.* Rodriq. *t.1. q.25. a.1.* Mir. *t.1. q.1. a. 5.* Hier. Rodriq. *resol.140.* Corduba *lib.1. q. 24.* Conar. *2. p.4. cap.7. §.4. num.8.* Martinez de Prado *cap. 31. q.3. n.22.* Grauina *tom. vlt. præscrip. contr. vlt. q.4. a.4. à fol. 297.* Petrus de Ledesma *de Matrim. q.50. a.2. ad secundum* Petrus Soto *lect.5.* de Matrim. *in fin* Greg. de Valen. *supra disp.5. q.6. p. 5.* Azor. *p.1. lib.12. cap.6. q.6.* Salas, *de legib. disp. 8. sect. 17. & 18.* Altisiod. *l.4.* de Matrim. *cap. 7. q.4.* Tolet. *lib. 4. cap.28.* Sanchez *l.7. de Matrim. disp. 25. & lib.5. in Dec. cap.4. num.61. & lib. 6. c.9. num.7.* Basilius *lib. variar. q. 3. Scholast. cap.1. & l.7.* de Matrim. *cap.5. & 6.* Suarez *tom.3. de relig. l.6. cap.2.* Donatus *p.4. tr.10. q. 1.* Bordon. *cap. 1. de profes. q.39.* Anton. à Spir. San. *tr.3. disp.1. num.4. & 79.* Coton. *lib.4. contr.1.* Brancatus *in 4. disp. 30. a.3. §.4.* Palaus *tr.16. disp.2. puncto primo.*

14. Minimè tamen hoc probatur ex *cap. ad Apostolicum de regularibus*, vbi nec habentur verba illa relata à Suarez, scilicet, *Si vtraque pars renunciet iuri suo, & conuersus professionem emittat &c.* Sed verba illius textus sunt *Vterque renunciare videtur ei, quod pro se noscitur introductum, ideoque obligatur per professionem emissam &c.* Textus verò ille expresse loquitur, de eo qui ante expletum probationis annum Abbate consentiente, & acceptante professionem emittit, & determinat professionem validam, quia vterque censetur renunciare anno probationis, qui in fauorem tam Religiosi, quam Religionis est introductus. Ideò ibi nihil de hac traditione sui, vel traditione, quæ fit per professionem asseritur, sed est sermo de renunciatione beneficij anni probationis.

15. Quæ verò ex Constit. Greg. 13. Ascendente domino adducuntur, rem confirmant, cum enim de Religiosis Societatis, qui vota simplicia biennij emittunt, dicat, *quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant.* Hoc multo magis est verum de professione illa solemni, per quam Religiosus se dedicat irreuocabiliter, & se priuat solemniter dominio propriæ voluntatis, & transfundit illum in Religionem.

16. Ratio etiam conuincit, non esse professionem sine traditione profitentis, quod ab effectu probatur, quia quempiam voluntarie priuare se ipsum libertate sua, & dominio rerum non solum, sed etiam libero vsu non tantum sui corporis, sed omnium rerum, non fit sine traditione per quam ipse donet, det, tradat se ipsum alteri, & in illum dominium sui transfundat. At verò in professione Religiosus priuat se sui dominio, sua libertate, & libero vsu nedum sui corporis, sed etiam suæ libertatis, & hoc dominium transfert in Religionem, vnde professus non habet amplius nec velle, nec nolle, vt tradunt Basil. *regula 14. & in Const. Monast. cap. 22.* Chris. *Epist.6. ad Thod. Monachum* Hier. *Epist. 4.* ad Rusticum Mon. Greg. *lib. 1.* Regum *cap. 33. & refertur 17. q. 1.* Sta. Bened. *in reg. cap. 58.* Cassian. *l.2. de instit. renunc. cap. 3.* S. Ber. *ser. 19. in Cant.* D. T. supra *q. 88. a.8. ad tertium & opusc. 18. cap. 8.* D. Bonau. *lib. de infor. Nouit. cap. 2. & lib. de process. Relig. cap.28. & in spec. disciplin. 1. p. cap.4. & communiter* Theolog. & Canonistæ igitur, qui profitetur tradit se ipsum de præsenti, sicut qui actu donat, vel vendit tradit id quod in effectu donat, & vendit.

17. Ideò ex hac translatione dominij per,

quam facit, qui profitetur, Prælatum Regularem in quem Religiosi dominium transfertur posse religiosi vota irritare tradit *Caiet. supra q. 88.* Ex eadem causa proficiscitur etiam, vt Religiosus professus solemniter sit incapax dominij alicuius rei, & quidquid acquirit, acquirat Monasterio, quia Religiosus in professione solemni se totum tradit Religioni, vnde in hoc Religiosus assimilatur seruo, vt notat Nauar. *tom. 2. de regular. n. 9. 33. & 42.* quia sicut seruus acquirit domino, sic Religiosus professus acquirit Monasterio, & proprietatem, & vsumfructum, quia totum se ipsum Religioni tradidit, vnde est dominij incapax, vt probatum est *supra q. 186. a. 7. insp. 3. à num. 53.* Inde quoq; oritur potestas illa dominatiua, quam habent nedum Prælati Regulares habentes iurisdictionem Ecclesiasticam propriè sumptam, in Religiosos subditos, sed quam habent moniales incapaces iurisdictionis, per quam possunt inobedientes corrigere, & ad obediendum compellere. Totum enim hoc oritur ex eo, quod Religiosus se, & dominium sui tradit Superiori.

18. Dicitur tamen nihilominus secundò, quod traditio illa, qua is, qui profitetur tradit se ipsum religioni non est ex aliquo contractu mutuo, aut reciproco, vltro citroque obligatorio, sed ex libera voluntaria oblatione, & donatione, qua se Deo offert, donat, & consecrat in Dei obsequiū. Prima huius assertionis pars negans professionē esse contractum reciprocum vltro citroque obligatorium, probatur, quia hoc non potest intelligi sine simonia. Nam contractus reciprocus vltro citroque obligatorius consistit in pacto mutuo in quo pro re data, & accepta contrahentes se obligant, dantes, vt illis retribuatur æquale. At verò id quod in professione datur, & recipitur, vel est spirituale, vel temporale. Quod enim dat, qui profitetur essentialiter formaliter est spirituale, quia dat se ipsum vt est ea fide Iesu Christi idoneus, vt Deo vniatur in perfectissima charitate, vnde & dat se, & suas vires, & voluntatem ad huius perfectæ charitatis consecutionem. Et licet persona, & actus personæ materialiter sint temporales res, & etiam in ordine ad temporalia pretio æstimabiles, tamen persona humana vt libera est libertate supernaturaliter eleuata ad Dei amicitiam, & fruitionem obtinendam, & sic ad operandum supernaturaliter, & ex virtutibus supernaturalibus, & ad finem supernaturalem, est res supernaturalis, & supra omne pretium, & minimè pro pretio alienabilis. Et sub hac ratione homo in professione se Deo, & Religioni dat. Si ergo dat ex pacto, vt sibi retribuantur alimenta; iam dat spirituale pro temporali ex pacto, quod est simonia. Sed si etiam dat se ipsum ex pacto quod sibi retribuatur spiritualis directio, vel aliquid spirituale, iam non vitat illum modum simoniæ, qui consistit in commutatione spiritualis cum spirituali ex pacto. Hoc enim non fieri sine simonia tenent quamplures, quos retuli, & sequutus sum *tract. de elect. cap. 7.* & in hoc opere *supra q. 186. a. 6. n. 21.* & manifestum est, quod ius in spiritualibus reijcit omne pactum vt patet *cap. fin. de pactis. & cap. Quæsitum de rerum permutatione.* Et de se, vel primo aspectu indecens apparet asserere, quod is, qui profitetur, in professione se vendat, vel religionem emat, aut negotiando commutet.

19. Sed ex natura ipsa professionis religiosæ hoc idem probatur aduertendo, quod profitens tradit se Religioni simpliciter intuitu commodi proprij, nimirum intuitu propriæ perfectionis, & salutis acquirendæ. Et licet bonum priuatum ordinetur in bonum vniuersale, hoc est remotè, in Religioso, & consecutiuè ad professionem ex qua fit membrum Religionis, cum tamen finis profitentis principalis sit propria spiritualis perfectio, & salus acquirenda media vnione sui, & incorporatione ad Religionem. Vndè & ordo sui ad Religionem, vt ad totum est in ipso supposita indemnitate propriæ perfectionis, & salutis, ob quam ille Religionem ingreditur, & ad quem finem Religio illum recipit. Vndè nihil Religiosus intendit principaliter, & primo à Religione recipere, nec dat vt recipiat, sed dat vt in perpetuum det, quia dat personam in perpetuum obsequium Religionis, & Dei. Et licet petat admitti ad consortiū religiosum, hoc non petit vt finē, sed vt mediū, & id nō petit vt recipiat, sed vt eo mediāte possit ipse dare, & obsequiū religiosū præstare. Quod verò ex hoc Religio teneatur ad Religiosi alimenta non est ex vi alicuius pacti, aut contractus, sed ex vi institutionis Cœnobiticæ vitæ, & quia bona Monasteriorum instituta sunt, & ordinata in manutentionem Religiosorum, qui se Deo donant in obsequium. Et indignissimum esset, quod Religiosus se daret Religioni principaliter, & ex pacto, vt ab ea aleretur, & quod Religio daret alimenta, vt pretium conuersionis in Deum.

20. Hinc colligitur secunda pars assertionis scilicet, quod traditio per quam qui profitetur se tradit Deo est traditio liberalis. Deza Hispalen. *4. d. 38. not. 4.* hanc traditionem vocat donationem, quia verè non est traditio ex oneroso pacto, magis tamen propriè loquendo dicitur quod est religiosa oblatio, & propterea ex S. Greg. *hom. 20. in Ezech.* S. Thomas *supra q. 186. a. 1.* professionem ait esse quasi holocaustum, quia Religiosus in professione totum se ipsum Deo immolat. Et sic traditio qua Religiosus se tradit Deo, & Religioni est sacra oblatio, & sacrificiū pingue, & medullatum holocaustum per quod sponte, & ex charitatis non mercenariæ libertate, qui profitetur, totum se Deo consecrat, mancipat, & imolat. Vndè etiam colligitur, qualiter sit necesse, quod professio accipiatur. Nam professio essentialiter consistens in voto acceptatur à Deo, qui etiam illam inspirat, & donat. Nec indiget acceptari ab homine, quia totum fit Deo, & tenet statim, quod ab eo acceptatur. Professio tamen quantum ad materiale connotatum, quod est donatio, & promissio facta Religioni, indiget acceptari, non quia professio sit cōtractus, sed quia donatio, & promissio nō obligat nisi sit acceptata. Colligitur tertiò, quod professio consecutiuè cōtinet mutuam obligationem. Nam licet donatio per se non sit contractus obligatorius, & ideò Religiosus se donans Religioni per se immediatè non obliget Religionem ex cōuentione, vel pacto, tamen Religio ex hoc manet obligata ad alimentum Religiosi, & ad admittendum illum ad participationem bonorum communium, & hoc fine

quis

quis dicere voluerit Religiosum donare se, sub hoc modo, & onere; sivè (& hoc melius dicitur) Quia ex virtutis Religionis vi, & cõnaturali institutione Cœnobiticæ, aut cõmunis vitæ Religiosi, ad bona communia admittuntur participanda, non ex pacto, sed ex natura huius Religiosi status, vnde Prælatus non posset admittere alicuius professionem cum pacto, vt ille non esset Religionis membrum; & nullum haberet ius religiosum ad ea, quæ sunt communitatis.

21. Colligitur tandem longe esse alienum à veritate, & dignitate professionis illam diffinire, quod sit sacer contractus, quia ipsa essentialiter non est nisi votum, seu oblatio sacra, seu sacrificium, & holocaustum Deo oblatum; materialiter etiã nõ est nisi religiosa oblatio, donatio, & promissio, & tam formaliter, quam materialiter est actus Religionis, non verò iustitiæ, aut liberalitatis, prout probatum est supra q. 186. a. 6. Et ita pro hac parte bene dixerunt DD. communiter quod professio est votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ emissum scilicet in Religione, & communitate approbata à Sede Apostolica. Per quod explicatur, quod professio est votum per quod firmatur, & contrahitur traditio, & promissio per quam Religiosus se tradit Religioni promittens illi vitam Religiosam.

22. Dicitur verò votum in singulari, quia ad solemnem professionem, etiam expressam, non est necesse, quod exprimatur, nisi votum obedientiæ. Quamuis enim votum obediẽtiæ per se præcisè ex vi sua non obliget ad castitatem, & paupertatem, tamen vbi materia huius voti est vita regularis secundum regulam, & formam approbatam à Sede Apostolica, quia hæc petit castitatem, & paupertatem seruari ex voto, ideò votum obediendi secundum huiusmodi regulam continet votum castitatis, & paupertatis, prout docuerunt. Innoc. *in cap. consuluit in fin.* & ib. Io. Ande. Card. & Anchar., *num.* 2. Qui Clerici vel vouentis. Card. *in Clem.* 1. & ibi Im. *num.* 7. *de relig. domibus.* Idem Card. *in Clem.* 2. & ibi Vital. *de regul.* Lapus *all.* 139. *num.* 9. & 12. Butr. *in cap. porrectum*, & ibi Hostien. & Abbas *cap.* 3. *nu.* 16. *notab. num.* 9. *de Regul. Specul. de stat. Monach. q.* 42. *cap. vltimo.* *Rota decis.* 216. *num.* 10. *p.* 2. *diuers.*

23. Dicitur tertiò, quod de ratione professionis non est alia traditio, quam illa; quam secum fert commissio vitæ regularis, hoc tamen aduertendo, quod de ratione professionis duplex promissio est, alia scilicet, quæ fit Deo per votum, & alia quæ fit Religioni. Vt enim habet D.T. supra *q.* 88. *a.* 5. *ad tertium*, & ibi Caiet. & 1.2. *opusc. tr.* 11. *q.* 3. Soto *l.* 7. *de Iust. q.* 2. *a.* 3. *ad tertium*. Nauar. *cons.* 8. *de voto.* Medina *l.* 5. *de continent. cap.* 27. in professione adest humanus quas cõtractus, & promissio per quam profitens promittit Religioni vitam regularem, & obedientiam secundum regulam, hæc verò promissio essentialiter est traditio, per quam Religiosus se tradit Religioni.

24. Considerandum est enim secundò, quod non omnis donatio traditione perfecta est solum de re præsenti, vt nõ sit simul promissio, nec omnis promissio est solum de re in futurum, vt sit sola promissio, & nullo modo traditio. In re enim donabili consideratur res ipsa, & vsus rei, qui quidem in motu successiuo consistit. Sed quãdo donatur res cuius vsus essentialiter depẽdet à libertate donantis, quin imò actus ipsi liberæ personæ donatæ simul cum persona donentur, huiusmodi donatio, simul est donatio de præsenti, & sic est traditio, & simul est donatio rei futuræ, & sic est promissio. Duo enim hic dantur liberaliter, & vnico actu voluntatis scilicet persona, & personæ vsus. Illa est res præsens, & ideò de præsenti donatur, & traditur, sed vsus est res futura, quæ promittitur. Actus verò, qui respicit plura præsentia, & futura, potest simul esse donatio, & promissio. Nam donatur de præsenti, & traditur persona, quæ est res permanens, & quæ Deo, & Religioni se tradit in seruam Religiosam, & sui dominium transfert in Religionem, sed personæ vsus, qui consistit in motu successiuo, seu actuum successione, quantum ad initium motus traditur, sed quantum ad longam successionem annorum vitæ promittitur. Et præcipuum quod hic consideratur est vsus successiuus, quia traditur persona in obsequium Dei, & quia ius vtendi persona ad Dei obsequium à libertate personæ donatæ dependet, ideò huiusmodi traditio necessario simul est obligatio ad futura. Et verè cum persona non donetur, nisi ad vsum alicuius obsequij, vel actus, implicat hanc donationem esse totam de re præsenti, sed simul est promissio futuro.

25. Sic ergo professio est promissio, quod simul est duplex traditio, quia qui profitetur se tradit Religioni veluti in seruum, & Deo in holocaustum. Sed traditio, & promissio non sunt duo actus realiter distincti, vt voluit Pontius, sed necessario votum obedientiæ; quod ad statum Religionis Cœnobiticæ spectat, continet duplicem traditionem, quia obedientia ista quæ est veluti filij ad patrem, aut serui ad dominum, vnde illius promissio est holocaustum per quod homo totum se Deo sacrificat, continet necessario incorporationem vouentis, per quam media sui traditione incorporetur Religioni, secundũ cuius regulam obedientiam promittit, vt sic qui vouet hanc obediẽtiam se Religioni, & Deo tradat. Sed nec propriè hic traditio, & promissio sunt plures actus formaliter, & specificè, vt voluit Coroninus, quia non respiciunt plura obiecta adæquata, sed vnum & idẽ, quod sub eodem motiuo partim traditur, partim promittitur, & sic traditio, & promissio sunt eiusdem actus inadæquatæ rationes. Sed tamen duæ traditiones, & promissiones, quæ hic interueniunt possunt nedum esse actus distincti realiter, sed sunt semper actus ad minus specie distincti, cum vnus sit promissio facta homini, & alius sit promissio facta Deo; & promissio facta homini fit materia consecrata per promissionem factam Deo. Est ergo in professione duplex promissio, & simul duplex traditio.

26. Quia qui profitetur Deo, & religioni se tradit, & obedientiam promittit. Putat verò Petrus de Ledesma *de matrim. q.* 51. *a.* 2. *ad sextum.* quod professio sit traditio causaliter, & antecedenter. Et videtur ita esse, quia professio est votum, quod essentialiter est promissio, quæ opponitur traditioni. Verum non ita dicendum est, quia professio in recto, & essentialiter est traditio, nec

nec promissio, & traditio ita se opponunt, quin conuenire possint in identitate vnius actus diuersa subordinata obiecta sub vna adæquata ratione respicientis. Nam imò omnis promissio essentialiter est aliqua traditio, quia qui promittit de præsenti se obligat, & tradit, & donat voluntatem suam. Cum vero persona promittit obsequia sua dana se ipsam in alterius obsequium, hæc promissio essentialiter est traditio personæ, & promissio obsequiorum. Cum ergo promissioni non repugnet, imò essentialiter conueniat, vt simul sit aliqua traditio, sic neque hoc repugnat voto. Et imò de mente DD. quos retuli *num.* 13. dicitur quod votum solemne hoc petit, vt sit traditio personæ. Et sic votum solemne est promissio à traditione incipiens. Quod si quis obijciat, & dicat, quod si hoc est verum, professio potius dicenda est donatio, seu traditio, quam promissio, cum persona ipsa sit res præcipua, quæ est quid permanens, quod de præsenti donatur. Respondetur, & negatur consequentia, quia datur persona non vt est quid materiale permanens, sed vt est operans, & in ordine ad operationem, & quatenus persona ipsa est propter se ipsam operantem; sub hac verò ratione persona non est res permanens, sed successiua, & habens esse in futuri successione, & ideò simpliciter est obiectum promissionis, & huius personæ oblatio simpliciter est promissio, quæ tamen dici potest, & debet traditio personæ in obsequium Religiosum. Sed hæc traditio simpliciter est promissio, & secundum quid traditio.

27. Et hoc est quod voluerunt Doctores citati supra *num.* 13. qui vt Suarez ipse fatetur *nu.* 26. nihil distinguere videntur inter traditionem, & votum solemne. Verum enim hoc est, & merito Theologi illi non distinxerunt, quia de ratione professionis non est alia traditio, nisi quam secum fert ipsum votum solemne, cuius materia, vt docet D. T. loco citato *q.* 88. *a.* 5. *ad tertium* est promissio ipsa quam facit Religiosus, & quam votum firmat, & sanctam facit, & consecrat; ideò votum solemne continet in sui ratione traditionem per quam Religiosus se tradit Religioni. Et licet votum non sit traditio facta Religioni, quia votum est promissio facta Deo, tamen & votum essentialiter est traditio per quam religiosus quantum sit ex parte sui speciali modo se tradit Deo, & in sui ratione claudit traditionem per quam religiosus se tradit religioni, nec potest intelligi, vt sit votum Religiosum professum constituens, nisi vt habet pro materia promissionem illam, quæ est traditio per quam Religiosus se tradit Religioni.

28. Quod aperte probant verba relata ex *Const.* Greg. 13. *Ascendente Domino. Quippe qui per ea se societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant.* Vota enim profitentem in sui ratione duplicem illam promissionem continent, & hoc per se, & quatenus habent vim constituendi aliquem religiosum. Et nedum huiusmodi vota Dei seruitio mancipiant, sed Religioni dedicant, & tradunt, quia hanc dedicationem secum ferunt, & firmant, & consecrant.

29. Hoc idem probant verba D. T. 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 3. *Sicut seruitutem alicui pollicitus se se ei in seruum daret, sic facit, qui se in præsenti dat Deo, diuinis se seruitijs mancipando.* Ex his enim primo habetur quod promissio seruitutis, est traditio personæ ad seruiendum. Et licet quis possit promittere se seruire alicui in aliquo particulari, absque eo, quod se in seruum tradat; si tamen quis de præsenti promittat propriam, & rigorosam seruitutem alicui, vt incipiendam à puncto promissionis, & quæ seruitus consistit in hoc, quod homo non sit sui iuris, sed iuris domini, ex vi talis promissionis se in seruum tradit, quia se in seruum tradere non est nisi velle non esse sui iuris, sed iuris domini, promittere verò seruitutem est velle in facto in cursu vitæ futuro non esse sui iuris, sed iuris illius, cui promittitur seruitus. Et sic si hæc promissio acceptetur est vera sui iuris donatio, si fiat ex liberalitate, vel conditio, si fiat pro pretio. Et quia ex vi voti professionis religiosus Deo, & Religioni promittit religiosam seruitutem, ideò ex vi talis voti se tradit in religiosum seruum. Prout citati Theologi dixerunt. Quod vt melius explicetur.

30. Dicitur quartò Religiosum ex vi voti professionis tradere se Religioni non in seruum propriè dictum, nec tamen in solum filium, sed partim in seruum partim in filium, simpliciter verò in filium religiosum. Ita tenet Suarez *num.* 19. Et explicatur prima pars asserti ex eo, quia plura discrimina sunt inter seruum, & Religiosum. Nam primo quia seruitus mãcipij est vilissima, & coacta, & in pœnã grauissimã introducta, & naturali hominis dignitati repugnans. Sed seruitus religiosa nobilissima est, & voluntaria, in quam, & nobilissimi Principes, & Reges se se dederunt, vnde naturalem hominis dignitatem extollit. Et dum Religiosus nobilitati mundanæ renunciat, acquirit maiorem spiritualem dignitatem super mundanam per quam fit Ciuis Religionis, quæ est Hierusalem spiritualis, & seruitute familiarissima Dei nobilitatur.

31. Secundò differunt, quia mancipium potest à Domino distrahi, & vendi alteri, seu donari. Vndè & Religio ipsa habens mancipia illos potest seruatis seruandis vendere; sed non potest vendere religiosum, nec illud alienare. Sed nec illum manumittere potest ex quo apparet religionis vinculum esse strictius quam vinculum seruitutis, cum religiosus non possit manumitti, & libertate donari. Tertiò alia ex parte seruus non potest mutare Dominum, etiam si speret se meliùs habiturum apud eum. Sed religiosus potest de vna ad aliam arctiorẽ religionem transire, in qua vberiorem fructum spiritualem speret. Quartò seruitus ordinatur in bonum domini, & ideò ignobilissima est, & conditio pœnalis, vt qui est sui dominus, in bonum alterius alteri subijciatur, vt habetur ex D. T. *p.* 1. *q.* 96. *a.* 4. Sed seruitus religiosa in bonum Religiosi ordinatur, & licet ordinetur in bonum commune Religionis, hoc non fit, nisi in medio bono proprio eiusdem Religiosi, ideò Prælatus non potest exigere à Religioso id, quod sit contra bonum spirituale illius, Proximus enim finis seruitutis Religiosæ est bonum, & perfectio Religiosi, primarius verò est gloria Dei, & postea etiam commune bonum religionis, sed vt integrandum ex bono spirituali religiosorum. Quintò hæc subiectio est subiectio ad Deũ, cui seruire est regnare, ideò nec pœna est, nec iure potest

esse

esse coacta, quia immò in hoc consistit summa creaturæ rationalis perfectio, nobilitas, & libertas, vt Deo seruiat, & ei sit plenè subiecta, cum subijci Deo non sit nisi Dei perfectiones participare, & vt habet Paulus 1. Cor. XV. *Deus subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*. Subiectio igitur religiosa nō est seruitus propriè.

32. Sed neque tamen est pura filiatio adoptiua, quia filius potest habere proprium, & esse dominum rerum temporalium, sed religiosus in hoc assimilatur seruo, qui est incapax dominij. Nihil enim sibi acquirit, & immò nec habet alicuius liberum vsum, sed nudum vsum facti dependentem à voluntate superioris. Et hoc ideo est, quia Religiosus promittit paupertatem Euangelicam, quæ est de substantia religiosi status.

33. Ideò hæc religiosi subiectio est seruitus filialis, quia non excludit filiationem adoptiuam. Sicut enim iusti Dei sunt serui, & filij adoptiui, nec vna ratio aliam tollit, aut impedit, sed iustus seruus est quia subijcitur, & obedire tenetur, & exequi iussa Dei; sed filius est, tum quia iussa non ex seruili timore, sed ex filiali amore implet. Tum quia per gratiam factus consors diuinæ naturæ habet ius ad bona paterna, & est æternæ vitæ hæres. Ita Religiosus quia subijcitur, serui quandam similitudinem habet, sed quia non vi, sed spontè ex amore subijcitur, filius est, & quia tota hæc subiectio ordinatur ad perficiendam adoptionem filiationis, qua iusti sunt filij Dei. Ideò Religiosus simpliciter potius se tradit in filium, quam in seruum. Et magis propriè dici debet, quod Religiosus tradit se in holocaustum Deo gratissimum, & sic est Dei victima in Deo obsequium consecrata.

34. Dicitur verò quinto, quod hæc traditio etiam in quantum fit homini est simpliciter ex obiecto religiosa, licet immediatè fiat homini. Hæc enim traditio immediatè fit homini, quia fit per promissionem per quam religiosus contrahens cum religione promittit illi vitam regularem, & vi huius promissionis se tradit in filium religiosum. Et hoc apparet ex diuersis formis emittendi professionem. Sed nihilominus hæc promissio, & traditio etiam independenter à voto est prorsus religiosa. Tum ex obiecto, quia est obligatio, & promissio eorum, quæ spectant ad Dei cultum, & vt dixit Greg. 13. in Constit. circa, religiosi per vota se mancipiant diuino seruitio, vnde hæc promissio fit Religioni, sed ad seruiendum Deo, ideoque ad seruitium. Tum ex fine profitentium, qui ad profitendum mouentur proximè, vt Deo seruiant, & Deum colant. Ideoq; hanc promissionē, & traditionē esse actū elicitū à virtute Religionis tradit Suar. n. 16. obedire enim homini est res de se indifferens, & ideò promissio obediētiæ facta homini res est de se indifferēs, sed obedire in ijs quæ spectant ad Dei cultum est res religiosa, tum materialiter, tum formaliter, cum fiat intuitu diuini cultus, & obsequij. Multo magis postea hæc promissio, & traditio fit Religiosa ex voto, per quod illa sanctificatur, & consecratur Deo.

35. Hinc colligitur quis sit effectus formalis huius traditionis. Dicit verò Suarez num. 18. quod eius formalis effectus est religiosum esse traditum religioni, sed in idem coincidit dicere, quod est à Religioso esse promissam obedientiam, seu vitam regularem. Hic enim effectus formalis prout respicit materiam obligationes est illam esse promissam, quia in hoc religiosus se tradit religioni, quia vitam religiosam promittit sub gubernio regularium. Sed si hic effectus formalis consideretur ratione eius, quod est de præsenti est religiosum esse actu traditum religioni ex vi illius promissionis, & ex consequenti est religiosum non esse sui iuris, & esse subiectum Religioni, & obligatum ad vitam regularem. Adæquatè vero est religiosum esse in holocaustum religiosum Deo oblatum per traditionem sui Religioni, & promissionem vitæ regularis.

36. Sequitur vlterius, quod resultat in Prælatis Religionis ius, & potestas, quæ non est iurisdictionis, sed est veluti patria potestas, seu potestas dominatiua, per quam superiores Religionis habent ius corrigendi, & præcipiendi suis subditis Religiosis, quæ potestas sine imperfectione continet aliquid de potestate domini in seruos, sed simpliciter potius assimilatur potestati paternæ, & quamuis quia consurgit veluti ex pacto, ex hoc assimiletur dominio seruitutis, tamen quia liberè conceditur ad finem virtutis, & intuitu perficiendæ adoptionis filiationis Dei, simpliciter potius est paterna potestas, quam dominium.

77. Dicitur sextò, quod vota substantialia nedum sunt de substantia professionis religiosæ, sed in illis solis consistit formaliter, & essentialiter substantia professionis Religiosæ. Vota substantialia esse de substantia professionis Religiosæ cōmunis est sententia, & ex hoc conuincitur, quod sunt de substantia status religiosi, vt supra probatum est. Sed quod in recto pertineant ad professionem, seu quod vouere sit formaliter profiteri, probatur quia in eo consistit formaliter professio religiosa, quod est assumptio religiosi status, seu per quod constituitur religiosus in eo quod fit religiosus; nam profiteri est assumere religiosum statum, & fieri religiosum. At verò cum sine votis, vt supra ex D. Thoma, & commun Theologorum sententia, non consistat religiosus status, quia ex votis habetur illa immobilitas, quæ ad rationem status religiosi est necessaria, ideò per votorum emissionem acquiritur status religiosus, & fit aliquis religiosus. Et per quodlibet pactum, & per quamlibet traditionem, & donationem per quam quis se tradat Religioni ad vitam regularē non constituitur in statu, quia pactum humanum non sufficit ad constituendum statum immobilem vt supra etiam probatum est, & constat non sufficere ad statum religiosum, certum igitur esse debet, quod emissio votorum pertinet ad substantiā professionis tanquam id, quod est professio, quia talis emissio est assumptio status religiosi, quæ sit professio.

38. Quod verò sola emissio votorum sit professio, probatur quia quod se tenet ex parte rei assumptæ, & professæ, non est assumptio, & professio, sed & res assumpta, & professa; Modo sic res se habet, vt docet D. T. supra *q. 88. a. 5. ad* 3. quod traditio facta religioni est rei assumptio, & professio. Sic enim habet ibi D. T. *Dicendum quod non soli Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini*

mini

mini. Et ipsa promissio boni, qua fit homini, potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid sanctis, vel prælatis; vt ipsa promissio facta Sanctis, vel prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod Sanctis, vel prælatis promisit. In professione igitur Religiosa promissio, seu traditio facta Religioni est res Deo promissa, & per vouentem assumpta, & professa, & quæ constituitur in ratione status ex vi voti igitur non potest pertinere ad professionem, vt de essentia professionis, sed vt materia promissa per profitentem, & quæ ex vi voti emissi à promittente habet rationem status immobilis, & firmi, quantum ad statũ Religiosum spectat, & est necesse. Vnde est, quod huiusmodi traditio est de ratione professionis, non tanquam illius prædicatum essentiale, sed vt extrinsecum connotatum, nimirum vt materia voti & obiectum.

39. Hinc verò soluitur facillime illud, quod habet Suarez *num.26.* quia scilicet possunt esse vota sine traditione, in quo casu non faciunt Religiosum propriè dictum, vt si nouitius promittat paupertatem, castitatem, & obedientiam ante expletum annum probationis ex sui deuotione. Vnde videtur, quod in sola emissione votorum possit consistere religio. Respondetur enim quod argumentum probat ad professionem requiri traditionem, quod admittitur, quia imo hæc est materia proxima voti professionis, vt ex *D. T.* constat. Vnde etiam verum est, quod non omne votum paupertatis, & castitatis, & obedientiæ est votum Religiosum, sed illud solum est votum religiosum, & est professio quod consecrat promissionem traditionem, & conuentionem legitimè factam iuxta præscriptum Sacrorum Canonum, & Constitut. Apostolicas, per quam quia conuenit cum Religione de paupertate, castitate, & obedientia seruanda. Et quia ante annum probationis expletum nouitius non potest se tradere Religioni, nec cum ea pacisci pro perpetua vita regulari, ideò vota eius nedum sunt vota simplicia, sed non sunt vota religiosa simpliciter, nec constituunt religiosum simpliciter; ideò etiam nouitij sic vouentes Deo vouent, sed per illa vouens non se tradit religioni, & homini non promittit, quia hoc est illi interdictũ, vnde est quod contrafacientes peccant in Deum, sed non peccant in religionem nisi pro quanto non dant religioni, quod Deo promiserunt. Sed licet ad professionem requiratur humana promissio, & traditio, nam hæc requiritur nõ vt ipsa sit professio, vel de essentia professionis, nisi vt obiectum, & materia extrinseca illius, quod est esse de eius ratione, non de eius essentia, sed essentia professionis tota consistit in emissione votorum habentium pro materia proxima promissionem per quam religiosus se tradit religioni.

40. Inde quoque colligitur non rectè dici, quod professio coalescat ex traditione, & voto, quasi traditio sit pars professionis, vel ei intrinseca, & essentialis propriè loquendo; sed professio supponit traditionem, & illam sanctificat, & confirmat. Professio igitur est solemne votum, per quod religiosus se Deo in holocaustum immolat tradens se in religiosum filium, & seruum, & & promittens vitam regularem vsque ad mortem.

S V M M A R I V M.

1 *Ordo doctrinæ. num.41.*
2 *Ad professionem necessaria libertas. nu.42.*
3 Non *sufficit libertas indeliberata, qua excusat à mortali. nu.43.*
4 *Ex iure positiuo necessaria maior libertas. num. 44.*
5 *Quoad etatem malitia illam non supplet. num.45.*
6 *Cap. In Insulis sublatum. num.46.*
7 Non *tamen statuta particularia Religionum. num.46.*
8 Quid *de pueris iure antiquo oblatis. numero 47.*
9 *Annus probationis necessarius. num.48.*
10 Libertas *necessaria ex parte Conuentus. numero 49.*
11 *Quæstiones examinandæ. num.50.*
12 *Metus grauis irritat professionem. numero 50. & 51.*
13 *Non verò leuis. nu.52.*
14 *Quis metus grauis. nu.52.*
15 *Quæ inducant metum grauem. nu.53.*
16 *Necesse quod malum immineat de proximo. num.54.*
17 *Nec possit de facili vitari. nu.54.*
18 *Metus dicitur grauis etiam ex parte subiecti. num.55.*
19 *Sufficit si immineat malum coniunctis, & amicissimis. nu.56.*
20 *Et sufficit si quis minetur malum. 57.*
21 *Differentia constantis ab in constante. n.58.*
22 *Non irritat metus incussus à causa naturali. num.59.*
23 Nec *metus non incussus ad extorquendam professionem. nu.60.*
24 *Quid vbi intentio incutientis timorem sit dubia. num.61.*
25 *Timor concommitans non irritat. n.62.*
26 Nec *timor iuste incussus. nu.63.*
27 *An timor ex lege naturæ irritet professionem. num.64.*
28 *Timor ex lege positiua irritat. nu.65.*
39 *Necessitas vnici medij contingenter adueniens non repugnant libertati. nu.66.*
30 *Lex irritans professionem ex timore sinè morabilis. num.67.*
31 *Actus nullus de iure dupliciter, vel quia ipso iure irritandus, vel quia ipso facto irritus. num.68.*
32 *An professio metu concta sit irrita ope exceptionis, vel potius ipso facto. num.69.*
33 Timor *leuis non irritat. nu.70.*
34 *Etiam si sit ex parte timentis magnus. numero 71.*
35 *Metus reuerentialis non irritat. n.72.*
36 *Vix dari potest casus in quo imperium Principis inferat nudum metum reuerentialem. numero 72.*

Nec

37 *Nec etiam professionem tacitam.* nu.73.
38 *Metus mixtus irritat.* nu.74.
39 *Metus mixtus est, si debet adiunctas minas implicite.* nu.75.
40 *Sæpe metus reuerentialis irritat.* num.75.
41 *Timor reuerentialis ad quos sit.* num.76.
42 *Plures confundunt timorem reuerentiæ, cum timore nocumenti.* nu.77.
43 *Preces quia importunæ non irritant.* numero 78.
44 *Quid dicendum in dubio metus.* numero 79. *&* 80.
45 *Metus ex parte recipientium professionem non irritat professionem.* nu.81.82.83.
46 *Professio ficte acceptata est in externo foro valida.* nu.84.
47 *Nec professus, nisi hoc probet, potest recedere.* numero 84.

Ad professionis valorem necessarius est consensus perfectè liber.

INSPECTIO III.

41. MVlta ad valorem professionis sunt necessaria, tum ex parte profitentis, tum ex parte admittentium, tum ex forma ipsa, & natura professionis spectata, vel ratione materiæ suæ, vel ratione sui ipsius, quatenus est votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Ex his verò ad validam professionem requisitis primum locum damus libertati, ex qua professio habet, vt sit actus humanus, & possit esse meritoria.

42. Est enim certum primo ad validam professionem esse necessarium consensum profitentis, sine quo homo non se obligat ad ea, quæ alias sunt indifferentia, & in sua potestate posita. Vnde cum profitens se obliget ad vitam Regularem, & tria vota, necesse est quod in hanc obligationem consentiat, & ex intentione, & voluntate se obligandi promittat. Nam nec est vera promissio sine voluntate se obligandi ad implendum promissum. Hunc verò consensum debere esse liberum, prout tradidit supra D.T. in hac q.189.a.5. Et cum eo DD. omnes, & Colligitur *ex cap. vnde regularibus*, ibi, *Nullus tondeatur nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate &* c.4. *Viduæ si sponte velum conuersationis &c.* Et ratio est euidens tum quia omnis moralis contractus est actus humanus, ideoque liber, & deliberatus. Tum quia votum est actio humana personalis, quæ fieri non potest sine voluntatis libero consensu. Tum quia Religio quæ ordinatur ad perfectionem est congregatio hominum ratione vtentium, ideoque libertate pollentium, vnde in eam non admittitur nisi libere veniens.

43. Certum verò est secundò ad professionem non sufficere eam imperfectam libertatem, quæ in motibus secundò primis, sed non plene deliberatis reperitur, & quæ non sufficit ad hoc, vt actus malus sit peccatum mortale, quia neque hæc imperfecta libertas sufficit ad votum.

44. Cum verò ex natura rei ad vouendum, ideoque, & ad profitendum sit sufficiens libertas, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, ex iure tamen positiuo maior requiritur, & perfectior deliberatio, quia non sufficit illa, quæ inuenitur in pubere, sed necesse est ad profitendum, vt quis excesserit pubertatem, vt habetur *c. firma* 20 *q.* 1. *& cap. in præsentia de probat.* ex *cap. ad nostram, & cap. significatum, & cap.* 1. cum Gloss. *de regularibus.* Olim verò hæc ætas erat post completum annum 14. vt dicta iura declarant, quam ætatem Clem.3. *in cap. cum virum*, & Cælest. 3. *in cap. sumus de regular.* vocauit ætatem discretionis. Sed modo ex decreto Concil. Trident *sess.* 25. *cap.*15. *de regularibus* Ætas hæc ad profitendum necessaria est, quæ sequitur ad 16. annum completum. Cum enim talis sit conditio regularis vitæ, vt tanto fructuosior inueniatur quantum cum maiori deliberatione, & firmiori voluntate assumitur tanto verò fit periculosior, si aliter assumatur, iure merito iura in professuro requirunt perfectum statum deliberandi, & exigunt in professuro ætatem quæ excesserit pubertatem. Nam alias & vota impuberum tanquam infirma, & non plene deliberata à parentibus irritari possunt. Concil. verò Tridentinum adhuc voluit vt ante 16. annum expletum nullus profiteri possit, vt cum perfectiori deliberatione statum Religionis assumere valeat. Supposita tamen ætate legitima sufficit ad valorem professionis deliberatio, & libertas quæ sufficit ad peccatum mortale, neque est necessaria diuturna, & perfectissima deliberatio, & sufficit quod consensus adsit tempore professionis imò sufficit, quod tunc virtualiter adsit. Dum tamen tempore professionis, qui profitetur sit rationis compos. Nam si tunc esset amens, vel ebrius, voluntas seu etiam votum profitendi, quod præcessit, non perseueraret virtualiter in amente, vel ebrio, qui omnino humano modo nesciret, quid ageret; & ideò nulla esset tunc professio Sanchez *l.4. cap.*1. *num.* 6. *& lib.* 1. de Matr. *disp.* 8. num. 21. Bordon. *de profess. cap.* 1. *quæst.*5.

45. An autem sicut in Matrimonio, sic in professione emittenda malitia possit supplere ætatem. Affirmauit Raym. *ex cap. postulasti de regular.* vt aduertit Syl. *v. religio q.*12. quia tunc in eo *cap. erant hæc verba, nisi prudentia forte suppleuerit ætatem illis, vt transire debeant ad regulam laxiorē &c.* Quæ verba sublata postea fuerunt, vt intelligeretur etiam sublata hæc exceptio, ideò in hac parte nulla malitia, nulla prudentia defectum ætatis supplet, vt docet Gloss. in Clem. *eos de regular.* & tradunt Communiter DD. *ad d. cap. postulasti* 21. *de regular.* & patet *ex cap. ad nostram de regular.* & multo magis ex Concil. Trident. *dicto cap.*15. vbi absolute declarat irritam professionem ante annum 16. expletum emissam. Et propterea ita tenent Abb. *in d. cap. postulasti nu.*3. Syl. *v. Religio* 2. *q.*12. Suarez *tom.*3. *l.* 6. *c.*3. *n.*6. Bord. *c.*2. *q.*48. Nec valet arguere, vel ex similitudine Matrimonii quo malitia supplet ætatem regulariter necessariam, vel à similitudine peccati, vt qui potest se obligare diabolo possit etiam se obligare Deo. Præterquam quod enim in his, quæ

pecu-

pendent à iure positiuo argumentum à simili non est efficax, hic non est similitudo, quia longe strictior est obligatio Religionis, quam sit obligatio Matrimonij. Diabolus autem, vt notat Abb. in d. cap. postulasti, non quærit in nobis deliberationem, sed casum & vt nos decipiat. Sed Deus qui nulli insidiatur quærit deliberationem, & prudentiam, & cupit militem voluntarium, vt habetur ex cap. non est 20. q. 1.

46. Imò Greg. l. 1. Reg. cap. 48. prout habetur cap. quia in insulis 6. de regul. quia in insulis districtior est congregatio Monachorum, statuit vt ante 18. annum pueri non reciperentur ad professionem. Aduertit verò Abb. ibi num. 4. contra Host. hoc decretum non irritare professionem aliter factam, per argumentum verò ex identitate rationis Abb. extendit hoc decretum etiam ad Religiones Prædicatorum, & minorum, quod tamen merito improbat Syluest. v. Religio 3. q. 2. Non enim illud argumentum est efficax in odiosis, & tandem Io. Andreas, prout aduertunt Abbas num. 3. & Syluester, asseruit, quod quantum potuit inuestigare numquam inuenit, quod istud caput seruaretur in aliqua insula. Et ita decretum hoc esse consuetudine abrogatum docent Syluester loco citato Suarez d. l. 6. cap. 3. num. 8. Bordon. de prof. cap. 2. q. 49. Statuta tamen particularium Religionum requirentia maiorem ætatem, quam 16. annorum viua remanent, nec fuerunt per Concil. Trident. abrogata, cum illius mens fuerit ponere terminum excludentem minorem ætatem, non verò maiorem Sanchez lib. 5. cap. 4. Bordon. de profess. cap. 2. q. 49. Sic viget statutum Minimorum, quod in professuris requirit annum 18.

47. At verò supradictis obijci posset ex ijs, quæ de pueris sponte oblatis à parentibus decreta fuerunt ex cap. Monachum 20. q. 1. quod est Concil. Tollet. 4. can. 20. & ex cap. 4. quicumq. ead. tit. quod est Isidori, & ex cap. quem. 6. eod. tit. quod est Concil. Triburien. Ex quibus cap. habetur, quod pueri oblati à parentibus, non poterant amplius exire, ex quo colligi videtur, quod nedum in his pueris non esset necessaria pubertas ad professionem, sed imò quod nec esset necessarius eorum consensus, sed quod ex deuotione parentum oblati etiam inuiti perseuerare tenerentur vndè in d. cap. 3. dicitur, Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit, quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Et ita sensit Gratianus, & alij vt refert Gloss. cap. 1. vers. quod intra annos 20. q. 2. Quod & probare connatus fuit Basilius Pontius l. 7. de matrimon. cap. 51. à nu. 10. Sed Respondetur quod numquam aliquis inuitus fuit detentus in Monasterio, nec poterat detineri. Verum est quod Patres ante pubertatem filij illum oblatum non poterant reuocare, si vt supra q. 189. probatum est per annum consenserant, ibi permanere, sed cum filius ad pubertatem peruenerat, poterat recedere, si volebat Gloss. citata, Vasquez p. 2. disp. 165. cap. 4. Sanchez l. 4. Mor. cap. 18. num. 9. Coton. l. 4. cons. 4. cap. 2. num. 17. Sed si non recedebat libere, habebatur pro libere professo. Et circa hoc adest decretum Marcelli Papæ relatum cap. illud autem 20. q. 1. in quo hæc habemus. Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij Monasterio oblati fuerint, &c. dignum quidem duximus, vt 15. annorum prælatis maniti inquirantur, verum in ipso habitu permanere cupiant, an non &c. Quartodecimo igitur anno expleto & 15. inchoato pueri oblati interrogandi erant an vellent permanere in Monasterio, & si exire volebant, permittebantur exire, & huius optimam rationem reddit Pontifex, quia, inquit, satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur. Modo verò tam clara iura habemus per quæ professio ante 16. annum emissa est nulla, & irrita.

48. Verum ad maiorem perfectionem libertatis professionis requiritur modo etiam annus probationis integer ex præscripto Concil. Trid. dicta sess. 25. cap. 15. de regularibus, vt media experientia possit vnusquisque plenius, & prudentius deliberare an sibi sit vtile profiteri. De hoc verò probationis anno satis supra in tract. de nouitiatu loquuti sumus.

49. Sicut verò ex parte profitentis, ita ex parte Religionis admittentis ad professionem requiritur liber consensus, vt habetur clarè ex cap porrectum, & cap. ad Apostolicam de regularibus. Et ratio est, quia cum Religiosus donet se Religioni in obsequium Dei, donatio verò non valeat nisi acceptetur, sine dubio ex vtraque parte, requiritur liber consensus, prout aduerterunt Abb. in d. cap. Porrectum num. 10. Nauar. cons. 26. de regular. num. 1. Gregorius Lopez l. 7. tit. 7. p. 1. Suarez tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 3. num. 14. & reliqui omnes.

50. His verò suppositis duo videnda sunt: primum est an metus tollat libertatem necessariam ad validam professionem. Primo autem circa hoc est manifestum, quod professio facta per vim, & metum est nulla, dummodo metus sit grauis, & cadens in constantem virum. Sic enim habetur ex cap. perlatum, de his, quæ vi vel metu, & ex cap. cum dilectus eodem titulo, & docent. Gloss. fin. ad cap. 2. de his, quæ in Panor. ibi num. 11. & cap. sicut abbis num. 1. de regul. Tabien. v. votum 1. q. 1. Fagnan. ad d. cap. perlatum num. 3. & cap. nullus num. 22. de regal. Soto lib. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad secundum Nauar. comm. 4. de regular. num. 76. & cons. 9. de his, quæ vi &c. Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. capit. 4. numero 3. Sanchez libro 4. Mor. capitolo 3. numero 1 1. Palaus tract. 16. disp. 1. part. 2. §. 2. num. 1. Anton. à Spiritu Sancto tr. 3. disp. 3. sec. 1. num. 17. Lezana v. professio num. 16. Donatus p. 4. tr. 1 1. q. 21 Rota decis. 94. num. 3. p. 9. recent. Bordon. cap. 2. q. 52. quod quidem extendi etiam ad vota biennij in Societate dicendum est, quia cap. 1. de his, quæ vi satis aperte loquitur de eo, qui assumit statum Regularem, ex metu, qui verò ex metu emittit illa vota in societate assumit ex metu Religionem Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 3. cap. 6. num. 61. Palaus loco citato.

51. Quod quidem nedum intelligitur verum esse, si qui timet, fingat profiteri, & tamen non consentiat professioni, sed etiam si profitens vere, & ex animo professionem emittat, sed propter vim sibi illatam, seu propter metum grauem. In hoc enim sensu loquuntur DD. citati, aliter nihil speciale diceretur de professione facta

ex per metum. quia alias certum est nullam fi-ctam professionem, & curantem libero consensu profitentis esse validam. Sed & hoc verum est etiã si metu quis cogatur ad profitendum in aliqua Religione indefinita, quia voluntas status Religiosi in eo est coacta. Pariter constitutio procuratoris ad sic vouendum, si sit ex graui metu est nulla, quia eo modo coacta.

52. Multipliciter verò hæc assertio limitatur, nimirum vt valeat de metu graui. Quis verò sit metus grauis; seu cadens in constantem virum, aliqui crediderunt illum esse, quo etiam vir constans vincitur; vt ex eo bonum deserat, & eligat malum. Sed in hoc sensu nullus metus asset, qui in virum constantem cadetet, quia non est vir constans, qui à timore superatur, vt malum agat Bordon. cap. 2. q. 12. dicit metum cadentem in constantem virum esse illum, qui insurgit malo imminenti cui non potest occurri nisi obsequendo voluntati alterius. Sed hoc conuenit etiam timori leui aliquin malum non timetur cui potest occurri. Ideò aliter dicitur, quod metus cadens in constantem virum est metus non repugnans cõstantiæ, & fortitudini, quem etiam vir constans potest concipere, & illum ponderare, & magni facere sine constantiæ præiudicio.

53. Ex tribus autem Soto *l.7. de iustitia lib.7. q.2. a.1.* explicandum censet metum grauem. Et primò quidem ex obiecto malo, quia prudentis timoris non est obiectum malum leue. Ideò probabilis, & prudentis timoris seu metus cadentis in constantem virum obiectum est mors *cap. cum dilectus de his*, quæ vi metuisse causa fiunt: mutilatio membrorum, quæ est quædam partialis mors *cap. si quis abscidit d.55.* atrocia tormenta, seu longus carcer. *l. nec timorem, & l. qui in carcerem, & d. cap. cum dilectus* seruitus, seu libertatis priuatio *d. l. qui in carcerem*, amissio virginitatis, *d. l. qui in carcerem*; amissio status, vel fortunarum *l. isti ff. quod metus causa* amissio honoris, & famæ iactura quæ æqui paratur priuationi vitæ *l. iusta ff. de manumiss.* Item vniuersaliter omne maius malum respectu minoris. De quibus videri possunt D. T. *in 4. d.29. q.1. a.2.* Sylu. *v. metus num.1.* Sotus *in 4. d.29. q.1. a.2.* Rodriq. *p.1. sum cap.230. concl.* 3. Graff. *2. p. decis. l.2. cap.5. num.3. & 4.* Suarez *t.3. de relig. l.6. cap. 4. num.11.* Merolla *disp.1. de volunt. cap.3. dub.6.* Donatus *p.4. tr. 11. q. 6.* Bordon. *c.2. q.13.*

54. Secundò consideratur metus, ex parte modi secundum, quem malum imminere videtur quoniam necesse est, quod immineat de proximo, neque enim prudens longingua mala timet. Ideò ex hoc capite locum non habet prudens timor, si qui malum minatur, vel non potest illud inferre, vel est vir verbosus qui consueuit minari ad ventum, vel malum imminens etiam grauissimum potest de facili vitari, vel ex quacumque simili de causa non imminet de proximo, vel si imminet facili via potest impediri. Non est enim vnde vir constans timeat malum, quod vel non imminet, vel sine difficultate potest impediri. D. Thomas & alij DD. supra citati.

55. Tertiò ex parte subiecti, quia constantia non consistit in indiuisibili, & censebitur mulier constans, & fortis etiam si timeat, quod non conuenit prudenter timere viro, vnde etiam aliquis erit grauis, & probabilis metus in muliere, qui in viro non erit. Sic minor metus sufficit in puero, vel in muliere, quam in viro, adhoc vt dicatur metus cadens in constantem puerum, vel mulierum propter imbecillitatem pueri, & mulieris Gloss. *cap. cum locum de sponsal. v. metus* Couar. *2. p. c.3. §.4. num.9.* Menoch. *de arbitr. l.2. centur.2. casu 135. num.4.* Farin. *2. p. frag. v. metus* Nauar. *in sum. cap. 22. num.51.* Rota apud Cocin. *decis. 352. num.5.* Graff. *p.2. l.2. c.5. num.3.* Donatus *p.4. tract.11. q.5.* Syl. *v. matrim.8. q.11.* Soto *4. d.22. q.1. a.2. & l.7. de iust.2. a.1. ad secundum* Sanchez *l.4. de matr. disp.3.* Suarez *d. cap. 4. num. 11.* Bordon. *cap. 2. quæst. 2.*

56. Sufficit verò ad metum constantem si huiusmodi mala immineant, parentibus vel filijs *D. T. 4. d.29. q.1. a.2. c. Syl. v. metus n.1.* & habetur expresse *ex cap. sciant cuncti de elect. in 6. & ex l. isti quidem 8. ff. de eo* quod metus causa, vel vxori D. T. ibid. Soto *in 4. d.29.* Item respectu ascendentium, & descendentium, & Fratrum, & Sororum, & amicissimorum, ita tamen vt non se extendat hæc extentio vltra quartum consanguinitatis gradum. Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 4. num. 12.* Farin. *2. p. Frag. v. metus num.78.* Donatus *par.4. tr.11. q.7.* Bordon. *cap.2. q.13.*

57. Et est iustus metus nedum cum actu mala irrogantur, sed etiam vbi quis mala comminatur, si probabiliter æstimetur, quod ita erit D. T. & Syluest. loco citato.

58. Itaque igitur in hac materia præ oculis est habendum id quod ex D. T. loco citato aduertit Syluester, scilicet quod vir inconstans à constanti differt in duobus. Primo quia inconstans timet minus malum, & non timet maius, vnde ex timore mali temporalis peccat contempto timore æternæ pœnæ, sed constans semper respicit maius malum, & illud timet, & minus malum despicit, vt fugiat maius. Itaque constans non timet nisi, quod est timendum. Secundò differunt in æstimatione mali imminentis, sed inconstans de facili mouetur, & timet vbi non est timendum, quia non imminet malum. Ideò timor cadens in constantem virum est timor, qui est de malo graui probabiliter imminente. Itaque igitur posita assertio intelligitur de timore probabili, & cadente in constantem virum.

59. Limitatur tamen secundò, vt nec sit vera de omni timore cadente in constantem virum, sed solum quando incutitur metus ad extorquendũ consensum profitentis. Quod sine dubio est verum vbi metus non incutitur à causa libera, sed à causa naturali, vt cum aliquis ex infirmitate vouet Religionem, & illum postea ingreditur, & profitetur, vel si pauper ex necessitate qua in sæculo premitur tanquam ex occasione moueatur ad paupertatem Religiosam amplectendam, quæ est longe suauior. Et huius exemplum habemus in *cap. sicut nobis, de regularibus*, vbi approbatur professio Canonici regularis, qui ex infirmitate motus fuit vt profiteretur Religionem. Et propterea Abbas ibi bene docet, quod timor mortis naturalis, vel aliunde casualiter ex causa naturali proueniens, non inualidat professionem, quod ibidem late probat Reuerendiss. Fagnanus *nu.24.*

similiter si quis conscientia scelerum ductus timore iustitiæ, & pœnæ delictis debitæ ad Religionem recurrat, vt DD. infra relati docent.

60. Sed vbi timor incutiatur à causa libera, videri posset quod reddat inuoluntariam, & irritam professionem, quia ex eo timens profitetur, quia timet, nec profiteretur si non timeret malum sibi imminens. igitur talis professio inuoluntaria censenda est. Et hanc sententiam Bord. *resol.* 57. *de profess.* num. 91. tribuit Peyrin. *in subd.* q. 1. c. 25. §. 4. *fin.* Sed eo loci Peyrin. apud me nihil tale habet, sed solum absolutè docet, quod professio facta per metum est nulla. Et nihilominus professionem emissam cum metu graui non incusso ad extorquendam professionem esse validam, & firmam docent Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad 2. & in 4. d. 29. q. 1. a. 3.* Conar. *2. p. cap. 3. §. 4. num. 19.* Cucchus *l. 5. Instit. Canon. tit. 22. num. 118.* Lopez *p. 2. instruc. cap. 40. §. præterea.* Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 12. nu. 3.* Bonac. *de voto q. 2. p. 9. §. 1. num. 7.* Meroll. *disp. 1. de volunt. c. 5. dub. 18. num. 113.* Donatus *p. 4. tract. 11. q. 8.* Bordon. *resol. 57. num. 92. & cap. 2. de profess. q. 15.* Antonin. Spir. *b. tr. 3. disp. 3. num. 18.* Reuerendiss. Paganus *cap. Perlatum num. 5. de his, quæ vi, &c. & cap. si quis. num. 81. de regul. & cap. sicut vobis. num. 29. eod. tit.* Donatus *p. 4. tr. 11. q. 8.* Et ratio huius est, quia cum professio religiosa ab incutiente timorem non eligitur vt medium ad fugiendum malum imminens, non cogitur timens ad professionem emittendam, nec professio est medium vnicum ad vitandum imminens malum, vnde nec cogitur quis profiteri, quia suppetunt alia media ad vitandum malum. & per accidens prorsus erit, & raro, quod non possit id malum vitari, nisi per professionem. Ita si quis habeat hostes potentes, qui illum acriter persequuntur non tamen vt cogant ad Religionem, sed ex inimicitia, si vt euadat illorum manus ingreditur religionem, & profiteatur, professio non censetur coacta, nec irrita, quia nec professio de se erat medium vnicum ad vitandum illud malum, nec erat ad hoc intenta ab hostibus, quibus forsan, & valdè displicet, & qui profitetur ex se eligit tale medium vt sibi vtile, & melius, & non ab aliquo compulsus, sed spontè profitetur.

61. Sed quid dicendum, si persequens aliquem iniustè, vt cogat illum ad religionem, occultet mentem suam, & alium prætextum assumat, vel non possit colligi, quod id fiat intuitu extorquendi professionem? Si profitens, verè ignorat sibi incuti metum ad extorquendam professionem, neque hoc considerat sine dubio professio ex hoc non est irrita. Bordon. num. 93. *fin.* quia animus incutientis timorem ignotus, & inconsideratus non influit in electionem professionis, nec reddit illam medium vnicum necessario eligendum ad vitandũ malũ. Sed vbi nouit, vel probabiliter iudicat vnicũ medium ex intentione incutientis timorẽ esse ad extorquendam professionẽ, & ex hoc profitetur, tunc professio nulla est, quia verè tunc ab incutiente timorẽ necessitatur necessitate finis ad eligẽdũ professionem. Sed si res maneat omninò dubia, & dubiu sit intentio incutiẽtis timorẽ, sufficit ad irritationem professionis, si timor sit vera causa professionis, quia tunc verè influit in voluntatem, & facit eam inuoluntariam, si timens aliundè non potuit se assecurare ab imminenti malo.

62. Limitatur tertiò, vt timor etiam incussus iniustè ad extorquendam professionem illam non irritet, si ad eam solum concommitanter se habeat, & non sit causa professionis, quia scilicet timens etiam si malum non immineret, nec timor adesset, adhuc profiteretur. Timor enim non causat inuoluntarium nisi vbi est causa actus, illumque antecedit, non verò si solum actum concommitatur. Quod in foro conscientiæ sine dubio verum, licet in foro externo, quia non est tam facile probare concommitantiam timoris si probaretur incussio timoris ad extorquendam professionem posset præsumi professio facta ex timore. Sed tamen si verè timor concommitanter se habuisset valida esset professio, nec posset professus in vi sententiæ fori externi exire à religione sine reali apostasia. Nauar. *in summa c. 27. num. 30. & c. 22. num. 51.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 4. num. 14.*

63. Limitatur quartò, vt timor non iniustè, sed iustè incussus etiam ad obtinendam professionem alicuius non inualidet professionem. Si enim iudex nolit parcere adulteræ, nisi intret Monasterium, non cogit, neque compellit, sed inclinat ad misericordiam flectitur sub conditione quod adultera profiteatur. Et in hoc casu incutiens metũ vtitur iure suo, quia potest malum inferre, nec ipse cogit ad professionem, sed si illa fiat conuentus est non vti rigore iuris, quod habet. Et ita tenent Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 2. ad 1.* Medina *lib. p. summa c. 14. §. 6.* Sà *v. votum* num. Sanchez *l. 4.* Azor. *c. 3. n. 21.* Bord. *c. 2. q. 12.* Bomp. *quæst. 11. q. 2.*

64. Sed ad maiorẽ prædictorũ manifestationẽ vidẽdũ est, an timor iniustè incussus ad extorquẽdam professionem illam irritet iure diuino, vel iure humano, & positiuo. Multum enim refert hoc scire nedum vt pateat ex qua causa irrita sit professio habita cum metu graui, sed etiam vt possimus videre, an sit irrita illa, quæ causatur ex metu leui. Plures igitur affirmarunt timorem iustum, & cadentem in virum constantem ex natura rei irritare professionem, quia illam inuoluntariam reddit, non enim liberum est, quod fit ex necessitate illata ab extrinseco. Secundò videtur valdè efficaciter probari hæc pars quia in Sacris Canonibus non reperitur textus, qui statuat professionem factam per vim esse irritam, & tamen multi sunt, qui eam irritam supponant. Sic enim *cap. 1. de his, quæ vi vel metu, &c.* professio mulieris, quæ timore mortis professionem emiserat, irrita supponitur, quia decernitur vt vbi sit legitimè probatum quod non timore mortis professa fuerit, vel quod ratam habuerit professionem, quod compellatur redire ad Monasterium, per locum ab opposito nos docens, quod si timore mortis mulier fuit ingressa, professio eius irrita fuerit, ideoque nec ad redeundum ad Monasterium compelli debeat, aut possit. Et *cap. cum locum de sponsalibus* dicitur. *Quod locum non habet consensus, vbi metus, vel coactio intercedit.* Hęc enim propositio affirmans non esse consensum vbi est metus, id quod affirmat supponit esse. Cum verò sic esse non appareat ex aliqua lege id statuente, necesse est dicere sic esse ex natura ipsa rei, & quia libero consensui repugnat metus. Tertiò quia coactum obsequium

Deo non placet professio verò est votum, quod principaliter fit Dei intuitu. Quartò quia nullum violentum est perpetuum, ideò cum professio perpetuum vinculum ferat, requirit consensum prorsus liberum,& ita hanc sententiam tenuerunt Philiar. *l. 3. cap. 18. n. 1.* Soto *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad secundum, & l. 8. q. 1. a. 7.* Basil. *de matr. l. 4. cap. 11. num. 15.* Citatur etiam à Suarez pro hac sententia Panorm. *cap. sicut nobis de Regul. nu. 5.* Sed ibi nihil tale asserit, sed solum asserit, quod professio facta per metum est irrita, sed ex qua causa sit irrita non explicat. E contra autem Syluest. *v. metus. num. 8.* vult quod professio facta per metum secundum non sit irrita ex natura rei, sed in conscientia sit valida. Et idem tenet *v. votum. a. q. 14.* se referens ad ea, quæ dixit *v. metus num. 8.* Quia nullibi authentice legit eam esse irritam. Et quia voluntas libera est, nec potest cogi, & qui ex intentione vouet, liberè vouet.

64. Aliorum verò sententia est, quod professio emissa ex timore graui sit nulla iure Canonico, non verò iure naturali. Et hanc partem probabiliorem credidit idem Soto *in 4. d. 29. q. 1. a. 3. post 2. conclus.* illamque tenet in simili de matrimonio Nauar. *in summ. cap. 22. num. 50.* & expresè de professione loquentes Syl. *de relig. 3. q. 11.* Palud. & Durand. *in 4. d. 29.* & ibi Richar. *a. 1. q. 1.* Coriel. *p. 2. q. 6. a. 6. d. 2. §. 2.* & ibi Martinez *dub. 2. concl. 9.* Ildephonsus ibid. *disp. 92. num. 205.* Bord. *r. 2. q. 18.* Aragon. *2. 2. q. 88. a. 2.* Azor. *l. 11. cap. 5. q. 6.* Vega *2. tom. cap. 229. casu 17.* Sanchez *l. 4. mor. cap. 3. num. 11.* Henr. *l. 1. de matrim. cap. 9. num. 1. & 3.* Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 3. num. 18.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 4. num. 6.* Coton. *l. 4. cent. 4. c. 1. num. 28.* Anton. à Spiritu Sancto *tr. 3. d. 3. num. 18.* Donatus *p. 4. tr. 11. q. 3.* Et hæc sententia est apud me certa. Quia metus non facit inuoluntarium, nisi secundum quid, vt probat D. T. *p. 2. q. 6. a. 6.* Et vt habetur *ex cap. merito a. 15. q. 1.* coacta voluntas est voluntas. Quoniam quod est medium ad vitandum malum licet secundum se possit displicere voluntati, omnibus tamen pensatis in indiuiduo est bonum, & vt bonum simpliciter amabile, & quidem etiam ex prudenti consilio, & ex virtute. & meritorie. Si autem inuoluntarium secundum quid irritaret actus, & contractus, vix inueniri posset contractus validus, cum vt plurimum homines ex necessitate contrahant. Nec alicui v. g. placet seruitus secundum se, & tamen qui seruit, imò qui se vendit in seruum libere contractat; sic dicendum de illis quæ fiunt ex necessitate acquirendi victum, vel fugiendi quodcumque malum. infinita igitur cum sint, quæ secundum se sunt inuoluntaria, & tamen liberrimè fiunt, quia in indiuiduo sunt bona, & vtilia, & ad vitam, honorem, famam conseruandam etiam necessaria, licet si homo posset ea nec vellet, nec faceret. Ideò hoc explicatur secundò, quia & primæ sententiæ authores admittunt professionem factam timore mortis naturalis, vel alicuius alterius mali casu aduenientis esse validam, & tamen illa quoque fit ex metu, & ex timore procedit. Similiter professio facta ex metu mali iustè ab aliquo inferendi non censetur inualida; at verò respectu consensus, & inuoluntarij non interest, an qui incutit metum id faciat iustè; vel iniustè. Damnatus enim ad mortem, quem iudex iustè vult affici pœna mortis, nisi fiat Religiosus, si ex timore mortis profiteatur, id facit contra suam voluntatem antecedentem; & id non faceret si aliter mortem vitare posset, & tamen professio valida est, quod non esset, si metus auferret voluntarium simpliciter.

66. Nec valet dicere quod quando ex intentione extorquendi professionem incutitur iniustè metus fit iniustitia illi qui per timorem vexatur, & ille cogitur, quia necessitatur necessitate finis, constituitur enim professio vt medium vnicum v. g. ad vitam seruandam, vnde supposita intentione vitæ necessitatur ille miser ad professionem, vt sic determinatur ab extrinseco per vim, & metû, & professionem eligat. Respondetur enim, & dicitur primo, quod qui timorem incutit vt extorqueat professionem, nec determinat, nec necessitat, nec cogit voluntatem illius, cui timorem incutit, quia in illam, nec agit, nec agere potest, & solum agit circa obiectum, faciendo vt illud pensatis pensandis sit vnicum, at verò hoc non est voluntatem necessitare, sed inclinare, quia voluntas in electione medij contingenter vnici non est necessitata, sed libera, & vt dicebatur hæc necessitas vnici medij ad finem reperitur etiam dum ex causa naturali, vel ex metu iustè incusso, quis ad operandum necessitatur, & cum iustè damnatus ad mortem necessitatur ad professionem, vt mortem vitet, & tamen tunc stante necessitate vnici medij, ille liberè fit Religiosus ex eo verò, quod qui cogitur patitur iniuriam, non sequitur, quod non fit simpliciter voluntarium, id quod iniuriam patiens facit pro sui indemnitate, & sic quod id, sit nullum rationi inuoluntarij, vnde non sequitur, quod professio ipsa coacta sit nulla, sed quod coactionem passo satisfieri debeat pro iniuria. Nam & iniuriam patitur, qui iniustè vexat, licet non ad extorquendum professionem, & tamen si vexatus profiteatur, vt se eximat à vexatione professio est valida.

67. Et per hæc manet solutum primum motiuum primæ opinionis. Ad secundum dicitur, quod etiam si concederetur, quod in eo *c. 1. de his, quæ vi, &c.* professio facta ex timore iniustè incusso supponatur inualida non verò inualidetur, ex hoc non infertur, quod supponatur vt inualida ex natura rei, quia quamuis non habeamus textum in quo statuatur vt talis professio sit inualida, non infertur quod non fuerit, cum multos canones sacri deperditi fuerint, & perierint. Et præterea hoc potuit consuetudine, & traditione non scripto introduci, & certè hic est communis Ecclesiæ sensus, vt huiusmodi professio sit inualida, & hoc supponit Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19.* cum admittat professum intra quinquennium non posse allegare contra professionem suam, & si probauerit se ex metu graui professionem emisisse permittitur exire. Nec potest dici, quod hoc permittatur ex præsumptione fictæ professionis, quia si Concilium huic soli præsumptioni niteretur, non debuisset sic absolutè permittere exitum professi de Religione probato metu, sed opus fuisset admonere professum, vt suæ conscientiæ consuleret, & videret, an verè consenserit in professionem licet ex metu, & quod si consenserit, tenetur remanere, nec potest

caire. Ad tertium verò, & quantum motiuum iam dictum est, quod id, quod fit per metum est simpliciter voluntarium. Et sicut quod fit ex metu est tam liberum, quantum sufficit, vt peccet, si id sit malum; ita est tam liberum, vt ab eo, qui scit facere de necessitate virtutem possit fieri, & fiat virtuosè, & meritoriè si is sit in statu gratiæ.

68. Est autē maior difficultas, an professio emissa ope ob metu graue sit ipso iure irrita, vel solū si irrita exceptionis, seu irritāda ex decreto iudicis. Cōmuniter enim DD. dicunt huiusmodi professionē esse irritam, sed nō dicūt esse irritā ipso iure, & facto. & in iure actus irritus dicitur, qui non habet robur firmitatis, nec subsistere potest si excipiatur contra illum, & vt adnotauit Glossa in *cap. Audiui de elect.* irritum de iure est duplex, aliud quod est de iure irritandum per iudicem, aliud quod est ipso iure, & facto irritum taliter quod nullitas cum suis effectibus ab ipso puncto exerciti actus incipiat, & vbi iudex actum nullum declaret nullitatē retrotrahi debeat ad diem, & punctū habiti actus, & ex tunc censendum sit non valuisse. Itaque non omnis actus de iure nullus est nullus nullitate quæ dicitur ipso iure, & facto, sed datur actus, ideò de iure nullus, quia de iure ope exceptionis pro nullo habendus, sic enim *reg. 64. de reg. iur. in 6.* dicitur, *quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi*, & tamen de iure Canonico multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Et ita datur aliquod irritum, quia caret robore firmitatis, & irritandum, quia factum contra legem, quod tamen non est ipso iure irritum, & nullum. Vnde in *tract. de elect. Canon. cap. 4. quæst. 1.* per textus, & DD. quos ibi retuli *num. 10. & seqq.* statui, quod electio facta ob metum grauem non sit ipso iure, & facto irrita, sed ope exceptionis per iudicem irritanda. Sic ergo, & dubium est, an professio emissa, ex metu graui coacta sit irrita ipso iure, & facto, vel potius solum sit ope exceptionis per iudicem irritanda. Illi qui tenent, quod vniuersaliter votum emissum ex graui metu sit ipso iure irritum, qui sunt Nauar. *cap. 12. num. 52. & cons. 12. & 13. de his, quæ vi, &c.* Sotus in *4 d. 29. & l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad 1. & 2.* & alij plures, quos referunt Bonac. *de voto p. 3 §. 1. num. 5* & Martinez de Prado *cap. 31. q. 5. §. 1. num. 9.* consequenter etiam tenent, quod professio hoc modo per metum emissa sit ipso iure nulla. Sed hoc à multis alijs meritò negatur, cum in toto iure nullus sit textus, in quo huiusmodi nullitas sit statuta, & dicta sententia deficit, quia non distinguit, sed ex eo quod iura decernunt gesta per metum carere robore firmitatis, & in pluribus casibus irritarunt actus metu coactos concludunt, quod huiusmodi actus sint ipso iure nulli, cum actus nullus, & actus nullus ipso iure, & facto valdè, ac valdè differant; nec ex primo liceat inferre secundum. Sic enim iuramentum de re licita metu extortum valere nihilominus, nec esse vel lege naturali, vel lege positiua ipso iure nullum, & tamen esse iure positiuo irritandum docent, quā plures cum D. T. supra *q. 89. a. 7. ad 3.* vbi Caiet. §. ad secundam autem confirmationem benè aduertit; non esse tantam necessitatem relaxandi huiusmodi iuramenta, quin aliquando ex boni communis ratione non sit cogendus ille, qui iurauit, ad iuramentum implendum. Sic ergo & votum bene potest esse non irritum ipso iure, sed tamen ita vt de iure sit irritandum, quia sic loco citato Caiet. adnotauit de iuramento, Ecclesia in odium coactionis huiusmodi actus noluit subsistere iuxta regulam illam in *cap. Abbas, de his, quæ vi, &c. Quæ metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari*. Sic ergo & potest esse quod votum coactum de iure sit irritum, quia de iure irritandum, nisi in casu singulari iusta aliqua causa vrgeat, vt impleatur; & tamen non sit irritum ipso iure. Ideò absolutè, quod votum metu emissum non sit ipso iure, & facto irritum, sed sit validum donec irritetur à superiore, dixerunt Cardin. *cap. Abbas, de his quæ vi, &c.* Syluest. *v. metus q. 8. & v. Iuramentum 4. q. 7. & v. votum 2. q. 12.* Suarez *lib. 1. de voto cap. 7. & 8.* Basilius *de matrim. lib. 7. c. 29.* Palaus *de voto disp. 1. p. 5. num. 13.* & probabile asseruerunt Bonac. vbi supra *num. 5.* Trullench. *l. 2. c. 2. dub. 3. nu. 4.* Martinez de Prado *cap. 31. q. 5. num. 11.* Nihilominus ex istis Soarez vbi supra. & *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 4. num. 6.* Palaus *d. num. 13.* Pontius *d. c. 29.* Martinez de Prado *nu. 14.* existimant quod votum professionis coactum metu sit ipso iure nullum, ex quo Suarez, & Palaus colligunt, quod eadem ratione sit nullum etiam votum Religionis; quia qui metu cogitur ingredi Religionem; quod tamen non sequitur, quia qui vouit Religionem si non vouit etiam perseuerantiam in Religione ex vi voti non tenetur profiteri, sed potest exire post religionis experimentum iuxta dicta supra *q. 189. a. 4. & 5.*

69. Quod verò professio sit ipso iure nulla, si sit ex graui metu coacta probatur primo ex *cap. Perlatum. 1. de his, quæ vi, &c.* vbi professio facta à quadam muliere ex metu mortis incusso supponitur inualida, non verò inualidatur. Nam Alex. 3. ibi decernit quod si probatum fuisset mulierem illam non fuisse professam timore mortis, vel ratificauerit professionē, cogeretur redire ad Monasterium, ex hoc supponens quod vbi professio fuisset coacta ex metu, & non ratificata fuisset nulla. Verum hæc ratio non concludit, quia Pontifex supponit quidem professionem metu graui factam esse habendam vt nullam, & talem ipse esse decernit, dum statuit in eo solo casu illam mulierem esse cogendam ad Monasteriū, si constiterit professionem vel non fuisse coactam, vel fuisse ratificatam, sed non bene dicitur, quod Pontifex eam professionem non inualidauerit, & si dicatur quod nihil expressè dicit de inualiditate professionis illius, quia solum decernit, quod sit valida si non est coacta. Respondetur quod ex hoc satis decernit quod sit nulla si sit coacta. Quod autem expressè loquatur de sola validitate, ideò est quia de validitate erat quæstio, cum iam illa professio tamquam valida habita fuisset ab Episcopo Calaguritano qui etiam mulierem illam cum marito excommunicauerat ad instantiam Monasterij, ideò Pontifex directè mandat mulierem illam cogendam solum si constat professionem eius fuisse liberam, vel liberè ratificatam, ex hoc simul decernens promittendam esse manere cum viro suo, si professio fuit ex metu coacta, & non ratificata. Et hoc quis ex regula in *d. cap. Abbas, de his, quæ vi, &c.* contractus, qui metu fiunt de iure debent in irritum reuocari.

Secundò verò idem probatur ex *cap. Sicut. 20. q. 4.* Vbi Eug. IV. in Synodo Generali dixit. *Sicut qui Monasterio elegerunt, à Monasterijs egredi non permittantur, ita hi, qui inuiti, siue sana offensionis causa sunt intromissi, nisi valentes non teneantur. quia quod non petunt, non obseruant.* Sed neq; ex hoc texto intentum probatur. Solum enim dicitur quod professi per metum non debent cogi, vt remaneant, quod est verissimum, & indubitatũ etiamsi professio ex metu coacta non sit ipso iure nulla, quia in iudicio constito de metu, vt irrita est habenda. Tertiò idem probant ex Nicolao Papa in *cap. Præsens. 20. q. 3.* ibi. *Præsentem Clericũ nomine Lambertum minimè debere existimauimus sub specie violentia fieri Monachum. Quod enim quis non elegit, nec optat, profectò non diligit: quod autem nõ diligit facile contemnit: nullum quippe bonum nisi voluntarium, &c.* Sed certè neque ex hoc texto nullitas ipso iure colligitur, quia ad hoc vt non liceat compellere professum ex metu ad remanendum, sufficit, quod professio ex metu coacta sit iure ipso irritanda; & quod iure constito sibi de coactione professionis pro nulla habere debeat, illamque irritare. Adducunt etiam quartò *cap. Cum dilectus, de his, quæ vi, &c.* & nonnulla alia iura, sed manifestum est ex eis non haberi nullitatem ipso iure, & incurrendam ipso facto, & ita vt nullitas statim ipso iure inficiat actum, & sententia iudicis retrotrahi debeat quantum ad reales effectus ad punctum perfectæ professionis, sicuti fieri deberet, si professio hoc modo coacta, sit ipso iure nulla. Quintò autem fundatur illa sententia in decreto Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regular.* Sed & ex eo loco non habetur, nisi quod professio coacta, ex metu instante, & reclamante coactè professio est habenda vt irrita, & talis est decernenda, & professus dimittendus liber à voto professionis, vbi ex graui metu fuisse professionem constiterit. Quamobrem vt dicebatur Syluest. *v. metus num. 8. & v. votum. 2. q. 12.* sentit professionem factam ex metu non esse ipso iure irritam, & esse in conscientia validam, ita tamen quod ope exceptionis sit irritanda, quia non datur lex quæ hanc nullitatem ipso iure statueit. Quamuis enim in v. metus loquatur de voto in communi, in v. tamen votum loco citato loquitur de professione se remittens ad ea, quæ dixit in verbo metus. Quid vero ergo in hoc sentiam non profero, quia non mihi constat in hoc quæ sit mens S. Congregationis, aut aliorum Superiorum, bene videns tamen ex præfatis textibus eam nullitatẽ ipso iure, & facto incurrendam non deduci concludenter, & demonstratiuè.

70. Dicitur modo secundò, quod metus leuis non irritat professionem. Opponitur hoc dictum illis, qui distinctionem metus leuis, & grauis dicunt valere in foro fori, qui ducitur præsumptione, ideoque vbi metus est leuis non præsumit cõsensum ex timore, non verò in conscientia, quoniam in conscientia, & in rei veritate ex quocumque timore quis profiteatur, professio est nulla. Quæ fuit sententia Nauar. *cons. 3. de his, quæ vi, num. 9. & cons. 5. num. 4. & cons. 9. num. 2. Et de conuers. coniug. consil. 3. num. 4. & Comm. 2. de regular. vers. Addo 3.* & Rodriq. *2. tom. sum. c. 8. num. 9.* Sed hæc sententia habere posset aliquem locum, si metus ex natura rei irritaret professionem, in quo casu si metus etiam leuis esset propria causa agendi, seu vt alij dicunt conditio sine qua quis non profiteretur, sicut professio tunc esset secundum se inuoluntaria, & contra voluntatem antecedentem profitentis, sic dici posset irrita, & non multum valeret distinctio mali grauis, vel leuis, quia semper actus esset secundum se inuoluntarius, & solum voluntarius in indiuiduo ex intentione fugiendi malum. Sed ex hac quoque ratione apparet, quod non potest esse verum quod timor ex natura rei irritet actum ex ratione inuoluntarij, quia, vt dicebatur infiniti actus morales, & contractus nulli essent, qui fiunt ex necessitate fugiendi aliquod malum, & alias non fierent. Omnes enim illi actus sunt secundum se inuoluntarij, & voluntarij in indiuiduo ex intentione vitandi malum. Ideò nostra assertio probatur, quia Canones in quibus supponitur irrita professio ex metu loquuntur expressè de timore graui, *vt cap. 1. de his, quæ vi,* loquitur de timore mortis, de quo timore loquitur etiam *cap. cum dilectus, eodem titulo.* Vnde Ecclesia meritò irritat solum professionem quæ fit ex metu graui, tum quia Ecclesia noluit irritare actum qui ex sola imprudentia profitentis ex timore fit, & non habet violentiam ex parte extrinseci incutientis. Tum quia lex non respicit casus particulares ex accidenti rarius prouenientes. Tũ quia Ecclesia voluit ex hoc impedire violentiam cogentium ad religionem, vnde respectu mulierũ addidit ad hoc etiam excommunicationem in Concil. Trid. *sess. 25. de regular.* at verò non vim infert, qui leuem timorem incutit. Tum quia neque est verum quod in hoc Ecclesia ducatur præsumptionibus, sed ducitur rei veritate, & vult quod vbi timor sit grauis, & incussus ad extorquendam professionem professio ex tali timore proueniens sit irrita, vt hoc modo terreantur violentiam inferentes, dum sciunt, se nihil proficere, & professionem extortam nullam esse. Et ideò hanc partem tenent. Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 1. ad secundum* Lodouicus Lopez *p. 1. Instruc. c. 45.* Valent. *22. disp. 6. q. 6. p. 4.* Philiar. *de officio Sacerd. p. 2. l. 3. c. 18.* Azor. *l. 11 instit. cap. 15. q. 7.* Sà *v. metus num. 3.* Sanchez *l. 4. mor. c. 3. num. 24.* Suarez *tom. 3. de relig. l. 6. c. 4. n. 12.* Bordon. *cap. 2. quæst. 12.* Coton. *l. 4. contr. 4. cap. 1. num. 59.*

71. Limitant aliqui hanc sententiam, vt non sit vera in casu in quo aliquis apprehendat malũ leue vt graue, & sic ex magna apprehensione mali leuis profitetur. Sed admisso quod minus malum respectu fragilioris personæ puta mulieris, vel pueri dici debeat malum graue, & prudenter timendum vt supra dictum est; vnde timor mali tunc est cadens in constantem virum, dicitur quod quantumcumque timor mali leuis sit magnus ex apprehensione timentis, non irritat professionem, quia est timor inconstantis, & imprudentis, & iura irritant professionem ex timore prudenti emissam, qui solus est timor cadens in constantem virum. Ita Suarez *d. cap. 4. num. 13.*

72. Ex his dicitur tertiò, quod timor reuerentialis purus, non irritat professionem. Huius oppositum tenuit Gloss. *in cap. præsens 20. q. 3.* & plures iuristæ quos refert Sanchez *l. 4. de matrim. d. 6.*

num.

num. 35. Basilius Pontius *de matrimon. l. 4. cap.* 11. *num.* 16. & 16. Portell. *v. Professio. num.* 12. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 95. & probabile simul cum opposito credit Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 3. *num.* 19. Qui ducuntur ex eo quod omnis metus irritet contractus. Et quia *cap. præsent.* 20. *q.* 3. anullatur professio fœminæ facta ex Patris reuerentia. Et quia S. Congregatio declarauit nullam professionem monialis factam ob metum reuerentialem, quam declarationem ex Farinac. refert Hier. Rodriq. *resol.* 101. & post illum Nauar. & Portell. locis citatis. Et quia ex *l. velle ff. de Regulis iuris*. Velle non creditur qui obsequitur imperio Patris, vel Domini. Hæc tamen sententia, vel non loquitur de nudo metu reuerentiali, vel non est amplectenda, quia reuereri Patrem, & Superiorem virtutis est, & prudentiæ, & authoritas Superioris non allicit per timorem propriè dictum, sed per amorem honestatis, quia sic filium, & inferiorem decet, & est honestum, & rectum. Quod verò est virtutis ingenuæ, & liberæ nobilitatis non potest irritare contractus. Et eo magis, quod nulla lex est, quæ professionem factam ex puro metu reuerentiali irritet. Sed bene oppositum colligimus. Nam in *cap. final. qui Clerici*, vel vouentes, in casu mulieris, cui ex parte Regis iniunctum fuerat, vt nuberet, & quæ volens nubere ad consiliũ consanguineorũ emisit votum castitatis. Innoc. III. iudicauit hic nullam, vel modicam fuisse coactionem, quam etiam parui temporis patientia profligauit. Et ideò statuit mulierem ad votum seruandum esse obligatam. Apertè igitur ex hoc textu habetur, quod licet votum huius mulieris fuerit emissum ex Regia reuerentia, & suasione consanguineorũ, ad vitandum matrimonium non amatum, & iudicatum sibi malum, nihilominus fuit iudicatum validum esse. *Et in cap. Puella* 20. *q.* 1. ex quo dicitur, quod puellæ, quæ non coactæ imperio parentum vouent castitatem, si postea nubant sacrilegæ sunt, Gratianus *per arg.* ex opposito conclusit, quod vbi puellæ coguntur ad votum, & habitum virginitatis liberæ manent. Verum vbi Parentes aliquam vim non inferunt, sicuti nec propriè cogunt, nec metus reuerentialis est coactio, sed virtuosa reuerentia reddita Parentibus, ita nec metus ille dici potest irritare votum, quia ad hoc ex illo textu necessaria est coactio. *Cap. vero præsens* 20. *q.* 3. non facit ad rem, & oppositum illius opinionis potius probat. Tum quia Lambertus ille filius de quo ibi est sermo fuit verè violentatus ad habitum monachalem, & inuitus illum suscepit. Tum quia adeò fuit inuitus, vt nec vnquam consensum internum præbuerit, & quantum potuit, restiterit, vt ex textu illo expressè habetur. Ideò merito Nicolaus Papa censuit Lambertum illum non esse ad Monachatum cogendum. Vndè *per arg.* ex opposito colligitur quod si Lambertus inductus ad habitum Monachalem sine violentia consensisset, quod compellendus fuisset manere in Religione. Et ideò hanc partem tenent Abb. *cap. cum virum num.* 8. *de Regul.* Præpos. *cap. cum locum num.* 5. *de Sponsalibus*. Franc. *cap* 2. *de pactis num.* 2. *in* 6. Couar. *p.* 4. 2. *p. c.* 3. §. 6. *nu.* 7. & 6. Cuccus *l.* 5. *instit. tit.* 12. *num.* 139. Salzedo *super regulam* 532. Diaz *ampliat.* 1. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 9. *num.* 5. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 1. *ad secundam* Lopez 2. *parte instruct. cap* 40. Sanchez *l.* 4. *de matrim. disp.* 6. *n.* 18. & *l.* 4. *moral cap.* 3. *num.* 26. & apud eum Angelus, Zañus, & Padilla. Rõ. Suarez *to.* 3. *de relig. l.* 6. *cap.* 4. Layman, *lib.* 4 *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Merol. *tom.* 1. *disp.* 5. *cap.* 3. *de volunt. dub.* 11. *a. num.* 65. Bonac. *de matrim. q.* 3. *p.* 8. *num.* 6. Donatus *p.* 4. *tr.* 11. *q.* 10 *Rota Romana p.* 2. *recent. decis.* 579. & *p.* 4. *tom.* 2. *decis.* 195. *num.* 19. Lezana *v. professio num.* 16. Thesaur. *in praxi p.* 2. *v. monialis cap.* 1. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Donatus *p.* 4. *tr.* 11. *q.* 10. Bordon. *cap.* 2. *q.* 14. Coton. *l.* 4. *cap.* 1. *num.* 31. Ideò quod imperium Principis non inducat metum qui irritet votum vel matrimonium *ex cap. insinuante*, qui Clerici vel vouentes, tradit Reuerendiss. Fagnan. ibi *num.* 6. quamuis vix dari possit casus in quo supposito Principis imperio in subdito sit purus timor reuerentialis non mixtus aliquo timore mali saltem leui. Nudus tamen metus reuerentialis contractus non irritat. Fagnan. *cap. Perlatum*, *de his, quæ vi, &c. num.* 16.

73. Hoc vero multi limitant ad professionem expressam volentes metum reuerentialem irritare professionem tacitam Bordon. *c.* 2. *q.* 14. ex Innoc. Panorm. Imola, & Card. Put. *decis.* 579. *num.* 5. *Rota in Vlissyponen. Parochialis* 20. *Maij* 1620. coram Vbaldo. Serat. *decis.* 579. *num* 5. *p.* 1. *recent.* sed alij hoc negant, quoniam eadem est ratio taciti, & expressi. Hinc ponitur discrimen inter professionem expressam, & tacitam, quod ad illam irritandam debet probari metus cadens in constantem virum, nec aliter protestatio releuat, quia protestatio debet esse vestita iusto timore. *c. cũ In. de cõst.* Sed professione tacita per susceptionẽ habitus, aut habitus delationem non est necessaria talis probatio, quia illam impedit quicumque metus. Vnde si quis habitum suscepisset Patris comminationibus, illam posset dimittere, *cap. Præsens* 20. *q.* 3. Et veritas est, quod in foro conscientiæ, metus reuerentialis, sicut & metus leuis non irritat professionem. Nisi metus reuerentialis habeat adiunctas minas, vel metum mali imminentis. *cap. cum virum*, *de Regul.* Couar. *de sponsal. cap.* 3. *p.* 2. §. 6. *num.* 7. & 8. Gutierez *de matrim. cap.* 44. *num.* 32. Ricc. *p.* 4. *dec.* 1476. *Rota dec.* 175. *num.* 5. *p.* 1. *recent.* & coram Greg. XV. *dec.* 356. *num.* 15. & 53. sed quia professio tacita in foro externo non est professio manifesta, sed præsumpta, & præsumptio præsumptione vincitur facilius metu reuerentiali existente potest præsumi, quod metuens non habuerit animum profitendi, quia præsumptio professionis ex susceptione habitus eliditur per præsumptionem timoris etiam leuis, aut reuerentialis videndi ad *cap. Perlatum*, *de his, quæ vi*. Inn. Host. *num.* 12. Io. Andr. *num.* 9. Card. *num.* 4. *q.* 3. Fagnan. *n.* 15. *Rota dec.* 195. *num.* 19. 1. 2. *p.* 4. *recent.*

74. Sed si timor reuerentialis non sit pura reuerentia, sed insuper sit mixtus timore grauis nocumenti imminentis, tunc timor reuerentialis irritat professionem. Hic autem timor reuerentialis mixtus, & cadens in constantem virum non adest nisi præcesserint minæ vt habet Abbas *cap. Cum virum, de regular. ex Innoc. cap. cum causam de off. Delegati*, & Couar. *in* 4. *p.* 2. *cap.* 3. §. 6. Coton. tamen *l.* 4. *contr.* 4. *c.* 1. *num.* 32. putat sufficere si adsint preces importunæ vel blanditiæ; sed infra dicendum ad preces importunę cogant, & professio-

nem

nem irritent. Sic cum ex *cap. Insinuante, qui Cler. vel vouen.* habeatur, imperium Principis non inferri metum grauem; tamen si Princeps solitus sit tyrannicè tractare non obtemperantes suis præceptis, aut precibus, tunc Principis imperium infert metum grauem, vt ad *d. cap. aduertiant* Io. Andr. & Anchar. *num.* 3. Panorm. *num.* 8. & Fagnan. *num.* 8.

75. Benè vero monet Suarez *d. cap.* 4. *num.* 17. non esse necessarias minas formaliter expressas, sed sufficere si Pater sit terribilis, vt etiam docuit Abbas; vnde filius rationabiliter sibi potest timere aliquod graue nocumentum, si Patris imperium non audiat, & non profiteatur. Semper enim locum habet iustè metus, vbi probabiliter imminet graue damnum. Et verum est quoque quod sæpius metui reuerentiali timor nocumenti etiam grauis est rationabiliter coniunctus, vnde propterea est, quod sæpius metus reuerentialis sufficit ad irritandam professionem. Non ratione sui, sed ratione timoris adiuncti.

76. Metus autem reuerentialis haberi potest à quocumque qui iure subiectionis alteri subdatur, vt in Clerico respectu Episcopi, in seruo respectu domini in subdito respectu magistratus, in vxore respectu mariti, in filio respectu Patris, in nuru respectu Soceri, in nepote respectu Aui, & aliorū ascendentium, in pupillo respectu tutoris, in minore respectu curatoris, in filio etiam respectu matris, & sororis, seu fratris minoris respectu fratris maioris à quo gubernantur; quamuis quod dicitur de filio respectu matris, & de sorore, aut fratre minore respectu maioris ab aliquibus negetur. De qua materia videri possunt Sanchez *l.* 4. *de matrim. disp.* 6. Donatus *p.* 4. *tract.* 1. *q.* 11. Nam nobis sufficit quod timor non irritat professionem, quia reuerentialis, sed solum si habet adiunctum timorem probabilem grauis nocumenti; nihil vero interest à quo hoc nocumentum timeatur.

77. Hoc propterea videtur aduertendum, quod multi in hoc confundant metum reuerentialem, cum timore nocumenti, ideoq; v.g. negator adesse metus reuerentialis filij erga matrem, vel quia mulieres imbecilliores non timentur, vel quia filius non est in potestate matris, vel quia mater non potest multum nocere. Hæc enim respiciunt nocumentum, quod ab imbecilli muliere, vel à matre non potest inferri. Cæterum reuerentia debetur matri quia mater est, non quia possit malum inferre, vel bonum donare. Similiter, quod dicunt multi, quia scilicet radix metus reuerentialis consistit in simultanea cohabitatione, & in perceptione alimentorum, prout notarunt Capyc. *dec.* 159. *num.* 35. Lanar. Anna Pater, & Anna Filius apud Donatum loco citato *num.* 8. confundit timorem reuerentialem, cum timore nocumēti. Ex simultanea enim cohabitatione, & perceptione alimentorum potest oriri timor tristitiæ, perturbationis, & priuationis alimentorum, vel in totum, vel in partem si filius, vel nurus, vel nepos, vel soror non impleat imperium Patris, aut soceri, aut fratris. Sed quia habet reuerentia cum alimētis? Reuerentia enim debetur titulo subiectionis, ideò quicumque subiectus debet habere metum reuerentialem respectu superioris, quē non aut cōtemnere, aut contristare, aut non honorare, aut nō æstimare non decet subditum. Ideò non debent confundi huiusmodi metus, & quia subdito non reuerenti superiorem potest imminere damnum à superiore, non debet accipi vnus metus pro alio, & opinio illa, quæ putat metum reuerentialem irritare professionem non bene distinguit metum à metu. Nam cum metus reuerentialis sit virtus, & sit res debita, & valde honesta, nec libertati opponitur, nec contractui, sed quia subdito nō annuenti imperio superioris, vel etiam eius suasioni, & consilio vel iure, vel contra ius imminet nocumentum sæpè sæpius, hinc est, quod timori reuerentiali iunctus est timor nocumenti, qui si sit timor grauis valet irritare professionem.

78. Et his etiam haberi potest vnde soluatur altera quæstio, an scilicet importunæ preces irritam reddunt professionem Layman *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 2. *num.* 6. existimat quod metus reuerentialis adiunctis importunis precibus, vel repetitis blanditijs irritet professionem. Sed & hic distingui debent preces à minis. Nam bene sæpius continget, quod preces maxime si sint à superiore sint minæ virtualiter. Sed si à precibus excludamus omnino minas, & ex consequenti timorem alicuius alterius grauis nocumenti imminentis preces ratione solius importunitatis non cogunt, nec enim sola importunitas precum est tantum malum, cuius timor dicatur cadere in constantem virum, seu quod prudenter à viro constanti magni fieri possit. Panorm. *cap. cum inter R. num.* 8. *de elec.* bene docet quod preces instantissimæ Principis non inducunt iustum metum sufficientem ad rescindendum contractum, nisi Princeps sæuire soleat in sibi non obtemperantes. Et sic preces professionem irritare non possunt, nec præcise ratione molestiæ quam præbent quia importunæ, cū hæc molestia non sit malum prudenter magnifaciendum; nec ratione puri timoris reuerentialis adiuncti, cum reuerentia sit virtus mouens ratione suæ honestatis, & ideò causans voluntarium, nō verò inferens inuoluntarium; sed solum si saltem virtualiter simul sint minæ grauis nocumenti. Sicuti esse possunt, & verè sunt, si veniant à superiore, qui in non acquiescentes suis nutibus sæuire consueuit. Quod verò preces importunæ non irritent professionem, docuit etiam Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.* 5. *num.* 7. sed de tota hac materia grauis metus sufficientis ad irritandos contractus videri possunt, quæ scripsi *in tract. de elect. toto cap.* 4. *& cap.* 5. *quæst.* 2.

79. In dubio autem professionis, aut timoris quid agendum? Hic distinguendum est quia vel est dubium an metuens professus fuerit, vel an metuens meruerit metu graui, cum certum sit illum emisisse professionem. In hoc igitur distinguuntur professio tacita, & expressa. Quod vbi professio est expressa, non est dubium de professione in foro externo, quia verba animum exprimūt. Et licet qui expressè professus est possit habere dubium, an ipse habuerit animum profitendi, vel non. In foro tamen externo habebitur pro professo ex animo, nisi aliundè oppositum probetur, & onus probandi pertinebit ad eum, qui animum adfuisse negat. Potest tamen de facili esse dubiū an professus fuerit ex timore. In his tamen duobus casibus possessio stat pro professione, quia de

ea

ea constat, excusatio verò est dubia nimirum dubium est, an ex timore sit professus, vel an professus sit ex animo profitendi. In foro igitur externo possessio manifestè stat pro professione quia exterior professio facta est, ex qua præsumi debet interior, nisi aliud probetur. Vnde in foro externo talis sine dubio habebitur tanquam professus, nisi oppositum probat. Idem verò habere debet etiam in foro interno, quia nullus debet præsumere per se loquendo de se ipso quod voluerit mentiri, vel vnum habere in ore, & aliud in corde, nisi ex aliquo probabili principio hoc deducatur Sanchez *l.4. Moral. cap.2. num.vlt. & cap.3. num.37.* Bordon. *c.2. q.16.* Sic ergo vbi constet de professione si sit dubium de validitate illius, vel quia sit dubium, an emissa ex metu, vel an metus fuerit grauis, vel ex quacumque simili causa dubitans in conscientia se habere debet vt professus, & professio habenda est pro valida. Vech. *d.15. dub.12.* Diana *p.4. tr.3. resol.35.* quo sequitur Corona *l.4. cōtr.4. cap.1. num.30.*

80. Sed vbi professio non fuerit expressa sed tacita, potest esse dubium de professione ipsa quo dubio existente possessio pro libertate esse videbitur. Sed non ita est necessario, quia vbi exterius constet de facto inducente professionem tacitam possessio stat pro professione, & in vtroque foro præsumi seu haberi debet, vt valida, quia vt citati DD. dicunt semper præsumi debet pro validitate actus. Et sic nisi satis constet Religioso defecisse aliquod requisitum substantiale ad valorem professionis, etiam si de hoc sit dubius habere debet professionem vt validam. Si alias constat de facto inducente professionem tacitam, Si tamen in facti contingentia dubium contingeret, an professio sit emissa. In hoc dubio possessio est pro libertate, & procedit eorum doctrina, qui asserunt in dubio, an quis vouerit votum non obligare.

81. Vltimo circa hanc partem dubitatur, an sicut metus grauis irritat professionem si sit ex parte profitentis, ita illam irritet, si contingat ex parte acceptantis. Supponimus enim tanquam certum, ad valorem professionis esse necessarium consensum Religionis acceptantis promissio, & traditio profitentis, vt sit valida debet acceptari à Religione acceptatio autē istam debet esse libera. Vnde sine dubio ad professionem requiritur consensus liber acceptantis, vt notant Abb. ex Innoc. *in cap. porrectum num.10. de regular.* & clare habetur *ex eod. cap. porrectum, & cap. ad Apostolicam de Regular.* Hoc supposito intrat dubium, an si acceptanti incutiatur timor grauis, ex quo moueatur ad acceptandam professionem alicuius, professio illa sit nulla. Affirmant enim Lessius *l.2. de iustit. cap. 41. dub.7. num.71.* Donatus *p.4. tr.11. q.11.* Tum, quia in matrimonio ad illud irritandum sufficit quod alter coniugum ex timore graui iniustè incusso consentiat. Tum quia ad hoc, vt contractus sit iustus debet ex vtroque parte seruari æqualitas, cum ergo in professione interueniat contractus vtraque ex parte obligatorius, & correlatiuus, ex vtraque parte etiam necessarius est consensus liber à metu.

82. Sed si metus ex natura rei irritaret contractum professionis, sine dubio dicendum esset tam ex parte profitentis, quam ex parte acceptantis ad professionem, necessariam esse libertatem à metu, cum ex vtraque parte consensus liber exigatur. Verum cum metus non ex natura rei, sed ex dispositione iuris positiui irritet professionem, nec nobis apparet vel lex, vel consuetudo legitimè introducta, quod metus ex parte acceptantis se tenent irritet professionem, rationes allatæ in contrarium non vrgent. In his enim quæ pendent ex iure positiuo non assimilantur necessario matrimonium, & professio. Sic matrimonium potest iniri coniugibus excedentibus impubertatem, scilicet vero agente annum 14. & muliere 12. & tamen nec mulier nec vir possunt profiteri ante annum 16. completum. Et præterea in causa ob quam ius excludit metum non conueniunt matrimonium, & professio. In matrimonio enim vterque contrahentium est singularis persona, & ex parte vtriusque potest de facili interuenire metus imò & de facto sæpius contingit in graue præiudicium coniugum inter quos nequit esse concordia iucunda, si alter inuitus alteri iungitur. Sed in professione altera pars non est singularis persona, sed est collegium, & Capitulum, quod cum magna difficultate potest cogi per metum, & vnde vel rarissime contigit capitula cogi ex metu admittere aliquem ad professionem. Ideò ex parte Capituli non fuit necessaria lex irritans professionem acceptatam per metum, quia lex non datur propter ea, quæ raro contingunt. Sic licet electio coacta sit nulla, *cap. cum dilectus de consuetud.* non licet arguere ad nullitatem professionis, quia in ijs, quæ pendent ex iure positiuo non valet argumentum de vno ad alium contractum. Quamuis exemplum contrarium probet, quia imò electio coacta ex parte electi non est nulla, & sic sicut electio est nulla si eligentium consensus sit coactus per metum, non verò si sit coactus consensus electi, ita professio est nulla si consensus profitentis sit coactus, quia eius fauore est inducta hæc nullitas; non verò si sit coactus consensus recipientis professionem. Ideò nec valet secundum argumentum, quia quod in contractibus debeat seruari æqualitas est verum respectu illorum quæ ex natura contractus requiruntur, & sunt necessaria ad æqualitatem iustitiæ seruandam, sed non est verum de requisitis ex iure positiuo. Nam huius exemplum habemus in professione ipsa. Nam cogens mulierem per vim, & metum ad professionem est excommunicatus ex Concil. Trid. *sess.25. de regularibus,* & tamen non est excommunicatus, qui cogit Monasterium ad recipiendam professionem mulieris, vt supra visum fuit. Benè igitur ex iure positiuo metus si sit ex parte profitentis potest irritare professionem, & tamen non irritare illam, si sit ex parte Capituli professionem admittentis. Et ita hanc partem tenent Suarez *t.3. de Relig. l.6. c.4. num.6.* Palaus *tr.16. disp.2. p.2. §.2. num.2.* Anton. à Spir. S. *tr.3. d.3. sect.1. num.21.* Bordon. *de profess. cap.3. q.19.*

83. Quod extenditur vt sit verum etiam si admissus non sit dignus, & sit grauosus Monasterio dummodo alias sit capax profitendi. Quia cum talis professio ex natura rei non sit irrita, nec adsit lex positiua illam irritans non est vnde irrita iudicatur. Suarez ibid.

84. Si igitur Capitulum verè consentiat, & iam

Iam si ex metu coosentiat valida est professio sine metu à profitente emissa, sed si vel Capitulum, vel etiam solus Prælatus accipiens professiooem alicuius fingat, & verè oon coosentiat, in foro interno professio erit nulla, quia noo acceptata, sed in foro externo sustinebitur. Et nisi aliuode probetur ooo erit credendum Prælato dicenti sed nō dedisse consensum professionis. Imò professus nedum non tenebitur credere, sed oec poterit credere ad effectum exeundi; quia hoc esset expooere se periculo fraogendi votum, nisi aliuode quantū opus est dictum Prælati confirmetur, vt credatur. Sed ad effectum quærendi remedium credere poterit. Suarez loco citato. Et modo ab eo, qui prætendat professionem esse nullam oon licet propria authoritate exire, sed iuxta decretum Conc. Trid. debet coram Superioribus reclamare.

S V M M A R I V M.

1 *Discrimen inter metum, & ignarantiam in ordide ad irritandos contractus. num. 85.*
2 *Ignorantia quadrupliciter accidere potest in professione. num. 86.*
3 *Ignorantia concommitans non irritat professionem. num. 87.*
4 *Ad validè profitendum sufficit notitia aliqua confusa status Religiosi. num. 88.*
5 *Non est necessaria notitia comprehensiua. numer. 89.*
6 *Neque quidditatiua perfecta. num. 89.*
7 *Obiectum professionis formale, cammune, & materiale detrimentum. num. 90.*
8 *In profitente essentialiter non est necessaria notitia distincta, & in re ipsa abiecti materialis professionis. num. 91.*
9 *Sufficit vera quod abiecti formalis habeat quid nominis, & aliqualem notitiam, & potest iuuari scientia aliorum. num. 92.*
10 *Si contingeret Religionem esse impossibilem promittenti professio esset nulla non ex defectu scientia, & inuoluntary, sed ex incapacitate subiecti. num. 93.*
11 *Ignorantia affectata non irritat professionem. num. 94.*
12 *Nec qua admittit dubietatem. num. 95.*
13 *Ignorantia crassa irritat professionem. num. 96.*
14 *Ignorantia irritat si profitens intendit non obligare se nisi ad cognitu. num. 97.*
15 *Vix est dabilis casus in qua professio sit nulla ex dolo. num. 98.*
16 *Professio est pramissio vita regularis absolutè cognita, & volita independenter à quacumque deceptione. num. 99.*
17 *In cap. fin. 20. q. 3. per tonsuram intelligitur prafessio. num. 100.*
18 *In eod. cap. est sermo de circumuentione circa materiam vita Religiosa. num. 101.*
19 *Intell. cap. Cum dilectus, de his, qua vi, &c. num. 102.*
20 *Intellectus cap. Dudum de conuers. coniugat. num. 103.*
21 *Ratio insufficiens pro assertione excluditur. numer. 104.*
21 *Limitatio assertionis non admittitur. num. 105.*
23 *Etiam prudentissimus deceptio non vitiat si non sit circa necessaria scienda. num. 105.*
24 *Si quis dum profitetur absolutè intendit facere quod fieri debet, seu alij faciunt validè profitetur num. 106.*
25 *Sententia distinguentium inter substantialia, & accidentalia proponitur. num. 107.*
26 *Ita error circa causam finalem determinatam non vitiat. num. 108.*
27 *Ad irritandum professionem non sufficit quod deceptus si non fuisset deceptus eam non emisisset. num. 109.*
28 *Voluntate absoluta, & deceptiones excludente eligitur vita regularis per professionem. numer. 110.*
29 *Non omnis error circa substantialia irritat professionem. num. 111.*
30 *Cur deceptio possit irritare frequentius votum simplex. num. 112.*
31 *Materia voti Religionis est donatio, & traditio Religiosi, qua est quasi contractus, qui nisi aliud exprimatur censetur fieri iuxta legem, & consuetudinem. num. 112.*
32 *Discrimen inter metum, & dolum. num. 113.*
33 *Deceptio ex parte Religionis quando irritet. num. 114.*
34 *Deceptio circa personam irritat. num. 114.*
35 *Deceptio circa personam irritat professionem. num. 115.*
36 *Deceptio circa substantiales conditiones nouitij relinquit irritum professionem. num. 116.*
37 *Deceptio circa qualitates nouitij, de se non irritantes, non irritat. num. 117.*
38 *Occulto laborans morbo gallico validè profitetur. num. 118.*
39 *Deceptio in non substantialibus etiam supposita prohibitione non recipiendi eos, qui sunt talium qualitatum, non irritat. num. 119.*
40 *Secus si superior protestetur se non consentire in professionem, si nouitius sit talis qualitatis. num. 120.*
41 *Protestatio debet non esse interpollata. num. 121.*
42 *Protestatio an debeat denunciari parti. num. 121.*
43 *An eius scientia sit in altera parte necessaria. num. 122.*
44 *Protestationem interpollatam non valere, aut valere est arbitrarium. num. 123.*
45 *Necessaria est protestatio formulis. num. 124.*
46 *Sufficit protestatio virtualis. num. 125.*
47 *Etiam si dicatur nouitio quod non posset incipi si haberet hunc vel illum defectum si non fiat protestatio de nullitate professionis illa est valida. num. 126.*
48 *Protestatio vsu inutilis efficitur eiici. num. 128.*
49 *Religio decepta in admissione ad habitum potest ex hoc eum non admittere ad professionem. num. 129.*
50 *Professio emissa in ita est valida. num. 130.*

De professione ex dolo emissa Inspectionis tertia.

CAP. SECVNDVM.

85. ALtera quæstio principalis ex parte libertatis tractanda est an professio facta ex dolo, deceptione, vel ignorantia sit valida. Circa quam quæstionem hoc vnum est præsupponendum primo, scilicet latum esse discrimen inter metum, & ignorantiam in hoc quod est tollere libertatem. Nam metus, qui scientiam supponit, tollit solum libertatem secundum quid, quoniam quod fuit per metum licet sit inuoluntarium spectato obiecto secundum se ideoque sit inuoluntarium voluntate antecedente plenam aduertentiam, & conditionatâ, tamen voluntate consequente, & absoluta, quæ sequitur plenam rei considerationem, est simpliciter voluntarium quia omnibus pensatis, vel saltem pensatis circumstantijs metuens iudicat sibi bonum ad fugiendum imminens malum, hoc vel illud agere. Sed ignorantia potest tollere, & tollit voluntarium simpliciter, si voluntatem antecedat, vt tradit D.T. communiter acceptus in p. 1. q. 6. a. 8. Voluntati enim impossibile est velle non cognitum, vnde simpliciter inuoluntarium, & non liberum est quod fit ex ignorantia voluntatem antecedēte, quia quod non est cognitum nec est volitum, nec est volibile, vnde multo minus est libere volitum, quia libertas voluntatem supponit. Ideò distinguuntur secundo quod metus ex natura rei non irritat contractus, sed solum ex iure positiuo, vt dictum est, quia cum non causet inuoluntarium simpliciter, sed solum secundum quid, bene stat contractum secundum quid inuoluntarium valere. Sed ignorantia irritat contractus ex natura rei, quia cum tollat simpliciter voluntarium si antecedit, tollit funditus consensum liberum sine quo humani contractus non valent. Distinguuntur verò tertiò, quod donationes, & contractus ex metu graui orte licet non omnes plures tamen ex iure positiuo sunt actus irriti, sed donationes, & contractus prouenientes ex ignorantia non ita ex lege positiua irritantur, & certe professio ex ignorantia emissa nullo iure positiuo decernitur irrita, vnde est quod ad videndum an professio inita ex ignorantia sit irrita, natura rei spectanda est, nam alias ex Sacris Canonibus, vt videbitur potius habetur, quod professio facta ex ignorantia irrita non sit.

86. Est vero considerandum secundò, quod in præsenti ignorantia siue negatiua, prout est nescientia, siue positiua, quæ est error, quadrupliciter potest accidere in profitente, vel scilicet, vt sit circa substantialem materiam professionis, vel circa accidentia eius, vel circa eius causas, vel circa naturam ipsam, & vim obligatiuam professionis, substantialis verò materia professionis sine dubio ex omnium consensu est perpetua castitas, paupertas, & obedientia, Prælatis Religionis vsque ad mortem. Sed quia materia obedientiæ incerta valde est, & vaga, & indeterminata, & diuersimode limitatur secundum diuersas regulas, & constitutiones, vnde nec Religiosus tenetur obedire Prælato nisi vt præcipienti secundum regulam, ideò regula etiam spectat ad substantiam materiæ professionis, non quia regula sit ita materia voti obedientiæ, vt Religiosos ex voto teneatur seruare sub mortali quidquid continetur in regula, sed quia regula est vera, & substantialis materia illius promissionis quam profitens facit Religioni, cum se illi donat promittens vitam regularem, seu viuere secundum regulam, ideoque se pariturum Prælatis præcipientibus secundum regulam, iuxta modum præscriptum à regula.

87. His suppositis dicitur primò, quod ignorantia, & dolus si solum concomitentur professionem, non reddunt illam inualidam. Ignorantia enim concomitans non causat inuoluntarium, vt bene docet *D. T. p. 2. q. 6. a. 8.* & tradunt ibi Caiet. Conrad. Medina, Curiell. *§. 2.* Martinez. *d. 11.* Cornejo *disp. vlt. dubio vnico.* Ildephonsus *disp. 97. num. 104.* Syl. *v. ignorantia num. 3.* & cæteri DD. quod enim, quis faceret etiam si sciret, non facit inuoluntarie etiam si faciat nesciendo, quia facit ex causa, ob quam idem faceret supposita scientia. Ideò ignorantia concomitans non reddit inualidam professionem.

88. Dicitur secundo, quod ad valide profitendum non est necesse scire in particulari, & expresse quidquid per professionem promittitur, & ad quid profitens se obliget, sed sufficit scire ea in confuso etiam si sint substantialia, nam sufficit quod profitens habita confusa notitia status Religiosi, & Religiosæ professionis vere intendat promittere, quod alij in professione promittunt, vnde sufficit scire materiam promissionis huius in scientia aliorum. Ita habetur loquendo de voto in communi ex Sanchez *l. 4. mor. cap. 2.* Huius quidem oppositum sensit modernus quidam Auctor, vt refert Coron. *l. 4. contr. 4. cap. 1. num. 19.* qui in libello, quem Pœdiam Peripateticam inscripsit *a pag. 316.* contendit multos Religiosos re ipsa esse professos inualide, eo quod aliqui illorum ignorabant, quid sit perfectio, quæ leges Religionis, quæ consilia, ad quid obliget votum castitatis obedientiæ, & paupertatis. Aliqui non omnes Religionis mores exploratos habebant, nonnulli non intendebant imitari Christum, fugere peccata quæ sunt in seculo. Et animam suam perfectius dirigere, quam in seculo, sed hæc doctrina, vt aduertit idem Coron. falsa est, & scandalosa, & vt talis à S. Cong. proscripta, vere enim est destructiua non solum status Religiosi, sed etiam matrimonij, seruitutis, & aliorum contractuum.

89. Itaque cognitio rei cum sit duplex alia scilicet comprehensiua, alia quidditatiua, etiam stultis manifestum erit cognitionem comprehensiuam non esse necessariam ad valorem donationum, & contractuum quis enim est etiam inter doctissimos qui plenè comprehendat, quid sit donatio, vel contractus; cum hæc cognitio continere debeat notitiam claram, & certam omnium dona-

donationum possibilium, & contractuum, Cognitio verò quidditatiua duplex est, alia dicitur quid nominis, alia quid rei. Hæc illa est, quæ de re significata per nomen datur per eius genus, & differentias substantiales. Paritee ergo dicimus ad valorem professionis non esse necessariam cognitionem quidditatiuam, quæ dicitur quid rei, seu per quam cognoscatur distinctè, quid sit professio substantialiter, vel quid sit regularis vita consistens in paupertate, castitate, & obedientia promissa per votum. Nam & hoc experientia demonstrat, cum & vsque ad hanc diem etiam doctissimus non omnino certo constet, quid sit professio. Neque enim in assignanda eius diffinitione conueniunt omnes, nam vt supra dictum fuit quidam professionem ponunt in genere contractus mutui ex vtraque parte obligatorij. Alij hoc vel esse simoniacum arbitrantur, si qui profitetur dat vt sibi ex iustitia reddatur, vel si professio non accipiatur vt liberalis donatio, promissio esse contra naturam professionis, quæ essentialiter est actus virtutis Religionis, & ideò est oblatio, & donatio in Dei votum, & obsequium facta, & propterea D. T. *supra q.* 186. *a.* 1. ex S. Greg. *hom.* 20. in Ezechielem dixit, quod professio est holocaustum Deo oblatum, vnde dicunt professionem proptia non esse contractum, sed esse donationem, promissionem, & oblationem prorsus liberalem, quæ ex nullius pacti vi infert aliquam obligationem in Religione, quamuis ex vi & natura acceptationis professionis consequatur in Religione obligatio alendi professum, & habendi eum in filium. Et hanc sententiam, sequutus sum supra, si ergo inter DD. non conuenit quid sit professio, bene certum est, quod in Monialibus, & Religiosis Laicis, & indoctis nouitijs, & vniuersaliter in nullo necessaria est perfecta, & plene certa cognitio quidditatiua professionis Religiosæ. Sed & absolute loquendo quot controuersiæ sunt circa quidditatem donationis, & contractuum adhuc indecisæ? Et quam pauci sunt emeotium, vendentium, contrahentium, donantium qui quidditatiue sciant, quid sit emptio, venditio, contractus, aut donatio? Ad se ergo obligandum per donationem aut contractum, & ideo etiam per professionem non est necessarium scire quid sit donatio contractus, & professio per rei diffinitionem datam per genus, & essentiales differentias. Sed sufficit diffinitio quid nominis, & aliqualis confusa cognitio rei significatæ. Non quidem quia sufficiat cognoscere aliquod illius prædicatum commune, nulla eius differentia cognita, sed quia sufficit aliqua confusa, & minus distincta cognitio.

90. Vrum quia loquimur de professione, quæ simul est donatio, & promissio, vt appareat qualis notitia rei donatæ, & promissæ sit necessaria distingui debet inter obiectum formale, & materiale huius donationis, obiectum enim formale professionis Religiosæ vt à quacumque alia donatione, aut promissione distinguitur est vita Regularis consistens in paupertate, castitate, & obedientia secundum hanc, vel illam regulã determinatam. Sed materiale obiectum est illud determinatum, quod sub paupertate, castitate, & obedientia continetur, vt quod ex vi paupertatis Religiosus neque hoc, neque illud possit recipere, aut alienare sine licentia, ita quod nec à patre possit recipere, nec Patri possit donare, & similiter quicumque casus in particulari, qui continentur sub paupertate. Et sic etiam ad professiones obiectum materialiter se habent præcepta, statuta, mandata, & obseruantiæ regulares specificè, vel indiuidualiter sumptæ. Sicut enim Theologi dicunt quod obiectum formale potentiæ diuinæ est ens, vt participabile, & factibile, sed hoc vel illud ens in particulari est eiusdem potentiæ diuinæ obiectum materiale, & inadæquatum. Ita regulare obsequium Deo præstandum in paupertate, castitate, & obedientia secundum hanc vel illam regulam, est formale obiectum professionis, sed particularia paupertatis, castitatis, & obedientiæ indiuidua, materialiter se habent ad professionem, & eius obiectum.

91. Dicitur propterea, quod essentialiter loquendo ad valorem professionis in profitente nõ est necessaria distincta notitia eorum in particulari, quæ cadunt sub paupertate, castitate, aut obedientia, sed sufficit illa confusa, & implicita, quæ continetur in cognitione obiecti formalis, scilicet paupertatis, castitatis, & obedientiæ; quia per hanc notitiam qui profitetur scit, quod promittit, se in quocumque casu abdicare à se dominium rerum, & vsus earum, nulla facta limitatione, & se in nullo casu posse violare castitatem, & se in quocumque casu, qui sit secundum regulam teneri ad obediendum superiori, quod ergo sufficiet hæc notitia in genere probatur. Nam ad hoc vt promissio rei in vniuersali essentialiter subsistat, & promittens non possit excipere de dolo aut ignorantia, sufficit quasi habeat notitiam vniuersalis, quod est id, quod per se primo principaliter, & formaliter promittitur, & quod sciat sub illo vniuersali multa particularia ac multa, imo infinita posse contineri. Sicut enim illa particularia secundario, inadæquate, & in alio promittuntur, sic sufficit quod vt possibilia in eodem vniuersali cognoscantur, sic qui seruitutem promittit, sufficit, quod cognoscat quid nominis seruitutis, & quod obsequia particularia in seruitutis obligatione continenda. Ita & Religiosus non est necesse, quod habeat notitiam particularem obsequiorum, quæ ad se obligat, sed sufficit quod habeat notitiam Religiosæ seruitutis, quam promittit. Nam vniuersale absolute, & generaliter distribuendum est obiectum, quod si est bonum est amabile, & si est malum est odibile; potest ergo si absolute sumpta seruitus seu status Religiosa amari, & efficaciter eligi, & promitti ex hac sola notitia, quod ipsa sit bona.

92. Sed addunt vlterius, quod etiam obiecti formalis professionis non est necesse, quod profitens habeat diffinitionem quid rei, & sciat quidditatiue quid sit paupertas, castitas, & obedientia, sed sufficit notitia quid nominis, & aliqua etiam quid rei, vt sciat v.g. quod in facto sit pauperem esse est nullius rei habere dominium, & liberum vsum. Et hoc etiam sufficit vt sciat in scientia aliorum, vt promittat eam v.g. paupertatem, quam vouent alij, pariter, & castitatem, & obedientiam; nam & vnusquisque liber, & expeditus potest se libere obligare ad ea, ad quæ nouit se

se alios obligare, etiam si magis distinctam cognitionem non habeat, eorum ad quæ se obligat.

93. Nec obstat si quis dicat, quod hoc modo quis potest se obligare ad impossibile, quia potest esse, quod alicui sit impossibile sustinere onera Religionis. Tum quia data hoc impossibilitate, non valeret professio ex incapacitate subiecti, non valentis se obligare etiam scienter ad id, quod non potest non verò professio esset irrita ex defectu scientiæ, & in voluntarij. Tum quia Religio nulli soluto est impossibilis, quia nulli est impossibilis castitas, vel paupertas, vel obedientia, & ad reliquas obseruantias ineptus, non est ineptus substantialiter statui Religioso, in quo sunt infirmi, qui non possunt ieiunare, vigilare, laborare, & alias ferre austeritates, & qui iuxta cuiuscumque regulæ moderamen dispensantur in huiusmodi obseruantijs. Et si vt dicebamus, talis sit conditio profitentis, & regulæ professæ, vt ille sit incapax admitti, tunc professio esset nulla, ex incapacitate subiecti, non ex defectu voluntarij.

94. Colligitur ex hoc, quod ignorantia affectata non sufficit ad inualidandam professionem. Quia qui ex vna parte non vult scire, vel quid promittat profitendo, vel qualis sit obligatio, quam contrahit ea vi professionis, & ex alia parte vult profiteri, censetur velle emittere professionem sicuti alij faciunt, & promittere quod verba professionis important, nisi aliunde de contraria eius intentione constet. Et certe ille talia habet sufficientem notitiam professionis, cum sciat quid sit in confuso, quia nimirum est promissio obligatoria, quia hoc verba professionis, quæ proferr latis exprimunt. Et si aliud non vult scire, nec aliud inquirere, & tamen exterius vult profiteri, censetur velle se obligare iuxta naturam professionis Suarez *tom. 3. de Relig. libro 6. capit. 5. num. 9.*

95. Colligitur secundò, quod illa ignorantia quæ non excludit dubietatem, & suspisionem non est inggorantia, quæ sufficiat ad inualidandam professionem. Quia sufficienter scit in ordine ad disponendum de se ipso, qui scit suspicari, & dubitare, vnde si quis ea vna parte dubitet an per professionem promittat paupertatem perpetuam, vel an professio obliget in perpetuum, & nihilominus vult profiteri, censetur velle se obligare sicut in rei veritate requirit natura professionis, nisi expresse aliud intendat. ita in simili loquens de ignorantia obligationis voti tenuit Sanchez *l. 4. mor. c. 2. n. 26.*

96. Dicitur verò tertiò, quod quatenus scientia est necessaria, ignorantia excludens illam scientiam etiam si sit crassa sufficit ad inualidandam professionem. Non enim est eadem ratio de peccato, & de pacto inducente obligationem. Ad peccatum enim sufficit voluntarium imputatum, ideo quod fit ex ignorantia crassa contra legem peccatum est, sed ad se valide obligandum non sufficit voluntarium imputatum, sed requiritur vera, & propria voluntas, quia circa rem aliàs non præceptam, nequit oriri obligatio nisi ea vera, & propria voluntate, ideo non sufficere ad votum voluntarium in causa docuit Sanchez *l. 1. de matrim. disp. 8. num. 21.* Sic enim si quis sciret se in ebrietate emittere vota plura, & tamen inebriaretur, & ebrius vota emitteret, vota nulla essent, licet sibi imputaretur homicidium in consimili casu ebrietatis commissum. Et quamuis ad votum sufficiat voluntas virtualis, si sit voluntas voti in se ipso, tamen ea eo quod scit se in ebrietate vouere, non censetur virtualiter velle votum, ex eo quod se inebriat, vt votum teneat, & tamen censetur virtualiter velle illam irreuerentiam, quæ fit Deo in ebrietate inaniter, & inutiliter vouendo, & cum Deo in ebrietate quasi contrahendo, & sic etiam sic vouendo peccat. Ideò ignorantiam excludentem scientiam necessariam licet aliunde crassam, & supinam non inualidare professionem tenuit Suarez *tom. 3. de Relig. libro 6. cap. 5. num. 9.* Sanchez *lib. 10. de matrim. disp 9. num. 12.*

97. Dicitur quartò, quod ignorantia etiam accidentalium, & quæ non sunt de substantia professionis potest inualidare professionem, si profitens ex sua intentione ignorata excludat, & non intendat se obligare nisi ad ea quæ scit. Quia numquam votum se extendit vltra intentionem vouentis ex alia verò parte dimidiata promissio à Religione non admittitur, sed requiritur obligatio ad viuendum secundum regularem, & vniformiter, quia Religio non esset ordinatio vitæ, sed confusio, si Religiosi disformiter profiterentur, & vnus vnum, & alius aliud promitteret iuxta suam voluntatem, non acceptatur igitur professio, nisi profitens promittat vitam regularem absolute, & in omnibus obedire prælato præcipienti secundum regulam.

98. Dicitur propterea quinto, quod moraliter ferè non est dabilis casus in quo aliquis inualide profiteatur, quia nesciens, vel fraude ductus aut dolo profiteatur, & propterea dicitur, quod regulariter professio ex ignorantia, & fraude, & dolo non est irrita, nisi profitens expresse suam intentionem limitet ad suam expressam notiam, vel aliam limitationem apponat repugnantem professioni. Hæc est sententia eorum, qui absolute dixerunt professionem emissam ex fraude, & dolo etiam dante causam contractui non esse irritam ita ex *cap. constituit 20. q. 3.* & *cap. cum dilectus*, ibi, *nec obstante dolo* quo se proponebant fuisse seductos de his, quæ vi &c. & *cap. ad nostrum*, ibi, *quosdam pueros seduxerunt de Regular.* tenuerunt Glossa *in cap. vltimam 20. q. 3. v. cogantur & cap. Cum dilectus, de conuers. coniug. v. ad fatuitatem de ijs que vi, & cap. ex parte el 2. v. falsa & cap. venient v. captiore. & cap. Dudum v. spei de conuers. coniug.* Abbas in *cap. Cum dilecti de empt. & vendit num. 7.* Bellam *ad d. cap. fin. 20. q. 3.* & ibi Turrecrem Anton. *d. cap dudum de conuers. coniug. num. 25.* Anchar. *d. c. ex parte, de conuers. coniug. num. 4.* Sylu. *v. Religio 3. q. 11.* Flamin. *de resig. benefic. l. 13. q. 3. num. 2.* Berons Euerardus, Crottus, Padilla, apud Sanchez *lib. 10. de matr. d. 9. num. 19.* Reuerendiss. Fag. *cap. Nullus num. 21. de regul.* & latè *cap. sicut nobis num. 8. eod. tit.* vbi *num. 12.* quod licet ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 17. de Regul.* explorari debeat voluntas puellæ, professuræ an libere velit profiteri, tamen non per hoc est inualida professio, si vel seducta

ducta profiteatur, vel id fiat exploratione non premissa, quam non esse necessariam de forma declarauit S. Congregatio.

99. Explicatur autem prius, & ratione probatur posita assertio quia à profitente duo necessario scienda sunt, scilicet materia promissa, & natura seu modus promissionis, scilicet perpetua obligatio, & irreuocabilis. Sed quantum ad primum, vt probatum fuit *num.* 81. *& seq.* sufficit notitia communis, vitæ regularis formaliter absolute talis scilicet, qualis habetur ex quid nominis paupertatis, & castitatis, & obedientiæ secundum regulam, ex hac enim sola notitia potest vnusquisque valide se obligare quamuilibet Religionem profitendo, & promittendo obedire, & viuere secundum illius Religionis regulam, quamuis in singulari nesciat, quid regula præcipiat; habita verò hac notitia absoluta vitæ regularis, quia scilicet est vita pauper, & casta sub obedientia Prælatorum secundum regulam hanc, vel illam vsque ad mortem, nullus dolus remanet, quod possit professionem annullare, nullaque deceptio, nulla ignorantia. Contra professionem enim intantum potest quis excipere de fraude, aut dolo, inquantum dicere posset; quod si, v.g. non fuisset deceptus, & dictum sibi non fuisset, quod Religiosi huius Religionis possunt deferre linea ad carnes, vel carnes commedere non fuisset talem Religionem professus, in qua vti lineis, & carnibus est prohibitum. Verum hæc exceptio nequit dari, quia qui profitentur habens tantam notitiam quanta necesse est, vt absolute admittat vitam regularem; illamque sic absolute promittens, simul excludit omnem præfatam exceptionem; si secundum regulam professum est non vti lineis, & carnibus quia absoluta voluntas qua quis vere promittit vitam regularem absolute excludit omnem voluntatem dependentem à conditione, quæ vel sit contra regulam, vel (quod in idem redit) non sit secundum regulam, quia velle viuere secundum hanc regulam, & velle non seruare hoc vel illud, quod est secundum regulam opponuntur. Ideò voluntas profitendi absoluta vel non est, vel si est, est voluntas independens ab omni deceptione, ignorantia, vel dolo quia si est, est voluntas saltem virtualis excludens quidquid non est secundum regulam vere, & in rei veritate, & non obstante quacumque ignorantia. Vnde sicut si quis expresse exciperet, & diceret volo viuere secundum regulam Prædicatorum absolute ideoque, & vniuersaliter, & sine conditione, & tamen nolo deferre vestes laneas ad carnem, vel nolo abstinere à carnibus fatuus esset, quia simul contraria vellet, ita fatuitas est velle viuere absolute secundum regulam aliquam, & velle illam vitam dependenter à quacumque deceptione; vel dolo, vel ignorantia, quia istæ sunt voluntates contrariæ, & vna excludit aliam, nec simul se compatiuntur, & vita in omnibus à regula regulata, & vita vel in minimo discrepans à regula contrariæ vitæ sunt, & oppositæ, vnde nec simul stare possunt voluntates absolutæ vtriusque oppositæ vitæ.

100. Ex hoc modo probatur assertio ex sacris Canonibus, in quibus doctrina data approbata conspicitur, & quidem *cap. fin. 20. q. 3.* sic dicitur. *Constituit Sanè sacer iste Conuentus, vt Episcopi siue Abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam, & turpe lucrum inhiantes quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt pœnitentiæ Canonicæ (vt pote turpis lucri sectatores) subiaceant. Hi vero, qui illecti comam deposuerunt, in eo quod cœperunt, perseuerare cogantur, res vero eorum hæredibus reddantur.* Existimat autem Suarez *tom. 3. de relig. l. 6. cap. 5. num. 6.* dici posse hic esse sermonem non de Religione, sed de ordine sacro, qui characterem imprimit, ideoque ordinatus cogi debet ad perseuerandum in ordine; licet ex deceptione fuerit ordinatus. Sed hoc contra textum dicitur. Tum quia tonsura non est ordo, nec imprimit characterem, neque ex hoc quod quis primam tonsuram assumat, vel etiam ordinem est incapax dominij bonorum suorum ita, vt bona illa iam ad ipsum non spectent, nec spectare possint, sed ad hæredes eius pertineant. In textu verò prædicto Concil. Moguntinum nedum statuit tonsuratos debere cogi ad perseuerandum in incœpto, sed eorum bona esse eorum hæredibus restituenda. Ideò nedum est verisimile, sed est certum per tonsuram non intelligi tonsuram Clericalem, vel ordinem, sed tonsuram monachalem & regularem, quæ sola habet paupertatem annexam. Et ita hunc textum, vt loquentem de professione Religiosa intellexerunt Turrecremata, Bellamem, Glossa, & vniuersaliter omnes canonistæ.

101. Sed nec etiam textui conuenit altera eiusdem Suarez expositio, qui ponderans vocem illam *illecti*, ex ea deducit in eo textu non haberi sermonem de circumuentione graui, & respiciente materiam professionis, sed respiciente fallas promissiones, & blandimenta, quibus trahebantur incauti ad Religiosam professionem. Nam textus qualitatem circumuentionis non specificat, aut determinat, & vox illa illecti communis est ad quemcumque modum trahendi etiam per deceptionem, quæ interueniat circa materiam, si quod proponitur amplectendum, vel proponitur vt maius bonum quam sit, vel vt minus difficile, & magis iucundum ex bono enim de facili consequibili maxime allicitur voluntas. Et in proposito, cum vita regularis in se sit quid optimum, & valde amabile, & austeritas illius, & difficultas illa sit, quæ deterret; ex hac deceptione alliciuntur ad eam homines, si mentiendo eius austeritates diminuantur. Nec alia ratio diminutionis potest verisimiliter hic cogitari. Quia allamentes statum Religiosum non mouentur ex aliquo humano fine, si rite & iuste id faciant, sed ex desiderio vitæ, perfectioris neque in illo textu reprehenduntur tonsurati, quasi ex aliquo malo fine susceperint tonsuram, licet reprehendantur tonsurantes, qui mouebantur ex auaritia. Cum igitur non sit inditium præsumendi aliquem malum finem in tonsuratis, neque verò verisimile sit, illis falso promissum aliquod spirituale bonum in Monasterio, quod consequi non posset, potius dicendum est, quod circumuentio erat circa materiam professionis, & circa Religionis austeritates, & tandem textus non distinguit, sed tonsuratos seu professos ex circumuentione,

tione, & deceptione, & dolo, iubet cogi ad perseuerandum in Religione. Quia sic vera est, quod circumuentio non potest irritare professionem illius qui absolute, & in genere scit, sit quid sit vita Monachalis, & Religiosa, quia voluntas absoluta viuendi vere secundum regulam excludit omnem conditionem, quæ ex deceptione oriri possit.

102. Et ad hoc magis vrget cap. *Cum dilectus 6. de his, quæ vi &c.* quod sic habet. *Quia constitit nobis de voto emisso, & de præstito iuramento à Canonicis infulurum, quod regulam Cisterciensem obseruarent, vel translationem illius ipsius Ecclesiæ ad ordinem illorum nullatenus impedirent; cum vtrumque seruatum non vergat in dispendium salutis æternæ, nolentes viam periurijs aperire: non obstante violentia, quæ præponebatur illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantem. Nec obstante dolo, pro quo se proponebant fuisse seductos, cum talis dolus non tam ad circumuentionem prædictorum Cisterciensium, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri super restitutione petitum silentium eis duximus sententialiter imponendum.* Ex hoc capite autem non deduci, quod dolus absolute non vitiet professionem, colligit Suarez d. cap. 5. num. 4. quia cum textus reddat pro ratione, quod ibi non fuit dolus, sed fatuitas, satis insinuatur aliquem dolum grauiorem, seu magis apparentem potuisse sufficere. Verum cur non magis ex hoc textu colligitur id, quod verum est scilicet quod in hac materia supposita notitia obiecti formalis professionis, scilicet vitæ Regularis profitendæ absolutè sumptæ non possit interuenire dolus, qui ex parte decepti non sit fatuitas: Loquitur enim textus de illis qui promiserant obseruare regulã Cisterciens. vel non impedire translatione Ecclesiæ corũ ad Cisterciens. ordinem, ideoque loquitur de illis, qui ad minus absolute, & in communi sciebant quid sit regula Monachalis seu Religiosa ordinis Cisterciens. hoc autem supposito potest quidem in suadente professionem esse vera dolus; sed in suaso non potest non esse fatuitas si decipitur. Nam decipiens alteto ex his modis potest decipere, vel scilicet falsa promittendo, vel falsam regulam exponendo pro vera, & dicendo quod vel regula non præcipit hoc vel illud, vel si præcipit id non præcipit sub mortali, vel si præcipit id amplius ex consuetudine non ligat, vel simili modo mentiendo circa regulæ statuta. Sed quocumque modo interueniat deceptio fatuitas est si quis decipitur, & deceptus profitetur. Quia attendendum est id, quod promittitur quod de se est independens, & absolutum à quacumque conditione, quæ illi repugnare possit, & rem promissam, vel minuere, vel mutare, conuiit secundum regulam Cisterciens. repugnat quidquid vere non est secundum regulam Cisterciens. & velle absoluto quo quis absolute vult teneri ad viuere secundum regulam Cisterciens. repugnat velle vel in totum, vel in parte non teneri ad viuere secundum regulam Cisterciens. Vnde illa velle opposita non possunt simul esse, & est fatuitas velle illa coniungere, quia fatuitas est velle coniungere incompossibilia est ergo etiam fatuitas dicere se decipi in profitendo, & prætendere irritam professionem, quia hæc professio non potest prætendi irrita, nisi prætendendo quod in profitente fuerint simul oppositæ voluntates, quibus voluerit vere teneri ad viuendum secundum regulam, & voluerit non teneri ad hoc, vel illud, quod est secundum regulam, siue voluerit posse hoc vel illud, quod non est secundum regulam.

103. At dices nulla est hic fatuitas, quia qui prætendit professionem irritam, non prætendit conciliare simul illas duas oppositas voluntates, sed prætendit, quod ex quo adest secunda, & voluit id quod sibi vel promissum est, vel expositum & quod vere non est secundum regulam, non adsit prior illa voluntas viuendi in omnibus secundum regulam, & sic quod non sit professio. Sed contra hoc adest textus in *cap. dudum 20. de conuers. coniug.* In quo vnius valde decepti professi firma habetur professio, Maritus prætendens se ex deceptione professum repetebat vxorem, proponens *quod cum iratus fuisset, sicut verba, & verbera indicabant, non dum calore iracundiæ quiescente, quidam ipsum deceptorie illexerunt proponentes eidem; quod in hospitali prædicto cibis ad libitum posset vti, & proprium retinere, præfato sibi nihilominus promittente, quod non solum ardorem, sed etiam appetitum libidinis extingueret in eodem propterquod, quidquid in hac parte fuisset, dignoscitur extitisse sed vestes pariter, & illectus, & sub spe promissionis, ac sub ea conditione vel modo, si posset continentiam obseruare, asserens à se factum.* Hæc pro se maritus ille allegabat, in quibus quidem omnis modus deceptionis continetur, fuit enim deceptus circa materiam, & quidem circa substantiam Religionis, quia sibi dictum fuit non solum quod posset vti cibis ad libitum, sed quod non teneretur ad paupertatẽ verò est de Religionis substantia. Fuit etiam deceptus per falsam promissionem, quia sibi fuit promissa extinctio appetitus libidinis. Fuit quoque facilis deceptio, cum ipse vxori esset iratus, & nondum ira quieuerat cum fuit deceptus. Et nihilominus eius prætensio fuit habita tanquam nulla, ex responsione data ex parte mulieris, quæ talis fuit. *Insuper quamuis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum, eo tamen tempore, quo talia facta fuerunt, pure, simpliciter ac voluntaria præ amore Dei, & remedio animæ suæ solummodo ad votum, & ad alia supradicta noscitur processisse, propter quod à consortio secularium hominum debet dissedere.* Et Gregorius Nonus hac responsione approbata sententiam tulit ad fauorem Mulieris, perpetuum silentium petitioni mariti imponendo. Nam licet in eo qui ad profitendum decipitur nedum falsis promissionibus, sed falsa relatione regulæ ante actũ professionis adsit spes aliqua, vel voluntas conditionata, dum tamen in actu professionis vere ex Dei amore promittit vitam regularem excludit omnem voluntatem professioni non conformem, & sic profitetur independenter ab omni deceptione, & promissione, & conditione opposita professioni, & voluntate vitæ regularis, & ad vitam regularem non minus, quam alij tenetur, & dum se dicit deceptum, nihil sibi proficit, sed imprudentiam suam ostendit.

104. Ex his verò plura colliguntur ex quibus

etiam magis prædicta explicantur, Et quidem primo colligitur, quod ratio, quam Glossa citata, & nonnulli alij afferunt ad probandum quod deceptio, & dolus non vitiat professionem, quia scilicet in his spiritualibus deceptus non decipitur, quia eius conditio melior efficitur, meritò reijcitur à Sanchez *l. 10. de mat. disp. 9. num. 20. fin.* & à Suarez *d. cap. 5. num. 6.* quia hæc ratio valet, quidem ad probandam quod professio etiam minori, non debeat dare restitutio in integrum ratione damni, & præiudicij sibi illati, quia ex professione conditio eius est meliorata, non damnificata, non valet tamen ad probandum, quod sit voluntarium, quod fit ex deceptione, quia nec melior conditio est alieni voluntaria si illam liberè nō eligit, nec censetur liberè eligere, si illam ignorat, & nescit; imò si illam non eligeret, si non deceptus eius veras qualitates agnosceret. Sed vera ratio est, quia qui habet notitiam huius, vel illius status regularis in communi satis cognoscit illum vt possit libere illum eligere, & si eligit talis est natura talis electionis, vt sit absoluta, & independens ab omni deceptione, & dolo ideoq; & inuariabilis nulla circumuentione obstante.

105. Colligitur secūdò, quid sit dicendū de limitatione, quam assertioni supra positæ tribuunt multi dicentes, deceptionem, & dolum non irritare professione, nisi sit talis deceptio, aut dolus, qui virum prudentissimum deciperet. Ita enim limitant Innoc. *cap. cum dilectus, de ijs, quæ vi, &c. num. 2.* Host. ib. *ad v. fatuitatem.* Io. Andr. *num. 2. & 3.* Anton. *num. 19.* Anch *num. 6.* Abb. *num. 12.* Imola *num. 9.* Decius *cap. in præsentia num. 37. de probat.* & ibi Felin. *num. 10.* Syl. *v. religio 3. q. 11.* Nauar. *tom. 2. de regul. num. 31.* Sfortia Oddus *tract. de restit. in integrum 2. p. q. 61. a. 5. num. 32.* Altera vero ex parte hanc limitationem reijcit Suarez *d. cap. 5. nu. 3.* Sanchez vero *ad lib. 10. de matrim. disp. 9. num. 22.* eos interpretatur, vt loquuti sint in foro externo, in quo non admitteretur nisi dolus valde grauis, & talis ex quo vir prudens, & constans potuisset decipi. Cæterum in foro conscientiæ limitatio non habet locum; quia si quis ex deceptione substantiali profitetur non interest an deceptio sit imprudens, quia etiam imprudenter ignorans est incapax vt libere eligat, quod ignorat, & sic non est attendendum, an deceptus sit prudenter, vel imprudenter deceptus, sed an verè sit deceptus deceptione, quæ causet inuoluntarium. Nam & prudentissimæ deceptus circa accidentalia, valide profitetur. Quod igitur in præsenti debet attendi est an deceptio sit circa obiectum materiale, vel formale professionis, nam si est circa obiectum materiale non irritat, nec facit inuoluntarium. Quod facit, si quis decipiatur circa obiectum formale, vt quia putat professionem non obligare ad paupertatem, vel castitatem aut obedientiam, vel erret circa cognitionem paupertatis, castitatis, vel obedientiæ, vel putat professionem non obligare in perpetuum, vt horum nec confusam cognitionem habeat, & talem, quæ iuxta prædicta sit necessaria ad libertatem.

106. Et nihilominus si consimili dolo existente deceptus vel verè dū profitetur absolutè intendit facere quod alij profitentes faciunt, vel dolus non est talis qui in eo excludat dubietatem, & suspicionem de deceptione vel ignorantia sit affectata, professio ex supradictis *num. 94. & 95.* est valida dolo non obstante Bordon. *de profes. cap. 2. q. 50.* quia valide profitetur, qui dum profitetur intendit veram professionem emittere. Et ideò in *cap. tridnum, de conuers. coniug.* supra ponderato, licet ille maritus fateretur se fuisse deceptum circa paupertatem, quia sibi dictum fuit quod in eo Hospitali potuisset habere propriū, nihilominus eius exceptio, seu excusatio non fuit admissa, quia suppositum fuit, & censitū illū in actu professionis absolutè voluisse veram professionē emittere.

107. Colligitur tertiò, quid dicendum sit de illa quadrimembri distinctione, & resolutione, qua moderniores, quæstionem hanc soluunt. Distinguunt enim, quia deceptio, vel est circa causam finalem, & motiuam ad profitendum, vel est circa materiam professionis, & hoc simpliciter, quia vel est circa substantiam professionis, vel circa alias obseruantias regulares, & hoc dupliciter, quia vel huiusmodi obseruantiæ regulares sunt graues, nimirum graues austeritates, vel sunt leuiores. Et ita resoluendo dicunt, quod si deceptio sit vel circa causam finalem ex falsis promissionibus; vel circa materiam leuem professionis, deceptio non irritat professionem, quam tamen irritat si sit circa materiam substantialem religionis, vel circa austeritates graues religionis. Ita Sanchez *d. disp 9. num. 20. & 21.* Suarez *d. cap. 5.* Donatus *p. 4. tract. 13. q. 12.* Palaus *tr. 16. disp. 2. p. 2. §. 2. num. 3.* Martinez de Prado *cap. 31. q. 5. num. 27.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. disp 3. sec. 1. nu. 23.* Coton. *lib. 4. contr. 4. cap. 1.* Bordō. *cap. 2. q. 23.* Nicolius *l. 3. tit. 31. num. 37.* Vnde ad quæstiones particulares respondent v. g. non valere professionem eius, qui putabat se posse comedere carnes, alias non professurus Bord. *cap. 2. q. 25.* quia hic error circa rem grauem æquiparatur errori in substantia. Item qui inuincibiliter iudicauit professionem non esse perpetuam, vel se posse tenere proprium non profitetur valide Bord. *cap. 2. q. 26. & 27.*

108. In hac verò sententia hoc est certum, nimirum deceptionem circa causam finalem, & motiuam ad professionem non reddere illam irritam. Quia ad minus hoc certè probant textus supra relati, quibus adduntur *cap. ex parte el 2. & cap. veniens, de conuers. coniugat.* Nam & vnicum est substantiale motiuum quod quisque profitens tenetur habere, & habere censetur est perfectionis acquisitio, aut conseruatio, & augmentatio. Hic enim est principalis finis assumentium statum religiosum, quem habere tenetur, & censetur habere omnis qui profitetur, & circa quem non est deceptio, & qui solus sufficit ad hoc vt professio subsistat, quocumque alio fine deficiente.

109. Sed hoc supposito, quod deceptio circa motiuum particulare profitendi non irritet professionem, satis difficile est ostendere quod illam irritet error circa materiam, etiam substantialem. Nam vel ad irritandam professionem, sufficit deceptio in eo, quod si fuisset consideratum potuisset prudentes monere ad non profitendum, imò qui profitetur deceptus non fuisset professus, vel ad irritandam professionem hoc non sufficit. Si detur primum male dicitur quod professionem non irritet deceptio circa motiuum profitendi, quia

quia vltra finem; qui est vitæ perfectio potest haberi honestus finis acquirendus per professionem saltem potius in hac Religione, quam in alia, circa quem deceptio dat causam professioni in hac Religione, & ità quod si non fuisset deceptus qui professus est professionem non emisisset. Idem dicitur de materia Religionis, quæ dicitur leuis. Nam & leues obseruantiæ Religionis possunt alicui præbere honestum motiuum ad non eligendam aliquam Religionem in specie, & sic deceptio circa illas potest dare causam professioni, & talem, quod si non fuisset deceptio, non fuisset professio. Itaq; si ad irritandam professionem sufficit quod deceptio quomodocumque det causam professioni, quæ non fuisset si deceptio cessasset, non est vnde dicatur quod deceptio circa motiua professionis, vel circa materiam leuem non irritet professionem, quia & deceptio circa illa potest dare causam deceptioni. Ideò sicut verum est quod causa falsa, & dolosa non irritat professionem, vt ex summa confessorum; summa Pisanell. & Verucc. probat Syluest. *v. diuortium q. 12. n. 25.* Armill. ibid. *num. 16.* & ex Gloss. *in cap. final. 20. q. 3. & cap. Cum dilectus, de his, quæ vi*, Euerard. Cron. & Ham. Sanchez *l. 10. de matrim. d. 9. num. 20.* Ita absolutè ad irritandam professionem non sufficit deceptio dans quomodocumque causam actui, & quæ sit talis, quod si non adfuisset qui emisit professionem, non emisisset.

110. Sed quænam est ratio huius? hæc ratio est, quia deceptio, & dolus si non occultat obiectum ipsum quod cadit sub promissione in ipso actu professionis, sed profitens sufficienter scit, quod donat, & promittit, dum actu profitetur, omnis alia deceptio censetur tunc vt concommitans, seu vt exclusa propter absolutam voluntatem, & efficacem per quam profitens se donat, & promittit in seruum, aut filium Religionis, & Dei. Nam primò adest semper motiuum sufficiens ad mouendam voluntatem ad professionem independenter ab extrinsecis motiuis, & considerationibus, quod motiuum est ratio melioris status, & propriæ perfectionis. Deinde status religiosus est obiectum, quod cum perpetuitatem claudat, petit vel non amari, vel amore perpetuo amari, & assumi, & sic petit assumi independenter ab illis, quæ perpetuitatem electionis, & perseuerantiam voluntatis possent controuertere, & impedire, & sic petit eligi per electionem valde, & maximè absolutam, & minimè conditionatam, seu dependentem ab hac vel illa conditione cognita, & ignorata ab hac, vel illa deceptione, quæ notitiam rei promittendæ non tollat.

111. Colligitur ergo ex his quod non omnis deceptio etiam substantialis irritat professionem, sed solum illa, quæ tollit obiecti professionis notitiam, nimirum notitiam vitæ regularis tam distinctam, quam confusam sufficientem ad hoc vt vita regularis possit esse, & dici non volita, & quæ hanc notitiam tollit in ipso actu professionis, ita quod si deceptio non durat, sed tempore professionis, qui profitetur scit sufficienter quid sit quod promittit, nulla alia deceptio irritat professionem, sed ad illam de facto concommitanter se habet, seu excluditur à voluntate illa absoluta prorsus, & efficaci per quam ob Dei gloriam, & propriam perfectionem, qui profitetur, relinquit mundum, & Deo, & Religioni se donat. Ideò supra bene dictum est, quod qui non decipitur circa vitam regularem formaliter, validè profitetur etiam si circa materiam votorum decipiatur. Sed imò dictum est, & verum est, quod etiam si decipiatur circa distinctam cognitionem vitæ regularis formaliter, si retinens confusam ea vtitur, dum profitetur, vt quia tunc intendit absolutè profiteri sicut verè debet fieri, vel sicut faciunt alij Religiosi, ipse verè, & validè profitetur, nõ obstãte quod tũc materialiter, & concõmitanter esset deceptus circa substantialia, vt quia putet Religiosos posse habere proprium. Bordon. *de profess. cap. 2. q. 10.* Et licet sic errans possit expressè profiteri sub conditione talis erroris, & ita vt non intendat aliter se obligare; tamen si id tunc non exprimat, aut actu saltem virtualiter intendit præualet voluntas illa absoluta emittendi professionem veram, & iuridicam ex motiuo gloriæ Dei, & propriæ salutis. Et sic si tempore professionis qui profitetur intendit profiteri secundum regulam, & prout alij faciunt, error etiam circa substantiam, vel concommitanter se habet, vel omnis intentio, vt ex errore pendens excluditur à voluntate illa absoluta, & sic cessat omnis intentio contraria, & eliditur, & manet valida professio. Et in dubio sic præsumi debet, quia præsumi debet quod eligens vitam regularem intendat eam eligere sicut eligibilis est, & sicut propriè saluti simpliciter conuenit, & est in Ecclesia instituta, & ab alijs eligitur, qui illam profitentur. Si tamen error sit circa speciem Religionis, vt si quis intendat profiteri in Ordine Prædicatorum profiteatur in Ordine Carmelitarum, professio nulla est, quia hic est error veluti personæ, qui inualidat etiam matrimonium, Religio enim est veluti persona ficta cum qua coniungi, & cui incorporari cupit, qui profitetur, vnde error substantialis est, si qui putat incorporari Religioni Prædicatorum per professionem, contra suam intentionem incorporatur Religioni Carmelitarum. Non valet verò actus contra intentionẽ habitus. Sotus *l. 7. de ius. q. 1. a. 2.* Less. *l. 2. c. 40. d. 2.* Bonac. *p. 2. de voto §. 2. num. 4.* Sanchez *l. 10. de mat. d. 9. num. 21.* Bord. *cap. 3. q. 24.*

112. Colligitur quartò, discrimen inter votũ simplex, & votum solemne professionis de eo enim dicitur, quod deceptio illum irritat. Quidam distinguunt, quia votum simplex non est traditio, sed votum solemne continet traditionem per quã homo se tradit religioni. Sed hæc ratio valet ad probandum quod professio sit irreuocabilis, quia nedum est promissio, sed est donatio, & traditio transferens ius, & personam profitentis in religionis potestatem. Sed dicitur, quod non est in hac parte discrimen formaliter, & per se loquendo, quia ad omne votum requiritur sufficiens notitia eius, quod promittitur, & illa deficiente sicut tollitur voluntarium, ita tollitur obligatio voti, sed discrimen est in eo quod promittitur. Et hic semper præ oculis habendum est, quod in professione duplex promissio interuenit, alia scilicet ex hoc humana, quia fit homini scilicet Prælato Religionis, & alia quæ est votum per quam promittitur obseruantia prioris promissionis, quæ per votum sanctificatur, & consecratur. Ad hoc verò

vt prior promissio sit valida, non requiritur essentialiter, nisi quod cognoscatur materia promissa absolutè, & in communi, nimirum quod cognoscatur quid sit vita regularis, quæ promittitur, & quia hæc promissio est simul donatio, & traditio facta intuitu melioris vitæ statim ex natura sua moraliter intelligitur fieri sicuti regula petit, nisi aliter exprimatur, seu sicut petit lex, seu sicuti alij faciunt, seu sicut intendit Religio, quæ admittit. Quando enim initur contractus, vel quasi contractus qui regulariter fit à pluribus, & est à lege approbatus, censetur fieri prout regulariter fit, & prout lex approbat. Ideò qui quasi contrahit cū religione promittens vitam regularem, promittit hanc sicuti lex exigit, & petit Religio, & fit communiter ab alijs, & est necesse vt professus fit in numero professorum: Hac verò humana promissione, & quasi contractu existente valido, nihil in hac parte interesset, quod huiusmodi contractus confirmaretur per votum simplex, vel per votum solemne. Discrimen igitur est quod non omnis voti simplicis materia est, quasi contractus validè initus cum alio, sed sæpius votum simplex non continet nisi vouentis obligationem, quam sibi facie vouens, & præ regulari debet iuxta solam intentionem vouentis vitra quam votum non obligat, ideò in voto simplici deceptio, & dolus latiorem vim habeat ad votum irritandum. Sed etiam in voto simplici vbi materia voti sit contractus, & obligatio ex contractu orta quia contractus mutuum consensum requiret, & ex vtraque parte censetur dari consensus iuxta naturam contractus, & exigentiam materiæ, si deceptio non valet ad irritandū votum, quod non est nisi confirmatio contractus initi, & vltra vires contractus non obligat. Et quia ad irritandum, quasi contractum professionis non valet deceptio nisi sit modo exposito circa formalem substantiam professionis, & excludat simpliciter scientiam ad talem contractum necessariam, ideò nec deceptio alia valet ad irritandum votum professionis.

113. Colligitur quintò, discrimen inter metum, & dolum. Metus enim si cadat in virum constantem irritat professionem, secus si non cadit in virum constantem, sed hoc habet non ex natura sua, sed ex lege vt supra probatum est, Ideò primum discrimen est, quod metus irritat etiam vbi non irritat ex natura sua, quia irritat ex vi legis positiuæ. Sed dolus non irritat nisi vbi est talis, quod ex natura sua irritet, & tollat libertatem necessariam ad consensum. Secundo distinguuntur, quia cum iudicio prudentiæ possit subesse fallum materialiter, etiam si dolus cadat in virum prudentissimum, si non est talis, qui tollat aliàs notitiam sufficientem ad profitendum, non irritat professionem. Et è contra etiam si sit dolus cadens in virum imprudentem, & ferens ignorantiam crassam, & vincibilem, si est talis qui tollat notitiam sufficientem ad libere contrahendum, irritat professionem.

114. Colligitur sextò, conuenientia inter matrimonium, & professionem, vtrobique enim sola deceptio in substantia, & conditione personæ irritat professionem, & ex eadem ratione. Error enim in substantia irritat vtrumque, quia tollit simpliciter voluntarium. Sed in professione non est error in substantia si sit circa materiam veluti remotam professionis, sed solum si sit circa materiam proximam, & formalem, vt explicatum est. Seu non est error excludens cognitionem necessariam, & sufficientem si solum sit error circa res præceptas in regula, sed si sit error excludens etiam confusam cognitionem status regularis in genere, vel in specie, vnde non valeret professio facta in vna Religione ab eo, qui intendit in alia profiteri: Ceterum sufficit cognitio in communi regulæ illius speciei quam quis intendit profiteri. Sed circa conditionem personæ profitentis in religione considerandum, quod irritatur professio ex ratione iustitiæ vel alterius impedimenti legalis, non formaliter ratione ignorantiæ, & deceptionis. Sic enim seruus, vel serua non est sui iuris, vt incorporetur religioni in præiudicium domini, & sic si persona habeat aliquam aliam qualitatem, quæ reddat illam incapacem profitendi non est valida professio, non quidem ratione deceptionis, nisi fiat expressa protestatio, & exclusio dictæ qualitatis, sed ratione legis professionem talis personæ prohibentis, quia nulla est persona, quæ substantialiter non sit apta religioni, quia nulla est quæ non possit viuere sub directione obedientiæ, licet possit esse incapax faciendi hoc, vel illud in particulari, quod tamen non est de substantia religiosi status, similiter, & in matrimonio quamplures docent quod error conditionis non irritet matrimonium ex natura rei, sed ex lege positiua, vt videre est apud D. T. 4. *d. 36. a. 1. ad tertium*, & Sotum 4. *d.* 35. *a.* 3. & Sanchez *l. 7. de matrim. disp.* 19. *num.* 16.

115. An verò idem dicendum sit, si deceptio contingat ex parte Religionis, & decipiens sit ille, qui profitetur, vel alius, qui religionem decipit, distinguendum est, nam professio potest esse irrita, vel aliqua lege illam irritante, vel ex defectu libertatis religionis acceptantis causata ex vi doli, & receptionis. Nam ex prima causa multipliciter irritari potest professio, sed ea irrita esset etiam si non adesset deceptio, quia v. g. religio non potest inuito domino recipere seruum, vel coniugem qui consumauit matrimonium, vel alium lege naturali, aut positiua prohibitum profiteri. Sed loquendo de illis quos religio validè recipere posset, si vellet, & sciret eorum conditionem, & qualitatem, si decipiatur, & dolo occultetur conditio, qua cognita Religio non reciperet, dicitur quod deceptio circa personam, sicut in matrimonio reddit nullum contractum, & receptionem religiosis. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 5. n.* 10. Nauar. *cons.* 48. *de regul. num.* 2. & 3. Rodriq. *to. 2. sum. c. 6. num. 3. & t. 3. q. 17. num. 9.* Sotbus *v. Nsaitius*, Vega 2. *tom. cap. 50. casu* 4. Sanchez *l. 4. mor. c. 4. n. 57.* Palaus *tr. 16 d. 2. p. 2. §. 2. n. 3.* Et ratio est, quia deceptio circa personam, tollit funditus consensum, & libertatem, quia qui intendit contrahere cum hac vna persona, ex vi talis intentionis non contrahit cum alia. Et ideò deceptio circa personam est simpliciter circa substantialia contractus religionis, quia deficit correlatiuum cum quo Religio intendit contrahere.

116. Deceptio autem circa qualitates, & conditionem subiecti distinguitur, quia qualitatem subie-

subiecti aliæ sunt substantiales, aliæ verò accidentales. Substantiales sunt, quæ ita sunt necessariæ, vt sine illis subiectum sit incapax validè profitendi, quia nouitium ea iure naturæ, vel positiuo professio non habentis illas qualitates est inualida, vt est conditio libertatis, & solutio à matrimonij consummati vinculo, & quales censentur illæ quinque conditiones recipiendorum in Religione societatis circa quas nec Generalis, nec tota religio dispensare potest, vt habetur *in p.t. Constit.cap.3. à num.3. vsque ad tertium.* Et idem dicitur de similibus, aut alijs conditionibus, & qualitatibus, quæ ex lege particulari, vel consuetudine approbata à Sede Apostolica, essent necessariæ ad validè profitendum in quacumque religione. Defectus enim harum conditionum reddit nullam professionem. Sed non ratione deceptionis, sed quia ex lege irrita esset professio etiam si Religio non deciperetur, quia Religio non potest sine illis conditionibus validè ad professionem aliquem recipere. Ita DD. supra citati. Quod extenditur, vt sit verum etiam si recipiens ad professionem in lege irritante possit dispensare super defectu dolo occultato: quia Prælatus non dispensat super defectu à se non cognito, & recipiendo ad professionem consentit actui, sed non dispensat super occulto defectu.

117. Sed loquendo de alijs qualitatibus, quarum defectus nō irritat professionem dicitur, quod deceptio, & dolus circa huiusmodi qualitates non irritat professionem. In hoc enim assimilantur matrimonium, & professio Religiosa, & sicut in matrimonio sic in professione religiosa solus error circa personam, vel circa substantiales qualitates personæ, quæ vel iure naturæ, vel ex lege repugnant matrimonio, vel professione irritant matrimonium, vel professionem. Et ratio hoc dictat: Tum quia perpetuitas contractus, aut quasi contractus non admittit occasiones contractus quotidie rescindendi, & natura sua petit, aut quasi contractum non rescindi. Tum quia sicut ex parte religiosi error circa qualitates religionis non irritat professionem, ita nec illam irritat error ex parte Religionis circa qualitates religiosi accidentarias religioni, & eius professioni. Ita DD. citati.

118. Huius autem exemplum communiter DD. tradunt, in eo, qui laborat occultè morbo gallico, & dicunt non esse irritam professionem, etiam si dolus fraudulenter occultantis hunc morbum dederit causam professioni, & Religio non recepisset ad professionem nouitium eo morbo laborantem, si id sciuisset. Sicut enim huiusmodi dolus non irritat matrimonium, ita nec irritat professionem. *cap. sicut nobis,* & ibi Butr. & Panor. *cap. sicut tenor,* & ibi Gloss. *de Regul.* iterum Panor. in *cap. Ex transmissa num. 2.* & ibi Card. & Imola *num. 5. de renunc. Rota decis. 346. num. 5. in collect.* Farin. *contract. & crimin.* Nauar. *cons. 15. vel 48. de Regul. in Thesau. v. Professio cap. 3.* Lezana *p. 1. cap. 5. num. 23. & v. Professio num. 18.* Layman *l. 4. tract. 5. cap. 2. num. 4.*

119. Ideò si non detur lex irritans professionem habentis hanc vel illam qualitatem etiam si admittere nouitium ad professionem cum talibus qualitatibus sit prohibitum, professio facta sine formali protestatione nullitatis erit valida. Oppositum huius tenet Donatus *p. 4. tract. 11. quæst. 29. num. 3.* Nam licet statutum non irritet professionem nouitij factam cum defectu à se prohibito illa tamen professio est irrita ex defectu consensus, quia superior qui accipit professionem nouitij, non est censendus consentire illi actui, qui est prohibitus à lege. Refert verò pro hac sententia, Portell. qui hoc non dicit, sed loquitur in alio casu infra ponendo. Cæterum professionem validam esse etiam si sit statutum, vt non recipiatur ad professionem v.g. natus ex Iudæis, vel laborans morbo gallico, aut comitiali, aut alio morbo, per quem est indispositus ad austeritates Religionis, vel habens aliam quamcumque conditionem à lege exclusam etiam si nouitius interrogatus neget illam infirmitatem, vel conditionē, vbi tamen lex non irritet ipso facto illam professionem, probatur quia communissima doctrina est, vt error circa qualitatem non substantialem, sed accidentalem contractus per quam assumitur status natura sua perpetuus, & immobilis non viciat, & irritat contractum, propter hanc enim rationem error viri circa mulierem corruptam, vel infirmam, & laborantem morbo incurabili, & contagioso, non irritat matrimonium, vt tradunt Syl. *v. matrimonio 8. q. 1* Soto *in 4. d. 35. a. 1.* Bartholomeus à Ledesma *de matr. dub. 30.* Petrus de Ledesma *q. 52. a. 2.* & quamplures DD. quos refert, & sequitur Sanchez *l. 7. de matr. d. 18. nu. 18.* Et ratio est, quia si in huiusmodi contractibus admitteretur illud, si sciuissem non contraxissem, nec essent contractus perpetui, & immobiles, sed occasiones, & semina, & fontes litium, & quotidie dissoluerentur matrimonia, & religiosi ad sæculum redirent. Ideò huiusmodi contractus, aut quasi contractus requirunt, vt sola vbi non sit deceptio circa substantiam contractus, & necessaria substantialia ad illum, deceptio circa accidentalia non irritet. Ideò vbi defectus nouitij non sit substantialis, & de illis, quæ irritant professionem, deceptio, dolus, error circa illos non irritat professionem. Nec ratio in contrarium vrget, quia Prælatus consentiens professioni illius qui habet defectum ob quem prohibetur recipi ad professionem, male quidem facit si id facit scienter, & liberè, vel si fuit negligens defectum cognoscere, sed nec malefacit, nec facit contra legem recipiendo, & consentiendo professioni illius de quo non est conscius habere defectum, & alias ipse tenetur consentire iuxta naturam quasi contractus professionis, quæ est, vt error circa accidentalia non irritet actum. Et si aliud vult, & intendit, id debet expresse protestari modo infra dicendo. Et ita hanc partem tenēt Nauar. *cons. 48. de Regular.* Sanchez *l. 7. de matrim. d. 18. num. 18. & mor. cap. 5. nu. 57.* Suarez *tom. 4. de Relig. l. 5. c. 1. num. 19.* Vechiut *in praxi disp. 14. d. 15. & disp. 4. d. 1. 4. dub. 1.* Diana *4. p. tr. 4. resol. 188* Bordon. *resol. 8. num. 10.* Thesaur. *in praxi p. 2. v. professio num. 2.* Lezana *t. 1. cap. 5. num. 23. & t. 4. v. professio num. 18.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 2. §. 2. num. 4.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. disp. 3. sect. 1.* Coton. *l. 4. contr. 4. c. 1.*

120. Limitant tamen hoc, & bene præfati DD. nisi superior protestatur de nullitate professionis, & de suo consensu conditionato, quem præstabit

sub

sub conditione quod in professionem emissuro non fit talis defectus. Quia in hoc casu stante illo defectu occulto nulla esset professio ex defectu consensus ex parte Religionis. Quod etiam tradunt Pottell. *v. professio nulla num.* 10. referens etiam Rodriquez, & Donatus citatus *supra num.* 2. Et hac in foro conscientiæ esset verum, etiam sine extrinseca protestatione, si superior in actu professionis præberet consensum conditionatum, & intenderet non consentire si nouitius hunc vel illū defectum habeat, sed tunc professio in foro externo valida censeretur, nec professus teneretur credere tali Superiori, nisi aliundè suam intentionem probaret: quia Superior, nisi aliud explicet, censendus est præbere consensum iuxta naturam, & exigentiam quasi contractus professionis, & ex consequenti consensum absolutum, ideoq; & independentem à qualitate quacumque quæ non fit de substantia contractus. Vbi tamen protestetur de nullitate professionis, si nouitius laborat occulto defectu, & Religionem decipiat, professio tali defectu existente nulla esset Mirand. *p.* 1. *q.* 30. *a.* 14. *conclus.* 1. Suarez *tom.* 3. *l.* 6. *c.* 16. *num.* 10. & *t.* 4. *l.* 2. *c.* 1. *nu.* 19. Nauar. *conf.* 26. *num.* 2. & 11. *de Regul.* Rodriq. *t.* 3. *q.* 21. *a.* 3. Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 37. *num.* 30. Vec. *disp.* 14. *d.* 15. *num.* 5. Thes. *v. professio. cap.* 3. Lezana *p.* 1. *c.* 2. *num.* 23. & *v. professio num.* 18. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 188. Bord. *res.* 8. *num.* 10.

121. De hac protestatione verò duo dicuntur necessaria ad hoc, vt fit valida. Primum quod debet fieri incontinenti in ipso actu professionis, alias si fit facta interpollatæ, professio censetur absolutè admissa, vt post Vincentium concludit Præpos *in c. sp. quod interrogasti num.* 11. & *seq. dist.* 37. loquens de matrimonio carnali. Sed ex Sanchez *l.* 2. *d.* 45. *num.* 19. Gutierez *cap.* 52. *num.* 2. *de matrim.* & Ceuall. *commun. contr. q.* 825. *num.* 5. id verum esse ait Thesaur. *in praxi*, *v. professio num.* 3. quando protestatio non fuisset à nouitio acceptata. Et quidem quando fit protestatio super dependentibus à voluntate alterius, quod protestatio non valeat, nisi altero consentient probari videtur, *ex cap. Cumana*, & *cap. Genesi de elect.* & *l. fin.* §. *item si pradixerit. ff. naa. caus.* ita, & Bart. *per textum in l pro herede.* §. *Papinianus num.* 6. *ff. de acquir. hared.* & *l. Non solum.* §. *morte. ff. de noa. oper. nunc.* ita quod necesse fit vt protestatio innotescat patri, quia sicut propositum mente retentum nihil operatur, sic protestatio facta eo ignorante cum quo contrahitur postea nihil operatur in eius præiudicium. Anch. *in cap. Tua nos, num.* 8. *de spons.* Dec. *in cap. Cum M. num.* 64 *de consist.* Imò non sufficit, vt pars sciat, & non contradicat, sed requiritur vt expressè consentiat protestationi. Couar. *in* 4. 2. *p. num.* 3. & alij apud eum. Verum, quod non fit necessarius alterius partis consensus, sed protestatio valere possit etiam parte contradicente, & renunciante huic iuri tradidit Hostien. *in cap. ad Apostol. num.* 5. loquēs in terminis nouitij, qui protestatus fuit, nolle se obligare Religioni per lapsum temporis, cui protestationi Abbas, & Monachi contradixerunt, & huic iuri renunciarunt. Et testatur se vidisse obseruari in Fratre Raymundo de Medullione Ord. Præd. & in Petro Bernardi de Andusia, qui & de dicto Ordine post multos annos exiuit, & deinde etiam vxorem duxit. Et idem senserunt ibid. Io. Andr. & Anchar. vterque *num.* 6. & Card. *num.* 8. quos in parte in materia professionis secutus est Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. ex parte num. fa. de Regul.* Et certè cum ad inualidandum contractum sufficiat quod vnus contrahentium non consentiat, & protestatio significet protestantem non cōsentire, non video qualiter ad valorem protestationis requiratur consensus alterius partis, & eius acceptatio.

122. Sed neque vides vnde fit necessaria scientia alterius partis, ad eiusdem protestationis valorem. Et quamuis hæc notitia fit necessaria ad vitandum dolum, & deceptionem, & ad licitè agendum. Nam sine dubio pessimè ageret, & puniendus esset, qui protestaretur coram aliquibus se non consensurum in matrimonium cum Virgine, & quod fictè, & simulatè sine interno consensu exterius consentiet, voluntate dissentiente, & sic postea contraheret virginem decipiendo, & multo magis eam sub hoc prætexto deflorando: Nihilominus si ille sicut protestatus fuerat verè simulauit, & finxit, & in matrimonium non consensit, matrimonium erit nullum. Neque dici poterit, quod factum fit contra protestationem; quia factū imò est conforme protestationi, si non est tale exterius quod simulationem excludat, sed si simulationem excludat, sed si simulationem non excludit est conforme protestationi. Itaque ex eo quod alia para contrahens ignoret protestationem sequitur quidem quod ipsa possit in sui præiudicium iniustè decipi, sed certè non sequitur quod consensus protestantis adsit, dum ille protestatus fuit se non consentire.

123. Sed dici poterit vim protestationis non durare, & maximè vbi inter protestationem, & contractum adest multum temporis interuallum. Et ideo factum tenet, cum cesset vel præsumatur cessare dissensus præteritus, & præterita protestatio. Sed & primo non video quid multum ad hoc vt dicatur non cessasse faciat quod altera pars consēserit protestationi; nam stante hoc cōsensu, pars, quæ protestata fuit, centies milles potuit recedere à protestatione, & voluntatem mutare, & sic protestationem irritam facere; non igitur ex eo dicenda est durare protestatio facta, & interuallo, quod altera pars consenserit protestationi. Sed alia ex parte etiam non video vnde præcisè ex interuallo inter protestationem, & contractum deduci possit quod protestationis vis euanuerit, cum per se illa possit durare ad quamplurimos annos, & durante protestationis causa omninò dicendum sit vim eius perseuerare, nisi aliundè constet de mutatione voluntatis. Sicut si nouitius cui in veritate displicet Religio ex metu parentum protestatur se nunquam consensurum in professionem tacitam, vel expressam, & durante metus causa etiam post plures annos profiteatur, cui non erit nulla professio, & non censebitur protestationem durasse, si durauit causa, ob quam protestatus fuit, & interim nullum signum dedit, vnde colligi possit illum recedere à protestatione? Itaque non est dubium quod vbi protestatio fit in continenti, habet euidentiorem, & certiorem effectum, quam si fiat ex interuallo. Sed nihilominus neque ex solo interuallo censendum est illam euanuisse, nisi aliundè id colligatur, vnde pensandæ sunt circumstantiæ per-

personarum ; & euentus qui post protestationem aduenerunt, & causa protestationis, & an detur aliquid quod protestationem corroboret, vel potius quod illam infirmet: vnde res ista, etiam in foro externo est valdè arbitraria, & nisi constet potestatem recessisse à protestatione inualidante contractum, nec potest constare de validitate contractus, & poterit esse, quod dubius remaneat in foro externo.

124. Alterum quod dicitur necessarium ad hoc vt protestatio irritet professionem est, quod protestatio debet esse solemnis, seu formalis. Et sic in proposito non sufficeret, quod Abbas aliquando dixisset etiam audiente nouitio si scirem te laborare tali morbo, non te admitterem ad professionem, sed necesse esset, quod Abbas diceret protestor, quod te non admitto ad professionem si hoc morbo laboras. De hac enim formali protestatione loqui communiter DD. aduertit Reuerendiss. Fagnan. *d.cap.ex parte, num.17. de Regul.* præcipuè Gloss. *cap. quod interrogasti v. finxit. dist. 27.* Gloss. *in d.cap.ex parte, v.per annum, de Regul.* quam sequuntur Io.Andr. & alij communiter. Item Gloss. *in Clem. eat de Regular.* Host. *cap. 2. & cap. Ad Apostol. eod. tit.* & talis probatur ex *cap. Cum virum, de Reg.* ibi. *Cum eum non constet euidenter contradixisse*, & in *cap. consulit*, ibi. *Propositum suum in principio protestetur, eod.tit.* Et ratio est, quia vt habet Caiet. *tom. 1 opusc.tr.4.q.1.* velleitas non est idem actus cum voluntate deliberata; Nam velleitas non est voluntas, quæ sit, sed quæ esset, si poneretur aliqua conditio, & ideò necesse est, quod qui vult contractum esse nullum id velit voluntate deliberata, & ex parte volentis absoluta, & quod hanc voluntatem contineat, & significet protestatio.

125. An verò sit necesse quod hæc protestatio sit expressa, sed sufficiat tacita, hanc sufficere ex Nauar. *cons.36.num.11. de Regul.* Mirand. *p.1.q.30. a.4.concl.1.* Suarez *tom.3.de Relig.lib.6.c.5.nu.10.* & *tom.4.tract.10.l.2.c.1.num.19.* probat Thesaur. *p.2. v.professio cap.3.* sufficit enim virtualis protestatio contenta in consensu admittentis conditionato formato ex præcepto constitutionum talem conditionem apponentium. Certè si adest lex, quæ ipso facto irritet professionem non habentis aliquã qualitatem sufficit quod lex specificè fuerit declarata nouitio. Bartol. *in l.vlt.ff.de decr.ab Ord.facien.* *Præpos.in cap. Complacuit 38. dist.* Thesaur. vbi supra. Et sufficit, quod nouitius sit præsens in Refectorio, quando lex huiusmodi legitur. Portell. *v. nouitij qualitates.* Vech. *disp.14 dub.15.num.7.* Thesaur. vbi supra. Sed addo, quod nec est necesse quod nouitius habeat huius legis scientiam, quia lex irritans actus ipso facto afficit etiam ignorantes. Et in hoc sensu verum est, quod adest in admittente professionem dissensus virtualis, & virtualis protestatio. Sed etiam si Superior consentiret in professionem nihil faceret, & nihilominus ex vi decreti irritantis nulla esset professio, sed vbi lex prohibet, sed non irritat necessaria est formalis protestatio, nec sufficiet formalis tacita, nisi sit talis, quæ æquipaleat expressæ.

126. Non valet propterea externa interrogatio, & protestatio. nisi Superior protestetur de nullitate professionis futuræ, & conditionato consensu ex parte sui. Vndè licet in Ordine Prædicatorum iuxta præscriptum *Const. dist.1. cap.13.§.2.* Superior interroget nouitium de multis defectibus, quorum aliqui substantiales sunt, alij non, vt est defectus infirmitatis occultæ, & in Capit. Generalis. Romæ 1644. authoritate Apostolica confirmato statutum fuit, vt nouitio professionem emissuro fiat protestatio clara, & distincta, professionem eius nullam fore, si forsitan ipse grauem aliquem defectum ob quem meritò eijciendus esset subdolè occultasse deprehenderetur. Et ideò si huiusmodi ordinatio seruetur, & fiat hæc protestatio deceptio huiusmodi irritat professionem. Sed adhuc hac lege existente si protestatio non fiat de nullitate professionis in casu, quod nouitius tali defectu laboret, professio eiusdem nouitij decipientis, & occultantis defectum est valida, & consensus præstitus à Superiore in actu professionis censetur absolutus. Nec obstat quod Superior non posset nouitium cum tali defectu admittere ad professionem, & quod illum non admitteret si sciret eum laborare tali defectu, quia nihilominus Superior in actu professionis consentit, & absolutè consentit, quia iuxta exigentiam, quasi contractus consentit; & ideò professio est valida. Quia consensus in professionem nisi aliud exprimatur censetur dari absolutè, & non sub conditione. Nec obstat, si dicatur, quod Prælatus censetur dare consensum suæ regulæ conformem, quia imò ex lege illius ordinationis habetur, quod debet præmitti protestatio, & quod consensus datus non præmissa protestatione censetur absolutus. Imò vbi defectus est substantialis ex præscripto legis positiuæ irritatur professio non ex eo quod consensus religionis sit conditionatus, sed ex eo quod lex prohibet, & irritat professionem in illo casu etiam Prælato consentiente expressè.

127. Imò aduertendum quod vbi ex vsu fiat aliqua protestatio, sed tamen executioni postea dari non sit solita protestata nullitas, professio contra talem protestationem emissa, non est nulla, nam vt refert Reuerendiss. Fagnan. *Cap. Qui Presbiteram, num.123. de Pœnit. & Remiss.* S. Cong. Conc. talem in hac materia dedit declarationem. *In Congregatione Minimorum extabat statutum, quod originem ducentes à Iudæis, & Saracenis ad Religionem non reciperentur, & si qui recipiendi fuerint, quorum progenies ignoratur, admittantur cum protestatione, quod si postea comperiatur eos à Iudæis, vel Saracenis originem duxisse, eorum professio sit nulla. Quæsitum fuit, an originem trahentes à Iudæis admissi ad Religionem cum illa protestatione, sint legitimè professi vel secus. Sanctissimus respondit habendos esse professos, nec eijci debere, cum hactenus nemo fuerit eiectus.* Ex hac autem declaratione deducet forsan aliquis quod quatenus magnus Magister militum S. Io. potuisset iniungere nouum annum nouitiatus, & probationis, non tamen id potuisset sub pœna nullitatis professionis etiam consentiente nouitio, quidquid in contrarium dixerit Nauar. *cons.87. de Regul.* sed nescio videre vnde ex illa S. Congr. declaratione hoc deducatur. Nam in ea declaratione professio fuit iudicata valida, non quia per statutum non potuerit ordinari, vt professio descendentis à Iudæis esset irrita, sed quia stante protestatione huius nullitatis, hactenus nemo fuerat eie-

tanquam nulliter professus. Cæterum cum in contractibus liberum sit partibus apponere conditionea sub pacto nullitatis, & professio sit quidam quasi contractus, cum sit donatio, quæ vim non habet, nisi recipiatur à Religione, liberum est Religioni nolle acceptare professionem nisi professus sit huius, vel illius honestæ qualitatis, vel nisi hoc vel illud honestum præstet si alias in hoc aliquod iuris decretum speciale non obstet. An verò hæc nullitas censeatur inducta ex eo, quod Religio statuat, vt non sit admittendus nisi habens talem qualitatem, vel nisi fiat inquisitio diligens qualitatum profitentis, aliquis affirmat, quod constitutio statuens non aliter ad Religionem esse admittendos aliquos nisi prius facta diligenti inquisitione qualitatum profitentis, inducat formam ita, vt ea non seruata actus sit nullus: quod firmauit Rota in Toletana professionis 27. Februar. 1595. Coram Card. Pamphilia Seniore. Sed vbi lex expresse non apponit decretum irritans, non de facili admittendum est, quod actus contra legem sit irritus; & pro validitate actuum standum est, quia vbi lex eos irritos esse vult id scit exprimere.

128. Antiquitus verò aliqui DD. senserunt eum qui dolo aduissus fuit ad professionem posse in pœnam eijci à Religione, eo quod grauia censeatur culpa nouitium hoc modo decepisse Religionem. Ita senserunt Nauar. Sorbua Vega nu. 108. allegatur Sà v. religio num. 34. Rodriq. tom. 2. sum. cap. 6. num. 53. Et inter moderniores hoc sentit Aut. à Spir. S. tr. 3. d. 3. sec. 5. num. 27. Palaus tr. 16. d. 2. p. 2. §. 2. num. 4. Si tentatis remedia morbus non curatur. Sed merito idem Rodriq. mutauit sententiam qq. regul. t. 3. q. 17. num 9. quem sequitur Sanchez l. 5. mor. cap. 4. num. 58. eo quia hæc non sit sufficiens causa expellendi professum à Religione. Sed hodie cessat omnino difficultas, ex decreto Vrban. 8. de appostatis & eiectis, in quo prohibetur aliquem expelli ab ordine nisi causa incorrigibilitatis, vt supra etiam est dictum Coton. l. 4. contr. 4. cap. 1. Thesaur in praxi p. 2. v. professio cap. 3.

129. Ante professionem tamen, si cognosceretur nouitium decepisse Religionem in re tam grauí, & ita eum fuisse admissum ex errore, & dolo, poterit Religio nouitium ex hac causa expellere, quia adhuc religio sui iuris est, & solum decepta, & ex nouitij dolo admisit nouitium cum tali defectu, vnde defectu manifestato posset eum expellere; Imò si est defectus à lege prohibitus, vel alius similis grauis, & prudenter considerandus, & æstimandus in admissione ad Religionem, poterit religio tempore professionis illum attendere, & de errore commisso in admittendo nouitium ad ordinem cum tali defectu resipiscere, & nouitium ad professionem non admittere. Corduba in reg. S. Francisci cap. 2. q. 11. p. 2. Rodriq. tom. 2. cap. 8. num. 9. Sanchez lib. 5. mor. cap. 4. nu. 59.

130. Tandem quæri potest an ob defectum libertatis professio facta ex ira, vel alia passione sit irrita. Sed breuiter dicitur ad valorem professionis necesse esse, & sufficere vt homo habeat vsum rationis liberum quantum sufficit ad hoc, vt actio eius si sit mala sit peccatum mortale. Ideò si passio ita absorbeat rationem, vt tollat hanc libertatem, professio ex tali passione facta non est valida: Secus verò si vsum rationis non absorbeat Sanchez l. 4. Moral. cap. 5. num. 2. & lib. 1. de mat. d. 8. num. 5 in simili, scilicet in Matrimonio. Azor. part. 2. lib. 12. cap. 5. q. 8. Bordon. cap. 2. q. 22.

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrina.* nu. 131.
2 *Et sufficiens Prima conditio Baptismus.* numero 132.
3 *Ætas 16. annorum necessaria ad professionem* num. 133.
4 *Nisi maior ex statuto speciali sit necessaria.* numer. 134.
5 *Religiosi ordinum militarium ante 16. annum profitentem.* num. 135.
6 *Conuersis necessarius 21. annus.* nu. 136.
7 *Ætatem probare ad quem spectet.* nu. 137.
8 *Nouitiatus annus integer, & continuus debet præcedere professionem.* nu. 138.
9 *Religiosus beneficiatus quando non tenetur seruare annorum probationis.* nu. 139.
10 *Annus probationis habendus in habitu Religiose.* nu. 140.
11 *Non est necessaria continuatio inter annum probationis, & professionem.* nu. 141.
12 *Professio supra numerarij non est irrata.* numero 141.
13 *Mulieris professio in domo virorum illicita.* numer. 142.
14 *Esse ipsa iure nullam alij affirmant, alij negant.* num. 143.
15 *Esse nullam probatur.* num. 144.
16 *Hemaphraditos non posse profiteri multi dicunt.* num. 145.
17 *Cum distinctione hoc explicatur.* nu. 146.
18 *De valore professionis hermaphroditi, quid sentiunt multi.* num. 147.
19 *Explicatur quæstia cum distinctione.* numero 148.
20 *Hermaphroditus professus etiam nulliter extra casum notoria nullitatis sua professionis non potest eijci sine licentia.* nu. 149.
21 *In dubio iudicium non ferendum sine medica.* num. 150.
22 *In casu quod aliqui horum vere professus eijcietur, iudicandus est tanquam eiectus.* numero 151.
23 *Quid si mulier transeat in virum.* nu. 152.
24 *Amens inualide profitetur dum est amens.* numer. 153.
25 *Infirmus ex causa iusta, licite admittitur ad professionem.* nu. 153.
26 *Infirmus valide profitetur.* nu. 155.
27 *Capitulum potest consentire in professionem infirmi.* num. 156.
28 *Professio infirmi non est ipso iure natura nulla etiam si laboret morbo Gallico.* nu. 157.
29 *Et hoc verum de quacumque infirmitate: Occulte infirmus valide profitetur.* numero 159.

Eorum

30 Eorum qui sunt corpore vitiati professis valida est, & etiam licita si sit ex causa iusta. numer.160.
31 Serui professio intra triennium est nulla. numero 161.
32 Triennium à die ingressus in Religionem. numer.162.
33 Professio mala fide à Monasterio recepta est nulla. num.163.
34 Quid restituere debeat Monasterium, qui admisit seruum. nu.164.
35 Plures aliæ conditiones remissiuè. nu.165.
36 Professio eius, qui parentes relinquit in necessitate est illicita, sed valida. nu.166.
37 Monasterium in extrema necessitate tenetur alere parentes sui Religiosi. num.167.
38 Monasterium qui successit in bonis filij tenetur alere patrem in graui necessitate. numero 168.
39 Et hoc verum si filius reliquit patrem in necessitate. sed etiam si necessitas superueniat. num.169.
40 Et etiam si bona superueniant professo ex testamento. nu.170.
41 Monasterium qui non succedit in bonis filij non tenetur alere patrem. nisi in casu in quo obliget præceptum eleemosinæ. nu.171.
42 Filius professus tenetur subuenire parentibus salua ordinis disciplina. nu.172.
43 Tenetur licentiam petere, vt subueniat, vel de sibi concessis ad vsus honestos subuenire. numer. 173.
44 Superior tenetur dare licentiam filio, vt subueniat patri, cum vrget præceptum eleemosinæ. num.174.
45 Superior ex iustitia non tenetur dare licentiam filio, vt subueniat parentibus, nu.175.
46 Impediens siuè vi, vel fraude ne quis consequatur gratiam ad quam nullum ius habet non est iniustus. nu.175.
47 Obligatio restituendi ex sola iustitia commutatiua. nu.175.
48 Superior negando filio licentiam subueniendi Patri non facit vim. num.176.
49 Superior ex iustitia non tenetur dare licentiam subdito etiam subsistente causa iusta. numer.176.
50 Filius Religiosus non tenetur subuenire patri nisi sub conditione licentiæ Superioris. numero 177.
51 Superior ex virtute pietatis non tenetur dare filio licentiam subueniendi patri. nu.178.
52 Filius subditus inuito superiore non potest subuenire parentibus. nu.179.
53 Professio non est condisionata conditione subueniendi parentibus independenter à voluntate superioris. nu.179.
54 Filius inuito superiore non potest facere prohibita, vt parentibus subueniat. nu.180.
55 Qui bona fide ingressus est Religionem non tenetur exire, vt subueniat parentibus. numero 181.
56 Manet obligatio pietatis in filio, sed salua ordinis disciplina. nu.182.
57 Religiosus mala fide professus non tenetur nec potest inuitis parentibus egredi. nu.183.
58 Neque ad id obligat eum lex pietatis. numero 184.
59 Necessitas grauis quæ sit. nu.185.
60 Actionum plura genera. nu.186.
61 Quas actiones possit Religiosus habere inuitis superioribus secundum aliquos, vt subueniat parentibus. n.187.
62 Si necessitas parentum sit dubia non intrat obligatio Religiosi ad subueniendum sine licentia superioris. nu.188.
63 Quid sentiant aliqui si sit dubium an superior iniquè licentiam negat. nu.188.
64 In dubio an superior prohibeat ex iustitia causa tenetur subditus obedire. n.189.
65 Quando superior agit ad vindictam, vt iudex in dubio an iuste precipiat non tenetur subditus obedire. nu.190.
66 Secus vbi superior agit, vt pater seu vt superior ad directionem. nu.191.
67 Per se subditus non potest inuito superiore mundana agere ad subueniendum parentibus. numer.192.
68 Sæpius superior tenetur hanc licentiam concedere. nu.193.
69 Solus Pontifex dat licentiam manendi extra claustra. nu.194.
70 Licentia superioris non impedire debet. numero 195.
71 Egressus cessante necessitate debet redire. numer.196.
72 Quid de ascendentibus an veniant nomine parentum, & de fratribus. num.197.
73 Qui non potest subuenire parentibus, nisi cum periculo animæ ad id non tenetur. nu.198.
74 Excommunicatus valide sed non licite profitetur. num.199. 200.
75 Inualida professio excommunicati si fiat in virtute rescripti Apostolici. nu.201.
76 Excommunicatus professus acquirit ius ad alimenta. nu.201.
77 Professio non est beneficium. nu.202.
78 Simoniaca professio illicita, & varijs pœnis subdita. nu.203.
79 Excommunicati sunt dantes, & recipientes pro ingressu. nu.203.
80 Si tamen dent ex pacto. nu.204.
81 Capitula & conuentus sunt suspensi, numero 205.
82 Non comprehenditur sub extrauag. Sano, qui recipit vt ingrediatur. nu.206.
83 Priuilegium concessum Monialibus. nu.207.
84 Extrauagans Sanè est in vsu. nu.207.
85 Simoniaca professio non est nulla. nu.208.
86 Episcopi professio irrita. nu.209.
87 Carialis irregularis professio valida. numero 210.
88 In Monialibus præmittitur exploratio voluntatis. num.211.

Quæ

Quæ conditiones sint necessariæ ex parte profitentis vt licite, & valide profiteatur.

INSPECTIO IV.

131. MVlte quidem sunt huiusmodi conditiones requisitæ ad licite, aut valide profitendum, quarum quia quamplures sunt necessariæ, vt aliquis possit admitti ad habitum, ideo de illis sermo habitus est supra in tract. de nouitiatu & nunc non est necesse inutiliter ea examinare, & sufficiet illas enumerare.

132. Prima igitur conditio professuri, est quod sit baptizatus, quia nequit incorporari Religioni, quæ est pars Ecclesiæ Christi, qui non est de Christi Ecclesia, & qui non suscepit fidei Sacramentum, & non fuit incorporatus Christo per Baptismum, quod adeo cērum est, quod si professus dubitaret de suo baptismo, sicut esset ad cautelam iterum baptizandus, ita ad cautelam nouam deberet emittere professionem.

133. Secunda conditio est ætas 16. annorum expletorum necessaria ad valorem professionis ex præscripto Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*15. quæ quidem ætas necessaria est tam in viris, quam in mulieribus, & debet esse prorsus expleta Gloss. 2. *in cap. Ad nostram, de regul.* & ibi Innoc. *nu.*8. Hostien. *num.* 4. Io. And. *num.* 6. Butr. *num.* 8. Card. *num.*2. *in* 2. *oppositione* Anchar. *num.*1. Panorm. *n.*5. Fagnan. *num.*9. *& num.*20. *& seqq.* Et ita vt dies bisextilis numerandus sit, & hoc seruari debere nedum in professione solemni, sed etiam in votis biennij Societatis Iesu, probat pluribus Sanchez *l.*5. *mor. cap.*4. *num.*7. quia per talia vota nouitius incorporatur Religioni, & fit proprie, & vere Religiosus, & non potest dici, quod Religiosi dicti ordinis non comprehendantur sub illo decreto *cap.*15. *sess.* 25. Concil. Trid. aliter ipsi possent etiam ante 16. annum profiteri solemniter. Et ita huiusmodi Religiosos non posse ante 16. annum emittere vota biennij tradunt Suarez *tom.*4. *de relig. tr.*10. *l.*3. *cap.*6. *nu.*3. Sanchez *l.*5. *cap.* 4. *num.*7. Palaus *tr.* 16. *d.* 2. *p.*2. §.8. *num.*8. Est verò hæc ætas omnino necessaria, & ita quod malitiam eam ætatem supplere non possit Gloss. in Clem. Eos *v. ætatem, de Regul.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. Nullus num.* 6. *& cap. Significatum num.*1. *de Regul.* Et alij DD. communiter.

134. Vbi verò in aliqua Religione ad profitendum requiritur maior ætas, ea est necessaria ad licite profitendum; Sacram enim Congreg. Concilij declarasse, quod si Religionis institutis plus temporis exigatur ad profitendum, Concilium non repugnat, quippe quod non decernit, quod professio fiat anno 16. sed vt non possit fieri ante refert Reuerendiss. Fagnan. *cap. nullus nu.*1 L. *de Regul.* Vbi quod in Relig. Capucinorum sit statutum pro Clericis, vt non recipiantur ante 17. annum completum. & pro Laicis ante 18. Compendiū priuilegiorū *v. nouitius* & Sorbus ibi. *vers* 6. & apud minor. Conuentuales reformatos nouitij prohibentur profiteri ante annum 19. cōpletum *ex Constit.*66. Pij Quinti. Sed si Religionis statutum non irritet professionem aliter factam, professio valida est, si fiat iuxta terminum Concilij Tridentini. Et ita licet in Religione Minimorum ad professionem requiratur annus 18. inchoatus *ex c.* 2. Regulæ dictæ, Religionis quia ex ea lege non irritatur professio antea facta, valida est professio, si fiat profitentis anno 16. expleto, vt tradunt Rodr. *t.*3. *q.*17. *a.* 10. Sanchez *l.*5. *mor. cap.*4. *num.*6. Miranda *p.*1. *quæst.* 24. *a.*2. Passarell. in Cæremon. Minim. *not.*8. Peyrin. R.P. *q.*3. *cap.*1. §.6. *num.*160. Bordon. *de profess. cap.*1. *q.*49. Palaus *tr.*16. *d.*2. *p.*2. §.1. *num.*2. Barbosa *alleg.*101. *num.*15. Lezana *v. professio num.*12. Vbi quod hoc fuerit decisum à S. Congr. Armendarez. *ad recopilat.* leg. Nauar. *l.* 7. *de Relig. num.* 84. Barbosa *l.* 1. *de iure Eccles. num.* 141. *& de off. Epis. alleg.* 101. *Lucer. Regul. v. professio nu.*16 *&* 17. Tambur. *t.*3. *d.*6. *q.*14. *num.*9. *Rota dec.*370. *num.*11. *p* 9. *recent.*

135. Religiosos tamen ordinum Militarium non comprehendi sub decreto Concil. Trident. quia in odiosis Milites non veniunt nomine Religiosorum, & quia adhuc praxis est vt illi anno 13. profiteantur, docent Nauar. *cons.*10. *num.*10. *de Regul.* Azor. *lib.*3. *cap.*4. *q.* 2. Sanchez *lib.*7. *de matrim. d.*44. *num.*8. *& l.*5. *mor. cap.* 4. *num.* 17. Flamin. *de resig. benefic. lib.* 1. *q.*8. *n. num.* 115. & ideò quod Milites Religiosi non comprehendantur sub decreto Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* tanquam decisum à *Rota dec.*21. & à S. Congr. apud Vecchium *disp.*11. *dub.*2. tenet Bordon. *de profess. cap.* 4. *q.* 4. In ordine verò S. Io. propria statuta sunt seruanda, vt declarauit S. Congregatio, & dictum est supra *in tract. de Nouitiatu*, *& propterea Rota decis.*117. *num.* 1, *Coram Eminentissimo Ottobono* professionem cuius Equitis, qui illam emiserat ante 16. annum nullam declarauit.

136. Quæ verò dicta sunt intelligi debent de Religiosis Clericis. Nam pro conuersis, aut Laicis ex decreto Clem. 8. de nouitijs ad profitendum desideratur annus 21. Quæri autem potest an hic annus 21. in Conuersis debeat esse completus, vel sufficiat inchoatus Reuerendiss. Fagnan. *cap. nullus num.*16. *de Regul.* sentit sufficere inchoatum, quia Clem. 8. in decretis generalibus *in tit. instit.* §. *Quisque accipiendus* statuit conuersos non esse recipiendos ante annum 20. ex quo sequitur eos non posse profiteri ante annum 21. At verò vt habetur ex Gloss. in Clem. *Generali, in ver. in decimo octauo de ætate, & quale* hæc verba *ante annum* important annum inchoatum, sicut & eadem verba intellexit S. Cong. Concil. de anno inchoato in terminis *cap.*12. *sess.*23. Sic igitur ad hoc vt Conuersi recipiantur, sufficit quod attigerint annum 20. & ad hoc, vt profiteantur sufficit, quod attingerint annum 21. Nihilominus idem Reuerendiss. Fagnan. *cap. non est nobis nu.* 9. *de Regul.* vult quod conuersi non possint profiteri nisi annum 21. excesserint. Et hoc idem expresse decernitur in dictis decretis generalibus Clem. 8. §. *Tempore verò probationis elapso &c.* ibi

Dum-

Dummodo ætatis suæ annum, quoad Clericos decimum sextum quo verò ad Conuersus vigesimum primum excesserint. Vnde per hoc decretum illud priua est explicandum, vt intelligatur de anno 20. expleto. Et ita communiter huiusmodi decretum intelligitur: Arbitratur quoque Bordon. *cap. 2. de prof. q. 49. fin.* quod professio emissa à conuerso ante annum 21. Sed post annum probationis, & annum 16. ætatis sit valida, quia prohibitio Clem. 8. non habet annexum decretum irritans. Sed in contrarium facit, quod in præfato decreto ætas pro Clericis determinata est 16. annorum, & ita vt professio antea facta sit nulla; pariformiter autem decernitur de Clericis, & conuersis in eadem propositione, & contextu verborum. Nihilominus cum certum sit nullum Conuersum esse admittendum ad professionem ante annum 21. expletum, si tamen de facto contingeret aliquem fuisse admissum, expleto anno 16. Sed non expleto 21. sustineri posset professio, & ad rationem in oppositum diceretur, quod cum prohibitio Clem. 8. non contineat decretum irritans, quantum sit ex vi illius, nec professio Clerici facta ante 16. annum esset irrita. Quæ tamen irrita esset aliundè ex decreto Concilij Tridentini.

137. Vbi verò sit dubium de ætate, professione iam emissa, ad illum spectat eam probare, qui in ea fundat intentionem suam, & in iudicio est actor. Sic si professus contendat professionem esse nullam defectu ætatis, illius est hunc defectum probare *cap. Presbyteri* & ibi Gloss. *notab.* & Archid. 78. *dist. & cap. Ad nostram*, vbi Butr. *n.* 18. Card. *num.* 2. Panorm. *num.* 5. Fagnan. *cap. nullus num.* 18. *de regul.* Et est hoc manifestum ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. vbi statuitur quod, qui prætendit professionem nullam defectu ætatis debet defectum probare iuxta formam, ibi descriptam. Ætas enim maior, vel minor non præsumitur, vt dixit Panorm. quia ætas in eodem statu numquam permanet, sed currit de momento ad momentum. Vtriusque tamen partis probationes recipi posse ex Io. Andr. tradit Fag. vbi supra *num.* 19. vbi *num.* 26. quod, idem dicendum sit, vbi sit probandus metus.

138. Tertiò conditio ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de regul.* est, vt annus probationis in habitu Religionis, & in Nouitiatu intra Religionem habitus sit integer, & non discontinuatus præcesserit, vt probatum est *in tract. de Nouit. in spec.* 4. & 5. *à num.* 43. quod intantum est necessarium vt huic anno non possit renunciari, & ipse annus debuerit præcessisse integer, nec excipiantur casus, vel sponsi aut sponsæ intra bimestre matrimonij rati, & non consummati ingredientis Religionem, quia non potest finito bimestri profiteri, sed annum probationis debet explere, nec casus transeuntis de Religione ad Religionem, quia & is in secunda Religione debet annum probationis implere, nec alij similes casus, quia hic annus probationis omnino debet professionem præcedere, vt supra satis explicatum manet. Conuersæ tamen non tenentur ad annum nouitiatus sed suis reguntur legibus.

139. Excipitur etiam casus Abbatis constituti à Papa consistorialiter, qui ex eiusdem Papæ commissione debet professionem emittere in manibus executorum deputatorum per illum, & qui executores per regulam 58. Cancellariæ illum sic electum Abbatem ad professionem admittere possunt ante expletum annum probationis: Per Concilium enim Tridentinum non fuit alteratus casus Abbatis electi à summo Pontifice in concistorio præmissa causæ cognitione super habilitatibus prouisi: Quia neque in hoc casu habet locum timor apostasiæ, vel alterius mali ad quod vitandum lata fuit lex Concilij, vt late probat Rota *dec.* 329. *part.* 2. *recent.* Modo tamen regula Cancellariæ non 58. sed 59. sic loquitur. *Item voluit, quod si petatur aliquem in religiosum recipi, & sibi de quouis beneficio Ecclesiastico prouideri per simplicem signaturam fiat receptio huiusmodi, &c. Possintque executores prouisionis huiusmodi ad receptionem emissionis professionis non expectato probationis anno procedere.*

140. Hinc tamen sequitur, quod quæ irritant nouitiatum irritant etiam professionem, quæ validum nouitiatum supponit. Quare non admittitur, quod nunc valeat professio sine habitus Religiosi susceptione, cum ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de regul.* Nouitiatus non habeatur nisi in habitu Religioso illius ordinis, quem Nouitius vult profiteri, & annus nouitiatus incipiat à die suscepti habitus, vt latius probatum est supra *in tr. de nouit. & seqq.* & docet Reuerendiss. Fagnan. *in cap. Quia ingredientibus n.* 7. *& sequent. de testamentis.* Si tamen contingeret nouitium post peractum nouitiatum in habitu Religioso sine habitu profiteri, validam esse professionem ait Bordon. *a.* 2. *q.* 37. Vbi tamen addit, quod si quis vellet apponere professioni conditionem non ferendi habitum esset conditio irrationabilis, & haberi deberet tanquam non adiecta arg. *cap. fin. de cond. appos.*

141. Est verò etiam aduertendum non necessario dari continuationem inter annum probationis, & professionem, sed posse absque inualiditate professionis intercedere tempus inter illum, & istam, vt probatum est *in tract. de Nouit. in spec.* 6. *à num.* 145. Sed & aduertendum, quod licet Nouitiatus haberi debeat intra Monasterium, & nomine Monasterij habere debeat professio, tamen si contingat aliquem recipi supra numerum eorum, quos Monasterium potest alere, non est irrita professio, constitutio enim Bonifac. 8. *in cap. vn. §. Suæ de stat. regul. in* 6. in qua statuit, pro Monialibus ordinum non mendicantium, non mendicantium, vt non recipiantur in Monasterijs supra numerum illum, quem Monasterium potest sustentare fuit consuetudine abrogata Sanchez *l.* 3. *c.* 23. *num.* 4. Vel ex nouo iure Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. fuit ablata Fag. *cap. non amplius num.* 32. *de institutionibus*.

142. Constituto igitur aliquo in completa ætate 16. annorum, post expletum integrum probationis annum, multa eum impedire possunt ne vel licite, vel valide possit profiteri, quorum alia naturalia sunt, alia accidentalia, alia non sine culpa, & alia inculpabiliter ei conueniunt. Et incipiendo à naturalibus prima conditio est, quæ addita duabus prioribus est, vt professurus sit eiusdem sexus cuius est Monasterium in quo inten-

intendit profiteri. Et quidem non licere viro profiteri in Monasterio monialium, neque Mulieri in Monasterio virorum, certum est. Etenim cohabitationem liberam virorum cum mulieribus continere grande periculum incontinentiæ non est dubium, ideoque non esse laudabile, nec esse medium ad perfectionem acquirendam aptum, vt vir in Monasterio mulierum, vel mulier in domo Religiosorum virorum viuat. Vnde specialiter hoc fuit prohibitum in septima Synodo c. 20. & habetur *cap. Diffinimus* 18. q. 2.

143. Sed an professio alicuius in alterius sexus Monasterio sit valida, vel irrita dubium est. Nam communiter DD. moderniores affirmant. Sic enim docent Nauar. *cons.* 47. *de regular.* Sanchez *l.5.mor.c.4.num.*40. Sà *v. Religio nu.*30. Henriq. *l.14. de irregul.c.8.num.6. in Com. l. A.* Rodr. *t.2. c.8. num.* ... à S. Fausto *l.5.c.*310. Rodriq. Hier. *res.* 101. *num.*86. Donatus *p.4.tr.*11.*q.*33. Bordon. *res.* 57. *num.*77. *& de profess. q.*34. Bonac. *de claus q.2.p.* 10. *diff.*1.§.5. Lez. *p.*1. *c.*2. *num.*20. Ducuntur verò hi DD. partim quia in *cap. Diffinimus*, & in *cap. in nullo* 18. *q.*2. prohibita est cohabitatio virorum cum mulieribus, partim quia in huiusmodi professione deest consensus ex parte superioris admittentis, qui non intendit admittere professionem alterius sexus. Sed è contra communiter antiqui DD. tenuerunt hanc professionem esse validam. Ita enim tenuit. Speculator de statu Monachi §. *qualiter concipiet. q.*38. *num.*17. Io. And. *cap. tuarum num.7. de priuil.* & ibi Anton. *num.*17. Abb. *num.*7. Archid. *cap. quod interrogasti. n.6. d.*27. D. Anton. 3. *p.*1.16. *c.*3. Syl. *v. religio* 3. *q.*9. Et iuxta hanc sententiam ad motiua prioris sententiæ dici potest, quod primum non obstat, quia *in cap. relatis* prohibetur cohabitatio monachorum cum monialibus, sed non irritatur professio si contigat aliquem mentito sexu profiteri. Et secundum non obstat, quia cum huiusmodi qualitas non sit contra substantiam professionis, nec sit impossibile vt sub mentito sexu vir cum mulieribus vel mulier cum viris pudicè habitet, cum imò multi mariti, & vxores in eadem domo seruauerint continentiam, vt de Sancto Eduardo Rege Angliæ, & de Sancto Henrico I. Imperatore, & Sancta Gunegunda eius vxore legimus, ideò error circa huiusmodi qualitatem non aufert consensum admittentis. Et eo magis quod ex quo dicta opinio recurrit ad non existentiam cõsensus, ex eo iam fatetur quod ex natura rei quasi contractus iste non est inualidus, & quod si superior vellet consentire persona vnius sexus valide profiteretur in Monasterio alterius sexus; ex eo autem quod interueniat deceptio non potest negari non adesse consensum, cum hic sit error qualitatis personæ.

144. Dicendum nihilominus est quod professio in Monasterio alterius sexus non potest valide fieri. Primò quia nec haberi potest legitimus nouitiatus, quem valida professio supponit. Et quidem primo ex Concilio Trident. nouitiatus debet haberi in Monasterio, & in habitu eiusdem religionis, quam nouitius profiteri vult. At verò religiones virorum, & mulierum plusquam specie distinguuntur. Nec obstat, quod ab eodem institutore regula eorum proueniat, quia identitas institutoris, non facit identitatem religionis, & ordinis. Sic Sanctus Dominicus instituit Ordinem Prædicatorum, & Monialium, & tertium Ordinem de Pœnitentia, quod & fecit S. Franciscus, neque tamen idem est Ordo Prædicatorum, & tertius Ordo Pœnitentium; sicut nec Ordo Monialium. Et minus obstat, quod huiusmodi Ordines virorum, & mulierum habeant eadem vota substantialia, quia identitas formalis votorum, cum sit omnibus religionibus communis, non sufficit ad identitatem religionis, materialiter autem non sunt eadem vota virorum, & mulierum sicut non sunt eædem constitutiones, & eadem statuta, sed vnaquæque Religio suas constitutiones longe distinctas habeat, & maxime cum longe alterius rationis sit clausura monialium à clausura virorum religiosorum, & in multis alijs valde grauibus obseruantijs distinguantur, & religio mulierum putam vitam contemplatiuam profiteatur, Mendicantium verò religio mixta sit, & ad vitæ actiuæ labores, & non solum ad sui, sed ad salutem aliorum ordinetur. Ideò religiones virorum, & mulierum etiam si ab eodem fuerint institutæ specie, imò genere distingui communiter asseritur. Hæc tamen ratio nisi adiungatur tertia infra ponenda non cogit, quia dici poterit v. g. mulierem velle profiteri in religione virorum, & ideò sufficeret si in virorum Conuentu habeat nouitiatum. Secundò probatur nam modo ex Decretis Clem. Octaui nouitiatus haberi debet in loco deputato authoritate Apostolica, & habitus extra non est legitimus, & professio est irrita, quæ inde sequitur. In locis igitur pro quibus ea decreta obligant, cum nec virorum Monasteria sint deputata pro nouitiatu mulierum, nec è contra, procul dubio irrita est professio, vel viri in Monasterio mulierum, vel mulieris in Monasterio virorum, cum huiusmodi professionem non præcedat legitimus nouitiatus. Sed tertiò absolutè probatur quod neque nunc, neque prius hæc professio fuerit vnquam valida, quia numquam fuit facta in religione approbata à Sede Apostolica. Religiones enim virorum non sunt approbatæ pro mulieribus, nec mulierum pro viris.

145. Quinta conditio est, vt qui profiteri vult, non sit hermaphroditus. Distinguendo autem & in hoc casu quid liceat, ab eo quod valide fit. Primo aliqui asserunt professionem hermaphroditi in religione illicitam esse, & mortale peccatũ esse horum professionem admittere, propter graue periculum incontinentiæ, quod imminet alijs Religiosis ex cohabitatione cum tali qui inter viros mulier, & inter mulieres potest esse vir, & quia sicut non potest ad ordines promoueri, sic nec potest admitti ad Religionem, quæ est strictior. Ità tenent Sanch. *l.5.mor.c.4. nu.* 41. *ex* Sarmiento. Donatus *p.4. tr.3.q.*23. Bord *resol.*57. *nu.*77. *& cap.2. de profess. q.*35. Lezana *p.*1. *c.*2. *num.*20. distinguit admittens validam professionem inter viros illius quo præualet sexus virilis, cum verò in quo vterque sexus est æqualis, in nulla Religione valide profiteri. Et addit ex Sanchez non esse recipiendum eum in quo præualet v. g. sexus viri, ob incontinentiæ periculum.

146. Verum non sine distinctione hæc quæstio resolui potest. Nam huiusmodi hermaphroditorum datur multiplex differentia, vt latè osten-

dit Paulus Zachias in suis *quaest. Medico legalibus l. 7. tit. 1. q.* 8. Et praecipuè distinguuntur, quia aliqui neutrum sexum habent vt natura requirit, alij vtrumque habent rectè constitutum, saltem quantum ad partes externas, alij alterum tantum habent. At verò primi generis hermaphroditi pro foeminis potius habendi sunt, vt idem Medicus Doctor habet ibid. *num.* 13. Nec ea eis aliquod periculum imminet incontinentiae, quod sit maius, quam sit ex cohabitatione virorum cum viris, & mulierum cum mulieribus, cum neutrum sexum habeant, vt vel agant, vel patiantur, magis quam viri pati possunt. Ideò de istis loquendo non est illicitum eos admitti in Monasterio foeminarum, cum etiā pro foeminis habendi sint. Et quod ab aliquib. DD. prioris opinionis adducitur de irregularitate ad rem non est, quia longe alias ratio est de Sacris Ordinibus, qui ad ministeria sacra ordinantur, & de Religione quae ad salutem intrantiū est ordinata, & recipit etiam irregulares, & maximè Religio foeminarum, quae omnes à natura sūt irregulares. Et quis hoc periculum scandali cessare potest etiam vbi hermaphroditus habet solum alterum sexum rectè dispositum, vel ad agendum, vel ad patiendum, ideò nec erit scandalum, nec erit per se illicitum admittere huiusmodi hermaphroditus ad professionem, supposito tamen quod vnus illorum sexus sit omnino, & penitus inutilis ad vsum veneris, hoc enim stante admitti poterunt in Religione virorum si viri sint, vel mulierum si sint mulieres. Vnde prior illa opinio admittitur de illis, qui extrinsecus habēt vtrumq; sexum ita rectè dispositum, vt ad vtriusque veneris vsum valeant. Hos enim admitti ad professionem in quocumque Monasterio plenum est periculi, & ideò non est licitum.

147. At verò loquendo de validitate professionis Bord. *d. resol.* 57. *nu.* 77. censet omnem professionem hermaphroditi esse nullam, quia talis cum viris mulier est censendus, & cum mulieribus vir, vnde cum professio mulieris in Monasterio virorum, & viri in monasterio mulierum sit irrita, talis nullibi potest valide profiteri, sed *cap. 2. de prof. dub.* 35. haec asserit vera esse de habente vtrūque sexum aequalem, cum vero qui in vno sexu praeualeat posse valide profiteri in Religione illius sexus, in quo sexus eius praeualet, & in hoc sensu. Communiter alij DD. distinguunt, & dicunt professionem hermaphroditi in Monasterio eiusdem sexus cum eo qui in eo praeualet esse validam, sed factam in Monasterio contrarij sexus esse irritam, & si sit talis in quo nullus praeualeat sexus, vel sit dubium qualis amborum praeualeat, etiam esse irritam, ac nullam. Quia ea sola professio valida est, in qua vir profitetur in Monasterio virorum & mulier in Monasterio mulierum. Ità Sanchez *d. l.* 5. *c.* 4. *num.* 41. Nauar. *d. Consil.* 47. *de regular.* Ledesma *de stat. Relig. in com. c.* 6. §. *extra condition.* Tambur. *t.* 3. *disp.* 6 *q.* 3. *nu.* 21. Peyrin. P. R. *q.* 3. *c.* 1. *nu.* 59. Vech. *d.* 5. *dub.* 1. *conclus.* 1. Bonac. *q.* 2. *de claus. p.* 10. §. 5.

148. At iuxta datam distinctionem dicendum mihi videtur professionem eorum hermaphroditarum qui extrinsecus nullum sexum ritè formatum habent validam esse si fiat in Monasterio foeminarum, quia huiusmodi pro foeminis habendi sunt, vnde & eorum professionem non esse illicitam probatum est. Si verò alter tantum sexus extrinsecus sit ritè formatus, alius verò sit penitus inutilis ad vsum veneris professionem valere si fiat in Monasterio eiusdem sexus cum eo, qui in eo apparet ritè formatus. Quia in eo solo sexu is potest, & valet, ad vsum veneris, & non potest dici esse in eo sexu in quo vix imperfecta indicia, & ad vsum eiusdem sexus inualida videntur. Sed loquendo de illis in quibus vterque sexus extrinsecus est ritè formatus, vnde & ad vtrumque vsum veneris sunt habiles, puto quod sine distinctione professio illorum in quocumque Monasterio sit irrita est professio in Monasterio alterius sexus à profitente. Ducor primo quia fauore religionis aptus ad vsum vtriusque sexus, qualis est, qui vtrumque ritè formatum habet comparatiuè ad viros venire debet nomine mulieris, & comparatiuè ad mulieres nomine viri; quia in ordine ad incontinentiam potest cum mulieribus agere quae viri sunt, & cum viris pati quae mulieris. Secundò quia in hoc longe diuersa ratio est in matrimonio, & in religione, quia in ordine ad matrimoniū sufficit, quod coniuges sint capaces agendi quae viri sunt, & patiendi quae mulieris, ad finem matrimonij, ideò bene valere potest matrimonium hermaphroditi in quo vnus sexus praedominat cum coniuge alterius sexus. Sed respectu religionis quae omninò priuat vsu veneris, potentia simul & agendi quae viri sunt, & patiendi quae mulieris valde repugnat fini Religionis, tanquam praebens occasionem incontinentiae tam viris quam mulieribus. Ideò talis qui huiusmodi vtrumque sexum formatum habet simpliciter in ordine ad Religionem censeri debet & vir, & mulier in his quae religioni fauent, & in quibus vocabulum viri, & mulieris extendi debet ad quemcumque habentem sexum virilem, vel muliebrem ritè formatum, siue illum solum habeat, siue habeat vtrumque cum habens huiusmodi sexus aliquem vsum illorum habere possit licet ad generationem inutilem, quod respectu malitiae incontinentiae sufficit, quod si contingere possit, vt in aliquo habente vtrumque sexum ritè extrinsecus formatum sexus virilis, sit omnino inutilis ad coitum (quod valde difficile, & rarum erit) in eo casu valida esset professio, quia quidquid esset de materiali illo sexu, moraliter non esset censendus vir in materia incontinentiae, qui vt vir nullo modo posset agere.

149. In casu autem quod per errorem aliquis huiusmodi hermaphroditus fuerit admissus ad professionem. Quia nimirum vel habens alterum sexum admissus est in religione alterius sexus, vel habens vtrumque sexum ritè formatum admissus est in aliqua religione, tanquam non religiosus, & non professus potest, & debet à Religione expelli. Vbi autem vel loquendo opinionem, quae ait, professionem emissam in religione eius sexus, qui in hermaphrodito praedominat esse validam, vel vbicumque professio talis vere valida sit, aut dubia, & non euidenter nulla non est admittenda doctrina Rodriquez, vel à S. Paullo apud Donatum d. q. 23. *num.* 9. quod scilicet ex priuil. Leon. X. posse hermaphroditus eijci ab ordine à Prouinciali, vel Generali, & multo minus attendi debet, quod ipse Donatus asserit *numer.* 10. scilicet, quod

non

non sit opus licentia ad expellendum huiusmodi. Vbi enim euidens esset professionem fuisse nullam id verum esset, sed vbi vel professio sit valida, vel sit dubia, & disputabilis, seu indigena iudice, qui de ea decernat an sit valida seruanda sunt decreta Vrbani Octaui, vt nullus professus eijciatur nisi titulo incorrigibilitatis, & seruata forma ab eo statuta vel Concilij Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. statuentis vt intra quinquennium à professione validitas professionis examinetur per Ordinarium, & superiorē Religionis. Ideò bene Nauar. Ledesma, & Henriq. supra citati dixerunt huiusmodi professum eijciendum de licentia Papæ. Et interim ad vitandum scandalum, quod posset contingere, poterit iuxta prudentiam superioris talis vel sequestrari, vel etiam carcerari; Nam & graue crimen fuit in religionem commissum, tale vitium occultare.

150. Nihil etiam in his casibus iudicandum medico inconsulto. Quod enim dixerunt Nauar. *d.cons.* 47. Rodriq. *t.* 2. *c.* 6. Sanchez *d.lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 41. & alij nimirum quod in dubio quinam sexus præualeat standum esse dicto hermaphroditi, vel medicorum, quod in idem reddit, merito displicet Paulo Zachiæ loco supra citato, sed iudicium fieri debet per Medicos, & eorum inspectionem, ex principijs enim medicinæ colligi poterit etiam sexus hermaphroditi, quia ex situ, & dispositione, & alijs qualitatibus dantur signa vnde colligi possit, an talis habendus sit vir, vel fœmina.

151. In casu autem, quod aliquis talis vere professus eijciatur, nec tenebitur religionem aliquam ingredi, quia ad nullam est aptus, sed tenebitur ad votum castitatis, & ad alia etiam vota, & obseruantias regulæ eo modo quo dictum fuit supra teneri alios à Religione eiectos.

152. Sed quid dicendum, si mulier euadat in virum, & vir in mulierem? Et respondetur, quod posse virum conuerti in mulierem aliqui tenuerunt quos latè refert loco citato Paulus Zachias, sed hanc esse opinionem ridiculam tradit idem Medicus Doctor ex Maiol. *dierum Canicul. Col.* 3. *p.* 1. & Delrio *l.* 2. *disquis. medic. q.* 22. Sed & nec posse mulierem euadere in virum veritas est, non quia non possit contingere, quod quæ prius apparebat mulier, & pro tali habebatur, postea appareat vir. Sed quia in rei veritate non fuit mutatio sexus muliebris in virilem, sed fuit manifestatio virilis sexus, qui prius occultabatur ob frigiditatem, & tempore pubertatis adueniente, & calore crescente fit manifestus, vt medici tradunt, & docet idem Zachias ibid. *num.* 4. & 5. Quando igitur daretur casus in quo quis hoc modo ex muliere trāsiret in virum, quia vere vir erat, & esset, non esset impedimentum ex hac parte profiteri in religione virorum. Nec esset hermaphroditus, vt supponimus, sed solum sexum virilem haberet, nam si esset hermaphroditus, vel maneret, & esset vere mulier, quæ aliquid similitudinis viri obtinuisset tunc seruanda essent, quæ supra dicta sunt. Quod si huiusmodi factus vir dum putabatur esse mulier, in religione mulierum professus fuisset, professionem esse validam existimat Portell. *v. professio Hermaphrod.* S. *alia dubitatio*, addens talem statim etiam sine licentia Papæ cogendum egredi de Monasterio Monialium, & cogendum ingredi aliquam religionem virorum. Sed contrarium est omnino verum scilicet eam professionem nec esse, nec vnquam fuisse validam, quod tenent Gloss. *in cap. insurum de priuileg.* Sanchez *l.* 8. *de matrim d.* 9. *num.* 11. *Comm. de contractib. p.* 1. *c.* 10. *q.* 8. *n.* 4. Donat. *p.* 4. *tr.* 11. *q.* 35. Huius verò ratio non est illa, quam aliqui ex DD. citatis admittunt, quia scilicet mutatus sit personæ status, & rei promissæ, & res non sit integra, quia votum professionis semel validum, infirmum, & inualidum fieri non potest, cum perpetuitatem vsq; ad mortem independenter ab omni euentu promittat. Sed vera ratio est, quia illa professio, nec ab initio fuit valida, quia fuit professio viri in Monasterio mulieris, & ideo fuit professio in religione non approbata à Sede Apostolica pro viris, & fuit professio inita, nec verò nouitiatu prævio, nec in loco legitimo, & in religione repugnāti personæ, & sexui, fuit enim professio viri in religione mulierum, Ideò illa professio nunquam fuit valida, & talis statim, ac eius virilitas manifesta est, tenetur egredi è Monasterio nec ad religionem aliam tenetur, sicut nec tenentur alij, qui in aliqua religione nulliter profitentur. Et ab Episcopo Vallensi fuisse decisum, quod cum vxor euasisset in virum, vterque manebat liber ad contrahendum nouum matrimonium refert Donatus *d. q.* 45. *num.* 4. sed de hoc dicendum est infra, vbi tractabitur de effectibus professionis nullæ.

153. Sexta conditio est, vt professionem emissurus, non sit actu amens, nam ad valorem professionis essentialiter est necessarius consensus liber, qui quidem ab amente præstari non potest, quod adeo verum est, vt etiam si quis proposuerit profiteri, imò id vouerit, imò accesserit ad locum, & actum professionis, imò professionem inchoauerit, si tamen tempore professionis sit amens professio sit nulla, præcedens enim voluntas profitendi non durat virtualiter in amente; Nam voluntas in eo durat virtualiter in quo durat aliqua confusa notitia, & memoria prioris voluntatis, & sic aliqua perseuerans confusa voluntas eius; quod prius fuit volitum, & quidem etiam cum facultate distinctiua deliberandi si opus sit. Quod in amente non potest reperiri. Sanchez *l.* 4. *c.* 1. *num.* 6. Bord. *cap.* 2. *q.* 21. Qui verò in actu professionis non est amens valide profitetur, Qui verò sit amens secundum quid, & solum circa aliquam materiam extraneam patitur aliquem defectum rationis. Siue amens qui patitur lucida interualla, aut qui videtur sanatus ab infirmitate, tanquam habitualiter infirmi vel incertè sanati non debent recipi ad professionem prout explicatum est supra *q.* 189. *a.* 1. *num.* 28. Sed tamen in hoc attendi debent etiam statuta propria cuiuscumque religionis, vt huiusmodi professio censeatur licita, vel valida. De hac materia verò videnda est decisio *Rotæ* 107. *part.* 2. *diuersorum, quæ est Vlixiponen. professionis* 22. *Iunij* 1579. coram Cantuecio in qua hic articulus diffusè, subtiliter, & legaliter valde tam in iure, quam in facto explicatur, & deciditur. Iterum quoque in eadem causa, & coram eodem Cantuccio *decis.* 126. *p.* 2. *diuersor.* eadem continentur.

154. Septima conditio est infirmitas. Circa quam distinctè videndum est quid liceat, & deceat, & quid valide fiat. Debet autem esse certum, quod infirmitas, quæ non aufert iudicium ratio-

nis non impedit, quin valide emittatur professio concurrentibus alijs requisitis. *cap. Porrectum de Regular.* & ibi Panorm. *in 3. Notab.* Fagn. *num. 9. & cap. sicut tenor, eod. tit.* Vnde & in articulo mortis potest nouitius valide profiteri. *cap. sicut tenor, cap. Porrectum, & cap. sicut vobis, de Regul. & ad d. cap sicut vobis* Anchar. *num. 1.* Panorm. *num. 1.* Fagnan. *num. 22.* Specul. *tit. de stat. Monach. §. 1. nu. 71.* Bald. *in Authen. si qua mulier. vers. septimo quaero. C. de Sacros. Eccles.* Bero. *cap. in praesentia, num. 197. de probat.* At verò loquendo de infirmitatibus habitualibus, & quae reddunt personam inhabilem ad obseruantias ordinis praecipuas, regulariter non licet admittere huiusmodi ad professionem, cum hoc sit contra statuta ordinum, & sit in maximum incommodum religionum, & occasio etiam relaxationis in alijs, qui sani sunt. Donatus *p. 4. tr. 11. q. 28.* Nihilominus ex causa graui attenta, vel maxima nobilitate, vel maxima literatura, vel magna vitae probitate petentis professionem poterit aliquis talis infirmus admitti ab eo, qui huiusmodi admittendi facultatem habeat. Damnum enim, & incommodum, quod ea infirmitate oriri possit, aliunde ex magna vtilitate Religionis potest compensari.

155. Sed de validitate loquendo, iam ex dictis sequitur, quod si infirmitas est manifesta, & cognita, professio huius infirmi cum possit esse licita, multo magis est valida. Vnde Conuentu sciente, & consentiente in professionem infirmi habitualis, & incurabilis, professio valida est. Quia nulla est infirmitas, quae repugnet simpliciter statui religioso. Quia ad votorum obseruantiam sufficit voluntatis affectio. Aliae autem obseruantiae non obligant eum, qui est legitimè impeditus. Et ideò hoc docent Sanchez *l. 5. mor. c. 4. num. 52.* Rodr. *t. 2. c. 8. num. 3. & t. 3. q. 15. a. 10.* Sell. *in select. qq. Canon. c. 17. num. 8.* à S. Fausto *l. 5. q. 236.* Nouar. *lucer. Regular. v. professio num. 40.* vbi refert ita fuisse declaratum à S. Congr. Concilij *26. Iunij* 1621. Donatus *p. 4. tr. 11. q. 27.* Lezana *p. 1. c. 2.* Ita si contingat, quod nouitius terminato anno probationis sit iam moriturus licitè, & validè ad professionem admittitur. Nam vt referunt Barbosa *de iure Eccles. p. 1. cap. 41. num. 170.* & Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 36. S. Congr. die 26. Iunij* 1621. declarauit professionem emissam instante Abbatissa, à puella, quae iam compleuerat annum nouitiatus, & in morbum inciderat, & à medicis dictum fuerat esse morituram esse validam, etiam si postea fuerit mors verè sequuta.

156. Ex quo colligitur, verum non esse, quod ex Peyr. *in S. R. q. 1. c. 55. §. 5.* docet Donatus *p. 4. tr. 11. q. 28.* nimirum quod Capitulum non possit consentire vt huiusmodi infirmus valide profiteatur; quia est incapax profitendi, & quia hoc est contra Religionum statuta. Nam vbi ex speciali lege irritante professionem non sit prohibitū, huiusmodi infirmum admitti ad professionem, falsum est eum esse incapacem ad valide profitendum, cum imò iuxta causa data etiam licitè admitti possit. Nec obstat si lex aliqua oppositum prohibeat, quia si lex illa non irritet factum, licet Capitulum male faciat, si suam legem non seruat, valide tamen admittit ad professionem, cum ad hoc iure communi habeat facultatem, & specialis iuris prohibitio non irritet attentatum contra ipsam. Dicere verò quod Capitulum non praesumitur consentire contra statuta, non admittitur; quia de facto consentit, & deberet protestari se non consentire, si adsit occulta infirmitas, si vellet eam esse irritam.

157. Colligitur secundò, multo minus verum esse, quod tenet Ledesma *de stat. Relig. in com. cap. 6. concl. 1. cand. 4.* nimirum, quod professio habentis infirmitatem repugnantem obseruantiae statutorum religionis sit ex natura rei inualida; nulla enim est ratio, quam adducit, nimirum quod professio obliget nedum ad vota, sed ad obseruantiam regulae, nam professio non obligat legitimè impeditos, & infirmitas non repugnat statui perfectionis, & infirmus patiens infirmitatis est melioris exempli, & maioris aedificationis, quam sanus ieiunans, vel de nocte ad matutinas surgens.

158. Colligitur tertiò, quae dicta sunt vera esse de quacumque infirmitate, ac proinde de eo qui morbo gallico omnino incurabili laboraret. Vbi enim ea lege speciali approbata à Sede Apostolica huius infirmi professio non sit irrita, valida est, quia nec incapacitas ad austeritates regulae, illam reddit nullam, vt probatum est, nec eius turpitudo moralis nocet, quia poenitentia turpitudinem culpae delet. Nec valet ratio Ledesmae loco citato, quia scilicet si quis tali morbo laborans voueret religionem, tale votum non obligaret; gratis enim, & sine ratione hoc asseritur, & solum non obligaret, si non haberet Religionem, quae illum recipere vellet, sed vbi religionem ingredi posset, teneretur eam ingredi. Et praeterea non est eadem ratio de voto simplici, quod est simplex promissio, & de professione in qua interuenit traditio irreuocabilis ad vitam regularem, de cuius ratione nō est vt materialiter seruentur omnia ea, quae praecipit regula, sed quod religiosus viuat secundum regulam, quod quicumque infirmus potest praestare. Sic igitur quod huius infirmi professio sit valida, habetur ex *cap. Sicut nobis,* & ibi Bute. & Abbas, & *cap. Sicut tenor,* & ibi Glossa *de Regul. & transit.* *Rota dec. 346. num. 2. ap.* Farin. Donat. *p. 4. tr. 11. q. 27.* Coton. *l. 4. c. 4. num. 11.* Vbi *num. 10.* quod in Ordine Capucinorum, & Discalceatorum S. Aug. ex speciali statuto, horum professio est irrita. Lezana *v. professio num. 18.* Panorm. *in cap. ex transmissa, num. 2.* & ibi Card. & Imola *num. 3. de renunc.* Thesau. *v. professio cap. 3.*

159. Si autem nouitius sit occultus infirmus, & taceat infirmitatem, & decipiat religionem adhuc professio valet, nisi adsit statutum irritans, vel protestatio de nullitate consensus ex parte religionis in casu talis infirmitatis, vt supra satis est probatum.

160. Octaua conditio est, vt nouitius non sit corpore vitiatus, v. g. vt non sit caecus, vel surdus, vel mutus, vel claudus, vel gibbosus, &c. Donat. *p. 4. tr. 3. q. 16.* putat eandē esse rationē de his defectibus respectu Ordinis Sacri, & respectu religionis, & vititur propterea doctrina Grat. *dist. 49.* & S. Raymūdi *l. 3. tit. 18.* vt sicut corpore vitiati expelluntur ab ordine, sic expelli debeant à Religione. Longè tamen diuersa est ratio, quia aliud requirit altaris ministerium, ob sublimitatem officij, & dignitatem

rem sacrificij altaris ad quod actus ordinum ordinantur, quod non requirit status religionis, qui est status humilitatis, pœnitentiæ, & demissionis. Ideò si corporalia huiusmodi vitia valde repugnent obseruantiæ regulæ, sicuti v. g. defectus loquelæ, & cœcitatis, &c. non possunt licitè admitti huiusmodi vitiati sine graui, & iusta causa, & ab eo, qui valeat iuxta sui ordinis leges huiusmodi vitiatos admittere ex causa propter quã dignũ sit cũ illis dispensare; sed si corporalia huiusmodi vitia non præstent impedimentum obseruantiæ regulæ vt sunt claudicatio, & gibbositas, &c. non est vnde huiusmodi vitiati, si habeant alia requisita excludi debeant à Religione, quæ est omnium fugientium pericula mundi portus securus. Horum verò professio (nisi adsit specialis prohibitio irritans) est valida etiam si facta per errorem, & etiam quia sit nedũ cœcus, sed simul & surdus, & etiam si mutus, dummodo huiusmodi cœcus, mutus, & surdus instrui possit vt sciat quid promittat in professione, & ad quid teneatur sub vita regulari. Socin. *iunior cons.61.nu.13.* & *14.vol.1.* Azor. *l.12. cap.4.q.1.* Sanchez *l.5.mor.c.3.num.2.* Spin. *in specul. testam. glos.9.num.4.* Vecbius *disp.13.num.2.* Barbatia *cons.59.num.12.vol.2.* Diana *p.5. tr.6. resol.34.* Donat. *p.4.tr.3.q.26.* Peyr. P. R. *q.3.cap.1. §.2. & 3. num.82.* Cotton. *l.4.contr.4.c.1.num.24.* Hoc tamen verum erit, quod qui ob huiusmodi corporis aliquod vitium repelluntur ab Ordinibus Sacris, manere debebunt in Religione, vel tanquam Conuersi, & seruientes, vel tanquam simplices choristæ Deo in humilitate sub alijs seruientes.

161. Nona conditio est, vt non sit seruus. De seruis enim hæc habentur ex decreto Bonif. I. *cap. si quis incognitus 17. q. 2. Si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, ante triennium Monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos aut seruus, aut libertus colonus quæratur a domino suo, reddatur ei cum omnibus, quæ attulit: fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea quæri non potest, nisi sit tam longe, quod inueniri non possit. Sed tantum ea, quæ in Monasterium addaxit, dominus serui accipiat.* Ex hoc verò decreto colligitur primo, quod professio serui intra triennium est nulla. Huius oppositum quidem tenuerunt Archid. Bellam. & Turrec. *ad d. cap. Si quis incognitus* Syluest. *v. Religio 2.q.3.* Tab. *q.10.n.11.* Mirand. *t.q.17.a.1.concl.1.* Anton. à Spir. Sancto *tr.3.d.3.num.19.* Palaus *tr.16.d.2.p.2.§.3.n.1.* & 2. Lezana *p.1.c.8.num.21.* Tambur. *l.3. d.6.q.16.n.9.* Sed certè contrarium deducitur ex textu, quia nedum prohibet recipi professionem serui intra triennium, sed iubet eum reddi Domino si illum petat, non est verò verisimile, aut rationabile, quod Pontifex voluerit iam professum valide redire ad seculum. Nec iubet Monasterium satisfacere domino retento seruo in Monasterio, sed absolutè iubet seruum intra triennium reddi domino cum omnibus quæ attulit. Supponit igitur quod intra triennium nec sit professus, nec sit habilis ad professionem. Sicut verè non est habilis, quia non est sui iuris, nec potest seruus rem alienam donare Religioni, & verè se habet sicut coniugatus, cuius professio sine alterius coniugis licentia est nulla. Nec valet dicere quod seruus potest totam castitatem Deo consecrare, quia ad religionem non sufficit castitas, sed requiritur obedientia, & traditio, seu donatio, qua profitens se donat, & tradit Religioni, quod non potest facere seruus, qui non est sui dominus, & propterea nulla est professio serui intra triennium Palud. *4.d.38. q.4. a.2. nu.30.* Azor. *p.1.l.12.c.1.q.3.* Sanchez *l.5.c.4. num.49.* Bordon. *cap.2. q.50.* An verò hic seruus intra triennium professus, & à domino reuocatus si contingat eum manumitti teneatur redire ad Religionem, affirmant Palud. vbi supra, & D. Anton, *3.p.t.11, c.2. §.6.* sed negat Sanchez *d.c.4.num.49.* Et certè cum professio ista sit nulla, non obligat, & sic professus potest tanquam nulliter professus exire à religione etiam si à Domino non sit reuocatus seruata tamen forma Concilij Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regul.*

162. Colligitur secundò, quod post triennium professio serui est valida, quia Pontifex decernit seruum non debere reddi post triennium. Itaque per triennium acquirit libertatem, non tamen propriè per aliquam præscriptionem, sed quia dominus seruum suum non requirens quem nouit factum religiosum, censetur renunciare iuri suo, & seruo concedere libertatem, & quia fauore Religionis lex ita voluit fieri, vt triennio elapso seruus libertatem acquirat. Excipitur tamen casus in quo ob longitudinem distantiæ intra triennium seruus inueniri non potuit. Tunc enim licitum erit domino inuento seruo suo etiam post trienniũ illum petere, & de se reuocare. Hoc autem trienniũ esse computandum à die scientiæ docent Syl. *v. Religio 2.q.2.* Sanchez *l.5.cap.4.num.46.* Bord. *c. 2.q.50.* & alij. Verum de qua scientia intelligunt? Si de scientia ingressus in Religionem, non est verisimile, quia nec est credibile, quod textus velit, quod postquam dominus vltra triennium non inuenit seruum propter magnam distantiam, eo postea inuento, iterum habeat triennium intra quod possit illud reuocare à Religione; quia imò in textu præcipitur, quod dominus intra triennium petere debeat seruum suum si sit in loco vbi possit illum inuenire, si illum quærat, & solum admittit, vt post triennium possit reuocare seruum, si intra triennium non potuit illum inuenire ob magnam distantiam. Si autem sit sermo de scientia fugæ, & absentia ipsius serui, hoc rationabiliter assereretur, quia ex tunc incipit negligentia domini si suum seruum fugitiuum non quærat, & sic sensus esset, quod si seruum non longè distantem infra triennium à notitia fugæ illius non quæsierit, & inuentum religiosum, non reuocauerit, non possit illum post triennium reuocare. Sed si ob magnam distantiam illum intra triennium inuenire non potuit, tunc sufficit si eo inuento illum reuocet; quod tamen debet statim facere, ac commodè potest. Sed considerato textu dicendum est cum Hug. *ap.* Syluest. & Azor. *p.1.l.12. c.1. quæst.3.* quod hoc triennium numerandum est à die ingressus in Religionem. Nam Bonifacius primus præcipit, quod à tempore petitionis professionis infra triennium incognitus non admittatur ad professionem. De hoc ergo triennio etiam loquitur, cum vult quod maneat Religiosus, & non possit seruus post triennium reuocari, si seruus sit vbi infra triennium illud potuit inueniri, si verò longe distet, tunc licet post triennium reuocare ser-

num

uum, sed id debet statim facere. Nec obstat quod dicitur, scilicet quod ea præscriptio sit ob negligentiam domini non reuocantis seruum toto eo tempore? At ignoranti negligentia imputari non potest. Quia ad hanc negligentiam sufficit notitia fugæ ipsius serui, & quod seruus potuerit commode inuenire apud Religionem intra illud tempus, intra quod si dominus non quæsiuit, nec postulauit negligentiæ eius fuit. Extenditur verò determinatio textus nedum ad quemcumq; seruum proprio dictum, sed etiam ad colonum originariũ, siue adscriptitium, Syluest. vbi supra, Sanchez *n.* 48. Est autem colonus adscriptitius ille, qui est obligatus nedum ratione possessionum, sed ratione personæ. Et sic dispositio ista extenditur ad omnem illum cuius persona ratione personæ, & non tantum ratione pecuniæ est obligata. Talis enim venit nomine serui, qui non est dominus sui, vt se tradat Religioni.

163. Sed graue *aliud* dubium hic remanet, an dispositio *textus* sit vniuersaliter intelligenda, & ita vt sit vera etiã existente mala fide in Religione quæ eum recepit, quem sciebat esse seruum. Nam esse vniuersaliter intelligendum existimat Bord. *d. q.* 50. eo quia quod non possit seruus reuocari post triennium non est ratione præscriptionis, sed quia seruus censendus sit tacitè manumissus. Tum quia sit gratia facta fauore Ecclesiæ. Sed oppositum dicendum est, neque enim Ecclesia fraudibus, & iniustitijs recipientium alienos seruos fauere intendit, & textus expressè loquitur de seruo incognito, non ergo est sermo de seruo cognito, sed de incognito, & de eo, qui bona fide admissus fuit non verò de mala fide admisso. Aug. *v. religiosus num.* 3. Tabien. *v. religio q.* 10. *num.* 18. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 1. *q.* 3. Sanchez *num.* 44. Et sic vbi in Religione sit mala fides, professio serui nec post triẽnium est valida.

164. Et hinc soluitur alia difficultas, quid scilicet teneatur restituere Religio, cum dominus suum seruum reuocat. Nam vbi in Religione sit bona fides, non tenetur nisi reddere seruum, & quę seruus secum attulit, non verò tenetur restituere æstimationem serui, vel damna inde domino sequuta, vt clarè constat ex textu, & docent Sanch. *d. cap.* 4. *num.* 45. Bord. *d. q.* 51. Sed si Religio sit in mala fide, etiam tenetur ad damna restituenda. Sanchez vbi supra. Et hoc verum est etiam si Monasterium culpabiliter neglexit scire, an, quem recepit, esset seruus, cum enim ille esset incognitus tenebatur Monasterium inquirere eius conditionem. Sylu. vbi supra, ideò nec bona fide processit, si personæ conditionem quantum bona fide potuit non quæsiuit. Et tandem ex his potest ferri iudicium de illa antiquorum distinctione? Supposito enim quod seruus intra triennium professus fuerit, distinguunt, & dicunt, quod si seruus mentitus est se esse liberum, potest à domino reuocari ad seruitutem, secus si seruus bona fide fuit ingressus. Similiter si Monasterium fuit in culpa, & vel sciuit esse seruum, vel cum esset incognitus vel rationem dubitandi habens non præmisit debitam diligentiam, debet seruus in Monasterio manere, & Monasterium debet domino æstimationem serui soluere illique satisfacere. Et in hoc antiquos sequitur Sanchez *num.* 47. minus consequenter loquenter, quia cum *num.* 49. bene doceat professionem illam intra triennium esse nullam, igitur in nullo casu potest seruus manere, sed domino instante debet ad seruitutem redire. Monasterium verò quatenus fuit iniusta causa damni ipsius domini mala fide procedens, ad satisfactionem damni tenetur.

165. Decima cõditio est, vt non sit illegitimus. 11. vt non sit genere maculatus, scilicet de genere Iudæorũ, vel Saracenorũ, vel Hæreticorum. Duodecima vt non sit debitor alicuius. 13. vt non teneatur reddere rationem administrationis. 14. vt sit solutus à matrimonio. 15. vt non sit professus alterius Religionis. 16. vt non sit criminosus. De quibus conditionibus satis supradictum fuit *q.* 189. *a.* 1. 3. 5. & 6.

166. Decima septima conditio est, vt qui vult professionem emittere non relinquat parentes in graui necessitate. Est autem prima difficultas circa hoc, an professio huiusmodi sit valida? Nam indubitatum est esse illicitam, si præsentia filij in seculo sit necessaria ad subleuandam grauem parentum necessitatem, quia nimirum filius manens in seculo illam necessitatem subleuare potest, quod nec per se nec per alium potest facere si profiteatur. Nam hoc est contra pietatem debitam parentibus, vt cum D. T. *supra q.* 189. *a.* 6. probatum est, & docent communiter DD. Hoc autem stante videtur quod huiusmodi professio illicita, simul sit inualida, quia votum non potest esse de materia illicita. Sic enim & probatum est supra *eod. art. num.* 16. quod votum Religionis manente simili parentum necessitate non obligat, sed manet suspensum, donec duret illa necessitas. Respondetur quod materia voti promissionis, in quo essentialiter consistit professio non est illicita, licet sit illicitum filium in simili casu fieri Religiosum: nam materia voti professionis est donatio profitentis, per quam se tradit Religioni in Religiosum, cuius donationis obseruantia promittitur, & quæ donatio Deo consecratur. Hæc verò donatio quæ in simili casu est illicita in suo fieri, cum tamen sit valida, non est illicita in suo esse, seu nõ illicitè obseruatur, sed ex debito. Donare quidẽ vni quod est obligatũ alteri est illicitum, quia violatur ius illius tertij in cuius præiudiciũ res illi obligata alteri donatur, sed tamen donatio potest esse valida, quia ius in re quod datur donatario per donationem, & traditionem rei, præponderat iuri ad rem, quod tertio competebat, & illud vincit, per traditionem enim rei transfertur dominium, quod non fit per promissionem. Vnde res vni promissa illicite donatur, aut venditur alteri, sed tamen donatio, aut venditio esse potest valida, quia transfertur rei dominium. Sic ergo in præfato casu, filius illicitè se donat Religioni in præiudicium paternæ pietatis, donatio tamen est valida, & ideò manutenenda, & obseruanda. Obiectum verò, & materia professionis est hæc donatio vt facta, & vt valida, non verò vt fit illicitè, & ideò votum est de re licita, quia promittitur obseruantia donationis vt validæ, licet illicitè factæ, & ideò professio quę essentialiter in hoc voto consistit est valida, & sancta, vt bene docuerũt. Nauar. *cons.* 16. *de Regul.* Less. *l.* 2. *cap.* 41. *d.* 3. *nu.* 34. Rodriq. *p.* 3. *q.* 33. *a.* 5. Eman. Rodriq. *resol.* 101. *num.* 84. Mi-

rand,

rand. *tom.* 1. *q.* 17. *artical. fin. concl.* 4. Sanchez *l.* 4. *cap.* 20. *num.* 10. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 9. *num.* 2. Palaus *tract.* 16. *disp* 2. *p.* 2. §. 6. *num.* 1. Bordon. *de profess. c.* 5. *q.* 51. Lez. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 9. Tambur. *d.* 9. *q.* 16. *num.* 9.

167. Validitate autem professionis supposita secundo quæritur, an Monasterium teneatur ad succurrendum Patri sui Religiosi existenti in extrema, vel graui necessitate? sed de necessitate extrema loquendo, cum euidens sit tunc obligare præceptum eleemosynæ, non est dubium quod Monasterium ad necessitatem extremam patris sui Religiosi tenetur, cum ad id teneretur etiam si ille non esset pater. Et in casu extremæ necessitatis filius non habens aliunde vnde patri subueniret posset id facere etiã de bonis Monasterij, etiam superiore inuito; cum in eo casu communia sint omnia.

168. Si etiam Monasteriũ successit in bonis filij, dicendum. Secundo est bona illa transisse ad Religionem sub obligatione, quam habet filius alendi patrem in graui necessitate existentem, ideoq; teneri Monasterium iuxta vires hæreditatis succurrere parentum sui filij necessitati graui. Nam obligatio hæredis etiam extranei est præbere alimenta ei cui succedit. *l. si quis à liberis §. item rescriptum. ff. de liber. agnoscendis*: At verò Monasterium bona filij recipiens hæres est parentum, *illius Authent. de Sanctiss. Episc. §. sed hoc præsenti.* Et *cap. in præsentia, in fin. de probat.* debet igitur alimenta parentibus præbere. In hoc enim casu Monasterium loco filij succedit. Sanchez *l.* 4. *cap.* 20. *num.* 21. post Angel. *v. Religiosus num.* 31. Syluest. *v. Religio* 6. *q.* 9. Palaus *d. p.* 2. §. 6. *num.* 2. Et si dicas non probari intentum, quia Monasterium non est propriè hæres vel Religiosi, vel patris eius, sed donatarius, at verò donatarius filij non tenetur ex rebus sibi à filio donatis vel venditis alere patrem illius. Nec ex *cap. in præsentia probatur*, quod Monasterium succedat, vt filius, & hæres quia in casu illius capitis Monasterium erat verus hæres substitutus à patre, si filius sine liberis decederet; & quia idem filius se, & sua obtulerat Monasterio bona illius fuerunt Monasterio adiudicata, non tantũ vt hæredi substituto per patrem, sed vt donatario eiusdem filij, qui se, & sua obtulerat Monasterio. Sicut enim oblatio, qua Religiosus se offert Monasterio est donatio, sic est donatio oblatio bonorum, quæ simul cum persona Monasterio sunt oblata. At verò si filius omnia sua donet Petro etiam tempore necessitatis Patris, Petrus factus dominum bonorum filij non tenetur ex eis alere patrem illius, quia bona illa iam Petri sunt, qui patrem alterius non tenetur alere de suo. Cum ergo Monasterium se habeat vt donatarius filij, videtur, quod non teneatur alere patrem. Sed dicitur quod quando bona transeunt in alium consequenter, & accessoriè ad personam transeunt vt obligata tertiò, si persona illi tertiò manet obligata, quia sicut non obstante donatione persona quæ se donat, se donat vt obligata, & obligata manet sic bona eius quæ transeunt vt accessoria personæ obligata manent. Filius verò, quo se donat Religioni manet obligatus ad alendos parentes, quia hanc naturalem obligationem cauere non potest, ideò bona eius, quæ transeunt in Monasterium, vt accessoria personæ ipsius retinent eandem obligationem, vt in hoc Monasterium se habeat loco filij, & teneatur alere Patrem.

169. Et quidem hoc valde rationabiliter dicitur, si dum filius profitetur, & bona transfert in Monasterium, pater est in necessitate, vel in periculo eius, quia filius tunc non est censendus donare sua Monasterio in præiudicium obligationis quam habet alendi patrem ex illis bonis. Hoc enim impium esset, nec Religio donationem aliter factam acceptare posset, & deberet. Et qui profitetur, cum hoc facere debeat ex virtute, præsumendus est nolle inhonestè, & ex vitio disponere de rebus suis, & ideò siue expressè intuitu Religionis donet sua Monasterio, siue id faciat consecutiuè, & accessoriè ex quo se donat, semper intelligitur donare sua sub conditione, & siue præiudicio paternæ pietatis, & ita vt Monasterium in sui locum succedat, & patrem de bonis suis alat. Sed & hoc idem intelligi debet etiam si tempore professionis pater non sit in graui necessitate; quia nihilominus cum filij obligatio sit, vt si contingat patrem reperiri in necessitate, filius si bona habeat, patrem alere teneatur, non vult filius in præiudicium huius obligationis se priuare bonis suis, sicque non cedit ea Monasterio nisi sub obligatione alendi ex eis patrem, si necessitas id postulet. Et sic Monasterium succedit in bonis sibi donatis à filio cũ obligatione se habendi vt filium, & alendi Patrem.

170. Sed si bona post professionem adueniant Monasterio non ex vi donationis factæ à filio, ante professionem, seu ex vi professionis, sed ex donatione, legato, aut testamento post professionem facto videri poterit, quod non tenebitur Monasterium ex huiusmodi bonis alere patrem. Quia hæc nunquam fuerunt bona filij, qui ad illa nullum ius habebat antequam esset professus; ideò hæc bona non manent obligata patri ex obligatione, quam habet filius alendi patrem, quia filius non tenetur alere nisi de suo. Post professionem verò bona aduenientia intuitu illius, illi non acquiruntur, sed Monasterio, vnde nec fuerunt, nec sunt vnquam bona filij vt intret obligatio ex eis alendi patrem. Nec est necessitas dicendi, quod professio filij in hoc sit conditionata, vt si cõtingat Monasterium aliquid acquirere intuitu sui, ex eo teneatur alere patrem, quia licet posset poni hæc conditio in professione, non tamen necessario subintelligitur cum filius ad hoc nõ teneatur: spes enim habendi id, ad quod habendum filius nullũ omnino ius habet, non est in bonis filij, cum nullum ius illi tribuat, ideò non tenetur filius in sui professione obligare pro patris alimentis spem illam habendi ex qua nullum ius habendi habet, sed solam capacitatem. Sed nihilominus oppositum huius asseritur, & probatur. Si enim bona illa ad quæ professionem emittens habet spem nullo modo sunt in bonis nouitij, vnde est quod ex vi professionis ab ipso factæ, accedunt, & acquiruntur Monasterio? quod ex vi voti paupertatis emissi ab eo qui profitetur acquirit statim ius conditionatum, vt illius sint quæcumque professio illi in futurum donabuntur, vel relinquentur legato, aut testamento. Sicut ergo in acquirendo Monasterium gerit personam filij professi ex vi donationis, &

tia

traditionis, quam filius fecit in sui professione, æquum est, vt gerat personam filij in satisfaciendo obligationi pietatis, quam habet filius ad parentes. Et dicendum est, quod ius illud, quod Monasterium acquirit, ad hoc vt in persona filij omnia ei relicta sibi cedant, sit conditionatum, & quod omnia huiusmodi bona transeant in Monasterium cum obligatione alendi parentes in illis casibus in quibus filius eos alere teneretur ratione grauis necessitatis in qua illi inueniuntur.

171. Sed si filius nihil contulit Monasterio, & bona fide ingressus est Monasterium, quia tunc parentes non indigebant, nec erant in morali periculo grauis indigentiæ, vel bona fide existimarum fuit eos ope filij non egere, aut filium æque bene posse illis in Religione subuenire, Monasterium de suis bonis non tenetur parentibus sui Religiosi sic bona fide professi subuenire, & parentes illos alere. Non enim tenetur ex iustitia cum nihil á parentibus, vel filio receperit, ratione cuius teneatur ex iustitia aliquid recompensare, vel reddere. Ex præcepto autem charitatis non tenetur Monasterium ad succurrendum tali necessitati nisi ex superfluis, vt supponunt Syluest. *v. Religio 6 n.9.* & Angelus *v. Religiosus nu.31.* & tradunt Sanchez, & Palaus citati. Sed si Monasterium mala fide admisit filium ad professioně sciens parentes eius constitutos in graui necessitate ope filij indigere, filiumque manentem in seculo posse illis succurrere, reddi veró ex professione ad id præstandum inhabilem, aliqui dicunt Monasterium teneri alere parentes religiosi sic mala fide admissi. Quia licet Monasterium sic mala fide admittens filium ad professionem non peccet contrà iustitiam commutatiuam, peccat tamen contra pietatem, quæ est altior iustitia, quæ importat debitum rigorosius, & strictius obligat ad reparationem, vt considerauit Suarez *tom.3. lib.6 c.9. num.24.* Et ideó Monasterium sic pietatem lædens tenetur reparare damnum parentibus illatum ex admissione filij ad professionem. Syluest. & Angelus citati, quos sequitur Palaus loco citato. Contrarium tamen voluit Sanchez *d.c.20. num. 21.* quia cum hic non interet propriè iniuria, & obligatio iustitiæ commutatiuæ, nulla est obligatio restituendi, si admittatur in Religionem filius contempta obligatione quam filius habet alendi Patrem. Et sic puto dicendum; quia ex cuius virtutis præcepto ad id tenebitur Monasterium? Non ex iustitia commutatiua, vt per se patet, & admittitur. Sed neque ex virtute pietatis, quia hæc obligat filium, non veró extraneos. Nec est vt dicatur Monasterium obligari consequenter ex pietate, ex quo pietatem lædit admittendo mala fide filium in præiudicium parentum; quia violatio pietatis non obligat ad restitutionem, & illi virtuti satisfit per pœnitentiam. Sic etiam si quis inducat aliquem vt violet votum non tenetur ille ad satisfaciendum voto pro altero. Sic enim & obligatio pietatis in filio sicut obligatio voti in vouente est personalis, & non transit in extraneũ, etiam si extraneus sit causa, vt pietas vel religio violetur: sic qui est causa vt Petrus non ingrediatur Religionem, non tenetur Religionem ingredi.

172. Dubitatur veró tertió. Ad quid teneatur filius iam professus habens parentes in graui necessitate constitutos? Et indubitatum est ipsum teneri ad præbendum illis omne subsidium quod potest salua obedientia, & decentia religiosi status, seu secundum suæ religionis regulam. Non enim per professionem tollitur omninó naturalis obligatio, quam ex virtute pietatis habent filij erga parentes, & per quam tenentur illis succurrere si in graui existant necessitate. Ad illa igitur obsequia omnia, & subsidia parentibus exhibenda tenetur Religiosus filius professus ad quæ ex virtute pietatis tenetur, & quæ ex alia parte secundum sui status decentiam & salua sui Ordinis regula, & disciplina potest exhibere sine peccato vel regulæ transgressione.

173. Colligitur primó, quod si actiones, quibus subuenire possit parentibus sunt prohibitæ fieri sine licentia, sed cum licentia permittuntur, tenetur hic Religiosus licentiam petere, hoc enim valde leue est, & quod ex leuibus causis fit etiam regulariter à Religiosis, vnde multo magis fieri debet à Religioso in casu, in quo vrgeat lex pietatis. Sanchez, & Palaus citati, Suarez *d. l.6. cap. 9. num.9.* Colligitur secundó, quod si Religioso sit ad vsus honestos concessum peculium, vel permissum vti, vel prætio artificiatorum, quæ vendit, vel concionum aut missarum eleemosinis, aut rebus sibi aliunde donatis, vel acquisitis alio honesto, & Religioso exercitio, vt moderando cathedram in aliqua vniuersitate, ex ijs, & similibus tenebitur filius Religiosus de licentia superioris parentum necessitati subuenire.

174. His stantibus dubium est, an superior teneatur hanc licentiam concedere. Hoc enim supponunt, qui dicunt quod si Religiosus filius certus sit fore, vt licentia ei iniuste denegetur, vel de facto non concedatur, potest vel licentia non petita, vel ea non obtenta, obligationi naturalis pietatis satisfacere per præfatas actiones; quæ alias secundum statum, & regulam de licentia fieri permittuntur ex honesta causa, præcisso tamen scandalo, & violentia. Sanchez *d. cap. 20. num. 19.* Suarez *tom.3. de relig. l.6. cap.9. num. 27. 28. & 29.* Palaus *d. num 9.* Quia in hoc casu adest præsumpta maiorum superiorum licentia, seu legis ipsius permissio, imó & obligatio, quia regula ipsa obligat filios ad subueniendum parentibus in omni eo casu, in quo obligat eosdem virtus pietatis. Suarez autem *d l.6. cap.9. num.17.* docet teneri ex charitate, & quod videtur teneri ex iustitia. Primum probat, quia charitas obligat ad subueniendum proximo existenti in graui necessitate de superfluo, in presenti autem casu actiones quibus Religiosus filius potest succurrere Patri, dici possunt quasi superfluę Religioni, ac Prælato. Secundum probatur, quia Pater habet ius vt subueniatur sibi á filio in graui necessitate existenti igitur Prælatus facit illi iniuriam filium impediendo. Et confirmatur, quod licet ius patris contra filium non sit iustitiæ, sed pietatis; ius tamen ne filius impediatur, & prohibeatur vt ne subueniat Patri est iustitiæ; quia generaliter cõtra iustitiã est, si quis impediatur, ne obtineat quod sibi iure naturali debetur, ex quacumque virtute id sibi debeatur; fit enim illi iniuria manifesta ab eo, qui tale impedimentum ponit. Sed vlterius videtur, quod in hoc violetur etiam virtus pieta-

tis,

tis, ex hoc quod aliquis sit causa ne obtineatur à filio obsequium parentibus ex pietate debitum, vnde & si quis etiam sine vi vel dolo consulendo, rogando, suadendo, sit causa quod filius à pietate deficiat, impius est, & pietatem violat. Quæ obligando filium ad paternum obsequium, obligat quemcumque ad hoc vt non sit causa, quod filius à pietatis obsequio deficiat. Sic igitur nedum ex charitate, & ex iustitia, sed & ex virtute pietatis tenetur superior, vt non sit causa, quod subditus deficiat ab obsequio patri debito. Tota quæstionis difficultas ex huius puncti pendet intelligentia. Dico igitur primò in omni eo casu Prælatum teneri dare licentiam subdito Religioso, vt per opera sua subueniat patri, in quo obligat præceptum eleemosinæ. Hæc assertio est indubitata; præceptum enim eleemosinæ est de iure diuino, vt habet S. Th. *supra q.32. a.5.* & afficit, & obligat omnes habentes de superfluo tam sibi, quam suis, iuxta illud *Lucæ 11.* Quod super est, date eleemosynam. Ad hoc verò vt sit obligatio respectu patientis necessitatem grauem, sed non extremam, requiritur ex parte dantis, quod habeat superfluum tam naturæ, quam personæ secundum eundem D. T. *4. d. 16. q.2. a.1. q.4.* & Caiet. *tom.2. opusc. tr.5. cap.1.* Sed & vbi sint plures necessitatem grauem patientes, qui soli vnius necessitati potest subuenire non tenetur dare determinate huic vel illi, sed in eius arbitrio est, vt det ei, cui viderit opportunum, vt docuit idem D. T. *quodl. 8. a.12.* Et in danda eleemosyna seruandus etiam est ordo charitatis, de quo idem D. T. *supra q.32. a.9.* Itaque ergo quando contingat casus in quo superior teneatur ex lege charitatis adiuuare necessitatem parentum alicuius Religiosi, per eiusdem Religiosi opera, tenebitur eidem concedere licentiam, imò si opus sit præcipere, vt filius Religiosus det operam, vt parentum necessitati succurrat. Sed hic casus non potest occurrere, nisi Religiosi opus ac labor, & labore acquisitum sit respectu Religionis superfluum, & seruato ordine charitatis in auxilium illorum parentum impendendum.

175. Dicitur verò secundò superiorem ex iustitia non teneri dare licentiam subdito Religioso, vt subueniat parentibus in graui necessitate existentibus. Ratio est, quia filius ipse etiam non Religiosus, sed secularis non tenetur patri necessitatem patienti subuenire ex iustitia, sed ex pietate, vt cum D. T. *supra q.101. a.1. & 2.* Theologi docent. Multo minus igitur ad id tenetur superior Religiosus, qui nihil hoc intuitu à patre vel à filio, aut ab alio recepit. Nec vrget si dicatur, quia nimirum licet ius patris in filium non sit iustitiæ, sed pietatis, tamen ius quod habet pater ne filius impediatur ne sibi subueniat est iustitiæ, quod ius violat superior negando licentiam filio ne patri subueniat, quia sic illum impedit. Nam primo quando aliquid non est alicui debitum, vel si est debitum non est debitum ex iustitia, sed ex alia virtute impedire aliquem ne illud obtineat non est iniustitia, nisi impedimentum proueniat ex odio, & ex intentione nocendi, aut sit vi vel fraude, imò si alias actio non sit iniusta, solum odium, & mala nocendi intentio non obligat ad restitutionem Sotus *l.4. de iust.* *q.6. a.3. ad.6.* Bannes *2.2. q.62. a.2. d.1. concl. 4.* Nauar. *cap. 17. num. 70.* Conar. *reg. peccatum 2. p.§.7. num.8.* Sanchez *lib.2. opusc. cap. 1. dub. 49. num.6.* Diana *p.3. tr.6. Miscell. resol.33.* Et in hac parte hæc regula datur, quod vbi illius cuius consecutio impeditur non est debitum ex iustitia, quia ad illud impeditus non habebat ius, vel in re vel ad rem, & impedimentum non fuit ex vi, vel dolo non intrat restituendi obligatio. Nam quando distributor, vel dator, seu impeditus à dando, non dando non est iniustus, neque iniustus est procurator, consulens, cooperans, & causans ne ille det, si id fiat sine vi, & dolo Sanchez *l.2. Opusc. cap.1. dub.49. num. 10.* Diana *p. 3. tr. 6. Miscell. res.33.* Card. de Lugo *disp.35. nu.102.* Si enim dator libere sine iniustitia potest non dare sicut illa estò mille vicibus proposuerit dare, tamen libere sine iniustitia potest mutare propositum, & non dare; sic non est iniustus, qui consulit, aut procurat, aut cooperatur ne ille det. Nam ille tertius cui proposuerat dare, ad rem dandam nullum ius habebat, vel in re, vel ad rem igitur nihil illius acceptum fuit, vnde non fit illi iniustitia, & neque ille habet ius, vt non impediatur ne libere sibi negetur, quod ex iustitia sibi non debetur, si absque vi vel fraude impediatur. Sic non tenetur restituere pauperi, qui sine vi vel dolo, impediuit ne aliquis libere ei dederit eleemosynam, & sic non teneri restituere, qui dignum sine vi vel frade impediuit à consecutione beneficij ad quod nullum ius habebat nec in re, nec ad rem probaui *tr. de elect. cap.30. q.19. num.222. & 223.* Cum igitur subuentio non debeatur patri à filio ex iustitia, nec pater ad hunc subuentionem habeat proprium ius, vel in re, vel ad rem, etiam si quis sine vi, vel dolo impediat filium, imò sit causa, quod filius sit in patrem impius, impius est, & pietatem offendit, sed non est iniustus, nec per hoc ad restitutionem aliquam tenetur. Quia obligatio restituendi oritur ex sola violatione iustitiæ commutatiuæ, vt habet D. T. *supra q. 62. a.1.* non verò ex violatione charitatis, vel obedientiæ, vel iustitiæ distributiuæ, vel pietatis in parentes Card. de Lugo *disp.1. sect.3. nu. 51. & 52.* Superior autem cum vt dictum est ex iustitia non teneatur dare licentiam subdito, vt subueniat parentibus non facit vim licentiam negando, sed iure vtitur suo, ideo non impedit iniustè.

176. Nec est, vnde dicatur, quod superior vim facit filio Religioso negans ei licentiam, quia subdito iusta petenti superior ex iustitia teneatur petitum concedere. Hoc enim principium est falsissimum, & disciplinæ regularis destructiuum. Nam & vbi etiam essemus in casu talibus circumstantijs vestito, vt vere deberetur concedi licentia, vel dispensatio aut ex lege charitatis, aut ex boni communis exigentia, & legali iustitia, aut ex iustitia distributiua, non per hoc intraret iustitia commutatiua. Quid enim accepit superior à subdito, ratione cuius ex iustitia commutatiua debeatur illi dispensatio in lege, vel licentia hoc vel illud agendi. Nam si Religiosus in professione tradit se Religioni, non se vendit, sed se donat, & non ex pacto se donat, quod esset simonia manifestissima, sed se donatione libera offert, superiores verò ex lege, & exigentia boni commu-

nis tenentur postea dirigere subditos ex inata motiua virtutum occurrentium licentias agendi, vel concedere, vel negare. Non igitur est iniustus superior, qui suo subdito etiam in casu licito, & ex aliqua alia virtute debito negat licentiam subueniendi parentibus.

177. Dicitur tertiò, quod licet debitum pietatis ex vi professionis non extinguatur in Religioso, adeo tamen minuitur, vt non remaneat nisi conditionatum conditione licentiæ, & obedientiæ superioris, & ita quod vbi licentia denegetur cesset pietatis obligatio. Hoc est de mente S. Thomæ supra q. 101. a. 4. ad quartum; Ibi *Tenetur tamen salua sui Prælati obedientia, & sui Religionis statu, pium studium adhibere qualiter eius parentibus subueniatur* sic & quodl. 3. a. 16. habet *Debet tamen quantum potest salua ordinis obedientia satagere &c.* & quodl. 10. a. 9. ait. *Secus autem est de illo, qui iam Religionem intrauit, quia cum iam sit mortuus mundo per professionem solutus est à lege, qua in mundanis obsequijs parentibus tenebatur secundum doctrinam Apostoli ad Romanos 7.* Verè enim sic est, quod filius Religiosus solutus est à lege, qua tenebatur patri in mundanis obsequijs non quidem omnino, & ita vt nec de licentia possit parentibus obsequi in mundanis, sed quia non tenetur ad illa nisi salua superiorum obedientia, & sub conditione, quod superiores dent licentiam. Et ratio est, quia cum in professione Religiosus se donet simpliciter, & suum velle tradat superioribus, non minus ac qui se donat in seruum, tradit se domino; iam ex vi professionis huius sit potestatis superioris, vt non sit amplius sui iuris, sicut nec seruus sui iuris est. Et licet possit contingere casus, in quo hæc donatio sit illicita, & contra pietatem debitam parentibus, sicuti & illicitè posset quis se donare in seruum, tamen quia donatio est valida, & transferens dominium in Religionem, & in dominium iam Religiosus non est sui iuris, vt in præiudicium obedientiæ superioris possit inseruire parentibus. Et hic non datur medium inter illa duo vel enim lex pietatis impedit ne donatio filij qua se donat in Religiosum sit valida, vel non impedit. Si impedit, iam Religiosus filius egredi debet à Religione tanquam nulliter professus, si verò non impedit, sed filius validè se donat in potestatem Religionis; igitur iam est solutus ad potestate patris, & totus est Religionis tantum quantum exigit professio, & donatio facta, & ita quod iam filius non teneatur patri in mundanis obsequija nisi salua Religionis obedientia, & sub eius conditione, & permissione.

178. Dico 4. Superiorem ex virtute pietatis non teneri filio Religioso suo subdito concedere licentiam subueniendi parentibus. Probatur hoc, quia lex pietatis obligat filios, & consanguineos non verò extraneos, vt constat ex D. T. supra q. 101. a. 1. Ex quo verò contingat casus, quod superior admiserit ad professionem filium impiè relinquentem patrem in graui necessitate destitutum suo necessario auxilio, bene sequitur, quod ille superior violauerit pietatem, & contra illam egerit impietati filij cooperando. Sed ex hoc non consurexit in eo aliqua obligatio restituendi, sed talis superior satisfacit pœnitendo de peccato, quia violatio pietatis non obligat ad restitutionem, vt dictum est. Bene tenetur superior iterum non cooperari impietati filij, sed quia filius ex vi professionis est solutus à lege pietatis quantum ad mundana obsequia, vt ad illa non teneatur nisi sub conditione licentiæ superioris, iam superior negando licentiam nec facit directè contra pietatem, quia hæc non obligat extraneos, nec indirectè, quia cooperetur impietati filij, quia non est impius filius si non subueniat patri, dum à superiore non habet ad id faciendum licentiam.

179. Dico quinto, quod præciso illo casu in quo ex aliqua circumstantia virtus aliqua obliget filium ad subueniendum parentibus dans illi ius, ad hoc faciendum independenter à voluntate superioris, vel præciso illo casu, in quo præsumi possit licentia alterius superioris legitimi si vnus superior contradicat, non debet dici, quod filius inuitis superioribus possit mundana agere, vt parentibus subueniat, non potest dici quod filius Bene propterea dixit Rodriq. tom. 3. quæst. 57. a. 4. quod Religiosus inuito superiore, & licentiam denegante, non potest pro parentibus eleemosynam petere. Nec Sanchez, & alij apud ipsum consequenter hoc negant, supponunt enim, quod superior iniustè, & iniquè hanc licentiam neget, & sic supponunt probandum, scilicet, quod superior iniquè licentiam neget, at verò hoc erat prius probandum, scilicet, quod superior extra casum necessitatis legis charitatis, aut specialis alicuius circumstantiæ inducentis alicuius virtutis necessitatem teneatur illam licentiam concedere. Quamuis nec liceat subdito agere inuito superiore etiam iniquè licentiam negante, si iniustè contrarie non negatur licentia, vt probatum est supra q. 189. a. 7. in spect. 7. Modo probandum esset, dari in subdito ius ad illam licentiam obtinendam, vel ius ad agendum etiam licentia non obtenta. Quod quidem ius haberetur, si debitum pietatis obligaret filium ad subueniendum patri non salua Religionis obedientia; sed cum lex pietatis Religiosum filium non obliget ad subueniendum parentibus nisi sub conditione licentiæ superioris, non habet ipse ius, vt licentia negata id possit. Nec est similis ratio de Religioso habente ius ad transitum ad arctiorem Religionem licentia petita; & non obtenta, quia Religiosus ad id habet absolutum ius ex eo, quod donatio, & traditio sui in professione est conditionata sub conditione facultatis transeundi ad arctiorem. Sed Religiosa professio non est conditionata sub conditione subueniendi parentibus. Quoniam enim professio fit intuitu perfectionis, ex natura rei petit hanc conditionem suæ substantiæ conuenientem, vt professio in Religione minus apta ad perfectionem, non repugnet transitui ad Religionem perfectiorem. Sed professio non exigit, quod homo mundanis se immisceat, sed quod homo omnino moriatur mundo, & mundanis omnibus, ideò non petit, vt sit conditionata sub conditione subueniendi parentibus in mundanis, sed vt homo omnino se Religioni, & Deo donet. Repugnat ergo professioni per quam homo se totum dat Religioni ac Deo in holocaustum, quod sit conditionata conditione mundana

ni operis, & implicationis ad negotia secularia, & temporalia. Item si filius se donet, aut vendat in seruum, aut nubat, huiusmodi contractus non sunt conditionati conditione aliqua quæ sit præiudicialis domino, vel coniugi; Multo igitur minus professio debet esse conditionata conditione mundani officij, vel ministerij. Tum quia ratio professionis est, vt per eam homo moriatur mundo, & mundanis. Tum quia, quod Religiosus possit aliquid de mundanis exercere sine licentia superioris, eoque inuito multum repugnat substantiæ professionis, & statui Religioso, & est res pessimarum consequentiarum, & quæ vigorem obedientiæ possit eneruare. Item si professio esset conditionata conditione necessitatis subuentionis parentum iam Religiosus posset ob hanc causam exire à claustro, imò dimittere habitum, imo redire ad seculum, quod vt infra probatur, communiter negatur, neque enim sufficiet dicere, quod quantum ad vota substantialia professio sit absoluta, non vero quantum ad alias obseruantias minus substantiales, quia si lex pietatis petit vt non derogetur ei ex vi professionis, sed præualet professioni, maximè petet vt non subsistat obedientia in sui præiudicium, & sic quod nec vota substantialia subsistant. Et præterea substantiale, & valde necessarium est statui Religioso, vt vis & virtus obedientiæ illimitata sit, & vniuersalis, & sic quod Religiosus inuito superiore nihil possit agere. Vnde licet conueniens sit, quod filius Religiosus cooperetur ad subleuandam parentum necessitatem, tamen non conuenit, quod hoc facere possit inuito superiore; sed potius dicendum est, quod ex vi professionis Religiosus soluatur à lege cooperandi per mundana exercitia ad subleuandam necessitatem parentum non extremam. Et ita hanc partem tenuerunt Turrecrem. cap. 1. dist 30. a. 2. vbi, *ad tertium arg. habet. Ita eodem modo per votum obedientiæ subuenire patri contra voluntatem sui superioris efficitur illicitum ipsi Religioso* D. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 2. §. 1. *in princ.* Tabien. *v. pietas in fin.* Armill. ibid. num. va. Caiet supra q. 101. a. 4.

180. Dicitur sexto, quod prædicta multo magis vera sunt de operibus, quæ Religioso ex Regula prohibita sunt, & sine dispensatione haberi non possunt, quia scilicet Religiosus filius per huiusmodi opera non potest cooperari ad sustentandos parentes inuitis superioribus. In hoc sensu ex Corduba *in sum. q. 142. a. 2. oppos. 4. par. 2. & 5.* & Ludouic. Lopez *p. 1. instruc. cap.* 54. dixit Sanchez *d. cap. 20. num. 19.* quod Minor non potest vt parentibus subueniat accipere pecunias, apud se retinendas; Suarez autem *d. l. 6. cap. 9.* putat quod in prefato casu, & similibus possit habere locum Epiicia, & dispensatio, & quod attendi debeat an superior teneatur dispensare, vel non teneatur, putans etiam habendam esse rationem an actio sit probibita sub præcepto obligante ad mortale, vel sub minori culpa, nam vbi superior non potest dispensare, & actio est probibita sub mortali, superiore negante dispensationem, non habebit locum Epiicia, quia tunc est vehemens argumentum obligationem legis non cessare. Verum aliud est, quod aliquid liceat Religioso in casu particulari ob Epiiciam, aliud est quod Religioso liceat prohibita opera exercere inuito superiore, ex eo quod lex pietatis det illi hanc facultatem ad effectum subueniendi necessitati parentum. Commune est enim legibus, quod per Epiiciam interpretari possint in casu particulari, vt non obligent. Et de hoc non est nostra quæstio. Sed dicimus quod per se præscindendo à circumstantijs necessitas subueniendi parentum necessitati non præbet causam iustam religioso operandi prohibita, vel sine dispensatione, vel sine licentia inuitis superioribus. Quia lex pietatis, quæ vt aduertit Caiet. secundum diuersos filiorum status eos diuersimode obligat ad subueniendum parentibus, Religiosos non obligat nisi salua obedientia, ideoque dependenter à dispensatione, vel licentia superioris, qua deficiente filius manet à lege solutus, & propterea non habet ius, vt possit parentibus subuenire inuito superiore. Et maximè si parentibus subueniendum sit ex acquisitis à Religioso, quæ sunt Religionis, nec Religiosus obligatur ad subueniendum patri de alieno.

181. Dicitur 7. quod vbi non sit sermo de subueniendo necessitati parentum manendo in Monasterio; sed exeundo extra claustra, & maximè de dimittendo habitum, multo magis est id illicitum Religioso filio sine superioris beneplacito, & dispensatione. Nam primò si Religiosus filius bona fide ingressus est, & professus, necessitate patris professioni superueniente, nec tenetur ipse egredi à Religione, nec potest id facere Religione inuita, nec tenentur superiores ei dare licentiam egrediendi. *Ille verò*, inquit D. T. supra *q. 101. a. 4. ad quartum, qui iam est in Religione professus, reputatur iam, quasi mortuus mundo. Vnde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, & se iterum secularibus negotijs implicare.* Et ita cum D. T. sentiunt ibid. Caiet. Lyra ad illud Matt. 15. Irritum fecistis mandatum, Supplementum Gabriel. 4. *d.* 38. *q. 1. a. 3. d. 2. coroll.* 2. Abulen. *ad cap.* 8. Matt. *q.* 69. Alexand. Alen. 3. *q. 33. mem. 4. art. 1.* Turrecrem. *cap. 1. 30. q. 1. a. 2. num. 6.* D. Anton. 3. *p. tit. 16. cap. 2. §. 2.* Rosella *v. Religio 2. num. 7.* Syluest. *v. Religio 6. q. 9.* Armilla *v. pietas num. vnico,* Tabien. ibi. *in fin.* Corduba *q. 141. a. 1. in 4. opinion. p. 2.* Angles 2. *p. quæst. vnic. de voto a. 2. diff.* 13. Pastarell. *in priuil. Minim. cap. 42.* Sà *v. Religio n. 2.* Corradus *tom. 1. q. 60. num.* 1. Rodriq. *tom. 2. sum. cap. 6. num. 4. & tom. 1. quæst. 17. a. 3.* Sanchez *lib. 4. cap. 20. num. 17.* Nauar. *cap. 14. num.* 14. & Comment. 3. *de Regul. num. 48.* Ludou. Lopez *p. 1. cap. 54.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 9. nu.* 19. Palaus *tract. 16. disput. 3. §. 2. §. 6. num. 11.* Clauis Regia *lib. 7. cap. 6. num. 48.* à S. Fausto *lib. 5. q. 126. & 132.* Racc. in praxi *p. 3. ref.* 324. Layman. *l. 4. tract. 5. cap. 6. quæst. 4.* Donatus *p. 4. tract. 3. q.* 21. *num.* 13. Ratio huius conclusionis est, quia nimirum pietas obligans filium ad obsequia paterna non priuat filium facultate mutandi status, sed imò & eos variat, & necessario naturaliter mutando ætates, & ciuiliter ineundo Matrimonium, assumendo Clericatum, vel Religionem, & dando operam, vel Militiæ, vel doctrinæ, vel iuris prudentiæ, vel mercaturæ, prout sibi conuenire visum fuerit, sicut verò vita filiorum mutabilis

est, ita pietatis obligatio mutationem, & variationem patitur, & diuersimode minuitur. Etenim negari non potest, quin patri magis subiecti sint filij infantes, aut impuberes, quam puberes, qui incipiunt esse sui iuris, & possunt de suis personis disponere, etiam inuitis parentibus ineundo Matrimonia, & assumendo statum Religiosum, ex quo concludunt bene DD. quod virtus pietatis præcepto suo affirmatiuo variabiliter & magis, & minus obligat filios, salua semper decentia, & exigentia status, in quo filij reperiuntur. Itaque virtus pietatis non obligat filium Religiosum nisi secundum exigentiam status Religiosi, at verò statui Religioso non conuenit, imò in graue illius præiudicium cedit, quod Religiosi viuant extra claustra, & qui mortui sunt mundo, iterum respiciant retro, & se negotijs secularibus implicent; virtus ergo pietatis non obligat filium, ad hoc vt pro sustentandis parentibus in graui necessitate egrediatur à Religione, & multo minus, vt dimittat habitum; vnde nec ipse potest ob hanc causam inuitis superioribus exire, & nec tenentur superiores illi licentiam concedere.

182. Dices secundum doctrinam D. T. illud impedimentum, quod si à principio fuisset impediret votum, excusare postea ab obseruantia eiusdem voti; sed necessitas parentum si à principio fuisset ante professionem illam impediuisset, igitur si postea adueniat, excuset à professionis obligatione, vt hoc modo professus possit exire, & etiam habitum dimittere. Ex Cordoba in *sum. q. 141*. Respondet Suarez *d. cap. 9. num. 5.* illud principium non habere locum in voto solemni ratione donationis de præsenti, & traditionis qua Religiosus se donat, & irreuocabiliter tradit, qui profitetur. Sed dico quod habet locum etiam in professo, sed iuxta statum suum. Nam professus, & potest agere ad subleuandam necessitatem patris, & etiam egredi, & etiam dimittere habitum salua Ordinis disciplina, & seruatis seruandis de Superiorum licentia. Lezana *p. 1. c. 5. num. 13.*

183. Verum dato quod qui profitetur mala fide, & illicitè profiteatur, quia ad professionem admittitur aliquo ex parentibus existente in graui necessitate, cui non potest succurri nisi filio in seculo remanente, multi sentiunt professum teneri exire de Monasterio, vt parentem sustentet, idque tam posse etiam superioribus inuitis, eosque teneri dare illi licentiam exeundi. Hanc sententiam primo tenent illi, qui absolutè volunt filium ob parentum grauem necessitatem subleuandam, si necesse sit, teneri egredi à Religione etiam inuitis superioribus, etiam, si opus sit, dimisso habitu; cum enim pater possit in necessitate vendere filium in seruum *l. 2. C. de patribus, qui filios distraxerunt*, multo magis poterit filium extrahere à Religione. Et pro hac sententia referuntur Armacanus *de potest. Papæ q. 3. a. 1.* Henric. *quodl. 6. q. 19.* Iansenius in concordia *cap. 60.* Viquerius *lib. instit. cap. 5. §. 7.* Cordoba in *Reg. S. Francisci cap. 2. q. 6. a. 2. post quartam opinionem*, etsi dicat non posse dimittere habitum, nec efficere alia, quæ Religiosum non decent. Palacios *4. d. 38. disp. 1. ad tertiam* maior verò *19. q. 4. d. 38. q. 26. concl. 2.* & Adrianus *quodl. 1. a. 3. ad septimum*, vt notat Sanchez *d. c. 20. num. 15.* loquuntur de necessitate extrema. In terminis verò nostræ difficultatis, quod vbi parentum necessitas antecedit professionem, filius post professionem possit exire etiam superioribus inuitis, & ad exeundum teneatur, si aliter non potest eorum necessitati subuenire tenuerunt Nauar. *cap. 14. num. 14. & Com. 3. de Regul. num. 48.* Syluest. *v. religio 6. q. 9.* Angelus *v. religiosus num. 31.* Cuccus *l. 3. tit. 1. num. 126.* Tolet. *l. 5. c. 6. num. 4.* Ludou. Lopez *p. 1. cap. 54.* Rodriq. *in sum. c. 6. num. 4.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 9. num. 8. & seq.* Less. *lib. 2. c. 41. dub. 3. num. 34.* Sed huius sententiæ fundamentum leue est. In hoc enim fundatur, quod filius factus religiosus retinet obligationem ad parentes, quæ non est extincta, ideò filius religiosus tenetur saltem petere licentiam exeundi, quam non potest Religio negare, quia cum in hoc casu admiserit filium ad professionem cum iniuria parentum non potuit acquirere ius in filium contra illos, sed dato etiam quod religio bona fide filium ad professionem admiserit, in re tamen facta est parentibus iniuria, & ideò semper (vt sic dicam) tenetur ratione rei acceptæ, esto nõ teneatur ratione acceptionis iniustæ. Nec obstat si dicatur, non teneri Religionem cum magno suo incommodo permittere sui Religiosi exitum, quia si non est aliud incommodum, quam priuatio sui Religiosi, & eorum, quæ ex eius manentia in Religione acquirantur, hoc damnum non est considerabile, quia cum Religio non acquisierit ius super Religioso in præiudicium obligationis erga parentes, hoc damnum non est priuatiuum, sed negatiuum. Vix verò moraliter potest contingere damnum alterius generis; & si contingeret, ei occurrere tenebitur Religio parentes alendo, vt damnum fugiat, quod ex sui Religiosi exitu sibi imminet, quod si Religio pauper, ad id non sufficeret; tunc habere posset locum prudentis arbitrium, an Religio cum tanto suo incommodo teneatur quasi restituere alienum. Verum quod ista non probent satis ex supra probatis constat. Nulla enim hic intrat obligatio iustitiæ, nec propriè iniuria, nec aliqua obligatio restituendi. Et Superiori, qui illicitè admisit filium ad professionem sufficit si pœniteat. Cæterum non ex iustitia, sed secundum exigentiam aliarum virtutum, & præcipuè iustitiæ legalis, & charitatis tenetur postea agere circa subuentionem parentum sui Religiosi, quæ meliora videbuntur.

184. At inquiunt remanet obligatio in filio, vt satisfaciat obligationi pietatis. Hoc totum verissimum est. Sed obligatio pietatis variatur secundum varietatem statuum filiorum, & diminuitur, & non obligat nisi salua exigentia status, in quo filius reperitur, etiam si status illicitè fuerit acquisitus. Sic filius ineundo matrimonium se reddat impotentem ad alendos parentes, & impiè relinquat eos in graui necessitate suo necessario auxilio destitutos, non tamen tenetur aut potest in præiudicium vxoris eam relinquere, vt parentes alat: seu si filius impiè se vendidit in seruitutem, non per hoc tenetur postea, nec potest dare operam vt alat parentes cum præiudicio domini. Ità cum status Religiosus perpetuitatem petat, & sit status habitantium intra claustra, & mortuorum mundo, quamuis detur casus, quod filius illicitè professus sit, cum tamen hoc fecerit validè,

tenetur quidem ad faciendum quod potest salua Ordinis disciplina pro sustentamento parentum existentium in graui necessitate, non tamen tenetur, aut potest relinquere statum religiosum, aut agere id, quod non potest salua ordinis disciplina. Hinc est quod redire ad seculum omnino non potest; aliter autem seruata obligatione status regularis dimisso, vel non dimisso habitu, nec alt secundum Ordinem regularis status, & disciplinæ. Ideò quod Religiosus absolutè non teneatur exire à Religione vt subueniat graui parentum necessitati docuerunt DD. supra citati num. 181. præter Nauar. Angel. Syluest. Cuccum, Toletum, Lopez, Rodriquez, Suarez, & Less.

185. Adhuc verò in sententia eorum, qui dicunt posse Religiosum saltem intra claustra aliqua agere inuitis superioribus pro subueniendo necessitati parentũ cõsidarandũ est, quod ad hoc requiruntur aliquæ cõditiones. Prima est grauis necessitas parentum, ad leuem enim necessitatem subleuandam non tenetur filius Religiosus. D. Th. enim d. q. 101. & quodl. 3. a. 16. Caiet. & alij loquuntur in casu grauis necessitatis. Hæc tamen non est illa sola quæ obligaret extraneos ad dandam eleemosynam quia filius non obligatur ad subueniendum patri ea sola virtute charitatis, sed ex virtute pietatis, quæ est species quædam iustitiæ magis etiam obligans quam iustitia commutatiua, quia importat debitum tantum ac tale, cui non potest reddi æquale, ideò hæc iustitia pietatis obligat in casu necessitatis, quæ arbitrio prudentis filij possit iudicari magna D. T. supra q. 189. a. 6. c. Turrecrem. cap. 1. dist. 30. a. 1. num. 3. dicentes hanc necessitatem tunc accidere, quando commodè nequit aliter parentibus subueniri, quam per filiorum obsequium, secus quando eo non multum indigerent. Et Caiet. 2. 2. q. 101. a. 4. ad fin. vbi ait hanc necessitatem esse illam, quæ obligat filium ad operas suas parentibus exhibendas, nec ad hoc desiderari extremam necessitatem, sed satis esse necessitatem habentem magnam latitudinem. Nauar. in sum. c. 13. num. 14. vbi habet hanc necessitatem esse qua adstringitur filius ad subueniendum parentibus, additque in summa Hispana, etiam si non esset talis vt extraneos obligaret ad eleemosynam ex Io. de Neap. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 2. §. 1. Syluest. v. Religio 2. q. 7. Corduba q. 141. a. 1. & in Reg. S. Francisci cap. 2. q. 6. a. 1. Passarell. in priuil. Mnemor. cap. 41. Rodriq. 2. p. sum. cap. 6. num. 4. & p. 3. q. 13. a. 5. dicta 4. Sanchez l. 4. c. 10. num. 4. vbi sentiunt illam necessitatem sufficere, quæ est necessitas decentiæ status; & quod parentes cogerentur ad sibi prospiciendum ea facere, quæ in notabilem eorũ decentiæ status iacturam cederent. Vt si artem mechanicam, exercere, mendicare, alteri famulari cum notabili status diminutione. Subdunt verò Io. de Neap. & D. Anton. secus esse vbi parentes possent vitam transigere etiamsi non ita commodè, abundanter, & honorificè, sed ego adderem adhuc minorem necessitatem posse dici grauem in nostro casu. Maior enim necessitas esse debet in parentibus ad hoc, vt sit talis, quæ impediat ingressum Religionis quam sit illa cui possit subueniri per opera Religiosi intra Religionem habita, quia in damnum valde maius ipsius filij cedit, si maneat in seculo, quam sit incommoditas, & obligatio operandi intra religionem ad patris obsequium; ideò maior necessitas in patre requiritur ad hoc vt filius cum tanto sui incommodo teneatur manere in seculo, quam ad hoc vt manens intra Religionem teneatur operari, quæ Religiosi sunt, vt parentibus subueniat. Nihilominus & illa necessitas debet esse talis, vt arbitrio prudentis iudicetur grauis.

186. Alia verò conditio ex parte Religiosi est, vt media, per quæ subueniendum sit parentibus sint talia, quæ à Religioso retento habitu, & intra Religionem manente decenter, & sine grauamine notabili Religionis, & sine morali periculo ipsius Religiosi adhiberi possunt. Actionum enim quædam sunt, quæ secundum se nec sunt malæ, nec sunt prohibitæ Religiosis, licet sine prohibitæ haberi sine licentia vt conciones habere, docere in scholis, artem aliquam exercere Religiosis non indecentem, eleemosynam petere, & alia huiusmodi facere, quæ actiones bonæ sunt, sed à Religioso haberi non possunt sine licentia. Aliud genus est earum actionum quæ etiam secundum se sunt prohibitæ, & sunt contra regulam. Inter quas discrimen esse potest, quia aliæ sunt indispensabiles, vt sunt omnes illæ quæ sunt contra legem naturalem ac diuinam, seu contra vota, seu contra statuta quæ habentur vt substantialia in Religione, & ideò vt indispensabilia. Aliæ verò actiones contra regulam, sed dispensabiles: & inter has discrimen etiam dari potest quod in aliquibus locum non possit habere dispensatio, nisi cum graui incommodo Religionis, ideoq; nisi ex grauiori causa non debet concedi dispensatio; in alijs verò consueuit facilius, & ex leuiori causa dispensari, quia id sine incommodo Religionis potest fieri. Est verò considerandum, quod primum genus actionum transit in secundum in omni eo casu, in quo actiones illę sint impedimentum agendi id quod ex regula est præceptum, & Religioso debitum, vt si concionari, vel docere impediat à sequela chori. Quia tunc Religiosus contra regulam cessat ab operando, & ideo tunc operationes illæ sunt prohibitæ etiam secundum se, & non præcisè quia habeantur sine licentia.

187. Sententia igitur illa præcipuè loquitur de illis actionibus quæ non sunt secundum se prohibitæ, & in casu quod illæ actiones non impediant Religiosum ab operationibus debitis ex regula, & de illis actionibus asseritur, quod scilicet Prælatus teneatur dare subdito licentiam per illas actiones subueniendi graui necessitati parentum, & quod in Religioso ad similes actiones habendas pro tali causa sufficit licentia petita, & non obtenta. Quia nihil in huiusmodi actionibus est, quod non sit honestum, & non adest graue Religionis incommodum, cum Religiosus per huiusmodi actiones non impediatur ab actionibus ex regula debitis. Et de illis actionibus loquendo addunt quod etiamsi Superior nedum negaret licentiam, sed præcepto, & censura prohiberet illas, non teneretur subditus filius obedire, vrgente tunc naturali præcepto pietatis ad operandum talia opera ad subleuandam parentum necessitatem. Sanchez l. 4. c. 10. num. 19. Suarez d. l. 6. c. 9. num. 17. Loquendo autem de actionibus, quæ sunt contra Regulam etiam secundum

se

se ipsas, non ità communiter asseritur per DD. dictæ sententiæ, quod subditus sine obtenta dispensatione possit inuitis superiores illas prohibitas actiones exercere. sed alij id negant, alij ad Epijciam recurrunt, & aliqui arbitrantur dari casus in quibus dispensatio sit debita, & negari non possit.

188. Tertia verò conditio requisita ad hoc, vt subditus possit etiam licentia petita, & non obtenta subuenire parentibus per actiones sibi licitas est, vt necessitas parentis sit manifesta ex certa, & multiplici autem capite potest hic oriri dubium. Primo ex parte necessitatis, si enim hæc sit dubia non licet Religioso inuito superiore agere ad talē necessitatem subleuandam. In dubio enim potior est conditio eius qui certo possidet, vnde ex dubia necessitate patris non potest Religiosus filius certæ potestati Superioris resistere, eique non obedire. Suarez d.l.6.c.9 num.27, Palaus d.§.6.nu.10. Potest secundo esse dubium, an Superior iniquè licentiam deneget. Sanchez autem d.cap.20.n.19. tenet, quod in hoc dubio subditus possit licentia petita, & non obtenta parentibus subuenire, quia regula illa, quod in dubio est obediendum Superiori, cum ille habeat certum ius, fallit quando ex obedientia imminet damnum tertij. Hæc limitatio, & fallentia videri potest esse vera, quando tertium habet ius ad aliquid habendum, & in eo cui præcipitur est verum debitum respectu tertij ad id ei tribuendum. Nam & vniuersaliter attendi debet, quod quando concurrunt simul plura præcepta, & leges potius seruanda est lex naturæ, vel diuina, quam hominis præceptum positiuum, & minus malum est inobedientia positiui præcepti, quam legis naturalis, & diuinæ, igitur idem meliùs videtur, quia homo se exponat periculo transgrediendi positiuum præceptum, quam naturalem legē vel diuinā. Imò hoc modo agendo nullū videtur incurrere periculum transgressionis præcepti positiui, quod in hoc casu non videtur obligare ad sui obseruantiam cum periculo transgressionis legis naturalis, aut diuinæ. Sic enim & datur ex doctrina D.T. q.17.a.5.& 2.d.39.q.3.a.3.& D.Ant. p.1.t.13.cap.10.§.4. regula, quod conscientia proponens aliquid, vt debitum ex lege naturali, aut diuina magis obligat, quam præceptum humanū. In proposito vero casu, in quo est certa necessitas parentum, sed dubium est an Superior ex iusta causa prohibeat filio religioso subuenire patri, cōcurrunt simul lex naturalis, & præceptum Superioris, & vnum ex duobus violari periculum est, minus verò malum est eligendum, est autem minus malum succurrere parentibus non obediendo præcepto dubio, quam obedire cum periculo transgrediendi legem naturæ. Præterea melior est conditio possidentis, & obligationis certæ, quam dubiæ. Hic ius parentum est certum, & certa est obligatio subueniendi in filio religioso, est verò incerta, & solum præsumpta iustitia præcepti Superioris, potius ergo in hoc casu subueniendum est parentibus etiam inuito Superiore, quam obediendum Superiori deficiendo à certa obligatione succurrendi certæ parentum necessitati. Et hæc procedunt nedum in dubio negatiuo, sed in positiuo quia semper iustitia præcepti Superioris remanet dubia, cum tamen filij obligatio erga parentes sit certa. Quod si dubium non sit æquale, sed probabilius sit præceptum Superioris iustum esse, & ex iusta causa, adhuc prædicta procedunt, & vera sunt, si maior probabilitas non sit tanta quæ moralem certitudinem inducat. Nam vbi certum sit Superiorem iustè prohibere lex naturalis de succurrendo parentibus non obligat, quia tunc id facere religioso filio non est possibile.

189. Verum hæc non obstant, & dicendum est quod in dubio huiusmodi, an scilicet Superior præcipiat ex iusta causa obediendum est Superiori præcipienti etiam in præiudicium tertij. Nam certum in nostro casu est quod Superior habet ius præcipiendi etiam in præiudicium tertij, si id faciat ex iusta causa; Et sic non datur lex naturalis, aut diuina quæ obliget ad tertij vtilitatem præbendam id prohibente Superiore ex iusta causa, in dubio verò an iusta causa adsit, quod iam est dubium facti, præsumptio est pro Superiore, quod sine causa iusta non præcipiat, maximè quod in rigore Superior non tenetur subdito reddere causam sui præcepti. Et sic faciendo nullum imminet periculum, quia cum iudicium de agendis, & præcipuè de agendis in casibus dubijs sit commissum Superiori, lex ipsa naturalis, & diuina vult, vt in dubio subditi sequantur iudicium Superioris, & sic obediendo Superiori in dubio nullum est periculum peccandi, quia in dubio lex naturæ, aut diuina non obligat ad oppositum eius, quod præcipit Superior. Propterea supra q.186.art.8.dub.3.à num.281. ex sententia quam plurium DD. latè probaui quod in dubio, an materia præcepti sit illicita, quod est dicere in dubio, an materia præcepti sit prohibita per legem naturalem, aut diuinam obediendum est Superiori, cuius est de his iudicare, & ibidem. dub. 4. à num. 291. extensum hoc fuit etiam ad casum dubij positiui, & ita quod etiam si subditus priuata sua opinione probabilius existimet materiam præcepti esse illicitam, seu quod Superior præcipiat id, quod est prohibitum lege naturali, aut diuina, adhuc obedire teneatur, vt probaui ibi num. 300. quia iudicium de maiori probabilitate honestatis eius, quod præcipitur, non est commissum subdito, neque ex eius priuata opinione regulanda est obedientiæ necessitas, aliter pariter prorsus disciplina regularis, sed cum in Religione subditi se totos regendos Superiori tradant, Superioris est decernere quando & in quo sit obediendum. Et ita licet vbi subditi liberi sunt à præcepto, eorum sit considerare quid melius sit, vbi tamen superuenit præceptum superioris, iam subditus ex Superioris iudicio se regere debet. Nam & cum iam obiectum ipsum non debeat considerari secundum se præcisè, sed vt præceptum, considerare debet subditus, quod ex circumstantia præcepti multo maior honestatis probabilitas aduenit obiecto, & sic probabilius censeri debet, quod Prælato sit obediendum. Nisi, vt ibi dictum est num. 301. manifestè, & communiter probabilius iudicetur materiam præcepti esse illicitam. Non enim superiori licet præcipere ea, quæ iam manifestè communiter apud DD. probabilius habentur vt illicita. Nam & in hoc casu licet communis huiusmodi opinio speculatiue habeat aliquid dubitationis, practicè tamen censenda est vt certa moraliter.

Et

190. Et quantum ad limitationem præfatam, quod scilicet in dubio non sit obediendum Superiori in præiudicium tertij prout loco citato aduerti, considerandum est, quod DD. hanc limitationem tradunt in materia fori contentiosi, & iudicis interrogantis ad vindictam delictorum. Et ita quidem verum est, quod reus non tenetur credere iudici, quod habeat causam iustam interrogandi illum; nam & habet ius se defendendi contra præsumptiones iudicium ea quibus sæpissimè innocentes capiuntur, & sit vt onus probandi, quod erat apud fiscum, transeat in miserum innocentem, qui propterea nec possit suam innocentiam tueri. Ideò in iudicio in quo agitur ad vindictam, in dubio non tenetur interrogatus obedire in sui, vel aliorum præiudicium. Et hoc est verum etiam in dubio positiuo, & imò si dubium positiuum sit inæquale,& reus interrogatus probabilius existimet iudicem legitimè procedere,& interrogare, si hæc maior probabilitas parum excedat, sed relinquat animum dubium, & non ferat certitudinem moralem, non tenetur interrogatus in graua sui aut aliorum præiudicium obedire, & ad mentem iudicis respondere; quia adhuc est dubius, & præualet ius certum, quod habet interrogatus prospiciendi suæ, & proximi securitati,& in hoc sensu intelligi debent dicta ibid. *num.* 359. Et Et nihilominus etiam in hoc casu si manifestè constaret absolutè de maiori probabilitate apud sapientes, quod iudex legitime interroget,quia hæc maior probabilitas æquiualet certitudini practicæ, iudici esset tunc obediendum.

191. Sed vbi Superior nō agit vt iudex ad pœnā, & vindictā infligendā,sed vt pater ad dirigendū in bonū,& ad bonū cōmuni sāctæ obseruātiæ promouendum in dubio illi obediendum est, quia vt dixit S. Bernard. *opus. de dispens. & precepto is prisc. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus*. Et sic hæc regula seruanda est, quod sola certitudo, quod materia præcepti sit illicita excusat ab obedientia. Quam regulam expressè tradidit etiam S. August. *l.22.* contra Faustum *cap.74.& 75.*& refertur *cap. quod culpatur.* 23. *q.* 1. Nec obstat quod immineat præiudicium sui, vel alterius, quia si Superior habet ius præcipiendi etiam non obstante subditi,vel alterius damno,si id faciat ex iusta causa,nisi constet de iniustitia causæ, iusta præsumi debet,& Superiori præcipienti est obediendum. Modo in nostro casu cum Superior habeat ius prohibendi subdito suo ne operetur hoc vel illud ad patris subuentionem, si id præcipiat ex graui, & iusta causa prohibitioni proportionata, nisi constet de huius causæ defectu non potest subditus petita licentia, & non obtenta Superiore inuito patri subuenire. Quod idem dicendum,& si sit dubium, an opus sit profuturum parentibus, vel non profuturum. In hoc enim dubio iudicio Superioris erit standum. Et bene admonet Suarez *d. l.6.c.9. num.27.* timendum hic esse nimium affectum filij erga parentes,& ideò filium ipsum non debere in hoc suo iudicio se regere, sed prudentum consilio. Et hanc regulam seruare, quod vbi sibi certo non constet de iniustitia præcepti Superioris, tenetur illi obedire, post S. August. & Bernard. locis citatis,& D.T. *p.* 2. *q.96.a.6. ad secūdū*,& Caiet.ibid.& D.Bonau. *2.d.39 a.3. q.3. ad vlt.* tenuerunt Syluest. *v. in cōsciẽn q. vlt.* Tabien. *q.* 3. Rosell. *a.praul.* Angelus a.5. lo. à S. Th. *p.2.d.2.a.6.§.ad secundū* Serra *p.2.q.19.a.6.dub.* 4. Baptista *p.* 2. *tom* 3. *disp.*208. *d.*10. *num.*725. Et quamplures alij quos retuli loco *num.* 296.

192. Sed iuxta D.T.& aliorū DD. quos retuli sētentiā per se nō potest Religiosus inuitis superioribus aliquid, & mūdanū agere pro subueniendo parentum necessitati. Potest verò esse casus ex lege charitatis, aut gratitudinis, aut iustitiæ legalis, aut distributiuæ, ex diuersis circumstantijs, vt superior teneatur Religioso concedere, vt agat ad subueniendum dictis parentibus. In quibus casibus si superior illicite licentiam neget si hoc est illicite contrariè, quia in subdito sit verum ius agendi independenter ab obtenta licentia poterit tunc licentia petita, & non obtenta agere id, ad quod tenetur. Sed si licentia negatur illicita priuatiuè, & non contrarie, non poterit Religiosus inuito superiore agere, Nisi habeat tacitam, vel præsumptam maiorum superiorum licentiam, de qui verò videri possunt dicta supra *q.189. a. 7. inspec.5.6. & 7.*

193. Quamuis verò Superiores non teneantur per se loquendo, & regulariter concedere subdito licentiam exeundi ad subueniendum parentibus graui necessitate pressis, ex hoc tamen haberi potest iusta causa hanc licentiam concedendi. Nauar. *cons. 72. de Regul. & Commen. 3. de Regul.num.49.* Rodriq. *tom.1.c.6.num.4.* Sanchez *d.l.4. c.20. n.25.* Et sæpius puto posse dari casum talibus circumstantijs vestitum, vt Superior hanc licentiam ex debito sui officij, & exigentia boni communis,vel etiam charitatis, aut iustitiæ distributiuæ teneatur concedere.

194. Quis autem possit hanc licentiam concedere diuersimodè est opinatum. Et quidem quod solus Pontifex possit licentiam hanc concedere, si sit necesse, quod Religiosus dimittat habitum, quoniam hoc est quid grauissimum, dixerunt Nauar. *cons.72.num.5.de Regul.* Rodriq. *t.1.sum.c.6.n.* 4. Sanchez *d.num.22.* Palaus *tr.16.d.2.p.5.§.6.n.15.* Bordon. *cap 2.de profess.q.51.* Quamuis Nauar. *com. 3.de Regul.* supponat hanc licentiam etiam habitu dimisso dari posse à Superioribus Religionis, & hoc videtur supponere etiam Suarez *d.l.6. c.9. nu.* 11. Non exprimens alium casum licentiam Pontificis petendi, nisi vbi agitur, de dimittenda Religione. Vbi verò Religiosus egredi debeat non dimissa Religione nec habitu Generalem, & Prouinciales posse hanc licentiam concedere docuerunt Nauar. Rodriq. Sanchez, Palaus,Bordon. citati. Indubitatum puto non posse Prælatos Regulares dare licentiam manendi extra claustra dimisso habitu. Stante etiam decreto Clem. VIII. *de reformat. n.32.* vt probatum est *q. 189. ar.7. nu.* 458. Nec Generales possunt ex quacumque causa dare subditis licentiam diu viuendi extra Claustra.

195. Vbi verò à maiori Superiore, & nunc à Pontifice alicui sit concessa licentia exeundi pro sustentandis parentibus non possunt inferiores id impedire, & inuitè agerent, & peccarent mortaliter si id facerent. Sanchez *a.num.* 14. Vbi ex Nauar. *com.3.de Reg. num.49.* ad hoc limitat,nisi Superior

perior

perior inferior sciret non esse veram causam allatam, vel nisi sciret Religiosum, qui obtinuit egredi minus cautè esse victurum. Verum vbi literæ concessionis casius sint Apostolicæ attendi debet, quod illæ ob earum reuerentiam habent executionem paratam *cap. si à capitulo*, & ibi Gloss. *v. executor*, & *cap. seq. de concess. prabend.* Videri autem possunt, quæ de hoc puncto scripsi *in tr. de elect. cap. 14. q. 8.*

596. Egressus quoque de legitima licentia terminata parentum necessitate, ob quam obtinuit licentiam exeundi, debet statim redire ad claustra, quia cessauit causa dispensationis Palaus *d. §. 6. num. 13.* Sanchez *num. 26.*

197. Quæ verò dicta sunt huc vsque de parentum necessitate cum proportione intelligi debent de ascendentibus quibuscumque, qui omnes veniunt sub numero parentum. Et idem dicendum de parentibus respectu filiorum, & descendentium; sic enim, & filij ascendentes, & Patres iure naturæ descendentes alere tenentur. Sanchez *d. cap 10. num. 29.* Suarez *d. cap. 9. num. 30.* Palaus *d. §. 6. num. 14.* Eadem verò ratio simpliciter non est de fratribus, aut alijs consanguineis sed de his videri possunt dicta superius *q. 189. a. 6. num. 20. & seq.*

198. Tandem considerandum, quod si manere extra claustra sit filio occasio peccandi ita, quod moraliter loquendo spectata sua infirmitate, & conditione sit illi difficile valde non peccare mortaliter, sicut in hoc casu, si esset adhuc in seculo non teneretur manere intuitu subleuandæ necessitatis parentum, vt docet D. T. *in 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 2. ad secundum*, & clarius *quodl. 10. a. 9. cap. ibi Aut iste, qui habet propositum intrandi Religionem videt in seculo non posse viuere sine peccato mortali, vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ prouidere, quam corporali necessitati parentum, non tenetur in seculo remanere.* Neque enim lex pietatis obligat filium cum tanto sui damno; Nec valet dicere, quod peccare est libertatis, & quod filius si velit potest peccatum mortale vitare, quia datur quædam moralis necessitas peccandi non præiudicans libertati, quin peccanti imputetur peccatum, quomodo dicimus non posse moraliter loquendo vitare peccatum ille qui viuit in proxima occasione peccandi, & sic si pensatis bene omnibus censetur, vel moraliter impossibile, vel notabiliter difficile, quod filius manens in seculo in obsequio parentum vitet peccatum mortale potest Religionem ingredi, modo tamen *supra q. 189. a. 6.* explicato. Multo magis igitur, qui iam est professus, si videat quod exitus à claustro ad sustentationem parentum est sibi talis occasio, quod moraliter loquendo erit sibi, vel impossibile, vel satis difficile abstinere à mortali peccato, non tenebitur exire, & se negotijs secularibus inficere.

199. Decima octaua conditio est, vt non sit excommunicatus. Est autem certum, quod excommunicati etiam denunciati professio non est irrita, sicut neque est irritum matrimonium carnale ab excommunicato contractum. Et hoc supponitur *in cap. cum illorum, de sent. excom.* in quo decernitur ingressos in Religionem posse ab excommunicatione antea incursa absolui. Et ratio est, quia Religio non est beneficium, sed acquisitio status perfectionis, ideò excommunicatus validè talem statum acquirit, prout docuerunt Innoc. *d. cap. cum illorum. v. Prelatis.* Et ibi Abb. *num. 4.* & *cap. veritatis num. 35. de dolo*, & *cap. ex publico n. 1. de conuers. coniug.* Felin. *d. cap. cum illorum. num. 2.* & *cap. final. num. 3. de except.* Domin. *cap. 1. nu. 18. de rescript.* & *cap. decernimus num. 7. de sent. excom. in 6.* & ibi Anchar. *num. 7.* D. Anton. *3. p. tit. 24. cap. 76. num. 7.* Syl. *v. absolutio 5. ad finem.* Tabien. *v. excom. 5. num. 10.* Nauar. *cons. 32. n. 1. de regular.* & *Comment num. 25.* Rodriq. *t. 2. c. 8. num. 10. concl. 50.* & *qq. t. 3. q. 17. a. 14.* & *q. 63. a. 3.* Azor. *l. 12. c. 3. q. 9.* Marianus Soccinus, Rebuff. Gomez, Couar. Henriq. Vgolinus supra quos refert, & sequitur Sanchez *l. 5. mor. cap. 4. num. 36.* à S. Fausto *l. 5. q. 204.* Donatus *p. 4. tr. 11. q. 23.* Bordon. *cap. 2. de profess. q. 36.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 2. §. 7.* Lezana *p. 5. cap. 2. num. 15.* Tambur *t. 3. disp. 6. q. 19. num. 2.*

200. Nihilominus tamen hæc professio illicitè fit. Et quidem si profitens sit excommunicatus vitandus, & in professione adiungantur sacræ preces, peccant mortaliter tam profitentes quam admittentes, & cum eo excommunicato in diuinis communicantes, sed si non interueniant preces sacræ peccatum est solum veniale. Sed si excommunicatus non sit vitandus, peccat quidem excommunicatus communicando cum admittentibus mortaliter si communicat in sacris precibus, venialiter verò si non adest communicatio in diuinis, sed admittentes non peccant ex vi communicationis cum excommunicato, quia talem excommunicatum toleratum non tenentur vitare. Ita citati DD. ferè omnes. Limitatur tamen primò, assertio posita, vt professio sit vere irrita si sit facta ab excommunicato virtute alicuius rescripti Apostolici, nisi in eodem rescripto contineatur (sicut solet) absolutio ab excommunicatione. Quia rescriptum ab excommunicato impetratum, seu ad fauorem illius concessum nullum est, ac irritum *cap. 1. de rescriptis in 6.* Nec obstat *d. cap. cum illorum &c* quia loquitur, & supponit id, quod regulariter euenit, quia scilicet professio non fit regulariter in vi rescripti Apostolici, ideò admittit excommunicatum ingressum Religionem posse absolui, & illius ingressum ratum habet sicut nec obstat, quod rescriptum per quod conceditur absolutio excommunicati, valet fauore animæ, *cap. de rescrip. in 6.* quia hoc est speciale in hoc rescripto, aliter excommunicato non posset concedi, vel absolutio, vel facultas absolutionis per rescriptum, si tale rescriptum ex quo fit excommunicato deberet esse nullum. Cæterum non est eadem ratio de alijs rescriptis. Ideò rescriptum datum excommunicato non præuia eius absolutione per quod dispensatur in aliquo impedimento professionis, est nullum, & professio facta ex vi talis rescripti est nulla, vt bene contra Gomez, & Couar tradunt Soccinus *cap. Sacris num. 174. de sentent. excom.* Domin. *c. 1. num. 10. de rescript. in 6.* Felinus, Rebuff. Vgolinus, Sayro supra citati, Rodriq. *tom. 3. quæst. 14. num. 17.* Sanchez *d. cap. 4. num. 47.* Tambur *to. 3. d. 19. num. 2.*

Limi-

202. Limitant alij, vt professio excommunicati non sit valida quantum ad effectum hone, scilicet ad aquisitionem iuris alimentorum à Religione. Et ratio illorum est, quia professio religiosa vocatur beneficium regulare ab Host. *cap. super inordinata num. 9. de præbend.* & Abb. ibid. *num.* 10. Excommunicatus verò non facit suos fructus beneficij, nec habet ius vt ex fructibus beneficij sustentetur. Sed merito hæc limitatio reijcitur, quia eius ratio nimis probat, si probat. Nam excommunicatus neque valide acquirit beneficium, vnde si professio est beneficium, seu si ad irritandam professionis vim, sufficit, eam esse beneficium impropriè dictum, iam excommunicatus nec sit professus, nec religiosus, licet profiteatur, quia excommunicatus non acquirit valide beneficium. Negatur igitur, quod professio regularis sit propriè beneficium, & quod illa ratio impropria beneficij, quæ conuenit professioni valeat ad irritandam vim professionis; sed statim iure naturæ ex quo professus fit de collegio habetius tale, quale habent alij professi, vt sustentetur ex bonis Collegij, sicut, & Clericus sæcularis excommunicatus si fieret de Collegio Clericorum ex hoc haberet ius, vt sustentaretur de bonis Collegij. Et ideò hanc partem contra Nauar. *com.* 4. *de Regular. num.* 25, Henriq. *l.* 13. *de excom. cap.* 7. *num.* 7. *in commen. l.* K. Rod. 3. *p. q.* 63. *a.* 3. & *t.* 2. *sum. cap.* 8. *num.* 10. tenent Sanchez *d. cap.* 4. *num.* 38. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 206. Donatus *par.* 4. *tr.* 11. *q.* 25. Bord. *cap.* 2. *q.* 36.

203. Decima nona conditio est, vt professio non sit simoniaca, seu profitens non sit per simoniam admissus. Certum enim est, & supra probatum, simoniam esse, si pro ingressu in religionem aliquid temporale, & pretio æstimabile detur ex pacto, & sic admissio ad religionem vendatur, vnde est quod tam admissus, quam admittentes, sunt simoniaci; & pœnis latis in simoniacos subiecti. Inter pœnas autem latas contra simoniacè profesos vna est pœna detrusionis in arctiùs Monasterium ad agendum pœnitentiam *cap. Veniens, cap. de Regularibus, cap. Dilectus* 2. & *cap. Quoniam de simonia*. Quæ pœna latà est etiam contra recipientes ad professionem Simoniacè *d. cap. Dilectus*, & *d. cap. Quoniam*. Huiusmodi tamen pœnæ non sunt latæ sententiæ, & præ requirunt sententiam iudicis. Et in illis dispensat Episcopus. Gibal. de Simonia *q.* 28. Sed tam contra receptos, quam contra recipientes lata est pœna excommunicationis reseruatæ Papæ, si sint personæ singulares, vel suspensionis si sint Conuentus, & capitula Extrau. Sanè de simonia. Itaque duæ actiones prohibentur, scilicet dare & accipere ex pacto directè, vel indirectè pro ingressu in Religionem, Et est vniuersalissima dispositio, tum respectu materiæ, siue hæc sit pecunia, siue pastus, siue prandia, siue iocalia, siue sint res ad Dei cultum ordinatæ, aut quemcumque pium vsum, & siue hæc dentur ante, siue post professionem. Tum respectu personarum. Nulla enim excipitur, & sic singuli, vel vir, vel mulieres, qui dederint aliquid, vel receperint hac excommunicatione innodantur,

204. Si tamen dent, & accipiant pro ingressu in Religionem ex conuentione, & pacto. Sine pacto enim non est simonia. Ideò qui dant, & accipiunt titulo alimentorum non sunt simoniaci, nec huic censuræ subiecti, vt latius dictum est supra *q.* 189. *a.* 9. Sicut nec est prohibitum gratis, aut titulo charitatis, vel misericordiæ, vel Religionis liberaliter dare, & accipere. vt ex *d. extrauag.* habetur. Incurritur verò excommunicatio à dantibus, vel accipientibus ex pacto pro ingressu; ideò etiam, qui venderint votum suum simoniacè, vt aliquis admittatur est excommunicatus, cum ista excommunicatio afficiat etiam accipientes pro ingressu indirectè. Bonac. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 29. *num.* 3. Quamuis non pro quolibet ingressu, sed pro professione simoniace admissa incurratur censura ista. Nam constitutio ista pœnalis de perfecto ingressu, qui est professio, debet intelligi. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de sin. cap.* 13. *num.* 7. & 15. Bonac. *d. p.* 29 *num.* 11. Palaus *de cens. disp.* 3. *part.* 27. *numer.* 14. Giballinus de simonia *q.* 28.

205. Capitula verò, aut Conuentus subijciuntur suspensioni, hanc verò esse suspensionem, ab officio, & beneficio vult Bonac. *d. p.* 29. *n.* 10. ex Nauar. & Sayr. sed hoc rejicitur, quia textus debet intelligi de suspensione, cuius sit capax capitulum, aut Conuentus. Propterea Bordoo. de *profess. cap.* 2. *quæst.* 41. putat, quod hæc sit sola suspensio à receptione ad Religionem; quia hæc debet esse censura cuius sint capaces Moniales, quæ non sunt capaces suspensionis à iurisdictione. Sed dicitur quod huiusmodi est suspensio ab administratione capitulari quæcumque illa sit, siue sit à iurisdictione, siue ab administratione, sine iurisdictione, & sic capitula, aut Conuentus recipientes aliquem ad professionem simoniacè sunt suspensi ab omni actu, & officio capitulari Suarez *l.* 4. *de simon. cap.* 56. *num.* 8. Felluc de simonia *cap.* 13. *num.* 12. Palaus *d. p.* 27. *num.* 14. Giballinus *de sim. q.* 28. *n.* 2.

206. Sed si res ita se habeat, vt Conuentus ipse non sit qui recipiat, sed qui det, at verò ingrediens ipse sit ille cui datur aliquid pro ingressu, & illud recipit ex pacto, numquid est excommunicatus. Hanc extrauag. non agere de eo, qui exigit pecuniam pro suo ingressu, ex Lessio tradit Giball. *d. q.* 28. Et inspecto textu *d. extrauag.* Sic videtur *dicend.* Et ita hoc etiam tenet Bonac. *d. p.* 29. *n.* 13.

207. Tandem aduertitur, quod Clem. 7. vt monialium scrupulos sedaret conuentiones permisit de dote tradenda, & recipienda pro congrua, & sufficiente sustentatione. vt refert Sorbus *v. monialis num.* 16. & 32. Less. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 35. *num.* 231. Suarez *de cens. d.* 22. *sec.* 5. *num.* 13. Miranda *de monial. q.* 8. *num.* 7. Palaus *d. p.* 27. *nu.* 4. Et ideò S. Anton. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 67. & Sylu. *v. excom.* 7. *num.* 81. Toler. *l.* 1. *cap.* 36. *num.* 7. referunt hanc extrauag. non habere locum in paciscentibus super dotibus monialium. Sed ex dictis patet, quod hoc est verum de iure communi. ex Lessio quoque Giball. *d. q.* 28. asserit hanc extrauag. non esse vsu receptam, sed hoc est verum in casibus vere non simoniacis, & qui ex praxi Ecclesiæ videntibus superioribus permittuntur, & qui verè non sunt simoniaci, nec de iure sub extrauaganti ista comprehensi, quamui de

de illis posset apparenter dubitari.

208. Nihilominus professionem simoniacè factam non esse nullam colligitur *ex cap. de regularibus, & cap. quoniam de simonia*, vbi simoniacè professi coguntur manere in Religione, & intra Religionem punire, vel transmittendo eos ad arctiora Monasteria, vel loca deputata pro pœnitentia peccatorum peragenda, vel eos in locis eisdem puniendo. Quamuis huiusmodi pœnæ non obligent nisi post iudicis sententiam, qua data nullus inferior Papa potest eas pœnas remittere. Professio igitur simoniacè habita non est irrita, & ita tradunt Rodriq. *t.3. q.63. a.3.* Nauar. *com. 4. de Regul. cap.25.* Sanchez *l.5. Mor. cap.4. n.30.* Suarez loco citato Layman. *lib.4. tr.14. cap. vlt. num.70.* Donatus *p.4. tr.1. q.16.* Bordon *cap.2. q.4.* Palaus *tr.16. d.2. par.2. §.7.* Lez. *p.1. cap.2. num.15.* Tambur. *t.3. d.6. q.6. num* Donatus *p.4. tr.11. q.16.* Quod verò Rodriq. & Nauar. docuere simoniacè professum non habere ius ad alimenta, quia professio sit beneficium regulare, reijcitur eadem ratione, qua hoc supra reiectum fuit loquendo de professo excommunicato. Sanchez, Suarez, Layman, & alij.

209. Vigesima conditio est, vt nouitius sit sufficientis literaturæ. Vigesima 1. vt non sit Episcopus confirmatus, vel consecratus, sed de hic satis supra *q.189. n.7. n.6.* dictum fuit, vbi etiam probatum fuit professionem Episcopi sine licentia Pontificis factam esse illicitam, & irritam; alios verò Clericos Episcopo inferiores, & licitè, & validè posse profiteri.

210. Vigesima 2. conditio est, vt non sit curialis, seu vt non sit irregularis. Donatus *p.4. t.3. q.17.* putat eandem rationem esse de admissione ad religionem, & ad ordinem, ideo censet non admittendos ad religionem, & professionem eos curiales, qui sunt irregulares. Sed certè diuersa ratio longe est inter ordines sacros, & Religionem, cum ordines sacri pertineant ad officium, & religio sit status tendendi ad perfectionem. Ideo in ordinando ad sacros ordines requiritur proportio dignitatis ministri ad excellentiam actionis ad quam deputatur, at verò Religio est status, qui licet etiam ordinetur ad actus, isti respiciuntur in ordine ad perfectionem ipsius religiosi, & quatenus per ipsos ipse perfici possit in vita religiosa, ideò quicumque est aptus tendere in perfectionem est aptus ad vitam religiosam de iure communi loquendo. Quidquid igitur sit de illis curialibus, qui sunt infames, vt ministri iustitiæ, & satellites, qui non sunt ad Religionem recipiendi ratione infamiæ, quæ licet sint capaces tendendi in perfectionem, non tamen decet, vt id præstent in corporati religionibus in quibus viri nobiles, & honestæ famæ, vt plurimum recipiuntur; ex vi præcisa irregularitatis nullus est à Religione reijciendus, quia potest fieri Religiosus conuersus, & plus nisi obstent statuta specialis religionis, non esset inconueniens, vt daretur religiosus chorista non promotus ad sacros ordines; multum enim adhuc posset religioni inseruire in sequela chori, & in officijs administrationis bonorum Conuentus, & alijs, quæ ordinem non præsupponunt. Et quatenus hoc aliquod inconueniens parere posset, nō est tale, vt ex iusta causa non possit tolli, ex quo multo magis sequitur, quod irregularitas non irritat professionem. Et vbi irregularitas sit dispensabilis, & in ea soleat dispensari poterit irregularis sub spe probabili dispensationis obtinendæ recipi ad professionem, quamuis professio conditionata esse non possit, nec debeat.

211. Apud moniales verò ante professionem requiritur examen habendum ab Episcopo, per quod exploret voluntatem professuræ, & quamuis ex Concil. Trid. videatur requiri duplex, scilicet ante receptionem, & professionem, tamen consuetudine esse introductum, vt sufficiat vnicum, tradunt DD. sequentes, qui etiam benè asserunt defectum huius examinis non irritare professionem. Sanchez *l.5. cap.4. num.84.* Mirand. de Monial. *quæst.8. a.4.* Barbosa *de potest. Epis. all. 100. num.9.* Menoch. *cons. 596. num. vlt.* Lezana *p.1. cap.15. num.13.* Tambur. de iure Abbatiss. *d.6. q.3. num.6. & 6.*

SVMMARIVM.

1 *Ordo dicendorum, nu.212.*

2 *Iuramentum non conualidat professionem nullam. num.212.*

3 *De forma professionis est, quod sit votum vitæ regularis in Religione approbata à Sede Apostolica. nu.213.*

4 *Votum obedientiæ sub Episcopo, & non in religione approbata non est professio. numero 214.*

5 *Votum religionis in communi non est professio. num.215.*

6 *Votum Religionis in communi est votum simplex. nu.216.*

7 *Professus validè fieri potest promittendo obedientiam secundum voluntatem Papæ. numero 217.*

8 *Professio est pro sola Religione approbata. numero 218.*

9 *De ratione professionis est consensus sensibiliter expressus. nu.219.*

10 *De ratione professionis est quod sit vera promissio. nu.220.*

11 *Intentio seruandi regulam non est de substantia professionis. nu.221.*

12 *Professio valida etiam si profitens intendat non seruare regulam, si ad eam seruandam se intendit obligare. nu.221.*

13 *Intentio seruandi regulam est necessaria, vt professio fiat licitè, & honestè. nu.221.*

14 *Conditio multiplex. nu.222.*

15 *Conditio contra substantiam professionis illam irritat. nu.223. 224.*

16 *Et hoc est verum etiam si conditio non ponatur vt conditio, sed vt modus. nu.225.*

17 *Et in hoc casu profitens non manet obligatus, vt ablatus. nu.226.*

18 *Quæ conditio sit contra substantiam professionis. num.227.*

19 *Conditio dubia intelligi debet, vt non sit contra substantiam professionis. nu.228.*

20 *Conditio expressa post professionem illam non vitiat.*

Quæ sit forma seruanda in professione expressa emittenda.

INSPECTIO V.

212. IAm explicatis, quæ pertinent ad subiectum professionis, quod est persona, quæ profitetur, videnda essent illa, quæ spectant ad aliud correlatiuum, nimirum ad religionem admittentem, nisi de hoc satis actum fuisset supra. Vnde modo causa veluti formalis professionis explicari debet, seu quid ad valorem professionis necessarium sit supposito legitimo professuro, & legitimo admissuro ad professionem. Pro certo enim habendum est, quod professio emissa non seruata forma substantiali illius sit nulla, vt nec iuramento possit validari. Neque enim iuramento fieri potest, vt in professione fuerit, vel libertas, vel consensus non coactus si vere defuit rationis vsus, aut consensus fuit coactus. Nec iuramentum validat contractus iure positiuo irritos ob bonum commune. Suarez de *iuram. cap.* 21. ideò iuramentum nullam professionem non reualidat. Sanchez *lib. 4. disp.* 21. *num.* 6. & *l. 3. cap.* 11. *num.* 14. Bordon. *cap.* 1. *q.* 33. Cum verò professio claudat promissionem factam Religioni, & Deo considerari potest professio vel ex parte rei promissæ, vel ex parte modi promittendi.

213. Ex parte verò rei promissæ, hoc primo certum est, rem promissam per professionem Religiosam non posse esse nisi Religiosam vitam à Sede Apostolica approbatam, ideò non potest fieri professio nisi in Religione approbata à Sede Apostolica. Quamuis enim per votum simplex possit quis promittere Deo quemcumque modum viuendi meliorem, per votum tamen solemne seu per votum Religiosum non potest promitti nisi modus viuendi secundum regulam à Sede Apostolica approbatam, quia solum tale votum est solemne, & solum tale votum facit virum regularem, & proprie Religiosum. Ita habemus ex *cap. vnico de voto in* 6. vbi Bonif. 8. statuit votum non solemnizari, nisi vel per susceptionem sacri ordinis, vel professionem expressam, aut tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. D. Thomas supra *quæ.* 88. *a.* 7. Gloss. *in Clem. ex eo, de sent. excom. & in Clem.* 2. *de regul. v. Relig. & in cap.* 1. *de Regular. in* 6. Nauar. *cons.* 2. *num.* 5. *de Regular.* Portell. *v. professio* 3. *in add. num.* 3. *& tom.* 2. *cap.* 1. *casu* 16. *num.* 8. Sanchez *l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 86. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 12. *num.* 7. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 22. *n.* 5.

314. Secunda verò conditio est, vt professio sit certæ regulæ, seu certæ & determinatæ vitæ regularis. Quamuis enim si loquamur de voto vitæ spiritualis in communi, non sit necesse, quod respiciat aliquam regulam certam, quia neque est necesse, vt respiciat communitatem aliquam Religiosam, sed sicut aliquando antiquitus fiebat, posset aliquis vouere obedientiam Episcopo, & simul castitatem, & paupertatem manendo in sæculo. & eadem ratione posset quis Deo promittere Religionem in communi, nullum tamen ex his votis modò est votum solemne professionis. Non quidem primum votum, quia licet simile votum si fieret contineret traditionem sui, & sui donationem per quam vouens priuans se dominio rerum suarum, & dominio suæ voluntatis eiusdem voluntatis suæ dominium traderet Episcopo in iis, quæ ad perfectionem vitæ spiritualis pertinent, tale tamen votum non esset solemne sed simplex, nec ille esset Religiosus propriè; quia ex Ecclesiæ ordinatione, votum Religionis seu professionis est per quod aliquis se obligat ad vitam regularem, iuxta aliquam regulam à Sede Apostolica approbatam.

315. Quo supposito, probatur secundum, nimirum, quod votum Religionis in communi, vel plurium Religionum vage non est professio. Quia de ratione professionis est donatio, & traditio; quæ nequit fieri vage, sed ab intrinseco petit fieri alicui determinatè donationem exercitè recipienti, siue sit priuata persona, siue sit collegium; actiones enim sunt singularium existentium, ideò exercita donatio est rei certæ, & certè personæ fit. Et præterea cum professio alicui debeat fieri, vel ille habet facultatem solum admittendi ad certam regulam, & sic certum est, quod professio illi facta non valet, nisi sit promissio illius regulæ, ad quam ille potest admittere; vel habet potestatem admittendi ad plures regulas, & adhuc idem sequitur; quia vita abstrahens ab hac, vel illa regula non datur in rerum natura. ideo nec potest esse res exercitè promissa, vt in executione danda. quia quod esse non potest, donari seu dari non potest; aggregatum verò ex hac, vel illa regula non est regula approbata à Sede Apostolica; plures verò regulæ indistinctè, & vage sumptæ, non sunt obiectum certæ promissionis, & determinatæ, & completæ traditionis professio verò importat determinatam promissionem per traditionem completam consummatam. Quod modo est certum, nedum ex d. *cap. vnico de voto in 6.* vbi habetur, quod professio fiat alicui ex Religionibus approbatis à Sede Apostolica, sed ex iure nouo Concil. Trid. & Constit. Apostolicarum, iuxta quod professio nequit fieri nisi post annum probationis habitum in habitu proprio Religionis determinatæ, & in domo eiusdem Religionis. Vnde hanc partem docuit D. T. *supra q. 88. a. 7.* docens votum solemnizari per professionem certæ regulæ, & ita tenuerunt Anton. *cap. vursus, qui Clerici vel vouen.* Io. Andr. *cap. constitutionem de regular.* Angelus *v. professio* Nauar. *com. 2. de regul. num. 5.* Sanchez *lib. 5. mor. cap. 3. num. 28. & cap. 4. num. 86.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 12. num. 7.* Bordon. *cap. 2. q. 13.*

316. Votum igitur si fieret de aliqua Religione in communi esset votum simplex. Et quidem hoc votum fieri potest, & valide; quia intentio ferri potest ad commune seu ad plura vage. Sed exercita incorporatio per quam quis actu sit membrum alicuius communitatis, non potest compleri nisi per vnionem exercitam ad aliquam specialem communitatem apostolica authoritate approbatam. Vnde si quis acto promitteret vitam regularem vagè secundum aliquam regulam, illud votum esset votum simplex, & votum bonæ voluntatis, sed non esset votum perfectæ, & completè executæ professionis. Et tale votum est votum Religionis in communi, quod non est professio, sed professionis promissio de qua habitus fuit sermo *supra quæst. 189. a. 2. 3. & 4.*

317. Colligitur ex hoc, quid dicendum de summo Pontifice recipiente aliquem ad professionem Religionis in communi, cum enim Pontifex sit supra ius commune videtur, quod possit ipse acceptare professionem sibi factam pro Religione in communi. Respondetur verò distinguendo æquiuocationem quæstionis. Si enim quæritur an Pontifex possit acceptare professionem sibi factam, & non pro aliqua regula approbata à Sede Apostolica, sed pro modo viuendi immediatè, vel mediatè subiecto, & non sub regula certa, sed sub regula, & ordine ad libitum Pontificis, vel eius substituti variando, & mutando, dicitur hanc professionem fieri posse, eamque valere, sed negatur quod sit ad Religionem in communi, sed esset hæc professio ad statum determinatum, & à qualibet Religione distinctum, & haberet pro regula voluntatem Pontificis iuxta temporum exigentiam ab eodem Pontifice per se ipsum, vel per substitutum explicandam, hac determinatione ad minus determinatam immobiliter, scilicet quantum ad castitatem, & paupertatem. Sed si Pontifici quis promitteret Religionem in communi intendendo promittere aliquam ex approbatis à Sede Apostolica, relinquendo, vt hoc determinaretur, vel de consensu vtriusque, vel de voluntate Pontificis solius, quod esset promittere illam ex Religionibus approbatis, quam Pontifex determinaturus esset, & professionem voto confirmaret, hoc esset votum simplex, nec esset professio, nec ex vi talis voti vouens esset religiosus in actu; tale enim votum esset promissio. sed non clauderet traditionem, & incorporationem sui alicui Religioni. Quod si huiusmodi promissio intelligeretur vt abstrahens à Religionibus approbatis, & à modo viuendi extra illas, ita vt non esset directè promissio vaga alicuius approbatæ Religionis, sed esset directè promissio paupertatis, castitatis, & obedientiæ abstrahendo à modo viuendi secundum quamcumque regulam, iam hæc professio esset, vt dicebatur, professio Religiosa, sed in modo viuendi specie distincta à modo viuendi cuiuscumque Religionis, & talis non esset Religiosus alicuius ex communiter approbatis Religionibus, nisi noua professione illis incorporaretur. Et sic verum est, quod promissio paupertatis, castitatis, & obedientiæ facta Pontifici eam acceptanti, vt factam de præsenti est vera professio religiosa, sed hæc non esset professio religio-

nis

nis in communi, sed hæc esset species noua religionis in qua præter tria vota nihil, aut fere nihil determinate permitteretur, sed sola obseruantia eorum, quæ Pontifex esset præcepturus, & nihilominus non esset multum aptus modus tendendi ad perfectionem, si in singulis consulendus esset vel Pontifex, vel alius, & saltem post professionem non daretur tali professo aliqua regula generalis circa ea, quæ communius contingere possunt, ne teneretur professus singulis horis importunare Pontificem, vt sciret ab eo quid ex obedientia, & pro merito obedientiæ consequendo agere deberet.

218. Manet ergo certum, quod modo nulla professio est professio nisi fiat pro regula certa approbata à Sede Apostolica, quia professio non est professio religiosa nisi fiat in aliqua religione approbata, in nulla verò religione approbata potest fieri professio religionis in communi, neque enim Prælati religionum possunt admittere ad religionem in communi, sed vnusquisque ad propriam solam religionem potest recipere. Et religio in communi non est in rerum natura in sui abstractione, & quatenus esse posset, non est religio approbata à Sede Apostolica. Et sic patet quid sit professio religiosa ex parte rei promissæ.

219. Ex parte autem promissionis, hoc primo est necessarium ad professionem religiosam, vt sit promissio exterius per aliquod signum externum significata. Et sic duo ad illam sunt essentialia, scilicet internus consensus, & exterior sensibilis significatio illius. Primum est necessarium, quia ad ea, ad quæ quis non est ea lege aliqua obligatus, non manet obligatus nisi se voluntariè obliget. Et quia de essentia humani contractus, & promissionis est intentio, & voluntas cõtrahentis. Secundum est necessarium, quia cum agatur de statu religionis sensibili, & visibili, & pertinente ad Ecclesiam vt visibilem, & sensibilem, necessarius est consensus sensibilis, & visibilis ideoque & per aliquod sensibile signum extra sufficienter manifestatus.

220. Quantum igitur ad consensum multa iam supra determinata sunt; nimirum quod hic consensus debeat esse liber, & non datus per metum, vel etiam qualiter debeat non esse datus ex dolo, vel ex ira, & passione libertatem tollente. De his enim egimus supra *inspect. tertia*. Nunc verò distinguere oportet voluntariam promissionem, à voluntaria executione rei promissæ. Et vlterius quidam distinguunt promissionem voluntariam à voluntaria obligatione, quasi quis possit velle promittere, & simul nolit se obligare. Sed in hac parte repugnantia est, & implicat quod sit vera promissio, & non sit obligatio obseruandi promissum, & obligatio obseruandi promissionem non est ex voluntate separabilis à promissione. Vnde si quis promittat, & simul intendat nolle se teneri obligatum ex vi promissionis, hæc secunda intentio destruit primam. Et qui sic promittit, nec est obligatus, quia nec verè vouet. Sic tamen fictè promittens, & non intendens se obligare peccat mortaliter, quia irreuerentia religionis non parua est, fictè agere, & in re tam sancta mentiri. Caiet. *v. votum c.3.* Sanchez *l.4. c.1. nu. 28.* Bord. *cap.2. q.11.* In proposito tamen nostro considerandum est quod quia professio licet sit promissio obseruantiæ, tamen est donatio de præsenti per quam profitens se spoliat dominio suæ voluntatis, & illum transfert in superiorem, quamuis per votum postea promittat huius donationis firmitatem; ideò euidentior est implicantia veræ professionis cum negatione obligationis, & sicut implicat quod quis verè velit se priuare iure suo, & dominio, & illud de facto vere tradat alicui, & nihilominus velit habere, & retinere illud ius, & dominium, ita implicat quod velit profiteri, & nolit esse obligatus ad obediendum, quia profiteri est priuare se dominio suæ voluntatis. Et ita qui vellet non esse obligatum ad obediendum, nec etiam vere profiteretur. Vel si vere & absolute profiteretur, & hoc omnino vellet, & solum per errorem intenderet se nolle esse obligatum ad id, quod in professione promittit, esset vere professus, & obligatus, quia tunc inuoluntaria esset illa intentio se non obligandi.

221. Ad professionem igitur requiritur vera promissio, quæ sit voluntaria traditio sui, & sui donatio de præsenti per votum voluntatium consecrata, & per voluntariam obligationem veluti consummata. Sed bene tamen distinguitur promissio ab executione, & voluntas se obligandi, à voluntate exequendi obligationẽ. Quamuis enim aliqui dixerint non tenere professionem, si profitans expresse dixerit se nolle viuere secundum regulam, seu nolle se seruare castitatem, vel paupertatem. Pro qua sententia fuerunt Syl. *v. religio 3. q. 6.* Palud. *4. d. 26. q. 3. a. 2. num. 10.* & D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 3.* quia multa expressa nocent, quæ non nocent si non exprimantur. Imò Armil. *v. religio n. 8.* censet professionem non valere etiam si intentio non seruandi regulam substantialiter non exprimatur, sed mente retineatur. Nihilominus alij dicunt ad essentiam professionis sufficere, si profitens intendat promittere vere, & se obligare licet intendat, & expresse dicat se nolle obseruare vitam regularem etiam quantum ad substantiam, quia exercita obseruantia non est de essentia professionis, & religionis. Et ita tenent Sanches *l. 4. mor. cap. 1. n. 23. & l. 5. c. 3. n. 101.* Lezana *t. 1. c. 2. num. 27.* Bordon. *cap. 2. de profess. q. 9.* Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. d. 3. num. 14.* & apud eum Dicastillus, & Amicus. Nihilominus considerandum est, quod quia maxima fatuitas est velle se obligare ad agendum, & nolle agere, ex hac secunda voluntate non agendi desumitur vehemens præsumptio quod non sit voluntas se obligandi. Vnde considerandum vlterius, imprudentiam fatuam esse velle admittere ad professionem eum, qui expresse intendit, & protestatur, se nolle viuere secundum regulam. Nihilominus in casu metaphisice possibili, quod quis profiteatur ex vera intentione se obligandi, & simul habeat expressam intentionem non seruandi vota promissa, & Superior hunc admittat ad professionem, professio erit valida; quia exercitium obedientiæ non est de essentia religionis, & nulla expressa intentio irritant professionẽ, si non sit contra substantiã professionis. Hæc tamen intentio seruandi regulam est necessaria ad licitam professionem, & grande sacrilegium esset tam ex parte profitentis, quam ex parte admittentis, sic acceptaretur professio eius

de

de quo vel constat, vel dubium rationabile est, an velit seruare quod promittit, imò an illud sit seruaturus. Illi enim admitti debent, de quibus sit probabilis spes quod religiosè sunt victuri. Si verò quis fictè profiteretur non habens intentionem se obligandi, & promittendi, in conscientia non esset obligatus ad vitam Regularem, & leges Religionis. Et nihilominus in foro exteriori ad euitandum scandalum eas obseruare deberet. Nauar. *cons.* 15. *de Reg. num.* 13. Faustus *lib.* 5. *q.* 237. *num.* 2. Vech. *disp.* 13. *d.* 1. *num.* 13. Sà *v. Religio. num.* 15. Suarez *tom.* 3. *de Rel. l.* 6. *c.* 10. *num.* 3. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 5. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 16. *num.* 4. & apud eum Less. & Graff.

222. Intentio quoque ista, seu consensus, & voluntas non debet esse conditionata. Duplex verò primò hic distingui debet conditio, alia scilicet quæ est contra substantiam professionis, vt si quis profiteri vellet sub conditione, quod posset non continere, sed matrimonium celebrare, & eo vti, vel sub conditione quod posset habere dominium rerum suarum, & ius disponendi de illis ad beneplacitum, & alia, quæ non est contra substantiam religionis, vt si sit conditio indifferens, vel contraria alicui obseruantiæ non substantiali, vt si in Ordine Prædicatorum quis profiteretur sub conditione vtendi lineis ad carnem, vel non abstinendi ab esu carnium.

223. Loquendo igitur de conditione quæ est contra substantiam professionis fuit multorum Canonistarum opinio, quod valeat, & quod conditio illa tanquam turpis sit reijcienda. Nam valet professio etiam si profitens intendat non seruare, quod promittit; igitur etiò in professione apponatur conditio aliquid faciendi, vel non faciendi contra professionem, professio valida erit, cum eius valor non dependeat ab intentione faciendi, id ad quod professio obligat. Secundò quia in *cap. fin. qui Clerici vel vouentes* declaratur valida professio mulieris facta sub conditione manendi in domo propria, cum omni sua substantia. Propterea hanc sententiam tenuerunt. Gloss. *in cap. Solet.* 32. *q.* 2. & ibi Archid. & Bellam. & Io. Andr. *cap. fin. num.* 9. *de condit. appon.* & ibi Card. Anton. Præpos. Neuo, & Henricus. Et alij plures, quos refert Sanchez *l.* 5. *mor. c.* 4. *num.* 90.

224. Verum contrarium meritò communiter affirmatur. Nam primò conditiones quæ sunt contra substantiam professionis illam irritare colligitur à simili ex eo quod iuxta decretum Greg. IX. *cap. fin. de condit. appon.* matrimonium initum sub conditione quæ sit contra substantiam matrimonij est ipso facto irritum, & nullum. Nec obstat, quod dicitur pro parte aduersa discrimen esse, quia coniuges in matrimonio conniuent conditioni illi, eamque mutuo acceptant, ideò cum sit contra substantiam matrimonij illud irritat. Sed in professione Deus non acceptat conditionem illam, quæ sicut turpis debet reijci, & fauore professionis non haberi in consideratione. Nam primò, & in professione adest prior quasi contractus humanus inter religionem & religiosum, qui eodem modo supponuntur conniuere illi conditioni, & illam acceptare. Secundò quia Deus non vult inuoluntariam professionem, nam qui vouet non vouet, nisi sub ea conditione, neque vult se obligare illa cessante, vnde in veram professionem non consentit, sed in aliam, quam sibi fingit. Et hæc est ratio à priori ob quam huiusmodi professio est nulla, quia velle aliquid, & nolle id quod est de eius substantia repugnat, vnde est velle illud nominetenus, non verò in rei veritate, professio verò non est valida, nisi verè sit volita, vnde nec est volita, nec est vera, nisi sit volitum totum id, quod est de eius substantia. Quod vlterius probatur ex *cap. dudum. de conuers. coniug.* vbi decernitur valida professio eius, qui protestatus fuerat se velle retinere proprium, quia postea tempore professionis absolutè religionem promisit, vnde per argumentum à contrario colligitur, quod si sub conditione illa promisisset, professio non fuisset valida. Nec valent rationes in oppositum. Ad primam enim dicitur intentionem non obseruandi promissionem non tollere obligationem eius, sed conditionem infringere obligationem, quia tollit consensum, ideò professio eius qui intendit non seruare vota est valida, non verò est valida ea professio, quæ fit sub conditione non se obligandi ad illa vel ad aliquod eorum. Textus verò adductus in oppositum explicatur, quia conditio manendi in propria domo non est contra substantiam professionis, conditio verò habendi bona, fuit conditio habendi vsum facti illorum bonorum, sub obedientia, & dependentia à nutu Superioris, quæ conditio neque fuit contra substantiam professionis. Vnde hanc partem docuerunt Speculator *tit. de statu Monachorum. §. qualiter t.* 1. *q.* 45. *nu.* 54. Abbas *cap. fin. num.* 6. *qui Clerici, vel vou. & cap. fin. num.* 7. *de condit. appos.* Card. *Clem. vlt. num.* 6. *q.* 6. *de regular.* & ibi Anch. *num.* 5. 10. de Lignan. ibi *ad fin.* Turrecrem. *cap. non dicatis c.* 2. *a.* 4. Palud. 4. *d.* 26. *q.* 3. *a.* 2. *nu.* 10. Adrian. 4. *vbi de matrim. d.* 9. *§. sed pro solutione.* D. Ant. 3. *p. tit.* 16. *c.* 3. *in princ.* Sylu. *v. religio* 3. *q.* 6. 7. & 8. Tabien. ibi *q.* 20. *num.* 21. Armill. *num.* 8. Rosell. *v. religio* 2. *num.* 11. Angel. *v. religiosus num.* 19. Nauar. *cons.* 2. *de statu Monac. nu.* 5. Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. *§.* 1. *num.* 18. Azor. *l.* 12. *c.* 5. *q.* 2. & *l.* 11. *cap.* 15. *q.* 9. Rodriq. *t.* 3. *q.* 17. *a.* 6. Glossa, Bartol. Decius, Paulus, Salicetus, Paulus de Eleazar Monchada, Cuccus, Spino, Humada, Salzedo. Diaz. Gratian. Cauallos, quos refert, & sequitur Sanchez *l.* 5. *moral. c.* 4. *num.* 92. Io. de la Cruz *l.* 2. *de stat. Relig. c.* 3. *d.* 2. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.* 12. *num.* 14. Less. *l.* 41. *d.* 7. *num.* 62. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 16. Bonac. *de clau. q.* 11. *p.* 10. *§.* 1. *nu.* 4. Miranda *t.* 1. *q.* 25. *a.* 9. & *q.* 28. *a.* 2. à S. Fausto *l.* 8. *q.* 20. & 21. Vechius *disp.* 13. *d.* 1. *num.* 11. Pont. *de matrim. l.* 5. *c.* 30. *num.* 10. Barbosa *ad cap. fin. qui Clerici, vel vou. num.* 2. & 3. Donatus *p.* 4. *tr.* 11. *q.* 18. Bord. *resol.* 57. *num.* 65. Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 3. *sec.* 1. Palaus *tr.* 16. *d.* 2. *p.* 1. *num.* 3. Lezana *p.* 1. *c.* 2. *num.* 26.

225. Extenditur hæc assertio vt nedum vera sit, vbi conditio apponitur tanquam conditio, & pactum, & causa sine qua non sit intentio se obligandi, sed etiam si apponatur, vel simplex pactũ, vt si diceretur profiteor paupertatem, vt retineam proprietatem bonorum. Nam religio sub hoc modo non est vera religio approbata à Sede Apostolica, ideò qui profitetur paupertatem ita vt retineat dominium bonorum nec paupertatem veram, nec veram religionem profitetur, ideò pro-

fessio

fessio sub simili modo facta non valet. Decius *authent. ingressi num. 13. C. de Sacros. Eccles.* Couar. *4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. num. 18.* Sanchez *d. c. 4. num. 95.* Rodriq. *t. 3. q. 17. a. 6.* Mir. *p. 1. q. 28. a. 2.* Bonac *de claus. q. a. p. 20. diff. 2. §. 1. num. 4.* Faustus *l. 8 q. 21.* Ricc. *decis. Cur. Archiep. Neap. 340. num. 11. p. 4.* Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 16. num. 12.*

226. Neque valet, quod dicunt Abbas. *c. fin. qui Clerici, vel von.* & Sylu. *v. Religio 3. q. 8.* asserentes quod in hoc casu, in quo conditio apponitur vt modus, vel simplex pactum, tunc contractus mutatur in alium contractum, & quod profitens manet vt oblatus obligatus religioni in omnibus eo excepto, quod positum fuit, vt modus. Doctrina enim illa, & iura allata ad probandum, quod pactum contra naturam contractus transire potest in alium contractum, vt donatio causa mortis cum pacto vt non possit reuocari transit in donationem inter viuos ex *lege, vbi ita donatur ff. de donat. causa mortis* in nullo casu potest applicari ad propositum, quia status in quo religiosus non maneat obligatus ad omnia substantialia religionis, non est religio approbata a Sede Apostolica, ideò nec potest quis eam validè profiteri. Et qui illam profitetur nulliter profitetur, nec est religiosus. Neuo *d. cap. fin. qui Clerici, vel vouentes num. 15.* Iason *d. aut. ingressi num. 36.* Sanches *d. cap. 4. num. 95.*

227. Cõditio autẽ contra substantiã professionis est cõditio destruens obligationẽ obseruandi tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Huiusmodi autẽ non censetur esse conditio manendi in propria domo sed hodie solus Pontifex posset hanc conditionem admittere. Quæ si eo non consentiente apponeretur, esset tanquam turpis reijcienda. Vel etiam substantialis non est conditio habendi vsum facti sub obedientia superioris bonorum propriorum. D. Ant. *3. p. tit. 10. c. 3.* Syluest. *v. religio 3. q. 8.* Angelus *v. religiosus. num. 19.* Nauar. *com. 2. de reg. num. 19.* Sanchez *l. 5 c. 4. num. 97.* Tambur. *t. 3. d. 6. q. 56. num. 12.* sic enim intelligendum esse textum *cap. fin. qui Clerici, vel vou.* in quo decernitur valida professio mulieris sub ea conditione emissa tradiderunt. Glossa ibi. *v. in domo,* Innoc. *num. 2. 10.* Andr. *num. 9.* Abb. *num. 6.* Palud. D. Anton. Tabien. Rodriq. Ang. supra citati. Sylu. *v. religio 3. q. 8.* Nauar. *com. 2. de regular. num. 16.* Sanchez *d. cap. 4. num. 97.* & apud eum Bartol. Paulus, Decius, Iason, & Imola, Less. *l. 2. c. 41. nu. 63.* Miranda *t. 1. q. 28. a. 2.* Vechius *disp. 13. d. 1. num. 11.* Suarez *t. 3. de Relig. l. 6. c. 12. num. 14. & 15.* Barbosa *ad d. cap. fin. num. 3.* & apud eum Hurtad. Pontius, Hieron. Rodericus Bernard. & Garc. Donatus *p. 4. t. 1. q. 19.* Si tamen hæc conditio reseruationis fieret de vsufructu, vso iuris, vel iuris administrationis, conditio turpis esset, & contra decretum Conc. Trid. *sess. 25. c. 2. de Regular.* & vitiaretur, & habenda esset pro non adiecta. Neque verò reseruatio iuris testandi de patrimonio est contra substantiam paupertatis, quia non est reseruatio dominij, & proprietatis patrimonij prout tenuerunt Tamburin. *t. 3. disp. 6. q. 16 num. 15.* Barbosa *de iure Eccles. l. 1. c. 41. num. 153.* Bord. *resol. 57. num. 66.* Donatus *d. q. 19.* Lucetna *regul. v. professio num. 20.* referens sic fuisse decisum à S. Congr. Concil. 14. Decem. 1613.

228. In casu autem in quo conditio adhibita dubia esset, & posset accipi vt contraria, & non contraria substantiæ professionis, interpretari debet vt non sit contraria. Verba enim contrahentium intelligi debent, & probata iusta naturam contractus, & vt ei non repugnent. *l. si vno ff. locati, & l. donatio ff. de damno infecto,* ita vt etiam verba impropriari debeant, vt accipiantur in eo sensu in quo actus valeat. *cap. Abb. de verborum significat.* ideò hanc partem docent Abb. Sylu. Tabien. Angelus, Couar. supra citati Sanchez *num. 98.* Reuerend. D. Fagnan. *ad cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes num. 22* Tambur. *t. 3. d. 6. q. 16. n. 14.* Burdon. *d. resol. 57. num. 68.* Vbi quod ad effectum reclamandi contra professionem nec sit illi credendum, etiam si iuret, quod intellexerit conditionem vt contrariam professionis substantiæ, quia si id intellexit, debuit clarè id explicasse, & interpretatio facienda est contra eum, qui legem apertius dicere potuit. *Reg. 56 in 6.*

229. Limitatur autem principalis assertio, vt conditio contra substantiam professionis non vitiet professionem, si eam subsequatur, etiam si post per breue interuallum apponatur, quia professio statim in sui emissione suam vim obtinet, & efficaciam, & transfert dominium profitentis in Religionem; vnde inutilis est omnia conditio post emissam professionem apposita, cum professus non sit amplius sui iuris. Anton. *cap. fin. de cond. appos. num. 8.* & ibi Præp. *num. 8.* Couar. *4. Decret. 2. p. c. 3. §. 1. num 8. & 18.*

230. Loquentes de matrimonio limitant alij assertionem vt non sit vera de conditione de præterito, vel de præsenti, quia huiusmodi non sint verè conditiones, quia non suspendunt actum *l. institutio ff. de condit. indit. & l. cum ad præsens. ff. si certum pet.* Ità loquens de matrimonio. Barbosa *ad c. final. de cõd. appos. n. 8.* sed hoc nõ admittitur, quia si huiusmodi conditiones de præterito, vel præsenti verè adsunt, non irritant contractum, sed si non adsunt illum irritant, cum non detur consensus contractui, nisi sub conditione existentiæ illius conditionis. Suarez. *dec. t. 2. nu. 16.* Limitant etiam aliter, scilicet vt conditio huiusmodi tunc solum irritet contractum, cum est acceptata ab vtraque parte. Ità loquens de matrimonio Barbosa ibid. *num. 9.* sed neque hoc est verum. Quia si altera pars non acceptat conditionem, & altera non consentit, nisi sub conditione, contractus est nullus, ex vna parte quæ sub illa conditione non consentit contractui, & ex alia, quæ non consentit sine illa conditione, vnde neutra pars consentit, ideò contractus est nullus.

231. Quod etiam supra dictum est, scilicet conditionem manendi in propria domo non esse contra substantiam professionis verum est secundum aliquos, nisi deducatur in pactum vt professus possit ibi manere independenter à voluntate superioris, & ita vt nec possit reuocari ad claustrum regulare. Id quidem verum est, quod manere intra claustrum non est de substantia Religionis, ideo si hoc deducatur in pactum, non est contra substantiam professionis nec illam irritam reddit, vt habetur *ex d. cap. fin. qui Clerici, vel vou.* & docent Sylu. *v. Religio 3. q. 8.* Tabien. *v. professio fine,* Ang. *v. religiosus num. 19.* Nauar. *commen. 2. de*

Regul.

Regul.num.16. Sà *v.Religio num.6.* Azor. *l.12.c.5. q.2.* Sanchez *l.6.mor.c.4.num.102.* Suarez *d. l. 6. c. 12. num. 15.* Et neque hoc fuisse reuocatum per Concil Trid. docent Nauar. Sà, Azor. & Sanchez citati. Ex quo plures DD. deduxerunt non esse de substantia nouitiatus vt fiat intra claustrum, sed posse fieri in propria domo quos refert Barbosa *ad d.cap.fin.qui Clerici, vel vou. num.4.* sed hodie aliter est dicendum, prout supra suo loco est probatum. Professum tamen manere extra proprium Conuentum de licentia superiorum, & sub eorum obedientia non est contra substantiam professionis, ideò si conditio apponeretur vt liceret manere extra Conuentum irreuocabiliter professio esset nulla. Sanchez *d.cap.4.num.102.* sed hæc limitatio non videtur admittenda, quia non est eadem ratio de habendo proprio, & de manendo in domo propria, quia habere proprium est contra paupertatem ideoque, & contra substantiam professionis, ideò nec valeret professio sub conditione habendi proprium etiam de licentia superioris. Sed manere in propria domo etiam irreuocabiliter à Prælato Regulari non est contra substantiam professionis, sicut non est contra substantiam professionis, quod religiosus non teneatur obedire in hoc vno, vel alio determinatè. Et ideò huiusmodi conditio seu conditiones non sunt contra substantiam professionis, nec illam irritant.

232. Loquendo autem de conditionibus, quæ non sunt de substantia professionis. Si sint de præsenti, vel de præterito, non sunt conditiones propriæ dictæ, tamen vt supra dicebatur, si non sit verum id sub cuius conditione fit professio, nulla professio remanet, tanquam non voluntaria cum non adsit conditio, sub qua professio fit. Suarez *d. cap.12.num.16.*

233. Si verò conditio sit de futuro, vel loquimur de professione licita, & ritè emissa, vel de professione valida. Licitè enim nequit apponi aliqua conditio turpis, & inhonesta. Et nisi ex causa graui, & proportionata nõ debet admitti professio sub conditione non seruandi aliquod particulare etiam pactum, & minimum ex ijs, quæ seruanda sunt in regula; quia huiusmodi pacta cedunt in malum aliorum exemplum, & sunt inductiua relaxationis, & perturbationis, & murmuris in religiosis communitatibus; ideò admissio alicuius religiosi ad professionem sub aliquo huiusmodi pacto sine iusta, & proportionata causa est peccatum ex genere suo mortale, quia contrarium communi religionis bono. Si enim ex genere suo mortale peccatum est dispensare in regula sine iusta causa, multo magis peccatum erit deducere in pactum vt quis tanquam dispensatus non teneatur seruare regulam. Imo puto quod nullus Prælatus Regularis possit hanc conditionem admittere, vt scilicet professus non teneatur seruare ea, quæ sũt contenta in regula, vel quæ sunt secundum regulam, & hoc irreuocabiliter. Tum quia Prælatus vnus non potest præiudicare suis superioribus, & eorum potestatem limitare. Tum quia Prælatus non est dominus suæ iurisdictionis, & potestatis, quia hæc illi data est à summo Pontifice, & à Religione, & propter bonum commune, nec potest illi cedere, ideò nec potest illam limitare, & restringere, sicut nõn potest aliquem eximere totaliter à sui iurisdictione, quia potestas Prælati, non est sui ipsius destructiua. Vnde Prælatus non potest suo subdito præcipere vt exeat à Religione etiam vt accipiat Episcopatum, vt probatum est *q.186.a.8.num.211.* quia sic destrueret suam iurisdictionẽ eximendo suum subditum, quod est contra naturam cuiuscumq; rei vt se destruat. Eiusdem autem rationis est, si Prælatus destruat iurisdictionem suam in toto, vel in parte, vnde non potest ipse concedere quod subditus in ijs, quæ sunt regulæ, vel secundum regulam non sit sibi subditus, & sic non potest cum subdito pacisci, vt non teneatur ad aliquid regulæ irreuocabiliter. Et licet spectata potestate dominatiua, quæ in illum redundat ex voto obedientiæ subditi hæc potestas possit esse conditionata si absolutè loquamur, tamen ex quo professio debet fieri in Religione approbata, debet fieri promittendo obedientiam absolutè secundum id, quod est in regula. Ideò si quis velit profiteri sub conditione restrictiua ipsius regulæ hæc conditio tanquam turpis esset reijcienda, & habenda tanquam non apposita, & quatenus qui profitetur, habeat iustam causam, vt cum eo dispensetur, & Prælatus possit cum illo dispensare, tamen non per hoc dispensatio potest deduci in pactum irreuocabile, & ita quod si opus fuerit Prælatus non possit dispensationem tollere ex iusta superueniente causa, sed hoc pactum tanquam bono cõmuni contrarium, esset irrationabile, & simul esset verè de re impossibili, quia Prælatus nec alios Prælatos successores, nec se potest priuare illa vniuersali potestate, quæ sibi fauore boni communis data est, vnde nec illi potest cedere, aut illam restringere. Sic ergo huiusmodi pactum semper esset irrationabile, & conditio huiusmodi esset turpis, & habenda tanquam non apposita.

235. Duo etiam certa sunt de huiusmodi professione conditionata conditione de futuro. Primum quod ante aduentum conditionis liberum est profitenti validè recedere, & nolle amplius profiteri, quia ante conditionis aduentum, cum is nondum sit professus, potest consensum suum reuocare, & nolle amplius profiteri. Suarez *d. cap. 12. num.16.* Dictum autem est validè, quia ex quo non est professus, validè v.g. reddit ad seculum, & contrahit matrimonium. Id tamen illicitè fieret, vt dicam infra. Certum est secundò, quod non impleta conditione nulla est professio, quia consensus datus fuit sub conditione illa, qua non purificata consensus non est, vnde nec est professio. Suarez ibid.

236. Dubium verò est an ex vi purificationis conditionis honestę professio compleatur sine nouo consensu, vel nouus consensus sit necessarius. Affirmatiua pars suadetur, quia vbi natura contractus est, vt statim sortiatur effectum, quia ad hoc vsu gentium, & iuris dispositione institutus est, vt si est, suum effectum habeat, est etiam de illis contractibus de quibus in regula iuris dicitur, quod actus legitimus non suscipit conditionem, quæ illum suspendat, quia eo ipso quod talis contractus suspenditur omnino tollitur, & in alterius contractus naturam transit, quia eius natura est non esse suspensum, sed vel non esse, vel sine suspensione effectum suum habere. Matrimo-

nium

nium verò, & professio ex vsu gentium, & iuris dispositione sunt institutæ vt sint contractus, vel quasi contractus respectiuè statim sortientes effectum, ideò non recipiunt conditionem suspensiuam. Et ideò matrimonium, & professio eo ipso, quod suspenduntur desinunt esse matrimonium, & professio. Nulla igitur promissio, vel donatio, vel traditio, vel contractus conditionalis de futuro est matrimonium, vel professio, sed necesse est, vt purificata conditione contrahentes iterum consentiant, & contrahant. Et per hæc patet quod non est eadem ratio de alijs contractibus in quibus effectus potest in futurum expectari, licet obligatio intret de præsenti, & de matrimonio, & professione, qui sunt cōtractus statim effectum sortientes. Textus autem super eo, de condit. appos. pro hac sententia est; ratio enim illius textus est, quia consensus conditionatus conditione de futuro solum nomine tenus est consensus de præsenti, & in re est consensus de futuro, ideò textus decernit, quod vbi illæ qui consensit sub conditione futuri consensus paterni, nō existente hoc paterno consensu non cogatur contrahere, quia textus supponit matrimonium non esse contractum per consensum illum conditionatum, & sic ab opposito solum sequitur quod vbi paternus consensus existat, debet cogi prius ad contrahendum per verba de præsenti sine conditione. Et notanda sunt illa verba textus, *quod cum consensus ille dici non possit, qui in alieno arbitrio reseruatur*, quibus verbis exprimitur quod consensus sub conditione consensus alterius non debet dici consensus talis scilicet, qualem requirit matrimonium. Quod clarius exprimitur illa verba: *cum huiusmodi consensus non sit de præsenti habēdus, licet per verba de præsenti euidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habitus, sed habendus consistit.* Ex quo iterum assertio hæc probatur, quia consensus conditionatus conditione expectanda de futuro licet exprimatur per verba de præsenti, non est censendus consensus de præsenti, igitur se solo non sufficit ad matrimonium vel professionem, quia ad huiusmodi contractus requiritur consensus de præsenti, & non sufficit consensus de futuro. Ideò hanc partem loquendo de matrimonio tenent D. T. 4. d. 29. q. 1. a. 3. q. 3. S. Bonau. ibi q. 3. num. 13. Durand. q. 2. num. 5. *& ad primum* Sotus q. 2. a. 1. Maior d. 24. q. 4. Adrian. q. 3. *de matrim.* Victoris *relec. p. de matrim. p. 1. p. 2. n. 9. & in summa. de matrim. num.* 258. Ledesma 2. p. 45. a. 1. 5. *præterea est dubium.* Bartolomeus à Ledesma *dub.* 25. *de matrim. c.*42. Lopez 2.*p. instruc. de matrim. c.* 42. Petrus de Ledesma *de matrim. q.* 47. *a.* 5. *d.* 7. Henriq. *l. 11. d. matrim. c.* 12. *num.*3. Persnt. *add. ad* 3. *p. q.* 47. *disp.* 3. Suarez *tom.*3. *de Relig. l.* 6. *c.* 12. *num.* 18. & ex Iurisperitis Couar. *num.* 4. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 5. Nauar. sibi contractus *consil.* 14. *de sponsal. num.* 7. Gutierez *l.*1.*quæst.Canon. cap.* 22. *num.* 21. Matiens *in rubr. tit.*1. *gloss.*1. *num.* 63. *lib.* 6. *noua recapitul.* Barbosa *in cap. super eo de condit. appos.* Et in specie de professione hoc idem tenent Suarez loco citato. Anton. à Spir. Sancto. *tract.* 3. *disp.* 3. *num.* 10. & apud eum Dicastill. *de matrim. tr.* 10. *d.* 5. *d.* 6. *num.* 55. Item Lezana *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 26. Palaus *tr.* 16. *disp.* 2. *p.* 1. *num.* 5.

237. Hoc tamen mihi primo videtur aduertendum, quod pro hac sententia immeritò refertur D. T. *in* 4. *d.* 29. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 9. vbi id non docet. Hæc enim habet. *Aut conditio est contingens, datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de futuro, vnde non facit matrimonium.* Hæc verò proposito consensus conditionatus non facit matrimonium vera est, quia illud non facit se solo præcise nisi purificetur conditio. Propterea Vrbanus Tertius *in cap. Super eo de condit. appos.* consensum conditionatum, vocat consensum non liberum, cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reseruatur, vnde manente hoc consenso in statu conditionati, manet in statu consensus non liberi, & ideò non est sufficiens ad faciendum matrimonium. Et in hoc assimilatur consensui de futuro. Sed non docet D.T. quod consensus conditionatus non possit transire in absolutum si perseueret, & in consensū de præsenti vt tunc matrimonium faciat, si impleatur conditio. Nam consensus conditionatus non est propriè consensus de futuro, licet non nisi in futurum sit habiturus effectus, sicut voluntas Dei qua ab æterno voluit vt mundus esset in tempore fuit quidem voluntas rei futuræ, & pro tempore futuro, sed non fuit voluntas de futuro, sed voluntas ab æterno respiciens tempus futurum. Nam voluntas de futuro est voluntas, quæ non est, sed erit, & est obiectum voluntatis de præsenti per quam homo vult se in futurum velle. Sed consensus conditionatus per quem quis consentit de præsenti in matrimonium, sed sub futura conditione est voluntas rei futuræ se extendens ad futurum vt faciat illud esse pro tempore vollto se si esset præsens, vnde est præsens si duret seu sua perseuerantia sit absoluta, & respiciens obiectum de præsenti pro eo tempore quo vult illud esse D. T. igitur non negat quod consensus conditionatus non possit transire in absolutum, & efficax de præsenti, si duret vsque ad purificationem conditionis, & sic possit facere matrimonium, sed vult quod illud non faciat de præsenti tūc cum datur. Et quod hæc sit mens D.T. probatur ex textu ibi: *Et tunc est matrimonium*, & infra, *& tunc idem est iudicium, &c.* Ponit enim discrimen inter conditiones de futuro, quod si conditio est necessaria non obstante quod sit futura consensus conditionatus facit matrimonium esse tunc cum contrahitur, sed si conditio est contingens consensus conditionatus ac si esset de futuro, non facit matrimonium esse tunc cum initur:

238. Dicitur propterea, quod tam matrimonium, quam professio, purificata conditione, & priori consensu perseuerante perficitur, & completur, nec est necessarius nouus consensus, sed sufficit quod prior perseueret. Quod probatur primo ex naturali ratione contractus absoluti, qui habet vt sine nouo consensu conditionato perseuerante vsque ad purificationem conditionis perficiatur, eo consensu conditionato transeunte in absolutum, & efficax de præsenti dum purificatur conditio. *l. potior, in principio.* ibi. *Cum enim conditio semel extitit, perinde habetur, ac illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* *ff. qui potior in pig. hab.* Si ergo consideretur

retur matrimonium, & professio vt sunt contractus quidam per se non requirunt duplicem consensum vt perficiantur, sed sufficit quod consensus datus de præsenti sub conditione de futuro duret donec purificetur conditio. Voluntariè vero dicitur, quod matrimonium vt sacramentum requirat hunc duplicem consensum, quia Christus eleuando matrimonium in sacramentum non mutauit naturam contractus, & vbi in ratione contractus matrimonium fit validum, non desinit esse sacramentum. Item *ex d. cap. Super eo, de cond. appos.* sumitur validum argumentum, Nam loquens Vrbanus Tertius de matrimonio inito per consensum conditionatum, si pater consenserit, statuit eum qui matrimonium contraxit non esse cogendum ad consummandum, nisi pater consentiat, igitur per locum à contrario sentit eundem esse cogendum ad consummandum, si pater consensit. Nec obstant, quæ ponderata sunt ex aduerso. Nam Vrbanus Tertius sic sensit, quod consensus conditionatus sit imperfectus, & non plenè liber, tanquam pendens ex alieno arbitrio, quod tamen voluit eum ex purificatione conditionis ita perfici, vt faciat matrimonium; & ideò enim qui conditionatè contraxit, si purificatur conditio esse cogendum ad consummandum matrimonium. Et amplius tertio hoc idem probatur, quia hic est sensus, & praxis Romanæ Curiæ etiam post Concilium Trident. de quo testatur Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. super eo. num. 3. vbi num. 4.* pariter refert quod hoc bis de voto S. Congregationis Concilij fuerit definitum, semel scilicet à Pio Quinto, & semel à Clem. 8. Quamuis Clemens Octauus noluerit hanc decisionem omnibus casibus inseruire, sed omnes, qui acciderint in futurum cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos. Quod quidem prudentissime fuit consideratum, quia potest contingere vt consensus conditionatus de mente, & speciali intentione contrahentium non sufficiat, nisi impleta conditione nouiter consentiat, Sed per se loquendo matrimonium, & professio inita de præsenti sub conditione de futuro statim purificata conditione perficiuntur, vt de matrimonio tradiderunt *ad d. cap. Super eo, de cond. app.* Innoc. *in fin.* Butr. *num. 9.* Card. *in fin.* Anchar. *num. 8.* Abb. *num. 7.* Nano *num. 25.* Fagnan. *num. 9. & in cap. 1. eod. tit.* Innoc. *num. 4.* Hostien. *post princ.* Io. Andr. *num. 1.* Anch. *num. 1.* Neuo *num. 4.* Præp. *num. 1. & in cap. De illis, eod. tit.* Io. And. *num. 1.* Abb. *num. 5.* Henric. Boic. *in cap. fin. eod. tit. num. 4.* Nauar. in Manuali *cap. 22. num 63. & 64. & cons. 1. de Regul.* & ex Theol. Palud. *4. d. 29. q. 2. a. 5. ad fin.* Petrus de Soto *lec. 3. de matrim.* Sanchez *l. 5. de matrim. disp. 8.* Cucçus *tit. 11. num. 55.* Layman. *tr. 10. lib. 5. p. 2. cap. 7. num. 2.* Filliuc. *tr. 10. cap. 4. nu. 145.* Contrech. *disp. 29. num. 11.* Bonac. *q. 2. p. 10. num. 20.* Nost. *disp. 7. diff. 3. num. 10.* Naldus *v. matrimonium num. 15.* Bossius *de matrimonij contractu. cap. 10. num. 70.* Henricus Canisius *in sum. de cond. oppositis.* Ochagauia *q. 22. num. 3.* Syluius *in 3. p. q. 43. a. 1. q. 2. concl. 7.* Brancatus *in 4. disp. 20. a. 2. §. 7. num. 10.* Auersa *de matrim. q. 5. sect. 1.* quod de professione docuerunt Sanchez *lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 88.* Lezana *p. 2. c. 2. num. 26.*

239. Ex quo sequitur falsum esse; quod qui hoc modo sub conditione de futuro vel contraxit matrimonium, vel est professus, si impleta conditione, & non renouato cõsensu, vel aliam vxorem ducat per consensum absolutum de præsenti, vel in alia religione absolutè profiteatur, matrimoniũ, & professio tenent, quia ille antequam renouet consensum nondum est maritus, sed sponsus de futuro, & ille nondum est professus, sed nouitius. Hoc inquam falsum est, quia ex vi purificationis consensu transeunte in absolutum perficiuntur matrimonium, & professio.

240. Sed quid dicendum si quis non profiteatur coram superiore habente facultatem admittendi, sed alicui tertio, vt v. g. si quis, coram religioso priuato profiteretur in manibus eius sub conditione si superior consenserit? Suarez *num. 11.* ad vtrumq; partem disputat, sed probabilem putat talem teneri ad profitendum. Sed hic non multam video difficultatem quoniam nulla est hic de præsenti professio, quia professio est quasi contractus initus inter habiles contrahentes, non est verò habilis, qui non potest ad religionem & professionem recipere. Nec obstat si dicatur, quod potest esse, quod ille simplex Religiosus acceptet professionem sub ratihabitione superioris. Nam hoc dato adhuc professio ista non est actu, sed de futuro expectanda est, si superior consenserit. Non est ergo professio. Sed si quærimus an hæc conditionata professio obliget ad absolutè profitendum, Respondetur quod professio non est sine voto, & ideò ratione voti obligat, sine dubio, sed si spectetur hæc professio præcisè, vt est promissio facta homini, & quidem tali, qui non est legitimus superior, qui possit acceptare professionem, & acceptando obligare Religionem, adest obligatio fidelitatis, quæ per se connexa est promissioni, & quia promissio ista licet facta homini est religiosa, non erit sine iniuria aliqua virtutis religionis, si homo non obseruet, quod in Dei cultum promisit. Sed nisi ipse intenderit se obligare ex iustitia, non est vnde dicatur eum ita obligari.

241. Tandem vero circa huiusmodi conditionatam professionem est aduertendum, quod si cõditio de futuro adiecta sit turpis, vel impossibilis pro non apposita haberi debet, *cap. fin. de condit. appos.* vbi Glossa, & alij DD.

242. Quæsitum autem fuisse à Regularibus Ordinis Reformatorum Sanctissimæ Trinitatis, an sit nulla, vel valida professio emissa à nonnullis in eorum Religione in manibus Superioris cum conditione, vt si procedente tempore reperiatur eos fregisse vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vel aliud quid graue commisisse à Religione eijci possint exuti habitu Regulari, refert Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Cum in Ecclesijs n. 5. de maior. & obed.* Vbi etiam ait, quod visum fuit respondendum professionem valere, cum illa conditio non sit contra substantiam professionis. Tum quia illa conditio potest interpretari, ita vt nec etiam contineat iniustitiam. Nam vt aduertunt Panorm. *ad cap. Insinuante num. 6. de his, qui vi,* Angel. *v. Religiosus num. 13.* Syluest. *v. Religio 3. num. 8.* verba apposita in contractu professionis debent intelligi secundum naturam illius vi *li-*

vnetu princ. ff. locati, maximè vt res potius valeat quam pereat l. quoties ff. de verb. oblig. & cap. Abbate de verb. signif. etiam improprijatis verbis, vndè concludit Panor. quod si quis profiteatur sub conditione habendi proprium intelligi debere reseruare tanquam obedientiarium Monasterij. Et sic huiusmodi professionem intelligit Rota dec. 116. p. 1. diuers. Sic in proposito illa conditio intelligi forsan debet, si ille qui vota fregit, aut graue aliquid commisit, nolit corrigi nec pœnitentiam recipere iuxta instituta Religionis, quo casu iuxta supra explicata etiam de iure communi eijci potuisset. Vmber in Reg. S. Aug. cap. 99. Ex quibus, & alijs per eum ibid. adductis ait resolutum fuisse validam esse professionem, & conditionem appositam seu pactum, vel reduci ad sensum congruum, vel vitiari, & non vitiare professionem. Quia tamen eo pacto Superiores Regulares occasionem captare possunt sæuiendi in Regulares, & facilè eos eijciendi, quod multa mala parit, & reprehenditur ab Vmbert. d. cap. 99. expediret interdicere Prælatis, ne deinceps cum tali pacto aliquem reciperent ad professionem. Quod si aliqui electi, qui vxores duxerint, audiri vellent, æquum esset eos audire. Cuius autem fuerit hæc resolutio, non dicitur ibi, & ex ibi dictis num. 9. approbatur sententia docens conditionem non vitiare, & irritare professionem etiam si sit contra substantiam. Sed in his cum omnino attendi debeat voluntas, & intentio vouentis, & si intentio profitentis, vel recipientis sit vt sub aliquo casu futuro contingenti nimirum in casu violationis voti Religiosus ita possit eijci, vt maneat absolutus à votis, & à vinculo professionis, ita vt possit vxorem ducere, implicat in terminis dicere, quod talis professio sit professio, cum in tali casu nec vouens, nec recipiens professionem intendat ex vi talis quasi contractus contrahi obligationem perpetuam, & indissolubilem, at verò de substantia professionis sit obligatio perpetua, & indissolubilis, vt ibidem dicitur num. 11. Et sicut matrimonium carnale non potest contrahi ad tempus sic nec professio, quæ est spirituale coniugium, cum status Religiosus perpetuitatem postulet iuxta D. T. supra q. 184 vnde est quod de ratione eius est, quod paupertas, castitas, & obedientia voto perpetuo firmentur, vt docet idem D.T. supra q. 186. Ideò cum tali conditione sic intellecta stare non potest professio valida. Nec est vnde Io. Andr. num 9. cap. fin. de cond. apposit. vel quicumque alius dicat, quod pactum, vel conditio iniusta non dissoluat obligationem factam Deo, quia si conditio sit contra substantiam quasi contractus, illud dictum implicat in terminis; quia nec Deo, nec hominibus quis se obligat per votum, nisi quantum, & quomodo, & pro quando vult, & intendit se obligare, vt est certissima conclusio Theologorum, & Canonistarum & tradit D. T. supra q. 88. Et ideò simul implicat, quod quis intendat se obligare Deo ad tempus seu obligatione dissolubili sub contingenti conditione, & quod simul intendat profiteri, cum profiteri sit se obligare in perpetuum, & indissolubiliter. Et vbi quasi contrahentes declarant suam intentionem, & intentio eadem fuit significata per verba sumpta in eorum propria, & communi significatione non est vnde verba sint improprianda, & intentioni, & declarationi quasi contrahentium est standum. Et sic vbi constet conditionem, & pactum aduersari substantiæ professionis non est dubitandum de inualiditate illius. Et propterea bene resolutum fuit, quod si aliquis ex supradictis electis, qui vxorem duxerint, audiri vellent æquum esset illos audire, vt nimirum de eorum intentione, & mente dum professi fuerunt constare posset; & apparere an conditio apposita ex eorum mente fuisset contra substantiam professionis; nam hoc constito, non remanet dubium de inualiditate professionis, cæterum illa conditio etiam in sensu non contraria substantiæ professionis non ita de facili potest interpretari, vt non sit illicita, & abijcienda.

243. Vbi igitur adsit consensus absolutus tam profitentis, quam Religionis de præsenti acceptantis, necesse est, quod huiusmodi consensus internus exterius exprimatur per aliquod signum sensibile, quia de substantia professionis in statu Religionis visibili, & Ecclesiæ manifesto est consensus sensibiliter expressus. Et præterea cum homines non videant mentem, & in mutuo contractu necesse sit, vt vterque contrahentium percipiat alterius consensum, non potest iniri contractus professionis inter hominem profitentem, & inter Religionem admittentem, nisi sensibiliter exprimatur. Communiter verò debet exprimi per verba, si hoc sit possibile, quia hic est modus à natura institutus, & vsu communi receptus per quem homines adinuicem loquuntur, & suas intentiones manifestant. Nihilominus essentialiter sufficit, vt fiat quocumque modo per signa externa quæcumque, & per nutus, vnde & per mutus posset quis profiteri, vt supra etiam dictum fuit. Suarez d. cap. 12. num. 2. Marian. Socin. cons. 62. num. 13. & 14. Fagnan. cap. Vidua num. 14. de regul. Lezana par. 1. cap. 2. numero 29. Tambur. tom. 3. distin. 6. quæst. 22. num. 8.

244. Est verò ita necessaria hæc sensibilis expressio, vt qui tacite est professus possit cogi ad expresse sensibiliter profitendum, & vt posterius professio probari cap. fin. 20. q. 1. Cum enim tacite professus iam sit Religiosus potest religio illum compellere ad præstandum id, quod ius prescribit, vt inita professio probari possit cap. ex parte, vbi Gloss. final. de regul. Fagnan. cap. Quia ingredientibus num. 32. de testam. Et quia est æqualis conditio etiam professi, potest, & ipse compellere Religionem ad acceptandam expresse eius professionem, vt de ea nullum dubium remaneat, maxime cum nequeat esse Prælatus, nisi qui est expresse professus, cap. nullus, de elect. in 6. Ita Abbas cap. cum causam, de elec. in 6. num. 7. & 8. Greg. Lopez cap. 2. in fin. tit. 7. p. 1. Sanchez lib. 3. mor. cap. 3. num. 6. Vbi tamen esset consuetudo profitendi tacite per solemnem susceptionem veli, vel simili modo, non posset compelli ad magis expressum professionem, nisi ex aliqua vrgente causa.

245. Communiter etiam dicitur, quod professio debet fieri, aut verbo, aut scripto cap. vidua 20. q. 1. Glossa ibi Syl. v. Religio 3. q. 1. Ta-

bien. *v. nouit. q.* 11, *num.* 12. Rosell. *num.* 22. Ang. Armill. *num.* 14. Angelus *v. professio num.* 1. Greg. Lopez *l.* 2, *tit.* 7. *p.* 1. Sanchez *l.* 5. *mor. c.* 3. *num.* 5. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *q.* 4. Suarez *d. cap.* 12. *num.* 3. ad valorem enim professionis non est necessaria scriptura, satis enim est, vt aliunde constet de animo profitentis, nec obstat *cap. Vidua*, quia ibi scriptura requiritur ad cautelam Gloss. *ad d. cap. Vidua v. a scriptis*, & ibi Hugo, & Turrecrem *num.* 1. Panorm. *ad cap. Porrectum not.* 2. & ibi Faguan. *num.* 10. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 22. *num.* 2. *Rota in Meten. Profess.* 2. *Iunij* 1636. *Coram Carillo, num.* 2.

246. An verò sola scriptura sufficiat sine verbo, quia Syl. loco citato ait, quod professio fieri potest, aut verbo, aut scripto colligunt Suarez *num* 4. & Tambur. loco citato, quod sufficit sola scriptura, si is, qui profitetur illam tradat animo profitendi, & eodem animo recipiatur ab admittente ad professionem. Sed non est possibile hoc fieri posse sine aliquo verbo, vel signo per quod exprimatur animus profitendi, quem non exprimit sola traditio scripturæ. Et alias imprudentissimus modus accipiendi professionem illa esset, vt ibidem Suarez aduertit. Et vsus communis est, vt vbi adhibetur scriptura, legatur ab eo, qui profitetur. Dicitur etiam, quod seruari debeat forma profitendi in quacumque Religione præscripta; diuersæ enim Religiones habent diuersas formas profitendi, quarum plures refert Bordon. *resol.* 93. Et inter eas ponit formam seruandam in ordine Prædicatorum, quam dicit expeditissimam, & notat obligare ad obedientiam secundum regulam Sancti Augustini, licet hoc in forma profitendi non reperiatur, sed fallitur, quoniam in forma profitendi, quæ habetur *in const. huius Ord. dist.* 1. & quæ est in vsu expresse exprimitur obedientia secundum regulam S. Augustini & institutiones ordinis Prædicatorum, & ex hoc etiam notauit D. T. supra hanc formam professionis fieri cum prudenti cautella, quia non promittitur regula, neque vita secundum regulam, sed obedientia secundum regulam. Cum igitur variæ sint formæ professionum pro Religionum varietate, in vnaquaque Religione fieri debet professio iuxta formam illius Sanchez *l.* 3. *mor. cap.* 3. *num.* 3. Suarez *d. cap.* 13. *num.* 2. Donatus *d. q.* 4. De his verò formis profitendi videri possunt Lap. *all.* 129. Syluest. *v. rel.* 3. *q.* 1. Innoc. Hostien. & DD. *in cap. Porrectum de Regul.* Et nihilominus valida esset professio non seruata forma profitendi statuta in Religione, nisi ex statuto irritaretur professio aliter facta, quia substantialiter sufficit, quod qui profitetur suum votum exprimat sub quacumque forma. Ideò Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Porrectum num.* 44. *de Regular.* ait, quod non obstante quacumque forma profitendi statuta in Religione tacite profitetur, qui se tradit Abbati in Monachum, & in Fratrem, & nihilominus tamen posset ex statuto Apostolico, vel à Sede Apostolica confirmato induci aliqua forma, vt substantialis, & ita quod professio aliter facta esset nulla, potest enim Papa infringere professionem, vt obligationem non inducat *cap.* 1. *de Relig. dom. in* 6. *cap. non solum*, & ibi Gemin. *in* 15. *notab. de regul. in* 6. *Concil. Trid. sess.* 25. *c.* 15. *de regul.*

247. Cum verò ex parte profitentium sint institutæ plures formæ profitendi, ex parte superioris admittentis nulla dantur expressa verba, saltē communiter loquendo, quibus exprimat consensum, sed satis illum exprimere censetur, si post interrogationes factas nouitio iubet illum accedere ad profitendum, & illi actui assistit nomine Religionis, & expressionem sui consensus tradit iuxta cuiuscumque ordinis ritum. Suarez *d. cap.* 12. *num.* 2. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 22. *num.* 2. In ordine Prædicatorum superior satis exprimit consensum, dum post legitimas interrogationes factas nouitio proferens hæc verba, omnipotens, qui incœpit, ipse perficiat, ostendit ex parte sui consentire, & nouitij ante eum genua flectentis audit professionem lectam ex libro constitutionum, quē superior tenet in manibus, & post lectam professionem, professum recipit ad amplexum. Quod si contingeret emitti professionem, sed non sub eisdem verbis contentis in forma scripta in constitutionibus, non per hoc professio esset inualida, quia constitutio illam non irritat. Alias verò sufficit professionem sub quibuscumque verbis exprimere Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 7. Sanchez *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 4. *Rota dec.* 83. *num.* 21. *Coram* Rojas.

248. Diuersi etiam ritus seruandi sunt iuxta cuiuscumque Religionis statuta, & illæ preces persoluendæ, seu psalmodia, & cantus, & ceremoniæ, quas vnaquæque Religio instituit. In Ordine Militum S. Io. ad professionem præmitti debet assumptio cinguli Militaris. Et quamuis hoc non esse de substantia professionis dixerit Lexana *cons.* 5. tamen contrarium decisum fuit, & ideò professionem eo non præmisso factam esse nullam late probat Reuerendiss. Fagnan. & idem dixerunt Diana *p.* 10. *tr.* 10. per totum, Bordon. *tom.* 2. *resol.* 100. Coron. *l.* 4 *contr.* 4. *a.* 7.

249. Verum quæ hic dicta sunt de scriptura, forma, & ritibus accidentaria sunt ad valorem professionis, neque sunt de substantia illius, vt bene tradunt Abbas *cap. porrectum, de regular. num.* 3. Syl. *v. religio* 3. *q.* 18. Ang. *v. professio*, & satis clare habetur ex *dic. cap. porrectum.* Si tamen daretur Religio approbata à Sede Apostolica, aliquid huiusmodi requirens tanquam de substantia, id esset ad valorem professionis necessarium Suarez *d. cap.* 12. *num.* 3. Sanchez *l.* 5. *c.* 3. *num* 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 7. Bord. *cap.* 1. *q.* 12. Et tamen etiam hoc casu dato sola peruersio ordinis verborum, quamuis esset aliquale peccatum, si fieret sine rationabili causa, non tamen irritaret professionem. In ordine Prædicatorum non est vsus scripturæ alicuius in actu professionis, sed ex libro Constitutionum nouitius legit professionem, nulla eius scriptura, vel subscriptione requisita. Quamuis postea teneatur in libro professionum se subscribere, & fidem facere de sua professione.

250. In hac etiam professionis forma non est necesse exprimere determinatè, quid promittitur, & licet vita casta, & sine proprio sit de substantia Religiosi status, & ad eam omnis Religio teneatur, nihilominus sufficit exprimere obedientiam, & eius determinationem veluti formalem, quæ est determinatio generica sumpta ex regula

seu

seu constitutionibus Religionis ad quam professus admittitur, & ita id quod exprimi debet est obedientia secundum regulam, vel constitutiones. Ita plures Religiones sunt, quæ vt videri potest ex formis profitendi, quas refert Bordon. *d. resol.* 92. non exprimunt in professione nisi promissionem obedientiæ secundum regulam, nimirum Religiosi Canonicorum Regularium S. Saluatoris, Cassinensium S. Benedicti, Cisterciensium, Camaldulensium, Oliuetanorum, Basilianorum, Iesuitarum, & ordin. Prædicatorum: sub voto enim obedientiæ secundum regulam, & constitutiones Religiosis continetur votum castitatis, & paupertatis, quia obedientia reliquas virtutes regit & custodit ex D. T. supra q. 104. a. 3. Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 25. *num.* 22. *&* *l.* 5. *mor. cap.* 4. *nu.* 85. Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 6. *cap.* 12. *num.* 6. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *quæst.* 8. Bordon. *de profess. cap.* 1. *q.* 11. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 17. *a.* 4. Imò absolutè, & essentialiter loquendo neque est necessaria expressio obedientiæ sed sufficit, quod qualitercumque sufficienter exprimatur promissio vitæ regularis, vt si quis diceret trado me in Monachum, vel Religiosum talis Religionis, & hoc voueo, vt habetur *ex cap. porrectum de regularibus*, & tradunt Abb. ibi *num.* 13. Barbosa *num.* 9. Syl. *v. religio* 3. *q.* 1. *&* 18. Azor. *l.* 15. *cap.* 5. *q.* 7. Sanchez *l.* 5. *mor. cap.* 3. *num.* 4. Suarez *d. cap.* 12. *n.* 6.

251. Ex alia verò parte necessaria est essentialiter talis forma, & expressio per quam ad minus implicitè castitas paupertas, & obedientia promittantur, quia nec est religio approbata nisi hæc tria promittantur, nec est solemne votum, nisi illud per quod eadem vouentur *cap. vnic. voto in* 6. Syl. *v. religio* 3. *q.* 18. Tabien. *v. professio q.* 1. *num.* 2. Armill. *num.* 1. Angel. *num.* 1. Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 25. *num.* 21. *&* *l.* 5. *mor. cap.* 85. Suarez *d. cap.* 12. *num.* 6. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *qu.* 12. *num.* 5.

252. Antiquitus verò non erat necessarium ad substantiam professionis, vt fieret in habitu eius Religionis in qua quis profitetur, quia non habitus facit Monachum, sed professio. Hodie tamen ad nouitiatum validum necessaria est delatio Religiosi habitus, vt supra probatum est. Et nihilominus huiusmodi habitus gestatio non est essentialis actui professionis, vnde bene valeret professio facta ab aliquo in habitu sæculari, quamuis iste ad gestandum habitum teneretur, sicut alij professi. Non enim habitus est de substantia Religiosi. Suarez *d. c.* 12. *n.* 24.

253. Similiter quod professio fiat coram testibus est valde conueniens, & sicut clandestina matrimonia fuerunt semper ab Ecclesia improbata, ita & clandestinæ professiones, non possunt laudari, cum ex illis sacrilegia, & apostasiæ facile sequi possint. Nihilominus nulla lex est generalis, quæ clandestinas professiones irritas esse decernat. In Religione Societatis tanquam essentiale habetur, vt vota legantur coram ijs de Societate, & externis, qui adfuerint. In alijs etiam Religionibus professiones publicæ fiunt. In ordine Prædicatorum consueuerunt fieri in capitulo coram toto Conuentu. Palud. autem *in* 4. *d.* 38. *q.* 2. *distinc.* 8. vult quod professio debeat fieri præsentibus duabus partibus Conuentus, & maiori parte consentiente, & quod aliter facta non teneat sed hoc non probatur, nec locum habet nisi forsan in aliqua Religione sit speciale statutum hoc decernens, sed de iure communi Clandestina professio est valida Suarez *d. cap.* 12. *num.* 5. Bordon. *d. res.* 57. *num.* 76. *&* 86. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 22. *num.* 4. Ad probandam enim professionem, maximè vtiles sunt testes, quibus standum est si deficiat scriptura professionis *cap. super* 52. vbi Gloss. *v. ordinis*, de Testibus, & ibi Abb. *col.* 1. *ver. nota*, quòd per professionem, Felin. *in princ. num.* 1. Gloss. *v. scriptis in cap. Vidua* 20. *q.* 1. *Rota coram* Greg. 15. *dec.* 385. *num.* 1. *&* 2. *& in Meten. profess. num.* 2. 2. *Iuny* 1636. *coram* Casillo, Riec. in praxi *dec.* 437. *num.* 3. Frsiech. *dec.* 364. *num.* 1. Nam cum scriptura non sit de substantia professionis, sed ad bene esse ad probationem facti, non potest requiri tanquam necessaria stante probatione testium, quæ fortior est, cum fiat per viuam vocem Gloss. *in cap.* 3. *v. loco, de probat.* Bald. in Robr. *C. eod. tit. num.* 5. Alex. *cons.* 3. *n.* 5. *vol.* 3. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *q.* 5. Sic enim & in casu contento in *cap. Porrectum de Regular.* valida fuit professio sine scriptura. Nihilominus tamen vtilis, & efficax est scriptura publica, & authentica ad probandam professionem, instrumentum enim concludenter professionem probat. *Rota decis.* 214. *num.* 3. *& dec.* 194. *p.* 8. *recen. & decis.* 83. *num.* 8. *coram* Roias. & ad professionem probandam valet etiam liber Monasterij, si eius scriptura non sit vitiata. Nam *Rota dicta decis.* 83. *num.* 2. Coram Roias reiecit scripturam libri vnius Monasterij continentem cassaturam circa diem, mensem, & annum cum apostilla super lineata, in qua aderat 20. Octobris in præsenti adesse 20. Nouembr. sine approbatione notarij, quæ cassatio, & apostilla in parte substantiali prout est dies, mensis, & annus vitiant instrumentum, per textum *in l. si vnus*, Vbi Bartol. Bald. & alij DD. *ff. de testibus* Bero *Consil.* 90. *num.* 7. *&* 14. *vol.* 4. Et eo magis, quod cassatio erat diuersi atramenti, quod reddit scripturam suspectam, in ciuilibus verò sola suspicio falsitatis scripturæ sufficit ad retardandam executionem, & tollendam fidem Scord. *cons.* 6. *num.* 4. Greg. 15. *decis.* 346. *num.* 21. Plura quoque ad rem hanc facientia habentur *in d. decis.* 83. coram Roias. Et ibi inter alia *num.* 28. habetur, quod præsumptio stat pro validitate professionis ex Nauar. *cons.* 103. *nu.* 10. *de Regular.* Sanchez. *l.* 5. *cap.* 4. *num.* 12. & præcisè stante obseruantia postea secuta, præsumuntur omnia præcessisse necessaria ad valorem professionis Menoch. *con.* 396. *n. vlt.*

254. Ad probandam verò professionem quicumque testes siue Religiosi, siue etiam professi consanguinei idonei sunt Bordon. *num.* 87. Optime vero ad veritatis professionis probationem authenticam ordinatum est per Clementem Octauum, in Const. quæ incipit, cum ad regularem disciplinam, vt in quolibet Conuentu Nouitiatus habeatur liber in quo scribatur professio nouitiorum sub die, & anno in quo illam emiserunt, & quod nouitius se subscribat simul cum duobus testibus, qui professione præsentes fuerint. Ideo hic professionis liber tanquam authentica scriptura, probat in foro externo, sicut & libri

bri baptismales, & Matrimoniales Bor. *ref.* 57. *num.* 134.

255. An verò ad professionem habendam validè necessarius sit locus aliquis, vel etiam tempus, dubitari posset ex vi decretorum Concil. Triden. & respectiue Clementis Octaui. Nimirum an necesse sit professionem fieri in conuentu deputato pro nouitiatu, & an professio statim debeat fieri post expletum annum probationis. Sed de his videri possunt dicta supra in tractatu de nouitiatu. Nimirum de prima *quaest. num.* 37. *& seqq. & de secunda num. & seqq.* Quantum ad tempus considerandum, quod Nauar. *conf.* 44. *de Regul.* dixit peccatum esse profiteri post cœnam & Naidus *v. professio num.* 10. apud Bord. intelligit Nauar. vt indicauerit id esse peccatum mortale. Sed vt aduertit Bord. *cap.* 2. *q.* 49. Nauar. non dixit id esse peccatum mortale, sed solum esse peccatum. Et nihillominus, neque hoc est verum, quia licet professio sit actus heroicus bene potest haberi post cœnam nec adest lex, quæ hoc prohibeat.

256. His suppositis datur locus quæstioni an professio etiam nunc possit fieri per procuratorem, seu per litteras. Si enim non posset fieri professio professuro existente extra Conuentum nouitiatus, non esset locus eam faciendi per procuratorem, vel per literas, quia nouitius esset præsens, & eius præsentia in eo loco esset necessaria. Sed cum professio valide fieri possit, & ex interuallo post annum probationis, & ab existente extra Conuentum in quo debet profiteri, ideò datur locus faciendi professionem medio Procuratore existente in Conuentu in quo contractus professionis debet celebrari, ideò quæritur an illa professio sit valida, & communiter DD. dicunt professionem factam per procuratorem validam esse, quia huiusmodi actus non est de illis, qui *cap. ad agendum, de procurat. in* 6. prohibiri sunt fieri per procuratores, & alias ex regula *cap. potest quis, de regul. in* 6. possunt per procuratorem fieri quæcumque fieri non est interdictum Sylu. *v. Religio* 3. *q.* 15. Tabien. *v. nouitius q.* 11. *num.* 12. Arnill. *num.* 16. Rosell. *num.* 23. Greg. Lopez *l.* 2. *tit.* 7. *p.* 1. Cuccus *l.* 3. *instit. tit.* 1. *nu.* 76. Sà *v. religio num.* 14. Azor. *l.* 12. *cap.* 5. *S.* 5. Rodr. *t.* 1. *q.* 17. *a.* 13. Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 3. *num.* 7. Suarez *d. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 22. Vech. *disp.* 13. *d.* 3. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *q.* 3. Bord. *resol.* 57. *num.* 133. *& cap.* 2. *q.* 31. Miraud. *tom.* 1. *q.* 24. *a.* 1. à S. Fausto *l.* 5. *q.* 200. *&* 201. Lezana *tom.* 1. *cap.* 2. *n.* 29. Lezana *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 29. Donatus *p.* 4. *tract.* 10. *quaest.* 3.

257. Ex similitudine verò professionis ad matrimonium, quod etiam per procuratorem fieri potest, & quia argumentum à matrimonio ad professionem fieri valet *cap. inter corporalia, de translat.* deducunt Rodriq. Sanchez. Bordon. & alij hunc Procuratorem debere habere quinque conditiones, quas debet habere procurator ad matrimonium, nimirum quod procurator habeat mandatum speciale ad profitendum, & pro Religione determinata, & quod per se ipsum exequatur, nisi habeat facultatem substituendi, & quod tempore executionis non sit reuocata potestas, & quod institutio procuratoris non sit facta ex metu graui. Verum melius admonet Suarez *d. num.* 22. similitudinem matrimonij, & professionis non currere, neque ex illo ad istam desumi validum argumentum, nisi in illis, quæ conueniunt matrimonio de iure naturali, non verò in illis, quæ statuta sunt in illo de iure positiuo, cum statuta de casu ad casum longe diuersum non extendantur, & euidens sit multa esse statuta de matrimonio, quæ de professione non valent, & econtra. Ideò ad huiusmodi procuratorem non sunt necessaria nisi, quæ ex lege naturali, vel speciali positiua absolute de procuratoribus, aut de procuratore ad profitendum sint statuta.

258. Ideò verum est, quod si antequam Procurator exequatur actum professionis, qui instituit procuratorem mutet voluntatem, & dissentiat etiam nesciente Procuratore, & Conuentu, etiam si iurauerit non mutare voluntatem, professio est irrita, quia professio non est valida, si sit inuita; & quicumque potest mutare voluntatem profitendi in quocumque tempore antequam profiteatur, sicut econtra, si dum quis instituit procuratorem ad profitendum, fictè egit, & non habuit voluntatem profitendi, & postea mutatur, & tempore professionis habet profitendi voluntatem valida est professio. Sicut valebit professio si qui ex voluntate profitendi procuratorem instituit, tempore postea professionis, nec consentiat, nec dissentiat, siue de hoc cogitet, aut non cogitet, quia non reuocato consensu, seu non mutata voluntate libere vult, & profitetur, qui per procuratorem suum profitetur. Sed an sit necessarium mandatum speciale ad profitendum, non est certum, quia non est certum an hoc sit necessarium ex natura rei; quamuis, vt habet Suarez *num.* 23. hoc sit securius dicere, quod actio tam specialis, sicuti est professio, non comprehendatur moraliter sub mandato generali. In hoc tamen procuratore non requiri determinatum sexum, vel ætatem nec certum internallum à die dati mandati ad diem executæ professionis nec esse necessarium, vt sit institutus per scripturam tradit idem Sanchez *num.* 9. 10. *&* 11. Vnde mulier pro virò, & vir pro muliere, & puer, vel puella vsum rationis habens possent esse in hoc casu procuratores, etiam si viua voce sine scriptura instituti essent. Pariter posset aliquem profiteri per literas traditur ex eo, quod etiam matrimonium hoc modo fieri potest, & non est prohibitum eodem modo fieri professionem, & contractus per literas iniri possunt. Suarez *d. n.* 24.

259. Quando autem professio facta fuerit, iuxta supradicta seruata forma legitima profitendi, finis extrinsecus quicumque etiam si indiferens, vel malus non annullat professionem, vnde ex intentione finis, vel indifferentis, vel turpis non redditur irrita professio, si profitens vere consentit in professionem sicut, & conuentus. Palud. 4. *d.* 26. *q.* 3. Syl. *v. religio* 3. *q.* 6. Abb. *in cap. vt Clerici de Regular.* Sanchez *l.* 5. *mor. cap.* 4. *nu.* 83. Suarez *d. l.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. Donatus *par.* 4. *tr.* 11. *q.* 15. Bordon. *r.* 2. *q.* 28. Quamuis non profiteri ex animo inseruiendi Deo in statu perfectionis sit malum, quia non fit actus eo fine, quo fieri debet,

Hic

260. Hic tandem vltimo quæri potest an professio Mulierum specie distinguatur à professione virorum. Negat enim Donatus p. 4. tr. 10. q. 27. quia vtrique Deo se tradunt, & propter eundem finem, & per eadem media, scilicet per obseruantiam paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Verum aliter dicendum est si velimus dicere, quod Religiones omnes morali quadam specie distinguntur, & non sint omnes vna Religio. Nam si spectemus finem primum, & media quædam generalia, conueniunt omnes Religiones in fine, qui est perfectio vitæ spiritualis consistens præcipuè in perfectione charitatis: conueniunt & in medijs generalibus electis ad finis consecutionem, nimirum in paupertate, castitate, & obedientia. Verum stante hac conuenientia distinguuntur quadam specie morali Religiones ex fine proximo, & ex modo paupertatis, & materia obedientiæ, & medijs ad castitatem seruandam statutis, vnde iuxta communem modum loquendi, vbi est diuersa regula ibi est Religio morali specie distincta, ideoque & distincta professio, cuius distinctio attendi debet non ex primo fine, sed ex materia proxima, quæ est promissio, & quasi contractus cum Religione initus, vnde vbi est distincta Religio ibi est distinctus, quasi contractus, ideoque & distincta professio. Et quia Religio Mulierum ex proxima materia obedientiæ & modo seruandi tria vota est valde diuersa à Religione virorum, ideo quadam morali specie distinguitur. Et propter hoc non licet viro profiteri in Religione mulierum, quia hæc non est pro illis approbata, vt diximus supra, & notat Suarez d. l. 6. c. 12. n. 25. & huiusmodi professiones sicut, & Religiones morali specie distinguuntur sed de hac distinctione specifica, aut individuali Religionum plura habentur supra q. 188. a. 1.

261. Tandem aduertendum, quod si dubium sit an in professione seruata sit debita forma, vel ex quacumque causa debitatur an professio sit valida, vbi constet de professione iudicandum est esse validam. Sanchez de Matrim. l. 7. d. 37. n. 12. Gratian. discept. 413. num. 14 Nauar. conf. 13. de Regul. à S. Fausto lib. 5. q. 351. num. 1. Tambur tom. 3. d. 6 q. 16. n. 16.

SVMMARIVM.



De

De professione tacita.

INSPECTIO VI.

262. Professio tacita est consensus internus, & internat promissio, & votum confirmans contractum incorporationis professi ad Religionem, vt sensibiliter significatus per facta. Vnde essentialiter conuenit cum professione expressa, eundem enim internum actũ, & consensum portat, sed distinctio est in externo sensibili, quia expressa per verba, aut nutus loquendo fit manifesta, sed in tacita interior consensus manifestatur per facta; ideoque, & dicitur professio præsumpta, quia Ecclesia præsumit eum professum, qui gestat habitum Religiosum, & se ingerit proprijs professorum actionibus. De hac verò professione loquuntur *c. Quod interrog. 6. dist. 27. Quem progenitores 5. & Deuotis 8. 20. q. 1. Viduas 16. Vidua 35. 27. q. 1. Vidua 4. ad nostrum 8. super eo 9. cum simus 14. sicut nobis 17. ex parte 22. de Regularibus, & cap. 1. 2. & 3. in 6. eod. titulo.* Hunc verò modum profitendi tacitè non esse ablatum per Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 15.* supra probatum est ex communi sensu DD.

263. Hoc tamen primò de hac eadem professione asseritur, eam scilicet non habere locum vbi eam non habet professio expressa, & ex eisdem causis reddi illicitam, vel irritam, quia vt dictum est essentialiter ab expressa non distinguitur Syl. *v. Religio 3. q. 19.* Rodriq. *t. 3. q. 17. a. 1.* & cæteri communiter.

264. In alijs etiam casibus specialiter non habet locum, nimirum si in Religione aliqua sit statutum authoritate Apostolica confirmatum, quod professio sit irrita, nisi fiat sub forma verborum, quia ea vi talis statuti non est valida professio, nisi fiat per verba, & per verba illa à statuto determinata. Bordon. *contron. 20. num. 4.* Videndum tamen esset an statutum intendat excludere muros, & omnem professionem non factam per verba, an potius determinet modum regulariter profitendi, non excludendo professionem per nutus, & per facta. Cum verò Pereg *consil 16. num. 4. l. 5.* senserit professionem tacitam non habere locum in Religione Equitum Hierosol. meritò ex declarat S. Congreg. Concilij reijcit eum Reuerendiss. Fagnan. *cap. Qui Presbiterum n. 103. de Poenit. & Remiss.* Nam S. Cong. proposito dubio, an sit locus tacitæ professioni inter Milites Religionis Hierosolymitanæ degentes extra Conuentum Hospitalis Meliten. Respondit indistinctè esse locum professioni tacitæ iuxta iuris dispositionem, & comprehendi *cap. 19. sess. 25. Concil. Trid. de Regular.* Si etiam in aliqua Religione sit statutum, vel consuetudo per quod decernatur, vt quicumque non expressè professus possit eijci, in ea Religione non valebit tacita professio Nauar. *consil. 20. de regular.* Sanchez *l. 5. mor. cap. 3. n. vlt.* Bordon. *contr. 20. num. 13.* Lezana *v. professio. num. 6.* In hoc enim casu Conuentus tacite professioni non consentit, & æqualitas vult, vt neque nouitius ex parte sua necessitetur vt maneat, si Religio potest illum eijcere. Quod eo amplius erit certum, si detur statutum legitimum expressè irritans omnem modum tacitè profitendi.

265. Sed quamuis professio tacita admitti debeat, & valeat, parum tamen esse in vsu, & de raro contingere, imò rarissimè quempiam tacitè solum, & validè profiteri dicunt Sanchez *d. l. 5. c. 3. num. 13.* Vechius *disp. 13. dub. 8. num. 1.* Bord. *contr. 20. n. 3.* Verum cũ de facto sæpissime contingat, vt per horam vel horas aliquas nouitij modo prius tacitè profiteantur, quam expressè, quia non in puncto anni probationis expleti admittuntur nouitij ad professionem, quamuis vix dari possit casus, quod nouitius non profiteatur etiam expressè perfecta ætate, & completo anno probationis. Et nihilominus casus contingere potest, vt superior negligens permittat nouitium terminato anno probationis tacitè profiteri etiam si alias indignus, & postea non possit illum eijcere etiam si velit. Ideò nec verum est, quod ex Homob. refert Bordon *c. 1. q. 31.* nimirum, quod professio tacita non sit in vsu, quia imò communissimè fit, dum regulariter nouitij in puncto expleti anni probationis non admittuntur ad expressam professionem, & tamen ab eo puncto censentur professi, & ab eo puncto incipit præeminentia illorum in ordine, & priuilegium professorum. Vnde nec verum est, quod addit idem Bordon. nimirum, quod exclusa fuerit professio tacita per exercitiũ actuum propriorum professorum per decretum Clem. 8. *de instit. Nouit. §. ad hoc.* Vbi mandat nouitios professos manere in eodem loco, *vel alio* deputato ad professorium, & interim eos non se intromittere in negotijs communibus Conuentuum, quia non irritat si aliter fiat, nec tollit ab ab exercitio actuum vim significatiuam actus internæ professionis, quod sufficit ad tacite profitendum. Non est ergo ablata professio tacita, sed tamen expressa fieri debet, & ita & nouitius potest instare, & compellere superiorem ad hoc, vt admittat eum ad professionem expressam, & superior potest cogere professum tacite, vt profiteatur expressè Bord. *c. 2. q. 40.*

266. Præter ætatem verò necessariam, & terminatum annum nouitiatus, & alias multas conditiones necessarias ad professionem expressam, quæ etiam ad tacitam requiruntur quatuor singulariter aduertuntur esse necessaria ad validè profitendum tacite. Prima est vt actus per quem professio induci dicitur fiat authoritate, & consensu eius, nimirum sciente, & consentiente, eo ad quem spectat admittere ad professionem. Nam ad professionem consensus superioris admittentis requiritur, qui consensus neque est neque præsumi potest, si nouitius vel habitum proprium professorum, vel actibus professorum proprijs se ingerat superiore inuito, vel nesciente D. T. *4. d. 38. q. 1. a. 2. q. 3. ad secundum.* Abbas *cap. vidua num. 5. de Regul.* Card. *cap. porrectum, eod. tit.* Syl. *v. Religio 3. q. 19.* initio Tabien. *v. nouitius q. 5. num. 6.* Armil. *num. 7.* Angelus *num. 13.* Nauar. *comment. 4. de regul. num. 73. & 74.* Rodriq. *t. 3. q. 17. num. 1.* Azor. *l. 12.* Inst. *cap. 2. q. 3. & cap. 4. q. 3.* Sanchez *l. 5. mor. c. 3. num. 14.* Donatus *p. 4. tr. 10. q. 20.* Bord. *contr. 20. num. 11. & cap. 1. q. 28.*

Reue-

rendiss. Fagnan. *ad d. cap. Vidua, num.* 31. Lezana *v. professio.num.* 5. Ex hac verò prima conditione colligitur, quod in Italia, & Insulis adiacentibus qui non habuerunt nouitiatum in coenobiis deputatis, nunquam incurrunt professionem tacitam, quia eorum professio à summo Pontifice reijcitur. Lezana *num.* 6.

267. Secunda conditio est vt actus inductiuos professionis sit exercenti voluntarius, nec ad id per vim, & metum nouitius compellatur. Ità citati DD. & habetur clare *ex cap. Vidua* 4. *de regular.* & ratio est, quis professio vi vel metu graui extorta est nulla, vt probatum est *supra cap. Vidua*, & ibi Fagnan. *num.* 28. post Io. Andr. *num.* 4. & Innoc. & Hostien. *in princip.* Lezana *d. num.* 5.

268. Tertia conditio est, vt idem actus habeatur scienter. Duplex autem scientia hic potest desiderari. Prima scilicet, vt sciatur illum actum esse proprium professorum. Nequit enim præsumi voluntas profitendi ex eo quod aliquis agat id, quod in eius notitia non est proprius professorum. Ita DD. citati, Secunda scientia est, vt sciat exercitium illius actus esse inductiuum professionis, quia non profitetur scienter, qui nescit suos actus esse inductiuos professionis, & ius ex illis præsumere professionem. Ità Sylu. Tabien. Armill. Angelus, Rodriq. Nauar. Sanchez *nu.* 16. Donatus citati Vech. *d. s. dub.* 8. *n.* 7. Tamb. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 13. *num.* 9. Barbosa *l.* 1. *Iuris Eccl. cap.* 42. *nu.* 160. Bordon. *cap.* 1. *qu.* 28. Reuerendiss. Fagnan. *cap. Vidua num.* 29. *de Regul. post* Io. Andr. ibid. *num.* 2. Innoc. *num.* 2. Hostien. *num.* 6. Panorm. *num.* 7. Nauar. *consf.* 9. *de ijs, qua vi, &c.* Palaus *tr.* 16. *disp.* 2. *p.* 1. *num.* 8. Lezanad. *num.* 5. Nihilominus Suarez *tom.* 3 *de Relig. l.* 6. *c.* 19. *num.* 16. putat hanc scientiam desiderari in foro conscientiæ, sed in foro externo præsumi posse professionem ex hoc solo, quod nouitius sciuerit actum quem facit esse proprium professorum. Sed in hoc non debet distingui forum externum à foro interno, quia in nullo foro professio sine consensu est valida. Nec voluntas profitendi sufficienter præsumi potest, nisi per actû qui veniat ex animo profitendi, at verò vbi quis verè nesciat ius hoc, scilicet quod exercitium huius vel illius actus ex iure inducit professionem, ex talia actus exercitio non potest colligi animus profitendi, quia nec talis actus ex voluntate profitendi procedere potest. Et licet verum sit, quod allegauti ignorantiam incumbit eam probare, hoc est verum etiam de priori ignorantia, & vere qui vtrumque dictorum nescit ex vi suæ actionis non est tacitè professus.

269. Quarta conditio est, vt exercens actum inductiuum professionis habeat intentionem profitendi, & ita vt non sufficit eum negatiue se habere, sed necesse est vt positiue velit professionem. quia hoc est de essentia professionis absolutè. Nauar. *commen.* 4. *de Regul. num.* 75. Sanchez *d. c.* 3. *n.* 7. Bord. *contr.* 20. *num.* 11. *&* *c.* 1. *q.* 28. Donatus *dict. q.* 20 Reuerendiss. Fagnan. *cap. Vidua num.* 30. *de Regul.* Lezana *d. num.* 5. *&* *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 9. Tambur. *d q.* 13. *num.* 9.

270. Excluditur autem omnis præsumptio professionis tacitæ si vel ex parte Religionis, vel ex parte Nouitij fiat protestatio per quâ declaretur per exercitium talium actuum non dari voluntatem vel profitendi, vel admittendi professionem. Nam expressus dissensus excludit præsumptum consensum. *Rota dec.* 94. *num.* 5. *p.* 9. *recent.* Neque enim valet, quod in contrarium ex Hostiensi adducitur, quia nimirum immiscere se ijs, quæ professorum sunt est factum contra protestationem, protestatio autem contra factum, & alteri parti non intimata non prodest, quia hic protestatio non est contra factum, exercere enim actus proprios professiorum non est expressa professio, & certa interni consensus in professionem significatio, sed dubia, & præsûpta, vnde protestatio hanc dubietatem tollens, declarat non esse animum profitendi in operante, vel admittendi ast professionem in permittenta tales operationes. Gloss. *Clem. fin. v. professionem de regularibus*, & ibi Card. *num.* 6. Anchar. *num.* 4. Imola *num.* 8. Bonil. *n. penult.* Sylu. *v. religio* 3. *q.* 19. *vers. tertio* inducitur Tabien. *v. nouitius q.* 7. *num.* 8. Aemill. *num.* 10. Rosell. *nu.* 17. *Rota in Meten. profess. quæst.* 579. *num.* 3. *p.* 1. *& dec.* 195. *num.* 18. *tom.* 2. *p.* 4. *recent.* Nauar. *comment.* 4. *de regul. num.* 74. *& consil.* 9. *de his, qua vi. num.* 9. *& cons.* 89. *de regular. num.* 4. Palaus *tr.* 16. *d.* 2 *p.* 1. *nu.* 8. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 2. *num.* 1. Bordon. *contr.* 20. *nu.* 7. *& cap.* 1. *de profess. q.* 36. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *qu.* 24. Et quod hanc partem declarauerit S. Congr. Concilij, refert Reuerendiss. Fagn. *cap. quia ingredientibus, num.* 47. *de testamen.* Quod tamen debet intelligi de protestatione antecedente tempus professionis incurrendæ, & dummodo v.g. qui potestatus fuit, quod ex delatione habitus non intendit incurrere professionem, interim nedû non deferat habitum, sed non se ingerat alijs actibus proprijs professorû, quia in hoc casu licet non ex delatione habitus, ex eo tamen, quod fecit actum professorum proprium est tacitè professus. Fagnan. *c. quia ingredientibus num.* 47. *de testamentis.*

271. His verò sic stantibus, & prætermissis ijs, quæ de iure antiquo sufficiebant ad tacitè profitendum. Dicitur primo, nunc non posse aliquem ante 16. decimum ætatis annum, & ante expletum annum probationis profiteri, vel expresse, vel tacitè, omnis enim professio antea facta nulla est, & inualida ex decreto Concil. Trid. & sic iam cessant omnes illæ disputationes DD. de professione tacita intra annum probationis emissa iuxta commune, & antiquum ius. Sanchez *d. cap.* 3. *num.* 36. Suarez *d. l.* 5. *cap.* 20. *num.* 1. Donatus *p.* 4. *tr.* 10. *qu.* 21.

272. Terminato verò anno 16. ætatis, & integro anno probationis duplex modus tacitè profitendi datur, scilicet vel deferendo habitum Religionis, vel exercendo actus proprios professorum, De horum primo fit mentio *cap. Quod interrogasti d.* 27. *cap. Deuotis.* 20. *q.* 1. *cap. Viduas.* 27. *q.* 1. *cap. de Viduis* 27. *q.* 1. *cap. Ad nostram, cap. super eo, cap. Cum virum, cap. Cum simus, cap. Sicut à nobis, cap. ex parte, de Reg. cap.* 1. 2. *&* 3. *cod. tit. in* 6. De secundo autem præcipuè fit mentio, *cap. quo progenitores.* 20. *q.* 1. vbi legere, & canere in choro supponuntur actus professorum. *cap. Vidua.* 17. *q.* 1. *& cap. Vidua, de Regular.* Sed tertius modus addi potest, qui tamen ad alterum ex duobus reducitur, nimirum receptio tonsuræ, & coronæ à solis professis gestari solitæ. *cap. Nullus, de Regul.* vbi Butr. *num.* 5.

num.5. Fagnan.num.3. qui idem tenent. *cap. Vidua num.15. eod. tit.* Franc. & Gemin. *in cap. Non solum, de Regul. in 6.* quartus modus additur *ex cap. Porrectum, de Regul.* vbi pro professo habitus fuit Canonicus qui tradiderat se Abbati in monachum, & Fratrem. Et ita quod etiam nunc, si Nouitius post nouitiatum se traderet Abbati in monachū, & Fratrem tacitè profiteretur, *ad cap. Porrectum* latè probat Reuerendiss. Fagnan. *num. 40. & sequent.* Sed ego puto, quod hæc esset ferè expressa professio potius, quia tradere se in Monachum est se donare Religioni ad regularem vitam, & sic idem est dicere me trado tibi in monachū, & tibi promitto obedientiam. Verum est, quod in hoc modo profitendi votum factum Deo non exprimitur distinctè, sed continetur, & significatur implicitè, quia traditio in monachum non fit nisi simul vouendo, & promittendo Deo vitam regularem, quia hoc est fieri monachum, & Fratrem. Pariter vim professionis habere, si quis dicat confero me, & mea Monasterio ex *cap. cum simus, de Regul, tradunt.* Hostien. Io. Andr. *num. 1,* Butr. *num. 3.* Ac vero ad professionem monialiū aliquæ aliæ diligentiæ requiruntur, quæ non irritant professionem expressam, neque impediant professionem tacitam vt nō censeatur valida etiā, si illæ diligentiæ fuerint prætermissæ. Palac. *4. d. 38. disp. 1. post 3. conclus.* Sanchez *l. 4. mor. cap. 18. a. n. 83.* Suarez *d. cap. 20. n. 8.*

273. Quantum vero ad primum modum considerátur habitum professorum esse in quadruplici differentia prout colligitur *ex cap. 1. de Regul. in 6. & Clem. Eos eod. tit.* Nam primo aliquando habitus professorum ab habitu nouitiorum est distinctus sensibiliter, ideoque patenter, & manifestè; quia distinguitur vel in colore, quia scilicet vnus est vnius, & alius alterius coloris, vel secundo in scissura; vt in Ord. Minorum Caputium professorum est assutum habitui, non autem nouitiorum vt notat Gloss. *v. in scissura, in Clem. cit.* Tertio in forma, vel figura, vt si vnus altero sit breuior, vel longior, vel si vnus careat aliqua parte, vt apud Canonicos Regulares rochetum nouitiorū caret manicis, & apud Minimos posterior pars capucij plicatur. Et apud Minores tertij Ord. extremis partibus caputij nouitiorum appenditur frustulum panni. His enim tribus modis potest habitus professorum distingui ab habitu nouitiorū patenter, & manifestè. Sed secundò aliquando habitus professorum est distinctus sed non apparenter, & sensibiliter, sed extrinsecè ex aliqua transeunte ceremonia, vt quia habitus professorum benedicitur. Vel quia habitus professis tribuitur in aliquo loco, aut ab aliquo superiore, vel cum aliqua solemnitate particulari. Et sic habitus professorum multiplici ex causa dicitur latenter distingui ab habitu nouitiorum. Vel quia fit benedictus, vel quia datur in Capitulo, & nouitiorum in choro, vel quia datur à Prouinciali, & nouitiorum à Priore; vel quia datur cum solemnitate speciali. Gloss. *in Clem. eos, verb. Deinceps, de Regul.* Boich. *in cap Statuimus. col. 2.* & ibi Fagna. *nu. 12. de Regular.* Vnde habitus benedictus, vel datus in loco, vel cum solemnitate propria, vel à propria persona, cui competit dare habitum professorum, censetur habitus professorum proprius.

Innoc. *ad d. cap. c. statuimus. in fin.* Abbas *antiq. in fin.* Hostien. *num. 8.* Io. Andr. *num. 5.* Tertiò verò habitus in aliquibus Religionibus est omninò indifferenter communis tam professis, quam nouitijs. In Ord. Præd. habitus professorum benedicitur quidem, sed hæc solemnitas non est necessaria, sed quædam accidentalis solemnitas annexa professioni. Cum verò antiquitus nouitius constitutus in legitima ætate si infra annum nouitiatus per triduum gestasset habitum proprium professorum censendus esset quodammodo professus tacitus, & si non obligatus ad eam Religionem in specie cuius habitum portauerat, tamen ad Religionem in genere voto simplici ligatus *cap. Ad nostram, cap. Super eo, de Regul. & cap. Constitutionem eod. tit. in 6.* Modo hoc omnino cessat ex Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15. de Regul.* Cum professio emissa infra annum nouitiatus decernatur prorsus nulla, & nullam pariens obligationem. Supposito igitur anno integro nouitiatus, & ætate annorum 16.

274. Est hoc primo certum, quod terminato anno probationis assumptio habitus proprij professorum, si fiat à nouitio scienter, & non ignoranter, vel inaduertenter, sed liberè, & hoc Religione etiam consentiente, & permittente, est sufficiens signum in foro externo internæ professionis. Nam hoc sufficiebat secundum ius antiquum *cap. constitut. eod. tit. in 6.* ad profitendum tacitè etiam intra annum probationis, nunc igitur sufficit ad eandem professionem post expletum annum probationis, quia in hoc Concil. Trid. non derogauit antiquo iuri. Sanchez *d. num. 36.* Suarez *d. c. 20. num. 3.* *Rota in Meten. professionis num. 2. 2.* Iunij 1636. coram Carill. Donatus *q. 21. & 23.* Bordon. *contr. 20. num. 8.*

275. Verum, quod Innoc. *cap. Vidua num. 1. de Regular.* voluit non induci professionem ex delatione habitus professorum, nisi aliquæ præsumptiones adiungantur, puta quia cum solemnitate accepit, idest vocatis parentibus, vel de altari, vel in Ecclesia, vel si accepit ab Episcopo, vel ab Abbate, vel etiam à simplici monacho, vel Sacerdote, sed cum ea solemnitate, qua solet alijs dari. Quod placuit etiam Butr. *in d. cap. Vidua num. 6.* & notauit Archid. *ad cap. Quod interrogasti. 27. dist. & c. Constitutionem, de Regul. in 6.* Quod adeo verum est secundum Innoc. Vt si ab initio huiusmodi solemnitates non intercesserint, licet post facto sequuta præsumptione per quam conuincitur velle sæculo renunciari, puta quia facit ea, quæ à solis professis fieri solent, adhuc tamen non intelligitur tacitè vouere. Barbosa etiam *l. 1. de iure Eccles. c. 42. num. 157.* putat necesse esse, quod nouitius habitum professorum sumpserit coram Superiore, & omnibus alijs, allegans ad hoc Dec. *cons. 18. nu. 1.* Menoch. *de præsump. l. 6. præs. 83. num. 9.* Adden. *ad dec. 184.* Greg. 15. Gratian. *discept. 640 num. 37. & 38.* & idem tenet Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 13. nu. 6.* Sed licet verum sit, quod ad professionem necessarius est consensus Religionis recipientis professionem, & ideò ad hoc vt susceptio habitus professorum inducat professionem tacitam, necesse sit vt id fiat scientibus, & consentientibus ijs, ad quos spectat incorporare Religionis. Et licet si quis nō nouitius assumeret habitum professorum extra Monasteriū nō induceretur professio ex hoc cap.

Cle-

Clerici, de Regul. Hostien. *cap. statuimus, num. 2. eod. tit.* Faguan. *d. cap. Vidua, num. 18.* tamen vbi nouitius, qui iam per annum stetit in probatione, & habet legitimam ætatem scientibus, & non dissentientibus ijs, ad quos spectat incorporare Religioni sumit habitum professorum, tacitè profitetur, quia ex quo nouitius animo profitendi intrauit Monasterium, & perseuerauit in probatione per annum, si postea sponte suscipit habitum professorum, vel se ingerit actibus proprijs professorum facto manifestè significat se profiteri iuxta textum *cap. statuimus, de Regul.* Et est simile in eo, qui aliquot actus gerit, qui fieri non possunt extra nomẽ, & ius hæredis, nam ex his censetur hæreditatẽ adire. *l. Pro harede §. Papinianus. ff. de acquir. hared.* & ideò quod nouitius huiusmodi profiteatur tacitè; scientibus & non dissentientibus ijs ad quos spectat incorporare Religioni si assumat habitũ professorum docuerunt Io Andr. *d. cap. Vidua num 3. de Regul.* & ibi Boich. *in fin.* Butr. *num.* 8. Card. *n. 5. n. 5. apposit.* Panorm. *num. 6.* Ananias *num. 6.* Anchar. *num. 5.* quos refert, & sequitur Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Vidua, de Regul. num. 18. & 20.* Syluest. *v. Religio 3. q. 19.* Angelus *v. Nouitius n. 12.* Suarez *d. cap. 20. num. 3.* Donatus *q. 21. & 23.* Bordon. *controu. 20. num.* 8. Ideò idem Fagnan. *cap. Qui Presbiterum num. 105. de Pœnit. & remiss.* ex hoc probanit tacitè professum esse militem Hierosolymit. qui per aliquot menses detulerat Crucem albam in pallio.

276. Sed quoniam discrimen inter habitum professorum, & non professorum non semper est sensibile, & patens, sed esse potest occultum, & cõsistere in aliqua benedictione, vt habet D. T. 4. *di 38. quæst. 1. a. 2. q. 3. ad 2.* dubium est, an ad professionem tacitam quodcumque discrimen sufficiat. Negant enim sufficere Sanchea *d. cap. 3. num. 24.* Vechius *disp. 13. d. 8. num. 8.* Peir. *in subd. Relig. cap. 1. q. 26. §. 3.* Tambur. *t. 3. disp. 6. q. 14. num. 6.* Bord. Controu. 20. *num.* 8. Sed hæc positio non est ratione fulcita; neque enim materialitas habitus, sed eius proprietas interiorem animi professionem significat, ex eo enim quis præsumitur profiteri, quia assumit habitum proprium professorum, non est verò minus proprius professorum habitus benedictus propria benedictione professis soli competente, quam habitus in forma materiali diuersus. Ideò si post annum probationis nouitius habitum patenter, & cum solita solemnitate à superiore benedictum, vel ab eo, qui hanc benedictionem potest concedere sumit Conuentu, & superiore id sciente; & admittente, non est in foro externo minus professus tacitè, quam si habitum materialiter distinctum sumeret, quia sumit habitum proprium. Suarez *d. cap. 20. num. 3.* Fagnan. *cap. statuimus. num. 12. de Regul.* Dubitat etiam Bord. *cap. 1. de profess. q. 21.* An si nouitius petat expressè profiteri coram patribus censeatur tacitè professus, si gestet per diem habitum professorum, & respondet non censeri, quia ex quo petit expressam professionem illam petit, non istam. Tum quia intentio petentis non dirigitur ad tacitam, sed ad expressam. Verum considerari debet, quod professio expressa, & tacita non sunt duo contraria, sed ambo sunt professio eadem cum hoc discrimine, quod expressa est manifesta per verba aut nutus, sed tacita per facta. Ex quo igitur nouitius petit professionem expressam, animum profitendi exprimit, & ex quo habitum proprium professorum gestat, facto manifestat se animo esse professum, quod est esse professum tacitum. Quod ergo petat expressè profiteri, ostẽdit quod non est contentus sola professione tacita, sed vult expressè profiteri, sed non excludit quin interim sit professus omni modo sibi possibili, & ideò tacitè, si non expressè, quia imò ex quo petit expressè profiteri, se velle profiteri demonstrat, & se actu profiteri iam facto ostendit, ex quo habitum proprium professorum assumit.

278. Est quoque certum, quod vbi est distinctio habituum, delatio habitus proprij nouitiorũ non professorum non inducit professionem tacitam, quoniam hoc non est exercere, & assumere aliquid, quod sit proprium professorum. Sylu. *v. Religio 3. q. 19.* Angelus. *v. nouitius. num. 12.* Suarez *d. c. 20. num. 5.* Don. *q. 22.* Sanchez *d. c. 3. nu. 38.* Barbat. *cons. 59. num. 3. vol. 2.* Nauar. *com. 4. de Reg. nu. 74.* Gratian. *discept. for. c. 640. num. 21.* Barbosa *l. 1. Iuris Eccles. cap. 42. num. 166. & ad cap. ex parte de Regular.* Innoc. Io. Andr. *num. 3.* Card. *num. 3.* Fagnan. *num. 2. & cap. statuimus num. 13.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 5. num. 6.* Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 13. nu. 11.* Gratian. *discept. 640. num. 21.*

279. Sed vbi habitus sit indistinctus, quia scilicet eodem habitu viuntur tam professi quam nouitij non professi, ad hoc vt inducat professionem tacitam requiritur gestatio eius per integrũ annum, quia ita erat necessarium de iure antiquo, *cap. 1. de Regul. in 6. & Clem. fin. de regular.* quod non est ablatum per Concil. Trid. *cap. Vidua, de Reg. Rota coram Greg. 15. dec. 385. num. 6. & in Meten. profess. 25. Maij 1615.* coram Vbaldo, *& in Meten. profess. 2. Iunij 1636. num. 3.* coram Cavillo, Sanchez *l. 5. c. 3. num. 13.* Honded. *cons. 78. num. 18. l. 2.* Grat. *discept. 640. num. 20.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 5. quæst. 3. Iterum Rota in Vlixip. profess. 10. Decemb. 1621.* coram Merlino *num. 7.* Sed dubium est à quo puncto debeat numerari hic annus; an scilicet incipere debeat à completo anno 16. vel sufficiat si quis per totum annum 16. illum deferat. Hoc enim sufficere videtur probari ex eo, quod iuxta antiquum ius hic annus incipere debebat completa pubertate, vt patet ex *cap. 1. de Regul. in 6.* At verò non est, vnde dicatur hoc ius correctum esse per Concil. Trid. quod solum disposuit, vt professio non fiat ante 16. annum expletum; sufficit igitur ad professionem tacitam inducendam quod nouitius habitum religionis professis communem detulerit per annum ante 16. annum expletum, quia hoc posito detulit illũ per annum post completam pubertatem. Et ita hanc partem tenuerunt Nauar. *consil. 20. de Regular.* Donat. *q. 23.* Bord. *cap. 1. de profess. q. 20.* Verum altera ex parte refertur declaratio S. Congregationis Concilij, quæ statuit, & declarauit per decretum illud *cap. 15. sess. 25. de regular.* correctum fuisse *cap. 1 de regular. in 6.* & annum hunc ad inducendum professionem tacitam incipere debere post expletum annum 16. Et ita propterea tenent Suarez *d. l. 6. c. 20. num. 4.* & Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Nullus num. 7. de Regul.* Et sic, qui suscipit habitum indistinctum vel est minor annis 16. vel

est maior; si est minor necesse est, quod habitum deferat per totum annum à 16. completo, vsq; ad 17. expletum, & tunc annus ille incipiens à momento in quo completur annus 16. terminatur in momento in quo completur annus 17. sed si qui suscipit habitum indistinctum est maior 16. annis, adhuc necesse est quod illum deferat per annum, & sic multò magis opus erit, vt compleatur annus 17. Tunc enim annus incipiet à tempore susceptionis habitus, quod cum sit tempus vel anni 16. completi, vel post illud, annus terminabitur vel in anno 17. expleto, vel post illum. Nec ratio allata à Sanchez in contrarium vrget. Non enim est hic necessaria specialis aliqua derogatio iuris communis antiqui, sed illi derogatum iam est in hac parte, in qua statutum fuit, vt professio non fiat ante 16. annum expletum, qua derogatione stante, adaptatur Concilij decretum ad limites antiquæ legis, & sicut ex vi iuris antiqui ex quo professio non poterat emitti ante annum 14. professio tacita ex gestatione habitus indistincti non habebat locum, nisi qui habitum suscepit illud gestasset vsq; ad quintum decimum completum, vel vlterius, si illum suscepisset post expletū quartum decimum. Ità modo ex quo non potest emitti professio, nisi anno 16. expleto, qui suscipit habitum ante 16. annum vt incurrat tacitam debet illum deferre à 16. vsque ad 17. annum expletum, & qui illum suscipit post 16. debet illum deferre etiam post 17. donec per integrum annū illum detulerit. Imò in illis Religionibus in quibus professio non potest emitti, nisi anno 18. vel 20. aut alio, eodem modo, non incurritur professio tacita, si ante suscipiatur habitus, nisi deferatur per annum inchoandum ab eo anno antequā iuxta Religionis instituta non potest Religiosus profiteri. Hæc tamen sententia difficultatem continet, quia eius motiuum est hoc, Scilicet, de iure antiquo annus gestationis habitus inductiuus professionis tacitæ non incipiebat, nisi à die in quo validè nouitius potuisset profiteri, nimirum à 14. anno completo, vt habetur expresse, *cap. 1. de regul. in 6.* igitur nunc de iure nouo, hic annus ad summum incipiet ab hora completi anni 16. Sed huius argumenti consequentia non est necessaria. De iure enim antiquo duo decreta erant, primum quod in viris annus discretionis, & pleni vsus liberi arbitrij inciperet ab anno 14. completo. secundum quod professio non posset validè emitti, nisi eodem anno 14. expleto. Quæ duo materialiter, & per accidens coincidebant, & separabiliter. Nam nunc quoque annus discretionis, & pleni vsus liberi arbitrij incipit ab anno 14. ætatis, & tamen professio nequit validè fieri anno 14. sed debet expectari annus 16. modo quod annalis gestatio habitus ad effectum inducendi professionem tacitam non posset incipere ante expletum 14. annum, non fuit statutū ex eo quod ante illum non posset emitti expressa professio, sed quia ante illum non est tempus discretionis, & pleni vsus liberi arbitrij; igitur ex eo quod Concilium mutauit annum professionis emittendæ, & in hoc correxit ius antiquum, & voluit, quod professio non fiat validè ante annum 16. non correxit idem ius, neque innouauit initium, & tempus annalis gestationis habitus indistincti, quod non dependebat ab anno emittendæ professionis formaliter, sed ab anno discretionis, vt expresse habetur *cap 1. de regul. in 6. & Clem. eos, eod. tit.* sed nunc quoque hæc annalis gestatio sufficit quod fiat tempore discretionis, quamuis hæc annalis gestatio habitus non possit inducere professionem tacitam nisi in eo, qui sit 16. annorum. Et sic nūc quoque si quis anno 14. vel 15. suscipiat habitum, & illum continuo gestet vsque ad annum 16. statim erit professus tacitus, quia per annum vel amplius in tempore discretionis, & cum pleno vsu libertatis, illum portauit. Et sic sicuti antiquitus idem annus probationis, si habitus fuerat susceptus post expletum annum 14. simul erat annus gestationis habitus inductiuus tacitæ professionis. Et nunc quoque annus probationis in eo qui post 16 annum suscipit habitum indistinctum est simul inductiuus professionis tacitæ; ità annus probationis inchoatus post 14. annum quia est annus gestationis habitus tempore discretionis est simul annus inductiuus professionis tacitæ, quamuis hanc professionem non possit inducere, nisi extendatur ad annum 16. completum. Vnde si hic annus probationis incipiat anno 15. expleto, statim eo euoluto, & expleto anno 16. professio tacita inducitur, quoniam de iure antiquo per accidens erat, & materialiter quod hæc annalia gestatio, seu annus inductiuus professionis tacitæ non inciperet ante annum in quo posset emitti expressa professio, sed per se solum necesse erat, vt non inciperet ante tempus discretionis; Nunc igitur etiam sufficit quod huiusmodi annus ante tempus discretionis non incipiat, & solum maius tempus, quam sit tempus vnius anni est necessarium, si anno expleto adhuc qui habitum detulit non est ætatis 16. annorum. Quamobrem nisi magis constet mentem S. Congr. Concilij esse, quod hæc annalis gestatio habitus indistincti inductiua professionis tacitæ non possit incipere ante annum 16. ætatis; opinio Nauari, & Sanchez non impugnatur validè.

280. Et hoc ampliatur vt verum sit etiam vbi habitus nouitiorum, & professorum sit sola benedictione, aut latenti differentia distinctus. Nam sicut ex quo hæc benedictio est propria professorū, si nouitius expleto anno probationis patenter, & publicè habitum benedictum de scientia Superioris petat, & induat, cēsetur statim profiteri tacitè, ita quia illa benedictio, aut qualitas est latens etiā in professis, si nouitius vestitus ante 16. annū deferat habitum ordinarium per alium annum, censeri debet tacitè professus, quia habitus iste censeri debet vt indistinctus, ex quo illa ceremonia benedictionis latenter distinguit: *Clem. eos, de regul.* per quam ex eo quod statuitur quod deferens habitum nouitiorum non sit professus tacitè, si habitus nouitiorum sit patenter distinctus in colore, vel figura, vel scissura, colligitur per locum à contrario sensu, quod vbi distinctio non sit patens, nouitius professionem incurrat si post annū 16. per annum integrum habitum illum latenter distinctum deferat Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. statuimus num. 13. de Regul. & cap. quia ingredientibus, num. 42. de testam.* Donat. *d. q. 23.*

281. Quod verò antiquitus ad hoc vt gestatio habitus proprij professorum induceret profes-

sionem tacitam esset necessaria perseuerantia tridui, nunc non habet locum, quia erat necessaria hæc perseuerantia ad inducendam professionem tacitam, vel cum Nouitius recipiebat habitum sine probatione *cap. ad nostram, de Regul.* Vel cum nouitius non recepto professionis habitu faciebat actum proprium professorum intra annum probationis, sed eo anno quo expleto etiam de iure antiquo per assumptionem habitus proprij professorum siue tridui perseuerantia inducebatur professio tacita. Vnde modo, cum non valet professio nisi expleto anno probationis hæc tridui perseuerantia in habitu professorum non est necessaria. Abb. *cap. non solum, de regul. in 6.* Glossa ibi *v. infra probationis*, Abb. *cap. ad nostram de Regul. in 6.* Sanchez *d. cap. 3. num.* 24. Suarez *d.l.6.c.19.num.12.* Bord. *contr. 20. num. 9. & cap. 1. de profess. q.* 20. Palaus *tr. 16. d. 1. p. 1. num. 7.* Layman. *l.4.tr.5.c.5.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. Vidua num. 38. de Regul.* Vbi addit, quod si daretur casus in quo ex dispensatione Apostolica, vt in mulieribus Conuertitis professio fieri possit intra annum professionis, non induceretur professio ex gestatione habitus professorum, nisi seruata tridui perseuerantia iuxta antiqua iura.

282. Ad hoc tamen vt vel susceptione habitus professorum, vel gestatione habitus indistincti per annum inducatur professio tacita, necesse est, quod habitus suscipiatur, & deferatur in Monasterio: Nam habitus professionis extra Monasterium sumptus non facit Monachum, *cap. statuimus, de Regular.* vbi Host. *num.* 3. Archid. *in cap. beneficium num. 8. eod. tit. in 6.* Fagnan. *cap. insinuante, num. 30. qui Cler. vel vou.* *Rota decis.* 137. *coram* Puteo. Vbi quod habitus extra Religionem assumptus non solemnizat votum, nisi cum expressè emittitur. Pariter verò si quis longo tempore portet habitum religiosum extra Monasterium non censetur professus. *cap. vt Clerici, de Regul.* Gloss. in *Clem. Eos, v. in aliquo, eod. tit.* Abbas *in cap. Porrectum num. 8. eod. tit.* Fag. *d. cap. Insinuante num. 30.* Sylu. *v. Religio 3. q. 5.* *Rota in Meten. professionis* 25. *Maij* coram Vbaldo, Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 13. num. 7.* & apud eum Menoch. Azor. & Vech. Cessat enim tunc præsumptio tacitæ professionis, quia si vellet profiteri intraret Monasteriū. Hanc verò sententiam approbasse S. Congr. refert ibid. Fagnan. Nam cum Io. Maria, qui in minori ætate seruiuit Vrbano de Guidarijs presbytero seculari Abbati, & perpetuo Commendatario Abbatiæ S. Nicolai Ord. S. Basil. Diœces. Messanen. in qua regularis obseruantia non vigebat, nec Cōuentus erat, & insuper ad titulum dictæ Abbatiæ Sacros Ordines etiam Sacerdotis de licentia sumpsit, simul habitum Monachalem à Monachis S. Benedicti gestari solitum suscepisset, & vsque ad illud tempus gestasset, dubitatum fuit an esset tacitè professus, & S. Cong. tum quia dictus Io. Maria non gestauerat habitum in Congregatione Monachorum, cum in ea Abbatia nullus esset Monachus. Tum quia per se ipsum habitum susceperat, oporteat verò professionem recipi ab eo, qui habet potestatem recipiendi, *cap. porrectum*, vbi Panorm. *f. 9. & v. de regul.* censuit illum non esse professum; quamuis ore solum dederit has decisiones, & miserit dubitantem ad signaturam, & noluerit dubitationem publice decidere. Veruntamen vt dicebatur superius si quis habito anno probationis in habitu iuxta stylum Religionis assumeret habitum professorum, vel perseueraret in habitu indistincto extra Monasterium, sed de licentia superioris, dicendus esset professus.

283. Secundus modus tacitè profitendi est exercere actus proprios professorum. *cap. Vidua 4. de regularibus.* Et non est necesse quod huiusmodi actus sint proprij professorum ex iure, sed sufficit, si sint proprij ex consuetudine. Gloss. *ad d. cap. Vidua v. oblationem.* Abbas ibi *num. 6.* Sylu. *v. religio 3. q. 19. vers. primum ergo.* Tabien. *v. nouitius q. 5. num. 6.* Armill. *num. 7.* Angel. *num. 18.* Azor. *l. 12. c. 4. q. 3.* Sanchez *l. 5. mor. c. 3. num. 10.* Fagnan. *cap. Vidua num. 17. de regul.*

284. Et quod neque in hoc sit necessaria perseuerantia tridui aducerit Bord. *cap. 1. de profess. q.* 24. Limitatur verò hæc assertio, vt non sufficiat se immiscere actibus professorum nisi simul deferatur habitus Religiosus. Primum enim exercitium speciem habet vsurpationis, non verò speciem religiosæ professionis, ideò ex illo exercitio non potest sufficienter præsumi voluntas profitendi. *cap. Vt Clerici. de regular. D. T. 4. d. 38 q. 1. a. 2. q. 3. ad secundum* Suarez *d. l. 6. c. 19. num. 11.* Bord. *contr. 20. num. 10. & cap. 1. q. 23.* Hostien. *in cap. statuimus num. 2. de regul.* Fagnan. *cap. Insinuante num. 30. qui Clerici, vel vou. & cap. Vidua num. 18. & 27 de regul.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 1. num. 7.* Lezana *v. professio num. 5.* Rota *coram Mohedano decis. 1. de præsumptionibus.*

285. Limitatur secundò, vt nec etiam sufficiat exercere huiusmodi actus sub habitu religioso, sed nouitiorum proprio, & ab habitu professorum materialiter, & pariter distincto. Nam ex quo nouitius manet sub habitu nouitiorum, & nō professorum, ex eo, quod agat exterius; quod est proprium professorum non colligitur sufficienter animus profitendi: habitus enim professorum est ille; qui datur pro signo religionis, & perseuerantiæ in illo, vnde huius habitus carentia infirmat præsumptionem, quæ ex exercitio actuum professorum oriri posset, vt se sola non sit sufficiens. Suarez, & Bord. citati.

286. Limitatur tertiò, seu totaliter de medio tollitur ab aliquibus, qui dicunt exercitium actuum professorum non inducere professionem tacitam, nisi habeatur à deferente habitum propriū professorum. Hoc enim stante exercere opera professorum, nunquam per se inducit professionem tacitam, neque ad hunc finem est necessariū, quia sola delatio habitus proprij professorum sufficit ad hunc effectum, & sine ipsa tale exercitium nihil valet. Ità Suarez *dec. num.* 11. Palaus *tr. 16. d. 2. p. 1. num. 7.* Sed opposita sententia est cōmunis, quia nimirum vbi nouitius deferat habitum religiosum communem professis, & nouitijs, proprium verò religiosorum, inducatur professio tacita, si nouitius nedum pluribus, sed vni actui professorum se immisceat. Et hoc est quod docent DD. supra *num.* 202. citati, & expressè tradit Bord. *c. 1. q.* 25. Et quia sumus in casu professionis tacitæ post expletum probationis annum, non est necessaria perseuerantia tridui, quæ locum habebat solum in professione facienda infra annum

pro-

probationis, vt dictum est, sed statim ac hujusmodi Religiosus in habitu religioso professis communi exercet actum proprium professorum inducitur professio tacita, & legitimè præsumpta. Et hoc verum est etiam si in Religione illa habitus professorum ex aliqua solemnitate ad professionem expressam spectante benediceretur. Nam in substantia habitus ille est communis professis, ideò sufficit delatio illius habitus coniuncta cum exercitio alicuius actus proprij professorum ad inducendam professionem tacitam. Nam & sufficit vnius solius actus huiusmodi exercitium. *cap. vidua de Regul.* Bord. c. 1. q. 26.

287. Qui autem sint actus proprij professis? Respondetur omnes illos esse qui vel de iure, vel de consuetudine sunt proprij professorum. Et sic. *cap. Vidua, de regul.* aliqua monialis iudicata fuit professa, eo quia obtulit quandam oblationem, quæ ex vsu competebat solis professis Gloss. *v. oblationem*, hoc quidem primo certum est, quod dare suffragium actiuum in capitulo est proprium professorum. Eiusdem quoque rationis est vox passiua ad ea officia, & ministeria quæ solis professis concedi possunt.

288. Sed ex his, quia Prælaturæ, vt sunt Abbatiæ, & Prioratus habentes administrationem, & iurisdictionem spiritualem in Religiosos, vel etiam officia Abbatissæ, vel Priorissæ non possunt haberi nisi ab expressè professis *cap. nullus. 28. & cap. Indemnitatib. de elect. in 6* Ideò quod ex hac parte non possit induci professio tacita, quia imò electio ad huiusmodi officia est ipso iure irrita, & nulla docet. Bord. *contr.* 20. *num.* 16. Vnde ex hoc deducit, quod professio tacita non inducit omnes effectus, quos inducit expressa. Bordon. *c. 1, q. 35.* Sed hoc non subsistit, quia aliud est, quod actus non valeat in genere electionis, aliud est quod non inducat professionem tacitam. Certè ad electionem tam actiuam quam passiuam in Regularibus necessaria est professio. Nam eligere actiue spectat ad professos tacitè, vel expressè *cap. Ex eo, & cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* Ideò si Nouitius nondum professus se ingerat electioni votum eius est nullum; quia actus ille electionis etiam si inductiuus professionis natura professionem præcedit, & est actus non professi, & ideò nullus, quia solius professi est eligere ad Prælaturas Regulares. Sed tamen actus ille nullus in genere electionis est inductiuus professionis tacitæ, quia est validissimus in genere signi ad manifestandum, quod animus nouitij se immiscentis electioni est profiteri. Io Andr. *cap. Vidua. num. 7. de Regul.* cui consentiunt Butr. *num.* 11. Card. *n.* 4. *opposit.* Anch. *nu.* 5. Anania *num.* 27. Fagnan. *num.* 22. Sic enim, & qui nec titulum habet nec quasi possessionem iuris eligendi non eligit validè, & tamen acquirit per actum illud quasi possessionem iuris eligendi. Butr. *d. c. Vidua num.* 12. Anania *num.* 7. Fagnan. *num.* 23. Innoc. *in cap. Consultati, de iure patron.* Pariter nulla est electio non professi ad Prælaturam in Religione, & tamen ex hoc quod nouitius alias habilis ad professionem consentit electioni de se factæ, vel suscipit munus Abbatis, vel Abbatissæ sibi collatum profitetur tacitè, quia qui vult consequens idest Prælationem censetur velle suum necessarium antecedens, quod est professio, *cap. Quia ingredientibus, de testamen.* vbi Io. Andr. *nu.* 3. Card. *num.* 7. Anchar. *num.* 1. Panorm. *num.* 4. Fagnan. *num.* 23. & *cap. Vidua. num.* 24. *de Regul.* Nec obstat textus in *cap. cum causam de elect.* Nam presbyter, de quo ibi erat sermo censetur non professus licet acceptauerit prioratum, quia vt habetur ibi per longam seriem annorum non professi ad prioratũ illum fuerant assumpti, vnde iam de facto ille Prioratus non erat proprius professorũ, & ex consequẽti ex quo illa Presbyter acceptauerat Prioratum colligi non poterat, quod ille voluerit profiteri, sed potius, quod voluerit illũ sine professione, sicut ante illũ plures obtinuerant. Cæterum quod acceptatione Prælaturæ Regularis inducatur professio tacita, declarauit S. Cong. Concilij, vt refert Reuerendiss. Fagnan. *in cap. quia ingredientibus. num.* 30. *de testamentis.* Vbi *num.* 37. putat hoc procedere etiam in moniali minoris ætatis annorum quadraginta.

289. Dubium verò est an promotio ad Sacros Ordines sit proprium professorum, vt inducere valeat professionem tacitam. Negant enim Nauar. *com. 4. de Regul. num. 72. & consil. 36. num. 3. in antiq. & in nou. cons. 19. num. 3. de* Regul. Bordon. *contron.* 20. *num.* 12. & *de prol. c. 6. q.* 28. eo quod etiam nouitij possint ad ordinẽs promoueri. Verũ oppositum fuisse declaratum à S. Cong. Epis. & Regul. in vna Beneuentana 20. Decembris 1619. referunt Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 13. num. 12.* Barbosa *lib. 2. de iure Ecclesiast. cap. 42. num.* 167. Nouar. Lucern. *Regul. v. professio num.* 23. Donatus 4. *p. tr.* 10. *q.* 25. Lezana *v. professio.* Est verò illa declaratio sequentis tenoris. *Cum frater Andreas Panfetus in Religione per octannium permansisset absque eo, quod professionem emisisset, dicto autem tempore P. Magistro Curiera instante Sacros Ordines suscepisset, petijt facultatem habitum dimittendi sibi concedi. Sacra autem Congregatio respondit, quod susceptio Ordinum tacitam professionem inducit.* Antiquitas etiam, vt refert Calarub. *in Compend. Priuil. v. Nouitius num.* 24. Iolius 2. Augustianis concessit, vt quilibet Nouitius, qui promoueretur ad Sacros Ordines haberetur pro professo, & hoc idem ex antiquis tradiderunt *cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes,* Hostien. *num.* 2. Io. Andr. *num.* 3. Butr. *num.* 20. Præpos. *num.* 4. Calderin. *cons.* 11. *de Regular.* quos refert, & sequitur Reuerendiss. Fagnan. *cap. Vidua. num.* 26. *de Regular.* Aduertit verò Rota *decis.* 195. *num.* 21. quod præsumptio quæ sumitur ex susceptione Sacrorum Ordinũ nõ minor est illa, quæ sumitur ex habitus gestatione, eo quod Ordinum susceptio sit res à professione separata, vt per tradita à Nauar. *cons.* 6. *de his, qui vi, &c.* Rota in *Conshen. nullitatis Ordinum* 10. *Martij* 1606. coram Penia, & *decis.* 705. *n.* 1. *p.* 2. *recent.* Verè enim ordinari ad titulũ paupertatis est proprium professorum, vnde merito ex hoc non minus præsumitur professio, quã ex eo, quod quis det suum suffragium in Capitulo. Et ideo de promotione ad subdiaconatum hoc admittit etiam Bordon. *d. q.* 28.

290. Sed dubium remanet discutiendum, an modo stante Concilij Trid. decreto *sess. 25. cap. 16. de Regularibus decernente, vt finito tempore Nouitiatus superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eijciant,* statim

tim expleto anno 16. ætatis,& integro anno probationis incurratur professio tacita, affirmat Donatus p.4.tr.10. q.3. n.14. Sic enim videtur dicendum. Tum quia tam Conuentus,quam Nouitius in habitus receptione consentiunt etiam in professionem licet condicionaliter, scilicet nisi aliud visum fuerit, & placuerit,vnde nisi clare diuersum exprimant,censendi sunt consentire. quoniam vbi dissensus, seu voluntas disoluendi contractum ponitur sub conditione, debet expressè apparere, cum alias de consensu in perseuerantiam contractus satis appareat. Si igitur ante completum probationis annum existente nouitio in ætate habili ad profitendum nec nouitius expressè protestetur se nolle profiteri,nec Conuentus protestetur se nolle recipere ad professionem, præsumitur vterque in professionem consentire, quia præsumitur illa voluntas perseuerantiæ in religione, quæ in ingressu fuit, & de se durat nisi reuocetur,& de reuocatione non constat. In Ordine Prædicatorum hoc est manifestum, & tam iure, quam consuetudine comprobatum. Nam in *Constit. dist.* 1. *cap.* 13. §. 1. *lit. B.* de professione tacita dicitur; *Quæ fit in Ordine nostro, quando quis post annum quintum decimum completum, portauerit habitum Nouitiorum per vnum annum integrum,& continuũ.* Ibi verò illa Glossa sequuta fuit sententiam illorum, qui post Tridentinum dixerunt induci professionem tacitam per gestationem habitus per annum ante ætatis annum 16. expletum. Quidquid verò sit de hac opinione vniuersaliter,de qua satis supra *num.* 179. dictum fuit, cum illa Glossa vim legis habeat, & praxis huius Ordinis sit vt supposita ætate 16. annorum nouitius,nisi protestetur aliquid in contrarium in puncto complementi anni probationis incurrat professionem tacitam, iam in Ordine nouitius censetur professus si sit 16. annorum, & compleuerit annum probationis. Quod certe est omnino conforme *Clem. Eos, de Regul. Eos,* inquit, *qui deinceps in discretionis constituti ætate nouitiorum habitum in aliqua Religione per annum portauerint; hoc ipso Religionem illam decernimus esse professos. Nisi huiusmodi habitus in colore, scissura, vel forma, se distinctum patenter exhibeat ab habitu professorum.* Sed amplius in *Constit. Ord. Prædicatorum dist.* 1. *cap.* 14. *de Nouitijs* §. 10. habetur talis constitutio,per quam statuitur vt cum nouitius vocatus fuerit ad habitum suspiciendum protestetur eidem, *quod statim elapso termino sibi taxato (nisi contradictum ab ipso, vel à Religione fuerit) incurret professionem etiam si aliter non profiteatur,* & §. 8. antecedenti statutum est, vt si nouitius inuentus fuerit insufficiens vocetur in capitulo. *Et ibidem ei assignetur certum tempus prolixius probationis, vel declaretur ei,quod nunquam veniet probationis terminus nisi postquam iterum in Capitulo vocato, & pro sufficienti approbato alia adhuc dies ad minus relinquantur.* Ex his enim textibus, vt exponit Festus *in sum. p.* 2. *c.*33. colligitur mentem *Constit. esse*, vt expleto anno probationis, nisi ex altera parte, scilicet vel ex parte Conuentus, vel ex parte nouitij præcesserit declaratio contraria, professio incurratur in ipso termino anni probationis. Ideò ne repertus insufficiens expleto probationis anno censeatur professus, vel qui ante 15. annum fuit receptus expleto 16. prætendat se professum esse, constitutio ordinat, vt præcedat superioris declaratio de non incurrenda professione, tanquam supponat professionem incurri si similis declaratio non præcedat. Et sic in hoc Ordine est certum quod annus probationis continuus vsque ad 16. annum vel amplius est inductiuus professionis tacitæ. An autem hoc sit verum vniuersaliter, eadem Glossa *in Constit. Ord. Præd. dist.* 1. *cap.*15. *lit. B.* sentit verum esse in omni Religione habitum indistinctum deferente, & est de mente Nauar. *cons.* 20. *de regular.* Sanchez *l.* 5. *cap.* 3. *n.*39. *in Decal.* Donat. *p.* 4. *tr.* 10. *q.* 23. Bord. *cap.* 1. *de profess. q.* 20. Sed spectato decreto Concilij Tridentini hoc cum maiori fundamento dicitur. Vbi tamen habitus nouitiorum est patenter distinctus,hoc non habebit locum, si nouitius statim non recipit, si potest, habitum professorum, quia non recipere habitum professorum fundat præsumptionem contrariam professioni, & tollit præsumptionem, quæ ex anno probationis oriri posset.

291. Ex his deducitur, quod taciturnitas Conuentus habetur in præsenti pro consensu, & quod valida fuit professio illius nouitij in Ordine Prædicatorum,de qua agit Scrofa q.31. Casus fuit iste. Nouitius in vno Conuentu, & pro eodem Conuentu receptus ad habitum volens pro eodem profiteri finito probationis anno de licentia Prioris, & cum attestatione Patrum de suis moribus iuit ad alium Conuentum vbi à Priore, & Conuentu receptus fuit ad professionem. Quæsitũ fuit de valore huius professionis; Scrofa respondit eam valere. Sed Bordonus *resol.* 57. à *num* 53. eam nullam pronunciauit, quia ad professionem non sufficit taciturnitas Conuentus,cum requiratur eius consensus, qui verò tacet iuxta *reg.* 44. *de reg. in* 6. nec fatetur,nec negat. Tum quia regula qui tacet consentire videtur, non habet locum in absentibus, & in negotio,quod fit in alio loco, vbi qui non vident, consentire non possunt vel cõtradicere. Tum quia taciturnitas non valet vbi agitur de præiudicio tertij,vel de aliquo obligando Gloss. *in cap. plerumque* 2. *q.* 7. in præsenti autem patet conuentus inter se distare, & vnum non agere alterius negotia. Tum quarto, quia contra iura est, quod nouitius profiteatur in vno Conuentu, & iudicetur habilis ad professionem, & in alio peragat nouitiatum. Tum quinto,quia vbi in constitutionibus dicti Ordinis statuitur, vt receptus pro vno Conuentu non faciat professionem nomine alterius nisi de consensu prioris Conuentus, requiritur illius prioris Conuentus consensus expressus, qui per taciturnitatem non exprimitur, neque datur,cum taciturnitas assimiletur proposito in mente retento. *l. si repetendi ff. de de condit. ob causam.*

292. Sed his non obstantibus apparet illam professionem de iure communi validam fuisse, quia taciturnitas in hoc casu non fuit pura ex multiplici capite. Primo, quia præsupponit consensum positiuum datum in susceptione habitus etiam pro professione. Nam qui recipit habitum recipit illum animo profitendi, & Conuentus recipit ad habitum animo admittendi ad professionem, nisi animum reuocet; ideò hoc supposito ad valide profitendum sufficit,quod Conuentus non dissen-

dissentiat, & habetur pro consentiente si non dissentit. Tum secundo, quia hic datur licentia Prioris, & attestatio Patrum Concilij Conuentus data scienter, & ad effectum profitendi in alio Conuentu, neque valet dicere, quod hic consensus non sit consensus Conuentus, neque collegialiter datus, quia PP. à consilijs non repræsentant totum Conuentum, quia discessus publicus, & notorius habitus à nouitio cum attestatione de idoneitate sui nouitiatus, & cum licentia Prioris, fuit sufficienter notus toti Conuentui, qui si noluisset præfatum profiteri in alio Conuentu debuisset id declarare iuxta statutam praxim à Constitutione locis citatis, vnde hac scientia supposita taciturnitas Conuentus habenda fuit pro consensu.

293. Et ita ad primum in oppositum dicitur, quod illa *regula* 44. non est apta ad propositum, quia qui prior locutus fuit, si postea tacet, & non reuocat quod dixit, vere consentit. Modo Conuentus ille prius loquutus fuerat, & consenserat in professionem nouitij, ideò si nolebat de præsenti debebat id explicare. Et ad secundum dicitur quod regula qui tacet consentire videtur maxime locum habet vbi qui tacet prius consensit, & non reuocat consensum. Tum quia non dicitur abses professioni qui scit alium abire, vt alibi profiteatur, sed professio alibi de eius scientia habetur, & ac si in eius præsentia emitteretur. Ad tertium dicitur quod non distinguit inter professionem, & filiationem. Nullum enim præiudicium illi conuentui fit ex professione facta in alio Conuentu quantum sit ex parte professionis, quia nullum præiudicium est, quod idoneus ad professionem profiteatur, quod verò huiusmodi fit filius alterius Conuentus potest esse præiudicium. Sed hoc ad summum probaret non valere affiliationem ad alium Conuentum, non verò probaret non valere professionem, quæ non pendet ab affiliatione. Sed neque in eo casu fuit inualida professio, quia latis in eam consensit Conuentus ille ex quo de licentia Prioris, & cum attestatione Patrum, & totius Conuentus scientia, & patientia, nouitius discessit ad alium Conuentum, & pro alio Conuentu professurus. Ad quartum negatur esse contra ius profiteri in alio Conuentu à Conuentu nouitiatus habita sufficienti notitia validitatis nouitiatus, & idoneitatis nouitij, & maxime Conuentu nouitiatus sciente, & non dissentiente. Ad quintum iam dictum est, quod ex eo motiuo inferretur affiliatio si an argumentum valeret, non verò professio, sed nec argumentum valet contra affiliationem, quia ille Conuentus satis in eam consensit, vt dictum est. In sententia tamen eorum qui tenent, quod stantibus decretis de habendo nouitiatu in Conuentibus deputatis, in eisdem Conuentibus emitti debeat professio; nulla fuisset professio illa habita extra Conuentum nouitiatus, non tamen de iure communi, & extra Italiam, & Insulas adiacentes.

294. Aliam quæstionem proponit idem Bordon. *cap.* 1. *de profess. q.* 54. an scilicet si nouitius sit à Conuentu reprobatus in fine annis probationis, & tamen non dimissus remansit per annum in Nouitiatu cum habitu indistincto à professis, censendus sit professus tacitus? Negat ipse quia dissensus Conuentus censendus est durare; Sed Scrofa *de inualid. profess. dub.* 28. contrarium tenet, quia censetur mutata voluntas per interuallum anni. Vnde si quis protestetur se nolle contrahere matrimonium, & postea ad annum illud contrahat illud est validum. Sed exemplum non est ad rem, quia qui post protestationem contrahit matrimonium facto excludit præcedentem protestationem. Sed Conuentus nihil facit quod per se excludat dissensum, qui præcessit, quia ex quampluribus alijs causis potest Conuentus permittere permanentiam nouitij in Conuentu, quam ex animo consentiendi in eius professionem. Ego puto habendam esse rationem circumstantiarum, & causarum ob quas nouitius non excluditur: Non tales esse possunt, quæ omninò excludant præsumptionem mutationis dissensus in Conuentu, vt si nouitius interim detineatur, quia imminent sibi vitæ periculum, si exeat à Monasterio: Ex quo enim manifestum est eum detineri ex hac, vel simili causa, simul constat non eum detineri, quia Conuentus velit consentire in eius professionem. Alias verò si nulla alia appareret causa ob quam iam reiectus non eijceretur à Monasterio, sed imo sustineretur, & quidem per annum, præsumi posset, & deberet, Conuentum non persistere in illo priori dissensu, quia si persisteret, non retineret eum contra solitum, & sine causa aliqua speciali intra Monasterium, & præcipuè si illum proprijs expensis detineret. Neque enim præsumi debet Conuentum sustinere reiectum sine aliqua causa; quia hoc esset imprudenter agere, quod non præsumitur. Si ergo nulla alia apparet huius sustinentiæ causa, meritò præsumitur, quod sit hæc, vt interim nouitius reiectus possit se emendare, & profiteri iuxta iura, & ex consequenti quod perseuerando per annum maneat, nisi reijciatur. Quæ præsumptio posset alijs circumstantijs adiuuari. Et ideò istę considerandæ essent, & desumendæ ex illis coniecturæ.

295. Est autem nulla professio tacita, si vere non adsit consensus profitentis, & religionis, vel si fiat ob metum, ita vt etiam metus reuerentialis multum faciat ad infirmandam præsumptionem, quæ ex delatione habitus vel alio actu proprio professorum oritur, vt supra est probatum. Pariter nulla est emissa infra annū probationis, vel ante ætatem 16. annorum; quod etiam fit nulla si non præcesserit nouitiatus in Conuentu deputato, ex decreto Clem. 8. & Innocentij X. probat latè Reuerendiss Fagnan. *ad cap. Perlatum, nu.* 21. *& seqq.* Vnde is, qui non habuit annum integrum in aliquo ex nouitiatibus deputatis non per hoc tacitè profitetur, quod post annum probationis, vel suscipiat habitum professorum, vel per annum deferat habitum indistinctum. Ideò S. Cong. Regularium in hoc casu tacitas professiones in casibus contingentibus nunquam admisisse refert idē Fagnan. *num.* 26. vbi quod in restitutionibus quas concedit aduersus lapsum quinquennij professis in Cōuentibus non deputatis nō consueuit apponere clausulam alias solitam, videlicet, *dummodo professionem vt præfertur emissam tacitè, vel expresse non ratificauerint*, nimirum quia professio huiusmodi nec expresse nec tacitè ratificari potest, cum impedimento decreti irritantis semper duret.

Cum

296. Cum verò is, qui in iudicio se fundat in assertione professionis eam probare debeat, & eo magis quod professio non præsumitur de iure valida, sed probari debet, cum omnibus suis solemnitatibus. *Rota decis.165.num.16.tom.2.p.4.recent.* circa modum probandi considerandum est ex *Rota dec.623.num.7.tom.3.p.4.recent.* non posse validè in vno iudicio adduci probationes, quæ in alio iudicio impugnatæ sunt. *cap.ex eo de reg. iur. in 6. cap. cum olim*, vbi Panorm. *in 6.notab.de cons* Hond.*cons.78.num.98.l.0.* Surd. *cons.136. num.29. & 30.* Et ad plenam professionis probationem non semper sufficit ipsius professi confessio etiam in alieno iudicio in quo ipse non sit actor, quia si ex circumstantijs reddatur suspecta, vt v.g. quia data à professo ad colorandam fugam, & discessum eius ab aliqua Religione, vt redeat ad aliam, ei non datur fides, maxime si alias aliquid dixit vel fecit, quod non valuisset, si ille fuisset professus. *Rota cad. num. 15.* Sed & secundo aduerti debet, quod professio tacita, quæ est professio præsumpta, tollitur per contrarias præsumptiones per DD. quo sequitur *Rota decis.397. num.1. par.4.recent.*

S V M M A R I V M.

49 *Conuentus, aut capituli nomine non venit Prælatus num. 325.*

50 *Prælatum posse suo suffragio accedere ad vnam partem non est iure communi statutum, num. 326.*

51 *Prouincialis non potest dare suffragium in admissione nouitij ad professionem. num. 327.*

52 *Prouincialis vt iudex appellationis ex informatione extraiudiciali potest decernere vt admittatur nouitius. num. 328.*

53 *Protestatio, & appellatio fieri potest in causa admissionis ad professionem. num. 329.*

54 *In transitu de vna Religione ad aliam non sunt sumendæ informationes. num. 330.*

55 *Prælatus suspensus, an sit irregularis, si admittat ad professionem, num. 331.*

Qui possint recipere ad professionem.

INSPECTIO VII.

297. CVm in tractatu de Nouitiatu Inspectione 8. plura dicta sint, & probata, quæ ad hanc inspectionem spectant, quia eiusdem est recipere ad professionem, cuius est recipere ad habitũ, pauca hic remanent consideranda. Et primo tanquam certum supponitur, professionem esse nullam, si coram habente legitimam auctoritatem illam accipiendi non sit emissa. Cum enim donatio vim non habeat, nisi sit acceptata, nec traditio sortiri possit effectum suum, si quod traditur non recipitur ab eo, cui traditur, certum est professionem, quæ importat de materiali donationem, & traditionem per quam nouitius se donat, & tradit Religioni in Religiosum perpetuum, non posse habere efficaciam, & valorem, nisi recipiatur; & non quidem à quocumque, sed ab eo cui traditio, & donatio fit, nimirum à Religione, eo mediante, cui nomine Religionis hoc fuit commissum, data ei facultate per receptionem professionis incorporandi professum Religioni. *cap. Porrectum, de regul.* & ibi Innoc. *num.* 4 Hostien. *nu.* 13. Io Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 6. Card. *in* 2. *not.* *&* *in* 3. *quæst. num.* 5. Anchar. *num.* 2. Panorm. *n.* 6. Anania *num.* 4. Fagnanus *num.* 18. Et hoc idem habetur *ex cap. ad Apostolicam. eod. tit.* & ibi Panorm. *num.* 4. *& cap. non solum eod. tit. in* 6. *& ex Concil.* Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *&* 16. & tradunt Syluest. *v. Religio* 3. *q.* 18. Nauar. *tom.* 4. *de regul. n.* 74. Peyr. *tom.* 2. *de Præl. q.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 135. Lezan. *p.* 1. *c.* 2. *num.* 25. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 14. *num.* 1. Sanchez *l.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 62. *Rota decis.* 695. *num.* 14. *tom.* 2. *p.* 4. *recent.* & in Beneuentana professionis 24. April. 1617. coram Vbaldo.

298. Est quoque certum, quod recipere ad professionem spectat ad Superiorem aliquem Religionis. Licet enim accipere professionem nouitij non sit actus iurisdictionis, quia est actus contrahentis, & recipientis donationem, & traditionem, seu promissionem, & obligationem factam à profitente, quod non est iurisdictionis, sed priuatæ facultatis, quam habet vnusquisque, cui donari possit; vnde est quod professio tanquam quidam quasi contractus consensu mutuo partium perficitur, nouitio se donante Religioni, & Religione hanc donationem acceptante, nulla ad hoc necessaria iurisdictione. Sanchez *l.* 5. *c.* 4. *n.* 78. Palaus *tr.* 16. *d.* 2. *p.* 3. *num.* 4. Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 20. *num.* 1. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *disp.* 3. *num.* 126. *&* 127. Coron. *l.* 4. *contr.* 4. *num.* 33. Bordon. *c.* 3. *de profess. q.* 1. *&* 14. Nihilominus est actus superioritatis, quia est actus agentis nomine Religionis, cuius est donationem profitentis acceptare, & sibi incorporare; agit verò ille agere nomine Religionis, qui illius est caput, & cui Religionis cura, & administratio principaliter commissa est, hi verò sunt Religionis Superiores. Et ideò admittere ad professionem actum superioritatis vocant Gemin. *cap. Constitutionem* §. *in alijs, de regul. in* 6. & ibi Franc. *num.* 7. Rosella *v. nouitius num.* 21. Sanchez, & alij supra citati. Et inde est, quod hoc conuenit etiam mulieribus, quibus non competit iurisdictio; Abbatissæ enim monialium professionem recipiunt. Ex quo etiam apparet hoc non esse actum alicuius Ordinis, sed esse actũ illius dominatiuæ potestatis, & auctoritatis œconomicæ, quam habent Superiores Religionum tam virorum, quam mulierum; ex eo quod illis cura, & administratio Religionis, & eius bonorum est commissa.

299. Non potest verò dari vniuersalis, & certa regula ad cognoscendum quis sit superior, cui competat admittere nouitios ad professionem, nisi dicendo, quod in hoc vnaquæque religio debet seruare suas leges, & consuetudines. Nam alias de iure communi ad superiorem localem, pertinet hæc facultas Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Porrectum num.* 22. *&* 34. *& cap. ad Apostolicum num.* 16. *de Regul.* Gloss. *in cap. fin. de regul. in* 6. Sanchez *L.* 1. *cap.* 16. *num.* 52. Nauar. *cons.* 37. *num.* 7. *de regul.* Bonac. *de claus. q.* 2. *p* 10. *diff.* 2. §. 6. *num.* 2. Bordon. *de prof. cap.* 3. *q.* 6. Et non solum superiores Magnorum Conuentuum, sed paruorum, in quibus habitant duo, vel tres Religiosi quando sit de iure communi ad habitum, aut professionem recipere possunt. *Rota dec.* 83. *num.* 27. *coram Roias.* Cum verò de iure Constit. Sixti Quinti contra illegitimos, quæ incipit *cum de omnibus* recipere ad habitum spectet solum ad Generalem, vel Prouinciales nihil ibi disponitur de admittentibus nouitios ad professionem, vnde ex vi illius Constit. non est in hoc iura communi derogatum. Debet igitur in hoc ius commune seruari, nisi in aliqua Religione obstent statuta confirmata auctoritate Apostolica, aut consuetudo legitime præscripta.

300. Potest verò superior localis multipliciter impediri ne admittat ad professionem. Primo quidem per censuram si sit excomunicatus, quia cum hæc admissio non possit fieri sine communicatione, qua excommunicatus est priuatus, non potest propterea licite admittere Nouitios ad Professionem. Et est hoc mortale peccatum, si admisceatur aliquid Diuini Officij, & sic communicet cum profitente, vel cum alijs in diuinis. Professio tamen valida est, quia huiusmodi admissio non est actus iurisdictionis, neque publi-

ci

ch officij; sed est actus priuatus, & quasi contractus, qui actus non sunt irriti, ex quo fiut ab excommunicato etiam non tollerato Sanchez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 78. Vech. *disp.* 12. *d.* 1. *num.* 3. Bonac. *q.* 2. *de clauf. p.* 10. *diff.* 2. §. 6. *num.* 7. Bordon. *de profess. cap.* 3. *q.* 14. & 15. Oppositum tamen huius tenuit Donatus *par.* 4. *tract.* 1 t. *q.* 24. asserens, quod admittere ad professionem fit actus iurisdictionis, ideoque nullus si fiat ab excommunicato non tolerato. Probat verò hoc primo, quia potestas dominatiua non indiget institui, & concedi à Domino Papa. at verò facultas recipiendi ad habitum, & professionem est facultas concessa à Domino Papa, vt patet per Const. Honor. 3. confirmantem Ordinem Præd. sed dicitur, quod non est verum, quod omnis facultas ordinaria inferioribus est à Superioribus concessa. Nec est verum, quod omnis facultas concessa sit iurisdictionis, quia facultas v.g. contrahendi, & alienandi non est iurisdictionis, & tamen, quotidie conceditur. Et præcisa omni prorsus iurisditione Prælatorum Regularium, ipsæ Religiones, vt sunt corporas regenda per potestatem æconomicam, & Monasticam seu dominatiuam debuerunt institui, & approbari à Pontifice. Addit Donatus, quod Matthæus Heremita, de quo Nauar. *conf.* 18. & Didacus de quo Porrell. *p.* 1. *casu* 16. habebat potestatem dominatiuam super congregatos sibi subditos, & tamen professiones per eos admissæ fuerunt declaratæ nullæ per Greg. 13. vt habetur constit. Greg. in Bull. Rodriq. Sed dicitur nullum illorum fuisse legitimum Abbatem, cum *Matthæus*, vt habet Porrell. *d. casu* 16. se intrusere sine Ordine Sedis Apostolicæ, vel alterius Prælati potentis illum creare Abbatem, nec eorum vita Eremitica erat approbata à Sede Apostolica & Didacus, qui Matthæo successit, pariter Abbas intrusus erat, & minime proprie Religiosus, vnde nullus eorum habebat potestatem domiuatiuam legitimam, & sufficientem ad hoc, vt admitterent validè aliquem ad professionem. Quæ autem addit Donatus probant, quod Prælati habeant iurisdictionem, sed non probant quod admittere ad professionem sit actus iurisdictionis.

301. Secundò impediri potest superior si sit suspensus, vel quomodocumque prohibitus à superiore maiore, ne aliquem ad professionem admittat. Superior enim nimirum Generalis, vel Prouincialis potest superiorem localem suspendere, vel prohibere etiam irritando factum ne aliquem recipiat ad professionem eo inconsulto, seu nisi adsit hæc, vel illa conditio Palaus *tr.* 16. *d.* 2. *p.* 3. *num.* 4. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 1. *num.* 4. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 3. *num.* 34. Quamobrem superior suspensus, aut prohibitus peccat, si aliquam professionem admittat. Cum tamen de iure communi habeat facultatem ad huiusmodi admissionem, si superior non prohibet irritando actum, admissio est valida, vt tradunt DD. citati, & Coton. *l.* 4. *contr.* 4. *num.* 40. Et hoc est verum siue prohibitio ista fiat per censuram suspensionis etiam sequuta declaratione, siue alio modo, & siue prohibitio sit à iure, siue fit ab homine. Dum enim est simplex prohibitio prohibitio prohibet solum vsum, non verò aufert potestatem agendi, vel irritat factum ex Peyr. autem *tom.* 2. de Præl. Reg. *q.* 1. *cap.* 26. §. 2. Sanchez *l.* 5. *cap.* 4. *q.* 3. *Rota dec.* 83. *num.* 8. coram Roias addit Anton. à Spir. S. *d. num.* 54. quod si prohibitio esset iniusta, & facta sine iusta causa, etiam si contineret decretum irritans, non impediret quin admissio ad professionem facta à superiore locali contra prohibitionem sibi factam, esset valida; quia superior non potest sine iusta causa priuare superiorem localem seu inferiorem potestate, quã habet ex iure communi, vel ex lege superiori, aut talem potestatem limitare. In dubio tamen præsumendum erit pro iustitia prohibitionis. Et in foro exteriori acceptatio facta contra decretum irritans non habenda erit tanquam valida donec per sententiam fuerit valida declarata.

302. Statim verò intrat hic difficultas an Capitulum Generale, vel quicumque alius Regularis Prælatus possit condere statutum prohibens recipere ad professionem viros huius, vel illius qualitatis cum decreto irritante professionem si aliter fiat Nauar. *conf.* 26. *de Regul.* occasione vnius statuti Religionis Minimorum de quo infra distinctior sermo erit, in quo prohibitum fuerat ne in illa Religione ad habitum, & professionem admitterentur, qui originem traherent à Iudæis, & Saracenis, irritando professionem aliter factam censet huiusmodi statutum fuisse nullum, & inualidum, & vniuersaliter absolute asserit nulla Capitula quamlibet generalia cuiuscumque Ordinis posse statuere, vt professio trium votorum substantialium facta non valeat, si communi iure Canonico (sublato de medio illo statuto) esset valitura, & Nauar. consentit Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 37. *num.* 30. & Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. fundatur verò Nauar. primo in hoc, quod nullus Pontifice inferior potest statuere aliquid contra ius commune, *cap. Quod super his, de maior. & obedientia.* At verò præfatum statutum, & similia sunt contra Ius commune Canonicum, quia fidelis quilibet, cui non obstat aliquod impedimentum Canonicum est habilis, vt ingrediatur quamlibet Religionem approbatam, ita vt nec pueri excludantur iuxta D.T. supra *q.* 189. *a.* 5. descensio autem, qua quis descendit ab infidelibus non est impedimentum Canonicum, quia imò iure ipso diuino, à quo hauritur ius Canonicum *cap. qualiter, & quando, de accusat.* expresse id conceditur. Nam Apostoli cum essent Iudæi fuerunt facti Christiani. Tum quia Paulus *in p. ad Timot.* 5. ex Iudaismo conuersos solos Neophitos arcet ab Ordinibus, tum quia Alex. 3. *cap. Eam te, de rescr.* declarauit non debuisse, quem à Canonicatu repelli, eo quod antea fuisset Iudæus, &c.

304. Verum hæc ratio habet solutionem, nam licet ius Canonicum non prohibuerit descendentes à Iudæis, & Saracenis fieri Religiosos neque tamen præcepit eos omnino esse admittendos, vnde prohibere, quod huiusmodi admittantur ad Religiosam professionem non est contra ius commune positiue, & contrariè, sed solum negatiuè. At verò benè fieri potest, & fit quotidiè, vt inferiores legislatores statuant id, quod est contra ius commune Canonicum negatiuè. Et certe si argumentum valeret, probaret, quod ius

ius commune Canonicum negatiuè, sit certè si argumentum valeret, probaret, quod ius commune Canonicum non potuit ponere multa impedimenta matrimonij, quæ posuit, & inhabilitare ad professionem multos, quos inhabilitauit. Antequam enim Ecclesia statuisset, quod v.g. cognatio spiritualis irritaret matrimonium (quod non facit iure naturæ, sed Ecclesiastico secundum D.T. communiter receptum 4. *d.* 4. *q.* 1. *a.* 1. *c.*) seu etiam antequam cognatio legalis, vel alia similia impedimenta ex iure Ecclesiastico matrimonium redderent nullum, poterant detenti talibus impedimentis libere contrahere, & ad hoc habebant ius, & si priuata auctoritate impediti fuissent, fuisset illis illata vis, & post matrimonium non potuissent separari; & hoc de iure naturæ fuisset. Ideò auctoritate publica prohibere ne huiusmodi contrahant matrimonium fuit contra ius naturæ non positiuè, sed negatiuè, quia ius naturæ non præcipiebat, quod similes coniungerentur, nec positiue prohibebat, quin ex causa iusta possent ab habente facultatem legitimam prohiberi, & ideò lex positiua potuit instituere, quod huiusmodi cognationes essent matrimonij impedimenta dirimentia, licet lex humana non possit præcipere id, quod est positiue contra legem naturæ. Sic antequam Sixtus Quintus prohiberet cum decreto irritante, quod illegitimi nati ex incestu fierent Religiosi, de iure naturæ, & diuino erat, quod illi essent habiles ad Religionem, & de illis militabant omnia argumenta Nauar. & illud S. Aug. relatum *c. Vndecumq. d.* 56. *Vndecumq. homines, si parentum vitia non sectantur, honesti, & San. erunt.* Et illud Chrys. *in eod. dist. Numquam de vitijs erubescamus parentum, sed illud vnum quæramus, & semper amplectamur, virtutem videlicet.* Et sic argumentum Nauar. si probat, hoc probat, quod nec Papa possit ponere impedimenta dirimentia professionem Religiosam, quia cum non sit distinctio apud Deum Iudæi, & Græci, & via ad perfectionem debeat omnibus patere, & de iure diuino sit, quod omnes sint habiles ad professionem, & societatem Religiosam, quamuis hoc non sit de iure diuino, quia Deus præceperit positiue, quod nullus impediatur, ne possit esse Religiosus, sed quia Deus ipse non prohibuit baptizatum aliquem fieri Religiosum, sed imò voluit institui Religiones, vt commune bonum omnium, & ideò quod aliquis alias habens requisita de iure naturæ, & diuino excludatur, quia Græcus, vel Iudæus, vel legitimus, vel spurius, vel filius Iudæi, vel hæretici, vel criminosus pœnitens, est contra ius diuinum, sed non positiue, sed negatiue; Et sic si semel verum esset, quod potestas inferior, non potest præcipere contra id, quod est de iure superioris negatiue Ecclesia non potuisset instituere impedimenta plura, quæ solum de iure positiuo irritant matrimonium, nec posset instituere impedimenta dirimentia professionem Religiosam.

305. Sed veritas est, quod sicut lex naturæ, & diuina sic instituerunt bona quam plurima vt communia dando ius ad illa habenda hominibus, quod tamen in potestate superiorum relinquerunt vt decernerent pro bono communi modum consequendi hæc bona, & sic limitarent, & determinarent quando, & à quibus consequi possent. Nam & de iure naturæ omnia temporalia sunt bona communia, & tamen de iure humano diuisio rerum facta fuit, & fuerunt appropriata bona singularibus. Ita & ius commune Canonicum in multis bonorum communium participationem, & consequendi modum relinquit determinationi inferiorum legislatorum, qui magis in particulari bona suarum communitatum attendentes, & quid exigat prospicientes, possunt decernere, vt non nisi habentes hanc, vel illam conditionem, vel qualitatem consequantur id, quod alias de iure communi non est alicui prohibitum. Et sic quod inferiores legislatores possint decernere contra id quod est de iure communi negatiuè, bene aduertunt Suarez *l.* 2. *de legibus cap.* 14. *& tom* 4. *de Relig. l.* 10. *cap.* 2. *num.* 2. Bordon. *de profess. cap.* 3. *q.* 16. Lezana *cons.* 27. *num.* 5. Anton. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 3. *num.* 55. Quia imò nec est dicendum esse contra ius superioris, quod solum hoc modo negatiue dicitur esse contra illud, quia absolute est conforme iuri superioris, & in proposito, quod sic disponitur, vt v. g. non admittantur ad professionem descendentes à Iudæis in aliqua Religione, si sic disponendi adsit iusta causa est conforme iuri communi Canonico, quod concedit inferioribus facultatem condendi leges ad bonum suarum communitatum conducentes.

306. Sed contra hoc vrget secundà ratio Nauar. quia ponere impedimenta dirimentia Religiosam professionem est res grauissima in Ecclesia; ideoque reseruata Pontifici, quod à simili ostenditur, quia nullum Concilium, vel Diœcesanum, vel Prouinciale potest statuere, vt aliquis sit inhabilis, vel ad matrimonium, qui alias de iure Canonico ad illud sit habilis, vel ad recipienda beneficia, vel ordines, si alias ad id non habet aliquod impedimentum Canonicum, igitur nec potest Capitulum generale statuere, quod sint inhabiles ad Religionem suam, qui descendunt ex Iudæis, aut Saracenis cum hoc, non sit statutum iure Canonico. Et hoc potest confirmari, quia cum Capitulum Generale non habeat ius aliquod in seculares, non potest condere leges, quæ illos afficiant, & inhabiles reddant quin fieri possint Religiosi.

307. Sed hoc argumentum, quod in parte parte concludit veritatem, & facit ad eam explicandam, soluitur ex doctrina eiusdem Nauar. ibid. *num.* 1. *&* 11. vbi admittit esse in potestate capituli reijcere descendentes à Iudæis, & Saracenis, & quod si Capitulum aliquem recipiat sub conditione, quod non descendat à Iudæis, vel Saracenis, professio sit nulla eo descendente, vel à Iudæis, vel à Saracenis, & hoc ratione defectus consensus; quia capitulum non consentit nisi sub illa conditione, qua deficiente deficit consensus, & ex consequenti deficit valor professionis, cum valida esse non possit sine Capituli, seu admittentis consensu. Et ex hoc considerandum est discrimen inter matrimonium, & bona Ecclesiastica ex vna parte, & Religionem ex alia. Sic enim omnia ista sunt bona communia, quod tamen matrimonium, & beneficia Ecclesiastica sunt bona communia, & non sunt bona propria superio-

rum

rum quibus commissa est cura illa dispensandi, Vnde secundò est, quod & sunt bona communia, & per modum boni communis debent dispensari; & inde tertiò consequitur, quod non dispensantur per quasi contractum liberè initum inter superiorem dispensatorem, & eos, quibus dispensantur; vnde quartò est, quod in dispensatore talium bonorum non est nisi attendere habilitatem à iure statutam, quia talia vt bona communia debita habentibus habilitatem iuxta dispensari debent, & quidem independenter à libero consensu dispensantis sub conditione sibi placita dispensare valentis, & per modum libere contrahentis. Sed Religio sic est bonum commune dispensandum, quod est quodammodo proprium superiorum, seu Religionis ipsius, quæ sibi incorporat, quas recipit, & ad propria bona participanda acceptat, & se ad eos alendos, dirigendos, & tuendos obligat; ideò Religio petit communicari non præcise tamquam bonum commune, & omnibus habentibus conditiones iuris communis, sed ad modum boni proprij eisdem distribuentis; vnde est quod Religio se, & sua communicat per quasi liberum contractum, quia recipit donationem profitentis, & recipiendo se illi vicissim obligat; Vnde est, quod hic seruandæ sunt leges contractuum, vt libertatis contrahentium sit simul contrahere, & eorum sit videre quid cuique vtile sit, & in contractu apponere conditiones sibi bene visas, sine quibus contractus sit irritus. Et vlterius sequitur, quod ad irritandam professionem non est necesse directè reddere inhabilem aliquem ad profitendum, sed sufficit irritare consensum ex parte Religionis, quod est in potestate Religionis, & superiorum quorum est præbere consensum principaliter, & qui possunt apponere conditiones sine quibus intendunt non consentire, & ex consequenti intendunt non valere consensum inferiorum, qui dissentientibus superioribus non possunt valide consentire.

308. Sic igitur ad quæstionem respondendo, & diuersas opiniones concordando, dicitur primò quod nec Capitulum Generale, nec alius Regularis Prælatus potest statutũ facere, per quod directè irritetur professio ex defectu profitentis, vel ex aliqua eius inhabilitate. Seu non potest directè statuere, vt aliqua qualitas hominis sit impedimentum dirimens professionem. Et in hoc sensu vera est opinio Nauar. & Sanchez, & aliorũ, qui eos sequuntur. Quod tamen non asseritur ex eo quod irritare professionem per se, & ex se sit contra ius Cannonicum, nec quia sit eadem ratio de matrimonio, aut collatione beneficiorum, & professione. Sed quia nullus directè potest irritare contractus, si ei non subijciuntur contrahentes, nec potest superior directè inhabilitare ad contrahendum eum, qui non est sibi subditus. Ante professionem verò, qui vult profiteri non est subditus Prælati regularis, aut Capituli Generalis, igitur non potest Prælatus regularis, aut Generale Capitulum directè illum inhabilitare ad professionem. Ideò hoc puto certum esse, quod non potest Capitulum Generale condere statutum, per quod directè irritetur professio ex defectu alicuius qualitatis in profitente. Et hoc est quod docet Sanchez *l.6.* in Decal. *cap.4. n.71.* & 13. quod & apud ipsum tenuerunt Sorbus *v. nouitius post notabile 7. §.5.* principaliter. Vega *2. tom. sum. cap.50. casu 5.* Rodriq. *tom.1. sum. c.5. num.1. & cap.6. num.3. & tom. 3. q.11. a. 1. & q. 55. a.10. & q.17. a.20.* quos sequuti sunt Layman. *l.4. tr.5. cap.2. num. 4.* Bordon. cap. 3. *de profess. quæst.16.* Tamour *tom. 2. disp. 14. quæst.19.* circa finem.

309. Dico tamen secundò, quod ad valorem professionis principaliter, & primò necessarius est consensus Religionis, quem præstare pertinet principaliter ad Capitulum Generale, vel ad Generalem Religionis, & successiue ad Prouinciales in suis Prouincijs, & ad Conuentus in quibus nouitius habuit annum probationis. Et hoc nedum ex iure positiuo, sed ex iure diuino connaturali institutioni Religionum, nam Religioni substantiale est, & illi prorsus connaturale, vt admissio ad illam sit quasi contractus, seu sit talis contractus, qualis est donatio, traditio, promissio, & libera acceptatio donationis, traditionis, & promissionis eius, qui admittitur, & qui sponte se offert, donat, tradit in Religiosum promittens vsque ad mortem vitam Regularem secundum Regulam illius Ordinis in quo profitetur. Cum verò de iure naturali sit, & Cannonicò, quod donatio, & promissio non subsistat nisi acceptata, igitur de iure connaturali professionis est, vt sit nulla deficiente consensu Religionis, seu Capituli Generalis, aut Generalis, & aliorum, quorum sit consensum præbere nomine Religionis. Et licet potuisset institui, vt sufficeret ad hoc consensus summi pontificis, qui est summus, & Ecclesiæ Præsul., & Religionum Prælatus, Nihilominus, quia cura consentiendi commissa est, tamquam Ordinaria Religionibus ipsis, & earum Prælatis, horum consensus est de iure naturali institutionis Religionum omnino necessarius ad valorem professionis, & hoc nullus DD. negat.

310. Dico tertiò, quod Capitulum Generale, vel quicumque in Religione potest condere leges, potest simul condere statuta irritantia professionem ex triplici capite, Primò dirigendo consensum subditorum suorum. Secundò auferendo ab inferiori potentiam acceptandi. Tertiò negando consensum suum. Quod enim Religiones possint condere leges indubitati iuris est, & colligitur ex Innoc. *cap. singularis vers. fin. de statu Monach.* Caiet. *tom. 1. Opusc. tr. 31. resp. 6.* Vasquez *p.2. d.153. c.1.* Salas *p.2. disp.8. sec.18.* Suarez *tom.4. de Relig. tr. 10. l.2. c. 2.* Vech. *in prax. Nouitiorum disp. 3. dub. 1. num.4. & 5.* Lezana *consult. 17. num. 3.* Anton. à Spir. S. *tr. 3. disp. 3. à num.55.* Hæc verò facultas principaliter est in Capitulo Generali, quod totam Religionem repræsentat, In Ordine Prædicatorum etiam Generalis potest leges perpetuo duraturas condere. Dicitur igitur, quod quicumque potest in Religione condere leges potest ex præfata triplici causa condere statuta irritantia professionem.

311. Nam primò considerata vi directiua superiorum quibus commissa est cura Religionum, vt videant quid bono communi conueniat, ex hoc licitum est superioribus eisdem, si videant aliquid non conuenire Religioni, prohibere subditis ne con-

constituant in eo, quod non conuenire visum fuerit, & in proposito possunt prohibere ne consentiant, & approbent professionem eius, qui descendat ex Iudæis, vel Saracenis, & quidem irritando consensum aliter datum, & attentatum. Quia cum velle subditorum sit in potestate superiorum nec contra illorum voluntatem possit habere efficaciam, possunt superiores decernere, vt consensus datus contra eorum prohibitionem sit irritus, & nullius valoris; & sic possunt ex iusta causa decernere, quod consensus in professionem eorum, qui descendunt à Iudæis, aut Saracenis sit irritus, & nullius efficaciæ. Et quia ad valorem professionis nedum requiritur consensus Capituli, sed est necessaria in acceptante facultas, & superioritas, quam Capitulum Generale, vel Prælatus superior in casu speciali ea iusta causa potest limitare, suspendere, & pro illa parte auferre, & adimere vigorem illum repræsentationis totius Religionis, quem habet Prælatus, qui immediate admittit ad professionem totius Religionis nomine, ideò bene potest condi statutum ex causa iusta per quod suspendatur cum decreto irritante, seù adimatur in casu speciali v.g. in casu alicuius descendentis à Iudæis, vel Saracenis, ne Prælatus aliquis validè possit nomine Religionis talis Nouitij professionem acceptare. Et hoc in iure communi non habet difficultatem, cum de iure communi Prælati superiores habeant omnimodam potestatem, nedum super subditis simplicibus, sed super Prælatis inferioribus *cap. inferior. d. 21. cap. Cum inferior, de maior. & obedientia*. Vnde quod Capitulum Generale, vel Generalis, & vniuersaliter Prælatus superior possit prohibere sub decreto irritante, ne inferiores aliquem admittant ad professionem, & eorum facultatem suspendere tradunt. Nauar. ipse *d. conf. 26. num. 1. & 11.* Sanchez *l. 5. c. 4. num. 71. & 73.* Rodr. *tom. 1. q. 10. a. 3. & tom. 3. q. 11. a. 8.* Hieron. Rodriq. *resol. 101. num. 6.* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. cap. 8.* Bordon. *de profess. cap. 3. q. 10.* Et Nicolaus tertius *in cap. Exijt de verbor. significationibus ait*, quod Generalis potest restringere potestatem Prouincialis ad recipiendum nouitios. Nihil verò interest si hæc prohibitio irritans consensum inferiorum fiat in particulari occasione ex causa priuata, vel fiat ex causa vniuersali, & perpetua per statutum perpetuum ab eo, qui perpetuas leges condere potest, quia vtrobique est potestas agendi, & causa iusta supponitur disponendi. Sic ergo Capitulum Generale, vel quicumque superior habens facultatem edendi leges, potest per legem prohibere, cum decreto irritante subditis ne admittant ad professionem descendentem à Iudæis, vel Saracenis, vel habentem aliam qualitatem bono Religionis non proportionatam. In quo casu nulla erit acceptatio, quia nullus consensus admittentium.

312. Ex tertia causa hic idem effectus prouenit, scilicet, quia potest Capitulum generale vel Generalis negare consensum suum acceptationi professionis descendentium à Iudæis, & Saracenis, quo consensu negato inutilis est aliorum consensus. Potest verò hic consensus negari per decretum vniuersale. Obstas igitur causas, quod Capitulum Generale, vel superior potens condere leges possit etiam facere statutum ex iusta causa irritans professionem, seu ponens impedimenta dirimentia professionem, docuerunt Suarez *t. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. cap. 2. num. 3. & seq.* Lezana *cons. 27. num. 2.* Vbi tuetur statutum Ord. Carthus. per quod ordinatur, vt si nouitius taceat morbum incurabilem, possit etiam post professionem expelli. Anton. à Spir. San. *tr. 3. disp. 3. num. 55. Rota decis. 297. p. 1. recent.* Vbi approbat statutum Relig. Militum Hierosol. in quo cauetur, vt in eo Ordine pro fratribus Militibus non admittantur, qui patre, aut auo Notario publico orti sunt. Quod quidem ex eo magis comprobatur, quod cum ex iure communi possit nouitius ætatis annorum 16. post vnicum annum probationis emittere professionem, nihilominus in aliquibus Religionibus ad profitendum requiritur annus 18. vt in Religione Minimorum, & in alijs, vt in societate requiritur biennium nouitiatus, nec non rouerte deberet, quod quatenus si huiusmodi requisita ex vi statuti harum Religionum si nt per statutum requisita de forma, & sub decreto irritante professio aliter attentata non sit nulla.

313. Sed tam Nauar. *d. cons. 26. num. 1. & 11.* quam Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. num. 30. & Rota in Bononien. professionis 9. Decembris 1618.* coram Vbaldo, *nu. 2.* quæ habetur apud Lezanam, *cons. 27.* Admittunt posse fieri statum per quod prohibeantur recipi homines talis, vel talis qualitatis, vt puta descendentes à Iudæis, & Saracenis, simul præcipiendo, vt admittendis fiat protestatio de nullitate receptionis, & professionis, si forte sint tales, & quod in hoc casu professio esset nulla, si qui admittitur à Iudæis, vel Saracenis descenderet, & quod tum professio esset nulla ex defectu consensus, non ex vi statuti. Sed dicitur, quod sicut ex vi statuti in hoc casu negatur consensus, vel datur expressè sub conditione, quod admittendus non patiatur defectum Originis ex infidelibus, ita in statuto absoluto prohibente admitti præfato defectu laborantes eo iudicitur nullitas, quia sit vt consensus admittentem sit eadem conditione conditionatus, & facultas admittentis suspensa, & arctata, vt non possit alio modo, quam sub ea conditione profitentem admittere ad professionem.

314. Nec est opus protestationi alia expressa, sed lex ipsa protestatur de nullitate, publicatione legis irritantis professionem aliter attentatam habente vim protestationis eminentiori modo; & tali, vt ex vi decreti irritantis afficiat etiam ignorantes, vt professio sit nulla, etiam si admittens, & admissus legis notitiam non haberent. Ignorantia enim inuincibilis excusat quidem à culpa, sed non sufficit, vt faciat actum validum, si lex decernit illum tanquam contra legem prohibentem esse nullum. Decretum enim irritans legat ignorantes *cap. Si postquam, & cap. Dudum. & §. beneficia de rescriptis in 6. Rota dec. 578. nu. 3. p. 1. diuers. & dec. 580. num. 5.* coram Penna & Io. And. *in cap. quod dum §. fin. de præben. in 6.* Cassad. *dec. 18. super reg.* Et ita lex munita decreto irritanti vi suæ promulgationis protestatur, quod attentatum contra legem erit nullum. Vnde statutum, vt non admittatur aliquis patiens defectum originis ab infidelibus munitum decreto irritanti, non indiget noua alia protestatione.

Quæ-

315. Quærit autem Anton. à Spir. Sancto *tr. 3. disp. 3. num. 60. & sequen.* An huiusmodi statutũ possit fieri à Diffinitorio Generali, & à Prouinciali Capitulo, & à Diffinitorio suæ Prouinciæ Lusitaniæ, sed quæstioni breuiter dicitur, quod quilibet potest tale statutũ perpetuum facere, qui potest condere leges perpetuas. Qui verò non potest condere leges perpetuas, potest statuere pro tempore, pro quo eius leges durant, & quilibet superior, qui potest præcipiendo suspendere vel limitare concursum, & facultatem inferiorum à quibus dependet admissio ad professionem potest in casu particulari idem præcipere, & suum consensum negare, & sic professionem in casu singulari irritam reddere.

316. Pro Minoribus de Obseruantia præcepit Pius Quintus in *Constit. Pastoralis officij*, 128. vt descẽdentes ex Iudæis, & Maumetanis baptizatis in ea Religione admitti possent, & quod huiusmodi conditio illis non obstaret quominus ad gradus, & dignitates promoueri possent. Et idem de filijs hæreticorum, quorum parentes ad fidem conuersi sunt seruari voluit: Mandauit tamen quod defectus originis à patribus hæreticis damnatis, & non conuersis, vel quorum statuæ combustæ sunt obstet ne in dicta Religione recipiantur, si per lineam paternam vsque ad secundam generationem, & si per maternam vsque ad primam tantum. Idemque seruandum censuit in fratribus, qui ad sacros etiam presbiteratus Ordines admittuntur. Similem Constitutionem pro Minimis edidit Greg. 13. & est apud Peyr. tertia in hoc verò est distinctio quod quantum ad filios hæreticorum, exprimit etiam filios Iudæorum, & Mahumetanorum, quorũ parentes post baptisma recesserunt à fide, & in foro Ecclesiastico per sententiam damnati sunt, vel quorum ossa aut statuæ combustæ sunt, his enim filijs defectus originis voluit obesse vsque ad quartam generationem tam per lineam paternam, quam maternam.

317. Est verò circa huiusmodi constitutionem Greg. 13. aduertendum, quod ex ea neruosè confirmatur resolutio suprapolita. Cum enim in Capitulo Generali Ordinis Minimorum statutum fuisset, vt nullus de genere Iudæorum, vel Mahumetanorum in eum Ordinem reciperetur; ac vt nouitius tam ad habitus, quam ad professionem admittẽdus interrogaretur à Prælato, an ex huiusmodi genere descẽderet, & si negatiuè respõderet, reciperetur præmissa protestatione, quod quotiescumque postea inuentum fuerit, eum ex tali genere originem ducere professio facta esset nulla ex parte Religionis. Quoniam hoc statuto non obstante multi ex huiusmodi genere in eum Ordinem fuerunt recepti, disputatum fuit de validitate professionis eorum in S. Congregatione Concilij, & fuit resolutum huiusmodi professiones valere, & decretum S. Congregationis seu melius eiusdem Greg. 13. de quo in dicta etiam *Constitut.* fit mentio refertur à Reuerendiss. Fagnano, *cap. qui presbyterum num.* 123. *de Pænit. & remiss.* sub his verbis. *Quæsitum fuit an originem habentes à Iudæis admissi ad Religionem cum illa protestatione sint legitimè professi vel secus? Sanctissimus respondit habendos esse pro professis, nec eyci debere, cum hactenus nemo fuerit electus.* Considerandum propterea est, quod in hoc Greg. 13. decreto Religiosi ex genere Iudæorum aut Mahumetanorum, qui in eo Ordine habitum sumpserant, iudicati sunt professi; non quia illud statutum esset nullum, sed quia non fuerat vsui traditum. In præfata verò Constit. Gregorius dictum statutum abrogauit, non quia nullum ex defectu potestatis statuentis, sed quia non mediocrem dicti Ordinis tranquillitati, & multis, qui ex huiusmodi genere originem duxere perturbationem attulit, vnde nec omnino statutum illud, vel statuta abrogauit, sed solum pro ea parte pro qua contraria erant dispositis in illa Constit. Et ea non declarauit nulla esse, sed auctoritate sua abrogauit. Sensit igitur Pontifex Capitulum Generale validè potuisse prohibere, ne in eo Ordine ad habitum, & professionem admitterentur, qui ex præfato genere erant, etiam irritando professiones illorum, si contigisset aliquem admitti etiam ignoranter. Et verè sic est, quia ad hoc, vt statutum validè irritet professionem, non est necesse quod irritet illam directè, sed sufficit quod irritet illam ex parte Religionis ex quo consequitur, quod sit absolutè irrita, quia nullus est contractus, cui deficit vnius partis consensus. Et sic Prælati regulares inferiores impediri possunt à superioribus in casibus specialibus, seu ex particulari causa nedum per viam præcepti emanati ab homine, sed per viam legis perpetuæ.

318. In casu autẽ concurrentiæ plurium Prælatorum, si Prælatus superior velit ipse admittere ad professionem nouitium inferior cedere debet, quia præeminet superioris auctoritas. Et sic præsente Generali, si ipse velit alicuius nouitij admittere professionem, Prouincialis aut Prælatus localis abstinebit. Sed vbi concurrant plures Prælati æquales, quid agendum? Possibilis est casus in suppositione quod nouitius vnius Prouinciæ peregerit nouitiatum in aliena Prouincia. In hoc enim casu Bordon. *de profess. cap.* 3. *q.* 54. arbitratur quod recipere huiusmodi nouitium ad professionem spectet non ad Prælatum Conuentus, seu Prouinciæ in qua habitus fuit nouitiatus, sed ad Prælatum Prouinciæ cuius nouitius est filius. Potest verò hoc contingere dupliciter, primo, scilicet, quia nouitius vnius Prouinciæ post peractum nouitiatum ante professionem redeat ad suam Prouinciam, quod posse fieri probauit Bord. *cap.* 4. *q.* 24. & dictum est supra in tractatu de nouitiatu. Et in hoc casu sine difficultate dicendum est pertinere ad Prælatum illius Prouinciæ cuius nouitius est filius, admittere professionem illius, cum talis nouitius tunc sit eius subditus, & sub eius dominatiua potestate, & iam abstractus à potestate Prælati Conuentus nouitiatus. Donatus p. 4. tr. 10. *q.* 9. Sed secundo hic concursus Prælatorum potest contingere, quia Prælatus Prouinciæ cuius nouitius est filius sit in Prouincia, & Conuentu nouitiatus simul cum eiusdem Prouinciæ, & Conuentus Prælato, & in hoc casu non benè dicitur, quod admittere ad professionem nouitium spectet ad Prælatum Prouinciæ cuius nouitius est filius, quia ille Prælatus non est illius nouitij proprius Superior. Filiatio enim Prouinciæ non facit, quod Religiosus sit subditus actu superioris Prouinciæ, sed hoc facit assignatio seu deputa-

tio

tio; Vnde nouitius dum habet Conuentum nouitiatus sibi deputatum, & est illi assignatus, seu applicatus habet pro superiore sibi proprio eiusdem Conuentus Prælatum, quidquid sit, an alterius Conuentus, vel Prouinciæ sit filius; igitur admittere talem nouitium ad professionem spectat ad Prælatum Conuentus nouitiatus. Imò si nouitius rediisset ad suam Prouinciam cum simplici licentia, rediturus ad Conuentum nouitiatus, vnde non fuisset ablatus à subiectione, & potestate Prælati Conuentus nouitiatus, ad hunc pertineret eiusdem professionem recipere si inueniretur in Conuentu, & Prouincia cuius nouitius est filius, Quia tunc nouitius non esset subditus Prælati illius Conuentus, & Prouinciæ nisi secundum quid ratione hospitij, esset verò simpliciter subditus Prælati Conuentus nouitiatus. Qui etiam in alieno territorio posset exercere actum admissionis ad professionem, qui non est actus contentiosæ iurisdictionis. Posset tamen Prælato Prouinciæ cuius nouitius est filius delegari admissio nouitij ad professionem.

319. Si autem contingat, quod tempore professionis faciendæ Prælatus Conuentus nouitiatus sit mortuus, *in cap. fin. de Regul. in 6.* dicitur, quod si admittere ad professionem pertinet tam ad Abbatem, quam ad Conuentum, poterit Conuentus recipere professionem nouitij, secus si hoc spectet ad Abbatem tantum. Sed Tambur. *t. 3. q. 4. num. 3.* ait quod in hoc casu maxime in Congregationibus Monachorum poterit *fieri* professio in manibus Prioris, vel alterius Vicarij ad quem tota Monasterij potestas ex morte Abbatis deuoluitur. Et vere sic est. quod Prælaturæ Regularium non sic vacant, quin remaneat aliquis habens ordinariam potestatem super Conuentu. Et hic spectato iure communi tanquam superior ordinarius poterit recipere nouitios ad professionem nisi in aliqua Religione aliter sit statutum. In Ord. Præd. specialiter est cautum quod supprior vacante Prioratu vices Prioris plenissimè gerat, vt habetur in *in Const. dist. 2. cap. 2. de elect. Prioris*, & ideò potest recipere ad habitum, & professionem, vt etiam habetur declaratum *dist. 1. cap. 13. §. 4. lit. N.* Vrceanus *p. 3. cap. 13.* Et idem potest Vicarius vel electus à Patribus mortuo Priore, vel missus à Prouinciali.

320. *In tr. etiã de Nouit. insp. 7. n. 204. p. 153.* dictum fuit fac. licere admittendi ad professionem posse delegari simplici Religioso, *cap. Ad Apostolicam. de Regul.* ibi per se, vel per alium, & ibi Host. *num. 7.* Butr. *num. 3.* Fagnan. *num. 18.* & *cap. Insinuante. num. 18. qui Cleric. vel. vouen.* & *cap. qui Presbyterum n. 43. de pœnit. & remiss. n. 18. Rota in antiquis dec. 4. de regul.* Idem Host. *in cap. Porrectum. num. 13. eod. tit.* Vbi cum Innoc. *num. 4.* censet hoc munus demandari posse non tantum Monacho, vel Clerico, sed etiam Laico, & satis esse vt professio recipiatur ipso superiore mandante, vel postea ratificante, *vt cap. Gonsaldus 17. q. 2.* & *cap. Insinuante, qui Cleric. vel vouen.* Et sic simplex Religiosus sub ratihabitione recipit professionem. Fagnan. *d. cap. Insinuante num. 18.* Ratihabitio tamen non potest retrotrahi, quia consensus datus sub ratihabitione non est consensus omnino de præsenti, sed in futurum respiciens, incipit vero esse de præsenti à puncto ratihabitionis. Innoc. *in 2 in c. Porrectum de Regul.* vbi Hostien. Io. Andr. *n. 4.* Fag. *n. 8.* Donatus *p. 4. tr. 10. q. 12.* Vbi tamen *q. 13.* sentit quod huiusmodi delegatio non debet fieri laico, sed supponit primo hoc falsum, quod admittere ad professionem sit actus iurisdictionis. Et secundo supponit hoc aliud falsum, quod vbi admissio fit ex delegatione, expectanda sit ratihabitio superioris ita quod professio tunc, & eius iura incipiant currere solum à die ratihabitionis superioris, Hoc enim quod est verum si professio sit admissa à non habente facultatẽ nec ordinariam, nec delegatam, non est verum, vbi qui admittit habet potestatem delegatam. Verum tamen est, quod malum esset facultatem hanc delegare laico, si huius non esset aliqua rationabilis causa,

321. Hic verò difficultas esse potest, an quando superior ratam habet admissionem factam à non habente ad id facultatem, sit necessarius in profitente nouus consensus. Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 11. num. 7.* quem sequitur Tamb. *tom. 3. dis. 6. q. 21.* existimat, quod necesse sit, vt consensus profitentis primo datus sub spe ratihabitionis perseueret tempore ratihabitionis, & hoc est indubitatum, quia si tunc consensus profitentis fuit reuocatus, simul fuit reuocata donatio, & traditio, & promissio, per quam qui professus fuit coram non habente facultatem acceptandi, se donauit, & tradidit Religioni promittens vitam regularem; donatio vero reuocata inutiliter acceptatur, & nulliter. Subdit verò quod etiam permanente consensu profitentis non statim ac ratificatur acceptatio professionis valet professio, sed necesse est, quod illi innotescat ratihabitio, & tunc necesse est, quod qui professus fuit approbet ratihabitionem saltem tacendo; & sic necesse quod aliquo signo sensibili saltem tacito significet perseuerantiam sui consensus, quod moraliter est de nouo consentire, & sic saltem hoc modo necesse est, vt de nouo consentiat. Sed certè consensus primo sensibiliter datus sensibiliter censetur durare, si sensibiliter non sit reuocatus. Nec video quod necesse sit, ad valorem professionis, quod ratihabitio innotescat ei qui sub ratihabitione professus fuit, & vnde dicatur professionem non perfici substantialiter ab eo instanti, in quo data est ratihabitio; cum sit, quod is, qui professus fuit, dederit consensum pro instanti ratihabitionis, cum sola ratihabitio desideretur. Et ita in matrimonio contracto sub conditione, quod sufficiat si perficiatur conditio, nec sit necessarium, quod contrahentibus innotescat purificatio conditionis ex Anchar. *cap. Super eo de condit. apponen. num. 8.* tradit Sanchez *l. 5. de matrim. disp. 8. num. 6.* Et sic etiam in puncto ratihabitionis admissionis professionis professio sub spe ratihabitionis emissa perficitur substantialiter, & irreuocabiliter.

322. Cum verò admittere professionem sit Prælati regularis, in illam tamen consentire est Capituli vbi vel statutum speciale vel consuetudo id requirit; de iure enim communi vtrumque potest contingere, vt plurimum tamen statuta specialia aut consuetudines Religionum petunt consensum Conuentus tanquam de forma, ad hoc vt nouitius validè admittatur ad professionem: ita scilicet vt nec Conuentus sine Prælato, nec Prælatus

sine

vt nisi Conuentus consensu validè ad professionem aliquem admittat. Sufficit verò de iure communi consensus maioris partis vocalium, imò si omnes de Capitulo præter vnū aut duos sint priuati voce, sufficit illos, vel vnum consentire, nec est necesse, vt consensus datur per vota secreta, si lex specialis id non requirat, & datus non sine iusta causa potest reuocari, & ei qui est dignus non potest negari, sicut nec potest concedi indigno. Nihil verò interest, quod Prælatus sit priuatus voce actiua, & passiua, vt ipse supposito legitimo Conuentus consensu possit ad professionem admittere nouitium, quia hoc non est vti voce, quæ est priuatus. Non potest vero admittere ad professionem nisi præmissos fuerit nouitiatus, & quamuis acceptum pro Conuerso non possit recipere ad statum Clericatus, si tamen ex dispensatione hoc fieret, non deberet præmitti alius nouitiatus. Nicolius *l. 3. tit. 38. num. 36.* refert, quod in Religione Sancti Spiritus in Saxia solus Præceptor cum voto Vicarij seu Oeconomi, & duorum Priorum Ecclesiæ, & Archihospitalis, vel maioris partis eorum recipit ad professionem. Quinimo sustinetur professio si emittatur in manibus Prioris Monasterij absque licentia alterius superioris, vt habet Diana in fine *6. partis ex Rota.* Quod si huiusmodi Prioris seu superioris electio fuerit cassata, & declarata nulla, nihilominus professio ante declarationem admissa est valida, ex *l. Barbar. de off. Prætoris*, vt dixit *S. Congr. Epis. & Regul. 9. Aprilis 1660.* Si verò Prælatus recipiat nouitium ad professionem non præmissis informationibus statutis à Sixto Quinto, incurrit quidem pœnas ab eo latas, sed professio ex hoc capite non est nulla, licet in vi *Constit. illius Pontif.* esset nulla ex alijs capitibus, *Bosa dec. 83. num. 15. coram Bosas.*

323. Potest verò esse dubium à quo Conuentu dari debeat consensus, si contingat Nouitium in duobus Conuentibus habuisse annum probationis, nimirum partim in vno, & partim in alio. Bordon. *cap. 3. q. 55.* distinguendo ait, quod si nouitius saltem per æquale tempus permansit in vtroque Conuentu sufficit consensus secundi Conuentus, secus si per maiorem partem anni fuit in priori Conuentu; vt puta solum per tres aut quatuor menses. Sed considerandum est, quod annus probationis datus est in experimentum, vt ab eo, ad quem spectat admittere ad professionem possit haberi prudens deliberatio, & iudicium de nouitij professione recipienda, neque per hoc datum est Conuentui nouitiatus aliquod ius vel admittendi ad professionem nouitium, vel in eius professionem consentiendi, Sicut ergo per se de iure communi non est necessarius consensus Capituli, seu Conuentus, & in aliquibus Religionibus talis consensus de facto non desideratur, vel si desideratur non est de forma, vel sufficit vocasse Capitulum ad consilium, non est verò necesse expectare eius consensum, & tamen in omni Religione annus probationis in Conuentu est necessarius: ita esto in aliqua Religione consensus Conuentus sit necessarius de forma, ex hoc præcisè non est necesse, quod hic consensus habeatur à Conuentu nouitiatus; sed in hoc standum est proprijs legibus, & consuetudinibus Religionum, quas non mutauit lex indicens annum probationis, cui legi hoc sufficit, quod ex hoc anno informari possit de conuenientia professionis is, ad quem spectat admittere ad professionem. Sic ergo dicitur, quod nisi adsit specialis lex in contrarium dare consensum ad professionem spectat ad illum Conuentum in quo nouitius complet annum probationis, quia nouitius ad illum Conuentum spectat, & est subditus Prælato illius, qui ad consilium vocare debet suum Capitulum, non verò Capitulum alterius Conuentus, & nouitius ab eo Conuento debet incorporari Religioni, ad quem spectat, & sub cuius Prælati iurisdictione est. Donatus *p. 4. tr. 10. q. 9.* Debet tamen habere literas testimoniales à priori Conuentu. Quia lex vult vt Prælatus; qui admittere debet ad professionem ex annali experimento informetur, ideò debet informari de gestis nouitij etiam de tempore, quo fuit in alio Conuentu. An verò huiusmodi literæ debeant dari à Capitulo prioris Conuentus collegialiter congregato, an sufficiat vt quomodocumque habeantur in forma sufficienti ad habendam prudentem deliberationem de professione nouitij admittendi; etiam in hoc standum est consuetudini, vel legi speciali Religionis. Nam per se loquendo non est necesse quod huiusmodi litteræ sint datæ à Capitulo collegialiter. Etenim & potest contingere quod nouitius de licentia Superiorum etiam per multum tempus existat extra Conuentum, vt probatum est in *tractatu de nouit.* & post Nauar. *cons. 42. de Reg.* tradunt Sanchez *l. 5. c. 4. num. 28.* & quamplures alij. Tunc verò sufficit, quod Prælatus admissurus ad professionem vndecumque informetur de idoneitate professuri. Itaque, nisi lex specialis id præcipiat, non est de forma, & substantia professionis, vt literæ testimoniales prioris Conuentus dentur collegialiter, quia nec est necesse, quod Prælatus qui admittere debet nouitiū ad professionem hoc vel illo modo informetur. Conuenit tamen, & valde melius est, vt nouitius in posteriori Conuentu sine literis testimonialibus à priori Conuentu collegialiter datis non recipiatur.

324. Sed numquid Generalis cum consensu Conuentus, in quo est, potest admittere ad professionem nouitium, qui in alio Conuentu habuit annum probationis, & maximè si ab eo Conuentu fuit reiectus? Ex Nauar. *cons. 37. de Regul.* negat Bordon. *cap. 3. de profess. q. 20.* quos sequitur Anton. à Spir. Sancto *tract. 3. disp. 3. num. 123.* & ratio est, quia per *cap. Ad Apostolicam, de Regul.* annus probationis inductus fuit etiam fauore Conuentus vt possit prudenter admittere nouitiū ad professionem; ergo Conuentus Nouitiatus, qui expertus fuit mores nouitij ille est, qui in professionem consentire debet, cum sit ille, qui hoc prudenter deliberare debet. Secundo quia professio dependet ex habilitate nouitij, vt habetur ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 16.* Generalis vero, & alter Conuentus à Conuentu nouitiatus non possunt esse informati de idoneitate nouitij, sed imò debent iudicare nouitiū reiectum à Conuentu nouitiatus fuisse reiectum ex iusta causa, & sic non possunt illum admittere. In casu verò appellationis Generalis potest mandare Conuentui nouitiatus vt reiectum admittant, si fuit iniustè reiectus. Sed dicitur quod certè in casu, quod consensus

Conuentus nouitiatus sit de forma, non potest Generalis sine consensu illius Conuentus in prima instantia admittere nouitiũ ad professionem. Sed hoc erit verum ex lege speciali, non ex rationibus allatis. Annus enim probationis inductus est fauore nouitij, & Religionis, non verò tantum fauore huius, vel illius Monasterij in singulari, nisi Monasterium in singulari sit vnicum, & ab alijs separatum, & tanquam tota Religio. At verò Religio, & Generalis, & Conuentus in quo est, ex nouitiatu habito in Conuentu altero potest informari quantum sufficit, vt admittat nouitium ad professionem, vnde per se, vt dicebam, ex vi institutionis anni probationis, nullum ius collatum fuit Conuentui nouitiatus consentiendi in professionem nouitij, ex eo ergo quod professio dependet ex idoneitate nouitij, non potest probari quod ad professionem sit necessarius consensus Conuentus nouitiatus, nisi id speciali lege scripta, vel non scripta sit ordinatum. Qua lege præcisa Generalis de consensu cuiuscumque Conuentus posset ad professionem nouitios recipere, sicuti de facto potest recipere sine cuiuscumque Capituli consensu, vbi ex lege speciali consensus Capituli non est necessarius. In casu verò appellationis, etiam vbi in prima instantia consensus Capituli nouitiatus sit de forma, dicti Capituli consensus minime est necessarius, nisi & adsit lex quæ hoc specialiter decernat, sed tunc ex notitia, & informationibus, & processu desuper formato, causa debet determinari, & nouitius iniustè reiectus admitti. Et nec expediret præcipere Conuentui, qui nouitium reiecit, vt illum approbaret. Nam imò cum talis reiectio, & approbatio regulanda sit ex iudicio priuato singulorum de Capitulo, possent illi nolle obedire Generali ex eo quod dicerent se iudicare nouitium professione indignũ. Et licet tenerentur non impedire professionem illius, & post emissam professionem habere illum pro professo, non tamen tenerentur iudicare illum dignum professione ex eorum priuato iudicio, vel dare votum contra conscientiam illorum priuatam pro admissione nouitij illius ad professionem.

325. Vbi igitur est necessarius consensus Capituli, numquid Prælatus in hoc Capitulo habet suffragium, & concurrit cum alijs, vel potius excludi debet? Excludi de iure arbitratur Bordon. *de profess. cap. 3. q. 30.* Tum quia ad Prælatum spectat ordinare Monachum, ad Capitulum verò præstare consensum. *cap. fin. 16. q. 7.* Tum quia notum est Prælatum incorporare nouitium Religioni ex consensu Capituli. Tum quia nomine Conuentus seu Capituli non venit Prælatus ex Gloss. *in Clem. 2. de ætat. & qual.* Tum quia Prælatus præiudicaret sibi si concurreret, quia si daret votum negatiuum, & maior pars Conuentus affirmatiuum, cogeretur Prælatus admittere ad professionem nouitium contra suam voluntatem, cum tamen possit reijcere, & nolle admittere eũ, quem approbauit Conuentus. Tum demum, quia ad valorem professionis requiritur maior pars Cõuentus excluso Prælato. Et nihilominus idem Bordon. *d. cap. 3. q. 47.* vult quod Prouincialis extra Conuentum nouitiatus existens possit dare suffragium pro admissione nouitij; quia hoc potest dare Prælatus localis cum suis subditis, & quia licet non habeat experimentum nouitij potest ex fide dignis habere informationem sufficientem. Portel. *p. 1. casu 11.* nedum hoc idem docet, sed amplius vult quod Prouincialis possit dare votum pro approbatione nouitiæ Monialis ad professionem. Sed dicitur primo de iure communi non excludi Prælatum, quin simul cum cæteris de Capitulo det suffragium pro admittendo vel reijciendo nouitio à professione. Non est enim textus in quo hoc prohibeatur, & rationes allatæ minus probant. Neque enim est inconueniens quod Prælatus duas personas gerat, & quod tanquam vnus de communitate habeat sicut alij vocem in Capitulo, & quod vlterius tanquam Prælatus, quæ sui officij sunt possit adimplere. Sic & sæpissime Episcopus vt Canonicus interest Capitulo, & habet in eo suffragium, vnde disputatur qualis locus tunc illi debeatur, de quo videri possunt DD. quos cumulat Barbosa *de Canonicis cap. 36. num. 2.* Sic ergo nec contra ius commune est, quod Prælatus Regularis, & tanquam vnus de Capitulo det suffragium, & postea tanquam Prælatus acceptet nouitium ad professionem vel eum reijciat iuxta sui officij facultatem. In his ergo standũ est proprijs Religionum statutis aut consuetudini. Et quod adducitur ex Glossa *Clem. 2. v. in eisdem*, non militat quia verissimum est quod sub nomine Capituli in odiosis non venit Prælatus, vt quod singulis de Capitulo prohibetur, censeatur prohibitum Prælato, sed non per hoc Glossa vult quod Prælati non possint esse de Capitulo, & habere in eo suffragium, imò supponit habere suffragium, & vult quod ex vi dictæ Clementinæ non censeantur priuati voce eo quod voce priuetur Capitulum, quia sub nomine Capituli non venit Prælatus.

326 Vt verò quæstioni satisfiat considerandum est, quod vbi consensus deberet dari collegialiter, vel etiam per vota secreta, Prælatus vt persona priuata, & ex ea ratione qua esset vnus de Capitulo, non posset vel extra Capitulum, vel publicè dare suffragium suum, & consensum, vel dissensum de admittendo nouitio ad professionem. Si etiam de forma esset vt nouitius deberet approbari à maiori parte Capituli excluso Prælato, non posset Prouincialis suo suffragio in prima instantia facere vt admitteretur, qui pro sua admissione habuisset pro, & contra suffragia æqualia. Sicut è contra si consensus non esset necessario dandus collegialiter, nec per vota secreta, nec solum à præsentibus in Conuentu, posset Prouincialis in alio Conuentu existens dare suffragium, & parti, cui vellet accedere, & partem illam augere. Quod & facere posset absolutè, si lege, aut consuetudine id præscriptum esset. Sicut in multis negotijs fit. Vt v. g. in Ord. Præd. dum aliquis pro gradu assequendo examinatur, si obtinet ab examinatoribus pro & contra æqualia suffragia in potestate Generalis est suo suffragio ad quam voluerit partem accedere, & sic facere vt pars illa cui accesserit vincat. Sic & in concursu ad beneficia curata, si vota examinatorum diuidantur in partes æquales. Episcopus potest vni parti accedere. Barbosa *de Parocho cap. 2. num. 92.* Et tamen tunc Episcopus accedere debet in loco examinis coram

exa-

& aminatoribus. Garzia *de benef. p. 9. c. 5. nu. 58.* quamobrem in his standum est legibus, & consuetudinibus, nam de iure communi nō adest regula generalis per quam Prælato expressè detur facultas accedendi per suum suffragium ad aliquam partem suffragiorum.

327. Quod verò addidit Portell. asserens Provincialem posse accedere ad vota Monialium in approbatione nouitiæ etiam si sit absens, non habet fundamentum veritatis. Nam & argumentatur ex eo, quod Prouincialis habeat votum in electione Abbatissæ, cuius oppositum declarauit S. Congr. Regularium 5. Martij 1519. & S. Congr. Concilij die 23. Maij 1621. & tenent communiter DD. quos retuli, & sequutus sum *de elect. cap. 40. num. 19.* Prouincialis enim sicut & Episcopus sūt Præsides, Superiores, & Prælati Monialium sibi subditarum, sed sunt extrinseci ab illarum vniuersitate, nec sunt de earum Capitulo, & ex eo quod sunt Prælati habent Monialium directionem non verò electionem.

328. Verum est quod Prouincialis tanquam index appellationis seu recursus, cuius officium implorare potest nouitius non approbatus potest si sibi iustum visum fuerit non quidem accedendo, sed iudicando approbare iudicium illius partis, quæ stetit pro admissione nouitij ad professionem, & cassare iudicium aliorum, & sic nullo alio Conuentus requisito consensu decernere, vt nouitius admittatur à Prælato locali, vel ipse eiusdem professionem admittere. Quia in eo iudicio non pendet à consensu Conuentus, sed à rei veritate in suo iudicio cognita, & ex allegatis comprobata, etiam per viam extraiudicialem. Nam si ad confirmandam, vel cassandam electionem Canonicam sufficit notitia extraiudicialis, vt probaui *de elect. cap. 33. num. 89. & 138.* multo minus ad approbandum pro ingressu, & Religione sufficit extraiudicialis certitudo. Hoc igitur modo Superior cuius officium implorat non approbatus ad professionem potest, si id patitur iustitia illum approbare.

329. Pro admittendo autem, vel non admittendo aliquem ad professionem multipliciter potest protestatio, aut appellatio interponi, nimirum & ante, & post admissionem, seu consensum datum à Capitulo. Cum verò hic versemur in iudicio extraiudiciali non habet locum appellatio propriè, & rigorosè sumpta, nisi iam causa ad forum contentiosum deducta, & iuridice procedente iudicialiter appelletur à sententia diffinitiua, vel à decreto interlocutorio habente vim diffinitiuæ. Appellatio enim propriè cum sit prouocatio à minori ad maiorem iudicem *l. 1. §. si quis ff. de appell. cap. omnis, cap. si quis, cap. placuit. 11. qu. 6.* Non habet locum nisi vbi iudex iudicialiter procedit. Ante admissionem verò potest fieri protestatio, si v. g. sit defectus occultus, & qui negetur, potest quis de Conuentu protestari vt non fiat Capitulum, neque admittatur nisi prius examinato negotio ea omni via qua potest examinari. Arbitratur tamen Bordon. *cap. 3. de profess. q. 51.* quod si sit dubium concernens mores nouitij, superior debet procedere ad receptionem votorum quia in admittendo ad professionem iudicium ferendum est per vota secreta, non per protestationem, & hoc ad vitandum rixas, & tumultus. Sed in contrarium est, quod nec necesse est, quod suffragia à Conuentu dentur secretè. Et vbi sic dantur, non est iustum relinquere arbitrio iudicantium id quod est occultum, & incertum, & quod si sit manifestum potest meritò necessitare Conuentum, si vult iuste iudicare, vel ad approbandum, vel ad reijciendum nouitium. Et ideò nedum si defectus sit alicuius ex iure necessarij, sed etiam si sit defectus personalis nouitij potest quis protestari, vt habeatur eius veritas, & vt interim non procedatur ad admissionem, vel reiectionem nouitij. Pariter post datum consensum vel dissensum potest quis instare, & protestari ex iusta causa, vt non procedatur ad professionem, vel vt non eijciatur nouitius. Et post eiectionem potest implorari officium superioris. Verum est, quod cum huiusmodi protestatio, seu appellatio sit extraiudicialis non suspendit, & nihilominus acta contra protestationem, & appellationem ex postea iustificata sunt cassanda. Panor. *in c. Bona num. 2. de appellat.* & alij quos retuli, & sequutus sum *de elect. cap. 34. q. 1. num. 6.* Et cum tractetur de eo quod interest omnium, & singulorum, scilicet ne vel Religio priuetur idoneo filio, & apto, vel ne grauetur inutili pondere viri inepti, quilibet de Religione potest in hoc casu protestari, & appellare.

330. *Ex Constit. etiam* Sixti Quinti de illegitimis plures informationes summi debent, pro admittendis ijs, qui excedunt annum 16. de quibus supra; nunc iterum dicitur huiusmodi informationes non esse sumendas in transitu de vna Religione ad aliam vt declarauit S. Congr. *Regul. 10. Ianuar. 1603.* teste Nicolio *l. 3. tit. 31. num. 38. fin.*

331. An verò Prælatus suspensus fiat irregularis si admittat ad professionem? Communiter negatiuè respondetur eo quia admittere ad professionem nec sit actus ordinis nec iurisdictionis, ex Bonac. tamen *de cens. disp. 3. p. 4. num. 6.* Donatus *p. 4. tr. 11. q. 22.* habet, quod admittere ad professionem cum pompa Ecclesiæ benedicendo vestes cum stola, & recitando collectas, & alias preces inducat irregularitatem in suspenso, quia id sit actus Ordinis. Si tamen non faceret Prælatus nisi id, quod posset facere Abbatissa non exerceret actum Ordinis, ideò nec fieret irregularis.

S V M M A R I V M.

1 *Ratificatio professionis nullæ quid sit. num. 332.*
2 *Professio nulla ex multiplici causa. num. 333.*
3 *Non omnis professio nulla potest ratificari. numer. 334.*
4 *Professus dubius se habere debet vt professus. num. 335.*
5 *Non tamen tenetur ratificare professionem. numer. 335.*
6 *Dubius an intenderit ratificare censendus est ratificasse. num. 335.*
7 *Non professus tenetur ratificare professionem, vel statum exire, si potest. num. 336.*
8 *Non professus non exiens peccat recipiendo alimenta. num. 336.*

9 *Et peccat suffragando in Capitulo. num. 337.*
10 *Et utendo privilegijs Ordinis. num. 337.*
11 *An peccaret aliorum confessiones excipiendo. numer. 338.*
12 *An si eligatur gesta per eum valeant. num. 339.*
13 *Peccat Sacros Ordines suscipiendo. num. 340.*
14 *Non tamen est suspensus aut irregularis ex quo ordinetur sine titulo. num. 341.*
15 *Ex alijs causis potest esse suspensus ordines suscipiendo. num. 342.*
16 *Peccat deferendo habitum Religiosum. numer. 343.*
17 *Tenetur statim reclamare. num. 344.*
18 *Tempus ad deliberandum arbitrarium: tamen qui non vult ratificare non potest procrastinari. num. 345.*
19 *Non potest cogi ad ratificandum, sed ad exeundum. num. 346.*
20 *Qui non potest exire teneri ratificare quidam dicunt. num. 347.*
21 *Alij negant. num. 348.*
22 *Quæstio ista ab alijs duabus dependet. numer. 349.*
23 *Quod nulliter professus, qui non potest reclamare possit fugere multi sentiunt. num. 350.*
24 *Horum fundamenta. num. 351.*
25 *Aliorum sententia. num. 352.*
26 Concilium prohibet dari licentiam exeundi à Religione, nisi seruata forma ab eo instituta. num. 353.
27 Concilium prohibuit licentiam exeundi dari ex notitia extraiudiciali. num. 354.
28 *Finis decreti Concilij. num. 354.*
29 *Aliud est non impedire exitum, aliud dare licentiam exeundi: hoc prohibet Concilium, nisi seruata forma ab eo statuta. num. 355.*
30 *Superior solus in conscientia non potest nulliter professo dare licentiam exeundi à Religione. num. 355.*
31 Nulliter professus in conscientia non potest exire à Religione sine licentia. num. 356.
32 *Post quinquennium non potest audiri. num. 357.*
33 Nulliter professus non potest fugere. num. 357.
34 *Lex Concilij non fundatur in sola præsumptione ratificationis adæquatè. num. 357.*
35 *Concilium per quinquennium induxit præscriptionem, num. 358.*
36 *Multa exempla præscriptionum per quinquennium. num. 358.*
37 *Iustè inducta quinquennalis præscriptio. numer. 359.*
38 *Professio extrinsecus valida iuncto præcepto Ecclesiæ obligat ad perseuerandum. num. 360.*
39 *Probatur multis textibus, & exemplis. numer. 360.*
40 *Ecclesia non supplet consensum profitentis. num. 361.*
41 *Ecclesia vitam regularem professo in facie sua non reclamanti in tempore potest præcipere. num. 361.*
42 *Post quinquennium nulliter professus habet ius ad alimenta. num. 362.*
43 *Et quid infra quinquennium. num. 362.*
44 Non est eadem ratio de matrimonio, & professione. num. 363.
45 *Obligare etiam in conscientia non professum ad vitam regularem ex iusta causa non est malum. num. 363.*
46 Nulliter professus ex vi voti non tenetur ad obseruantias regulares, sed per accidens ratione scandali. num. 364.
47 *Religiosum nulliter professum teneri ad obseruantias regulares valde optatum. num. 364.*
48 Religiosus professus nulliter post quinquennium tenetur ad vitam regularem. num. 365.
49 *Lex Concilij si fundaretur adæquatè super præsumptione professionis haberetur non leue fundamentum ad dicendum quod non obliget in conscientia nulliter professum. num. 365.*
50 *Lex Concilij fundata principaliter in boni communis necessitate: ideò obligat in conscientia. num. 365.*
51 Nulliter professus tenetur tanquam ciuis ad leges Religionis. n. 366.
52 *Etiam ante quinquennium nulliter professus tenetur ad leges Ordinis. num. 367.*
53 *Post quinquennium nulliter professus habet ius ad alimenta, &c. n. 368.*
54 *Qualiter possit ordinari, vel non possit. num. 368.*
55 *Quid dicendum intra quinquennium. numer. 369.*
56 *Quid de eo qui bona fide cessante remanet in mala fide. n. 370.*
57 *Quid de non potente exire, & nolente ratificare? n. 371.*
58 Nulliter *professus non tenetur ratificare professionem. n. 372.*
59 *Dimissus non potest ratificare professionem. num. 373.*
60 *Ratihabitio habet locum in societate. n. 374.*
61 *An ad ratificandam professionem sit necessaria scientia nullitatis. n. 375.*
62 *Affirmat multi. n. 375. 376.*
63 *Alij negant. n. 377.*
64 *Ignorantia concomitans non facit inuoluntarium. n. 378.*
65 *Ignorantia nulliter professi censetur concomitans. n. 379.*
66 *Reclamatio an ostendat mutationem voluntatis. n. 380.*
67 *Ex actu ignoranter habito inducitur obligatio quando præcessit actus declaratorius voluntatis. n. 381.*
68 *Contra præsumptionem iuris, & de iure non admittitur probatio. n. 382.*
69 *Per se loquendo ignorans nullitatem professionis eam non ratificat. n. 383.*
70 *Consensus datus etiam non obstante longitudine temporis præsumitur durare. n. 384.*
71 *Concomitantia ignorantiæ ex eo solo non præsumitur, quod consensus præsumatur durare. n. 385.*
72 *Ad hoc vt concomitantia ignorantia colligatur necesse est, vt præsumi possit consensum prius datum non durare ex ignorantia. n. 385.*
73 *Per se ex obseruantia voti professionis non præsumitur eius ratificatio. num. 385.*
74 *Contra professionem præsumptam de iure debet admitti probatio eius, quod consensus datus ad opera ratificantia sit ex errore. num. 386. 387.*

Pro-

75 *Probatio indirecta defectus consensus, qua sit* n. 387.

76 *Sic potest præsumi quod consensus prior duret, & quod ignorantia sit concommitans, quod hac præsumptio potest elidi,* n. 388.

77 *Ratificatio nulla est, si fit ex ignorantia nullitatis prioris professionis.* n. 389.

78 *In ratificatione necessarium esse nouum consensum multipliciter fuit opinatum.* n. 390.

79 *Eius, qui consensum naturalem non dedit, nouus consensus est necessarius.* n. 391.

80 *Si professio fuit nulla ex defectu consensus profitentis, necessarius est ex illius parte nouus consensus expressus, vel tacitus.* n. 392.

81 *Vbi Religio dedit consensum validum naturaliter licet nullum ex defectu solemnitatis, non est necessarius nouus illius consensus, sed sufficit consensus profitentis.* n. 393.

82 *Non est eadem ratio in hoc de matrimonio, & professione.* n. 394.

83 *Si consensus deficit solum ex parte Religionis, sufficit nouus consensus ex parte eius.* n. 395.

84 *Qualiter ratificatio ex ignorantia valeat.* n. 396.

85 *Nouum consensum debere esse exteriorem, quidam dicunt.* n. 397.

86 *Quando ex vna parte sola est necessarius noui consensus, non est necesse, quod sit externè significatus.* n. 398.

87 *Ad ratificandam professionem, an sit necessarius nouus nouitiatus.* n. 399.

88 *Si nouitiatus fuit nullus, quia non integer, sufficit illum perficere.* n. 400.

89 *Si nouitiatus fuit integer, & extrinsece nullus, in substantia verò validus non est necesse illum reiterare.* n. 401.

90 *Nouitiatus quando debeat iterari.* n. 402. 403.

91 *Solemnitates non debeat adhiberi in ratificatione.* n. 404.

92 *Solo temporis decursu non conualescit professio.* n. 405.

93 *Ratificatio expressa, & tacita.* n. 406.

94 *Ad quam speciem acceptare ratificationem.* numer. 406.

95 *Ratificatio per ea inducitur, & facilius per quæ inducitur professio tacita.* n. 407.

96 *Metus præsumitur durare durante vita eius, qui illum incussit.* n. 408.

97 *Cessante metu censetur si professus ex metu non exit, censetur ratificare professionem.* n. 408.

98 *Si tamen ex alia causa non perseueret in Religione.* n. 409.

99 *Qualiter cessante metu professus ex metu debeat statim reclamare.* n. 410.

100 *Quid importet statim reclamare est arbitrarium.* n. 410. 411.

101 *Intellec. cap. 2. de Regul.* n. 411.

102 *Quando ex annali gestatione habitus indistinctè censeatur ratificata professio.* n. 412.

103 *Quæ distinctio ratificationis ex habitus dilatione, & solemni susceptione.* num. n. 413.

104 *Professio qualibet tacita semper est præsumpta, & quæ alia præsumptione tollitur.* n. 413.

105 *Quorumdam deductiones non subsistentes.* num. 414.

106 *Reclamatio tacita habet locum intra quinquennium,* n. 405.

107 *Concilium per quinquennij perseuerantiam non induxit professionem tacitam.* n. 416.

108 *Professus per metum ex perseuerantia quinquennij non est professus durante metu.* num. 417.

109 *Professo tacitè non datur restitutio in integrum.* n. 318.

110 *Ratificatio tacita protestatione tollitur.* num. 419.

111 *Professio per ratificationem non retrotrahitur quantum ad valorem.* n. 420.

112 *Professionem quantum ad effectus retrotrahi fuit varie opinatum.* n. 421.

113 *Præcedentia non est res parui momenti.* num. 422.

114 *Vbi ratificatio sit publica, quæ sunt professorum non competunt ratificantis, nisi à die ratificationis.* n. 422.

115 *Vbi ratificatio sit occulta, & professio fuit etiam nulla de iure connaturali, ratificatio non retrotrahitur quantum ad antianitatem &c.* n. 423.

116 *Secus si professio fuit valida iure naturali.* n. 423.

De ratificatione professionis.

INSPECTIO VIII.

332. Ratificare professionem esse priorem professionem nullam validam facere per nouam promissioné factam Deo, definit Bord. *cap. 6. de profess. q. 1.* Et idem esse ratificare professionem, quod eam de nouo fieri, tradit Lezana *v. professio num. 20.* Et quod ad ratificandam professionem requiratur noua professio, asserit Tambur. de iure Abbatum tertiam *tom. 3. disp. 6. q. 17. num. 1.* Nam vt habet *Rota decis. 395. n. 10.* Greg. 15. Ratificatio actus nulli, nihil aliud est, quam nouus actus *l. asse toto. ff. de hæred. instit. l. obuenire solet. ff. de verb. signific.* Verum cum professio ex multiplici capite possit esse nulla, hoc quidem est vniuersaliter verum, quod ratificare professionem est præteritam professionem nullam validam facere, sed vbi professio sit nulla ex parte Religionis, ratificare professionem non est nouam professionem emittere ex parte profitentis, sed tunc mutatio est necessaria ex parte admittentis vel ratum habentis, vel quod suo nomine fuit factum, prout etiam dictum est supra, vel nouum consensum dantis. Et sic ratificare professionem est professionem nullam validam facere, vel per nouum profitentis consensum, & votum, vel per ratihabitionem, aut nouam acceptationem Religionis professionem admittentis.

333. Professionem posse esse inualidam per se notum est: Multipliciter verò potest esse inualida, vel ex iure naturæ, vt si desit consensus exterinsecus manifestatus, vel ex iure positiuo, vt si deficiat ætas profitentis. Seu aliquando professio est nulla ex defectu mere interno, qualis est defectus interni consensus, aliquando ex defectu exteriori, vt defectus anni probationis. Sed quia bonum ex integra causa, malum verò ex vnico defectu, ideò

tot

tot modi ſunt profeſſionis nullæ, quot ſunt defectus ſubſtantiales, alicuius conditionis ad valorem profeſſionis neceſſariæ. Huiuſmodi verò conditiones plures ſunt nimirum ex parte religionis ſecundum Suarez tom. 3. de Relig. l. 7. c. 1. num. 1. tres, vel quatuor, ſcilicet approbatio religionis, poteſtas in recipiente, conſenſus illius interior, & ſufficiens acceptatio exterior. Et parte autem Religioſi plures ſunt neceſſariæ, ſcilicet ætas, annus probationis integer, & continuus, libertas non violata per metum cadentem in conſtantem virum, ſolutio à vinculo matrimonij conſummati, vel à profeſſione in ſtrictiori Religione ſine licentia legitima, quod non adſit ignorantia, & dolus circa ſubſtantialia, quod non deficiat interior conſenſus, eiuſque ſufficiens manifeſtatio exterior facta, vel verbis, vt in profeſſione expreſſa, vel factis, vt in profeſſione tacita. Quot ergo ſunt huiuſmodi defectu, tot ſunt modi profeſſionis inualidæ, quæ tamen poteſt conualidari, vel expreſſe per nouam profeſſionem, & nouum conſenſum, vel per ratihabitionem, & ratificationem prioris.

334. Neque tamen omnis nulla profeſſio poteſt ratificari; quia profeſſio facta in Religione non approbata à Sede Apoſtolica, numquam poteſt ratificari, niſi Religio approbetur. Pariter profeſſio durante impedimento illam irritante, non poteſt ratificari, ſic amens durante amentia non poteſt ratificare profeſſionem, nec qui minor eſt ætate durante minoritate. Nec profeſſio nulla ex defectu nouitiatus non habiti in loco deſignato ad formam Conſtit. & decretorum Clem. 8. qui enim ſic fuit profeſſus, non poteſt conualidare profeſſionem niſi præmiſſo nouitiatu in loco deſignato. Quoniam ex vi decretorum Clem. 8. profeſſio omnis, quam non præceſſit nouitiatus in loco deſignato eſt nulla. Donatus p. 4. tr. 8. q. 6. Circa quod hic aduertendum, quod licet Vrb. 8. in Conſt. Religioſos viros, quæ eſt in Bullario in Appen. 5. ſeſſ. 115. amplam facultatem conceſſerit ſic nulliter profeſſis ratificandi profeſſionem, quam etiam pro Ord. Præd. confirmauit in Conſt. Alias data 31. Ianuar. 1635. tamen huiuſmodi gratia non ſe extendit ad profeſſiones nuliter emiſſas, vel poſt illud tempus emittendas vt ex verbis illius Conſtit. eſt per ſe manifeſtum, vt declaraſſe S. Cong. Epiſ. & Reg. in Brixien. 16. Iunij 1634. refert Nicolius l. 3. tract. 31. num 34. Limit. 2. Pariter profeſſio alicuius Alumni in Collegio habente legem Papæ, vt eius Alumni non poſſint fieri Religioſi, & profiteri ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, cum decreto irritante profeſſionem aliter factam, non poteſt ratificari profeſſionem contra talem legem, cum impedimentum ſemper irritans in illis ſit defectus licentiæ Apoſtolicæ. De his vide dicta ſupra, & Nicolinum l. 3. tit. 31 num. 35.

335. Quæritur autem primò an Religioſus, qui nulliter eſt profeſſus, teneatur profeſſionem ratificare? Plures caſus hic diſtingui debent. Primus eſt illius, qui non eſt certus de nullitate ſuæ profeſſionis, ſed dubius. In hoc enim caſu, quod Religioſus teneatur ratificare ſuam profeſſionem affirmat Bordon. cap. 6. de profeſſ. q. 3. citans ad hoc Sanchez l. 7. de matrim. diſp. 37. num. 12. Vnde in caſu dubio non poteſt profeſſus ſe de facto eximere ſua auctoritate ab obligatione voti profeſſionis, nec priuare Religionem iure quæſito & poſſeſſione, qua iuſtè poſſidet illum, vt ſuum Religioſum l. 2. cap. 41. dub. 7. num. 65. Nauar. com 4. de Reg. num. penul. & conſ. 89. num. 6. & 7. de Regular. Suarez tom. 3. de Relig. l. 7. cap. 2. num. 6. Sed Sanchez ibi docet quidem, quod profeſſus in dubio ſe habere debet vt profeſſus, eſt enim certus de profeſſione, licet dubius ſit de illius valore, vnde poſſeſſio ſtat pro religione, & ideò fauore eius iudicandum eſt, vt habet Nauar. conſ. 13. de Regul. ex l. ſunt perſonæ ff. de Relig. & ſumpt. fun. ibi Summa eſt ratio, quæ pro Religione facit. Sed non dicit Sanchez, quod huiuſmodi dubius teneatur ratificare profeſſionem. Etenim hoc non eſt neceſſarium, nam dum interim ille viuit, vt Religioſus, & pro Religioſo ſe habet, & habere debet, poteſt nolle ratificare profeſſionem, etiam cum animo, vt ſi contingat nullitatem profeſſionis manifeſtari ſit liber ad faciendum etiam, quod melius ſibi coram Deo videbitur expedire. Sic ſi quis ſciat ſe verbis ratificaſſe profeſſionem, ſed ſit dubius de intentione ſua cenſendus eſt ratificaſſe. Addit Barboſa ad d. c. 19. n. 13. Concil. Trid. quod in dubio intentionis ratificandi profeſſionem intra quinquennium, eo tranſacto præſumitur illam ratificaſſe. In dubio enim in fauorem Religionis, quæ poſſidet, eſt præſumendum. At dices, quid hic poſſidet Religio, cum dubium ſit de ipſa voluntatis ratificandi exiſtentia? Reſpondetur, quod multum poſſidet, cum poſſideat exercitium actuum profeſſorum per quinquennium, & perſeuerantiam in habitu Religioſo, ideò niſi ſic perſeuerans ſit certus non ratificaſſe, præſumendum eſt ratificaſſe; Nauar. conſ. 13. num. 10. de Regul. Probabile etiam putat Suarez d. cap. 2. num. 7. Quod ſi Religioſus ipſe dubitationem moueat circa valorem ſuæ profeſſionis cum in externo foro nihil probare poſſit, iuſtè à Religione compelli poſſit ad ratificandam profeſſionem, & ipſe teneatur id facere verè, & non fictè. Ratio eſt, quia cum Religio habeat ius retinendi illum, & cogendi, vt ſeruet promiſſa, conſequenter habet ius ad omnia neceſſaria ad hoc, vt ille debito modo ſtatum illum profiteatur, ad quod neceſſaria eſt ratificatio, vt occludatur omnis via mouendi ſimilem dubitationem. Sed hoc aſſumptum non probatur, & tota ſuperioris auctoritas ex ſuppoſitione profeſſionis, quam ſuppoſitionem ſuperior nec poteſt ponere, nec ad illam neceſſitare, quia omninò eſt poſita in libertate profitentis, & antecedit ſuperioris poteſtatem. Ideò ſuperior in eo caſu poteſt quidem profeſſo dubio præcipere obſeruantiam regulæ, & perſeuerantiam in illa, & ſe manutenere in poſſeſſione ſua, ſed non poteſt ipſam profeſſionem, vel profeſſionis ratificationem præcipere, quia hoc eſt dare illi maiorem poſſeſſionem, vel meliorem titulũ, quam habeat, & hoc eſt omnino extra, & ſupra regulam, quæ profeſſionem ſupponit, vt libere poſitam ad arbitrium profitentis. Et cum teneatur interim ſe habere vt Religioſum, etiam ſtante dubio, habet ius ad alimenta, & vt fruatur bonis religionis, qui eius ſubeſſe debet oneribus. Dubietatem verò ſufficienter aufert dum practice certua

Secun-

est se teneri ad onera religionis ac si esset professus.

336. Secundus casus est eius, qui de nullitate suæ professionis est certus, quia professionem emisit, vel ante ætatem, vel non completo anno nouitiatus, [vel] non habuit nouitiatum in Conuentu deputato, vel finait, & vere votum non emisit, & nihilominus iste commode potest exire à Religione seruatis seruandis. Et in hoc casu res est certa, in qua DD. vnanimiter conueniunt, nimirum quod iste tenetur, vel ratificare professionem, vel statim ac potest exire è religione, & & sic si non vult exire, tenetur professionem nullam ratificare. Nam si intra Religionem maneat animo non ratificandi professionem peccat grauiter primo recipiendo alimenta à Religione, quæ secularem alere nec tenetur, nec vult, sed solum Religiosos re vel animo legitimo profitendi cum tempus est, & possunt Nauar. cons. 26. num. 13. de Regul. & com. 4. de Regul. num. 74. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 37 num. 42. Bonac. de Clau. q. e. p. 1. diff. 1. num. 2. Bordon. de profess. cap. 6. q. 5. Coton. l. 4. contr. 4. num. 63. Limitant veró hoc Nauar, Sanchez, & Bordon, vt ad alimenta restituenda non teneatur si alimenta adæquantur obsequijs, quæ ille præstat Religioni. Sed si obsequia non sunt necessaria, non liberatur ab obligatione restituendi, quia nec religio per talia obsequia habita facta est ditior, cum in talia obsequia nihil sui consumpsisset, & careat valore alimentorum, quo non careret, si ille non Religiosus à Religione exisset. Huiusmodi enim Religiosus est alieni receptor malæ fidei, & possessor. At veró malæ fidei possessor meliorationes à se factas in re aliena etiam si vtilia, non recuperat, nisi talia sint, quæ extent, & à solo, seu re domini sine prioris status iniuria separari possint. De quo videri possunt dicta supra q. 185. a. 7. casper. 8. num. 660.

337. Secundó peccat grauiter ferendo suffragium in Capitulo, & alios actus professorum proprios exercendo donec enim, & vsurpat alienam tus. Nauar. & Sanchez vbi supra Rodriq. 2. tom. sum. cap. 92. conc. l. 5. num. 5. Angles floribus. 2. p. de voto q. vnica a. 1. diff. 4. Bordon. a. d. q. 5. Anton. à Spir. San. tract. 3. disp. 3. num. 149. Leuitas tamen materiæ excusabit eum a mortali. E contra si v.g. suffragando infert damnum Monasterio, vt quia suo suffragio approbatum fuit id. quod est Monasterio nociuum, nedum peccat, sed tenetur ad restitutionem. Tertio grauiter peccat si vtatur Religionis priuilegijs in re graui, vt si non seruet vota, sed illa curet irritari, aut commutari, & illa illa tanquam irritata, vel commutata non seruet; si petat absolui à reseruatis à quibus nonnisi Religiosi absolui possunt; si confiteatur peccata Confessario non approbato ab Ordinario, quamuis huiusmodi fictus Religiosus à nullo possit absolui, dum manet in hoc statu, in quo peccat manendo, & ideó tanquam impœnitens est incapax absolutionis; & sic si vtatur priuilegijs Religiosis aut nouitijs concessis, cum ipse nec tam sit Religiosus, nec nouitius, cum nolit Religiosus esse, nec professionem ratificare cum possit ita DD. citati.

338. Quanto si sit sacerdos, dicunt, quod peccat grauiter excipiendo confessiones secularium, quia iste scit se non habere legitimam licentiam id faciendi. Ita Bordon. d. q. 5. qui addit quod confessiones exceptæ ab isto Confessario habente titulum coloratum cum errore communi non sunt irritæ, Ecclesia supplente defectum, & dante iurisdictionem iuxta l. Barbarius ff. de off. Prat. manente communi errore, per quem talis putatus Religiosus communiter habetur pro legitimo Confessario. Quod ex Sanchez l. 3. de matrim. disp. 22. num. 47. extendit, vt etiam si contingat vnum, vel duos scire nullitatem professionis Confessarij, nihilominus, & illi, ab eo valide absoluuntur, quia illa priuata cognitio non euacuat errorem communem. Sed non video cur illæ confessiones non sint per se validæ, & cur dicatur talem Religiosum peccare excipiendo confessiones, & cur eius licentia non sit legitima, cum sit data ab eo, qui validè illam potest dare, & qui illam libere dedit. Nam si dicatur extorta subreptitiè, & inuoluntariè, quia si Episcopus, vel superior sciuisset illum non esse Religiosum, licentiam non concessisset, quam plurimæ confessiones audiendi licentiæ, & infinitæ gratiæ concessæ essent subreptitiæ, ideó regula illa, quod subreptitium censetur obtentum tacito eo, quod si fuisset manifestatum gratia non fuisset obtenta merito sic vniuersaliter accepta reijcitur à quampluribus Doctoribus, & ea admissa infiniti essent v.g. beneficiati, & Parochi illegitimi, & inualidi. Sed taciturnitas circa non substantialia, & extrinseca, vel falsitas circa causam impulsiuam non vitiat gratiam, vt probaui tract. de elect. cap. 23. num. 190. & etiam supra quæst. 187. a. 5. num 9. Modo quod sacerdos alias habilis ad confessiones excipiendas fructuosè, & validè sit professus, vel non professus est quid extrinsecum. Et si dicatur, quod superior regularis non debeat exponere seculares sacerdotes pro audiendis suorum Regularium confessionibus: primó hoc non est verum, quia subditis Regularibus est prohibitum confiteri sacerdotibus non sui Ordinis sine licentia, non est veró prohibitum superioribus, hanc licentiam concedere. Secundó esto esset prohibitum, cum nihilominus non sit prohibitum taliter, quod licentia quamuis data sine iusta causa sit inualida, & nulla, iam hæc prohibitio non inducens nullitatem non est quid substantiale, & ideó taciturnitas status non Religiosi in eo, qui est fictè Religiosus non est taciturnitas alicuius, quod sit substantiale valori licentiæ obtentæ, vnde non causat subreptionem.

339. Donatus etiam p. 4. tr. 8. q. 10. num. 8. aduertens, quod nulliter professi non possunt eligere, nec eligi, inquit, quod si eligantur non habent iurisdictionem, nec possunt itetrea sacramentaliter audire, ob morbum in radice. Sed cum hic non desit titulus coloratus, si istis conferatur officium in facie Ecclesiæ, si etiam non desit communis error, certum est, quod nec deest iurisdictio iuxta l. Barbarius. de off. Prator. & quod eorum gesta tenent. Quamuis ipsi peccent vsurpantes iurisdictionem illegitime, & ea vtentes, si voluntariè id faciant.

340. Sexto dicunt, quod peccat mortaliter hic fictus Religiosus suscipiendo Ordines. Tum quia

quia si suscipiat Ordines sacros eos suscipit sine verò titulo paupertatis. Tum quia absolutè eos recipit sine literis dimissorijs legitimi superioris caret. Ita Nauar. *commen. 4. de Regul. num. 72. & cons. 26. in fin. de Regul.* Sanchez l. 7. *de matrim. d. 37. num. 43.* Bordon. *d. q. 5.* Et quidem quantum ad ordines sacros assertio ista est indubitata ex Concil. Trid. *sess. 2. cap. 2. & constit.* Pij Quinti 74. data 1568. in qua dispositio Concilij extenditur ad nouitios non professos Religiosus verò fictus nec est professus, nec est nouitius, sed merus secularis, & solo habitu mentito Religiosus, ideò non potest ordinari ad titulum paupertatis, sed solum ad titulum, vel patrimonij, vel beneficij. Sic enim constitutionem Pij Quinti intelligendam esse tam in Religiosis non professis, quā in nulliter professis diaerunt Rota in Vrgellien. *Canonicatus 3. Martij 1595. Coram Card. Blanchetta*, quam refert Gara. de Benef. *p. 2. cap. 5. num. 11. & 12.* & obseruant Sanctarell. *var. quaest. q. 49. n. 10.* Rice. *p. 2. de. 283.* & in praxi *resol. 270. n. 2.*

341. Aduertit verò Bordon ex Tolet. *lib. 1. cap. 48.* & Barbosa *d. cap. 2.* Religiosum hunc fictum ea hoc non incurrere aliquam pœnam, quia Concil. solum innouat pœnam *cap. 2. de praeben.* quæ contra solum ordinantem est lata. Et quamuis satis controuersum sit an per Concilium sit innouata suspensio lata *in cap. eum qui eum, & in cap. Sanctorum d. 70.* tamen communior sententia est, vt per decretum Concilij sit innouata solū pœna *d. cap. Cum secundum.* Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Cum secundum num. 63.* refert sub his verbis S. Cong. declarationem, scilicet, S. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cēsuit fuisse innouatas duntaxat pœnas *cap. Cum secundum, de preben.* In cuius declarationis vim, vt ibi habetur pluries idem rescripsit eadem S. Congregatio, & idem tanquam decisum ex Gara. *p. 2. cap. 5. num. 27. & 29.* Armendar. *l. 1. de patrim. Cler. num. 19.* à Cunha *in commen. ad cap. Sanctorum num. 7. dist. 70.* tradit Barbosa *ad d. cap. 2. sess. 21. Conc. Trid.* vbi pro hac sententia quam plures citat. Quamuis vt aduertit idem Fagnan. ibid. *num. 69.* eadem S. Cong. declarauerit, quod vbi Episcopus non est in culpa, sed quis se facit ordinare ex ficto, & falso titulo decipiens Episcopum falsis testimonijs, ordinatus sit suspensus, & quod hæc suspensio non fuerit abrogata per *d. cap. Cum secundum*, & fuerit per Concil. innouata. Vnde idem Barbosa ibid. *num. 5. & de off. Episc. alleg. 19. num. 5. & 6.* dicit Regularem huiusmodi nulliter professum, & sine titulo ad fictum paupertatis titulum ordinatum esse irregularem, si in suscepto ordine ministret, sequens in hoc Maiolum *l. 4. de irregul. c. 15. n. 1.* & Portell. *v. ordo* Dianam. *p. 3. tr. 2. resol. 113.* & Lezanam *p. 1. cap. 14. num. 10.* dicentes eum esse subiectum illis pœnis, quibus est subiectus Clericus Regularis sine titulo beneficij, vel patrimonij ordinatus, sed hoc potest habere locum in Regulari nulliter professo. Non ex vi precisa Concil. Trid. *d. cap. 2.* Cum ibi de solis Clericis secularibus sit sermo, sed ex vi iuris antiqui inquantum sub ficto paupertatis titulo ordinatur. Vel ex Constit. Pij Quinti Romanus Pontifex, qui voluit Religiosos non professos subdi Concilij Tridentini dispositioni, *in d. cap. 2.*

342. Romanet considerandum aliud caput, quod respicit eos, qui sine licentia, vel dimissorijs literis ordinantur, contra quos per Pium Secundum in constitut. *Cum ex sacrorum* fuit indicta suspensio ipso facto. Sed illa afficit solum ordinatos ad sacros Ordines, non verò ordinatos ad ordines minores, vt ex illius verbis expressè colligitur, & aduerterunt Henriq. Bonac. & alij quos sequitur Barbosa *ad cap. 8. sess. 23. Concil. Trid. n. 37.* & Bordon. *de profess. c. 6. q. 4.* Quamobrē ex hac parte nulliter professus poterit esse suspensus, si ordinetur ad sacros Ordines sine licentia legitima, aut dimissorijs. Nihilominus idem Bordon. ibid. existimat, quod nulliter professus, si promoueatur etiam ad Ordines Minores sit suspensus ex vi *cap. 6. sess. 6. Concil. Trid.* sed *in d. cap.* prohibentur Episcopi ne in aliena Diœcesi Pontificalia exerceant, & ordines conferant sine licentia; & sic ordinati sine licentia suspenduntur. Sed & Vrban. 8. in sua Constit. *Secretis* 33. contra ordinatos ab alieno Episcopo vltramontanos, constitutionem edidit, per quam ordinati contra illius Constit. tenorem perpetuo à susceptis ordinibus sunt suspensi. Ob istas igitur Constitutiones poterunt nulliter professi esse suspensi si contra illorum tenorem ordinentur. Donatus *p. 4. tr. 8. q. 10. num. 7.* absolute affirmat huiusmodi non professos, si ordinentur esse suspensos, & irregulares si ministrent in ordine suscepto; & hoc ex vi constit. *Cum ex sacrorum*. Quam refert sub nomine Pij Quinti, cum sit Pij Secundi, sed de his dicam difusius infra *in spect. 9. cap. 4.* & cum verum sit, quod huiusmodi nulliter professi grauiter peccent, & grauibus pœnis afficiantur, ex vi tamen const. Pij Secundi non sunt suspensi si à proprio Episcopo ordinentur, quia respectu illius non indigent dimissorijs, vel alicuius superioris alterius licentia.

343. Sed & septimo peccat deferendo habitum Religionis ea inuita, in quo grauem ei infert iniuriam, & propterea incidit in omnes pœnas latas contra deferentes mendaciter habitum Religionis alicuius. Vnde indubitatum est, quod fictus huiusmodi Religiosus nolens ratificare professionem, & simul nolens exire à Religione cum possit id facere, est in statu peccati mortalis, & damnationis.

344. Quod si dicatur nulliter professum non posse exire propria auctoritate à Religione ex vi Concil. Triden. *sess. 25. cap. 19. de Regul.* Sed debere reclamare coram Ordinario & suo superiore, & coram illis causam nullitatis professionis exponere. Hoc admisso dicitur, quod si non vult ratificare professionem tenetur statim ac potest reclamare, & Concil. Trid. seruata forma quamcitius potest exire, aliter in statu peccati manet deferendo habitum Religionis, & habitatione, & alimentis Religionis ea inuita vtendo, & vtendo alijs priuilegijs, qui solis Religiosis, aut nouitijs concessa sunt Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 25. num. 2.* post Bonac. de clausura *q. 2. p. 10. diff. 1. num. 2.* Et si addatur, quod post quinquennium non potest reclamare, respondetur quod iam non sumus in terminis præsentis casus, in quo supponimus nulliter professum posse exire à Religione.

Si

345. Si autem quæratur quantum tempus sibi concedatur, vel ad deliberandum an velit ratificare professionem, vel ad exeundum, vel ad reclamandum? Respondetur nullum determinatum tempus sibi concedi, sed illum debere statim deliberare, & exire, seu reclamare. Quamuis statim hoc arbitrium boni viri importet, & ex circumstantijs sit determinandum. Cæterum huiusmodi Religiosus nõ debet dissimulare, & procrastinari, tũ quia mora sua est sibi est nociua, *reg. 25. in 6.* Tum quia status illius est periculosissimus, vbi verò imminet periculum vitanda est mora, *cap. 3. dist. 5. & cap. 13. dist. 18.* Quatenus verò ob suam vtilitatem notabilem differre compellatur indemnem tenetur conseruare Religionem, & pro alimentis illi satisfacere, & à nocumentis abstinere.

346. Quæric verò Bordon. *d. cap. 7.* An iste qui non vult ratificare professionem, & tamen vult perpetuo manere in Religione possit cogi ad professionem ratificandam, & respondet affirmatiue ex eo quia teneatur eam ratificare, sed cum huiusmodi obligatio sit, vel ad ratificandum, vel ad exeundum, non potest cogi hic Religiosus ad alterum determinate, sed dato ei competenti termino ad deliberandum an velit professionem ratificare, si id præstare renuat, erit eijciendus seruata tamen forma Concilij Tridentini, & sic Religio ipsa poterit reclamare, & ille compelletur, vt respondeat, & probata nullitate professionis, exeat Donatus *p. 4. tr. 8. q. 6.*

347. Tertius casus est eius, qui certè scit se nulliter esse professum, sed non potest exire, vel quia sit impossibile probare nullitatem professionis, vel quia lapsum est quinquennium à Concil. Trid. statutum pro reclamatione contra professionem, & non potuit obtinere restitutionem in integrum contra lapsum quinquennij, vel quia si exiret incurreret infamiam, vel offenderet grauiter parentes, cum periculo, vt ex hoc graue nocumentum incurreret, vel quia si exiret non haberet vndè decenter viueret; vel ex quacumque alia simili causa ex qua, vel non possit, vel sine magno sui incommodo non valeat exire, vnde propterea ille exire non vult; in hoc ergo casu quæritur an iste teneatur professionem ratificare? Affirmant enim Bonac. *de clausf. q. 3. p. 10. diff. 1. num. 2.* Lezana *p. 3. cap. 2. num. 7. & p. 4. v. professio num. 24.* Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 25. a. 2.* Bordon. *de profess. cap. 6. q. 3.* Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 2. num. 8.* Temperant hanc sententiam Bonac. & Tamb. vt saltem sit vera quando nullitas professionis est ex culpa nulliter professi. Motiua huius sententiæ sunt. Tum primò quia coniux concedens alteri coniugi licentiam ingrediendi Religionem cogitur & ipse ingredi, si in seculo periculum incontinentiæ subeat, ergo multò magis cogendus est ad ratificandam professionem ille cuius culpa professio est nulla. Secundo quia iste est in maximo peccandi periculo, si non ratificet professionem, cum nec possit suscipere alimenta à Religione, ne suffragia dare, & actus proprios professorum exercere, nec absolui à Confessarijs à solo superiore Regulari approbatis, nec tali Confessario suffragabitur *l. Barbarius de off. Præt.* Quia illi deest titulus coloratus, cum constet Prælatum Regularem, vel per se, vel per alium non posse nisi suos subditos absoluere, vel cum eis dispensare, vel eis literas testimoniales ad Ordines concedere, & sic ille nec poterit vti dispensationibus, nec ad Ordines promoueri. Tum tertiò, quia cum professio sit contractus mutuus, sicut Religio habuit veram intentionem illum recipiendi, ita ipse ex vera intentione debet professionem nullam validam facere. Tum quarto, quia licet Religio sit graue iugum, tamen est vtilissimum, & grauitas vtilitate compensatur; igitur non debet ægre ferre subire illud, qui in eas se deduxit angustias, vt obligetur ad illud subeundum.

348. Sed è contra alij negant, nulliter professum in huiusmodi casu teneri ratificare professionem, cum hoc importet onus grauissimum ad quod portandum nullus debet cogi. Tum quia quod iste suscepturus sit à Religione alimenta parum damni est, respectu oneris, & ea nulliter professus compensabit, vel suis obsequijs, vel aliunde, vel sufficiet animus satisfaciendi cum potuerit; sufficiet quoque, vt à ferendo suffragio, & similibus abstineat, quantum sine scandalo poterit, & si contingat ei conferri Prælaturam, satis erit, vt se excuset pro posse aliter eam admittat, & tunc omnia ab eo gesta ratione publici officij valida erunt iuxta *l. Barbarius ff. de off. Præt.* Sic poterit alijs Sacramenta ministrare fauente tunc lege publici officij, & communis erroris, & falsum est, quod tunc non adsit titulus coloratus, cum ipse habeatur communiter pro professo, & sit ad sacramenta administranda approbatus. Poterit etiam Ordines suscipere, lege Ecclesiastica in huiusmodi casus necessitate non obligante. Non poterit verò absolui à non approbato ab Episcopo loci, vel in vi priuilegiorum admitti, vt eius vota irritentur, vel ea commutentur nisi in casibus in quibus vota secularium possent cõmutari, sic nec poterit absolui à casibus Papæ, vel Episcopo reseruatis, nisi pro quanto possent absolui seculares; sed vbi indigeat huiusmodi dispensationibus quærat eas ab illo, qui possit eas conferre. Et sic quantum poterit se abstinebit ab illis, quæ sunt propria professorum, vbi verò non poterit, non peccabit, si extrinsecus se habeat, vt Religiosus; in foro vero conscientiæ vbi nullum habeat pro secularibus approbatum ad Confessiones, & necesse habeat confiteri poterit confessionem simulare aduertendo confessarium de suo statu, & sic nihil contra iustitiam, & sanctitatem confessionis operari. Cæterum allata in oppositum non probant; quoniam professio est opus nimis arduum, ad quod non conuenit necessitari hominem. Nec est eadem ratio de coniuge dante licentiam alteri ingrediendi Religionem, quæ cogi potest ad Religionis ingressum, tum quia hoc est ex lege positiua, quæ id iubet, nulla verò est lex, quæ iubeat professum nulliter ratificare professionem. Tum quia per se incubat hæc obligatio solum in fauorem ob periculum incontinentiæ; iam verò nulliter professus per se non est in periculo tali peccandi, quæ illum obliget ad professionem. Atque propterea, quod in hoc casu nulliter professus etiam si professio ex eius culpa sit nulla non teneatur professionem rati-

ratificare tenent Sanchez *l.7. de matrim. d.37. nu. 38. & seq* Palaus *tr.16. disp.2. p. 4. num. 3.* Henriq. *l.11. cap.11. num.11.* Lessius *l.2. cap. 41. d.7. num.63.* Suarez *3. tom de Relig. l.7. cap.7. a. n.6.* Barbosa *ad d. cap. 19. num. 12.* Concil Anton. à Spir. San. *tr.3. d.3. num.150.* & apud eum Portell. & Peyr. Coton. *lib.4. contr. 4. cap. 2. num. 66.* vbi *num.67.* admittit, quod in hoc casu nulliter professus possit absolui à Confessario approbato à Prælato Regulari tanquam vnus de familia Monasterij, vel tanquam secularius.

349. Quæstio ista supponit necessario resolutionem duarum aliarum, quæ licet concernant materiam reclamationis tractandam in sequenti inspectione, tamen & vt proposita quæstio plene resolui possit, & ne opus sit eadem pluries repetere, & examinare, hic proponi debent, & solui. Prima quæstio est an nulliter professus certus de nullitate suæ professionis possit auctoritate sua fugere à Religione tam ante, quam post quinquennium à professione sua. Secunda est, an nulliter professus in conscientia dum manet in Religione præcipuè post quinquennium teneatur ad leges Religionis. Si enim nulliter professus dum viuit in Religione tenetur ad leges Ordinis, & ita quod nec propria auctoritate fugere potest. Si etiam nec publica auctoritate potest exire per necessariam consequentiam deducetur eum posse etiã frui priuilegijs Ordinis iuxta statum suum, & quod non erit opus, vt ratificet professionem, sed satis erit, si iuxta conditionem suam viuat, vt Religiosus.

350. Incipiendo ergo à prima quæstione, quę huius inspectionis est secunda Nauar. *cons. 87. de Regul.* loquens de Religioso descendente à Iudæis, qui contra statutum Religionis irritantem huiusmodi professionem, & protestationem de nullitate professionis sibi factam defectum suæ originis occultauerat, & professionem emiserat, & sentiens hunc esse nulliter professum dicit primo huiusmodi professum in foro conscientiæ, cum licentia, & sine licentia Prælati posse exire à Monasterio, & ordine, sed castigaretur in foro exteriori, si sine licentia exiret. In hoc Nauar. sequuti sunt Sanchez *lib.7. de matr. disp.37. num.9.* & apud eum Henriq. *lib.11. de matr. cap.6. in fin. & cap.8. num.9. in commen. l.5.* & Emanuell. Sa *v. Religio num.71.* Item Palaus *tr.10. disp.2. p.7. num.9.* Barbosa *d. cap. 19. num. 14.* Concil. Trid. Bordon. *de profess. cap.7. q.12.* Tambur. *t. 3. disp. 6. q.25. num.11.* Layman. *lib. 4. tr. 5. cap.2. nu.6.* Donatus *p.4. tr.12. q. 8.* Anton. à Spir. San. *tr.3. disp.3. num.142.* & probabile putat Lezana *v. professio num.23.* Subdit verò Nauar. non sufficere omninò qualem, qualem licentiam in tali nulliter professo, vt impunè exeat, sed requiri iudicialem, quam Prælatus Regularis ad instantiam accusatoris, aut denunciatoris tenetur dare, imò ex officio inquirendo tenetur ipse talem expellere, & quod sic eiectus in seculo potest viuere, quam iuste potuisset, si talem professionem non emisisset. Sanchez autem *d. disp. 37.* arbitratur hunc nulliter professum etiam elapso quinquennio, si sciat suam professionem esse nullam, si possit sine scandalo, posse fugere non præmissa reclamatione, & non deductis coram aliquo causis nullitatis suæ professionis, & posse in seculo vxorem ducere, & non esse apostatam. Et *num. 13.* t adit Prælatum Regularem hunc nulliter professum etiam elapso quinquennio posse occulte dimittere, si sibi constet de nullitate professionis, non ratificatæ, dicens superiorem solum per Concilium prohibitum esse ne audiat in foro externo. Et *num.14.* addit, quod licet superior non teneatur credere subdito post quinquennium asserenti se nulliter professum, tamen si morali certitudine potest conijcere eum verum asserere potest illi credere, & sic illum oculte dimittere. Et tandẽ *num.9.* citato generaliter affirmat decretum Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regul.* tanquam fundatum in præsumptione non obligare in conscientia, quia in eo decreto nullum verbum est, quod forum conscientiæ respiciat: Et ita in hoc Sanchez sequuntur præfati DD. Bordon. *q.13.* Anton. à Spir. San. *num.175.* Layman. *num. 7.* Donatus verò *p.4. tr. 12. q. 21.* ita hanc sententiam sequitur, quod limitando illam destruit. Dicit enim eum, qui non potest probare nullitatem posse fugere, sed sine scandalo, & preiudicio tertij. Statim verò, ostendens quinam sit hic tertius, ait, esse Religionem, quæ professum retinet, & possidet vt suum, & non potest possessione priuari via facti.

351. Fundamenta huius opinionis sunt primò, quia intantum aliquis tenetur in Religione viuere, & perseuerare in quantum est, vel expresse, vel tacite professus *cap. Quem pro genitores 20. q.1. cap. Cum verum cap. Sicut nobis, cap. Statuimus, de Regul. cap.1. de Regul. in 6. cap. Religioso §. quamuis, de senten. excom. in 6.* At verò nos loquimus de eo qui est nulliter professus tam expresse, quam tacite, qui nec ratificauit professionem, nec vult, imò forsan nec potest eam ratificare; sicut qui contra formam decretorum Clem. Octau. professus nec expresse nec tacite potest profiteri, nisi peragat nouitiatum in Conuentu designato; igitur iste sic nulliter professus in conscientia potest fugere, & non tenetur perseuerare. Secundo nam quamuis Ecclesia possit inducere præsumptionem validitatis professionis, ita vt professus contra huiusmodi professionem non sit audiendus iuxta *cap. 1. de Regul. in 6.* & *Clem. 2. eod. tit.* tamen in rei veritate, & in foro conscientiæ non potest quemquam alligare inuitum ad Religionem, aut ad obseruantias regulares. Non enim, vt ait Nauar. *cons.39. de Regul. num.2.* Pontifex tam grandia potest præcipere, *arg. cap. Integritas 32. q. 1. & cap. Gesta d. 74.* iuncta Gloss. *in v. Crescere.* Nam nec per Ecclesiam consensus contrahentium in Matrimonio, vel professione suppleri potest *cap. Præsens 20. q.3. cap. licet, de Regul.* Panorm. *cap. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi.* Syluest. *v Religio 3. num.12.* Nauar. *cons. 10. num.2. Quod metus causa*, & passim tradunt Theologi, igitur licet Concilium potuerit inducere præsumptionem professionis, & negare audientiam post quinquennium, non videtur tamen potuisse obligare in conscientia nulliter professum ad permanendum, & perpetuo perseuerandum in Religione. Tertio nam, vt supra dictum fuit, nulliter professus perseuerans in Religione non potest alimẽ-

ta à Religione recipere, ei enim à Religione non debentur alimenta, tradunt Gemin. Anchar. & alij *cap. vnico a. de voto in 6.* Vnde nulliter professus cum in Monasterio non sit nec, vt Religiosus nec vt Nouitius, nec vt famulus non potest iuste alimenta à Religione recipere. Nauar. *cons. 26. num. 13. de Regul. & Comment. 4. de Reg. num. 74.* Sanchez *l. 7. de matr. disp. 37. num. 42.* Imò nec Religio tutè potest hæc alimenta tribuere nulliter professo, qui illa non potest iuste recipere, quia sic induceret illum ad recipiendum indebitum, & sic ad peccandum. Vnde Innoc. *cap. Quia plerique de immun. Eccl.* ait condemnatum iniuste ad soluendum non debere sponte soluere ne inducat alium ad recipiendum iniuste. Non potest igitur nulliter professus, nec debet in Monasterio perseuerare, quia absurdum esset, vt qui conuiuit Religiosis proprijs sumptibus viuere cogeretur. Quartò nam *cap. literas de restitut. spoliatum, & cap. Inquis de sent. excommun.* Mulier sciens matrimonium esse nullum non tenetur in conscientia viro adhærere, quamuis Ecclesia hoc ei præcipiat sub pœna excommunicationis; igitur eadem ratione nulliter professus non tenetur adhærere Religioni etiam si Ecclesia in foro externo hoc præcipiat arguendo à Matrimonio carnali ad spirituale, iuxta *cap. Inter corporalia de translat. Pral.*

352. Sed contrariam sententiam multis probat Reuerendiss. Fagnanus, *in cap. Si quis n. 38. & sequent. de Regul.* sentiens Decretum, Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regul.* obligare in conscientia, ideoque duo docens. Primum quod nulliter professus non potest exire à Religione ante quinquennium nisi seruata forma ibi à Concilio præscripta. Secundum quod post quinquennium non potest absolute exire, & tenetur in Religione perseuerare, nisi obtenta restitutione in integrum contra lapsum quinquennij exeat seruata tutis forma. Ad probandum autem hoc multa adducuntur de quibus infra agendum erit, vt quod professio nulla ex defectu solemnitatis obliget naturaliter, & quod non obstante professionis nullitate remaneat obligatio voti simplicis. Cum verò indubitatum esse debeat Concilium potuisse obligare in conscientia nulliter professum ad permanendum, totius quæstionis resolutio ab hoc pendet, vt videatur, quid Concilium præcipiat, & quid sit finis eius decreti, ex hoc enim colligi poterit, quantum voluerit obligare.

353. Verba Concilij sunt ista. *Quicumque Regularis prætendat se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quacumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur, interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.* Hæc Concilium duo expresse, & directè præcipit. Primum quod prætendens suam professionem nullam non audiatur, nisi intra quinquennium à die professionis causas nullitatis deduxerit coram suo superiore, & Ordinario. Secundum quod si non deductis, vt supra causis nullitatis exierit nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed reducatur ad claustrum, & vt apostata puniatur, & prohibet dari licentiam exeundi nisi seruata illa forma. Et sic cum exceptio firmet regulam in contrarium, ex quo Concilium præcipit, quod, quod prætendens professionem nullam non audiatur, nisi deductis causis nullitatis etiam coram Ordinario; igitur vult quod in nullo alio casu audiatur, & sic non vult, quod superior possit propria, & sola sua auctoritate illum audire. Nec valet dicere, quod hoc sit verum vbi non constet de nullitate, & sic, quod vbi de nullitate constet, superior possit prætendentem audire, & illum dimittere, quia imò Concilium non vult, quod possit constare de nullitate, nisi seruata illa forma, vt deducantur causæ nullitatis coram superiore, & Ordinario. Aliter decretum Concilij esset inutile, & superior Regularis posset illi illudere, & acceptis secreto, vel etiam extraiudicialiter informationibus subditum dimittere contempto Ordinario. Sed Concilium absoluta loquitur, & vniuersalissime, & prohibet, ne superior audiat quocumque modo petentem licentiam exeundi, nisi coram ipso, & Ordinario deducantur causæ nullitatis professionis.

354. Et sic non valet dicere, quod Concilium præcipit superiori ne audiat prætendentem in foro externo, quia nec Concilium hanc limitationem ponit, sed absolute prohibet illum audiri nisi in casu illo excepto. Et quia si liceret superiori extraiudicialiter audire prætendentem nullitatem professionis superior sine Ordinario posset quemcumque dimittere. Et quia imo Concilium intendit occultam dimissionem omnino excludere, & solam publicam habitam seruata forma præscripta admittere. Nec dicatur, quod Concilium fundatur in præsumptione ratificationis professionis, quia imò supponit prætendentem nullitatem professionis, eam non ratificasse, & velle propterea licentiam exeundi, illamque petere, & Concilium non vult, vt sibi licentia concedatur, nisi seruata forma illa præscripta. Finis vero Concilij in hoc decreto fuit prouidere bono communi Religionum, & ad duo prospexit. Primum ne de facili vere professi exirent à Religione sub prætextu nullitatis professionis, quod facillime euenire poterat, si solus Prælatus Regularis de nullitate cognosceret, cum facillime contingere posset, vt ille vel odio eijceret, vel amore exire non impediret, & in passione se decipi permitteret, facilius enim passiones insurgere possunt inter simul commorantes, & viuentes. Et ideò Concilium voluit vt Prælatus regularis solus, & præcipue ea sola cognitione extra iudiciali cui multo facilius subest falsum, posset dare licentiam exeundi à Religione. Secundum fuit tollere lurgia, & dissidia, quæ occasione prætensionis nullitatis oriuntur, & impedire ne de facili Religiosi etiam forsan verè, & validè professi sub prætextu nullitatis professionis im-

pottunè superiores tentarent pro obtinenda licentia; cui malo remedium consulit auferendo à Superioribus facultatem dandi hanc licentiam exeundi, nisi causa iudicialiter examinata etiam coram Ordinario. Huiusmodi enim fines, qui sunt rationabiles, cum nec alij magis sufficientes reddi possint, etiam si non expressi pro expressis haberi debent *l. Quamuis, in ver. intelligi potest, C. de fideicommiss.* §. *Nominatim.* Inst. *de exhared.* Paulus de Castro *cons.* 40. *num.* 4. Alex. *cons.* 48. *num.* 4. *l.* 1.

355. Nec mouent exempla allata à Sanchez *d. disp.* 37. *num.* 13. dum dicit licere iudici occultè dimittere reum, quem scit innocentem esse copiam fugiendi illi faciendo secundum Sotum *l.* 5. *de iust. q.* 4. *a.* 2. *conclus.* 2. & alios. Et licet iudici coniugem præsumptum, sed non verum secluso scandalo dimittere vt fugiat. Nam primo quidquid sit de huiusmodi assumptis, aliud est positiue licentiam dare ad exeundum, aliud est non impedire exitum, & non præbere exeundi impedimenta, & sic ad exitum negatiuè se habere. Certè non licet iudici positiue dare reo secundum allegata damnato licentiam fugiendi, quia imò iudex tenetur reum punire, & coniugem probatum talem obligare ad conuiuendum alteri coniugi; sic ergo nec licet Prælato dare licentiam nulliter professo vt exeat, esto posset exitum non impedire, si alias subdito exire liceret. Secundo dicitur quod longe diuersa est ratio, neque exempla currunt, vbi lex expressè decernit de modo permittendi exitum, illumque prohibet, nisi certo modo fiat. Sicut est in præsenti, vbi lex expressè tradit modū dandi licentiam exeundi, & absolutè prohibet hanc dari sub alia forma, quam à se præscripta. Et verè sic est, quod Concilium hoc maximè prætendit, vt non detur licentia occulta, nec à solo Prælato Regulari. Ideò dicendum est Prælatum Regularem etiam in conscientia teneri ad non danduam licentiam nulliter professo exeundi, nisi seruata forma Concilij, scilicet deductis causis nullitatis coram Superiore, & Ordinario.

356. Secundum quod præcipit Concilium est quod dimittens habitum spontè scilicet sine licentia, & forma præfixa præscripta non audiatur, ad Claustrum reducatur, & vt apostata habeatur. In quo sine dubio Concilium præcipit, ne prætendēs nullitatem professionis exeat sine licentia. Et neq; hoc præceptum fundatur in præsumptione alicuius ratificationis professionis etiam præsumptæ, cum hoc præceptum obliget etiam ante expletum quinquennium, & etiam eum, qui statim prætendat suam professionem esse nullam; quamobrem nec dubium esse potest, quin hoc decretum obligat in conscientia, & sit factum non ex præsumptione alicuius validæ professionis, sed ex respectu boni communis, & quia hoc bonum commune Religionis requirit. Et sic bene considerato textu Concilij apparet, quod Concilium duo præcipit, nimirum quod prætendens professionem nullam non exeat sine licentia, & quod licentia sibi non detur nisi deductis causis nullitatis coram Superiore, & Ordinario, & quod illa præcepta non sunt fundata in præsumptione ratificationis professionis cum respiciant etiam tempus ante expletum quinquennium, & ante quemcumque actum ex quo possit præsumi ratificata professio, sed facta sunt absolutè rei veritate inspecta, & contemplato bono communi Religionis in rei veritate, & quia iudicatum fuit ita esse necessarium.

357. Ex quo tamen Concilium vult quod prætendens nullitatem professionis non audiatur, nisi intra quinquennium, iam deducitur tertium, quod fuit præceptum, scilicet quod non audiatur post quinquennium. Et hoc præceptum dicunt fundari in præsumptione ratificationis professionis intra quinquennium. Sed hoc dictum non iuuat ad præbendam facultatem fugiendi. Nam duo distincta hic considerari debent, scilicet quod prætendens nullitatē professionis nō audiatur nisi deductis causis nullitatis coram Superiore, & Ordinario. Secundum quod post quinquennium neq; hoc modo audiatur. Primum horum in nulla præsumptione fundatur, & in conscientia obligat, & tamen ex eo maximè sequitur obligatio, seu necessitas permanendi, qui enim non potest exire sine licentia, & licentiam habere non potest nisi deductis causis coram Superiore, & Ordinario, tenetur manere nisi ex forma seruata licentiam obtineat. Cum verò quidquid sit de fundamento illo præsumptionis professionis tacitæ, secundum preceptū absolutè obliget, vt infra probabitur, & ex praxi curiæ constat, nisi à Sanctissimo obtineatur restitutio in integrum contra lapsum quinquēnij; igitur nisi hæc restitutio obtineatur, remanet in vigore lex illa obligans in conscientia eum, qui prætendit nullitatem, vt non exeat sine licentia, quam iam obtinere est sibi impossibile nō obtenta restitutione in integrū, vnde tenetur nō exire, & nō fugere, sed perseuerare. Sed præterea, vnde colligunt, quod lex negans audientiam post quinquennium adæquatè sit fundata in sola præsumptione ratificationis professionis. Hoc enim Concilium non dicit, & si ex ratione discurrere volumus, debemus dicere Concilium, quod independenter à præsumptione cuiuscumque professionis tacitæ præcepit ne prætendens nullitatem professionis exeat sine licentia, & præscripsit licentiæ obtinendæ modum intuitu boni communis, & vt tollerentur occasiones exitus illiciti, & litium, & dissidiorum, ex hoc eodem fine præscripsisse tempus concessum ad obtinendam eandem licentiam, & quod voluerit quod per quinquennium præscribatur consistentia in Religione.

358. Et ad hoc vrget valde septima ex rationibus, quas adducit Reuerendiss. Fagnan. *d. cap. si quis* 2. *num.* 48. Nimirum quod Concilium eo præfixione quinquennij induxerit quandam præscriptionem, per quam nulliter professus præscribit contra Religionem alimenta, & iura, vt tractetur à Religione tanquam Religiosus, nec possit per illam eijci, & Religio contra nulliter professum præscribit superioritatem, & iurisdictionem, & ita vt ille non possit exire, sed teneatur conuiuere, & tanquam subditus obedire. Et sic Concilium arbitratum est, quod ad reclamandum sufficiat, si assignetur tempus quinquennij, quo translacto interet præscriptio, ad modum quo quinquennio præscribitur querela inofficiosi testamenti. *l. si quis filium in fine, C. de inoff. testam.* Et querela inofficiosæ donationis. Paul. de Castro *in rubr. C. de inoff. donat.* Item petitio supplementi

ti legitimæ, quæ post quinquennium fieri non potest secundum Bartol. *in d. l. si quis filium*. Item separatio bonorum. *l. 1. ff. de separatione bon. l. est iurisdictionis*, vbi Cynus, Bald. & Salyc. *C. de bon. author. iudic. possid.* statut; quæstio, quæ eu persona patris post quinquennium ab eius obitu contra filium moueri non potest. *l. 1. & l. si patris. C. de stat. defunct.* Item pœna peculatus, quæ itidem quinquennio præscribitur. *l. Peculatus, ad l. Iuliam peculatus.* Item in omni delicto quod non accusatum, neque denunciatum infra quinquennium præscribitur, secundum Boet. *dec. 64. num. 18.* sicut & facultas inquirendi contra mortuum, vt in crimine læsæ maiestatis, Clar. *in §. læsa maiestatis num. 16. in fin.* Sic igitur hoc modo Concilium induxit præscriptionem quinquennalem, & in pœnam negligentiæ eius, qui prius non reclamauit, & principalius ob quietem Religionum, quæ præscriptio in conscientia valet, & ligat, & obligat, & vni aufert ius, & alteri tradit, sicut & præscriptio rerum temporalium, in qua qui præscripsit etiam si post præscriptionem sciat iam antea rem non fuisse suam nihilominus eam iuste retinet. Gloss. *in cap. Vigilanti, v. veneris, de Præscrip.* & ibi Io. Vincent. Tancred. Goffred. Io. Andr. Imola, Panorm. Felin. & alij communiter. D. T. quodl. 12. a. 14. Scotus *in 4. d. 15.* Syluest. *v. præscriptio. n. 1.* Martinez de Prado *cap. 21. q. 3. n. 7.* Ita Religio post quinquennium acquisita iurisdictione super nulliter professo eum iure retinet, nec ille exire potest, sed remanet iuris Religionis, & sub eius dominio remanet.

359. Licet verò Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 4. num. 5.* hunc modum dicendi impugnet probabile affirmans, non posse statui virtute legis, vt Religio acquirat per modũ præscriptionis tanti temporis tale ius, vel dominium in talem personam, vt ratione illius obliget eã cũ iustitia, vel ratificare professionem, vel manere in perpetuum in Religione, quia hoc est grauissimum onus, & multum repugnans humanæ libertati. Vnde putat respectu personæ liberæ non habere propriè locum præscriptionem, vt fiat serua alteri per præscriptionem sine consensu talis personæ. Et ita de facto nullus præscriptione fit seruus, quamuis è contrario seruus præscribere possit libertatem. Sed quidquid sit modo, an hæc propriè dici debeat præscriptio, constat quod Canones sæpius ex præsumpta professione obligarunt sic præsumptum professum ad permanendum in Religione. Quamuis verò Concilium non inducat nouam præsumptionem ex perseuerantia quinquennij, approbat tamen, quod interim præsumptiones, quæ ex iure antiquo inducuntur vel ex annali delatione habitus indistincti, vel ex susceptione habitus professorum, vel ex exercitio actuum professorum; aliqua cum ex his præsumptionibus consurgit, eu qua præsumi potest ratificata professio, & licet Concilium voluerit intra quinquennium admitti probationem contra huiusmodi præsumptiones, tamen indicauit inducendam præscriptionem hãc ex quinquennio ad effugienda lites etiam contra professiones verè ratificatas, & ad tranquillitatem Religionum construandam. Quod verò seruitus non præscribatur non est, quia non potest præscribi, sed quia lex id prohibuit. Et non est eadem ratio de seruo, cuius seruitus est de genere malorum, & de Religione cuius seruitus est libertas, quia seruire Deo est regnare. Et nihilominus si quis se alicui donaret in seruum, & vsus esset, vt huiusmodi donatio fieret passim, quia iam seruus qui se donasset habendus esset vt seruus posset illi præcipi, vt in seruitute maneret, ob reipublicæ bonum.

360. Sic ergo ad primum in oppositum respondetur, quod causa propria, & per se permanendi in Monasterio est professio, quæ tamen vel inducit hanc necessitatem ex vi voti si sit vera, vel ex vi præcepti Ecclesiastici si sit præsumpta, & præscripta. Vnde nulliter professus potest exire sed solum sub certa forma, & ad certum tempus, post quod eu præcepto Ecclesiastico professus in facie Ecclesiæ tenetur stare. Et sic huius exempla habemus plura. Vidua illa de qua est sermo in *cap. quod interrogasti, dist. 27.* coram Deo professa non erat, quia professionẽ finxerat, & tamen quia vt habet ibi Turrecrem. non potuit probare fictionem, Nicolaus Papa iussit vt rediret ad Monasterium etiam marito quem sumpserat relicto. Sic ergo ibi professio in facie Ecclesiæ valida iuncto præcepto Ecclesiastico obligauit eam ad vitam regularem intra Monasterium habendam. Sic & in *cap. Vidua, 27. q. 1.* Virgines, quæ licet velum consecrationis non receperant, tamen, vt aduertit Turrecrem. professæ erant, sed fictè & simulatè, quæ scilicet propositum virginitatis simulauerant, nihilominus decreto S. Gregorij compelluntur relictis maritis, cum quibus matrimonium inierant promissam seruare castitatem, ad quam licet non tenerentur ex voto, quod fictum fuit, tenebantur ex præcepto Ecclesiæ, & sic professio in facie Ecclesiæ iuncta præcepto Ecclesiastico cogit ad permanendum in statu Religioso. Similiter & in *cap. Vidua, de Regul.* Vidua quæ professa fuit in mente sua sub intentione discedendi quandocumque voluerit, licet hoc iuramento firmare vellet, & si fuisset verum, quod verè coram Deo professa fuisset sub conditione, quod posset deponere velum ad sui voluntatem professio nulla fuisset, nihilominus compellitur permanere. Sic ergo semper apparet, quod professio in facie Ecclesiæ valida iuncto præcepto Ecclesiæ cogit ad permanendum. Sic ergo & Concilium Trident. voluit quod professio habita in facie Ecclesiæ post lapsum quinquennij præscribat valorem, & sinecoram Deo nulla sit, vel valida, obliget ad permanentiam. Ideò bene Caiet. *supra q. 88. a. 1.* circa finem, quem sequutus fuit Sotus *l. 7. de iust. q. 1. a. 5.* dixit quod fictè professus est obligatus ad Regulam seruandam nedum ratione scandali, sed ratione Ecclesiæ, quæ potest hoc illi præcipere, & habere illum pro professo.

361. Ad secundũ, dicitur quod non probat nisi id, quod non est in controuersia, scilicet, quod huiusmodi nulliter professus, qui vel non reclamat, vel non reclamat in tempore non tenetur perseuerare ex vi voti, & quod nullus inuitus potest cogi ad internum actum voti, & quod Ecclesia non potest supplere consensum matrimonij, & profitentis. Cæterum spectata extrinsecus vita Regulari, & votorum obseruantia, Ecclesia ex causa iusta, & proportionata potest ad eam obligare,

gare ; quod maximè verum est respectu eius qui in facie Ecclesiæ ad vitam Regularem se obligavit. Cui maxime potuit præfigere modum, & terminum egrediendi, si prætendat nullam fuisse obligationem iam susceptam, post quem terminum non sit audiendus. Quod si secundum doctr. Bal. *cap. si quis per triginta. si de fud. contr. fued. relat. à* Syluest. *v. præscriptio n. 13.* valet statutum laicorum denegans audientiam in foro seculari propter bonum publicum, vt si caueatur, quod non soluens gabellam iustam non audiatur, vel instrumentum non registratum in libro communis falsum præsumatur. Multo magis Concilium Trid. potuit decernere vt habeatur, & se habeat vt Religiosus ille qui de nullitate suæ professionis nihil dixit, nec reclamauit per quinquennium, sic obligans istum pro communi bono ad perseuerandum.

362. Ad tertium patet quod Religiosus lapsu quinquennij præscripsit alimenta, & alia Religiosorum iura, ad quæ ius habet lege sic disponente. Sed intra quinquennium, qui inculpabiliter est nulliter professus, si statim ac potest reclamat, quia per eum non stat, quin exeat, sed ex lege cogitur seruare formam reclamandi præscriptam à Concilio videri poterit, quod habeat ius vt interim habeatur vt Religiosus, lege sic disponente, ac volente, & quod tunc ea legis intentione alimenta compensantur ex eo, quod ipse manet ad onera Religionis obligatus, & lex iubet, vt tanquam Religiosum se habeat. Item si quis voluntariè nulliter professus fuit, licet teneatur restituere alimenta, & reddere Religionem indemnem, nec possit ille locupletari cum Monasterij iniuria, ab eo tamen tempore quo reclamare incipit intra quinquennium videbitur forsan, quod cesset obligatio restituendi, quia iam manet inuitus virtute legis, & statim non exit, quia ex lege cogitur manere tempore reclamationis donec sententia feratur. Sed oppositum dicitur nimirum quod ei, qui culpabiliter fuit nulliter professus, ante expletum quinquennium nunquam debentur alimenta; quia ipse se posuit culpa sua in illas angustias, vt pro aliquo tempore scilicet donec iudicetur nullitas suæ professionis non possit exire. Et Religio non tenetur ipsa subire pœnam culpæ eius qui fictè voluntariè professus fuit: quod si respondeatur, quod lex quæ necessitat illum pro tunc ad manendum, & ad religiosè viuendum saltem extrinsecus, simul dat illi iura ad cõuiuendũ; sic enim qui culpa sua factus est seruus non tenetur ex hoc viuere de suo, si ad obsequia domini necessitatur. Et æquum est vt Religio alat eum, qui inuitus manet dum supremus Religionis Prælatus eum ad manendum necessitat. Replicatur, & dicitur primo quod non est eadem ratio de seruo, quod necessitatur ad manendum in vtilitatem domini, & de Religioso nulliter professo, quod intra quinquennium necessitatur ad manendum, non in vtilitatem Religionis, neque ad obsequia necessaria illi, sed in vtilitatem Religiosi, qui salua iustitia non potest priuare Religionem se ipso eius subdito, nisi constet de nullitate donationis per ipsum factæ in facie Ecclesiæ. Ideo quod ipse necessitetur ad sic manendum sibi imputet, qui profitendo nulliter ex culpa incurrit necessitatem probandi nullitatem vt tandem dum voluerit exire valeat. Nec est eadem ratio de isto culpabiliter nulliter professo ante, vel post quinquennium; quia per quinquennium Religio præscribit absolutam iurisdictionem in illum, & manet etiam in vtilitatem Religionis, cum eius boni intuitu hæc quinquennalis præscriptio inducta sit. Sed intra quinquennium non adest subiectio nisi per accidens, & est ibi non vt ciuis, sed vt aduena sub mentito ciuis nomine, & habitu, & est ibi voluntariè, & obligatur ad onera legis sub conditione quod ibi velit manere, & ex eius debito tenetur nullitatem professionis probare, si vult exire, vt tenetur exire, si non vult professionem ratificare. Ideò loquendo etiam de eo qui bona fide fuit professus, dicitur, quod ex quo iam vult egredi non habet ius vt viuat de bonis Religionis, & Religioni non est imputandum, si ille statim non potest exire, sed debet probare nullitatem suæ professionis. Sed si vult ali vt religiosus ratificet professionem suam, quia Religio non tenetur secularem alere qui ad seculum vult redire.

363. Ad quartum dicitur longe disparem esse rationem inter matrimonium, & professionem, quia longe dispar ratio est inter vsum coniugij quod lege naturæ est prohibitum inter non coniuges, & vitam regularem, quæ nulla lege est prohibita, sed in se est sancta. Ideo in matrimonio pro hac parte distingui debet forum conscientiæ, à foro fori, & stat præceptum Ecclesiæ in foro conscientiæ non obligare, quia nequit obligare ad id, quod est peccatum mortale agere; ideò vt habetur in *d. cap. literas, & d. cap. Inquisitionis,* coniux potius in hoc simili casu debet patienter sustinere excommunicationem, quam mortaliter peccare. Sed vita Regularis, & perseuerantia in Monasterio est res optima, & ideò Ecclesia ad hanc obligans nedum obligat in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, quia lex Canonica in foro conscientiæ obligat. *cap. De his. dist. 30. cap. quia d. 64. cap. Nulli fas est, dist. 19 cap. si quis. c. d. 17. cap.* Nemo *Episcoporum. 11. q. 1. cap. Violatores. 25. q. 1.* & est res certissima, & omninò indubitata.

364. Ex his soluitur alia quæstio scilicet in ordine tertia, an scilicet nulliter professus viuens intra claustra ad leges claustri teneatur. Illum enim non teneri ex vi voti, teneri verò per accidens ratione scandali communiter asseritur. Caiet. *supra q. 88. a. 1.* circa finem. Sotus *lib. 7. de iust. q. c. a. 5. col. 7.* Angles Florib. *2. p. de voto q. vnica a. 1. diffic. 4.* Valen. *2. 2. disp. 6 q. 6. p. 2 col. 6.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 5. q. 1.* Aragon. *2. 2. q. 88. a. c. col. 16.* Rodriq. *t. 2. c. 92. concl. 5.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. num. 36.* Barbosa *ad d. cap. 19. num. 15. Concil. Trid.* Ratio primi est, quia cum votum professionis sit nullum, ex eo non potest nulliter professus cogi ad obseruantias regulares. Reuerendiss. Fagn. *cap. si quis num. 72. de regul.* Ratio secundi est, quia cum communiter, & publicè habeatur vt Religiosus, si opera Religiosi non faciat, scandalum generabit, & malum viuendi exemplũ dabit. Quibus stantibus est sententia eorum, qui existimant nulliter professum etiam post quinquennium nulla alia lege teneri ad obseruanda vota, & obseruantias regulares, & ideò in occultis, vbi cessat ratio scandali cum nec ad regulam

nec

nec ad votorum obseruantiam adstringi. Ita tenent Card. Alexand. *in cap. quod significasti nu. 9. dist. 57.* & Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. nu. 36.* Et hoc confirmat quia lex obligans nulliter professos post quinquennium ad permanendum in vita regulari, & eius obseruantia, fundatur in præsumptione professionis, quæ est iuris, & de iure. At verò præsumptiones seu fictiones non habent locum quoad Deum, & in foro animæ *cap. Humana 22. q. 5.* Anchar. *cons. 411. num. 5.* lex enim in foro conscientiæ obligans nititur veritate, & rei existentia vt ait Feder. de Senis *cons. 21.* Sic licet lex iubeat vt hæres, qui non confecit inuentarium teneatur vltra vires hæreditatis, tamen in foro cõscientiæ ad id non tenetur. Coton. autem *lib. 4. contr. 4. num. 63.* existimat, quod huiusmodi Religiosus extrinsecos teneatur ad obseruantiam regulæ ex lege naturali obligante partes conformare se suo toti, *cap. 1. dist. 12. & cap. cum non liceat, de Præscrip.* Sed Reuerendiss. Fagnanus *d. cap. si quis num. 67. fin.* vult nulliter professos post quinquennium ex præcepto Ecclesiæ, nimirum ex præcepto Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19.* de Regularibus teneri in conscientia regulariter viuere.

365. Distingui igitur hic debet de nulliter professio ante vel post quinquennium. Dicitur vero nulliter professum post quinquennium ex vi decreti Concil. Tridentini obligari in conscientia ad vitam regularem sicut alij Religiosi, licet hæc obligatio in eo non sit ex vi voti, sed ex vi præcepti Ecclesiastici, & etiam in parte ex vi legis naturalis, sic enim & de Religioso ficto Caiet. *supra q. 88. a. 1.* circa finem docuit eum ad leges ordinis teneri nedum ratione scandali, sed ratione Ecclesiæ, quæ potest præcipere sic ficto Religioso, vt Religiosè viuat, quia fictionem non tenetur credere. Sic ergo quia Concilium duo præcipit; scilicet quod nullus professus prætextu nullitatis exeat sine licentia, secundum quod hæc licentia illi non detur post quinquennium, & quod non audiatur, ex consequenti præcipit, quod in Religione perseueret tanquam Religiosus. Sed difficultas est, quia lex ista tanquam fundata in præsumptione non videtur obligare in conscientia eum, qui vere est professus. Reuerendiss. Fagnanus, *d. c. si quis, num. 70.* respondet, quod vbi ex obseruantia Constitutionis in foro animæ non resultat in foro conscientiæ aliqua iniquitas, vel peccatum tunc præsumptiones, & fictiones iuris habeant locum etiam in foro conscientiæ, citans ad hoc Federicum de Senis *cons. 21.* & Syluest. *v. lex num. 9.* Vnde *n. 71.* existimat, quod hæres, qui non confecit inuentarium teneatur in conscientia vltra vires hæreditatis. Sed certè Syluest. *v. lex num. 9.* expressè docet, quod lex fundata in præsumptione, & non in veritate non obliget in conscientia si veritas est contra præsumptionem, & propterea vult, quod hæres qui non confecit inuentarium, non teneatur in conscientia supra vires hæreditatis. Ideò si semel admittatur, quod lex Concilij fundetur adæquatè super præsumptione ratificationis, seu validitatis professionis habetur nõ leue fundamentũ, & quod nec tam de facili dirui posset ad dicẽdum legem Concilij non obligare eũ, qui est certus de nullitate suæ professionis. Sed fundamentum hoc negatur, scilicet, quod lex Concilij fundetur adæquatè in præsumptione validitatis professionis. Est enim considerandum quod intra quinquennium necessario in professo in facie Ecclesiæ confugit aliqua ex præsumptionibus professionis tacitæ, quas ius antiquum induxit, quia non est possibile, quod professus in facie Ecclesiæ intra quinquennium à die professionis vel non susceperit habitum professorum, vbi est distinctus, vel non se immiscuerit actibus professorum, vel per annum non detulerit habitum indistinctum. Et ideò Concilium supponit quidem, quod professus in facie Ecclesiæ ex iure antiquo possit præsumi professus, tamen ille potius noluit omninò illum haberi vt talem, seu voluit, vt non obstante hac præsumptione, posset professus reclamare, dummodo id faciat intra quinquennium. Quod verò negauerit audientiam post quinquenniũ non fuit quia tunc præsumeret illum professum magis quam ante, sed quia vidit quod bono communi non conuenit, quod in infinitum liceat dicere de nullitate professionis, quia bonum commune Religionum petit, vt etiam si præsumptioni non respondeat aliquando veritas, tamen ob bonũ commune seruandum necessariũ sit vt professus in facie Ecclesiæ post quinquennium siue vere, siue non vere coram Deo sit professus, permaneat in Religione, & ideò religiosè viuat, vt hoc modo præcludatur via falsis prætextibus nullitatis professionis, nec in æternũ sit Religiosis aperta via, ob aliquã impatientiã, vel ob ambitionẽ, aut auaritiã, aut tædiũ regularis vitæ ad tentandũ egressum, & sic ad suscitandas infinitas lites, ad negandam superioribus obedientiam, ad perturbandam claustrorum pacem. Sic lex præscriptionis bonorum non est fundata adæquatè in præsumptione, neq; enim lex Canonica admittit præscriptionem solũ in pœnam negligentiæ, sed eam statuit ob vtilitatem communem, vt aduertit Syluest. *v. Præscriptio num. 13.* Et ideo obligat in conscientia. Et eodem modo obligat lex Concilij Trid. ex qua Religio per lapsum quinquennij præscribit in professum in facie Ecclesiæ iurisdictionem, quidquid sit an ille sit, vel non sit coram Deo valide professus.

366. Intrat etiam lex naturalis nedum charitatis vt vitetur scandalum, & ideò obligans ad publicam obseruantiam vitæ regularis, sed etiam, vt dicebat Coton. vt pars suo toti conformetur, *cap. 1. d. 12. & cap. cum non liceat, de Præscrip.* Vnde intrat obligatio iustitiæ legalis. Quod eo amplius est hic verum, quo hic nulliter professus non potest exire à Religione, & facere, quod non sit visibilis pars illius; naturalis æquitatis ergo ius exigit, vt non sit saltem extrinsecus pars dissimilis alijs, & toti non conformis, sed & adiungitur, quod iam hic Religiosus non est aduena, sed est Ciuis Religionis, nedum quia in facie Ecclesiæ elegit sibi perpetuum domicilium in Religione, sed quia iam velit, nolit, nisi obtineat beneficium restitutionis in integrum, domicilium mutare non potest, vnde tanquam ciuis legibus Ciuitatis est subiectus. Et sicut Clericus domicilium habere censetur vbi residere debet. Syluest. *v. domicilium n. 1.* Ita Religiosus ille iam habet domicilium in Religione a qua non potest discedere, sed in qua debet permanere. Et sic sicut ciuis in perpetuum

um damnatus in aliquo loco censetur habere ibi domiciliũ. Tenetur igitur nulliter professus ad leges Religionis, & ex præcepto Ecclesiæ, & quia, est tanquam Ciuis Religionis. Et amplius cum disputatio sit an aduenæ teneantur legibus loci, & verum sit eos teneri prout docent Syluest. *v. excommunicatio 2. num.* 5. Nauar. *cap.* 12. Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 14. & de legibus *l.* 3. *cap.* 33. adhuc inter eos, qui hoc negant multi dicunt eos aduenas teneri ad leges loci in quo sunt, si ibi sint permansuri per maiorem partem anni, vt per Sanchã *l.* 3. *de matrim. disp.* 18 *& lib.* 1. *in Decal. c.* 12. At verò huiusmodi professi, qui infra quinquennium non reclamauerunt, permanere tenentur in religione vsque ad mortem, nisi obtineant beneficium restitutionis in integrum, & nullitatem probent, vnde habent domicilium in Monasterio; & si velint fugere reuocabuntur, & redire compellentur, & præterea Superiores Religionis possident iurisdictionem, & superioritatem super illos, vt & præcipere illis, & compellere illos possint vt obediant.

367. Sed ante quinquennium iste nulliter professus potest via iuridica exire, alio autem modo non potest vnde ex vi legis Concilij tenetur perseuerare sub habitu, & vita Regulari, donec licentiam exeundi obtineat. Igitur nedum tenetur ad obseruantiam Regulæ publicè ratione scandali, imò ex legali iustitia, quia est in facie Ecclesiæ pars Religionis, sed ex vi præcepti Concil. Trid. obligantis ad perseuerandum donec licentiam habeat, tenetur se habere vt Religiosus, & religiosè viuere sicut alij.

368. Ex his modo colligitur, quod nulliter professus post quinquennium, vt supra *num.* 362. dicebatur habet ius ad alimenta, & ad vsum priuilegiorum ordinis, & vt cum eo tanquam cum verò subdito Prælati possint dispensare in votis, & eum in foro conscientiæ absoluere, sicut possunt erga verè professos, quia ea lapsu quinquennij Religio præscripsit super illam iurisdictionem, & ipse præscripsit ius ad Religionis bona, vnde etiam potest à Superioribus mitti ad Ordines suscipiendos, & ipse potest illos suscipere; quamuis ea Sacrorum Ordinum susceptione ratificet professionem, & incurrat tacitam professionem, vt supra probatum fuit. Sed si ex intentione repugnet ratificationi professionis, & intendat petere restitutionem in integrum, quando poterit, vel si aliquando poterit, dubium est an possit interim ordinari, & Sacros Ordines suscipere, videtur enim quod possit, quia iam præscripsit statum Religiosum, & est in possessione tituli paupertatis, ad quem possit ordinari. Nec obstat quod intendat, si possit discedere à Religione, & redire ad seculum, quo stante dabitur casus in quo erit in sacris constitutus Clericus sine aliquo titulo vel beneficij, vel patrimonij. Tum quia hæc ratio non militat in eo, qui habet patrimonium pingue ex quo viuere possit, si dimittatur ab Ordine. Tum quia nec militat in eo, qui non habet spem probabilem vel vt obtineat restitutionem in integrum, vel vt nullitatem professionis probet, ille enim censeri debet permansurus in Religione. Tum quia absolutè iste vtitur iure suo, cum enim lex iubeat vt permaneat tanquam religiosus, ex hoc possidet ea quæ Religiosi sunt tàm fauorabilia, quam odiosa, vnde possidet ius, vt ordinetur ad titulum paupertatis. Et cum via ordinaria exire non valeat, & si nõ vi voti tamen vinculo legis statui paupertatis indissolubiliter sit adscriptus, quod via extraordinaria, & per gratiam exire possit, & fieri secularis, sicut per hoc non ponitur extra statum regularis paupertatis, ita non tollitur, quin ad titulum paupertatis possit ordinari, & nec obstat, quod nullus potest ordinari nisi ad titulum vel veri patrimonij, vel beneficij verè habiti, vel veræ professionis; quia in Ecclesiæ facie iste habetur tanquam verè professus, & ita habetur, quod ex præcepto Ecclesiæ tenetur se habere tanquam sit professus simpliciter, & per totam vitam. Quod si ex hoc tenetur ad onera professorum, æquum est, vt professorum gratijs vti possit. Nec est vnde dicatur, quod iste iam in animo suo est secularis, cum ad seculum redire velit, quia de facto ipse est Regularis præsumptiuè professus, esse autem secularem desiderio non impedit, quin de facto, & ad onera regularia teneatur, & possit frui regularium indultis: Nihilominus dico, quod iste qui medio beneficio restitutionis in integrum vult exire, vel interim non potest sine graui scandalo abstinere ab Ordinum susceptione, vel potest expectare vt tentet remedium restitutionis. Si detur primum, quia præceptum vt nullus ordinetur sine titulo professionis, vel beneficij, vel patrimonij est merè Ecclesiasticum, potest ille Ordines suscipere, quia in eo casu præualet lex obligans ad vitanda scandala. Sanchez *l.* 7. de *matrim. d.* 37. *num.* 43. Sed si professus ille potest sine scandalo, vel alteri legi naturali, aut diuinæ nõ resistendo prius tentare remedium restitutionis in integrum, longe melius, ac tutius erit illum expectare, & illud remedium prius experiri. Et certè si ordinetur ad Sacrum aliquem Ordinem priusquam dimittatur, hoc tenebitur notificare iudicibus, quibus commissum fuerit cognoscere de nullitate professionis. Quia cum per promotionem ad Ordines Sacros incurratur professio tacita, vt declarauit Sac. Congreg. & probatum est supra *num.* 289. Ad hoc vt probetur nullitas professionis, vt possit exire, necesse est vt probetur etiam eum per susceptionem Sacri Ordinis non incurrisse professionem tacitam. Et sic præiudicat intentioni suæ, si Sacrum Ordinem suscipit. Præterea alio periculo se exponit, si verè in seculo non est habiturus patrimonium, nimirum, quod Ordinarius non permittat ipsum in Ordine suscepto ministrare, donec sufficiens patrimonium obtinuerit. Nam Neapoli praxim esse, vt dimissi ad celebrandum non admittantur nisi habeant patrimonium ex Ricc. refert Donatus *p.* 4. *tr.* 12. *q.* 26. Qui etiam bona fide intendit perseuerare in Religione, vel quia ad illam sit affectus, vel quia non habet spem probabilem, vt possit probare nullitatem suæ professionis, & ideò iam non intendit exire, potest titulo paupertatis, & professionis quem possidet ordinari. Videnda sunt dicta inferius *numer.* 892. *& sequ.* Sic etiam si loquamur de alijs beneficijs, quæ professionem supponunt, vt sunt dispensationes aliquæ super irregularitate, aut irritationes votorum; si professus intendat medio remedio restitutionis in

inte-

integrum exire, & postea exeat, non poterit illis dispensationibus vti, quæ intuitu professionis, & status illius sibi concessæ fuerunt. Cæterum dum permanet tam in oneribus, quam in fauoribus se habere poterit tanquam verè professus, nisi in ijs, quæ veritatem professionis requirunt. Quod si professio nulla est ex eius culpa, peccauit quidem nulliter profitendo, & se exponendo ijs periculis peccandi, quæ annexa sunt fictæ professioni, & bona Religionis vsurpandi iniustè, tamen transacto quinquennio sicut se habere debet, vt Religiosus in oneribus, ita se habere potest in fauoribus, vt dictum est.

369. Sed & intra quinquennium ferè eadem ratio militat de eo, qui bona fide est nulliter professus, & bona fide manet, & si sciret nullitatem professionis vel illam conualidaret, vel statim exiret. Nam iste est bonæ fidei possessor, & quæ Religionis sunt bona fide possidet, ideoq; & licitè eis vtitur. Sed qui culpa sua nulliter profitetur peccat, & tenetur vel ratificare professionem, vel exire, & quatenus potens exire, non exit, peccat recipiendo alimenta, & vtendo priuilegijs Religionis. Vnde si differt reclamare, & sic differt exire est in statu peccati, nec alimentis, nec alijs Religionis proprijs bonis potest frui. Et nihilominus tenetur tunc ad Regulæ obseruantiam modo dicto, à qua ex culpa sua non subleuatur, quia lex vult, vt maneat tanquam professus, viuat tanquam professus siue sit, siue non sit, & sic si non vult subdi oneri exeat, seu non differat exitū, & sibi imputet, qui culpabiliter se in hoc statu posuit. Sed & dum petit licentiam exeundi, & detinetur vt probet nullitatem seruata forma Concilij tenetur seruare indemnem Religionem, nec habet ius ad alimenta in præiudicium Religionis, vel ad alia Religionis bona, sed semper est malæ fidei possessor. Solum quantum ad Sacramenta necessaria potest illa recipere à Religione. Tum quia dum non est probata nullitas, ipsa illum possidet tanquam subditum. Tum quia quantum ad Sacramenta necessaria quilibet potest illa recipere à Parocho, vel Sacerdote loci in quo est tempore necessitatis. Non potest tamen vti priuilegijs professorum extra necessitatem, cum nec sit professus, & exire velit, Ideò tunc non posset ordinari ad titulum paupertatis, nec dispensari in votis nisi in casibus, in quibus posset dispensari secularis. Nec obstat si dicatur, quod cum sit subiectus iurisdictioni Superioris tanquam Religiosus, possit Superior vti iurisdictione sua erga illum tam in fauorabilibus, quam in odiosis; quia hæc est subiectio pro interim; vnde nec Prælatus potest illi præcipere, quæ in futurum pendent; & sic nec potest cum illo dispensare dispensatione valitura in futurum, & pro tempore exitus. Sed quia tunc, quod statim non exeat impeditur à lege, & sic à Religione necessitatur ad permanendum pro interim, sic habet ius ad sola necessaria pro interim, vt interim quatenus opus sit absoluatur à peccatis. Ad alimenta verò ius habet, & non habet. Cum enim sit in Monasterio, & tanquam Religiosus subiectus interim Superioribus viuere debeat, simul habet ius vt etiam alijs Religiosis conuiuat, & sicut vnus de alijs alatur in Monasterio. Sed quia interim vult discedere tanquam nulliter professus, si discedat Religio ius habet vt pretium alimentorum repetat, nisi compensari debeant obsequijs necessarijs per dimissum præstitis ad vtilitatem Religionis. Quia Religio non est obligata vt malæ fidei Religiosum alat de suo, & sustentet.

370. Et sic qui bona fide professus fuit nulliter durante bona fide ius habet ad Religionis bona sicut alij, Sed bona fide cessante, si non vult permanere, tenetur statim reclamare, & si negligat, quia ex culpa eius est, non habet ius ad bona Religionis vt eis vtatur, & peccat ea recipiendo inuita Religione. Quod si bona fide cessante, & cognita nullitate professionis vult exire, & Religionem deserere, si reclamet, & dimittatur, tenetur Religioni de alimentis receptis, pro tempore bonæ fidei tanquam bonæ fidei possessor, & ideò tenetur restituere quantum factus est ditior, & pro tempore malæ fidei, & reclamationis integram summam, nisi interet aliqua compensatio, vt dictū est de malæ fidei professo.

371. Quod si quis nolit ratificare professionem, & tamen interim etiam nolit petere licentiam exeundi, quia non potest, si verè ita est quod impotentia sit talis, quæ illum excuset à culpa, & negligentia licentiam procurandi, & obtinendi, potest vti alimentis, & priuilegijs Ordinis, sed pro interim. Vnde nec poterit ordinari ad titulum paupertatis, cum habeat animum dimittendi Religionem, nec dispensari in votis dispensatione valitura post exitum, si illum exire contingat. Non enim est subiectus superioribus nisi pro interim, & donec exeat, nec per Religionem est, quod non exeat. Imò in hoc casu non poterit recipere alimenta nisi cum obligatione restituendi si potuerit, quia non est ex Religione, quod ille statim non petat licentiam, & illam non obtineat, vnde tenetur Religionem indemnem conseruare si potest.

372. Tandem habetur resolutio quæstionis propositæ *num.* 347. an scilicet nulliter professus teneatur ratificare professionem. Respondetur enim non teneri. Post quinquennium enim manet obligatus ad regularem vitam ac si vouisset, quamuis obligatio non sit ex voto, & sic potest securè sine scrupulo modo supra explicato gaudere priuilegijs, & frui bonis eiusdem, sicut alij. Ante quinquennium verò, cum ex lege possit reclamare, non tenetur ratificare professionem. Et si reclamare nolit, iam transacto quinquennio erit ligatus etiam si non ratificet, interim verò peccat quidem si vel non ratificat professionem, vel cum possit non exit, si tamen exire non potest, procurabit vt vitet peccatum iuxta supradicta, sciens tandem fore, vt ligetur si non vinculo voti, vinculo præcepti.

373. Quæritur quarto quis possit ratificare professionem? Respondetur, quod ille professionem non potest ratificare, qui fuit reiectus à Religione. Ratio est, quia in conuentionibus ad illarum valorem non sufficit consensus vnius partis, sed vtrinsque est necessarius, & consensus vnius datur sub conditione alterius, cuius consensu deficiente conuentio omnino nulla est, nec secundum aliquod sui remanet, quod posit ratum haberi, vel ratificatione confirmari, sed euanescit

omnino conuentio, & ad fui nihilom reducitur, vna parte dissentiente; quia tunc prioris partis consensus conditionatus sub conditione consensus posterioris, negata conditione euanescit. Vbi vero Nouitius dimittitur, iam Religio ex parte sua dissentit; igitur omnis consensus nouitij non datus nisi sub conditione consensus Religionis euanescit prorsus, & ita nihil remanet, quod possit ratificari. Vbi ergo nouitius fit à Religione dimissus, non habet locum ratificatio, sed noua professio est necessaria. Et hoc est verum etiam si nouitius ipse est, qui discedit, & discedit à Religione ad sui instantiam dimissus, & præcipuè si per sententiam Iudicis dimissus sit. Bordon. *cap. 6. de professione. q. 30.* Nam in eo casu vtriusque partis consensus abrogatus fuit, & castatus. Et si adfuit sententia dimissionis, prior professio euacuata fuit etiam iuridicè; vnde necessarius est nouus consensus vtriusque partis, & sic noua professio emitti debet.

374. Aduertit verò Palaus *tr. 16. disp. 2. p. 6. num. 2.* quod licet in Societate non habeat locum professio tacita, tamen locum habere potest ratihabitio; eo quod sit ibi prohibita incorporatio tacita, quæ per se primo fit, non verò quæ fit ad reparationem professionis inualidæ. Et subdit *num. 3.* fieri eo modo quo fit in alijs Religionibus, per annalem habitus gestationem, & exercitium actuum, qui sunt proprij professorum in eo determinato gradu, in quo Religiosus expressè licet inualidè fuit professus.

375. Quæritur quinto. An ad valorem ratificationis necesse sit, vt ratificans sciat professionem fuisse nullam, & per hunc vel illum actum ratificari? Communis DD. sententia affirmat. Id enim docuerunt Nauar. *cons. 23. num. 2. & 29. n. 6. de Reg. & cons. 9. quod metus causa, & in Man. cap. 12. num. 71.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 4. q. 7.* Sorbu *v.* Nouitius *notab.* 4. Graff. *p. 1. dec. l. 3. c. 5.* Rodriq. *t. 2. sum. cap. 5. num. 2. & cap. 8. nu. 5.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 59.* Suarez *to. 3. de Relig. l. 7. cap. 12 num. 4.* Less. *lib. 2. cap. 41. d. 7. num. 60.* Laymañ. *lib. 4. tr. 5. cap. 2. num. 9.* Palaus *tr. 16. d. 2. p. 5. num. 3.* à S. Faustio *l. 5. q. 291. num. 1.* Peyr. *in Prab. q. 3. cap. 1. num. 144.* Donatus *p. 4. tr. 8. q. 5.* Tambur. *de iur. Abb. tom. 3. disp. 6. p. 17. num. 5. & q. 23. num. 4.* Bonac. *de Claus. q. 2. p. 10. diff. 1. num. 3. §. Dixi.* Bordon. *cap. 3. de profess. q. 9. Rota decis. 40. num. 19. recent.* Aduertit vero Palaus sufficere scientiam conditionatam, vt si diceret, si forsan professio mea fuisset inualida eam intẽdo ratificare. Huius communis sententiæ fundamentum accipitur ex doctrina Caietani *supra q. 189. a. 5.* vbi sic habet. *Et scito quod aliud est approbare, seu ratificare, & aliud est credere esse validum, & propterea habere intentionem adimplendi. Nam approbare, vel ratificare ad actum spectat voluntatis, qua quis vult nunc, quod olim voluit. Credere autem esse validum, spectat ad intellectum. Intendere autem exequi quia præsupponitur validum, licet spectet ad voluntatem, nihil tamen facit ad ipsum votum, sed solum ad executionem voti, quam respicit, vt patet. Et ideò si aliquis ante pubertatem simplici voto vouit, & postea in legitima, & libera ætate considerans suum votum, credens illud esse absolutè validum, intendit millies illud adimplere, non propterea Deo ratificauit, vel approbauit.* Ex hac enim doctrina argumentum conficitur, quod prorsus insolubile videtur. Nam ratificatio est opus voluntatis, vnde indubitatum est professionem non posse ratificari, nisi ratificans velit illam ratificare, & approbare, *cap. significatum, cap. si quis tenor, cap. consulti de Regular.* Duobus autem modis qui professus fuit potest in professionem consentire, vel quia intendit iterum profiteri, vel quia intendit, & volt priorem professionem ratam habere *cap. 1. de Reg. in 6.* Non igitur est ratificatio, nisi ex nouo consensu voluntatis. At verò certissimum est voluntatem non posse ferri in incognitum; impossibile igitur est quod quis professionem velit ratificare, si ignorat illam nullam fuisse.

376. Hoc verò explicatur quia supposita ignorantia nullitatis prioris professionis non potest dici quod Religiosus eam ratificet, vel ex quo nouam professionem habeat, vel ex quo priorem ratam habeat. Non quidem primum: Nam vbi Religiosus putat priorem suam professionem fuisse validam, quantumcumque se immisceat actibus professorum, vel deferat habitum religiosum non incurrit professionem tacitam, quia iuxta doctrinam Caiet. citatam, ipse exequitur prius votum, quod putat esse validum, & operatur potius ex causa necessaria, quam voluntaria, & sic operatur ex priori consensu erroneo, seu voto nullo, quod ad tacitam professionem non sufficit, cum errantis, & ignorantis nullus sit consensus. *l. Non idcirco. C. de iur. & fac.* nihilque sit tam contrarium consensui quam error. *l. Sed per errorem. ff. de iuris. omn. iud.* Quinimo professio expressa facta ab ignorante nullitatem prioris professionis est nulla, quia censetur facta ex credulitate professionis præcedentis, atque ideò ex falsa causa per quam contractus vitiatur. *l. si diuortio. ff. de verb. signif.* Sed neque alio modo potest dici, quod ignorans ratificet professionem priorem, quia ratam illam habeat, quia non potest haberi ratũ, quod ignoratur. *l. mater. ff. de inoff. testam.* Et propterea ignorans actum, quem ratificat nihil facit. *l. qui enim. ff. rem rat. hab.* & requiritur scientia iuris, & facti. Bald. *cons. 323. l. 2.* & requiritur scientia actus, & qualitatum. Paul. de Cast. *cons. 465. l. 1.* Crauet. *cons. 197.* Et sic, quod ad ratihabitionem actus irriti requiratur scientia nullitatis, & voluntas eam sanandi dixerunt etiam Gemin. *cons. 128. num. 7.* Alex. *cons. 135. l. 7.*

377. E contra aliorum scientia est, quod ad reualidandam, & ratificandam professionem non sit necessaria scientia nullitatis prioris professionis. Hanc sententiam tenuit Rota in *Meten. Professionis* 2. Iunij 1636. coram Carillo, sic dicens. *Nec etiam obstat quod ad ratificandam professionem tacitam desumptam ex pluribus actibus factis per Pepinam in dicto Monasterio, requiritur, vt ipsa sciuerit nullitatem professionis præcedentis: aliter vero ex permanentia in Monasterio non censetur inducta ratificatio professionis.* Caiet. 22. q. 189. a. 5. Nauar. *cons. 48. num. 7. & cons. 89. num. 3. de regul. & in Manual. cap. 12. num. 71. Et in puncto de Manuali. Quod non censeatur ratificasse professionem sine scientia dicta nullitatis Rota dec. 179 num. 6. & dec. 307. num. 5. par. 4. recent.* Quia

præ-

prædictam doctrinam vti non tutam S. Congregatio Concilij non amplectitur, sed potius contrariam pluries declarauit, veluti die 13. Ianuar. 1583. & 28. Aug. 1621. in alia Romana inhærendo declarationibus alias factis censuit Io. Petrum tacite professum & Religioni adstrictum, etiam si non probetur ipsum habuisse scientiam indiuiduam nullitatis professionis expressæ ab eo prius emissæ. Quas declarationes S. Concilij S. D. N. Vrbanus Octauus obseruari mandauit 9. Februarij 1631. in vna Romana nullitatis professiones: Habetur verò hæc decisio per extensum impressa apud Tamburinum de iure Abbatissarum. Et ita hanc eandem sententiam sequitur, & latè probat Reuerendiss. Faguan. *in cap. significatam à num. 19. de Regul.* Et videtur approbare Barbosa *ad cap. 19. num. 18. sess. 25. Concil. Trid. de Regul.*

378. Eius verò fundamentum est, quod vbi ignorantia non respicit obiectum ipsum volendum, & eligendum, sed qualitatem illius, aut volendi causam, si ignorantia sit concommitans, non tollit voluntarium nec inducit nullitatem actus. Sic si quis ducit vxorem liberam credens esse seruam, matrimonium tenet, quia ignorantia hæc, non est ignorantia Matrimonij, sed qualitatis vxoris, quæ est concommitans, quia qui duxit Bertã credens illam esse seruã, multo magis illam duxisset, si sciuisset esse liberam. Sic igitur, quando ignorantia non est rei de qua agitur, sed illius qualitatis, aut causæ volendi, si sit concommitans non tollit voluntarium, nec vitiat contractum. Modo ignorantia validitatis præcedentis professionis non est ignorantia rei de qua agitur, quia non est ignorantia eius, quod agitur, scilicet declarationis v. g. habitus indistincti inductiua professionis tacitæ, sed est ignorantia nullitatis professionis antecedentis, cuius scientia posset esse causa volendi ratificare professionem, vel eam ratificandi, si igitur hæc ignorantia sit concommitans non facit inuoluntarium, nec vitiat tacitam emissam professionem.

379. Quod verò hæc ignorantia censenda sit concommitans, non verò antecedens probatur. Quia qui fecit professionem expressam licet nulliter satis declarauit se absolute velle esse Religiosum professum. Nam voluntas etiam ex actu nulliter gesto declaratur *l. fin.* & ibi Bart. *de reb. cor.* Huius verò voluntatis mutatio non præsumitur, nisi probetur *l. Cum qui ff. de probat.* etiam si voluntas ab initio fuerit nulla, quia nihilominus præsumitur durare Feder. *de sen. cons.* 194. Calder. *cons.* 461. *alias* 4. *de spons. in fin.* Alex *cons.* 146. *num.* 16. *l.* 5. Et in terminis professionis notat Gloss. *in cap.* 1. *v. eam timore*. Quod metus causa, & quod procedit etiam si longum tempus elapsum fuit *l. Sancimus*, vbi Iason. *in 3. notab. C. de testam.* Menoch. *l.* 6. *præs.* 37. *num.* 28. Quando igitur, qui semel expresse professus fuit nunquam reclamauit; & medio tempore nihil in contrarium gessit, sed interim, vel plures actus professorum proprios gessit, vel per annum habitum indistinctum portauit, præsumitur perseuerare in ea voluntate per quam libere professus fuit. Nam qui liberè cum non teneretur se Religioni alligauit, cur elapso anno non censeatur perseuerare in eadem voluntate professionis in Religione, cum medio tempore nihil in contrarium fecerit? Iuste ergo præsumitur, quod in eo duraret efficax voluntas professionis, & si id negetur, sic neganti incumbit onus probandi, iuxta textum *in l. Eum qui ff. de probat.* Atque ita in specie de Monacho tradit Menoch. *præsump.* 37. *num.* 6. Dec. *in cap. In præsentia n.* 284. *de probat.*

380. Et si quis dicat colligi hanc voluntatis mutationem, si contingat eum, qui nulliter fuit professus statim cognita nullitate, reclamare. Respondetur hic attendi potius debere initium, & terminum à quo, quod terminum ad quem. Tum quia præsumi debet, quem perseuerasse in eadem voluntate vsque ad tempus mutationis. Tum quia continuatio voluntatis sequitur immediate ad voluntatem, reclamatio verò multo post; in quo casu magis vrget præsumptio perseuerantiæ, vt declarat Menoch. *d. præs.* 37. *num.* 9. Tum tertiò quia reclamatio post perseuerantiam annualem in Religione non est attendenda, quia ampliùs res non est integra. Cum enim per annalem perseuerantiam inducatur professio tacita *cap.* 1. *de regul. in* 6. voluntas posterior non influit in consensum antecedentem, re iam non integra, cum iam prius Religioni fuerit acquisitum ius per annalem perseuerantiam inducentem professionem tacitam.

381. Et si instetur dicendo, quod quotiescumque error est talis, vt si verum esset, quod creditur per errorem, orta esset obligatio ad aliquid agendum, tunc qui facit, præsumitur non facturus, si sciuisset *l. Si cum te ff. de pact.* vbi laiso existimans se debere legatum Titio & idrò mandans debitori suo, vt ei soluat, sibi non præiudicat. Respondetur primò obiectum non procedere in professione solemni, quæ non irritatur ex eo, quod processerit ex ignorantia, aut dolo, sed acto, & inducto ex dolo ad profitendam non datur restitutio, secundum Gloss. *in cap. cum dilectus v. ad fæminatem, quod met. cau.* & ibi Panorm. & *cap. Cum virum num. 6. de Regul.* Hic enim manet semper causa pietatis, vnde inductus ex dolo, non potest dici Læsus, cum meliorem vitam elegerit, ex causa pietatis. Respondetur secundò obiectum non procedere, quando præcessit actus declaratorius voluntatis. Tunc enim quamuis ex nouo actu, vt in proposito ex annali perseuerantia, inducatur obligatio, quia hæc non est præter eius intentionem, non fit, quominus ipse velit tacite profiteri, vt declarat Alex. *cons.* 146. *n.* 3. *l.* 5.

382. Et si replicetur, & dicatur sententiam hanc totam fundare se in præsumptione, quæ tamen coniecturis, & alijs præsumptionibus poterit vinci. Vt si professus statim post professionem appareat discolus, & inobediens, & veluti incorrigibilis perseueret illo primò anno suæ professionis. Vel si professus, qui prius tempore nouitiatus blandè fuit tractatus, statim à professione rigidè nimis, & indiscrete tractetur. Ex his enim præsumi potest, quod si nullitatem suæ professionis sciuisset, numquam eam ratificasset. Respondetur, quod cum præsumptio professionis tacitæ, quæ oritur ex annali perseuerantia in Religione sit iuris, & de iure, nec professus nec superior debet admitti ad probandum de-

fessum consensus præstiti in professione illa tacita *cap. 1. de reg. in 6.* Gloss. *in cap. Ex parte, v. per annum de Regul.* & ibi DD. communiter, & *in d. cap. 1. de Regul. in 6.* Io. Monachus, Prob. Gemin. & Anchar. Et eo magis, quod velle probare, quod non fuerit præstitus consensus in professione tacita propter ignorantiam nullitatis professionis, est velle directè impugnare præsumptionem illam iuris, & de iure, & ita non agitur de probatione defectus alicuius qualitatis ad tacitam professionem requisitæ, quæ dicitur probatio indirecta, sed ipsius consensus in professionem tacitam, quæ est probatio directa, quæ non admittitur contra præsumptionem iuris, & de iure, nisi præcesserit protestatio, vt docet Menoch. *præs. 65.* Et eo magis, quod textus in Clem. Eos *de Regul.* præcipit hanc præsumptionem attendi debere, & perseuerantes per annum in habitus gestatione post ætatem legitimam, vt professos haberi debere. Hæc & multa alia in huius sententiæ confirmationem habet Reuerendiss. Fagnanus.

383. Videtur autem mihi, quod duæ istæ sententiæ conuenire debeant in hoc, quod scientia nullitatis ad ratificandam professionem sit necessaria, licet per accidens ignorantia illius non vitiet ratificationem, si sit concommitans. Primum horum asserit prior sententia, & est verissimum, neque potest negari, omnis enim illius cognitio est per se necessaria ad validè ratificandum, cuius ignorantia si sit antecedens potest vitiare illam, & irritam reddere. Nam si alias per se loquendo, ad hoc vt diceretur, quod scientia alicuius non est necessaria ad validè agendum sufficeret, quod ignorantia illius non vitiet si sit concommitans, absolutè dici posset nullius qualitatis scientiam, aut causæ agendorum notitiam esse necessariam ad rectè, & validè agendum, quia eorum ignorantia si sit concommitans actum non irritat. Dicitur propterea, quod illius scientia est per se necessaria ad agendum, à qua valor actus dependet, ita quod si ignorantia illius antecedat, actus sit nullus: nam ad hoc vt aliquod per se sit necessarium ad prudenter, vel validè agendum, sufficit quod homo ex illius ignorantia possit imprudenter, vel inualidè agere, quamuis alias postea contingere possit, quod huiusmodi ignorantia si sit concommitans non noceat, vel noceat. Et sic prima illa sententia in proprietate, & formalitate sermonis optimè loquitur, & hæc propositio est per se formalis, & vera quod non inducitur noua professio, & obligatio Religiosa ex actibus Religiosis in eo, qui ignorat nullitatem professionis à se emissæ, quia optimè potest esse, quod exerceat illos actus non ex intentione assumendi nouam obligationem, si prior fuit nulla, sed imò, quod si sciret eam fuisse nullam, operari omnino desineret, & sine dubio si ignorantia nullitatis prioris professionis antecedenter se habeat ad illos actus indubitatum est eos nullius valoris esse ad nouam professionem inducendam. Quo stante illa prior sententia non negat, quod si contingat ignorantiam nullitatis se habere concommitanter, non vitiet, & non impediat valorem professionis tacitæ.

384. Sed nec puto esse dissensionem in hoc alio, nimirum quod consensus eius, qui expressè fuit professus, censeatur, & censeri debeat durare, nulla protestatione, vel alio in contrarium existente, quod mutationem importet; & ex citatis iuribus ego quoque existimo, quod longitudo temporis non infringat vim huius præsumptionis, sed quod nisi obstet probatio in contrarium, censendum sit consensum in professione datum durare. Sed tamen si consensus datus in rei veritate fuit nulliter datus non potest præsumi perseuerantia consensus immutabilis, sed qui in quolibet momento mutari potuisset etiam ex leui, & friuola, imò ex turpi causa, & ita quod alias spectata conditione, statu, inclinatione, parentela, amicitia, & aliis circumstantiis, qui consensit mutauisset consensum, si sciuisset eum prius nulliter datum.

385. Vnde in hac parte puto per se loquendo dicendum esse, quod non potest colligi, ignorantiam nullitatis mere concommitanter se habere in nulliter expressè professo ex eo, quod præsumendum sit consensum datum durare, quia ad hoc, vt ignorantia iudicetur concommitans non sufficit consensum durare, sed necesse est eum durare immutabiliter, & ita quod præsumi non possit mutandus supposita scientia nullitatis eiusdem consensus prius dati; quia si habetur vnde præsumi possit mutatio, supposita scientia nullitatis illius prioris consensus, inaniter ille præsumitur durare ex intentione consentientis, stante ex ignorantia nullitatis consensus illius prioris, cum imò habeatur vnde præsumi possit illum consensum non perseueraturum, si ignorantia deesset. Ad hoc ergo, vt præsumi debeat, quod ignorantia sit concommitans, necesse est, vt non præsumi possit illum consensum durare ex ignorantia nullitatis illius. Quia si præsumi potest, quod consensus duret ex ignorantia nullitatis eiusdem consensus, non potest præsumi, quod validè duret, quia consensus ex errore non durat validè. Et propterea vt bene tradidit Caiet. per se ex obseruantia voti professionis non potest in aliquo foro præsumi professionis ratificatio, & licet consensus præcedens actualiter virtualiter duret, & perseueret, quotiescumque Religiosus in executionem voti professionis aliquid facit, si tamen id quod fit ex errore, quia fit in vim præcedentis voti, vt putati validi, non habet, vt fundet præsumptionem reualidationis, quia voluntas illa, ex quo illud fit, est voluntas ex errore, ideò nec libera, nec valida respectu ratificationis. Ideò ex hac ratione San. Congreg. Concilij teste eodem Reuerendiss. Faguan. *cap. Significatum num. 15. de Regular.* declarauit quod si quis Ecclesiæ donauit aliquid intuitu professionis, quia ex errore eam putat valere, & non valuit, donatum recuperat, & donatio non tenet. Et sic non valet donatio qua qui profitetur se donat Religioni, si hæc donatio est ex errore.

386. Et inde est, quod esto præsumptio per, quam ex annali gestatione habitus Religiosi dicatur esse iuris, & de iure, nihilominus contra illam admitti debet probatio nullitatis consensus taciti in professionem seu ratificationis tacitæ præcedentis professionis, ex eo quod præsumi

debeat

debeat consensum non durasse nisi ex ignorantia; & ideò illum non esse validum. Neque enim hæc est probatio directa contra talem præsumptionem, aut præsumptum consensum, sed directè probatur, quod fuerit ex ignorantia, seu quod ignorantia nullitatis consensus præcedentis verè adfuit, & ad fuit vt antecedens, & non vt concommitans, quod est directè probare qualitatem consensus ex quo sequitur eiusdem nullitas, quod est solum consequens, & per indirectum probari, quod consensus non adfuerit.

387. Nec textus in contrarium adducti probant non debere hanc probationem admitti. Nam textus in cap. 1. de Regul. in 6. habet quidem quod annalis gestatio habitus indistinctè per annum inducit professionem tacitam, & præsumptam, quod non negatur, sed nihil habeo, vnde colligi debeat, non posse excipi contra hanc præsumptam professionem probando, quod fuit inducta ex ignorantia nullitatis consensus prioris (seu quod idem est) quod annalis gestatio habitus ex errore, & vt executio prioris professionis putaræ validæ, cum fuerit inualida. Nec aliquid amplius habet Gloss. citata, & alij DD. Et inde etiam est, quod non sequitur, quod huiusmodi probatio sit directa, licet enim finis probationis sit probare non adfuisse consensum inducentem professionem tacitam, seu ratificationem professionis, tamen non per hoc probatio huius directa est; alias, alioquin probatio omnis, qua probatur nullitas professionis ex nullitate consensus, esset directa, & non admittenda. Et sic nec esset admittenda probatio metus, vel violentiæ contra professionem, quia finis talis probationis est probare nullitatem consensus ex metu, vel violentia. Illa ergo probatio est indirecta per quam immediatè, & directè non probatur defectus consensus, sed probatur defectus aliquis, ex quo consequitur defectus consensus, & sic sicut probatio metus, vel violentiæ censetur indirecta, & est admittenda, & admittitur de facto, & approbatur ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Regul. ita probatio ignorantiæ est in directa, & admittenda, si sit talis, quæ si sit antecedens vitiet consensum, & professionem.

388. Et neque oppositum colligitur, vel ex declarationibus S. Congregationis allatis, vel ex citata decisione Rotæ, neque enim S. Cong. firmauit regulam vniuersalem, quod scientia nullitatis professionis præcedentis non sit necessaria ad ratificandam professionem, vel quod si possit probari ratificationem fuisse ex errore, & credulitate validitatis prioris professionis probatio non debeat admitti, & si probatio sit legitima, ratificatio, non debeat censeri nulla, sed S. Cong. in casibus singularibus decreuit, id quod omnibus pensatis iudicauit esse iustum. Ex eius verò declarationibus primò hæc vniuersalis regula deducitur, nimirum, quod ad ratificandum professionem scientia nullitatis præcedentis professionis non est adeo necessaria, vt cum ignorantia illius, si sit concommitans ratificatio non sit valida. Secundò quod ex quo præsupponitur professio expressa iam facta in facie Ecclesiæ, & exconsequenti præsupponitur consensus de se durans etiam ad longum tempus donec reuocetur,

præsumi potest, quod ignorantia nullitatis præcedentis professionis sit concommitans, vbi tamen consensus, qui præcessit fuerit verus, & professio non sit nulla ex defectu consensus prioris, & ideò quod in facto ad videndum an, qui ignorat nullitatem præcedentis professionis illam ratificet debent omnes circumstantiæ considerari, & benè ponderari, quamuis vbi constet de consensu dato in præcedenti professione, interest præsumptio durationis illius, & concommitantiæ ignorantiæ, quæ tamen præsumptio eludi potest. Et sic considerari hic debet, quod facti ignorantia præsumitur, si scientia non probatur, cap. Præsumitur de reg. iur. in 6. & in l. verius ff. de probat. Verum hoc d eo simul ex vi consensus dati in præcedentem expressam professionem, si protestatio, vel aliud in oppositum non repugnet, præsumitur, quod in eo, qui perseuerat in habitu Religioso hæc ignorantia nullitatis præcedentis professionis sit concommitans. Et sic, si qui sic perseuerauit prætendat non ratificasse professionem nec esse professum prætendat esto non debeat probare ignorantiam, debet tamen probare, quod ignorantia non fuerit concommitans. Quod tamen non poterit in facto tam de facili probare.

389. Tandem ex his ad quæstionem in terminis formalibus respondendo dicitur, quod ad ratificandam professionem nullam est per se omnino necessarium, quod ratificatio non fit ex ignorantia nullitatis præcedentis professionis, quia si hæc ignorantia sit concommitans non vitiat ratificationem, & tamen supposita præcedenti professione hæc ignorantia in foro externo præsumetur concommitans, nisi oppositum probetur, & debet probatio in oppositum admitti.

390. Quæritur 6. An ad valorem ratificationis nullæ requiratur consensus ex parte profitentis, & ex parte Religionis? Prima opinio est eorum, qui existimant esse necessarium nouum consensum ex parte tam profitentis, quam admittentis ad professionem, & ex quacumque parte prouenias impedimentum seu professionis nullitas. Nam si v.g. professio sit nulla ex parte profitentis non consentientis, vel nulliter consentientis, etiam consensus admittentis fuit nullus, & debet renouari, quia ipse non consensit in profitentis obligationem nullam. Tum quia non consentit nec potuit consentire in hoc, vt se obligaret ad alendum eum, & sustentandum qui non se obligauit Religioni. Eadem ratione si impedimentum positum fuit ex parte Religionis, quia professio acceptata fuit, vel fictè, vel à non ab habente auctoritatem, & nullus fuit consensus professi, qui nunquam se obligauit Religioni ille, quæ noluit se obligare ad eum alendum. Et si ex vtraque parte fuit impedimentum multo magis hoc est dicendum. Hanc sententiam insinuauit Azor. p. 1. l. 12. cap. 4. q. 7. eamque expressè tenuit Palaus tr. 16. d. 2. p. 5. num. 2. Et in simile de Matrim. idem senserunt nonnulli, quos refert Sanchez de matrim. l. 2. disp. 32. nu. 8. & pro ea refertur Basilius l. 4. de matr. c. 25. Et quando professio fuit nulla ex parte vtriusque, quia nimirum ab vtraque parte detur consensus inualidus, vt si admittatur ad professionem nouitius non

con-

completo anno nouitiatus, vel anno 16. non expleto idem senserunt Sanchez *l. 2. de matrim. disp. 35. num. 4. & l. 7. d. 37. num. 63.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. à nu. 16.* Less. *l. 2. cap. 41.* Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 17. num. 3.* Donatus *p. 4. tract. 8. q. 7. num. 6. dub. 7.* circa finem *num. 67.* Sed hæc sententia non subsistit, vt ex dicendis manifestum erit.

391. Dicendum igitur est primò, quandocumque aliqua pars consensum dedit naturaliter inualidum, & nullum, vt quia fictè consensit, & simulate, vel consensit ex errore circa substantiam, & verè irritante consensum, vel non habuit facultatem consentiendi, vt si professio fuit acceptata à non habente facultatem consentiendi, necesse est, quod qui nulliter consensit nouo consensu tacito, vel expresso validè consentiat. In hac conclusione omnes conueniunt. Cum enim professio duorum consensum scilicet Religionis, & profitentis essentialiter petat, igitur necesse est, vt ad minus ille, qui nulliter primò consensit, postea validè consentiat, aliter non existente vtriusque consensu valido non poterit consistere professio. Et sic si professus fictè consensit, necesse est, quod iterum verè consentiat. Et si professio facta fuit acceptante simplici Religioso, necessarius est nouus consensus Prælati legitimè acceptantis, seu ratum habentis acceptationem factam. Sicut tamen noua professio emittitur, nedum expressè consentiendo per verba, sed etiam tacitè per facta, ita sufficit, quod hic nouus consensus detur, vel expressè, vel tacitè.

392. Dicitur secundò quotiescumque consensus in professione fuit nullus ex parte profitentis licet fuerit nullus solum ex non seruata aliqua solemnitate iuris, vt quia, qui professus fuit erat inhabilis eum, vel non haberet ætatem 16. annorum, vel non habuerat integrum nouitiatum, vel consensit per metum cadentem in constantem virum, semper necesse est, vt ille nouo consensu tacitè, vel expressè in professionem consentiat tempore habili, & sublato impedimento Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37. num. 59.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. cap. 8.* Portell. *v. professio num. 41.* Bonac. *de clausura q. 2. p. 10. diff. 1. num 3.* Barbosa *ad d. cap. 19. num. 87.* Concil. Trid. Bordon. *de profess. c. 6. q. 10.* Palaus vbi supra *num. 2.* Tambur *tom. 3. d. 6. q. 17.* Lezana *p. 1. cap. 2. numer. 7. & v. professio num. 73.* Coton. *l. 4. contr. 4. num. 64.* & est veritas indubitata, quia consensus nullus cum idem sit ac non consensus, idem est profitentem nulliter consensisse, & nullo modo consensisse quantum sit ad valorem professionis, implicat verò professionem validam esse, professo non consentiente, igitur implicat professionem ex ea parte nullam, quod profitens nulliter consensit ratificari, nisi idem de nouo validè, aut expressè, aut tacitè consentiat.

393. Dico tertiò ex quacumque parte professio sit nulla, & nullus consensus datus, si Prælatus admittens consensu naturaliter valido consensit, cessante impedimento, etiam si ex defectu alicuius requisiti ex iure positiuo consensus recipientis sit nullus, non est necesse, quod admittens, seu Religio, aut Conuentus nouo consensu ratificet professionem, sed sufficit, quod professus ex parte sua eam ratificet, & quod in admittente, aut Conuentu consensus primò datus perseueret. Hanc conclusionem puto certam, & indubitatam. Eam vt probabilem tenuit Sanchez *l. 7. de matr. d. 37. num. 64.* Et absolute eam amplexi sunt Nauar. *cons. 25. num. 2. & 28. num. 3. de Regul.* Vech. & Graff. quos sequitur Peyr. in Præl. *Relig. q. 3. cap. 5. num. 146.* Anton. à Spir. San. *tr. 3. disp. 3. num. 138.* Coton. *l. 4. contr. 4. num. 70.* Lezana *cap. 2. num. 7. & v. professio num. 20.* Sorbus *v. Nouitius notab. 4.* Bordon. *de profess. cap. 6. q. 14.* Et quidem vbi nullitas sit solum ex impedimento posito à profitente, vt v. g. quia ille fictè profitetur, vel quia profitetur ex metu, quod non sit necessarius ad ratificandam professionem nouus Religionis consensus, sed sufficiat quod nulliter professus nouo consensu libero eam ratificet, tenent etiam Sanchez *d. disp. 37. num. 60. & 61.* Suarez *d. lib. 7. cap. 1. a. num. 80.* Tambur *tom. 3. disp. 6. q. 17.* De fictè professo hoc tradit etiam Donatus *p. 4. tr. 11. q. 13. num. 9.* Verum hoc est verum etiam si consensus datus ex vi iuris positiui sit ex parte vtriusque nulliter datus, & sic vt habet Reuerendiss. Fagnanus *ad cap. Significatum num. 47. de regul.* professio nulla ob impedimentum ætatis, vel ob aliam similem causam conualidatur ex sola ratificatione professi, nec requiritur noua acceptatio Religionis, vt constat ex *cap. Cum virum, de regul.* ibi *Præsertim si ratihabitione sequuta, etiam si eam quandoque contradixisse constiterit, & cap. 1. de Reg. in 6.* ibi *Seu quam prius fecerat ratam habuisse videtur, & cap. 1.* Quod metus causa, ibi. *Si legitime probatum fuerit prædictam Mulierem &c. quod fecit postmodum ratum habuisse, ipsam ad Religionem redire compellatis.* Et quamuis in hoc citato 1. *cap. de his*, quæ metus causa, sit sermo de muliere, quæ asserebat se ex metu consensisse in professionem, tamen in *d. cap. Cum virum* sermo erat de impubere à parentibus tradita Monasterio, & *in cap. 1. de regul. in 6.* sermo fuit de eo, qui ante pubertatem habitum sumpserat, & de quo asseritur, quod per annalem gestationem habitus indistincti, vel de nouo profiteri, vel professionem prius factam ratam habere videtur. Et clarius *in cap. Significatum de regul.* de eo, qui ante pubertatem fuerat professus dicitur. *Si autem à parentibus fuerit oblatus, seu 14. annum compleuerit, cum Religionem intrauit, seu post decimum quartum annum professionem à se prius factam ratam habuerit, eum ad eandem, vel ad aliam Religionem transire compellas.* Vnde patet professionem ex defectu legitimæ ætatis nullam conualescere ex sola professi ratihabitione. Et quidem cum Pontifex sit summum Ecclesiæ caput, & supremus Religionum Prælatus *cap. Exijt, §. Ad hæc cum fratres, de verb. signif. in 6.* Dum ipse habet pro validis, & acceptat ratihabitiones habitas à nulliter professis etiam si v. g. ex defectu ætatis consensus fuerit datus nulliter ex parte tam professi, quam Religionis non est necesse, quod nouo consensu eas acceptent Religiones, & eorum Prælati, cum sint à iure approbatæ.

394. Et Nicolius *l. 3. tit. 31. num. 31. limit. 5. ex S. Cong. Episc. & Reg.* in vna data 31. Ianuar. 1635. habet, quod professio nulla ex defectu nouitia-

vbitates non habiti in loco designato ad formam decretorum Clem. VIII. potest ratificari absque noua acceptatione, dummodo, qui de nouo habitum dimiserit non recipiatur nisi salua Ordinis disciplina. Quamuis quia dicta declaratio data fuit in causa unius Dominicani, pro quibus Vrbanus VIII. per speciale breue hoc declarauit, & concessit, inhærendo tamen concessioni vniuersali eiusdem Vrbani *in Constit. Religiosos viros*, dici poterit illius S. Congr. declarationem non habere locum pro nulliter receptis post illas *Constit.* quia illi nec possunt professionem ratificare, sed de nouo ex integro in loco designato debent habere annum probationis, & de nouo profiteri, & acceptari. Absolutè tamen vt ex Petro de Ledesma *q. 45. a. 3.* ad vltimum aduertit Sanchez, non est eadem ratio de matrimonio, & professione, quia in matrimonio non potest Pontifex consensum coniugis alterius supplere, sicut nec potest supplere consensum, & traditionem profitentis, sed bene nomine Ecclesiæ potest traditionem eiusdem profitentis acceptare, vt non sit necessaria noua acceptatio Religionis. Et tamen est aduertendum, quod Pontifex non acceptat professioné, si desit ex parte Religionis consensus naturalis, validus; vnde si professio fuit acceptata à non habente potestatem, debet acceptari, vel rata haberi à legitimo superiore. Et sic si casus contingeret, quod professio facta fuisset ex parte professi ante legitimam ætatem, & ex parte Religionis fuisset acceptata à non habente facultatem, tunc ex parte vtriusque esset necessarius nouus consensus, & noua ratificatio, quia Ecclesia non supplet consensum naturalem Religionis, sed vult professionem tunc à superiore legitimo acceptari; sed si contingat hanc acceptationem ex defectu solemnitatis esse nullam, ad hanc nullitatem tollendam, & professionem conualidandam, voluit sufficere consensum profitentis, seu eius ratificationem.

395. Dicitur quartò, quod si contingat professionem esse nullam tantummodo ex impedimento posito ex parte Religionis, vt quia Conuentus non consensit, vel qui acceptauit professionem non habebat ad id facultatem, sufficit nouus consensus ex parte Religionis seu noua ratihabitio, & ex parte professi sufficit quod consensus prius datus perseueret. Ita communiter DD. citati. Et ratio est, quia cum in hoc casu consensus datus ex parte professi fuerit validus, & perseueret, sufficit ad hoc vt adueniente consensu Religionis professio conualidetur. Nec obstant quæ adducta sunt ex Palao *nu.* 390. Quia licet qui profitetur det consensum suum sub conditione, quod Religio suam traditionem acceptet, tamen non cadit sub conditione quod acceptetur tunc in eo instanti. In contractibus enim huiusmodi sufficit si consensus alterius partis detur durante consensu ab vna parte prius dato, & sic sufficit in hoc casu, quod consensus Religionis detur durante consensu prius dato à professo. Sicut è contra sufficit si professus fictè vel ex metu consensit quod iterum liberè verè consentiat durante consensu prius à Religione dato. Sic enim disposuerunt Sacri Canones citati pro quiete, & tranquillitate Religiosorum.

396. Dicitur quintò, quod id quod asserunt DD. citati, communiter, nimirum quod ad ratificandam professionem requiritur scientia nullitatis eius, vt ex *quæst.* præcedenti probatum est debet intelligi, vt ratificatio seu actus ex quibus illa præsumitur non fiat ex ignorantia nullitatis præcedentis professionis, manente ratificatione valida si ea ignorantia sit concomitans, vt Reuerendiss. Fagnan. probat ad *cap. significatum de Regul.* Supposito verò consensu prius dato licet nulliter in foro externo, præsumetur ignorantiam esse concommitantem, nisi hæc præsumptio efficaciori præsumptione vincatur. Et sic v. g. annalis gestatio habitus post ætatem legitimam ratificat professionem emissam ante ætatem etiam si professus ignoret professionem suam fuisse nullam, quia præsumitur quod hæc ignorantia sit concommitans, & quod non minus illam ratam habuisset, si id sciuisset. In foro tamen conscientiæ, si verè ignorantia non est concommitans, sed est antecedens ratificatio est nulla.

397. Quæritur septimo. An cum ad ratificandam professionem sit necessarius nouus consensus, sit necessarius consensus ad extra significatus, vel potius sufficiat merus consensus internus. Nam sine dubio non sufficere merum consensum internum, sed necessarium esse nouam aliquam significationem affirmat Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 1. num. 6.* aduertens tamen hoc signum externum esse posse tacitè expressum, vt v. g. quia ad minus oportet ratificantem perseuerare in obedientia Religionis sub eius habitu, vnde si apostata tempore apostasiæ cognita nullitate suæ professionis facti pœnitens vellet eam ratificare, extra Religionem existens, nunquam fiet verè professus, donec ad Religionem reuersus saltem deferendo habitum tempore sufficiente illum consensum exterius profiteatur. Ratio autem istius sententiæ est. Tum primo quia consensus qui de nouo habetur non fuit expressus per exteriorem actum, qui præcessit; ergo oportet, vt per nouum signum manifesteur. Item quia nouus consensus non facit, quod illa professio præcedens sit valida; illud enim repugnat, igitur oportet vt de nouo fiat noua professio; quæ non fit nisi per extrinsecum actum. Item quando matrimonium fuit nullum, non satis est postea iterari nouum consensum, sed oportet aliquo modo illum exprimi, & acceptari à coniugibus inter se. Sed oppositum non obscurè colligitur ex *cap. 1. de Reg. in 6.* & Caiet. *sup. q. 189. a. 5.* & Nauar. *com. 4. de Regul. num. 71.* pro quanto dicunt professionem vel ante ætatem emissam, vel ob metum validari ex eo quod interius ratificetur.

398. Dicitur igitur distinguendo, quia vel sumus in casu, in quo ad ratificationem professionis est necessarius consensus tam profitentis, quam admittentis mutuò datus, & tunc hic consensus debet esse externè significatus, vt partibus de eo constet. Cæterum absolutè in alijs casibus sufficit nouus consensus internus, quia sufficit innouare, quod defuit, & deficit, non est verò necesse innouare quod durat, Modo significatio externa præcessit, & vis eius adhuc durat, & hoc quod defuit fuit internus consensus, sufficit igitur illum innouare. Sic dum quis fictè consensit, exterius

verum

verum consensum significauit, sed significatio falsa fuit, quæ vt reddatur vera sufficit, quod ponatur interior consensus, qui tunc defuit. Vnde ad primum in oppositum, negatur quod consensus nouus non fuerit expressus per exteriorem actū qui præcessit, pro quanto est necesse ad valorem actus; Nam in consensu nouo consideratur quod est consensus, & quod est nouus; ad valorem verò professionis sufficit consensus siue nouus, siue vetus. Exterior verò actus significauit internum consensum profitentis, & hoc significat in æternū, quod verò significauerit consensum vt tūc datum, non verò vt datum nunc, non facit ad quæstionem præsentem, quia ad valorem professionis sufficit consensus siue ante, siue postea datus. Et sic ad secundum dicitur, quod nouus consensus non facit quod illa professio præcedens sit valida, sed exterior significatio vt nunc perseuerans, & formata per consensum internum, nouam professionem inducit. Sic & in matrimonio in casu in quo non sit necesse vt nullitas matrimonij antecedentis innotescat alteri coniugi, sed ad illud ratificandum sufficit vnius coniugis consensus, sicut non est necessaria noua acceptatio, seu nouus consensus alterius coniugis, sic non est necessaria noua expressio consensus; quia hæc non est necessaria nisi vt consensus innotescat alteri coniugi, igitur in casu in quo non est necesse quod alter coniux sciat nullitatem prioris matrimonij, neque quod denuo acceptet consensum alterius coniugis, neq; est necesse quod nouus consensus per nouum signum innotescat, sed sufficit antecedens expressio. Quia ergo in quampluribus casibus ad reualidandam professionem non est necesse quod altera pars sciat nullitatem professionis, & quod sibi innotescat consensum prius defuisse, & nunc suppleri, neque est necessaria noua expressio consensus, quia hæc non est necessaria nisi vt ratificatio innotescat alteri parti, & iam supponitur quod ratificatio vim habeat, etiam si alteri parti non innotescat. Et sic apostata si potest ratificare professionem absque eo quod Religioni constet præcedentem eius professionem fuisse nullam, eamq; de nouo ratificari; potest in statu apostasiæ per nouum consensum professionem ratificare.

399. Quæritur octauo. An ad conualidandam professionem sit necessarius nouus nouitiatus? Quando prior nouitiatus fuit validus habetur pro indubitato, quod non sit necessarius nouus nouitiatus ad ratificandam professionem nullā; quia nulla lex est, quæ cogat ad plures nouitiatus validos. Sed vbi prior nouitiatus fuit nullus, vt quia habitus infra pubertatem, vel in Conuentu non deputato, vel fuit interruptus, quod nihilominus non sit necesse repetere nouum nouitiatum ad conualidandam professionem nullam voluerunt Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. num.* 47. *& lib. 5. in Decal. cap. 4. num.* 14. Barbosa *ad cap. 15. sess. 25. num,* 23. *Concil. Trid. de Regul. & ad cap.* 19. *num.* 16. & apud eum alij Bonac. *q. 2. de claus. p. 10. diff. 1, num* 5. Bordon. *de profess. cap. 6. q.* 12. Azor. *p. 1. l.* 12. *cap. 1. q.* 6. Palauz *tr.* 16. *disp. 2. p. 5. num.* 7. Lezana *p. 1. c. 2. num.9. & p. 4. v. Professio num.*20. Anton. à Spir. Sancto *tract. 3. d. 3. num.* 141. Nicolius *l. 3. tit. 31. num.* 32. allegans ad hoc S. Congreg. Episc. & Reg. in data 11. Iun. 1635. & 30. Maij 1636. & 11. Ianuar. 1641. & 19. Decemb. 1648. Aduertens tamen, quod si annus probationis factus fuisset ante pubertatem, ex integro haberi deberet post pubertatem, vt S. Congr. Concilij declarauit in data 22. Aug. 1654. Addit quoque quod fuit concessa facultas faciandi professionem absque anno nouitiatu cuidam, qui ante quatuor annos obtinuerat declarari nullam eius professionem, vt in data p. S. Cong. Episc. & Reg. 17. Feb. 1634. *Et limit.* 3. absolutè ait, quod tacitè professus potest admitti ad professionem expressam absque noua acceptatione, & nouitiatu. Et horum ratio est quia in ratificatione deficit finis institutionis nouitiatus, quia vbi iam nouitius integrum nouitiatum habuit licet inualidum, iam & ille austeritates Religionis, & Religio illius mores sufficienter experta fuit, igitur non indiget nouo nouitiatu. Quod confirmatur, quia ex simili causa in ratificatione matrimonij occultè nulli non est necessaria præsentia Parochi et testium, quæ est necessaria ad matrimonium ineundum ex Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. Et confirmatur secundò, quia iuxta antiqua iura *cap. significatum, cap. Cum vitam, de Regul. & cap. 1. eod. tit. in 6.* non est hic nouus nouitiatus necessarius. Sed oppositum sentiunt Nauar. *cons. 26. num. 17. & 19. & cons. 89. num. 5. de Regul.* Rodriq. *p. 2. cap. 5. num.* 2. Suarez *t. 3. lib. 7. cap. 1. num.* 8. Vech. *disp. 14. dub.* 5. Tambur. *tom. 3. d. 6. q. 24. n.* 4.

400. Respondetur distinguendo, nam nouitiatus ex multiplici capite potest esse nullus. Dicitur autem primo, quod quod si sit nullus, quia non integer, necesse quidem est complere annum integrè continuum, seu continuè integrum, sed non est necesse incipere à die voluntatis ratificandi nouum integrum annum. Et in hoc bene sentit prima opinio, neq; secunda habet fundamentum, quia nulla est lex, quæ ad hunc nouitiatum iterandum obliget, Concil. verò Tridentinum præcipit quidem integrum annum, & ideò nequit ratificari professio nisi professurus per integrum annum in probatione steterit, sed non præcipit Concilium, quod hic annus per professionem eo non completo emissam interrumpatur, ita quod illud temporis quod præcessit professionem sit nullum, & non possit continuari cum tempore, quod professionem sequitur, & nouitius expleto anno integro, & continuo à die suscepti habitus non possit ratificare professionem, sed necesse sibi sit ex integro nouum annum incipere. Imò statim ac completo anno integro, & continuo gestationis habitus indistinctè sub obedientia Prælati, si se ingerit actibus proprijs professorum etiam ignorans nullitatem professionis præcedentis incurrit professionem tacitam, nisi coram Deo præsumi possit, & dici debeat, quod id fecerit ex errore id non facturus si sciuisset præcedentem professionem fuisse nullam. Et licet forsan post emissam professionem nulliter professus exierit à nouitiatu, & à Superioribus inter professos fuerit collocatus, nihil interest, quia de iure communi de substantia nouitiatus non est existentia in priuata domo nouitiorum. Sed neque est necesse quod Religio cognoscat hunc errorem, seu nullitatem prioris professionis, sed sufficit, quod de

facto

facto probet nouitij mores, & in ea perseueret consensus in professione datus, quo durante moraliter coniungitur cum consensu expresso, vel tacito dato à nouitio anno nouitiatus completo.

401. Idem propterea dicitur si nouitiatus dicatur nullus, quia habitus ab eo qui fictè suscepit habitum, vel qui erat impeditus ne posset esse Religiosus, vel quia nouitius recepit habitum ab eo, qui non habebat facultatem illum concedendi, vel ex simili causa, quia ad professionem tam expressam, quam tacitam, vt dictum est etiam supra in *tract. de nouitiatu* sufficit quod præcesserit annus probationis continuus, & integer, & validus in ratione experimenti. Quia hoc dato habetur finis legis ob quem fuit institutus nouitiatus, & qui est mutuum experimentum Religiosi, & Religionis; Nec Concilium obligat nisi ad integrum annum experimenti in habitu religioso sub obedientia Religionis; quod totum habetur etiam si alias nouitius sit impeditus profiteri, dum postea tempore professionis impedimenta cessauerint.

402. Dicitur secundò, quod si nouitiatus sit nullus quia non habitus in nouitiatu deputato; non potest in æternum ratificari professio, nisi iterum in Conuentu deputato nouitiatus habeatur. Lezana *v. professio num. 7.* Ratio huius est, quia nouitiatus alibi habitus nec in ratione experimenti est integer, & completus, quia lex non admittit nisi experimentum vt habitum in tali loco, & à talibus, & hoc requirit de forma, & ita quod aliter habitum experimentum quam à Prælato, & Religiosis Conuentus deputati decernatur esse nullum, & irritum. Propterea supra *in eod. tract.* cum Reuerendiss. Fagnano probatum est, hoc impedimentum defectus nouitiatus in Conuentu deputato esse perpetuum, & semper durare. Sic etiam nouitiatus intra pubertatem habitus ita est nullus, quod etiam in genere experimenti est irritus, & ideò statim habita pubertate, vel etiam post 16. annum non potest quis in vi illius nouitiatus profiteri; quia in impubertate non potest haberi experimentum sufficiens ad professionem prudenter eligendam.

403. Idem verò dicendum est quotiescumque ex lege speciali cum decreto irritante sit determinatus vel locus, vel tempus, vel modus specialis habendi nouitiatum, seu sit declarata irrita professio, quam non præcessit nouitiatus talis qualem lex requirit irritando attentatum in oppositũ. Nec vrget, quod habet Bord. *cap. 6. de profess. q. 32.* scilicet, quod Vrbanus VIII. in Breui per quod concessit ratificari posse professiones irritas ex non habito nouitiatu in Conuentibus deputatis, expresse docuerit posse ratificari professionem sine noua probatione. Quia imò ibi Pontifex totum oppositum docet, dum expresse non nisi ex gratia speciali, & benignitate Sedis Apostolicæ pro tunc tantum concessit facultatem ratificandi has professiones, ex hoc apertè docens eas non posse ratificari de iure propria auctoritate, & sine Sedis Apostolicæ concessione. Vnde nec cum fundamento idem Bordon. *q. 27.* explicat illud Breue vt loquatur pro foro externo; quia pro omni foro loquitur, & solum pro illo tempore, & illa vice concessit facultatem professiones ratificandi ijs, qui de præterito tunc professionem nullam ex dicta causa emiserant quam nec nisi illa forma seruata ratificare poterant, quia gratia valet sub ea forma sub qua conceditur.

404. Quæritur nono, An ad ratificandam professionem necessario adhibendæ sint solemnitates quæ in expressa adhiberi solent? Ex communi verò sententia dicitur accidentales solemnitates non debere repeti de necessitate in professione tacita. Sunt enim accidentia instituta ad ornatum professionis expressæ, quæ ad tacitam professionem non sunt necessariæ, & ideò nec etiam ad ratificationem. Nsuar. *tract. 27. num. 2. de Regul.* Sanchez *l. 7. de matr. disp. 37. num. 66.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 4. q. 7.* Vech. *disp. 14. dub. 6.* Palaus *d. disp. 2. p. 3. num. 9.* Lezana *v. professio nu. 20.* Tambur. *t. 3. d. 6. q. 17. nu. 14.* Bordon. *de profess. cap. 6. q. 17.* Coton. *l. 4. contr. 5. n. 64.*

405. Quæritur decimo, quando & per quæ inducatur ratificatio tacita? Professionem semel inualidam solo temporis decursu nunquam conualidari etiam ablato defectu, ob quem fuit inualida, dixerunt Suarez *t. 3. de Relig. l. 7. c. 1. n. 3.* Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 17. num. 1. ex reg. 18. de reg. iur. in 6.* Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit. Vnde si aliquis fuerit professus ante annum 16. completum, post completum illum annum ex hoc solo professio non reualidatur, sed requiritur nouus consensus, & noua professio, quia ratificatio non est aliud quam nouus actus. Sed videri poterit alicui quod illa regula limitationem patiatur. Vbi enim actus non est nullus ex defectu consensus, sed alicuius extrinseci, aut formæ requisitæ sola perseuerantia consensus ablato extrinseco impedimento actum conualidat; quia consensus durans pro quolibet instanti suæ durationis se habet ac si in eo instanti daretur, & pro illo instanti. Et ita in eo instanti in quo remouetur impedimẽtum consensus durans se habet ac si tunc pro eo instanti daretur, & ac si esset nouus actus tunc datus. Sed dicitur, quod regula illa est vera, & quod limitatio non est fundata. Consensus enim præcedens perseuerare potest habitualiter tantum quomodo perseuerat cum in vi illius nihil fit, quia tunc actu nihil influit, & ideò est in actu primo, vel in habitu, sed nec formaliter nec virtualiter est exercitè in actu secundo. Tunc verò consensus durat nedum in habitu, sed in actu, cum ex vi illius professus aliquid agit, vt si aliquid faciat vt regulam obseruet quam promisit, vel si actus aliquos proprios professorum exercet. Ad hoc vt consensus præcedens duratione sua influat in professionem non sufficit, quod duret habitualiter tantum; quia per hoc nihil fit, quod significet illum consensum terminari ad professionem ratihabendam. Cum verò consensus durat nedum habitualiter, sed actualiter virtualiter, tunc datur nouus actus, & noua significatio interioris consensus, & consensus sic actualiter virtualiter durans æquiualet nouo actui, & communi, quia est consensus de nouo influens in professionem, cum ex vi professionis prorumpat in actum. Sic ergo sola duratione temporis non conualescit professio nulla sine aliquo nouo actu.

406. Tot autem modis inducitur ratificatio, quot modis emittitur professio. Sicut enim professio diuiditur in expressam, & tacitam, ita & ratificatio. Expressa quidem fit verbis, & illam acceptare, vbi opus est pertinet ad illum eundem ad quem spectat acceptare professionem. Quando tamen ratificari debet professio nulla ex eo capite, quod probationis annus non sit habitus in Conuentu deputato ad formam *Constit. Religiosos viros*, Vrbani VIII. ratificationem recipere, possunt Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique locorum Ordinarij. *Bordon. de profess. cap. 6. q. 15. qui quæs.* 24. At verò quantû ad Regulares Prælatos hæc facultas sit restricta ad solos Generales Ordinum, eo quod *in d. Constit.* dicatur, *siue ipsorum Religiosorum præfectis, vel superioribus Generalibus*, & ex quo nominantur Generales, censeatur alios excludere *arg. ex cap. Nuper de præsumpt.* & sic illa dictio *vel* sumatur declaratiuè. Respondet tutius esse vt hoc spectet ad Prælatos omnes, qui alias ad professionem admittere possunt. Et verè sic dicendum est, cum enim dictio *vel*, in sua propria, & magis vsitata significatione sumatur disiunctiuè, non est vnde dicatur hic sumi declaratiuè, sed ita quod sensus sit quod Conuentuum, & Monasteriorû Præfecti, vel etiam Generales, ad formam illius constitutionis ratificationes professionum nullarum recipere possint. Existimat verò idem Bordon. q. 15. quod Ordinarijs inferioribus Episcopis hæc facultas non competat, sed hoc est contra illud verbum. *Cæterisque Ordinarijs locorum*. Nomine enim cæterorum Ordinariorum ab Episcopis magis propriè veniunt Abbates, & alij habentes iurisdictionem Episcopalem, non verò Vicarij Episcoporum, qui non sunt Ordinarij sed delegati, aut Vicarij Capitulares qui & ipsi sunt delegati Capitulorum, in quibus residet Ordinaria potestas in vacantia Ecclesiarum. Sed cum dicta Constit. non se extendat nisi ad eos, qui tunc cum data fuit erant nulliter professi, & illa data fuerit anno 1631. iam ab annis triginta tribus, moraliter non est iam tempus, in quo quis concessione dictæ *Constit. vti possit*. Vbi verò non sit opus, vt ratificatio de nouo recipiatur à Religione, poterit nulliter professus etiam publicè, & expressè coram quocumque professionem ratificare.

407. Ratificatio autem tacita tot modis fieri potest, quot modis potest fieri tacita professio. Nisi quod quia ratificatio supponit consensum iam datum, & potest esse quod datus consensus sit ex parte vna validus, & forsan etiam ex vtraque sit validus naturaliter, ideò facilius etiam incurritur ratificatio tacita durante priori consensu, quam simplex tacita professio.

408. Sic si professio fuit nulla, quia habita per metum cadentem in constantem virum. Hoc quidem considerandum est, quod metus præsumitur durare, durante vita eius, qui metum incussit. *Rota decis.* 715. *num.* 2. *p.* 2. *& dec.* 179. *n.* 4. *p.* 4. *recent.* Et ideò metum durante causa, & vita incutientis metum non purgari ex perseuerantia in Religione tanquam indubitatum dixit *Rota decis.* 505. post Calder. *cons.* 1. *num.* 1. quod metus causa Bart. *in l.* 2. *num.* 7. *Cod. eod. tit.* Rolan. *cons.* 2. *num.* 91. *l.* 2. Honded. *cons.* 13. *num.* 41. *l.* 1. Menoch. *præs.* 4. *num.* 11. Rota coram Seraph. *dec.* 851. *num.* 1. *& dec.* 1166. *num.* 1. *& d.* 177. *num.* 1. *p.* 1. *in impress.* Tamen eadem ratione cessante causa, & vita incutientis metum præsumitur cessasse metus. *Rota d.* 1. *n.* 7. *p.* 8. *recent.* Et ideò si metus causa cessante Religiosus statim non exit professionem ratificare censetur. Metus cum illatus tempore emissionis voti professionis postea purgatur ex patientia, & perseuerantia in delatione habitus regularis: nam ratione temporis euanescit exceptio quia præsumitur nouus consensus *cap. Constat.* 1. *q.* 1. *cap. Ad id*, *quod*, *de sponsal.* Gloss. *vlt. ad cap. insinuante, qui Clerici vel vouen.* vbi Butr. *in* 8. *notab.* Neuo *num.* 5. *Præpos. in* 10. *notab.* Et ideò Innoc. *in cap. vidua*, & ibi Hostien. *nu.* 8. decidunt, quod si nouitius cum solemnitate recepit habitum, licet per vim, & metum, si cum cessante metu illum potuit dimittere non dimisit, censetur ratum habuisse. *cap.* 1. *de his, quæ vi, vel met. cap. Cum virum de Regul.*

409. Hæc tamen intelligi debent de professione, quæ fit nulla præcisè ex causa metus. Nam si adest alia causa nullitatis, ea durante, non ratificatur professio, licet cessauerit metus. Vnde si qui ex metu professionem emisit, post causam metus cessatam iterum protestatur, & declarat, se nolle profiteri, seu per delationem habitus, vel exercitium actuum professorum nolle professionem ratificare, non inducitur ratificatio. Propterea quando cessante metu nulliter professus perseuerat, ad hoc vt dicatur ratificasse professionẽ, necesse est, quod perseuerãtia non possit referri ad aliã causã quã præsũptionis metus. Arret. *cõs.* 34. *num.* 18. Nam si potest sumi alia coniectura, quam purgationis metus, illa sumitur. Roland. *cons.* 2. *num.* 91. *lib.* 1. Ofasch. *decis. Pedem.* 179. *num.* 11. Sic si nulliter professus cessante metu perseueret in habitus delatione, & exercitio actuum professorum ob nouum timorem, & quia cum habeatur vt professus, si non perseuerarel, vt supra puniretur, vel causaret scandalum, &c. ex perseuerantia non infertur ratificatio. *Rota dec.* 397. *n.* 6. *par.* 4. *recent.*

410. An verò qui per metum professus fuit cessante metu statim statim debeat reclamare, vel potius aliter censeatur professus, controuersi posset. DD. enim loquentes in casu de quo *in cap. Perlatum. de his, quæ vi, &c.* mulieris quæ ob metum mortis sibi à marito illatum ingressa fuerat Religionem, & quærentes an censeri debeat ratum habuisse ingressum, si mortuo marito statim non exiente, diuersimode de hoc opinati sunt. Nam vt habet Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Perlatum*: Alij voluerunt expectandum per mensem *arg. cap. Constat.* 1. *q.* 1. Quidam per duos menses *arg. cap. Ex publico, de conuers. coniug.* Alij dixerunt expectandum per annũ, vt in *c.* 1. *de Regul.* Alij voluerũt ingressũ esse ratificatũ eo ipso quod mortuo marito mulier illa non exijt, prout tenuit Innoc. *in d. c.* 1. Alij voluerunt hoc esse arbitrarium. Quod conclusit ibi Innoc. *num.* 2. & tenuerunt Hostien. *num.* 10. Panorm. *num.* 13. idem Fagnan. *d. cap. Perlatum num.* 12 Et hoc quidem verum est, quia potest esse, quod cessante metu detur alia causa non exeundi à Religione, seu non reclamandi statim contra professionem, & ideo quod non possit

indu-

edaei ratificatio. Caeterum praecise omni alia causa non exeundi, vel reclamandi statim, si Religiosus nouitius, vel professus statim statim à notitia cessati metus non exit, vel non reclamat, censendus erit professus. Et quidem in foro conscientiae loquendo. In eo puncto, in quo est certus de ablata causa metus, vel in professionem emissam consentit, vel dissentit, vel nec consentit, nec dissentit, sed suspendit actum. Si consentit ratificat, si dissentit, non ratificat. Et hoc dissensu supposito in foro conscientiae non per hoc ratificat, quod statim non reclamet, quia iam ipse sua voluntate noluit ratificare, & quod statim non reclamet erit ex alia causa. Sed si suspensus mansit, videtur quod non ratificauit, quia ratificare est velle quod valeat quod nulliter factum fuit, vnde est de nouo profiteri, & vouere, quod non fit per suspensionem actus. Sed considerari debet quod voluntas praesente obiecto nequit esse suspensa per simplicem cessationem ab actu. Ideò si suspensa manet, id est, quia ipse vult non deliberatè velle, ideò tunc non ratificat, quia imo non vult tunc decernere de negotio. Et sic in foro conscientiae non ratificatur professio, nisi per nouum voluntatis actum. Sed in foro externo si cessante metu nulla alia appareat causa cur professus non reclamauerit, cum nec possit dicere quod non reclamauit ex metu, cum metus cessauerit, statim intret praesumptio quod non reclamauerit, quia ratam habuerit professionem.

411. Sed contra hoc videtur esse textus in *cap. 2. de Regul.* vbi sic habetur. Si verò post legitimos annos per vim Clericus factus est, & nec ipse, nec parentes eius intra annum, ad memoratas personas reclamauerint, in Clericatu permaneat, Igitur videtur, quod non sit arbitrarium decernere an censeatur professus ratificasse, si statim non reclamat, sed debet expectari per annum, & solùm censendus est ratificasse si infra annum non reclamet. Ex Innocentio *in cap. Perlatum num. 2.* & Hostien. *num. 11.* respondet Reuerendiss. Fagnan. ibi *num. 13.* quod distinctio est inter professionem expressam, & tacitam. Si enim praecessit professio expresse, vel mulier velum solemniter suscepit ex metu, & tunc, cessante metu arbitrarium est iudici decernere an praesumenda sit ratificatio, si mulier statim non exijt, sed si expressè non fuit professa, vel velum non recepit solemniter, & tunc non intelligitur ratificare vt notatur in *c. ex parte de Regul.* nisi cessante metu per annum tacendo, vel dissimulando perseuerauerit. Idem verò Reuerendiss. Fagnan. *in cap. cum virum num. 7. de Regular.* aliter exponit *d. cap. 2. de Regularibus*, vt scilicet intelligi debeat de eo, qui nullum actum positiuum proprium professorum fecit, non verò de illo, qui aliquem actum positiuum habuit, quia hic statim praesumitur incurrisse professionem tacitam. Sed aliter mihi videtur dicendum. Nam reclamatio potest fieri vel durante metu, vel metu cessato, & praesumptio professionis potest sumi vel ex eo quod non fit protestatio de metu etiam si metus sit, vel ex eo quod nulla fit reclamatio etiam si metus cessauit. Textus ille *cap. 2. de Regular.* loquitur in primo casu, & vult quod infra annum detur exceptio de metu, si praetenditur quod professio ex metu sit nulla. Sed non vult quod vbi metus cessauit, qui est professus habeat tempus vnius anni ad reclamandum, vt non praesumatur eius professio valida, quia haec praesumptio intrat ex vi professionis emissae. Si autem professus excipit de metu, haec exceptio friuola est, & nulla, statim ac cessauit metus, & intrat conualidata praesumptio quae ex emissa professione desumitur. Vult ergo textus ille *cap. 2.* quod exceptio de metu non credatur nisi infra annum fiet, & de metu protestetur, sed si haec protestatio fiat statim euanescit, si cessante metu nihilominus professus saltem licentiam exeundi non petit, ex quo sine licentia non potest exire. Et praesumptio metus facilius tollitur si professio facta fuit in mulieribus seruata forma Tridentini *sess. 25. de Regul. cap. 17.* & explorata fuit voluntas professurae per Vicarium Generalem Episcopi, quia exploratio ista probat libertatem. Praesentia enim superioris de iure metum excludit, *l. non est verisimile ff. de eo*, quod metus causa, *Rota decis. 2. p. 8. recent. n. 5.*

412. Sicut verò professio emissa per metum ratificatur ex permanentia in Religione cessante metu, ita professio nulla ratione aetatis ratificetur ex permanentia in religione post aetatem completam, non quidem, quia dicatur firmari ex solo cursu temporis, sed ex nouo consensu post sublatum impedimentum. Dubium verò etiã hic esse potest, an professio conualescat statim statim ac auferatur impedimentum, & ex vi ablationis illius, videtur enim ita esse dicendum, quia consensus praecedens adhuc durans ablato impedimento se habet vt nouus consensus moralis, vnde videtur quod conualidet professionem. Reuerendiss. Fagnan. *cap. significatum in princ. de Regul.* ait sufficere tacitam ratificationem, quae elicitur ex perseuerantia vltra annum in Monasterio cum delatione habitus regularis post legitimam aetatem. *arg. cap. literas, & cap. accessit de desponsat. impub.* & est casus formalis *in cap. 1. de Regul. in 6.* & id tenent Gloss. *ad d. cap. signific.* Abbas antiquus, Hostien. *num. 2.* Butr. *num. 7.* Panorm. *num. 6.* Sed hic distinguendo veritatem fori conscientiae à praesumptione externi fori, dicitur quod professus cognoscit ablationem impedimenti, & tunc cogitat de professione, & in hoc casu si vel dissentiat, vel suspendat consensum, & nullo modo ratificetur professio, cum professus nullitatis praeteritae professionis conscius, sciens nolit eam ratificare, sed vel dissentiat, vel deliberandum censeat suspensa interim determinatione. Solum igitur ratificatur in hoc casu professio si professus per nouum consensum illam ratam habet. Sed si nihil tunc professus cogitat vel de nullitate professionis, ex defectu aetatis proueniente, quia illam forsan ignoret, vel de ea nihil tunc cogitat, & sic nihil etiam cogitat de ratificatione, nihilominus vel tunc saltem aliquid cogitat de professione, & illam approbat, seu de ea delectatur, vel neque de hoc nihil cogitat. Si detur primum professio nulla remanet approbata, & valida tunc defectu sublato. Nec obstat, quod non sciat, aut cogitet de professionis nullitate; quia haec ignorantia tunc est concomitans, alias verò tunc nouo consensu professionem approbat, quam nihil minus approbaret, si nullitatem sciret. Nisi tunc appro-

bet professionem non absolutè, sed solum sub conditione, aut suppositione præcedentis professionis validæ. Sed si nec aliquid cogitat de professione, vnde nec tunc facit aliquid quod sit proprium professorum, non manet professio ratificata, quia nullus adest actus, & consensus nouus, consensus verò præcedens solum habitualiter durans non habet vim ratificandi professionem. Itaque ergo nunc videndum est an professus nulliter ablato iam defectu aliquid actu faciat vt professus, seu ex vi professionis prioris, & attendendum quod si hoc ex errore procedit, consensus remanens, remanet vt nullus, & vt inefficax ad ratificandam professionem, cum non sit voluntas professionis nisi ex errore. Sed si professus non ex errore, sed quia absolute est affectus professioni ex illius vi aliquid agit, & saltem operatur vt obligationem illius exequatur, & conformiter ad illam operetur, ignorantia nullitatis concommitanter se habente, quod ita fit connaturaliter significat dari in voluntate absolutum consensum in professionem, & absolutam illius probationem, vnde coram Deo professio manet ratificata. Qualis verò sit animus operantis ex circumstantijs & coniecturis colligi debet. Et in dubio censendum est non esse ex errore, sed ex honestate obiecti, sicut nec prima professio censetur fuisse ex errore, nisi enim aliud obstet præsumendum est consensum durare talé, qualis datus fuit, & qui antea sincero corde bona fide profitetur non id facit ex errore, sed ex virtutis amore, & honestate professionis. Sed in foro externo certè ex ijs præsumetur ratihabitio ex quibus præsumitur professio tacita, nimirum quia professus se ingerit actibus proprijs professorum, vel per annum gestat habitum indistinctum, quod ex multis alijs posset colligi, & ex illis omnibus ex quibus colligi possit consensum prius datum in professionem durare in actu virtualiter, & non ex errore: quod sufficit ad ratificandam professionem. Quod verò dictum est de professione nulla ex defectu ætatis, dicendum est de professione nulla ex defectu integri anni nouitiatus, vel de quacumque nulla ex defectu temporali, quæ simili modo ex nouo consensu formali, vel ex præcedente consensu virtualiter exercitè durante in aliqua humana actione ratificatur.

413. Cum verò nonnulli distinguant inter professionem quæ inducitur ex habitus indistincti delatione, & ex solemni susceptione veli. arg. cap. 1. *de ijs, quæ vi, &c.* & Panorm. ibi *num.* 14. Boic. *num.* 3. Nihilominus *Rota dec.* 533. *num.* 3. *par.* 4. *recent.* aduertit primo Panorm. dubitatiuè loqui. Secundo omnes Canonistas ferè interpretatos fuisse d. cap. 1. de omni professione inducta per cuiuscumque habitus delationem. Et id expressè tradunt Innoc. *num.* 3. Io. Andr. *num.* 9. Hostien. *numer.* 12. Butr. *numer.* 15. Imol. *numer.* 16. Nam susceptio, aut delatio habitus non infert per necessitatem mentem certam profitendi sed á iure præsumptam; quæ præsumptio alia præsumptione tollitur. *cap. transmissa, Qui filij sint legit. cap. cum inter, de elect.* Tertio considerat, quod æquiparatio est assimilatio non verò identitas, similitudines verò semper claudicant, & sic in casu nostro remanet semper professio præsumpta, & quæ alijs præsumptionibus eliditur. Innoc. *in cap.* 1. *de ijs, quæ vi, &c.* & ibi Card. & Ancar. Butr. *in cap. Cum In. Ferar. num.* 43. *de constitut.* vbi quod protestatio sola detractiua consensus in ingressu iuuat protestantem quando ingressus Religionis fit habitus sumptione quia factum est dubium. Abb. *in cap. Consulti, num.* 1. *de Regul.* Bald. *cons.* 396. *num.* 4. Vbi quod sufficit contradictio Monialis etiam coram Sororibus, & quod non habuerit animum profitendi, *Rota dec.* 216. *num.* 21. *p.* 2. *diuers.* Honded. *cons.* 78. *num.* 4 & 13. *cum seq.* Quæ considerauit, & approbauit. *Rota in Metra. professionis* coram Vbaldo, *seu dec.* 179. *num.* 1. *par.* 4. *recent. sic & Rota decis.* 505. *num.* 3. *p.* 2. *recent.* dixerat quod protestationes multum attenduntur in hac materia, vt dixit etiam *Rota in vna Neapol. professionis* 26. Iunij 1598. coram Gipsio, in qua causa die 26. Aprilis 1599. dictum quoque fuit quod habeant vim reclamationis. Quæ omnia fortius procedunt quando metuens non sciuit mortem incutientis metum, & sic cessasse causam metus, quæ scientia cum sit facti non præsumitur magis verò ignorantia. *cap. præsumitur, de reg. iuris in* 6. & quæ præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. Gloss. *in d. cap. Præsumitur.* Seraph. *decis.* 916. *n.* 10.

414. De hac verò ratihabitione tacita DD. qui tenent nulliter professum posse fugere si sine scandalo possit etiam post quinquennium imó ad id teneri, quos supra retuli plura afferunt. Primum quod modo post Concilium ratihabitio tacita non habet locum intra quinquennium; Sanchez *l.* 7. *de matrim. num.* 10. & 23. quia ex vi Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* professus nulliter intra quinquennium potest reclamare: igitur non potest esse professus tacitè; quia si esset reclamare iustè non posset: secundum quod Concilium præsumit professionem in termino quinquennij ratificari, Nauar. *cons.* 89. *num.* 3. Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 37. *num.* 9. Vech. *disp.* 14. *d.* 3. *nu.* 5. Bordon. *de profess. c.* 6. *q.* 13. Nam ex hoc negat professos non posse post quinquennium causam nullitatis professionis allegare. Coron. autem *l.* 4. *contr.* 4. *nu.* 65. existimat quod per quinquennium ratificetur professio etiam in foro conscientiæ, & ita vt professus censendus sit etiam in dubio professionem ratificasse, nisi sit certus se id non fecisse.

415. Sed hæc ex Concilio non deducuntur, & ideò dicitur prim.ò, quod intra quinquennium etiam nunc potest nedum expressè, sed tacitè ratificari professio, & de facto ratificari si professus nulliter non ex errore, vel se immisceat actibus professorum, vel per annum habitum Religiosum indistinctum portet. Reuerendiss. Fagnan. *cap. si quis num.* 80. *de Regul. cap. Perlatum n.* 43. de ijs quæ vi &c. & probatur, nam *cap. Significatum de Regul.* & *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. decernitur quod incurritur tacita professio si professus post legitimam ætatem, vel assumat habitum professorum, vel per annum deferat habitum indistinctum, & S. Congregatio Concilij sæpius declarauit Concil. Trident. non sustulisse hanc professionem tacitam, imò vt etiam dictum est supra *num.* 279. refertur declarasse hunc annum indu-

centem professionem tacitam incipere à prima hora post completum annum 16. & finire in anno 16. Et vere nulla est ratio ob quam debeamus aliter dicere. Datur enim quinquennium ad reclamandum, si tamen intra illud professio non sit ratificata; quod verò ratificetur, vel expresse, vel tacitè est in professi potestate, & de hoc nihil Concilium determinat.

416. Dicitur secundò, quod per quinquennium nulla inducitur ratificatio, vel expressa, vel tacita quantum sit ex vi Concilij Tridentini. Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Perlatum num.* 45. de ijs, quæ vi &c. Et probatur primò ex diuersitate modi loquendi Canonum inducentium professionem tacitam, & Concilij Trident. Illi enim decernunt, declarant, aut præcipiunt, & similibus verbis uti solent, videlicet. *Professionem per hoc fecisse, vel si quam prius fecerat ratam habuisse videtur cap. 1. de regul. in 6. Præsumitur veraciter esse professus*, ibid. *Religioni habitum recipientem obligat. cap. Constitutionem eod. tit. & lib. Hoc ipso decernimus esse professos Clem. 2. de Regul. Ia eo, quod ceperunt perseuerare cogantur cap. Constituit 20. q. 3. Vt regulam seruent Ecclesiastica districtione compellas. cap. Ex parte*, *de Regular.* & alijs similibus obligationem inducentibus. Sed Concilium simpliciter ait: Non audiatur nisi causas deduxerit; & sic non facit illum professum, sed tantum illi denegat audientiam.

417. Item Concilium denegat audientiam post quinquennium etiam professis per vim, & metum, & hoc etiam si professus alleget, quod causa metus, & metus durauit vltra quinquennium, vt declarauit Greg. 13. ex sententia San. Cong. teste eodem Fagnan. ibid. *num.* 47. At verò Concilium non induxit, quod iste professus per vim durante metu fuerit tacitè professus. De iure enim naturali, & diuino requiritur consensus in profitente, & vouente *cap. præsens* 20. q. 3. *cap. licet de Regul.* Syluest. *v. Religio* 2. *num.* 12. & Theologi omnes passim. Et quamuis consensus datus per vim quantum sit ex iure naturæ valeret ad professionem, tamen de iure Ecclesiastico minime valet; nec est vnde dicatur, quod Concilium voluerit huic legi derogare, & instituere, vt sufficeret ad professionem consensus coactus. Sed & amplius bene potest esse, quod qui per metum consentit interius nullo modo consentiat, sed vere dissentiat coram Deo, hunc verò consensum profitentis Ecclesia supplere nequit, vt per Card. *in cap. fin. num.* 10. *de postul.* Prælat. Nauar. *cons.* 10. *num.* 2. de ijs, quæ vi non est ergo dicendum, quod Concilium voluerit, esse professum tacitum eum, qui coactè professus fuit, & coactè per quinquennium, & vltra in Religione perseuerauit. Neque dici potest, quod Concilium præsumpsit causam metus non durare vltra quinquennium, cum hæc præsumptio non sit rationabilis, & frequentissimè, imò forsan, vt plurimum causa metus duret etiam vltra quinquennium durante vita eius, qui metum incussit vnde Concilium non habuit rationabile fundamentum præsumendi, quod qui metum incussit mortuus fuerit intra quinquennium, vel quod tunc mutatus fuerit, vel quod durante causa metus professus metum deposuerit, & libere professus sit, & tamen post quinquennium etiam illi negauit audientiam; igitur ex hoc non induxit præsumptionem professionis, sed ob communem vtilitatem ei, qui intra quinquennium non allegauit causam nullitatis, negauit audientiam post quinquennium.

418. Tertiò quia Pontifices media S. Cong. Regularium dant restitutionem in integrum post lapsum quinquennij maximè ijs, quis allegant se fuisse professos per metum, & non potuisse causa metus durante reclamare intra quinquennium; igitur præsupponit hos non esse tacitè professos: imò in expeditionibus huius restitutionis solet poni clausula dummodo expressè, vel tacitè professionem non ratificauerit, nam contra professionem tacitam nunquam datur restitutio in integrum, etiam si dolus, aut seductio intercesserit Gloss. *in cap. Cum dilectus v. ad facultatem*, de ijs, quæ vi &c. Panorm. *in cap. Cum virum num.* 6. *de Regul.* Syluest. *v. Religio num.* 11. Fagnan. *d. cap. Perlatum num.* 49. Itaque ergo Concilium nec abstulit quin intra quinquennium inducatur ratificatio professionis tacita, neque hanc ratificationem induxit ex vi quinquennij. Et propterea, quod si quis fecerit professionem nullam, etiam ex eo, quod facta ante ætatem legitimam inducatur professio per annualem gestationem habitus post ætatem legitimam, late probat Rota *decis.* 216. *num.* 16. *p.* 2. *diuers. & dec.* 370. *num.* 9. *p.* 9. *recent.* habuit sine dubio pro tacitè professis duos Religiosos, qui per decennium à professione permanserant in Religione se ingerentes actibus professorum, per DD. ibi citatos, & Rotam 919. *num.* 18. *p.* 2. *recent. & in Vlexiponen. professionis* 10 *Decem.* 1621. *coram Merlino*, & idem voluit *Seraf. dec.* 579. *num.* 3. *p.* 1. *recent.*

419. Tandem est considerandum, quod hæc tacita ratificatio facilius excluditur ex protestatione, quam professio expressa. Cum enim professio seu ratificatio tacita, sit professio præsumpta, præsumptio verò præsumptione contraria elidatur, ideo quælibet protestatio quæ fiat, per quam quis protestetur se nolle ratificare professionem ob talem causam, vel se delaturum habitum non causa profitendi, sed ob hanc, vel illam causam non inducitur ratificatio tacita. Sed de hoc videantur notata supra de professione tacita *Insp.* 6. *num.* 270. Ideò ex duratione temporis nedum coram Deo non conualidantur professio, si professus per nullum actum illam non ratificat, sed neque habetur talis præsumptio ratificationis, vt si quis per 20. & 30. annos vixerit in Religione tanquam professus non possint hanc præsumptionem vincere, & elidere, & se non esse professum ostendere si in contrarium adsint præsumptiones maiores, & magis efficaces. Et addendum ex Rota *decis.* 117. *num.* 5. quod si quis petita restitutione in integrum, & obtenta, simul obtineat suam professionem declarari nullam, non potest postea ad sui fauorem inducere se esse professum tacitè, quia stante expresso dissensu habito in iudicio, in quo ad vi instantiam professio fuit declarata nulla non habet locum tacitus consensus. Neque iste potest impugnare sententiam ad sui fauorem, & instantiam emanatam, sed ipsa valida contra ipsum præsumitur *l. Si ser-*

nne

dus plurium 53. §. 1. ff. de legat. 1. l. transactione in 2. C. de transact. Rota dec.665. num. 12. p.1. & dec. 100. n.4. p.2. recent.

420. Quæritur vndecimo an ratificatio retrotrahatur ad diem professionis nulliter habitæ, & ad quos effectus? Certum est ratihabitionem professionis non retrotrahi quantum ad professionis valorem, sed hanc incipere à puncto ratihabitionis. Quia implicat dari professionem validam sine mutuo, & valido consensu profitentis, & Religionis acceptantis, & ideò professio tunc solum incipit, & est valida, cum ratificatur, & ex tunc valet, quia ex tunc, & non prius est mutuus legitimus consensus partium. *cap. significatum. cap. Cum virum, de Regul.* Gloss: Nauar. *cons. 26. num.19. & cons. 27. num.3. de Regul.* Rodriq. *t.3. q.17. a.3.* Bordon. *l.3.q.18.* Sanchez *l.7. de matrim. disp.37. num.67.* Suarez *t. 3. de Relig. l. 7. cap. 11. num.34.* Tambur. *de iur.* Abb. *disp.6. q. 17. na.10.* Lezana *p. 1. cap.2. n.25.*

421. Sed loquendo de professorum priuilegijs, quæ illis conueniunt ratione antiquitatis professionis, aut antianitatis eius, Sanchez minime distinguens inter bona, & mala fide nulliter professum, *l.7. de matr. disp. 37. num. 68.* distinguit inter gesta ante ratificationem, & inter gerenda post illam, & ait: quod loquendo de tempore præterito in quo ille habebatur, vt professus, non tenetur ea reparare, quia gesta per illum sic communi errore habitum, vt professum valida fuerunt, vt probauit ipse ibid. *num. 38.* Sed loquendo de agendis in futurum post ratificationem iterum distinguit, quia gerendum ratione antiquitatis professionis, vel est in præiudicium Religionis, aut Religiosorum aliorum, & est grauis momenti, & tunc professus qui ratificauit tenetur petere, & impetrare à superiore dispensationem in foro conscientiæ, vt illud retineat, & interim dum petit dispensationē, vel si eam commode petere non potest, & impetrare, si sine nota non potest ab illo actu, vel illis actibus abstinere, non tenetur abstinere, secus si sine graui nota ab illis actibus abstinere potest. Sed si illa sint parui momenti, qualis est præcedentia in sedendo, vel loquendo, vel suffragando, & alia huiusmodi, etiam si mala fide nulliter prius fuit professus, non est cogendus accipere dispensationem, sed antianitatis præcedentia frui potest. Sed alij etiam de præcedentia loquendo existimant, quod qui professionem nulliter mala fide emissam ratificauit, non possit eam post ratificationem professionis retinere, secus si bona fide nulliter professus fuit. Ita Nauar *cons. 27. nu.3. de Regul.* Suarez *t.3. l.7. cap. 1. num.34. fin.* Lezana *p.1. cap.2. num.55.* Nicolius autem *l.3. tit. 31. num. 31. limit. 5.* loquens de professione nulla ex defectu Nouitiatus in loco designato, & postea ratificata, asserit hanc professionem retrotrahi tam respectu temporis, quam respectu dignitatum, graduum, & officiorum, & cæterorum actuum non minus ac si prius validè fuisset emissa & refert ad hoc S. Cong. Epis. *& Regul. in data 30. Maij 1636. & 11. Ianuarij 1642. & 17. Decem. 1642. & 12. Ianuarij 1644.* Addit verò, quod hoc fortè fuit ex gratia, in casibus specialibus concessa. Absolutè vero asserit quod si professio fuit nulla sine culpa Nouitij, præcedentia debet incipere à die præcedentis professionis. Quod multo magis locum habet, quando S. Congreg. iubet professionem ratificari ad cautelam, vel ob aliam causam, vt in data 3. Aug. 1657. Sed Tambur. *tom. 3. disp.6. q.17. num.11.* Distinguit inter professionem inualidam, vel ex defectu ætatis, aut non integritatis nouitiatus, vel ex alijs causis & ait, quod si professio bona fide emissa nulla fuit ex alijs causis, tunc procuranda est dispensatio secreto, & sic potest, qui ratificauit professionem retinere locum antianitatis à die professionis, sed si professio fuit inualida ex defectu ætatis, aut anni probationis, putat bonam fidem non sufficere in præiudicium tertij. Addit in aliquibus Congregationibus practicari, vt sic ratificantibus professionem detur antianitas à die in qua professio valida fuisset, si fuisset emissa. Addit quoque *num. 13.* antianitatem hanc posse præscribi spatio triginta annorum, post quod tempus nisi aliquis intra quadriennium contradicat, & restitutionem in integrum impetret, potest vti, & frui antianitate contradictione qualibet non obstante.

422. Ego existimo præcedentiam in sedendo, loquendo, suffragando &c. non esse rem leuis momenti. Nam & magni æstimatur communiter, & merito, quia est prærogatiua, quæ pro magno priuilegio conceditur dignitatibus, vel Magistris, aut Doctoribus, & ita hanc prærogatiuam in suis Religionibus esse magni momenti dixerunt Peyr. *in Prel. q.3. cap. 5. num. 1. §. 5.* & Tambur. vbi supra *num. 10.* Quamobrem si defectus nullitatis professionis sit publicus, vnde & sit publica ratificatio, bona fides non iuuat professum nulliter, sed debet cedere præcedentiam ijs, qui ante illum validè professi sunt, eius verò antianitas à die ratificationis incipere debet, nisi à superiore obtinuerit dispensationem, vt valeat sibi antianitas à die professionis ex parte ipsius validæ, & sine culpa illius inualidæ. Nec obstat, si dicatur bonam fidem excusare, vt quis non amittat, licet non excuset, vt acquirat. *Rota decis. 1361. num.5. coram Seraph.* quia bona fides non excusat, vt quis ea cessante retineat, quod est alienum, vel in tertij præiudicium, Ideò inualidè bona fide professus cessante bona fide non potest retinere præcedentiam in præiudicium aliorum. Multo minus postea potest habere ea, quæ antianitatem professionis requirunt. Vt v. g. in Ord. Prædicator. non potest professus habere vocem in electione Prioris, nisi sit professus à sex annis; ideò si sit aliquis à 10. annis inualidè professus bona fide, si cessat bona fides, & ratificat professionem, non habebit amplius suffragium nisi à sex annis à die ratificationis, quia verè non nisi ab illo tempore est validè professus. Quod enim non conuenit nisi ratione professionis, non conuenit nisi ratione professionis validæ; quia non valida professio non est professio: Vbi ergo professio non est valida, professo minime competunt, quæ sunt propria professorum, & si professio fiat valida, solum à tempore validitatis possunt eadem illi competere.

423. Sed si defectus nullitatis professionis est occultus, & occulta ratificatio, gesta ante stan-

te

te errore publico valida fuerunt, vt dixit Sanchez, sed post ratificationem professionis siue mala fide, siue bona fide prius professus fuerit nulliter, si professio non fuit substantialiter valida, ut quia defuit etiam naturalis consensus profitentis, sed fuit professio ficta, tunc professus quantum fieri potest sine illius graui nota, tenetur abstinere se ab illis, quæ ratione antianitatis illius à vera professione sibi competunt, quam non habet, & quam antianitatem à die ratificationis numerare debet vel tenetur petere, & impetrare occulte dispensationem. Nam alias antianitas non à die nullæ professionis, sed à die ratificationis est sumenda. In terminis autem Constit. *Religiosos viros*, Vrbani Octaui data fuit (ex speciali tamen gratia) facultas restituendi professos ad prærogatiuas antianitatis; sed nisi restituantur, illas non obtinent quidquid dixerit in contrarium Bordon. *cap.* 3. *de profes. q.* 27. Sed si professio fuit de iure naturali valida, vt quando est nulla ex solo defectu solemnitatis inductæ à iure positiuo in eo casu, nisi sibi contradicatur, & professio nulla declaretur, nulliter professus, qui est vere professus de iure naturali, licet eius professio possit irritari, potest vti omnibus prærogatiuis, quæ professis competunt. Vtitur enim iure, quod iuste possidet, & à quo via facti non potest exturbari.

SVMMARIVM.

Indi-

De reclamatione contra professionem.

INSPECTIO VIIII.

424. Reclamatio nihil aliud est, nisi petitio facultatis dimittendi habitū, & statum Religiosum alligando causam, vel causas nullitatis suae professionis. Concilium verò Tridentinum ne Religiosi sub praetextu nullitatis professionis de facili, & ad libitum conturbando Religiones, & superiores infestando, vel illis negarent obedientiam, vel habitu dimisso ad seculum redirent, etiam forsan sine superiorum licentia, statuit tempus, & formam seruandam in petendo licentiam exeundi à Religione; & sic decreuit *sess. 25. cap. 19. Quicumque Regularis, praetendat per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitam professum, aut aliquid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionēs, & tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit deduxerit coram superiore suo, & Ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam, quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo priuilegio suae Religionis iuuetur.* In hoc verò decreto dicto quicumque ex declarat S. Cong. comprehendit etiam foeminas Barbosa ad *d. cap. num. 7.* Bordon. *cap. 7. de profess. in princ.* Nicolius *l. 3. tit. 31. num. 31.* referens id decisum à S. Cong. Concil. & à S. Cong. Epis. & Regul. in Ferarien. 25. Iul. 1581. Addens tamen mulieres difficulter audiri solitas super nullitate professionis 1628. al Nuntio de Venecia 17. Mart. 1647. 19. Nouen. 1657. Narni 8. Iunij Quod si dimiserint habitum, & nupserint non audiantur nisi separatae, & constitutae in loco tuto, & data cautione de stando iuri In Aquen. 22. Nouem. 1603. & pariter comprehendit professos ordinis S. Io. Hierosol. Barbos. 16. *num. 3.* referens ita fuisse dicisum, Bordon. vbi supra Palaus. *tr. 16. disp. 2. p. 7. num. 2.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 8. num. 62.* apud Barbosam vbi supra refert vniuersaliter esse decisum comprehendi Ord. Militares, quem

quem sequitur Bordon. sed similem declarationem non vidi. Comprehẽdit etiam incorporatos Societati per vota Biennij, quia sunt verè Religiosi. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 3. c. 8. num. 6.* Palaus *d. puncto 7. num. 2.* Milites verò, qui non emittunt tria vota, & castitatem perfectam non sunt magis propriè Religiosi Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 4. nu. fin.*

425. Ad materiæ autem huius intelligentiam præmitto hanc quæstionem, an scilicet professio nulla ex defectu alicuius solemnitatis iuris positiui, sit valida in foro conscientiæ. Non enim est dubium eam esse nullam in quocumq; foro, si deficiat ei aliquod substantiale requisitum de iure naturali, aut diuino, vt si deficiat consensus profitentis, vel admittentis professionem; si quis vir profiteatur in Religione mulierum; si qui profitetur sit amens, & huiusmodi. Sed dubium est, an in foro conscientiæ sit nulla illa professio quæ habet defectum alicuius requisiti ex iure positiuo, vt si sit emissa ante annum 16. expletum, vel non expleto anno probationis, vel in Conuentu non deputato, vel alio consimili defectu, & impedimento dirimente solum ex iure positiuo. Ratio difficultatis est, quoniam adest sententia, & quidem vera quamplurimum Doctorum, quæ docet contractus habentes substantialia requisita de iure naturali esse validos in forma conscientiæ donec per Iudicis sententiam reuocentur, ideò dubium est, an hæc sententia procedat etiam in professione; Nam in oppositum est, quod ipsa non procedit in matrimonio, de cuius ratione est vt sit contractus indissolubilis, & propterea matrimonium ex impedimento dirimente sit nullum in quocumque foro; videtur verò, quod eadem sit ratio de professione, cum & ipsa indissolubilis sit ex natura sua, vnde vel non est etiam in foro conscientiæ, vel si est omnino rata est, & non dissolubilis nec etiam de iure positiuo, & si est dissolubilis ex eo est dissolubilis, quod non subsistat in sui natura, & substantia. Et quidem quod professio nulla ex defectu solemnitatis sit nulla etiam in foro conscientiæ consequenter docent, & supponunt illi, qui tenẽt, quod Religiosus qui ob similem defectum est nulliter professus, etiam post quinquennium, si non potest obtinere licentiam exeundi potest occultè fugere, si id fieri possit sine scandalo. Nam si professio talis valeret in foro conscientiæ, non posset Religiosus fugere priuata auctoritate, nisi professio in foro externo rescinderetur, & declararetur nulla. Et ita ob hanc rationem, quod professio nulla ex iure positiuo sit nulla etiam in foro conscientiæ tenet Bordon. *de prof. lib. 5. q. 3.* & probat. Tum primo quia lex irritans actum inhabilitat personas ad contrahendum, & agendum, vt non possint dare consensum efficacem actui. Tum quia voluntas Papæ à qua dependat voluntas nouitij non consentit in professionem factam contra legem irritantem. Tum quia leges positiuæ fundatæ in præsumptionibus obligant etiam in foro interno. Tum quia Concilium dat facultatem dimittendi nouitium, quod fieri non posset, si professio esset valida in foro conscientiæ. Vnde quod huiusmodi professio ex iure positiuo nulla sit nulla etiam in foro conscientiæ, & ob hoc nulliter ita professus, possit fugere à Religione cessante scandalo, & si non possit obtinere licentiam exeundi dixerunt, Nauar. *consil. 87. & 89. de Regul.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. num. 9.* & apud eum Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 6. in comment. lit. c. 81. num. 9. in commen. l. 5.* & Sà *v. Religio. num 7.* Item Suarez *to. 3. de Relig. l. 7. cap. 3. nu. 11.* Palaus *tr. 16. disp. 2. p. 7. num. 9.* & apud eum Less. *l. 2. c. 41. d. 7. num. 65.* & propterea talem professionem non obligare in conscientia tradiderunt Barbosa *ad cap. 15. sess. 25. Concil. Trid. de Regul. num. 55.* & Lezana *p. 1. cap. 2. n. 7.*

426. Nihilominus oppositum sentit Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. si quis num. 44. de Regular.* & idem prius senserat Rodriq. *3. p. q. 54. a. 6.* & probatur. Nam contractus etiam nullus ex defectu solemnitatis dummodo adsit consensus, parit naturalem obligationem. Abb. in *c. quia plerique n. 3. de Immun. Eccles.* Bart. *in tract. Minor. l. 1. d. 1. c. 3. num. 8. DD. l. 1. ff. de cond. indeb.* Quæ quidem naturalis obligatio licet actionem non pariat, tamen producit duos peculiares effectus. Primus est, quia retentionem confert, si res perueniat ad eum, cui naturaliter debetur, & non admittitur repetitio. Bart. *in l. Nemo potest, col. penult. ff. de legat. 1.* Bald. *in repet. l. 1. col. 15. C. de Sacros. Ecclesijs.* Iason *in l. cum quis, num. 13. C. de iur. & fac. ignor.* Secundus effectus est, quod naturaliter obligatus, quamuis compelli non possit propter actionis defectum tamen tenetur in conscientia promissa adimplere. Abb. *in d. cap. Quia plerique num. 11.* Bart. *in d. tract. Minorit. loco citato*, & ad hoc adiri potest iudex Ecclesiasticus per Euangelicam denunciationem. Iason. *in d. l. Cum quis. num. 14.* Quinimo licet ei, cui quæsita est naturalis obligatio furari rem debitoris sui, vt sibi satisfiat, si aliter consequi non possit, quod sibi debetur. Iason. *d. nu. 14.* Franc. Balb. *de præscrip. 2. p. quæst. cum declarationibus tamen, de quib.* per Nauar. *in manual. c. 17. num. 152.* Ergo professio cum sit contractus vltro citroque obligatorius, vt per DD. *in cap. Porrectũ de Regul.* quamuis emissa in Conuentu non deputato ex præscripto Clem. 8. licet sit nulla, tamen hæc nullitas cum non proueniat ex defectu voluntatis profitentis, vel Religionis, sed ex defectu solemnitatis tantum, non videtur impediri, quin exinde oriatur naturalis obligatio producens illos duos effectus supra proximè expressos, ita vt professus ex vi naturalis obligationis teneatur in foro conscientiæ adimplere, quod promisit, & Religio habeat retentionem professi sibi naturaliter obligati. Et hoc confirmatur ex doctrina Innoc. *cap. quod sicut num. 8. de elect.* & aliorum sustinentium electionem habentem requisita iuris naturalis valere in foro conscientiæ, & electum posse retinere beneficium. Quam doctrinam sequuti sunt Abb. *in d. cap. quia plerique de immun. Eccl. num. 31.* Gem. *cons. 88.* Compost. *in d. cap. quod sicut. num. 17.* & Archid. *in cap. nullus. num. 2. dist. 63.* Eodem igitur modo quamuis professio ab initio fuerit nulla ob non seruatam formam decretorum Clem. 8. tamen cum intercesserit naturalis consensus, & in eo tam professus, quam Religio per quinquenniũ integrum persliterint absque reclamatione, postea de hac nullitate amplius obijci non potest, & su-

per hoc naturali consensu bene potuit Concilium fundare determinationem illius *cap. 19. sess. 25. de Regul.* prohibentis ne quinquennio elapso professus ex causa nullitatis professionis habitum dimittat, nec Religio illum expellat. Quemadmodum Sacri Canones potuerunt fundare impedimentum publicæ honestatis super consensu naturali in matrimonio ex alia causa nullo, quam ex defectu consensus, quia scilicet stante voluntate, seu consensu naturali, actus licet nullus de iure positiuo, tamen est aliquis secundum naturam, vt post Glos. notant Gemin. & Franc. *in cap. 1. Notab. 3. de sponsal. in 6.* Abb. *in cap. ad audientiam num. 2.* Hæc Reuerendiss. Fagnan.

427. Quibus stantibus dicendum videtur professionem nullam ex defectu solemnitatum esse validam in conscientia saltem quantum ad hoc vt inducat obligationem naturalem talem, ac tantam, vt transferatur dominium Religiosi in Religionem, ita vt Religio iuste illud recipiat, & receptum iuste possideat, licet hoc dominium sit infirmum, & professio possit per iudicis sententiam reuocari. Quomodo *tract. de elect. cap. 9. quæst. 3. num. 22.* cum pluribus DD. ibi citatis sustinui contractus nullos ex solo defectu solemnitatis esse in conscientia validos. Et quamuis ibi *num. 30.* dixerim hoc non verificari in professione, sequutus opinionem DD. qui ita tenent, cum tunc nec fuerit locus examinandi hanc quæstionem ex proposito, & ductus argumento sumpto ex matrimonio, quod quidem etiam ex defectu solemnitatum est nullum in foro conscientiæ, tamen longe diuersam video esse rationem inter matrimonium carnale, & spirituale professionis.

428. Quia peccatum mortale est exercere ea, quæ matrimonij sunt, matrimonio existente nullo, quia hoc est contra naturæ legem, sed exercere ea quæ Religionis sunt in nullitate professio, nullum peccatum est, imò virtus est, vnde quod professio valeat in foro conscientiæ nullum ingerit peccandi periculum, sed valde ad salutem professi conducit. Item matrimonium petit indissolubilitatem ex lege naturali, ob bonum prolis, vnde valde disconuenit matrimonio vt post eius consummationem præcipuè dissoluatur, & hoc in maximum periculum prolis, & eius illæ educationis cedit, ideò maxime petit vt vel non sit validum in foro conscientiæ si sit inualidum ex iure positiuo, & non liceat vti copula matrimoniali si sit ita contractum vt ad instantiam alicuius coniugis sit dissolubile in foro externo, quia hoc redundaret in damnum prolis ex copula illa consurgentis. Vnde merito, & intentio Ecclesiæ est, & ita intelligitur esse, vt matrimonium irritum ex iure positiuo sit irritum in conscientia, & non liceat copula inter sic coniunctos nulliter. Sed ex eo quod irritetur professio per sententiam iudicis, non sequitur aliquod in præiudicium naturalis legis, sed bene interim valde bonum est, vt professus licet nulliter ex defectu solemnitatis religiosè viuat, & Religio iustè illum possideat. Maxime dum Concilium modo voluit, vt post quinquennium professus, vel Religio non possint audiri, neq; agere ad professionis rescissionem. Et sic esto opposita sententia sit probabilis, nec ista sua probabilitate caret, sed est æquitate munita, & ratione.

429. Nec obstat, quod Concilium *sess. 25. cap. 15. de Regul.* asserit, quod professio nulla ex defectu ætatis, aut anni probationis nullam in conscientia parit obligationem. Nam ad hoc respondet idem Reuerendiss. Fagnan. *d. cap. si quis nu. 46. de Regul.* Et ait quod S. Congregatio Concilij consulta à Cardinali Bellarm. declarauit Concilium ibi nihil disposuisse de voto, & sic non sustulit obligationem illam, quæ ex voto professionis, & valore eius proficiscitur, quamuis declarauerit ex professione non oriri obligationem ad aliam Religionem in genere, vel in specie, & voluerit, quod cessante obligatione voti, nulla alia obligatio remaneat. Ideò Sixtus Quintus in Constit. contra illegitimos quia voluit auferre etiam obligationem voti id expressit. Quod quia non fecit Clemens Octauus in decreto de non habendo nouitiatu nisi in Conuentibus designatis, ideò non sustulit obligationem voti, quod emittunt qui in Conuentibus non deputatis probantur, & post probationem profitentur, vt elate probatur *cap. quidam, de conuers. coniug.* vbi professio nulla, quam fecit vir inuita vxore, ea mortua impedit matrimonium contrahendum. Sic ergo professi licet nulliter ex defectu solemnitatis tenêtur ad Religionem ex vi voti emissi, quod licet non habeat vim voti solemnis, sed simplicis, & ex Ecclesia irritabilis, quia emissum fine Ecclesiæ solemnitate, retinet vim obligandi, donec irritetur, & interim in foro conscientiæ professio tenet, & obligat.

430. Et ad ea, quæ *num. 425.* in oppositum adducta sunt, respondetur quod probant professionem ex defectu solemnitatis iuris positiui, non esse sic validam, vt per iudicis sententiam non possit rescindi, sed non probant, quod consensus mutuus profitentis, & Religionis non pariat suum naturalem effectum, & naturaliter non obliget. Et sic lex irritans reddit inhabiles ad contrahendum omnino validè, sed non tollit habilitatem contrahendi naturaliter. Neque voluntas Pontificis huic obligationi contradicit, & lex irritans contractus obligat in conscientia, quia facit vt dominium quod transfertur à profitente in Religionem in conscientia sit infirmum, & non omnino stabile, sed reuocabile. Et ideò Concilium, & leges potuerunt statuere, vt nulliter professi probata nullitate dimittantur, & permittantur exire.

431. An verò quod dicitur de professione nulla ex defectu ætatis vel integritatis anni probationis, aut probationis in Conuentibus designatis, sit etiam dicendum de professione nulla ob metum, negatiuè omnino respondendum esset, si metus ex iure naturali aut diuino irritaret professionem. Sed quia irritat non de iure diuino, sed humano posset videri, quod neque ista professio sit nulla in foro conscientiæ donec irritetur. Ex alia tamen parte obstat etiam, quod talis professio est violenta, & contraria legi ex directo, quæ hanc professionem seu contractus initos ex metu irritos esse voluit, quod opinio ista, quæ sustinet, quod contractus nulli ex solo defectu eius quod est de iure positiuo sint validi in conscientia non fundatur in eo principio, quod lex fundata in præsumptione violentiæ vel fraudis, non obliget nisi vbi sit fraus, & violentia, hoc enim principium

cipium non admittitur, sed fundatur in eo principio quod leges benigna decet interpretatio, vt nimium quid expressum intelligatur vt libertatem, & iure naturali concessa quam minimum lædant, & ideò bene potest intelligi quod lex positiua irritans professionem ex metu irritet illam salua vi consensus naturalis, & vi valeat in foro conscientiæ licet reuocabiliter medio fori externi iudicio, cum nullum sit malum, imò valde sit bonū vt interim professio teneat saluo iure eius, qui vim patitur, vt interim sit in conscientia religiosus, & legibus Religionis teneatur; quia & hoc bono cōmuni est conforme, & valde vtile. Et sic bene intelligitur, & sustinetur, quod vbi adsit mutuua profitentis, & Religionis consensus de iure naturæ validus, defectus eius quod est de iure positiuo necessarius non ita irritat professionem quin contineat obligationem naturalem, imò & diuinam, vt taliter quod Religio iuste possideat professum, & ille ei teneatur obedire, licet professio sit in foro externo irritabilis, & sequuta sententia nullitatis etiā in foro cōscientiæ cesset obligatio, & professus maneat liber. Imò supra n. 69. disputatū fuit, an professio ex metu emissa etiā ex iure positiuo sit ipso iure nulla de iure nō tamē sit nulla, vel potius solū ope exceptionis irritanda, vt sit nulla ipso iure. Quā quæstionem ibi nō definiui, & quidquid de ea sit, ad minus dicendum erit non esse in conscientia omnino nullam, sed validam, eo saltē modo, quo alij contractus; vel quasi contractus ex defectu solemnitatis ipso iure nulli sunt in conscientia validi. Quod tamen non est dicendum de professione inita ex tali vi vel fraude, quæ tollat consensum naturalem. Metus enim solum secundum quid facit inuoluntarium.

432. Quæritur secundò, an reclamatio contra professionem ex causa nullitatis sit licita? Videri enim potest, non esse licitam ex eo quod in professo manet obligatio naturalis ad Religionē, & Religionis ad professum iuxta prædicta; vnde dici debeat contra hanc obligationem esse, si petatur, vt irrita professio declaretur. Sed hoc non probat; quia ex quo lex irritat professionem ex aliquo defectu, eo defectu existente professio infirma est, & reuocabilis de iure, & ideò lex partibus concedit ius agendi ad declarationem nullitatis à iure inductæ, & ideò reclamatio iure concedente fit, & propterea est licita. An verò reclamatio expediat, res indifferens est absolutè, & ex circumstantijs iudicanda. Quamuis per se loquendo sit melius bonum ratificare professionem nullam, & non retrocedere ab incepto, sed seruare, quæ prius promissa sunt Deo.

433. Existimat quoque Bordon. *cap. 7. de prof. q. 33.* quod in Religionibus possit fieri statutum, in quo professus iuret sub hac forma. Ego N. iuro me non contrauenturum huic meæ professioni, etiamsi deinceps venero in cognitionem nullitatis eius ex quacumque causa, quia ex nunc pro tunc ratifico illam, & volo valere. Hoc iuramentum verò etiam dato quod esset coactum in foro conscientiæ tenebit per doctrinam D. T. *supra q. 89. a. 7. ad 3.* & Caiet. ibi. Sed tamen simile statutum non expediret, quia esset occasio vnde homines cogi possent ad Religionem. Imò cum ius commune, & Concil. Trid. concedant vt professi possint reclamare, & hoc sit factum fauore boni communis, non deberet hoc statutum permitti.

434. Est etiam considerandum, quod ad hoc vt reclamatio sit licita necesse est quod professio non fuerit ratificata. In dubio autem an ratificata fuerit Donatus *p. 4. tr. 12. q. 9.* existimat quod finito quinquennio professus dubius de ratificatione debeat habere professionem vt ratificatam; quia in dubio hoc potiora iura sunt Religionis, sed intra quinquennium non est habenda professio vt ratificata, quia præsumptio est in contrarium. Sed hoc deficit. Nam vel professus nullitur nullum habuit ex illis actibus ex quibus inducitur professio tacita, & ex consequenti tacita ratificatio. Et hoc modo nec post quinquennium professio potest in dubio præsumi vt ratificata; quia professio non ratificatur nisi vel expressè, vel tacitè per professionem tacitā. Ideò si sit vel certum professum nulliter nullum ex prælatis actibus habuisse, vel de hoc sit dubium, vnde poterit præsumi ratificata professio? Verum est, quod non est dabilis casus, in quo professus non apostata manserit per quinquennium, & non saltem per annum detulerit habitum, ex qua delatione tacitè professus præsumitur. Fagnan. *cap. si quis num. 19. de Regul.* Sed si intra quinquennium professus nulliter vel se immiscuit actibus professorum, vel detulit habitum per annum est tacitè professus; nec eum iuuat dicere, quod non sit certus, an intenderit ratificare professionem, quia in hoc dubio concurrit possessio sit pro externo actu ratificante, simul præsumptio est pro actu interno, & voluntate ratificandi, quia præsumitur cuiuscumque illud velle intus, quod foris se velle significat, vel verbis, vel factis. Quod verò intra quinquennium possit reclamare, & exire, est verum sub conditione, quod professionem non ratificauerit.

435. An verò professus nulliter dubius de ratificatione professionis possit reclamare, dicendū est licitè non posse, quia eius est probare nullitatem permanentem de tempore reclamationis, & sic eius est probare se non ratificasse professionem nullam, quod certè, & verè non probabit, si res sit dubia. Quamobrem ad hoc, vt quis licitè proclamet, & non inutiliter agat, & sine fructu imprudenter perturbet Religionem, necesse est vt habeat spem probabilem probandi intentionem suam. Ant. à Spir. Sancto. *tr. 3. disp. 4. n. 156.* sic dubius tamen posset protestari etiam coram iudicibus, quod non intendit eam futurum ratificare, & quod vbi probare possit nullitatem intendit audiri. Cæterum qui à professione valida reclamat mortaliter peccat. Et si obtineat erit in damnationis statu donec redeat.

436. Quæritur tertiò. An vniuersaliter reclamatio sit necessaria ad hoc vt professus nulliter exeat, seu an nulliter professus in aliquo casu possit Religionem deserere propria auctoritate vel nulla à Superioribus petita licentia, vel ea non obtenta; vel potius debeat obtinuisse libertatem in quocumque casu, vt licitè exeat, & impunè? Prima sententia distinguit inter impedimenta perpetua, & temporalia, & hæc temporalia subdistinguit in ea, quæ durant post quinquennium assignatum à Concil. Trid. ad reclamandum, & quæ non sic durant. Et hac supposita distinctione di-

eit primo reclamationem non esse necessariam vbi professio est nulla impedimento perpetuo, secundo eandem non esse necessariam, & tamen posse ad nutum etiam post quinquennium cum professio est nulla ex impedimento perpetuo. Primum Interum probat, quia Concilium Tridentinum d. cap. 19. inducens necessitatem reclamationis loquitur de personis habilibus, quæ scilicet sic possunt exire, quod etiam possunt professionem ratificare, & ita illa verba textus ex quacumque causa ad personas habiles restringenda sunt. *l. vt gradatim* §. *It. vers. Et si lege. ff. de mu. & honor.* Iason. *l. 2.* §. *prator. num. 3. ff. qui satis dare,* Gomez *reg. de triennali q. 2. & regul. de annali possess. q. 3.* Rebuff. *in tr. de pacif. possessor. num. 172.* sic enim hæc regula datur, scilicet regulam generalem loquentem per signum vniuersale quicumque restringi ad personas habiles. Secundo quia absurdum sequeretur ex opposito, scilicet, quod mulier professa in religione viri non posset sine reclamatione exire, imò si mansisset post quinquennium nec deberet audiri, si vellet causam nullitatis suæ professionis allegare. Tertio quia oppositum cederet in graue præiudicium Religionum, quæ tenerentur effectos inhabiles per sua statuta à Pontifice confirmata retinere, eo quod quinquennium esset à professione irrita doloque facta translactum. Et sic decretum factum fauore Religionum in eius detrimentum redundaret, contra *l. quod fauore. C. de legib. & regulam, quod in gratiam. de reg. iur. in 6.* Et dolosè professus ex dolo commodum reportaret contra *cap. tua de Cleric. resideat.* Et ideò quod vbi professio est nulla ex impedimento perpetuo possit Religiosus exire sine reclamatione, vel possit à superioribus ejici non seruata forma Concil. Trid. sentiunt Nauar. *cons. 26. num. 8. & cons. 48. nu. 2. de Regul.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. nu. 32.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 4. num. 7. 8. & 9.* Bonac. *q. 2. de clausi. p. 10. diff. 4. num. 7.* Barbos. *de off. Epis. all. 104. num. 20.* Thesau. *p. 2. v. Professi cap. 1.* Leaana *p. 4. v. professio num. 21.* Donatus *p. 4. tr. 12. q. 10.* Bordon. *de profess. cap. 7. q. 16.* qui ibid. *q. 2.* idem sub alijs verbis docet, & ait, illum teneri reclamare si vult exire, qui est nulliter professus, ita tamen, quod non tenetur exire, sed potest ratificando professionem ratificare, sed illum, qui tenetur exire, posse sine reclamatione ad formam Tridentini exire, & simul posse à superioribus ejici. Et quamuis non omnes citati DD. dicant expresse eum qui est impeditus perpetuo impedimento, posse sine omni reclamatione exire, idest etiam non petita licentia à superioribus Religionis eisque inconsultis, aut etiam inuitis scandalo cessante, dicunt tamen non teneri ad reclamandum seruata forma Trident. Et cum de tali etiam fateantur illum teneri exire, simul consequenter affirmant illum posse exire, etiam si opus sit, propria auctoritate quod est de mente omnium illorum qui dicunt nolentem vel non potentem ratificare professionem posse fugere cessante scandalo, & ad id teneri, quos retuli supra *num. 350.* qui verò est impeditus impedimento perpetuo non potest ratificare professionem. Et ita de istis inhabilibus asserunt vlterius, quod possunt post quinquennium reclamare non seruata forma Concilij. Nauar. *cons. 26. num. 12. & vlt. de Regul.* Bonac. *d. p. 10. diff. 4. num. 7.* Tamburin. *t. 3. d. 6. q. 26. num. 3.* Barbosa *ad d. cap. 19. n. 18. & 19. Concil. Trid.* & apud eum Portell. Villalob. & Hier. Roderiq.

437. Sed è contra nec detentos impedimento perpetuo post professionem posse exire sine reclamatione, & quidem seruata forma Concilij Tridentini sustinet Reuerendiss. Fagnan. in *cap. Perlatū num. 39. de ijs, qui vi, &c.* In hac quæstione duo certa esse debent. Primum quod vbi nullitatis professionis non est certa, sed dubia, non potest nulliter professus se solo sine aliqua reclamatione, saltem sine iudicio superioris legitimi decernentis professionem fuisse nullam exire à Religione. In dubio enim iniustum est Religiosum priuare Religionem possidentem subdito suo. Et imò in dubio non habet professus ius vt determinatè petat licentiam exeundi, sed vt proponat dubium suum legitimo iudici, vt videat, & examinet, & decernat veritatem. Iudex verò nisi certo constet de nullitate professionis non potest dare professo licentiam deserendi Religionem, quia in dubio potior est ratio possidentis, Religio verò possidet professum. Et quia, vt supra dictum fuit, certus de professione, sed dubius de eius valore tenetur permanere, & se habere vt professum, donec manet in statu dubij, & dum non constat certè de nullitate professionis.

438. Certum est secundo, quod vbi professionis nullitas est notoria notorietate facti permanentis, non est opus iudice, & professus, qui tenetur omnino exire, id facere potest etiam se solo nō petita alicuius licencia, quamuis procurare debeat quantum possibile est, vt vitet scandalum. Sic mulier professa in Religione virorum sine reclamatione, etiam si per viginti annos, & amplius mansit in Religione, tenetur, & potest eam deserere. Et sic hæc nullitas etiam post quinquennium deduci potest. Notorium enim facti permanentis non eget probatione. Card. *cons. 56.* nec requirit ordinem iudicij, quæ necessitas enim probandi eum cæcum esse, qui non habet oculos? Oldrad. *cons. 595.* Panorm. *in quæst. incipiente, Titius. col. 2.* Bald. *cons. 379. num. 6. l. 1.* Quod videt oculus, nemo fideliter negat, & quod extrinsecus patet expressè non est probare necesse *l. si irruptione. §. ad officiū. ff. final. regund.* Ideoque tunc partes iudicis sunt solum in exequendo. Lap. *all. 37. num. 3.* Bald. *cons. 502. num. 3. l. 5. & Canonista in cap. Vestra de cohab. Cler. & mulier.*

439. Præciso autem casu notorij facti permanentis lex Concilij prohibentis ne nulliter professus se ipso habitum dimittat, sed volentis eum reclamare apud Superiorem suum, & Ordinarium se extendit ad omnem nullitatem, & causam nullitatis etiam perpetuam; ita quod nulli professo nulliter liceat sponte exire non petita licentia obtinenda solum media reclamatione coram Superiore, & Ordinario. Intentum enim Concilij fuit vt iudicium de nullitate professionis non esset apud professum solum. Quia hoc modo manifestet latissima via ad apostasias habendas impunè. Et quia iniustū est ex suo genere vt parte nō audita, auferatur ab ea id quod iustè possidet vt suum. Ideò iustitia ipsa vult vt Religio ipsa non audita, non priuetur suo subdito: vnde non est iustum vt

indi-

iudicium de nullitate professionis fit solius professi, sed quoniam & Religio, & pro ea Superior est pars in hoc iudicio, & multum facile est, vt secundum diuersas affectiones, vel contendat validam esse professionem verè nullam, vel nullam esse verè validam, & sic quod in præiudicium veritatis vsi permittat, vel neget exitum à Religione; ideò in hac parte Religio cum agatur de suo interesse non est iudex vndequaque idoneus, ideò Concilium voluit vt nec ille qui prætendit nullitatem possit exire sine licentia, & quod hæc licentia non possit concedi ex cognitione extraiudiciali, sed visa causa coram Superiore, & Ordinario.

440. Quod verò non exceperit causam aliquã nullitatis colligitur ex eo, quod licet expressè nominet causam metus, vel defectus ætatis, aut anni probationis, tamen nedum considerandum est quod causa metus potest esse perpetua, sed amplius quod illa verba, *vel quid simile* non sunt consideranda respectu durationis causæ, sed respectu nullitatis, vt sit sensus quod quicumq; Regularis prætendat suam professionem esse nullam quia factam per vim, vel ante ætatem, siue ex aliqua simili causa nullitatem inducente non possit exire nisi deductis causis nullitatis coram Superiore, & Ordinario, & hoc intra quinquennium. Quod verò hic sit sensus Concilij probatur ex illis verbis loquentibus *velitq; habitum dimittere quacumque de causa*, quæ verba vniuersalissima sunt, & omnes casus etiam dissimiles comprehendunt sic enim & dictio *Alias*, refertur ad similia, sed si adijciatur dictio quicumque refertur etiam ad casus dissimiles Gloss. *in Clem.* 1. *v. quamuis, de re iud.* & ibi Imol. *num.* 8. Sarnen. *in reg. de trien. q.* 2. §. *Tandem* Mandos. *in reg.* 12. *q.* 6. *num.* 8. Couar. *pract. quæst. cap.* 25. *num.* 3. Nec subsistit, quod dicitur, dictionem *quacumq;* restringendã esse ad personas habiles ad tacitè profitendum; quia hoc dictum supponit quod Concilium voluerit inducere professionem tacitam ex perseuerantia quinquennij, & sic quod loquutum fuerit de illis solum qui ex perseuerantia quinquennij poterant tacitè profiteri, seu tacitè professionem ratificare, quod quidem verum non est, quia Concilium solum post lapsum quinquennij negat audientiam. Non verò inducit professionem tacitam. Et cum de mente S. Cong. Concilium non sustulerit professionem tacitam, ideoque non sustulerit quin nulliter professus etiam inter quinquennium censeatur tacitè profiteri, si velle immisceat actibus professorum, vel deferat habitum indistinctum per annum, non opus fuit, vt Concilium induceret professionem ex perseuerantia quinquennij, sed hoc fuisset superfluum. Non est igitur vnde limitetur vniuersalitas significationis dictionis *quacumque*, & restringatur ad personas habiles ad profitendum tacitè ex perseuerantia quinquennij, quia hæc professio ex vi Concilij non inducitur, sed vniuersaliter debet intelligi, vt numquam extra casum notorij facti permanentis liceat alicui prætextu nullitatis ex quacumque causa exire à Religione, nisi causa iudicialiter cognita coram Superiore, & Ordinario.

441. Vult verò Concilium, quod si quis Religiosus exierit spontè, idest non seruata forma Concilij, quod & compellatur redire ad Monasterium, & habeatur vt apostata. Quamuis verò huiusmodi exiens si verè non sit professus, & de hoc ipse certus sit, non sit apostata coram Deo, erit tamen apostata in facie Ecclesiæ, quidquid in oppositum dixerit Bonac. *de clauf. q.* 2. *p.* 10. *diff.* 1. Et pœnis apostatarum puniendus. Putant verò aliqui quod iste sic exiens sit etiam excommunicatus, per *cap. vt periculosa. Ne Clerici vel Monachi*; vnde colligit ex hoc quod huiusmodi sic exiens peccet mortaliter, quia excommunicatio non fertur nisi pro culpa mortali. Sed in eo *cap. vt periculosa* non est sermo de apostatis, & excommunicatio afficit etiam non apostatas si temere dimittant habitum Religiosum, vnde illa pœna non est propria apostatarum, & cum alias illa censura non afficiat nouitios, vel non verè professos; qui certus est se non esse professum, si dimittat habitũ non est excommunicatus; quia illa excommunicatio non est lata contra apostasiam, nec est propria apostasiæ. Vbi verò contra apostasiam est lata excommunicatio vt in Ordine Prædicatorũ, qui sic exierit spontè erit in foro externo excommunicatus. Aduertit verò Lezana *v. professio num.* 27. ex Tambur. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 25. *num.* 10. quod si quis verè professus dimisso habitu reclamaret contra professionem apostata censeri deberet. Sed & coram Deo verè talis esset, quia quantam sit ex parte sui à Religione discedere vellet, non obstante professione valida, & solum pro securitate exitus licentiam exeundi sub falso prætextu postularet.

442. Qui etiam sic spontè exierit, non est audiendus, nimirum dum manet extra Monasterium, seu dum manet extra religionem sine habitu. Quia postquam redierit ad Monasterium habitu reassumpto audiendus est. Nauar. *com.* 4. *de Regul. ad fin.* Sanchez *l.* 7. *d.* 37. *num.* 3. *&* 4. *de matrim.* Diana *p.* 3. *tr.* 2. *ref.* 53. Rodriq. *p.* 3. *q.* 17. *a.* 17. Mir. *t.* 1. *q.* 30. *a.* 6. Barbosa *ad cap.* 19. *sess.* 25. *Concil. Trid. de Regul. num.* 34. Bordon. *de profess. cap.* 7. *q.* 15. Lezana *p.* 1. *c.* 2. *num.* 8. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 26. *num.* 2. Ant. à Spir. S. *tract.* 3. *disp.* 3. *num.* 167. Palaus *tr.* 16. *disp.* 2. *p.* 7. *num.* 7. Donatus *p.* 4 *tr.* 12. *qu.* 23. Nicolius *l.* 3. *tit.* 3 *t. num.* 31. *limit.* 2. qui tamen ex Diana *p.* 3. *tr.* 2. *ref.* 53. hoc limitat, vt non sit verum in eo, qui dimisso habitu coactus fuit redire ad Monasterium, sed limitatio non habet iuris firmamentum, quia Concil. iubet hunc cogi ad Monasterium, sed non mandat, vt dum redierit non audiatur. Præceptum tamen hoc, vt non sit audiendus reclamans dimisso habitu intelligendum esse in foro externo, non verò in foro interiori, si causa subsit aliter faciendi, ex Nauar. *com.* 4. *de Regul. num.* 77. Bonac. *q.* 2. *de clau. p.* 10. *diff.* 3. aduertit Lezana *d. num.* 8. sed cum reclamatio sit externi fori, non est hic locus solo interiori foro. Sed qui sic spontè exijt audiri non debet. Limitatio tamen illa si adsit causa aliter faciendi, videtur admittenda, & eam admittunt etiam Bordon. Ant. Tamb. Barbosa, & Palaus citati. Sed non tam de facili puto dari posse causam iustam, ob quam habitus dimitti possit ad finem reclamandi. Bene potest contingere vt professus nulliter si cogatur manere intra Monasterium, impediatur ne possit commodè prosequi suam causam, sed quod ad eam pro

sequen-

sequendam dimissio habitus sit necessaria, difficile erit ut eueniat. Nihilominus Concilium vtrumq; requirit, quia vult, vt talis reducatur ad Monasterium. Sed tamen inter illa duo est discrimen, quod faciliter aderit causa iusta dispensandi cum tali, vt maneat extra Monasterium, non tamen aderit faciliter causa iusta, vt maneat extra Monasterium dimisso habitu.

443. Dicitur secundo quod etiam aliud præceptum Concilij, per quod præcipit, vt post quinquennium non audiatur qui prætendit professionē suam esse nullam, debet intelligi vniuersaliter de professione prætensa nulla ex quacumque causa, & nedum si causa sit de se temporalis, duret tamen post quinquennium, sed etiam si causa sit simpliciter perpetua. Conclusio hæc est certa ex declarationibus S. Cong. Concilij. Nam causa metus durare potest, & sæpè durat post quinquennium, & ea durante nunquam incurritur professio tacita, & tamen etiam si metus prætendatur vltra quinquennium durasse, non est danda audientia, nisi prætendens professionem nullam reclamauerit intra quinquennium, vt, teste Reuerendiss. Fagnan. *d. cap. Perlatum. num. 40.* articulo sæpius discusso declarauit S. Congregatio Concilij, cuius sententiam approbauit Greg. 13. Sed quod vbi impedimentum sit perpetuum, nihilominus post quinquennium non sint audiendi, qui petunt exire prætextu nullitatis, nisi Pontifex aperiat illis os, vt audiantur, inde colligitur, quod cum impedimentum, quod oritur ex non habito nouitiatu in Conuentibus non deputatis sit perpetuum, nihilominus Vrbanus Octauus declarauit prætendentes ex hac causa nullam fuisse professionem non posse audiri post quinquennium. Imò de his specialiter disposuit, vt etiam intra quinquennium non audiantur, nisi deductis causis nullitatis in Sacra Cong. *Epis. & Regul.* Vnde plenè constat sensum Concilij fuisse vt dimissio Religiosi professi à Religione non fiat ex quacumque causa nullitatis extraiudicialiter cognita, sed solum cognita iudicialiter coram Superiore, & Ordinario, quamuis modo causa nullitatis ex non habito nouitiatu in Conuentu deputato sit deducenda coram S. Congregatione, & amplius quod post quinquennium nullus ex quacumque causa possit audiri, nisi Pontifex os aperiat, & in integrum restituat.

444. Decretum verò Vrbani 8. sequentis tenoris est, videlicet: *Ad occurrendum Motibus, qui possent in Religionibus oriri, occasione receptionis nouitiorum, & professionis per eos emissæ in Conuentibus, non designatis contra formam decretorum sanctæ mem. Clementis 8. de nouitijs ad habitum Regularem, & professionem, non admittendis, nisi in Conuentibus designatis audita, super hoc sententia Sac. Congregationis Concilij, declarauit, ac decreuit huiusmodi receptos, & professos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & professionis, non posse super huiusmodi nullitate post lapsum quinquennij quoquomodo audiri. Quod si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectiuè illos eijcere voluerint, eadem Sanctitas Sua decreuit, vt tam ipsi professi, quam Superiores respectiuè teneantur iura, quæ sibi fauere visa fuerint, prius adducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex speciali etiam Suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit. Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque Iudicibus ordinarijs, & delegatis etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de latere legatis, Sedisque Apostolicæ Nuncijs, ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione, sub pæna ipso facto incurrenda, quo ad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingressu Ecclesiæ, quo ad Abbates, & Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ sententiæ, quo verò ad Nuncios, & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos indignationis Suæ Sanctitatis, & pænarum arbitrio eiusdem imponendarum.*

445. *Si verò ijdem, vt supra recepti, & professi iuribus suis minimè deductis coram Sacra Congregatione Concilij, & sine illius expressa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eijcere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi, tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur; necnon contra eosdem iuxta formam decreti de Regularibus Apostatis, & eiectis eiusdem Sanctitatis Suæ iussu ab eadem Sacra Congregatione sub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint pænam suspensionis à Diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto absque alia declaratione incurrant. Datum Romæ die 19. Ianuarij 1636.*

446. Ad ea verò quæ in oppositum adducta sunt patet responsio. Primum enim probans, quod vniuersalis significatio dictionis quæcumque debet restringi ad personas habiles, supponit falsum, scilicet quod Concilium induxerit professionem tacitam ex perseuerantia quinquennij, & quod negauerit audientiam ex præsumptione huius professionis tacitæ, cum tamen Concilium nullam inducat professionem tacitam, sed solum neget audientiam non ex sola præsumptione tacitæ ratificationis inductæ ex perseuerantia quinquennij, sed quia pro tranquillitate Religionum iudicauit limitandum esse tempus huiusmodi litium, & contentionum, & concedendum Religioni, & Religiosis præscriptionē professionis terminato quinquennio; quidquid sit an eorum professio fuerit, vel non fuerit valida. Nam etiam quod valida non fuerit potuit Concilium præcipere, & præcepit, vt qui intra quinquennium non reclamauerunt, non audiantur, sed in Religione permaneant, nisi illis à Papa aperiatur os, vt reclamare possint. Quod verò secundò adducebatur de vito apud Moniales occultè professo, non obstat, quia in eo casu, ob notorietatem facti permanentis, non est necessaria reclamatio. Tertium etiam non probat, quia maius inconueniens est, quod pax, & tranquillitas Religionis, & veritas veræ professionis exponatur perpetuo periculo, dum per totum tempus vitæ possit reclamari vel à Religioso, vel à Religione ex eo quod prætendatur quod v. g. aliquis professus sit de genere Iudæorum, aut habeat aliquam qualitatem contra statuta Religionis, quam quod post quinquennium

non possit amplius audiri qui ob similem causam reclamat, contra professionem. Nam & cum impedimentum illud defectus originis, vel aliud simile possit esse fallum, nec possit statim probari per euidentiam facti, & non fuerit probatum intra quinquennium stat præsumptio pro habilitate personæ, & possessio stat pro validitate professionis, & merito statutum est, vt de professionis istius nullitate non agatur amplius.

447. Quæritur quartò à quo puncto temporis incipiat quinquennium intra quod est reclamandum. Licet enim Concilium expressè dicat hoc quinquennium inchoandum esse à die emissæ professionis; nihilominus ex ea regula quod impedito non currit tempus, multi diuersimode mentem Concilij interpretati sunt. Et quidem sic omnes dixerunt, quod hoc quinquennium incipiendum est à die professionis, quod tamen hoc multipliciter sit limitandum, vt non sit vniuersaliter verum. Quia cum lex ista Concilij fundetur in ratificationis tacitæ præsumptione intra quinquennium, intrat regula, vt cessante euidenter præsumptione, vel quod cessauerit constito in iudicio per probationes, cesset legis obligatio, & professus nulliter sit audiendus. Et neque existimandum est, hic finem legis deficere solum negatiuè, quia cessante præsumptione obseruantia legis huius redundat in grauissimum onus, & incommodum personæ sine iusto titulo, & ideò cessante præsumptione finis legis deficit etiam contrariè. Itaque igitur ex hoc colligitur primo; quod lex ista Concilij non se extendit ad eum, qui toto tempore quinquennij impeditus fuit, ne posset reclamare. Impedito enim non currit tempus, neque præscriptio *l. 1. C. de annal. excep.* Qui ergo ob metum v. g. professus fuit, & eadem ratione metu graui coactus non reclamauit; vel qui à Religione ipsa per vim, & metum detentus fuit ne reclamaret, etiam post quinquennium, tunc cum cessauerit impedimentum audiri debet. Secundò in eo qui ignorauit suæ professionis nullitatem quinquennium à die notitiæ eiusdem nullitatis incipere debet. Et licet ignorantia hæc non præsumatur nisi probetur, vbi tamen probari potest, excusabit. Tum quia quadriennium ad petendum restitutionem in integrum non currit ignoranti, sed est tempus vtile vt multis citatis probat Couar. *reg. possess. 3. p. num. 3.* ergo quamuis actio contra professionem præscribatur quinquennio, hoc tempus debet censeri vtile, & vt incipiat à die scientiæ nullitatis. & sic quod etiam post quinquennium possit audiri professus nulliter, si ignorauit nullitatem professionis. Quod confirmatur, quia ignorans nullitatem professionis eam non potest ratificare, quandiu durat ignorantia. Concilium verò voluit concedere tempus vtile ad ratificandam professionem. Tertiò non se extendit lex Concilij ad eum, qui toto tempore quinquennij non potuit ratificare professionem. Exemplum est in marito, qui ob adulterium vxoris ingressus est religionem, & in ea post professionem vltra quinquennium vixit, sed constito quod & ipse ante professionem adulteratus fuit, in quo casu Sacr. Congr. censuit negotium remittendum Ordinario, vt secundum ius procederet. Aliud exemplum in Religiosis redditis inhabilibus ad profitendum ex vi Constit. Sixti Quinti, qui nullo modo professionem poterant durante vi d. Constit. ratificare. De istis igitur cum constet eos non esse, nec posse esse professos, dicendum est eos esse audiendos etiam post quinquennium coram Superiore suo, & Ordinario. Quartò excipiuntur etiam illi, quorum professio non potuit ratificari à solis ipsis nulliter professis, sed necessarius fuit nouus consensus Religionis, ex cuius parte nulla fuit notitia talis defectus. Etenim & in hoc casu constare potest professionem non fuisse ratificatam, quo constito non intrat lex Concilij, quæ fundatur in præsumptione ratificationis professionis. Nec obstat si dicatur in hoc casu professum scientem defectum nullitatis esse in culpa, quia hæc culpa non est tanta, vt ob illam cogendus sit esse religiosus, & ex consequenti vt negetur ei audientia. Præterquam quod audiri debebit Religio, quæ defectum ignorauit. Itaque igitur hæc sententia vult, quod lex Concilij non habeat locum in impeditis, & ignorantibus, & illis, qui in tempore quinquennij non potuerunt ratificare professionem, sed quod in istis quinquennium non incipiat nisi à die ablati impedimenti, vel notitiæ, vel habilitatis ad profitendum. Et ita voluerunt citato Nauar. Suarez *t. 3. de Relig. l. 7. cap. 4. num. 6. & seqq.* Palaus *tract. 16. disp. 2. p. 7. num. 5.* Lezana *p. 4. v. professio. num. 21.* Diana *p. 3. tr. 2. ref. 53.* Pasqual. *d. 432.* Tamburr. *tom. 3. disp. 6. q. 25. num. 8. & 9.*

448. Quidam verò hanc sententiã non tenent vniuersaliter in omnibus prædictis casibus. Nam quidã volentes quod non obstante impedimento reclamandi, aut ignorantia nullitatis professionis quinquennium incipere debeat à die professionis, id negant solum vbi sit impedimentum perpetuum ratificandæ professionis Lord. *cap. 7. q. 16.* alias referens, sed Sanchez qui *lib. 7. de matrim. disp. 37. numer. 19.* difuse probat quinquennium numerandum esse à die professionis, postea *num. 32. 33. & 34.* tenet quod nedum in impedimento professionis perpetuo, sed etiam in temporali durante vltra quinquennium, lex Concilij non obligat, & quod huiusmodi impediti etiam via ordinaria audiendi sunt post quinquennium. Et eadem ratione mouetur, quia nimirum Concilium loquitur de habilibus ad profitendum, & de quibus præsumi possit eos per lapsum quinquennij sine reclamatione ratificasse professionem. De hoc tamen impedimento temporali distinguit Sanchez, vel enim desinit intra quinquennium à die professionis, vel post quinquennium. Si desinit intra quinquennium, & arbitrio boni viri adest tempus commodum ad reclamandum antequam labatur quinquennium à die professionis, non est illi concedendum aliud tempus vltra quinquennium. Sed si desinit vltra quinquenniũ, tunc non est assignandum aliud quinquennium, sed conceditur tempus, quod ad arbitrium boni viri sit competens ad reclamandum.

449. Verum hæc sententia tota fundatur in principijs iam exclusis, vel scilicet quia ignorans non possit ratificare professionem, vel quia Concilium adequatè se fundat in præsumptione ratificationis professionis, vel quod quinquennium sit inductum in pœnam negligentiæ eius, qui intra

cum quin-

quinquennium non reclamauit, cum veritas sit: quod ignorans nullitatem professionis possit illã ratificare, vt probatum est supra *num.376. & sequen.* & quod Concilium non induxit professionem tacitam ex perseuerantia quinquennij sine reclamatione, nec fundatur in præsumptione huiusmodi ratificationis professionis, vt pariter probatum est supra *num.440.* Nec quinquennium ad reclamandum statutum est in pœnam negligentiæ sed fauore boni communis, ne & professi vere tractu temporis adueniente molestia aliqua in Religione sub prætextu nullitatis exire tentent, & ne in æternum duret causa, aut occasio perturbandi tranquillitatem Religionis, sub prætextu nullitatis professionis, Ideò quod non obstante impedimento reclamandi, aut ignorantia nullitatis professionis, etiam in sic impedito, vel ignorante quinquennium incipiat à die professionis expressæ, vel tacitæ dixerunt Sanchez *l.7. de matr. d.37. num.19.* Bonac. *de claus. q.2. part. 10. diff.4. num.3.* Barbosa *ad d. cap. 19. Concil. Trid. nu. 7.* Bordon. *de profess. cap.7. q.5.* Nicolius *tit. de Reg. num.31.* Donatus *p. 4. tr. 12. q. 3. & 13.* Et quod vniuersalissime hoc idem dicendum sit etiam in impedito profiteri, etiam impedimento perpetuo tradit Reuerendiss. Fagnan. *cap. Perlatum nu. 10. & 47.* Et hæc est Romanæ Curiæ praxis, quam considerandam monuit etiam, Lezana *dicto numer.21.*

450. Dicendum igitur est quinquennium intra quod nulliter professus reclamare potest, incipere à die professionis, sine aliqua exceptione, ita quod via ordinaria nullus post quinquennium audiri potest, qui prætendat exire à Religione prætextu nullitatis professionis. Nam hoc clare exprimit textus Concilij, ibi, *Nisi intra quinquennium tantum à die professionis numerandum.* Vbi ponderanda est dictio *tantum*, quæ est exclusiua, & affirmat id quod ponit, negans omnes alios casus præter expressos *l. ob æs C. de præd. min. & l. contractus ff. de regulis iuris, cap. Cum Ecclesia Sutrina, de causa possess.* Et imò cum dictio tantum non esset necessaria, sed fuisset sufficiens dicere intra quinquennium à die professionis magis, vt explicaretur dies à quo quinquennium incipere debet, addita est causa maioris expressionis, vnde est quasi repetitio, & declaratio eiusdem dici. At verò repetitio dictionis in eadem dispositione significat id non esse factum sine Mysterio iuxta Gloss. in Clem. 1. *ver. diœcesanis de iure patron.* Sed & euidens est Concilium loqui de professione nulla, eo quod emissa per vim, vel metum, certum verò est metum sicut professionis valorem, ita & reclamationem impedire posse etiam toto tempore quinquennij: neque dici potest Concilium oppositum præsumpsisse, quia Concilium non potuit præsumere esse, quod sepissime non est, constat verò experientia metum regulariter durare in hoc negotio, quantum durat vita parentum, vel eorum, qui per metum ad professionem compellunt, non potuit ergo Concilium præsumere, quod in professione per metum, ipse metus die professionis cessauerit. Et si hoc præsumisset, non erat vnde dedisset quinquennium ad reclamandum, quia ad summum ille professus cessante metu per annalem perseuerantiam in habitu Religioso incurrisset professionem tacitam, vnde non competisset sibi reclamatio post illum annum; supponit igitur Concilium, quod etiam si metus duret, & sic impediat ratificationem professionis, vel etiam reclamationem, nihilominus professus per metum solum intra quinquennium à die promissionis audiri possit. Quod expresse declarauit Vrbanus Octauus in decreto recensito supra *num.445.* de nulliter professo, & simpliciter impedito ad profitendum tacite ex eo, quod non habuerit Nouitiatum in loco designato.

451. Sic verò hoc quinquennium incipit à die professionis, quod dies termini in eo computatur, & currit de momento ad momentum vsq; ad eius complementum Tambur. *tom.3. d.6. q.25. num. 6.* Lezana *v. professio num. 22.* Barbosa *cap. 19. num. 7. sess. 25. Concil. Trid. de regul.* Donatus *p.4. tr. 12. q. 3.* Et hoc colligitur ex dictionibus nisi, & tantum, quibus vtitur concilium, quæ taxatiuæ sunt, & non admittunt ampliationem, vnde non potest aliqua ratione hoc tempus ampliari, extendi, aut prorogari vltra quinquennium, vel etiam de eo aliquid diminui. Tum secundò, quia tempus saltem in materia iuri alterius contraria debet esse completum de momento ad momentum *lib. 3. §. minorem ff. de minor.* Sayrus *de cens. lib.3. cap. 33. num.4.* Sanctarell. *de Apost. cap.7. num.20.* Bonac. *d. p.10. diff. 4. nu. 3.* Suarez *de cens. d.23. n.16.*

452. Incipit verò hoc quinquennium à die professionis, vel expressæ, vel tacitæ, nimirum in tacita professione ab eo puncto in quo ex lege intrat eius præsumptio, scilicet vel à completo anno delationis habitus communis, vel ab assumptione proprij habitus professorum proprij; etenim & professio tacita est vera professio si legitimè fiat, & si nulliter facta sit, solum intra quinquennium ab ea numerandum potest nulliter professus reclamare Suarez *tom.3. de Relig. l.7. cap. 4. num.2.* Bonac. *d. p.10. diff.4. num.1.* Lezana *v. professio num.22.* Barbosa *de off. Epis. all. 104. n. 16. & ad d. cap. 19. num.7.* Nauar. *v. professio nu. 12. & 3.* Tambur. *tom. 3.* Bordon. *de professio cap. 7. q.32.* Et sic professus tacitè non potest post quinquennium reclamare.

453. Ex his colligitur, quod neque Religio potest peracto hoc quinquennio reclamare contra alicuius professionem, sed & ipsa tenetur intra quinquennium causas nullitatis adducere coram superiore, & ordinario. Quamuis enim videri possit huius oppositum esse dicendum, quia Concilium loquitur de professis, quos prohibet audiri dimisso habitu, vel non nisi intra quinquennium; alias verò superiores Regularium de iure communi cognoscere possunt de nullitate professionis suorum subditorum *cap. Sicut. & cap. Illud 20. q.1. cap. Perlatum, de ijs, quæ vi &c.* Nihilominus dicitur, quod nec Regulares superiores prætextu nullitatis possunt eijcere professos nisi seruata forma Concilij. Reuerendiss. Fagnan. *cap. Nullus num. 28. & sequent.* Vbi late hoc probat, & *nu.42.* refert ita determinasse S. Cong. Concil & quantum ad nulliter professos ex nouitiatu non habito in Conuentu designato ita expresse decreuit Vrban. 8. in decreto supra *num.445.* recensito

nam.

nam, & quamuis sub verbis Concilij non comprehendantur superiores, tamen locum habet regula illa, quod lex noua disponens de vno correlatiuo censetur disponere de alio etiam ad correctionem iuris communis vbi militat eadem ratio *l. fin. C. de indic. vidait. toll. l. Curatorem C. de interd. matrim. l. fin. C. de rescindend. vendit.* Ratio enim ob quam Concilium voluit huiusmodi causam videri per Ordinarium fuit, quia cum Regulares agant de causa suæ Religionis, & sic de re sua non habuit eos pro iudicibus vndequaque integris: Qua de causa nec Episcopus dicitur iudex competens in causa suæ mensæ Decins *cap. Cum venissent num. 55. de ind.* Sic enim si ex nullitate professionis sequeretur damnum Monasterij, vt quia restituere deberet bona intuitu professionis illi relicta, non esset superior facilis ad iudicandam nullitatem, ad quod esset promptior si is, qui prætendit professionem nullam esset petulcax, rixosus, vel alias inutilis Religiosus, seu etiam insolens, & non corrigibilis. Quamobrem Concilium voluit adhibere ordinarium in coniudicem in causa dandi licentiam exeundi prætextu nullitatis professionis. Et ex hoc exclusit sufficienter superiorem ne etiam in casu in quo Religio ipsa gerat vicem actoris, & sub hoc prætextu velit ejjcere professum, possit solus sine adiuncto Ordinario, & non seruata forma Concilij de hac causa cognoscere.

454. Et cum probatum sit legem Concilij se extendere ad omnem causam nullitatis, quæ non sit notoria facti permanentis, inde est, quod etiam si constare possit professionem alicuius fuisse nullam etiam ex impedimento perpetuo, vel temporali durante; non posit superior de hac causa cognoscere, & Religiosum prætensum nulliter professum ejjcere, nisi seruata forma Concil. Trid. in omnibus illis casibus in quibus nec Religiosus poterit eo petente licentiam obtinere, sed seruari semper debet, vt reclamatio fiat infra quinquennium à die professionis, coram superiore, & ordinario, & post quinquennium nec professus, nec Religio audiatur, nec superior in hanc causam se ingerat.

455. Limitantur autem in casu Notorij facti permanentis. Hinc Bordon. *de profes. cap. 7. q. 43.* asserit hermaphroditum in quo vterque sexus est æqualis posse ejjci non seruata forma Concilij. Nicolius etiam *lib. 3. tit. 31. num. 35.* de hermaphrodito, qui ignoranter fuit admissus ait posse dimitti, quia decepit Religionem. Verum aduertendum est, quod vbi sit aliquod dubium, & facti veritas ea sola sensus inspectione non sit euidens, sed indigeat probatione, debet seruari forma Concilij, quia vbi opus est iudice, Concilium vult causam cognosci à superiore, & Ordinario simul, vbi verò factum indiget probatione, indiget iudice, cum Concilium hoc etiam velit, vt ex sola probatione extra iudiciali nullus professus possit dimitti ab Ordine. Ideò vbi non sit certum hermaproditam esse vtriusque sexus, vnde dubium esse possit, & disputabile an professio eius fuerit nulla, seruanda est forma Concil. Ratio verò illa, quod Nouitius, qui in re graui decepit Religionem possit à Religione dimitti non subsistit.

456. Sed numquid hæc forma seruari debet, si professio manifestè sit contra aliquod præceptum naturale. Vt si sit periculum scandali, nam v. g. licet possit esse dubium an professio hermaphroditi sit nulla, poterit esse certum periculum scandali si perseueret in Monasterio. Item potest esse manifestum, quod professio sit contra iustitiam, vt in casu supra recensito mariti, qui prætextu adulterij vxoris professus Religionem post multos annos inuentus est nulliter professus, ex eo quod, & ipse cum ante professionem adulteratus fuisset, perdiderat jus vt fieret Religiosus inuita vxore. In his enim casibus videtur, quod lex naturalis vincere debeat, & quod propterea superior possit non seruata forma Concilij huiusmodi professos dimittere. In his enim casibus nedum professio est nulla, sed professum manere in Monasterio est peccatum, vnde lex positiua non potest præcipere, vt Religiosus statim non exeat, etiam superiore inuito. Reuerendiss. Fagnan. *cap. Perlatum num. 43.* de ijs, quæ vi &c. loquens de viro apud Moniales professo, inquit, quod non obstaret quinquennium Concilij ex alio capite, nempe propter periculum scandali, & peccati, cum Concilium ita interpretari debeat, vt non sit peccati nutritiuum. *Capit. Erit autem lex dist. 4. cap. consuetudo dist. 1.* Bordon. quoque *cap. 7. q. 43.* loquens de hermphrodito ait, quod si in eo vigeret æqualiter vterque sexus, statim ob periculum incontinentiæ à superiore expelli deberet.

457. Ego non dubito, quod in concursu legis naturalis, aut diuinæ, & legis Concilij de non dimittendo à Religione nisi eius forma seruata, quod obseruari deberent lex naturalis, & diuina. Sed extra casum notorij non video quomodo de facili dare possit hic legum concursus. Nam aliud est separare loco Religiosum, aliud est eum tamquam nulliter professum dimittere à Religione. Sic v.g. in casu hermaphroditæ dubij ad vitandum scandalum sufficeret illum separare si aliquod periculum incontinentiæ adesset, & tunc puto, quod non obligaret lex clausuræ, si scandali periculum non posset aliter vitari, quam illum à Manasterio Monialium extrahendo, sed tamen interim nullitas professionis illius sic dubia seruata forma Concilij cognosci deberet. Vnde ratione scandali via possibile esse potest, vt possit declarari nulla professio ea forma non seruata. In materia iustitiæ videtur, quod possit casus huiusmodi accidere. Nam in casu illius mariti, qui ob vxoris adulterium putauerat se esse liberum ad profitendum, non considerato, quod ex adulterio proprio libertatem amiserat, comperto hoc errore post quinquennium professionis ex iustitia debebat restitui vxori, vndè tunc concurrebat lex naturalis iustitiæ cum lege Concilij, non obligabat igitur lex quinquennij. Sed aduertendum, quod iustitia non obligat ad restituendum statim, vbi adest iustum impedimentũ, & causa dilationis. At verò in hoc casu iusta causa differendi est necessitas cognoscendi etiam in foro externo, & in facie Ecclesiæ nullitatem professionis in facie Ecclesiæ præsumptæ validæ. Et ideò tunc bene posset, & satisfieri iustitiæ, & legi quinquennij. Quod si vel ex magna distan-

tia recurrendi ad summum Pontificem, vel ex personarum qualitate, vel ex periculo scandali, vel ex aliqua simili circumstantia lex naturæ obligaret, vel ad statim, vel ad non differendum, in similibus casibus liceret vel Episcop., quia Concilium nihil intendit, quod sit peccatum, vel peccati nutritiuum.

458. Sic ergo manet probatum, quod per se loquendo post quinquennium à die professionis numerandum professus nulliter nequit audiri. Quod verum est etiam si peteret audiri super causis ob quas intra quinquennium non fuit reclamatum. Neque enim super his audiri potest via ordinaria. Vnde professus per vim, & metum etiam si alleget metum durasse vltra quinquennium à die professionis, quicquid in contrarium dixerit Lezana p. 1. v. professio num. num. 21. non debet audiri, vt declarauit S. Cong. Concilij. & approbauit Greg. 13. apud Reuerendiss. Fagnanum in cap. Perlatum num. 47. de iis, quæ vi &c. Bordon. cap. 7. q. 19. & 21. Quod vt probatum est, verificatur etiam si impedimentum professionis sit perpetuum, quidquid in oppositum dixerit Anton. à Spir. Sanct. tract. 3. d. 3. num. 173. & Lezana v. professio num. 21. Bordon. cap. 7. q. 16.

459. Vnde etiam sequitur, quod quidquid in contrarium dixerint Pëyr. de subd. q. 1. cap. 25. §. 4. Lezana p. 3. cap. 2. num. 7. Barbosa ad d. cap. 19. num. 6. Anton. à Spir. San. tract. 3. disp. 3. n. 169. Nec religio via ordinaria post quinquennium à die professionis potest Religiosum nulliter professum dimittere; iam enim probatum est supra legem Concilij comprehendere etiam Religionem & superiores, & si Concilium non vult professum audiri post quinquennium, multo minus vult dimitti, cum auditio sit via ad dimissionem, & ideo sit negata via, nec admittatur terminus. Bordon. cap. 7. q. 36.

460. Circa hoc quinquennium in professo, ante ætatem legitimam dubitat Suarez tom. 3. de Relig. l. 7. c. 4. num. 2. an sit numerandum à die professionis capte emissæ, vel potius à die completi anni 16. in quo nouitius validè poterat profiteri, & probabiliter putat esse numerandum à die completi anni 16. Sed fundatur in illo principio iam reiecto, quod lex Concilij fundetur in præsumptione ratificationis professionis, & ideo, quod quinquennium importet tempus respectu Religiosi habilis ad profitendum tacitè saltem secundum præsumptionem, quod locum non habet in professione habita ante ætatem, cum hic defectus sit adeo manifestus, vt non possit iuridice præsumi illam esse professionem validam. Sed iam probatum est Concilium non fundari in sola hac præsumptione, & cum alias expresse decernat quinquennium numerandum à die professionis, hoc verum est, etiam in illo, qui profitetur ante ætatem.

461. Tandem aduertendum, quod sufficit, quod iudicium de nullitate professionis via ordinaria sit inceptum ante expletum quinquennium. Probat hoc Bord. c. 7. q. 23. Tum quia iudex si causa recepta finiet officium potest terminare causam, & iudicium finire Gloss. cap. lites, de off. deleg. Tum quia delegatus causa cœpta si sequatur more delegantis prosequitur causæ cognitionem, cap. Relatum, cap. Gratum, cap. Si delegatus in 6. Sed quidquid sit de his, pro hoc deducitur ex Concilio, quod non prohibet ne continuetur cœpta auditio, sed quod non audiatur; cum verò intra quinquennium audita sit instantia professi, iam acquisiuit ius, vt super ea decernatur via ordinaria, nisi oppositum fuerit per Pontificem statutum.

462. Quæritur quinto an nulliter professus, post quinquennium audiri possit, aut debeat per viam extraordinariam apertionis oris seu restitutionis in integrum? Certum est quod ei qui ratificauit professionem nullam, cum sit iam verè professus, quod non potest, vt exeat à Religione confugere ad remedium aliquod siue ordinarium, siue extraordinarium, cum sit ei omnino illicitum exire. Sed supposito, quod nulliter professus professionem non ratificauerit, quod nihilominus post quinquennium non possit audiri nec etiam per viam restitutionis in integrum, docuit Bonac. q. 2. de clausura, part. 10. diff. 4. quæ apud Sanchez l. 7. de matrim. d. 37. num. 21. fuit opinio Zaualios in quæst. practicis q. 500. & Flemin. de resig. benefic. l. 13. q. 3. num. 46. & apud Barbosam ad cap. 19. sess. 25. Concil. Trid. num. 8. Armend. l. 2. tit. 18. l. 7. num. 19. Eo quia Concilium omne abstulerit remedium. Quod probat, quia vbi agitur de causa controuersa inter minores melior est conditio possidentis. Religionis igitur quæ est minor & possidet, melior est conditio nec habet locum in integrum restitutio. Secundò quia aliter Concilium non satis consuluisset tranquillitati Religionis, si adhuc post quinquennium liceret lites super hac materia intentare, & Religionem perturbare.

463. Sed praxis Romanæ curiæ hanc opinionem singularem reprobat, & quæ in contrarium adducuntur leuia sunt. Quod enim in causa minorum non detur restitutio in integrum fallit, quando ex parte vnius minoris agitur de damno vitando, & ex parte alterius de acquirendo lucro vt ex sfortia Oddo tract. 1, q. 18. a. 5. num. 35. aduertit Sanchez d. disp. 37. num. 29. fin. Religiosus verò petens restitutionem in integrum agit de damno vitando, ne compellatur ad vitam regularem asperam, & duram, & Religio agit de acquirendo Religioso. Et præterea Religio assimilatur quidem minori, sed non est propriè minor, neque necesse est, vt illi competant omnia quæ tribuuntur minoribus; et maximè in præsenti causa, cum nec prorsus illi conueniat retinere apud se Religiosos inuitos, qui nec illam diligant, nec eius obseruantias ex dilectione custodiant. Alias verò satis prouisum est tranquillitati Religionis sublata post quinquennium ordinaria via reclamandi, cum alias via restitutionis in integrum sit via gratiæ obtinendæ. Reuerendiss. Fagnan. cap. nullus num. 3. de Regular. & non tam faciliter hæc obtineri possit, & non nisi multis suppositis, vnde etiam praxis demonstrat raros esse, qui hac via tentent exitum à Religione.

464. Multam autem difficultatem etiam faciunt Sanchez d. disp. 37. & plures alij quam pluribus iuribus adductis ad probandum, quod non competat professis nulliter remedium restitutio-

tis in integrum, ex eo quia præsumptio ratificationis professionis ex lapsu quinquennij sit iuris, & de iure, contra quam nullus, potest audiri, etiam per beneficium restitutionis. Et quamuis soluant argumentum dicendo, quod contra præsumptionem iuris, & de iure datur indirecta probatio, & audientia ad probandum iustam causam ob quam conueniat aliquem restitui in integrum, tamen melius soluitur difficultas omnis, & penitus diluitur, quia Concilium non induxit præsumptionem illam iuris, & de iure, quæ non habet aliud fundamentum, quam opinio illorum, qui eam admittunt. Nam Concilium solum habet, quod nulliter professus intra quinquennium non audiatur nisi coram Superiore, & Ordinario, & post quinquennium nullo modo audiatur. Quod verò dicatur Concilium non potuisse id statuere, aut noluisse nisi, quia præsumpserit professionem ratificari, est consequentia ab illis DD. deducta, & quidem falsa; quia finis Concilij fuit vtilitas, & tranquillitas Religionum, & quia quidquid sit an nulliter professi ratificauerint, vel non ratificauerint professionem iustum fuit ponere terminum his litibus, & quinquennalem præscriptionem inducere, vt supra est probatum.

465. Et considerandum est, quod Concilium aliquo modo se fundat in præsumptione, non à se inducta, sed inducta de iure antiquo, & quam Concilium potius depressit, & illi vigorem abstulit. Supponit enim Concilium vnum verissimum, nimirum, quod in professio in facie Ecclesiæ, & non Apostata; necessario intra quinquennium aliqua præsumptio professionis inducta, vel ex susceptione habitus professorum, vel ex ratificatio actuum professorum, vel ex annali delatione habitus indistincti, & sic, quod ex vi iuris antiqui potest, & debet haberi, vt professus tacitus. Et nihilominus Concilium vim huius præsumptionis potius diminuit, & voluit, quod ea non obstante intra quinquennium audiatur professus dicens de nullitate professionis. Sed quod noluerit hunc audiri post quinquennium, non fuit, quia ex tunc in cœperit præsumere illum esse professum, sed quia propter bonum commune iudicauit limitandum tempus, & non permittendas has lites habere æternam occasionem, & licentiam.

466. Dicitur igitur primò, quod professus nulliter, qui intra quinquennium, vel fuit ita impeditus ne reclamaret, vt v.g. quia durauit vis, & metus, ob quem inuitus emisit professionem, & omisit reclamare, vel intra quinquennium ignorauit nullitatem suæ professionis, post quinquennium cessante impedimento, vel ignorantia reclamare potest impetrata apertione oris, seu beneficio restitutionis in integrum Nauar. *com. 4. de Regul. num. 71.* Rodriq. *tom. 3. q. 17. a. 16. & a. 17.* Azor. *p. 1. l. 10. cap. 4. q. vlt.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37. num. 22.* Ricc. *resol. 550. num. 6. in praxi, & part. 1. dec. 180. num. 3. & 4.* Nouar. *v. Reclamare num. 4.* Gratien. *discep. fin. cap. 413. num. 9.* Diane *part. 3. tract. 0. res. 53.* Lezana *part. 1. cap. 2. num. 7.* Tambur. de iure Abb. *tom. 3. dis. 16. q. 05. num. 7.* Barbosa *de off. Epis. all. 104. à num. 17. & ad cap. 19. num. 8. sec. 25. Concil. Tridcat. de Regul.* & apud eum Flores de Mena, Villalob. Portell. & Hier. Rodriq. Laymàn. *lib. 4. tract. 5. cap. 2. nu. 7.* Bordon. *cap. 7. quæst. 6.* Coton. *lib. 1. contr. 4. num. 75.*

467. In hoc tamen discrimen ponunt multi inter maiorem, & minorem, & dicunt, quod maioribus contra perfectam præscriptionem competit restitutio in integrum, si is contra quem præscribitur nullam habuit scientiam præscriptionis, ita quod tempore habili non potuit impedire præscriptionem. *l. ab hostibus. 6. sed quod simpliciter & l. seqq. ff. ex quib. caus. maiores,* Couar. *reg. possess. 3. p. §. 3. num. 3.* sic maiori nulliter professo post quinquennium non competit restitutio in integrum, si intra quinquennium potuit reclamare, & negligens fuit. Dicunt verò ignorantiam ob quam concedatur restitutio in integrum debere esse probabilem, & iustam, ideoque non sufficere ignorantiam iuris, quæ saltem pro foro externo non est probabilis, & iusta, Nauar. *cons. 10. de reg. nu. 2.* nisi in minoribus, rusticis, & mulieribus. Et addunt, quod ad hanc ignorantiam probandam non sufficeret iuramentum, quia hoc non sufficit ad probandum contra iuris præsumptionem, tunc enim non sufficit iuramentum, etsi alij adminiculis, & coniecturis adiungatur. Ità Sanchez *d. disp. 37. num. 23. 25. & 27.* Bordon. *cap. 7. q. 7.* Palaus *tract. 16. d. 0. par. 7. num. 14.* Coton. *l. 4. contr. 4. num. 6.*

468. Sed Minoribus competit beneficium restitutionis in integrum etiam si constet de negligentia reclamandi intra quinquennium, quia hæc restitutio solum læsionem ob ætatis facultatem contingentem respicit, nec aliam ignorantiæ, aut impedimenti rationem attendit. Nec obstat si dicatur minorem conscium nullitatis professionis se se ingerat actibus professorum incurrere professionem tacitam, quia modo non incurritur amplius professio tacita intra quinquennium, cum intra illud ius reclamandi conceditur.

469. Hanc quoque restitutionem competere nulliter professo durante impedimento, & ignorantia à centum annis docent. Et cum iure communi post scientiam detur tempus quadriennij ad restitutionem obtinendam, Sanchez *d. d. 37. n. 26.* putat hoc in præsenti casu non procedere, quia existente scientia, & sublato impedimento exercitisque actibus professorum iudicitur professio tacita transacto quinquennio. Vnde putat quod tempus hoc in præsenti sit arbitrio prudentis determinandum: Ita Sanchez *d. disp. 37. num. 26.* & ex Nauar. *con. 4. de Regul. num. 71.* Bordon. *de profess. cap. 6. q. 10.*

470. Addunt quoque quod maior, qui conscius fuit nullitatis intra quinquennium, & potuit reclamare, post quinquennium non tenetur hoc dicere, sed imò, quod potest interrogatus à iudice æquiuocando iurare se ignorasse nullitatem suæ professionis, quatenus ille connecta non fuit cum ratificatione. Sanchez *num. 28.* Diana *p. 3. tr. 2. res. 53.* Portell. *v. professio num. 51.* Bordon. *q. 9.* & apud eum Sencierell. & Hier. Rodriq. Barbosa *ad d. cap. 19. num. 12. Concil. Trid.*

471. Ego verò puto causam restitutionis in integrum ob lapsum quinquennij non esse regulandam ex doctrina restitutionis in integrum ex iure communi competente minoribus, vel etiam maio-

maioribus in alijs casibus, ab multiplicem rationem. Primò quia in contractibus temporalibus minoribus,& Ecclesiæ nedum potest, sed debet dari restitutio in integrum, & maximè à iudicibus inferioribus quia lex hoc priuilegium illis concessit. *cap. Ad nostram, de reb. Ecclesiæ non alienandis. cap. 1. de in integrum restitut.* sed concessio restitutionis in integrum contra lapsum quinquennij, est mera gratia Pontificis, vt docet Reuerendiss. Fagnan. *cap. Perlatum. num. 55. de Regul.* Vbi quod sicut Concilium Tridentinum rem iniustam non iudicauit, negare nulliter professis audientiam via Ordinaria post quinquennium, ita non esset iniustum, si Pontifex alicui nulliter professo ex iusta causa negaret apertionem oris, & beneficium restitutionis. Quod probatur, nam ex quo Concilium absolutè decreuit, vt post quinquennium prætendentibus nullitatem professionis non detur audientia, eo hoc censetur negasse illis omne ius, ad hoc vt quocumque modo audiantur, vt si non negauerit quidem eos posse audiri ex gratia, sed tamen voluerit eos priuere iure petendi audientiam, & ita quod voluit nullam audientiam ipsis deberi ex iustitia. Et meritò nam longe alia est ratio de minoribus, & Religione in ordine ad contractus pecuniarios, & de Religiosis in ordine ad professionem.

472. Nam certa legis conclusio est, vt restitutio in integrum non competat nisi supposita læsione, & quidem enormissima vel enormi. *cap. 1. de in integrum restit. l. sed et illud. ff. de in int. restit. & ad cap. Requisiuit eod. tit.* Hostien. *num. 2.* Panorm. *in 2. notab.* Io. And. Butr. Bald. & cæteri Canonistæ. At verò in nulliter professo non est, nec esse potest in hac parte quod professus fuerit seductus, vel ex dolo malo, vel quod fuerit grauiter læsus, vt ex tex. *in cap. constituit 20. q. 3. & cap. cum dilectus, de ijs, quæ vi, &c. cap. cum ad nostram, &c.* Inde est, quod minori ad professionem seducto non datur restitutio in integrum, vt voluit Gloss. *notab. in d. cap. Cum dilectus, v. ad fatuitatem,* vbi & Panorm. inquit illum esse dolum bonum, & *in cap. cum verum. num. 6. ead. tit.* Fagnan. *cap. Nullus num. 21. & cap. significatum. num. 36. de regul.* Nec obstat si dicatur damnum pati in libertate eum, qui inuitus cogitur manere in Religionem, quia hoc est damnum vtile, nec potest dici talem Religiosum enormiter lædi. Et eo magis, quod si ipse bono animo professus fuit, non cogitur nisi ad persistendum in bono, quod ex corde sincerè liberè elegit, & in facie Ecclesiæ meritò præsumitur eum liberè voluisse. Sed si malo fine, & fictè professus fuit, & ex parte eius fuit dolus, meritò etiam pro fraude puniri potest. Itaque igitur nulliter professo in facie Ecclesiæ post quinquennium non debetur ei ex iustitia beneficium restitutionis in integrum, aut ex aliquo priuilegio illi concesso. Nec licet arguere ex priuilegio iure communi concesso Ecclesiæ, & minoribus, & in aliquo casu maioribus, cum non sit eadem ratio de alijs contractibus, & maximè pecuniarijs, & de professione, quæ nec propriè est contractus, sed est libera donatio sui in obsequium Dei.

473. Quo stante ad hoc vt ex gratia nulliter professo concedatur restitutio in integrum post quinquennium sufficit siue ille minor, siue maior fuerit, quod professio sit nulla, & detur iusta causa concedendi hanc restitutionem, vndecumque hæc causa iusta proueniat, & siue nulliter professus potuerit siue non potuerit infra quinquennium reclamare. Et siue petat statim post quinquennium, siue post multum temporis, etiam per plures ac multos annos post quadriennium ab expleto quinquennio. Verum quidem est quod non eadem iusta causa sufficit respectu cuiuscumque, & quod vbi constat de negligentia reclamantis maior causa requiritur, quia & intrat maior longe præsumptio de ratificatione professionis habita per exercitium actuum professorum constito de nullitate professionis, & de potestate reclamandi. Et hoc est verum etiam in minoribus, & intra quinquennium, cù vt supra probatum est ex *sent. Sac. Congr. Concilium* professionem tacitam intra quinquennium non sustulerit. Quod si scientia, & facultas reclamandi post multum tempus à quinquennio habita fuerit, oritur præsumptio etiam violenta ratificationis professionis, vnde sicut Ecclesiæ post quadriennium à scientia læsionis non datur restitutio in integrum nisi læsio sit enormissima, multo iustius nulliter professo negabitur restitutio iste si per quadriennium à facultate reclamandi manserit in Religione, nisi adsit grauissima aliqua causa. Ad probandam etiam nullitatem professionis multum impedire potest negligentia reclamandi, maximè si longo tempore durauerit. Vbi tamen verè professio sit nulla, & petens restitutionem dat sufficientem formam nullitatis est in arbitrio Summi Pontificis vt restitutionem ex causa iusta, concedat, vel neget, vel petenti licentiam transeundi ad aliam Religionem concedat.

474. Eadem verò in hac parte est ratio de professo, & de Religione, vt ipsi si velit post quinquennium eijcere aliquem intuitu nullitatis professionis, competat beneficium restitutionis in integrum. Cum enim huiusmodi actus sint reciproci eodem modo iterari debent, nec iudicium debet claudicare. *cap. cum inter, de except.* vbi Gloss. *in v. claudicare.* Bal. *cons. 486.* Quia nihilominus contingere potest, vt professio sit nulla ex culpa Superioris admittentis ad professionem nouitium, vel ante annum probationis, vel ante ætatem, vel in loco non deputato, & tunc cum restitutio in integrum sit mera gratia non videtur concedenda ei, qui potius debet puniri, & qui petendo gratiam hanc denudat turpitudinem suam. Propterea Reuerendiss. Fagnan. *cap. Nullus num. fin. de regular.* ait non posse tradi hic regulam generalem, an Superiori hæc restitutio sit concedenda. Sed dicendum est quod per se etiam Religioni competit hæc gratia; Nam aliàs per accidens etiam professio ex aliqua personæ indignitate negari potest hæc gratia. Secundo addendum quod Prælatus non potest inferre præiudiciū Religioni ex sua culpa. Et nec successor denudat aliquā sui turpitudinē, si culpa antecessoris fuit aliquis nulliter receptus; & tandem gratia restitutionis in integrum non fit personæ Superioris, sed Religioni innocenti. Vbicumque ergo, & quandocumque bonum grande Religionis supplicet pro gratia restitutionis, interesse non debet quod persona quæ materialiter intercedit sit in culpa. Et ideò quod

quod hoc remedium conueniat etiam Religioni tenuerunt Bordon. *de profess. cap. fin. & resol.* 23. *num.* 6. Donatus *p* 4 *tr.* 12. *q.* 35. sed quid dicendū in casu, quod nulliter professus est vtilis Religioni, & sine eius culpa professio est nulla? Potest ne tunc Religio reclamare? Non prohibetur reclamare ex iustitia, ideò dimissio esset valida, prohibetur tamen ex omnibus illis virtutibus ex quibus vt dictum est supra Religio obligatur ad non expellendum idoneum, Donat. *p.* 4. *tr.* 12. *q.* 38.

475. Nec puto autem posse admitti doctrinam illam, vt maiori interrogato à iudice an sciuerit nullitatem professionis, possit ille æquiuocando negare, quamuis verè illam sciens, & fuerit negligens in petendo. Cum enim ex scientia præfata multum erescat præsumptio ratificationis professionis, vnde etiam maior causa requiritur ad concedendam gratiam restitutionis, potest esse, quod huiusmodi æquiuocatio reddat gratiam subreptitiam tanquam occultans id, quod substantiale est, & requisitum ad hoc vt Pontifex decernat an sit iustum talem licentism concedere, Sed respondebitur quod cū concessio restitutionis etiam ex nulla causa iusta concessa à Pontifice non sit nulla, ideò taciturnitas illa non est alicuius substantialis necessarij ad valorem gratiæ, & ideò non inducit subreptionem. Verum dicitur quod cum nomine Pontificis sub iuramento interrogetur de eo quod quidem maxime facit ad licitam concessionem præfatæ gratiæ, ad quam maior non habet ius, tenetur respondere ad mentem Pontificis interrogantis, & est periurus si æquiuocando mentitur. Et ideò non est eadem ratio de eo, qui à iudice interrogatur vt reus ad vindictam, & pœnam, qui habet ius vt se tueatur contra falsas præsumptiones iudicis. Nam qui petit restitutionem in integrum illam petit vt habendam ex gratia, nec habet ius vt interrogatus taceat id, quod maxime facere potest ad iudicium veritatis vt expediat coram Deo gratiam concedere, & hoc ab eo petitur sub iuramento.

476. Tandem aduertendum, quod restitutio in integrum contra lapsum quinquennij à solo Summo Pontifice dari potest. Nec Sacræ Congr. hanc concedunt nisi ex Pontificis delegatione, & eo concedente apertionem oris, quamuis illæ cognoscant de meritis petitionis an sit admittenda, Pontifice hoc illis toties quoties remittente. Vnde Barbosa *ad d. cap.* 19. *num.* 1. *Concil.* diminutè refert stylum Curiæ, dicens prætendentes nullitatem professionis adire S. Congr. Concilij, vel Regularium, nam adeunt Papam, qui postea media aliqua ex illis Congregat. expedit negotium, & os aperit. Nullus enim inferior Papa potest dispensare in decreto Concil. Trid. *extrau. com. de Relig. domib.* Gloss. *in cap. Cum dilectus. v. in ætate.* Panor. *conf.* 87. *l.* 1. ideò concedere audientiam ad dicendum de nullitate professionis solius est Pontificis. Reuerendiss. Fagnan. *cap. Perlatum. num.* 92. *de ys, quæ vi, &c. & cap. Consuluit.n.*35. *qui Cler. vel vou.* Portell. *v. professio nu.*45. Diana *p.*3.*tr.ref* 61. Barbosa *ad c.*19. *Concil. Trid. sess.* 25. *de Regul. num.* 10. & 11. Bordon. *cap.*7.*q.*20. Portell. *v. professio. num.* 49. Corrad. in praxi *dispens. l.* 5.*c.*14.*num.*14. Donatus *p.*4.*tr.*12.*q.*14.*n.*8. Nicolius *l.*3. *tit.*21. *de Regul. num.*31. *ampl.*4. vbi quod nec Nuncij Papæ, nec Legati à latere possunt hanc restitutionem concedere, quam nec concedit S. Congregatio sine speciali beneplacito Sanctissimi, vt ex eadem S. Congr. habetur 1646. Agostiniani scalzi di Francia 27. Nou. 1647. 21. Nouem. 1652. Regolari di Venetia al Nuntio 29. Nouem. Quod tamen limitat, nisi reclamatio facta fuisset ante quinquennium 1594. Messina 17. Ianuar. dummodo reclamatio coram iudicibus legitime probetur. Congr. Concilij 6. Aug. 1611. & Congr. Regul. 1643. Conuentuali 11. April. Praxim etiam esse, vt hæc restitutio non detur professo post decennium à professione ex Pytro Corrado vbi supra *num.*53. aducit Donatus *d. q.* 14. *num.* 15.

477. Quæritur sexto qui sint iudices coram quibus nulliter professus debet deducere causas nullitatis suæ professionis, vt dimittatur à Religione? Est verò certum, quod in iudicio ordinario habendo intra quinquennium iudices sunt Superior Regularis, & Ordinarius. De Superiore verò est duplex difficultas, prima an scilicet intelligatur de Superiore Ordinis, seu Prouinciæ, an verò de superiore locali, secunda verò, quis nam sit hic Superior localis, scilicet cuius loci Superior. Et Concilium intelligendum de Superiore locali, ita quod Prouincialis, & Generalis non sint iudices competentes in hac causa, sed solus superior localis eiusdem loci in quo Nouitius professionē emisit tanquam declaratum à S. Congr. Concilij 1. Decembris 1593. dixerunt Peyr. de *Prel. q.*3.*c.*1. *num.*156. Armend. *lib.*1. *tit.*18. *l.*7. *num.*38. Barbosa *de off. & pot. Epis. all.* 104. *num.* 12. & *ad c.* 19. *Conc. Trid. sess.*25. *de Regul. num.*22. Tambur. *tom.*3. *d.* 5. *q.* 16. *num.*3. Bordon. *cap.*7. *de profess. q.*29. Bonac. *de clau. q.*2. *p.*10 *diff.*3. *num.*3. Lezana *v. professio n.* 22. Donatus *p.*4. *tr.* 12. *q.* 19. Ant. à Spir. S. *tr.*3. *disp.*3. *num.*178. Nicolius *lib.*3. *tit.*31. *de Regul. num.*31. referens hoc fuisse declaratum à S. Congr. Conc. in Meren. 7. April. 1629. & *v. professio in flosculis num.*32. vbi alias declarat S. Congr. refert. Addit verò vbi supra v. ampliat secundò, quod Sac. Congr. solet Superiori alterius Conuentus causam delegare, quando, qui vult dimittere habitum non potest ad illum Conuentum accedere. 1653. Certosini di Milano. 21. Nouemb. Tantum verò necessitatis iudicatur hoc quod est nec Prouincialem, nec Generalem esse iudices in hac causa, vt Rota *decis.* 370. *num.*7. *p.* 9. *recent.* ex hoc capite declarauerit nullas aliquas sententias declaratorias nullitatis aliquarum professionum, quia causa fuerat commissa Superioribus Conuentuum, & sententiæ fuerant latæ à Superioribus Religionis.

478. De Ordinario etiam est difficultas ex eo quod Bonac. vbi supra velit per Ordinarium intelligi Episcopum originis, seu domicilij, nimirum in cuius Diœcesi Religiosus habebat domicilium antequam ingrederetur Religionem. Quod quidem sine fundamento dicitur, & contingere posset, quod hic Ordinarius distaret in immensum à Conuentu professionis Religiosi, seu nouitiatus. Ideò dicunt alij, quod nomine Ordinarij intelligitur Ordinarius diœcesis in qua reperitur Conuentus professionis, seu quod idem est Conuentus Nouitiatus, cum regulariter in eo nouitij professionem

sionem emittant. Ità reliqui DD. supra citati. Hoc mihi indubitatum est, nomine Ordinarij venire Ordinarium illius Diœcesis in qua est Conuentus cuius Superior debet de hac causa cognoscere, quia hic Ordinarius ille est, cum quo Superior Regularis potest conuenire. Cum non sit mens Concilij, vt hoc iudicium spectet ad Ordinarium alterius diœcesis ab ea, in qua Religiosus iudicandus est à suo Superiori, cui de iure communi spectaret hoc iudicium.

479. Putant verò aliqui quod nomine Ordinarij veniat solus Episcopus ita quod Prælati inferiores, vt Abbates etiam si habeant Diœcesim, & iurisdictionem quasi Episcopalem non possint de hac causa cognoscere, sed hoc iudicium spectet ad solum Episcopum. Ità Bordon. *d. q.* 29. Sed cum nomine Ordinarij veniant Prælati omnes habentes Diœcesim, & iurisdictionem Episcopalem, dicendum est iudicium hoc ad illos spectare, si Conuentus sit intra illorum Diœcesim. Tambur. *tom.* 3. *d.* 6 *q.* 26. *num.* 3. Donat. *p.* 4. *tr.* 12 *q.* 59. Ant. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 3. *num.* 170. Sic nomine ordinarij venit etiam Capitulum sede vacante, vel Vicarius Episcopi.

480. Certum verò est hoc iudicium spectare ad Superiorem, & Ordinarium coniunctim, ità quod nec Superior solus, nec solus Ordinarius potest huiusmodi causam cognoscere, & illam determinare. Ricc. in praxi *resol.* 20. quem sequitur Barbosa *ad cap* 19. *num.* 23. *sess.* 25. *Concil. Trid. de Regul.* Tambur. *d. q.* 26. *num.* 3. Bordon. *cap.* 7. *q.* 27. Lezana *v. professio nu.* 22. Palaus *tr.* 16. *d.* 2. *n. p.* 6. 6. Ant. à Spir. S. *tr.* 3. *d.* 3. *num.* 170. Coton. *lib.* 4 *contr.* 4. *num.* 78. Etiam si alteri eorum extra iudicium constaret de nullitate professionis Donat. *p.* 4. *tr.* 12. *q.* 37. In casu tamen quod aliquis Episcopus esset simul Abbas, vel Prælatus alicuius Conuentus, vniti Cathedrali, tunc gereret duplicem personã, & solus de professionis nullitate cognosceret. Mir. *p.* 7. *n.* 6. In eo etiam casu iudicium hoc solet committi solo Ordinario, cum agitur de Religione iam suppressa. Nicol. *l.* 3. *tit.* 31. *num.* 31. *limit.* referens ad hoc S. Congr. Regul. in vna data 11. Aprilis 1645. Cæterum etiam si processus coram vtroque formatus sit, non per hoc vnus solus potest sententiam pronunciare, sed vnus solus nulliter pronunciaret. Bordon. Ant. à Spir. Sancto Coton. & Tambur. citati. Aduertit verò Lezana *don.* 22. quod si Superior, & Ordinarius huiusmodi causam intra biennium non expediret, posset causa trahi ad Iudices Superiores iuxta decretum Concil Trid. *sess.* 24 *cap.* 20. Verum decretum illud Concilij non efficere Regulares tanquam decisum à S. Congr. tenet pluribus citatis Barbosa ibi *num.* 9. Sed cum in hac causa concurrat etiam Ordinarius potest dici, quod locum habeat illius *cap. dispositio.* In casu verò quod isti iudices non conueniant, sed eant in contrarias sententias vno eorum decernente pro nullitate professionis, non per hoc Religiosus potest exire, sed lis per Sedem Apostolicam est terminanda. Nicolius *l.* 3. *tit.* 31. *limit.* 4. *ex S. Congr. Regul.* in vna data 12. Iunij 1625. Et in casu quod Episcopus solus aliquem dimitteret peccaret nedum mortaliter, sed vt aduertit Donat. *p.* 4. *tr.* 8. *q.* 12. esset excommunicatus ex Bullis quas colligit *Confes. cap.* 7. *&* 9. *tit.* 5. *&*

13. Et teneretur dimissum à seculo reuocare, & Religioni restituere, & vlterius subderetur pœnis contentis in decreto Vrbani 8. supra positi, quatenus professos ex nouitiatu non habito in loco designato dimitteret.

481. Quod verò isti iudices possint facultatem hanc delegare, ità quod etiam vnus eorum alteri eam delegare possit, tradit Bordon. *cap.* 7. *de profess. q.* 28. *&* probat ex *cap. quamuis. de off. delegati,* vbi habetur, quod si causa committitur duobus, etiam si non exprimatur, quod vnus sine alio possit procedere, tamen vnus suo coniudici, vel alteri potest causam delegare. Sed non credo, quod hoc valeat vbi est electa industria personæ, seu vbi vni iudici quia non iudicatur vndequaque idoneus, adiunctus est alius iudex. Sicuti in præsenti, quia iudex Regularis tractat de re sua, ideò Concilium non habens illum pro omnino idoneo, sed pro aliqualiter suspecto adiungit Ordinarium; non potest igitur Ordinarius hoc iudicium Superiori Regulari delegare. Sed nec Superior Regularis causas suorum Religiosorum debet iudici extra ordinem committere.

482. Putant tamen Bordon. *cap.* 7. *q.* 22. & Lezana *v. professio num.* 21 quod vbi professio censetur nulla ex impedimento perpetuo, solus Superior Regularis possit de illa cognoscere. Imò Lezana id extendit ad impedimentum temporale si perseuerat. Sed hoc iam supra exclusum est. Fagnan. *cap. Perlatum num.* 37. *de ijs, qui vi, &c. cap. si quis num.* 19. *de Regul.* Sed & constat ex decreto Vrbani 8. recensito supra *num.* 445. causam nullitatis ex impedimento perpetuo non habiti nouitiatus in loco designato, non posse cognosci nisi in S. Congregatione. Sed & Nicolius *l.* 3. *tit.* 31. *de Regul. num.* 31. *ampl.* 3. habet quod Superiores Regulares non possunt sine Ordinario dimittere nulliter professum, quantumuis certa euidens, & notoria sit nullitas. Quod probat ex decreto S. Cong. Regularium in Siracusen. 5. Decem. 1600. & 6. Septembris pro Obseruantibus anno 1652. & 29. Nouemb. eiusdem anni pro Dominicana. In notorijs tamen facti permanentis Superior etiam solus potest nulliter professum eijcere, vt de viro apud Moniales professo dicitur.

483. An verò Superior, & Episcopus in hoc iudicio sint iudices ordinarij, vel delegati? Respondet Bordon. *cap.* 7. *de profess. q.* 18. competere illis iure delegato. Sed rationes, quas adducit, hoc probant solum de Episcopo. Et verè sic est, quod Superior Regularis, qui in sibi subditum in facie Ecclesiæ professum habet iurisdictionem ordinariã est etiam iudex ordinarius in hac causa nullitatis professionis illius. Sed Episcopus est delegatus, vt enim ex quampluribus locis Concilij apparet, dum Concilium dat iurisdictionem Episcopo super Regularibus id facit sine præiudicio exemptionis, & immediatæ subiectionis eorũ ad summum Pontificem. Et in casu nostro nulla datur iurisdictio super persona, sed solum super causa nullitatis professionis.

484. In hoc verò iudicio habendo certum est onus probandi nullitatem præsumptionis spectare ad eum, qui intendit dimitti tanquam nulliter professus, vel ad Religionem, si ipsa agat ad excludendum professum. *Rota in Meten. professio-*

Pro-

nis coram Carillo *num.* 19. Layman. *l.*4. *tr.*5.*cap.* 8. *num.* 6. Non sufficit verò iuramentum nulliter professi, quia vrget in contrarium præsumptio professionis Bordon. *cap.*7.*de profess.q.*31. Anton. à Spir. Sancto *tr.*3.*d.*3.*num.*156. Lezana *p.*4.*v.professio num.*21. Sanchez *d.disp.*37.*num.*14. Portell.*v. professio num.*50. Barbosa *ad d.cap.*19.*num.*11.*Concil.Trid.*Donat.*p.*4.*tr.*15.*q.*16. Ideò qui nullitatem suæ professionis probare non potest, non potest nec debet reclamare. Ant. à Spir. Sancto *tr.*3. *d.*3.*n.* 156. Quod tamen vbi probatio nullitatis professionis plusquam semiplena locum habeat iuramentum in supplementum probationis latè probat *Rota dec.* 58. *num.* 2. coram Cardinalis Mantica.

485. An verò in hoc iudicio citandi sint parentes, vel renunciatarij de quorum interesse agitur negat Donatus *p.*4. *tr.*12. *q.*19. *num fin.* ex Io. Bapt. Larea *decis.* 63. & 64. *Senat. Granaten.* Sed *Rota decis.* 370. *p.* 9. *recent. num.* 4. ex hoc capite declarauit nullas aliquas sententias irritantes professiones aliquas; quia non fuerat citata quædam Marieta eorumdem professorum donataria, quæ cum ageretur de eius interesse debuerat citari, vt per Io. Andr. *in cap.*2.*num.* 2. *de oper. nunciat.* Gabriel.*commun.opinionum l.*2.*tit de citat.concl.*1.*num.* 348. & alios ibid. citatos. Nedum igitur citanda est Religio collegialiter, vel Religionis seu Conuentus Procuratores, quod est indubitatum, & eadem Rota ibid. *num.* 3. etiam ex hac causas præfatas sententias declarauit nullas, quia non fuerat citata Religio collegialiter, & non constabat de mandato procuræ eorum, qui fuerant citati tanquam Monasteriorum procuratores. Sed citandi sunt etiam seculares renunciatarij, vel hæredes, vel similee interesse habentes.

486. Quæritur septimò, quæ dimissus probata nullitate professionis secum deferat? Si iste aliqua absolutè donauit Religioni, antequam eam ingrederetur eidem Religioni manent. Sed quæ reliquit intuitu professionis illius sunt, quia donata fuerunt sub conditione professionis validæ. Et sicut nouitius reuertens ad seculum defert secum omnia, quæ reliquit intuitu professionis, & renunciatio illius non tenet non sequnta professione, ita & dicitur de dimisso, qui verè non est professus. Ità post Anchar. & Decium, & Rodriq. *t.*3.*q.*52.*a.*27. Bordon. *cap.*7.*de profess.* *q.*34.

487. De acquisitis verò in Religione distinguendum est, quia vel sunt ei relicta testamento, vel legato ab amicis, vel consanguineis, & taliter, quod omnibus spectatis censendum sit ea relicta ratione personæ; & huiusmodi sua sunt, illaque secum defert. Nam quidquid alias remanetet Religioni ex causa professionis, si professio sit irrita illi non competunt, sed sunt nulliter professi. Sed si relicta fuere intuitu Religionis, licet occasione professi, Religioni remanēt, cui verè donata sunt. Bordon. ibid. Sed bona acquisita à professo per exercitia Regularia prædicando, docendo, sacramenta administrando, putat idem Bordon, quantum ad vsumfructum esse dimissi, & Religionis quantum ad proprietatem, quia acquisita sunt titulo Religionis. Sed hoc non probat, quia huiusmodi sunt verè acquisita ab habente capacitatem dominij, & solum ex errore, & ex falsa suppositione validitatis professionis acquisita sunt titulo Religionis error verò non tribuit verum titulum, nec verum dominium. Et non est dubitandum quod si professus fuisset conscius nullitatis suæ professionis sibi acquirere voluisset, si professionem noluisset ratificare. Quamobrem nisi ille intenderit acquirere Religioni ignorantia suæ professionis concommitanter mere se habente, dicendum quod acquisita per nulliter professum sunt illius, eaque secum deferre potest.

488. Verum est, quod huiusmodi nulliter professus tenetur Religioni pro alimentis. Et quidem si fuit bonæ fidei possessor tenetur pro quantò factus sit ditior. Nam si fuisset in seculo vixisset de suo, & ideò tenetur Religioni id, in quo ditior factus est, quia vixit de alieno, & bona fides solum illum excusat, & à culpa, & à restituendo id, quod fuit consumptum, nec amplius extat vel in se, vel in alio in quo ille factus sit ditior, sed si fuit possessor malæ fidei ad totum tenetur. Neque enim Religio intendit alere nisi Professos, & nulliter professo si velit exire solum ex errore alimenta præbet, non præbitura si id sciret. Neque obstat quod interim professus inseruierit Religioni nisi obsequia fuerint necessaria, quia obsequia Religiosa sunt simpliciter in vtilitatem Religionis operantis, & obsequia professi sunt obsequia se ingerentis, & non vocati. Quæ maximè vera sunt de eo qui mala fide manet in Religione, vel etiam ob suam commoditatem, vt qui manet ex timore.

489. Quod verò ex Bordon. *resol.* 69. habet Anton. à Spir. Sancto *tr.* 3. *d.* 3. *num.* 162. quia scilicet Religio toto tempore litis tenetur alere reclamantem, licet salarium sententiæ soluere spectet ad dimissum; & mouentur, quia tempore litis professus iste reputatur filius Religionis. Et hoc etiam asserat Nicolius *l.*3.*tit.*31.*num.*31 *dimit.* 4. *ex S. Congr. Regul.* in vna data nona Iunij 1645. Dummodo tamen Religiosus litigans maneat in claustris; verum est in aliquo sensu, quia cum sit in possessione Religiosi habet vt interim alatur ex bonis Religionis, sed tamen cum iure repetendi alimenta quæ Religio non tenetur dare gratis ei, qui non est professus, maxima quod professio emittitur simpliciter in vtilitatem profitentis, & si iste nulliter se donat Religioni, Religio non manet ad illum obligata. Imò si professio sit nulla ex culpa Superioris non per hoc Religio tenetur alere nulliter professum gratis; quamuis teneatur illum reddere indemnem, & resarcire damna, quorum iniusta causa fuit causando professo inuito nullitatem professionis, si tamen Religio fuit in culpa. Nam alias Religio non tenetur pro culpa Superioris, qui non potest Religioni ex culpa sua præiudicare.

490. Secum verò non defert dimissus competentia Religiosis intuitu professionis, vnde si sit illegitimus non potest promoueri ad Ordines. Bordon. *q.*35, quia verò huiusmodi professus manet liber ab oneribus, & obligationibus Religiosorum est capax vt promoueatur ad beneficia, si alias non sit impeditus.

491. Sed si intra Religionem fuit ad Sacros Ordines promotus, cum fuerit dimissus remanet ab eis suspensus, donec habeat patrimonium.

suffi-

sufficiens vel beneficium? Affirmat Donatus *p. 4. tr. 12. q. 22.* & ampliat, vt sit verum etiam litis pendente. Sed hoc secundum manifestè deficit, quia talis nulliter professus tempore litis possidet titulum paupertatis. Vnde & Religio tenetur eum alere, vt est dictum, vnde non est adhuc in statu ordinati sine sufficienti titulo, sed nec vera est prima pars, quia supponit, quod ordinati sine titulo sint suspensi, quod & expressè tenuit idem Donatus eadem *p. 4. tit. 6. q. 26. & tract. 11. q. 40.* Sed oppositum probatum est supra *num.* 341. Et si in Archiepis. Neap. sic praxis, vt ex Ricc. refert idem Donatus *d. q. 26. num. 10.* vt Sacerdotibus dimissis non concedatur licentia celebrandi nisi constito de patrimonio, hæc erit fundata in opinione opposita, contra quam tamen est declaratio S. Congregationis, & auctoritas DD. supra *d. num.* 341. Quamuis nulliter professus possit esse suspensus, quia ordinatus sine debitis dimissorijs, prout etiam dictum est supra *num.* 342.

492. Quæritur octauo, an nulliter dimissi à Religione ex non seruata iuris forma sint Apostatæ? Indubitatum esse debet non esse coram Deo apostatas, si verè non sunt professi, quia apostasia supponit professionem. An verò sint apostatæ præsumpti? Donatus *p. 4. tr. 8. q. 13.* loquens de nulliter professis ex non habito nouitiatu in loco designato arbitratur, quod si sint dimissi à solo Episcopo intra quinquennium, non sint apostatæ, quia non exierunt propria auctoritate. Sed dimissi post quinquennium sunt apostatæ, seu apostatarum pœnis puniendi, quia post quinquenniũ initat præsumptio iuris, ac de iure, quod fuerint verè professi. Sed dicitur quod in vtroque casu dimissis illegitimè vel à solo Episcopo, vel à solo Superiore Regulari, si loquimur de nulliter professo ex non habito nouitiatu in loco designato, est apostata præsumptus, & vt talis habendus, cum id expressè præcipiat Vrbanus 8. in decreto suo supra *num.* 445. recensito. Et nec obstat, quod huiusmodi non exeat propria auctoritate, sed dimissus. Quia eiusdem rationis est aliquem exire ex licentia manifestè illegitima, & nulla, & exire sine licentia, quia leges prohibentes exitum sine licentia loquuntur de licentia valida. Sed si loquamur de dimissis ex alijs causis, & in vi Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19. de Regularib.* idem dicendum est quia licet ibi solum contra spontè egredientes, & dimittentes habitum decernat illos esse habendos vt apostatas, tamen considerandum est, quod cum de forma sit vt nulliter professus non exeat nisi deductis causis coram Superiore, & Ordinario, & si antea dimiserat habitum sit habendus vt apostata, qui solum coram vno ex dictis iudicibus causas suas deducit, & ex vi licentiæ eius recedit, antea spontè recedit quam coram duobus causas nullitatis deduxerit, & sic sub decreto Concilij comprehenditur. Nauar. *com. 4. de Reg. num. 74.* Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37. num. 1.* Donatus *p. 4. tr. 8. q. 16 num. 7.*

493. An verò sic nulliter dimissi si redeant debeant recipi à Religione? absolutè dicitur debere recipi, quia cum Concil. *d. cap. 19.* præcipiat vt qui spontè exierunt reducantur ad Monasterium proculdubio debent recipi. Et hoc idem ex literjs S. Congr. ad Vicarium Brixien. habetur. Nam & cum in facie Ecclesiæ sint Religiosi professi Religioni subiecti, ab ea in sinu sunt colligendi, & recipiendi. Quando verò isti redeant ratificaturi professionem, sunt admittendi salua Ordinis disciplina vt dicitur in Const. *Alias* Vrb. 8. data ad fauorem Ord. Prædicator. Debent enim recipi tanquam apostatæ, & quantum ad ratificationem ipsa fieri debet seruatis seruandis. Donatus autem *p. 4. tr. 8. q. 16.* ait post ratificationem huiusmodi professos restitui debere ad pristinum statum. Sed hoc est verum ex gratia concessa solum illis, qui ex vi Constit. Vrbani 8. *Religiosos viros*, & *d. Constit. Alias admitti debebant*, quæ non competit ijs, qui modo nulliter profitentur. Et de quibus loquendo seruanda sunt dicta in *inspect. 7. quæst. 11.* An verò istos recipere teneatur Religio, si non speret futuros vtiles Religioni? Dicendum est non teneri; recipi enim debent salua Ordinis disciplina, & non tenetur Religio ad sui præiudicium. Considerandum tamen est, quod cum Religio fuit causa nullitatis professionis admittendo, quem non poterat admittere, minus ius sibi competit ad reijciendum huiusmodi nulliter dimissos redeuntes vt ratificent professionem, quia imò si ex parte eius fuit dolus, & fraus, & iniustè seduxerit Religiosum ad nulliter profitendum, vel quocumque modo fuerit iniusta causa damni tenetur illi de damno, & interesse. Sed ex hoc tamen non sequitur, quod teneatur ad ratificationem admittere eum de quo nulla sit spes, vt proficiat in Religione.

494. De legitimè autem dimissis redeuntibus, dicendum est eos posse, & debere recipi sicut alij seculares. Vnde & est necessaria noua professio; & iura ad priuilegia, & gratias illis competunt à die nouæ professionis, cum prior professio nulla penitus fuerit extincta. Existimat autem Donatus *p. 4 tr. 8. q. 15.* quod sit necessarius nouus nouitiatus. Quod verum erit, si notabiliter sit mutata, vel præsumi debeat mutata conditio redeuntis vel Religionis, sed absolutè id non est necessariũ. Nam dimissio annullauit professionem, non verò irritauit Nouitiatum, si alias fuit validus. Ideò nouus Nouitiatus non est necessarius, cum dimissus fuerit sufficienter probatus. Nec sunt multiplicanda entia sine necessitate.

SVMMARIVM.

1 *Plures effectus professionis. num. 495.*

De effectibus professionis:

INSPECTIO X.

495. CVm hucusque explicata sit natura professionis Religiosæ, & ostensũ sit qualiter habenda, & à quibus, & vnde sit valida, vel nulla, & qualiter nulla possit conualidari, vel declaranda sit nulla, & dimittendus nulliter professus, remanet vt inspiciamus vltimo quos effectus

causet,

causet, & quas prærogatiuas,& priuilegia afferat. Cum verò huiusmodi effectus plures sint, & plurium generum, in plura capita hæc inspectio diuidenda est, vt distinctius doctrina procedat.

SVMMARIVM.

1 *Professio nulla aliquos effectus habere potest. num. 496.*
2 *Professio nulla ex defectu consensus profitentis non obligat. num. 497.*
3 *Nisi per accidens ratione iustitia, aut scandali, &c. num. 497.*
4 *Professus nesciens nullitatis sua professionis tenetur ad vitam regularem. num. 498.*
5 *Duplex obligatio consurgere intelligitur ex professione nulla. num. 499.*
6 *De valore professionis nulla multiplex opinio. num. 500.*
7 *Professio nulla quia non acceptata nullam parit obligationem ad Religionem in qua emittitur. num. 501.*
8 *Obiectio contra prædicta. num. 502.*
9 *In casu quod Religio qua dissentit postea velit consentire, qui prius professus fuit non tenetur ratificare professionem, seu continuare consensum suum, & propositum. num. 503.*
10 *Qui suscipit habitum vnius Religionis cum absoluto proposito mutandi vitam non obligatur voto simplici eidem religioni determinata. num. 504.*
11 *Vbi professio non sit nulla ex defectu consensus continet vim voti simplicis respectu illius Religionis in quo est emissa. num. 504. 505. 506.*
12 *Consensus mutuus parit obligationem naturalem. num. 506.*
13 *Professiones qua sunt contra iustitiam, vel virtutem aliquam nec naturalem obligationem continent. num. 507.*
14 *An professio nulla contineat vim voti simplicis ad Religionem fuit diuersimode opinatum. num. 508. 509.*
15 *Professio nulla ex defectu ætatis, probationis, & loci designati non continet votum simplex Religionis, aut castitatis. num. 510.*
16 *Si vouens non intendit se obligare nisi ad Religionem in qua profitetur, professio non continet votum simplex Religionis. num. 511.*
17 *Punctum difficultatis. num. 512.*
18 *Intellectus cap. Non solum,)* de Reg. in 6. n. 513.
19 *Intell. cap. Constitutionem,)*
20 *Professio nulla ex defectu anni probationis non continet votum simplex religionis. num. 513.*
21 *Intell. textus c. Quidã,)* de cõnerf. coniug. n. 514.
22 *Et cap. Placet,)*
23 *Professio nulla non obliget ad Religionem in communi. num. 514.*
24 *Præsumitur coniugatum qui profitetur vouisse castitatem. num. 515.*
25 *Proponitur difficultas contra prædicta. num. 516.*
26 *Coniugati professionem nullam habere vim voti simplicis quidam dicunt, sed est contra citatos textus. num 517.*
27 *Discrimen inter religionis obligationem, & castitatis, quod hæc sit diuidua, illa non. num. 518.*
28 *Discrimen hoc non applicatur vtiliter ad soluendam difficultatem. num. 519.*
29 Intell. *cap. Ex parte 1. de conuerf. coniug. num. 520.*
30 *Professio de qua ibi est sermo fuit valida. n. 520.*
31 *Intell. cap. Consuluit de conuerf. coniug nu. 521.*
32 *Professio de qua in d. cap. fuit valida num 521.*
33 *Regula ista, quando actus non valet sicut fit, valet sicut valere potest, non verificatur in voluntarijs. num. 522.*
34 *Professio irrita per se non est votum simplex religionis. num. 523.*
35 *Votum non est finis vt eius quod promittitur, sed est medij ad finem. num. 523.*
36 *Professio est essentialiter votum Religionis determinata ad speciem, & numerum. num. 524.*
37 *Professio promittit vitam regularem vt quoddam indiuisibile. num 525.*
38 *Professio per se non est votum simplex alicuius vt obseruandi in seculo. num. 525.*
39 *Obijcitur quod professio potest acceptari diuisibiliter. num. 526.*
40 *Professio coniugis post matrimonium consummatum sine licentia alterius est nulla de iure naturali. num. 527.*
41 *Professio non potest acceptari diuisibiliter. n. 528.*
42 *Potest esse quod voto professionis aliud votum simplices sit adiunctum. num. 528. 529.*
43 *Iura non fundata sunt in hoc, quod diuisibiliter professio obliget, vel acceptetur, sed in hoc quod professionem concommitetur votum simplex. num. 530.*
44 *Præsumptio voti simplicis Religionis in genere ablata. num. 531.*
45 *Coniugatus professus est impeditus ne contrahat matrimonium etiam mortua vxore. num. 532.*
46 *Non potest dari professio obligans ad Religionem in genere. num. 532.*
47 *Qui profitetur religionem non approbatam non se obligat vel ad illam, vel ad Religionem in genere. num. 533.*
48 *Professio nulla ex defectu legitimi acceptantis non est votum simplici. num. 534.*
49 *Professio nulla in religione virorum non est votum simplex religionis. num 535.*
50 *Idem de professione nulla ex alijs causis. n. 536.*
51 *Concilium Tridentinum abrogauit præsumptionem ortam ex professione habita in Religione non approbata. num. 537.*
52 *Concilium Trident. abrogauit regulam si professio non valet vt ago, valet vt valere potest num. 538.*
53 *Excepta professione coniugati nulla. Concil. Triden. censuit quamlibet aliam professionem nullam non inducere aliquam obligationem ad vitam regularem extra Religionem in qua est emissa. num. 538.*

 De effe-

De effectibus professionis nullæ Inspectionis decima.

CAP. PRIMVM.

496. PRofessio etiam si nulla potest nihilominus esse quantum ad aliquos effectus valida. Sic enim ex iure antiquo *cap. Non solum, & cap. Constitutionem, de Regular. in 6.* professio expressa habita in Ordinibus Mendicantium infra annum probationis nulla erat quantum ad vim obligandi in specie ad Religionem illam, quam nouitios prohibebatur, & tamen obligabat ad Religionem in genere. *& cap. Quidam, & c. Placet, de conuers. coniug.* professio coniugati sine licentia alterius coniugi decernitur nulla, & tamē, dicitur quod habeat vim voti castitatis. Cum ergo stet, professionem non esse adeò nullam, vt non inferat aliquam obligationem, videndum est, quam, & quando inducere possit, & inducat.

497. Professio verò potest esse nulla vel ex iure connaturali, vel ex defectu solemnitatis inductæ de iure positiuo. Et rursus primo modo nulla esse potest ex defectu consensus profitentis, vel ex alia aliqua causa, vt ex defectu consensus Religionis admittentis. Est ergo primo certum, quod vbi professio sit nulla ex defectu consensus profitentis, nullam prorsus inducit obligationem, vel ad Religionem in specie, vel ad Religionem in genere, vel ad votorum aut Regulæ alicuius obseruantiam. Caiet. *suprà q. 88. a. 1.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 1. a. 2.* Valentia *2. 2. d. 6. p. 1.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 5. q. 1.* Sanchez *l. 7 de matr. disp. 31. num. 37.* Suarez *t. 3. de Relig. l. 7. cap. 2. num. 9.* Quia obligatio voti tota est ex libera promissione voluntaria vouentis, vt habet D.T. *suprà q. 88. a. 3. ad 3.* si igitur qui extrinsecus profitetur fingit, & intrinsecus nō consentit, ex vi talis professionis nullæ ad nihil manet coram Deo obligatus. Quamuis per accidens ex hoc multas obligationes contrahere possit, vel iustitiæ, vt restituat si Religioni damnum infert; vel charitatis, vt teneatur se habere vt regularis, vt scandalum vitet; vel etiam iustitiæ legalis, & obedientiæ legis, vt dum viuit intra Monasterium Monasterij leges seruet, iuxta explicata superius *inspectione* 8. Ex eo verò quod ille dolo malo, & mala fide professus sit bene post consequitur obligatio ad pœnam, si illi imponatur, vel ad restitutionem alimentorum, aut aliarum expensarum aut damnorum, si quæ intulit, sed nec in delicti pœnam poterit compelli vt profiteatur; nequit enim professio in pœnam pro huiusmodi culpa imponi; cum sit opus maximæ libertatis, & nimis arduum, & difficile, & improportionatum huic culpæ, vnde etiam si pro alimentis, & expensis aliter satisfacere non posset, non per hoc teneretur ratificare professionem, sed aliunde teneretur facere quod posset, vt satisfaceret. Suarez. *d. n. 9.* Cæterum ex vi voti nec tenetur ad castitatem, aut paupertatem, aut alias obseruantias regulares in ea religione in qua profitetur, vel in alia, sed liber est, vt possit seruatis seruandis redire ad seculum. Quamuis difficilè sit probare defectum consensus interni stante consensu externo dato in facie Ecclesiæ per externam professionem, & neganti etiam cum iuramento non sit credendum.

498. Ideò hic distingui etiam debet inter professum nulliter bona fide, qui bona fide putat se esse validè professum, & inter conscium nullitatis suæ professionis; Nam ille licet non verè ex vi voti, ex conscientia tamen erronea tenetur ad vota, & obseruantias regulæ ea ignorantia, & errore durante. Suarez *t. 3. de Relig. l. 7. cap. 5. num. 5.* Vbi quod si hic error sit publicus, & communis gesta per talem nulliter professum sustinentur ratione tituli, & communis erroris ex *l. Barbarius. ff. de off. præt.* Et quod hoc communi errore stante, potest ab Ecclesia præcipi, vt professus nulliter etiam conscius nullitatis professionis, si nullitatem probari non potest, perseueret in obseruantia regulari, & ille huic præcepto tenetur obedire.

499. Supposito vero consensu profitentis substantialiter, & simpliciter voluntario, duplex considerari potest obligatio, quam professus contrahat profitendo, licet nulliter, scilicet prima obligatio viuendi regulariter intra religionem, in qua professionem emisit, & in ea perseuerandi, & secūdo obligatio, vel ad aliam Religionem, vel ad obseruantiam votorum, saltem castitatis extra religionem.

500. Quantum verò ad obligationem intra religionem Suarez *t. 3. de relig. l. 7. cap. 2. num. 3. & 4.* existimat, quod professio nulla simpliciter sit nulla in omni foro, & quod ius tam naturale, quam positiuum irritando professionem illam irritet quantum potest, & propterea, quod reddat illam inutilem ad quemcumque effectum; quia quando lex irritat actum simpliciter reddit illum nullum etiam quantum ad naturalem valorem, & efficaciam, vt sit penitus ineficax, & inhabilis. Ideò nulliter professus nec etiam intra Religionem manebit per se ex vi professionis ad aliquid obligatus, & in consequentiam huius est sententia multorum, quod ex quacumque causa professio sit nulla, professus nulliter non teneatur ad obseruantiam votorum, ita Nauar. *cons. 26. de Regul.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 37.* Lezana *p. 4. v. professio num. 23.* Palaus *tr. 16. disp. 2. p. 4. num. 1.* Tambur. *tom. 3. disp. 6. q. 16. num. 16.* Bord. *cap. 5. de profess. q. 1. & 2.* in particulari verò, quod vbi professio est nulla ex defectu consensus Religionis, quod professus non maneat obligatus in vi voti simplicis ad permanendum in Religione ex Lessio tradit Laymān. *l. 4. tr. 5. cap. 5. num. 5.* & ex Nauar. *cons. 26. de Regular.* Bordon. *cap. 5. de profess. q. 1.* Item vbi nullitas sit ex defectu solemnitatis iuris positiui, quod professus non maneat obligatus ad vota, & regulares obseruantias, dixerunt Lezana *p. 1. v. professio num. 23. & p. 1. cap. 2. num. 28.* Palaus *tract. 16. disp. 2. p. 4. num. 2.* Tambur. *t. 3. disp. 6. q. 1. num. 3.* Donatus *p. 4. tr. 18. q. 39. num. 2.* Sanchez *l. 5. cap. 4. num. 103.* Bordon. *cap. 5. q. 2. & 3.* Suarez *t. 3. l. 7. cap. 2. num. 3.* Sed è contra, quod professio nulla ex defectu solemnitatis positiuæ inducat obligationem naturalem, & habeat vim voti simplicis, docuit Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. si quis num. 46. de Regular.*

501. Itaque distinguendo duos casus, in quorum vno professio est nulla de iure naturali, ex defectu consensus acceptantis professionem, in alio verò ex quocumque iure sit nulla, non est talis ex defectu naturalis consensus, quia adest consensus naturalis tam profitentis, quam admittentis, sed est nulla quia; vel consensus sit coactus, si sit ex metu, vel quia est contra iustitiam, vt quia profitens est seruus, vel quia est contra Religionem, vt quia vir profitetur inter mulieres, vel quia Religio non est approbata à Sede Apostolica, vel quia deest aliqua solemnitas ætatis, vel probationis, vel loci. In primò casu dicitur quod professio huiusmodi nulla nec esse nullum parit effectum nec etiam voti simplicis. Nam traditio & donatio nullam parit obligationem, nisi acceptetur, vnde licet, qui profitetur tradat, & donet se Religioni in Dei obsequium, si hæc donatio à Religione non acceptatur, nulla est prorsus, nec potest obligare profitentem ad ea; quæ sunt Religionis, & vt profitens non sit sui iuris, cum eius donatio non acceptetur. Et quia votum habet pro materia hanc donationem, & traditionem, si hæc donatio est nulla, est quoque nullum votum, nec habens vim obligandi ad seruandam donationem, quæ nulla est, eo quia non acceptata. Et ideò dicitur, quod in hoc casu professus nec in vi voti simplicis manet obligatus in specie illi Religioni, qui illum non acceptat, quia repugnat induci hanc obligationem, si professio non acceptetur.

502. In casu tamen, quod Religio velit acceptare professionem, quam prius acceptare noluit, nec tenetur professus id admittere. Neque enim tenetur nouum votum emittere, quia vouere non est necessitatis, sed voluntatis. Sed neque ad id tenetur ex vi prioris voti, quod nullum fuit, ex quo professio non fuit acceptata. Nec obstat, si dicatur prius votum acceptatum fuisse à Deo, cui factum fuit, & qui sine dubio votum acceptat, cum ipse sit, qui votum inspirat, & ad vouendum monet, vnde cum profitens promiserit Deo perpetuum obsequium in Religione, & hoc Deus acceptauerit, licet requiratur ad hoc Religionis consensus, sufficit, quod adueniat postea nec potest profitens resilire ab eo quod ex parte sua promisit. Si enim promisisset expresse sub conditione consensus Religionis certum est, quod adueniente consensu illius votum teneret, & quod interim teneretur expectare eiusdem consensum.

503. Hæc inquam, non obstant, quia votum nullum à Deo non acceptatur, est verò nullum votum illud, quod est de materia nulla, quia ad sui valorem requirit contractum validum, qui non datur. Cum igitur votum professionis habeat pro materia donationem, & promissionem, quam qui profitetur facit Religioni illi determinatæ se tradens in Religiosum, si hæc est nulla est quoque nullum votum, quod propterea quia nullum nec à Deo acceptatur. Et dum subditur, quod hoc votum potest esse validum tanquam conditionatum conditione consensus Religionis, vnde sufficit, quod tandem Religio consentiat, respondetur votum professionis regulariter non esse conditionatum, sed absolutum, & profitentem donare, & tradere se absolutè, & licet donatio dependeat ab acceptatione, non tamen dependet ab ea, vt à danda quandocumque, sed vt à danda de præsenti, & absolute, nec qui profitetur se obligat ea vi professionis ad expectandum consensum in futurum, sicuti facit, qui contrahit, & vouet sub conditione de futuro. Et ideò si Religio de præsenti acceptat donationem profitentis professio valet, & si de præsenti non acceptatur donatio illa est nulla, & in libertate profitentis manet, vel continuare consensum suum vsquequo Religio consentiat, vel illum reuocare. Itaque vbi Religio de præsenti non acceptat donationem, & promissionem promittentis professio est nulla, & manet in profitentis libertate, nolle amplius profiteri, nisi profitendo intenderit etiam se obligare ad professionem emittendam, quotiescumque Religio de præsenti dissentiens voluerit consentire, ideò communiter asserunt, quod qui nulliter profitetur non tenetur professionem ratificare. Et nihilominus additur, quod ille casus absolute non facit ad rem nostram, quia ex vi *cap. ad Apostolicam, cap. statuimus, & d. cap. Consulti, de Regular. & cap. Beneficium de Regular. in 6.* Canonistæ volunt, quod propositum absolutum mutandi vitam iunctam susceptioni habitus inducat professionem tacitam validam, & talem, quæ etiam dirimat matrimonium, vt ex deductis per Reuerendiss. Faguanum *ad d. cap. Consulti* est manifestum Theologi verò plures nullam ex vi propositi mutandi vitam induci professionem volunt, vt aduertit Suarez *d. cap. 2. num. 18.* Et certum est, quod propositum sine promissione non est professio, quamuis an ex proposito manifesto iuncta susceptione habitus præsumi possit professio valida, alia sit quæstio, quæ ad rem hanc non facit, cum nunc nostra quæstio sit de professione nulla, non verò de professione valida, vel de actu in quo non sit professio aliqua.

504. Sed iterum objicies, quod nedum, qui profitetur, sed imò etiam, qui suscipit habitum Religiosum, si habet propositum absolutum mutandi vitam censetur vouisse Religionem; & ad aliquam illarum tenetur, nec potest ad seculum redire *cap. Consulti, de Regular.* Multo magis, ergo dicendum hoc est, de eo qui profitetur expressè in aliqua Religione, de quo benè præsumi potest, quod habeat absolutum propositum mutandi vitam, & relinquendi seculum, & ideò dicendum est illum saltem voto simplici teneri ad hoc, vt fiat Religiosus. Sed respondetur, quod ex eo textu, & doctrina confirmatur positio ista, quæ solum vult, quod nulliter professus ex defectu consensus Religionis non teneatur ad vitam regularem in ea determinata Religione, in qua nullam professionem emisit. Nam nec in eo capite consulti, qui suscipit habitum compellitur manere in ea Religione in qua suscepit habitum, sed cum animo, & proposito absoluto mutandi vitam, sed solum dicitur, quod debet saltem ad laxiorem Religionem transire. Sed hoc iam pertinet ad alium casum examinandum in sequentibus. In præsenti enim solum asseritur, quod qui emittit professionem nullam in aliqua Religione ex defectu consensus Religionis nullo modo voto tenetur eidem Reli-

gioni. Et quod professio illa nulla, nec habet vim voti simplicis obligãtis ad illam Religionem determinatè.

505. Sed vbi professio non est nulla ex defectu consensus, sed tam qui profitetur, quam Religio consentit ille verè se donando, & promittendo vitam regularem, & ista acceptando, dicitur quod professio valet tanquam votum simplex in ordine ad regularem vitam seruandam in ea Religione, in qua profitetur. Hoc tenet expressè Reuerendissimus Fagnanus *cap. si quis, de Regular. num.* 46. & probatur ex traditis supra *inspect.* 19. *quaest. prima*. Et quidem si professio est nulla ex defectu solemnitatis inductæ à iure positiuo, assertio ista est de mente omnium DD. asserentium contractus nullos ex defectu solemnitatis valere in conscientia, si adest consensus partium. Nec obstat, quod Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* dicat professionem nullam ex defectu ætatis, aut integritatis anni probationis nullã inducere obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus, quia loquitur in ordine ad alias Religiones ab ea, in qua emittitur professio nulla, & vt refert idem Reuerendiss. Fagnan. *d. num.* 46. Sacra Congreg. Concilij consulta à Cardinali Bellarmino declarauit, quod Concilium loco citato, nihil disposuit de voto, & sic non fuit eius mens dicere, quod votum non teneat respectu eius Religionis in qua emittitur, & per quod eiusdem Religionis vita regularis promittitur. Neque obstat etiam, quod nulliter professus possit reclamare contra professionem, & probata nullitate de licentia superiorum exire, quia hæc est conditio contractuum, qui sunt nulli ipso iure ex defectu solemnitatis, vt possint per iudicem reuocari licet contineant obligationem naturalem; vnde sic sunt validi in foro conscientiæ, & ex vi connaturalis obligationis, quod eorum valor est infirmus, & irritabilis, vt latè probaui *de elect. cap.* 9. *quaestion.* 2.

506. Quod verò dicitur de professione nulla ex defectu solemnitatis, extenditur ad professiones nullas ex alijs defectibus, sed non ex defectu consensus, quia connaturalis obligatio ex mutuo consensu orta manet, & viget per quam, & professus manet obligatus Religioni, & Religio professo, & ita quod vnaquæque harum partium iustè possidet, vsquequo per iudicem professio irritetur, & tollatur. Ex mutuo enim consensu oriri obligationem naturalem bene tradiderunt. Panorm. *cap. Quia pleriq. num.* 31. *de immun.* Bart. *in tract. minor. lib.* 2. *dist.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. Gloss. Bart. & DD. *in l.* 1. *ff. de condit. indeb.* Fagnan. vbi supra *num.* 44. Hac verò obligatione stante sequitur, quod professus obligatur Religioni, & Religio professo; & quod Religiosus possidet statum Religiosum, & Religio professum donec professio per iudicem vel irritetur, vel declaretur irrita.

507. Limitanda tamen est assertio ista, vt non procedat, vbi professio sit nulla ex lege alicuius virtutis, vnde sit illicita sicut est professio serui sine licentia domini, quæ est contra iustitiam, idcoque consensus mutuus non parit obligationem naturalem; quia hic non datur ad agendum contra Deum, & ad peccandum. Pariter professio viri inter mulieres, aut mulieris inter viros, quæ repugnat virtuti temperantiæ, cum periculum vrgentissimum intemperantiæ contineat. Ideò illæ professiones ita sunt nullæ iure naturæ, vt nec naturalem obligationem contineant. Pactiones enim, quæ obseruatæ vergunt in perniciem animæ nullam obligationem inducunt *cap. final. de pactis*, & donatio huiusmodi professionum, quæ est materia, cum sit illicita, non est nec esse potest materia voti; vnde omnino nullæ sunt, nec vim voti simplicis valent continere, quia votum non est de re illicita, cum non sit vinculum iniquitatis.

508. Comparando autem professionem nullam ad vitam regularem seruandam in alia Religione, vel extra Religionem in qua est emissa professio nulla. Quidam absolute negant, & vniuersaliter professum nulliter teneri voto simplici ad Religionem in genere, aut ad castitatem in seculo, & asserunt quod ex quacumque causa professio declaretur nulla professus nulliter est liber etiam à simplici voto, & dimissus potest ad seculum redire, & vxorem ducere. Ita Nauar. *cons.* 26. *de Regul. num.* 12. & 13. & *cons.* 87. Less. *l.* 2. *de iust. cap.* 41. *num.* 62. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. & *seqq.* Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 37. *num.* 12. Rodriq. *p.* 3. *q.* 17. *a.* 4. *fin.* Mirand. *p.* 1. *q.* 30. *a.* 4. *concl.* 2. Layman. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 5. Bassæus *v. Religio* 4. *num.* 7. Tamb. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *num.* 16. Palaus *tr.* 16. *disp.* 2. *p.* 4. Bordon. *de profess. cap.* 5. *q.* 1. 2. & 3. Caramuel. *in reg.* S. Bened. *disp.* 41. *dub.* 8. *num.* 509. Pasqual. *cent.* 1. *disp.* 23. *num.* 3. & *seq.* Martinez de Prado *cap.* 3 e, *q.* 12. §. 2.

509. Et alij sentiunt, quod professio irrita valeat, vt votum simplex, sic enim quod professio irrita, quia recepta à non habente potestatem valeat, vt votum simplex obligans ad Religionem in genere dixerunt Specul. *tit. de stat.* Monac. §. *qualiter concipiet libellum q.* 19. *num.* 24. *in fin.* Innoc. *in cap. Porrectum num.* 4. & 5. *de Regul.* & ibi Anton. *num.* 9. & 10. Anchar. *num.* 4. 5. & 6. Henric *in fin.* Panorm. *ad ff. cap. Consuluit, qui Cler. vel vouen. num.* 3. & ibi Neuo *num.* 9. Quos refert, & sequitur Sanchez *l.* 5. in Decal. *cap.* 4. *num.* 104. & 105. Sed cum moderamine, & distinctione infra adnotanda. Pariter quod vbi professio sit irrita ex eo, quod excommunicatus virtute rescripti Apostolici professus sit, illa professio per modum voti simplicis obliget ad Religionem in genere senserunt Dominic. *cap.* 1. *num.* 18. *de rescrip. in* 6. Felin. *cap. fin. num.* 3. de Except. Vgolin. *de censuris dub.* 2. *cap.* 20. *num.* 5. Sayr. *l.* 2. Thesaur. *cap.* 9. *num.* 19. & apud eum Gloss. *in cap. Non solum in v. vestro ordini*. & ibi Archid. *in* 6. Calder. *cons.* 23. & 27. *de Regul.* Pariter quod vbi professio est irrita, quia facta in Religione non approbata, quod habeat vim voti simplicis obligantis ad Religionem in genere censuerunt Pleriq. *ex cap. vn. de voto in* 6. vt refert Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Perlatum num.* 28. *de his, qui vi* &c. Vbi quod idem de professione emissa in manibus truffatorum post Io. de Deo scripsit Specul. *ad tit. de stat.* Monach. *num.* 25. Et de viro qui professus

fessus fuit in Religione Mulierum, Butr. *in cap. Porrectum num.* 12. *de Regul.* & Panorm. *in cap. Tuarum num.* 7. *de privileg.* Sed et Azor. *p.* 1. *l.* 12. *cap.* 1. *f.* ait seruum, cuius professio fuit irrita, teneri voto castitatis, quo se legare potuit Diana quoque *part.* 6. *tr.* 7. *ref.* 51. Et qui ob professionem emissam per metum dimissus fuerat à Religione professione declarata nulla respondit eum teneri voto castitatis. Et ita quod irrita professio habeat vim voti simplicis voluerunt etiam Palud. 4. *d.* 37. *q.* 1. *a.* 2. Corduba in Reg. S. Franc. *ca p.* 2. *q.* 13. *p.* 6. & *q.* 22. *p.* 4. limitans tamen hoc, vt si quis ante ætatem quindecim annorum profeſſus ſit in aliquo Ordine Mendicantium, professio sit prorsus nulla, Faustus in Thes. *q.* 271. Lezana *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 78. Tiberius in Instruct. Ordin. *cap.* 11. *q.* 80. Denique Reuerendiss. Fagnan. *cap. Perlatum num.* 29. de his, quæ vi &c. censuit excepta professione nulla ob defectum ætatis, & anni probationis, in quibus duobus casibus per Concil. Trid. correctum fuit ius antiquum text. *cap. Non solum*, & *cap. Constitutionem*, *in* 6. in alijs casibus nullitatis professionis manere incorrecta iura antiqua. Et quod hoc habuit pro constanti tam Sacra Congreg. Concilij Episcoporum in ea quæst. An professio facta in Religione non approbata obliget profitentem ad Religionem in genere, licet valde anceps fuerit, an verior esset opinio Io. de Deo distinguentis inter eum, qui voluit vitam mutare absolute, & inter eum, qui voluit se obligare certo ordini tantum, vel potius opinio Franc. *in cap. Constitutionem nu.* 4. existimantis generaliter ex huiusmodi professione oriri obligationem ad Religionem in genere. Diuersimode autem intellecta fuit hæc sententia. Nam alij dixerunt sic professum, si non inueniat in aliqua Religione beneuolos receptores, teneri in seculo seruare castitatem, admittentes eam non teneri ad paupertatem, & obedientiam, sed Innoc. *cap. Porrectum n.* 6. *de Regul.* & Anchar. ibi *num.* 6. voluerunt eum teneri viuere sub Episcopi obedientia. Quod impugnat Sanchez *lib.* 5. in Decal. *cap.* 4. *num.* 106. quia qui profitetur, non promittit obedientiam Episcopo.

510. In hac difficultate hoc primò est certissimum nunc, quod professio irrita ex defectu ætatis, & anni probationis non habet vim voti simplicis obligantis ad Religionem in genere. Nam Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* expresse decreuit huiusmodi professionem nullam inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel Ordinis obseruantiam, aut ad alios quascumque effectus. Vnde pariter certum esse debet, quod in his duobus casibus professio nulla non obligat etiam ad seruandam castitatem in seculo, cum Concilium dicat eam non inducere obligationem ad quoscumque alios effectus, & Pasqualig. *centur.* 1. *q.* 23. *num.* 9. *fin.* refert ex Bellarm. *ad sess.* 25. *cap.* 15. Concil. Trid. S. Cong declarasse, quod professio facta intra annum probationis nullam inducet obligationem, & sic professus potest sine dispensatione ducere vxorem. Hoc quoque esse dicendum de professione nulla ob defectum nouitiatus in locis designatis, colligitur ex decretis Clem. 8. in quibus prohibuit Nouitios recipi in alijs Conuentibus, & probat abundè Reuerendiss. Fagnanus *ad d. cap. Perlatum num.* 31. hancque asserit fuisse semper mentem S. Congreg. quæ dimissoe à religione ob professionem nullam ex huiusmodi defectu non obligat ad aliam religionem in genere, vel ad seruandam castitatem.

511. Certum quoque esse debet, & indubitatum iuxta distinctionem datam à Io. de Deo, quam amplectitur Syluest. *v. Religio* 3. *num.* 5. & Sanchez *l.* 5. *cap.* 4. *num.* 105. Si qui profitetur intendit se obligare absolute ad vitam regularem, & sic vouet paupertatem, castitatem, & obedientiam absolutè, & independenter ab obseruantia illorum in religione illa determinata in qua profitetur, seu independenter à solemnitate illa professionis emissæ, quod professio sic emissa licet nulla quantum ad solemnitatem voti est valida in vim voti simplicis obligantis ad religionem in genere. Sed si, qui profitetur, intendit se obligare solum illi religioni in qua expresse profitetur, si hæc professio est nulla, non habet nec vim voti simplicis obligantis ad religionem in genere, sed declarata professione irrita dimissus licite, & validè potest vxorem ducere. Obligatio enim voti tanta est quantam sibi facit vouens ex propria voluntate, vt habet D. T. supra *q.* 88. *a.* 3. *ad* 3. Si ergo vouens intendit non obligare se nisi ad religionem in qua expresse profitetur, si professio sit nulla professus ad nullam aliam religionem manebit obligatus.

512. Tota ergo difficultas est, vt videtur, quid sit præsumendum, & in dubio quid censendum, nam in vtroque foro præsumendum esse, quod vouens intendat se obligare absolutè ad religionem, & sic manere obligatum ad religionem in genere tenet Sanchez *d. num.* 105. & est de mente DD. qui dixerunt professionem irritam habere vim voti simplicis ad religionem in genere. Et quia hæc opinio se fundat in aliquibus textibus, eorum sensus est inspiciendus, vt plena difficultatis solutio haberi possit.

513. Primo verò occurrit considerandus textus *in cap. non solum*, & *cap. Constitutionem*, *de Regul. in* 6. In quibus Reuerendiss. Fagnanus *d. cap. Perlatum num.* 27. censet fuisse diffinitum, quod professio expressa emissa infra annum probationis in aliquo Ordine Mendicantium non obligat præcise ad illum Ordinem, in quo fuit amissa, sed ad religionem in genere: In alijs verò Ordinibus expresse emissa obligat præcisè ad illum ordinem in quo emittitur, professio verò tacita non obligat præcise illi ordini, sed ad religionem in genere. Et hæc est communis intelligentia illorum textuum. Addit verò quod licet in huiusmodi textibus sit sermo de professione emissa infra annum probationis, tamen DD. ex identitate rationis vbique interpretati sunt eos habere locum etiam in alijs casibus nullitatis professionis. Verum ex his textibus nihil prorsus habetur, quod probet professionem irritam habere vim voti simplicis, quia textus expresse loquuntur de professione emissa intra annum probationis, & nihilominus textus huiusmodi abrogati fuerunt per Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. Quod si dicitur eos textus ex paritate rationis intellectos fuisse generaliter, præterquam quod ratio

tio vrgentissima dictat leges huiusmodi non esse extendendas de casu ad casum ex similitudine rationis, dicitur quod ex eadem ratione ad alios casus nullitatis extendi debebit abrogatio Concilij Tridentini non est enim ratio vnde dicatur, quod lex ex similitudine rationis extendatur ad casus sub verbis legis non comprehensos, & negetur postea, quod legis abrogatio ad eosdem casus non extendatur. Sic ergo Concil. Trident. abrogans legem præsumentem obligationem ad religionem in genere ex professione nulla infra annum professionis, abrogauit legem eandem quatenus se extendisset ex similitudine rationis ad alios casus, quia sicut similitudo rationis militat pro legis extensione, ita militat pro extensione abrogationis. Addo quod Alex. 4. *in dict. c. non solum* dixit quidem, quod professio expressa emissa infra annum probationis in aliquo Ord. mendicantium non obligat illi Ordini, sed nec per hoc dicit, quod obliget Religioni in genere. Et licet DD. hoc etiam deducant per locum à contrario sensu, tamen hic locus valdè fallax est, & præcipuè ad concludendum legem obligantem, & inducentem nouam iuris præsumptionem. Ideò per illa verba textus. *Nullatenus vestro esse ordini alligatum*, bene concluditur quod potest talis esse alligatus alteri Ordini, si verè ex animo Religionem in communi, vel in genere vouit, non tamen sequitur, quod ius decernat talem ex vi talis professionis esse præsumendum voto simplici alteri ordini alligatum. Quod verò Bonif. Octauus *in d. cap. Constitutionem* censuerit, quod professio tacita ex susceptione habitus proprij professorum infra annũ non obliget ad Religionem in specie, sed in genere, iam non est sermo de professione nulla, sed de professione tacita valida. Vnde ex illis textibus minime habetur, quod professio nulla etiam in foro externo, & præsumptione obliget ad Religionem in genere, sed solum quod professio tacita infra annum probationis validè emissa per susceptionem proprij habitus professorum obliget ad Religionẽ in genere non in specie.

514. Secundò adduci potest textus *in cap. Quidam, & in cap. Placet de conuers. coniug.* In quibus coniugis irrita professio obligat ad non petendum debitum, & ad abstinendum à matrimonio etiam altero coniuge mortuo ob votum castitatis in illa irrita professione initum. Sed ex his textibus euidenter habetur professionem irritam non obligare ad Religionem in genere, quia imò Alexander Tertius, & Cœlestinus Tertius expressè censuerunt Coniuges illos ex eo, quod eorum professio, & votum fuit nullum, non esse cogendos redire ad Monasterium solumque voluerunt eos abstinere debere à matrimonio ineundo. Sic ergo manifestum est, quod professio nulla non obligat ad Religionem, dubium remanet an saltem obliget ad castitatem in seculo seruandam.

515. Respondent verò aliqui textus illos fundari in præsumptione, quia nimirum præsumendum sit tales coniuges castitatem promisisse ex speciali intentione, & voluntate; sed tamen hanc præsumptionem non debere ad alios casus extendi. Itaque admittitur, quod coniux emittendo professionem si aliud non exprimat præsumetur vouisse castitatem independenter à solemnitate voti, & persistentia in Religione Suarez *tom. 3. lib. 7. cap. 2. num. 12.* Palaus *tract. 16. d. 2. part. 4. num. 2.*

516. Est verò circa hoc non leuis difficultas, nam vel votum coniugis sine licentia alterius profitentis in Religione est verè in totum irritum, & nullum, vel debet intelligi, vt validum pro omni illa parte in qua salua alterius coniugis iustitia potest valere. Si detur primum, igitur coniux non manet obligatus ad non petendum debitum, vel ad non contrahendum nouum matrimonium mortua alia vxore; quia ad hoc non obligatur ex vi professionis, quæ in totum supponitur irrita, aliud verò non est votum, vel contractus initus ex quo coniux contraxerit talem obligationẽ, quia supponimus nihil egisse nisi, quod professionem emisit. Si verò dicitur, quod professio non fuit in totum irrita, sed valuit votum illud, quantum potuit valere salua alterius coniugis iustitia, vt ex Panorm. *ad d. cap. Placet*, habet Suarez *d. nu. 12.* cur non obligatur coniux post mortem alterius coniugis ad redeundum ad Monasterium ex vi dicti voti; cum hoc fieri possit salua alterius coniugis iustitia? Pariter cur in seculo non obligatur ad seruandam paupertatem, & obediendum regulæ, & superioribus in ijs, quæ alteri coniugi non præiudicant, vt valeat professionis votum quantum potest valere? Et licet ad hoc dicatur non esse eandem rationem paupertatis, & obedientiæ, quæ est de castitate, quia vota paupertatis, & obedientiæ raro fieri solent extra Religionem, votum verò castitatis *sæpe* fieri solet? Dicitur primò, quod iam ergo votum illud non intelligitur, vt validum quantum valere potest salua iustitia alterius coniugis, quia hac salua potest valere, vt votum paupertatis, & obedientiæ. Et præterea ad minus potest valere, vt votum Religionis, quod à pluribus in seculo emitti solet.

517. Respondent ergo, qui tenent votum professionis habere vim voti simplicis, & dicunt votum illud nec fuisse irritum, vt est votum Religionis, & perseuerantiæ in Monasterio inquantum hoc potuit fieri salua iustitia alterius coniugis. Sed certè hoc est contra textum in dictis capitibus, & quidquid sit an ex alijs iuribus deducatur hæc obligatio, de quo videbitur, euidens est, quod ex illis textibus hæc ad Religionem obligatio excluditur. Nam *cap. Quidam*, dicitur *quod votum non tenuit; vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire.* Et infra. *Promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideò quod hoc votum tenuit.* Non potuit verò clarius exprimi, & quod votum professionis quatenus est votum permanendi in Religione in illo coniuge fuit irritum, & non fuit irritum, vt est votum non petendi, debitum, & non nubendi post mortem coniugis. Item in *d. cap. Placet*, dicitur quod illius coniugis votum vsquequaque non tenuit, & quod tenuit quantum ad non petendum debitum, & ad non nubendum de nouo, & licet dicatur consultius esse, vt mortuo altero coniuge is qui vouit redeat ad Monasterium, tamen subditur. *Si verò ad hoc induci non potest, ipsam inuitam credimus non cogendam.* Quamo-

brem

brem constat, quod ex vi horum textuum professio coniugis irrita non obligat tanquam simplex votum ad Religionem, & tamen obligat ad præfatam castitatem; vnde remanet integra difficultas.

518. Ad quam respondent alij discrimen esse; quod votum castitatis continet obligationem diuiduam, quia diuidi possunt reddere, & petere debitum, & abstinere à Matrimonio, qui actus commode diuidi possunt, sed votum Religionis respicit materiam indiuiduam, quæ est perpetua perseuerantia in Religione sub obedientia; ideò iure merito Ecclesia interpretatur votum illud, vt est votum castitatis, vt valeat ea ex parte, qua non repugnat matrimonio; pro qua valere poterat à tempore professionis, pro quo tempore valere non poterat votum Religionis, quod tanquam indiuisibile, quia valere non potuit, tanquam prorsus irritum fuit iudicatum. Nec obstat si dicatur, quod votum Religionis est diuisibile quantum ad tempus, & quod si non potuit valere viuente altero coniuge, potuit valere eo mortuo. Nam dicitur, quod obligatio voti non potest esse diuisibilis quantum ad tempus; potest quidem esse diuisibilis executio obligationis, quia votum potest impediri ad tempus à vinculo fortiori, sed obligatio voti, vel tota est ab initio dum emittitur votum, vel numquam adest. Modo statim ac emittitur professio potest insurgere in coniuge profitente obligatio ad non petendum debitum, & ad non nubendum de nouo, sed non potest insurgere obligatio ad tunc perseuerandū in Religione; ideò quantū ad hoc votū iudicatum fuit irritum. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 34. num. 10.

519. Instari tamen potest, & dici primò, quod si semel verum est quod votum professionis si non valet in totum, valet pro parte, & sic quod eius obligatio est diuisibilis, ad hoc vt de facto sic diuidatur, sufficit diuisibilitas secundum tempus; aut diuisibilitas secundum executionem, nec obstat quod voti obligatio debet tota adesse de tempore emissi voti, quia bene potest contingere, quod detur de præsenti obligatio pro tempore futuro, seu pro tempore in quo licita erit executio; quia potest promitti id, quod post tempus sit exequendum, & ita potest voueri quod de præsenti est illicitum; sed est futurum licitum, & sic vouendo ex nunc consurgit integra obligatio ad id quod diuisim, & per partes erit exequendum. Bene igitur contingere potest, quod coniux profitendo, si non potest se obligare pro nunc ad permanendum in Religione, se obliget ad id faciendum si alter coniux, vel det licentiam, vel moriatur, & sic potest esse, quod professio obliget tanquam votum simplex ad Religionem, & perseuerantiam in illa. Et si ex eo quod votum professionis potest valere pro parte, & inquantum fieri potest sine iniuria coniugis, ideò valet, vt sit simplex votum castitatis, cur non valet, vt sit simplex votum Religionis, vel vt sit simplex votum paupertatis? Nam si non obstante, quod vouens in professione vouet omnia per modum vnius, & vt contenta in vna vita regulari, nihilominus, quia tota vita Regularis repugnat coniugi, diuiditur castitas, & iudicatur quod professio irrita valeat, vt votum castitatis, cur non iudicatur, vt valeat, vt votum paupertatis, vel etiam ut simplex uotum obedientiæ. Videtur igitur, quod maneat integra difficultas, quæ tamen dilucidiùs soluetur expensis prius alijs iuribus ex quibus probari uidetur, quod professio irrita ualere debeat, ut uotum simplex, uel Religionis, uel castitatis.

520. Adducuntur itaque *cap. ex parte* 1. & *cap. consuluit. de conuers. coniug.* & ponderatur quod professiones coniugatorum de quibus est sermo in illis textibus fuerunt nullæ, & tamen mortuis alijs coniugibus professi nihilìter fuerunt coacti redire ad Monasterium. Verum si hoc esset, iura iuribus essent contraria; quia manifestè Alexander III. in Concil. Lateran. vt habetur in citato *cap. quidam*, & Cœlestinus III. *in cap. Placet de conuers. coniugat.* decernunt coniuges nulliter professos etiam alijs coniugibus defunctis non teneri reuerti ad Religionem. Sed nulla est contrarietas, quia professiones de quibus est sermo in citatis capitibus ex parte, & consuluit fuerunt validæ. Casus *cap. ex parte* fuit viri qui in infirmitate de licentia vxoris vouit castitatem, & sumpsit habitum Monachalem, sed recepta sanitate mansit cum vxore, & ea defuncta cum alia nupsit; Pontifex verò secundum hoc matrimonium nullum declarauit, & virum ad Monasterium esse compellendum censuit. Modo professio illa facta de licentia vxoris valida fuit, vt tradunt Syluest. *v. diuortium q.* 17. *dicto* 3. Armilla ib. *num.* 12. Sotus 4 *d.* 27. *q.* 1. *a.* 4. Durand. 4. *d.* 32. *q.* 2. *num.* 6. & alij plures quos referunt, & sequuntur Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 33. *num.* 4. & Barbosa *ad d. cap. ex parte num.* 2. Et hoc manifestum est ex eodem textu, quia si professio illa fuisset irrita, & habuisset solum vim voti simplicis, secundum matrimonium fuisset validum, cum indubitatum sit votum simplex non dirimere matrimonium. Nec obstat, quod in eo textu dicatur, quod vir ille viuente prima vxore non potuit esse in Monasterio, quia vt benè aduertit Glossa stat coniugati professionem esse validam, quia sit emissa de licentia vxoris, & tamen impediri executionem illius si vxor remaneat in seculo. Quod & cum Glossa, aduerterunt quam plures, quos refert Sanchez vbi supra *num.* 3.

521. Sed & professio valida fuit de qua in *d. cap. Consuluit.* Casus fuit viri, qui professus fuit in religione, & in ea per annum permansit. Mortua verò vxore, consultus Pontifex an ille aliam vxorem ducere posset relicto Monasterio, respondit non posse; & si sumpsit matrimonium esse dirimendum. Quia verò in eo textu non exprimitur, quod vir ille vouerit de licentia vxoris, constat verò vxorem illum non reuocasse, colligunt communiter Canonistæ, quod professio viri emissa sciente vxore, & vsque ad mortem dissimulante sit valida. Quamuis verò Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 35. *num.* 15. velit professionem coniugati non validari ex cursu temporis, & taciturnitate alterius coniugis vsque ad mortem sine nouo consensu; quidquid sit de hoc, certum esse debet, quod professio de qua est sermo in dicto *cap. à Clem.* 3. habita fuit vt valida, cum dicatur matrimonium si post illam fuisset initum fore dirimendum, quod

qui-

quidem, non fuisset dictum si vir ille solo simplici voto fuisset impeditus.

522. Amplius adducitur regula illa, quando actus non valet sicut fit, valet eo modo, quo valere potest. *l. Tam augusti. ff. de seruit. & cap. vn. de spons. in 6.* vbi Glossa *v. matrimonium*. Sic ergo professio nulla si non valet in ratione voti solemnis ex defectu alicuius conditionis valebit vt votum simplex, & vt obliget ad Religionem, vel saltem in seculo ad castitatem. Sed quod hæc regula non habeat locum in præsenti colligitur nedum quia professio nulla non obligat ad paupertatem, vel ad obedientiam, vel ad aliquam ex obseruantijs regularibus, sed quia vt planè est manifestum ex citatis *cap. quidam, & placet, de conuers. coniug.* professio nulla non obligat ad Religionem in communi. Et meritò hæc regula non applicatur proposito, quia non valet regula illa in actibus quorum valor totus desumitur ex agentis intentione, & voluntate; In his enim actibus hæc alia regula est seruanda, vt dicatur, quod actus tantum valet, quantum agens vult vt valeat. Et quia votum tantum obligat quantum vouens vult se obligare, ideò non valet dicere quod si votum non obligat sicut fit, obligabit, sicut obligare potest, quia si intentio vouentis est se obligare præcisè ad id, quod expressè vouet, si votum illud non valet, in nihilo omnino valet, quia vouentis intentio est non se ad amplius, vel ad aliud obligare. Hinc dum dicitur quod matrimonium ab impubere initum non valet vt matrimonium, valet verò vt sponsalia, *cap. final. de despons. impub. & cap. vn. eod. tit. in 6.* Vbi huius redditur ratio, quia huiusmodi contractus valuit, vt potuit, licet non vt agebatur. Respondetur quod hoc vim habet ex iure positiuo, & sic quod illa regula actus si non valet prout fit, valet eo modo, quo valere potest vera est in casibus in iure expressis, non quia ex natura rei id sit per se necessarium. Sed præcipuè non valet illa regula, vt extendat obligationem de persona ad personam, vt si obligatio sit nulla respectu eius cui fit, censeri debeat valida respectu alterius. Modo qui profitetur in Religione Minorum promittit vitam regularem illi Religioni; professio enim continet promissionem factam Religioni, & Superioribus eius. Nec valet si dicatur quod qui profitetur promittit vitam regularem Deo, quia ordine generationis prius contrahit cum religione, & illi vitam regularem promittit, & per votum postea Deo promittitur obseruantia promissionis factæ Religioni; sic ergo qui profitetur in Religione Minorum promittit vitam regularem illi numero Religioni; Quod si hæc promissio, & professio sit nulla, non est vnde dicatur promissa vita regularis alijs Religionibus. Nec regula valet, vt si promissio facta Petro sit nulla intelligi debeat vt validè facta Paulo, vel alicui alteri.

523. Dicendum igitur est ad quæstionem quod per se loquendo professio nulla non valet vt votum simplex obligans vel ad Religionem in communi, seu ad religionem aliam ab ea in qua emittitur, vel ad castitatem aut aliud simile seruandum in seculo, & quod legitimè dimissus ratione nullitatis professionis est liber vt virtuosè seculariter viuat, & vt nubat. Hoc probatur aduertendo quod aliud est finis agendi, & aliud est medium quod eligitur ad finis assecutionem. Hoc est euidens in religionibus, quæ omnes in principali fine, qui est charitatis perfectio conueniunt, & tamen inter se distinguuntur, quia ad hunc finem consequendum aliæ eligunt contemplationem, aliæ actiuam vitam, & ex illis, quæ in fine proximo, & intrinseco conueniunt aliæ per vnam viam, & media, aliæ per aliam viam, & media diuersa tendunt, vnde in illis votorum materia est valde diuersa, vt supra *quæst.* 188. explicatum fuit cum D. T. At vero sub voto non cadit finis vt materia ad quam obligat, seu quam promittit, sed vt finis propter quem eligitur medium, & promittitur. Ideò ex eo quod quis habet voluntatem perfectionis, seu seruiendi Deo, seu totaliter relinquendi mundum, seu etiam viuendi religiosè, non sequitur quod ex vi talis propositi, & intentionis voueat aliquid, nisi hoc Deo promittat, & id *solum* vouet, quod in ordine ad finem eligit vt medium, & sic votum non est finis, vt citra quod sit materia promissa, & ad quam votum obligat, sed tantummodo hoc modo est mediorum, quæ voluntas eligit, & promittit, vt per ea finem consequatur.

524. Ideò considerandum est secundò, quod professio per se loquendo respicit vitam regularem non in communi, sed hanc specie, & numero, eamque respicit per modum vnius indiuisibilis. Etenim traditio externa non potest fieri Religioni in communi, sed necessario respicit singulare aliquod, qui recipiat. Et quidem si fieret professio immediatè in manu Pontificis posset ei promitti obedientia secundum sui beneplacitum, sed non esset hoc profiteri religionem in communi, sed esset profiteri modum hunc specificum, & indiuidualem religiosè viuendi consistentem in obediendo ad arbitrium Pontificis, qui illam professionem reciperet. Cæterum quia commune non est in rerum natura nisi specificatum, & indiuiduatum, & actualis donatio, & traditio est actio externa singularis, quæ non est nisi de re singulari, & quæ acceptetur, & quæ exercitè fiat, non potest esse nisi ad religionem, vt existentem in rerum natura, & ideò specificatam, & indiuiduatam. Et sic professio non est intrinsecè votum religionis in communi, sed est votum huius vel illius numero religionis; igitur ex vi professionis per se nullus obligatur ad religionem in communi, quia nullus actu se donat, & tradit omnibus Religionibus, quia nec potest se illis omnibus tradere, quia implicat quod idem sit plurium dominorum, ita vt sit cuiuscunque proprium, quia si est proprium vnius implicat quod sit proprium alterius. Non potest vero aliquis se donare, & tradere religioni in communi consideratæ, quia hæc non est in rerum natura commune enim abstractum à singularibus non existit extra intellectum. Professio igitur per se est votum vnius singularis Religionis, igitur professio per se non obligat ad religionem in communi, sed ad hanc numero. Nec valet argumentum desumptum ex fine dum dicitur intentio profitentis est mutare vitam, seu tendere ad perfectionem, seu esse religiosum; igitur si nulliter profitetur in hac religione obligatus erit profiteri validè vel in illa, vel in alia, quia eius intentio

tio fuit esse religiosum; negatur enim consequentia, quia votum non obligat ad finem, nec finiaest materia promissa per votum, & qui profitetur in vna religione illam solam eligit, & promittit ex vi professionis, & illi soli se obligat. Hoc magis explicatur distinguendo, & dicendo quod professio potest esse vel ex proposito, vel ex voto. Illa est ex voto quam præcedit votum simplex, vel illius determinatæ religionis in qua emittitur professio, vel religionis in communi. Et in hoc casu professio ipsa non est votum simplex religionis alterius, vel in communi, quia professio non est nisi promissio illius religionis in qua illa emittitur, sed tamen votum simplex supponit, & ex illo est. Sed si professio fit ex simplici proposito, nimirum ex proposito mutandi vitam, & seruiendi Deo, quantumcumque hoc propositum sit absolutum, non adest in professione huiusmodi votum aliquod simplex religionis in communi, quia illud propositum non est votum, cum sit intentio finis, non verò alicuius rei promissio, sed nec professio, quæ est ex illo proposito est votum simplex religionis in communi, quia non est nisi promissio illius numeri vitæ regularis, & religionis in qua illa emittitur. Ex hoc confirmatur. Nam dum dicitur quod professionis obligatio potest accipi vt diuisibilis, & v. g. vt est votum religionis in communi, vel vt est votum castitatis in seculo, interrogo cui fiat ex vi professionis promissio illa religionis in communi, vel castitatis in seculo. Et si dicatur quod fit Deo, quia votum est promissio facta Deo, hoc insufficienter dicitur, quia votum quod est professio non est promissio rei absolutè, sed habet pro obiecto obseruantiam quasi contractus initi cum religione, cui se tradit. Professio ergo duplicem promissionem importat, factam scilicet homini, & factam Deo. Inquiro ergo cui homini promittitur in professione Religio in communi, vel castitas in seculo. Hæc non promittitur Religioni in qua fit professio, quia illi non promittitur nisi vita regularis determinata per regulam eiusdem Religionis. Sed nec promittitur alteri, quia professio in Religione determinata non continet nisi promissionem illi Religioni factam, cui se non promittat vitam regularem in communi nec castitatem in seculo, nulli hanc promittit, igitur ex vi professionis non tenetur ad vitam regularem in communi, vel ad castitatem in seculo.

525. Sed & qui profitetur se obligat ad illam vnam solam Religionem, & indiuisibiliter, quia professio per se respicit vitam hanc regularem numero adæquatè, & illam primo, & adæquatè propter hæc vna specificè, & indiuidualiter; igitur eam promittit vt est quid vnum indiuisibile; quia species, & indiuidua sunt sicut numeri indiuisibilis rationis, ita quod varientur si addatur aliquid, vel auferatur. Quod ex eo magis apparet quod nihil à professo promittitur nisi vt spectans ad hanc numero vitam regularem quam primo profitetur; nam quod primo respicitur est ratio vnica, quod alia respiciuntur, & vbi totum aliquid primo, & adæquatè promittitur, nulla pars eius, seu nullum contentum in toto per se absolutè promittitur, sed solum vt est aliquid totius, & dependenter à promissione illius. Cum itaque votum promissionis vnum sit propriam adæ-

quatè promissum, professionis vnus est promissum adæquatè, quod est vita regularis hæc vna specie, & numero, dependenter à qua promittitur paupertas, hæc, castitas hæc, obedientia, hæc & ita, quod huiusmodi non promittuntur nisi quatenus spectant ad hanc numero vitam regularem, seu ad hanc numero religionem, quæ per se primo adæquatè ideoque & tanquam quid indiuisibile promittitur. Ex vi ergo professionis, nec paupertas, nec castitas; nec quid aliud extra religionem obseruandum promittitur. Et si professio est nulla ad nihil prorsus obligat extra religionem obseruandum, quia ad nihil obligat nisi vt spectans ad illam Religionem quam profitetur, & dependenter ab illa. Per se igitur loquendo professio nulla nec est votum simplex religionis in communi, nec est votum simplex castitatis extra Religionem.

526. Dices posse contingere, quod professio sit irrita quantum ad vnam partem, & non quantum ad aliam; quia saltem in quantum professio est nulla iure Ecclesiastico potest esse nulla ex parte, & non ex toto, & potest habere effectus aliquos in iure expressos. Quod probatur, quia Ecclesia potest irritare professionem ex toto, seu illam potest irritare ex parte, quia potest illam non acceptare nisi pro aliqua parte; ergo tunc professio habebit effectum ad quem acceptatur, & non alium. Et hoc confirmatur exemplis. Nam *cap. Non solum, & cap. Constitutionem de Regul. in 6.* professio expressa habita infra annum probationis in aliquo Ordine Mendicantium, & professio tacita habita pariter infra annum in quocumque ordine nulla decernitur quantum ad obligandum ad religionem in specie, & acceptatur quantum ad obligationem ad religionem in genere. Et *cap. quidam, & cap. Placet, de conuers. coniug.* professio coniugis sine licentia decernitur nulla quantum ad obligationem ad religionem, & valida quantum ad obligationem ad castitatem. Constat igitur quod Ecclesia acceptat professionem diuisibiliter, & quantum ad aliquem effectum, & non quantum ad omnes, & sic quod professio nulla potest esse nulla diuisibiliter, vt sit nulla quantum ad vnum iuris effectum, & non quantum ad alium. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. l. 7. cap. 2. num. 10.*

527. In hoc autem dicendi modo merito displicet hoc, quod in eo supponitur, & docet Suarez ibid. *num. 12.* & cum eo Palaus *tract. 16. disp. 2. p. 4. n. 2.* nimirum quod professio coniugati sine alterius coniugis licentia sit nulla iure positiuo, non verò iure naturali. Quamuis enim essentia matrimonij consistere possit cum professione, vt patet quando coniux de licentia alterius, vel altero adulterante profitetur; tamen vbi coniux innocens non consentit professio non nisi contra iustitiam, & ideò iniquè, & inualidè emittitur, & perseuerat, quia quod est vnius non potest validè donari, & tradi alteri eo non consentiente. Et si dicatur, quod hæc ratio probat, quod professio non poterit habere effectum suum cohabitem coniuge altero non consentiente, sed professus tenebitur interim cohabitare alteri coniugi, & illius iustitiæ satisfacere manente interim essentia professionis, & obligationis, stat enim aliquem esse obligatum,

veluti in radice ad agendum, & impediri ne agat sic enim, & coniux qui de licentia professus est in radice obligatus ad debitum reddendum, nam essentia matrimonij remanet, & tamen ex vi professionis debitum reddere non potest. Verum respondetur, quod benè intelligi potest, quod vbi contractus aliquis est initus ad quem consequitur obligatio, superueniente impedimento cesset obligatio essentia contractus durante, & sic potest intelligi, quod maneat essentia matrimonij iam contracti in eo, qui de licentia coniugis profitetur, & hoc quia non ex toto matrimonium repugnat professioni, quia cum professione benè stat quod coniux non possit alteri nubere, vel quod ex nuda, & pura virtute temperantiæ non impediatur ab vsu coniugij cum suo coniuge. Sed quod de nouo celebretur contractus obligatorius, & repugnet contrahentem se obligare validè, vt quia vult se obligare ad id, quod effectum habere non potest nisi cum alterius iniuria, & iniustitia hoc non intelligitur. Propterea esto essentia matrimonij iam contracti possit manere cum professione, si coniux profiteatur de licentia alterius coniugis, nihilominus quod si professus ineat matrimonium illud sit iure naturæ nullum, quia professus non potest tradere se plenè coniugi, sicut petit matrimonium. ex D. T. Bonau. ibid. *a.2.q.1.* Durand. *q.1.* Capreol. 4. *d.33.q.1.1.a.1.concl.1.* Sot. *l.7.de iust.q.2.a.7.col.7.& 4.d.38.q.2.a.2.col.4.* Caiet. *tom.1.tract.27.§ Videtur autem mihi, &c.* pluribusque alijs probat Sanchez *l.7.de matrim. disp.26. num.4.* Ità igitur quia coniux post consummatum matrimonium sine licentia alterius coniugis innocentis non potest se totum tradere religioni quia non est sui iuris, neque dominij, sed est alterius coniugis, ideo non potest validè profiteri, & propterea huius coniugis professio est de iure naturæ nulla, & non solum de iure positiuo. Vnde non explicantur iura adducta ad mentem illorum ex suppositione quod professio coniugis sine licentia alterius innocentis sit nulla de iure positiuo.

528. Sed supposito etiam quod professio sit nulla de iure positiuo, sicuti est illa quæ fit infra annum probationis, non potest propriè dici, quod habeat effectum diuisibiliter, & quod diuisibiliter acceptetur, nisi per accidens ratione alterius voti vel antecedentis, vel concommitantis, sed per se repugnat professioni diuisibiliter acceptari, & diuisibiliter valere. Nam non est professio, quæ non est per se primo promissio regularis huius vitæ facta huic numero Religioni, seu huic numero Prælato huius numero Religionis. Si enim promittatur vel paupertas sola, vel sola castitas, non est votum solemne, nec est religiosa professio, quia de ratione professionis est quod sit promissio regularis vitæ comprehendentis tria vota substantialia, & secundum regulam à Sede Apostolica approbatam; igitur professioni essentiale est, vt paupertatem, & castitatem, & alias obseruantias promittat dependenter à vita regulari quatenus est quid totum primo, & adequatè promissum, quia essentiale est professioni vt primo attingat regularem vitam, & dependenter ab ea, illa quæ sunt partes ipsius; igitur quamuis qui profitetur simul cum professione possit etiam promittere paupertatem, vel castitatem, vel aliquid aliud secundum se, & absolutè independenter à promissione vitæ regularis, hoc tamen non est ex vi voti professionis, sed per aliud votum vel præcedens, vel concommitans, vel consequens votum professionis, quia per se ad professionem spectat, & sufficit quod promittat paupertatem, & castitatem, & alia vt sunt aliquid regularis huius vitæ adequatè promissæ, & in hac promissione consistit tota, & integra substantia professionis; igitur implicat votum professionis obligare diuisibiliter, & diuisibiliter acceptari, sed vel totum, vel ad nihil ad obligat. Quia votum professionis est per quod totam vitam regularem per se adequatè promittitur huic Religioni, & Prælato illius, & ea quæ vitæ regularis sunt dependenter à promissione regularis vitæ promittuntur; hoc autem est indiuisibile, & aut totum promittitur, aut nihil promittitur. Et si aliqua obligatio ad ea quæ regularis vitæ sunt remanet in eo, cuius professio est nulla, non potest esse nisi ex alio voto simplici valido, quod simul est, vel præsumitur esse aut durare cum professione, vt si professio sit ex simplici voto castitatis, quia qui vouit castitatem, vt illam melius seruet profiteatur vitam regularem, vel si nedum ex intentione sua promittat vitam regularem ita vt simul promittat, si contingat professionem esse nullam, velle viuere castè in seculo, siue hoc fiat per actum distinctum à voto professionis, siue per eundem professionis actum externum, etiam ad castitatem independenter à vita regulari. In hoc tamen casu esset vel duo vota, vel votum materialiter, & accidentaliter extensiua ita quod tamen, extra rationem, & quidditatem etiam numericam huius numero voti professionis esset illa extensio, quæ professioni in propria linea accideret omnino, & mere contingenter adueniret, & imò formaliter illa extensio esset votum à professione distinctum, dato quod materialiter cum actu professionis identificaretur. Quia votum professionis essentialiter consistit in promissione vitæ regularis huius speciei, & numero, & quidquid amplius promittitur est extra lineam professionis.

529. Dicitur igitur secundo, quod professionem potest concommitari votum à professione distinctum, per quod aliquid vitæ regularis promittatur absolutè, & independenter à voto professionis, & Ecclesia iustè in aliquibus casibus præsumit tale votum dari, & ideo professionem nullam concommitari, & quatenus tale ad aliquos effectus obligare. Et hoc est quod probant iura citata. Vnde verò accipi possit consimilis præsumptio explicatur. Quia ex finis intentione arguitur ad medij electionem, & licet vbi ad finem sunt plura media non valeat consequentia ad alicuius illorum electionem determinatè, ex qualitate tamen personæ, & circumstantijs, & determinatione intentionis, & proportione maiori vnius medij ad finem valet consequentia moralis, & ad moralem sufficiens præsumptionem. Sic quia coniugatus si religionem petit, & quidem taliter, quod etiam non petita licentia vxoris Religionem profiteatur talis in eo præsumitur intentio, & amor castitatis, vt eam absolutè voluerit. Non enim apparet vnde coniux relinquat alium coniugem nisi castitatis amore, & certè saltem in tali coniuge præsumitur

mitur tantus castitatis amor, vt ad eam se obligare voluerit etiam independenter a regulari vita, quantum salus iustitia potuit. Et sic iura illa præsumpserunt professionem coniugati nullam valere vt votum simplex concomitanter. Et non valet ex hoc arguere ad alia vota paupertatis, & obedientiæ, nedum quia hæc vota raro fieri solent extra votum religiosum, sed quia non est vnde coniugatus præsumatur transiisse ad religionem ex tali, & tanto illorum amore, vt voluerit illa promittere independenter a vita regulari.

530. Et per hæc manet soluta difficultas relicta insoluta supra n. 516. Non enim iura illa fundantur in eo principio quod votum professionis valeat quantum ad aliqua, & non quantum ad omnia, quia votum professionis indiuisibiliter valet, & vel ad totum, vel ad nihil obligat, & ideò professio nulla, vt nulla ad nihil per se obligat. Sed fundantur in hoc, quod votum professionis ex accidenti accidentaliter extensiuè, seu concommitanter potest extendi, vt aliquid eorum quæ spectant ad vitam regularem sit promissum etiam independenter à vita regulari, & sic præsumunt quod coniugatus hoc modo promiserit castitatem, & ideò, quod ad illam teneatur in seculo; non præsumunt verò iura quod alia promiserit, & præcipuè quod hoc modo promiserit Religionem, & ideò non obligant eum vt mortua vxore Religiosus fiat. Ita quia qui infra annum probationis vult profiteri intensum Religionis amorem ostendit, ideò iura præsumpserunt quod qui profiteretur infra annum probationis promitteret Religionem etiam absolutè, & independenter à Religione illa in specie in qua professionem emittebat, & ideò quod voto simplici teneretur ad religionem in genere.

531. Huiusmodi tamen præsumptio voti simplicis Religionis in genere est ablata per Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 15.* quia nec de iure antiquo habebatur nisi ex professione habita infra annum probationis, & hanc Concilium abstulit. Nam neque eiusmodi præsumptiones extendi debent ad alios casus non expressos, vt sint præsumptiones iuris aut de iure. Quamuis etiam in foro conscientiæ spectatis circumstantijs præsumi possit, extensio illa seu concommitantia voti, & promissionis alicuius ea spectantibus ad vitam regularem independenter à regulari vita. In casibus verò præfatis, in quibus iura huiusmodi extensionem aut concommitantiam præsumpserunt, si res sit dubia standum esse in vtroque foro iuris præsumptioni dixerunt Sanchez *lib. 5. cap. 4. num. 105.* & Suarez *d. l. 7. cap. 2. num. 14.* Sed vt dicebam illa præsumptio promissionis religionis in genere iam est ablata. Quantum autem ad præsumptionem voti castitatis obseruandi in seculo à coniugato professo nulliter, Suarez *d. n. 14.* arbitratur quod ex lege Ecclesiastica huiusmodi coniugatus sit impeditus, ne licitè etiam mortuo coniuge altero transeat ad noua vota, etiam si certò sciat se noluisse promittere castitatem extra Religionem, quia ad hoc impedimentum sufficit quod ille coniugatus in facie Ecclesiæ habeatur vt sic impeditus, & præsumatur talis. Vbi tamen res fuerit ita occulta, vt sine scandalo, & Ecclesiæ offensione matrimonium contrahi posset, licitè id fieret, quia in eo impedimentum non adest, præsumptio verò non potest in hoc casu maiorem obligationem inducere.

532. Ex his iudicium ferri potest de varijs casibus relatis supra *num. 509.* Quorum primus fuit de eo, qui professus est in religione non approbata, quem esse obligatum ad religionem in genere. Vel enim in hoc casu professio est nulla ex parte consensus, vel est valida, & prout valida obligat. Fuit quidem aliquorum Canonistarum opinio, quod professio facta in Religione putata approbata, sed verè non tali obligaret ad Religionem in genere, quod tenuit Innoc. *cap. Porrectum num. 6. de Regular.* Franc. *cap. Constitutionem eod. tit. in 6.* & ibid. Gemin. quam opinionem veriorem putat Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Consulti num. 55. de Regul.* & probatur ex Gemin. *ad cap. Non solum, de Regul. in 6.* quia cum obligatur quis ad Religionem in specie Monasterium obligatur profitenti ad alimenta, & ideò oportet talem obligationem contrahi per habentem potestatem, & illam recipientem; secus autem per obligationem ad Religionem in genere, quæ cum nullam contineat obligationem respectu certi Monasterij, satis est vt illa sic inducta recipiatur per habentem potestatem quando professus ingreditur religionem in specie. Sed certè hæc sententia punctum veritatis non attingit omnis enim obligatio vel est ex contractu oneroso, & mutuo, vel ex liberali donatione, aut promissione. Prima hic locum habere non potest, quia esset simonia ex pacto, & pretio dare se ad obsequia spiritualia. Et adhuc si talis esset profitentis obligatio non esset nisi ad singularem personam vel realem vel fictam, quæ in obligationem consentiret, & obligationem profitentis recipiendo mutuo, se illi obligaret. Sed etiam si obligatio consequatur donationem vel promissionem, est quoque certum, quod nec donatio, nec promissio infert obligationem nisi sit acceptata. Itaque Religioni in genere potest quis esse obligatus per purum uotum simplex, quis hoc importat promissionem factam Deo, qui statim illam acceptat; sed quod detur professio, & obligatio professionis ad Religionem in genere, implicat verè in terminis, sicut in terminis implicat dicere quod in obligatione ad religionem in genere non sit necesse, quod detur, qui illam recipiat, quia nec donatio, nec promissio obligat nisi recipiatur, & multo minus contractus mutuus potest reperiri sine mutuo consensu. Itaque semper uerius apparet, quod non datur professio obligans ad religionem in genere, quamuis uoto simplici cuius obligatio est ad Deum quis possit esse obligatus ad Religionem in communi.

533. Itaque in casu nostro dicitur quod ille qui profitetur uel scit professionem non esse professionem, ex eo quod non sit professio secundum Regulam approbatam à Sede Apostolica, uel scit eam esse ueram professionem, quia fit secundum regulam approbatam ab Apostolica Sede, & u.g. Episcopus qui eam recipit in eo casu potest illam acceptare; uel hoc ignorat. In primo casu non adest professio nec ualida, nec inualida, quia professio ut modo sumitur essentialiter respicit Religionem approbatam. Sed in eo casu est uotum simplex uerum, & reale, & obligans, ut bene aduerterunt Anton. Panorm. Syluest. & Suarez. Voto enim

enim simplici potest unusquisque vouere obedientiam, & Episcopo, & Prælato inferiori, & Confessario, & cuicumque capaci vt vouentem possit in via perfectionis dirigere, sed hæc non est professio, nec votum solemne, nec debet dici professio nulla, sed non professio. In secundo casu est vera professio, & solemne votum dirimens matrimonium, & indubitatè valens, & obligans, cum sit votum vitæ regularis approbatæ à Sede Apostolica emissum coram illo, qui potest acceptare. In tertiò verò casu, nisi ignorantia sit concommitans professio est nulla etiam vt votum simplex, quia deficit consensus, quia consensus, ex ignorantia, & errore non est consensus. Est verò discrimen, quia vel defectus est, quia religio non sit approbata vel quia, qui acceptat, non habet ad id facultatem. In primo casu professio nec est professio nec est votum simplex. Non est professio, quia Religio in qua profitetur non est approbata à Sede Apostolica. Non est votum simplex, quia qui profitetur ex errore putat se profiteri in religione approbata, & sic non consentit in religionem illam, nisi vt in approbatam, quod non est verum, & ideò consensus est nullus, & nullum votum nullo modo obligans. Nisi ignorantia esset concommitans, in quo casu votum esset verum, & validum, sed simplex, non verò esset professio. Esset uerum votum, quia promitteretur uita regularis iusta, & sancta independenter ab eo, quod esset secundum regulam approbatam à Sede Apostolica; esset uerò uotum simplex, & non solemne, quia uerè non esset uotum regularis uitæ approbatæ per Sedem Apostolicam. Et si dicatur, quod tunc licet non sit professio obligans ad illam Religionem non approbatam, est tamen professio obligans ad religionem in communi; quod adeo verum putauit Francus *ad cap. Constitutionem de regul. in 6. num. 4.* vt senserit huiusmodi professiones dirimere matrimonium; hoc repugnare in terminis constat ex prædictis; professio enim non continet solam promissionem factam Deo, sed promissionem factam homini legitimè professionem acceptanti; quis verò acceptat illam promissionem factam in genere, & cui se tradit professus? Dicere verò, quod illam promissionem acceptat ius non sufficit, quia ius non est persona, quæ promissionem acceptet. Nec qui profitetur, se donat, & tradit iuri. Et semper hoc non verum supponitur, quod qui profitetur religionem in specie, simul promittat religionem in genere, quasi dicendum sit, quod qui promittit hunc equum promittat omnem equum. Et non valet ex intentione finis absolute arguere ad promissionem, & votum; quia propositum non est votum, & ex proposito absolutissimo non necessariò eligitur, aut promittitur omne medium, sed illud, quod eligitur pro dijs est, quod promittitur, si promittendum est, salua libertate eligendi quodlibet aliud, si illud non obtineatur, vel sit impossibile, vel si propositum finis duret.

534. Sed si defectus esset, quia recipiens non haberet facultatem acceptandi, & sic deficeret consensus religionis. In hoc casu votum per se esset omnino nullum, & nulla professio nullo modo obligans ex defectu consensus religionis. Et ita quod etiam si putaret acceptantem esse personam legitimam adhuc promissio verè esset nulla, licet putaretur valida Suarez *d. cap. 12 num. 10.* Nam etiam si ignorantia esset concommitans adhuc professio nulla esset, ex defectu legitimè acceptantis. Si tamen ignorantia sic esset concommitans, quod ipse libentius profiteretur si persona, quæ est illegitima esset legitima, tunc adhuc nulla esset illa professio, posset tamen habere annexum votum simplex, si ille simul Deo promitteret se professurum coram legitimo acceptante, in casu, quod qui de præsenti acceptat, non esset legitimus.

535. Professio verò facta scienter à viro in religione mulierum nec vim alicuius voti simplicis habet, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem in seculo, sed censeri debet ficta, nisi ille habeat intentionem se obligandi specialiter; quia professio illa per se obligaret solum ad vitam regularem Religionis Mulierum, quæ est illa quā vouens expressè promittit, & ad quam non potest se obligare, etiam si velit. Ex vi verò talis voti ad aliud non se obligat, nisi vel intentionem suam extendat ad Religionem vniuersaliter, vel saltem ad castitatem in seculo. Sed si ignorans profiteatur, nihilominus nullum votum validum emittit, quia professio si sit ex errore nihil valet, & si ignorantia sit concommitans nihil interest, quia non valet actus ignoranter factus, qui nec valeret factus scienter. Nec obstat si dicatur, quod qui ex ignorantia profitetur in Religione Mulierum putans profiteri in Religione virorum, quantum est ex se ad Religionem se obligat saltem voto simplici. Nam dicitur, quod votum professionis per se non se extendit magis, quam se extendat donatio, & traditio per quam, qui profitetur, se tradit Religioni; hæc vero non se extendit nisi ad illam numero Religionem, in qua emittitur professio. Vnde nisi ex speciali intentione fiat extensior promissio, nec est extensior obligatio, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem in seculo.

536. Et idem dicitur de professione serui, vel emissa per metum, vel ab excommunicato in vim rescripti Apostolici, vel nulla ex defectu ætatis, aut anni probationis, aut loci nouitiatus, nulla enim harum professionem habet vim voti simplicis, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem in seculo, vel ad aliquid extra Religionem in qua est emissa, forsan per accidens ex eo quod ex speciali intentione, aut alterius voti concommitantia professio ad ea se extendat. Cum tamen professio, quæ non est nulla ex parte consensus habeat vim voti simplicis ad ea, quæ sunt ciis Religionis in qua est emissa.

537. Tandem considerandum est, quod ut supra dicebatur modo per Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19.* abrogatæ fuerunt præsumptiones obligationis, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem in seculo seruandam, quas secundum ius antiquum DD. deduxerunt ex professione nulla. Nam Reuerendiss. Fagnan. *cap. Consulti num. fin. de Regul.* admittit, quod abrogata sit etiam præsumptio obligationis ad Religionem in communi, quæ desumi possit ex professione nulla, ex eo quod facta in religione non approbata, quia Concilium petens ad validitatem

pro-

professionis, quod nouitius post susceptum habitum stet per annum in probatione, videtur intelligendum de susceptione habitus, & probatione habita in Religione approbata à Sede Apostolica; quia dispositio Concilij debet de actu intelligi valido, vt in his ferè terminis declarat Lapus alleg. 46. Receptio autem habitus, & probatio habita in Religione non approbata à Sede Apostolica est ipso iure nulla *cap. vn. de Relig. dom. in 6.* Vnde hoc modo nouitius non potest dici stetisse per annum in probatione, cum nulla fuerit probatio habita in Religione non approbata, & sic non steterit per annum in probatione. Sed si hæc ratio valet, iam vniuersaliter est verum, quod professio nulla ex quacunque causa nullam infert obligationem, vel ad Religionem in communi, vel ad castitatem in seculo, si nullitatem similis professionis præcessit, vel nulla receptio habitus, vel nulla probatio, & sic quia inualida est receptio, & probatio viri in religione mulierum, vel serui sine licentia domini, vel coniugati sine licentia alterius coniugis, vel eius qui recipit habitum, & probationem à non habente facultatem; ideò huiusmodi quælibet professio nulla, quia simul est nulla ex nullitate receptionis ad habitum, vel probationis nullam producet obligationem ad vitam regularem, vel aliquid vitæ regularis extra illam Religionem in qua est emissa.

538. Sed in hac parte mihi certum videtur, quod Concilium Tridentinum abrogauit regulam illam scilicet, quod in professione si non valet, quod ago, vt ago, valet saltem, vt valere potest. Neque enim Concilium Trident. voluit, quod professio nulla ex defectu ætatis, vel professionis non induceret obligationem ad Religionem in communi, aut ad quoscumque effectus, si qui profitetur vere in casu nullitatis professionis ad Religionem in specie, intendat se obligare ad religionem in genere, quia non abstulit votum; & qui sic intendit vere vouet religionem in genere, sed abstulit præsumptionem huius voti, & obligationis deductam ex vi professionis nullæ fundatam in regula præfata, per quam deducebatur, quod quia professio emissa non poterat valere, vt obliget ad religionem in specie, intelligeretur valere quantum ad Religionem in genere; & sic Concilium decernens professionem irritam nullā inducere obligationem, simul declarauit in voto professionis, attendi debere an professio sit nulla ad speciem, & quod hoc dato, & sic dato quod illa sit nulla, vt ago, simpliciter habenda est, et nulla, & nullam ad aliquid aliud inducere obligationem. Ideò mihi certum est secundò, quod per Concilium abrogatæ sunt omnes illæ Canonistarum consequentiæ, & præsumptiones valoris professionis nullæ, quas desumebant ex statutis, *in cap. Non solum, & cap. Constitutionem de Regul. in 6.* ex quibus habebatur, quod professio habita intra annum probationis non obligaret in specie, & obligaret ad religionem in genere; quia cum Concilium abstulerit, & abrogauerit statutum in illis capit. simul abstulit omnes consequentias, & præsumptiones, quæ inde deducebantur quia destructo principio inanis est consequentia ex principio deducto. Ideò dicendum est tertiò, quod excepto casu professionis coniugati, de quo *in cap. Quidam, & cap. Placet. de conuers. Coniugat* &c. per Concilium Trid. abrogata fuit omnis præsumptio, per quam præsumatur professionem nullam validam esse quantum ad obligationem religionis in genere, aut castitatis in seculo. Quia Concilium ex quo declarauit professionem nullam in præfatis casibus nullam huiusmodi inducere obligationem, aut obligationis præsumptionem, simul declarauit hanc, vel obligationem, vel obligationis præsumptionem non esse ex natura rei annexam professioni irritæ, & ideò nec à nobis esse illi annectendam, nisi lex id expresse statuerit; in iure verò non habetur expresse, quod professio nulla alia à predicto inducat obligationem nisi professio coniugati facta sine licentia, quam etiam lex vult eam non inducere obligationem ad religionem in genere, sed solum ad aliquam castitatem. Aliæ igitur professiones nullæ, neque hanc obligationem inducunt professio vero coniugati præfatam obligationem ad aliqualem castitatem inducit; quia hoc statuit ius positiuum, & in his non potest reddi alia ratio melior, quam ista, quod in tali casu particulari ius ita præsumpsit, & præsumi decreuit. Verum quia receptio ad habitum coniugati sine licentia alterius coniugis, & eius nouitiatus est inualidus, si semel verum sit, quod Concilium Tridentinum ad hoc, vt professio non sit nulla, requirit nouitiatum validum, & legitimum, & hoc deficiente intendit professionem esse nullam, & nullum producere effectum, sequi videtur, quod sint abrogata *d. cap. Quidam, & Placet*, & professio coniugati sine licentia nullam inducat obligationem, sed hoc requirit altiorem indaginem.

SVMMARIVM.

1 *Professionis validæ plures effectus. n. 539.*
2 *Professus non est sui iuris. n. 540.*
3 *Superiores habent potestatem dominatiuam in subditos. n. 541.*
4 *Subditi ex iustitia commutatiua tenentur obedire. num. 541.*
5 *Hoc explicatur, num. 542.*

De quibusdam effectibus professionis validæ.

INSPECTIO X.

CAP. SECVNDVM.

539. PLures habet effectus professio valida, ex quibus alij spectant interius ad animam, & animæ dotes, alij respiciunt externam iurisdictionem, & obligationes à quibus professi eximantur, & alij spectant ad bona temporalia, quæ ad monasterium intuitu professionis

Reli-

Religiosorum perueniunt: De primis agendum est in præsenti capite.

Professus non est sui iuris.

540. PRimus & essentialis effectus professionis est, vt professus non maneat sui iuris, sed sub dominio, & potestate Religionis incorporetur tanquam verum, & politicum eius membrum. Qui effectus conuenit professioni ratione traditionis per quam professus se ipsũ totum Religioni donando tradit, & sic in Religionem transfert sui dominium priuando se suo iure; & hanc traditionem consecrando per votum, ad quod consequitur obligatio ad vitam Regularem ex duplici titulo consurgentem, nimirum ex traditione, & promissione, & quasi contractu initio à professo cum Religione, deinde à voto professionis, per quod præfata traditio, & promissio confirmatur, & sanctificatur, & consecratur. Vnde est, quod Religiosus professus non habet velle, vel nolle.

541. Sed hinc oritur secundus effectus ex parte superioris, in quem consequitur superioritas, & dominium super religiosum, qui se superiori donauit in quandam honorificam seruitutem, vel spiritualem filiationem. Et ita quod subditus, etiam ex iustitia commutatiua teneatur ad Regulæ obseruantiam, & inobseruantia præceptorum superioris sit non solum sacrilegium, sed simul iniustitia contra iustitiam commutatiuam, quia nimirum sit contra illam donationem, & traditionem, & promissionem, per quam Religiosus in professione se tradit religioni in religiosum, hoc est in seruum spiritualem, & filium, & ita tenent Suarez tom. 3. de *Relig. l.* 10. *cap.* 6. *num.* 3. Palaus *tract.* 16. *p.* 1. *num.* 3. Donat. 3. tomo tr. 17. *quæst.* 4. *num.* 6. Anton. à Spir. San. *tract.* 3. *disp.* 6. *num.* 15. Et ex Lessio *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8. *num.* 68. Colon. *lib.* 4. *contr.* 4. *cap.* 1. *num.* 48. Quorum sententiam sequutus sum supra *tom.* 1. *ad quæst.* 186. *a.* 6. *num.* 30. & *art.* 9. *num.* 26. & *sequent.*

542. Potest verò obijci contra hoc, quia licet Religiosus in professione se tradat Religioni, & superioribus illius, & se illis donet in seruum honorificum, tamen hæc donatio formaliter non respicit Religionem, & superiores vt tales sunt domini proprietarij nomine proprio possidentes, & vt id quod illis datur sit sub eorum proprietate in ipsorum vtilitatem, vt res donata sit illorum propria, sed is cui professus per se primo, & formaliter donat est Deus in cuius obsequium se donat, & professus per se primò in sui ipsius vtilitatem, non verò in vtilitatem religionis se donat, & tradit, etenim Religioni se tradit, vt directrici sui in Deum, & vt secundum regulam viuens ad perfectionem possit peruenire, igitur non intrat hic iustitia commutatiua, quæ respicit proprium hominum, & dirigit in hoc, vt quod est proprium cuiusque ei tribuatur, & ab eo non auferatur professus, verò etiam ex vi traditionis suæ Dei est, quia Deo per se primo se donat, & non se donat Religioni nisi in ordine ad Deum, vnde hæc traditio verè est oblatio religiosa. Sed respondetur negando argumenti sequelam; Nam traditio, & donatio ab intrinseco fundat iustitiã commutatiuam, & aliud est traditio aliud motiuum, & finis traditionis. Traditio enim ex sui ratione, & fine operis transfert dominium rei traditæ in eum cui res donata traditur, & licet finis principalis tradentis non sit, vt res tradita sit sub dominio eius cui traditur, tamen traditio, vt traditio alium finem non habet ex parte operis. Et ideò negatur, quod finis professi non sit etiam quod Religio habeat dominium spirituale eiusdẽ professi. Quamuis finis principalis professi sit propria vtilitas spiritualis, quæ est per Dei obsequium peruenire ad culmen perfectionis. Et ideò hæc traditio formaliter, & principaliter est oblatio facta Deo, & est actus religionis. Sic qui tradit eleemosynam materialiter vult, quod donatum sit donatarij pauperis, sed formaliter vult exercere actum misericordiæ. Ita enim & in professione illa donatio, & traditio materialiter est donatio per quam professus vult se esse religionis, & hic est finis proximus talis traditionis, vt est traditio, sed formaliter est traditio facta in Dei obsequium, seu ad Dei cultum, & ideò est actus Religionis, & sic si consideretur hæc traditio, vt est traditio, finis eius est, vt persona Religiosi sit religionis, sed si consideretur, vt est traditio facta religioni ad Dei obsequium, sic traditio est actus religionis, & sic materialiter traditio fundat iustitiam commutatiuam.

SVMMARIVM.

1 *In professione habetur plenaria remissio pœnarum. num.* 543.
2 *Si tamen qui profitetur sit in gratia. numero* 544.
3 *Differentia professionis, & Baptismi. numero* 544.
4 *Peccatoris professio non reuiuiscit, quantum ad remissionem plenariam. n.* 544.
5 *Remissio pœnarum, quam confert professio non est indulgentia. n.* 545.
6 *Professio non remittit pœnam ex Christi speciali gratuita institutione. n.* 546. 547.
7 *Professio non remittit pœnam ex opere operato, sed ex condignitate operis. n.* 547.
8 *Non est certum vniuersaliter, quod professio remittat totam pœnam. n.* 548.
9 *Remissio quam confert professio non est ex concessione Pontificis. n.* 549.
10 *Gratia hæc tribuitur absolute non sub conditione. n.* 550.
11 *Existente tamen professione valida, numero* 551.
12 *Renouatio professionis an pariat eundem effectum. n.* 551.
13 *Et professio transeuntis ad aliam Religionem. num.* 552.
14 *Indulgentia plenaria concessa in professione. numer.* 553.

Re-

Remissio poenarum plenaria.

543. TErtius effectus est, vt ex quo professio ratione traditionis praestatae voto obedientiae consecratae, est sacrificium, quoddam, & holocaustum Deo gratissimum, habeat ex se, & excellentia operis virtutem satisfaciendi pro peccatis, & peccata remittendi non quantum ad culpam, sed quandam ad poenam, & in hoc habeat quantum similitudinem cum Baptismo, vt plenariam indulgentiam ferat, & à poena pro peccatis debita plenariè liberet, & ita quod si professus tunc moreretur anima illius, statim euolaret ad paradisi gaudia, quia non haberetur reatus poenae cui per poenas purgatorij satis facere deberet. Ita D. T. supra *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. & ibi Caiet. & iterum D. T. 4. *d.* 3. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 3. *ad* 3. Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 8. *num.* 17. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 3. §. 3. Fel. *cap. Cum deputati num.* 4. *de ind.* Vuald. de Sacramentali. *tit.* 9. *cap.* 8. *num.* 8. & 9. Petrus Sutor Carolus *l.* 2. *hist. tr.* c. *num.* 7. Rosella *v. Religio* 2. *num.* 9. Angelus *v. Religiosus num.* 46. Syluest. *v. religio* 3. *q.* c 3. Armilla *v. Nouitius in fin.* Tablen. *in fin.* & *v. indulgentia q.* 27. *num.* 28. Nauar. *de indulgen. notab.* 20. *num.* 17. & *commen.* 2. *de Regul. num.* 60. Cuchus, Sà, Azor. Platus, Rodriq. quos refert, & sequitur Sanchez *l.* 5. in Decal. *cap.* 5. *num.* c. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 13. *num.* 4. Ledesma e. *p. tr.* 10. *cap.* 1. *diff.* 2. Barbosa *ad cap.* 4. *de voto num.* 5. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 27. *num.* 7. & apud eum Carraciolus, Barbosa *ad cap. scriptura nu.* 3. de voto plures alios referens Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 10. *num.* 1. Palaus *tract.* 16. *p.* 8. *num.* 3. Bord. *de profess. cap.* 5. *q.* 8. Et est de mente S. Hieronymi *epist.* 8. & 25. & *D. Bernardi lib. de praecept. & dispensat.* appellantium professionem secundum Baptisma, cum manifestum sit in Baptismo totam poenam remitti plenariè. Quod & apud veteres Monachos fuit communi consensu, & traditione receptum, & diuinâ reuelatione pluries confirmatum, vt habetur ex S. Athanas. in vita S. Ant. D. Anselm. *in lib. Similitud. cap. vlt.* Leontio Cyprio Episcopo in vita Simeonis Abbatis. Et probatur hoc idem ex *cap. Quis aliquando* §. *his autoritatibus, de poenit. dist.* 1. vbi traditur nullam praeteritorum criminum ingredienti Religionem esse imponendam, quod totum vitae residuum tempus Deo dedicet. Per quem textum hoc idem tenet Gloss. ibi *v. totum*, & *cap. scriptura v. temporale de voto*. Et idem etiam habetur ex Codi. iure Authent. de Monachis *collat.* 1. *& princip.* & ibi Gloss. *v. marulam*, & *l. Deo nobis* §. *hoc etiam, v. rursus*.

544. Hunc tamen effectum non consequitur, nisi qui tempore professionis est in gratia, & capax, vt ei remittatur poena. Non enim professio remittit culpam, neque enim est sacramentum. Et in hoc primo distinguitur à Baptismo, qui est Sacramentum primam gratiam conferens, & ex opere operato remittens culpam, & condonans poenam. Sed professio non est Sacramentum gratiam conferens, nec remittit poenam ex opere operato, sed ex opere operantis, quod opus operantis Deo non est acceptum, si operans non sit per gratiam Dei amicus. Distinguitur etiam à Baptismo, quia cum Baptismus sit Sacramentum conferens gratiam ex opere operato, ideò licet, qui tempore Baptismi est indispositus non recipiat gratiam, eam tamen recipit recedente indispositione, & fictione; sed quidquid in contrarium dixerit Tambur. *tom.* 3. *d.* 6. *q.* 27. *num.* 4. ex Bartolomeo à S. Fausto *l.* 5. *q.* 317. & Barbosa *lib. de iure Eccles. cap.* 42. *num.* 68. in professo, si professus peccator tempore professionis postea resipiscat, ex hoc non consequitur plenariam remissionem poenarum debitarum, quia professio non confert hunc effectum ex institutione libera Dei, & ex opere operato, sed ex merito operis operantis, quod opus operans cum tempore professionis non fuerit formatus per gratiam, non potuit tunc hanc plenariam remissionem producere, & post illud tunc nihil producit, cum tunc iam defecerit, vt bene tradunt Caiet. supra *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. Tablen. *v. nouitius in fin.* Nauar. *de indul. nota* 20. *num.* 17. Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *c.* 5. *q.* 21. Sanchez. *l.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *c.* 13. *num.* 5. Bordon. *cap.* 5. *de profess. q.* 8. Et alij communiter opera enim satisfactoria habita in mortali non reuiuiscunt gratia postea recuperata, vnde nec reuiuiscit professio.

545. Quamuis verò hic effectus in remissione poenae consistat, non tamen propriè est indulgentia plenaria, sed ab ea valdè distinguitur. Nam indulgentia non fundatur in valore operis operantis, sed in satisfactione Christi, & Sanctorum quam Pontifex de Thesauro Ecclesiae applicat operantibus hoc, vel illud à se impositum. Ideò ad hoc, vt indulgentia concedatur requiritur aliquid. Sed plenaria poenarum remissio, quae fit per professionem non innititur alterius concessioni gratuitae, sed valori, dignitati, & excellentiae operis. Nauar. vbi supra Sanchez *d. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. Barbosa *d. cap.* 42. *num.* 182. & *scrip. scriptura num.* 5. de voto Tambur. *d. q.* 27. *num.* 8. Palaus *tr.* 16. *disp.* 2. *p.* 8. *num.* 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 10. *num.* 1.

546. Dubium verò esse potest an hic plenarius effectus vniuersaliter infallibiliter obtineatur à quocumque profitente etiam si contingat illum fuisse peccatorem, & magnitudine, & multitudine peccatorum maximum, & tempore professionis per actum satis remissum professionem emittat, & se Deo offerat? Posset enim affirmari quod etiam si satisfactio, quae Deo in professione redditur non sit condigna pro totius poenae remissione, nihilominus Deus quare ex gratitudine, & sua liberalitate concedat totius poenae remissionem, quo supposito affirmari posset, hoc vniuersaliter contingere, vt in professione totam profitenti remittatur poena; Sed certè huius non datur probatio. Et si hoc esset iam professio ex opere operato poenam remitteret, quod affirmare non possimus, cum hoc sit diuinae voluntatis, & liberae institutionis, cuius non habemus à Deo reuelationem, neque ab Ecclesia est assertum, neque Sanctorum auctoritate comprobatum.

547. Dicitur igitur primo, quod remissio ista totius poenae non est ex speciali gratuito Dei beneficio

neficio non supponente in nobis condignam satisfactionem. Sed est ex excellentia operis, scilicet professionis gratia Dei, & charitate formatæ, & ideò quod illi soli ex vi professionis remittitur tota pœna, cuius professio est condigna satisfactio pro eadem tota pœna prius debita. Quod enim remissio ista non fiat ex opere operato, sed operantis docuerunt Caiet. supra *q.189. a.3. ad 3. dub. 2.* & ex Tabien. *v. Nouitius in fin.* Nauar. *de indulgen. not. 20. num. 17.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 5. q. 11.* Sanchez *l. 5. moral. cap. 5. num. 4.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib 6. cap. 1. 10. num. 6.* Palaus *tr. 16. disp. 2. p. 8. num. 3.* Bordon. *de profess. cap. 5. q. 8.* quod quidem est de mente S. Thomæ supra *q. 189. a. 3. ad 3.* vbi sic habet. *Rationabiliter autem dici potest, quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum: si enim aliquibus eleemosynis factis homo statim potest satisfacere de peccatis suis; multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per Religionis ingressum, qua excedit omne genus satisfactionis etiam publica pœnitentia, vt habetur in decretis 33. q. 2. cap. Admonere. Sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, vt Greg. dicit super Ezech. Vnde legitur in vitis Patrum, quod eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Si tamen non absoluerentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus ingressus Religionis vtilior est, quam peregrinatio terræ sanctæ quantum ad promotionem in bonum, quæ præponderat absolutioni a pœna.* Ex hoc enim discursu colligo, quod D. T. hanc gratiam remissionis omnis pœnæ fundat in excellentia, & condignitate operis, scilicet professionis, quæ est excellentior in genere satisfactionis, quam eleemosyna, quæ tamen potest esse condigna satisfactio pro tota pœna; sicut & potest esse pœnitentia publica. Et ita hæc est via consequentiæ D. T. eleemosyna, & pœnitentia publica potest esse condigna satisfactio pro tota pœna; ergo multo magis hoc competit professioni, quæ [illegible] in virtute satisfactionis magnam eleemosynam excedit, & pœnitentiam publicam. Sic igitur ex vi excellentiæ professionis habetur, quod ipsa sit satisfactio pro tota pœna; quod etiam [illegible] religiosi hunc effectum habent non ex priuilegio [illegible] sed ex propria condignitate. Quod verò professio comparetur Baptismo, similitudo est [illegible], non æqualitas quantum ad omnia; & sic similitudo est, quod etiam professio est quædam mors, vt quemadmodum in Baptismo qui moritur mundo, & consepelitur cum Christo; ita & in professione vir specialiter [illegible] Vnde & [illegible] obtinet remissionem peccatorum, sed [illegible] est, quod Baptismus sit sacramentum, quod ex opere operato [illegible] gratiam, & remissionem totius pœnæ; professio non est sacramentum, nec confert [illegible] gratiam, nec ex opere operato confert remissionem peccatorum.

548. Dicitur secundò, quod non est infallibile quod in omni casu professio remittat totã pœnã profitenti, quia aliquãdo potest esse extra partẽ tã magnum pœnæ reatum [illegible] actus tam remissus charitatis, & religionis, [illegible] tum in eo, qui profitetur, vt professio non sit condigna satisfactio pro tota pœna; in quo casu pœna tota non remittitur. Et hoc de mente D. Thomæ asseritur, quia in verbis supra citatis, asserit solum rationabiliter dici posse quod tota pœna remittatur, sed non ponit id vt regulam certam. Imò supponit contrarium euenire posse, vnde dicit. *Si tamen nõ absoluerentur per hoc ab omni reatu pœnæ.* Itaq; mẽs D. Thomæ est, quod sit adeò excellẽs in virtute satisfactionis professio vt regulariter sit cõdigna satisfactio pro tota pœna, quãuis contingere possit, vt reatus pœnæ sit tam magnus, & profitẽdi modus adeò remissus, vt debitũ totius pœnæ non tollat. Atque ita D. T. se explicauit *in 4. d. 4. q. 3. a. 3. q. 3. ad 3.* & Nauar. *de indulg. notab. 20. n. 17.* Suarez *l. 6. c. 10. num. 6.* Palaus *d. p. 8. n. 3.* Bordon. *c. 5. q. 6.*

549. Colligitur ex hoc sine fundamento Felinum in sermone quodam de Indulgentijs *colum. 5. versic. Et aduertendum*, apud Sanchez *d. c. 5. n. 5.* negasse hunc effectum professioni, & dixisse sententiam communem non posse defendi, cum non adsit de hoc aliqua Pontificis concessio, quia hic effectus innititur condignitati operis non vero alicuius concessionis Pontificis.

550. Colligitur secundò, non benè ab aliquibus effectum hunc intelligi vt conditionatum, & per modum satisfactionis sufficientis solum, ex impossibilitate satisfaciendi in integrum, & ideò cum obligatione in futurum satisfaciendi. Sicut si, qui debet mille, daret modo centum cum obligatione dandi alia nongenta in futurum. Ita Palud. *4. d. 4. q. 5. a. 3. num. 13. & 14.* & ex eo D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 3. § 5.* Sed veritas est iuxta communem sententiam D. T. & DD. quod professus tunc in professione, obtineat totam pœnæ remissionem, & hoc quia reddat condignum, & sic quod vt ex Athanasio in vita S. Ambrosij aduertit Caiet. supra *q. 189. a. 3. ad 3.* plenè antiqua debita cancellentur, & fiat liber nouus, & solum pro peccatis consequentibus professionem reatus pœnæ succedat.

551. Professionem verò debere esse validam ad hoc vt producat hunc effectum dixit Tambur. *[illegible] num. 3.* sed ad hoc sufficere, si sit valida ex parte profitentis, & alio bona fide emissa, sequitur Bordon. *cap. 5. q. 6.* Et meritò, nam hic effectus remissionis totius pœnæ respondet operi operantis [illegible] efficaciæ. At verò qui bona fide profitetur, se totum tradens Deo in perpetuum obsequium [illegible] quod in se est, & Deo gratissimum holocaustum [illegible]. Quod attinet hunc effectum [illegible] renouatio professionis, quoniam tunc religiosus de nouo [illegible] ad effectum suum totaliter se donat in Dei obsequium [illegible] locis [illegible] Layman. *num. 1.* Palaus *num. 6.* Tambur. *n. 8.* referens pro hac sententia S. Bernard. Senen. Dyon. Carthus. Vech. Peyr. & Emanuelem Sa. Id negat Sanchez *num. 5.* quem sequitur Barbosa *ad cap. Scripturæ num. 5. de voto*, eo quod renouatio non sit opus adeò difficile, sicut prima professio, & hoc quasi [illegible] Bord. *cap. 5. q. 6.* [illegible] minus quid est non donare [illegible] de donato gaudere vel [illegible] donationem [illegible]. Nihilominus quia non potest negari quin renouatio professionis sit opus [illegible] potest

poteſt, quia ſit magnæ virtutis, & ſatisfactionis; ſed res Deo eſt nota, & ex magnitudine reatus pœnarum, & feruoris renouationis profeſſionis iudicanda.

552. Quod etiam hunc effectum producat profeſſio tranſeuntis ad aliam Religionem etiam laxiorem voluerunt etiam Sanchez, & Bordon. citati. Sed neque iſta eſt noua profeſſio ſimpliciter, nec Deo offertur niſi prius oblatum ſubſtantialiter loquendo, vnde parum differunt renouatio profeſſionis in eadem religione vel profeſſio noua in alia, & in vtraque nihil ſubſtantialiter offertur niſi prius oblatum, & ideò iam ea alio titulo debitum. Hunc etiam eundem effectum producere vota biennij in Societate, quia per ea Religiosus moritur mundo, & fit propriè religioſus, docent Sanchez *num.* 7. & Layman *num.* 1. Et tamen etiam conſiderandum eſt, quod traditio per illa vota non eſt abſoluta, ſed conditionalis quantum ad perpetuitatem, vt fatetur ibid. Sanchez, quod non parum diminuit vim, & excellentiam illius.

553. Profitentibus verò conceſſa etiam eſt à Pontificibus Indulgentia plenaria. Nam à Iulio II. conceſſa fuit Ordini Minimorum indulgentia plenaria pro ingredientibus in illum, quod ex Rodriquez *tom.* 2. *q.* 87. *a.* 1. Sanchez *d. l.* 5. *c.* 5. *num.* 8. intelligit de primo ingreſſu in ſuſceptione habitus. Sed hæc cum alijs reuocata fuit à Paulo Quinto *conſt.* 21. Qui tamen ibidem confeſſis, & Sacra Eucharistia refectis tam ingredientibus, quam profitentibus voluit ſaliter conceſſit indulgentiam plenariam.

SVMMARIVM.

1 *Profeſſio extinguit vota antecedentia. num.* 554.
2 *Profeſſio extinguit vota ſibi repugnantia. nu.* 555.
3 *Etiam votum peregrinationis in ſubſidium terræ ſanctæ. num.* 556.
4 *Etiam vota realia num.* 557.
5 *Exceptis, ijs qui continent obligationem factam homini. num.* 558.
6 *Etiam realia iuramenta. num.* 559.
7 *Non tamen promiſſionem, qua quis promiſit implere votum alterius. num.* 560.
8 *Nec vota ad quæ tenetur hæres extinguuntur. num.* 561.
9 *Vota quæ obligant ante profeſſionem exequi debeat poſſunt tamen commutari in votum profeſſionis. num.* 562.
10 *Votum non repugnans profeſſioni poteſt in votum profeſſionis commutari. num.* 563.
11 *Et hoc eſt verum de omnibus votis. num.* 564.
12 *In dubio conſulendus eſſet Superior. num.* 565.
13 *An vota antecedentia ipſo iure ex vi profeſſionis extinguantur? Aliqui negant. num.* 566.
14 *Ex vi profeſſionis ipſo iure vota priora extinguuntur. num.* 567.
15 *Hoc eſt de iure Eccleſiaſtico. num.* 568.
16 *Et de iure Diuino. num.* 569.
17 *Et independenter à profitentis voluntate. nu.* 580.
18 *Et omnia vota extinguuntur, etiam emiſſa à nouitio, & realia.* 581.
19 *Et vota particularia perpetua. num.* 582.
20 *Quid de voto recuperandi terram Sanctam. num.* 583.
21 *Per profeſſionem in alia Religione non extinguuntur vota emiſſa in priori. num.* 584.
22 *Electus non eſt liber à votis profeſſionis. nu.* 585.

Extinctio Votorum.

554. TErtius profeſſionis effectus eſt, quod vota antecedentia extinguit, vnde profeſſus ab eorum obligatione omnino liber manet. De hoc effectu hæc habet D.T. *ſuprà q.* 88. *a.* 12. *ad primum. Dicendum, quod omnia alia vota ſunt quorundam particularium operum, ſed per religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. Particulare autem in vniuerſali includitur, & ideò Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſeruantiam commutat. Nec tamen religionem ingrediens tenetur implere vota vel ieiuniorum, vel orationum, vel aliorum huiuſmodi, quæ exiſtens in ſeculo fecit; quia religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam ſingulares obſeruantiæ religioni non competunt, & religionis onus ſatis hominem onerat, vt alia ſuperaddere non oporteat.* Idem verò ſentit D.T. *ſupra q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. & 4. *d.* 38. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 4. *ad* 2. Caiet. vtroque loco, & Aragon. Idemque tenuerunt DD. *ad c. Scriptura de voto*, Gloſſa *c. Monacho v. voverit* 20. *q.* 4. Panorm. *cap. peruenit el* 2. *de iure iur. num.* 1. & ibi Neuo *num.* 4. Felin. *num.* 2. & *cap. Cum deputati num.* 4. *de iudic.* Abulen. *cap.* 39. Num. *q.* 74. Palud. 4. *d.* 38. *p.* 4. *a.* 1. *num.* 15. D. Anton. 2. *p. tit.* 11. *cap.* 2. §. 8. *not.* 2. Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *a.* 3. *ad primum*, Summa *Confeſſ. lib. tit.* 8. *q.* 78. Syluel. *v. votum* 3. *q.* 9. & *votum* 4. *q.* 7. *d.* 3. Tabiena *v. votum* 4. *q. vlt.* Armilla *num.* 28. Nauar. *cap.* 12. *num.* 65. & 78. Couar. *cap. quamuis pactum t.* 1. §. 3. *num.* 4. Alcozer *in ſumma cap.* 16. *concluſ.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 17 *fin.* & *cap.* 19. *q.* 21. Rodriq. *t.* 2. *ſum. cap* 8. *nu.* 12. *concl.* 11. Sanchez *l.* 5. *moral. cap.* 5. *num.* 38. Ledeſma *p.* 2. *ſum. trac.* 10. *cap. vlt.* Campanil. *rubr.* 12. *cap.* 10. *num.* 2. à S. Fauſto *lib.* 5. *q.* 113. Miranda *p.* 1. *q.* 15. *a.* 7. Sayrus in Claui regia *l.* 5. *cap.* 8. *num.* 15. Hieron. Rodriq. *reſol.* 140. *num.* 6. Tambur. de iur. Abb. *to.* 3. *diſp.* 6. *q.* 27. *num.* 9. Barboſa de iure Eccleſ. *lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 157. & *in cap. Scriptura, num.* 2. *de voto* Bordon. *de profeſſ. cap.* 5. *q.* 14. Anton. à Spir. Sancto *tract.* 3. *diſp.* 3. *num.* 181. Coton. *l.* 4 *contr.* 4. *cap.* 2. *nu.* 46. Layman. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. Fundatur verò hæc communis ſententia *in cap. Scriptura de voto*, vbi ſic habetur. *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare.*

555. Quoniam verò Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. ait quod fundamenta huius ſententiæ eam non videatur ſatis conuincere, qualiter conuincant oportet oſtendere. Diſtinguuntur igitur vota præcedentia profeſſionem in ea, quæ ſimul cum profeſſione impleri non poſſunt, vt ſunt vota peregrinationis, eleemoſynarũ, & huiuſmodi, & alia ſunt vota, quæ ſimul poſſunt conſiſtere cum profeſſione, & impleri, vt ſunt vota orationum, ieiuniorum aliquorum, & ſimilium. Habetur

ergo pro certo vota repugnantia statui professionis eadem professione extingui. Hoc enim habetur ex *d. cap. Scriptura*, & ratione conuincitur, quia quodlibet votum habet intrinsecus annexam conditionem, vt non sit impeditiuum melioris boni, vt est certum apud omnes, & habetur ex verbis relatis ex *d. cap. Scriptura*, cum verò euidens sit statum religionis esse melius, quam sit quodlibet aliud obsequium temporale, vel particulare Deo promissum, benè sequitur, quod obligatio cuiuslibet voti repugnantis professioni ipsa professione extinguitur, & cuiuslibet similis voti obligatio cessat, ne votum professionis impediat.

556. Cum verò limitent aliqui hanc assertionem vt non valeat de voto peregrinationis terræ sanctæ emisso non solius deuotionis causa, sed in subsidium illius, hoc enim voto professionis non extingui censuerunt Syluest. *v. votum 4. q. 7. dec. 3.* & Angelus *v. votum in princ.* quia tamen textus in *cap. Scriptura*, loquitur expressè de voto peregrinationis terræ sanctæ, & non distinguit, & rationem allatam vniuersaliter probat, ideò vniuersaliter asseritur, quod omne votum cuius obseruatio repugnat obseruantiæ professionis, etiam votum peregrinationis in subsidium terræ sanctæ professione extinguitur, Caiet. *in sum. v. voti dispensatio*, Nauar. *cap. 12. num. 79.* Richar. *4. d. 38.* Angelus *v. votum 4.* Suarez *d. cap. 14. num. 5.* Vbi quod esto votum huius peregrinationis posset impleri ante ingressum in Religionem id tamen fieri non est necesse, quia hoc esset maius bonum differre, & pro tempore auferre pro minori bono, & quidem cum periculo ve absolutè maius bonum periret, & impediretur professio.

557. Pariter & in hoc sensu certum est non debere excipi vota realia, vt rectè adnotauit Caiet. *tom. 2. opusc. tr. 11. q. 3.* Nam imò ista vota sunt quæ maximè repugnant professioni in qua promittitur paupertas; vnde cum professus nihil proprij habeat, vel habere possit, non potest etiam aliquid ex vi cuiuscumque voti tribuere. Verum tamen est, quod qui antecedenter ad professionem est ligatus voto reali, si voti obligatio viget, & petit impleri ante tempus professionis impleri debet, & tunc non extinguitur obligatio ex eo quod votum sit incompossibile cum professione, sed si obligatio voti non est vt impleatur ante tempus professionis, non obligatur qui vult profiteri vt illud impleat ante professionem, quia id non vouit, nec ad id se obligauit, emissa verò professione iam votum est extinctum, cum in professione Religiosus se priuet omni re, vnde non est in potestate eius vt det aliquid in voti realis implementum. Similiter vbi voti obligatio est successiua, vt quia qui vouit tenetur singulo anno aliquid tribuere, ex vi professionis liberatur vt ab eo puncto in futurum nihil tribuere teneatur.

558. Et tamen considerandum, quod si votum reale non sit purum, sed sit mixtum ex promissione facta Deo, & homini, quia nimirum vouens promisit alteri aliquid, qui promissionem acceptauit, & insuper qui promisit voto promissionem confirmauit, in hoc casu vouens antequam profiteatur debet huic voto satisfacere, quia hoc est debitum reale cui vouens satisfacere debet, antequam professionem emittat, vel si sit debitum soluendum successiuè in futurum relinquere modum vnde ei satisfieri possit. Sed vbi votum est purum votum licet non sit merè personale, sed sit reale vel mixtum tanquam factum ad vtilitatem alicuius, quia nihilominus soli Deo facta est promissio, & obligatio, vnde illi tertio nullum fuit ius acquisitum, ideò hoc votum independenter à consensu illius tertij est commutabile, & de facto ex vi professionis extinguitur, & Deo cui facta est obligatio per tale votum satisfit abundè relinquendo omnia propter ipsum Deum. Caiet. vbi supra. D. T. *4. d. 38. q. 1. a. 4. q. 4. ad secundum*, Angel. *v. votum 4. nu. 1.* Syluest *v. votum 4. q. 7. d. 4. fin.* Couar. *de pactis 1. p. §. 3. num. 4. vers. 6.* Arragon. *22. q. 88. a. 12. ad primum*. Ledes. *in sum. tr. 10. cap. vlt.* Rodriq. *tom. 2. sum. cap. 8. concl. 11. num. 12.* Felin *cap. Cum deputati num. 4. de iud.* Richar. *4. d. 38. a. 8. q. 2.* Rosella, *v. votum 1. num. 15.* Armilla *num. 28.* Nauar. *cap. 10. num. 78. fin.* Alcozer *in sum. cap. 16. concl. 4.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 4. a. 3. ad primum*, Sanchez *l. 5. mor. c. 5. num. 43.* Suarez *tom 3. de Rel lib. 6. cap. 14. num. 6.* Barbosa *ad cap. Scriptura num. 2. de voto.*

559. Idem verò est dicendum de iuramento, quod si non contineat promissionem homini factam, & ab eo acceptatam, sed sit merum iuramentum reale dandi aliquid alicui, extinguitur professione, quia per hoc iuramentum nullum ius est tertio acquisitum, & alias per professionem impossibilitatur iurans vt impleat iuramentum reale, cum nihil sibi remaneat, quod dare valeat, & ita hoc iuramentum professione extinguitur. Si verò per iuramentum acquisitum est ius tertiò non potest sine illius licentia hoc iuramentum commutari in melius, iuxta doctrinam Angeli *v. votum 4. num. 3.* & Syluest. *v. votum 4. q. 7. dicto 4. fin.* Vnde qui vult profiteri debet illi vel ante professionem satisfacere, vel onus satisfaciendi transferre in suum hæredem, nisi sit iuramentum aut votum continens conditionem, nisi transiero ad Religionem quemadmodum sunt plura vota in quibus promittitur alteri aliquod obsequium, vt dictum est supra *q. 189.* vt etiam aduertit Sanchez *d. cap. 5. n. 45. fin.*

560. Aduertunt etiam Angelus *v. votum 4. n. 4.* Syluest. *v. votum 4. q. 7. dicto quinto*, quod si quis non vouit, sed promisit alteri puta parenti, aut amico se impleturum eius votum, quod hæc promissio professione extinguitur, quia per hanc promissionem nullum ius est illi tertiò acquisitũ, & promissio facta homini non magis obligat, quam si fiat Deo. Quod tamen limitat Sanchez vbi supra *num. 46.* vt sit verum solo de voto personali. Nam per fidem datam alteri de eius votum exequendo, nullum ius ei acquiritur, Quia sua non interest huius exequi id votum cum nullatenus eius obligatione liberetur, altero exequente: Et ideò hoc professione extinguitur non aliter quam alia vota ab ipso emissa, sed si votum esset reale, acquireretur ei ius per promissionem ei factam eius voti exequendi. Nam cum possit per alium impleri, eo ipso, quo alter nomine ipsius implet, eleemosynam illam præbens, manet ipse liber à voto. Atque propterea ea promissio non extingueretur per professionem. Sed vt verum fatear in hac doctrina non quiesco. Nam cum

vnus

vnus promittit alteri exequi eius votum, vel per hanc executionem ille alius liberatus ab obligatione voti, & in hoc casu promissio est realis, & transferens aliquod ius in promissarium, cui res promissa debetur, & sic hæc promissio professione non extinguitur; vel executio promissa non liberat promissarium ab onere voti, & tunc ne dicatur, quod illa promissio facta sit frustra, & inutiliter censenda erit tanquam facta intuitu alicuius alterius vtilitatis prouenientdæ promissario, & sic huiusmodi promissio erit realis, & non extinguibilis ex professione. Et adiungitur quod cuiuscumque promissionis acceptatio dat acceptanti ius aliquod, vt non decipiatur, vel irrideatur, & fiat illi iniuria qua consequitur ex non obseruantia promissionis. Nec est verisimile quod aliquis accipiat promissionem sine intuitu ad aliquam vtilitatem, ideò cum professio non extinguat debita alteri hominum, nisi sint conditionalia sub conditione Religionis, professio per se illam promissionem non extinguit, qua alius promisit alicui implere suum votum, & ille promissionem acceptauit.

561. Si etiam hæres sit obligatus ad vota realia defuncti persoluenda, hæc obligatio non resoluitur ex professione. Hæc enim est obligatio iustitiæ, vnde hæres huiusmodi considerata sua obligatione respectiuè tenetur vel implere talia vota ante professionem, vel relinquere ea implenda à suo hærede. Sanchez vbi supra *num.* 47. Barbosa *ad cap. Scriptura num.* 1. *de voto*.

562. Alia verò sunt vota, quorum executio non repugnat professioni. Quæ etiam distinguuntur, quia quædam sufficienter impleri possunt ante professionem sine vllo impedimento, vel dilatione; quia v. g. si hodiè vult homo profiteri, hodie etiam potest dare eleemosynam, ieiunare, orare, &c. Alia sunt vota implenda in statu Religionis, quia eorum materia locum habere potest in eo statu, vt sunt ieiunare singula sexta feria, recitare quotidiè rosarium, &c. Si loquamur de votis, quæ impleri possunt ante professionem, si non est necessitas ea implendi ante, non tenetur professurus ea implere. Ad quod tamen tenetur, si ex vi voti implẽda sũt ante tẽpus professionis. Sic enim qui ex voto tenetur ieiunare die veneris, & est professurus die sabbati sequẽti, tenetur die veneris ieiunare. Et nihilominus quia professio est melior, quã ieiuniũ, vel aliud simile particulare opus, posset votum ieiunij vel alterius operis habendi ante professionem commutari in votum professionis habendæ, quia obligare se ex voto ad profitendum in futurum est votum de meliori bono, & ideò votum ieiunij vel simile potest in votum professionis commutari Suarez *d. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 8.

563. Sed loquendo de illis votis, quæ non repugnant professioni, & essent implenda tempore professionis, hoc etiam pro certo habetur, quod professurus potest ex intentione sua omnia hæc vota, etiam si reseruata commutare in votum professionis, & sic quod omnia ista vota ex vi professionis sunt extincta si profitens id intendit, & voluit omnia illa commutare in votum professionis, quia hoc votum est de meliori bono. Et ut habetur ex verbis D. T. supra citatis professio ad alia particularia opera se habet vt totum ad partes, & vt holocaustum ad sacrificium. Hostien. *in sum. tit. de voto* §. *quis venere. possit. num.* 9. Ricardus 4. *d.* 336. *a.* 8. *q.* 2. Rosell. *v. votum* 2 *num.* 13. Angelus *v. votum* 4. *num.* 2. Nauar. *cap.* 12. *num.* 78. Couar. *de pact. p.* 1. §. 3. *num.* 4. *vers.* 6. Ledes. *p.* 2. *tr.* 10. *cap. vlt.* Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 10. Et DD. infra citandi, & quamuis Panorm. *ad cap. Scriptura, de voto* dubitet, an hæc commutatio fieri possit sine auctoritate superioris, & inclinet in hoc, quod fieri possit, tamen cum manifestum sit professionem esse melius bonum, & quod votum non est impeditiuum melioris boni, & vota peregrinationis temporalia sunt, & statui Religioso non conuenientia, votum verò castitatis, & Religionis in professione comprehenditur, pariter est manifestũ ad hanc commutationem non esse necessarium iudicium, & potestatem superioris, sed vouentem se solo posse hanc commutationem facere. Cum verò ad eam faciendam Riccardus, Rosella, & Angelus dicãt sufficere intentionem habitualem, non debet hoc intelligi de intentione purè habituali, quæ nihil operatur, sed de intentione virtuali, quæ in aliquo actu maneat, & virtutem conferat commutationi.

564. Limitant tamen hoc ijdem DD. Riccardus, scilicet, & Angelus *v. votum* 4. *in princip.* & dicunt vota antecedentia posse esse tot, & talia, vt moraliter loquendo possint superare votum professionis, & ita vt saltem pro illis votis commutandis sit consulendus Summus Pontifex. Sed limitatio non admittitur, quia etiam si daretur votum asperitatis maximæ, & magnarum eleemosynarum, & cuiuscumq; alterius particularis operis; semper melius opus est professio per quam homo propter Deum relinquit bona temporalia, corporis delectationes, & totum se ipsum, & sic dat Deo totum quod dare potest, vnde semper professio est de meliori bono, vt in eam vota alia antecedentia commutari possint. Et hoc habetur *ex cap. Scriptura, de voto* vbi hæc commutatio approbatur.

565. Addit verò Suarez *d. cap.* 14. *num.* 11. quod etiam si dubium esset, an hæc commutatio fieri posset, non esset necessarius nouus recursus ad Pontificem, sed sufficeret authoritas iuris, quæ habetur ex *d. cap. Scriptura*, in quo Pontifex saltem approbat commutationem, si eam vouens facere voluerit. Sed certè si daretur casus dubius esset necessaria authoritas superioris, quia *d. cap. non loquitur* saltem expressè vniuersaliter, sed de commutatione voti temporalis in votum perpetuum, & vbi manifestum sit votum professionis esse de meliori bono. Sed dubium locum habere non potest, quia cum professio se habeat ad quodlibet aliud votum vt vniuersale ad particulare, iam continet saltem eminenter quodlibet aliud votum, eo, addit, vnde euidenter est de melioribus. Et sic manifestum est, quod vouentes omnia vota antecedentia possunt in votum professionis commutare.

566. Dubium ergo remanet an nedum hæc commutatio possit fieri ex intentione profitentis, sed an ipso iure fiat, & vota huiusmodi etiam si nihil de hoc cogitet vouens ipso iure ex vi professionis maneant extincta. Hoc enim plures negant,

quia nec iure positiuo, nec iure naturali, & diuino hæc commutatio votorum fit in votum professionis, ergo non fit ipso iure, si illam non faciat ille qui profitetur. Probatur antecedens de iure naturali, quia huiusmodi vota nec ratione materiæ, nec ratione obligationis repugnant vitæ regulari, nec propter multitudinem se excludunt, cum non sit impossibile aut incommodum omnia illa obseruari. Confirmatur, quia hic non militat illa ratio, quod in professione homo moritur priori vitæ, quia non sic homo in professione moritur, quin licitè, & sanctè possit multas actiones facere honestas, quas prius exercebat, & de facto potest post professionem hæc vota emittere, & per illa se obligare tam liberè sicut prius, licet cum dependentia à regulis, ex quo tamen non sequitur, nisi quod vbi regulæ repugnant, non obligent. Confirmatur secundò, quia neque hic valet illa ratio, quod professio ad huiusmodi voto se habet tanquam totum ad partes, quia status religiosus potest esse sine his votis, & illa possunt ei adiungi, nam homo iam Religiosus potest hæc vota emittere, & valida sunt nisi irritentur, vnde in hoc solum sunt infirma quod irritari possunt à superioribus. Quod verò hæc commutatio non fit ex iure positiuo diuino est manifestum, cum de hoc nihil habeatur vel ex Scripturis Sacris, vel ex traditione, vel ex Concilijs, aut Pontificum diffinitionibus. Sed quod neque eadem commutatio habeatur de iure positiuo humano, probatur quia si ex aliqua lege deduci posset, esset ex illis, quæ habetur *cap. Scriptura de voto*, sed ex ea non colligitur; tum quia non est certum an *cap. illud loquatur* de solis votis incompossibilibus. Tum quia etiam si intelligendum sit de omnibus votis loquitur de commutatione facta ab ipso vouente; hoc enim significat illud verbum *commutat*. Vnde intrat Regula, quod quando ita vtitur verbo, quod requirit hominis actionem non facit se ipsa, vt cum dicitur *excommunicetur*, non importatur excommunicatio lata ipso iure, sed ferenda. Et propterea, quod huiusmodi commutatio non fiat ipso iure tenuerunt Hostien. Ricardus, Rosella, & Angelus supra *num.* 563. citati. Panorm. *cap. Scriptura*, & Couletus in suis singularibus *v. votum* Suarez *d. lib. 6. cap.* 14 Vbi quod dato quod ex consuetudine sit iam introductum, vt huiusmodi vota ipso iure extincta sint per professionem ad minus hoc limitari debet, vt non habeat locum si, qui profitetur in actuali professione formaliter vel virtualiter repugnat, intendens vota illa durare, prout limitauit, & tenuit Syluest. *v. votum* 4. q. 7.

567. Sed dicendum est hanc extinctionem votorum ex vi professionis fieri ipso iure independenter ab intentione profitentis, prout expressè docuerunt Caiet. *supra q.* 88. *a.* 12. *circa solutionem ad primũ* & ibi Arragon. & idem Caiet. *q.* 189. *a.* 3. *circa solutionem ad tertium*, Syluest. *v. votum* 4. *q.* 7. *dicto* 3. Tabien. *v. votum* 4. *q. vlt.* Armilla *nu.* 28. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 4. *a.* 3. *ad primum*. Alcozer. *in summa cap* 10. *concl.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 17. *fin.* Rodriq. *tom.* 2. *sum. cap.* 8. *num.* 12. Sanchez *lib.* 5. *mor. c.* 5. *num.* 38. Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. Bord. *de profess. cap.* 5. *q.* 14. Anton. à Spir. Sancto *tract.* 3. *disp* 3. *num.* 181. Et est hoc de mente D. T. *supra q.* 88. *num.* 12. *ad primum* vbi habet absolutè vota antecedentia tolli per professionem, quia homo moritur priori vitæ: At verò hoc non esset ita vniuersaliter verum, neque id eueniret quia homo moritur priori vitæ, si hæc vota non extinguerentur ipso iure, quia tunc illa sola extinguerentur, quæ profitens vellet extingui, & hæc non quia homo in professione mundo moritur, & priori vitæ, sed quia ipse sic intenderet, & vota commutaret. Et in 4. *d.* 38. *quæst.* 1. *a.* 4. *quæst.* 4. *ad* 1. ait eum qui profitetur absolui à prioribus votis ex vi professionis. Et in *respons. ad primum*, quod hæc absolutio sit potius per votorum ampliationem, quã per commutationem. In quo sensu Palud. 4. *d.* 38. *q.* 4. *a.* 1. *num.* 15 dixit *concl.* 6. quod huiusmodi vota tolluntur per solutionem non per commutationem. Vt si quis alicui teneretur ex diuersis causis omne debitum solueret, si se in seruum traderet. Quod & significauit D. Ant. *p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 8. *ant.* 2. sic etiam & Felin. *cap. peruenit el* 2. *num.* 2. *de iureiur. & cap. Cum deputati num.* 4. *de iud.* dicit huiusmodi vota per professionem resolui.

568. Dicitur verò quod hæc absolutio fit ipso iure tum ex lege Ecclesiastica, tum ex lege diuina. De lege Ecclesiastica id affirmant Sotus, Azor, Sanchez, Bordon, citati, & Caiet. *supra q.* 189. *a.* 8. *in fin.* & probatur *ex cap. Scriptura*, in quo non est sermo de solis votis incompossibilibus, sed de omnibus, & illud verbum *commutat*, significat actum hominis, sed qui in ipsa professione consistit, non qui consistit in speciali profitentis intentione, & est sensus apertus, quod profitendo commutat, quia nimirum ipsa professione commutat, nec sensus esset tam proprius, neque absolutus, & qualem important verba textus, si hæc commutatio, seu extinctio non fieret *ipso facto* ex vi professionis, sed solum fieret accidentaliter, & contingenter ex adiuncta voluntaria intentione profitentis. Ideò bene hoc confirmatur *ex cap. penul. de Reg. in* 6. vbi decernitur, quod habens votum arctioris Religionis si profiteatur in laxiori peccat quidem, sed non tenetur ingredi Religionem arctiorem ex eo, quod votum illud simplex per professionem in Religionem fuerit extinctum.

569. Sed ex naturali diuino iure fit hæc absolutio à prioribus votis per professionem, quia vt Paludanus dixit in professione homo ampliori solutione soluit quidquid Deo debet ex vi priorum votorum, cum det se, & omnia sua in perpetuum specialis seruitutis obsequium. Vnde & dixerat D. T. in professione non tam commutari obligationem priorum votorum, quam ampliari, & extendi. Et viget illa ratio, quod professio se habet ad alia particularia obsequia per vota promissa vt totum ad partes, quia omnia illa continentur vel formaliter, vel eminenter in voto professionis. Quod explicatur nam votum castitatis continetur in voto professionis; Vota verò eleemosynarum, aut largitionum, & oblationum, eminentius continentur in voto paupertatis, & non est dubium quod homo perfectiori modo soluit Deo omne debitum pecuniariũ dum per professionem dat Deo totum quod habet vel habere potest in perpetuum. Aliæ verò operationes honestæ, quæ possunt haberi ab homine etiam in statu Religioso eminentius continentur in voto obedientiæ per

quod

quod homo dat Deo totum se ipsum, & omne suum velle. Nec obstat, quod salua obedientia Religiosus professus ad ista se potest obligare, quia per hoc non efficitur, quod illæ operationes non contineantur eminentius in voto obedientiæ, & quod homo ad illas obligatus, abundantius non totaliter soluerit debitum suum dando totalitatem voluntatis suam. Et hoc pariter ostendit alia ratio, quia scilicet homo per professionem moritur priori libertati, & voluntati, vt non sit amplius sui iuris, sed sit iuris Religionis & Dei, & sic non sit amplius obligatus ex priori obligatione, quæ ex priuata sua voluntate ortū habuerat, absorbente omnem talem obligationē obligatione valentiori assumpta in professione, seu illam extinguente morte spirituali, & obligationem destruente. Vnde per hæc soluta manent argumenta priora septimi.

580. An vero admitti debeat limitatio Syluestri, vt dicendum sit profitentem non manere absolutum à votis si ipse positiue resistat, & dum profitetur nihilominus velit, & intendat priora vota manere. Dicendum est non esse idem inseparabiliter velle vota non extingui, & velle vota innouare; quia per priorem voluntatem homo solum intendit manere priorem obligationem, eo modo quo ex natura sua habet, vt maneat non imponendo nouam obligationem, quæ imponitur si profitens intendit vota priora innouare. Et ideo si, qui profitetur formaliter, vel virtualiter intendit vota innouare manet ligatus ex vi noui voti, non ex vi antiqui. Sed non potest impedire ne priora vota extinguantur, cum illa ex natura sua, & vi legis extinguantur Sanchez d. cap. 5. num. 41. Bordon. d. q. 14.

581. De omnibus verò votis intelligitur assertio posita, quæ facta sunt ante professionem, & ideò etiam vota emissa tempore nouitiatus extinguuntur in professione. Et hoc idem verum, est non solum de personalibus, sed etiam de realibus. Quia imò vota realia repugnant statui Religioso, cum ratione voti paupertatis nihil professo remaneat vnde debita soluat, & propterea ex natura rei vota huiusmodi ex vi professionis extinguuntur, vt docuerunt D. T. 4. d. 38. q. 1. a. 4. quæst. 4. ad 2. Caiet. in opus. tom. 2. tr. 31. q. 3. ad fin. corp. Syluest. v. votum 4. quæst. 7. dict. 4. & alij supra citati.

582. Et quidquid in contrarium dixerit Hostien. in sum. tit. de voto 6. Quis vouere possit nu. 7. assertio vera est etiam de votis perpetuis, quia etiam de illis militat eadem ratio, & illa quoque sunt vota particularia. Et quod in cap. scripturæ fiat mentio de voto temporali hoc fuit, quia casus illius textus erat de voto temporali peregrinationis terræ sanctæ. At verò votum Religionis, & emittendæ professionis in arctiori est votum de re perpetua, & tamen illud extingui professione in laxiori decernitur cap. penul. de Regul. in 6. Vota igitur etiam perpetua antecedenter emissa professione extinguuntur Sanchez d. cap. 5. nu. 49. similiter extinquitur votum peregrinationis Hierosolim. nedum in quantum est personale, sed etiam in quantum est reale, quidquid in contrarium dixerit Angelus v. votum 4. num. 2. qui nec num. 13. bene dixit debitorem incertorum, qui ea vouit in subsidium terræ Sanctæ non liberari hoc voto, quia nulla est maior ratio cur non extinguatur hoc votum, quam alia.

583. Excipiunt tamen votum Principis eundi cum magno exercitu in subsidium terræ Sanctæ, ex eo quod dubium sit an professio sit melior Ricardo 4. d. 38. a. 8. q. 2. Felin. cap. peruenit el. 2. de iureiur. num. 2. Caiet. tom. 2. tr. 31. q. 3. in fin. corp. Angelus v. votum 4. num. 2. Sanchez d. cap. 5. num. 32. Sed oppositum voluit Syluest. v. votum 4. q. 7. d. 3. & fauet Felin. cap. Cum deputati num. 4. de iudic. Sed ego dicerem, quod potest dari casus in quo homo teneatur differre ingressum in Religionem, & professionem ipsam. Et inter alias hic vnus esset si communis necessitas Reipublicæ, vel multo magis Ecclesiæ requireret, quod Rex regnum non relinqueret, vel comparato exercitu Ecclesiam defenderet. Si enim non potest filius, vt profiteatur relinquere parentes in necessitate, vt probatum est q. 8. a. 6. Sic nec potest in necessitate relinqui patria, vel Ecclesia, & eo magis ad hoc Rex obligatur, si hoc vouit. Vnde dicitur secundò, quod potest contingere, quod quis malè, & iniquè profiteatur, etiam si vouerit se professurum, voto hoc non obligante, quia tunc profiteri non sit melius, sed imo spectatis circumstantijs sit iniquum. Et propterea dicitur tertiò, quod adhuc in eo casu licet vi professionis non extinguatur obligatio pietatis, vel alterius alicuius iustitiæ, quæ professum obligabat ad differendam professionem, extinguitur tamen prioris voti obligatio, quæ semper est particularis, vel forsan etiam temporalis, votum verò professionis se habet, vt vniuersale, & quid maius etiam si sit votum ducendi exercitum pro recuperatione terræ Sanctæ. Quæ recuperatio quatenus est actio recuperantis si omnibus pensatis sit necessaria ex virtute fidei, vel Religionis, vel charitatis, peccat Rex illam relinquens, vt fiat Religiosus, sed si sit bonum supererogationis potest quidem esse actio vtilior communitati, sed vt est actio recuperantis, est quid particulare respectu professionis per quam homo dat Deo totum, & ideo & votum illius professione extinguitur. Et ita potest esse dubium an in indiuiduo melius sit profiteri, imò an bonum sit, vel potius malum, sed si professio emittatur votum præcedens extinguitur.

584. Hoc verò extendit Sanchez d. cap. 5. n. 40. etiam ad vota simplicia emissa ab eo, qui transit ad arctiorem Religionem, vt per professionem emissam in arctiori extinguantur, eo quia habeatur noua traditio, & noua professio. Sed dicitur ea vota non extingui, quia professio in secunda Religione non est noua substantialiter, quia quantum ad substantialia status Religiosi non distinguuntur Religio laxior, & arctior, nec Religiosus ex eo quod profitetur in arctiori moritur simpliciter priori vitæ regulari, neque posterior professio se habet ad priorem, vt totum de nouo assumptum continens eminenter priora, quæ nō contineret prior professio. Quia continentia illa fundatur in votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ sunt eadem in laxiori, & arctiori Religione, & solum fit additio ad aliqua particularia, & accidentalia, quæ non potest habere vim extinguendi priora vota, cum sit particularis obli-

gatio

gatio, & ad materiam specialem non habentem rationem totius respectu aliarum obligationem ? Et quia in aliqua Religione emittuntur vota simplicia dupliciter, scilicet ex deuotione priuata Religiosi, vel ex instituto regulæ, vt in aliquibus Religionibus emittitur votum non procurandi dignitates extra ordinem. De hoc secundò genere votorum est certum, quod per transitum ad quamcumque Religionem non extinguuntur. Quod tanquam certum probatum est supra *quæst.* 185. *a.* 8. *num.* 168. ex Constit. Vrbani 8. Quæ incipit *Honorum*, & est in Bullario 165.

585. Quod etiam habet Sanchez *d. num.* 40. de electo in perpetuum, quod si transeat ad Religionem etiam laxiorem. iam per illam expulsionem erat à voto obedientiæ liber, & profitendo in alia se tradit Deo in perpetuam seruitutem, supponit falsum nimirum, quod eiectus sit liber à votis, & non sit substantialiter Religiosus, hoc enim falsum esse probatum est supra *q.* 189. *a.* 8. *de eiectis insped.* 3. *n.* 600. & sequent.

S V M M A R I V M.

1 *Professio impedit matrimonium, & dirimit. numer.* 586.
2 *Vouens castitatem voto simplici non donat actu, & tradit suum corpus ad vsum castitatis. num.* 587.
3 *Professio solemnis ex iure naturali, & diuino irritat professionem. n.* 588.
4 *In Societate scholares, vel Coadiutores per vota bienny; non se tradunt omnino plenè, quia eorum traditio non est plena acceptatur. numer.* 589.
5 *Modo illa vota dirimunt matrimonium. numero* 589.
6 *Stat vnum esse dominium proprietatis, & alium vsus. n.* 590.
7 *Possunt simul consistere essentia matrimony, & professionis, non tamen si quod est professionis tradatur iuste ad vsum matrimony. numer.* 590.
8 *De essentia matrimony est, quod coniugi tradatur plenum dominium super corpore alterius coniugis ad vsum matrimony. numero* 591.
9 *Si aliquando in Ecclesia matrimonium professorum non fuit irritum, id euenit quia in professione non fuit plena traditio. numero* 592.
10 *Huiusmodi matrimonia ab initio Ecclesia irritauit. n.* 593.
11 *S. Gregorius non sensit matrimonium Monachorum esse validum. n.* 594.
12 *S. Augustinus explicatus. n.* 595.
13 *San. Cyprianus, & Hieron. explicati. numero* 596.
14 *Sola lex Ecclesiastica solemnitatem voti instituit. num.* 597.
15 *Duplex voti solemnitas. n.* 597.
16 *Solemnitas aliqua substantialis voto in aliquo genere. n.* 597.
17 *Solemnitas essentialis professionis. n.* 597.
18 *Solemnitas est à sola lege positiua, sed tamen cū hoc professio irritat matrimonium ex natura sua. n.* 598.
19 *Et non solum ex lege positiua, sed ex lege naturali, & diuina. n.* 599.
20 *DD. qui tenent professionem irritare matrimonium ex natura sua. n.* 600.
21 *Ex prædictis non sequitur, quod professio sit indispensabilis.* 601.
22 *Neque quod specie distinguatur à voto simplici. num* 602.
23 *Votum Sacri Ordinis, an ex natura sua irritet matrimonium. n.* 603.
24 *In quo consistat solemnitas voti. n.* 604.
25 *Professi contrahentes matrimonium sunt excommunicati. n.* 605.
26 *Et irregulares. n.* 606.
27 *Et eos puniri pertinet ad sanctum officium. numero* 606.

Matrimonium irritat.

586. INdubitatum, & certa fide tenendum est, quod professio in religione approbata impedit matrimonium contrahendum, & illud dirimit contractum, sic enim diffinitum fuit à Siric. Papa *epist. cap.* 16. Innoc. 1. *epist.* 2. *cap.* 12. & 13. Gel. 1. *epist.* 1. *cap.* 22. & 23. Greg. 1. *l.* 1. *epist.* 40. Alex. 3. & refertur *cap. Meminimus, qui Clerici, vel vouentes* Innoc. 3. & refert *cap. final. eod. tit.* Bonif. 8. & refert *cap. vn. de voto in* 6. Et habetur eadem veritas diffinita à Trident. *sess.* 24. *c.* 9. *de matrim.* Et eandem veritatem docuerunt D. Cyprian. *l.* 1. *epist.* 11. D. Basil. *lib. de Virginitate* D. Ambrosius *lib. ad Virginem lapsam cap.* 5. D. Chrysost. *epist.* 6. ad Theod. D. Hier. *lib.* 1. in Iouin. & contra hæreticos nostri temporis defendit Belarminus *lib.* 2. *de Monachis cap.* 32.

587. Cum verò sit grauis difficultas an professio iure naturæ, vel potius iure Ecclesiastico irritet matrimonium post illam contractum, de qua videri possunt tractantes de matrimonio. Est considerandum, quod ex DD. qui existimant, quod solemnitas voti castitatis sit ex solo iure humano, & quod ex hoc solo iure isto irritet matrimonium, Scotus *in* 4. *d.* 38. mouetur ex hoc, quod votum simplex non irritat matrimonium, cum tamen, & in voto simplici vouens tradat corpus suum Deo ad vsum, & effectum castitatis; igitur traditio non efficit ex natura rei, vt vouens castitatem sit inhabilis ad validè nubendum. Sed considerandum est, quod licet promissio libera, sit simul donatio voluntatis promittentis, seu promissionis, & sic idem actus, qui est promissio alterius rei est donatio sui ipsius. Tamen promissio non includit donationem alterius rei à se ipsa sed semper formaliter à donatione distinguitur, & est impossibile, quod donatio, & promissio sint eiusdem rei, quia donatio est rei, quæ de præsenti datur, & promissio est rei, quæ in futurum tradenda promittitur. Itaque ergo in voto castitatis, donatur quidem de præsenti promissio ipsa viuendi castè in futurum, quæ promissio

est

est votum ; sed nihil aliud donatur, & in specie vouens castitatem non donat Deo suum corpus ad vsum castitatis, Neque enim dici potest quod donetur castitas ipsa, quia hæc non est res aliqua permanens, sed successiua carentia futurorum actuum, quæ donari non potest de præsenti secundum se tota, sed solum promitti. Sed neque ex vi huius promissionis donatur corpus. Sicut enim qui vouet, & promittit Deo operas suas ad vtilitatem alicuius Ecclesiæ, ex vi huius voti nec donat se ipsum ad vsum illum, nec actu de præsenti donat illas, neque enim ex hoc se priuat dominio sui, aut suarum operarum, vnde si illas non det non est iniustus, sed est infidelis. Quia imò implicat, quod vouens donet de præsenti, quod promittit donandum de futuro, & qui promittit operas, promittit se illas traditurum, & donaturum, non verò eas nunc tradit. Et sic promittit suum corpus ad vsum operarum, sed illud de præsenti non donat. ita qui promittit castitatem, non illam donat de præsenti, sed promittit. Ex hoc nec donat se ipsum de præsenti ad vsum castitatis, sed promittit se donaturum, non se interim priuando dominio sui. Ex vi enim voti aliam obligationem non sibi imponit homo, quam sit obligatio ex promissione, hæc verò non est obligatio donationis rei promissæ, quia imò implicat tunc rem promissam donari cum promittitur, & cum vouens castitatem promittat vitam castam futuram, & vsum sui ad futuram vitam castam, ex hoc nec se, nec castitatem donat de præsenti; sed donandam promittit, & tradendam, & sic traditio sui ad talem vsum est res in futurum promissa, non verò de præsenti data,

588. Quo supposito affirmatiua pars quæstionis solida fulcitur ratione, nam licet solemnitas voti quantum ad plures circumstantias sit ab Ecclesia, essentia tamen illius est de iure diuino, tanquam instituta à Christo. Professio enim solemnis est quasi contractus, at vero contractus à Christo institutus essentia est de iure naturali, & diuino. Est verò professio quasi contractus talis, qui est nedum promissio, sed donatio, & traditio, quia nimirum votum professionis supponit donationem, & traditionem per quam Religiosus se tradit religioni, sicut matrimonium est cōtractus per quem coniux se tradit alteri coniugi. Itaque ergo, quia contractus huiusmodi mutuum consensum requirunt, & donatio nihil operatur nec transfert dominium nisi acceptetur, ideò voti solemnitas, & professionis multum dependet ab Ecclesia, cum illius sit donationem, & traditionem profitentis acceptare, & conditiones statuere sub quibus acceptetur, & quibus deficientibus professio sit irrita, & sit irritum votum irritata existente donatione, & traditione, quam Ecclesia sub illis circumstantijs non vult acceptare. Itaque quod professio pendet ab Ecclesia, vt ab acceptante, & à contrahente sub conditionibus, & circumstantijs sibi bene visis indubitati iuris est sed quod professione existente obliget, & pariat effectus est de connaturali iure ipsius, non verò ex solo statuto Ecclesiastico. Cum igitur hæc sit natura donationis, & traditionis vt res donata, & tradita non possit validè alteri tradi, & donari, esto Ecclesia possit facere, vt res donata non sit donata, quia ipsa cuius inter est, non vult acceptare donationem nisi sub hac, vel illa conditione, si tamen acceptat, & donatio ipsa subsistit, ex natura donationis est, quod res donata, & tradita non possit alteri tradi, & donari multo donatario. Sic ergo Ecclesia potest quidem facere, quod professio si sit emissa sine hac, vel illa solemnitate sit irrita, sed de natura donationis, quā continet professio est, vt professus qui ex vi professionis iam validæ est ipsius Religionis, cui validè se tradidit, non possit se alteri tradere, & donare coniugi. Hac enim ratione matrimonium initum cū vna dirimit matrimonium initum cū altera, quia qui se tradidit priori, non potest se validè tradere alteri.

589. Verum contra hanc rationem plura obijciuntur, & quidem primò, quia in societate emittentes vota bienij tradunt se Religioni, illique se donant. & tamen vota illa sunt vota simplicia, & adeo simplicia, quod ante Gregor. 13. non dirimebant matrimonium, cum hoc impedimentum induxerit Greg. 13. in Constitutione *ascendente Domino*, nec soluitur difficultas dicendo, quod traditio illa, qua scolares vel coadiutores societatis se tradunt religioni post biennium non est perfecta, quia ex parte religionis non est perpetua, sed ex certis causis religio potest vouentem, & se tradentem liberum dimittere, vt aduertunt, & admittunt Sanchez l. 7. *de matrim. disp.* 25. *num.* 11. Vasquez *in* 3. *p. disp.* 165. *cap.* 8. Val. *tom.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *p.* 5. Basil. Ponc. *lib.* 6. *disp. q.* 3. *cap.* 5. Nam respondet Suarez, quod ex hac differentia solum sequitur, quod vouens non fiat in perpetuum, & irreuocabiliter inhabilis ad matrimonium, sed tamen si traditio dirimeret matrimonium, sic se tradens deberet esse inhabilis pro tempore, quo non licentiatur. Verum ad hæc respondetur, quod si ante Greg. 13. vota bienij in societate non dirimebant matrimonium, hoc erat, non quia traditio personæ voto consecrata ex se non possit matrimonium dirimere, si fiat, & sub ea efficacia accipietur, sed quia nec vouentes, qui poterant dimitti intendebant se tradere cum tanta plenitudine, vt essent inhabiles ad matrimonium, si ipsi non dimissi discederent, nec Religio in alio sensu eorum donationem acceptabat. At verò postea ex Const. Greg. 13. effectum est, vt traditio illa acceptetur adhunc effectum. Et sic semper est verum, quod traditio ex natura sua habet, vt matrimonium dirimere possit, si tradens plene se donet, & donatio plena seu cum tanta plenitudine acceptetur. Sed quod sic fiat est ex institutione Pontificia. Ante ergo quia vota illa acceptabantur, vt simplicia merè, non dirimebant matrimonium, nec à vouentibus fiebant, vt efficacia adhunc effectum, nec vt talia acceptabantur. Sed modo hunc effectum habent, quia Ecclesia decernens talia vota matrimonium dirimere simul decreuit ea ex parte vouentium emitti cum traditione tali, quæ hunc effectum producere valeat, & sub hac efficacia acceptari. Traditio enim sui in dominium Religionis non producit hunc effectum nisi transferat plenum dominium. Vnde videmus

etiam

etiam nunc Romæ in Monasterio Turris speculorum, quod oblatæ talis Monasterij sic se tradunt eorum monasterio, & vouent castitatem, quod eorum votum non dirimit matrimonium, quia earum traditio non est plena. Si tamen Ecclesia institueret, quod earum votum matrimonium dirimeret, tam vouentes plene se traderent ad hunc effectum, & Ecclesia earum donationem sub hac efficacia acceptaret, & earum professio ex natura rei matrimonium dirimeret.

590. Obijcitur secundò, quod sit manifestum essentiam matrimonij subsistere simul cum professione, quia coniux de licentia alterius potest profiteri, & tunc non dissoluitur matrimonium in substantia, sed eius essentia manet. Sicut si vnus coniugum adulteretur, alius potest se ab eo separare, & Religionem ingredi non dissoluto matrimonio. Et sic stant simul, quod eadem persona sit duorum nimirum alterius coniugis, & religionis. Sed respondetur, quod etiam in temporalibus stat, quod eadem res sit plurium secundum diuersa, quia sit vnius secundum proprietatem, & alterius quantum ad vsum, vt in vsufructu rei apparet, quia rei proprietas est concedentis vsumfructum, sed dominium vsus est vsufructuarij; sed tamen vsusfructus est nullus, iniustus, & inualidus, nisi concedatur à domino rei qui est dominus proprietatis, & vsus, nullus enim iustè, & validè vtitur re aliena inuito domino. Sic ergo benè potest contingere, quod vbi matrimonium est contractum, remanente quasi dominio, quodam proprietatis apud coniugem, & sic non destructa essentia matrimonij, possit coniux de licentia se tradere veluti in vsumfructum ipsi Religioni, & nihilominus si hoc fieret sine licentia, vel sine libertate consequente ex adulterio alterius, professio in religione sic iniustè inita esset nulla ex iure naturali. Ita econtra cum professus sit sub religionis dominio quantum ad proprietatem, & vsum, non potest se tradere coniugi, etiam quantum ad solum vsum matrimonij, quia dominium vsus est religionis, matrimonium verò sine dominio vtendi altero coniuge non est matrimonium. Licet ergo essentia matrimonij, & professionis possint simul reperiri, si coniunctio fiat sine iniustitia, tamen implicat hos duos contractus validè iniri, & iniustè; Nam quod est religionis ea inuita non est nec esse potest alicuius coniugis, & quod est coniugis, non potest simul eo coniuge inuito esse religionis. Et sic argumentum deficit, & continet consequentiam similem, stat quod essentia dominij alicuius rei in vno, stet cum dominio vsusfructus eiusdem existenta in alio; ergo stat quod inuito domino rei quantum ad proprietatem, & vsum, alteri validè tradatur vsus; quæ consequentia est falsissima. Sic enim est, quod professio potest esse personæ, quæ sit coniugis, ipso coniuge permittente, vel in casu quod coniux amiserit vsumfructum alterius coniugis, non tamen potest esse, quod coniuge inuito coniux validè profiteatur. Sic dato, quod professus suo veluti coniuge consentiente possit nubere, in quo casu essentia professionis posset eo modo consistere, quo consistit essentia matrimonij vno coniuge professo, tamen inuita Ecclesia non potest professus validè se coniugi tradere ac donare.

591. Hinc explicatur ratio, quam alij tradunt, vt hanc difficultatem soluant, & dicunt professionem, & matrimonium in fieri repugnare, licet non repugnent in facto esse; quia dum iam matrimonium est initum, potest eius essentia subsistere, quia potest vnus coniux retento sibi aliquo dominio, & quantum sufficit, vt conseruetur essentia matrimonij totum aliud dominium cedere religioni. Sed in fieri non ita est: quia dum initur matrimonium cuius coniux totum sui dominium debet alteri tradere, & non partem solam; ita quod de essentia matrimonij est, quod aliquando, & saltem in sui initio coniux habeat plenum dominium alterius coniugis, & quia professus non potest coniugi tradere plenum dominium sui, ideò non potest validè matrimonium contrahere. Non est ergo eadem ratio de matrimonio iam contracto, & de contrahendo, quia matrimonio iam contracto coniux potest donare, vel ex culpa perdere, quod per initum matrimonium consequutum fuit, sed matrimonium nequit essentialiter consistere nisi in sui initio coniux plenum acquirat dominium super altero coniuge.

592. Vlterius obijcitur tertiò ex Basilio Pontio de Matrimonio *lib. 7. cap. 14. & sequen.* Vbi conatur, vt probet votum professionis antiquorum Monachorum seu Monialium non dirimisse matrimonium, sed eorum matrimonia fuisse valida. Breuiter tamen responderi potest huic obiectioni. Quia non sequitur ex hoc, quod professio ex natura sua non dirimat matrimonium, si contineat plenam donationem, & traditionem profitentis, & in sua plenitudine acceptatam. Ideò dato quod aliquando professio, non irritauerit matrimonium hoc fuit, quia traditio profitentis non erat plena, & perfecta. Est enim euidens, quod persona in ordine ad aliquem vsum potest se vendere, vel donare in seruam, ita quod in præiudicium domini, & vsus concessi non possit se seruis validè alteri tradere. Sic ergo euidens esse debet, quod aliquis potest se donare, & tradere in seruum Religionis ad vsum perfectissimæ castitatis priuando se libertate, & dominio sui & illum tradendo Religioni, ita quod validè non possit ad vsum matrimonij se tradere coniugi. Si ergo professus cum hac plenitudine se donet in seruum Religionis, & eius donatio acceptetur ab Ecclesia, euidens erit, quod talis professio ex natura sua irritabit matrimonium. Et in casu quod professio matrimonium non irritet, hoc erit, quia vel professus non se perfectè, & plenè donat, vel eius donatio cum tanta plenitudine non accipitur.

593. Sed quod ab initio Ecclesiæ huiusmodi matrimonia fuerint inualida satis manifestè colligitur *ex cap. Ita ergo, cap. peruenit ad nos, cap. Si quis sacra, cap. Si castos religiosi habitus, cap. Si homo esses, cap. Si qua Monacharum, cap. Si quis rapuerit, cap. omnes fœminæ, cap. Et quia 27. q. 1.* Et idem colligitur ex S. Basilio *in Epist. ad Amphilochium can. 6. & can. 18. & can. 20. & ex lib. de vera Religioni plures*. Et ex Concil. Ancitanen. S. Turonen. 2. Matisconen. 2. Barcinonen. & Tolet. 4. & Tributien. Nec satisfit dicendo, quod

in

in his Canonibus Sacris iubentur huiusmodi sacrilega matrimonia celebrantes separari quantum ad totum, non quoad vinculum. Tum quia absolutè decernitur huiusmodi separari. Tum quia à præfatis S. Canonibus ijdem habentur tanquam poligami, quorum matrimonia indubitate sunt nulla. Tum quia ijdem Monachi castitatis votum violantes dicuntur adulteri. Tum quia in Concil. Calcedonen. *cap.* 16. secundum versionem Dyonisij vt habetur *cap. Hi ergo*. Monachi, aut Moniales nubentes, nedum iubentur separari, sed quod non permittantur amplius religari; religari verò non potest nisi solutus à priori vinculo; supponit igitur eos etiam à vinculo matrimonij fuisse solutos. Tum quia in Concil. Rom. celebrato anno 1139. *cap.* 7. expressè huiusmodi matrimonia declarantur nulla, vt habetur *cap. vt lex.* 27. *q.* 1. tanquam existentia contra Ecclesiasticam regulam, vnde supponitur, quod antea ex vi Ecclesiasticæ regulæ illa matrimonia essent nulla. Et quia non habemus vndè, & per quam legem primo iudicata sint irrita, sed ex citatis canonibus talia fuisse habita, & à Chalcedonen. Concil. sub Leone primò, propè annum Domini 451. vt refertur *cap.* Hi *ergo* 27. *q.* 1. & prius ab Innoc. 1. vt habetur *cap. Qua Christo, in Epistola* 2. ad Victritium circa annum 404. Moniales nubentes vocatæ sunt adulteræ. Et Siricius Papa circa annum 384. *in Epist.* 1. *cap.* 6. Matrimonia Monachorum, & Monachorum damnat eo, quod publicæ leges, & Ecclesiastica iura ea condemnabant, vnde huiusmodi matrimonia, & ante Siricium Papam per leges Ecclesiasticas damnata erant, Sic enim, & in *cap. Tolet.* 4. *cap.* 8. vt habetur *cap. De viduis* 27. *q.* 1. huiusmodi matrimonia facta dicuntur contra instituta patrum, vel præcepta canonica, & sacrilegi coniuges suspenduntur à communione donec emendent illicitè ab eis perpetratum fuit verò Concil. Tolet. 4. celebratum anno 633. Hinc dicendum est huiusmodi matrimonia ab initio Ecclesiæ damnata fuisse, vt irrita, & nulla.

594. Quod verò Pontius *l.* 7. *de matrim. c.* 16. & 17. asserat Augustinum *lib. de bono viduitatis, cap.* 9. 10. *&* 11. & S. Greg. *lib.* 1. *Epist.* 33. *& l.* 5. *ep.* 42. *& l.* 9. *Epist.* 31. simul ponderatis his Epistolis sensisse Monachorum matrimonia esse valida S. Bernard. *lib. de prac. & dispens. cap.* 21. dixit eos in suo sensu abundasse dum votum continentiæ subiecerunt matrimonio sed, quod pertinet ad Gregorium, minime deducitur, quod Gregorius huiusmodi cum matrimonium validum fuisse iudicauerit, sed oppositum colligitur. Fundatur enim argumentum Pontij in hoc, quod non iudicauerit irritum, sed validum habuerit matrimonium Venantij, qui relicto monasterio vxorem duxit, ex quo etiam duas filias habuit, D. Gregorius verò hunc nec habuit tanquam Apostatam, quia imò non permisit, quod Ioan. Episcopus Syracusanus eum pro excommunicato haberet. At argumentum valde deficit. Nam Sanctus Gregorius Venantium habuit, vt Apostatam, *& lib.* 1. *epist.* 33. eum hortatur, vt redeat ad Monasterium, & contra eum; vt contra peccatorem agit, & ad pœnitentiam, & reditum tanquam ad rem omnino suæ saluti necessariam hortatur. *& lib.* 9. *Epist.* 31. Io. Syracusano Episc. scripsit, vt exhortando, rogando, Dei terribile iudicium proponendo, & ineffabilem Dei misericordiam proponendo procuraret, vt dictus Venantius infirmus saltem in extremis ad habitum Monachalem rediret, ne ei reatus tantæ culpæ in æterno iudicio obsisteret. Vnde manifestum est Greg. iudicasse hunc Venantium esse in statu damnationis, nisi rediret ad Monasterium. Sic *Epist. illa* 33. *lib.* 1. dicebat, *In quo enim habitu fueris revolis, & superas districtionis animaduersione postposita, ad quod sis delapsus agnoscis. Culpam ergo tuam pena, dum vacat, districtionem futuri iudicij exhorresce, nec tunc illam amaram sententiam, cum eam iam nullis fletibus euadas.* Et infra. *Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui sub monachi habitu deuoueras, substraxisti.* Hæc & alia habet Greg. minime conuenientia ei, qui de licentia superiorum à Monasterio egressus fuisset, & vxorem postea validè duxisset, sed quæ clare significant Venantium verè fuisse Apostatam, & pro tali habitum fuisse à Gregorio, vnde Paulus Diaconus in vita Greg. *l.* 3. *cap.* 18. Eum in apostasia mansisse refert. Et eundem fuisse apostatam refert etiam Baron. ad annum 1591. *num.* 14. vbi quod ipse nobilissimus fuit, & Italiæ Cancellarius, & de familia Deciorum. Nec in citatis Epistolis vnquam reperietur, quod Greg. eius matrimonium validum dixerit, aut permanentiam eius extra Monasterium ratam habuerit. Nec rectè argumentatur Pontius *ex epist.* 42. *&* 43. *lib.* 5. In quibus Gregor. voluit vt Io. Syracusanus Episcopus eiusdem Venantij admitteret oblationes, deducens ex hoc Greg. non habuisse Venantium, vt Apostatam, quia etiam tunc Apostatæ erant excommunicati, vnde Greg. non præcepisset eum admitti ad diuina, si fuisset Apostata. Quia non est verum, quod Apostatæ tunc essent ipso iure excommunicati, quia imò neque nunc ex iure communi Apostata, vt Apostata est excommunicatus. Ac verò excommunicatur quatenus temerè dimittat habitum ex decretali Bonifac. 8. *cap. Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi in* 6. Vnde ante Bonifacium Octauum Apostatæ ex causa dimissionis habitus non erant excommunicati. Nec Venantij ex Monacho patritij oblationes respuebat admittere Io. Syracusanus Episcopus, quia ille esset Apostata à religione, sed quia per homines armatos in Episcopum irruerat, qui diuersa hostili more commiserant, vt patet *ex l.* 5. *epist.* 42. Greg. verò in illis Epist. nihil habet de Venantij matrimonio, sed de apostasia eius loquitur, & eam improbat, & Venantium ad Monasterium redire desiderat, vnde non potest deduci, quod Greg. existimauerit matrimonium Venantij Monachi esse validum. Sed ex Epist. illis Greg. nec colligitur, quod Venantius matrimonium inierit, quia licet *ex l.* 9. *epist.* 31. habeatur, quod Venantius filias habuerit, non tamen asseritur, quod eas ex matrimonio aliquo in apostasia contracto, & non potius ante eius Monachatum illas habuerit, vel si illas post Monachatum receperit, quod ex valido matrimo-

nio eas susceperit, quod consideratur, vt magis appareat, ex illis Epistolis minimè colligi posse, quod Greg. existimauerit matrimonium aliquod Venantij fuisse validum. Et neque hoc colligi potuit ex eo, quod Greg. illas filias sub sua cura receperit, quia id facere potuit Greg. etiam si illæ essent illegitimę, & ex nullo matrimonio susceptæ cum illæ nulla essent in culpa, & honestum sit orphanarum, & nobilium puellarum curam habere, quæ à Venantio ipso charitati Gregorij fuerant commendatæ. Cæterum quod Gregorij mens fuerit matrimonis Monachorũ esse irrita, habetur ex *l. 1. epis. 40. ad Anthemium Subdiaconum* in fine, vbi præcipit vt Monachos nubentes puniat, & ad sua Monasteria transmittat ab vxoribus separatos.

595. Quantum vero ad August. cuius dicta referuntur etiam *cap. Nuptiarum. 27. q. 1.* Pontius *d. l. 7. cap. 16. num. 6.* ait Bellar. *lib. de Monachis. 2. cap. 34.* asserere dici posse August. ignorasse legem Ecclesiasticam irritantem Monachorum, & Monacharum matrimonia. Potius verò Bellar. debuisse dicere Augustini tempore huiusmodi legem non extitisse, quam Augustinum legem hanc latuisse. Sed in eo *cap. 24.* Bellar. vbi loca S. Aug. sibi obiecta à Petro Martyre explicat non lego, quod dixerit Aug. non cognouisse legem Ecclesiasticam irritantem Monachorum matrimonia. Ideò ex eodem Bellar. dici potest melius S. August. loquutum fuisse de voto simplici, extra Religionem sine sui donatione, & traditione emisso. Nec obstat, quod habet Pontius *l. 7. cap. 16. num. 5.* dicens August. loqui vniuersaliter nulla facta exceptione. Nam nullum est in verbis Augustini signum vniuersale, per quod significetur illum loqui de omni voto. Alias verò loquitur ille de viduis, non de Monialibus, & de voto, quod est propositum castitatis, & perfectioris virtutis, quale est votum simplex extra Religionem emissum, non vero loquitur de voto Monialium, quod benedictione, & consecratione solemne erat, & habebat adiunctam traditionem sui ad perpetuum castitatis vsum. Et in eodem sensu intelligi debent, quæ *lib. de sancta Virgin. cap. 34.* adducuntur in his enim locis Aug. de fœminis in seculo manentibus, & earum voto simplici loquitur, non verò de sanctis Monialibus.

596. Sic nec de Sanctis Monialibus loquebatur Cyprianus *epis. 62. seu epis. ad Pomponium*: quæ apud me est 11. *lib. 1.* ex qua desumpti sunt canones, *Nec aliqua, & quod si pœnituerint. 27. qu. 1.* Nam vt bene aduertit Pamelius loquebatur Cyprianus de virginibus in proprijs domibus manentibus, & quibus etiam ad balnea adire licitum erat, & quæ sponte propria voluntate se Deo dicauerant. Non igitur loquebatur de voto habente annexam donationem, & traditionem religiosam, ex qua oritur, quod matrimonium sit irritum, sed de voto merè simplici. Nec obstat quod tunc etiam Moniales in proprijs domibus aliquando manerent, & eas etiam ire ad balnea permitterent, quia & hoc concesso, quod eatius præfata permitterentur in Monialibus, cum Cyprianus loquatur de genere, & de eo quod competebat ligatis voto simplicissimo, non potest ex eo deduci, quod quæ dicit, verificanda sint etiam in specie de eo voto quod traditionem adiunctam habet, & Monialium est propium. Sic & Hier. *epis. 7.* ad Demetriadem loquebatur de simplicissimo voto castitatis extra Religionem emisso. Nec obstat quod Demetrias esset virgo velata, quia non loquitur de illa, sed de quibusdã, quæ non benè viuebant, & ijs dicendum putat, vt *aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* *In epis. autem 22.* ad Eustochium *cap. 13.* loquitur de ancillis Eustochij, & inquit quod si aliqua earum simulat, fugiens seruitutem, huic apertè Apostolum lege: *melius est nubere, quam vri 1. Cor. 7.* & sic loquitur de illis virginibus, quæ propositum virginitatis simulant.

597. Tandem obijciunt, quod vt declarauit Bonif. 8. *cap. vn. de voto in 6.* solemnitas voti in ordine ad dirimendum matrimonium ex sola cõstitutione Ecclesiæ est inuenta, igitur professio non ex iure naturali sed ex solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimit. Et confirmatur, quia quod dixit Bonifac. 8. pariter asseruit Greg. 13. *in const. 13. Ascendente Domino*, & Greg. 14. *in constit. 10. incipiente Ecclesia*. Respondetur tamen verum esse, quod voti solemnitas præcipuè in ordine ad dirimendum matrimonium est ex solo iure Ecclesiastico inuenta, sed hoc minimè est contrarium dictis. Duplex verò est voti solemnitas; alia nimirum essentialis, & veluti generica, & determinabilis; alia est solemnitas simpliciter dicta, quæ importat essentiam voti solemnis finaliter determinatam specie, aut & in indiuiduo completam. Nam certè solemne quid est, quod votum habeat pro materia traditionem sui, & donationem, simulq; quandam consecrationem per quam vouens nedum promittit se aliquid daturum, sed de præsenti se donat, & tradit in seruum Religiosum ipsa Ecclesia per suum ministrum traditionem acceptante. Hæc est solemnitas substantialis, seu veluti generica, & desumpta ex diuersitate rei promissæ, & per hanc distinguitur votum solemne à simplici, vt habet D.T. *quodl. 3. a. 18. & quodl. 8. a. 10. & quodl. 10. a. 12. ad primum, & 4. d. 30. q. 2. a. 1. q. 2. ad primum, & d. 32. q. 1. a. 1. & d. 38. q. 1. a. 3. q. 3. c. & ad primum, & a. 5. q. 2. c. & q. 3. c. & ad tertium*. Sed hæc est solemnitas indeterminata, & informis, & ideò solum secundum quid talis. Quia Ecclesiæ est traditionem illam acceptare, & quidem sub conditionibus, & modis à se determinatis. Et sic initium solemnitatis est de essentia voti solemnis, sed eius complementum, & perfectio est ab Ecclesia, quæ potuisset nolle acceptare votum ad effectum irritandi matrimonium. Sed aduertendum, quod solemnitatum voti alia est merè accidentalis, & cuius vis est ex Ecclesiæ institutione, qualis est solemnitas voti castitatis annexi Ordini Sacro, qui ex natura sua non repugnat matrimonio. Alia est solemnitas accidentalis voto quasi genericè sumpto, sed essentialis illi in specie aut indiuiduo tanquam modus substantialis, aut indiuidualis illius: & talis est solemnitas voti professionis quæ substantialiter sumpta non est nisi modus essentialis illius, sicut modus consensus contrahentium accidit contractui veluti genericè sumpto, sed est de essentia huius, vel illius contractus specie vel numero. Sic modus consensus Ecclesiæ in quasi contractu professionis, qui

totius

totius est à iure Ecclesiastico inuentus, est modus substantialis voti professionis. Vnde stant hæc duo simul, scilicet, quod voti solemnitas sit à sola Ecclesiastica lege inuenta, & tamen quòd votum hoc ex natura sua irritat matrimonium, quia solemnitas est modus substantialis voti professionis.

597. Soluitur propterea hæc difficultas, quæ est præcipua, in qua vim facit sententia, quæ negat professionem ex natura rei irritare matrimonium. Quia, nimirum, quod irritat matrimonium solum ratione solemnitatis, non irritat illud ex natura sua, vel ex lege naturali aut diuina, sed solum ex lege Ecclesiastica, à qua sola voti solemnitas est inuenta; sed professio irritat matrimoniũ solũ ratione solemnitatis, & in quantũ votũ est solemne; ergo professio non irritat matrimonium ex natura sua, aut ex lege naturali aut diuina, sed solũ ex lege Ecclesiastica. Maior est communis confessio. Minor vero ex eo est manifesta, quod iuxta Bonif. 8. Greg. 13. & Greg. 14. locis citatis solemnitas voti à sola lege Ecclesiastica est inuenta. Respondetur enim ex dictis, quod maior huius syllogismi non est vera necessario, & ex solis terminis: quod ostendo dupliciter. Primo enim maior illa est falsa, & implicat in terminis vbi solemnitas sit essentialis voto irritanti matrimonium, quia tunc necessario coincidunt in idem irritare matrimonium ex solemnitate, & irritare illud ex natura sua, cum solemnitas illa supernaturalis sit essentialis voto specificè, aut indiuidualiter sumpto. Et sic sicut, si quis diceret quod est risibile tantum quia est rationale, non est risibile ex natura sua, sed ex causa dante rationabilitatem, diceret implicantia, quia rationale est essentialis differentia eius, vnde quod est risibile quia est rationale, est risibile ex natura, licet naturam habeat ab extrinseco efficiente. Ita si quis dicat quod irritat matrimonium quia solemne, non irritat illud ex natura sua, sed ex lege Ecclesiastica sola, dicit implicantia, pro quanto negat irritari matrimonium ex natura voti, quia solemnitas est est natura talis voti. Et sic stant simul quod votum illud irritet ex natura sua vt ex principio formali sibi intrinseco, & irritet ex sola lege Ecclesiastica vt ex causa extrinseca, efficiente, & dante naturá.

599. Secundò ad eandem maiorem dicitur quod non est vera, vbi causalis quia non reduplicet causam irritandi, sed solum conditionem sine qua non. Nam hoc posito stat, quod natura voti sit propria causa irritationis, sed solemnitas sit sola conditio, & sic lex Ecclesiastica concurrat sola vt dans conditionem; sed lex naturalis, aut diuina vt dans causam irritandi. Et sic verè est quod propria causa irritandi est votum ratione donationis, & traditionis transferentis dominium vouentis in alium, ex quo sequitur inhabilitas vouentis ad donandum se alteri coniugi, sicut petit matrimonium. Hanc vero professionem continentem hanc donationem, & traditionem Christus instituit, illam prædicando, & docendo. Et natura instituit, quod donatio dominium rei donatæ transferat in donatarium. Sed hoc nequit fieri nisi donatio acceptetur ab Ecclesia, quæ illam non vult acceptare, nisi donatio fiat sub solemnitate ab ea instituta. Et tamen hoc totum est iam essentiale professioni validæ, in quantum professio est hoc votum determinatum saltem indiuidualiter ab omni alio voto distinctum. Et sic verum est, quod professio irritat matrimonium ex lege positiua, si reduplicetur causa efficiens dans conditionem sine qua non esset irritatio; sed ex quo sola lex positiua dat solemnitatem, non licet inferre quod professio non irritat ex natura sua, quia solemnitas data est modus essentialis professionis. Et pariter non licet inferre quod professio non irritet matrimonium ex lege naturali, & diuina, quia professio vim causalitatis principij formalis intrinseci ad irritandum matrimonium habet à lege naturali, & diuina, licet conditionem sine qua non habeat à lege positiua.

600. Et propterea, quod professio ex natura rei, & lege naturali, & diuina dirimat matrimonium post eam contractum tradiderunt D. T. 4. d. 38. q. 1. a. 2. q. 3. c. D. Bonau. a. 2. q. 1. Durand. q. 1. in fin. corp. Capreol. 4. d. 33. q. vn. a. 1. conc. 1. Sotus l. 7. de iust. q. 2. a. 5. col. 7. Petrus de Soto lec. 5. de matr. ad fin. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 27. §. Videtur autem mihi. Victoria relect. de potest. Papæ. num. 1. ad primum. Ledesma 2. p. 4. q. 55. a. 2. fin. Vigner. instit. cap. 16. §. 7. vers. 3. imped. 3. Petrus de Ledesma de matrim. q. 53. a. 1. dub. vn. Bartholomæus de Ledesma dub. 33. de matrim. concl. 2. Lopez 2. p. cap. 48. ad primum Bellarm. l. 2. de Monach. cap. 12. Sanchez l. 7. de matrim. disp. 26. Turrecrem. ad cap. Presbyteris num. 1. dist. 27. & c. 1. a. 2. num. 4. & a. 3. nu. 6. 27. q. 1. Tabien. v. dispens. q. 7. nu. 8. & v. impedimentum, imped. 2. num. 3. Couar. 4. decret. 2. p. cap. 7. §. 4. num. 7. Est autem hoc verum etiam si professus ex inito matrimonio filios genuerit, vt aduertit Fagnan. c. Consuluit, qui Clerici, vel vouentes. Vbi quod hoc quoq; verificatur etiam si professio coram Deo sit nulla, sed in facie Ecclesiæ valida, vt nec præsumptus professus valide possit contrahere matrimonium, sed compellendus sit ad Religionem redire relicta vxore, si nullitatem suæ professionis non probet.

601. Colligitur verò ex prædictis non valere illud argumentum, quia nimirum ex hac sententia sequeretur quod professio esset indispensabilis per Papam. Hæc enim consequentia non est necessaria, quia Ecclesia potest instituere, vt non acceptetur professio nisi sub conditione, quod subsit dispensationi Papæ. Sicut in Societate, Religio non acceptat vota biennij, nisi sub conditione quod ipsa ex certis causis possit remittere vouentem ad seculum.

602. Colligitur secundò, quod votum solemne, & votum simplex propriè non distinguuntur specie. Oppositum tenuerunt Soto l. 6. de iust. q. 2. a. 5. ad primum. Aragon. supra q. 88. a. 7. ad finem. Medina, & Corduba, quos refert, & sequitur Martinez de Prado. cap. 31. q. 3. num. 58. sed non distingui specie ex eo est manifestum, quod vtrumque essentialiter, & in recto non est nisi promissio facta Deo. Distinguuntur verò materialiter, & ideò indiuidualiter, quia materia voti solemnis est donatio, & traditio personæ vouentis non acceptata ab Ecclesia nisi vt facta cum solemnitatibus ab eadem Ecclesia institutis, cuius donationis obseruantia promittitur per votum, sed voti simplicis materia non est solemnis, neque necessario est ob-

ſtuantia alicuius donationis, ſed eſt obſeruantia alicuius promiſſionis factæ homini, vel promiſſum aliquod Deo, ſeu donatio vt in futurum habenda. Et propterea bene ſecundum D. T. 4. *d.38.q.1.a.2. q.2.* dictum eſt, quod hæc diuiſio eſt totius poteſtatiui in partes, cuius perfecta virtus eſt in vna partium, quia ratione materiæ voti optime hoc verificatur, cum ſolemne votum ſupponat donationem pleniſſimam perſonæ de præſenti executam, & perfectam cuius obſeruantia promittitur à vouente, votum verò ſimplex poſſit eſſe ſimplex promiſſio ſine donatione, vel non ſupponat pleniſſimam donationem, & ſolemnem, quam ſupponit ſolemne votum. Et nihilominus metaphoricè ſeu in ordine ad effectus morales hæc diſtinctio dici poteſt ſpecifica, cum ſolum votum ſolemne faciat in perpetuum omnino & etiam ex parte Religionis irreuocabiliter Religioſum, & iterum eodem modo, & reddat irreuocabiliter inhabilem ad matrimonium. Et ſi vota ſolemnia dicuntur diſtingui ſpecie inter ſe, & per ea diſtingui ſpecie Religiones, multo magis poteſt dici diſtingui ſpecie votum ſolemne à ſimplici. Sed tamen in proprietate ſermonis hæc non eſt diſtinctio ſpecifica. Caiet. *ſupra q.88. a.7. dub. vlt.* Sanchez l.7. *de matrim. diſp.25. num.6.* Suarez *tom.* 3. *de Relig. tr.7. l.2.c.12. num.6.*

603. Colligitur tertiò, an debeat dici quod votum Ordinis ſacri ex natura ſua irritet matrimonium? Eſt autem hic diſtinguendum. Nam Ordo Sacer ex natura ſua non irritat matrimonium, quia nec per ſe habet annexum votum caſtitatis, ſed hoc eſt ex inſtitutione Eccleſiæ *cap. ſi quis eorum, cap. erubeſcant, cap. electores, cap. placuit d.32. & cap.1. & 2. qui Cler. vel vouen. D.T. ſupra q.88.a.11.* Sylueſt. *v. matrimonium 9. num.12.* ſed ex quo Eccleſia Latina inſtituit, vt in ſuſceptione Sacri ordinis emittatur votum caſtitatis, per quod votum qui ordinatur donat ſe, & tradit Eccleſiæ veluti in ſeruum ad vſum caſtitatis, vt habet D.T. *quodl.8. a 10. & ſupra q.88.a.7. c. & a.11.c. & 4.d. 37.q.1.a.2.q.3.* idcò & de huiuſmodi voto dici poteſt quod ex natura ſua irritat matrimoniū, ſicut dictum eſt de voto profeſſionis, licet eius ſolemnitatem ſola Eccleſia inſtituerit, & hoc votum ex inſtitutione Eccleſiæ ſit annexum Ord. Sac.

605. Colligitur quartò, quid ſit voti ſolemnitas. Conſiſtit enim in conſecratione quadam, quæ eſt donatio, qua homo ſe Deo donat, & conſecrat, & quæ acceptatur nomine Dei ab Eccleſia, ſi ſit facta cum eis circumſtantijs, qualitatibus, modis, & ſolemnitate cum qua ex inſtitutione Eccleſiæ fieri debet, D.T. *ſupra q.88.a.7. c. & a.9. c. & a.11. c. & alijs locis ſupra citatis*. Et ſic ſubſtantialia veluti ſolemnitas conſiſtit in donatione, ſed qua homo ſe Deo conſecrat, modus verò huius ſolemnitatis conſiſtit in circumſtantijs, & ſolemnitate ab Eccleſia inſtituta.

605. Tandem quantum ad hoc conſiderandū quod Religioſus profeſſus ſiue Clericus, ſiue Laicus, ſi contrahat matrimoniū, eſt excommunicatus. Probat hoc Lezana *p.1.cap.2.num.12. ex cap. Impudicas, cap. Si quis ſacro, cap. Monacho 27.q 1. ſed c. illa ex Concilijs Prouincialibus Triburien. Aurelianen.* deſumpta quæ continent ſententiā ferendā. Caput tamen ſi quis fundatur in decreto Concil. Chalcedonen. ſecundū verſionem Dyoniſij. Et in *Epiſt.* Syricij Papæ, in qua etiam continetur *cap. Impudicas*, & nō tantū præcipitur, quod excommunicentur, ſed quod retrudantur in Ergaſtulis vſq; ad mortē, & non eſt ibi ſermo niſi de Monialibus. In *In cap. vero Monacho*, quod eſt deſumptū ex Concil. Aurelianen. non continetur excōmunicatio. *In Clem. tamen. Eos, de Conſanguin.* lata eſt excommunicatio latæ ſententiæ non tamen reſeruata in Religioſos, Moniales, & Clericos in ſacris cōſtitutos, qui matrimonia cōtraxerint. Sanchez *l.7 de matr. diſp.48. num.6.* Bordon. *de profeſſ. cap.5.q.6.* Bonac. *de cenſ. in partic. diſp.2.q.2.p.7. num.5.* Vbi ex Valentia, Sanchez, & Filiuc. quod hanc excommunicationem incurrunt etiam Religioſi Societatis poſt emiſſa vota biennij, ſi nubant.

606. Addit verò Lezana *d.p.1, cap.2. num.12*, quod huiuſmodi Religioſi matrimonium contrahentes ſunt irregulares ex *d. cap. Monacho 27. qu.1.* Nam huiuſmodi habendos eſſe tāquam bigamos aduertit ibid. Turrecrem. *ex cap. quotquot eadem cauſa, & quaſ. ex Synodo Ancyrana.* Sed huiuſmodi Religioſum aut Clericum in ſacris nubentem etiam cum vnica, & virgine eſſe bigamum ſimilitudinariè, & irregularem ex *cap. Nuper, & cap. à nobis de bigamis non ordin. & cap. 1. & 2. Qui Cler. vel vouentes* colligunt Gloſſ. *in cap. Super eo, v. in bigamia, de bigamis*, Panorm. *cap.1. & 2. qui Clerici vel vouentes*. Riccard. 4. *d.27. a.4. quæſ.1.* Palud *quæſ 4. a.2. §. quartus modus*, Sotus *qu. 3. a.2. concl. 6.* D. Anton. 3. *p. tit. 29. cap. 3.* Nauar. *cap.27. num. 195.* Martinus de Ledeſma *2.4.q.26.a. 2.* & alij plures quos ſequitur Saytus *de cenſ. lib. 6. cap. 4. num. 22.* Turrecrem. *cap. Lector. d. 34. a 2. concl.4.* Tabien. *v. Bigam. q.5* Lopez *2.p.cap.12.* Petrus de Ledeſma *de matrim. q.66.a.3. & q.64.a.4. concl.1. & q.52.a.1.* Bartholom. à Ledeſma *dub.75.* Petrus de Soto *lect.28. de matrim.* & alij quam plures, quos ſequitur Sanchez *lib 7. de matrim. diſp. 83. num.8.* Ad hanc tamen irregularitatem incurrendam neceſſariū eſt matrimoniū conſummatum D.T. *4.d.28.q.3.a.1.q.1. ad tertium.* Palud. *q.4.a. 2. num.10. & 11.* Syluest. *v. Bigamia in princ.* Armill. *num 2.* Tabien. *q.3. fin.* Petrus de Ledeſma *q.66.a.3.* Sanchez *l.8. de matr. d.83. num. 4.* Saytus loco citato. Hanc verò irregularitatē non oriri ex ſignificatione, ſed ex delicto tenet idem Sanchez *l.6. diſp. 84. num.6. & diſp.85. num.6.* ſed eſt res dubia, & valde controuerſa, quamuis vbi matrimoniū eſt irritum difficile eſt inuenire quomodo per illud ſignificetur coniunctio Chriſti cum Eccleſia, ſed contrahentis affectus penſari poteſt.

617 Hoc verò delictum profeſſi nubentis punire pertinet ad ſanctum Officium. Cum enim his temporibus ab omnibus ferè hæreticis improbentur vota Monachorum, volentibus illis, quod Religioſis liceat nubere, meritò habentur de hæreſi ſuſpecti Religioſi profeſſi qui contrahunt matrimonium. Sirr anc. *tr. 40. num. 9.* Pegna *tom. 74. p 2.* Farin. *de hær. q. 183. nu. 70.* Palaus *tr.4. diſp. 8 p.16. b.8 num.4.* Carena *p.2. tit.17. §.3. num.10.* Diana *p.4. tr.7. reſol.2.* Sallelles *lib.1. cap. 20. Reg. 149. num. 130.* vbi quod hæc ſuſpicio regulariter ſit de vehementi; Et quod in eandem hæreſis ſuſpicionem incidunt Religioſi Societatis, ſi poſt vota biēnij nubant ex Sanchez *l.7. de matrim. diſp. 85. num.*

85. num. 15. & in sum. l. 5. cap. 1. Vasquez p. 2. q. 96. disp. 65. Nedum verò matrimonium per verba de præsenti, sed & sponsalia ineuntes per verba de futuro Religiosi professi sunt suspecti de hæresi, & quod praxis Sancti Tribunalis sit de hoc delicto cognoscere tradit idem Carena loco citato n. 11. referens ad dicta de Polygamis tit. 5. §. 6. & 7. Eodem verò modo ad Sanctum Officium spectat punire vxoratum qui vel Sacros Ordines suscipiat, vel professionem emittat Simon. tit. 40. num. 14. Farin. de hæresi q. 183. num. 74. Carena d. tit. 16. §. 3. num. 12. Exceptis tamen vxoratis ritus Græci qui sint iuncti cum vnica, & virgine, quia isti ad Sacros Ordines possunt promoueri, licet mortua vxore postea cum alia contrahere non possint. Relicta verò à Sacerdote Græco an possit sine dispensatione ad secunda vota transire, respondet D. T. 3. p. in supplem. q. 53. a. 4. ad quartum seu 4. dist. & Azor. p. 1. l. 13. cap. 14. quod si maritus de licentia vxoris ad Sacros Ordines promotus fuit, vxor relicta non potest alteri nubere sine dispensatione, secus si vir sine vxoris consensu ad Sacros Ordines ascendit. Pœna verò, qua puniuntur Religiosi professi nubentes est illa, qua puniuntur qui binas nuptias contrahunt, imò grauiori ob suspicionem hæresis Lutheranæ, Palaus, & Sallaies citati.

SVMMARIVM.

1 *Professio dissoluit matrimonium ratum. nu. 608.*
2 *Etiam militum S. Io. Non tamen Eremitarum, vel Tertiariorum. num. 608.*
3 *Nec hoc facit Sacer Ordo. num. 609.*
4 *Professionem dissoluere matrimonium ratum ex iure positiuo multi tenent. num. 610.*
5 *Hoc non bene impugnatur. num. 610.*
6 *Alij volunt quod ex iure diuino positiuo. nu. 611.*
7 *Alij quod ex iure naturali. num. 611.*
8 *Hæc sententia male tribuitur D. T. num. 612.*
9 *Vtraque impugnatur. num. 613.*
10 *Non probatur professionem dissoluere matrimonium ex lege positiua. num. 614.*
11 *Stat posse abrogare lex per quam professio irritat matrimonium ratum salua infallibilitate fidei. num. 615.*
12 *Professio superueniens irritat matrimonium ratum ex institutione Ecclesiæ. num. 616.*
13 *Professio in omni eo casu in quo fidelis posset transire ad secunda vota ob obstinationem coniugis infidelis, dissoluit etiam matrimonium in infidelitate consummatum. num. 617.*

Matrimonium ratum dissoluit.

608. PRofessio contractum matrimonium ratum, & non consummatum dissoluit, ita quod coniux post matrimonium ratum, & non consummatum potest ingredi Religionem, & profiteri; & ex hoc matrimonium manet dissolutum, ita quod coniux remanens in seculo potest alteri nubere. Hoc probat decretum Eusebij tom. 1. Concil. post eius Epis. & est apud Gratianum. cap. desponsatam 27. q. 2. & ex Greg. l. 6. Epist. epis. 10. & Alex. in append. Concil. Later. p. 5. c. 4. & 8. & p. 50. cap. 30. & 31. Innoc. 3. cap. ex parte 2. de conuers. coniug. & Io. 22. in extrauag. Antiquam. de voto, & Trident. sess. 24. can. 6. Hoc autem est verum etiam de professione in Religione militari in qua emittitur perfectum votum Castitatis, cum alijs votis substantialibus, qualis est Militum S. Io. Nauar. l. 3. cons. 2. de conuers. coniug. Corduba in sum. q. 178. fin. Henriq. l. 11. de matr. cap. 8. na. 7. Lopez 2. p. q. 48. ad quartum, Petrus de Ledesma de matrim. q. 61. a. 2. ad quartum. Sanchez l. 2. de matrim. d. 18. num. 8. Brancatus in 4. disp. 16. a. 4. num. 292. Quod tamen non præstat professio vitæ Eremiticæ emissa in manu Episcopi, vel alterius Prælati, cum hæc modo non sit Religio approbata à Sede Apostolica, & Eremita nulli Religioni se tradat, & vel non emittat vel illa sunt simplicia Sot. l. 7. de iust. q. 5. a. 3. Henriq. l. 11. de matr. cap. 8. num. 7. Brancatus vbi supra n. 299. Sanchez l. 2. de matr. disp. 18. num. 5. Pariter professio Tertiariorum, cum nec eorum vita sit Religio, eorumq; vota sint simplicia non soluit matrimonium ratum. Panorm. cap. ex parte el 2. num. 13. de conuers. coniug. Angel. v. matrimonium 4. num. 18. Victoria in summa de matrim. num. 256. Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 4. vers. Hinc fit neutram. Ledesma 2. p. 4. q. 63. a. 3. Sanchez l. 2. de matrim. disp. 17. num. 4. Brancatus vbi supra num. 300. Quamuis sint aliquæ Tertiariæ, aut Tertiarij viuentes in communi, & per emissionem trium votorum profitentes in Religione approbata per Sedem Apostolicam, qui sunt propriè Religiosi, vnde illorum professio dirimit matrimonium ratum. Angel. & Sanchez vbi supra, Sotus l. 7. de iust. q. 5. a. 3. Nec etiam matrimonium ratum dirimi in Societate per vota coadiutorum in ea emissa, quia sunt simplicia, licet publicè emissa, vt testatur Greg. 13. in Bulla Ascendente Domino, & habetur p. Constit. eiusdem Societatis cap. 4. affirmant Henriq. lib. 11. cap. 8. num. 7. Sanchez d. disp. 18. n. 6. Vasquez p. 2. disp. 165. sed oppositum vult Pontius lib. 9. de matrim. cap. 6.

609. Per promotionem etiam ad Sacros Ordines licet eis sit annexum votum castitatis, & pariter per promotionem ad Episcopatum, licet Episcopalis status sit perfectissimus non dirimitur matrimonium ratum. Sic enim de Sacro Ordine definiuit Io. 22. in extrauag. Antiqua, de voto, & de Episcopatu constat ex Ecclesiæ vsu. Neque enim ex natura rei Ordo, vel Episcopatus repugnat coniugis, & votum Ordini annexum est per accidens est annexum Ordini Sacro, nec Ecclesia instituit, vt dirimat matrimonium ratum.

610. Dubium verò est quo iure professio dirimat ratum matrimonium. Canonistæ in sua positionum causam huius referunt Hostien. cap. ex publico, de Conuers. coniug. & ibi Io. And. num. 9. Anton. num. 16. Anchar. repet. super cap. Canonum num. 28. de const. Felin. cons. 26. num. 19. Impugnatur verò hæc sententia ex eo quod hoc ex Ecclesiæ traditione habeatur, & ab initio Ecclesiæ nascentis fuerit vsu receptum, ex eo quod D. Io. à nuptijs vocatus fuerit ad Apostolatum, sed hoc apocriphum esse probat Baron. tom. 1. ad annum

Christi

Christi 31. ex S. Hieron. & August. (quorum non sunt prohæmia in Io. illis tributa) & ex S. Ignatio. Adducuntur etiam alia exempla, vt D. Teclæ à Paulo post matrimonium ad perfectiorem vitam conuersæ teste D. Ambros. *lib. de Virginibus*, & *Epiphania hæresi* 58. & D. Alexij, & D. Cæciliæ, quæ ex matrimonio ad perfectiorem statum transierunt, vt ex Metaphraste, & Surio in earum vita habetur. Quod & de Machario dicunt scripsisse D. Hieron. & alia similia exempla haberi ex S. Greg. *lib.* 3. Dial. *cap.* 14. & S. Aug. *lib.* 8. *Confess. cap.* 6. Sed exempla ista parum sunt ad rem vtilia, quia Sancti qui adducuntur non fuerunt professi vitam Religiosam, & quod fecerunt fuit ex speciali Dei reuelatione, vt testatur Innoc. 3. *cap. ex parte el* 2. *de conuers. coniug.* Nam nec de S. Macario constat, quod professionem solemnem emiserit per emissionem trium votorum, cum tamen de sola professione solemni dicatur, quod dirimat ratum matrimonium. Melius videbitur forsan alicui probari, quod hæc dissolutio non fit ex solo iure positiuo, quia non habemus ius aliquod positiuum quod non supponat hanc dissolutionem. Nam primus, qui legatur huius mentionem habuisse est Eusebius Papa, *cap. Desponsatam.* 27. *q.* 2. Vbi ait. Licet *tamen illi Monasterium sibi eligere*. Verbum autem *licet* non est noui iuris inductiuum, sed quod lege antiquiori fieri potest ea vi sua exprimit, vnde illud decretum supponit ex priori lege licere desponsatæ Religionem profiteri. At verò postea Alex. 3. scribens Epis. Bilaiten, & habetur *cap ex publico, de conuers. coniug.* hanc facultatem colligi ex diuino eloquio fatetur ibi. *Quod Dominus in Euangelio dicit non licet viro nisi ob causam fornicationis vxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem diuini eloquij, de his, quarum matrimonium carnali copula est consummatum*. Et successiuè Innoc. 3. *cap. ex parte el* 2. *de conuers. coniug.* hoc decernit nolens a prædecessorum vestigijs declinare, vnde supponit hoc priori lege fuisse iam statutum. Cum ergo non habeamus in iure positiuo decretum aliquod quod non supponat facultatem transeundi ad Religionem in coniuge ante consummatum matrimonium, ad minus videtur, quod non potest probari, quod hæc facultas adsit ex solo iure positiuo.

611. Alij propterea ex hoc moti asserunt hoc esse ex iure diuino positiuo, & priuilegio Christi, quæ fuit sententia Scoti *in* 4. *d.* 31. *q.* 1. *vers. tertio modo.* Victoriæ *de pot. Papa propos.* 1. *num.* 1. *ad primum.* Soti 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 4. *concl.* 1. Petri de Soto *lec.* 12. *de matrim.* Ledesmæ *p.* 2. 4. *q.* 63. *a.* 3. Bartholomæi à Ledesma *de matrim. dub.* 64. Petri de Ledesma *de matr. q.* 62. *a.* 2. *concl.* 4. Sanchez *l.* 2. *de matrim. disp.* 19. *num.* 3. Pontij *lib.* 9. *de matr. cap.* 5. Brancati *in* 4. *disp.* 16. *a.* 13. Bordon. *de profess. cap.* 5. *q.* 7. Coton. *lib.* 4. *contr.* 4. *cap.* 2. *num.* 43. & aliorum apud istos. Sed alij voluerunt, quod huiusmodi dissolutio conueniat professioni ex natura rei, & naturali lege. Et pro hac sententia Sanchez *d. disp.* 19. *num.* 1. refert D. T. *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. Richard. *a.* 2. *q.* 2. Durand. *q.* 2. *num.* 9. Palud. *q.* 3. *a.* 3. *num.* 10. Turrecrem. *cap. Sunt qui dicant*, 27. *q.* 2. *a.* 2. *num.* 3. Bellarm. *l.* 2. *de Monach. c.* 38. Ludouicum Lopez, 2. *p. instruc. cap.* 39. & alios, ex hoc quia probant hanc dissolutionem fieri ex eo quod homo per professionem moritur mundo, iuxta illud ad Coloss. 3. *Mortui estis*, & *vita vestra abscondita est in Christo*, &c. quam sententiam expressè tenuerunt Couar. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. §. 4. *num.* 7. Martinus de Ledesma 2. *p.* 4. *quæst.* 55. *a.* 2. & *quæst.* 69. *a.* 7. *ad fin.*

612. Sed hæc sententia non potest attribui D. T. & alijs ex eo quod dixerint professionem ex eo dissoluere matrimonium ratum, quia fit mors spiritualia, quoniam hoc metaphoricum quid est, metaphoræ autem ad placitum instituūtur, & sic quod professio assimiletur morti naturali in hoc quod est dissoluere vinculum matrimonij rati, quod adhuc non est carnale, potest esse, & ex natura professionis, & ex institutione Dei, vel Ecclesiæ, & vnde fit, illa sententia non exprimit, vnde non potest dici, quod tenuerit hoc esse ex natura professionis.

613. Alia verò ex parte nec habetur locus vnde deducatur hoc esse Christi priuilegium, quia de hoc non est locus scripturæ. Et si dicatur, quod ex quo Christi illud præceptum Matt. 19. Quod Deus coniunxit homo non separet, intelligendum est de matrimonio consummato, vt interpretatus est Alex. Tertius *cap. ex publico, de conuers. coniugat.* sequitur quod Christus permiserit matrimonium ratum posse dissolui. Respondetur quod consequentia non tenet, quia posset dici Christum reliquisse matrimonium ratum suæ naturæ, nihil positiuè concedendo, & quod ideò hæc dissolutio eueniat in hoc casu quia id petat natura professionis, & matrimonij, vel quia matrimonium sit tale ex natura sua, quod ex lege Ecclesiæ sit dissolubile in ordine ad perfectionem Religionis. Ex alia verò parte absolutè tribuere hoc naturæ horū contractuum non videtur multum conforme rationi, cur enim hoc tribuatur soli professioni solemni, & quomodo hoc est ex natura rei, cum solemnitas professionis sit ex iure positiuo? Et sic cur professio in manibus Episcopi non dissoluit matrimonium ratum cum in substantia hominem Deo deuinciat, & obliget etiam homini, si qui profitetur verè se Episcopo tradat, & traditionem suam per votum consacret? Et cur etiam transitus ad perfectiorem vitam, licet non sit Religio, qualis transitus fuit Sancti Alexij non dicatur ex natura sua dissoluisse ratum matrimonium? Nam quod professio illud dissoluat hoc est quia est transitus ad perfectiorem statum.

614. Mihi in hac parte videtur propterea dicendum, quod ex aliquo iure positiuo est, quod professio matrimonium ratum dissoluat, & sic quod professio sit mors quædam spiritualis dissoluens coniugium non adhuc carnaliter consummatum. Et mihi certum est, quod potuit ab Ecclesia institui, quod ita sit. Quia vt habet D. T. loco citato *ad secundum*, matrimonium contrahitur de facto sub hac conditione, vt liceat coniugi transire ad Religionem ante consummatum matrimonium, potuit verò Ecclesia sic instituere, vt matrimonium non iniretur validè nisi sub conditione. An verò de facto hoc factum sit ex institutione Ecclesiæ, vel Christi. Non video rationem, quæ vrgeat vt hoc dicatur esse Christi priuilegiū.

Nam

Nam vt dictum est, exempla allata non probant. Et quod dicitur de S. Io. est incertum, & dato quod ita esset adhuc non probaret, quia incertum est D. Io. & Apostolos fuisse Religiosos per professionem perfectionis acquirendæ, & similem professioni Religiosorum, vt consideratum est supra *q.188.a.1.* Quod verò leges positiuæ quas habemus supponant hanc dissolutionem iam fieri potuisse, non probat quod hoc non fuerit ex dispositione prioris legis, de qua nobis nunc non constet, neque enim omnia Pontificum, & Ecclesiæ decreta habemus; & hoc potuit etiam introduci per Ius non scriptum, scilicet per consuetudinem.

615. Et quod aliqui dicunt, quod si hoc esset ex iure positiuo posset abrogari, quod est falsum, cum de fide sit matrimonium ratum solui per professionem ex Trid. *sess.24. can.6.* Ecclesia verò non potest abrogare quæ fidei sunt, nam & quæ de fide sunt, immutabilem veritatem continent: Quod inquam sic dicitur, manifestum est non probare. Nam de fide est licere id, quod Ecclesia decernit, quod vniuersaliter liceat. Et sic esto esset ex lege positiua, quod professio dissoluat coniugium ratum; hoc licere de fide esset. Et hæc veritas immutabilis esset manente Ecclesiæ lege, quæ tamen oppositum si statueret, oppositum de fide esset. Nec fides esset vel inconstans, vel sibi contraria; quia essent diuersæ res, & propositiones, & veritates; quia de fide esset dissolui matrimonium lege id decernente, & matrimonium non dissolui lege oppositum statuente. Et illud argumentum militat etiam contra sententiam volentem, quod hæc dissolutio vim habeat ex lege positiua diuina; quia non est impossibile legem diuinam positiuam mutari; Nam & lex veteris testamenti mutata fuit, & per nouum abrogata, vnde non implicaret, quod lex diuina de dissolutione matrimonij rati mutaretur, Deo sic volente, cum tamen omnino sit impossibile, quod veritas fidei deficiat, & mutetur de vera in falsam.

616. Quamobrem ego inclino in hanc partem, vt huius dissolutionis detur fundamentum in natura matrimonij, & professionis, sed tamen quod determinatio illius, & efficacia sit ex iure positiuo, & propterea quod sola illa professio superueniens, quæ habet solemnitatem Ecclesiasticam matrimonium ratum dissoluat. Et sic professio habet hanc efficaciam ex conditione matrimonij, quod ex lege Ecclesiastica fuit conditionatum, conditione professionis emissæ ante matrimonij consummationem, & sic irritat illud non ex natura sua, nec absolutè quatenus votum solemne, sed quatenus ex institutione Ecclesiæ est conditio sub qua initur matrimonium.

617. Dubitatur etiam, quid dicendum de matrimonio fidelis cum infideli consummato, ante infidelitatem, an professio illud dissoluat. Nam supponitur, quod ubi coniux infidelis conuertatur ad fidem, si alius coniux nolit ad fidem conuerti ille fidelis nõ teneatur infideli cohabitare, sed posse alteri nubere ex D. Paulo *in p. ad Cor. cap.7.* Quo stante dubitatur an hic coniux fidelis in hoc casu possit ad Religionem transire, & si transeat matrimonium dissoluatur per professionem, sicut dissoluetur, si ille coniux fidelis cum alio nubat. Diana *p.9. tr. 7. resol. 47.* citato Coninch, Hurtado, & Pontio vult matrimonium non dissolui; quia hæc dissolutio fieri non potest, nisi ex diuina concessione, de qua in hoc casu, non constat, quia *ex p. ad Cor.7.* conceditur fideli coniugi nubere ne cogatur viuere cœlebs, quod absurdum cessat, dum coniux vitam cœlibem profitetur. Sed dico, quod negari non potest talem coniugem fidelem in quocumque casu potest alteri nubere, posse etiam ad religionem transire, & in ea profiteri. Et hoc à fortiori ex eodem Apos. *1. Cor. 7.* colligitur ex eo enim loco habetur, quod Apos. intendit non esse rationabile, quod coniux fidelis ex ostinata alterius infidelitate damnum patiatur, & teneatur ad vitam cœlibem in statu matrimonij, vt non possit liberè, vel nubere, vel alium statum priori matrimonio repugnantem assumere. Et cum per nouum matrimonium ratum initum ab hoc fideli coniuge in omni eo casu in quo potest illud contrahere, dissoluatur indubitatè prius matrimonium consummatum in infidelitate, cum professio hoc nouum matrimonium ratum possit dissoluere multo magis dissoluere poterit matrimonium illud consummatum in infidelitate, quod per ratum matrimonium dissoluitur. Et ita huius sententiæ sunt D. Bonau. *4. d.39. a.2. q.2.* Richar. *16. a.2. q.3.* Sotus *quæst. vn. a.4.* Petrus de Ledesma *q. 59. a.5. dub. vn. concl. 6.* Lopez Instruc. *cap. 53. p.2.* Sanchez plures alios referens *l.7. de matr. disp. 76. num.9.* Lezana *p.1. cap.3. num.3.* Coninc. *l.41. contr.4. cap.2. n.50.* Si tamen fidelis non esset in eo casu in quo posset nouo matrimonio, prius in infidelitate consummatum dissoluere, nec posset profiteri, quia non essemus in casu Apos. *in p. ad Cor.7.* in quo liceret Marito vincula priora disrumpere.

SVMMARIVM.

1 *Professio irregularitatem ex defectu natalium pro parte aufert n.618.*
2 *Si tamen professio sit valida illegitimus recedens sub prætextu nullitatis professionis non manet dispensatus n.618.*
3 *Non sic de electo, num.619.*

Irregularitatem tollit.

618. PRofessio irregularitatem aufert, sed non omnem, sed illam solum quæ est ex defectu natalium, & hanc non ad omnem effectum, quia non potest illegitimus promoueri intra religionem ad Prælaturas, & dignitates, sed potest promoueri ad Sacros Ordines *cap. 1. de fil. Præsbyt.* Panorm. *cap. 2. in fin. de apost.* Couar. *in Clem. Si furiosus de homicid. p. 1. §.1. num.6.* Syluest. *v. irregularitas q. fin.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 86. num.4. & l.5. mor. cap. 5. num. 10.* Tamburi. *tom.3. disp.6. q.27. num. 14. & seq.* Bordon. *de profess. cap.5. q. 10.* Layman. *l.4. tr. 5. cap. 10. num.4.*

num.4. Anton. à Spir. San. *tr. 3. disp. 3. num.* 186. Coton. *l.4. contr.4. cap. 2. num.* 52. & apud istos quamplures alij. Nec obstat Constit. Sixti Quinti contra illegitimos, quia quantum ad hanc partem fuit reuocata per Greg. Decimumquartum. Extenditur verò, vt si quis illegitimus in sæculo fit ad Ordines promotus, factus postea religiosus possit, & in susceptis Ordinibus ministrare, & ad alios Ordines promoueri Sanchez, & Bordon. vbi supra contra Angles, & Sayrum *lib. 6. cap. 11. num* 3. Non tamen per solum ingressum tollitur hæc irregularitas, sed necessaria est professio D. Anton. 3. *p. t. 1. cap. 27.* §. 3. Felin. *in cap. Cum deputati num. 2. de iud.* Sot. *4. d. 25. q. 1. a. 3. col. 2.* Nauar. *com. 2. de Regul. num. 6.* Tambur. *t. 3. disp. 6. q. 27. num* 17. Sanchez *d. l. 5. cap. 5. nu.* 12. Bordon. *d. cap. 5. qu* 16. Et alij apud istos quidquid in contrarium dixerit Rodriq. *p. 1. q. 13. a. 4.* & Hieron. Rodriq *ref.* 77.

619. Existimant verò aliqui, quod maneat dispensatus illegitimus etiam si nulliter sit professus, ita quod annullata professione non reuiuiscat irregularitas. Ita Tambur. *d. q. 27. num.* 18. Et se fundat in eo, quod nouitius si absolutus fuit virtute priuilegiorum à censuris, vel dispensatus in irregularitatibus non reincidit in illas, si exeat à religione, quia absolutio simpliciter data non debet intelligi, vt data ad reincidentiam. Sed ratio non applicatur; nam aliud est loqui de absolutione, vel dispensatione data bona fide, & virtute priuilegiorum, quæ etiam ad nouitios se extendunt, & aliud est loqui de priuilegio dato professis intuitu professionis; hoc enim validam professionem requirit, ideò vbi professio sit nulla non habet locum priuilegium, & indubitatum est illum, qui recessit à religione ob nullitatem professionis, si sit illegitimus non posse ad ordine promoueri Rodriq. *p. 1. q. 24. a. 1.* Riccius *to. 2. resol.* 11. & contra Peytinum *tom. 2. q. 2. cap. 5.* §. 9. Coton. *l. 4. contr. 4. cap. 2. num.* 58. Non est verò eadem ratio de eiectis, qui manent substantialiter religiosi, ideò non reincidunt in irregularitatem ob defectum natalium per professionem dispensatam Diana *p. 4. tract. 2. ref.* 66. Coton. *d. num.* 56. Quamuis huiusmodi eiecti ex decreto Vrbani 8. de Apostatis, & eiectis sint suspensi in perpetuum ab exercitio Ordinum, nec Episcopus possit cum illis dispensare. Qualiter verò illegitimi sint inhabiles ad dignitates, & Prælaturas, & quis possit non illis dispensare dixi latè *in tract. de elect. cap.* 27.

SVMMARIVM.

1 *Nobilitas Sanguinis, & naturales præeminentia non amittuntur professione.* n. 620.
2 *Nec nobilitas ciuilis.* n. 621.
3 *Nec omne Feudum.* n. 621.
4 *Nec Doctoratus etiam ciuilis.* n. 622.
5 *Nec cognationem.* n 623.
6 *Nec capite minuitur.* n. 624.
7 *Nec pariter perdit beneficium 12. filiorum.* nume. 625.

Quæ professio non aufert.

620. QVamuis sæcularia officia, quæ nimis affectum distrahunt à regulari disciplina, & regulari obseruantiæ sunt incompossibilia professione perdantur, *arg. cap. Scripsit* 27. *q.* 1. Sanchez *l. 7. cap. 12. num.* 13. Bordon. *de profess. cap. 5. q.* 39. de quibus officijs satis latè dictum fuit supra *q. 187. a. 2.* tamen prærogatiuæ, & præeminentiæ, quæ non dedecent religiosos manent in professio. Sic professus sanguinis nobilitatem non perdit, quia nobilitas est quoddam ius sanguinis, & ideò est ius naturale *L. ius agnationis ff. de pactis.* Nec religiosus moritur mundo quantum ad naturalia perdenda, licet ea contemnere debeat, & parui facere. Nec *cap. Scripsit*, *aut cap. præsens* oppositum asserunt, sed solum decernunt amitti dignitates sæculares, illas nimirum, quæ habent administrationem statui religioso non conuenientem, vt sunt dignitates Ducatus, & comitatus, & similes ac propterea; quod professione non perdatur nobilitas docuerunt *Rom. sing.* 37. referens sic decisum esse in Rota Gulielmus Benedictus *cap.* Raynutius *num.* 110. Rubuff. *de nominationibus q. 12. num.* 31. Tiraquel. de nobilitate *cap. 26. a. num.* 3. Rosella *in v. Doctor. num.* 4. Nauar. *q. 3. de reditil. Ecclesia monit.* 21. & in propugnaculo *num.* 7. Sanchez *l. 7. mor. cap. 12. num.* 13. Rodriq. *tom. 2. q. 78. a.* 12. Bordon. *de profess. cap. 5. q.* 41.

621. Imò nedum naturalis nobilitas professione non perditur, sed nec amittitur Ciuilis, & politica, quæ consurgit ex dignitate non habente administrationem repugnantem statui religioso, sed manet in professo. Sic cum ex *cap 1. de statu Religios.* §. *Verum in 6.* habeatur quod Religiosus possit habere feuda, vt aduertit etiam ibi Gemin. *2. notab.* communiter DD. docent, quod vbi feudum non requirit personale seruitium, quod religiosus præstare non possit nec per se, nec per alium, secundum nō amittitur professione, sed transit in Monasterium Innocent. *cap. in præsentia num. 3. de probat.* vbi Hostien. *nu.* 8. Io. And. *num.* 16. Anchar. *num.* 11. Panorm. *num.* 69. Felin. *num.* 49 & alij plores, quos refert & sequitur Reuerendiss. Fagnanus *cap. quæ in Ecclesiarum num.* 60. & 64. de Constit. Vbi *num.* 65. quod si seruitium præstandum à Feudatario sit personale Monasterium admittendum sic ad illud præstandum per substitutum.

622. Sic etiam quia non disconuenit religiosum esse Doctorem nedum in Sacra Theologia, aut Iure Canonico, sed etiam in iure Ciuili, aut etiam in medicina, aut phylosophia, quia non dedecet Religiosum scire scibilia honestè, ideò nec dedecet habere testimonium suæ scientiæ, & gaudere laurea scientibus attributa, quæ est laurea Doctoratus. De qua re videri possunt scripta superius *q. 187. a. 1. inspect.* 7. & præcipuè *obser. 2. a. 3.* Ideò professione dignitas Doctoratus non perditur, vt loco citato tradunt Gulielmus Benedictus Sanchez Bordon. *q.* 40. Quamuis non possit in Religione vti suis priuilegijs nisi secundum

dum exigentiam regulæ, & sub obedientia maiorum, & legeaciuilea, & medicinam publicè non possit docere.

623. Pariter Religiosus professione non amittit cognationem siue naturalem, siue legalem, siue spiritualem. Naturalis enim per modum naturæ immutabiliter durat. Legalis imitatur naturam *l. Adoptio ff. de Adop.* & ideò est perpetuo durabilis, & transit in professum. Spiritualis verò spirituali voto non repugnat. Et quamuis *ex cap. Placuit 2. 16. q. 1. & cap. Peruenit ad nos 18. q. 2. & cap. Non licet Abbati dist. 4. de consecr.* sit prohibitum religiosis leuare baptizatos de sacro fonte, & ex hoc prohibiti sunt contrahere cognationem spiritualem ex consequenti; nihilominus si contingat religiosum aliquem leuare de sacro fonte, contrahit de facto cognationem hanc, vnde non est vnde dicatur, quod tollatur professione, si professus illam contraxit ante professionem Bordon. *q.* 43. Et de hoc dictum est supra *q.* 187. *a.* 1. *inspec.* 1. *dub.* 8. *n.* 119.

624. Hinc per professionem non inducitur capitis minutio. Est autem capitis minutio mutatio prioris status facto hominis interueniente. Et triplex esse dicitur maxima, qua amittitur libertas, ciuitas, & familia, vt condemnatione ad mortem. Media, qua libertate retenta amittuntur alia duo, vt per deportationem, Infima, qua amittitur familia, reliquis retentis. Religiosus verò mutat quidem statum, sed in melius, & non inuitus, sed voluntarius, & licet videatur amittere libertatem, hoc non ita est; quia in seruitute Dei maxima est libertas, & se ex virtute obligare ad honestum bonum est maxima vti libertate; non enim fit seruiliter, & inultè, quod fit ex virtutis amore. Cæterum religiosus nec ciuitatem, nec familiam perdit, & ideò non potest dici, quod capite minuatur Sanchez *l.* 7. *mor. cap.* 3. *num.* 34. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 77. *a.* 6. Bordon. *de profess. cap.* 5. *q.* 17.

625. Si etiam Pater professionem emittat, non perdit priuilegium exemptionis ratione duodecim filiorum sibi competens. Tum quia ad hanc exemptionem habendam sufficit, quod aliquando simul actu Pater habuerit 12. filios viuentes, vt ex Iason. *in l. Si quis heredem probat* Bordon. *de profess. cap.* 5. *q.* 20. Tum quia Pater licet professus naturaliter viuit, & non debet censeri mortuus in ijs, quæ sibi præiudicant.

SVMMARIVM.

1 *Professus liberatur à patria potestate. numero* 626.
2 *Est ab omni iurisdictione Laicali. numero* 627.

De exemptione à iurisdictione.

INSPECTIONIS X.

CAP. TERTIVM.

626. PRimò autem professus liberatur à patria potestate, cum enim filius se totum tradat Abbati, seu superiori hinc est, quod eximitur à patria potestate, & dominio, superiore religionis loco Patris succedente, ipsoq; professo mundo, & priori vitæ morienté Gloss. *in l. Si ex causa* 10. §. *Papinianus, alias Pomponius, ver. cum statum ff. de minor.* & ibi Batt. *num.* 4. *cum communi Card. Clem. fin. num.* 9. *q.* 1. *de Regul.* Angelus Syluest. Tabien. Armill. verbo Patria potestas Nauar. *commen.* 3. *num.* 41. *de Regular.* Couar. *cap. Quia nos num.* 5. *de testamen.* Antonius Gomez, Acosta, Suarez, Gomez, Arias, Pinellus, & Molina, quos sequitur Sanchez *lib.* 5. Moral. *cap.* 5. *num.* 29. Fagnan. *cap. Perlatum num.* 47. *de his qua vi &c. & cap. Cum simus num.* 12. *de Regul.* Layman. *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 10. *num.* 5. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 27. *num.* 10. Bordon. *de profess. cap.* 5. *p.* 19. Anton. à Spir. San. *tr.* 3. *disp.* 3. *num.* 177. Coton. *l.* 4. *contr.* 4. *cap.* 2. *num.* 42. Quod tamen intelligitur de ijs, in quibus vtile est filio ab huiusmodi potestate esse liberum; secus verò in illis, in quibus id in eius cederet damnum, vt aduerterunt locis citatis Nauar. Couar. & Sanchez, qui addit *num.* 31. hoc verificari etiam in religiosis Societatis post vota biennij, quamuis quia transitus talium religiosorum non est ex parte Societatis perpetuus, sed conditionatus, dum Societas retinuerit, puter eos si eijciantur reincidere in patriam potestatem, à qua fuerant liberi.

627. Secundò professus est omnino exemptus à iurisdictione Laycali, & tanquam persona Ecclesiastica gaudet priuilegio canonis, & fori. Quamuis hoc priuilegium non acquiratur professione, cum etiam nouitijs competat, vt probatum est supra *de statu nouitiorum*. Sed professione consolidatur, & immutabiliter, & per modum proprietatis acquiritur, cum professus irreuocabiliter fit, & Religiosus, & persona Ecclesiastica *cap. Religioso de senten. excommun.*

SVMMARIVM.

1 *Sunt exempti à iurisdictione Ordinarij. numero* 628.
2 *Qui veniunt sub nomine Ordinarij. numero* 628.
3 *Triplex exemptio. n.* 629.
4 *Exempti personaliter non comprehenduntur sub cap. Volentes, de priu. l.* 3 *in* 6. *n.* 629.
5 *Exempti duplicis generis. n.* 630.
6 *Intell. d. cap. Volentes. n.* 630.
7 *Exemptio Ord. Prad. n.* 631.
8 *Data prius per verba generalia, n.* 631.

9 *Priuilegium Bened. 11. pro Prædicatoribus. num. 632.*
10 *Et Gregorij 13. num. 633.*
11 *Et Bonifacij 9. num. 634.*
12 *Et Sixti 4. num. 635.*
13 *Et aliorum Ordinum. num. 636.*
14 *Regulares non comprehensi sub dicta decretali valentes. num. 637.*
15 *Et hoc probatur ex Concil. Trid. & S.Congreg. num. 638.*
16 *Priuilegium exemptionis commune. num. 639.*

628. SEcundo Regulares etiam à iurisdictione Episcoporum sunt exempti. Circa hoc priuilegium verò sequentia inspicieda sunt, primo enim Pontificum priuilegia ponentur, deinde consideratis circa ea, quæ opportuna indicabuntur, numerabuntur *in cap. sequenti casus* in quibus Regulares eisdem Episcopis vt Sedis Apostolicæ delegatis sunt subiecti. Hinc tamen aduertendum, quod nomine Ordinarij à quo Regulares exempti sunt veniunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & reliqui inferiores Prælati habentes iurisdictionem ordinariam in Diœcesibus, & territorijs, non veniunt verò Delegati Papæ, si illis est concessa vniuersalis iurisdictio etiam super Regulares. Sicut enim Pontifex non eximit Regulares à sui iurisdictione, ità neç à iurisdictione delegata à se ipso suis ministris, ideò sub nomine Ordinarij non veniunt Sacræ Congregationes, nec Auditor Cameræ, nec Auditores Rotæ, neç Legati à latere. Sylu. *v. exemptio num.* 5. Sanchez *l. 6. consil. cap. 9. d. 1. num.* 18. Barbos. *all.* 123. *num.* 32. secus tamen dicendum de legatis natis, illis enim Regulares non subijciuntur. Bald. *cons.* 337. *vol.* 4. Socin. *de visit. d.* 1 q. *in* 2. *q.* 15. *post. num.* 46. Mandos. quem sequitur Tambur. *t. 3. d. 25. q.* 5. *n.* 6. Syluest. *v. exemptio num.* 9. Nuncijs verò subduntur, si eis à Pontifice tribuitur hæc iurisdictio, Lezana *v. exemptio num.* 5. & 10. quæ tribuitur regulariter Nuncijs apud Principes morantibus.

629. Quæritur primò an Regulares exempti comprehendantur sub decretali *Valentes cap.* 1. *de priuil. in* 6. seu an sint subiecti Episcopo ratione delicti, vel contractus, vel rei extra locum exemptum existentis. Triplicem exemptionem DD. distinguunt, aliam merè personalem, aliam merè localem, aliam mixtam. Si exemptio sit merè personalis, vbicumque exemptus delinquat est exemptus, nec potest puniri à iudice Ordinario, vel à Diœcesano à quo est exemptus, quia alias priuilegium personalis exemptionis esset penitus elusorium, & inutile. Ad hoc *l.* 3. *C. Vbi senator, vel Clariss. cap. in his, de priuileg. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. Panorm. *cap. Tuarum. n.* 8. *de priuil.* & ibi Barbosa *num.* 28. & Reuerendiss. Fagnan. *num.* 5. Syluest. *v. exemptio q.* 3. Couar. *pract. cap.* 11. *nu.* 5. Sanchez *l. 6. consil. cap. 9. dub.* 1. *num.* 25. Sed si exemptio sit merè localis tunc persona non est tuta, si delinquat extra locum. Et aduertendum, quod exemptio propriè loquendo dicitur merè localis, non quia non attingat personam, sed quia non afficit illam directè, & per se primo, sed persona ratione loci potitur priuilegio, & ideò solum eo potitur dum est in loco. Quod si delinquat extra, subiacet Diœcesano ratione delicti. Et hic est casus *cap. volentes, primi de priuil. in* 6. Et ita hoc est verum, vt si exemptus manens intra locum exemptum percutiat existentem extra illum, de hoc delicto cognoscat Diœcesanus exemptione non obstante, *cap. Parentibus, de priuil.* Gemini *cons.* 72. *num.* 6. Nam ibi censetur commissum delictum, vbi effectus sequitur Panorm. *d. cap. Tuarum. num.* 8. Dec. *num.* 46. Fagnan. *num.* 8. Bartol. *in l. libellorum num.* 7. *ff. de accusat.* Sed exemptio dicitur propriè mixta, quando æquè principaliter exempta sunt loca, & personæ, vt quia absolutè, & simpliciter decernitur quod omnis sententia lata contra personas sit irrita, & nulla. Et contra hunc sic exemptum non potest procedere Diœcesanus etiam si delinquat extra locum exemptum. Et licet Panorm. *cap. fin. de foro compet. num.* 11. intelligat caput illud *Volentes*, vt habeat locum etiam in exemptione personali, & sic exemptus remaneat subiectus, Diœcesano ratione delicti commissi extra locum exemptum, vel contractus initi, vel rei ibid. inuentæ. Quod sub dubio tradit etiam Felin. *d. cap. fin. de foro competen.* Tamen meritò Panorm. sensit oppositum *d. cap. Tuarum. num.* 8. Et deducitur manifestè ex *d. cap. volentes* 1. *de priuil.* §. *In eos*, vbi decernitur, quod Diœcesanus in eos, qui habeat speciale priuilegium, vt non puniantur censuris, sicut habent quamplures Religiosi Diœcesanus non potest contra huiusmodi quantum ad ista iurisdictionem exercere vbicumque illi fuerint. Vbi ergo simul cum priuilegio locali datum est exempto priuilegium speciale personale exemptionis, nec ratione delicti Ordinarius potest contra talem exemptum aliquam iurisdictionem exercere. Et ita hoc docuerunt Anton. *cap. fin. de foro compet.* Syluest. *v. exemptio q.* 3. Tabien. *in princ.* Angelus *num.* 6. Couar. *pract. cap.* 11. *num.* 5. Sanchez *d. dub.* 1. *nu.* 15. Barbosa *ad d. cap. Tuarum. n.* 4. Et quia vt videbimus Regulares ferè omnes sunt exempti simpliciter, & absolutè etiam personaliter, ideò in eis locum non habet *d. cap. volentes p. de priuileg. lib.* 6. Sed hoc fortiori ratione probatur in sequentibus.

630. Considerandum est secundò, quod adhuc tenendo quod sub *cap. Valentes* comprehendantur exempti personaliter, exemptorum duplex genus esse potest. Quidam enim exempti sunt generaliter, & indefinitè, quidam verò specialiter cum clausula expressa vt Episcopis non subdantur, neque ratione delicti commissi, seu contractus initi, aut rei religiosæ existentis in loco non exempto. Prima exemptio illa est, quæ per clausulas generales datur, vt dicendo, *tales eximimus à iurisdictione, & potestate, seu etiam omnimoda potestate Ordinariorum*, vel alio simili modo. Et quando Decretalis illa *Volentes* Innoc. 4. intelligi deberet etiam de exemptis personaliter, non posset intelligi nisi de exemptis huiusmodi per verba generalia institutis, de quibus ob verborum generalitatem potuisset esse dubium, an comprehenderent illos tres casus. Et ideò quod Innoc. 4. loquutus sit de priuilegio exemptionis generaliter, & indefinitè dato, & voluerit illud ad præfatos tres casus non extendi ex Archid. Io. Monacho, & Io. Andr. & Ancharr. *ad cap. Tuarum num.* 8. *de priuil.* aduertit

ad d.

ad d. cap. Tuarum, Reuerendiss. Fagnan *num.16.* Sed quantum ad secundam exemptorum speciem Innocentius 4. in ea decretali nihil innouauit. Illa enim decretalis vt patet ex illis verbis *declaratione irrefragabili diffinimus*, edita fuit ad declarandam vim exemptionis per verba illa generalia concessæ, nec Pontifex per eam aliquid noui intulit, sed quod latebat manifestauit. Hæc enim est natura declarationis, *l. Hæres palam. §. quod verò, & §. si notam*, & ibi DD. *ff. de testam.* Anchar. *cons.65.n.3.* Fulgos. *cons.147. fin.* Bellarm. *dec.756.* Nam & circa exemptos secundæ speciei nulla suberat difficultas, cum priuilegium illos expresse eximat etiam in illis tribus casibus, vnde cum huiusmodi priuilegij tenor esset clarus, omninò erat seruandus. *c. cum & plantare, c. Porrò, cap. Petiistis de Priuileg.* Itaq; Decretalis volentes hanc speciem priuilegij non comprehendit. Rota *dec.165.a.25. par. 7. recent.* Aliter illa decretalis non esset declaratio, sed priuilegiorum abolitio, vel restrictio, quod nedum repugnat decretali illi, quæ est declaratio, vt in terminis eiusdem decretalis ibi notat Philippus Probus *in add. ad Io. Monach. & Gomin. cons.7 x. col. 1.* sed repugnat intentioni Innoc. 4. qui protestatur se velle vt libertates, & exemptiones concessæ à Sede Apostolica integrè obseruentur, & non infringantur. Est ergo manifestum, quod decretalis illa volentes non est contraria, neque infringit vel limitat priuilegium exemptionis datum in illa forma specifica, in qua exemptio conceditur expressè, vt non sint subiecti Episcopis nec ratione delicti in eorum Diœcesibus commissi extra loca exempta, nec ratione contractus ibidem initi, nec ratione rei ibidem existentis. Quod eo erit verius vbi in priuilegio derogetur expressè eidem decretali.

631. In hac verò duplici forma concessionis data fuit exemptio Regularibus. Ordo Prædicatorũ in ipsa eius Origine natus fuit sub B. Petri, & Summi Pontificis protectione, & gubernio, vt manifestum est ex Bulla Honor. 3. quæ incipit Religiosam vitam, data 11. Cal. Ianuar. anno 216. & in Bullario Romano est secunda. Et in alia breuiori Bulla, quæ in Bullario Ord. Præd. habetur pag. 6. habentur hæc verba. *Ipsum Ordinem eiusque professores, & iura sub nostra gubernatione, & protectione suscipimus.* Successiuè autem Nicolaus Quartus, in Bulla *Dum sollicita*, data Calend. Augusti, Pontif. primo exemptionem concessit per verba. *A cuiuscis alterius iurisdictione ac potestate omnimoda prorsus eximimus*. Et Bonifacius Octauus in Bulla. *Inter cæteras*, data sexto Idus Maij Pontificatus eius secundò, quæ habetur in eodem Bullario Ord. Præd. *fol. 65.* eandem exemptionem sub hoc verborum tenore concessit. *Vos, & Ordinem ipsum ab omnium, & singularum quorũlibet Prælatorũ, & personarum Ecclesiasticarum omnimoda potestate ac iurisdictione prorsus eximimus, de Apostolicæ plenitudine potestatis. Decernentes vos, & Ordinem supradictum immediatè, nulloque medio, eidem Sedi, & soli tantummodò Romano Pontifici subiacere. Ecclesias insuper, Oratoria, domos, & loca, quæ tenetis, & inhabitatis ad præsens, ac tenebitis, & inhabitabitis in futurum, dum, & quoties illa tenere, ac inhabitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi subesse decernimus prælibata.* Plura autem similia priuilegia habent alij Religiones Monachales, & Mendicantes, quæ videri possunt in cuiuscumque Religionis Bullario, & in Compendijs priuilegiorum eorumdem, & apud Cæsarub. *v. exemptio*, Tambur. *tom 1. disp. 15. q. 4.* Barbosam *de off. Epis. alleg. 105.* Donat. *par. 2. tract. 13.* Sed vel non sunt vniuersalia, sed continẽt solum exemptionem quantum ad aliquod speciale, vel sunt data per verba generalia, & indefinitè, & ideò comprehensa sub decretali *Volentes, de priuil. in 6.* vnde non impedirent, quin Episcopus ratione delicti, vel contractus, vel rei litigiosæ existentis extra Monasteria exempta, non haberet in Regulares iurisdictionem, & de illis illorumque præfatis causis posset indicare.

632. Sed post Innocentium Quartum eisdem Regularibus concessa fuit exemptio in forma specifica, & expressa, & etiam cum derogatione expressa decretalis Innocentij Quarti, Benedictus Decimus, dictus vndecimus in Bulla, *Inter Cæteros*, quarto Idus Maij Pontificatus primo anno 1304. & quæ habetur *fol. 75.* in Bullario Prædicatorum in authenticam formam reducto per Franciscum de Albericis Auditorem Cameræ, hanc exemptionem concessit per hæc verba: *Vos, & Ordinem ipsum, ab omnium, & singularum quorumlibet Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum omnimoda potestate, ac iurisdictione prorsus eximimus, de Apostolicæ plenitudine potestatis: ita quod nec etiam ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei sitæ, positæ, vel existentis extra vestra loca exempta possitis coram eis, non obstante constitutione fœlicis recordationis Innocentij Papæ Quarti Prædecessoris nostri in contrarium edita, impeti, molestari, seu quomodolibet conueniri. Decernentes vos, & Ordinem supradictum immediatè eidem Sedi, & soli tantummodo Romano Pontifici subiacere, Ecclesias insuper, oratoria, domos, & loca, quæ tenetis, & inhabitatis ad præsens, ac tenebitis, & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi subesse decernimus prælibata.*

633. Postea verò Gregorius vndecimus in Cõstit. *Sua virtute conspicuos*, data Auinioni 2. nonas Martij Pontif. quarto anno 1374. quæ est 7. in Bullario Romano, sic concessit §. 31. *Cæterum, cum fœlic. record. Innocentius Papa 4. prædecessor noster olim duxerit statuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen, ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur ritè possint coram locorum Ordinarijs conueniri, & illi quo ad hoc suam in illis iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Nos vobis, vt occasione constitutionis huiusmodi, nullum, libertatibus, & immunitatibus, vobis, & Ordini vestro, per priuilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, vel in posterum concedendis, præiudicium generent, auctoritate præsentium indulgemus, decernentes vos, seu personas vestri Ordinis, in prædictis casibus, Ordinarijs ipsis minimè subiacere. Decernimus ergo irritum, & inane, quidquid contra tenorem concessionum, constitutionum, & inhibitionum huiusmodi per quodcumque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem, in vos vel vestrum aliquos, vel loca vestra, seu benefactores,*

vel executores, aut haeredes praedictos in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere.

634. Praeterea Bonifacius Nonus in Bulla: *Et si pro cunctorum*, edita quinto Calen. Maij Pontificatus 13. anno 1403. quae habetur in eodem Bullario *fol.* 91. in ampliori forma praedicta concessit sub hoc verborum tenore: *Ordinem ipsum ac Magistrum, Priores, & fratres praedictos, praesentes, & futuros, nec non quascumque sorores, ac domos, Monasteria, loca, & hospitia quaecumque quae sub cura, & regimine Ordinis, & fratrum Praedicatorum fuerint pro tempore constituta, & eorum rectores, & gubernatores, cum omnibus suis iuribus, & pertinentijs, quae in praesentiarum obtinent, & in futurum (donante Domino) iustis modis, poterunt adipisci, ab iurisdictione, dominio, subiectione, & potestate quorumlibet Ordinariorum, & Praelatorum, ac personarum Ecclesiasticarum, nec non à solutione cuiuscumque collectae, pedagij, aut cuiuscumque alterius generis exactionis, de Apostolicae potestatis plenitudine, & ex certa scientia, prorsus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in ius, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicae, ac sub eorum speciali, & immediata protectione suscipimus, atque nostra, decernentes Ordinem, Magistrum, Priorem, & Fratres, & Sorores, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, domos, Monasteria, loca, & hospitia supradicta, eorumque rectores, & gubernatores, cum omnibus iuribus, & pertinentijs huiusmodi, soli, immediatè Sedi supradictae subiacere, ita quod Ordinarij, & Praelati, aut huiusmodi, seu quaevis alia persona in ea (utpotè prorsus exempta) generaliter, vel specialiter, aut communiter, vel diuisim, non possint quavis auctoritate excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, aut alias etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei, de qua agetur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem seu iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.* Hoc verò priuilegium cum toto eius tenore confirmauit primo Martinus Quintus *in Constit. ad summi Apostolatus*, edita Florentiae Idibus Iulij Pontificatus anno tertio, & has Martini Quinti, & Bonifacij literas confirmauit Eugenius Quartus *in Constit. sua, Ad statum dilectorum*, data Florentiae anno 1440. Pontificatus decimo tertio idus Aprilis. Et iterum tam Eugenij, quam Martini, & Bonifacij literas confirmauit Nicolaus Quintus *in Constit. Licetea*, quae edita fuit anno 1451. Pontificatus Quinto, octauo Idus Augusti, & habetur haec *Constit.* in dicto Bullar. Ord. *Praed. fol.* 115. In praefata autem *Constit.* Bonifacij Noni derogatur expressè *Constit.* Innocentij Quarti.

635. Sed & dispositio supra relata Greg. 11. fuit primo confirmata per Martinum Quintum, & deinde per Eugenium Quartum, & postea in Mari Magno per Sixtum Quartum, qui constitutiones aliorum refert, & confirmat, & postea idem Sixtus idem ex se decernens, inquit. *Et ne praetexto constitutionis Innocent. 4. praedecessoris nostri, quae incipit (volentes) locorum Dioecesani, & alij Ordinarij, ac alij quicumque in personas, & loca Fratrum Praedicatorum contra eiusdem Greg. praedecessoris ordinationem, sibi quamcumque iurisdictionem, superioritatem, vendicare praesumunt, districtius inhibemus, ne quisquam absque dictae Sedis speciali commissione, & auctoritate in personas, domos, loca dicti Ordinis Praedicatorum, utpotè prorsus exempta, aliquam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, specialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, & loca huiusmodi praeeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere praesumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua contra ipsos ageretur, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum, & vel ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quauis poenas, & sententias generales, vel speciales continentes, quos vel quas promulgari, vel haberi, & omnia quae contra fratres, domos, & loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpotè notoria non aliter allegata, nullius roboris vel momenti esse, & pro infectis haberi debere.* Ex his ergo manifestum quod Ordo Praedicatorũ est omninò exemptũ à iurisdictione Ordinarij, & ex vi horum priuilegiorum eis non subijcitur nec ratione delicti, nec ratione contractus, vel rei extra Monasteria, vel loca eorum in loco non exempto consistentia.

636. Sed eandem exemptionem habent aliae Religiones. Quod enim concessit Greg. Vndecimus Ordini Praedicatorum, concesserat prius Ordini Minorum Clemens Quartus in Bulla *Virtute conspicuos* §. 29. *quae est 4.* in Bullario Romano, quam confirmauit Eugenius Quartus, & in Mari Magno Minorum inseruit Sixtus Quartus, seu in *Constit. sua. Regimini, Vbi* §. 9. addidit ea, quae ex Mari Magno Praedicatorum supra recensita fuerunt. Similia pro Augustinianis concessit Sixtus Quartus in eorum Mari Magno apud Lezanam §. 32. Et pro Carmelitis vt in eorum Mari Magno apud eundem Lezanam §. 71. quod prius eis concessum fuerat à Clemente sexto, vt in Bulla *incipien. Sacer Ordo*, data 14. Calen. Aug. Pontif. anno 6. Et pro Seruitis idem concessum ab Vrbano 6. in Bulla edita 7. Idus *Aprilis* Pontif. a. 5. fuit confirmatum à Martino Quinto, & ab Innocentio 8. in eorum Mari Magno apud Lezanam §. 33. Ita & Minimi hanc eamdem exemptionem habent sibi concessam à Iulio 2. in Bulla *Virtute conspicuos* §. 29. *in Bullario Rom. sub num.* 10. & apud Lezanam §. 35. Et inter Monachos eamdem exemptionem cum eadem clausula expressa in illis tribus casibus concessit Cassinen. Eugen. 4. in Bulla *Et si ex debito* data Florentiae anno 1434. septimo Calend. Martij Pontific. 4. quae in Bullar. Cassin. est 58. *sub num.* 2. Carthusianis Bonifacius Nonus in *Constit. quae incipit Sacrosancta* 17. Calend. April. Pontif. anno 5. & est in Bullar. Rom. 3. §. 5. Oliuetanis Iulius 2. in Bulla *Etsi ad uniuersos* Pridie nonas Iunij 1507. in Bullario Rom. 13. §. 23. Camaldulensibus Leo Decimus in Bulla. *Etsi à summo* 4. nonas Iulij 1513. in Bull. Rom. 3. §. 25. Canonicis Regularibus Lateranen. Sixtus Quartus in *Constit. Dum ad uniuersos*. 10. Cal. Septem. 1476. in Bullar. Rom. 10 §. 10. & 11. Equitibus S. Io. Hierosol. à Pio quarto in Bulla, quae incipit *circumspecta*, edita pridie Calend. Iulij anno 1560. quae in Bullario Rom. est 6. §. 36. & 37.

637. Ex his igitur manifestum est, quod Regulares sunt penitus exempti ab ordinaria iurisdictione Ordinariorum, & ita quod non comprehendun-

bendantur sub Decretali *Volentes, de priuileg. in 6.* & nec subduntur Ordinario ratione delicti vbicumque commissi, vel contractus in quocumque loco initi, vel rei litigiosæ in qualicumque loco consistentis. Quamobrem licet constitutio illa *Volentes* Innocentij 4. fuerit innouata per Concil. Trid. *sess. 7. cap. 14.* nihilominus neque sub eo decreto Concil. Trid. comprehenduntur Regulares. Nam Concilium eam decretalem non extendit, & ampliauit ad quos non se prius extendebat. At vero ipsa non se extendebat ad Regulares duplici ratione. Prima est, quia ipsa loquitur solum de exemptione data in genere per verba indefinita, vt dictum est supra, non vero de exemptione specificata, in qua aliqui exempti fuerunt expresse etiam in illis tribus casibus delicti commissi, contractus initi, & rei litigiosæ extra locum exemptū existentis. Regularibus verò huiusmodi specificata exemptio fuit concessa. Secundò quia ad fauorem Regularium fuit Decretali illi pluries derogatum. Quamuis hæc derogatio, vt aduertit Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Tuarum num. 27. de priuileg.* non fuerit necessaria, sed hoc factum fuit ad abundantiorem cautelam, quæ non nocet, quia impetrata ad augmentum, & fauorem exemptionis non debent eius diminutionem operari.

638. Non semel verò, sed pluries Conc. Trident. significauit Regulares esse exemptos plenariè etiam in præfatis tribus casibus cum *sess. 6. c. 3.* concesserit Ordinarijs facultatem visitandi, corrigendi, & puniendi Regulares extra claustra degētes, & delinquentes, & tamen hoc non concesserit eis, nisi vt delegatis Sedis Apostolicæ, & hoc non absolutè sed solum in visitatione, vt infra melius ponderabitur. Et in dicta *sess. 7. cap. 14.* vbi innouauit decretalem *Volentes*, tribuens Episcopis facultatem in Regulares in causis miserabilium personarum, & in alijs solum in defectum iudicis hanc facultatem concedit vt delegatam, vnde sentit eos non habere ad hoc facultatem ordinariam ex decretali *Volentes* innouata. Et *sess. 14. cap. 5.* vbi de Conseruatoribus agit præseruat priuilegia Regularium; quæ etiam præseruat *sess. 24. cap. 11.* & *sess. 24. cap. 14.* Non permittit Ordinarijs vt Regulares degentes intra claustra, si delinquant extra claustra, puniantur ab Ordinarijs, nisi in casu quod Superiores Regulares moniti intra tempus præfixum delinquentem non punierint, & de punitione Episcopum certiorem non fecerint. Quamobrem S. Congr. Concilij expressè declarauit Regulares nec comprehendi sub decretali *Volentes* edita in Concil. Generali Lugdunen. nec sub decreto *cap. 14. sess. 7.* Concilij Trident. & nec decretum Concil. *cap. 20. sess. 14.* ad Regulares pertinere, nec eorum Cōseruatorias imminuere; quam S. Congr. declarationem approbauit, & obseruari mandauit Paulus Quintus per literas in forma breuis cum decreto irritante sub die 14. Augusti 1607. datas, quæ incipiunt Religiosorum, & habentur in Rom. Bull. *sub num. 34.* inter Bullas dicti Pontificis.

639. Quamuis verò non omnibus Regularium Ordinibus concessa sit exemptio specificata, & cum clausula illa expressa vt exempti sint, nec subdantur Ordinarijs aut ratione delicti commissi in loco non exempto, aut contractus initi ibidem, aut rei litigiosæ extra monasteria existentis, nihilominus hæc exemptio totalis omnibus Regularibus habentibus priuilegium communicationis priuilegiorum competit. Exemptio enim à iurisdictione Episcoporum est priuilegium communicabile. Non enim hic est locus doctrinæ Antonij de Butrio *in cons. 29.* vt dicantur non venire sub communicatione, quæ Pontifex verisimiliter nec esset concessurus, cum eiusmodi exemptionem Sedes Apostolica passim concesserit Ordinibus Regularium ferè omnibus. Et ideò exemptionis priuilegium omnibus habentibus priuilegium communicationis est commune Reuerend. Fagnan. *cap. Tuarum num. 24. de priuileg.*

SVMMARIVM.

1 *Ordo doctrinæ. num. 640.*
2 *Opiniones ad quæstionem num. 641. 642. & 643.*
3 *Iurisdictio quid, & quo duplex sit. num. 644.*
4 *Abbates, & Prælati Regulares à tempore Pelagij Papæ habent plenam iurisdictionem in subditos Regulares. num. 645.*
5 *Idem probatur ex S. Gregorio. num. 646.*
6 *Potestas Abbatum vniuersalis respectu culparum. num 647.*
7 *Et respectu pœnarum. num. 648.*
8 *Ordinem iuris seruabant in iudicando. num. 649.*
9 *Excommunicatio de qua in Regulis Monasticis non erat censura. num. 650.*
10 *Ex facultate excommunicandi colligitur iurisdictio. num. 650.*
11 *Ex confirmatione* Regularum *concessa fuit Abbatibus iurisdictio. num. 651.*
12 *Hanc habent etiam si limitatam. num. 651.*
13 *Etiam per pœnas à iure Canonica institutas puniunt Monachos. num. 652.*
14 *Abbates ab institutione habuerunt iurisdictionem. num. 653.*
15 *Perfectio status Religiosi requirit in Prælatis iurisdictionem. num. 653.*
16 *Religiosi laici possunt habere iurisdictionem: num. 654.*
17 *Episcopi non regebant Monachos per delegatas. num. 655.*
18 *Non permittebatur antiquitus, quod Presbyteri haberent curam Parochorum. num. 655.*
19 *Alius Præpositus alius Abbas. num. 656.*
20 *Quis dicatur Presbyter in regula S. Augustini: num. 656.*
21 *Iurisdictio Prælatorum Regularium non est de iure diuino, sed canonica, num. 657.*
22 *Sub lege continentur principia, & conclusiones. num. 658.*
23 *Determinatio Ministrorum commissa arbitrio Pontificis. num. 658.*
24 *Status* Religiosus *non est de præcepto. 659.*
25 *Non est de substantia Religionis quod Prælati eius habeant iurisdictionem. num. 660.*
26 *Christus qualiter instituit Religiosum statum. num. 661.*
27 Religiosi *imitatores* Christi, *& Apostolorum num. 661.*

Apo-

28 *Apostoli eminentius Religiosi. num. 662.*
29 *Religiones inceperunt tempore Apostolorum, num. 663.*

640. CVm igitur sit manifestū Regulares esse à iurisdictione Ordinariorū exēptos ex priuilegio, remanet inquirendum an etiam sint exempti de iure communi. Sed ad rei pleniorem notitiam videndum est an Episcopi de iure communi habeant iurisdictionem in Regulares. Et vt hæc quæstio plenius resolui possit, & tota hæc materia clarius explicari, prius inspiciendum est, & quærendum secundò, an ante priuilegia recensita Prælati Regulares habuerint iurisdictionem in suos subditos, & si habuerunt, à quo, & quando illam consecuti sunt. Quæritur igitur an Abbates vel Monachorum Superiores à suæ institutionis tempore habuerint potestatem iurisdictionis in suos, vel potius eis collata fuerit post temporum successionem, & à quo illam habuerint.

641. Est ergo in hoc prima sententia affirmans Abbates ex eorum institutione fuisse Monachorū Patres, non verò iudices, & habuisse in subditos eam potestatem dominatiuam paternam, & œconomicam, quæ in superiore Religiosorum consequitur ex vi voti obedientiæ, & est in communitate necessaria ad rectam multitudinis, domus, & Monasterij œconomiam, & gubernationem, non tamen habuisse potestatem iurisdictionis, per quā iuxta iuris ordinem, & formam fori contentiosi subditos coercere possent, & per pœnas iuridicè inflictas coercere. Hæc ergo prima sententia est eorum, qui Abbati negant potestatem iurisdictionis. *Rota in vna Cæsaraugus. exemptionis* 13. Nouem. 1587. coram Orano, quæ est *dec.* 15. *par.* 2. recentiorum admittit Abbates posse contra Monachos procedere ad correctionem secundum regulæ instituta, non autem in forma iuris, nec quia absolutè ius illis concesserit iurisdictionem procedendi ordinariè secundum formam iuris: & *num.* 8. subdit, quod si in iudicio procedendum sit criminaliter sub Episcopo fieri debet, quia minor Episcopo causas criminales non agit: & *n.* 13. addit, quod non refragatur quod Abbas possit excommunicare. *cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. Ord. cap. cum ex Ecclesijs, de maior. & obed.* & alijs similibus, quia excommunicare potest non habens iurisdictionem, vt patet in Parocho secundum Hostien. *cap. transmissam*, prope finem, *de elect.* hoc enim fit tantum respectu fori pœnitentialis, quod & facere possunt Prælati inferiores. Sed in alia *decis. habita in eadem causa* 28. Martij 1588. & est 17. *in ead. p.* 1. *recent.* distinguit quia alia sunt delicta, quæ solum sunt contra regulam, & quæ alias delicta non essent, vt est comestio carnium contra institutum; & circa ista admittit in Abbate iurisdictionem priuatiuè ad Episcopum. Sed alia sunt delicta communia, quæ etiam sunt contra legem diuinam, aut canonicam, vt furtum, adulterium, &c. Et circa ista admittit etiam quod Abbas possit procedere contra nocentes Monachos etiam per viam inquisitionis. Quare Abbati, seu Priori concessa est quidem à iure facultas visitandi Regulares eos corrigendi, censuras in eos fulminandi carceribus mancipandi, sed cum temperamento videlicet quatenus extraiudicialiter hæc faciat, & statutis Regulæ tam in cognitione, quam decisione inhæreat. Episcopus verò seruata dispositione iuris communis, de qua in *cap. Qualiter*, & quando in eos animaduertit.

642. Suarez autem *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. arbitratur, quod Abbates ab initio vel non habuerunt iurisdictionem, vel habuerunt delegatam, vel quando cœperunt illam ordinariam habere habuerunt illam dependenter ab Episcopis, & *num.* 16. addit, quod iurisdictionem non habuerunt ab Apostolica Sede, sed quam illis Episcopi voluerunt delegare. Probat autem Suarez sententiam suam. Tum primo, quia multi ex Abbatibus, vt SS. Antonius, Hilarion, & Pachomius, & alij cum essent laici non habuerunt iurisdictionem spiritualem. Secundò, quia ad purum regimen monasticum non est necessarius superior eiusdem Ordinis, qui habeat potestatem iurisdictionis in suos subditos, vt patet in Monialibus, sed sufficit in superiore potestas dominatiua, & paterna, seu œconomica. Nam alias postea per externum Prælatum possunt monasteria regi, & gubernari. Et sic antiquitus Episcopi tanquam Religiosorum Prælati eos regebant, vel per se ipsos, vel per Delegatos, qui Delegati erant Presbyteri de quibus mentionem faciunt Concilium Calcedonen. *cap.* 8. & 16. & S. August. *in Regula* ibi. *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Sic enim tunc erat diuisa potestas, vt paterna resideret in Præposito, aut Abbate, sed iurisdictionis in Presbytero. Et benè contingere poterat, vt hic Presbyter esset etiam Religiosus, & Monachus; Nam huiusmodi videtur fuisse Paphnutius ille, quem Presbyterū congregationis *Scytiæ* vocat, & laudat Cassian. *coll.* 3. *cap.* 1. & Daniel successor eius, de quo loquitur *coll.* 4. *cap.* 1. Et huc spectat, quod refert Epiphan. Epis. ad Io. Epis. Hierosi. se ordinasse quædam Monachum renuentem, eo quod multitudo fratrum presbytero careret. Quod verò hi Presbyteri fuerint quasi Vicarij, & coadiutores Episcoporum habetur ex Concilio Calcedonen. *can.* & 4. 8. & ex *can.* 14. 54. & 56. Concil. Niceni, quos refert Alphonsus Pisanus *l.* 13. eiusdem Concilij. Verùm contra alij existimant, quod Regularium superiores ac Prælati iurisdictionem in subditos habeant de iure diuino, sic enim tenuerūt Medina *lib. de Indulgen. cap.* 34. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 17. *a.* 2. Mirand. *tom.* 1. *q.* 13. Corionao. de casibus reseruatis *p.* 2. *sec.* 1. *a.* 3. quos sequitur Tambur. *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 3. *n.* 2. quia Prælati Ecclesiæ habent illam iurisdictionem, de qua loquutus fuit Christus Matt. 18. dicens. *Si Ecclesiam non audierit sit sibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Nam secundum communem interpretationem, & præcipuè Chrysostomi, nomine Ecclesiæ veniunt Prælati. Secundò quia ibid. Christus omnibus Prælatis dixit. *Quæcumque ligaueritis super terram*, &c. Inter Prælatos vero sunt superiores Religionum. Tertiò quia Episcopi habent iurisdictionem iure diuino, vt graues DD. sentiunt, Prælati verò Regularium habent iurisdictionem quasi Episcopalem. *cap. Abbatem, de priuil. in* 6. notat Gloss. *Clem. vn. de rebus Eccles. non alienan. in verb.* proprij, igitur, & huiusmodi Prælati habent iurisdictionem de iure diuino. Quartò insti-

instituens aliquem statum dat illi omnia necessaria ad illum; Christus verò instituit statum Religiosum, ad quem sunt necessarij Prælati habentes iurisdictionem in subditos; hanc igitur iurisdictionem Christus illis contulit. Quod si Prælati Regularium iurisdictionem habent de iure diuino, manifestum est, quod illam habuerunt ab illorum institutione. Ideò Io. Valerus *de differ. utr. fori verb. Regularis. diff. 6. §. sub prædictis docet*, quod Monachi, seu Monasteria semper fuerint sub immediata iurisdictione Prælatorum regularium priuatiuè quoad Episcopos, licet in aliquibus casibus daretur ad Episcopos appellatio.

644. Iurisdictio est potestas de publico introducta concessa ei, qui iuri dicendo præest per quam potest dicere ius statuendo, sententiando, & obligando subditos ad habendum id, quod dicitur pro iusto, vt habetur ex Syluest. *v. iurisdictio*. Habet verò duplicem vim, scilicet directiuam, per quam decernitur quid sit iustum, & publica auctoritate, vel de nouo statuitur quid sit agendum, & à qua abstinendum, vel declaratur quid leges prius editæ velint, seu etiam sententialiter decernimus, an aliquis secundum leges fuerit operatus vel non. Sed & habet vim coactiuam, & coerciuam per quam minatur pœnas, & ad pœnas subeundas obligat, easque infligit. Cum verò habens iurisdictionem quantum ad vim coerciuam præcipuè subdatur legibus per quas data est forma seruanda in coercendo subditos, & procedendo contra illos ad vindictam, ex communi omnium sententia hæc forma duplex est, quia alia est de iure naturali, & substantia iudicij, vt quod non damnetur nisi auditus, & confessus, vel conuictus, alia est de iure positiuo, quæ est accidentalis, neq; est de substantia iudicij. Et hanc seruare non tenentur illi quibus concessum est iudicare sine strepitu, & figura iudicij sola facti veritate inspecta. Et tales sunt Regulares. Non sunt tamen prohibiti ea vti, sed sunt exempti ab obligatione ea vtendi. Nec per hoc eorum potestas dicenda est non esse potestas iurisdictionis, quia non sic obligata ad iuris apices, aliter potestas Papæ, & Principis, quæ ad huiusmodi apices, & formas iuris positiui non est obligata non esset potestas iurisdictionis: sed essentia huius potestatis in hoc consistit quod sit facultas ex publico obligandi per leges, aut præcepta, & coercendi per pœnas, & sic etiam cognoscendi de delictis, & decernendi subditos esse, vel innocentes, vel culpabiles, & sic eos vel absoluendi, vel damnandi.

645. Dicitur igitur primò, quod Abbates, & superiores regulares iam à tempore Pelagij Papæ, qui fuit creatus Pontifex anno Domini 555. habent in suos subditos plenam iurisdictionem Ordinariam, seu publicam potestatem eos visitandi, corrigendi, cognoscendi, sententiandi, & damnandi subditos delinquentes seruata forma iuris substantiali, vel omni ea alia forma canonica, quæ ab ipsis esset seruanda, & ita quod sic damnati per nullum, aliũ pro eisdẽ delictis essent corrigendi, & puniendi. Probatur hæc conclusio primò ex epistola Pelagij Papæ ad Opilionem defensorem, prout refertur *cap. Nullam 18. q. 2.* Vbi decernitur, quod ad Abbatem Monasterij *tota potestas pertinere noscatur*. Neque enim sufficit dicere, quod Pelagius ibi loquitur de obedientia, quæ nihil commune habet cum iurisdictione, quod probatur, quia præmiserat, quod Abbas debeat adimplere omnia, quæ pertinent ad diuinam reuerentiam, & Monasterij vtilitatem. Nam imò ex hoc magis probatur intentum, quia hac maximè, & ad Dei reuerentiam, & ad Monasterij vtilitatem spectat, quod corrigantur inobedientes, & rebelles iusta pœna corripiantur. Debent verò ponderari dictiones illæ scilicet *vniuersa, & tota*. Per illam priorem habetur vniuersalitas extensionis curæ, & potestatis Abbatis, quæ nullis restringitur terminis, sed se extendit adj quodcumque illud ordinandum, statuendum & exequendum, quod vel ad Dei reuerentiam, vel ad monasterij vtilitatem pertinet. Per dictionem autem *tota* habetur plenitudo omnis potestatis, & quod non vna pars, ideò *tota* potestas, ideoque & plena potestas iurisdictionis illis competit.

646. Hoc idem autem probatur ex *cap. luminoso*, eadem causa 18. *quæst. 2.* vbi inter alia habentur hæc verba. *Quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate*. Nec est vnde dicatur S. Gregorium ex quo illud *cap. est desumptum*, loqui ibi de potestate dominatiua, & paterna, quia imò ibi S. Greg. primò aufert ab Episcopo iurisdictionem super Monasterijs Monachorum, non relicta eis auctoritate, vel minimam ordinationem faciendi, vt ponderabitur magis infra, & hanc iurisdictionem fatetur se negare quatenus Monachi semper maneant sub Abbatum suorum potestate. Est tamen obiter aduertendum, quod licet Gratianus referat illud *cap. vt acceptum ex Epist.* S. Greg. ad Castorium Epis. Ariminen. tamen verba citata non inueniuntur in ea *Epist. quæ est 43. l. 4. indic. 13.* Sed reperiuntur in decreto seu Constituto eiusdem S Greg. habito in Concil. Lateranen. quod ex integro refertur infra. Hæc verò confirmantur *ex cap. Abbates*, quod est Concil. Aurelianen. primi *cap. 21.* in quo cura corrigendi Monachos illosque coercendi committitur Abbatibus, quibus mandatur, punitio peccati proprietatis, & reductio fugitiuorum & vagorum ad Monasterium, quamuis quia Abbatibus non competit habere armatam familiam, mandetur, vt in hoc auxilio Episcoporum vtantur.

647. Sed ex ratione praxi antiquorum Monasteriorum confirmata asserta conclusio demonstratur. Quidquid est de ratione iurisdictionis & quidem vniuersalis, & plenæ, ordinariæ tamen, siue hæc vniuersalitas consideretur ratione delictorum, siue ratione pœnarum, siue respectu formæ, & potestatis iudicandi, totum competijt Abbatibus ab antiquissimo tempore, & à scriptorum, & historiarum antiquarum memoria. *Secundum modum culpæ excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio* Ita habetur in Regula S. Bened. *cap. 24.* Distinguebantur verò culpæ in leues, graues, & grauiores. Huiusmodi verò distinctionem culparum latè explicat S. Isidorus in Regula *cap. 17.* apud Hugonem Menardum in concordia *cap. 31. §. 9.* Abbates propterea etiam de grauioribus criminibus, qualia sunt

sunt detractio, surcurrsatio, falsa in iudicio accusatio, furtum, sacrilegia fornicatio, & similia, & illa puniebant. De quibus Cassianus *l. 4. instit. cap. 16.* dicebat. *Hae & his similia, non illa increpatione, quam diximus spiritali, sed vel plagis emendantur, vel expulsione pugnantur.* Et San. Isidorus, vbi supra *Hae & similia iuxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione purganda sunt: vt qui grauiter peccare noscuntur, acriori seueritate coerceantur.* Et similia habentur statuta in aliorum Sanctorum institutis, & regulis, vt videre est apud citatum Hugonem Menardum in concordia Regularum *cap. 31. & 32.* Sed & in Regula S. Benedicti habetur hæc distinctio culparum in leues, graues, & grauiores. Vt videre est *cap. 24.* & leues culpæ minori quadam excommunications puniebantur, vt aduertit Caramuel à *num. 1744.* & habetur ex regulæ *cap. 33. 43. 44. & 51.* Sed dabantur aliæ culpæ iudicatæ grauiores, vt habetur regulæ *cap. 25.* & istæ maiori quadam excommunicationa corripiebantur, vt ex eadem regula *cap. 44.* Inter huiusmodi verò grauiores culpas continebantur, quæ aduersabantur etiam legi diuinæ, vt ex citatis locis est manifestum; vnde potestas coërcitiua quantum conueniat Ordinariæ potestati Prælati localis erat in Abbatibus vniuersalis respectu culparum, & se extendebat etiam ad eas, quæ erant contra legem diuinam, aut Canonicam.

648. Nec dicatur, quod pro huiusmodi delictis salutaribus solum pœnitentijs, & non seruato ordine iuris puniretur: Iuat enim adducere, quod est exceptum ex regula S. Fructuosi Episcopi *cap. 16. Monachus paruulorum, aut adolescentium consectator, vel qui osculo, vel qualibet occasione turpi reprehensus fuerit inhiare, probata patenter per accusatores verissimos, sine testes causa, publice verberetur; coronam capitis, quam gestabat, amittat, decaluatusque turpiter opprobrio pateat, omnium quo sputamentis oblinitus in facie, probraque aequè suscipiat, vinculisque artatus ferreis carcerali sex mensibus angustia maceretur, & triduana per hebdomades singulas refectione panis exigui hordeacei vespertino tempore sublenetur. Post decade, expletis his mensibus, alijs sex mensibus succedentibus sub senioris spiritalis custodia segregata in corticula degens opere manuum, & oratione continua sit contentus, vigilijs, & fletibus, & humilitate subiectus, & pœnitentia lamentis veniam percipiat; & sub custodia, & sollicitudine duorum fratrum in monasterio ambulet, nulla priuata locutione, vel concilio deinceps iunenibus coniungendus.*

Inter pœnas verò istas d. Hugo ponderat duas, & aduertit ignominiosum olim supplicij genus fuisse raso capite verberibus, aut colaphis cædi, quod probat ex tacito *lib. de moribus* Sermanorum, & San. Greg. Turonen. *l. 5. hist. c. 39. & l. 1.* legis Visigothorum *tom. 1. leg. 7. & lib. 3. tit. 3. & lib. 8. & 10. l. 7.* Adam, *l. 4. hist.* Bremen. *cap. 1.* Iuuen. Satir. 4. & Pállad. in Lau. *cap. de Philoromo.* Præfatus verò delinquens decaluabatur, & verberabatur. Olim quoque ignominiæ genus erat sputamentis faciem conspurcari, vt habetur ex San. Greg. Turonen. *l. 3. hist. cap. 36.* & Paulo Diacono *lib. 18. hist.* & pariter dictus delinquens hac ignominia afficiebatur. Et tanquam excommunicatus postea carceri prius claudebatur vinculis arctatus ferreis, & postea mitius in cellula detinebatur. Nam Monachorum hic mos erat, vt excommunicatos separatos in cellulis detinerent, vt videre est apud S. Greg. Turon. *lib. 9. cap. 4.* Et in regula Fereoli *cap. 25.* & in regula cuiusdam Patris *cap. 19.* Tali pœna mulctabatur attentator adolescentum. Sed & in regula San. Benedicti excommunicatio valdè grauis pœna erat, vt patet *cap. 25.* ibi. *His autem Frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul, & ab oratorio, nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis. Traditum huiusmodi hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat mensura, vel hora, qua prouiderit ei Abbas competere; nec a quisquam benedicatur transeunte, neque cibus, qui ei datur.* Sic ergo Abbates pro qualitate culparum pœnas inferentes, sicut cognoscebant etiam de delictis communibus, quæ erant etiam contra legem diuinam, & Canonicam. sic delinquentes puniebant omni ea pœna, quæ Monachis sic delinquentibus erat imposita.

649. Et tamen id non faciebant nisi seruato Ordine iuris. Est tamen considerandum, quod vbi agitur de leui culpa, & de pœna leuiter ignominiosa, Prælati Regulares ad nullas ferè solemnitates iuris sunt adstricti ad eas inferendas Sylvest. *v. Inquisitio primo q. 3. num. 6. fin.* Angel. *v. Inquisitio num. 2.* Armilla *num. 12.* Sanchez *l. 6. cons. cap. 8. dub. 1. num. 1.* Sed vbi agitur de graui delicto, & pœna inferenda, quæ ignominiam, & infamiam generet, Prælati Regulares saltem ad seruandas substantiales iuris solemnitates tenentur vnde D. T. supra *q 33. a. 7. ad 5.* docet, quod in his Prælatus Regularis non potest procedere nisi eo modo quo secularis iudex, vel Ecclesiasticus. Et ita nec antiqui Abbates procedebant ad iuferendas pœnas graues nisi substantiali iuris ordine seruato, vt ex recensita regula San. Fructuosi Episcopi colligitur, & pariter habetur ex regula Magistri *cap. 13. Conuocet eum inquit, Abbas præsentibus suis præpositis, vel coram congregatione circumstante. Et interrogati ab Abbate præpositi eius, quid peccauerit, vel quoties monitus de ipso vitio non emendauerit, respondeant, quid eum accusant, quo audito vitio,* Talem Abbatis contra se audiat vocem &c. Et sic Abbas increpabat illum, & postea damnabat ad pœnam condignam &c. Et clarius ex regula S. August. *cap. 24. Si post admonitionem iterum, vel alio quocumque die id ipsum facere videritis, iam velut vulneratam sanandam probat, quicumque hoc potuerit inuenire. Prius tamen eß alteri, vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri.* Sed & ex regula S. Benedicti *cap. 23.* hic ordo seruandus erat, vt semel & secundo secrete admoneretur, deinde obiurgaretur publicè coram omnibus, postea vel puniretur pœna excommunicationis, vel vindictæ corporali subderetur. Quamobrem duo sunt manifesta, primum quod Abbates etiam de grauioribus delictis contrarijs legi naturæ, vel diuinæ cognoscebant, & de in-

delinquentes puniebant, secundum quod in hoc procedebant tanquam iudices seruata substantiali forma iudicij, vt non nisi auditum, & conuictum damnarent. Ex quo sequebatur, quod habebant veram iurisdictionem etiam exercitium, & omnem potestatem præcipiendi, statuendi, damnandi, & coercendi suos subditos.

650. Sed assertio vlterius ab aliquibus probatur, quia Abbates poterant ab eo tempore excommunicare, igitur habebant potestatem iurisdictionis. Antecedens probatur ex antiquis regulis, & præcipuè ex regula San. Benedicti c. 23. Et San. Fructuosi Episcopi *cap.* 16. & 17. & ex regula orientali, & ex regula cuiusdam *cap.* 19. & ex regula Magistri *cap.* 13. & ex regula San. Isidori *cap.* 18. vbi etiam habetur, quod *excommunicandi potestatem habebit Pater Monasterij siue Præpositus*. Et in regula Magistri *d. cap.* 13. continetur, quod *excommunicati fratres, si ita superbi extiterint, vt in superbia cordis perseuerantes in tertia die hora nona satisfacere Abbati noluerint, custoditi vsque ad necem cædantur: Et si placuerit Abbati, de Monasterio eyciantur*. Illa tamen verba vsque ad necem in aliquibus exemplaribus non extant, & tanquã hiperbolicè dicta debent intelligi. Suarez tamen *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. arbitratur, quod excommunicatio de qua loquitur regula S. Benedicti non esset propriè excommunicatio, & censura sed externa quædam separatio à conuersatione fratrum, vel in choro, vel in refectorio, vel in alijs occupationibus, quæ separatio erat solum per prohibitionem obedientiæ, nec ligabat sicuti ligat censura Ecclesiastica. Sed & Caramuel in regulam S. Benedicti *num.* 1742. eiusdem sententiæ est, asserit enim hanc non esse nisi censuram merè pœnalem, & non tangere animam. Et ratio illius est, quia cum S. Benedictus edidit regulam nondum habebat iurisdictionem Ecclesiasticam, sed solam potentiam paternam, & œconomicam, cum regulam dederit ante fundationem Monasterij Cassinensis, & ideò antequam eius regula fuisset à Sede Apostolica approbata. *Rota etiam dec* 15. *num.* 13. *p.* 1. *recent.* arbitratur, quod ex facultate excommunicandi non rectè colligatur iurisdictio, ex Hostien. *cap. transmissam, de elect.* Nam curatus non habet iurisdictionem, & tamen potest excommunicare, quia hoc fit tantũ respectu fori pœnitentialis. Sed solos illos posse excommunicare, qui habent iurisdictionem communiter asseritur à DD. & in particulari, quod Parochi non possint excommunicare, nisi id obtineant ex priuilegio, vel delegatione, vel ex consuetudine iurisdictionem acquisierint tenent D. Bonau. 4. *d.* 18. 2. *par. q.* 3. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 24. Sotus 4. *d.* 22. *q.* 2. *a* 1. Nauar. *cap.* 27. *num.* 5. Suarez *disp.* 2. *sec.* 2. *num.* 10. & alij quos refert Leander *tom.* 4. *tr.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 17. Quod verò D.T. 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *corp.* dixerit Parochos in aliquibus casibus posse excommunicare, vt in furto & rapina, id sensit quia vt habet Syluest. *v. excommunicatio* 1. *num.* 5. in illis casibus illis competit ex iure speciali iurisdictio, sine qua nullus potest excommunicare, vt D.T. ibidem expresse docet. Et nihilominus in distinctudinem abijsse, quod etiam in aliquibus casibus Parochi excommunicent aduertit Sotus loco citato. Et sic ex facultate excommunicandi benè colligitur iurisdictio. Existimat verò Hugo Menardus in concordia *cap.* 30. §. 1. quod in regula San. Benedicti contineatur excommunicatio propriè. Sed obstat quod, vt habetur apud eundem Hugonem *cap.* 31. & 32. excommunicatio contenta in regula Sancti Benedicti, & in alijs Patrum regulis non priuabat omni communicatione, & Suffragijs Ecclesiæ, sicut priuat censura excommunicationis, sed priuabat aliquando, vel refectorio tantum, vel choro tantum; vel vtroq; Et sic erat pœnalis quædam separatio à consortio, & exercitijs Monachorum, non erat verò censura. Quod & inde colligit Caramuel *num.* 1744. quod esset Abbati arbitraria quantitas huius excommunicationis. Et nihilominus tamen ac si esset excommunicatio, & censura propriè quatenus erat pœna grauis non infligebatur nisi seruata iuris forma, & monitione præmissa, quod ad inferendam iurisdictionem sufficit.

651. Sed contra prædicta remanet instantia, eo quia non potest ex huiusmodi inflictione pœnarum colligi, quod esset in Abbatibus iurisdictio. Tum quia totum hoc pertinebat ad potestatem dominatiuam, & oeconomicam, & non excedebat potestatem consurgentem ex vi voti, sed pœnæ omnes, quæ continebantur in regula erant conuentionales, & tales, quas ex conuentione inita in professione, dum professus promittebat seruare regulam, si postea peccabat contra illam, tenebatur subire pœnas in regula contra similem delinquentem illaturas, & consurgebat in superiore facultas, talem pœnam infligendi. Et confirmatur ex motiuo allato à Caramuel, quia antequam Regulæ Monachorum confirmarentur, nulla ab Ecclesia conferebatur potestas cognoscendi de delictis contra regulam, & illa puniendi; iurisdictio verò est potestas spiritualis, ex publico veniens, quæ à nullo habetur, nisi sit ei data immediatè, vel mediatè à summo Pontifice à quo est omnis Ecclesiastica iurisdictio. Sed respondetur, quod hoc argumentum non probat, nisi quod Abbates ante regulæ confirmationem iurisdictionem non haberent. Ex quo tamen Ecclesia regulas confirmauit, Abbatialem dignitatem instituit, & approbauit & simul Abbatibus dedit potestatem, & sic ex facultate puniendi seruata præfata iuris forma approbata ab Ecclesia, infertur etiam iurisdictio, quia conueniens erat, vt qui superiores erant ex regula, essent simul ministri ex publica potestate præcipientes, & obseruare facientes, quæ regula mandat, vt fiant. Imò supposito quod in regula contineatur talis potestas, & in ordine ad talia, quæ propria sunt potestatis iurisdictiuæ, & qualia sunt corporaliter punire pœna graui, carceribus tradere, pœnitentias graues, & secum ferentes infamiam imponere, excommunicare, & alia similia facere idem est talem regulam approbare, & potestatem iurisdictionis ad talia facienda tribuere; quia ex publica potestate talia facere potest, qui ea facere potest ex regula per potestatem, & auctoritatem publicam confirmata. Et quod ex Religionis approbatione intelligatur concessa iurisdictio Prælatis Religionis ex Bannes supra *q.* 1. *a.* 10. *dub.* 8. *concl.* 6. aduerti Tambur. *t.* 2. *disp.* 25. *q.* 1. *a.* 5. *in fin.*

652. Et conclusio à nobis posita sine dubio colligitur, nimirum quod huiusmodi iurisdictio Abbatibus competierit à tempore Pelagij Papæ *ex d. cap. Nullam* 18. q. 2. in quo tota potestas fuit Abbatibus attributa. Sic etiam *in cap. fin. de stat. Monachorum* mandatur, Visitatoribus, vt non nisi per Abbates corrigant Monachos imponendo eis pœnitentias nedum secundum regulam S. Benedicti, sed etiam secundum Apostolica instituta, quo clarius apparet Abbatum esse infligere contra inobedientes etiam pœnas à Canonico iure statutas. Et si dicatur hoc totum verum fuit & est de iurisdictione extra iudiciali, respondetur quod hoc est verum de iurisdictione simpliciter. Non enim prohibiti sunt Abbates vti solemnitate iuris, si velint, vel ob defectum iurisdictionis, vel quia iurisdictio sit maior, ea eo quod est ligata apicibus iuris, vel obligata ad formam *cap. Qualiter, & quando de accusat.* Abbatibus competit non ligari apicibus, aut omni solemnitate, sed quia leges præcipientes tales solemnitates non erat editæ in antiquo statu Monachorum, & postquam fuerunt editæ Monachi fuerunt, & de facto ab illis sunt exempti. Cum tamen verum sit, quod siue huiusmodi solemnitatibus possent cognoscere de delictis Monachorum, & ita vt non poterant Episcopi Monachos punitos semel ab Abbatibus postea iterum punire pro eisdem delictis. Et si dicatur non potuisse Abbates omnes culpas punire vt v. g. non potuisse Monachos tradere brachio seculari. Respondetur quod ea hoc non concluditur nisi, quod iurisdictio Abbatum esset in aliquibus limitata, sicut & nunc de facto in multis limitata est iurisdictio Episcoporum, & aliorum Prælatorum Regularium; nec tamen per hoc negatur illis iurisdictio. In hoc ergo potuit esse, quod iurisdictio Abbatū fuisset limitata, & quod in grauissimis causis non possent procedere inconsulto Episcopo, sed ea hoc non debet eis negare ordinaria iurisdictio, Imò ex regola San. Benedicti *cap. habetur*, quod vbi aliquis ordinatus fuisset Presbyter, si fuisset malus, iubebat Sanctus Pater, vt haberetur recursus ab Episcopum. *Et sæpe*, inquit, *admonitus, si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis, proijciatur de Monasterio, si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire regulæ nolit.* Aduertit verò Hugo Menardus in concordia regularum *cap. 69. §. 1. v. Episcopus*, quod olim Presbyteri Monasteriorum, seu Sacris Ordinibus initiati nedum erant sub Abbate, sed etiam sub Episcopo; quod colligit ex Epis. Friderici Archiepis. Colonien. ad Adelberonem Episcopum Leodien. & ex Concil. Arelaten. 3. quod omnes Clericos Monasterij Lirinen. subiecit Episcopo, Laicos verò Abbati. *Hoc enim*, inquit, *& rationis, & Religionis plenum est, vt Clerici ad ordinationem Episcopi debita subiectione respiciant: Laica verò omnis Monasterij congregatio ad solam, ac liberam Abbatis proprij, quam sibi ipse elegerit, ordinationem, dispositionemque pertineat.* Neque verò credendum est Clericos Monachos, quantum ad regularia instituta non fuisse subiectos Abbati, quia imò ex regula San. Bened. loco citato ei subiecti esse debebant, sed nihilominus differentia erat, quod Laici ad solam, & liberam spectabant Abbatis potestatem, etiam in foro externo ea vi dicti Concilij. Quamobrem non est dubitandum an Abbates habuerint potestatem fori externi, sed hanc habebant magis, aut minus limitatam iuxta particularia statuta, & consuetudines Diœcesum.

653. Dicitur secundò verosimilius esse, quod Abbates iurisdictionem ordinariam habuerint ex eorum institutione. Quamuis verò non habeamus iura expressa, quæ hoc decernant, tamen ratio ipsa in iure fundata hoc suadet. Licet enim hoc verum sit, quod ad substantiam Religiosi status non sit iurisdictio in superiore regulari existēs sed sufficiat, si sit in extrinseco Prælato, vt patet in Monasterijs monialium. Tamen negari nō potest, quod hic modus regendi subditos Religiosos non sit imperfectior, & ea necessitate permissus in Monialibus ob defectum sexus, & quia potestas iurisdictionis minus illis conueniat; ob imperfectionem gradus rationalitatis, quæ regulariter in Mulieribus inuenitur. Cæterum per se manifestum est multo melius gubernari Monasteria, si superior regularis nedum ea potestate, quæ ea voto obedientiæ consurgit, sed ex publica, & hierarchica auctoritate possit ius dicere, & obligare subditos ad viuendum secundum disciplinam regularem. Hoc enim modo, & in superiore est maior virtus ad agendum, & ex consequenti in subditis minor efficacia resistendi. Melius etiam seruatur iustitia, & æquitas quia vbi superior meliorem cognitionem habet veritatis, rectius potest iudicare, & seruare æqualitatem iustitiæ nihil ab ea declinando, ex defectu informationis, est verò manifestum, quod superiores regulares qui ex vicino inuigilant, & oculis, & sensibus adsunt Monasterijs melius cognoscunt veritatem eorum, quæ in Monasterijs fiunt. Item cum recta ratio postulet, vt iustitiæ sit prudenter adiuncta misericordia, & cum stante æqualitate delicti in se, ex circumstantijs minuenda sit, vel augenda pœna ex circumstantijs, cum minori pœna puniendus sit, qui alias fuit maioris meriti, & maiora obsequia præstitit; qui peccauit ex infirmitate, vel ignorantia, qui semel vel iterum solum deliquit, nec est in malè agendo consuetudinarius; harum & similium circumstantiarum veritatis multo meliorem cognitionem superior regularis habere potest, quam extraneus, ideò ab eius vultu melius iudicium, & rationi conformius potest prouenire. Amplius cum hæc sit malignorum mundi conditio, vt ex vnius Religiosi defectu totum Monasterium, & Religionem culpent, & totius religionis facies detrahetur, & fama denigretur. Imò (quod magis est) cum ex culpis Religiosorum maximum scandalum generetur apud seculares, qui ex hoc maximè animantur ad malè faciendum moti exemplo malorum religiosorum, hinc est, quod recta ratio petit, vt causæ religiosorum secretius cognoscantur, & tractentur, quam fieri possit; ideò melius longe est, vt intra Monasteria causarum processus à religiosis ipsis instruantur, & sine strepitu, & figura iudicij, quam quod à iudicibus externis per Notarios non religiosos. Cum ergo ex his rationibus, & alijs, quæ afferri possent manifestum sit quod iurisdictio sit ad hoc, vt in statu perfe-

ctionis

ctionis iudiciū perfectiori modo habeatur, & status ipse firmius stabiliatur, non est vnde dicamus, quod ea ratione, qua instituti sunt Abbates, quibus commissa fuit cura monasteriorum, simul non fuerit illis tributa iurisdictio, & publica potestas gubernandi monachos, & inobedientes inter illos puniendi.

654. Quod confirmatur soluendo adducta in oppositum. Primo autem fiebat ius in eo, quod ab initio Abbates erant Laici, & non Clerici, ita quidem dicendum est. Et Gratianus §. *Superiori auctoritate post cap. 39. 16. q. 1.* ex historia Ecclesiastica refert, quod monachorum Abbates vsque ad tempora Eusebij, Zosimi, & Syricij Pontificū fuerunt laici. Sed aduertendum est, quod laicorum duplex est genus. Nam alij sunt merè seculares, & isti sunt iurisdictionis spiritualis incapaces; sed alij sunt Religiosi, & ideò personæ Ecclesiasticæ, ad ea quæ Religionis sunt ex vi professionis suæ perpetuo immutabiliter deputati, & isti licet sint incapaces eorum quæ sunt Ordinis Clericalis, nec eis possit competere plena clauium potestas, tamen non sunt incapaces omnis iurisdictionis spiritualis. Cuius exemplum de facto habemus in Religione Fratrum B. Io. Dei, qui quidem laici sunt, & tamen sunt exempti à iurisdictione Episcoporum per *Const.* 113. Pauli Quinti, & aliorum Regularium fruuntur priuilegijs, per *Cōst.* 88. Vrbani 8. vnde eorum Prælati licet laici habent in suos subditos iurisdictionem, & quidem etiam independenter ab Episcopis. Ex eo igitur quod in principio Ecclesiæ Abbates essent laici, non potest negari, quod haberent iurisdictionem talem ac tantam, quanta opus erat, vt suos subditos Religiosos laicos continerent in monastica disciplina. Nec sufficit dicere cum Tambur. *tom. 2. disp. 8. q. 3.* quod habuerint iurisdictionem in habitu, sed dici debet, quod habuerint illam in actu, quia eius capaces erant, quatenus Prælati religiosi, & fuit conueniens, quod actu illam haberent.

655. Ad secundum dicitur, quod plura continet, quæ aliena sunt à ratione. Nam cum manifestum sit, quod monasteria monachorum, quæ tot ac tāta erant, & erecta in desertis, & solitudinibus, & regionibus valdè distantibus à Ciuitatibus, non poterant immediatè regi per Episcopos, cur potius dicitur quod Episcopi regerent ea per Delegatos, cum facilius esset, & longè melius, vt Abbates ipsi tanquam superiores ordinarij instituti haberent ordinariam iurisdictionem in illa, & hoc sit longè melius, & conformius statui religioso? Sed secundo tantum adest, quod Episcopi regerent Monachos per Presbyteros, quod imò prohibebantur monachi ipsi habere in monachos aliquam potestatem si ad ordines promouebantur. Sic S. Greg. *l. 6. Epis. 4.* vt refertur *cap. Nè pro cuiuslibet 16. q. 1.* præcepit, *vt si quispiam Abbatum aut Monachorum, ex quocumque Monasterio ad Clericatus officium, vel Ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat vlterius potestatem*. Idem verò ab eodem S. Greg. statutum fuit *l. 5. epis. 11.* ad Maximum Syrac. Epis. & habetur *cap. Presbyterat eadem causa, & quæst.* *Et licet*, vt aduertit Gratianus in §. *Superiori auctoritate post cap. 39.* non esset prohibitum omnino Abbates, vel monachos esse Sacerdotes, nam vt supra etiam dicebatur, Athanasius refert ordinatum fuisse monachum in presbyterum pro Monasterijs Scytiæ tamē distinguendum erat inter presbyteros habitantes in monasterio, vel à monasterio egredientes. Cœperunt enim Abbates ordinari in presbyteros, & permittebantur esse Abbates, si in monasterio manebant, non accepta alia animarum cura, sed non permittebatur, vt presbyteri vel Clerici seculares, seu monachi extra monasteria degentes potestatem haberent in monachos, vnde neque dici potest, quod Episcopi regerent monasteria per presbyteros seculares, vel etiam per presbyteros monachos, cum imò Sacri Canones vellent, quod omnis potestas esset pœnes Abbatem.

656. Nec quod adducitur ex Regula S. Augustini aliquid probat, quia fundatur in re valdè controuersa, an scilicet regula illa S. Augustinī fuerit data pro Monachis, vel potius pro Clericis; & huic secundæ parti fauet valdè officium diuinum in festo S. Augustini, quo multæ Ecclesiæ vtuntur, & in specie Ordo Prædicatorum, & approbatur à Pio V. *in constit. licet Ecclesia Dei*, edita *an.* 1570. *Nam in Antiphona 3. ad laudes* dicitur. *Factus ergo presbyter Monasterium Clericorū mox instituit, & cœpit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutā*. Et in Hymno canitur. *Tu de vita Clericorum Sanctam scribis regulam*. Sed quidquid sit de hac controuersia, cuius resolutio altiorem petit indaginem. Dicendum erit quod officium Præpositi inueniebatur etiam apud Monachos, vt apertè constat ex Regula S. Benedicti, & refert Hugo Menardus in concordia Regularium *cap. 27. §. 1.* vbi notat, quod duæ olim erant hæ duæ dignitates Abbas, & Præpositus, vt liquet ex Concil. Turonen. 2. *can.* 17. S. Isid. *l. 2. de off. Eccl. c.* 15. S. Greg. *lib. 2. epis. 42. & l. 4. epis. 4. & lib. 1.* Dial. *cap. 2. & cap. 7.* & S. Greg. Turonen. de vitis PP. *cap.* 14. quæ distinctio inueniebatur etiam in Monialium Monasterijs, vt habetur ex Regula S. Cæsarij Arelaten. *cap.* 16. Præpositus autem subijciebatur Abbati, vt ex eadem Regula S. Benedicti habetur loco citato, & ex S. Greg. *d. lib. 1.* Dialog. *cap.* 7. vbi dicit Nonnosum fuisse Præpositum Monasterij siti in monte Soractæ, & tamen supra se habuisse patrem durissimum sub quo viuebat. Itaque in illa S. Aug. regula per Præpositum non potest intelligi Prælatus Ordinarius supremus Monasterij, sed aliquis officialis sub principaliori Ordinario præfecto, & sic dicendum erit, quod in illa Regula S. Augustini sub nomine Presbyteri, qui maiorem auctoritatem habebat apud illius Religiosos veniret Prælatus Ordinarius, & primus habens supremam localem administrationem. Cur verò Prælatus Ordinarius dicatur Presbyter, facile est intelligere, si Regula illa à S. Augustino fuit facta pro Clericis Monasterij illius, quod S. Augustinū erexisse statim ac fuit ordinatus Presbyter refert Possidius, & Ecclesia canit in citata antiphona. Illi enim Clerici iuuenes erant, vt colligitur ex Epis. Aug. 261. in qua meminit vnius iuuenis educati in illo Monasterio, quod vt habet Pennotus *lib. 2. Hist. cap. 24. num. 6.* erat veluti seminarium ex quo assumerentur viri ad regendas Ecclesias, & curam animarum. Eorum verò Prælatus presbyter erat, & esse debebat; & ideò in ea

Regula presbyter appellatur, sed si regula dicitur edita pro Monachis, quia non negatur, imò asseritur quod fuerit accommodata, & extensa ad Clericos, vt fatetur Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 4. l. 2. c. 8. num. 19.* quod nec negarunt Coriolan. Paulus Bergam. & Marquez apud Pennotum *l. 1. c. 18. num. 4.* Dici igitur poterit quod regula, quæ habet presbyterum fit illa, quæ pro Clericis fuit accomodata.

657. Dicitur tertiò, quod Prælatos Regulares habere iurisdictionem, non est de iure diuino positiuo, sed de iure Ecclesiastico. Nã aliud est aliquid habere de iure ipso facto, aliud est de iure esse vt sibi detur, & sic habere aliquod ius vt habeatur. Primo verò dicitur non esse de iure diuino, vt Prælati Ecclesiæ inferiores Pontifice habeant ipso facto ex vi electionis, vel collationis iurisdictionem. Hoc neruosè probat Bannes *supra q. 1. a. 10. dub. 5.* ostendens omnem iurisdictionem à Pontefice descendere, & promanare in alios Ecclesiæ Prælatos. Pontifex enim est Ecclesiæ cor, & caput Supremus Pastor, & Monarcha, à quo veluti à fonte promanat Prælatorum potestas. Et ipse solus est in Ecclesia, qui ex vi suæ electionis statim immediatè, & ipso iure, & facto iurisdictionem habeat super tota Ecclesia. Alij ergo Prælati ipso iure diuino, & facto non habent iurisdictionem ex vi electionis ad aliquam Prælaturam, nisi sibi à summo Pontifice detur. In secundo autem sensu, an scilicet Pontifex ex iure diuino teneatur hanc potestatem dare, vel non dare, adhuc vtrumque verum est cum distinctione. Nam in generali, & regulariter illam tenetur dare Episcopis, nam Episcoporum Ordo est institutus à Christo, qui omnes Apostolos Episcopos ordinauit.

658. Est enim considerandum sub aliqua lege contineri, & principia prima, & conclusiones omnes, quæ per necessariam consequentiam deducuntur ex principijs, vnde de lege naturali non solum sunt principia illa generalissima, malum est fugiendum, seu quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, seu suum cuique est tribuendum, sed conclusiones omnes, quæ per necessariam consequentiam deducuntur ex illis principijs, vt quod non est furandum, quod fugiendum est adulterium, & alia similia, vt docet D. T. *p. 2. q. 94. a. 2.* Pariter id omne est de iure diuino, quod per necessariam consequentiam deducitur ex primis principijs legis huiusmodi; cum ergo Christus instituerit Ecclesiam vniuersalem, & in ea Episcopos, & Ordinem Hierarchicum, quia nec tota immediatè potest regi per vnum, ideò de iure diuino est, quod in Ecclesia Papa ordinet Episcopos illisque tribuat potestatem iurisdictionis. Sed tamen quia tribuere hanc iurisdictionem est commissum dispensationi summi Pontificis, ideò huius diuini præcepti determinatio, quæ non deducitur per necessariam consequentiam ex principijs legis diuinæ positiuæ, sed deducenda est per rationabile arbitrium sũmi Pontificis, spectat ad ius positiuũ Canonicũ, sicut ad ius humanum spectat determinatio iuris naturalis commissa à Deo legislatoribus. Ideò posset Papa huic vel illi Episcopo nullam velle concedere iurisdictionem, & potest Episcopis tantam concedere, quanta sibi videtur, & sic Episcoporum iurisdictionem potest ampliare, & restringere tanquam iurisdictionis supremus dispensator.

659. Non est verò eadem ratio de Episcopis, & Prælatis Religionum. Nam primo esse Religiones in Ecclesia non est præceptum diuinum; Quia nullum est diuinum præceptum obligans nos ad obseruantiam consiliorum, & tamen Religiones omnes obligant ad consilia aliqua. Ideò status religiosus est status liberè assumendus. Ideò Matt. 19. non præcepit paupertatem, & obedientiam, sed de illa dedit consilium, & sub conditione libertatis loquens dixit, *si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, &c. & veni sequere me.*

660. Secundò per se ad statum Religiosum non est necessarium simpliciter, quod regatur per Prælatos eiusdem Religionis, seu per alios Prælatos, quam per Episcopos. Sicut enim Episcopi habent sub se plures Ecclesias, & Collegia Clericorum quos immediatè gubernant per delegatos, & vicarios suos, vel per officiales habentes ab eisdem auctoritatem tantam, & talem, quantam, & qualem ipsi volunt illis tribuere, ita potuerunt regi Monasteria Regularium. Et sic per necessariam consequentiam ex vi iuris diuini non sequitur quod Religiones instituantur tanquam corpora à Diœcesibus separata, & immediatè summo Pontifici subiecta, seu quod non regantur per Episcopos, vel per ministros Episcoporum, & quod superiores Regularium habeant iurisdictionem, & non simplicẽ potentiam dominatiuam, & œconomicam, sicut habent Abbatissæ, vel iurisdictionem vim delegatam, vel si ordinariam non prouenientem immediatè ab Episcopo, & non nisi tantam, & talem, quantam ipse voluerit tribuere. Ideò quod Prælati Regulares habeant iurisdictionem non est de iure diuino, sed de iure Ecclesiastico. Et per hæc patet responsio ad primum, & secundum argumentum contrariæ sententiæ.

661. Ad quartum dicitur quod Basilius Pontius *lib. 7. de matr. cap. 1. 2. & 3.* multis conatur probare quod Apostoli fuerint verè, & propriè Religiosi, & quod Christus nedum instituerit, sed crearit statum Religiosum, & propterea quod Religionum institutio sit de iure diuino. Et quidem non est dubium, quod Religiones fuerunt institutæ à Christo commendante obseruantiam consiliorum, & ad illam exhortante. In quo tamen duo consideranda sunt, scilicet substantia consiliorum, & obligatio ad obseruantiam illorum ex voto, quæ duo sunt de substantia status Religiosi, scilicet deputatio ad obseruantiam castitatis etiam vt est de consilio, paupertatis, & obedientiæ, & quod hæc deputatio sit firmata per votum. Nullum autem horum est præceptum de iure diuino, sed vtrumque est consilium. Ideò status Religiosus non est de præcepto, sed de consilio. Et quod de facto sit in Ecclesia prouidentiæ diuinæ est, & in hoc est legis diuinæ, vt non impediatur esse, sed imò si adsint, qui Deo inspirante illum statum eligere velint, Pontifex, & per eum alij Prælati talem nedum non impediant, sed amplectentur, & foueant, & promoueant, & dirigant. Verum sicut alia præcepta, naturalia, & diuina, quantum ad illorum determinationem sunt de iure

re

re humano, ita & status Religiosus, & præcipuè talis qualis nunc est de iure humano est; vnde maximè quantum ad exemptionem, & iurisdictionem Prælatorum est de iure Ecclesiastico.

662. Cæterum quod Christus erexerit statum Ecclesiasticum, & quod Apostoli fuerint Religiosi res incerta est, nec à Pontio probata. Quod enim Epiphanius *hæres.* 88. explicans illud Matt. 17. sunt Eunuchi, &c. dixerit. *Quinam igitur ij fuerint, quam generosi Apostoli, & monasticam vitam degentes?* nihil aliud probat, nisi quod Apostoli fuerunt spiritualiter Eunuchi, quia castitatem seruauerunt. Sed nec inde sequitur, quod illam vouerint, vel dato quod illam vouissent, quod vouissent paupertatem, & obedientiam ad modum Religiosorum, vt essent propriè Religiosi vt status Religiosorum distinguitur à statu Episcoporum. Pariter benè consuluit Chrys. *hom.* 8. in Matt. dicens. *Vis ò Monache esse discipulus meus, imò vis discipulorum meorum esse discipulus, fac hoc, quod fecit Iacobus, & Io.* Sed aduertendum quod sicut Christus sic & Apostoli fuerunt exemplariter Religiosi. Neque tamen crediderim, quod sit aliquis, qui velit Christum fuisse propriè Religiosum eiusdem speciei moralis, sicuti sumus nos Religiosi cum nostra Religio sit status disciplinæ, & scholæ, & discipulatus, vt habet D. T. *supra q.* 186. *a.* 2. At verò sacrilegum esset, & blasphemum, & hæreticum asserere quod Christus professus fuerit statum perfectionis acquirendæ, seu scholasticam disciplinam in ratione perfectionis obtinendæ, cum ipse ab initio suæ conceptionis fuerit perfectissimus. Et præterea nec ea, quę sunt perfectionis vouit, vt dictũ est supra cum eodem D. T. Ex eo ergo quod nos Religiosi debeamus esse discipuli Christi, vel Apostolorũ non sequitur quod illi fuerint propriè Religiosi eiusdem speciei moralis, sicuti sumus nos, sed quod fuerint eminentius Religiosi, & Religionis perfectissima exemplaria ad quorum similitudinem nos agere debemus. Et in hoc sensu Basilius in *const. Monas. cap.* 19. habet, quod Antistites de quibus loquebatur *genus viuendi Apostolorum, & Domini imitabatur.* Iam verò *supra q.* 188. *a.* 7. *num.* 53. dictum est aliud esse, quod Apostoli vouerint ea, quæ sunt perfectionis, aliud est quod fuerint propriè Religiosi. Primum asseruit D. T. *supra q.* 88. *a.* 4. *ad* 3. *& q.* 188. *a.* 7. & est id, quod colligitur ex Aug. *l.* 15. *de Ciu. Dei cap.* 4. sed cum Apostoli electi essent vt essent Prælati; Christus enim piscatores elegit vt essent piscatores hominum, & sic eos elegit ad statum perfectiorem, sequitur, quod vouerint ea quæ sunt perfectionis status Episcopalis, non verò quod vouerint statum Religiosis, qui in quampluribus est statui Episcoporum incompossibilis. Sic quod ex Greg. habetur *cap. ex authoritate* 16. 16. *q.* 1. ibi, *Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus*, est sine dubio verum, sed quia Apostoli fuerunt eminentius Religiosi, & Religiosorum exemplaria, quæ Monachi imitantur.

663. Cæterum, quod Religiosus status initium habuerit à temporibus Apostolorum habetur ex S. Bernard. in Apolog. ad Gulielmum vbi quod Ordo Monachorum fuit ab initio *à quo cœpit Ecclesia cuius Apostoli institutores fuerunt.* Et in *epist. ad Fratres de monte Dei addit. Post passionem verò Domini calente adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis memoria recenti, solitariam hanc vitam eligentes, paupertatem, &c.* ex quo apertè significat Monachos post passionem Domini ortum habuisse. Sic in Concil. Melden. *cap.* 9. dictum fuit. Sacrum quoque Monasticum Ordinem à Deo inspiratum, ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis, & sanctissimis excultum. Et in Concil. Colonien. celebrato anno 1536. dicitur *p.* 10. *cap.* 1. quod vita Monastica non multo post Apostolorum tempora cœpit, quanquam multis persuasum aliam tunc fuisse, quam nunc est, Monachismi rationem. Sed & S. Io. Chris. *hom.* 15. *in epis. ad Hebr.* ait illa verba Pauli 1. *Cor.* 5. Si quis frater nominatur inter vos, ad omnes tunc fideles pertinuisse, nec tunc fuisse vestigium Monachi, sed omnia tunc D. Paulum ad seculares fuisse locutum. Sed & D. T. *supra q.* 187. *a.* 3. *ad secundum* motus ex eadem authoritate Pauli ia. 1. *ad Cor.* 5. asserit quod tunc non erant Religiones institutæ. Cum verò huic S. T. asserto obijciat Caiet. ibi quod Dyonisius fuit tempore Apostolorum, & quod tempore Dyonisij erant Monachi, & quod credibile est, ea quæ tempore Dyonisij fuerunt, simul fuisse tempore Apostolorum, soluit ipse difficultatem asserens Religiones tunc tempore Apostolorum fuisse incohatiuè. Sed ego etiam aduerto, quod nec D. Chrys. nec D. T. dicant Religiosũ statum non fuisse temporibus Apostolorum, sed non fuisse tunc cum Apostolus scripsit *epis.* 1. *ad Cor.* cum quo stat, quod postea cœperit. Etiam tempore Apostolorum. Et forsan ab initio incœpit status Eremiticus, vel Monachi in manibus Episcoporum emittebant vota, vel non omnia emittebant, sed solam castitatem, & obedientiam Episcopo. Nam quando incœperit solemnis status Religiosorum, cœnobitarum habentium Abbates, & Superiores Ordinarios non est certum, quamuis mihi verisimile sit, quod tunc Abbates incœperunt habere iurisdictionem Ordinariam in Monachos, cum officium Abbatis fuit institutum, sed bene Caiet. vbi supra asserit quod status religiosus quantum ad solemnitatem fuit institutus ab Ecclesia. Et quandocumque dicatur institutus, quod Cœnobia habuerint Prælatum habentem ordinariam iurisdictionem fuit institutio Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi de iure antiquo habebant in Monachos iurisdictionem. num.* 664.
2 *Et hoc ex officio. num.* 665.
3 *Recensentur multa, quæ poterant Episcopi in Regulares. num.* 666.
4 *Regulares quantum ad regulares obseruantias non erant subiecti Abbati priuatiuè quoad Episcopos. num.* 667.
5 *Implicat Regulares non esse exemptos, & simul non esse subiectos Episcopis quantum ad Regulares obseruantias. num.* 668.
6 *Episcopus in Ecclesia Cathedrali de iure communi antiquo est superior immediatus immediatione virtutis etiam quantum ad Regulares obseruan-*

seruantias. num.669.
7 *Episcopus de iure antiquase habebat sicat Generalis respectu Monachorum. num. 670.*
8 *Difficultas remanens. num.671.*

664. QVæritur secundò. An tam Monachi, quam Abbates ex iure communi sint subiecti Episcopis, præciso iure priuilegiorum? Communis sententia docet Ecclesias omnes, & personas etiam Regulares, quæ in Diœcesibus degunt de iure communi subiectas Episcopis esse, sed melius dicitur fuisse, nedum quia Regulares nunc per priuilegia exempti sunt à iurisdictione ordinaria Episcopi, sed quia vt probabo *quæst.* sequenti sunt exempti de iure communi. Itaq; nunc dicitur, quod ex antiquissimo iure, & spectata primæua institutione Episcopatus, & Monachorū Monachi, & Abbates subiecti erant iurisdictioni Episcoporum. Habetur hoc definitum in Concil. Generali Chalcedonen. *act.* 4 *cap.* 1. ibi placuit, &c. *Eos verò Monachos qui per singulas Ciuitates sunt, atque Prouincias, subijci Episcopo, & quietem amplecti, &c.* Et actione 15. can. 4. *Placuit nullum quidem vsquam ædificare, aut construere Monasteriū, vel Oratorij domum præter conscientiam Ciuitatis Episcopi. Monachos verò per vnamquamque Ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, &c.* Et infra in fine subdit. *Verumtamen Episcopum conuenit Ciuitatis, competentem Monasteriolum prouidentiam gerere.* Idem verò postea statutum fuit in pluribus Concilijs Prouincialibus, nimirum in Tolet. 2. *cap.* 1. Tolet.4. *cap.*50. Cabilonen. *cap.*15. Augustan. *cap* 6. Vernen. *cap.* 3. Aurelianen. 1. *cap.* 21. Aurelianen. 1. *cap.*21. & 18. *q.* 2. quasi per totam. Item ex iure Cæsareo, vt in Nouella 123. *cap.* 4. & *l.* 40. & 44. & 49. *C. de Epis. & Cler. & l.* 6. *C. de Epis. audien.*

665. Verum huiusmodi subiectio non ortum habuit à Concil. Calcedonen. sed ab initio Monachalis institutionis, quoniam Episcopis competit iurisdictio super tota Diœcesi, quia hæc sibi competit ex officio, secundum quod Episcopus per modum causæ principalis præponitur Diœcesi suæ, & ideò secundum quandam plenitudinem ordinariæ potestatis. Neque verò ex eo quod aliquis vitam religiosam amplecteretur per se ex natura rei eximebatur, vt super eum Episcopus non haberet eam iurisdictionem quam prius habebat. Ideò Monachos etiam à temporibus Apostolorū, & in initio status religiosi fuisse Episcopis subiectos habetur ex S. Dyonis. *lib. de Ecclesiast. Hierar. cap.* 6. qui vixit Apostolorum temporibus. Et idem postea retulit Hieronymus *epis.* 1. ad Eliod. & 4. ad Rusticum, & *lib. contra Vigilan.*

666. Et propterea non nisi ex Episcopi scientia, & voluntate poterant erigi Monasteria. *cap. quidam*, ex Concil. Calcedoneo. *act.* 4. *cap.* 4. & *act.* 15. *cap.* 4. & *cap. de Monachis* ex Concil. Agathen. *cap.* 27. & *cap. Cellulas ex eod. Conc. cap.* 58. & *cap. Nullas*, ex Concil. Aurelianen. 1. *cap.* 14. 18. *q.* 2. Item Episcoporum erat causas Monasteriorum cognoscere, & eorum vtilitatem disponere, & de illis prouidentiam habere Concil. Calcedonen. *act.* 15. *can.* 4. & *cap. Cognouimus* 18. *q.* 2. ex S. Greg. Papa *lib.* 6. *epist.* 61. *Vitali Defensori Sardiniæ*. Pariter poterant Episcopi Monasteria visitare, Monachosque corrigere, & ea, quæ sunt iurisdictionis exercere. *cap.* 1. ex Concil. Tolet. 4. *cap.* 50. *cap. Monasteria*. 5. ex Concil. Arelaten. *cap. Quidam* ex Concil. Calcedonen. *act.* 4. *can.* 2. *cap. Monasteria* 17. ex Concil. Aurelianen. 1. & *cap. Visitandi* ex S. Greg. *lib.* 7. *indic.* 1. *epist.* 18. & *cap. Non semel*, ex Concil. Aurelianen. *primo*. 18. *q* 2. Præterea Episcopi poterant Abbates instituere, & vel saltem confirmare, & destituere, & eorum cessiones acceptare. *cap. Monasteria* 5. ex Concil. Arelaten. *cap. Abbas* ex Concil. Mogun. *cap. si quis Abbas* ex Concil. Triburien. *cap. Abbates* ex Concil. Aurelianen. 1. *cap.* 55. 18. *qu.* 2. Et quod Episcopi veluti Monasteriorum Generales possent venientes recipere ad habitum, & professionem colligitur ex *cap. Qui verò*. 16. *q.* 1. *cap. Viduitatis*. 27. *q.* 1. *cap. Abbates*. 18. *q.* 2. & docent Gloss. *in v. si Prælati, cap. Quanta, de off. ordin.* Panorm, & alij in *cap. Porrectam, de Regul.* Syluest. *v. Religio* 3. *num.* 4. Nauar. *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *n.* 63. Tambur. *tom.* 1. *de iure Abb. disp.* 15. *q.* 1 *num.* 1. Et præterea tandem quod Episcopi habeant in iure communi intentionem fundatam exercendi iurisdictionem in Regulares tam in Ciuilibus, quam in Criminalibus tradiderunt Io. Andr. Butr. Dec. & alij in *cap. Tua nobis, de confirmat.* vtili, & quamplures alij quos referunt Barbosa *de off. epis. alleg.* 105. *num.* 1. & Tambur. de iure *Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *qu.* 1. & ex *cap. cum persona, de priuil. in* 6. *cap. cum contingat.* & ibi DD. *de foro competen. cap.* 1. *de off. ordin. cap. omnes basilicæ* 16. *q.* 7. *Rota dec.* 78. *p.* 1. *diuers.* & *dec.* 15. *num.* 1. & *dec.* 17. *num.* 1. & *dec.* 156. *num.* 4. & *dec.* 171. *num.* 2. & *dec.* 491. *num.* 1 *p.* 4. *rec.* Tamburin. *tom.* 1. *d.* 15. *q.* 1. *num.* 1. Caputaquen. *dec.* 306 *p.* 1. Fagnan. *cap. cum dilectus num.* 14. *de Relig. domibus.* Sed tamen hoc intelligendum est de antiquissimo iure communi, si loquamur respectu Regularium, qui vt probatur infra per ius minus antiquum fuerunt exempti.

667. Limitant aliqui prædictam assertionem. Nam *Rota decis.* 17. *num.* 1. & 2. *p.* 1. *recent.* distinguens inter delicta quæ merè sunt contra regulam, & quæ alias non essent delicta, vt comedere carnes contra statutum regulæ, & delicta communia, quæ sunt etiam contra legem diuinam aut naturalem, aut canonicam, inquit, quod respectu priorum iurisdictio spectat ad Abbatem, aut Priorem priuatiuè quoad Episcopum per deducta alias in Augustana Iurisd. coram Oriolan. Itâ *rad. Rota dec.* 69. *p.* 1. *recent. sess.* 157. coram Coccino *num.* 2. & 4. vult quod de iure communi exceptis ijs, quæ concernunt regularia instituta, habeat omnimodam iurisdictionem in Monachos. Et prius *dec.* 78. *p.* 1. diuersorum idem sentiens dixerat quod in pertinentibus, & concernentibus regulam, & regularem disciplinam Præpositus Regularis habet fundatam intentionem, & iurisdictionem ac correctionem priuatiuè ad Episcopum. Et hoc idem placuit Barbastreo. in *Pastor. p.* 2. *q.* 2. *num.* 18. Et Lezana *p.* 4. *v. Episcopus valet*, quod Episcopus quātū ad regularia instituta debeat Monachos remittere ad suos Superiores, vel saltē tēpore visitationis adhibere secū vnū illius Religionis, vt habetur in *extr. debeat. de off. Ord.* & citat Barb. *de off. Epis. all.* 105. *n.* 77. sed hæc limitatio habet contra se insolubilem difficultatem. Nam Concil. Calcedon. quod iussit Monachos subiectos esse Episcopis, & iura

supra

supra citata, per quæ Episcopis committitur prouidentia circa Monasteria, & datur facultas visitandi, & corrigendi, & puniendi Monachos, non distinguunt. Et quidem meritò, quia de iure communi Episcopi est procurare vt fideles vota custodiant, & Deo quod promiserunt reddant, vnde & in illis, nisi speciali iure sint reseruata Papæ potest dispensare, & illa commutare. Quamobrem spectato illo primeuo iure antiquo, Episcoporum erat curam, & prouidentiam habere, vt Monachi vota seruarent, & Regulas promissas custodirent, maxime quod regulæ approbatæ erant ab ipsis, & confirmatæ, non est ergo vnde dicatur, quod Episcopi non possent punire Monachos contra regulam delinquentes, maximè cum Monasteria visitare possent. Præterea vel distinctio illa datur spectato iure antiquissimo, & præcedente exemptionem Regularibus concessam etiam ex iure communi, vt probabo infra, vel datur spectato iure concessæ exemptionis. Si datur in primo sensu, manifestum est, quod distinctio non subsistit, & limitatio non est fundata. Quia ex iure naturali, vel diuino Monachus ex vi professionis alicuius regulæ non eximebatur à iurisdictione Episcopi, cuius etiam tunc erat regulam approbare, & professionem accipere; at verò tunc neque hæc exemptio erat ex iure positiuo, de quo nõ constat, sed oppositum est manifestum, cum tunc iura vellent absolutè quod Monachi subiecti essent Episcopis. Sed si loquimur in secundo sensu, iam Monachi, & Regulares absolutè exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, & non solum quantum ad instituta Monastica.

668. Sed amplius additur quod limitatio illa implicat in terminis, quia nihil est quod spectet ad virtutem, & non pertineat ad regularem disciplinam, cum legis cuiuscumque obligantis Regulares transgressio sit contra regulam, & Regularis Prælati sit procurare vt subditi honestè viuentes leges omnes seruent, & inobedientes punire, & coercere. Vnde si Monachi sunt subiecti Abbati priuatiuè quoad Episcopos quantum ad regularem disciplinam nihil remanet in quo Episcopis subijciantur. Quod si dicatur Monachos esse subiectos Abbati priuatiuè quoad Episcopos solum quantum ad ea quæ merè sunt mandata per regulam, & quæ si non essent mandata per regulam essent indifferentia, & non prohibita, in hoc quidem sensu limitatio ex parte fugit implicantiam, sed non saluat, quod Regulares quatenus Regulares essent aliquando subiecti Episcopis, & possent in illos animaduertere si essent contemptores regulæ, sed solum saluat, quod Episcopi possent in Regulares quatenus Christianos, seu Ciues, si contra legem naturalem, aut diuinam, aut Canonicam peccassent. Et adhuc non fugit omnino implicantiam contrarietatis, quia transgressio contra regulam est iam etiam contra ius naturale, & diuinum, vnde de iure communi non subterfugit iurisdictionem Episcopi, nec illam subterfugere potest, nisi ex vi exemptionis.

669. Dices Episcopus Ecclesiæ, & Cathedralis Regularis etiam de iure communi exceptis ijs, quæ concernũt regularia instituta, habet omnimodam iurisdictionem in Monachos eiusdem Cathedralis, *cap. 1.* Ne Sede vacante, Gloss. *fin. in cap. Nullus, vers. Episcopus etiam secularis, de elect. in 6.* vbi Anchar. *num. 3.* Io. Andr. *num. 5.* Gemin. *num. 7.* Franc. *num. 3.* Corn. *cons. 893. num. 4.* Vnde hoc quoque voluit *Rota dec. 69. num. 2. p. 1. recent.* Grat. *decis. 270. num. 4.* Barbosa *ad d. caput Nullus.* Sed respondetur quod exceptio illa non habetur in prima *illo cap. Ne Sede vacante*, sed solum quod Monasterium, & Ecclesia Glastonen. erat Regularis, & Episcopus erat Abbas, & quod vnio Ecclesiæ Barthonien. præiudicium ferebat Religioni in dicta Ecclesia Glastonen. existenti, vnde potest quidem colligi quod Epis. Glastonen. haberet iurisdictionem in Monachos, sed quod non haberet illam quantum ad instituta regularia minimè inde deducitur. Et nec Glossa loco citato hanc exceptionem ponit, sed imò contrarium ex ea deducitur, quia ait, quod Episcopus secularis in huiusmodi Ecclesijs immediatè præest monachis, vnde deducitur, quod omnia potest, quæ potest immediatus superior, qui est Abbas. Geminian. etiam & Francus citati benè loquuntur, & dicunt quod Episcopus per se ipsum non mandat, nec punit leuiora, & quæ concernunt regularem disciplinam, & Francus addit, quod non debet facere. Et hoc verum est, non quia Episcopus huiusmodi non habeat iurisdictionem etiam immediatam, & non possit præcipere quidquid est secundum regulam, seu quia propriè loquendo superior Regularis, vel Abbas quantum ad instituta regularia habeat in monachos iurisdictionem priuatiuè quoad Episcopum, sed quia quæ per regulam, & ab ipsomet Episcopo seu Prælato superiori commissa sunt superiori inferiori, regulariter per inferiorem expediri debent. Nam & inutiliter institueretur officium Prioris, vel Abbatis, si Episcopus vellet per se ipsum agere, quæ sunt Prioris, vel Abbatis.

670. Sed sicut in Religionibus Generalis, vel Prouincialis quamuis possit præcipere subditis Priori quidquid est secundũ Regulam, & punire eos ob quãcumque Regulæ transgressionem, tamen hoc non debet sine speciali causa facere, quia debet relinquere vt superior localis agat, quæ sua sunt, & ita superiores prudentes de facto faciunt. Sic & in Cathedralibus Regularibus quantum sit de iure communi Episcopus non debet se ingerere in ea, quæ sunt Prioris, vel alterius superioris regularis, quamuis id facere possit, & si adsit causa etiam licitè id facere valeat. Eodem modo quantum sit ex iure communi antiquissimo Episcopus ad monachos se habebat sicut modo se habent in Religionibus Generales, seu Prouinciales, habebatque iurisdictionem in monachos omnimodam, & vniuersalissimam, & immediatam nedum immediatione virtutis, sed suppositi, quia si volebat poterat immediatè præcipere quidquid erat secundũ regulã, & inobedientes punire. Vnde nõ est verũ quod dixit Io. Valerus *de differ. vtriusq. fori 6. §. sub prædictis*, quod Regulares nunquam fuerint immediatè subiecti Episcopo. Sed tamen Episcopi nec debebant, nec licitè poterent perturbare iurisdictionem Abbatum, quæ illis secundum regularia instituta competebat; sed bene attendere debebant ne Abbates essent negligentes, ne Regularis disciplina deficeret, & grauiora negotia cognoscere, & etiam prout opus erat per se ipsos expedire. Et sic in hoc sensu explicari potest sententia

præ-

præfata, quæ ait Abbbatem quantum ad ea, quæ spectant ad disciplinam regularem habere iurisdictionem priuatiuè ad Episcopum, vt dictio priuatiuè non neget in Episcopo iurisdictionem, sed decentiam vtendi ea fine speciali causa, & necessitate, vel verum est spectato speciali priuilegio. Sic enim quod monachi, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Montisregalis in Sicilia sint exempti ab Episcopo quantum ad ea, quæ respiciunt regularia instituta habetur ex Bulla Pauli Tertij prout refert *Rota p. 1. recent. dec. 69. num. 1.* sic quoqi *in d. extrauag. debent. de off. Ord.* Bonif. 8. præcepit Epis. Dulmen. vt in visitatione vnum ex Religiosis monachis sibi adiungeret. Et ita Cathedrales aliæ Regulares sua habebunt statuta particularia, & priuilegia obseruanda, & benè potest esse, quod quantum ad instituta monastica monachi ex iure speciali sint subiecti Abbati priuatiuè quod Episcopum. Sed de iure communi antiquiori, & spectata primæua institutione monachorum, tam monachi, quam Abbates erant subiecti iurisdictioni Episcopi etiam quantum ad instituta regularia, & subiecti etiam nunc essent, nisi fuissent per iura specialia exempti.

671. Sed his stantibus, quæ vera sunt de iure communi antiquissimo, adhuc dubium esse potest an modo de facto dici debeat, quod Episcopi de iure communi habeant intisdictionem super Regulares. Quia si illud ius antiquissimum sit reuocatum per nouum ius, vnde Regulares dici debeant exempti de iure communi, dicendum videri poterit, quod absolutè non possit dici quod Episcopi de iure communi habeant intentionem fundatam suæ iurisdictionis super Regulares: sed de hoc dicendum in sequenti *quæst.*

SVMMARIVM.

672. QVæritur igitur tertiò. At Monachi, & Regulares sint exempti à iurisdictione Episcoporum de iure communi. Est verò plurium DD. sententia distinguens inter legem Diœcesanam, & legem iurisdictionis, & asserens Regulares de iure communi esse exemptos à lege Diœcesana, non verò à lege iurisdictionis. Ità enim opinari sunt Tambur. *tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 1, & 3.* Lezana *v. exemptio num. 2.* & alij apud istos. Addit Lezana de iure communi Abbates esse exemptos quantum ad ea quæ respiciunt Regularem obseruantiam. Dari vero has duas leges Diœcesanam, & iurisdictionis colligitur ex *cap. Dilectus. ff. de off. Ord.* Vbi Glossa ponit inter huiusmodi leges discrimen, quod illa consistat in recipiendo, iurisdictionis verò in dando, & Glossam sequuntur Syluester *v. Episcopus q. 7.* Sanchez *lib. 6. Consiliorum cap. 9. dub. 1. num. 1.* Ait verò Tambur. *tom. 1. d. 15. q. 7. num. 1.* post Syluest. legem Diœces. esse per quam Episcopus synodum cogit, ad exequias vocat, quartam de funeralibus exigit, & item quartam de parochialibus decimus colligit, charitatiuum suffragium recipit, Prælatos, & primarios viros recipiendi ad hospitium onus imponit. sed lex iurisdictionis est per quam Episcopus committit curam animarum, & delicta punit. Sed Panormitano *in d. cap. Dilectus* displicuit hæc legis Diœcesanæ explicatio. Tum quia nullibi legitur in iure scriptum, quod lex Diœcesana consistat in recipiendo, & lex iurisdictionis in dando. Tum quia lex procurationis consistit in recipiendo, & tamen ab ea non sunt exempta Monasteria, *cap. Sopita, & cap. Venerabili, de censibus*, quæ tamen dicuntur exempta à lege Diœcesana. Item quarta mortuariorum consistit in recipiendo, & tamen ab ea non sunt exempta monasteria. *cap. requisiuisti, de testamen.* Item conuocare synodum non consistit in recipiendo, sed in dando, & est actus iurisdictionis, & in synodo preest Episcopus, & exercet iurisdictionem, & punit renuentes venire. Et tamen secundum Gloss. & DD. citatos, conuocare synodum pertinet ad legem Diœcesanam. Ex Innoc. igitur Panorm. inquit, quod quia in iure monasteria sunt exempta à lege Diœcesana *cap. 1. 10. q. 1.* hæc lex consistit in illis, in quibus de iure monasteria sunt exempta. Sed Anton. de Butrio *cons. 19.* redarguere hunc modum dicendi de lege Diœcesana tanquam non doctrinalem eciert Reuerendum-

netendis. Fagnan. *ad dictum cap. Dilectus num. 4.* Et certè omnis lex Episcopalis est Diœcesana, vt etiam diaerunt Innoc. & Panormit. potestas enim Episcopi Diœcesana est, cum sit limitata ad Diœcesim, vnde & lex iurisdictionis Diœcesana est.

673. Itaque igitur in proposito nostro melius dicitur primo esse manifestum, quod monastesia, & Regulases de iure communi sunt exempta, & exempti à lege Episcopali quantum ad aliqua, nimirum quantum ad aliquos casus in iuse expressos. Es dicitur secundò, quod imò absolutè Regulares de iure communi antiquissimo sunt exempti à iusildictione Episcoporum simul cum eorum locis. Prima conclusio ex pluribus locis Sacrorum Canonum est manifesta. Sed vtroque simul asseritur, quia ex eodem Canone comprobatur, nimisum ex Constituto S. Greg. in Concil. Lateranen. Adducitur ad hoc autem etiam *cap. quam sit 18. q. 2.* In quo Episcopi, ea decreto S. Greg. prohibiti sunt Episcopi minuere aliqnid de redditibus, aut rebus, aut chartis, aut cellulis, aut villulis monasteriorum verum Barbosa *de off. Epis. all. 105.* quem sequitur Tambur. *de iure Abb. tom. 1. disp. 15. q. 1. num. 5.* ea Pax. Iordan. *l. 6. tit. 14.* reprehendit Gratianum eo quia priuilegium in eo capite contentum fuerit particolare, & concessum monastesio SS. Ioannis, & Stephani in Vrbe Claudiana constructo, vt patet ea Regis. Greg. *l. 7. epis. 1. & epis. 18. ad Episcop. Rauenaten.* ex quibus Epis. *cap. illud fuit desumptum.* Ideò in tribus peccasse dicitue Gratianue. Primò quia citat Gregorium scribentem ad omnes Episcopos. Seecundò, quia intitulat *cap. illud* de libertate monachorum generalitee. Teetiò, quia in eo capite in pluealı refert monasteria, cum tamen Greg. de solo illo monasterio SS. Io. & Stephani loquutus fuerit. Sed valdè errat Barbosa, qui non legit in Decteto Gratiani nosulam ad dictum *cap. quam sit necessarium,* vbi adnotatur, quod *cap. illud* desumptum fuit ex Concil. Latesanen. sub S. Greg. & habetur *tom. 2.* Conciliorum apud Binnium. *Et* quia ad ea, quæ in hac inspectione consideranda sunt maximè conducunt, quæ continensue in eo Conciliari decreto, quod vocatne Geegorij constitutum, ideò iuuat illud de vesbo ad verbum hic referre,

974. *Gregorius Episcopus omnibus Episcopis. Quam sit necessarium monasteriorum quieti conspicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobij exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monasterijs multa à præsulibus praiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognoscimus: oportet vt vestra fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponas ordinatione, quatenus conuersantes in illis in Dei seruitio gratia ipsius suffragante, libere perseuerent. Sed ne ex ea qua magis emendanda est consuetudine quisquam monachis quicquam molestia præsumat inferre; necesse est, vt hac qua inferius ennumerare curauimus, ita studio fraternitatis Episcopi debeant custodire, vt ex eis non possit vlterius inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis cuius vice huic Romana Ecclesia præsidemus, prohibemus, vt nullus Episcoporum aut secularium vltra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis, qua ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere: Si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum, & monasteriorum euenerit, & pacifice non potuit ordinari: apud electos Abbates, & alios Patres timentes Dominum sine voluntaria delatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur. Defuncto autem Abbate cuiusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si ipsi inter se personam inuenire nequeant, solerter sibi current de alijs monasterijs similiter ordinandum. Neque constituto Abbate, quacumque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte extantibus (quod absit) criminibus, qua sacri Canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad Ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum, cartharum monasterij ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omnino vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum alijs fratribus causas rerū inuentarum faciat, & eorum consilio, & iudicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis prouidendisque rebus monasterij acquisitis, vel datis perquirendis nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus, & eorum receptaculis vlla popularis præbeatur occasio conuentus, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum: neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nullumque monachum sine testimonio, vel concessione Abbatis in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoueat honorem. Hunc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibataque seruari, vt & sua Ecclesia iuuante Domino tantummodo iure contenti, & monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angarijs, vel quibuslibet obsequijs secolaribus nullo modo subiaceant, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed remotis vexationibus in cunctis grauaminibus diurnum opus cum summa animi deuotione perficiāt.* Hactenus Gregorij constitutum. Vniuersi Episcopi respondere: *Libertati monachorum congaudemus, & qua nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus.* Sequuntur ista omnia subscriptiones, & primo loco eiusdem Pontificis. Aduertit verò Binnius Concilium hoc Lateranense celebratum fuisse anno 601. Nonis Aprilis congregatis Episcopis viginti, & Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, & quod præfati constituti transumptum ex Bibliotheca Vaticana fuit desumptum:

675. In præfato verò constituto pluses exemptiones habentur. Prima est exemptio bonorum monasteriorum ab omni solutione, & minutione tam laicali, quam Ecclesiastica. Secunda est libertas electionis, vt non conentur monaci habere Abbatem ab extrinseco venientem, sed eum sibi vel ex suo monasterio, vel ex alio eligere possint.

Tertia, quod inuito Abbate nullus monachus ordinetur. Quarta est exemptio redditnum, & rerum monasterij ab administratione, & cura Episcopi, & in causis ciuilibus liberatio ab eius iurisdictione. Quinta est exemptio cœnobiorum, vt in eis Episcopus non possit nec solemnes missas celebrare, nec cathedram erigere, nec aliquam potestatem habere imperandi, vel aliquam, vel minimam ordinationem habere, quatenus monachi semper maneant in Abbatis potestate. Sexta quod non possit Episcopus sine Abbatis licentia aliquo vti monacho eum tenendo in aliqua Ecclesia, vel ad aliquem honorem promouendo. De huiusmodi autem Decreto loquens Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap. 1. num. vlt.* ait, quod in eo non fuit expressè cõcessa Prælatis, & Abbatibus iurisdictio, sed solùm aliquæ exemptiones, & immunitates fuerũt donatæ, quas Episcopi violare non possent, & Tambur. *d. disp. 15. q. 1. num. 5.* ex hoc asserit etiam priuilegium huiusmodi non continere omnimodam exemptionem à iurisdictione Episcoporum. Sed considerari debet, quod Gratianus valde diminutè retulit dicti Concil. Lateranen. & S. Gregorij decretum.

676. Cæterum si considerentur verba illa, *Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantumlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate*, manifestum erit quod S. Greg. Cœnobia omnino exemit ab Episcoporum iurisdictione, ita quod nec quid minimum possent Monachis ordinare, & hanc iurisdictionem transtulit in Abbatem, quoniam voluit quod Monachi semper essent sub Abbatum potestate. Et sic Abbatibus iurisdictio in Monachos tributa fuit. Quod enim per prædictam formam verborum intelligi debeat concessa plena exemptio ab Episcopi iurisdictione, patet ex *cap. si Papa, de priuileg. in 6.* vbi Bonifacius Oct. inter formas significantes plenam exemptionem ponit hanc, si Papa dicat, *vel quod non audeant illic Episcopus Cathedrã collocare, aut imperandi (seu ordinationem quamuis leuissimam faciendi) exercere aliquam potestatem*, Quæ sunt verba quibus in dicto constituto vtitur S. Gregorius. Solum posset dici, quod illa exemptio in ratione personalis non fuerit omnino plena, & quod ex vi illius Episcopi non sint priuati, qui vti possent iurisdictione extra Cœnobia, & sic quin ratione delicti, vel contractus, vel rei extra cœnobia existentis vti non possent iurisdictione contra monachos Cœnobia tamen, & monachi in eis existentes, & degentes exempta, & exempti fuere.

677. Et exemptio fuit vniuersalis. Verba autem supra citata refert Gratianus *cap. luminoso. 6. d. &e causa 18. q. 2.* tanquam accepta ex *epis. ad Castinium Epis. Ariminen. lib. 4. epis. 43.* sed ibi non reperiuntur. sed in *d. constituta habebantur.* quãuis in ea *epis.* S. Greg. voluerit monasterium illud Luminosi Abbatis esse exemptum à iurisdictione Episcopi. Ita vt idem S. Greg. *lib. 4. epis. 41.* eidem Luminoso dixerit. *Castorio Fratri, & Coepiscopo nostro, nostra praeceptoria transmissa est Epistola, successoribusq; eius, & à te monasterioq; tuo cunctam læsionis funditus abstulimus potestatem, vt nec vltra in vestro versetur grauamine, nec monasterij res describat, nec publica ibi debeat esse processio: illa videlicet ex iurisdictione relicta, vt in defuncti Abbatis locum, alium, quem dignum communis consensus congregationis elegerit, debeat ordinare*, & quod valdè aduertendũ est, hoc est, quod scilicet S. Gregor. in principio illius declarat se exemptionẽ illã, concessisse secundum statuta Patrum, & iuris formas ibi *secundum statuta patrum, iurisque formam tuis precibus accommodantes effectum*. Monasterio verò Classen. ferè omnia concessit, quæ in Constituto recensentur, vt patet ex *l. 7. epis. 18.* Potuit verò contingere quod sancti Pontificis decretum vel non fuerit vbique receptum, vel in multis locis fuerit cõsuetudine abrogatũ. Et quod in Gallia longè diutina Episcoporum potestas in monachos perdurauerit, ex Io. Filesaco refert Barbosa *alleg. 105. num. 12. fin.* & propterea in Concilijs Prouincialibus præcipuè Gallicanis, vt visum est supra iurisdictio super monachorum Cœnobijs fuit concessa Episcopis. Quæ verò ex Concil. Generali Chalcedonen. adducta sunt, antecesserunt constitutum Gregor. Nam Chalcedonen. Concilium celebratum fuit sub S. Leone magno anno 451. Constitutum vero Greg. datum fuit anno 601. Sed & quia illud Constitutum non fuit forsan vbique seruatum, hinc dici potest ortum fuisse vt monasteriorum antiquitus alia essent exẽpta, & alia non, vt habetur ex *cap. Cum dilectus, de Relig. domibus, & cap. In singulis, & cap. vlt. de stat. Monach.*

678. Ad quæstionem igitur redeundo iterum dicitur quod exemptio Regularium quantum ad aliquos effectus est de iure communi. Nam de iure communi habent electionem liberam Abbatum. *cap. quam sit necessarium*. Non potest Episcopus inuito Abbate monachos à monasterio extrahere vel illos ordinare. Non potest Episcopus redditus monasteriorum minuere *d. cap. quam necessarium*. Hoc est id, quod dicere intendunt DD. supra citatis asserentes exemptionem Regularium à lege Diœcesana esse de iure communi, & explicantes legem Diœcesanam consistere in recipiendo, seu in onere soluendi aliquid Episcopo. Regulares enim de iure communi sunt exempti à solutione duorum solidorum seu Cathedratici, vt patet *cap. Inter cætera 10. q. 3.* Non tenentur conuenire ad synodum, & sunt liberi ab illis grauaminibus quæ enumerat Gregor. Nonus *in cap. Nimis iniqua, & cap. Nimis praua*, de excessibus Prælatorum, & Clem. Quintus, *in Clem. eod. tit.* Prohibentur enim ibi Episcopi, & Prælati inferre Regularibus illa grauamina, vnde ipsi Regulares non dum ex iure priuilegiorum, sed ex iure illarum decretalium, quæ sunt in corpore iuris, gaudent illa libertate, vt non possint grauari per Episcopos in illis, quæ eisdem ibidem prohibentur. Sic & liberam sepulturam habent Regulares in eorũ Ecclesijs. *cap. inter cætera, cap. cum liberum, de sepult. Clem. dudum, eod. tit.* & multa similia illis competunt, quæ licet ab initio per priuilegium fuerunt illis concessa, tamen ex quo priuilegia in corpore iuris sunt inserta, iam de iure communi illis competunt.

679. Dicitur iterum secundò, quod Regulares de iure communi sunt exempti saltem exem-

ptione

ptione illa in genere, de qua in *cap. Volentes*, *de priuileg. in 6.* Quia Monasteria sint exempta, & pro delictis ibidem commissis non possint puniri ab Episcopo, & visitari, & corrigi. Et hoc est de mente Glossæ *in cap. Quanto ver. si Prælati de off. ordin.* & hanc sententiam esse communem voluit Roman. *cons.* 375. *num.* 2. apud Tambur. *d. disp.* 25. *q.* 2. *num.* 1. Probant verò hoc aliqui ex *cap. Nullam* 18. *q.* 2. Sed respondet Rota *dec.* 55. *num.* 15. *p.* 1. *recent.* ex Gloss. ibid. in verbo tota, & responsionem approbat Tambur. *d. q.* 2. *num.* 2. quod ibi dicitur, quod tota potestas manet apud Abbatem per exclusionem Monachorum, non per exclusionem Episcopi, & quidem ibi comparat Abbates ad Monachos, decernens non licere Monachis Abbatem expellere, & pro libito alium ordinare, sed Abbatis esse curam habere eorum, quæ ad diuini cultus reuerentiam, & vtilitatem Monasterij spectant, quia in Abbate residet tota potestas. Sed tamen quod ex hoc infert Tambur. Nimirum Pelagium Pontificem ibi de his, quæ pertinent ad obedientiam regulæ tantum loqui, vt patet ex illis verbis, ad diuini cultus reuerentiam, & vtilitatem Monasterij, si per hoc vult intelligere, quod Abbas non habuerit potestatem fori externi in Monachos, consequentia non tenet, quia potestas iurisdictionis spiritualis non respicit nisi quæ ad diuini cultus reuerentiam, & Ecclesiæ vtilitatem pertinent. Sed & nihil virtutis est, quod non contineatur sub regula monastica, & nihil vitij, quod per illam non sit prohibitum, potestas verò iurisdictionis spiritualis habet pro fine virtutem, & honestum, & eius est vitia profligare. Ideò quod ait *Rota d. dec.* 15. *num.* 11. quod nimirum textus *in cap. Abbates, eadem causa & quæst. loquitur* de obedientia, quæ nihil habet commune cum iurisdictione circa delictorum punitionem, habet instantiam ex eodem textu, in quo præcipitur Abbati, vt à proprietarijs auferat quæ acquisierunt, quod ad punitionem pertinet, & quod vagos ad custodiam ducat per auxilium Episcopi. Sic enim Abbate committitur, vt ducat ad custodiam vagantes, licet quia Abbas non habet familiam armatam, mandatur vt Abbas in hoc imploret auxilium Episcopi: & quod de iure communi Abbates habeant iurisdictionē fori externi satis etiam probatum est *q.* 2. & habetur ex *cap. Cum in Ecclesijs de maior. & obed.* ex quo habetur, quod Abbas potest excommunicare: Et quod Abbates in foro externo possint suos iudicare, & quod id fecerint habetur ex *cap. Sicut el. s.* de simonia. Dicere verò, vt dicit Tambur. Abbates id fecisse ex priuilegio, non ex iure communi, est dicere, & dictum non probare. Sed nihilominus etiam dato, quod Abbas ex iure communi habeat iurisdictionem fori externi, non sequitur quod sit exemptus de iure communi ab Episcopo, quia vt habetur ex *d. cap. Abbates* 18. *q.* 2. potestas Abbatis subordinatur Episcopo, & non est inconueniens, quod eiusdem communitatis sint plures superiores subordinati, & ideò ex *d. c. Nullam non probatur nostra conclusio.*

680. Probatur ergo Conclusio ex præfato constituto S. Gregorij Papæ habito in Concil. Lateranen. & *cap. Quam sit necessarium*, & etiam ex *cap. luminosa* in dicto enim constituto expressè interdicitur Episcopo facultas aliquid imperandi vel minimum quid ordinandi in Cœnobijs Monasticis, & hoc ad finem, vt Monachi semper maneant sub sui Abbatis potestate. Ex quo sequitur quod licet loquendo de exemptis in genere, verum sit, quod ius commune assistit Episcopis, quod & asseruit Bonif. 8. *cap. Cum persona de priuil. in 6.* Tamen respectu regularium potius dicendum est, quod illis assistit ius commune, Quia licet antiquissimum ius assisteret iam Episcopis, nunc ius commune assistit regularibus quantum ad punctum exemptionis ab ordinaria iurisdictione Episcoporum, cum per ius commune minus antiquū sit abrogatum ius antiquissimum, & à tempore S. Gregorij regulares sint ab Episcoporum iurisdictione exempti. Vnde est, quod illorum exemptio est omnino notoria. Et patet cuicumque non subsistere declarationem illam Barbastren. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 16. dicentis regulares esse exemptos in iure, sed non à iure: quia imò à iure exemptionem plenam, & simpliciter habent, *vt ex d. constitut. S. Greg. & c. Quam sit necessarium, & c. luminosa* 18. *q.* 2. quę ex eo sumpta sunt, est manifestum.

681. Hinc colligi potest, quam sit antiqua Religiosorum exemptio. Nam vt ex Renato Chopin. Monas. *l.* 1. *tit.* 2. habet Tambur. *d. disp.* 25. Germanus Epis. Parisien. multas exemptiones concessit Monast. S. Vincentij Paris. die 21. Aug. anno 509. quas confirmauit postea S. Greg. Papa pariter ex eodem Renato Chopin. lo. 3. plures exemptiones concessit Monasterio S. Medardi, apud Suessiones S. Benedicti quas confirmauit S. Greg. circa annum 592. & quam confirmationem refert ad verbum Tambur. vbi supra. Sed & S. Greg. vt dictum est à iurisdictione Episcopi Ariminen. exemit Monasterium SS. Andreæ, & Thomæ vt constat ex *l.* 4. *Epis.* 41. & 43. & plures exemptiones concessit Monasterio erecto à quodam Iuanne *l.* 5. *epis.* 46. ad Felicem Epis. Pisaurien. Et Monasterio Monialium in ciuitate Massiliæ *lib.* 5. *epis.* 12. ad Respectam Abbatissam. Quam plura etiam concessit Monasterio Classen. *lib.* 7. *Indic.* 1. *epis.* 18. Ex qua visum fuit Barbosæ, Tambur, & Paci Iordan. quod Gratianus sumpserit *c. Quam sit necessarium* 18. *q.* 2. quia sic incipit epistola illa 58. Sed & Sanctus Adeodatus Papa consentienti Epis. Pictauien. & alijs Ecclesiæ Episcopis Monasterium S. Martini Pictauien. exemit à iurisdictione Episcopi, concedens Abbati illius iurisdictionem, vt quicumque sub eius reguntur dispensatione solerter custodire disciplinam regularem commoneat, districteq; compellat, & habetur hæc Adeodati constitutio Concil. *tom.* 2. *p.* 2. Ex Bullario quoque Cassinensi habetur, quod Monasterio S. Petri Apostoli Ebobij constituti Theodorus Papa anno Domini 643. exemptionem concessit, & Cassinensi Monasterio Zacharias Papa, & Benedictus Octauus anno 1023. & Innocentius Tertius anno 1208. & Monasterio Cauensi Vrbanus Secundus, & Alexander Tertius, & Monasterio S. Mariæ de Florentia Alex. Tertius, & Monasterio S. Pauli de Vrbe Innoc. 3. & Greg. Nonus, & Congregat. Cassinen. Eugenius 4. & Leo X. & alij Pontifices. Post Innocentium verò quartum, & decretalem *Volentes de priuilegijs* editam omnes ferè Monachorum, & Mendicantium Or-

dißes itetum à Sede Apoſtolica obtinuerunt exemptionis reſpectu delicti commiſſi, contractus initi, & rei litigioſæ exiſtentis extra Cœnobia, & Monaſteria exempta in locis non exemptis Ordinario ſubiectis. Videri autem de his poſſunt Barbosa *de off. epiſ. alleg.* 105. Tambur. de iure Abbat. *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 11. qui referunt, à quo tempore Religiones ſingulæ exemptionem obtinuerint.

682. Colligitur ſecundò rationabiliter Pontifices huiuſmodi exemptionem concesſiſſe, non obſtante quod, vt refert Par. Iordan. *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *nu.* 6. Baronius ad annum 676. aduerterit, quod poſt exemptiones conceſſas à S. Greg. Papa breui temporis interuallo receſſit erit ab aula Pontificia vſus concedendi tales conceſſiones, coniectans increpuiſſe diſſuetudinem ex eo, quod compertum eſſet huiuſmodi immunitatem obeſſe potius, quam prodeſſe Eccleſiæ Dei, & Monaſticæ obſeruantiæ; propteresque nunquam placuiſſe D. Bernardo, vt ex multis eius Epiſtolis patet, & præcipuè ex *epiſ.* 42. *ad finem*, & *multo magis lib.* 3. *de conſiderat. ad Eugenium cap. penul.* Multus perſtringens Pontificem has exemptiones concedentem. Prout nec D. Franciſco placuerunt, qui nunquam voluit eas impetrare, ſed opus fuit fratris Eliæ hominis non ſpiritui, ſed prudentiæ carnis innixi, huiuſmodi enim ratiocinatio multum deficit.

683. Primò enim maximè in gratioſis, quæ pendent ex iure poſitiuo Princeps ſemper præſumitur moueri ex iuſta cauſa, imò ſolus motus Principis habetur pro iuſta cauſa, vt ex Cyr. & Bald. tradit Panorm. *cap. Niſi ſpecialis num.* 6. *de off. legati* & Gloſſ. *fin. in l. Relegati ff. de poenis*, ait magnam, & iuſtam cauſam eſſe Principis voluntatem, & de hoc videri poſſunt DD. communiter hoc approbantes ad *l. Reſcripta C. de precibus Imperat. offeren. & cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit.* Vbi Reuerendiſs. Fagnanus *num.* 120. hæc approbat verum ſecundò additur nos hic non habere neceſſitatem recurrendi ad præſumptiones, cum manifeſtum ſit tot Pontifices ac tantos tam ſanctitate, & doctrina non niſi ex valde rationabilibus cauſis hanc exemptionem conceſſiſſe, quam etiam maximi fecit, & cuſtodiri voluit, & manuteneri Concilium Tridentinum, quod *cap.* 20. *ſeſſ.* 25. ſanciuit etiam, vt priuilegia Regularium maneant firma, & vbi aliquam facultatem dedit Epiſcopis in Regulares, id fecit ſine præiudicio priuilegij exemptionis, exprimendo, quod Epiſcopos in iis conſtituit Sedis Apoſtolicæ delegatos. Quamobrem, quod Epiſcopi violando priuilegia Regularium aduerſentur Concilio Tridentino aduertit Reuerendiſs. Fagnanus *ad cap. Quod ſicut n.* 24 *de maior. & obedient.*

684. Sed Sanctus Gregor. ſui facti rationem reddidit in Concilio ſuo Lateranen. & tanquam teſtis de viſus, & qui dum eſſet, & ſimplex Monachus, & Abbas expertus fuerat nocumenta, & præiudicia, quæ Ordinibus Religioſis proueniebant ex eo, quod eorum gubernium ſubijceretur Epiſcopis, nedum vtile, ſed neceſſarium iudicauit eos ab illorum cura eximere, vt ex prohœmio conſtituti ſupra recenſiti eſt manifeſtum. Pariter verò nullus fuit aliorum Pontificum, qui concedendo Regularibus exemptionis priuilegium ſui facti vrgentem non reddiderit rationem. Et licet S. Adeodatus ambiguus aliqualiter fuerit, an concederet Monaſterio S. Martini Turonen. nihilominus cum vidiſſet Epiſcopos ipſos Galliæ iudicaſſe è re diuina eſſe, nullatenus exortem rationis, ac Canonicæ regulæ tantorum Epiſcoporum ſententiam fore perpendens, priuilegium conceſſit. Et Gregorius Nonus in priuilegio exemptionis conceſſo Monaſterio S. Petri de Peruſio præmiſſis his verbis *quoniam*, inquit, *ſi quid ad honorem Dei ordinamus, mercedem inde in futura nos recepturos ab ipſo non dubitamus*, tanquam expectans à Deo pro exemptionis, & priuilegijs Apoſtolicis conceſſione, illam ad fauorem dicti Monaſterij expediuit, vt in Bullar. Caſſin. videre eſt *conſtit.* 5. ſed longum eſſet omnium harum conſtitutionum prohœmia recenſere; cum vnuſquiſque Pontifex ſua reddiderit motiua rationi, & Sacris Canonibus conformia, ob quæ priuilegium exemptionis tradiderit, & S. Greg. dum conceſſit Monaſ. SS. Io. & Andræ in diœces Arimin. exemptionem ab Epiſcopo Arimin. proteſtatus eſt ſe in eo accomodaſſe affectuos ſuum ſtatutis Patrum, & formæ iuris, vt patet *l.* 4. *epiſ.* 41. ad Luminoſum Abbatem.

685. Duplex verò cauſa huius exemptionis redditur, vna ex parte Epiſcoporum, & Monachorum, quæ eſt grauamen, quo Monaſteria, & Monachi in temporalibus, & ſpiritualibus ab Epiſcopis vario modo grauabantur. De his grauaminibus conſtat nedum ex *c. Nimis iniqua, & nimis praua* de exceſſibus Prælatorum, & Clemen. vnica *eod. tit.* & Pius Quintus *conſt.* 41. Sed ex San. Greg. *l.* 1. *epiſ.* 12. ad Io. Epiſcopum Vrbis veteris, & refertur *cap. Agapitus* 16. *q.* 1. Item ex eodem *l.* 4 *epiſ.* 18. ad Marinianum Epiſ. Rauennaten. Vnde & Baron. ann. 598. *num.* 20. ob hanc cauſam dixit conſueuiſſe Pontifices eximere religioſos ab Epiſcopis. Itaq; huiuſmodi grauamina fuiſſe cauſam impulſiuam ad concedendam exemptionem dixerunt Mandoſ. *de inhibit. q.* 104. *num.* 5. Rota in Vlixiponen. Monaſterij coram Coccinoqua eſt 82. *num.* 24. apud Tambur. *tom.* 3. *Rota dec.* 461. *p.* 5. *recent.* idem Tamb. *tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 2. *num.* 15. Donatus *p.* 2. *tract.* 10. *q.* 3. Inde eſt quod cauſa finalis fuit fauor Religionum, & Religioſorum quies, & quia nec religioſum ſtatum decet vt coram tribunalibus Eccleſiaſticis extra Monaſteria conueniant, & religioſi multo melius intus ab eorum Prælatis, & Patribus iudicantur. Et ex quo conueniens fuit, vt Religiones erigerentur vt corpora ſub vno capite, non potuit melius earum gubernatio inſtitui, quam vt immediatè ſub ſummo Pontifice per proprios Prælatos regerentur. Altera cauſa fuit ex parte ſummi Pontificis, cuius intereſt ad bonam animarum gubernium, & fidei propagationem habere plurimos ſibi immediatè ſubiectos, & per totum orbem diffuſos Clem. Paſtoralis de re iudic. Rebuf. *reſp.* 142. Tambur. vbi ſupra *n.* 16. Donat. *d. q.* 3.

686. Sanctus verò Bernardus in fine illius *cap. penultimi lib.* 3. *de conſid.* ſe explicat, & admittens Pontificem poſſe in legibus Canonicis diſpenſare, & id iuſtum eſſe, ſi cauſa legitima ſubſiſtat, & iuſte concedi Monachis exemptionem à iuriſdi-

ctione

ctione Episcoporum, si hoc in Monasteriorum fundatione fuerit conuentum, vel ex alia graui, & iusta causa, satis manifestat mentem suam solum fuisse, quod in huiusmodi priuilegij concessione nō excederentur limites iustæ causæ. Quod etiam dicitur, quod Elias Minister Generalis Minorum fuit ille, qui priuilegium exemptionis procurauit, an sit conforme historiæ ponderandum esset. In Compendio priuilegiorum Minorum, apud Cafarub antiquior ex Pontificibus, qui exemptionem Minoribus concessit fuit Clemens quartus electus Pontifex anno 1265. sed Elias sub Gregorio nono electus Minister Generalis anno 1227. vltima vice priuatus fuit Generalatu anno 1239. sub eodem Greg. 9. viuente, vnde Elias non potuit esse, qui hoc exemptionis priuilegium procurauerit.

687. Sic igitur ex his est manifestum qualiter regulares à iurisdictione Episcoporum exempti sint, & de iure communi, & ex priuilegijs, & quod hoc antiquissimum est, & valdè rationabiliter institutum. Hoc addendum est, quod quæ in contrarium adduci possent ex causa 18. q. 2. nedum vt plurimum sunt desumpta ex Concilijs Prouincialibus, quæ non ligant totam Ecclesiam, sed & statuta fuerunt, quam plura ante exemptionem à S. Greg. Papa concessam, & pro locis, in quibus præualebat contraria consuetudo. Cæterum ex iure Pontificio oppositum statutum esse non inuenitur, sed imò Ius Pontificium antiquam supponit dari Monasteria exempta, vt constat ex *cap. Cum. dilectus, de Relig. domib. & cap. in singulis, & cap. fin. de stat. monach.* Et quod Episcopus in Monasteria exempta iurisdictionem non habeat, constat ex *cap. Cum dilectus de Relig. domibus*. Vbi cum Episcopus quidam Abbatem quemdam excommunicasset Innoc. Tertius iubet vt si Abbas probauerit Monasterium esse exemptum, liberetur ab impetitione Episcopi, vnde Panorm. ibi *num.* 3. notat, quod excommunicatio lata ab Episcopo in exemptum est nulla ipso iure.

688. Et hoc idem habetur expresse ex *cap. final. de stat. monach.* Licet enim *Rota d. dec.* 15. *n.* 7. *p.* 1. *recent.* contendat probare oppositum ex eo *cap. Ex eo quod in eo cap. dicitur*, quod Abbas corrigat secundum B. Benedicti regulam, & Apostolica instituta, ex hoc deducens dari facultatem Abbati procedendi ad correctionem secundum regulæ instituta, non verò secundum formam iuris, quia alias si in forma iudicij liceret eis procedere mandasset Visitatoribus, vt curarent Monachos delinquentes puniri secundum formam iuris. Sed melius ex illo textu Panormit. *num.* 1. colligit, quod Episcopus nihil potest exercere in Monasterijs exemptis, & *num.* 2. quod correctio Monachorum spectat principaliter ad Abbatem, & quod Monachi corriguntur nedum secundum regulam, sed etiam secundum canones. Ibi enim Pontifex de correctione absolute loquitur, & debet intelligi, vt secundum modum culpæ fit correctio, & vbi pœna culpæ condigna non potest infligi nisi seruata forma iudicij licet sine iudicij strepitu, & figura, secundum talem formam fiat correctio. Et quod hic sit sensus talis textus probatur, quia Pontifex ibi non permittit, quod Episcopi possint corrigere Abbates à visitatoribus inuentos correctione dignos, sed solum dat Episcopis facultatem in Abbates non exemptos, decernens Abbates exemptos (eorum depositione reseruata Sedi Apostolicæ) puniri per visitatores ipsos, vel per Capitulum Generale. De Abbatibus igitur loquens textus ille loquitur etiam de correptione in forma iudicij, & in iudicio criminali, nam & permittit Abbates suspendi, igitur & de huiusmodi etiam correctione loquitur, dum sermonem habet de Monachis ab Abbate corrigendis, aliter diminutus esset Pontifex non determinans à quo Monachi exempti essent corrigendi, vbi correctio non posset fieri nisi forma iuris seruata. Sed vere textus loquens de omni modo correctionis, Monachos vult ab Abbate esse corrigendos, Abbates verò exemptos à Visitatoribus, & capitulo, vel à Sede Apostolica. Quod confirmatur, nam textus admittit dari Monasteria exempta à iurisdictione Episcopi, at verò implicat Monasteria esse exempta, & Monachos subditos esse Episcopo, & ab eo in forma iuris esse puniendos, quia in hoc consistit exemptio, quod exemptus non sit subiectus Episcopi potestati, & iurisdictioni. Ab aliquo ergo Monachi exempti debeant criminaliter corrigi seruata vbi opus est forma iudicij, & cum non possint puniri ab Episcopo, cum sint exempti, & textus dicat corrigendos esse ab Abbate, sequitur quod Abbatis sit punire illos etiam seruata forma fori contentiosi, vbi opus sit. Imò hoc pertinet ad Abbatem immediate etiam in Monasterijs non exemptis, sed Episcopo subiectis, vt eius sit etiam in foro externo punire subditum licet cum subordinatione ad Episcopum, vt tenet Gloss. *ad cap. Quanto, de off. ordin.* & fuit sententia Laur. Vinc. Phil. & Goffr. quam sequitur ibi Panorm. *num.* 3. Verum quidquid sit de facultate Abbatum in Monasterijs non exemptis, de quibus loquitur *Rota in d. decis.* 15. Vbi monasteria sunt exempta Episcopus nullam ordinariam iurisdictionem potest exercere in Monachos; Monasteria verò plura fuisse exempta à tempore antiquissimo, imò exemptionem fuisse iure communi statutum, & non solum iure priuilegiorum satis est probatum.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio significatur si dicatur eximimus à iurisdictiones sit in plena libertate, gaudeat libertate Romana Ecclesiæ: sit in libertate.* numero 989.

2 *Item si dicatur, non sit subiecta nisi Pontifici Romano, aut Sedi Apostolicæ, aut Ecclesiæ Romanæ.* n. 690.

3 *Item si dicatur sit subiecta immediatè, vel pertineat immediatè, ad Ecclesiam Romanam, &c.* n. 690.

4 *Item si dicatur sit specialiter subiecta, Ecclesiæ Romanæ &c.* n. 690.

5 *Item si dicatur accipio in proprios subiectos Romana Ecclesia &c.* n. 690.

6 *Item si dicatur pertinens ad Ecclesiam Romanam &c.* n. 690.

Item

7 *Item si dicatur accipio vos sub nostra gubernatione, & protectione.* n.691.
8 *Ordo Prædicatorum in sui natiuitate exemptus.* num.691.
9 *Item si dicatur non audeat Cathedram collocare &c.* n.692.
10 *Si reseruet Episcopo ius reuerentiale, aut similia.* num.692.
11 *Ex sola impositione census non colligitur exemptio.* n.693.
12 *Significatur exemptio si dicatur, sit iuris B. Petri &c.* n.694.
13 *Non tamen si dicatur recipimus in protectione, &c.* n.695.
14 *Nec si dicatur accipimus vos in filios.* numero 696.
15 *Ex concessione annali &c. non infertur exemptio.* num.697.
16 *Narratiua non inducit exemptionem.* numero 698.
17 *Aliquando tamen id præstat.* n.699.

689. QVæritur 4. per quæ verba intelligatur significari exemptio tam in iure communi, quam in iure priuilegiorum? Est autem certum primò significari exemptionem, si Papa dicat à iurisdictione eximimus, vel liberamus, & maximè si dicat perpetuo, aut totaliter eximimus, & liberamus Syluest. *v. exemptio n.* 5. Tabien. *num.*3. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 9. §.2. Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 9. *num.* 4. Innoc. *in cap. Veniens num.*7. *de verb. significat.* Rota *in Cæsaraugustana romerar. corum Coccino num.*9. quæ est decis. 78. apud Tambur. *tom.* 3. Idem Tambur. *tom.* 1. *disp.*15. *q.*5. *num.*22. Barbosa *de off. epis. alleg.*123. *num.*11. Lezana *v. exemptio num.*6. & alij ab istis citati. Idem dicitur si Papa dicat, vt Ecclesia, vel persona sit in plena libertate, vel gaudeat plena libertate ab Episcopi iurisdictione Franc. *in cap.* 1. §. *illam num.* 3. *de verb. signific.* Cochetr. *de iuris inexemp. par.* 1. *q.* 9. *num.* 1. Barbosa *d. all.* 123. *num.*14. Tambur. *d. quæst.*5. *num.*20. Et idem pariter intelligitur, si dicat, gaudeat libertate Romanæ Ecclesiæ *d. cap.* 1. Pap. Syluest. *d. num.*5. Barbosa *num.*13. Cochier. *num.*1. Tambur. *nu.*12. Lezana *num.*6. Idem verò significaretur si simpliciter diceretur gaudeat libertate; Siue sit in libertate *cap. Si Papa, de priuil. in.* 6. Syluest. *d. num.*5. Sanchez *d. num.*4. Idem etiam dicendum esset, si diceretur censeatur monasterium exemptum. Tambur. *d. q.* 5. *num.* 22. Dixerat verò *num.* 20. quod si dicatur, & præcipiatur Episcopo ne alicui Monasterio nec ipse, nec eius Presbyteri aliquid molestiæ inferant illud Monasterium censeri debeat immune solum à lege Diœcesana, citans ad hoc *cap. Quam sit* 18. *q.*2. & Innoc. Panorm. & DD. *ad cap.* 1. *de statu monach.*

690. Exemptio etiam significaretur si de Ecclesia, vel persona Pontifex diceret, nulli alteri, quam Summo Pontifici, vel Sedi Apostolicæ sit subiecta, *Rota dec.* 219. *num.* 1. *part.*8. *& dec.*28. *num.*1. *par.*9. *recent.* Item si Pontifex dicat nobis, vel Sedi Apostolicæ, vel Ecclesiæ Romanæ immediatè subijcimus, Syluest. Tabien. D. Anton. Sanchez citati, Seraphin. *dec.* 1025. *num.* 15. Less. *d. num.* 6. *Rota d. dec.* 219. *num.*8. *p.*8. *recent.* Item quoque si dicatur pertineat immediatè ad Ecclesiam Romanam *cap. Cum olim* §. *Nos verò de priuil. cap. Si Papa* §. *si autem eod. tit. in* 6. Seraphin. & Rota vbi supra immediatè. Et pariter significatur exemptio, si dicatur, accipio in proprios subiectos Sedi Apostolicæ, vel Ecclesiæ Romanæ Lezana *d. num.*6. Barbos. *d. all.*123. *num.*20. Siue si dicatur, recipio in speciales subditos Ecclesiæ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ *d. cap. Si Papa* Tambur. *d. q.*5. *num.*17. & Barb. *d. all.* 123. *n.*20. Cochier. *d. q.*9. *num.* 1. Sed & hoc idem intelligi debet, si dicatur simpliciter, quod Ecclesia vel persona pertineat, aut sit subiecta Sedi Apostolicæ, vel Ecclesiæ Romanæ *d. cap. si Papa* §. *si autem*, vbi Pontifex hoc probat, quia cum omnes Ecclesiæ, & personæ fideles pertineant ad Ecclesiam Romanam, & sint illi subiectæ, si per illa verba nihil aliud significaretur, quam pertinentia, & subiectio, superfluæ ponerentur, & nihil speciale significarent; quod inconueniens, vt vitetur, debent intelligi verba illa, vt specialem & immediatam pertinentiam, & subiectionem significent, & sic vt importent exemptionem.

691. Ideò idem dicendum est, si Papa dicat sub nostra gubernatione, & protectione suscipimus; cum enim omnes sint sub Papæ gubernatione, dum dicit se accipere aliquem sub gubernatione, vt verba aliquid operentur debent intelligi de immediata, & speciali gubernatione, vt Pontifex argumentatur, & probat *d. cap. si Papa* vnde est, quod Ordo Prædicatorum nunquam fuit subiectus Ordinario, sed in sua natiuitate natus est immediatè subiectus Sedi Apostolicæ. Quia Honorius Tertius in Bulla confirmationis dicti ordinis sic locutus fuit. *Nos attendentes Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & veri mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum, cum omnibus terris, & possessionibus habitis, & habendis, & ipsum Ordinem eiusque possessiones, & iura sub nostra gubernatione, & protectione suscipimus. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam xi. Calend. Ianuarij Pontificatus nostri anno primo.* Duas enim Bullas sub eadem die expediuit Honor. Tertius, vna quæ multa continet priuilegia, & incipit Religiosam vitam, & hæc illa est, quæ fuit inserta à Cherubino in Bullario Romano; alia quæ simplicem habet ordinis confirmationem, & tota consistit in in verbis supra scriptis. Vtraque est in Bullario Ord. Prædicatorum in authenticam formam transumptum per Franciscum de Albericis Auditorem Cameræ, & vtraque inuenitur in alio Bullario impresso Venetijs per Lazarum de Suardis anno 1506. Nec obstat, quod Greg. Nonus in Constit. *Ne pro eo*, data Perusij 5. Cal. Decem. Pontif. anno octauo, & habetur in eodem Bullar. *fol.*13. voluerit, vt Fratres Episcopis impenderent obedientiam, & reuerentiam debitam, & deuotam. Quod in simili constitutione data 12. Cal. Aprilis Pontificatus eius anno primo, voluit etiam Innocentius Quartus. Nam imo potius ex illis constit. colligitur exemptio, quia dicitur. *Ne pro eo, quod Diœcesanis Episcopis debitam reuerentiam exhibetis, statutu vestru subuersti contingat in graue vestri Ordinis nocumentum, volumus, vt Episcopis vestris impendatis obedientiam, & re-*

& reuerentiam debitam, & denatam salais vestri Ordinis instituti, & maximè circa institutionem, & destitutionem Prælatorum vestrorum. Vnde erat ibi sermo, de illa obedientia, & reuerentia, quæ Episcopis debebatur, sine præiudicio exemptionis à Fratribus Prædicatoribus prædicationi, & saluti animarum incumbentibus in ijs, quæ ad huiusmodi ministerium pertinent, & circa quæ ordo nondum habebat priuilegia, quæ illi postea fuere concessa, sed tamen voluit, quod eis non tenerentur obedire in præiudicium instituti ipsius ordinis, & ex consequenti in præiudicium illius instituti, per quod ab Honorio Tertio ordo receptus fuerat sub gubernatione sine dubio speciali Sedis Apostolicæ; inde est, quod idem Innoc. 4. in Constit. Nimis iniqua, data Lugduni 15. Col. Octobris Pont. anno Tertio recensitis 27. grauaminibus, quæ continentur in *cap. Nimis iniqua*, & *cap. Nimis praua, de excess. Prælat.* præcepit omnibus Archiepiscopis, & Prælatis, vt à præfatis, & alijs grauaminibus contra Ordinem Prædicatorum abstinerent. Et executores suæ *constit. dedit Epis. Bananan. & Matiten.* per aliam *constit. eadem die, & anno editam, & vtraque habetur in d. Bullario fol.23* Ex quo manifeste eius Ordinis præexistens exemptio colligitur. Sed & Alexander quartus *in constit. meritis vestra Religionis*, data 2. *Nonas Martij Pontificatus anno* 6. & habetur in paruo impresso Bullario *fol.27*.

694. Præterea significatur, & conceditur exemptio si dicatur, *quod non audeat Episcopus*, in Ecclesia quæ eximitur *cathedram collocare aut imperandi (sea ordinationem quamuis leuissimam faciendi) exercere aliquam potestatem. Ita ex d. cap. Si Papa* Syluest. *d. num.*5. Tabien. *d. num.*3. D. Anton. *d.* §.2. Sanchez *d. num.* 4. Lez. *d. num.* 6. Barbosa *d. all.* 123. *num.* 15 Tambur. *d q.* 5. *num.* 14. Et quia S. Greg. in Concil Lateranen. vt sæpe recensitum est, vtitur hac forma loquendi, quæ etiam continetur *in cap. luminosa* 18. *q.* 2. Ideò indubitatum est, quod per illum Sanctum Pontificem Monasteria, & Ordines Monachorum fuerunt exempti ab Episcopi iurisdictione. Argui etiam exemptionem ex reseruatione reuerentiæ dixit *Rota decis.* 1045. *num.* 18. *coram Seraph.* Cum enim ab exemptis debeatur Episcopo reuerentia nisi omnino plenam exemptionem à Papa obtinuerint. Si Papa eximens reseruat ad Episcopi fauorem solum ius reuerentiæ, signum est, quod exemptum in cæteris liberat ab Episcopi subiectione. Et ideò idem arguitur si pro Episcopo reseruetur canonica iustitia, quia reseruatio inuoluit arguit in cæteris exemptionem. Pariter si Papa concedit alicui Ecclesiæ, vt adeat Episcopum pro receptione Sacramentorum, ex hoc arguitur, quod illa Ecclesia sit exempta *Rota d. dec.* 1025. *num.* 6. coram Seraph. Nam hæc facultas adeundi Episcopum pro recipiendis Sacramentis non est necessaria nisi in exemptis Gloss. *in cap. vlt. ver. perm tumus de pænit. & remiss.* Io. Andr. in Mercurial. *in reg. sciens, & consentien. de reg. iur. in 6.*

693. Colligi etiam exemptionem videtur, si Ecclesiæ imponatur aliqua census soluendus Ecclesiæ Romanæ. Verum hoc non est absolutè verum, si enim simpliciter dicatur, quod aliqua Ecclesia Romanæ Ecclesiæ soluat annuum censum, non propter Ecclesiæ illa debet dici exempta. Et idem dicendum si Ecclesiæ concedatur aliqua particularis libertas, & exemptio, & postea sequitur clausula de soluendo censu, vt si concedatur alicui, vt non possit excommunicari nisi à legato Papæ, vel aliquod simile speciale priuilegium à Sede Apostolica sit indultum. In his enim, & similibus casibus solum particularis exemptio, & libertas conceditur, manente exempto subiecto Ordinario in alijs. Sed si indefinitè dicatur, quod Ecclesia soluat censum Romanæ Ecclesiæ ad iudicium perceptæ libertatis, significatur exemptio, & libertas *Rota dec.* 1025. *num* 8. Coram Seraph. *& dec.* 219. *num.* 8. *p.* 8. *& dec.* 28. *num.* 8. *p.* 9. *recent.* Vnde est, quod solutio census est signum æquiuocum, & quod ex præcisa solutione census non potest colligi exemptio *cap. Recipimus, de priuil.* & ibi Panorm. & Socin. *num.* 3. *& Dec. num.* 2. *& Franc. ad d. cap. si Papa de priuil. in* 6. Vbi tamen cum census solutione concurrant, aliæ coniecturæ, quia tunc habet locum Regula illa, quæ non prosunt singula, multa collecta iuuant Barbosa *d. alleg.* 123. *n.* 22.

694. Significatur etiam exemptio si Papa suscipiat Ecclesiam; vel personam, vt sit iuris B. Petri, vel Sedis Apostolicæ; per hoc enim significatur, quod immediatè sub illa sit, nam aliàs mediatè omnis Ecclesia Romanæ subest Ecclesiæ, est enim Romana Ecclesia Primatum habens, potestatem, & authoritatem super omnes Ecclesias *cap. Sacrosancta* 22. *d ft. cap. Rogamus* 24. *q.* 1. *c.* 12 *de sent. Trin. in* 6. Et sic dum de aliqua Ecclesia, vel persona decernitur, quod sit iuris Ecclesiæ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ, vt verba aliquid operentur, significatur subiectio immediata ad Pontificem, & exemptio à subiectione ad Ordinarium *cap. si Papa, de priuil. in* 6. Syluest. Tabien. D. Anton. Sanchez locis citatis, Barbosa *d. all.* 123. *num.* 15. Tambur. *d. q.* 5. *num.* 4. Lez. *v. exemptio num.* 7. Et idem est, si Papa dicat suscipimus in possessionem Romanæ Ecclesiæ, nec obstat *cap. Recipimus de priuileg.* Non enim, vt obijcit Barbosa decidit, quod forma loquendi, & dicendi sit iuris B. Petri, vel Ecclesiæ Romanæ non inducat exemptionem nisi adiungatur census solutio, sed benè dicit, quod census solutio de se non importat exemptionem, quam tamen tunc importat, si inueniatur quod Ecclesia soluens censum sit specialiter iuris B. Petri, & quod illa in iudicium libertatis soluit censum. Non ergo ibi dicitur, quod forma dicendi sit iuris B. Petri non inducat exemptionem nisi addatur solutio census, sed dicitur quod solutio census importat exemptionem si præcesserit forma illa dicendi sit specialiter iuris B. Petri.

695. Exemptionem autem non significat, protectio vnde non per hoc Ecclesia erit exempta, quod fuerit recepta sub protectione Summi Pontificis, quia protegere importat actum competentem etiam extraneo, nam & Imperator Ecclesiam protegere debet Clem. 1. de iure iur neque per hoc, quod Ecclesiam aliquam recepit sub sua protectione, ideò illa Ecclesia liberatur à iurisdictione sui superioris, & subijcitur Imperatori *cap. solita, de maior. & obed.* Sed imò Imperator le in-

se inferiorem, esse profitetur, cap. Valentinianus, dist. 63. Sic igitur nec Papa, ex hoc præcise quod aliquam Ecclesiam recipit sub speciali sua protectione illam sibi immediatè subijcit, & à iurisdictione Ordinarij eximit cap. ex parte 18. de priuileg. cap. si Papa, de priuil. in 6. Card. ad cap. Recepimus, de priuil. in princip. Socin. num. 7. Dec. n. 15. Cochier. d. q. 9. num. 3. Barbosa d. all. 123. n. 56. Seraph. dec. 1025. num. 3. Millen. dec. 48. num. 2. Lezana v. exemptio num. 7. Tambur. d. q. 5. num. 15. Sanchez l. 6. consil. cap. 9. d. 1. num. 4. Nec obstant, quæ adducuntur ex cap. Ad audientiam 34. de appelat. Nam in vi appellat. & recursus statim ac iudicatus ab Episcopo ab eo appellat, & se ponit sub protectionem Sedis Apostolicæ, cessat Episcopi iurisdictio, ex inbordinatione quam habet Episcopus ad Pontificem, & quia natura ipsa volt, vt qui grauatur ab inferiori iudice recurrat ad superiorem. Et ideò iura volunt, quod appellatio suspendat inferioris iudicis iurisdictionem. Limitatur verò superius dictum, vt si Ecclesiæ receptæ sub protectione Sedis Apostolicæ sit impositum onus aliquid soluendi censeatur concessa exemptio. Ita Tambur. d. q. 5. num. 19. in fin. citans aliquos, qui hoc non dicunt, neque est dicendum, cum contrarium expresse sit determinatum in cap. Recepimus, de priuil. Barbos. d. alleg. 123. n. 53.

696. Pariter exemptio non colligitur ex hoc quod Papa dicat aliquibus, recipimus vos in filios, etiam si dicat in filios speciales, neque enim ex speciali filiatione arguitur ad specialem subiectionem, cum stet alicuius filios alteri esse subiectos; ideò ex quod Papa recipiat aliquem in filium specialem non propterea illum eximit à subiectione ad Ordinarium cap. ex parte de priuileg. & d. cap. si Papa §. similiter & ibi Franc. Cochier. d. q. 9. num. 1. Syluest. Tabien. D. Ant. & Sanchez locis citatis Barbosa d. alleg. 123. num. 50. Tamb. d. q. 15. num. 14. Lezan. v. exemp. num. 7. & ad cap. 1. de verb. signif. in 6. Francus & alij DD. & hoc est adeo verum, vt si simul imponatur sic assumpto in filium onus alicuius census, non per hoc inducatur exemptio, vt apertè decernitur in sæpius citato cap. si Papa, de priuil. in 6.

697. Et tandem ex concessione vsus Mitræ, Anuli, Baculi Pastoralis, aut alterius cuiuscumque priuilegij non potest inferri exemptio neque iurisdictionis concessio Rota dec. 709. num. 4. p. 4. diuers. Io. Andr. cap. Apostolicæ, de priuileg. in 6. Tambur. d. q. 15. a. 21.

698. His verò sic stantibus duæ aliæ regulæ seruandæ sunt. Prima est quod prædicta intelligantur vera, quando Pontifex in dispositiua parte suæ constitut. vtitur præfatis formis loquendi. Nam si solum contineatur in narratiua, quod aliqua Ecclesia sit sub iure B. Petri, vel immediate subiecta Sedi Apostolicæ, aut aliquid simile narratur in principio Bullæ, vel intus incidenter refertur seu oaratiuè annunciatur, & Papa non sententiat, aut decernit sic esse, non inducitur exemptio. Sic enim expresse decernitur d. cap. si Papa in princip. Seraph. dec. 1025. num. 12. Barb. d. all. 123. num. 16. Tambur. d. q. 5. num. 4. & constat ex generalibus Principijs ex quibus habetur, quod verba narratiua plenam probationem non faciunt vt probat textus in l. Ex hoc ff. de dsaat. & l. ex his verbis C. de testam. milit. Mascar. de probat. concl. 612. Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumt. 133. Mantica de coniect. vlt. volun. lib. 3. tit. 15. Tusc. tom. 8. l. V. concl. 81. Et in verbis narratiuis summo Pontif. probat textus in Clem. 1. de probat. Et inde est etiam, quod simplex narratiua, aut enunciatiua Pontificis referentis aliquam Ecclesiam esse Episcopo subiectam non tollit priuilegium, nec illud reuocat, dum non fit mentio de antecedenti priuilegio, quia simplex enunciatiua non facit, vt præcedens exemptio sublata dicatur Archid. cap. 1. num. 1. de const. in 6. Barbat. cons. 23. num. 6. lib. 3. Grat. discep. 918. num. 38. & 981. num. 6. Rota decis. 539. num. 18. part. 8. recent.

699. Secunda regula est per quam hoc prima limitatur, quia scilicet si contingat, quod super verbis narratiuè prolatis, & exemptionem significantibus, Pontifex fundet suam intentionem principaliter, tunc ex illis verbis probetur exemptio, his tribus concurrentibus, quod qui narrat sit Princeps superiorem non cognoscens, quod narrata sint de facto proprio, quod intentio Principis gratiam concedentis super illa narratiua principaliter fundetur; De qua re videri possunt Mascar. de probat. concl. 1333. Tuscus tom. 6. lib. e. concl. 62. & seq. & alij allegati per Barbos. d. all. 123. n. 19. & Tambur. d. q. 5. a. 9.

SVMMARIVM.

1 Exemptionem afferens tenetur eam probare. numer. 700.
2 Exemptus tenetur priuilegium ostendere. numer. 701.
3 Tempore & loco oportuno, n. 703.
4 Notorium priuilegium non est exibendum. numer. 703. 704.
5 Notorium priuilegium est, quod est insertum in corpore iuris. n. 704.
6 Siue in quacumque lege, quod etiam est notorium notorietate facti permanentis. nu. 704.
7 Obiectis fundata in eo, quod priuilegia possunt reuocari. 705.
8 Retorquetur etiam lex concedens Episcopis iurisdictionem potest reuocari. n. 706.
9 Priuilegiorum mutatio non debet præsumi. numer. 707.
10 Obiectio soluitur. n. 708.
11 Exemptionem contentam in cap. Nimis iniqua de excess. Prælat. non fuit moderatus Bonif. 8. num. 708.
12 Alij casus in quibus non est necesse exibere priuilegium, n. 709.
13 Regulares teneantur exhibere priuilegia, quibus vti volunt. n. 710.
14 Non tamen generale priuilegium exemptionis, quod est notorium, nec alia notoria, & per iudices eam canonizata. n. 711.
15 Exemptus ratione præscriptionis eam tenetur probare. n. 712.
16 Exemptus ratione priuilegij, & præscriptionis sufficit, quod alteram probet. n. 713.

Quæ-

700. Quæritur quinto, an prætendenti exemptionem incumbat onus eam probandi? Habet hæc quæstio in terminis generalibus euidentem solutionem ex *cap. Cum persona, de priuil. in 6.* Ex quo habetur hæc prima regula Generalis, quod qui prætendit se esse exemptum à Iurisdictione Ordinarij tenetur exemptionem probare coram eodem Ordinario. Gloss. *in cap. de Xenodoch. ver. in quorum,* & ibi Anchar. *n. 1. de religiosis domib.* Panorm. *in cap. 1. n. 13. de off. Ordin. & cap. Porro n. 1. de priuil.* Franc. *ad d. cap. cum persona n. 3.* & ibi Gemin. *n. 2.* Capuaquen. *dec. 328. n. 2. p. 1. Rota dec. 665. n. 3. p. 3. & decis. 529. n. 4. p. 4. diuers.* & in Pampilonen. decimarum 29. Octobris 1599. & nō tantum substantiam ipsam priuilegij probare debet eo vti volens, sed omnes eius qualitates tenetur iustificare per tex. *in l. prætor, in secunda. §. Deceros. ff. de vi bon. rap.* Alex. *cons. 172. num. 5. vol. 2.* Nat. *cons. 254. n. 2.* Surd. *dec. 30. n. 41.* Mantica *dec. 173. n. 3. Rota decis. 229. n. 3. p. 2. & dec. 569. n. 4. p. 3. & dec. 468. n. 4. p. 9. recent.*

701. Tres verò casus distinguuntur *in d. cap. cum persona,* quia ex duplici titulo potest quis prętendere exemptionem, vel scilicet titulo priuilegij, vel titulo præscriptionis, aut consuetudinis quamobrem triplex casus distingui debet, primus in quo prætendatur exemptio titulo priuilegij, secundus in quo prætendatur titulo præscriptionis, tertius in quo prætendatur ex vtroq; titulo simul. Qui verò titulo priuilegij se exemptum esse prætendit, priuilegium probare, & ostendere debet: Primò ergo priuilegium probari debet per exhibitionem scripturæ authenticæ, in quo illud continetur, *cap. Porro, cap. Recipimus, de priuilegijs, cap. accepimus de fide instrumentorum. Rota decis. 360. n. 6.* coram Mantica. Formam verò probandi huiusmodi exemptiones tradidit Bonifac. 8. *in d. cap. cum persona,* vbi distinguens inter ostensionem priuilegij, & dimissionem copiæ illius, vult quod priuilegium totum integraliter ostendi debeat Episcopo, & ad legendum exhiberi, non est verò necesse tradere integralem copiam illius, sed sufficit exhibere copiam articulorum de quibus est controuersia. Sufficit etiam, si priuilegium ostendatur viris prudentibus, & omni suspicione carentibus deputatis ab Episcopo.

702. Tempus verò, in quo priuilegium tradendum est Ordinario, vel ab eo deputatis, est eidem Ordinario arbitrarium, vel eiusdem Delegatis. Debet tamen esse competens, & pro facti qualitate prudenter mensuratum specialiter verò continetur in *d. capite* quod priuilegium exhibeatur in loco congruo, & securo. Sed nec absolutè præcipitur, quod huiusmodi priuilegium detur, sed quod detur, si illud requirat *Episcopus*. Quamobrem non requisiti non tenentur priuilegiū exhibere: si cut nec tenentur illud exhibere in loco incōgruo, & non securo. Quod si iustè impediti non possint priuilegium ostendere in tempore statuto, non debet illis imputari, vel ad culpam, vel ad negligentiam, vel ad pœnam, quia Pontifex præcipit priuilegium tradi in tempore determinato iusto impedimento cessante.

703. Limitatur verò multipliciter præfata communis assertio, & quidem primo, vt non procedat in priuilegijs notorijs, quod probatur *arg. Clem. Pastoralis. §. Notorium, de sent. & re iudic.* & docuerunt Innoc. *cap. 2, num. 3.* & ibi Hostien. *de dilation.* Panormit. *in cap. Cum ordinem. num. 6. de rescript.* & ibi Imola *num. 9.* Gloss. *in cap. si Episcopus v. conuocari 3. q. 2. & cap. veniens, de accusat. in in fin.* Syluel. *v. exemptio quæs. 7. & 8.* Tabien. *in princ.* Angel. *num. 3.* Rosell. *in initio,* Armill. *num. 3.* Nauar. *cap. cum contingat de rescript. causa 6. num. 6.* Richar. *4. d. 38. a. 5. q. 5.* Franc. *cap. scienti, de reg. iur. in 6.* Henriq *l. 7. de indulgen. cap. 25. num. 6.* Sanchez *l. 6. consil. cap. 9. dub. 4. num. 1.* Lezana *v. exemptio nu. 14.* Cespedes *dub. 171. nu. 3.* Barbosa *ad d. cap. Cum persona num. 5.* Cum verò duplex sit notorium scilicet notorietate iuris, & notorietate facti. Limitatio sine dubio vera est de priuilegio notorio notorietate iuris. Et hoc est illud, quod in corpore iuris est insertum. Tale enim priuilegium cum fit iam ius commune, quia priuilegium insertum in corpore iuris, ius commune facit. *cap. 2. de præben. in 6.* Gloss. *in cap. Constitutionem, de Regular. eod. lib. & in Clem. Dudum. §. verum in ver. de iure, de sepult.* Io. Andr. *in cap. ex parte, il primo,* & ibi Hostien. *de decimis.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. His quæ num. 35. de maior. & obedien.* Ideò in iure omnino notorium est tale priuilegiū nominatis in eo cōpetere, nec posse de iure aliqua tergiuersatione celari. Nomine verò corporis iuris hic non venit solum corpus decretalium Gregorij, liber sextus, Clementinarum, & Extrauagantium, sed totum corpus legum Canonicarum, siue continentur in Concilio Trident. & alijs Concilijs, & Constitutio- stitutionibus Pontificum, & Sacrarum Congregationum, quę iuxta stylum curiæ promulgatæ sunt. Nam lex sufficienter promulgata continet ius notorium, quod de iure nulla potest tergiuersari ratione. & ideò priuilegium contentum in lege, & per legem præceptum, vel approbatum, est notoriū de iure, vel vniuersaliter per toto mundo. si lex totum mundum obligat, vel pro Prouincia si lata in synodo Prouinciali vel pro Prouincia, vel in Diœcesi, si pro Diœcesi. Nam lex sufficienter publicata omnibus est sufficienter de iure nota, & ideò quod in lege continetur dici etiam potest notorium notorietate facti permanentis.

704. Cum enim notorium facti sit illud quod se offert, & exhibet oculis omnium ita clarè, & apertè, vt aliqua probabilitate negari nōn possit: Sanchez *l. 6. consil. cap. 3. dub. 3. num. 3.* seu notorium est res nota omnibus inspicere videntibus, Reuerendiss. Fagnan. *cap. vestra. num. 80. de cohabit. Cler.* vnde vt dicit ibid. Edictum est notorium notorietate facti permanentis, quia affixum ab omnibus potest videri; erit pariter notorium illud priuilegium, quod non seruatur absconditum in Archiuio, sed habetur in legum monumentis, & tanquā indubitatū cōmuniter, & manifestè reperitur exhibitum, & habetur vt manifestum, & vt tale à quocumque inspicere volente clarè, & manifestè potest inspici, & cognosci.

705. Quamuis verò præfata limitatio habeatur pro certa, nihilominus aliqualiter de ea dubius se ostendit Barbatensi. Episcopus in Pastorali *p. 2. q. 3. num. 43.* Nam priuilegia, & maximè illa, quæ concernunt iurisdictionem possunt reuocari. Nam iurisdictionalia Princeps ad sui libitum reuocat, vt post Angelum, & alios firmat Thomas Gramma-

titus *dec. 39. num. 2. 3. & 4. &c.* quod de priuilegijs Regularium considerauit etiam Cespedes *dub.* 271. *num.* 4. Poterit ergo esse dubium an priuilegium insertum in corpore iuris sit reuocatum, & sic poterit esse dubia exemptio, cum tamen iurisdictio Ordinarij sit omnino certa, firma, & permanens; igitur haec vincere debet saltem quantum ad illa priuilegia, quae non sunt canonizata in iure, vel ex alijs modis. Item secundò licet exemptio sit contenta in *cap. Nimis iniqua, & in cap. Nimis praua, de excessib. Praelatorum*, tamen debet considerari, quod illa est Greg. 9. qui fuit creatus Pontifex die 20. Maij 1227. sed *cap. Cum personae, de priuil. in 6.* est Bonifac. 8. qui multo post, nimirum 23. Decembr. 1294. fuit promotus ad Pontificatum; igitur priuilegia illa Greg. 9. moderata reperiuntur per Bonifac. 8. ergo praecisè dicendum est esse necessariam exhibitionem, saltem vt constet an priuilegia sint variata.

706. Sed contra arguentem retorqueri potest argumentum. Nam & leges quotidiè abrogantur, & variantur, & sic etiam lex tribuens Ordinario iurisdictionem est variabilis, & fuit variata, quia ablata ab eis fuit iurisdictio super exemptos, & sic nec Episcopus habebit certam, & fixam intentionem suam in iure fundatam, sed dubiam, & opus erit vt ipse, & quilibet alius iudex ordinarius probet iurisdictionem suam non fuisse abrogatam, & ablatam ad hoc vt subditus teneatur ei obedire, & ex hoc, quod possibile est iurisdictionem tolli, & de facto saepius aufertur, redditur dubia iurisdictio, vel facultas, vel libertas, vel exemptio. Sed dicitur consequentiam non valere, quia non debet praesumi legum mutatio, vel priuilegiorum abrogatio, nec poni in dubium, cum spectata conditione sua lex sit perpetua, & priuilegium perpetuitatem pariter habeat, quia decet concessa à Principe in aeternum manere. Nam mutatio eius quod prudenter actum est, vt duraturum, non est de se bona, sed fit bona ex causa; ideò nisi de mutatione legis, aut priuilegij constet, illa praesumi nō debet, nec legis, aut priuilegij duratio in dubiū debet reuocari, ex ratione generali, quod potuit mutari, nisi adsit speciale motiuum ad dicendum quod in facto illa mutata sint. Et hic consideranda sunt, quae S. Leo scripsit Martiano Augusto *epist.* 52. alias 54. *Priuilegia*, inquit, *Ecclesiarum, & Monasteriorum Sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari*. Et S. Greg. *l. 7. epist. 115. Cura est solicitudinis adhibenda, vt ea, quae pro quiete Monachorum, religiosaeque conuersationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quadam valeat praesumptio perturbare*. Et Innoc. 3. in Concil. Later. *Priuilegia quae quibusdam Religiosis Romana concessit Ecclesia permaneant inconcussa*. Quae & alia ponderauit ad rem hanc Reuerendiss. Fagnan *cap. Quod super. num.* 28 *de maior. & obedien.* Quamobrem minimè praesumi potest priuilegia exemptionis esse reuocata, nisi de eo aliundè constet.

708. Et sic ad primum dicitur quod duratio legis, & priuilegij nec est, nec haberi potest, vt dubia, ex eo quod possit cessare. Et additur nec verum esse, quod Ordinarij iurisdictio in exemptos sit certa, & firma, & permanens, quia imò vbi priuilegium est notorium, & praecipuè si sit notorium iuris certum, & firmum, & permanens est, quod Ordinarius non habet, licet aliquando habuerit in eos iurisdictionē. Ad secūdū dicitur, quod assumit sed non probat, quod Bonif. 8. moderatus fuerit legem Greg. Noni tribuentem exemptionem Regularibus. Non enim contraria sunt Regulares esse priuilegiatos, & non debere nec posse grauari ab Ordinarijs, quod disposuit Greg. Nonus in *cap. Nimis, & cap. Nimis praua*, de excessibus Praelatorū, & Regulares teneri exhibere sua priuilegia, eaque ostendere Episcopis, vt non grauentur ab eis, quod disposuit Bonif. 8. *in cap. cum personae*. Quod etiam erat de iure antiquissimo, & praecedente *Constit.* Greg. Noni: Et quod non obstante dicto *cap. cum personae*, non est necessarium vbi priuilegia sunt notoria, quia lex superflua, & inutilia non praecipit, ratio autem ob quam lex *vult* priuilegia exhiberi est, vt priuilegia Ordinario innotescant, ipsique sciant, se carere iurisdictione, vbi verò est notorium eos ea carere iurisdictione ex vi nouae legis, vel priuilegij, superflua, & inutilis est priuilegij exhibitio. Et ideò vbi priuilegium est notorium locum non habet lex *d. cap. cum personae*.

709. Limitatur vlterius assertio illa in pluribus alijs casibus, nimirum si priuilegia alias corā ipso iudice fuerunt exhibita, & admissa, vel per sententiam iudicis competentis, quae transit iudicatum fuerunt canonizata, aut executa. Ita sensit idem Barbaltren. *d. num.* 43. qui licet loquatur sub dubio, & fortasse, tamen *num.* 46. *fin.* admittit huiusmodi priuilegia non esse exhibenda, quia ex ratione ibi adducta non concludit nisi quod saltem exhibenda sunt priuilegia, quae praefatas conditiones non habent. Verum quamuis veritas sit, quod nedum in praedictis casibus, sed in omni eo casu in quo priuilegia nota sunt Ordinario, nō est necessitas exhibendi illa, quia qui certus est, nec indiget, nec debet amplius certiorari, *cap. cum qui certus* 31. *de regulis iuris in 6.* Sanchez *l. 6. consil. cap. 9. dub. 4. & 5.* Nihilominus, vbi priuilegium non sit in se notorium, nisi sit notorium saltem, quod Episcopus petens sibi exhiberi priuilegium eius habeat notitiam, & nisi saltem allegetur priuilegium, Episcopus procedet titulo contumaciae, & exempti erit tandem iura sua deducere. Vnde extra casum notorij exemptus debet saltem allegare priuilegium, & infra dicitur. Sed tamen illud non tenetur ostendere vbi illud sit notorium, vel etiam fuit alias exhibitum, vel per sententiam, quae transijt in iudicatum fuit canonizatam, vel quomodocumque constat Episcopo dari priuilegium.

710. Hinc resoluitur quaestio, an Regulares requisiti ab Ordinarijs teneantur exhibere priuilegia quibus vti volunt, integraliter, & seruata forma cap. *cum personae, de priuil. in 6.* Sanchez *d. l. 6. consil. cap. 9. dub. 4. num. 1.* iuxta distinctionem datam respondet, quod Regulares exhibere non tenentur priuilegia notoria, secus verò ea quae non sunt notoria. Sed *dub.* 5. indistinctè consulit, ne Regulares sua priuilegia exhibeāt Ordinarijs, quia hoc est constituere Ordinariū iudicem suae exemptionis, & in dubium vertere an iurisdictio ad Ordinarium pertineat, quia hoc est, quod ipse intendit. Et hanc Sanchez sententiam approbat, Cespedes *dub.* 271. *num.* 12. sed eam multis impugnat Barbaltren. in Pastorali *lib. 2. q. 3. num. 30. & sequent.*

sequent. Dicendum verò esr Regulares subdi Decretali cum personæ, *de privil. in 6.* sicue alij exempti, & teneri vbi fuerint requisiti exhibere Ordinarijs sua priuilegia, sicut allj exempti tenentur. Et hoc est indubitatum ex *Constit.* Innoc. X. in causa Angelopolitanæ, per quam confirmauit multas declarationes S. Congreg. Concilij. Cum enim ex parte Episcopi Angelopolit. plura dubia fuissent proposita, & eis S. Cong. respondisset, inter alia decimum quartum fuit tenoris sequentis. *Decimo quarto. An privilegia, quæ sunt contra iurisdictionem Ordinarij, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares prædicti, debeant Episcopis notificari, sive insinuari? Respondit teneri huiusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis vti voluerint.*

711. Quamobrem nisi in casu notorij, vel in alijs casibus in quibus priuilegia regularium sunt iam manifesta, & canonizata, & nota, tenentur Regulares, si volunt vti priuilegijs, ea Ordinarijs exhibere. Vnde in hoc distingui debet generale priuilegium exemptionis contra iurisdictionem ordinariam Episcoporum à priuilegijs concedentibus aliquid magis speciale, vel per quos Regulares prætendant se exemptos etiam à iurisdictione delegata à Sede Apostolica Episcopis concessa super ipsis Regularibus. Quia istæ priuilegia magis specialia, quæ nec sunt in corpore iuris, nec sunt manifesta, sed dubia, & controuersa, vel merito super illis dubitari potest, debent Ordinarijs integraliter exhiberi, si Ordinarij id requirant. Sed priuilegium generale per quod Regulares sunt exempti à iurisdictione ordinaria Prælatorum ordinariorum, cum sit expressum in corpore iuris, & tam facto, quam iure notorium, & manifestum non est exhibendum. Sic enim & Sixtus 4. vt habetur in Mari Magno Prædicatorum §. 44. apud Lezanam §. 46. declarat nullas omnes sententias ab Ordinarijs latas in dictos Fratres, etiam *exemptione, vtpote notoria, non aliter allegata*. Et idem habetur in Mari Magno Minorum §. 44. Et Eremitarum S. Aug. §. 42. Debet verò in præfata clausula attendi quod Pontifex ideò vult sententias esse nullas quia exemptio est notoria, ex hoc manifestè comprobans sententiam communem, quod scilicet non sit necesse exhibere priuilegium notorium, & quod propterea Regulares generale exemptionis priuilegium non teneantur ostendere, sicut nec alia quædam, quæ facto, vel iure sunt notoria, vel iam ante eundem Episcopum, iustificata, aut alias per legitimum iudicem, & præcipuè per Sacram aliquam Congregationem, vt Sacram Rotam canonizata, ant executa.

712. In secundo autem casu, quando exemptus se fundat in solo titulo præscriptionis, in dicto *cap. Cum persona*, decernitur, vt qui præscriptionem apponit, & in ea se fundat eisdem Ordinarijs, vel delegatis ab eo viris prudentibus non suspectis, de præscriptione huiusmodi fidem facere debeat.

713. In tertio autem casu, vbi exemptus fundat intentionem suam in priuilegio, & præscriptione, sufficit quod horum alterum probet. Sed prius probandum est priuilegium per illius exhibitionem, quia hoc facto, si priuilegium subsistit, lis erit finita, sed si priuilegium non sit probatum sufficienter, sed tamen tale quale est, sufficit vt det titulum præscribendi coram Ordinario, vel delegatis prædictis tenebitur probare 40. annorum præscriptionem. Et sic semper est verum, quod exemptus probare debet suam exemptionem, si ea vti velit.

SVMMARIVM.

1 *Varia opiniones circa quæstionem. num. 714. 715. 716.*
2 *Solius Papa est sua interpretari privilegia. num. 717.*
3 *Nec arbiter potest interpretari privilegium Papa. num. 718.*
4 *Quando inferior in aliquo casu interpretetur privilegium Principis. num. 719.*
5 *Iudex in causa propria non potest interpretari privilegium. num. 720.*
6 *Episcopus est iudex in causa Ecclesia sua. num. 720.*
7 *Et Imperator in causa Fisci. num. 720.*
8 *Melius est vt Episcopus causam Ecclesia sua expediat per delegatos. num. 721.*
9 *Episcopus potest allegari suspectus in causa sua Ecclesia. num. 721.*
10 *Iudex ex causa facili recusatur. num. 722.*
11 *Lis de privilegio exemptionis est causa Ecclesia ex parte tam Episcopi quam Regularis. num. 722.*
12 *Episcopi privilegia Regularium nec clara, nec dubia possunt interpretari. num. 723.*
13 *Privilegium Clem. 4. pro Ord. Præd. num. 723.*
14 *Decretum Innocentij 10. num. 724.*
15 *Prælati Regulares in lite cum Episcopis non possunt interpretari privilegia. num. 725.*
16 *Prælati regulares solum doctrinaliter possunt interpretari privilegia. 726.*
17 *Generalis Ord. Prædicatorum interpretatur iudicialiter dubia privilegia in causis suorum subditorum. num. 727.*
18 *Privilegium Alex. 6. pro Cassinen. num. 728.*
19 *Non facit ad rem nostram. num. 728.*
20 *Interpretatio privilegij exemptionis non remittenda ad arbitros. num. 729.*
21 *Pendente lite conceditur exemptio à iurisdictione Episcopi subdito colliganti. num. 729.*

714. Quæritur sextò. Ad quem in casu dubio pertineat interpretari priuilegium Pontificis. Est verò prima opinio, quæ ait hoc pertinere ad Episcopum, pro qua tamen nullum refert Francus in Pastorali *lib. 2. p. 4.* licet pro illa argumentetur primo, quia si hoc non pertineret ad Episcopum hoc ideò esset, quia non potest esse iudex in propria causa, sed hoc non obstat, quia non hic inuenitur aliquod immediatum interesse Episcopi, sicut requiritur ad hoc vt Episcopus ab huiusmodi cognitione repelli debeat, sed ipse hic habet interesse solum in consequentiam. Quamuis verò interesse per consequentiam sit considerabile, tamen non sufficit, ad hoc vt index alias de iure talis eijciatur sicuti est Episcopus ex congestis à Salgado *de retent. Bull. p. 1. cap. 16. num. 8.* Sic enim legatarius, & tutor possunt esse testes testamen-

mentarij, licet in eo habeant interesse. *l. qui testamento*, vbi Gloss. *in v. habetur. ff. de testam. l. Dictantibus. §. legatarijs. C. eod. tit. & eod. tit. instit.* Mascard. *de probat. l. 2. conc. 970. & l. 3. tract. 1357. num. 6.* quia vbi interesse venit solum in consequentiam non est in consideratione, vt per Glossa *in cap. 2. v. detrimentum, de pactis in 6.* Secundò nam in hoc Episcopo potius prouenit onus, quam commodum, quia maximum onus fert secum iudicaturæ exercitium, vt considerauit Glossa *in cap. Si contra vnum, vers. probari, ff. de numer. & honor.* Et ideò ibi Glossa marginalis habet, *quod in dubio, Iudex non præsumitur se pronunciaturum iudicem, dum verè iudex, &c.* Cum igitur Ordinarius fit verè iudex, non præsumitur se pronunciaturum iudicem, si verè constet de priuilegio exemptionis, vel si verè non videat omnibus pensatis ad se pertinere iudicium. Et ideò hanc partem sustinet Barbosa *ad d. cap. Cum persana num. 7. & 8.* allegans Bart. *in l. 2. ff. si quis ius.* & ibi Iason. *num. 6.* Gam. Lusit. *decis. 340. num. 3.* Cabedo *lusit. dec. 41. num. 1. p. 1.* Surd. *cons. 286. num. 3*, sed oppositum, quod scilicet huiusmodi interpretatio non pertineat in dubio ad Episcopum tenent Sanchez *lib. 6. consil. cap. 9. dub. 1. num. 34.* ex Henriq. *lib. 7. cap. 25. num. 6.* Rodriquez *tom. 1. disp. 56. a. 12. concl. 6. & tom. 2. q. 63. a. 7. §. 1* Cespedes *dub. 382.* Tamburin. *tom. 1. disp. 16. q. 6.* Lezana *v. exemptio num. 14.* Garzias *in Polit. tr. 8. diff. 3. dub. 4. p. 2. num. 7. 10.* de Cruce *l. 2. cap. 2. dub. 2. conf. 1.*

715. Est secunda sententia quod in dubio Generales Ordinum possint ad serenitatem conscientiæ subditorum interpretari priuilegia Apostolica ex priuilegio Ordini Prædicatorum concesso a Iulio 2. Et quidem interpretatione nedum doctrinali, sed iudiciali, & auctoritatiua. Ita Peyr. *ad constit. 13, Iulij 2.* Cespedes *dub. 382.* Donatus *p. 1. tract. 8. q. 7. num 8.* Tambur. *tom. 1. disp. 16. q. 6. nu. 8.* Imò quod hoc possint Prælati omnes, & ita vt extendatur etiam ad Superiores locales particulorum Conuentuum, qui sunt Vicarij locorum, arbitratur Donatus loco citato *num. 10.* quamuis *num. 7.* dixerit hanc interpretationem fieri debere de consilio peritorum discretè, & in profectum animarū. Verum Prælatos regulares non posse interpretari iudicialiter priuilegia dubia existimat Frances in Pastor. *p. 2. q. 4. num. 30.*

716. Est tertia sententia eiusdem Frances *nu. 35.* vt si non detur facilis recursus ad Summum Pontificem interim causa decidatur per arbitros non quia arbitri absolutè causam diffiniant, sed vt ex eorum definitione retardetur executio, & differatur, siue aliqua retardetur non iuridica declaratio per ipsos inferiores facienda, quæ ansam præberet scandalis. Et facta declaratione per tales arbitros erit causa in suspenso donec Princeps consulatur, & decidat, & interim pars in cuius fauorem arbitri declarauerint vti poterit sententia per arbitros pronunciata. Hoc idem indicauit Cochier. *tom. 1. p. 2. q. 13.* & probatur tum primo ex priuilegio concesso Societati Iesu, in quo conceditur, quod dubia insurgentia circa priuilegia eius tollantur per interpretationem iudicis patronorum, aut iudicum. Tum secundò, quia licet de iure nullus possit cogi ad faciendum compromissum in aliquem taliter quod si a iudice, ad id com-

pellatur non valeat, nec sit alicuius effectus, vt docet Iason. *l. quidam. num. 4. ff. si certum petatur.* Tamen hoc fallit, quando est timor futuri scandali vt cum Paulo de Castro affirmat Alexand. *d. l. Quidam*, & Iason *d. num. 4.* Fallit etiam quando partes diu litigassent, vt habetur ex *can. Placuit 90. distinct.* Sic ergo, & in casu nostro pro bono publico, & ad vitanda scandala, & lites optimum erit consilium, vt pro interim per arbitros decernatur quid agendum, salua semper Principis auctoritate, cui nulla sit iniuria, cum ei reseruetur priuilegij declaratio, & solum ob publicam vtilitatem remittitur arbitris an pro interim sit priuilegij executio suspendenda, vel non suspendenda, vel quid agendum auditis rationibus partium.

717. Quarta sententia, & quidem vera vult, quod solius Papæ sit in dubijs eius priuilegia interpretari iudicialiter. Hoc enim habetur determinatum *in cap. Cum venissent*, de iudicijs ibi. *Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa versatur, volumus de ipsis per alios iudicari.* Et ideò quod solius Summi Pontificis sit dubia eius priuilegia interpretari, ex *d. cap. docent* Hostien. ibi *num. 6.* Io. Andr. *num. 5.* Boich. *col. 2.* Bellam. *num. 1.* Barbosa *num. 2.* & apud eum plures alij. Fagnan. *ad cap. cum tempore, de Arbitris, num. 9.* & Card. Manrica *de tacitis, & ambig. conuent. l. 2. tit. 1. n. 55.* Cochiee. *de iurisdict. Ord. in exempt. lib. 2. q. 13.* Sanch. *l. 6. consil. cap. 9. dub. 1. cap. 33.* Tambur. *tom. 1. disp. 15. q. 6. num 2. & 16. q. 6. num. 1.* quia eius est interpretari actum, cuius est condere, seu actum facere. Surd. *dec. 2. num. 5.* Dec. *cons. 36. n. 8.* Menoch. *cons. 3. num. 12. & cons 684. num. 23.* Mascard. *de gener. statut. interprat. consil. 2. n. 146.*

718. Quamuis verò Panormit. *ad d. cap. Cum tempore, n. 3.* limitet hoc assertum, vt verum sit in iudice, cuius iudicium redditur in inuitum. *l. inter stipulantem. §. si stichum. ff. de verb. oblig.* non tamē verificetur in Arbitro, vbi priuilegium est concessum tantum ad fauorem priuilegiati; quia tunc priuilegiatus, & altera pars possunt se subijcere arbitrio alicuius, sicut possent priuilegio renunciare. Tamen non admittitur limitatio, quia arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum. *l. 1. ff. eod. l. rem non nouam. §. 1. C. de iud.* Dyon. *cons. 50. in princ.* Innoc *cap. quinta vallis n. 4.* & ibi DD. *de iure iurand.* Ideò sicut iudex, sic nec Arbiter potest de priuilegio Papæ cognoscere. Nam qui non potest esse iudex, nec potest esse Arbiter *l. Cum lege. ff. eod.* & ita arguit Oldrad. *cons. 156. in princ.* Anchar. *cōs. 34. num. 6.* & quod non potest Iudex, nec potest Arbiter, vt notat Bald. *cons. 470. lib. 1.* Et compromissum post factum est necessitas. *l. 3. ff. de arb.* Et arbitrium redditur in inuitum. *l. diem. §. stari. ff. de arbit.* Nec refert, quod partes possunt se subijcere arbitrio alterius in tangentibus eorum præiudicium, quia nihilominus compromissarius non potest laudare super Priuilegio Papæ, qui solus est iudex exemptorum. *cap. authoritate. §. inhibemus, de priuil. in 6* Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Cum tempore*, de Arbitris. Arbiter enim non potest arbitrari super priuilegio nisi iudicando, vel de potestate, vel de voluntate Pontificis, & alias si arbitratur, cogit ad suum arbitrium sequendum, & sic est iudex priuilegij Papæ, & interim priuilegiatus si contra eum est laudum, illud acceptat, non quia renunciet

ri suo, sed quia ab arbitro cogitur, & necessitatur.

719. Alio modo limitatur communis assertio ab alijs, qui distinguunt, quia vel dubium est de intentione Papæ cócedentis priuilegium, & in hoc sensu vera est, & procedit regula, quod eius est interpretari priuilegium cujus est condere. Gloss. *in d.cap. Cum venissent v. Iudicari*, & ibi. Innoc. & Panorm. Oldrad. *consil.* 130. Syluest. *v. interpretari qu. 2.* Tambur. *d.disp. 16. q. 6. num. 2.* Vel est dubium de potestate Papæ concedentis, & sic solus Papa concedens potest hoc dubium resoluere Innoc. *in cap. ex parte il prima de verb. signific. cap. 1. de translat. Prælat.* Nam hoc esset iudicare de priuilegijs, & potestate concessa ipsi Papæ, & Sedi Apostolicæ, quod non licet. *can. 1. 16. q. 1. can. si quis suadente 17. q. 4. can. cuncta per mundum. 9. q. 3.* Vel est dubium de significatione terminorum. Et tunc si verba sunt claræ significationis, tunc inferior potest incidenter cognoscere de sensu priuilegij, & illud interpretari etiam in præiudicium partium. Quia inferior interpretatur legem superioris in præiudicium partium. Innoc. *in cap. Cum speciali, de appellat.* Panorm. *in d.cap. Cum venissent. num 3.* & facit *cap. inter alia, de sent. excom.* Syluest. & Tambur. vbi supra. Sed vbi verba claré significant, casus non est dubius, sed manifestus. Vbi ergo ambigua sit, & dubia significatio verborum priuilegij, tunc Papæ est priuilegium interpretari, si de facili potest adiri. *arg. d. cap. Cum venissent, & d. cap. inter alia, & l. ex facto. §. 1. ff. de vulg. & pupil. substit.* quod si de facili nô potest adiri propter magnam distantiam poterit ab inferiori priuilegium interpretari incidenter per rationem naturalem, & verisimilem, quæ probari possit per expressa verba priuilegij. Pro quo est casus *in d.l. ex facto. §. 2.* vbi Iurisconsultus interpretatur legem ex ratione naturali, vt notat Anchar. *in Clem. 2. de Mag.* & facit quod habet Innoc. *in d.cap. Cum speciali*, Panorm. *in d.cap. Cum accessissent. n. 3.* Syluest. *d.q. 2.* Cochier. *p. 2. cap. 13. n. 3.* Mirand. *to. 2. q. 44. a. 1. concl. vlt.* Tamb. *d.q. 6. n. 6.* Sed si dubium sit de valore priuilegij, & eo quod dubitetur an sit subrepititium, in hoc casu inferior potest de valore priuilegij iudicare. Bald. *in prælud. feud. n. 18.* Panorm. *d.cap. Cum accessissent. n. 3.* Syluest. *d.q. 2.* qui testatur de communi; quia tunc magis tractatur de priuilegiato, quam de priuilegio. Ita etiam Cochier. *d.cap. 13. num. 2.* Mirand. *d.q. 44. a. 1. concl. 2.* Tamb. *d.q. 6. n. 4.* Et sic in duplici casu potest iudex inferior in dubio interpretari priuilegium incidenter, nimirum si dubiū est de significatione verborum, & Papa non potest adiri de facili, ob magnam distantiam. Secundus est, si dubium sit de subreptione. Interpretatione tamen iudiciali, quæ valeat pro toto mundo solus Papa sua priuilegia interpretatur. Panorm. *d.cap. Cum venissent. n. 3.*

720. Et nihilominus quod neque in his casibus iudex interpretari possit priuilegium in causa propria ex *l. vn. C. Ne quis in re sua ius sib. dic. & can. 1. & 3. 4. q. 4.* tradit Tambur. *d. q. 6. n. 4.* Sed hic aduertendum est, quod Episcopus potest iudicare in causa Ecclesiæ suæ, vt per Innoc. *cap. Causam, de elect. n. 10.* & ibi Hostien. *num. 7.* Io. Andr. *n. 9.* & tenet Gloss. *in cap. si quis erga, v. priuetur. 2. q. 7.* Gloss. *1. in cap. Cum venissent*, & ibi DD. de iudicijs. Item Gloss. *in cap. Cum personæ. §. si autem. v. Ordinarijs, de priuil. in 6.* Gemin. *in cap. Prima, in principio, de pœnis in 6.* Capyc. *dec. 137. num. 1.* Oldrad. *cons. 159.* Causa enim Ecclesiæ non censetur esse causa Episcopi, vt priuata persona est, nisi per quandam consequentiam, sed est causa Episcopi, vt procuratoris Ecclesiæ. *cap. si priuatum, 12. q. 1.* sic enim Imperator est iudex in causa Fiscali *l. proximé. ff. De his, quæ in testam. delen.* & tamen res fisci quasi propriè Imperatoris dicuntur. *l. 2. §. Huc interdictum. ff. Ne quid in loco publ. & causa Eccles. non est Episcopi. cap. 2. de donat.*

721. Sed nihilominus secundò considerandū est, quod licet Episcopus causas Ecclesiæ suæ possit cognoscere, adhuc tamen ad omnem suspicionem tollendam melius est, vt id expediat per delegatos, vt aduertit Reuerendiss. Fagnan. *d.cap. causam, de elect. n. 11.* & innuit textus *in c. Cum personæ. §. si autem*, ibi. *vel delegatis ab eis viris prudentibus, de priuileg. in 6. & cap. si quis de fer. eumpet. & l. Prætor. ff. de iurisd. omn. iud.* & notat Glossa *in d. §. si autem, v. Ordinarijs*, & Gloss. *1. in d.cap. Cum venissent, de iud.* Quin imò si Episcopus velit per se ipsum cognoscere causam Ecclesiæ suæ vel spectantem ad suam dignitatem, quia hæc causa tangit personam suam per consequentiam, quod possit recusari tanquam suspectus ex Cyno post. Petrum de Bellapert. *in l. vn. C. Ne quis in sua causa.* aduertit idem Fagnan. *num. 12.* nam, & in *cap. Insinuante de off. Deleg.* recusatur consanguineus Prælati in causa Ecclesiæ suæ, vnde multo magis recusari potest Prælatus ipse. Et valde hoc esse æquum vt per Delegatos huiusmodi causæ finiantur ad vitandam omnem suspicionem dixit Panorm. *ad d.cap. Cum venissent. n. 9. de iud. ex cap. quod suspecti. 3. q. 5. & l. Apertissimi, 4. l. Cum specialis. C. de iudic.* Nam videmus iudicem ex facili causa recusari, vt notatur *in cap. cum R. Canonicus, de off. Deleg.*

722. Considerandum verò est tertiò, quod vbi sit lis circa valorem priuilegij exemptionis, inter Ordinarium, & Regulares, causa directè, & principaliter est Ecclesiæ, & solum in consequentiam est personæ. Ex parte Ordinarij est principaliter Ecclesiæ. Barbastren. *in P. flor. p. 2. q. 3. nu. 7. & q. 4. n. 26.* Et ratio est quia iurisdictio competit dignitati, & officio, & est illi data intuitu communis boni, nec est priuatum personæ bonum, sed potestas officij. Vnde si lis sit an Episcopi sit iurisdictio aliqua, de hoc potest Episcopus cognoscere, *cap. super literis, de rescript. l. si quis ex aliena. ff. de iudic.* Sed immeritò idem Barbastren. *d. n. 26.* vult quod vbi Prælati Regulares, vel Regulares ipsi litem habent cum Episcopis super exemptione hoc sit immediatum illorum interesse, & proximum, & non per consequentiam; quia priuilegiū exemptionis super quo lis est, non est priuatum bonum Religiosorum, sed est bonum Ecclesiæ Regularis, cuius fauore illud priuilegium fuit concessum, ideo ex vtraque parte lis est de bono Ecclesiæ, sicut si duo Episcopi de iurisdictione contenderent. Ideo quantum sic ex hac parte tam Ordinarius, quam Prælatus Regularis posset in dubio interpretari priuilegium exemptionis in ijs casibus in quibus inferioribus licita est hæc interpretatio, nisi aliud obstaret.

723. Nihilominus dicitur quod Episcopi, seu

Ordi-

Ordinarij neque incidenter possunt in dubio interpretari priuilegia dubia Regularium, etiam vbi dubium veniat ex verborum ambiguitate, & etiam si non sit facilis ad Papam recursus. Hoc habetur primo ex priuilegio à Clemente Quarto concesso Ordini Prædicatorum, in *const. Ordinis vestri*, data 5. Iulij anno 1268. eius Pontificis 4. quæ in *Bullar. Rom. est* 12. *& est seq. tenoris. Ordinis vestri*, &c. *Sanè, transmissa nobis conquestione monstrastis, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, vestris libertatibus derogantes, Indulgentias, seu Priuilegia vobis Apostolica Sede concessa interpretari, & ad suum intellectum trahere moliuntur (quamquam intellectum ipsum verba Indulgentiarum, & Priuilegiorum huiusmodi exprimere videantur) ac vos iuxta ipsorum interpretationem Priuilegia ipsa seruare compellunt, in vestrum non modicum præiudicium, & grauamen. Quia verò super hoc Apostolicæ prouisionis remedium implorastis: nos vestris supplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati alij prædicta Priuilegia, & Indulgentias, siue clara, quæ interpretatione non indigent, siue dubia contineant, de cætero interpretari præsumant auctoritate præsentium districtius inhibemus, volentes, vt cum eius sit interpretari, cuius est condere, interpretatio super huiusmodi dubijs, & obscuris, dictæ Sedis iudicio requiratur. Nulli ergo hominum liceat*, &c. Constat enim ex huius tenore constitut. quod Pontifex loquitur de interpretatione verborum, & de intelligentia significationis illorum, vt patet ibi, *quamquam intellectum ipsum verba indulgentiarum*, &c. Vnde interdicit ne Ordinarij hæc priuilegia interpretentur, siue clara, siue dubia contineant.

724. Secundò idem probatur ex *constit.* Innoc. X. in causa Angelopolitana, quæ incipit, *cum sicut accepimus*, & fuit data 16. Maij 1648. & in qua dubium quarto loco positum pro parte Episcopi Angelopol. fuit sequentis tenoris. *Quarto an in casu, quo Regulares quicumque etiam Societatis Iesu, exhibeant aliqua priuilegia, & Ordinarij indicent, ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, & debeant prouocari ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, siue Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere conseruatores?* Sacra Congregatio Concilij. *Respondit, si verba priuilegiorum sint obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec conseruatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.* Vnde ex hac S. Congr. declaratione per Innoc. X. approbata manifestum est, quod vbi sit lis inter Ordinarios, & Regulares super intellectu priuilegiorum, orto dubio ex verborum obscuritate, & ambiguitate, non potest Episcopus huiusmodi verba etiam incidenter determinare, & priuilegia ipsa interpretari.

725. Sed neque hoc competit Prælatis Regularibus, vt in lite cum Episcopo possint iudicialiter interpretari priuilegia. Nam hoc neque illis competit de iure communi, quia non habent iurisdictionem in Episcopos, vt possint super litibus cum eis habitis iudicialiter decernere, & sic incidenter in eorum præiudicium iudicialiter priuilegia interpretari, & sic iudicialiter eos compellere, vt priuilegia dubia intelligant in sensu ab ipsis Regularibus Prælatis declarato. Sed neque hoc habetur ex priuilegio. Neque enim priuilegium à Iulio Secundo concessum Magistro Ordinis Prædicatorum intelligi potest, vt voluit Tambur. *d. q. 6. n. 8.* de interpretatione iudiciali cum non subdito. Priuilegium enim illud, quod per extensum refert Peyrin. *const.* 15. Iulij 2. & habetur in authentico *Bull. Ord. Prædicat. fol.* 172 est tenoris, qui sequitur. *Itaq; volumus, & tibi concedimus, quæ si in constitutionibus Ordinis Prædicatorum aut circa priuilegia, indulta, gratiasq; & exemptiones, ab ipsa Sancta Sede illis concessa aut concedenda, concessasue aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & eiusdem sedis authoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit. Tu illam (quoad serenitatem illarũ conscientiarũ quæ tibi subiectæ sunt dumtaxat) possis authoritate apostolica declarare. Insuper vt ipsius ordinis præsidentes vultũ pecoris sui agnoscere queant, &c.*

726. At verò hoc priuilegium, quia datum ad serenitatem conscientiarum, putat Barbosa *d. q. 6. n. 30.* quod intelligatur de sola interpretatione doctrinali. Nam forum iudiciale externum, respicit iudicium contentiosum, quod non est nisi inter actorem, & vnde tria requirit actorem scilicet reum, & iudicem. *cap. Forus. § in omni quoq; negotio, de verb. signific.* At verò Iulius II. non concessit Magistro Ordinis Prædicatorum vt interpretaretur priuilegia tanquam iudex inter actorem, & reum litigantes, sed vt subditorum conscientias tranquillaret, & assecuraret. Et ratio huius fuit. Tum quia non est ab omnibus concessum, quod inferiores possint doctrinaliter interpretari priuilegia Pontificum. Tum quia etiam dato quod hæc interpretatio doctrinalis sit permissa, adhuc in dubio interpretatio hæc non inducit nisi probabilitatem, & sic non tollit dubietatem, & formidinem, concessit verò Pontifex, vt subditi possent secura conscientia sequi interpretationem Magistri Ordinis Prædicatorum.

727. Sed hoc non obstante dicendum est Pontificem concessisse interpretationem iudicialem, sed solum respectu subditorum. Tum primò, quia cum etiam in foro conscientiæ adsit iudex, & in hoc foro iudicium non fit inter actorem, & reum, sed idem sit, & actor, & reus, Pontifex concedit interpretationem non merè doctrinalem, sed iudicialem in foro conscientiæ. Et nihilominus hæc ex consequenti non potest non esse iudicialis in foro externo respectu subditorum. Tum quia à nullo iudice potest subditus vel impediri ne operetur secundum interpretationem sibi datam à Magistro Ordinis, nec potest si ita operetur puniri, nec aliquis habet ius, contra talem sic operantem, & vbi duo subditi huius Generalis litem habeant super aliquo concernente priuilegium interpretatio data à Generali pro tranquillitate conscientiæ valebit etiam in foro externo, quod quantum ad rectam rationem cohæret cum foro interno. Et quia conscientiarum serenitas petit vt etiã externi fori dirimantur lites. Et non potest negari quin hæc interpretatio sit actus iurisdictionis in Generali, & quod non possit præcipere subdito, vt secundum illam operetur, cum hæc facultas data sit habenti iurisdictionem, vt præcipiat quid-

quod

quid est secundum regulam. Et iam sit secundum regulam id, quod auctoritate Pontificia Generalis interpretatus fuit. Ideò vbi duo sol subditi litigent, vt v.g. subditus cum superiore locali super aliquo concernente aliquod priuilegium potest Generalis si id dictet æquitas, & ratio, benè pensato priuilegio, interpretari priuilegium ad fauorem subditi, & præcipere Prælato locali vt permittat subditum operari iuxta priuilegium à se interpretatum. Est ergo concessa Generali Ordinis Prædicatorum, & per communicationem aliorum Ordinum Generalibus interpretatio priuilegiorum iudicialis incidenter, sed dumtaxat cum eorum subditis, non verò vbi lis sit cum alienis. Et cum suis subditis vbi priuilegia sint dubia, & ambigua; Nam vbi sunt clara non est locus interpretationi, nec posset Generalis præcipere subdito, vt contra clarum priuilegium operaretur, vel vteretur eo in casu ad quem clarum est priuilegiũ non extendi. Rodr. tom. 1. q. 11. a. 5. Peyr. *ad constitut.* 13. Inl. 2. *num.* 2. Tambur. d. *quæst.* 6. *num.* 9.

728. Priuilegium verò concessum sub Alex. 6. Congregat. Cassinen. datum fuit ab Alex. 6. *in constit.* quæ incipit, *Inter cæteros*, data Calend. April. anno eius Pontificatus Nono, & habetur in Bullar. Cassinen. *sub n.* 110. *in* §. 20. & hæc continet. *Declarantes etiam motu, scientia, auctoritate, & potestate prædictis, ac volentes, quidquid dubij in dictis priuilegijs, seu aliquo eorum pro tempore emerserit, data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in fauorem dictæ Congregationis, & locarum particularium eius interpretari debere.* Non est verò vt puto aliud priuilegium, quod dicitur concessum Societati; quia in priuilegiorum eius compendio *v. priuilegium.* §. 2. refertur huiusmodi priuilegium vt concessum ab Alex. 6. Congregationi Beocd. ... orum Vallisoleti Calendis Aprilis anno 1501. Pontificatus sui anno 8. & habetur in manuscriptis *fol.* 39. *pag.* 2. Sed per hoc priuilegium nulla conceditur facultas Prælatis regularibus interpretandi priuilegia Papalia, sed solũ quod in dubia verborum ambiguitate, & iurisperitorum varia interpretatione præualeat illa, quæ illi Congregationi fauet, & sic si loquimur de interpretatione doctrinali, & pro foro conscientiæ, potest hæc interpretatio sumi à quocumque, quia Pontifex ad nullum limitat hanc facultatem. Sed si loquamur de iudiciali, ex natura rei hæc facultas est limitata ad eum, qui alias sit competens iudex, neque enim Pontifex constituit iudices, qui non sunt, sed benè vult iudices in hoc casu accipere ex pluribus iurisperitorum interpretationibus eam, quæ est fauorabilis illi Congregationi, & secundum illam iudicare. Verum in proposito nostro, cum in lite orta super priuilegijs Pontificijs inter Episcopos, & Regulares, nec Episcopi, nec Prælati Regulares sint iudices competentes, sed sit recurrendum ad Papam, illud priuilegium ad rem non facit. Et sic vniuersaliter verum est, quod solius Papæ sit, vel Delegatorum ab eo in dubio interpretari iudicialiter etiam incidenter priuilegia dum est lis inter Ordinarios, & exemptos; prout dixerunt Sanchez *l.* 7. *Consil. cap.* 9. *n.* 34. Cochier. *p.* 2. *cap.* 13. Barbastren. *in Pastor. p.* 2. *q.* 4. *n.* 19. & sic nec rationabiliter, nec consequenter ex Rodriq. & Bordon. Cespedes *d.* 182. dicit Episcopum posse de priuilegio dubio exigere, & quærere apud Prælatum Regularem illius Religionis, contra quam vult procedere, cum Prælati Regulares nullam facultatem habeant interpretandi priuilegia Papæ in causis, quæ concernunt non subditos eisdem Prælatis Regularibus.

729. Remedium verò recurrendi ad arbitros à Barbastren. excogitatum loco supra citato est inutile. Nedum quia vt probatum est, nec per Arbitros licet in dubio interpretari priuilegia Papalia: Sed quia cum compromittere sit quid voluntarium, ad compromittendum in Arbitros non tenentur Episcopi, & Regulares vel ex iustitia, vel ex lege aliqua positiua, quia hæc lex non adest. Potest verò esse quod ex lege naturali, vel diuina oriatur per accidens obligatio ad hunc compromissum ad vitandum peccata, & scandala. In quo casu si adesset iudex competens possent partes ab eo compelli ad compromittendũ, & adaptarentur doctrina, & exempla à Barbastren. adducta, sed cum nullus inferior Papa sit iudex competens Episcoporum, & Regularium, nullus quoque est, qui si nolint compromittere eos compellere possit. In occasione igitur huiusmodi litis sola conscientia partium est iudex pro interim, donec Papa consultus respondeat, & tenentur partes vitare peccata, & scandala, & interim relinquere res in statu suo, & nihil innouare, nec via facti vna pars potest alteram sua possessione priuare, & sic ex directione charitatis, & iustitiæ partes peccata, & scandala tenentur vitare. Sed & hic aduertendum est, quod habet Rota *decis.* 280. *p.* 5. *recent.* consulta enim Rota *per S. Congr. Episc. & Regular.* an pendente lite super exempt. Prioratus Bitaldion ab Ordinario Gerunden. Priori, qui erat Franciscus Auinius concedenda esset exemptio ab Epis. Gerunden. iurisdictione, interim donec lis terminaretur; DD. de Rota dixerunt, posse eam exemptionẽ concedi, cum lis esset grauis, & calumniosa visa non fuerit; cum enim sit de iure, vt pendente lite negotium deuoluatur ad iudicem, suspensa Superioris inferioris iurisdictione, super ea causa, de qua dubitatur, solet tam signatura, quam eadem S. Congr. vbi ipsam litem grauem, & non temere susceptam cognouerit, hanc exemptionem eadem lite durante concedere, vt per Cassad. *dec.* 6. *de Priuil. testantur* Lancell. *de attentatis p.* 2. *cap.* 4. *declar.* 4. *n.* 41. Gomez *ad reg.* 8. Cancell. *gloss.* 46. *n.* 18. Macchelan *de commiss. & auocationis causarum p.* 2. §. 1. *num.* 76. Paris. *de resig. l.* 3. *q.* 11. *num.* 7. Cum stante, quod lis sit grauis subditus probabiliter possit timere infestum Superiorem. Nec ad hoc requiri probationem malæ tractationis aut vehementis suspicionis futuræ sæuitiæ: sed satis esse vt de ea ex præsumptionibus dubitari possit. Sed sicut ex moribus asperioribus alicuius Superioris, aut prauo iurisdictionis vsu subducuntur subditi ab eius iurisdictione, *cap. olim, & cap. ex parte de accus.* Ita sola lis vita fuit sufficere, dum super re graui iustum timorem inferre potest.

SVMMARIVM.

1 *Vbi priuilegium sit notorium Regularis citatus non tenetur comparere coram Episcopo. num.* 730.

2 *Vbi Regularis ab Episcopo citatur nulla expressa causa citatio est notoriè nulla. num.* 731.

3 *Hoc idem dicitur si causa est notoriè nulla. num.* 731.

4 *Vbi citatio est notoriè nulla citatus non tenetur comparere. num.* 732.

5 Nec citatus est contumax; *& sententia contra eum lata est nulla. num.* 732.

6 *In eo casu* Regularis *potest recurrere ad Conseruatorem, & ad Papam. num.* 733.

7 Vbi *priuilegium non est notorium, vel sumus in casu cap. cum persona de priuil. in 6. Regularis citatus tenetur comparere, & respondere. num.* 734.

8 *Extra casum notorij tenetur Regularis respondere, sed non semper tenetur priuilegium exhibere. num.* 735.

9 Vbi *priuilegium exhibitum sit clarum, si Episcopus non cessat à molestia, notariè grauat, & potest haberi recursus ad Conseruatorem. num.* 736.

10 *Quid vbi priuilegium sit dubium. num.* 737.

730. QVæritur septimo. An Regularis contra priuilegium exemptionis citatus ab Episcopo teneatur comparere, & quomodo ab eius violentijs possit se defendere? In hac verò quæstione semper distingui debet id, quod Regulari conueniat pro suo interesse, & id ad quod dici possit teneri, vel non teneri. Nam primum per prudentiam, & ea eo quod pensatis circumstantijs sit sibi vtile, & vtilius est mensurandum, sed quantum ad secundum præsupposita distinctione priuilegij in priuilegium notoriũ, quod Regulares nec tenentur ostendere Episcopo, quia de iure præsumi debet illud esse Ordinario notũ, cum nec illi possit esse ignotum nisi ex ignorantia iuris, & in priuilegium non notorium. Hoc mihi primo videtur certum, quod vbi priuilegium exemptionis sit notorium, & quatenus est notorium siue in generali, siue in speciali casu, Regularis citatus nec tenetur comparere personaliter, nec per procuratorem, nec respondere; quia Ordinarius citans non habet iurisdictionem, & ideò citatio notoriè est nulla, & nihili facienda.

731. Secundò est certum talem esse omnem citationem per quam Ordinarius nulla expressa causa particulari citat Regularem, vt coram se compareat, vel respondeat. Cum enim constet, & sit notorium Regulares esse omnino exemptos à iurisdictione ordinaria Episcopi; eis verò subijci tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ in solis particularibus casibus, & in iure expressis; simul est notorium, quod si Ordinarius nullo expresso casu particulari, vel particulari causa citat Regularem, quod huiusmodi citatio est notoriè nulla, & Religioso Ordini iniuriosa, & nihili habenda. Citatio enim cum sit actus iurisdictionis, non potest ab Ordinario decerni contra Regularem exemptum. *cap. De illicita.* 24. *q.* 3. *cap. ex parte, de rescript. & tradit.* Vant. *de null. tit. de null. ex defectu citationis num.* 27. *&* 35. est enim citatio decretum interlocutorium, vt probatur *in l. Cum Clericis,* ibi, *sententiarum suarum auctoritate pulsantur,* atq; ibi tradit Gloss. & Bald. *C. de Epis. & Cler.* Fagnan. *cap. Non potest. num.* 10. *&* 11. *de re iudic.* sicut ergo notorium est, quod Ordinarius non habet simpliciter iurisdictionem in Regulares, sed solum vt Delegatus, & in casu particulari, simul est notorium, quod citatio simpliciter data nulla expressa causa in particulari est notoriè nulla, & nihili facienda. Tertiò dicitur hoc idem esse verum si in citatione exprimitur causa talis, in qua est euidens Ordinarium non habere iurisdictionem in Regularem citatum, quia simul est euidens nullam esse citationem.

732. Clara est autem in his tribus casibus veritas iuris, cum enim euidens, & notorium est citationem non tenere, citatus non tenetur comparere, nec etiam ad alegandum suum priuilegium *cap. si quis Episcopus,* & ibi Gloss. *in v. conuocari* 5. *q.* 3. Syluest. *v. citatio num.* 3. Et propterea vbi euidens, & notorium est citantem non habere iurisdictionem. quia euidens, & notorium est citationem esse nullam *cap. ex literis, de aff. de lig. cap. si duabus, de appellat.* Gloss. & Syluest. vbi supra, citatus non tenetur comparere, nec etiam ad allegandum suum priuilegium Panorm. *cap. Cum ordinem num.* 6. *de rescrip.* Syluest. *v. exemptio q.* 7. Barbosa *ad cap. præterea, de dilat. num.* 6. Et ideò quod Regularis citatus ab Episcopo in eo casu, in quo est notorium illum non habere suam iurisdictionem, non teneatur comparere etiam ad allegandum suum priuilegium docent Panorm. & Syluest. citati Tabien. *v. exemptis in princip.* & ibid. Armill. Rodriq *t.* 2. *q.* 63. *a.* 6. *num.* 2 Peyr. *ad const.* 2. Sixti 4. § 10. *num.* 15. *& tom.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. *not.* 4. Vantius *de null. tit. de null. ex defect. cit. num.* 28. Sanchez *lib.* 6. *concil. cap.* 9. *dub.* 3. *n.* 1. Cespedes *dub.* 271. *num.* 11. Donat. *p.* 2. *tract.* 13. *q.* 17. Nam & huiusmodi citatio est ipso iure nulla, Glossa *in d. cap. si Episcopus* 3. *q.* 2. Syl. *v. citatio num.* 3. Donat. *d. q.* 17. *num.* 2. quod maximè verum est in Tribunali Ecclesiastico stante *constit. Clem.* 8. 22. *Martij* 1593. apud Quarantam *v. nullitas,* in qua sic præcipitur Iudicibus, vt non attendant nullitates, quod tamen excipiuntur nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis, & mandati. Quamobrem in casibus præfatis, qui non comparet non dicitur contumax, vt tradunt benè Panorm. Syl. & alij citati, & si iudex citans procedat ad sententiam illa est nulla, etiam lata super contumacia, vt Syluester aduertit *v. exemptio q.* 7. quia semper est à non habente iurisdictionem.

733. Cum verò, vt idem Syluest. aduertit *v. citatio num.* 3. tutius sit respondere citationi, licet nulla sit necessitas exhibendi priuilegium, quod est notorium, ideo etiam certum est, quod potest exemptus in præfatis casibus appellare à notorio grauamine, quod sibi fert citatio, & potest haberi recursus ad Conseruatorem, & quidem immediatè, ita vt in hoc verificari possit practica Sanchez *l.* 6. *consil. cap.* 9. *dub.* 5, vt citatus respondeat

deat Ordinario se illum audire, vel se exemptum esse, & postea per Conseruatorem possit inhibere illi, ne ad vlteriora procedat, vel absque alia tespositione, immediatè recurrere ad Conseruatorem, & eo mediante, & respondere, & inhibere, quoniam Iudex genere potest vicem partium l. Si ob causam C. de cimit. Vel si non adest Conseruator, potest immediate recurrere ad Sedem Apostolicam, qui recursus suspendere posset iurisdictionem si adesset, & habet vim impediendi Ordinarium, ne ad vlteriora procedat. Nam vt dicebatur citatio est sententia interlocutoria, & quidem talis, quæ nisi citatus exemptus ab ea se defendat, habet vim vt inferat grauamen irreparabile, quia quantum fit ex se ipsa subijcit exemptum citanti, & cum sua libertate, & exemptione priuat, & cum simus in notorijs, grauamen est notorium. Ideò sumus in casu Constit. Greg. 15. de Conseruatoribus, vt Regularis exemptus pronotorio grauamine possit contra Ordinarium recurrere ad Conseruatorem suum, qui postea etiam potest Ordinario inhibere ne Regularem exemptum grauet. Et sic vbi non adest Conseruator, interponi potest protestatio in forma, & appellatio ad Pontificem sub Sedis Apostolicæ patrocinio se ponendo cap. si à iudice, cap. ad audientiam de appellat.

734. Sed si exemptio non sit notoria, sed sumus in casu, in quo iuxta cap. Cum persona, de priuil, in 6. Regularis teneatur exhibere priuilegium, illudque ostendere Ordinario, pariter est certum, quod exemptus citatus tenetur respondere citationi, & si vult vti priuilegio, manifestare se esse priuilegiatum, & si opus sit, & requiratur etiam integraliter ostendere priuilegium, & copiam illius tradere saltem, quantum ad articulos controuersos Panorm. Cap. cum Ordinem, de rescript. num. 6. Syluest. v. exemptio q. 7. Tabien. in princ. & num 1. Armill. ibid. Et in hoc non potest admitti practica Sanchez d. dub 5. nec potest exemptus ob hanc causam immediate recurrere ad Conseruatorem, & per illum respondere, & exhibere priuilegium insertum in eiusdem Conseruatoris inhibitione. Quia vt aduertit Barbastren. in Pastorali p.2.q.3, num.31. In hoc enim casu Ordinarius citando Regularem eum non grauat, Non quia Episcopus habeat fundatam intentionem procedendi contra omnes existentes in sua Diœcesi, vt argumentatur Barbastren, quia iam est notorium Ordinarium non habere iurisdictionem ordinariam in Regulares, vnde si Ordinarius citet Regularem exemptum nulla expressa causa citatio est ipso iure nulla, vt dictum est. Sed quia vbi non est notorium, quod Regularis in casu particulari pro quo citatur, sit exemptus, Episcopo competit ius citandi, & requirendi priuilegium, si citatus se prætendat exemptum. Igitur non grauat citando, & sic non datur causa recursus ad Conseruatorem, ad quem nec licet recurrere contra Ordinarium nisi pro manifesta iniuria. Et hoc est de mente DD. omnium, qui asserunt in huiusmodi casibus Regulares teneri exhibere Episcopo priuilegium, vt etiã Innoc. X. decreuit in Const. data in causa Argentopolitana.

735. Hic etiam puto aduertendum dari posse casum mediũ in quo Regularis nõ teneatur exhibere originaliter priuilegium, & tamen teneatur citatus comparere saltem ad allegandum. Nimirum si priuilegium non sit notorium, & tamen sit canonizatum per sententiam iudicis competentis, quæ transierit in iudicatum, & sit talis cui Episcopus teneatur fidem dare, vt si priuilegium sit canonizatum per aliquam Sacram Congregationem Cardinalium, vel per Rotam Romanam, vel per Auditorem cameræ, vel alium similem Iudicem. Quia enim non tenetur Episcopus scire sententias ab huiusmodi iudicibus latas, & ex consequenti scire priuilegium fuisse in his sententijs canonizatum, ideo iuste potest citare Regularem tanquam is, cui non constet de priuilegio, & sicuti potest iure suo Et regularis tenetur comparere, sed tunc non tenetur exhibere originaliter priuilegium, vt supra est probatum, sed sufficit si in forma probandi exhibeat sententiam in qua priuilegium fuit canonizatum. Similiter si priuilegium non est notorium, & tamen de facto est bene notum Episcopo, Regularis citatus tenebitur respondere, nisi omnino etiam sit notorium Episcopum scire priuilegium, sed tamen non tenebitur exhibere priuilegium, sed sufficiet allegare Episcopi scientiam, illamque si opus fuerit probare, quod omnino erit necessarium, vt non sit necessitas exibendi priuilegium, & tradendi copiam illius. Sic ergo extra casum notorij Regularis citatus tenetur respondere, licet non semper teneatur priuilegium originaliter exhibere.

736. Verum his stantibus casus subdistingui debet. Vel enim priuilegium exhibitum Ordinario continet in casu, & articulo controuerso claram, certam, & indubitatam exemptionem à iurisdictione Ordinarij, vel continet dubiam. Si continet certam, & claram, tenetur Ordinarius cessare à molestia, & prosecutione processus cap. Cum persona, de priuileg. in 6. Et quatenus id non faceret, tunc Regularis posset habere recursum ad Conseruatorem, tanquam ab iniuriam iam manifestam, & notoriam, vt fatetur etiam Barbastren. Episcopus, p. 2. q. 3. num. 32. vel si non adesset Conseruator, posset protestari, & appellare ad Sedem Apostolicam, vel omni via iuris, & facti licita contra apertam violentiam Ordinarij iniustè vexantis se defendere. Nam & priuilegium clarum in iudicio exhibitum est iam notorietate iuris manifestum, & manifesta, & notoria iniustitia est, si non admittatur.

737. Sed si priuilegium exhibitum sit dubium tunc nec Episcopus potest ad vlteriora procedere, nec exemptus potest omnino negare se non esse exemptum, cum de hoc sit dubium, sed iuxta determinationem S. Congregationis, & Innoc. X. in Constit. supra num. 734. relata, summus Pontifex est adeundus. Sed si è contra certum sit priuilegium non valere, vel non comprehendere casum de quo est controuersia Regularis tenetur obedire, & Ordinario procedenti via iuris subesse.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio à possessione dependet.* n.738.

2 *Episcopo ex assistentia iuris debetur manutentio.* num.738.

3 *Si exemptus exhibet priuilegium clarum ei danda manutentio.* n.739.

4 *Probatur ex textu in cap. Cum persona de priuil. in 6.* n.740.

5 *Possessio sine titulo non dat manutentionem contra assistentiam iuris, quam habet Episcopus.* num.741.

6 *Assistentia iuris vincit prætensionem consuetudinis.* n.741.

7 *Possessio longæua valet ad manutentionem; & habetur loco tituli.* n.742.

8 *Possessio longæua est, quæ excedit 10. annos.* numer. 742.

9 *Assistentia iuris offuscata non dat manutentionem.* n.743.

10 *Possessio offuscat assistentiam iuris.* n.743.

11 *Rota ex sola assistentia iuris contra possidentem non solet dare manutentionem.* numero 743.

12 *Assistentia iuris cum possessione vincit alterius possessionem non longæuam.* n.744.

13 *Actus non suffragantur Episcopo nisi habiti ex alterius patientia.* n.744.

14 *Vbi possidens exhibet priuilegium sufficiens ei debetur manutentio.* n.745.

15 *Vbi priuilegium exhibitum non est clarum si priuilegiatus præscripsit ei debetur manutentio.* num.746.

16 *Si tamen consuetudo non sit reprobata.* numero 746.

17 *Multa huius exempla.* nu.746.

18 *Possessio titulata etiam solo titulo putatiuo dat manutentionem.* n.747.

19 *Priuilegium non clarum non dat manutentionem.* num.747.

20 *Ad effectum manutentionis priuilegium, & possessio debent attingere punctum litis.* numero 748.

21 *Necesse est actus iurisdictionis habitos fuisse cum patientia Episcopi.* n.749.

22 *Patientia præsumitur ex longitudine temporis.* num.749.

23 *Necesse est, quod superior se habuerit pro spoliato.* nu.750.

24 *Qualiter articulandum,* num.751.

25 *Iurisdictio non censetur data priuatiuè ad ordinarium.* n.752.

738. QVæritur 8. quis pendente lite sit manutenendus, an scilicet Episcopus, vel Regularis exemptus? Est autem circa hanc quæstionem considerandum ex *Rota dec.*185. *num.*8. Coram Eminentiss. Ottobono, quod manutentio dependet non à solo priuilegio sed à quasi possessione, & ideò ad effectum manutentionis dandæ videndus est, quis quasi possideat, vel subiectionem, vel exemptionem. Nihilominus, quod Episcopo detur manutentio iurisdictionis super Ecclesijs, & personis suis Diœcesis ex iuris assistentia non probata quasi possessione illius ex *cap. Cum persona, de priuil. in* 6. dixerunt Marescot. *var. resolut. l.* 1. *cap.* 11. *num.*3. Rota Coram Caputaquen. *dec.*203.*p.*2.& coram Seraph. *dec.*1104. *& dec.* 1449. *num.*1. *& dec.* 491. *num.*2. *part.*1. *& dec.* 382. *num.* 5. *& dec.* 493. *num.*1. *& dec.*501. *num.*1. *p.* 2. *recent. & in Tullen. iurisdict.* 3. *Iuly* 1628. Coram Virili Tambur. de iure Abb. *disp.* 15. *q.* 8. *num.* 2. Postius de manutentione, quam plures referens *obseru.* 45. *num.* 3. *nam ex d. cap. Cum persona* ad hoc, vt alicui competat exemptio necesse est, quod prius probat eam sibi conuenire, vel ex priuilegio, vel præscriptione; igitur è contra ad hoc, vt Episcopo adiudicetur iurisdictio, ipse pro parte sua nihil debet probare, sed ex hoc solo debet manuteneri, quod pars altera non probet sibi deberi manutentionem. Ideo non est Episcopo inhibendum, ne suam iurisdictionem exerceat sub prætextu exemptionis, seu priuilegij, nisi priuilegio adhibito, & diligenter excusso, sed ipse debet manuteneri donec de exemptione, & priuilegio disputetur, *d. cap. Cum persona* Seraph. *dec.* 595. *num.* 1. *& dec.* 1097. *num.*3. *Rota dec.* 560. *num.*1. *& dec.*653. *num.*2. *p.* 3. *& dec.* 333. *num.* 2. *p.* 4. *& dec.* 567. *num.*1. *&* 3. *& dec.* 140. *nu.*1. coram Burat. Add. *ad decis.*315.*num.*4. Greg. 15. Postius de Manuten. *obs.* 41. *num.* 14. Quamuis è contra quantum ad ea, quæ concernunt clausuram Monasterij, & visitationem curæ animarum, administrationem sacramentorum, admissionem ministrorum etiam amouibilium, & similium, quia Prælati Regularibus assistit ius, illis debetur manutentio contra Episcopum. *Rota in nullius seu Marsicana iurisdic.* coram Corduba *num* 2. *ap. Marches.* & antea in eadem coram Comitulo apud Pollium *decis.* 71. *num.* 6. Sed imò, quia Regulares sunt exempti nedum ex priuilegio, sed ex iure communi, & nedum quantum ad regularia instituta, sed absolute, vt supra probatum est, ideò illis ius commune assistit, & quidem minus antiquum per, quod antiquius ius fauens Episcopis fuit abrogatum. Et ideò Regularibus debetur manutentio, Episcopo tamen assistit ius Concilij Triden. in multis, & ideò in his omnibus debetur ei manutentio, donec exemptio, vel priuilegium exempti discutiatur Seraph. *dec* 1278. *num.*1. *sess. dec.* 166. *p.*4. *diuers.*

739. Verum statim ac exemptus exhibet priuilegium clarum, & certum iam pro illo stat assistentia iuris, quia priuilegium est lex derogans, & abrogans ius commune, quod nec assistit iam, nec assistere potest Ordinario, cum lex abrogata non assistat. Et sic exhibito priuilegio claro, & certo iam Episcopi est probare se quasi possidere contra priuilegium, si vult manuteneri in iurisdictione contra exemptum. Verum est quod aliqui tenuerunt, quod ad manutenendum exemptum in quasi possessione exemptionis non sufficiat exhibitio priuilegij, sed sit necesse, vt simul probetur quasi professio, pro qua sententia referuntur Lap. *in d. cap. Cum persona num.* 4. Archat.

chac. num.6. Gemin. in §. si verò in fin. Franc. n.3. Rota dec. 491. num. 4. & seq. par. 1. recent. Sed Gemin. & Franc. loquuntur in casu in quo Episcopus sit in possessione iurisdictionis, qui casus est longe diuersus, & de quo infra erit dicendum. Item hæc sententia potest quidem habere locum, vbi priuilegium exibitum non sit clarum, sed obscurum, & dubium, tunc enim præter priuilegium necesse erit, vt ex parte exempti probetur quasi possessio, sed vbi priuilegium exhibitum est clarum, & certum quia iam certum est, quod Episcopo non assistit ius, sed hoc assistit priuilegiato, Episcopi est probare quod sit in quasi possessione contra priuilegium, si vult contra illud manuteneri in sua possessione. Et propterea, quod sola assistentia iuris communis non sufficiat Episcopo ad obtinendam manutentionem, quando exhibetur clarum, & certum priuilegium resoluit Gloss. in d. cap. Cum persona §. quod si, in fin. ver. turbentur. Rota dec. 566. num. 4. p. 5. recent. Rota in Brixien. iurisd. 11. Decem. 1634. coram Pitmuano, quæ est 628. apud Postium num. 4. & Tambur. tom. 1. d. 15. q. 8. num 5. Et eadem Rota in Theat. seu nullius iurisdict. de Bucclanico 23. Iunij 1614. num. 2. quæ apud Tambur. tom. 3. est. 59. Et habetur pro hac sententia textus in d. cap. Cum persona in fin. ibi, *Si verò priuilegium per se sufficiens, quando solo priuilegio defendunt, vel saltem tale, quod præscriptioni canonicæ causam præstet, cum præscriptionem allegant, non exhibuerint, vt est dictum, cum de iure communi Ordinariorum intentio sit fundata, sua iurisdictione vti possunt libere &c.* Quando ergo exemptus innititur priuilegio, tunc solum Episcopo competit vti iurisdictione, & manuteneri in illa, cum non exhibetur sufficiens priuilegium, igitur si hoc exibetur, iam non habet Episcopus, vt ex solo iure communi se defendat, sed contra priuilegium sola possessione, aut præscriptione se potest defendere, & si hanc alleget, eam tenetur probare. Sed & in §. *Quod si tales*, textus obligat prætendentes exemptionem ad probandam præscriptionem in quasi possessione, si priuilegium exhibitum non sit sufficiens.

740. Nec obstant verba illa. *Quia de priuilegio faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione non violenta, non clandestina, non concessa precario, de qua fidem coram eis fecerint, non turbentur.* Ex quibus verbis Rota d. dec. 491. num. 4. p. 1. recent. arguens ait. Si enim Papa mandat eis non turbari in possessione per necessarium antecedens præsupponit, quod possideant, quia priuatio præsupponit habitum iuxta not. in l. decem ff. de rerum ob igat. Nam consideranti textum apparet, quod confirmat intentum nostrum, & probat, quod sola exhibitio priuilegij claré, & certè vincit assistentiam iuris communis ex parte Episcopi, quia ibi textus loquitur quando priuilegiũ exhibitum non est sufficiens. Hic enim est illius textus tenor. *Quod si tales priuilegio, & præscriptione asserant se munitos: priuilegium quidem ipsum exhibeant, vt in primo huiusmodi constitutionis articulo superius est expressum.* Vnde in hoc casu textus ad effectum manutenendi exemptos, nullam præcedentem possessionem requirit, sed sicut in principio textus, ita & nunc, ad hoc vt ipsi fruantur exemptione prætensa non requirit nisi, quod sufficiens priuilegium exhibeant. Et ex hoc non minus ipsi ex priuilegij assistentia manutenendi sunt, quam sint manutenendi Episcopi ex assistentia iuris communis, quæ omnino euidenter cessat ex priuilegio sufficienti exhibito. Et licet Rota cora Eminen. Ottobono decision. 185. numer. 7. dicat quod exceptio priuilegij exemptiui reijcitur ad petitorium, quia manutentio dependet à possessione non à priuilegijs tamen. num. 9. sequenti bene subdit, quod priuilegium exemptionum admitti potest, quando est tam clarum, et nullus supersit dubitandi locus Rota dec. 508. num. 15. p. 5. recent. Et in Hispalen. Decimar. 27. Iunij 1644. §. *Nec aduersantur coram Eminentiss.* Corrado. Sequitur verò textus, & ad alium casum transit priuilegij non sufficientis, & ait, *& si priuilegium exhibitum non ad plenum per se sufficiat ad exemptionem, seu libertatem huiusmodi comprobandam, sed tale est quod saltem causam prabeat præscribendi: coram deputatatis prædictis annorum quadraginta præscriptionem teneantur probare, præscriptionisque probatione pendente, licet Ordinariorum intentio de iure communi fundetur: tamen quia de priuilegio (quod saltem causam præscribendi præbet) faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, aut concessa precario, de qua fidem coram eisdem fecerint, non turbentur.* Apparet enim manifeste ex his, quod intentio Bonifacij Octaui fuit quantum ad effectum manutentionis, vbi exemptus fundatur in priuilegio, quod prius attendatur priuilegium exhibitum. Et quod si hoc sufficiens inueniatur, & clarum, & certum, ex vi illius detur exempto manutentio, quia illi assistit manifestum ius. Si verò priuilegium non sit sufficiens, tunc ad manutentionem necesse est, vt prætendens exemptionem probet quasi possessionem. Doctrina igitur illa Rotæ, & aliorum debet intelligi in casu in quo priuilegiũ exibitum nõ est sufficiens, sed primus casus dicti textus est, quando priuilegium exhibitum est sufficiens, & tunc ex vi exhibitionis talis priuilegij datur manutentio priuilegiato, nisi Ordinarius ostendat se præscripsisse, vel posidere contra priuilegium; sed hoc iam pertinet reductiuè ad casum sequentem.

741. Secundus casus d. cap. cum persona est, quando quis prætendit exemptionem solo titulo præscriptionis, & consuetudinis. In quo casu benè constat, quod exemptio sibi de iure non competit nisi illam legitimè præscripserit, scilicet per tempus annorum quadriginta. Sed quid si manutenendus est in possessione, & probet se possidere licet non possederit per quadraginta annos, & sic verè nondum prescripserit? Et casus iste decisus est in d. cap. Cum persona, in fin. vbi habetur, quod sola possessio siue titulo non sufficit ad manutentionem, quia præcipitur quod Episcopus possit sua vti iurisdictione, nisi qui se exemptum dicit ex titulo præscriptionis probet se possidere ex priuilegio saltem tali, qui det causam præscribendi, possessio ergo sine titulo, ex se non sufficit, vt contra assistentiam iuris, quam habet Ordinarius detur possidenti manutentio, vt aduerterunt. Panorm. cap. 1. Vt lite penden. n. 8. & ad d. cap.

cum persona §. *Si vero* Gemin, *in fin.* Franc. *nu.* 2. *Rota decis.* 382. *n.* 2. *p.* 2. *recent.* Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 151 *q.* 8. *num.* 11. & apud eum Marescot. & Menoch. Tambur. *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 6. *num.* 1. Assistentia enim iuris certa, quæ conuenit Ordinario, vincit prætensionem cuiuscumque prætensæ consuetudinis, aut præscriptionis etiam immemorabilis, donec consuetudo, aut præscriptio probetur; & quidem per tres sententias conformes, Mares. *resol. p.* 1. *cap* 11. *num.* 6. 7. *&* 8. *Rota dec.* 713. *num.* 1. *p.* 4. *diuers. & dec.* 248. *num.* 1. *&* 273. *num.* 1. *par.* 2. *& dec.* 655. *num.* 5. *p.* 3. *& dec.* 126. *num.* 2. *p.* 4. Recent. & in Colonien. *praced.* coram Eminentiss. Vbaldo *dec.* 32. *num.* 13. apud Postium, & in Theat. iuris coram Vbaldo seniore, ibid. *dec.* 197. *num.* 5. Ricc. *collat.* 1314. Postius *de manuten. obseru.* 45. *num* 19.

742. Et nihilominus hoc limitatur, quia in materia iurisdictionis possessio longæua, & temporis considerabilis sufficit ad effectum manutentionis, quia hæc temporis longitudo habetur loco tituli, vnde sufficit ad manutenendum possessorem etiam contra ius, vt deduci potest ex notatis per Panorm. *cap. Venient num.* 8. *de institut.* Franc. *ad d. cap. cum persona* §. *si vera num.* 1 Couar. Practic. *quæst. cap.* 17. *num* 6. & in terminis resoluit *Rota dec.* 395. *num.* 4. *p.* 1 *diuers. & dec.* 685. *num.* 3. *p.* 1. *recent.* & in alijs relatis, per Adden. *ad dec.* 312 Greg. 15. *lit. F. ver.* Item assistentia, & *in Vincen. administr. Episcopatus* 16. Decem. 1654. Tambur. *d. q.* 8. *n.* 12. Et sic quamuis difficultatem habeat, quod manutentio debeat tradi possessori contra assistentiam iuris Caual. *dec.* 192. *num.* 1. *seu dec.* 385. *num.* 2. *p.* 2. *recent.* cessat difficultas vbi possessio sit longæua. Et huic possessori sufficit, quod ius vehementer non resistat. Ricc. *coll* 1313. Add. *ad dec.* 312. Greg. 15. *n.* 4. *Rota dec.* 138. *num.* 13. *&* 14. *ap.* Postium, & idem Postius *obser.* 45 *nu.* 14 Et ideò, quod non obstante assistentia iuris manutenendus sit, qui possidet discernit Mares. *in resolut. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 19. *&* 20. *Rota dec.* 685. *num.* 5. *p.* 1. *& dec.* 413. *num.* 1. *p.* 5. *& dec.* 382. *num.* 1. *& penult. par.* 4. *recent.* Postius *obser.* 45. *n.* 23. Iudicatur verò possessio longæua ad hunc effectum, quæ excedit decennalem. Postius obseruat 45. *num.* 24. *Rota d. dec.* 685. *n.* 3.

743. Insuper possessio Prælati Inferioris seu personæ, aut Ecclesiæ prætendentis exemptionem hunc effectum habet, quod inturbidat, & offuscat iuris assistentiam, vt non tantum releuet. Regula enim illa, quod assistentia iuris valeat, vt Episcopo detur manutentio vera est, si nihil est in contrarium, secus si assistentia sit offuscata, & turbida, vt si sit incertum an Monasterium sit intra fines Diœcesis, vel super assistentia pendeat lis, vel assistentia sit offuscata probationibus contrarijs Maresc. *d. cap.* 11 *num.* 11. Ricc. *collat.* 1313. *&* 1314. Seraph. *dec.* 1278. *num.* 1. *&* 5. Greg. 15. *dec.* 312. *num.* 1. & Adden. ibi *num.* 4. *vers.* limitatur *Rota dec.* 166. *num* 4. *p.* 4. *diuers.* & apud Postium in Aprut. iuris coram Dunozeto *dec.* 184. *num.* 6. Et in Euen. decimarum coram Ramboldo *dec.* 187. & in alijs pluribus, quas refert, & sequitur idem Postius obseruat. 45. *num.* 20. Inter alias verò causas, ex quibus offuscatur assistentia iuris Episcopi est possessio exemptionis ab eius iurisdictione. Vnde vel pro Episcopo est sola iuris assistentia sine possessione, vel Episcopus etiam possidet. In primò casu ex sola iuris assistentia per alterius partis possessionem offuscata non debetur Episcopo manutentio, & eam non solet concedere Rota, nisi viso prius de bono iure; vt ex *decis.* 1278. coram Seraph. *& decis.* 220. *num.* 5. coram Penia. *& in Matriten. iurisdict.* 16. Ianuar. 1617. coram Burato *num.* 5. quæ apud Tambur. *tom.* 3. est 73. *Rota decis.* 5. *p.* 5. *num.* 21. *& decis.* 127. *num.* 4. *p.* 8 *recent.* Adden. *ad dec.* 319. coram Buratt. Postius *de manuten. obs.* 45. *n* 31.

744. Sed si pro Episcopo sit non solum assistentia iuris, sed possessio aliqua, tunc possessio alterius partis non longæua, nec colorata non valet illi ad effectum manutentionis, sed Episcopus manutenendus est, vt resoluit *Rota dec.* 385. *num.* 5. *p.* 5. *recent.* Addens *ad dec.* 312. Greg. 15. *num.* 4. *vers. limit.* Seraph. *dec.* 1437. *num.* 1. *Rota d. dec.* 527. *num.* 5. *p.* 8. *recent.* Postius *de manuten. obseru.* 45. *num.* 38. Possessio enim Episcopi cæteris paribus prævalet in concursu possessionis alterius ex priuilegio, & præsumitur antiquior ex vetustiori titulo. *Rota dec.* 306. *nu.* 6. apud Postium *&* 627. *num.* 7. ibid. Et tamen non suff agarentur Episcopo actus facti de recenti non constito de aduersarij scientia, & patientia, sed huiusmodi actus censerentur clandestini, & turbatiui, & nullius momenti. Et idem procederet in actis habitis auctoritate delegata in vim Concilij *Rota in Aprut. iurisd.* coram Card. Pamphilio, quæ est apud Postium *decis.* 596. *num.* 4. *&* 5. Sicut & in actis contradictis, & qui dederunt causam liti *Rota in Brixien. iurisd.* coram Pirou. apud Postium *dec.* 627. *num.* 8. & idem Postius *obseru.* 45. *nu.* 39. Econtra tamen, quod Ordinarius exerceat iurisdictionem in vna parte suæ diœcesis, videatur constitui in quasi possessione exercendi illam quoad omnes partes in quibus alter non habet specialem, & particularem possessionem ex Abb. *cons.* 71. *col. fin. lib.* 2. Felin. *cap auditis num.* 19. *in* 3. *declar. de præscript. Rota in* Tortolen. *decimar.* 19. *Ian.* 1591. coram Gyrio, & Valentina decimarum 27. Octobris 1598. coram Seraphino, & alijs probat Barbosa *ad d. cap. Cum persona nu.* 18. quem sequitur Barbastren. *p.* 5. *q.* 3. *num.* 54. Item idem Barbos. *de off. Episc. all.* 183. *num.* 36.

745. Tertius casus textus *in cap. Cum persona, de priuil. in* 6. est in quo simul iunguntur priuilegium possessio. Et hic diuiditur in duos, primus in quo priuilegium est certum, & clarum, & in hoc casu per rationes, & DD. supra adductos manutentio debetur priuilegiato, Quod est verum etiam si possessio priuilegiati non esset talis, quæ sufficeret ad præscriptionem, imò de quo constaret non posse attingere terminum 40. annorum, quia cum in hoc casu exhibeatur titulus de se sufficiens etiam sine possessione multo magis sufficit qualicumque possessione adiuncta *d. cap. Cum persona Rota dec.* 628. *num.* 4. apud Postium *de manuten. & dec.* 566. *num.* 5. *part.* 5. *recent.*

746. Alter casus est in quo priuilegium non est clarum certum, & plenè sufficiens, sed & hic casus subdistinguitur, quia vel possessio est suffici-

cens

ens præscriptio, & in hoc casu etiam sine dubio priuilegiato debetur manutentio, quia ille cum sufficienti titulo legitimè præscripsit. Quod tamen intelligitur in casibus, in quibus consuetudo, & præscriptio non est à iure reprobata, quia in alijs præscriptio non valet. Ideò si sit reprobata consuetudo, seu præscriptio quadragenaria, non verò immemorabilis, in istis casibus ad effectum manutentionis probandæ est immemorabilis. Et quia ex Concil. Triden. *sess. 24. cap. 20. de reformat.* causarum Criminalium, & matrimonialium cognitio est reseruata Episcopo reprobata consuetudine quadragenaria non tamen immemorabili. Non debet inferior ex vi præscriptionis manuteneri, nisi probet immemorabilem per tres conformes, vel illa sit notoria, & negari non possit Maresc. *var. resolut. cap. 11. num. 9.* Seraph. *dec.* 1186 *in fin.* Rot. *dec.* 491. *in fin. p. 1. & dec.* 560. *num. 4. p. 3. recent. & dec.* 197. *nu.* 9. apud Post. *de manut. & dec.* 306. *num. 3. & decis.* 385. *num. 3.* ibid. In approbatione autem Confessorum Episcopo debetur manutentio etiam non obstante immemorabili Rota *dec.* 655. *num. 3 p. 3. recent. & dec.* 197. *num. 4.* ad Postium, quia concilium in hoc derogat immemorabili consuetudini.

747. Alter casus est in quo, & priuilegium non est clarum, & possessio non sufficit ad præscriptionem. In hoc enim casu ex vi priuilegij præcisè non debetur manutentio priuilegiato, quia ius dubium, quod ex dubio priuilegio habet priuilegiatus, non vincit ius certum, quod ex assistentia iuris habet Episcopus, ideò manutentio debetur Episcopo, quia qui habet pro se iuris assistentiam dicitur habere liquidissimam probationem Rota *decis.* 313. *num.* 8. *p. 4. recent.* Postius *de manuten. obseruat.* 45. *num.* 5. priuilegium verò non clarum, sed dubium non potest habere, donec liquidetur, Rota *in Dertusana Decimarum*, Coram Sacrato apud Postium *decis.* 157. *num.* 5. *& in Hispalen. decimarum* apud Pitouanum pariter inter impressas apud Pastium 241. *num.* 3. Sed nihilominus ex vi adiunctæ quasi possessionis fit, vt manutentio debeatur priuilegiato, sic enim decernitur *in d. cap. cum persona in fin.* non obstante, quod Episcopo dicatur assistere Ius commune. Et ideò hoc idem resoluit Panorm. *cap.* 1. *num.* 4. Vt lite pend. Rota coram Card. Pamphilio seniore *in Aquil. iurisdictionis* apud Marchel. *p.* 1. *fol.* 980. *num.* 3. *& dec.* 491. *num.* 4. 7. *& 9. p. 1.* Maresc. *resol. lib. 1. cap.* 11. *num.* 21. *&* 22. Riec. *coll.* 1314. Postius *de manutent. obseru.* 45. *num.* 17. Vbi quod in quasi possessione decernetur quis constitutus, si probaretur venisse casum, & Ordinarium voluisse exercere iurisdictionem, & fuisse repulsum, & repulsioni acquieuisse, & se habuisse pro spoliato. Itaque si inferior Episcopo sit in quasi possessione exemptionis, & producat titulum, seu priuilegium est manutenendus Maresc. *d. cap.* 11. *num.* 21. Mar. Anton. *var. resol. lib.* 1. *resol. vlt. cas.* 61. Postius *de manut. obseru* 45. *num.* 28. Tambur. *tom.* 1. *d.* 15. *q.* 6. *num.* 1. Rota *dec.* 257. *num.* 1. *p.* 3. *recent.* Nam priuilegia inferioris derogant titulo Episcopi, & tollunt præsumptum vitium clandestinitatis possessionis Rota in Marsicana iuris Coram Comitolo, post tractatum Postij *dec.* 64. *num.* 6. & 7. Et ad hunc effectum sufficit titulus putatiuus coloratus, qui est habilis ad præscribendum Rota coram Greg. 15. *dec.* 289. *num.* 7. & 15. cum in iudicio manutentionis non sint attendenda opposita contra titulum, sed hæc sint discutienda in petitorio Rota *dec.* 257. *num.* 3. *p.* 3. *recen.* Vbi tamen etiam Episcopus esset in possessione, ei daretur manutentio cæteris paribus, vt ex dictis *num.* 744. est manifestum, In quo tamen casu Episcopus teneretur clarè probare actus iurisdictionales gestos fuisse, cum scientia, & patientia aduersarij, & loca in quibus prætendit iurisdictionem esse intra suam diœcesim, neque ad hoc sufficerent coniecturæ, & præsumptiones Rota in *Aprut. iurisd.* 10. Maij 1624. coram Dunozaero *nu.* 5. Ferentill. *ad dec.* 140. Burart. *num.* 4. Tambur. *d. q.* 8. *n.* 16.

748. Sunt verò aliqua considerandæ circa prædicta. Et quidem primo, quod ad effectum obtinendæ manutentionis necesse est, quod priuilegium, seu possessio quæ adducitur, strictè percutiant casum de quo agitur, alias secus Maresc. *d. cap.* 11. *num* 18. Rota *dec.* 126. *num.* 5. *p.* 4. *recen.* Postius *de manut. obser.* 45. *num.* 57. Ideò si probationes non percutiunt casum de quo est controuersia inutiles sunt, vt si agatur de cognitione delicti commissi in Diœcesi extra claustra, & testes de hoc non deponant.

749. Secundò notandum est, quod ad hoc, vt Prælatus inferior dicatur esse in quasi possessione iurisdictionis non sufficit probare exercitium iurisdictionis, sed quod actus iurisdictionis exercitii fuerunt cum scientia, & patientia Episcopi Rota *dec.* 501. *num.* 4. *p.* 2. *recent.* Præsumitur tamen scientia, & patientia ex lapsu longi temporis Rota *dec.* 28. *num.* 7. *& dec.* 147. *num.* 3. *& dec.* 406. *num.* 7. *p.* 1. *recent.* & apud Tambur. *tam.* 3. *dec.* 69. *num.* 17. Sicut etiam præsumitur scientia, & patientia ex huiusmodi actuum multitudine. Panorm. *in cap. Cum Ecclesia num.* 25. *de causa possess.* Post. *dec.* 519. *num.* 3. *& dec.* 358. *num.* 1. *p.* 1. Seraph. *dec.* 106. *n.* 7. Rot. *dec.* 166. *n.* 4. *par.* 1. *diuers.* & apud Tambur. *dec.* 69. *num.* 18. & Tamb. ipse *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 8. *n.* 19.

750. Tertiò considerandum est, quod ad hoc quod aliquis dicatur constitutus in possessione exemptionis non sufficit, quod superior actus iurisdictionis super eum non exercuerit, sed probandum est, quod ille actus huiusmodi exercere voluerit, & fuerit impeditus, & reiectus, & ipse reiectioni consenserit, & se pro spoliato habuerit, Innocent. *cap. Dilectus n.* 3. *de capell.* Monach. & ibi Hostien. Io. And. *n.* 8. Butr. *n.* 15. Caputaquen. *dec.* 306. *p.* 1. Rota *dec.* 491. *n.* 8. *p.* 1. *recent. & dec.* 53. *n* 9. apud Tambur. *p.* 3. & idem Tambur. vbi supra *n.* 20. Postius *de manut. obser.* 45. *n.* 18.

751. Qualiter verò sit articulandum in probanda exemptione tradit Rota *dec.* 1. *de præscrip. in nouis.*

752. Aduerti etiam debet qualiter alicui detur iurisdictio, vel delegata, vel ex priuilegio, an scilicet detur priuatiuè quoad illum cui conuenit iurisdictio ordinaria, aut solum cumulatiuè. Nisi enim id exprimatur, non intelligitur concessa priuatiuè quoad ordinarium, cui de iure iurisdictio

dictio *competit.* Canal. *dec.* 617. *num.* 3. *Rota dec.* 306. *num.* 9. apud Postium *de manut.* & Postius ipse *d. obser.* 45. *num.* 41. Vnde tunc daretur locus præuentioni. *Rota d. dec.* 306. *n.* 9.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non possunt renunciare priuilegio exemptionis. n.* 753.
2 *Clericus non potest se subijcere alieno Episcopo. n.* 754.
3 *Nullus particulorium potest renunciare priuilegio communi n.* 755.
4 *Sed nec id facere minor pars, imò nec maior dissentiente Minore. n.* 755.
5 *Priuilegio non potest renunciari in præiudicium eximentis. n.* 756.
6 *Regulares nec in particulari causa possunt se subijcere Episcopis. n.* 757.

753. QVæritur nono, an Regularis exemptus possit se subijcere Ordinario renunciando priuilegio exemptionis? Communis sententia negat renũciari posse priuilegio exemptionis à iurisdictione Episcopi, & immediatæ subiectionis Sedi Apostolicæ. Hoc enim satis expressè habetur definitum ab Innoc. 3. *in cap. Cum tempore.* 5. *de arbitris*, ibi. *Cum etsi spontè volueris, de iure tamen nequiueris sine licentia Romani Pontificis renunciare priuilegijs, vel indulgentijs libertatis, quæ Monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.* *Et cap.* 2. *de in integrũ restit.* ibi. *Non tam ius suum, quam nostrum, & cap. cum olim. el.* 2. *de priuil.* ibi. *Ius nostrum, & Ecclesia Romana tuebatur.* Et ideò quod Regulares exempti à iurisdictione Episcoporum, & immediatè subiecti Romano Pontifici, huic exemptionis priuilegio non possint renunciare tenuerunt *ad d. cap. Cum tempore*, Gloss. Panorm. *in* 5. *notab. num.* 2. Fagnan. *num.* 4. Barbosa *num.* 4. Iterum Panorm. *cap. graue. num.* 3. *de off. Ord.* Barbosa *cap. significasti.* & ibi Butr. *num.* 12. Panorm. *nu.* 10. & 11. Marian. Soccinus, *num.* 42. *de foro competen.* Fagnanus *cap. quod super. n.* 17. *de maior. & obed.* Io. Andr. *in regul. sciens, de reg. iur. in sexto* Iason *in l. si quis Cod. de Episc. & Cler.* Mandos. *de signat. g. v. exemptio ab Episcopo.* Tuscus *v. Renunciare. concl.* 171. *n.* 9. Castren. *cons.* 432. *num.* 3. *l.* 1. Roman. *cons.* 369. *nu.* 19. Gloss. *com receptu in l. si conuenerit. v. stare. ff. de iurisd. omn. iud* Archidiac. *in cap. conquestus, num.* 49. *q.* 3 *de foro compet.* Felin. *in cap. cum accessissent, n.* 29. *de constit.* & ibi Dec. *col. penult. v.* 2. & *num.* 18. *col. vlt. concl.* 6. Gallerat. *tom.* 1. *l.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. & *num.* 63. *ex l. non videtur. ff. de reg. iur. & l. si quarenni. ff. de testam.* Bald. *tit. qualiter fon. alien. poss.* §. 9. *num.* 1. & *in l. si quis ex consensu nu.* 8. *C. de Episc.* Surd. *cons.* 47. *num.* 24. & *de alim. tit.* 1. *q.* 113. *nu.* 2. Bapt. de Arbitr. *l.* 2. *c.* 4. Tiraq. *de retractu leg.* §. 1. *gloss.* 9. *nu.* 121. Conar. *var. l.* 2. *cap.* 4. *nu.* 1. Viu. *tom.* 11. *commun.* 277. Guliel. *lib.* 1. *obseru.* 40. Farhin. *cons.* 55. *n.* 10. & *cons.* 16. *num.* 9 *ubi* . Cochier. *de iurisd. Ord. in exem. p.* 2. *q.* 7. *num.* 2. & 3. & *p.* 3. *q.* 4. Perez *ad l.* 2. *tit.* 1. *de ordinum. pag.* 467. *Rota in Gandauen. Monasteriorum* 19. April. 1641. coram Eminentiss. Panzirolo, & in Vlixibonen. Monasterij 19. Nouemb. 1625. coram Coccino, & in Craconien. Iuris legendi corã Queipo die 30. Martij 1629. *nu. fin. quæ est dec.* 321. apud Postium *de manuten.* & coram Manilca *dec.* 237. *n.* 4. & coram Greg. 15. *dec.* 325. *num.* 23. *vbi Adden. n.* 29. & *decis.* 456. *num.* 10. & *dec.* 461. *num.* 11. *par.* 5. *recent.* Syluest *v. exemptio. num.* 11. Tabien. *q.* 6. Armilla. *num.* 9. Angelus *v. excom.* 5. *num.* 50. Rosell. *v. absolutio num.* 3. Molina *tom.* 4. *de iust. & iure disp.* 61. *num.* 3. Sanchez, Moral. *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 38. Genuen. *in praxi. cap.* 66. *num.* 19. Megal. *p.* 1. *instit. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. Pasqualig. ad Lauretum *p.* 1. *nu.* 128. & *p.* 2. *q.* 92. *num.* 13. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 63. *a.* 10. Tambur. *de iur. Abb. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 18. *num.* 3. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 134. Donatus *p.* 2. *tr.* 13. *q.* 10. Marant. *de ord. iudic. in.* 4. *p. nu.* 15. Et hoc est verum etiamsi exemptio à Pontifice non sit concessa motu proprio, quia nec tunc renunciari potest exemptioni, quia semper est gratia exemptoris. Syluest. *v. exemptio. num.* 10. Armill. *num.* 8. Cochier. & Rebuff. quo sequitur *Rota dec.* 461. *num.* 26. *p.* 5. *recent.* Vbi *n.* 32. quod nec renunciatio potest habere locum etiam si per eam reuertitur ad ius commune, & hoc propter præiudicium Sedis Apostolicæ cuius interest habere exemptos. Gail *obs.* 40. *num.* 2. *lib.* 1.

754. Probatur autem hæc communis assertio primo à simili quia Clericus sine sui Episcopi licentia non potest se subijcere alieno Episcopo, & eius iurisdictionem prorogare, *cap. significasti, de foro compet.* Angel. *in l. fin. nu.* 4. *de constit. princ.* Soccin. post Innoc. Archid. & alios. *cons.* 87. *n.* 3. *l.* 3. Marat. vbi sup. *n.* 10. Conar. *practic. c.* 10. *n.* 5. Bel. let. *disq. Cleric. p.* 2. *tit. de fauore Clerici n.* 18. Carolus de Grassis plures referens *eff. primo Cleric. num.* 53. Barbosa *ad d. cap significasti. num.* 7. Si enim Clericus se alieno Episcopo subijceret præiudicaret proprio, vt ibi habet Panorm. *num.* 9. multo minus igitur exemptus immediatè subiectus Sedi Apostolicæ potest se subijcere Episcopo, & priuilegio exemptionis renunciando iurisdictionem Episcopi prorogare. Panorm. ibi *num.* 18. Fagn. *ad cap. Quod super. n.* 28. *de maior. & obedien.* Barbosa *ad d. cap. cum in tempore num.* 5. *de arbitr.* Tamb. *d. q.* 18. *num.* 5. Sed duplici ratione id probatur à priori, ex hoc per se noto principio, quod nullus potest donare alteri, vel illi renunciare quod non est suum, sed alienum.

755. Prima ratio est, quia nullus de communitate priuatus potest commune bonum alienare, aut donare, aut cedere, & alteri renunciare, sine communitatis consensu. *Rota dec.* 313. *num.* 21. *p.* 9. *recent.* Vnde quando priuilegium est concessum communitati per se primo, & illius intuitu donatum, hoc priuilegium sic competit omnibus & singulis de communitate, quod nullius illorum est proprium, sed est communitatis, ideò nullus de communitate potest renunciare priuilegio quod intuitu communis fauoris vniuersitati est concessum, vt per textum *in cap. si diligenti, de for. compet. & l. ius publicum. ff. de pact. l. inter debit ff de arbitr. l. neque pignus.* §. *priuatorum. ff de reg. iur.* vt notabiliter tradit Gloss. *in d. cap. si diligenti v. pacto priuatorum. Rota in Cesenaten. Indultorũ.* 4. Decemb. 1614. & *d. dec.* 321. *num.* 39. apud Postium de Manuten. Quod adeo verum est, vt nec maior pars vniuersitatis

tsiis possit non consentiente minore renunciare privilegio communi, quod tangit singulos, quia factum à maiori parte non præiudicat alijs in ijs, quæ omnes particulares tangunt. *cap. cum omnes*, & ibi Gloss. & Felin. *num.* 15. *de constit. Cap. dec.* 152. *n.* 3. Cum igitur privilegium exemptionis datum sit fauore Religionum in communi, ideò nullus Regularium in particulari potest huic priuilegio renunciare, & se Episcopo subijcere. Barbosa *ad d. c. cum in tempore num.* 5. *de Arbitr. Rota dec.* 456. *n.* 18. *& dec.* 461. *num.* 29. post Panorm. *in cap. Veniens. num.* 21. *de præscrip.* Vbi quod Prælatus potest facere conditionem Ecclesiæ meliorem, non verò deteriorem. *vt in cap. Fraternitatem de donat.* Et subdit post Innoc. quod per vnum vel plures actus non censetur renunciatum fauori Ecclesiæ, cum etiam expresse nõ possit renunciari, & addit rursus, quod si omnes vellent facere contra priuilegium, vnus solus posset contradicere. Addit etiam Seraph. *dec.* 951. *num.* 2. Priuilegium respectu alicuius monasterij non censeri sublatum per non vsũ, sed sufficere, vt respectu aliquorum monasteriorũ sit in vsu; quia vbi causa est vniuersalis, illa potius attenditur, quam exercitium ipsius actus. Bald. *in l.* 2. *n.* 2. *C. de emanc. liber.* & fuit dictum in vna Toletana annatarum coram Orano, & in alia Conchen. decimarum.

756. Secunda ratio est, quia renunciatio exẽptionis cedit in præiudicium Summi Pontificis. Et hæc est ratio, qua vtitur textus citatus *in cap. cum in tempore de arbitris.* Interest enim Summi Pontificis, qui est Superior subditos suos ab alijs non iudicari. *Rota dec.* 461. *num.* 21. *p.* 5. *recent. post Abb. in cap.* 1. *num.* 19. *de re iudic. & cap. si de terra num.* 5. *de priuil. & cap. significasti num.* 8. *& 9. de for. compet.* Io. Andr. *in cap. scienti in fin.* & ibi Franc. *num.* 4. *de reg. iur. in* 6. Felin. *in c. cum olim. num.* 3. *de præscrip.* Armill. *v. exemptis num.* 8. Gail. *obseruat.* 40. *num.* 2 *l.* 1. Gallerat. *de renunc. t.* 2. *conf.* 2. *renunc.* 140 *nu.* 18. Cochier. *de iurisd. Ord. in exemp. l.* 2. *q.* 7. *& l.* 3. *cap.* 34. Castren. *cons.* 432 *num.* 3. *lib* 1. Vnde non est vnde dicatur quod priuilegio possit renunciari in præiudicium exempti. Gloss. *fin. in d. cap. cum tempore, de arbit.* quia vt ait Panorm. ibid. *nu.* 7. non potest considerari aliquis effectus attingens exemptum tantum: Nam ius libertatis est adeo coniunctum inter exemptum, & Superiorem eximentem, vt commodè separatio fieri non possit: Neq; est verum, quod ait Alberic. *in l. si quis. num.* 6. *C. de Epis. & Cler.* quod scilicet possit renunciari priuilegio specialis exemptionis quãdo motu proprio non fuit concessum. Quia Syluest. *v. exemptio* §. 10. dicit contrarium esse verius euidentissima ratione, quia exemptio fit gratia eximentis, quod dictum sequitur Armilla *num.* 8. Rebuff. *cons.* 142. Cochler. *l.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. Mandel. *cons.* 74. *num.* 3. Seraphin. *dec.* 324. *num.* 5. Tuscus *L. R. concl.* 759. *n.* 3. Sarauia *de iurisd. adiunct. q.* 7. *num.* 7. Nonac. *in praxi elec. fori. sec.* 3. *q.* 7. *num.* 15. Cened. Canon. *q.* 12. *num.* 10. Sigism. *de elect. p.* 1. *cap.* 2. *dub.* 25. *num.* 7. Suarez *l.* 8. *deleg. cap.* 6. *num.* 2. Sanchez *l.* 4. *mor. cap.* 39. *n.* 29. *Rota dec.* 32. *num.* 8 *p.* 2. *diuers. & dec.* 273. *nu.* 3. *p.* 4. *recent.* Pasqual. ad Laur. *p.* 2. *q.* 92. *num.* 14. Barbos. Tamburin. Donat. & alij supra citati. Qui ex eo probant non posse renunciari exemptioni ex eo quod ipsa sit de interesse Papæ superioris, & per renunciationem eius ius lædatur, quod est indubitatum, cum læditur ius superioris non consentientis, vt in præsenti est solus Papa, vt notant Castren. *cons.* 432. *num.* 3. Roman. *cons.* 369. *num.* 18. Card. *cons.* 38. *in fin.* Affflic. *dec.* 163. Gratian. *dec.* 78. *nu.* 50. Gail. *obser.* 40. *num.* 3. *l.* 1. Rouit. *prag.* 2. *de iuris. inuit. non turb. num.* 25. Io. Baptista Costa *de scient. & ignoran. iur. cent.* 2. *dist.* 66. *num.* 5. Fagnan. *ad d. cap. quod super. num.* 18. *de maior. & obed. & cap. cum in temp. num.* 4. *de arbitris.* Et interest Pontificis suam immediatam iurisdictionem non perdere. *Rota dec.* 456. *num.* 13. *par.* 5. *recent.*

757. Quinimo ob hanc rationem præiudicij Romani Pontificis nec in vna quidem causa potest Regularis etiã indirectè exẽptioni renunciare, vt notat idem Panorm. *in cap si terra num.* 5. *de priuileg.* Soccin. *in d. c. significasti, n.* 40. *de for. compet. & in cap. Recepimus. num.* 69. *de priu* Felin. *in cap. P. & G. num.* 13. *de off. Deleg. & in cap. Cum olim num.* 3 *de rescrip.* Dec. *in cap. primo de iudic. in p. licet. num.* 86. *& in* 2. *num.* 64. Fagnan *d. cap. quod super num.* 18. *de maior. & obedien.* Pasqual. ad Laur. *p.* 2. *q.* 92. *num.* 13. Quamuis autem Federicus de Senis *cons.* 14. *num.* 6. videatur oppositum sentire, quem sequitur Laurentius de Franchis *p.* 2. *q.* 92. pro qua nonnullos DD. allegat, & ex hoc deducit, quod Regularis possit de licentia expressa vel tacita sui Prælati adire Episcopum pro absolutionibus, & dispensationibus obtinendis. Tamen vt aduertit Fagnan. *d. nu.* 18. Feder. non figit pedes, & sua dicta veluti dubia subijcit correctionis Patris, & illuminatoris Iuris Canonici Io. Andreæ, quem dicit oppositum sentire in Gloss. *sua in Clem. penult. de sent. excom.* Et quæ adducuntur à Laureto de absolut. & dispensat. sunt destituta fundamento, quia Episcopus non habet iurisdictionem in Regulares, & cum priuilegium exemptionis non sit priuatum, & datum solum incommodum priuatum Religiosorum, sed concernat interesse Papæ, ruunt omnia ab eo allata, & manifestum est, quod non potest Regularis se Episcopo subijcere. Et qualiter etiam Regulares non indigeant in absolutionibus, & dispensationibus recurrere ad Episcopum probaui in tractatu *de elect. c.* 26. *q.* 15. Ideò, quod Regulares neq; in particulari casu, seu causa possint se subijcere Episcopis aduersus Federicum sustinuit etiam *Rota apud* Crescentiũ *dec.* 3. *de for. competent.* & apud Greg. 15. *dec.* 325. *nu.* 23. *Vbi adden. num.* 29. idem probat ex Mant. *dec.* 237. *num.* 4. Rodriq. *tom.* 2. *q.* 62. *a.* 10. Sed & quod immediatè subiectus Papæ non possit in alium prorogare iurisdictionem resoluit Seraph. *dec.* 595. *n.* 7.

SVMMARIVM.

1 *Præscriptio in ordine ad consequendum nouum ius sine possessione non currit. num.* 758.

2 *Episcopus iurisdictionem non præscribit nisi possidendo. n.* 758.

3 *Possessio contra decretum irritans non inducit præscriptionem. n.* 759.

4 *Priuilegium exemptionis munitum decreto irritanti. num.* 760.

5 *Priuilegium exemptionis consuetudine, non præscri-*

scribitur, n.760.

6 *Contra priuilegium exemptionis non valet praescriptio sine scientia, & patientia Papae. num. 761.*

7 *Contra priuilegium exemptionis non valet praescriptio minor centenaria. n.761.*

8 *Praescriptioni exemptionis obstant confirmationes priuilegiorum quae saepius obtinentur, n. 762.*

758. QVaest. 10. An Episcopus consuetudine, seu praescriptione possit acquirere iurisdictionem in exemptos Regulares, & subiectionem eorum praescribere? Si e possessione non currit praescriptio. *l. sine possessione 25. ff. de vsu c. Rota apud Possium de manuten. dec. 45. num. 8. & dec. 321. num. 23.* quamuis hoc verum sit in ordine ad consequendum nouũ ius per praescriptionem. Nam alias quantum ad effectum se defendendi contra actionem alterius praescriptio perficitur sine possessione ex solo cursu temporis, Nam alias nunquam praescriberetur contra actionem Crauet. *cons. 111. num. 20.* Surd. *cons. 73. na. 48. Rota d. dec. 45. num. 9.* sicut & praescriptio longissimi temporis inducitur ex sola negligentia petentis absque alio facto, & ministerio praescribentis, vt ceteri DD. tradunt. In praesenti verò cum agatur de acquirenda per Episcopum iurisdictione in Regulares quam non habet, praescriptio sine possessione diutius continuata consurgere non potest.

759. Sicut verò possessio infecta non sufficit ad manutenendum, sic nec sufficit ad praescribendum. Dico verò pro nunc possessionem infectam cui aduersatur decretum irritans, & clausula sublata. Nam decretum irritans inficit, irritat, vitiatque possessionem, & dominium, & titulum alterius, ita quod inficit possessionem ciuilem, naturalem, & detentionem, & omnem iuris effectum tollit, vt qui habet illam contra se non possit vti aliquo remedio possessorio, nec summarijssimo manutentionis. Est enim decretum irritans penetrabilius omni gladio ancipiti, & quando agitur de nullitate actus ligat etiam ignorantes & afficit omnia, quae sequuntur, ita vt nec effectum, nec iuris fomentum habeant. De quibus videri potest *Rota in recent. dec. 341. num. 5. & dec. 476. num. 4. & dec. 508. num. 2. & dec. 523. num. 3. & dec. 554. num. 1. part. 3. & dec. 224. num. 3. p. 4.* & apud Possium *de manut. dec. 393. num. 5. dec. 405. num. 1. dec. 408. nu. 4. dec. 480. num. 6. dec. 482. num. 1. & c.* & multis alijs ab eodem Possio citatis *obseruat. 46. num. 5. & sequent.* Et ideò contra legem aut priuilegium munitum decreto irritanti non valet consuetudo, neque praescriptio, quia per illud etiam consuetudo inficitur. Felin. *in cap. Cum accessissent num. 30. de Constit. Ruin. cons. 11. num. 13. l. 2. & cons. 102. na. 12. l. 3. Gabriel de clausul. concl. 3. num. 39. Rota dec. 618. na. 24. p. 5. & dec. 20. num. 24. p. 9. recent.* & coram Verallo *dec. 204. num. 1. & 2. p. 3.* & coram Cauall. *dec. 85. num. 2. & dec. 91. num. 9. & 423. num. 4. & in cap. Cum de beneficio, de praebend. in 6.* Archid. & Anchar. *num. 2.* Franc. *num. 4.* Barbosa, & alij quos refert *clausul. 40. num. 34.*

760. Quae doctrina in foro externo indubitatè procedit in consuetudine non immemorabili, & tali, quae de iure non habeat rationem priuilegij; At verò priuilegia per quae concessa fuit exemptio Regularibus munita sunt decreto irritanti. Nam in *Constit. Et si pro cauctarum.* data per Bonif. nonum quinto Cal. Maij Pontificatus anno 13. quae habetur in authentico Bull. dicti Ord. *fol. 91.* habetur haec clausula. *Nos enim quaslibet excommunicationum suspensionum, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis poenas, sententias continentes, quas, & quos contra Magistrum, Priores, Fratres, Sorores, domus, & Hospitalis, personas, & alia supradicta contra tenorem, & formam praesentium, & exemptionis huiusmodi promulgari, & haberi contigerit, irritos decernimus penitus, & inanes.* Quod idem decretum habetur *in constit. 7.* Greg. 11. §. 32. *& in constit. 7.* Sixti Quarti, seu Mari Magno Ord. Praedicatorum. §. 17 *in fine, & in const. 6.* eiusdem Pontific. seu Mari Magno Minorum. §. *19. in fine,* & in Mari Magno Eremitarum S. Aug. apud Lezanam § 42. & 55. & in Mari Magno Carmel. §. 60. Et in aliorum etiam priuilegiorum literis similis clausula habetur, quae decretum irritans continet, vnde inficitur consuetudo, & praescriptio, ac propterea non possunt Episcopi consuetudine, vel praescriptione aliquam iurisdictionem acquirere. Vt ex hac ratione hoc idem probat Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Quod super his n. 69. de maior. & obedient.*

761. Accedit secundò, quod non possunt Episcopi praescribere subiectionem, seu non exemptionem Regularium nisi praescribant contra Romanam Ecclesiam, cui Regulares immediatè sunt subiecti *cap. Cum in tempore de Arbitris, cap. 2. de in integrum restit. cap. Cum olim el 2. de priuileg.* Ideò primo haec praescriptio non potest induci nisi supposita scientia, & patientia Summi Pontificis, de cuius interesse agitur. Reuerendiss. Fagnan. *d. cap. Quod super. num. 19.* Nam eximentis summè interest suam immediatam iurisdictionem non perdere. *Rota dec. 456. num. 13. par. 5. recent.* Et ius exemptionis, & libertatis est ita coniunctum inter exemptum, & eximentem, vt commodè separari non possit. *Rota ibid. num. 14. & dec. 461. num. 25.* Quamobrem ad praescribendam subiectionem Regularium, & iurisdictionem super illos non est necessaria praescriptio per tempus minus quam sit necessarium ad praescribendum contra Ecclesiam Romanam, cuius immediatè Dioecesani, & subditi sunt ijdem Regulares, Ad praescribendum autem contra Ecclesiam Romanam requiritur centenaria. *cap. vlt. in fin. 16. q. 3. Authen. Quas actiones in fin. C. de Sacrosanct. Eccles. iuncta authen.* Vt Ecclesia Romana. Sed & ex priuilegijs quampluribus centenaria requiritur ad praescribendum contra Regulares, vt probatum est supra *q. 187. a. 4. n. 687.*

762. Adiungitur quod ex alia causa vix potest habere locum praescriptio contra exemptionẽ, & priuilegia Regularium. Quia Regulares consueuerunt obtinere crebrò à Summis Pontificibus suorum priuilegiorum confirmationes, & innouationes per quas praescriptio coepta interrumpitur, & completa tollitur per clausulas derogatorias amplissimas per quas consuetudinibus, & conuentionibus etiam iuratis derogatur, vt videre est in varijs harum confirmationum literis, vt

ex

ex Felin. aduertit idem Fagnan. *d. cap. quod super n.19 fin.*

S V M M A R I V M.

1 *Opinio aliquorum circa quæstionem. n. 763.*
2 *Decretum Innoc. X. in causa Angelopolitana. n. 764.*
3 *Contra Regulares non seruantes Decretum Concilij circa audiendas confessiones, & prædicationem certum est Episcopos ex vi Concilij non posse procedere censuris. num.765.*
4 *Ex quo Concilium subijcerit Regulares Episcopis quantum ad aliqua, non dedit eis facultatem procedendi contra illos censuris. n. 766.*
5 *Ex eo, quod Regulares subijciuntur Episcopis, non sequitur, quod Episcopi possint contra illos procedere censuris. n.767.*
6 *Episcopi contra Regulares non possunt procedere censuris nisi in casibus expressis. n.768.774.*
7 *Hæc eadem magis probantur. n.769.770.*
8 *Regulares habeat priuilegium, vt non possint excommunicari. n.770.*
9 *Ex concessa facultate puniendi non est concessa facultas procedendi censuris. n.769.& 771.*
10 *Vbi Concilium voluit concedere facultatem procedendi censuris, id expressit. n.772.*
11 *Episcopus non procedit censuris contra contumacem, si habet priuilegium, & non possit interdici, &c. n.773.*
12 *Ad exercitium iurisdictionis non est necesse posse procedere censuris. n.774.*
13 *Posse coercere per pœnas, & per censuras sunt duo diuersa, & de iure separabilia. n. 775.*
14 *Priuilegia non reuocata per Concilium nisi quatenus suis decretis contraria. n.776.*
15 *Sententia explicata melioribus nititur fundamentis. n.777.*
16 *Regulares non possunt excommunicari à Delegatis Papæ, nisi in eorũ literis fiat eorũ mentio. n.777.*
17 *Sub excommunicatione Legatorum non comprehenduntur Regulares nisi id exprimatur. n.777.*

763. QVæritur vndecimo, an Episcopus contra Regulares exemptos possit procedere per censuras in illis casibus in quibus hoc nõ est ei specialiter concessum? Barbastren. Episcopus, qui scripsit post editam *Constitut.* Innocentij X. in causa Angelopolit. quæ incipit *Cum sicut accepimus*, & data fuit 16. Maij 1648. & quam refert ipse in suo Pastorali *p.2.q.1.* sicut & eiusdem *Constit.* confirmationem post nouum causæ examen datam 19. Nouem. 1652. refert ibid. *p.2.q.26.* Nihilominus *p.2.q.10. n.3.* absolutè, & vniuersaliter asserit, quod cum Regulares in his, in quibus non sunt exempti, subiecti maneant pœnis, & censuris ab ipsis Episcopis impositis, sicut & cœteri subditi contra transgressores præceptorum, sequitur incurrere tales exemptos, & Regulares in pœnis, & censuris impositis transgredientibus præcepta, vel mandata Episcoporum, cum nulla possit dari exemptio, quæ eos liberet, & sicut in alijs subditis negari non potest, ita neque in illis. Et pro hac sententia refert Henriq. *l.7. cap.25. §.7.* Franciscum Leonem in Thes. fori Eccles. *p.1. cap.8. n.18.* Barbosam *de off. Episc. alleg.105. num.13.* Campan. *rubr.* [illegible] *cap.* [illegible] *n.55.* [illegible] *cinam Regul. v. excommunicare n. 1.* [illegible] ic declara[illegible] fui[illegible] à Sac. Congregatione in Nou[illegible] 1[illegible]33. & Barbosam *in sum. Apost. collec. 297. num. 4.* [illegible] *can. v. exemptio n.13.* Cochier. *de iurisd. in exempt. tom.1. p.2. q.45. num.82.* & Antonel[illegible] *l.8. cap.22. n.* [illegible] *num.8 sequent.* addit, quod licet Lezana, & Barbosa citati, [illegible]eant, quod Episcopus contra Regulares habentes priuilegiũ, vt contra eos censuræ promulgari non possint, nullo modo posse excommunicari ab illis, vt probat Lezana *num. 9.* attamen videtur dicendum, posse Episcopum cum censuris procedere, nam cum Concilium Trident. reuocauerit omnia priuilegia, quæ habebant Regulares pro liberè audiendis confessionibus, &c. sequitur vigore Tridentini omnes esse adstrictos ad obtinendam approbationem Ordinarij, vt munus Confessariorum exercere valeant: ex quo sequitur, quod si inobedientes fuerint, quoad hunc effectum posse excommunicari non obstantibus priuilegijs, quibus cauetur, non posse Regulares ab Ordinarijs excommunicari. Vnde ibi meus huius Doctoris est, quod Regulares non obedientes Concilio Tridentino quantum ad obtinendum approbationem Ordinariorum pro confessionibus audiendis possint per Ordinarium excommunicari ex vi Concilij Trident. non obstante, quod habeant priuilegiũ vt non possint per Ordinarios excommunicari. Et hoc idem posse per Ordinarios fieri in quocumque casu huiusmodi Regulares subduntur iurisdictioni Episcopi. Et *quæst. 22.* tractans quæstionem hanc ex professo *num. 34.* ait posse hodie Episcopos procedere cum censuris contra Regulares in casibus in quibus eis subijciuntur. Et *num. 35.* ait posse hodie Episcopos procedere cum censuris contra Regulares Prædicatores, vel Confessarios si inobedientes fuerint in prædicatione verbi Dei vel audiendis Confessionibus Regularium sine illorum approbatione, & quod videtur dicendum esse hoc attributum in vim Concilij Trident. ex cujus vi in his Regulares Episcopi sunt subiecti. Sed *num. 36.* ait verius esse hodie pertinere indistinctè ex *Constit.* Greg. 15. Et *num. 40.* concludit posse Episcopum procedere censuris contra Regulares concionatores, & confessarios si prædicta exerceant sine approbatione Episcoporum in vim *Constit.* Greg. 15. & aliarum à se allegatarum *d. p.2. q.9. &* [illegible]n.

764. Potuit vero punctum hoc controuerti ante dictam *Constitut.* Innocentij Decimi, vnde fuerunt tunc pro vtraq; parte DD. non pauci, quos referunt Sanchez *tom.2. consil. l.6. c.9. dub.1. n.20. & l.6. Moral. cap.1. n.14. & lib.7. de matr. disp.33. nu.22.* Barbos. ad Concil. Trid. *sess.25. cap.14. nu.10. & de off. Episc. alleg.78. n.25. & alleg.105. n.13.* Diana *t.3. tr.2. res.78. & p.7. tr.12. res.27.* Bord. *p.1. res.7. q.6. n.9.* Lezana *p.1. c.11. n.14.* Cespedes *dub. 274.* Sed hodie res est, & debet haberi pro certa, ex dicta *Cõst.* Innoc. X. & declarationibus S. Congr. Concilij habitis auditis partibus pluries, & in contradictorio iudicio, & sic auditis, & maturè discussis, quod pro Episc. Angelopolitano, & alijs Episcopis fuit in puncto huiusmodi allegatum. Bis enim in *d. Constit.* decernitur quid sit sentiendum in hac controuersia. Primo in principio illius *constit.* per hæc verba. *Prædictos Religiosos nequaquam posse in*

Ciuitate Diœcesi Angelopolitana personarum sæcularium confessiones audiri, sine approbatione [illegible] pi Diœcesani, nec Verbum Dei prædicare in Ecclesijs sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in alijs Ecclesijs sine eius licentia, nec in Ecclesijs etiam sui Ordinis ipso contradicente, & contrauenientes ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constit. Greg. 15. quæ incipit, Inscrutabili Dei prouidentia. Postea in responsione ad quartum dubium ex propositis pro parte PP. Societatis ibi. *Quarto, an Episcopus possit eum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei, & hoc an vigore Concilij Tridentini, vel per quem canonem? Respondit posse procedere, non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim constitutionis Greg. XV. quæ incipit Inscrutabili Dei prouidentia.*

765. Ex his sequitur primo, modo non esse amplius probabile asserere, quod Episcopus in vim Concil. Tridentini possit censuris procedere contra Regulares exemptos, si contraueniant præcepto Concil. Trident. subiecientis illos Episcopis quantum ad non audiendas confessiones secularium sine Episcopi approbatione, & quantum ad non prædicandum in aliorum Ecclesijs sine Episcopi licentia, vel in proprijs sine Episcopi benedictione, aut Episcopo contradicente. Quoniam expresse Pontifex declarat Episcopum ex vi Concil. Trid. nō posse censuris procedere contra Regulares in prædictis Episcopo non obedientes, & Cōcilij decreto nō obediētes est autem certissimū id non posse fieri ex vi Concil. Tridentini, quod Pontifex decernit fieri non posse ex vi dicti Concilij.

766. Colligitur secundò pariter certum esse, & tanquam certum haberi debere, quod ex quo Regulares exempti in aliquo casu subijciuntur Episcopis, non sequitur, quod si Regulares exempti sint inobedientes Episcopi possint contra illos procedere censuris. Probatur vero hoc corrolarium, quia sequitur per necessariam consequentiam ex primo. Nam Concilium Tridentinum Episcopis subiecit quantum ad prædicta Regulares exemptos, & tamen ex vi huius subiectionis non dedit Episcopis facultatem procedendi censuris contra Regulares exemptos inobedientes, vt declarauit Innoc. X. ergo ex eo quod Concilium vel Papa subiciat Regulares exemptos Episcopis non per hoc illis concedit facultatem contra illos inobedientes procedendi per censuras.

767. Colligitur tertio, pariter dicendum esse, quod Episcopi censuris contra Regulares exemptos non possunt procedere nisi in casibus in quibus hoc illis expresse conceditur. Nam hoc quoq; ex prædictis per certā consequentiam deducitur. Nam vbi hoc non est expresse concessum, cum non sit nec etiam concessum per consequentiam ex concessa Episcopis iurisdictione, vt est probatum; sequitur quod nullo modo sit eisdem concessum, cum nullus alius modus huius concessionis asserendæ imaginari possit. Cum enim Regulares habeant priuilegium vt Episcopi contra illos non possit procedere per censuras, nisi derogetur huic priuilegio, non possunt Episcopi id facere; Huic verò priuilegio non derogatur ex eo quod Regulares Episcopo subijciantur, si igitur nec derogatur, quia hoc expresse concedatur Episcopis, non est vnde [illegible] id eis fuisse concessum.

76[illegible]. At dices duo posteriora corollaria non sequi ex primo, quia quod Episcopus per censuras non possit procedere contra Regulares in præfatis casibus ex vi Concilij Trident. hoc ideò est, quia in eisdem casibus Concilium non dedit facultatem Episcopis procedendi contra eosdem Regulares, & eos puniendi si essent inobedientes. Sic punire Regulares prædicantes sine benedicatione Episcopi, ad Prælatos Regulares spectabat sicut & punire eos, qui confessiones secularium sine approbatione Episcopi audiuissent, vt declarasse S. Congreg. refert Reuerendiss. Fagnan. *cap. cum capella num. 21. & 22. de priuileg.* Non ergo mirum, si declaratum fuit Episcopos ex vi Concil. Trid. non posse procedere censuris contra Regulares in prædictis casibus inobedientes, cum in eisdem casibus eos nullo modo punire possent. Sed vbi Episcopis datur facultas coercendi corrigendi, & puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi. Et sic v. g. dum *sess. 25. cap. 13.* datur Episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras, & saltem non concluditur, quod hæc facultas eis non sit concessa ex vi Concil. Trid. ex eo quod non eis concessa facultas procedendi censuris contra inobedientes in audiendis confessionibus, & concionibus habendis.

769. Sed respondetur, & dicitur primo ex illo primo corollario, quod est & debet haberi vt certissimum colligi necessario per euidentem consequentiam falsum esse quod asseruit Barbastren. *p. 2. q. 10. num. 3.* nimirum quod ex quo Regulares subiecti sunt Episcopo ex vi Triden. vt sine eius approbatione non possint audire confessiones secularium sequatur quod ijdem Regulares sint subiecti pœnis, & censuris ab Episcopo impositis; quia certum est ex vi Tridentini eos ob illam causam non subijci censuris ab Episcopo latis. Secundum propterea corolarium per necessariam consequentiam deducitur, quia nimirum ex subiectione absolutè per quam Regulares in aliquo dicantur subiecti Episcopis per Concilium, non sequitur quod Episcopis per Concilium sit concessa iurisdictio coercitiua, & facultas puniendi. Nam cum Regulares per Concilium fuerint subiecti Episcopis quantum ad audiendas secularium confessiones, & Prædicationem, nihilominus certum est non fuisse Episcopis concessam facultatem procedendi censuris contra eos. Et insuper est quod certum, & in obiectione admittitur, quod nec eis fuit concessa facultas procedendi contra illos ad aliquas alias pœnas. Dum verò dicitur quod ex facultate puniendi concessa, simul concessa fuit facultas procedendi censuris, arguitur in contrarium. Nam ex subiectione concessa non sequitur concessa facultas coercendi, & puniendi, vt obijcitur, & admittitur, & merito, quia diuersa sunt aliquem esse subiectum alicui vt non possit agere sine eius licentia, & aliquem posse à tali superiore coerceri, & puniri, & ex concessione vnius, non deducitur concessio alterius. Nam in multis casibus iura dant potestatem cognoscendi, sed non exequendi, vt *l. A. Diuo Pio. ff. de re iud. Gloss. in Clem. 1. de foro competen.* Et in-

tet

ter non subditos non est bona consequentia, Episcopus habet iurisdictionem; ergo & personalem districtionem, ve es Anchar. in cap. *Ea quæ nu.* 17. *de Regal. in* 6. probat Fagnan. vbi supra *num.* 23. & probat exemplo laicorum qui licet in aliquo casu de causis Clericorum cognoscant, eos tamen non possunt personaliter coercere. Ita cum valde distinguantur potestas coercendi, & puniendi, quæ etiam est in laicis, & potestas excommunicandi, aut ferendi censuras, quæ est potestas spiritualis competens solis Ecclesiasticis; non valet consequentia ista Concilium concessit facultatem coercendi, & puniendi; ergo concessit facultatem procedendi censuris. Quod eo magis est verum, quia Regulares habent speciale priuilegium, vt non possint excommunicari, & hoc est quod maius, quam posse puniri. Et sic concedendi facultatem excommunicandi est necesse derogare speciali priuilegio, quod non est præsumendum factum esse, cum non sit expressum, & cum derogatio priuilegiorum odiosa strictè sit intelligenda.

770. Dicitur propterea secundò, quod ex quo Concilium Tridentinum in aliquibus casibus dat Episcopis facultatem coercendi, & puniendi Regulares, non per hoc dat illis facultatem procedendi contra illos censuris, nisi in casibus in quibus hoc expresse decernit, & propterea Episcopi nec ex vi Concilij Tridentini, nec ex vi constitutionum Apostolicarum etiam si illis concedatur delegata iurisdictio procedendi criminaliter contra Regulares exemptos, illosq; coercendi, corrigendi, & puniendi, possunt procedere contra illos per censuras, nisi hoc illis expresse concedatur. Assertio ista intelligitur de illis Regularibus, qui habent speciale priuilegium vt non possint excommunicari, suspendi, & interdici per Ordinarios. Huiusmodi priuilegium habet Ordo Prædicatorum ex *Constitut.* Bonifacij Noni, Gregorij Vndecimi, Nicolai Quinti, Martini Quinti, & Sixti Quarti, quæ recensuimus supra à *num.*633. Et similiter priuilegium habent alij Mendicantes, vt Minores in eorum Mari Magno apud Lezanam § 44. Augustiniani §.41. Carmelitæ §.101. & Minimi in *Constit.* Sixti Quarti, *quæ est* 2. apud Peyrinum §. 10. & PP. Societatis à Paulo 3. vt refert Sanchez *l.* 6. *consil. cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 28. & Monachi vt in Bull. Cassineo. *const.* 3. *num.* 28. *&* 5. *num.*8. *&* 11. *num.* 5. *&* 17. *num.* 11. *&* 18. *num.* 3. *&* 21. *num.* 5. *&* 22. *num.* 11. *&* 23. *num.* 5. *&* 25. *num.* 11.

771. His vero stantibus priuilegijs probatur assertum primo, quia in iure ex iurisdictione concessa, & facultate procedendi ad correctionem, damnationem, & pœnas, non debet inferri concessa facultas procedendi censuris nisi specialiter exprimatur. Nam Innoc. 4. *in cap. Volentes primo de priuil. in* 6. Cum ante decreuisset Ordinarios posse procedere contra exemptos ratione delicti commissi in Diœcesi, vel contractus ibidem initi, aut rei ibidem existentis, postea in §. *In eos*, declarat non per hoc Ordinario posse procedere censuris in præfatis casibus contra eos qui habent speciale priuilegium, vt non possint Ordinarij eos excommunicare, suspendere, vel interdicere. *In eos autem*, inquit, *quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum (sicut sunt Religiosi quam plures, in quorum priuilegijs continetur, ne quisquam Episcopus, aut Archiepiscopus, Monasteriorum suorum Monachos pro vlla causa, vllove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat) ijdem Ordinarij iurisdictionem suam quantum ad ista, vbicumque illi fuerint, penitus exercere non possint, &c.* Aduertunt verò Gloss. *ver. quantum ad ista.* Hostien. *col.*5. Io. Andr. Anch. *n.*4. Archid. *n.* 2. Gemin. §. *In eos, n.*7. & Franc. *num.*2. quod Innocent. non negat, quod Ordinarij possint in præfatis casibus cognoscere exemptorum causas, & illas terminare, & sic ratione delicti commissi extra locum exemptum eos punire. Vnde citati DD. bene asserunt quod Episcopus in prædictis casibus potest Religiosos exemptos deponere, & in arctius Monasterium detrudere, alijsue pœnis punire, non tamen poterit in eos censuras ferre. Sed Pontifex vult, quod in eisdem casibus contra eos exemptos, & Religiosos, qui habent priuilegium, vt non possint interdici, &c. Ordinarij non possint procedere censuris, & eos interdicere, suspendere, vel excommunicare. Cuius ratio est, quia non derogatur speciali priuilegio nisi id exprimatur, & quia cum sint duo diuersa, & separabilia facultas procedendi contra aliquem, & facultas procedendi contra illum per censuras ex concessione primæ facultatis, non intelligi debet concessa secunda, maximè si is, contra quem est procedendi habeat priuilegium vt contra illum censuris procedi non possit. Cum ergo Regulares Mendicantes, & Monachi ferè omnes habeant priuilegium, vt Ordinarij non possint contra eos procedere per censuras quod priuilegium admittitur, & approbatur *in d. cap. Volentes*, p. per Innoc. 4. & iterum per Alxand. 4. in *cap. Ne aliqui, de priuil.* Ex eo quod Concil. Trid. vel Pontifex in aliqua sua *Constitut.* det Ordinarijs facultatem procedendi ciuiliter, vel criminaliter in aliquo casu contra Regulares non sequitur, quod detur eisdem Ordinarijs facultas procedendi contra illos per censuras.

772. Quod confirmatur, quia vbi Concil. voluit quod Ordinarij possent contra Regulares procedere censuris, id expressit, *vt sess.* 22. *in decret. de obseruan. & vitand.* in celebratione Missæ, quoad hoc, quod est celebrare in Oratorio priuato, vel omnino extra Ecclesiam, *& sess.* 25. *cap.* 5. quoad clausurã Monialiũ, *& cap.*16. quoad restitutionẽ bonorum Nouitiorũ redeuntium ad seculũ. Vnde & in alijs casibus si voluisset, quod Episcopi possent procedere censuris id expressisset. *c. inter corporalia, de translat. Episc. c. ad audientiã, de decimis, & l. vni.* §. *fin. C. de caduc. tolla.* Et hoc amplius cõfirmatur ex declaratione Sac. Congr. de anno 1587. quã refert Rod. *t.* 1. *q.* 45. *a.* 2. Suar. *to.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 10. *n.* 27. Lezan. *v. exemptio. num.* 11. & est talis. *Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo Edicto proposuit: nisi Regulares illi habeant ex priuilegio, quod non possint excommunicari, & tunc debeant puniri à suis superioribus alia pœna.* Ex hac enim declaratione clarè habetur, quod Episcopi contra Regulares, vt supra priuilegiatos non possunt procedere censuris, etiã si id facere possint cõtra nõ priuilegiatos

Et hoc idem confirmat doctrina illa à pluribus tradita.

773. Quia nimirum vbi exemptio non sit notoria, si Episcopus citet Religiosum ille tenetur comparere coram Episcopo, & si non compareat, & Episcopus illum excommunicet, quod excommunicatio tenet, nisi ille Religiosus habeat priuilegium, vt non possit excommunicari cum clausula irritanti. Sic enim docuerunt Io. Andr. *reg. scienti num.* 7. *de reg. iur. in* 6. & ibi Franc. *num.* 4. Item Io. Andr. *cap.* 1. *de concess. Prabend. in* 6. *nu.* 8. & ibi Anch. *num.* 6. Dominicus §. *ex parte, n.* 4. Franc. *num.* 2. Socin. *cap. mulier. num.* 34. *de sent. excomm.* Richar. 4. *d.* 18. *a.* 5. *quæst.* 1. Rosella *v. exemptus in princ.* Syluest. *v. exemptio quæst.* 8. Armill. *num.* 2. Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 33. *num.* 23. Et hoc enim de mente horum DD. habetur semper verum esse, quod facultas iudicandi, & procedendi cōtra eum ad pœnam nōn se extendit ad procedendum per censuras, si ille habet priuilegium vt contra eum censuris procedi non possit.

774. Quod priuilegium cum habeant omnes ferè Regulares, bene sequitur, quod Ordinarius etiam in casibus in quibus potest contra Regulares procedere non potest eos interdicere, suspendere, vel excommunicare. Quod tenuerunt Nauar. *cons.* 4. *n.* 2. *de sent. excom.* Syluest. *v. exemptio. num.* 9. Gambara *de off. Legati l.* 8. *c. vlt. nu.* 77. Henriq. *l.* 7. *cap.* 25. *num.* 7. Rodriq. *t.* 1. *sum. edit.* 2. *cap.* 74. *num.* 4. Sanchez *l.* 7. *de mat. disp.* 33. *num.* 23. & *l.* 6. *in Decal. cap.* 1. *num.* 14. & *l.* 6. *consil. cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 28. Portell. *v. Episcopus. num.* 5. Villalob. *p.* 2. *tr.* 35. *diff.* 5. *num.* 17. Hier. Rodriq. *res.* 60. *num.* 15. & *resol.* 62. *n.* 7. Scoctia. *in selectibus Bull. Pontif. theorem.* 393. Peyr. *ad const.* 11. Sixti Quarti *num.* 60. Tambur. *de iure Abb. tom.* 1. *disp.* 19. *q.* 7. *num.* 7. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 76. & *p.* 7. *tr.* 12. *num.* 59. De Bellis *in quadam alleg. p.* 1. *assum.* 3. *nu.* 1. Cespedes *dub.* 274. *num.* 6. Lezana *t.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. & *p.* 4. *v. exemptio. num.* 11. Quaranta *v. Præcedentia. ver. Anta casu.* Cochier. *de iurisd. Ordinar. in exemp. p.* 5. *qu.* 99. Alphons. de Leon. *recollec.* 2. *num.* 488. Vulpes. *in praxi cap.* 41. *num.* 26. Nouar. Lucerna Regul. *v. excommunicare num.* 4. & 5. Garzia *in Polit. Regul. tr.* 3. *diff.* 8. *dub.* 5. *p.* 2. *num.* 4. Barbosa *de off. Episcopi alleg.* 105. *num.* 13 *in fin.* Pasqual. *p.* 1. ad Lauretum *num.* 49. & *p.* 2. *q.* 6. *nu.* 2. Gabriel. à S. Vincentio *de Censuris disp.* 1. *quæst.* 35. *num.* 379.

775. Nec obstat, si dicatur, quod concessa iurisdictione intelligitur concessum omne id, sine quo non potest iurisdictio exerceri. *cap. præterea, & cap. prudentiam de off. deleg.* At verò sine censuris non potest iurisdictio exequi. Nam hæc minor subsumpta conuincitur falsa ex iure in *text. cap.* 1. *de priuil. in* 6. supra ponderato, vbi datur Ordinarijs facultas contra exemptos cognoscendi de delictis extra locum exemptum commissis, & tamen negatur facultas procedendi censuris, si exempti habent priuilegium, vt non possint excommunicari, &c. sicut Religiosi habent. Vnde Gloss. Hostien. Archid. Anchar. Dom. & Franc. supra citati aduerterunt Ordinarium in hoc casu posse punire exemptum alijs pœnis, non vero censuris. Vnde corruit fundamentum sententiæ oppositæ, super quo maximè se fundat Barbosa. *p.* 2. *Pastoral. q.* 22. *num.* 13. & alibi, quia nimirum posse coercere censuris sit accessorium per necessarium antecedens imbibitum in ipsa iurisdictione, cum imò appareat esse de iure separabile, & separatum fuisse, & separari debere, nisi specialiter concedatur, vbi procedendum est contra illos, qui habent priuilegium speciale, & non possint coerceri censuris. Vnde etiam benè apparet, quod vbi procedendum est contra huiusmodi priuilegium habentes vt excludatur facultas coercendi per censuras non est necesse quod id expresse prohibeatur, sed huiusmodi facultas exclusa intelligitur ex vi priuilegij, nisi ei expresse derogetur, & sic expresse facultas concedatur.

776. Minus quoque obstat dicere, quod Concilium derogat omnibus priuilegijs Regularium, & ex consequenti, quia Concilium non limitat modum procedendi contra Regulares, non obstantibus priuilegijs concessis Regularibus, erit arbitrariū Ordinarij procedere censuris contra illos. Nam dicitur priuilegia esse reuocata, quatenus sunt contraria decretis Concilij, & ideò non obstant priuilegia, quin Ordinarij possint contra Regulares procedere censuris in illis casibus in quibus Concilium hoc illis expresse concedit. Sed ratio supponit probandum, & in hoc petit principium, & supponit, quod Concilium facultatem procedendi censuris aduersus Regulares concedat Ordinarijs, vbi hoc non exprimit, & simpliciter concedit facultatem procedendi contra Regulares, quod est id, de quo est quæstio: Nos verò dicimus viuere priuilegia, nec esse reuocata (quidquid in contrarium dixerit Bordon. *resol.* 7. *nu.* 9.) quia Concilium per illum modum loquendi nudam facultatem procedendi concedit, quod & ex Concilio deducitur, quod vbi voluit concedere facultatem procedendi censuris, id expressit.

777. Et si igitur non desint, qui dicant Episcopos in omnibus illis casibus posse procedere censuris contra Regulares, in quibus Concilium dat illis facultatem eos corrigendi, coercendi, & puniendi, qui sunt Salzedo apud Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 33. *num.* 22. Crastin. *p.* 1. *cap.* 50. *n.* 20. & apud eum Armendaria, Lopez ad Diac. Prax. Archiep. Neap. Ricc. Grat. Pax. Iordan. *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 59. qui tamen ait consultius esse abstinere, Bordon. *t.* 1. *resol.* 7. *q.* 6. *num.* 9. Coton. *lib.* 3. *contr.* 8. *num.* 200. Barbosa. *in Pastoral. p.* 2. *q.* 22. *num.* 33. Nihilominus prior sententia meliori iuris fundamento nititur, vt satis est manifestum in dictis. Et eo magis, quod per priuilegium concessum Minoribus à Clemente Quarto, in Bulla, quæ incipit *exigentibus vestra deuotionis*, data 17. Cal. Iulij Pontif. 9. quæ in Bullar. Rodriq. *est* 9. (quod priuilegium est commune habentibus priuilegium communicationis) nec Legati, aut Delegati, aut Subdelegati Papæ possunt Minores interdicere, suspendere, & excommunicare, nisi in literis eorum plena, & expressa mentio fiat Ordinis Minorum. Excipiuntur tamen in eadem Bulla Legati à latere, & ex consequenti Nuncij qui dantur cum facultate Legati à latere, & omnes illi, qui habent à Papa iurisdictionem vniuersalem cum sufficienti derogatione huius priuilegij. Ex quo tamen hoc ad præsens inten-

intentum deducitur, quod ad hoc vt etiam Delegati Papæ possint procedere censuris contra Regulares requiritur specialis facultas, & quod non valet consequentia a concessiones iurisdictionis & facultatis coercendi per pœnas ad facultatem excommunicandi. Vnde etiam est, quod in excommunicationibus latis in generali etiam à Legatis à latere non comprehenduntur Regulares nisi exprimantur. *Lucerna Regul. v. excommunicatio n. 8.* Lezana *p. 4. v. exemptio n. 10.*

SVMMARIVM.

1 *Episcopus in casibus in quibus ei Regulares sunt subiecti potest eos declarare excommunicatos. num. 778.*
2 *Decretum S. Congr. Concilij. num. 779.*
3 *Declaratio excommunicationis est actus iurisdictionis. num. 779. 784.*
4 *Episcopus non potest declarare exemptum excommunicatum. num. 780.*
5 *Nec potest illum citare, quia citatio est actus iurisdictionis. num. 780. 781.*
6 *Citatio cum clausula si sua putat interresse non habet locum, cum agitur contra personam. num. 781.*
7 *Speciale est quod Regulares possint declarari excommunicati in casu Clem. 1. de priuil. num. num. 782.*
8 *In casu notorio posse Episcopum declarare Regularem excommunicatum aliqui volunt. num. 783.*
9 *Praxis obseruat reum citari etiam in casu notorij. num. 784.*
10 *Episcopus potest præcipere suis subditis vt Regularem publicum excommunicatum non admittant ad diuina. num. 785.*
11 *Quid vbi Regularis notoriè deliquit extra claustra. num. 786.*
12 *Barbosa impugnatur. num. 787.*
13 *Declarationes S. Congr. relata à DD. qui originalia non viderunt, dubiæ fidei sunt. nu. 787.*

778. Quæritur 12. An Episcopus Regulares à iure excommunicatos tales possit declarare, & sic præcipere vt nullus eis communicet? Indubitatum est, quod vbi Regulares sint declarati excommunicati ab aliquo ex suis Prælatis, vel competente iudice, Ordinarius potest præcipere suis subditis, vt à communione abstineant. Sed & pro indubitato haberi debet, quod si in aliquo ex casibus in quibus Regulares sunt subiecti Episcopo sit annexa excommunicatio latæ sententiæ, ipse Episcopus qui potest contra Regulares in eo casu procedere, eosque secundum Sacros Canones punire, potest eosdem declarare incursos in excommunicatione, vel quacumque alia censura, aut pœna ipso iure contra illos lata in eo casu, seu pro illa causa. Sic Episcopus in causa fidei procedens contra aliquem Regularem potest illum declarare hæreticum, & excommunicatum, si ex actis talis est habendus. Difficultas ergo est, quando Regulares incidunt in excommunicationem ob delictum super quo Episcopus non potest cognoscere, an tunc Episcopus possit eum declarare excommunicatum?

779. Sed resolutio huius difficultatis habetur ex declaratione S. Congr. Concilij, quam refert Reuerendiss. Fagnan. *cap. Non potest. num. 8. de re iudic. Cum olim,* inquit, *quidam Eques Hierasolymitanus suum Parochum publicè alapa percussisset, & citatus ab Ordinario sua priuilegia opposuisset, & quãuis ipso iure excommunicatus esset, cum omnibus tamen conuersaretur: re ad Congregationem Concilij delata, S. Congregatio censuit non posse Ordinarium exercere in eum vllam iurisdictionem, neque excommunicando, neque declarando excommunicatum, quia ex priuilegio exemptus est, vt in cap. 11. sess. 24. Concil. Trid. tamen ex quo ipse ob talem percussionem incidit in excommunicationem. cap. si quis suadente. posse Episcopum præcipere omnibus Parochis, & Canonicis, & alijs Sacerdotibus, ne eum admittant intra Ecclesias eidem Episcopo subiectas.* Atque idem postea respõdit S. Cõg. annis præteritis ad Archiepiscopũ Salernitanũ. Ex hac verò declaratione hoc euidenter habetur quod declarare excommunicatum aliquem est actus iurisdictionis. Nam ex eo S. Congr. censuit Ordinarium non posse in eo casu declarare Equitem illum excommunicatum, quia non potuit contra illum exercere aliquem actum iurisdictionis vel excommunicando, vel declarando. Et verè non potest negari quod declaratio excommunicationis iuridica, & ex auctoritate facta non sit iurisdictionis actus, cum sit actus dicentis ius, & sententiantis, & obligantis tam alius ad non communicandum cũ excommunicato, quam excommunicatum ad se publicè, & in omnibus habendum, vt talem.

780. Colligitur primò ex his admittendam non esse sententiam illorum, qui absolutè dixerunt, Ordinarium posse procedere contra Regulares ad decernendum, & declarandum eos excommunicatos, si aliquod delictum commiserint, pro quo sit imposita excommunicatio latæ sententiæ. Hoc senserunt Lauretus de Franchis *p. 2. q. 7.* & apud eum Card. in Clem. 1. de Priuil. D. in *cap. si Papa 4 distinct.* Imola in Clem. 1. *de sequest. possess.* Felin. *in cap. Non potest, de reiudic. num. 3.* Gamb. de potestate Legati *l. 8. cap. de potestate Legati in regulares exemptos* Henriq. *l. 7. c. 5. num. 7.* Et apud Barbos. *de off. Episc. all. 105. n. 73.* Alter. *de cens. tom. 1. disp. 10. l. 3. cap. 5.* Piasec. *p. 2. cap. 3. §. 6. num. 59.* Cened. *canon. quæst. q. 26. num. 30.* Sed oppositum merito declarauit S. Congregatio Concilij, & docuerunt Nauar. *com. 2. de sent. excom.* Peyrin. *in const.* 2. Sixti Quarti §. 10. *num. 13.* Portell. *v. Episcopus num. 9.* Vulpius in praxi *cap. 42. num. 25.* Diana *p. 3. tr. 2. resol. 35.* Lezana *p. 1. cap. 11. num. 15. & v. exemptio nu. 9.* Alphonsus de Leon. *de cens. resol. 2. num. 241.* Cespedes *de exempt. cap. 18. dub. 295. num. 2.* Bordon. *in consil. regul. p. 1. res. 7. num.* 10. Rodriq. *q. 63. a. 7.* Graff. *par. 1. lib. 2. cap. 49. num. 68.* Sorbus *in compend. priuil. v. exemptio* Hieron. Rodriq. *resol. 62. num. 8.* Donat. *p. 2. tr. 13. q. 26. num. 2.* Pasqual. ad Laurcium *par. 2. q. 7. num. 4.* Fagnanus *ad cap. Non potest. num. 9.* Ratio communis pro hac sententia est, quia non possit aliquis denunciari excommunicatus, nisi citetur Gloss. in Clem. præsenti.

senti, *in ver. constiterit*, *de censibus*. Et in Clem. 2. *eod. verb. de pœnis*. Felin. *in cap. Rodulphus nu.* 41. *de rescript*. Card. *consil.* 131. *num.* 4. Citatio autem est actus iurisdictionis, vnde non potest decerni ab Ordinario contra exemptum cuius non est iudex competens *cap. De illicita* 54. q. 3. *cap. ex parte*, *v. auctoritate iudicis citatur*, *de rescrip.* & *tradit* Vantius *de nullit. tit.* de nullitate ex defectu *citat. num.* 27. & 35. Cum citatio sit decretum interlocutorium, vt probatur *in l. Cum Clerici*, ibi, *Sententiarum suarum auctoritate pulsantur*; & ita tradit Gloss. & Bald. C. de Episcopo, & Cler.

781. Nec obstat si dicatur, ex Panorm. in Clem. 1. *de priuil.* & Felin. *in d. cap. Non potest n.* 3. *de re iudic.* Ordinarium in hoc casu posse citare, quia cum sua velint, quod ad huiusmodi denunciationem pars citetur, concesso consequente censetur concessum, & antecedens *cap. praeterea*, *de off. deleg.* Neque hoc modo violatur exemptio, quia hæc non est citatio arctatoris, sed similis illi, quæ habet clausulam, si tua putas interesse, quæ non arctat nolentem comparere, & potest fieri etiam cū non subdito Bart. *in l. Testamenta col.* 5. *de testamen.* Fel. *cap. Ecclesia San. Maria ad fin.* 2. *quæst. de constit.* Hoc, inquam, non obstat. Tum primò quia imo hæc citatio est arctatoria, cum necessitetur citatus ad comparendum, ne declaretur excommunicatus. Tum secundò quia citatio illa, si sua putet interesse, locum habere potest, quando iudex habet ius, vt decernat de re, quæ subest iudicio citantis, & ad quam non subditus potest habere interesse, & sic iudex habet iurisdictionem super rem, quæ potest esse non subditi, sed locum habere non potest illa citatio, quando agitur de persona non subdita punienda, seu de actione personæ non subditæ iudicanda, semper enim citatio est actus iurisdictionis, at verò Ordinarius nullam habet iurisdictionem, vel super persona, vel super actione Regularis, vnde ex nulla parte potest Ordinarius illum citare.

782. Minus obstat, quod affertur ex Clem. 1. *de priuil.* quia imò ex ea Clem. probatur assertio posita, Nam speciale est, quod Regulares Sacramenta administrantes sine licentia Parochorum possint a locorum Ordinarijs denunciari excommunicati, quia hoc expressè decretum fuit in ea Clem. ergo in contrarium est ius commune *l. ius singulare* & *l. quod vero* ff. *de leg. quod fatis taxatur in d Clem. Mol. num.* 3. aduertens Regulares in eo casu posse declarari excommunicatos non obstante priuilegio exemptionis. Vnde per locum à contrario sensu ex eadem Clem. deducitur, quod in alijs casibus non liceat Ordinarijs declarare exemptos excommunicatos.

783. Colligitur secundò, quod secundum præfatam declarationem S. Cong. Concilij, neque est admittenda distinctio, & limitatio eorum, qui dicunt, Ordinarios posse declarare Regulares excommunicatos in casu notorio, Sic quidem voluerunt vbi supra Io. Andr. & Domin. *in cap.* 1. *de priuil. in* 6. quos sequitur Barbosa vbi supra Vgol. *cap.* 19. §. 10. *num.* 2. Rodriq. *p.* 2. *q.* 63. *a.* 1 *t.* Fagnanus *ad d. cap. Non potest*, *de re iudic. nu.* 13. Et apud eum Praepositum *cap. si Papa d.* 40. *n.* 12. Guilel. in Clem. Fil. *de pænit.* & *remiss.* Ratio autem huius sententiæ est, quia declaratio præcisa citatione non sit actus iurisdictionis, ita quod etiā qui non potest iudicare potest declarare secundum Cardin. in Clem. *fin. quæst.* 6. *de pænit.* & *remiss.* Felin. *ad d. cap. Non potest num.* 3. Et similiter quamuis excommunicatio lata post appellationem sit nulla *cap. Cum contingat*, *de off. deleg.* & *cap. Per tuas de sent. excommun.* tamen declaratio est valida *cap. Pastoralis*, *in fin. de appellat.* Roman. *cons.* 482. propè finem propterea declaratio excommunicationis potest fieri ab Ordinario etiam in causa, in qua iurisdictionem non habet per Imol. in Clem. 1. *nu.* 29 *de sequestrand. possess.* Gloss. *in cap. si Papa* 40. *dist.* Neque enim obstat quod citatio sit actus iurisdictionis, quia in notorio non est opus citatione, vt probat Roman. *consil.* 482. *à num* 5. vsque ad finem.

784. Sed huiusmodi ratio deficit, tum primò quia nec praxis admittit, quod in notorijs non sit necessaria citatio, nec est tam facile, vt detur delictum ita iudici notorium, vt illi pariter notorium sit, quod prætensus reus nullo modo possit se defendere saltem à pœna Ordinarij. Tum secundò quia non est iuri conforme asserere, quod declaratio auctoritatiua, & iudicialis non sit actus iurisdictionis; Nam si hoc esset, quilibet de populo, & muliercula qualibet posset declarare hunc, vel illum excommunicatum, quod certè absurdum esset admittere. Nec enim valet dicere, quod per declarationem amplius non ligatur cum à principio ligatus fuerit, sed denunciatur ligatus, vt vitetur, quia & magis ligatur dum denunciatur, hæc enim est infamia magna, ideoque, & pœna grauis habendum esse in facie Ecclesiæ, vt excommunicatum; quam pœnam & infamiam non fert secum excommunicatio non denunciata. Et nullus est qui negare possit, quod non distinguatur denunciatio excommunicationis, quæ non fit à iurisdictione, sed fit à priuata persona, etiam si fiat manifestissime, & per scripturarum euulgationem, & in toto omnino vonetso, ab ea denunciatione, quæ est à iurisdictione, & fit nomine publico, ex indicis auctoritate. Nam & excommunicatus quantumcunque difamatus, & notorius, si non sit notorius Clerici percussor, non est necessario vitandus, sed per se considerata declaratione excommunicationis apparet, quod est actus iurisdictionis. Nam iudicis est decernere non solum de iure in communi, sed de persona, & eam in casu, vel innocentem declarare, vel damnare, & si vult damnare ad pœnam, necesse est, quod conficiat hoc argumentum, qui hoc facit est excommunicatus, & vt talis denunciandus, sed tu hoc fecisti, ergo tu es excommunicatus denunciandus. At verò totus silogismus est iudicialis, & à iurisdictione: Minorem verò illam, tu hoc fecisti, & ex consequenti conclusionem illam, ergo tu es excommunicatus denunciandus non potest deducere, qui non est iudex, & non agit ex iurisdictione. Vnde nec potest quis deuenire ad huiusmodi declarationem sine notitia iudiciali, quidquid sit an sufficiat illa, quæ sufficit vbi iudex iudicat sine figura, & strepitu iudicij sola rei veritate inspecta. Benè ergo S. Cong. absolutè dixit, quod Ordinarius non potest in exemptos vti aliqua iurisdictione,

ctione, vel excommunicando, vel declarando. Quod etiam docuerunt Lezana *p.1. cap. 11. n.15. & p.4. v. exemptio* Cespedes *dub.295. num.5.* Donatus *p.2. tr. 13. q. 27.* Pasqualig. ad Lauretum *p.2. q.7. n.5.*

785. Colligitur tertiò, quod vbi delictum, & excommunicatio sit publica potest Episcopus præcipere sacerdotibus suis subditis, quod vitent excommunicatum, nec admittant eum ad diuina. Et hinc non est verum solum in casu, quod Regularis sit declaratus excommunicatus à suis superioribus, sicut voluit Pasqualig. vbi supra *num.7.* dicens ex Riccio hoc fuisse declaratum in Trapien. 23. Nouem. 1582. Quia casus de quo loquitur declaratio San. Congregationis supra recensita non erat excõmunicati denunciati, sed solũ publici, & tamen S. Cong. respondit Episcopum potuisse præcipere Parochis, & sacerdotibus sibi subiectis ne illum admitterent intra Ecclesias. Neq; hoc est indirectè denunciare excommunicatum, vel hæc indirectè denunciatio non est prohibita, quia non est ex iurisdictione in excommunicatum. Sed cum de iure fideles possint vitare excommunicatum publicum licet non denunciatum, Episcopus potest velle eum vitare, & præcipere, vt à suis vitetur, & intra Ecclesias non admittatur.

786. An verò in terminis Concil. Tridentin. *sess.25. cap.14.* possit Episcopus instare, vt Regularis, qui extra Claustra notorie delinquit, & cum scandalo, denuncietur à suo superiore excommunicatus, negat Pasqualig. ad Lauretum *p.2. q.20. n.3.* Quia non est Episcopi determinare pœnam, in quam qui notorie deliquit extra claustra debeat damnari, aut declarari, sed solum potest instare, vt visis videndis ex actis puniatur prout iuris est, vt si non sequatur subintret ipse, iuxta tradita supra *q. 189.*

787. Colligitur vltimo, quod non obstat declaratio, quam refert ex Bonsandioo, Barbosa in *sum. Apost. v. Regulares num.33.* vbi habet, quod Regulares exempti, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt, possunt ab Episcopo publicè denunciari excommunicati, vt tanquam tales ab alijs euitentur. Sed si fuerit difficultas in eo, quod Episcopus in huiusmodi causa debeat citare, & citatio est actus iurisdictionis, quam Episcopus non potest in huiusmodi personas exemptas exercere, ideò placet pro solutione doctrina Felini *in cap. Non potest, de sent. & re iud. S.Cong. Episc. & Regul. die 24. May* 1621. penes Aldan, *tit. 22. num. 16.* Cum enim de declaratione quam retulit Reuerendissimus Fagnanus, qui fuit S.Cong. Concilij Secretarius, & quæ supra recensita fuit dubitare non possimus, illi standum est; Cæterum declarationes recensitæ à DD. qui Originalia S.Cong. non viderunt dubiæ sunt fidei nec in eis potest homo prudens, & doctus, se fundare. Et in proposito nostro, forsan qui primus adnotauit declarationem à Barbosa relatam æquinocauit, & ex quo S. Cong. dixit Episcopum posse præcipere suis subditis Sacerdotibus, vt non admittant publicum excommunicatum, colligit mentem S. Cong. esse, vt possit excommunicatum Regularem declarare. Cæterum cum S. Congregatio Concilij duo afferat in præcitata declaratione, nimirum quod Episcopus nullam iurisdictionis ac um p... equi contra Regularem exemptum, & [illegible] quod propterea non potest exercere iurisdictionem in illum excommunicando aut declarando, nec sit dicendum S. Cong. contraria sibi decreuisse, ab ea recensita declaratione Sac. Congr. non est recedendum.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata contra priuilegium exemptionis est nulla ipso. n.788.*
2 *Difficultas quæstionis. n.789.*
3 *Opinio aliquorum. n.789.*
4 *Vbi notorium est citatum non teneri ad comparendum sententia lata contra contumacem est nulla. n.790.*
5 *Hoc præcipue verum est vbi citatio est notoriè nulla ex defectu iurisdictionis. n.790.*
6 *Regularis citatus in casu notoriæ exemptionis non tenetur respondere. n.791.*
7 *Iudex suspectas citando non grauat. numero 791.*
8 *In aliquibus casibus exemptus notorius tenetur respondere citationi. n.791.*
9 *Exemptus qui non potest prorogare iurisdictionem etiam si sit præsens non tenetur citatus respondere. n.792.*
10 *Etiam sententia ab ignorante lata contra notoriè exemptum est nulla. 793.*
11 *Iudicis scientis exemptionem sententia est nulla. nu.794.*
12 *Si iudex putabat se competentem esse valet sententia lata contra contumaciam, non tamen lata in causa principali. n.795.*
13 *Quid vbi iudex pronunciauit se esse iudicem cõpetentem. n.796.*
14 *Sententia ordinarij lata contra Regularem exemptum in causa principali nunquam est valida sententia tamen punitiua contumaciæ potest esse valida. n.797.*
15 *Ordinarius non potest contra Regularem contumacem procedere per censuras. numero 797.*

788. QVæritur 13. An sententia contra Regulares exemptos lata in casibus, in quibus non est Ordinarijs concessa iurisdictio sit irrita? In hac quæstione hoc primò certum est, quod sententia ab ordinario lata in Regulares exemptos contra priuilegium exemptionis est nulla ipso iure, & nihilifacienda, & si est sententia excommunicationis non est timenda, quippe quæ vacua robore est, & nullius ponderis, vt potè lata à non habente iurisdictionem. Hoc enim expresse decernitur in priuilegijs supra à *num.633.* recensitis, & ita huiusmodi sententias nullas esse docuerunt *ad cap.1. de priuil. in 6.* Gemin. *§. vlt. num: 6.* & Franc. *num. 1:* & ibid: Hostien. super verbo præsumas Anchar. *num. 4.* Reuerendiss. Fagnan. *cap. Tuarum num.45. de priuil.* Hoc idem tenent omnes illi DD. qui afferunt sen-

sentiam

tentiam latam ab Ordinario contra Regularem non comparentem esse validam nisi priuilegium sit munitum decreto irritanti; In hoc enim casu sententiam dicunt esse nullam Io. Andr. regula, sciens. de reg. iuris in 6. num. 7. & ibi Franc. n. 4. Item Io. Andr. cap. t. de concess. preb. in 6. nu. 8. & ibi Anchar. num. 6. Dominicus ibi §. Ex parte num 4. Franc num. 2. Socin. cap. Mulier. num. 34. de sent. exc m. Richar. 4. d. 18. a. 5. q. 5. Syluest. v. exemptio q. 8. num. 9. Tabien. v. exemptus n. 1: Rosell. verbo exemptus ab initio, cum enim certum sit priuilegium exemptionis Regularium esse munitum decreto irritanti, iam secundum hoc DD. sententia lata contra huiusmodi priuilegium est ipso iure, & facto nulla, quod docent etiam Nauar. cons. 2. de sent. excom. Sanchez l. 7. de matrim. disp. 33. n. 23. Lezana v. exemptio n. 8. Vbi, & bene, quod neque haec nullitas excusatur ex ignorantia Ordinarij nescientis exemptionem, quia lex munita decreto irritanti quantum ad nullitatem actuum attentatorum contra legem afficit etiam ignorantes, vt pluribus probat Couar. Pract. quaest. cap. 9. nu. 7. Et sic sententia super principali causa ab Ordinario quomodocumque lata contra priuilegium exemptionis est nulla, & si sit sententia excommunicationis non est timenda, quia excommunicatio nulla ex defectu iurisdictionis in eam ferente non est timenda.

789. Verum hoc stante, quia Regularis, vt est supra probatum, si fuerit requisitus tenetur Ordinario ostendere priuilegium exemptionis si illud non sit notorium, ideo difficultas est, qualis sit iudicanda sententia Ordinarij, si sit lata contra contumacem, qui citatus, & requisitus noluit ostendere priuilegium, vel coram Ordinario cõparere, & priuilegium suae exemptionis exhibere. Richardus in 4. d. 18. a. 5. q. 5. quem sequuntur Sylu. v. exemptio q. 8. num. 9. & Tabien. num. 1. de hac difficultate sic sentit. Vel enim priuilegiatus ante sententiam allegat priuilegium paratus illud ostendere, & in hoc casu sententia est nulla. Si verò illud non allegat, nihilominus etiam sententia non tenet, si illud priuilegium est publicatum. Si verò non sit publicatum nihilominus credit, sententiam non valere, si priuilegium sit notum iudici, arg. cap. si duobus, de appellat. in text. & in gloss. Sed si priuilegium non sit iudici notum, nec priuilegiatus fuit in longo tempore libertatis, tunc sententia tenet, arg. d. cap. Si duobus, quod tamen intellige, nisi in priuilegio esset clausula irritans. Si verò priuilegiatus allegat priuilegium non publicatum, nec iudici notum, nec fuit in longo tempore libertatis illius, & iudici petenti priuilegium sibi ostendi, non vult illud ostendere, nec clausulam continentem suam libertatem, tenebit sententia si feratur contra eum cap. Cum persona de priuil. in 6. nec propter sequentem ostensionem priuilegij iudicabitur sententiam fuisse nullam, vel esse reuocandum. At verò Gratiosus Vbertus de citationibus cap. 9. num. 103. aliter distinguit, & ait, quod si exemptus re vera est exemptus, quia vel exemptio erat notoria, vel ex post de vera exemptione docetur, non potest exemptus citatus, & non cõparens iudicari contumax, & processus tanquã contra contumacem factus non valet. Sed si exemptio sit d[...]ta, sedum ante, sed post exhibitionem priuilegij, tunc valet processus in contumaciam factus; quia debebat comparere, ex quo in dubio cognitio pertinet ad iudicem ordinarium, an iurisdictio sit sua l. si quis ex aliena ff. de iud. Sed si exemptio, quae ab initio erat d[...]a, postea per exhibitionem priuilegij fiat certa, neque processus valet, neque sententia, & intrat regula, quod sententia lata à non suo iudice non ten[...] l. fin. C. si a non competen. Limitat verò vt hoc non procedat in exemptione priuatae personae, quae potest suo iuri renunciare, & in iurisdictionem alterius iudicis consentire.

790. Sed ex Panormit. in cap. Cum ordinem, num. 5. & 6. de rescrip. is, & alijs DD. respondetur, & dicitur primò, quod vbi notoriè constat citatum non teneri ad comparendum, non potest iudex procedere contra eum, vt contra contumacem: sic habetur per text. cum gloss. in l. non vt frustanda ff de iud. Clem. in cap. Pastoralis §. Pisana, & ibi Guil. de iud. Gloss. in cap. veniens, de accus. & in cap. si Episcopus. 3. q. 2. Et ita huius sententiae sunt omnes, quos supra retulimus dicentes quod vbi exemptio sit notoria non sit necessarium comparere coram Iudice, nec etiam ad allegandum priuilegium. At verò controuersum fuerit apud Canonistas an priuilegiatus debeat comparere ad allegandum priuilegium, quam difficultatem latè tractat Felin. ad cap. cum ordinem, de rescript. num. 3. & seq. & pro vtraque parte plures refert. Sed considerandum est, quod aliud est loqui de priuilegiato quocumque, & aliud est loqui de exẽptione à iurisdictione citantis. Stat enim aliquem habere priuilegium aliquod per quod possit declinare forum, vt v. g. si sit notorium iudicem esse sibi suspectum, aut si citetur pro loco notoriè non tuto; Nam iudex ex eo quod sit suspectus non amittit iurisdictionem, imò & potest esse, quod iustè iudicet. Sicut non perdit iurisdictionem iudex ex eo, quod sit in loco non tuto. Quamuis verò assertio posita sit vera vniuersaliter in terminis eius, tamen indubitata prorsus est vbi notorium est citantem non habere in citatum iurisdictionem, sicut si laicus citaret Clericum in causa spirituali; quia euidentissimum est, & indubitatum, quod nullus tenetur obedire et, quem non habere iurisdictionem super citatum est manifestum, & notorium. Aliter cuicumque citanti siue iudex esset, & superior, siue non, esset obediendum. Verum aduertendum, quod ad hoc, vt sit notorium citatum nõ teneri ad comparendum est necessarium, quod iudex non habeat iurisdictionem in citatum in ea causa pro qua citat. Sic licet Regularis exemptus sit exemptus simpliciter à iurisdictione Ordinarij, quia tamen ei tanquam Delegato Apostolico est subiectus in aliquibus casibus. Si Ordinarius citans exprimat se citare pro causa ad aliquem ex praedictis casibus spectantem, non constat de exemptione, imò constare potest de subiectione, & tenetur Regularis citatus comparere. Innoc. cap. Romana, de appell. in 6. Felin. vbi supra num. 8. Sed vbi Ordinarius citet Regularem nulla expressa causa particulari, cum sit notorium Ordinarium non habere iurisdictionem in talem Regularem, sicut est notorium citationem illam

ftiam nullam esse,& Regularem ei non teneri obedire, ideò Ordinarius tunc non potest agere contra Regularem illum tanquam contra contumacem. Franc. *in regula sciemi de reg. iuris in 6. num. 4.*

791. Vnde dicitur secundò quod in omni eo casu in quo est notorium Regularem citatum esse exemptum à iurisdictione Ordinarij simul est notorium ipsum non teneri comparere nec etiam ad allegandum priuilegium suæ exemptionis, vnde nec Ordinarius potest agere contra illum tanquam contra contumacem, & si agat sententia lata est notoriè nulla, nec æstimanda. Ita Panormit. ibid. Et fauent omnes illi, qui absolutè dicunt notoriè priuilegiatum non teneri comparere coram iudice citante, quorum quamplures refert Felin. vbi supra, & inter alios Innoc. *cap. de dilationibus*, & quamuis aliqui apud Barbosam *ad d. cap. Cum ordinem, num. 10. & 11.* teneant Monachos citatos debere venire priuilegium suum allegaturos, iuxta Gloss. *ad d. cap. Cum ordinem*, quia exceptio quantumcumque notoria proponenda est, per *gloss. in cap. 2. Vt lite non contest. vel dic.* Et notorium allegandum est, quamuis non probandum, ex *gloss. in v. alius, Clemen. appellanti, de appellat.* Tamen vbi sit sermo de notorio ex defectu iurisdictionis hæc doctrina est expressè contra textum Alex. 3. *in d. cap. Cum ordinem, vbi de Monachis Cistercien.* dicitur. *Si contra vos super decimis, aut alijs, (quæ ordini vestro specialiter Sedes Apostolica indulsit) non facta mentione Cisterciensis Ordinis, literæ fuerint à Sede Apostolica impetratæ, per eas minimè teneamini respondere.* Cum enim notorium iuris sit rescriptum contra specialiter priuilegiatum non dare iurisdictionem aduersus illum, si in rescripto nulla sit eius mentio, & non derogatur priuilegio; hoc dato quod emanet rescriptum à Sede Apostolica contra Cistercien. aut alium Ordinem priuilegiatum, nulla facta eius Ordinis priuilegiati mentione, & non derogando eius priuilegio, quia simul est notorium per tale rescriptum non dari iurisdictionem contra illum Ordinem priuilegiatum, ille Ordo citatus non tenetur respondere. Et præfatorum DD. doctrina est manifestè contraria praxi, & rationi; Nam ex ea sequeretur quod Clericus, vel Religiosus pro quacumque causa citatus à Laico teneretur comparere, & respondere, quod certè est absurdum. Nam & ex qua virtute tenetur quis respondere ei in iudicio, quem est notorium non esse superiorem, & nullum habere ius præcipiendi? Obedientia enim soli superiori debetur. Quidquid igitur sit in alijs causis notorijs ex quibus alicui competat declinatoria fori, de quibus non est nostra disputatio, & in quibus, vel saltem aliquibus, verum est, quod causa etiam notoria non excusat citatum à respondendo, vt si quis à iudice notoriè suspecto citetur, tenetur respondere saltem vt excipiat, & recuset iudicem, vt post Hostien. Card. Paul. Imolam, & Io. Andr. tradit Felin. *d. cap. cum ordinem num. 13. §. si diceretur*. Quia iudex suspectus antequam recuseretur non grauat citando, & citatio alias non est iniusta, vt supponitur, & sic citatio non est inualida. Sed vbi citatio notoriè est inualida, qualis est illa, quæ est à non iudice notorio, citatio non cogit ad respondendum, vt ibidem admittit etiam Felin. Et quod citatus ad forum incõpetentem notoriè non teneatur venire, & respondere, & sic exemptus notoriè à iurisdictione non teneatur comparere, docuerunt Gloss. *in cap. Si Episcopus. in v. conuocari. 3. q. 2. & in cap. Si duobus in ver. Nisi, de appellat.* vbi Beto *num. 40.* communem dicens Dec. *consf. 461. num. 28.* Vantius *de nullit. tit. toties*, & intra quod tempus. *nu. 26. & tit. ex defec. citat. num. 24.* Marant. *par. 6. tit. de sent. num. 116.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 7. n. 4. fin.* Couar. *var. l. 1. cap. 1. num. 10. & practic. cap. 25. num. 3.* Hipol. Menoch. Cephal. Perez, Cabed. Cened. Cardoso, quos refert, & sequitur Barbosa *ad cap. cum ordinem. num. 22.* & alij plures, quos supra *num. 730.* retulimus.

792. Et quamuis vt constat ex Felin. *d. cap. cum ordinem num. 13.* limitetur hoc vt verum sit de citato absente. Nam præsens in iudicio respondere tenetur, & proponere notorium, sicut contingit in appellante de quo loquitur *gloss. in Clem. appellanti, de appellat.* quia tunc cum est præsens, & non proponit notorium, videtur consentire. Tamen hoc non potest habere locum, vbi citatus, aut vocatus, seu interrogatus non potest validè consentire, & iurisdictionem iudicis prorogare. In hoc enim casu, & citatio est notoriè nulla si est notorium iudicem non esse competentem, & subsequens iudicium est notoriè nullum, quia à iudice non habente iurisdictionem, nec etiam prorogatam.

793. Item licet detur alia limitatio per Felin. vbi supra *num. 14.* vt quamuis exceptio declinatoria sit notoria, tamen citatus debeat comparere ad proponendum notorium, si non apparet citatum esse talem cui competat talis exceptio. Tamen dicitur quod si hoc esset verum, sequeretur, quod processus factus à laico contra Clericum esset validus etiam detecto Clericatu, quod quidem est prorsus falsum, nam totus processus factus à laico contra Clericum nullam Clericatus habente notitiam, & Clerico nunquã comparente, neque appellante est nullus, & pro tali est habendus detecto Clericatu. Bald. *in l. generaliter C. de Epis. & Cler. specul. de citat. §. 1. ver. sed pruut. Abb. cap. si diligenti, de foro competen.* Bart. *con. 225.* Felin. vbi supra, *num. 15. in fin. & in cap. si duobus. de for. competen.* Sed & sic etiam nullus erit processus factus ab Episcopo contra Regularem detecto quod sit Regularis Ignorantia enim non tribuit iurisdictionem eam non habenti, maxime vbi reus non potest etiam si velit prorogare iurisdictionem iudicis habentis ligatas manus, vt sit irritum ipso iure, quod fecerit contra iudicatum, & ab eius iurisdictione exemptum. Vbi verò Ordinarius citet Regularem eum vocando talem, iam nullitas citationis est vndequaque notoria, & ideò non cogens ad respondendum. Et manifestè processus est nullus Felin. *d. n. 15. in fin.*

794. Remanet modo vt videamus, quid dicendum, quando priuilegium non est notorium, vnde nec est notoria iniustitia, vel nullitas citationis, vnde sumus in casu, in quo iuxta *cap. cum persona de priuil. in 6.* Regularis tenetur comparere, & ostendere priuilegium. Et interim Episcopus

scopus potest procedera contra Regularem, & prosequi processum in causa. Nam in hoc casu, si Regularis exemptus non compareat, quod sententia lata contra ipsum sit valida, volnit Gloss. *in d. cap. cum ordinem, de rescript.* Sed præsupposita distinctione sententiæ in causa principali, vel punitiua contumaciæ dicitur primo, quod si judea, & in proposito nostro Ordinarius scit se non habere iurisdictionem in eum, quem citauit, non valet processus ab eo compilatus, nec super contumacia, *cap. si duobus de appellat.* & ibi Panorm. *num.* 14. *per text. in l. 2. ff. si quis in ius voc. non ierit. & l. si prætor. §. fin.* cum notat ibid. *ff. de iud.* Innoc. *cap. 2. de dilat,* Io. Andr. *in cap. scienti de reg. iur. in 6.* Item idem Panorm. *cap. cum ordinem de rescrip. in fin.* Idem habet Barbosa *ad d. cap. si duobus. num.* 5. ex Nauar. *in cap. cum contingat, de rescrip. 11. causa nullitatis à princ.*

795. Sed si Iudex, siue Ordinarius probabiliter ignorabat se non habere iurisdictionem, & hoc etiam ignorabat pars aduersa contra Regularem litigans, tunc valet quidem processus contumaciæ punitiuus. *l. 2. ff. si quis in ius voc. non ierit. & l. 2. ff. si quis ius dicen. non obt. & l. si quis aliena. ff. de iud.* Sed super principali causa processus, & nullos, & nulla sententia lata, quia iudex verè non habebat iurisdictionem. Panorm. *d. num.* 14. Felin. *d. cap. si duobus num. 7.* Vbi quod contumacia non prorogat iurisdictionem in iudice, *l. qui ex consensu in v. abfuisse* & ibi Bald. *C. de Epis. aud.* Innoc. *in cap. innotuit, de eo qui furt. Ord. suscept.* & quod sola patientia, & tacitus consensus non proroget iurisdictionem, & quod ex eo quod contumax patiatur se citari ad omnes actus iurisdictionem non proroget, quia ad hoc requiritur consensus expressus, vel aliquis actus positiuus, vt producere iura, vel seruare terminum aliquem, tradit Gratiosus Vberius de citationibus *cap. 2. num.* 235. Et ideò licet iudex huiusmodi contra contumacem processerit ad secundum decretum, vel ad diffinitiuam, processus non facit præiudicium contumaci, quin possit facere vt omnia retractentur probata iudicis incompetentia secundum Innoc. loco citato Bart. *in l. 3. ff. de iudic.* Bald. *in l. gesta, C. de re iudic.* & Innoc. *in cap. 5. de dilat.* quamuis onus probandi incompetentiam pertineat ad contumacem. Aug. *l. 2. ad fin. ff. si quis in ius, &c.* Bald. *in l. lites, de procur.* quos sequit Felin. *d. n. 7.*

796. Hoc tamen limitatur, nisi iudex pronunciauerit se esse legitimum iudicem; quia in hoc casu illa pronunciatio auctoritate iuris facit illum iudicem etiam si non esset. Innoc. *cap. 2. de dilat.* Panorm. *d. cap. cum ordinem. num. 6. & d. cap. si duobus, num* 14. & ibi Felin. *num.* 8. Vbi hoc explicat modo sententia huiusmodi transierit in iudicatum. Nam ab illa sententia potest appellari, sed si non appellatur transit in iudicatum, & ita iudex qui probabiliter putans se habere iurisdictionem quam non habet in rei veritate, & seruata via iuris pronunciat se esse iudicem, & hæc sententia transrat in iudicatum, obtinet auctoritate iuris iurisdictionem, quam non habet. Quod tamen nullo modo est verum de iudice, qui certo scit se iurisdictionem non habere, quia ille mala fide, & contra conscientiam iudicat se habere iurisdictionem sciens illam sibi non competere. Et adhuc limitatur huiusmodi assertio, vt procedat vbi contumax non potest prorogare iurisdictionem in iudice: hic enim eam non prorogat ex eo quod non appellat à sententia per quam iudex pronunciat se iudicem in causa quia nec si expresse vellet, id facere posset. Quo stante processus est nullus etiam si iudex ignorauerit de exceptione competente contumaci. Felin. *vbi supra num.* 8. post Bart. *in l. non videtur, la prima, ff. de iud.* Bal. *in l. si quis ex aliena in p. col.* dum loquuntur de processu iudicis laici contra Clericum. Et quia Regulares non possunt prorogare iurisdictionem Ordinarij, vt est probatũ supra, & vlterius priuilegium suæ exemptionis est etiam munitum decreto irritanti; ideò etiam si Ordinarius probabiliter iudicans se esse in causa ob quam citat Regularem se esse iudicem competentem super hoc pronunciauerit, & se esse judicem dixerit, nunquam hæc sententia transit in judicatum aut valet, nec facit præiudicium Regulari quin detecta, & probata incompetentia Ordinarij sententia super principali causa non sit rescindenda.

797. Quod si simus in causa coram Ordinario pertractata in qua datur pars coram Ordinario agens contra Regularem, & hæc pars scit incompetentiam Ordinarij, tunc processus, & sententia in Regularem contumacem lata, & iudice in rei veritate incompetente lata, non valet ex quo datur defectus iurisdictionis. Panorm. & Felin. citati, per text. *in C. si à non compet. iud. per totum, & in cap. At si Clerici de iudic.* Nam pars sciens litigans coram iudice incompetente est in dolo, & se ipsam decipit. Vnde tunc nec valet processus contumaciæ punitiuus quatenus sit in eiusdem partis vtilitatem, sed saltem est reuocandus. Et sic in quocumque casu Ordinarius non habet verè iurisdictionem in Regularem, nunquam sententia lata contra eum in causa principali valet, sed probata incompetentia Ordinarij sententia rescindi debet, imò stante decreto irritante, quo munita sunt priuilegia Regularium, sententia præfata est ipso iure nulla. Sententia tamen punitiua contumaciæ ex parte Ordinarij tenet ex vi *cap. cum persona, de priuil. in 6.* in ijs casibus tantum, in quibus Regularis citatus tenetur comparere. Et tamen vt dicebatur supra, & per DD. ibi relatos. Non potest Episcopus procedere censuris contra contumacem habentem priuilegium, vt non possit interdici, &c. nisi simul in casu in quo hoc illi sit expresse concessum. Et ita si contra sic exemptum procedat censuris, etiam sententia contumaciæ punitiua est nulla, tãquam lata à non habente iurisdictionem procedendi censuris. *cap. cum persona §. in eos, de priuil. in 6.* Franc. *in reg. scienti num. 5. de reg. iur. in 6.*

S V M M A R I V M.

1 *Regulares tenentur erga Episcopos ad ius reuerentiale. num. 298.*

798. Quæs. 14. An Episcopis à Regularibus debeatur reuerentia? Ratio difficultatis est, quia exempti per summum Pontificẽ à iurisdictione Episcopi, & subiecti

cti immediatè Sedi Apostolicæ, sunt exempti etiã à iure reuerentiali in ordine ad Episcopum. Putens *dec.* 114. *lib.* 3. Seraphio. *dec.* 1025. *num.* 19. Sed breuiter respondetur, quod cum Episcopis debeatur reuerentia tum ratione dignitatis, tum ratione iuridictionis, primo Regulares non sunt exempti à iure reuerentiæ, quæ debetur Episcopis titulo Episcopalis dignitatis. Hoc enim ius per nullam exemptionem tollitur. Rota *dec.* 111. *num.* 17. *p.* 5. *recent.* Sed additur secundò, quod licet Regulares exempti sint à iurisdictione ordinaria Episcoporum, quia nihilominus in multis casibus sunt subiecti eis tanquam Delegatis à Sede Apostolica, ideò dicendum est Regulares erga Episcopos teneri ad ius reuerentiale etiam ratione iurisdictionis. Bald. *in l. fin. num.* 3. *C. de bon. libert.* Roman. *sing.* 480. Henric. Bott. de Synodo. *p.* 3. *num.* 53. Castren. *in l. Sed si hac lege §. patronum. num.* 4. & ibi Adden. *ff. de in ius voc.* Oldrad. *cons.* 224. Bald. *tract. de præscript. p.* 1. 5. *partis q.* 12. *num.* 6. Felin. *in cap. cum inter num.* 3. *& 4. de sent. & re iud. & in cap. cum non liceat num.* 2. *de præscript.* Belin. *e. de charit. subsid. quæst.* 28. Barbastren. in Pastor. *p.* 2. *q.* 12. *n. num.* 14. Barbosa *de off. Epis. alleg.* 128. *num.* 3. Donatus *p.* 2. *tract.* 13. *q.* 23. *num.* 7.

SVMMARIVM.

1. *Regulares subiecti Episcopis in ijs, quæ sunt potestatis Ordinis. num.* 799.
2. *Priuilegium Honorij Tertij, Alex.* 4. *& Greg.* 11. *pro Ord. Prædicatorum. num.* 800.
3. *Eugenij* 4. *pro Cassinen. num.* 801.
4. *Clem.* 4. *pro Minoribus. num.* 802.
5. *Aliud Eug.* 4. *pro Cassinen. num.* 803.
6. *Moderatio Leonis X. num.* 804.
7. *Decretum Concil. Trid. num.* 805.
8. *Decretum Clem.* 8. *num.* 806.

Regulares subiecti Episcopis in ijs, quæ sunt potestatis Ordinis.

INSPECTIONIS DECIMÆ.

CAP. QVARTVM.

799. QVamuis verò Regulares à iurisdictione Ordinaria Episcoporũ sint exẽpti, nihilominus in multis sunt subiecti Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis. Cum verò in Episcopo considerentur potestas Ordinis, & potestas iurisdictionis, ab illa nunquam fuere omnino exempti Regulares, qui non nisi ab Episcopis Sacros Ordines suscipere potuerunt, vel possunt. Et ideò quod Regulares in ijs, quæ sunt Ordinis Episcopalis, vt in petitione Chrismatis, consecratione Ecclesiarum, susceptione ordinum, & alijs similibus sint subiecti Episcopis habetur *ex cap. Veniens, de præscript.* & ibi Panorm. *num.* 2. Barbosa *num.* 2. Gloss. *in cap. Abbatibus.* 17. *q.* 2. Franc. *in cap.* 1. *num.* 7. *de priuil. in* 6. Cochier. *p.* 2. *q.* 45. *nu.* 16. Nihilominus & quantum ad ea, quæ sunt potestatis Ordinis multa priuilegia fuerunt Regularibus concessa.

800. Honorius III. in Bulla *Religiosam vitam*, per quam Ordinem Prædicatorum confirmauit, & fuit edita 11. Cal. Ianuar. 1216. & habetur in Bullario eiusdem Ordinis *pag.* 4. inter alia concessit, vt infra. *Chrisma verò, & Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promouendi, à Diœcesano suscipiatis Episcopo (si quidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea voluerit sine prauitate aliqua exhibere.) Alioquin liceat vobis, quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat.* Ampliorem verò in hoc gratiam concessit Alex. IV. in Bulla, quæ incipit, *Conuenit, vt Sacer*, quæ in eodem Bullario habetur *fol.* 45. ibi. *Attendentes igitur quod eiusdem Ordinis Fratres, de locis ad loca ipsius Ordinis sæpius transmutantur, propter quod stabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem. Considerantes etiam, quod bonos, & idoneos ac approbatos à vobis fratres, facitis ad ordines promoueri, vestris supplicationibus inclinati, vt liceat vobis ordinandos fratres eiusdem ordinis, quibuscumq; malueritis catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam prædictæ sedis habentibus præsentare, ipsisque Pontificibus præsentatos fratres à vobis sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque vllius promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum, ad ordines promouere, vobis, & ordini vestro auctoritate præsentium indulgemus.* Et eadem sub eisdem verbis concessit Greg. 11. in *Constit.* sua septima *Virtute conspicuos*, data anno 1274. 2. Nonas Martij Pontificatus quarto, quæ in Bullario Romano est 7. §. 8. & in Bullario Præd. habetur inserta in Mari Magno Sixti Quarti, & ab eo confirmata.

801. Consimile priuilegium Monachis Cassinen. concessit Eugen. Quartus. In Bulla, quæ incipit. *Et si quaslibet*, quæ in Bullar. Cassinen. est 65. & in Bullar. Prædicatorum habetur. *fol.* 251. & fuit data 30. Iunij anno 1436. Pontificatus anno 6. Et idem confirmauit Eugen. *in Constit. Regularem vitam.* §. 5. apud Bullar. Cassinen. 64. quę data fuit eodem die 30. Iunij 1636. & habetur in Bull. Rom. *sub num.* 9. Consimilis concessionis meminit Tambur. *c.* 2. *de iure Abbat. d.* 2. *qu.* 19. licet forsan erret in data, & quam dicit extensam fuisse ad Monachos Vallis Vmbrosæ à Iulio. 2. anno 1507. Idibus Iulij Pontificatus.

802. Similia pro Minoribus concessit Clem. 4. apud Casarub. *v. Ordines Sacri*, *num.* 2. Imò amplius fuit illis concessum. Vt quilibet Catholicus Episcopus temporibus ordinationum posset in eorum Ecclesijs eos ordinare. Sic enim concessisse Sixtum Quartum, & Leonem X. refert idem Casarub. ibid. *num.* 3. *&* 6. sed hæc fuerunt oracula viuæ vocis. Supplementum *pag.* 67. *num.*

106. & Casarub. ibid. Facultas verò suscipiendi Ordines à quocumque Catholico Antistite fuit etiam concessa Carmelitis, vt in eorum Mari Magno apud Lezanam. *num.* 22t. & Minimis, vt in eorum Mari Magno apud Lezanam *num.* 21.

803. Sed illud priuilegium, vt posses áduocari quilibet Catholicus Episcopus, qui statutis temporis in Ecclesijs eorum possent Ordines Sacros conferre, concessit Eugenius Quartus Monachis Cassinen. *in d. Constitutione Regularem vitam.* §. 5.

804. Sed primo huiusmodi priuilegia moderatus fuit Leo Decimus in Concil. Lateranen. vt in *Constit. eius.* 22. *Dum intra mentis* ibi. *Quodque Fratres ipsi ad ordines promouendi, per Ordinarios de grammatica, & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesijs, seu domibus, aut alijs eorum locis, ab alio, quam à Diœcesano Episcopo, vel eius Vicario, super hoc cum debita reuerentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo à Diœcesi absente, ad dictos Ordines promoueri debeant.* Sed postea Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *de reform.* sequens edidit decretum, videlicet. *Nulli Episcopo liceat, cuiusuis priuilegij prætextu, Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum, sint ipso iure suspensi. Et sess.* 7. *cap.* 11 *Facultates de promouendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine. Et sess.* 23. *cap.* 8. *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrentur: si autem in alio Diœcesis loco præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur, vnusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis, aut specialis Rescripti, vel Priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi eius probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur, si secus fiat; ordinatus à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

806. Sed & S. Congregatio Concilij de mandato Clem. 8. anno 1596. præceptum sequens edidit, scilicet. *De mandato Sanctiss. D. Clemen. diuina prouidentia Papæ 8. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruare faciant ea, quæ in decreto S. Congregationis Concilij Trident. continentur,* cuius tenor est talis. *Cógregatio Concilij censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is Regularis positùs fuerit, & si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel sedes Episcopalis vacaret, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verùm cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 15. mensis Martij 1596.* Ita enim referunt Quaranta in summa Bull. *v.* Ordo: Mirand. *t.* 1. *q* 38. *num.* 2. Pinsecc. *p.* 1. *cap.* 1. *nu.* 14. Vgolin. *de potest. Episc. cap.* 26. §. 2. *num.* 8. Sorb. *v.* *Ordines Sacri.* §. 4. *in fin.* Barbosa *de off. Epis. p.* 2. *alleg.* 7. *num.* 18. Francisc. Leo *Thes. p.* 1. *cap.* 4. *num.* 36. Ricc. *in Praxi dec.* 118. *num.* 3. *p.* 4. Naldus *v.* *Ordo num.* 26. Peyr. *ad Const.* 2. Sixti 4. *num.* 36. Lezana *p.* 1. *cap.* 14. *n.* 12. Tambur. *tom.* 2. *q.* 18. *num.* 1.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ordinari debent ab Episcopo Diœcesano.* n. 807.
2 *Nec in proprijs Ecclesijs ordinari possunt ab alieno Episcopo.* n. 808.
3 *Opinio aliquorum.* n. 809.
4 *Constitutio etsi Mendicantium qualiter reuocata.* n. 809.
5 *Alia argumenta præfata opinionis.* n. 810.
6 *Priuilegium Pij Quarti pro Militib. S. Io. non plenè relatum.* n. 811.
7 *Non conceditur per illud vt Religiosi illius ordinis in proprijs Ecclesijs possint ordinari ab alieno Episcopo.* n. 811.
8 *Priuilegium concessum PP. S. Io. Euang. non prodest.* n. 812.
9 *Priuileg. Cassinen. reuocatum.* n. 812.
10 *Episcopus neq; in loco exempto potest sine licentia* Diœcesani *Ordines conferre.* n. 812.
11 *Episcopus in Ecclesia Regularium ipsis inuitis non potest Ordines conferre.* n. 813.
12 *Non possunt Regulares non suscipere Ordines à suffraganeo* Episcopi. n. 814.
13 *Vbi Monasterium in nulla sit Diœcesi ordines suscipi debent à viciniori Episcopo.* n. 815.
14 Superior *ex industria fraudolenta non potest, vt det dimissorias, expectare tempus, in quo non sint habendæ ordinationes in Diœcesi.* n. 816.
15 *An Superior ex industria possit mutare* Religio*sum de vno ad alium Conuentum, vt ab alio Episcopo ordinetur.* n. 817.
16 *Quas pœnas incurrat superior dans dimissorias ad non Diœcesanum Episcopum.* n. 818.
17 *Quid, vbi Episcopus sit hæreticus? remissiuè.* n. 819.

A quo

A quo Regulares sint ordinandi.

807. HInc colligitur primo reuocata esse priuilegia quantum ad hanc partem, & non posse Regulares ordinari à quocumque Episcopo, sed in hoc subijci Diœcesano, seu Episcopo proprio. Est autem Episcopus proprius ille intra cuius Diœcesis fines est constructum Monasterium, vt in præfata declarat. S. Congr. continetur. Nihilominus vbi Regularis ordinandus sit beneficiatus, vt sunt sæpè Canonici Regulares, quod possit ordinari ab Episcopo beneficij tradidit Cespedes *de exempt. Regul. dub.* 62. *num.* 4. Cum vero de iure Communi. *cap. cum nullus, de tempor. ordin. in 6.* quilibet possit ordinari ab Episcopo vel originis, vel beneficij, vel domicilij Franciscus Zipæus in suis *consultat. Canonicis lib.* 1. *consult.* 3. apud Cespedem *dub.* 89. existimat quod per decretum Clem. 8. sint quidē abrogata Regularium priuilegia per quæ ipsi poterant ordinari à quocumque Episcopo Catholico, non tamen sit abrogatum ius commune, quia legum correctio vitanda est, & ideò quod etiam nūc Regulares ordinari possint ab Episcopo originis. Quam sententiam Cespedes non audet reprobare. Verum licet quantum ad Ordines suscipiendos proprius Episcopus sit Episcopus, vel originis, vel beneficij, vel domicilij, vt latè explicat Barbosa *cap.* 8. *sess.* 23. Concil. Trid. *num.* 16. *& sequent.* tamen quantum ad Regulares praxis obtinuit, vt ordinentur ab Episcopo domicilij, nimirum ab Episcopo intra cuius Diœcesis fines est positum Monasterium in quo Regularis degit, vt declarauit S. Congr. & Clemens 8. præcepit, & tradiderunt Nauar. *cons.* 22. *de temp. ordin.* alias *cons.* 36. *in nouis eod. tit.* Sayr. *decis.* 24. *eod. tit.* Maiol. *de irregular. l.* 4. *c.* 20. *n.* 2. Mirand. c. 1. *quæst.* 39. *a.* 2. Campanil. *rubr.* 9. *cap.* 3. *& rubr.* 12. *cap.* 13. *a. num.* 33. Franc. Leo in Thes. *p.* 1. *cap.* 4. *n.* 36. Homob. *de exam. Eccles. p.* 1. *tr.* 5. *cap.* 1. *q.* 2. *fin.* Portell. *v. Ordines Sacri num.* 2. Lezana *p.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. Nouar. *in sing. Canon. num.* 104. Hier. Rodriquez *in compend. resol.* 106 *num.* 15. Barb. *de off. Epis. all.* 4. *à num.* 60. *& cap.* 8. *sess.* 23. *n.* 28. Concil. Trid. & apud eum quamplures Pax Iord. *l.* 7. *tit.* 14. *num.* 25. Tambur. *tom.* 2. *quæst.* 18. *a num.* 2.

808. Colligitur secundò, nec amplius valere priuilegium per quod concessum fuerat Cassinen. *supra num.* 803. vt per quemlibet Episcopum in proprijs eorum Ecclesijs eorum Religiosi ordinari possent. Hoc enim iam reuocatum fuit per Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *sess.* 7. *cap.* 11. *& de reform.* cum Episcopis ablata sit facultas cuiuscumque priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere sine expressa licentia Ordinarij loci. Quamobrem non possunt hodie Regulares aliquem alium Episcopum aduocare, qui illis in proprijs Ecclesijs Ordines conferat, sed ad proprium Episcopum accedere debent, Rodriqu. *t.* 3. *q.* 14. *a.* 2. Mirau. *t.* 1. *q.* 38. *num.* 3. Et decisum fuisse à S. Congr. referunt Ricc. *in praxi. dec.* 376. Armendar. & Barbosa *de off. Epis. all.* 6. *num.* 12. Tambur. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 19. *num.* 1.

809. Huius tamen oppositum docet Cespedes *dub.* 78. fundatus in *constit.* Pij Quinti. *Etsi Mendicantium*, ex qua arbitratur, quod in casu, quod proprius Episcopus non habeat ordinationes, possint Regulares in eorum Ecclesijs ordinari ab alieno Episcopo, nulla Diœcesani petita licentia; licet enim regulariter alienus Episcopus, vt conferat Ordines in loco exempto existente in alterius Diœcesi debeat habere licentiam à Diœcesano, vt docent. Molphes. *in sum. tr.* 2. *c.* 2. *nu.* 17. Riccius *in praxi resol.* 495. Gallee. *v. Episcopus.* Barbosa *de off. Epis. alleg.* 6. tamen hoc fallit vbi adsit speciale priuilegium. Sed cum *constitut. illa* Pij 5. per Greg. 13. reducta sit ad terminos iuris communis, & Concil. Trid. ita quod id non liceat ex vi illius, quod ante illius editionem non licebat, vt patet ex *constit. In tanta* 9. Greg. 13, si ante *constit. Etsi Mend.* non poterant Regulares ordinari in proprijs Ecclesijs ab alieno Episcopo; neque id possunt ex vi illius *constit.* *Alias verò* eadem Pij Quinti Constitutio vt est merè declaratio antiquioris iuris, quia nihil noui statuit, & concedit, & solum latentem intellectum antiquioris iuris aperit, non est abrogata, sed imò quod per eam declaratum fuit licere, ante eam licebat, quia talis erat sensus, & intentio antiquioris legis, qualem esse Pius Quintus declarauit, & facie quod habet Reuerendiss. Fagnan. *cap. quoniam num.* 15. *de constit. quod nimirum* declaratio legis essentialiter non differt à lege declarata. *l. Hominis. v. Verbum. ff. de verb. signif.* Vbi ergo Pius Quintus in ea *constitut.* declarat antiquum ius, declaratio essentialiter est ipsum ius antiquum declaratum, quod non est per *constit.* Greg. 13. abrogatum, sed confirmatum: & sic ex ea declaratione hoc ad summum haberi posset, quod ex vi *cap.* 8. *sess.* 23. præcisè non est prohibitum Regularibus ordinari in proprijs Ecclesijs. Cum quo stat quod sit prohibitum aliundè.

810. Sed idem Cesped. *dub.* 90. idem tenens aliud adducit fundamentum, nimirum quia priuilegium hoc, vt possint Regulares ab hospite Episcopo ordinari fuit concessum per Eugenium Quartum, quo gaudent alij Regulares communicantes in priuilegijs, quod priuilegium fuisse concessum PP. S. Io. Euangelistæ Portugalliæ refert Portell. *v. Ordines Sacri. num.* 4. Sed & insuper fuit hoc idem concessum Religioni Equitum S. Io. Hierosol. à Pio Quarto, per hæc verba. *Ita quod Magistri bailiuarum, Priorum, & dicti hospitalis Capellani à quocumque Catholica Antistite sub Romanæ Sedis obedientia constituti Sacros Ordines, etiam extra tempora à iure statuta tribus diebus festiuis suscipere, & in quibusuis tam secularium, quam Regularium Ecclesijs.* Etsi dicatur quod huiusmodi priuilegia fuerunt reuocata per Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *& sess.* 7. *cap.* 11. respondet Primò, quod priuilegium Equitum S. Io. fuit confirmatum à Pio Quinto in *constit. Etsi cuncta.* 29. Nou. 1568. Greg. 13. in *constit. Quæ magis*, Sixto Quinto, in *constit. Etsi.* Greg. 14. in *constit. Quanta Christiana*, & Clem. 8. in *constit. Pastoralis.* Respondet secundò, quod quando in Concilio *sess.* 6. *cap.* 5. *de reformat.* abrogantur priuilegia, est sermo

de

de priuilegijs, quæ habebant Episcopi ipsi, vt in aliena Diœcesi Pontificalia exercere possent, non verò de priuilegijs concessis Regularibus, & de habendis Pontificalibus in locis exemptis Et si obijciatur decretum Clem. 8. supra *num.* 806. recensitum, respondet, quod ex vi illius, non possunt Regulares ordinari nisi à proprio Episcopo si ille ordinationes habeat, sed si ille sit absens, vel Ecclesia vacet, tunc sicut possent ordinari à quocumque alio Episcopo in sua Diœcesi existente, sic ex vi priuilegiorum, quæ pro hac parte non sunt reuocata, possunt Regulares ordinari à quocumque Episcopo in suis Ecclesijs. Secus tamen quando proprius Episcopus adest, & ordinat.

811. Sed in hac parte mihi primo videtur considerandum, quod priuilegium Pij Quarti, referunt non integrum, & in sensu illi contrario. Nam in *constit.* 9. Pij Quarti, primo §. 27. tanquam concessum à Leone 10. sic refertur. *Nec non bailiuis, prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus, & personis præfatis quæcumque Ecclesiastica sacramenta, ac omnes etiam Sacros Ordines à quocumque mallent Catholico Antistite gratiam, & communionem dictæ Sedis habente, nihil oblato, vel soluto recipiendi.* Postea verò idem Pius Quartus motu proprio idem priuilegium concessit ibidem §. 62. dicens. *Nec non exemptionem, & liberationem prædictas, ita quod Magistri bailiuorum, priorum, præceptorum, & dicti Hospitalis fratres, Capellani à quocumque Catholico Antistite, sub Romanæ Sedis obedientia constituto Sacros Ordines, etiam extra tempora à iure statuta, tribus diebus festiuis suscipere, & in quibusuis tam sæcularium, quam regularium Ecclesijs absque alicuius licentia, etiam altari portatili celebrare possent.* Ex his verò verbis, nullum est per quod detur Episcopis facultas exercēdi Pontificalia extra eorū Diœcesim, vel Militibus, vt in eorum Ecclesijs, aut Hospitalibus Ordines Sacros recipere valeant ab alieno Episcopo. Nam & vltima clausula illa. *Et in quibusuis, &c.* loquitur non de susceptione Ordinum, sed de celebratione Missarum, & per eam conceditur quod possint in quibusuis Ecclesijs celebrare, etiam in altari portatili. Ruit ergo totum fundamentum super concessione Pij Quarti fundatum.

812. De priuilegio autem, quod dicitur concessum PP. S. Io. Euangelistæ in Portugallia Peir. *q.* 3. *cap.* 7. *num.* 18. in fine ait. Sed ego semper habui suspecta priuilegia Vltramontana, nam à multis sunt deceptus. Sed in proposito nostro dicitur nihil quod ad rem faciat in eo contineri priuilegio, vt à Portell. refertur. Quia aliud non conceditur, nisi quod illi possint ordinari à quocumque Episcopo. Non verò conceditur quod possint ordinari ab Episcopo extra suam Diœcesim ordinationes habente, vel quod Episcopus extra suam Diœcesim possit ordinare, & Pontificalia exercere. Quantum verò ad priuilegium concessum ab Eug. 4. Cassinen. obstat nedum *cap.* 5. *sess.* 6. Concil. Trid. in quo Episcopi prohibentur exercere Pontificalia, in alterius Diœcesi, cuiusuis priuilegij prætextu, & dictio *cuiusuis* vniuersalis excludit quodcumque priuilegium siue directè concessum Episcopis, siue directè concessum alicui Ecclesiæ, sed obstat etiam *cap.* 11. *sess.* 7. in quo expressè Episcopi prohibentur ordinare habentes facultatem, vt suscipere possint Ordines à quocumque, nisi ipsi Episcopi in sua Diœcesi resideant, & ibidem ordinationes habeant, aut si in aliena Diœcesi pro Diœcesano Episcopo Pontificalia exerceant. Et ideò quod habentes facultatem, vt ordinentur à quocumque non possint promoueri ab Episcopo in aliena Diœcesi sine licentia Episcopi illius Diœcesis, tanquam decisum à S. Congr. ex Aldan. *lib.* 1. Canon. *resol. tit.* 4. *n.* 3. tenet Barbosa *ad d. cap.* 11. *sess.* 7. Concil. Trid. quam tamen licentiam potest concedere Capitulum Sede vacante, vt aduertit Barbosa *d. all.* 6. *num.* 14. *fin.* & si dicatur quod Concil. *d. cap.* 5. *sess.* 6. concedit Episcopis facultatem exercendi Pontificalia de licentia Ordinarij, Monasteriorū verò Ordinarius est Prælatus Regularis, respondetur quod Concilium requirit licentiam Ordinarij loci, sub quo nomine solus venit Episcopus. Barbosa *ad d. cap.* 5. *sess.* 6. *num* 28. *& alleg.* 6. *num.* 13. Ideò exemptus si eius Ecclesia sit intra fines Diœcesis Episcopi, non potest Episcopo alieno licentiam concedere, vt in sua Ecclesia Pontificalia exerceat, & ordines conferat, vt tanquam decisum docuerunt. Molfes. *tr.* 2. *c.* 2. *num.* 12. Ricc. in *praxi resol.* 495. Gallet. in *Margar. casuum. v. Episcopus*, *num.* 2. Almendar. *lib.* 1. *tit.* 18. *num.* 35. *&* 68. quos refert, & sequitur Barbosa *de off. Epis. alleg.* 6. *num.* 12. *&* 13. Palaus *tr.* 27. *p.* 15. *num.* 10. qui tamen hoc limitat, vt si detur Monasterium, quod sit nullius Diœcesis, quod tunc Prælatus illius Monasterij, seu loci exempti, possit concedere licentiam alieno Episcopo, vt ibi ordinationes habeat seu Pontificalia exerceat. Ex quo enim Monasterium huiusmodi non est intra fines Diœcesis alicuius Episcopi, poterit Superior Monasterij aduocare Episcopum, qui ibi Pontificalia exerceat, & Ordines conferat personis eidem Prælato subiectis. Sed ex eo solo, quod Diœcesanus ab alieno Episcopo licentiam exercendi Pontificalia in sua Diœcesi, poterunt ne Religiosi sine alia licentia Episcopi ab eo ordinari? Affirmat Bordon. *res.* 67. *num.* 33. sed dicendum est oppositum, nisi Episcopus illi alieno Episcopo delegaret etiam facultatem examinandi Regulares quantum ad scientiam. Neq; enim Regulares habent ius vt admittantur ad ordines sine examine, quod habere intra propriam Diœcesim conuenit Episcopo; & ideò illi præsentandæ essent dimissoriales, & eius esset dimissos examinare, & approbare, nisi & hoc examen alieno Episcopo delegasset. Quod est de mente Tambur. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 19.

813. An verò Episcopus proprius habere possit ordinationes in Ecclesijs Regularium ipsis inuitis, affirmat Bord. *t.* 1. *res.* 7. *q.* 31. hoc colligens ex *Clem. de priuileg.* sed merito hoc negat Cespedes *dub.* 77. est enim contra communem sententiam quam ex Anchar. Card. & Vital. tenent Nouar. in *sum. Bull. de Balduch* *num.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 109. Nec oppositū colligitur ex illa Clem. vbi conceditur Episcopis quod possint in Ecclesijs exemptis, & priuatim, & solemniter celebrare, sic tamen, quod prætextu huius celebrationis nullam aliam exerceant iurisdictionem. At vero certum esse debet quod ordinare licet sit actus

Ordi-

Ordinis Episcopalis haber tamen adiunctam iurisdictionem. Et præterea non omnis actus Pontificalis Ordinis conceditur Episcopis in locis exemptis, sed qui actus conceduntur ibi numerantur, scilicet populo benedicere, audire diuina officia, & ea etiam celebrare, & in sua præsentia facere celebrari; vnde per hoc non conceditur illis, vt possint ordinare, vel alios actus Pontificalis ordinis exercere. Ideò cum Concilium. Trident. *sess. 6. cap. 5.* prohibuerit, ne Episcopi exerceant Pontificalia in aliena Diœcesi, censebitur etiam prohibuisse ne illa Pontificalia quæ mixtam habent iurisdictionem vel officium exerceant in locis exemptis, & ideò quod ex vi dicti decreti prohibitum sit, ne in locis exemptis ordinent, chrismenr, vel similia faciant in locis exemptis, vt aduertit Reuerendiss. Fagnan. *cap. quia nos, nu. 18. de vsu pallij*.

814. Proprio autem Episcopo temporibus consuetis ordinationes non habente, possunt Prælati Regulares suis subditis dare dimissorias ad quemcumque Episcopum Catholicum communionem habentem cum Apostolica Sede, vt ex supra relato decreto Clem. 8. patet. Et ideò per se in hoc casu Superiores Regulares possunt suum subditum dimittere etiam vltra montes ad quemcumque Episcopum communionem habentem cum Sede Apostolica, dictio enim *quemcumque* est generalissima, & nullam excludens. Gloss. *v. quemcumque, in quicumque de excom. in 6.* Possunt tamen Prælati restringere licentiam ad viciniores Episcopos. Sed ea conditione materiæ erit restricta ad eos, qui in illis temporibus habituri sunt ordinationes, nisi detur eum maiori vniuersalitate. Nam & Diœcesano pro alijs temporibus ordinationes habente, tila licentia non valebit. Rationabile quoque non est, vt licentia detur solum pro vno, vel altero Episcopo, quia posset esse, quod ille non ordinaret. Existimat tamen Tambur. *t. 2. d. 2. q. 18. num. 3.* quod si Episcopus absens à Diœcesi sua ibi per alium Episcopum ordinationes habeat, possint Regulares alibi à quocumque Episcopo Catholico ordinari, quia decretum Clem. 8. strictè debeat interpretari, vt minus lædat, cum sit contra Regularium priuilegia. At verò nedum quando Episcopus proprius est absens, sed absolutè quod Regulares solum obligentur recipere Ordines à proprio Episcopo immediatè, non autem ab alio qui loco illius Ordines conferat, vult Cespedes *dub. 12.* citato Peyr. *tom. 2. de Prælat. q. 3. num. 8.* Tambur. si Episcopus sit præsens in Diœces. & per alium Ordines conferat, putat Regulares non posse ab alio Episcopo ordines suscipere, quod & sentit Peyrinus loco citato, quia tunc proprius Episcopus ordinare censetur, nam tunc censetur Episcopus ordinnes conferre, per regulam, qui per alium facit, de *de reg. iur. in 6.* & pro hac sententia, & ipse refert. Peyr. Sed satis durum est intelligere, quod cum in Episcopatu est Episcopus suffraganeus, qui ordinationes habet, possint Religiosi ibi existentes exire à Diœcesi vt ordines suscipiant, & hoc est contra praxim, & suffraganeus gerit vicem proprij Ordinarij, & habendus est pro tali vnde ab eo ordines tenentur recipere etiam Regulares, & à quocumque qui nomine Episcopi Generalis habeat ordinationes. Coton. *lib. 3. contr. 1. cap. 4. num. 74.* Vbi tamen benè aduertit, censendum esse Diœcesanum vacare ab ordinationibus etiam si secreto aliquos ordinat edicto non publicato.

815. Si verò Monasterium nullius sit Diœcesis tunc tenentur Regulares suscipere ordines à viciniori Episcopo, si ille ordinationes habeat, quo vel absente, vel ordinationes non habente, vel sede vacante, possunt Superiores subditos suos ad quemcumque Episcopum dimittere, vt ab illo recipiat ordines. Hoc declarasse S. Congreg. de mense Decembri 1619. ex Naldo *v. Ordo num. 26.* & Peyr. *ad const. 2.* Sixti 4. *num. 36.* refert Tambur. *tom. 2. disp. 2. q. 18. num. 5.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 12.* Cespedes *dub. 75.* Barbosa *v. Regulares* quoad ordines. *num. 2.* Fagnan. *cap significasti num. 25. de off. Archidiac.* Vbi quod proximitas huiusmodi debet attendi non ex vicinitate territorij, sed ex vicinitate Ecclesiæ Cathedralis, quod & aduertit Naldus. *v. Ordo*, & Cespedes, *dub. 73.*

816. Limitatur verò præfata concessio adeundi quemlibet Episcopum in casu absentiæ Episcopi Diœcesani, &c. dum Superiores Regulares ex industria non distulerint dare dimissorias suis subditis ad id tempus, in quo Episcopus sit absens, vel nullas habiturus sit ordinationes. Per quod excluditur dolus, & fraus, non verò causa rationabilis, & iusta. Hæc verò causa aderit primo si dilatio, si non sit ex fine vitandi proprium Episcopum; & se illi non subijciendi, sed ex alia rationabili fine, imò & etiam si alias hic finis, vel causa esset mala, & iniqua, seu iniusta, sufficiet ad hoc, vt superior non possit dici contrafacere decreto Clem. 8. per quod solum prohibetur dilatio mittendi ad ordines ex industria, vt superior possit suos ad alios Episcopos dimittere. Sed si etiam habeatur causa rationabilis subterfugiendi ordinationes proprij Episcopi, vel quia ille odio prosequatur Religionem, vel sit supramodum rigidus, & austerus, & plus exigat in ordinandis, quam ius requirat, vel habeat examinatores malè affectos, vel eodem modo nimis rigidos, &, non regulantes arbitrium, & iudicium suum ad formam iuris. Vel in quocumque casu in quo Regulari Prælato constat subditos suos esse, & quantum ad mores, & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos, & tamen habet vnde probabiliter timeat fore, vt ab Episcopo reijciantur; quia tunc rationabiliter mouetur, & verè vtitur iure suo, non facit contra decretum Vrbani Octaui, si expectet tempus in quo non sint habendæ ordinationes in Diœcesi, vt subditos suos extra Diœcesim dimittat ordinandos. Peyr. *in Prat. Regul. q. 3. c. 7. n. 4. & 7.* Tambur. *t. 2. d. 2. q. 18. n. 6.*

817. Sed nunquid superior potest subditum suum ex industria collocare de familia in alio Conuentu, & Diœcesi, vt ibi ordinetur, & postea eum ordinatum recollocare in priori Conuentu, & Diœcesi? Negat Peyr. vbi supra *num. 7.* quia hoc esset legem deludere, quod vetatur *in cap. constitutus, de concess. prabend.* Etiam Coton. *l. 3. contr. 1. cap. 4. num. 73.* arbitratur, quod in decreto Clem. 8. tria sint prohibita, scilicet mittere subditum ad Episcopum alienum: Illum transferre de familia ex vna Diœcesi ad aliam; & differre ordina-

dina-

dinationem illius ad tempus in quo à diœcesano non habeantur ordinationes. Sed nulla est hic fraus nulla legis delusio. Lex enim vult, vt qui sunt in diœcesi non ordinentur nisi à diœcesano Episcopo, sed non præcipit alicui vt sit de hac vel illa Diœcesi, sed hoc est in libertate subditorũ: sicut enim subditus habet ius mutandi domicilium etiam ex industria, vt non subijciatur huic Principi, ita habet ius vt possit extra Diœcesim, transferre domicilium, etiam vt ab Episcopo hoc non recipiat Sacramenta, nec illi sit subiectus. Et sic non fit iniuria Episcopo si Regularis mutet domicilium, vt ei non subijciatur, quia non habet ius, vt existentes in Diœcesi etiam sui subditi ad libitum, & ex quacumque causa sibi benè visa non transferant domicilium extra Diœcesim. Et in proposito nostro; lex non præcipit, vt v.g. Frater Petrus non ordinetur nisi à Domino Paulo Episcopo Ephesino, vel quod Frater Petrus non exeat à Diœcesi Ephesina, & fiat de Diœcesi Galatina ex quacumq; causa sibi bene visa; sed præcipit quod Frater Petrus dum est de Diœcesi Ephesina non ordinetur nisi ab Episcopo Ephesino ordinationes habente. Contra quam legem non facit Frater Petrus si collocatus in Diœces. Galat. ab eius Episcopo ordinetur. Et hic habet locum alia regula, quia nimirum leges pœnales, & odiosæ non sunt extendendæ de casu ad casum, etiam ex paritate rationis. Lex verò prohibet deferri dimissorias ad tempus in quo non possint, vel non sint habendæ ordinationes in Diœcesi, non verò prohibet mutari Fratres de vno ad alium locum. Nec interest an Regularis ordinetur potius ab vnó quam ab alio; cum à nullo eorum debeat ordinari nisi sub examine, & iudicio Episcopi ordinantis. Et hoc lex intendit, quod Regularis ordines non suscipiat ab Episcopo non Diœcesano, cum Diœcesanus habet ordinationes. Et si dicatur, quod non mutatur Diœcesis nisi mutato domicilio, quod non mutatur nisi quis ad alium locum se transferat animo perpetuo ibi manendi, vnde non censetur Regularis mutasse domiciliũ, qui transfertur ad aliquem locum animo reuocandi illum statim postquam ibi ordinem susceperit. Respondetur, quod in Regularibus non valet illa regula, quia cum ipsi non habeant velle, vel nolle, *cap. si religiosus de elect. in 6.* nullibi esse possunt cum animo ibi semper manendi, sed solum cum animo ibi manendi, quamdiù superiori placuerit. Et superiores habent liberum ius collocandi, & reuocandi subditos ad locum sibi bene visum, ideò Religiosi acquirunt domicilium in Diœcesi statim ac per collocationem Superioris collocantur in Monasterio existente in Diœcesi, & illi incorporantur. Vnde est, quod Religiosi statim ac sunt collocati, & incorporati in aliquo Monasterio habent ius domiciliare iuxta sui ordinis statuta. Igitur ex quacumque causa, & animo Religiosus collocetur in aliquo Monasterio, & illi incorporetur, est iam in Diœcesi, vbi est illud Monasterium, & ab Episcopo illius Diœcesis potest, & debet ordinari, nec potest ordinari ab Episcopo illius Diœcesis in qua Religiosus prius erat.

818. Si verò Superiores dent dimissorias pro ordinibus suscipiendis ab alieno Episcopo non vacante Diœcesano ab ordinationibus puniendi sũt pœna priuationis officij, & dignitatis & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac alijs arbitrio Pótificis infligendis pœnis. Vt enim benè aduertunt Peyr. *d. cap. 7. num. 4.* Coron. *l. 3. contr. 1. cap. 4. num. 73.* & Tambur. *d. q. 18. num. 6.* Decretum Clem. 8. non infert præfatas pœnas ipso facto incurrendas. Tum quia verbum incurrent futuri temporis non importat pœnam latam, sed inferendam. Panorm. *cap. quia propter. num. 3. & cap. cum in cunctis. §. fin. num 6. de elect.* Angel. *v. excom. 2. num. 7.* Tabien. *v. excommun. 2. q. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 15.* Sayr. *l. 1. de cens. cap. 11. num. 13.* Tum quia eodem modo incurritur priuatio officij, & vtriusque vocis, quo aliæ pœnæ infligendæ arbitrio Pontificis, quia sub eiusdem orationis structura, & per idem verbum incurrent infliguntur, at verò pœnæ arbitrio Pontificis infligendæ non incurruntur ipso facto, sed media cognitione causæ, ex arbitrio legali imponendæ sunt, eodem igitur modo, & incurruntur priuationes officij, dignitatis, & vtriusque vocis. Eisdem verò pœnis subijciendus est superior nullius Diœcesis, si non det dimissorias ad viciniorem Episcopum. Quia in decreto S. Congr. de anno 1619. dicitur in hoc casu procedere omnia, quæ de Episcopo Diœcesano dicta sunt. Existimat verò Peyr. *d. cap. 7. n. 6.* Prælatum regularem, qui dedit dimissorias contra præscriptum præfati decreti non incurrere pœnas supradictas, si subditus in effectu non suscepit ordinem aliquem à non Diœcesano Episcopo, quia illud decretum tanquam contrarium priuilegijs sit strictè intelligendum, & quia verba intelligenda sunt cum effectu. Sed cum per illud decretum prohibeantur dari dimissoriæ pro ordinibus suscipiendis à non Diœcesano Episcopo, dum Diœcesanus ordinationes habet, delictum est in effectu consummatum, & verba legis cum effectu intelliguntur, si tales dimissoriæ sint datæ. Et ideò melius dixit Ricc. *1. p. in praxi dec. 118. num. 10.* ab eodem Peyr. citatus, quod si superior Regularis fecit ex parte sua quod potuit, vt subditus ordinaretur tunc à non Diœcesano pœnas incurrit, Nam ad hoc sufficit quod dimissorias dederit, easque saltem non reuocauerit, si eas reuocari opus fuit, seu non per ipsum steterit, quod subditus ordines non receperit. Coton. *l. 3. contr. 1. cap. 4. num. 73.* post Bordon. *resol. 67. num. 66.* & Dianam *p. 9. tract. 8. resol. 58.* Coton. autem amplius existimat, quod culpa mortalis, & pœnæ non habeant locum nisi in primo ex tribus casibus supra per eundem Coton. recensitis, nimirum si superiores dant dimissorias ad alienum Episcopum. Quia illud decretum Clem. 8 vnum tantum casum videtur punire, cum in singulari dicat, *Quod qui non fecerit*, nempe principaliter dispositum. Et quia nullum præiudicium fit Episcopo (vel certè leue) cum illo vacante ab ordinationibus exempti extra Diœcesim mittuntur pro ordinibus suscipiendis. Idem habet Bordon. *eod. res. 67. num. 39.* vbi diffusè hoc pertractat.

819. An verò si Episcopus Diœcesanus sit hæreticus possint subditi ordinari à non Diœcesano, quæstionem tractat Reuerendiss. Fagnan. *cap. Absolutos de hæret. tom. 6.*

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Regulares subiecti examini Episcoporum.* num. 820.
2 *Sed quoad doctrinam tantum.* n. 820.
3 *Non tenetur Episcopus examinare notoriè idoneos.* n. 821.
4 *Potest confirmare conscientiam suam testimonio Superiorum.* n. 821.
5 *Episcopus non potest dispensare super idoneitate Regularium.* n. 822.
6 *Necesse est, quod ordinandi non sint illiterati.* n. 823.
7 *Non esse necessaria tanta scientia in Regularibus, quanta in secularibus.* n. 824.
8 *Hoc explicatur.* n. 825.
9 *Non sufficit in Regulari quod sciat legere, & cantare.* n. 826.
10 *Incertum an illiteratus sit proprie irregularis.* n. 827.
11 *Episcopi possunt examinare Magistros Doctores, &c.* n. 827.
12 *Qui non vtuntur idiomate latino non tenentur intelligere linguam latinam.* n. 829.

820. INter alia priuilegia hoc etiam continebatur, vt Regulares non essent subiecti examini Episcopi. Fuit enim hoc concessum Prædicatoribus à Greg. 11. & Sixto 4. vt ex relatis supra num. 800. & seq. Et ab Eugenio 4. Cassinen. & PP. Societatis à Greg. 13. vt refert Cespedes dub. 71. Sed huiusmodi priuilegium fuit per Leonem 10. in Concil. Lateranen. & per Concil. Trid. sess. 23. cap. 12. & postea de mandato Clem. 8. vt supra reuocatum, & ideò hæc etiam praxis est, vt Regulares examinentur. Hoc tamen examen quantum ad doctrinam tantum fieri debet, hoc enim primo declarauit Leo X. in Concil. Lateranen. vt aduertit etiam Henriq. l. 10. cap. 13. num. 4. in comment. lit. L. Rodriq. t. 3. q. 14. n. 1. Campan. rubr. 12. cap. 13. num. 35. Barbosa cap. ad autes num. 2. de temp. ordin. Peyrin. in Prael. Reg. q. 3. cap. 7. num. 3. Tambur. t. 2. d. 2. q. 10. num. 4. Nam quantum ad mores Regulares sufficit, quod deferant testimoniales suorum superiorum, quibus delatis ad Episcopum eius non est inquirere si nomina Religiosorum ordinari petentium, eorumdemque desiderium fuerit in Ecclesia propositum, testimoniumque exter de eorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis, quæ in ordinandis omnibus inquirenda esse decernit Concil. Trident. sess. 23. cap. 5. si quidem S. Congr. Concilij censuit ad Regulares minimè extendi dispositionem præfatam, cum satis Episcopo esse debeat testimonium habere ab ordinandorum superioribus Regularibus attestantibus eos nullo indigere requisito, quorum fidei standum est, prærerquam circa doctrinam, pro qua subijciuntur Episcoporum examini, vt tradiderunt DD. citati, & Vgol. de potest. Episc. c. 26. §. 18. num. 2. Mirand. tom. 1. q. 28. n. 2. Barbosa ad cap. 5. sess. 23. Concil. Tridcnt. num. 2.

821. Existimauit autem Hieronymus Vecerus, Seycea apud Cespedem dub. 71. hoc examen esse adeò necessarium, vt nec possit Episcopus Regulares sine examine ordinare. Sed primo indubitatum est Episcopum sine examine posse ad ordines admittere notoriè sufficientes, aut eos de quibus prudenter præsumi potest esse doctos sufficienter, iuxta cap. 1. dist. 24. & Clem. 1. de iure iur. Syluest. v. Ordo 1. quæst. 1. Rebuff. in prax. tit. de Cler. ad Sacr. Ord. gloss. 4. nu. 12. Barbos. de off. Episc. all. 72. num. 119. quos sequitur Tambur. d. q. 10. nu. 3. Cespedes d. dub. 71. Deinde etiam poterit Episcopus confirmare conscientiam suam attestatione Superiorum Regularium facientium fidem de idoneitate suorum subditorum. Debent enim Superiores Regulares in Monasterio per proprios examinatores experiri idoneitatem eorum, qui præsentandi sunt Episcopis pro ordinibus suscipiendis, & non nisi idoneos præsentare, vt passim in quacumque Religione, aut Congregatione per proprias leges, est sancitum, aut consuetudine obseruatum. Quo stante potest Episcopus si voluerit, & opportunum iudicauerit sine alio examine à suis Superioribus examinatos, & idoneos repertos sine alio examine ad Ordines admittere. Quia Prælatis Regularibus tanquam personis grauissimis credi potest. cap. nobilissimas. d. 95. Tum quia Concil. Trident. eod. sess. 23. cap. 15. examen approbandorum ad confessiones remittit ad arbitrium Episcopi, cum tamen scientia, & eruditio maximè necessaria sit in cõfessario. Portell. v. Ordines Sacri. num. 11. Villalobos t. 1. tr. 11. diff. 14 num. 5. Lezana p. 4. v. Ordines Sacri. n. 13. Cespedes. d. dub. 71. Peyr. ad const. 26. Leonis 10. num. 25. & de Prael. Reg. q. 3. cap. 7. num. 3. Tambur. d. q. 10. n. 5.

822. Addunt aliqui aliam rationem, quia nimirum Episcopus possit dispensare super idoneitate ordinandi quantum ad sufficientiam Grammaticæ, quia Concil. sess. 23. cap. 11. hoc ponat in arbitrio Episcopi. Peyr. ad const. 26. Leonis 10. num. 25. & ex Menoch. de arbitr. casu 425. nu. 38. Barbosa de off. Episc. all. 11. num. 6. & ad cap. 12. sess. 23. Conc. Trid. num. 1. Tambur. d. q. 10. num. 5. qui addit quod hoc ipsum sit concessum Cassinen. à Iul. II. & quod hoc hodie seruatur in vniuersa Gallia, & in aliquibus partibus Hispaniæ. Sed parum hoc subsistit, quia Concilium ponit in arbitrio Episcopi dispensare super interstitijs, non vero super scientia. Hæc enim sunt verba Concilij sess. 23 cap. 11. de reformat. *Minores Ordines ijs, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur: vt eo accuratius, quantum sit huius disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in vnoquoque munere, iuxta præscriptum Episcopi se exerceant.* In his vero verbis conditionalis illa *nisi aliud, &c.* refertur solum ad id, quod immediatè prius dixerat, scilicet *per temporum interstitia*. Quod colligitur ex ratione adducta à Concilio, quæ est, vt scilicet possit Episcopus non dispensare super interstitijs, vt interim ordinandus adiscat non grammaticam, sed dignitatem Ordinis, & pondus ministerij ad quod ordinati promouentur. Et in vnoquoque munere possit separatim exerceri. Atque ita de gradu in gradum ascendant, vt in eis

cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accrescat.

823. Quantum igitur ad scientiam hoc habendum pro certo, quod illiterati non sunt ordinandi, vt habetur ex *dist.* 36.37.*&* 38.per totum, & docuit Innoc.in *cap.cum in cunctis,de elect.* Ideò vniuersaliter ex vi Concilij necesse est,vt ordinandi Latinam linguam intelligant, & vt habetur ex eadem *sess.*23.*cap.*5. opus est, vt huiusmodi ordinandi bonum à Parocho, & Magistro scholæ in qua educuntur habeant testimonium. Quod in Regularibus supplet testimonium sui Superioris. Nedum verò Concil. *d.cap.*11.requirit intelligentiam linguæ Latinæ in ordinandis ad Minores Ordines sed vult, *vt nemo ijs initietur, quem non scientiæ spes Maioribus Ordinibus dignum ostendat.* Quantum verò ad Superiores Ordines Sacros idē Concil.*sess.*23.*cap.*13.statuit,quod *Subdiaconi,& Diaconi ordinentur,vt habentes bonum testimonium, & in Minoribus Ordinibus iam probati,ac literis,& ijs,quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi.* Maior verò scientia requiritur in ordinandis ad Sacerdotium, nam Concil. *d. sess.* 23. *cap.*14. requirit, quod ipsi *etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur.*

824. Non esse tamen necessariam in Regularibus tantam scientiam, & eruditionem,quanta sit necessaria in Sacerdotibus secularibus dummodo sciant necessaria, & essentialia; quæ communiter scire solent Sacerdotes aduerterunt Syluest. *v. Clericus* 2.*num.*1. Angelus *num.*2. Sotus 4. *dist.*25.*q.*1.*a.*4.*concl.*3.Mirand.*t.*2.*qu.*8.*a.*7.*concl.*1. Rodriq.*t.*1.*q.*24.*a.*7.Portell.*v.ordines sacri. nu.*1.*in addit.*Villalob.*p.*1.*tr.*11.*diff.*11.*num.*3. Hieron.Rodriq.*res.*106.*num.*24.*&* *res.*52.*num.*22.Barbosa *ad cap.*13.*num.*2.*sess.*23. Concil Trid.Cesped. *dub.*65. Peyr.*ad const.*26.Leonis *X.num.*25. Tambur.*t.*2.*d.*2.*q.*21.*num.*5.Pasqual.ad Laur.de Franchis.n.302. Diana *p.*3.*tr.*2.*resol.*86. & huius redditur ratio, quia Clerici sæculares ordinantur saltem indirectè in ordine ad functiones curæ animarum, & ideò debent habere scientiam sufficientem in Ordine ad hanc curam. At Religiosi ordinantur solum in ordine ad celebrandum, vnde sufficit si sciant, quæ necessaria sunt pro celebranda missa. Quod si applicentur alijs functionibus concernentibus curam animarum, vt est concionari,audire confessiones, indigent noua approbatione, & proinde ij soli applicantur,qui idonei sunt.Addit verò Pasqual. *num.* 303. quod etiam in Clericis secularibus, si aliquis secularis ordinetur,vt ex sua deuotione celebret, & non vt in aliquo applicetur curæ animarum, neque etiam quoad ipsum tanta scientia esset necessaria,quanta in alijs, sed sufficeret si esset idoneus ad celebrandum, & proinde sufficeret scientia eorum, quæ necessaria sunt pro celebratione.

825. Hoc verò adeò aliqui extendunt, vt dicant in Regularibus vt ordinentur sufficere si sciant bene legere, & cantare, & si non bene latina lingua polleant. Ità Cespedes *d. dub.* 65.& Tambur. *d q.*21.*num.* 5. qui dicit non obstare Concil. Triden. quia in Clericis,qui postquam sunt ordinati non amplius curant studere præcipuè intelligitur eius dispositio; Nam in Regularibus, & studij maior assiduitas, & continua conuersatio cum viris doctis ex qua etiam ineruditi doctiores fiunt, facit, quod sit in eis licet non tam doctis maior spes, vt doctiores fiant, & ideò vt tempore ordinationis non sit necessaria tanta scientia vt actu habita. Mihi tamen videtur distinguendum esse, inter necessitatem intelligentiæ linguæ latinæ,& necessitatem scientiæ necessariæ ad exercitium ordinis ad quem aliquis actu petit promoueri, & docilitatem, & spem maioris scientiæ vel necessariæ ad exercitium Maiorum Ordinum, vel vlterius necessariæ etiam ad curam animarū, & sic quæstionem esse quadrimembrem. Quo supposito dico quantum ad prima tria membra non esse discrimen ponendum inter Clericos, & Regulares. Nam intelligentia linguæ latinæ, quam vt actu habitam requirit Concilium *ses.*23. *cap.* 11. omnibus tam secularibus,quam Regularibus est necessaria. Et quatenus huius intelligentiæ quantitas sit arbitraria Episcopo, vt aliquando præstet conferre Minores Ordines non habenti actu intelligentiam linguę latinę,sed existenti bonæ indolis, & ingenij docilis pro ætate, vt ex Menoch. *de arbit. casu* 425. *num.* 58. aduertit Barbosa *all.* 11. *num.* 5. *& ad d.cap.*11.*ses.*23. Concil. Trid. *num.* 2. Hoc erit verum etiam respectu Clericorum secularium, & poterit habere specialem difficultatem respectu Religiosorum in quantum est pro Religiosis studium grammaticæ. Cæterum Concilium Tridentinum vniuersaliter loquitur, dum etiam in ordinandis ad Minores Ordines requirit intelligentiam linguæ latinæ. Pariter tanta intelligentia eorum quæ ad rectum exercitium ordinis suscipiendi, quanta est actu necessaria, cum ex iure naturali, & diuino requiratur, quod sua omnes obligat, est æqualiter necessaria tam in Regularibus,quam in secularibus. Et respectu huius notitiæ non sufficit spes de futuro, sed ipsa notitia vt actu habita requiritur.Et si eam non habenti Ordo conferatur, ordinatus ex iure naturali, & diuino est suspensus ab exercitio ordinis, donec sciat, quo scire tenetur, quia aliter exponit se periculo vel nulliter, vel irreligiosè agendi ex causa ignorantiæ, qua nescit necessario scienda ad hoc vt ordinatus sit habilis, vt possit rectè ordinem exercere. Et in Ord. Prædicatorum, dum in *Cap. Rom.* 1601. *ord.* 21. statutum fuit nullum dimittendum ad Ordines suscipiendos, qui in officio diuino, & moribus, & literis non sit sufficienter instructus, *in cap. postea Valent.* 1596. *ord.* 2. ex habitis authoritate Sixti V. nedum id confirmatum fuit, sed si aliqui Sacr. Ordines suscipissent nescientes clarè, & distinctè legere ab exercitio, & ministerio Ordinum interdicti fuerunt, donec perfectè didicerent. Pariter spes maioris scientiæ illorum, quæ necessario scire debent ad rectè habendos actus Maiorum Ordinum, in omnibus est æqualiter necessaria. Quia nullus Minoribus Ordinibus est initiandus, qui saltem non sit futurus habilis,vt promoueatur ad Ordines Maiores. Et ideò Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. iubet nullum promoueri ad Ordines Minores, quem non scientiæ spes Maioribus Ordinibus dignum ostendat. Solum igitur in 4. potest esse discrimen aliquod inter seculares, & Regula-

gulares, quia non est ita necesse, vt Regulares ordinentur ad curam animarum habendam, sicut est necesse in Clericis Secularibus; quibus vt plurimum committuntur Parochiæ. Et nihilominus, vt Sotus citatus aduertit vniuersaliter tam in secularibus, quam in Regularibus, qui ordinantur præcise pro conficiendis Sacramentis, non tenentur habere, vel in re, vel in spe scientiam necessariam ad curam animarum, sed sufficit scientia ad conficienda, vel ministranda Sacramenta requisita.

826. Colligitur verò ex his non posse admitti id, quod Tambur. dixit d. q. 21. num. 8. scilicet Episcopum posse sine vllo scrupulo Ordinare Regularem Ordine Presbyteratus, qui bene sciat legere, & cantare, quamuis sit minus literatus, & non bene latina lingua polleat, quia talis Religiosus in sua Societate, & aliorum pro officio suo Minister idoneus videtur. Nam si sit sermo de scientia excellente, nulli etiam Clerico est necessaria, vt ordinetur si verò de scientia simpliciter necessaria ex iure diuino, quæ est talis ac tanta, vt ordinandus sciat, quæ ad officium suum sine peccato exercendum necesse scire debeat; Nec quoque scientia est omnibus necessaria, sicut & cuilibet mediocris sufficit. Sed si etiam loquamur de scientia necessaria ex iure positiuo manifestum est, quod non sufficit, quod Regularis sciat bene legere, & cantare. Tum quia requiritur intelligentia linguæ latinæ, vt quæ cantat, & legit intelligat. Tum quia ad hoc, vt possit ordinare, vel conficere Sacramenta, vel ad ea conficienda ministrare, non sufficit scire legere, & cantare. Quamuis hoc etiam verum sit, quod præcipue in illis Religionibus in quibus viget Psalmodia, & cantus choralis, necesse est quod ordinandi sint instructi in officio, & cantu. Vt pro ordine Prædicatorum fuit ordinatum Barcinone 1574. Ord. 18. & Romæ 1580. conf. 29.

827. An verò defectus scientiæ in Ordinando sit irregularitas, affirmat Bonac. de cens. disp. 7. q. 2. p. 2. num. 2. ex Nauar. cap. 27. num. 10. Tolet. lib. 1. cap. 59. num. 7. Suarez de cens. d. 51. sec. 2. n. 2. Fellinc. tr. 19. cap. 7. num. 88. Reginald. lib. 30. n. 35. Sed non esse propriè irregularitatem docuit Garzias de benef. p. 7. cap. 7. num. 19. post Henriquez l. 14. cap. 8. §. 11. in commen. lit. R. & ita etiam Sayr. lib. 6. de cens. cap. 13. num. 8. quod maxime verum esse dicunt, si defectus scientiæ non sit maximus, ita quod ordinandus non sit omninò illiteratus. Nam nec morum defectus est propriè irregularitas, nisi defectus sit talis, pro quo in iure lata sit irregularitas expresse.

828. Tandem circa scientiam aduertitur, quod Peyrin. ad const. 26. Leonis X. num. 25 quem sequitur Tambur. to. 2. disp. 2. q. 20. num. 6. fin. allegans Nauar. in cap. Cum contingat, de rescrip. nul. 2. num. 13. Cochier de exemp. p. 4. q. 45. docet quod notoriè literati, vt sunt Magistri, & Lectores publici, vel qui defenderint publicas conclusiones non debent ab Episcopis examinari ex cap. 1. dist. 24. Sed hoc ad rem non facit, quia Concil. Carthaginen. ex quo est sumptum illud cap. 1. inquit, quod nullus ordinetur nisi probatus fuerit, vel Episcopi examine, vel populi testimonio. At verò ex eo, quod aliquis sit, vel Lector publicus, vel Magister non per hoc est probatus populi testimonio idoneus pro Ordinibus suscipiendis; illi enim dicebantur probati populi testimonio, qui à populo petebantur ordinari. Ideò dicitur secundò, quod modo ex legibus Pontificijs, & generalibus huiusmodi populi testimonium non sufficit, & standum est in nostro casu Concil. Tridént. quod absolutè nulla facta distinctione dat facultatem Episcopo examinandi quemcumque ordinandum. Quamobrem aliud est, quod possit Episcopus notorium literarum admittere sine examine, quod est verum, aliud est, quod ad hoc teneatur, & hoc sine fundamento asseritur.

829. Quæ etiam dicta sunt de necessitate intelligentiæ latinæ linguæ, vera sunt regulariter, & vbi diuina officia in idiomate latino celebrantur. Nam in regionibus habentibus priuilegium celebrandi diuina officia in propria lingua, non est in ordinandis necessaria lingua latina, sic quod ordinandi nationis Illyricæ non obstante decreto Concil. Trid. & Const. Sixti Quinti possunt ordinari etiamsi latinam linguam omnino ignorent, tenet Pasqual. ad Lauretum p. 1. num. 301. & refert fuisse decisum à S. Cong. 20. Septembris 1591. Pariter & Armeni, quia in lingua Armena officia diuina, & Missam celebrant, ordinantur etiam si linguam latinam ignorent.

SVMMARIVM.

1 *Temporum interualla seruanda. n. 830.*
2 *Opiniones diuersæ. n. 831.*
3 *Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. statuens ordinationes fieri statutis temporibus non derogat priuilegijs. n. 832.*
4 *Priuilegium Militum San. Ioan. viget. numero 832.*
5 *Tutius est Regulares, vt ordinentur extra tempora obtineant indultum à Pontifice. numero 832.*

830. TErtium priuilegium, quod habebant Regulares erat, quod possent ordinari extra tempora. Est enim de iure, quod ordinationes non habeantur nisi in sex anni temporibus, nimirum in quatuor temporibus, sabbato ante Dominicam in Passione, & sabbato sancto cap. 3. de temp. ordin. Quamuis Ordines Minores conferri possint etiam in diebus Dominicis, & festiuis cap. 1. & 3. de tempor. Ord. Non tamen per modum ordinationis generalis, sed vnus, vel duo possunt in festiuis diebus ordinari cap. 3. de tempor. ordin. Et ita quod consuetudo habendi ordinationes, & promouendi ad Sacros Ordines extra illa sex tempora censenda sit nulla, & improbanda cap. x. de tempor. ordinand. Nihilominus, vt ex supra citatis priuilegijs apparet poterant Regulares ordinari extra præfata tempora.

831. Sed quod hoc priuilegium sit reuocatum, vnde non possint modo Episcopi ordinare Regulares extra tempora tenent Vasquez in 3.

par. disp. 246. *cap.* 5. *num.* 5. Suarez de legibus *l.* 8. *cap.* 27. *num* 8. Mirand. *tom.* 1. *q.* 38. *a.* 4. Peyr. *ad const.* 2. Sixti 4. §. 11. *num.* 39. Lezana *part.* 1. *cap.* 14. *num.* 19. Quia per Concil. Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 8. id fuit statutum, & consonant constitut. Pij 2. & Sixti 5. & praxis Ecclesiastica. Maximè quod Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 22. præcipit omnia, & singula in suis decretis contenta obseruari à Regularibus non obstantibus quibuscumque priuilegijs. Et concessio facta à Greg. 13. Religiosis Societatis non videtur communicabilis, quia Pontifex id expresse declarauit. Sed econtra quod hoc priuilegium non sit abrogatum, sed quod hodiè quoque Episcopi possint virtute priuilegiorum ordinare Regulares extra tempora sustinent Rodriq. *tom.* 3. *q.* 23. *a.* 5. Monet *de commun. vlt. volunt. cap.* 10. *num.* 184. Homobon. *de exam. Eccles. trac.* 2. *cap.* 1. *q.* 23. Portell. *v. ordines sacro num.* 4. Villalobos *par.* 1. *tr.* 11. *diff.* 13. *num.* 6. Hier. Rodriq. *resol.* 106. *n.* 7. Io. de Cruce *l.* 1. *cap.* 8. *a.* 1. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 31. Tambur. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 13. *num.* 8. & *q.* 17. *num.* 1. Barbosa *de off. Epis. alleg.* 17. *num.* 6. & *ad cap.* 8. *num.* 4. *sess.* 23. Concil. Trident. Cespedes *de exempt dub.* 82. Lucerna Regular. Nam non obstat, quod Concil. Tridentinum *in sess.* 25. *cap.* 22. deroget priuilegijs, quia id intelligitur de priuilegijs, quæ obstant decretis in illa *ses.* 25. vt vult Cochier. *p.* 2. *q.* 54. *num.* 9. Tum secundò, quia Concilium derogat priuilegijs concessis ante Concilium, non vero post Concilium. At verò post Concilium idem priuilegium fuit concessum Societati per Greg. 13. Nec obstat quod Greg. 13. voluerit hoc priuilegium esse incommunicabile; quia post Greg. fuerunt Pontifices, qui priuilegia Societatis communicarunt alijs Religionibus, de quo videri potest Diana *d. res.* 31. Tum quia sunt alia priuilegia, quæ hoc concedunt Religiosis teste Portell. & in Constit. Pij Quinti pro Equitibus S. Io. Hierosol. hoc expresse conceditur, vnde hoc eodem priuilegio gaudent, qui habent priuilegiū communicationis priuilegiorum.

832. Considerabile est, quod Concil. Trid. *sess.* 23. *cap. Octauo*, dum decernit Ordinationes habendas esse statutis à iure temporibus nullam mentionem facit Regularium, aut cuiuscumque priuilegij, vt notat Tambur. *d. q.* 17. *num.* 2. Vnde non videtur per hoc Regularium priuilegijs derogasse. Sed intelligi potest, vt loquatur de ordinarijs, & solemnibus Ordinationibus, & cessante omni priuilegio. Nam & de facto sæpissime per speciale priuilegium summi Pontificis plures Ordinantur extra tempora. Et hoc confirmatur, quia Pius Quintus *in const.* 41. §. 7. declarauit Concil. Trid. in ea *sess.* 23. *cap.* 8. non comprehendere Regulares, sed eos posse ordinari à quocumque Episcopo, quæ declaratio subsistit per dicta supra n. 88. Vnde Clem. 8. in decreto S. Cong. recensito supra *num* 806. & per quod voluit etiam Regulares non Ordinari nisi à Diœcesano, non hoc iussit ea vi Con. Trid. *ses.* 25. sed tanquam condens nouum ius, vt patet ibi, *Tenore præsentium mandatur, &c. vt de cætera obseruent &c.* Nec in decreto S. Cong. dicitur, quod eius determinatio fuerit statutum Concilij, cùm oppositum iam declarasset Pius Quintus Clem. ergo Regulares non comprehenduntur in decreto illius *cap. octaui*, vbi derogando priuilegijs mandat vnumquemque ordinari à proprio Episcopo, multo minus comprehenduntur dum præcipit ordinationes haberi statutis temporibus, & non derogat alicui priuilegio. Sed nec est necesse dicere, quod huiusmodi priuilegijs derogatum fuerit per Concil. *sess.* 25. *cap.* 21. Quia ibi Concilium loquitur de decretis in ea sessione factis, & ibidem sub titulo de Regularibus, & Monialibus ordinatis, vt benè aduerterunt Gutieres citatus Rodriq. *t.* 3. *q.* 23. *a.* 5. Tambur. *d. q.* 17. *num.* 2. & alij quamuis ergo non satis constet de illo priuilegio concesso PP. Congregationis S. Io. Euangelistæ Portugalliæ. Nihilominus priuilegium concessum Militibus S. Io. Hierosol. à Pio Quarto in sua *const.* 9. est clarum. Nec obstat, quod fuerit datum ante Concilium. Tum quia, vt dictum est Concilium non reuocauit illud. Tum quia priuilegia dictis Militibus concessa absolute sine limitatione motu proprio, & ex certa scientia cum clausula tenores &c. confirmarunt Pius Quintus *in constit. & si cuncta* 77. Et Greg. 13. *in const. quia magis* 60. §. 6. qui etiam illa innouauit, & §. 10. constitutionem præfatam Pij Quinti 77. confirmauit. Nec obstat, quod idem Greg. 13. *in constit. sua circumspecta* 67. priuilegia concessa huic Ordini, & in specie *constit.* 77. Pij Quinti reduxerit ad terminos Concilij Tridentini, quia non reduxit ea nisi pro ea parte, quæ concernunt statuta à Concilio *in sess.* 24. *cap.* 11. voluitque in ijs, quæ concernunt curam animarum eorum Ecclesias, & Parochos seu Ministros subesse Episcopo, vt Sedis Apostolicæ delegato, iuxta dispositionem Concilij. Quod & prius statuerat Pius Quintus *in constit. Exposcit* 136. Et nihilominus ex hoc motiuo magis confirmatur intentum. Quia priuilegia huius ordinis motu proprio, & ex certa scientia confirmauit Greg. 14. *in constit. Quanta* 5. *data anno* 1591. solumque præseruauit Ecclesias, & personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concil. Trid. voluit seruari iuxta *constitut.* Pij Quinti 136. *datam* 22. *Septembris anno* 6. & præfatam Greg. 13. 67. datam 25. Nouembris anno nono. In alijs igitur voluit Priuilegia dicti ordinis esse inconcussa, & valida. Pariter Vrbanus Octauus in *constit. Vniuersalis Ecclesia* 15. *data* 29. *Martij* 1624. Motu proprio, & ex certa scientia, cum clausula tenores &c. confirmauit Priuilegium præfata clausula tamen sicut fecerat Greg. 14. præseruans Ecclesias, & personas quantum ad curam animarum, volens in hoc seruari decreta Concil. Trid. iuxta præfatas Constitut. Pij Quinti, & Greg. 13. Igitur in reliquis voluit illius ordinis priuilegia vigere, & suam vim habere. Non apparet autem cur alij Regulares priuilegium communicationis habentes, hoc priuilegio vti non possint praxis verò quod Regulares à Summo Pontifice impetrent facultatem, vt possint ordinari extra tempora non obstat, sed dici poterit hoc fieri, vel ob maiorem securitatem, & tranquillitatem conscientiæ eorum, qui ordinari desiderant, vel quia cum hæc opinio tradens posse id fieri per priuilegia communia sit opinio, non verò sententia certa, Episcopi volunt eam sequi, & ideò qui indigent

ordi-

ordinari recurrunt ad summum Pontificem. Et hoc quidem est tutius, & securius.

SVMMARIVM.

1 *Seruari debent interstitia temporum in ascensu ad ordines.* n.833.
2 *Prælati Regularis est petere; & reddere causam dispensandi, sed Episcopi est dispensare.* numer.834.
3 *Abbates cum ijs, quos possunt ordinare, possunt dispensare in interstitijs.* nu.835.
4 *Possitne Episcopus dispensationem hanc Regularibus negare?* n.836.
5 *Quæ Ecclesiæ vtilitas ob quam licet dispensare in interstitijs.* n.837.
6 *Non multum interest decernere an Regulares possint ordinari non seruatis interstitijs.* numer.838.
7 *Eodem die nec Regulares possunt suscipere plures Ordines Sacros.* n.839.
8 *Recipientibus Ordines sine dispensatione in interstitijs non est lata pœna, ipso iure.* numero 840.

833. QVartum priuilegium est, vt Regulares possint ordinari non seruatis interstitijs Nã de iure in suscipiendis Ordinibus seruanda sunt temporũ interstitia, nimirum quantũ ad minores ordines interstitium de tempore generaliũ ordinationum ad aliud tempus secundum Maiolum *de irregular.* cap.24. §.13. & Vgol. *de off. episc.* cap. 27. num. 4. vel de vno ad aliud festum secundum Sarbum *v. Ordo vers.* Et sic benè & Campanil. *in diuers. rubr.* 6. cap. 3. num. 13. Quos refert Barbosa d. *cap.* 11. *sess.*23. num. 4. Sed de hoc non esse multum disputandum asserit Bordon. *resol.*67. num.3. Cum in Italia sit vsu receptum, vt omnes quatuor minores ordines simul eodem die conferantur petentibus superioribus. Quod est rationabile ad tollendam occasionem vagandi Religiosis, & de hac consuetudine testantur Sylu. *v. ordo* 1. num.7. Campanil. cum alijs citatis à Barbosa *cap.*13. *num.*6. *sess.*23. Ad Ordines verò Maiores interstitium vnius anni fuit necessarium. Secundum Concilium *sess.*23. *cap.* 11. & 13. & 14. Qui annus Ecclesiasticus sufficit, vt tanquam decisum à S. Cong. refert Lezana *p.* 1. *cap.*14. n.17. Barbosa *ad cap.* 13. *sess.* 23. num. 6. Bonac. *d. p.* 5. num. 33. Bordon. *res.* 67. num. 1. non est tamen tantæ, necessitatis hoc interstitium, vt in eo non possit Episcopus dispensare. Cum discrimine tamen, quia ad dispensandum in interstitio vnius anni integri à suscepto Diaconatu ad suscipiendum Sacerdotium requiritur Ecclesiæ vtilitas ac necessitas *sess.* 23. *cap.* 14. Et hæc eadem causa requiritur in ascensu ab Acolitatu ad Subdiaconatum *sess.*23. *cap.*11. Sed in ascensu ab vno ad alium minorem, vel à Subdiaconatu ad Diaconatum tanta necessitas non requiritur, quia Concilium dispensationem super huiusmodi interstitio absolute relinquit arbitrio Episcopi *sess.* 23. *cap.* 11. & 13. Ex his enim diuersis loquendi modis Concilium innuit maiorem, & grauiorem causam requiri, vt non seruetur annale interstitium ab ordinibus minoribus ad Subdiaconatum, & à Diaconatu ad Sacerdotium, quam vt dispensetur super interstitio Minorum Ordinum inter se, vt aduertit Tambur. *tom.*2. *disp.*2. *q.*22. n.5.

834. Vbi verò agitur de dispensando cum Regularibus super interstitio hoc, Cespedes *dub.* 81. existimat nedum, quod Prælati Regulares possint hanc dispensationem concedere, quod & voluit Suarez *tom.*4. *de Relig. l.*2. *tract.* 8. *cap.*12. num.32. sed quod ijdem Prælati eam concedere debeant, non verò Episcopus, & fundatur, quia ipsi sunt Ordinarij, Concilium verò dicit pertinere hoc munus ad Ordinarium. Sed in hoc fallitur, quia Concilium non vtitur nomine Ordinarij cum tribuit hanc facultatem dispensandi super interstitijs, sed vtitur nomine Episcopi, fundatur etiam super priuilegio concesso à Greg. 13. Societati Iesu & à Clem. 8. Congregationi San. Io. Baptistæ in Portugallia. Sed huiusmodi priuilegia concedunt posse ordinari non seruatis interstitijs, non verò concedunt facultatem Prælatis super eis dispensandi. Vnde dicitur cum sententia communi, quod non spectat ad Prælatum regularem dispensare super interstitijs erga suos subditos, sed eius est dispensationem petere, & causam dispensandi manifestare, sed Episcopi est dispensare. Atque ita declarasse S. Congreg. & tanquam rem ab ea declaratam amplectuntur Quaranta *in sum. Bull. v. ord. in fin.* Piasec. *p.*1. *cap.*1. num. 5. Ricc. in praxi *dec.* 561. num. 5. Henriq. *lib.*10. *cap.* 23. §. 4. *in com. lit. L.* Barbos. *de off. Episc. p.*2. *all.* 18. num. 10. Rodriq. *tom.* 3. *q.* 24. *a.*3. Mirand. *p.*1. *q.*38. *a.*7. Ledes. *t.*1. *cap.*8. *concl.* 11. Campan. *rub.* 12. *cap.* 13. num. 40. Portell. *v. Ordines Sacri* num. 5. Confes. in *sum. priuil. tit.* 15. *cap.* 3. Bordon. *res.* 67. num. 4. Tambur. *tom.* 2. *disp.*2. *q.*22. nu.1. Sed nec cuilibet Episcopo competit hæc facultas dispensandi in interstitijs nam non conuenit Episcopo ordinatori, qui alienos subditos habentes dimissorias à suis Episcopis ordinat, sed Episcopi Diœcesani ipsius ordinandi est huiusmodi dispensationem concedere. Suarez vbi supra Piasec. 10. praxi *p.* 1. *cap.*1. num.12. Carolus de Grassis *in prælud.* num.339. Miran. *t.*1. *q.*38. *a.* 7. *concl.* 2. Barbos. de *off. Episc. alleg.* 18. num.9. & *ad cap.* 13. num.6. *sess.*23. Concil. Trid. vbi num. 7. quod hæc facultas competat etiam eiusdem Episcopi Vicario, & quod transeat in Capitulum seu eius Vicarium Sede vacante.

835. Abbates tamen, qui habent facultatem conferendi ordines minores suis subditis Monachis respectu eorumdem subditorum Monachorum possunt dispensare in interstitijs, in hoc enim veniunt sub nomine Episcopi, cum ac si essent Episcopi suos subditos ordinare possint. & cum dispensatio in interstitijs sit quid accessorium, ad hoc, quod est posse ordinare, quibus hoc conuenit, & illud conuenit. Henriq. loco citato Sorb. *v. ord. Sacri* Rodriq. & Mirand. Campanil. *n.*24. Barbosa *d. all.* 18. num. 3. & *alleg.* 3. num.6. Suarez *tom.*4. *de Relig. tr.*8. *l.*2. *cap.*12. num.20. Tambur. *d. q.*22. nu.2. qui *q.*23. hoc extendit, vt etiam si contingat Abbatem non conferri suis Monachis Ordines, sed eos mittere ordinandos ad Episcopum,

pum, nihilominus ad eum spectet dispensare super interstitijs eorum, vt voluerunt Tiber. cap. 8. in instruc. pro ord. q. 58. Hieron. Rodriq. resol. t. n. 22. Peyr. in Prax. Reg. q. 3. cap. 8. num. 24. vbi etiam ait, quod non est necessarium, & Abbates in literis dimissorijs mentionem faciant de tali dispensatione interstitiorum. Quod tamen displicet Bordon. resol. 67. num. 10. quia potest esse, quod Episcopo ordinatori iniiciatur scrupulus an ordinandus fuerit à suo Abbate dispensatus. Inde est, quod in illis Abbatijs in quibus adhuc viget dispositio priuilegij Innoc. 8. vt possint Abbates conferre suis Monachis etiam Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus, poterunt etiam cum illis dispensare in interstitijs, iuxta regulam; quod potest in interstitijs dispensare, qui potest ordinare.

836. Quamuis verò Prælati Regulares in interstitijs dispensare non possint, si tamen in suis literis dimissorijs petant dispensationem ab Episcopo ordinaturo, testificantes subsistere causam dispensandi, tenetur Episcopus absque alia inquisitione illam concedere. Ita Tambur. d. disp. 1. q. 24. num. 7. & apud eum Rodriq. Rten. Tiber. & add. ad Quarantam Barbos. de off. Episc. all. 18. num. 10. & cap. 13. num. 8. sess. 23. Concil. Trid. & apud eum Molfes. tract. 2. cap. 1. num. 56. referens decisum à S. Cong. debere Episcopus se conformare, cum supplicatione superiorum Regularium, quia ad ipsos superiores spectat prouidere, & iudicare circa vtilitatem, & necessitatem Ecclesiarum suarum. Et ita hoc idem tenent Lezana p. 1. c. 24. num. 15. Peyr. ad const. 2. Sixti Quarti §. 22. n. 35. Vulp. in praxi cap. 7. num. 12. Diana tom. 3. tr. 2. res. 112. Sanchez Concil. l. 7. cap. 11 dub. 54. n. 4. Quod quidem puto verum omnino esse, quando causa sit talis, qua subsistente non sit liberum Episcopo non dispensare, sed in conscientia teneatur dispensationem concedere, hoc petente necessitate, vel graui vtilitate Ecclesiæ. Sed vbi stante causa allata non sit in Episcopo necessitas dispensandi, sed sit illi arbitrarium poterit dispensationem negare Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. tr. 8. cap. 12. num. 23. Eius tamen non est cognoscere de subsistentia causæ, sed in hoc tenetur se conformare dimissorijs superioris Regularis, vt citati DD. dicunt quos sequuntur Dian. p. 3. tr. 2. resol. 182. Bord. resol. 67. num. 7. qui tamen non bene num. 56. vult quod Episcopus teneatur dispensare, quia dispensatio est actus gratiæ, & non omnis causa, quæ sufficit ad validè dispensandum, cogit, seu necessitat, vt dispensatio detur.

837. Quæ verò sit Ecclesiæ vtilitas, aut necessitas ob quam liceat dispensare super interstitijs, arbitrarium est iudicare Syluest. v. Ordo 3. num. 10. ait tunc esse necessitatem Ecclesiæ, quando Ecclesia Ministris indiget, & non est alius idoneus præter illum, qui debet ordinari. Sed Syluest. ibi loquitur de necessitate, ob quam Episcopus possit cogere aliquem inuitum, vt ordinetur. In proposito tamen nostro erit vtilitas quando licet Ecclesia habeat Ministros vtiles tamen erit, vt habeat in maiori numero ad inseruiendum populis, & ad diuina persoluenda, necessitas verò nedum quando Ecclesia non habet Ministros idoneos, & non idoneos, sed quando habet Ecclesia paucos ministros, & alijs indiget, vt iniunctis oneribus occurrere possit Conlet. tit. 25. c. 3. vers. in remittendis Sorb. v. Ordines Sacri Rodriq. p. 3. q. 24 a. 7. Portell. v. Ordines Sacri nu. 5. Bordon. res. 67. num. 13. Tambur. d. q. 24. num. 5. Vnde hoc est arbitrarium Episcopo Barbosa ad cap. 14. num. 3. sess. 23. Concil. Trid. Bonac. de sacram. disp. 8. q. vn. p. 6. num. 2. In transitu tamen de Acolytatu ad Subdiaconatum sufficit, vel necessitas, vel vtilitas Bonac. de Sacram. disp. 8. q. vn. par. 6. num. 3. & de censur. in pratic. disp. 3. q. 1. p. 4. n. 4. Barbosa ad cap. 11. num. 10. sess. 23. Concil. Trid. Sed in ascensu à Diaconatu ad Presbyteratum requiritur coniunctè vtilitas, & necessitas Bonac. vbi supra Barbosa ad cap. 14. num. 2. d. sess. 23. Bordon. res. 67. num 12. Qui plures vtilitates recenset, vt si Clericus in breui expectet beneficiū, vel Regularis gradum, vel Religio indiget aliquo ad prædicandum. Neque enim semper est necessaria vtilitas publica, cum id relinquatur arbitrio superioris Barbos. ad cap. 14. sess. 23. num 3.

838. Quid verò sentiendum sit de priuilegijs supra recensitis per quæ concessum fuit quibusdam Religionibus, vt ordinari possint sine interstitijs. Cum executio huius priuilegij spectet ad Episcopos, qui si volunt ordinare possunt etiam in interstitijs dispensare, & si nolunt ordinare non possunt ad id compelli à Regularibus, non est multum curandum an illud priuilegium vigeat, vel non vigeat, & an sit communicabile, vel non communicabile.

839. Dispensari autem non possunt ordinandi a quocumque Episcopo Pontifice inferiore, vt eadem die suscipiant duos Sacros Ordines, quia hoc fieri non posse decernit Concil. Trid. sess. 23. cap. 13. ibi *Duo Sacri Ordines non eadem die etiam Regularibus, conferantur: priuilegijs ac indultis quibusuis concessis, non obstantibus quibuscumque*, Et si aliter fiat collator manet suspensus à Collatione Ordinum donec à Pontifice dispensetur cap. literas vestras, & cap. Dilectus filius, de tempor. ordin. suscipiens verò si suscipiat vel plures Sacros ordines, vel Sacrum Ordinem simul cum aliquo minori est suspensus non ab omnibus, sed à solo à posteriori ordine illegitimè suscepto per d. cap. literas Nauar. cap. 25. num. 71. & cap. 27. n. 241. Gutier. l. 1. Canon. cap. 26. num. 31. Suarez. t. 5. disp. 31. sec. 1. num. 41. Barbos. de off. Episc. all. 14. num. 11 & ad cap. 13. sess. 23. Concil. Trid. n. 14. Bonac. de suspen. in part. disp. 3. p. 4. §. 1. & 45. vbi num. 7. subdit dispensationem suspensionis eius, qui eodem die suscepit plures ordines sacros, aut minorem cum subdiaconatu esse Papæ reseruatā, quamuis si ordinatus Religionem fuerit ingressus & peracta pœnitentia laudabiliter in Religione vixerit, possit tunc Abbas, & Episcopus dispensare. Verum quantū ad hoc, quod dicitur de Episcopo, nō habebit locū in Monasterio exemptos, cū Episcopus in exemptos iurisdictionē non habeat. Quamobrē vt abrogatum habendum est priuilegium, quod dicitur concessum ab Eugenio quarto Con. S. Benedicti in Hispania, vt Monachi semel tantum in anno omnes Sacros Ordines vna, & eadem die etiam extra tempora suscipere possent; Quod

pri-

priuilegium refer Tambur. *t. 5. d. 2. q. 16. num. 2. ex Compend. Priuil. v. Ordines Sacri.* §. 9. Sed per Concil. huic priuilegio fuit derogatum, vt idem Tambur. affirmat, & DD. citati tradunt, & est manifestum ex verbis citatis.

840. Cæterum ordinatos non seruatis Interstitijs nullam incurrere pœnam, aut censuram, aut irregularitatem, quia nulla talis est à iure, vel per Concilium imposita dixerunt Nauar. *cons. 4. num. 1. de temp. Ord.* Suarez *t. 5. d. 31. sess. 1. nu. 45.* Barbosa plures referens *ad cap. 13.* Conc. Trid. *sess. 23. num. 11.* Bonac. *de Sacram. d. 8. q. vn. p. 5. num. 35. & de cens. disp. 3. q. 6. p. 5. num. 7.* Diana *p. 3. tr. 5. resol. 32.* Bordon. *res. 67. n. 14.* Leand. *t. 4. d. 4. q. 7.* Tambur. *d. q. 4. nu. fin. & tom. 3. d. 5. q. 11. num. 74.* quamuis huiusmodi sic ordinatos Clericos posse suspendi ab Episcopo, & alij pœnis puniri ob canonis transgressionem asserat Barbosa. Episcopum etiam si scienter ordinet aliquem indigentem dispensatione super interstitijs censeri cum illo dispensare dixerunt Homob. Vgol. Graff. Molfes. apud Barbosam *ad cap. 13. sess. 23. num. 10.* quod tamen non omninò placet Bordon. *res. 67. num. 15.* quia Episcopo debet constare de vtilitate, & necessitate dispensandi, & non de sola indigentia dispensationis. Poterit tamen esse, quod Episcopo satis constet de vtilitate, & necessitate, quæ sit manifesta.

S V M M A R I V M.

1 *Regulares nec virtute alicuius priuilegij possunt ordinari ante ætatem. n. 841.*
2 *Nec in foro conscientiæ: oraculum Pij Quinti incertum, & reuocatum. n. 842.*
3 *Regularis recipiens Ordines ante ætatem est suspensus. n. 843.*
4 *Plura de hac suspensione. n. 843.*
5 *Suspensus quos actus exercens incurrat irregularitatem. n. 844.*
6 *Bona fides excusat ab incursu suspensionis. num. 845.*
7 *Alias pœnas à Sixto Quinto impositas Clem. 8. reduxit ad terminos iuris. n. 845.*
8 *Suspensio ista non est reseruata. n. 845.*
9 *Eandem suspensionem incurrunt qui ordinantur extra tempora. n. 846.*

841. QVintum priuilegium erat, vt Regulares possent ordinari etiam ante ætatem ad Ordines suscipiendos de iure præscriptam. Innocentium enim 8. concessisse Minoribus quod anno 23. ætatis inchoato possent ordinari Sacerdotes habetur *ex compendio priuileg. Minorum v. dispensatio, num. 14.* vbi *num. 15.* quod idem Pontifex concesserit Generali eiusdem Ord. vt quoad Sacerdotium posset dispensare cum illis qui annũ 22. compleuerant. Tambur. *t. 5. d. 2. q. 15. n. 1.* quamuis subdat hoc limitatum fuisse in Capitulo Generali Florentiæ celebrato. Sed hoc priuilegium est totaliter abrogatum per Conc. Trid. *sess. 23. cap. 12.* ibi. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur.* Et infra *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuscumque quo ad hoc penitus exclusis.* Et ideò nec virtute priuilegiorum possunt Regulares promoueri ante ætatem à Concil. præscriptam. Rodriq. *t. 3. q. 23. a. 6. & 8.* Sayr. *de cens. l. 6. cap. 12. num. 14. & 15.* Tambur. *io. a. de iur. Abb disp. 2. q. 20. & tom. 3. d. 5. q. 11. num. 73.* Mirand. *t. 1. q. 39. a. 1.* vbi subdit se nescire de aliqua concessione, quæ hoc concedat post Concil. Trident. Portell. *v. Ord. Sacri. num. 1.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 1. & v. Ordines Sac. num. 14.* Barbosa *ad cap. 12. nu. 10. sess. 23.* Concil. Trid.

842. Quod verò aliqui dixerint adhuc post Concilium posse Regulares in foro conscientiæ ordinari ante ætatem iuxta antiqua priuilegia, quia declarauerit Pius Quintus, Regulares in foro conscientiæ posse vti priuilegijs per Concilium Tridentinum reuocatis, & ideò in proposito quod in foro conscientiæ possint Regulares ordinari ante ætatem legitimam dixerunt Sorbua *v. dispensatio. num. 5.* & apud Dianam *p. 3. tr. 2. resol. 56.* Emanuel Sà *v. Religio num. 56.* Meritò communiter reijcitur, quia huiusmodi Pij Quinti concessio fuit viuæ vocis oraculum, iam reuocatum, & quod magis est etiam est oraculum incertum. Et post Pium Quintum Sixtus Quintus *in constit. Sanctum, & salutare* strictè præcipit seruari Concilium Tridentinum in Ordinũ susceptione. Nec *constit.* Sixti Quinti fuit quantum ad hoc reuocata per Clem. 8. *in constitut. Romanum Pontificem*, anno 1595. edita, quia Clemens moderatus fuit *constit.* Sixti quantum ad pœnas, & censuras præterquam contra symoniacè ordinatos latas, & quoad reliqua reduxit illam *constit. ad terminos constit.* Pij 2. & Concil. Trident. Et sic in suo vigore manet illa *constit.* Sixti Quinti in quantum præcipit seruari decreta Concil. Trident. in promotione ad Ordines Sacros. Quamobrem quod nec in foro conscientiæ liceat Regularibus promoueri ad Ordines ante ætatem præscriptam à Concilio tradiderunt Vasquez *in 3. disp. 246. cap. 4. num. 43.* Portell. *v. Priuilegij cessatio*, quos refert, & sequitur Cespedes *dub. 76. num. 2.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 1.* Tambur. *t. 2. d. 2. qu. 15. num. 5.* & alij DD. supra citati.

843. Quamobrem etiam Regulares suscipientes aliquem Ordinem ante ætatem à Concilio præscriptam sunt ipso facto suspensi ab executione Ordinis suscepti, & si in eo Ordine, aut in suspensione ministrent fiunt irregulares, quidquid in contrarium dixerit Innoiosa apud Dianam *p. 11. tr. 4. res. 7.* prout communiter docent DD. *per constit. 7.* Pij II. Cum ex sacrorum, editam anno 1461. quod tamen est de iure nouo *constit.* Pij II. Nam de iure antiquo non incurrebatur huiusmodi suspensio, vt ex S. Anton. *p. 3. tit. 14. cap. 16. §. 15.* & alijs aduertit Bonac. *de cens. in partic. d. 3. q. 1. p. 1. num. 1.* & solum incurritur ex susceptione Sacrorum Ordinum. Suarez *de cens. disp. 31. sec. 2. num. 26.* Nauar. *cap. 27. num. 155.* Bonac. *d. num. 1. per constit. 7.* Hæc verò suspensio solum est ab Ordine Sacro ante ætatem suscepto.

Vnde

Vnde non impedit vsum aliorum Ordinum. Suarez *de Cens. disp.* 31. *sec.* 1. Quaranta *in sum. Bull. v. Ordo*. Diana *p* 4. *tr.* 4. *ref.* 182. Coton. *l.* 3. *contron.* 1. *cap.* 4 *num.* 54. Lezana *d. cap.* 14. *num.* 2. Diana *p.* 11. *tr.* 4 *ref.* 31. Coton *l.* 3. *contr.* 1. *cap.* 7. *num.* 52. Hanc verò incurrit, qui etiam per horas ante legitimam ætatem ordines suscipit, quia iste suscipit ordines ante annos ætatis præscriptos, quamuis enim Diana *p.* 3. *tr.* 26. Miscell. *resol.* 29. probabilius iudicet non oppositum, quem saluo meliori iudicio sequitur Tamb. *l.* 2. *d.* 2. *q.* 15. *num.* 4. tamen hunc remanere suspensum si per horas ante ætatem completam suscipiat ordines meritò vult Nauar. *cons.* 9. *de temp. ordin.* Nam cum Concilium requirat annum iam inchoatum qui v. g. ex defectu horarum nundum compleuit annum 24. non potest dici, quod iam sit ætatis 25. annorum, vt vult Concilium, sed debet nedum compleuisse integrè annum 24. sed per aliquod tempus inchoasse 25. Sanchez *l.* 7. *cons. cap.* 1. *der.* 23. Pasqual. *contr.* 2. *qu.* 121. *num.* 5. Sufficere verò quod inchoauerit per dimidium diem asserunt. Coninch. *disp.* 20. *dub.* 10. *num.* 101. Bonac. *disp.* 8. *q. vn. p.* 5. *num.* 12. Tambur. vbi supra *num.* 4. Diana *d. ref.* 29. sed Coton. *l.* 3. *contr.* 1. *nu.* 54. sufficit quadrans diei. Sed Leandro *tr.* 6. *q.* 7. sufficit quadrans vel dimidium quadrantis huius, Bordon. *ref.* 67. *num.* 87. sufficit quadrans vel quid modicum. Durat verò hæc suspensio nedum vsq; ad legitimam ætatem acquisitam, sed vsque ad absolutionem, ita quod etiam post ætatem acquisitam non potest hic malè ordinatus vti ordine, nisi absoluatur. Tolet. *l.* 1. *cap.* 61. Cornexo *tom.* 1. *disp.* 4 *dub.* 1. Bonac. *de sacr. disp.* 8. *q. vn. p.* 5. *num.* 13. Barbosa *ad d. cap.* 12. *num.* 11. Lezana *d. num.* 2. E contra verò etiam absolutus à suspensione ante legitimam ætatem acquisitam non potest ministrare nisi cum postea fuerit legitimæ ætatis, ob irregularitatem ex defectu ætatis, in qua Episcopus non dispensat. Garz. *de Benef. cap.* 15. *nu.* 51. Bonac. *de cens. in partic. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 1. *nu.* 13. Barbosa *ad cap.* 12. *num.* 13. *sess.* 23. Concil. Trid. Pasqual. ad Lauterum *p.* 1. *num.* 11. Bonac. vbi supra, *& de cens. in par. d.* 3. *q.* 1. *p.* 1. *num.* 3, sed est considerandum, quod ordinatus ante ætatem duplici subest suspensioni, vni scilicet ratione ætatis, quæ non est propriè suspensio, sed quædam irregularitas, & ab hac manet absolutus statim ac complet ætatem, alteri ratione delicti, & quantum ad illam indiget peculiari absolutione. Suarez *disp.* 29. *in fine*. Tambur. *l.* 2. *q.* 13. *num.* 19. & ab illa non absoluitur, nisi ætatem attingat, & si ante absolutionem ministrauerit in ordine suscepto fit irregularis. Qui tamen fuit bona fide ordinatus, & ideò non suspensus, iuxta supradicta, adueniente mala fide peccat si celebrat ante ætatem non verò si completa ætate. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *ref.* 182. *& p.* 5. *tr.* 10. *ref.* 32. *&* 33. Coton. *l.* 3. *contr.* 1. *cap.* 4. *num.* 53. Non tamen incurrit irregularitatem. Peyr. *ad const.* 1. Iul. II. §. 26. *num.* 29. Quia tamen suspensio præfata non est reseruata in ea dispensat Episcopus. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 32. Hieron Rodriq. *ref.* 106. *num.* 26. Bonac. *d p.* 1. *num.* 11. Barbosa vbi sup. *num.* 12. Vbi quòd & Prælati Regulares possunt in ea dispensare cum suis subditis. Henriq. *l.* 14. *cap.* 20. §. 1. Portell. *v. Ordines Sacri num.* 14. Hier. Rodriq. *ref.* 106. *num.* 16 Pasqual. ad Laur. *num.* 11.

844. Ad irregularitatem etiam incurrendam necesse est ordinatos ante ætatem durante suspensione exercere actum ordinis, & sic eam incurrit Sacerdos si celebrat, Diaconus si cantat Euangelium Subdiaconus si solemniter legit Epistolas. Non incurrere verò hanc irregularitatem v. g. Sacerdotem nisi celebret, licet exerceat alios actus ordini Sacerdotij, conuenientes, illique deputatos, tradunt Barbosa *ad d. cap.* 12. *num.* 6. & Pasqualig. ad Laur. *p.* 1. *num.* 11. citantes Nauar. Rodriquez, & Bellet. locis citandis. Sed isti DD. non loquuntur in his terminis, & generalitate, sed distinguunt inter actus nulli ordini certo deputatos, & de istis cum Panorm. *cap. fin. de excessibus Prel.* dicunt Nauar. *cons.* 9. *de Cler. excom.* & Rodr. 9. *p. q.* 23. *a.* 11. quod suspensus eos exercendo non fit irregularis. Pariter ex actibus certo ordini deputatis aliqui sunt, qui non sunt diuina officia, vt sunt se immiscere electionibus, tenere locum in choro inter Sacerdotes, & de his quoque actibus dicunt suspensum eos exercentem non fieri irregularem, quamuis non exerceantur sine peccato, vel mortali, vel veniali, iuxta grauitatem materiæ. & hoc idem docent Mir. *tom.* 1. *q.* 39. *a.* 9. Lezana *p.* 1. *c.* 14. *num.* 7 Peyr. *ad constit.* 1. Iulij 2. *num.* 25. Cæterum si actus sint diuina officia, & sint deputati certo ordini suspensus eos exercens fit irregularis, vt dicti DD docent, & multis citatis tenet Bellet. *tit. de discipl. Cleric.* §. 5. *num.* 47. *& sequent.* Et quamuis ex quo Sacerdos in sui ordinatione celebrat cum ordinante voluerint aliqui quod ordinatus ante ætatem ex vi illius celebrationis fit irregularis. Couar. *in cap. Alma mater. p.* 1. §. 3. *n.* 5. Sorbus *v. ordines Sacri*. Bonac. *de sacram. disp.* 8. *qu. vn. p.* 5. *num.* 13. *& de cens. in partic. d.* 3. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 9. Nihilominus communior sententia negat hanc incurri irregularitatem, nisi Sacerdos ordinatus ante ætatem, post ordinationem suam iterum per se ipsum celebret; non indicatur enim ad hunc effectum Missa illius esse, quam cum ordinante celebrat, & lex loquitur de celebratione Missæ, quæ sequitur post ordinationem. Medina *l.* 1 *cap.* 1. §. 8. Suarez *de cens. disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 7 *t.* Sayr. *de cens. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 23. *& l.* 6. *cap.* 12. *nu.* 11. Portell. *v. Ordines Sacri. num.* 7. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *ref.* 37. Coton. *l.* 3. *contr.* 1. *cap.* 4. *num.* 51. Barbosa *ad cap.* 12. *num.* 7. Lezana *p.* 1. *cap.* 14. *num.* 8. Vbi quod praxis Cancellariæ hunc non reputat irregularem. Tambur. *l.* 2. *d.* 2. *q.* 13.

845. Tandem quantum ad hanc partem, quod suspensionem præfatam non incurrant, qui bona fide excusante ante legitimam ætatem ordinati sunt, tradiderunt Quaranta *v. ordo. vers. quibus sic specialiter*. Bonac. *de Sacram. d.* 8. *q. vn. p.* 5. *v.* 23. *nu.* 18. Bellet. *tit. de discipl. Cler.* §. 5. *num* 60. Filliuc. *t.* 1. *tr.* 17. *cap.* 5. *num.* 84. Pasqual. ad Laur. *p.* 1. *num.* 11. & alij, quos refert, & sequit. Barbosa *de off. Epis. all.* 16. *num.* 10. *& ad d. cap.* 12. Concil. Trid. *num.* 9. Et idem dicitur de sic ordinato, qui bona fide putans sibi licere celebrat, hic enim non incurrit irregularitatem, vt docent. Couar. *Clem. si furiosus p.* 1. §. 2. *num.* 4. Bellet. *d.* §. 5. *num.* 59. Mir. *t.* 1. *qu.* 39. *a.* 10. Barbosa *d. cap.* 12. *nu.* 9. Pasqual. ad Laur. *num.* 12. Debet tamen hæc bona fides esse talis, quæ à mortali peccato excuset. Aduertit autem

Lezana quod Pontifex imponendo suspensionem non vtitur verba præsumptionis, quo tamen vtitur, dum imponit irregularitatem. Ex quo deducit quod ad excusandum ab incursu suspensionis requiritur bona fides, quæ nedum excludat dolum,& malitiam,sed etiam excludat mortalem culpam. Et hoc verum est, quidquid in contrarium dixerint Diana *p. 4. tr. 4. ref. 182. & 192. & p. 5. tr. 10. resol. 32.* & alij, quos sequitur Coton. *l. 3. contr. 1. cap. 4. num. 5.* vt benè docent etiam Tusc. *de visu. lit. 2. cap. 28. num. 37.* Bonac. *de cens. in p. disp. 3. q. 1. p. 4. §. 1. num. 2.* at verò ad excusandum ab incursu irregularitatis sufficit bona fides, quæ dolum excludat. Plures alias pœnas contra ordinatos ante legitimam ætatem statuit Sixtus Quintus in *constit. 91. Sanctum, & salutare;* quas Clemen. Octa. in *constitut. 40. Romanum Pontificem*, reduxit ad terminos *constitut.* Pij II. & Concil. Trident. Possunt tamen ex vi *constitut.* Pij II. priuari beneficijs,si superioribus visum fuerit spectata qualitate delicti.

846. Hæc tamen suspensio non est reseruata Papæ, & licet eadem suspensio habeatur in regula 24. Cancellariæ, tamen regula innititur constitutioni Pij II. & eius executionem mandat. Propterea, quod ab huiusmodi possint absoluere Prælati Regulares suos subditos, seu etiam dispensare super irregularitate incursa ex eo quod quis sic suspensus ministrauerit in ordine à quo est suspensus tenuerunt Vival. *1. p. tit. 15. num. 37.* Henriq. *lib. 14. cap. 20. num. 3.* quos sequitur Peyrin. *in Præl. Regul. q. 3. cap. 7. num. 12.* & ad *const. 1.* Iulij I. *num. 34.* Portel. *v. ordo. num. 14.* Tambur. *t. 2. d. 2. q. 13. num. 11.* Festus *in summ. constit. p. 2. cap. 25.* vbi aduertit quod hoc specialiter concessum fuit Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum à Martino Quinto, & verè sic est. Id enim concessit Martinus Quintus *in constit.* quæ incipit. *Regimini*, & data fuit 5. Cal. Iunij Pontif. anno 3. & habetur in Bullar. eiusdem ordinis *fol. 106.* sed de facultate Prælatorum Regularium absoluendi à censuris suos subditos, & dispensandi cum eis in irregularitatibus videri possunt, quæ dixi *in tract. de electione cap. 26. & 27.* Eandem suspensionem, & respectiuè irregularitatem incurrunt, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia siue extra tempora à iure statuta, siue absque dimissorijs, literis se fecerint promoueri. Ità ex *constit.* Pij II. Mirand. *t. 1. q. 39. a. 6.* Cornexo *tom. 2. in 3. p. disp. 4. de suspens. dub. 1.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Non est necesse quod Regulares ordinentur ad titulum. n. 847.*
2 *Ordinatus per saltum qualiter & à quibus sit suspensus. n. 848.*

847. PRo ordinandis verò Regularibus nõ requiritur titulus beneficij, aut patrimonij, sed sufficit titulus paupertatis,& vt habet D. Ant. 3. p. tit. 14. Religiosis pro titulo sufficit sponsa: Eas propterea non comprehendi in decreto Cõcil. Trid. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* tradunt Nauar. *cap. 27. num. 258.* Henriq. *l. 10. cap. 15. §. 3.* Rodriq. *t. 3. q. 23. a. 3.* Barbosa *de off. Epis. all. 19. num. 4. & ad cap. 2. num. 3. sess. 21.* Concil. Trident. & est indubitatum ex eodem Concil. quod expressè loquitur de Clerico seculari. Sub eo tamen decreto comprehenduntur nouitij nondum professi, siue nulliter professi, qui professionem suam non ratificarunt, quos peccare mortaliter si suscipiant Sacros Ordines, & incurrere pœnas latas contra non ordinatos ad titulum beneficij, vel patrimonij multis citatis dicunt Barbosa *ad d. cap. 2. sess. 21. num. 4. & de off. Epis. all. 19. num. 4.* & Lezana *p. 1. cap. 14. num. 10.* Sed videnda sunt, quæ dicta sunt supra

848. Pariter ordinati per saltum, qui scilicet omisso aliquo ordine inferiori per saltum promoti sunt ad ordinem Superiorem, vt si Subdiaconus omisso Diaconatu ordinetur Sacerdos, sunt ipso facto suspensi ab exercitio ordinis per saltum suscepti, & impediti ne ad ordinem Superiorem ascendant, & si in suspensione actum ordinis à quo sunt suspecti exerceant fiunt irregulares, ex *cap. sollicitudo, dist. 52. cap. vn. de Cler. per saltum ordinat.* & Concil. Trid. *sess. 23. cap. 14.* Panorm. *ad d. cap. vn. num. 4. & 5.* Hostien. *num. 4.* Sotus *4. d. 25. q. 1. a. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 242.* Suarez *de cens. disp. 31. sec. 1. num. 44.* Bonac. *disp. 7. q. 3. p. 4. num. 5. & de suspens. in particulari disp. 3. q. 1. p. 2. num. 1.* Barbosa plures referens *alleg. 47. num. 1. & ad cap. 14. sec. 23.* Concil. Triden. *num. 5.* Peyr. *in Præl. Reg. qu. 3. cap. 7. num. 13.* Tambur. *t. 2. d. 2. q. 13. num. 12.* Scort. *in select. Theorem. 379.* Hic tamen, qui per saltum suscepit ordines, non est suspensus, nisi ab exercitio ordinis per saltum recepti, quia aliud ex iure non habetur. Syluest. *v. irregularitas q. 11.* Suarez *disp. 31. sec. 1. num. 39.* Bonac. *d. disp. 3. q. 1 p. 2. num. 10.* Palaus *disp. 4. sec. 10. §. 1. num. 9.* Leander *tr. 4. d. 4. q. 4.* & apud illos plures alij. Ex hoc tamen videtur, quod huiusmodi suspensus sit impeditus etiam ne ad maiores ordines susceptis ascendere possit. Quod pendet ex resolutione illius quæstionis, an suspensus ab ordine inferiori sit impeditus ne ascendat ad ordinem Superiorem, & qua causa. Communis enim sententia affirmat suspensionem ab ordine inferiore se extendere ad ordinem Superiorem, ità vt suspensus v. g. ab ordine Diaconatus, nec possit recipere Presbyteratum, nec illum susceptum exercere. Syluest. *v. suspensio. q. 5.* Nauar. *cap. 27. num. 163.* Suarez *d. disp. 31. sec. 1. num. 39.* Et ratio est, quia ordo inferior continetur virtute in superiori. Et quia cum ordo inferior sit veluti dispositio præerequisita in homine ad hoc, vt condignè,& decenter recipiat, & exerceat ordinem superiorem, qui est indignus vt exerceat ordinem inferiorem, multo magis est indignus, vt exerceat ordinem superiorem. Multi tamen existimant, quod suspensio ab ordine inferiori respectu ordinis superioris non sit propriè suspensio, sed quod impediat ex iure diuino connaturali ratione indecentiæ. Ideò distinguunt actus ordinis superioris in eos, qui continent actum inferioris ordinis, & sine illo exerce-

ri non possunt, vt celebratio Missæ continet legere Euangelium quod est actus Diaconi, & legere Epistolam, quod est actus Subdiaconi; & in eos, qui sine actu inferioris ordinis exercentur, vt est absoluere à peccatis, quod nullum actum proprium Diacono continet. Et hac distinctione supposita dicunt suspensum ab inferiori ordine fieri irregularem si recipiat superiorem ordinem, & exerceat actus cõtinentes actus inferioris ordinis, vt si suspensus ab ordine Diaconatus celebret, & sic Euangelium legat, non tamen fieri irregularem si audiat confessiones, vel alios similes Sacerdotis actus exerceat, licet eos exercendo peccet, quia respectu illorum non propriè suspensus, sed indirectè, & consecutiuè solum ratione indecentiæ est impeditus. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 3. *cap.* 1. *coroll.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 10. *resol.* 5. Leander. *tract.* 4. *disp.* 3. *q.* 16. Quamuis amplius aliqui etiam velint, quod suspensus ab ordine inferiori non sit irregularis suscipiendo maiorem, eo quia susceptio ordinis maioris non nisi impropriè, & abusiuè dici possit exercitium ordinis minoris, sic enim tenet Laym. vbi sup. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 91. Sed hæc vberiorem requirunt considerationem. Vlterius autem nunc consideratur, quod qui est ordinatus per saltum est etiam suspensus respectu ordinis omissi, vt nec illum recipere, nec in illo ministrare possit, nisi cum eo dispensetur. Et ita hæc suspensio duos effectus habet, quia priuat vsu ordinis suscepti per saltum, & ordinis omissi susceptione, & vsu. Nauar. *cap.* 27. *num.* 242. Suarez *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 49. Leander *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 4. existimat verò Suarez *num.* 50. cui consentit Leander *d. q.* 4. quod dispensatus, vt possit suscipere ordinem omissum ea hoc sit dispensatus vt ministret in ordine suscepto per saltum, & è contra si dispensetur vt possit exercere ordinem susceptum per saltum, quod dispensetur vt possit suscipere ordinem omissum, quia hæc veniunt per consequentium, & vnum ratione alterius consecutiuè est prohibitum. Et pariter quod dispensatus vt possit suscipere ordinẽ omissum sit liber vt possit ascendere ad Superiorem ordinem. Et quantum ad dispensationem in huiusmodi suspẽsione antiqui distinxerunt inter eum qui scienter ordinatus fuit per saltũ, & eum qui id fecit ignoranter licet culpabiliter, vt videre est apud Sylu. *v. irregularitas q.* 11. & Nauar. *cap.* 27. *num.* 242. sed stante modo determinatione. Concil. Triden. *sess.* 23. *cap.* 14. hac sola distinctione res explicatur. Nam si ordinatus per saltum non ministrauit in ordine suscepto, vel nõ suscepit ordinem omissum, aut in ordine omisso non ministrauit, Episcopus etiam cum ordinato sciente potest dispensare, & vt ordinem omissum recipiat, & vt in eo, & ordine per saltum recepto ministret, & vt ad Superiorem ordinem ascendat, quia Concilium absolutè concedit Episcopo facultatem dispensandi, si ordinatus in suscepto ordine non ministrauit. Dictum est autem si ordinatus per saltum non suscepit ordinem omissum vel in eo non ministrauit, quia hoc posito redditur difficilior dispensatio, & quia ordinatus in eo casu incurrit etiam irregularitatem, in qua solus Papa potest dispensare. Ideò si vel in ordine omisso, vel in suscepto per saltum ministrauit est irregularis, & non potest cum illo dispensari per Episcopum. Existimant tamen Syluest. *d. q.* 11. & Nauar. *d. n.* 242. quod ordinatus per saltum etiam si scienter ministrauerit in ordine suscepto possit per Episcopum dispensari vt ministret in ordine suscepto, licet non vt ascendat ad ordinem superiorem. Sed si loquamur in casu eius, qui ministrauit in ordine suscepto per saltum, vel etiam in omisso suscepto sine dispensatione absolutè Concilium negat posse cum illo dispensari, & sic absolutè dicendum est. Suarez *d. sec.* 1. *num.* 52. qui addit tamen, quod si ordinatus per saltum solum suscepit ordinem omissum, ex hoc non impeditur Episcopus, quin possit cum illo dispensare, quia recipere ordinem propriè non est in ordine suscepto ministrare. Aduertendum verò hunc per saltum ordinatum non impediri quin ordinibus antea legitimè susceptis vti possit. Aduertendum etiam, quod vbi habeat locum dispensatio semper per prius debet suscipi ordo omissus, nec potest habere locum dispensatio vt ordinatus vtatur ordine suscepto per saltum, vel ascendat ad maiores, nisi prius assumat ordinem omissum. Carpan. *rub. cap. vn. num.* 6. Ricc. *p.* 4. *d.* 150. *n.* 10. Barbosa *de off. Episc. all.* 47. *num.* 22. & *ad cap.* 14. *sess.* 23. Concil. Trid. Prælati verò Regulares iuxta sua priuilegia poterunt in his dispensare, Quæ non sunt reuocata per Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. quia ibi reuocantur tantum priuilegia concedentia, vt Regulares possint ordinari ante ætatem. Portell. *v. Ord.* Sarri *cap.* 14. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *res.* 85. Et huiusmodi suspensio non incurritur ab eo, qui inculpabiliter fuit per saltum ordinatus. Et eandem suspensionem incurrit etiam, qui per saltum Minores Ordines suscipit.

SVMMARIVM.

1 *Prælatorum est dare dimissorias ad Ordines. n.* 849.

2 *Sine dimissorijs suorum Superiorum non possunt Regulares ordinari. n.* 850.

3 *Dimissoria possunt dari nouitijs. n.* 851.

4 *Qui sint Superiores quibus competit dare dimissorias. n.* 852.

5 *Dimissoria data ab excommunicato Prælato Regulari valida sunt. n.* 853.

6 *Opiniones quorumdam. n.* 854.

7 *Prælatus non potest sine causa negare dimissorias suo subdito. n.* 855.

8 *Prælatus etiam ob delictum occultum potest negare dimissorias. n.* 856.

9 *Hoc idem modo cauetur Episcopis respectu Clericorum. n.* 857.

10 *Et insuper quod possint suspendere ab ordinibus gradibus, & dignitatibus. n.* 857. 858.

11 *Et hoc est verum etiam de suspensione perpetua. n.* 858.

12 *Et potest Episcopus interdicere ascensum ad gradus, & dignitates. n.* 859.

13 *Etiam Prælati Regulares possunt interdicere ascensum ad gradus, & dignitates. n.* 860.

14 *Interdictus promoueri ad ordines est interdictus promoueri ad dignitates. n.* 861.

Obie-

849. CVm verò pluries mentio facta sit literarum dimissoriarum nonnulla circa illas sunt consideranda. Et quidem primo aduerti debet, quod Prælati Regulares iuxta cuiuscumque ordinis statuta possunt suos subditos mittere ordinandos ab Episcopo Diœcesano, vel eo ordinationes non habente ad quemcumque Catholicum Episcopum. Sed est necesse, quod huiusmodi sic missis dent literas, quas dicunt dimissorias. Quamuis enim dare huiusmodi literas ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. spectet ad Ordinarium, tamen respectu suorum subditorum Ordinarij sunt Prælati Regulares, qui soli plenam habere possunt notitiam de moribus, sufficientia, & idoneitate Religiosorum. Et ideò ad illos spectat, & dimittere suos subditos ordinandos, & illis testimoniales literas in quibus eorum probitas, & mores commendentur. Quod Prælatis Regularibus competit virtute priuilegiorum, quæ supra fuerunt recensita *num.* 800 *& sequent.* quæ quantum ad hoc punctum non sunt renocata. Et præsertim illud Clem. 8. pro Cisterciens. Monasterij de Alcobaza Regni Portugalliæ, quod referunt Rodriquez *tom.* 1. *q.* 18. *a.* 5. & Mirand. *tom.* 1. *q.* 39. *a.* 8. & ex eis Lezana *v. dimissoria n.* 4. sed hoc idem per locum à contrario sensu deducitur ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 10. Et habetur expressè ex decreto S. Congr. de mandato Clem. 8. quod habetur supra *num.* 806. Vnde non obstat, quod Greg. 13. statnerit, quod Religiosi reciperent ordines ab Episcopis Diœcesanis, & ab eisdem dimissorias acciperent, vt videtur apud Tamburin. innuere Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 4. & pro qua sententia citatur etiam Henriq. à Coton. *l.* 3. *cont.* 1. *cap.* 4. *num.* 70. quia vt aduertit idem Tambur. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 25. *nu.* 2. cum Procuratores Ordinum recursum habuissent ad Sixtum Quintum, Sua Sanctitas decreuit Prælatos Regulares posse dare dimissorias ad Episcopum Diœcesanum, vel eo ordinationes non habente ad quemcumque Episcopum, quod idem postea decreuit S. Congr. Concilij de mandato Clem. 8. Et ita indubitatum est, Prælatos Regulares posse dare dimissorias suis subditis pro Ordinibus suscipiendis. Nauar. *cons.* 12. *&* 13. *de temp. ordinan.* Piasec. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. Nald. *v. ordo. num.* 16. Quaranta *v. ordo. in fin.* Ledesma *p.* 1. *cap.* 8. *concl.* 10. Molfes. *t.* 1. *tr.* 2. *cap.* 2. *nu.* 23. Tamburin. *d. q.* 25. *num.* 2. Lezana *v. dimissoria. num.* 4. *& v. ordines sacri. num.* 18. Cespedes *d.* 66. *&* 69. *&* 88. Barbos. *de off. Epis. all.* 7. *nu.* 31. Rodriq. *t.* 1. *q.* 18. *a.* 5. Mirand. *t.* 1. *q.* 39. *a.* 3. Peyrin. *tom.* 1. *ad const.* 1. Iul. 2. *num.* 22. Coton. *l.* 3. *contr.* 4. *cap.* 4. *num.* 70 Bord. *t.* 2. *res.* 67. *num.* 18.

850. Et certè de antiquissimo iure est, vt Religiosi sine licentia Superioris sui non possint promoueri ad ordines. *c. si quis.* 28. *c. Monachi.* 33. *c. cum pro vtilitate.* 34. 16. *q.* 1. *cap. quam sit necessarium.* 5. 18. *q.* 2. *cap. ad aures.* 5. *de temp. ordin.* Rodr. *t.* 1. *q.* 18. *a.* 5. Mirand. *t.* 1. *q.* 39. *a.* 3. Lezana *p.* 1. *cap.* 14. *num.* 18. Tambur. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 25. Nauar. *cons.* 36. *de temp. ord.* Bord. *res.* 67. *n.* 16. Et huius ratio nedum est, quia nullus alius superior melius potest fidem facere de moribus Religiosi quam superior suus; sed quia subditus non habet velle, vel nolle *cap. si religiosus, de elect. in* 6. Et ideò non potest disponere de se ipso sine superioris arbitrio.

851. Et quia vt in superioribus probatum est, Nouitij possunt ordinarij in anno nouitiatus, & possunt Superiores etiam Nouitijs dimissorias concedere. Vcch. *in praxi disp.* 11. *dub.* 8. *nu.* 3. Tambur. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 27. *nu.* 2. Tiberius *in instruct. pro ordinan. cap.* 7. *q.* 50. Sanchez *l.* 6. *mor. cap.* 10. *num.* 22. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *cap.* 16. *nu. num.* 17. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *res.* 7. Coton. *l.* 3. *contr.* 1. *cap.* 4. *num.* 71. quidquid in contrarium dixerit Pereg. *in comment. constit. sua Relig. p.* 1. *cap.* 4. *l. A.* § 1.

852. Superiores verò ad quos spectat dare huiusmodi dimissorias sunt apud Monachos Abbates, vt ad *cap. ad aures, de tempor. ordin.* docent Canonistæ communiter, quos sequitur Fagn. *n.* 3. Apud Mendicantes autem hoc spectat ad Generalem, vel Prouincialem, aut Superiores locales, iuxta cuiuscumque Ordinis statuta. In Ord. Præd. Prior sine licentia Prouincialis non dat dimissorias ad Ordines *p.* 2. *const. cap.* 14. §. 11 *l. X.* Festus *p.* 2. *cap.* 4. Non expirant vero hæ literæ morte concedentis, cum gratiam contineant. *cap. Relatum. cap. Gratum de off. Deleg. cap. si cui gratia eod. tit. in* 6. Nauar. *cons.* 5. *de rescript.* Tamb. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 29. Bordon. *resol.* 67. *num.* 22. & declarauit S. Congr. in Orien. 21. Nouemb. 1600. vt refert Barbosa. *v. dimissoria*. Ideò neque huiusmodi literæ expirant si concedens vel terminet officium, vel ab eo amoueatur. Expirant tamen translatione de vno ad alium Cõuentum eiusdem Prouinciæ, quia licentia hæc debet dari à Superiore respectu Episcopi eius loci, & territorij in quo est Monasterium; semper enim primo ad talem Episcopum debet Religiosus dimitti. Nec obstat clausula. *si tuus Diœcesanus non erit habiturus ordinationes, ad alium quemcumque, &c.* Quia iam ille desijt esse suus Diœcesanus. Bordon. *res.* 67. *num.* 23. Imò si licentia non sit data à Prouinciali, sed à Prælato locali, etiam si Conuentus ad quem transfertur Religiosus sit eiusdem Diœcesis cum eo, à quo transfertur, licentia data à prio-

ni superiore locali non valebit, quia tempore ordinationis ille nō est subditus illi Priori, vel Prioratus, subditus verò debet habere licentiam à suo Prælato, & Superiore. Nec obstat, si dicatur, quod sufficit, quod erat subditus, quando concessa fuit licentia, quia licentia durat etiam mortuo Superiore. Quia hoc valet subdito manente subdito, si non eiusdem personæ, eiusdem tamen tribunalis, & officij, & sic si subditus manet subditus eiusdem Conuentus; Nam alias licentia data ab vno Superiore non valet extra suum territorium in ijs, in quibus est necessaria licentia à Superiore illius alterius territorij, & sic licentia data ab vno Priore non suffragatur, si subditus cæcat, & fiat subditus alterius Superioris, sine cuius licentia non potest ille ordines suscipere. Pariter licentia data pro vno Episcopo determinatè non valet pro alio. Lauret. p. 1. de Regul. ordinatione q. 21. & Pasqual. ibi. num. 307. Sicut nec licentia pro vno Ordine est sufficiens pro alio Ordine. Nec data pro vno tempore seruit pro alio.

853. An verò dimissoriæ huiusmodi datæ à Superiore Regulari excommunicato sint nullæ, esse nullas censent Tambur. t. 2. d. 2. q. 28. Lezana v. dimissoria num. 8. Suarez de cens. disp. 31. sec. 3. num. 6. eo quia illas dare sit actus iurisdictionis, qua sine dubio caret Superior excommunicatus. Et ex hoc cum Barbosa de off. Epis. alleg. 7. num. 5. Piasec. Homob. & alijs, deducit eum qui cum similibus dimissorijs ordinatur, incidere in pœnas latas contra ordinatos sine licentia, & dimissorijs, sed è contra Bordon. tom. 2. resol. 67. num. 24. ex principio contrario oppositum sentit; Nam dare licentiam ad ordines suscipiendos non est transfundere aliquid iurisdictionis in ordinandum, sed est actus superioritatis, & potestatis paternæ, aut œconomicæ, quam etiam Abbatissa posset dare Monialibus, si illæ essent capaces ordinari, & quam potuissent dare Abbates laici etiam in suppositione, quod nullam iurisdictionem habuissent in suos subditos. Sic enim & Parochus excommunicatus validè assistit matrimonio, vel dat licentiam illi assistendi, quia horum neutrum est actus iurisdictionis. Et supra probatum est, quod Superior excommunicatus validè recipit professionem nouitij, quia illam recipere non est actus iurisdictionis. In his enim potest esse, quod sit adiunctam aliquid iurisdictionis, & verè sic est. Sed substantialiter actus huiusmodi non petit nisi potestatem dominatiuam, & paternam, seu œconomicam; ideò esto non valeat vt est iurisdictionis valet in substantia, in qua à iurisdictione non dependet. Et ideò dimissoriæ datæ ab excommunicato valent, & qui cum talibus dimissorijs ordines suscipit, non est suspensus ex eo, quod sine dimissorijs fuerit ordinatus.

854. An verò Prælatus Regularis subdito idoneo, & digno teneatur dare huiusmodi dimissorias, illumque dimittere pro ordinibus suscipiendis? Peyrin. in P. Reg. t. 2. q. 3. cap. 7. num. 19. putat hoc esse positum in mera libertate Superioris, & ita vt si nolit has literas alicui concedere, non possit ipse ad Superiorem appellare, sed si Superior in hoc irrationabiliter se habeat, non habebit iudicem nisi Deum, cum Superior conscientiam inferioris non possit immutare, ex Ricc. p. 1. dec. 693. num. 6. Barbos. cap. ad aures, num. 3. de temp. ordinand. Maiol. de irregul. lib. 4. cap. 1. nu. 13. Et hoc probat, tum quia in suo ordine, qui per se, vel per alios ad ordines sacros se promoueri petierit ab ipsis ordinibus in pœnam per annum continuum retardetur, vt habetur 3. correct. nu. 78. Canst. Min. Secūdò nam per Concil. Trid. sess. 23. cap. 16. Nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesijs, Vnde in libertate Episcopi est suos Clericos ordinare, & eadem ratione hoc erit respectu regularium in potestate Prælati, & libertate. Tertiò quia cap. ad aures, de tempor. ordin. id expressè decernitur. Sed Tambur. t. 2. d. 2. q. 55. n. 4. existimat, quod hoc non sit positum in nuda libertate Superioris, sed quod sit locus arbitrio boni viri, & quod subditus non dimissus ad ordines suscipiendos, possit habere recursum ad Superiorem maiorem, qui possit, imò teneatur recurrentem audire, & ab inferiore petere causam, ob quam subditum ad Ordines suscipiendos non dimiserit, & si illam insufficientem inuenerit, ordinare, vt ille ad Ordines dimittatur, vel ipse illum dimittere, & illi testimoniales dare. Hoc idem tenet Bordon. resol. 67. num. 19. eo quod Superior faciat iniuriam subdito si licentiam neget, ad quam habet ius, cum subditus ingressus fuerit Religionem pro statu Clericorum, vt suo tempore promoueatur ad Ordines. Tum quia Papa mandat Religiosos dignos sacris initiari. cap. Monachos. 29. 16. q. 1. Tum quia arbitrium boni viri supponit causam, iudicium enim debet esse discretum, & iure factum.

855. Dicendum verò est primò Superiorem non posse sine causa non dimittere aliquem suū subditum, & illi non dare literas dimissorias pro ordinibus suscipiendis. Ratio est manifesta, quia Superior est dispensator non dominus bonorum Religionis, dispensator verò non potest pro libito suæ voluntatis non dispensare, quod dispensandum sibi commissum est dignis, salua, & seruata iustitia distributiua, sed solum ex causa iuxta domini mentem potest non distribuere huic vel illi. Prælatus ergo, qui ex legibus Ecclesiasticis, & statuta sui ordinis positus est, vt idoneos præsentet Episcopis ab eis ordinandos, non potest sine causa præiudicare Religioni priuando illam ministris idoneis ad Dei cultum, & suis subditis, detinendo eos ne ad Sacros gradus promoueantur. Maximè quod hoc etiam potest cedere in præiudicium honoris, & famæ non dimissi, quia facile est, vt habeatur, vt criminosus, aut indignus, vt ordinetur, si contra consuetum fieri ipse detineatur, ne promoueatur ad ordines. Et hoc idem probatur ex d. c. ad aures, de tēp. ordin. Quia conceditur facultas Prælatis non dandi testimoniales pro Ordinibus suscipiendis. Quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta venerint. Et sic conceditur Prælatis posse negare dimissorias ad Ordines, quia possunt habere secretum causam non concedendi, non quia ad libitum eas negare possint.

856. Dicitur Secundò hoc concessum fuisse Prælatis Regularibus in cap. ad aures, de tempor. ordin. vt ob occultum delictum possint interdicere suis, ne ad Ordines promoueantur. Ita Ioan.

And.

And. Butr. Card. Abb. ad dictum *cap. ad aures*, quos sequitur ibid. Fagnan. a. 5. & est manifestum ex verbis textus *sup. citatis*. Et sic dare testimoniales pro ordinibus suscipiendis ita est, quid exigens arbitrium boni viri, quod tamen hoc arbitrium non est necessario regulandum iuxta ius commune, & præcipue iuxta *cap. ex tenore, eod. tit.* in quo est sermo de Episcopis, & præcipitur ne ob delictum occultum ordinandus prohibeatur, ne ordinetur, sed ob secretum delictum potest Regularis impediri, ne ad Ordines promoueatur.

857. Verum vlterius attendi debet, quod nunc hoc conuenit tam Episcopis, quam Prælatis Regularibus ex decreto Concil. Trid. *sess. 14. cap. 1. de refor.* ibi. *Cum honestius ac tutius sit debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deseruire, quam cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ei, cui ascensus ad Sacros Ordines à suo Prælato, etiam ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extra iudicialiter, fuerit interdictus, aut qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia, de se promoueri faciendo, aut ad Priores Ordines, gradus, & dignitates, seu honores restitutio suffragetur.* Per hoc verò decretum Concil. Trid. derogatum fuit *cap. ex tenore, & ampliatum cap. ad aures, de temp. ord.* Quia ad Episcopos extensa est facultas impediendi promotionem ad Ordines ea causa, & delicto occulto extraiudicialiter cognito, sed tam Episcopis, quam Prælatis Regularibus concessa est facultas ea eadem simili causa suspendendi, tam ab ordinibus, quam à gradibus, & dignitatibus, ablata appellatione. Addent. ad Nauar. *cons. 42. de tempor. ordin.* Sayr. *dec. 63. sub eod. tit.* Ricc. in praxi *dec. 564. in p. edit. alias resol. 486. num. 7. in 2. edit.* quos refert, & sequitur Barbosa *ad d. c. 1. sess. 14. a. 1.*

858. Itaque ergo data est Prælatis etiam facultas suspendendi, & nedum ab Ordinibus, sed etiam à gradibus, & dignitatibus ob causam, & delictum occultum extra iudicialiter cognitum, & quod hoc sit verum etiam de suspensione in perpetuum, quod & decisum fuisse in nullius 3. Februar. 1593. ex Aldan. *lib. 3. tit. 4. num. 10.* refert Barbosa *ad d. cap. 1. sess. 14. num. 2.* Probat autem hoc Fagnan. quia licet verba illa, *Ex quacumque causa etiam ob occultum crimen &c.* non sint apposita nisi in priori parte *d. cap. 1. sess. 14.* vbi agitur de prohibitione ad ordines, tamen censeri debent repetita etiam in secunda parte, vbi agitur de suspensione. Tum quia Concilium sub vnica oratione ac verborũ structura complectitur interdictionẽ à suscipiendis, & suspensionem à susceptis, & ideò censeri debet vtrumq; casum æqualiter determinare, per regulam *l. Iam hoc iure ff. de vulgar. & pupill. l. fin. C. de sent. dec. in cap. Nouit. num. 56. de iudic.* Tum quia Concilium in secunda parte nihil Episcopis concessisset, cum sit manifestum eos pro crimine publico iudicialiter noto posse suspendere delinquentes ab Ordinibus gradibus, & dignitatibus, vt ex *cap. ex tenore & cap. final. de tempor. ordinand.*

859. Item data est Prælatis facultas prohibendi ascensum etiam ad gradus, & dignitates. Nam & si textus Concilij in prima parte nullam mentionem faciat de gradibus, & dignitatibus, sed solum de interdictione ad Ordines, tamen idem dicendum est de interdictione ad gradus, & dignitates, cum ex *d. cap. 1.* iam promoti ad gradus, & dignitates possint suspendi, vnde multo magis possunt prohiberi promouendi *§. vlt. 15. q. 1.* Gloss. *in d. cap. ex tenore v. vtatur, in princ.* Nam turpius eijcitur &c. *cap. Quemadmodum, de iure iuran.* Gloss. *in d. §. vlt. ver. deijciuntur.* Tum quia cum Prælati possint prohibere ascensum ad Sacros Ordines, possunt in consequentiam prohibere ascensum ad gradus, & dignitates habentes annexum Sacrum Ordinem *cap. 1. de ætat. & qual. cap. Cum in cunctis, de elect. cap. licet Canon. & cap. cum ex eo eod. tit. in 6.* Qui enim ob Prælati prohibitionem non possunt ad Ordines promoueri, non possunt dignitates obtinere, vt colligitur ex Concil. Trid *sess. 22. cap. 4. & sess. 24. cap. 12.* ibi. *Neminem etiam deinceps ad dignitatem &c. recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure & ab hac S. Synodo statutum initiari valeat.* Et ideò Prælatus prohibens ab Ordine prohibet in consequentiam à dignitate. Et sic quod ex vi Concil. *in d. cap. 1. sess. 14.* Prælati possint ob delictum occultum extraiudicialiter cognitum prohibere ascensum ad dignitatem tenet Reuerendiss. Fagnanus *ad d. cap. Ad aures de tempor. ordinand.* Quod quidem de prohibit. in consequentiam est per se manifestum respectu graduum & dignitatum habentium annexum Sacrum Ordinem. Quia prohibitus ordinare, vel ab Ordine suspensus est simul interdictus promoueri ad dignitatem requirentem Sacrum Ordinem, seu liberum eius exercitium. Sed an directè possit Prælatus interdicere ascensum ad dignitatem potest habere difficultatem, sed cum Concil. tribuat facultatem suspendendi à dignitate iam acquisita, satis verisimile est, quod sit tributa facultas interdicendi eiusdem dignitatis acquisitionem. Maximè quod militat eadem ratio à Concilio allata, quia scilicet honestius sit, & tutius in inferiori ministerio deseruire, quam cum Præpositorum scandalo graduum vlteriorum appetere dignitatem.

860. Sed quod ad punctum nostræ inspectionis maximè facit, est quod Concil. *in d. cap. 1. sess. 14.* loquitur etiam de Prælatis Regularibus. Ob hanc enim causam non fuit vsum nomine Episcopi, sed nomine Præpositi, & Prælati, & transcripsit verba *cap. Ad aures, de temp. ordin.* vbi Lucius Tertius de Regularibus Prælatis loquitur Secundum Innoc. *in princ.* Anchar. *in p. apposit.* Host. *in cap. ex tenore eod. tit. nu. 13.* Butr. & Abb. *col. vlt.* Io. de Anan. *num. 4.* Gloss. *in cap. Ex tua v. subiectio, de simon.* Et quamuis in prohæm. sessionis illius 14. Concil. asserat se in ea sessione locuturum principaliter de Episcopis, tamen in aliquibus *cap. eiusdem sessionis, vt in 10. & 11.* non disponit nisi de Regularibus, præterquam quod semper magis attendenda sint verba dispositionis, quam prohæmij ex his, quæ notat Gomes *in reg. de annal. q. 1. num. 7. & 8.* vbi etiam adnotat dictionem, *vt* aliquando significare causam impulsiuam non finalem ex doctrina Ægidij

dec.

dec. 632. Ratio etiam Concilij, quia honestius &c. magis conuenit Regularibus, quam Sæcularibus, cum Regulares non habeant velle, vel nolle *cap. si Religiosas de elec.* in 6. & ideò Regularibus minus conuenit ascensum ad altiorem gradum dignitatem cum scandalo Præpositorum appetere. Et amplius cum ex iure communi in hoc maior facultas esset tributa Prælatis Regularibus, quam Episcopis, cum illis ex *d. cap. Ad aures, de tempor. ord.* concessa fuisset facultas prohibendi ascensum ad ordines ex secreto delicto, quod erat negatum Episcopis ex *cap. ex tenore eod. tit.* Non est credendum, quod Concilium voluerit ampliare *d. cap. ad aures ad fauorem Episcoporum tantum.* Item cum dignitates secularium sint perpetuæ, apud Regulares verò sint temporales, non est verisimile; quod Concil. concesserit Epis. facultatem suspendendi à dignitatibus perpetuis, & negauerit Regularibus facultatem suspendendi à temporalibus.

861. Sed amplius adiungitur, quod Prælatus Regularis potest suis subditis prohibere ascẽsũ ad Sacr. Ordines ob delictum occultũ extra iudicialiter cognitum, vt patet ex *d. c. ad aures* igitur ex eadem causa potest prohibere ascensum ad gradus, & dignitates. Probatur consequentia, tum primò ex ratione expressa *in d. cap. Ad aures*, quoniam scilicet, Prælatus potest scire aliquod delictum secretum ob quod non conueniat subditum promoueri; ex hoc enim videtur amplianda prima illa dispositio Concil. Trid. vt nedum ad ordines, sed & ad gradus, & dignitates possit interdici ascensus. Sed efficacius probatur consequentia, quia non patet ascensus ad gradus, & dignitates ei, cui interdictus est ascensus ad Ordines *cap. Cum dilectus de consuetud. cap. 4. de postul. cap. si celebrat de excommun.* & tradit Innoc. *cap. ex tenore num. 4. de tempor. ordin.* Nam & Regulares, qui dignitates obtinere voluerint debent esse Sacerdotes, vel tales vt infra annum ordinari possint Clem. 1. §. *caeterum, de stat.* Monach. & Clem. vt ij, *de etat. & qual.* à Concil. Trid. innouata *sess.* 22. *cap* 4. Prohibitos, igitur ordinari non potest ad dignitates promoueri, cum dignitates ab eo obtineri non possint, qui ad Sacros Ordines non potest promoueri Syluest. *v. electio p. q.* 14. *nu.* 55. Fagnan. *ad d. cap. Ad aures num.* 50. Et ideò quod Regularibus Prælatis competat facultas, quæ *in d. cap. 1. sess.* 14. conceditur Episcopis, tanquam decisum 3. April. 1621. ex Aldan. *lib. 3. ti. 4. num.* 15. tradit Barbosa *ad d. cap. 1. sess.* 14. *num.* 3.

862. Nec obstat si dicatur, quod Prælati Regulares facilè hac facultate abuti possent, ex prauo affectu priuantes suos subditos voce passiua, vel certe hoc metu libertatem electionis impedirent. Tum quia per Concilium nihil noui iuris in hoc conceditur, cum id haberent ex iure communi *d. cap. ad aures*, vt prohibere possent ab Ordinibus, & ex consequenti à dignitatibus. Tum quia eos abusuros non præsumitur, vt patet *in d. cap. ad aures*; vt notant Butr. ibi Fagnan. *num.* 51. & alij. Tum quia si abuterentur subditi haberent remedium recursus ad Sedem Apostolicam *cap. ex literis, de in integr. restit.*

863. Quamuis enim *d. cap. Ad aures, & d. cap. 1. sess.* 14. Concil. Trid. sit interdicta appellatio in huiusmodi prohibitione ascensus ad Ordines, & dignitates, non tamen est prohibitus recursus Barbos. ibid. *num.* 1. Tambur. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 25. *num.* 4. Fagnan. *d. cap. ad aures num.* 81. qui refert, quod cum de hoc dubitatum fuisset, quoad Episcopos, Sacra Congreg. re ad Greg. 13. delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet. Quotiescumque Ordinarius recusauerit, quemquam Ordinare, committendum esse Metropolitano, vel viciniore Episcopo, vt ab eodem Episcopo prius requirat cur recusauerit, quo causam legitimam non allegante liceat illi eundem recusatum ordinare. Quod ipsum seruandum erit apud Regulares ex iuris communis dispositione. Nam cum Religiosus non possit assumi ad Prælaturam sine Superioris sui obtenta licentia *cap. si Religiosus de elect. in 6. & extrauag. si Religiosus eod. tit.* Si superior absque causa iusta licentiam denegasset non poterat cogi illam dare nisi à Papa, vt in *d. cap. si Religiosus* tradunt Archid. Io. Maior, Io. Andr. & alij, ita Fagnan. vbi supra *n.* 13.

864. Et certè videtur, quod Concilium velit eum, qui à suo Ordinario fuerit interdictus ne promoueatur, non posse habilitari contra Ordinarij voluntatem, & ita fuisse decisum ex Aldan. refert Barbosa *d. cap. 1. num.* 3. Nam Concilium vult, quod subdito sic interdicto, vel suspenso nulla valeat licentia, vel concessio. Durum tamen videtur in Regularibus, quod si superior localis aliquem interdixerit ab ordine, non possit Prouincialis, vel Generalis illum iniustè grauatum admittere. Et in Regularibus propter essentialem subordinationem Prælatorum, ex quibus inferiores ex vi voti obedientiæ non habent velle, nel nolle contra superiores, *cap. si Religiosus, de elect. in 6.* videtur, quod non possit dici interdictus ab Ordinibus subditus per suum Ordinarium, nisi sit interdictus à Prouinciali etiam, & à Generali, qui omnes Ordinarij sunt, & ex subordinatione sunt, & censentur esse vnus Ordinarius.

865. Et certe cautè valdè, & non nisi cum magna prudentia, & discretissima charitate vti licet hoc remedio prohibendi ab ascensu ad Ordines, gradus, & dignitates, aut ab illis suspendendi ex causa, & commisso secreto. Nam primò si hoc detur tanquam pœna, cum sit grauis non potest infligi nisi seruata saltem substantiali forma iudicij, quia nemo damnari potest nisi citatus, auditus, & conuictus, vel confessus, & propterea in *tract. de elect, cap. 2. q.* 4 probatum est nullum posse priuari voce passiua nisi forma iudicij seruata. Si autem Episcopus, aut Prælatus Regularis non agunt ad pœnam subditi, sed prospiciunt directè bono communi, adhuc & debent attendere, & consulere famæ subditi, vt non declarent se impedire, vel suspendere ratione delicti, ne subditus ex hoc habeat causam iustam appellandi, vel recurrendi ad superiorem, & non nisi ex causa, licet extraiudicialiter cognita, quæ tamen, si opus sit, possit coram superiore iustificari, procedere debent, iustitia semper seruata, & dirigente charitate.

866. Ex Ricc. autem aduertit Barbosa *ad d. cap. 1. sess.* 14. Concil. Trid. *num.* 1. declaratum fuisse,

fuisse, quod arctatus, & interdictus ab Ordine suscipiendo non incidit in pœnam *cap. licet canon. de elect. in 6.* iuxta *cap. Commissa eod. tit.* Alijs tamen pœnis subijcitur, qui ordinatur sit interdictus, vel sine dimissorijs sui superioris. Hunc enim esse perpetuo suspensum ex Constit. Pij 2. patet, & consideratur infra. In Ordine Prædicatorum contra ordinatos sine licentia superioris est ipso facto imposita pœna carceris ad minus per quatuor menses, pœnis alijs puniendus ad arbitrium, nec debet permitti exequi Ordines sine licentia Magistri Ordinis Constit. *d.* c. *cap.* 20. §. 3. & qui ordinatus fuit in Apostasia, vel post excommunicationem diuina celebrare præsumpserit in ea, executione officij perpetuo carebit, nisi postea ita Religiosæ conuersatus fuerit, vt cum eo auctoritate Sedis Apostolicæ dispensetur Constit. *d. cap.* 20. §. 3.

867. Si verò Laicus seu Conuersus, aut Clericatum ascendat extra obedientiam superiorum etiam si ad Sacerdotium fuerit promotus postquam reuersus fuerit omni honore Clericali priuari debet, nec permitti vt Canonicum persoluat officium, sed reduci debet ad pristinum omnino statum, vt concessit Leo X. vt referunt Passarel. *in notab.* 21. *priuil.* Casarub. *v. Laici fratres n.* 4. *& v. Ordines Sacri num.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 42. *a.* 19. Portel. *v. Hora Canonica num.* 4. Peyr. in Præl. Reg. *tom.* 2. *q.* 3. *cap.* 7. *num.* 27. Tambur. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 25. *n.* 9.

868. Vlterius verò inquiri debet, quid continere debeant huiusmodi dimissoriæ, & an sit illis in omnibus præbenda fides. Quando dantur dimissoriæ ad alienos Episcopos, in illis inter alia debet contineri testimonium de vacantia Diœcesani ab ordinationibus. Et quod tunc Episcopi illis credere debeant, ex hoc videtur probari, quod cum Clemens Octauus præceperit Prælatis Regularibus, vt in eorum dimissorijs fidem faciant, quod à Diœcesano non habentur ordinationes, signum est quod iudicauit fidem hanc sufficere, & quod Episcopi ea contenti esse debent Peyr. in Præl. Reg. *q.* 3. *c.* 7. *n.* 5. Tambur. *cap.* 2. *d.* 2. *q.* 28. & ex Bariona, Quaranta, Prax. Neop. & Rodriq. Bordon. *ref.* 67. *n.* 60. Sed esse hoc arbitratium Episcopis puto, nec semper Prælati Regulares certam fidem faciunt, aut facere possunt; vt cum multo ante tempora dant literas suas, & sub conditione, quod non habeantur ordinationes a Diœcesana, & ideò opus est habere testimonium à curia Diœcesani, de vacantia ab ordinationibus; sufficit tamen, quod ex ordinandis vnus solus illud testimonium deferat, quia sufficit, quod alieno Episcopo constet non haberi in Diœcesi ordinationes, vt ipse possit ordinare illius Diœcesis Clericos tam Seculares, quam Regulares dimissorias habentes.

869. Pariter in huiusmodi literis dimissorijs deberet contineri ætas Religiosi ordinandi. Censet verò Bordon. *d. ref.* 67. *num.* 61. quod Episcopi deberent stare huic superiorum testimonio. Id tamen plures Episcopi non faciunt, sed ab ordinandis fidem baptismalem requirunt in forma probante, quia tamen cum ætas exprimatur sub nomine, quod ordinando fuit impositum in Baptismo, ideò Prælati in literis dimissorijs debent exprimere nomen, quo in seculo vocabatur Religiosus ad Sacros Ordines promouendus, vt ex fidei baptismali possit colligi ætas. Aduertit quoque idem Bordon. *num.* 63. quod dispensatio super ætate non est dispensatio super interstitijs, vnde dispensatus à Papa super ætate, ab Episcopo dispensari debet super interstitijs, si non intercessit integer annus à susceptione inferioris Ordinis Sacri. Zanardum quoque tenuisse, quod Episcopus possit dispensare super ætate duorum dierum, vel trium referunt: quod tamen non approbatur, cum non possit Episcopus dispensare in lege Pontificia, & Concilij Tridentini.

870. Videri etiam posset, quod in literis dimissorijs fieri debeat fides de eo, quod ordinandus exercuerit ordines inferiores *ex cap.* 11. *sess.* 23. Concil. Trid. vel, quod eorum nomina publicata fuerint in Ecclesia, & fuerit super eorum vota inquisitum *ex cap.* 5. *sess.* 23. sed vt supra dicebatur, Concilium in locis citatis loquitur de Clericis secularibus, vnde non est necesse, quod Prælati Regulares fidem faciant de istis, vt tanquam decisum referunt Rodriq. *tom.* 3. *q.* 24. *a.* 1. Vgolin. Henriq. Campan. apud Barbosam *cap.* 5. *num.* 2. *sess.* 23. Concil. Trid. Tambur. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 20. *num.* 6. Bordon. *resol.* 67. *num* 64. Qui existimat peccare venialiter, qui actus ordinis non exercet, quia videtur negligere officium sibi concessum. Sed in Regularibus, qui sub obedientia viuunt sufficit, quod exerceant actus Ordinum, quando sibi committuntur.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Prælatus dimittendo subditum, vt ordinetur à non Diœcesano. n.* 871.

2 *Item multis alijs modis, & quas pœnas incurrat nu.* 871.

871. QVæritur etiam quot modis peccare possint Prælati Regulares, dimittendo contra legem suos subditos pro ordinibus suscipiendis, & quibus pœnis afficiantur? Primò peccare possunt dimittendo subditos pro ordinibus suscipiendis ab alio Episcopo non vacante Diœcesano ab ordinationibus. Hoc enim est contra decretum Clem. 8. Et sic delinquentes priuandi sunt officijs, & dignitatibus, & vtraq; voce. Pœnam enim contentam *in d. decreto* non esse latæ sententiæ, dictum etiam est supra, quia verbum incurrent futuri temporis importat pœnam ferendam Thesau. *p.* 2. *v. ordo cap.* 21. Bordon. *resol.* 67. *num.* 66. Secundo si Prælatus fingat suum subditum esse, qui non est talis, peccat non enim superiores possunt dimittere ad Ordines nisi subditos suos. Putat verò Bordon. *ref.* 67. *num.* 66. §. *sexto dans*, quod huiusmodi superior absolute puniendus sit pœnis contentis in decreto Clem. 8. quia in eo dicitur Regulares posse dare dimissorias subditis suis, sed licet verum sit, quod Prælatus non potest non subditos suos dimittere ad Ordines suscipiendos, & hoc per locum à contrario sensu colligatur etiam ex *d. decreto*, tamen

hoc

hoc non est ibi directe prohibitum, sed quod prohibetur est, n: Prælati Regulares dimittant subditos ad alias Episcopos, quam à Diœcesano. Et ideò ad summum tunc dimittens non subditum suum erit pœnæ d. decreti subiectus, si contingat dimissum fuisse, vt ordinandum ab alio Episcopo eius Diœcesano ordinationes habente. Bene autem monet idem Bordon. hunc non subdi pœnæ suspensionis ab officio latæ in Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. quia lata est contra Abbates ordinantes, & Capitulo sede vacante dantes dimissorias contra formam decreti Pauli Tertij. Tertio si Prælatus sciences dimittens subditum non habentem ætatem ad ordinem suscipiendum peccat grauiter. Non tamen facit contra præfatum Clem. 8. decretum, quod hoc non prohibet. Neque contra decretum cap. 14. de tempor. ordin. quia pœna illius sup. lata, est contra ordinantem eum, qui non habet legitimam ætatem, nec debet extendi ad præsentantem Bordon. res. 67. num. 66. Quarto peccat Prælatus non petens, vbi opus est, dispensationem super interstitijs, quia negligenter peragit officium suum. Pro hac tamen negligentia nulla pœna lata est in iure. Quinto si in dimissorijs taceat, quod Diœcesanus vacat ab ordinationibus non seruat, quod in decreto Clem. 8. continetur; culpam tamen hanc non esse grauē, & ob hoc Prælatum non subdi pœnis illius decreti, quæ latæ sunt contra delictum principaliter ibi prohibitum, docet Bordon. ress. 67. q. 13. num. 39. in fin. & q. 23. num. 66. Sexto dantes dimissorias non idoneis in scientia, & moribus grauiter peccant, est enim graue Sacrilegium eligere indignos ad tam Sanctum Ministerium arg. cap. Cum sit 14. & cap. Quamuis 15. de ætat. et qualit. In casu verò, quod pœnæ latæ in supradicto decreto Clem. 8. essent sententiæ latæ, supra contra Peyrinum dictum est illas pœnas incurrere Prælatum, qui contra formam illius decreti dedit dimissorias, & per eum non stetit, quod dimissus non fuerit ordinatus. Quod & tenent Garz. in addit. ad part. 5. cap. 7. num. 92. apud Barbosam ad cap. 10. sess. 7. num. 25. & ad cap. 10. sess. 23. num. 51. Concilij Tridentini, & Bordon. res. 67. num. 66.

SVMMARIVM.

1 *Qui recipit ordines ab excommunicato non tolerato est suspensus. n. 872.*
2 *Nisi laboret Ignorantia inuincibili. num. 873. & 874.*
3 *Hoc multi negant. n. 874.*
4 *Iura excusant in hoc ignorantem. n. 874.*
5 *Ignorantia non præsumitur. n. 874.*
6 *Ordinatus non indiget recipere executionem ab ordinante. n. 875.*
7 *Ordinatus ignoranter ab excommunicato est suspensus prætensus. n. 875.*
8 *Quis in hac suspensione dispenset. numero 876.*
9 *Incurritur ex delicto. n. 876.*
10 *Item excusatur ab hac suspensione, qui per vim, & metum excludentem culpam ordinatur ab excommunicato. num. 877.*
11 *Suspensus est, qui recipit ordines Sacros ab Episcopo, qui renunciauit loco, & dignitati. numer. 878.*
13 *Suspensus est Clericus secularis si à non proprio Episcopo sine licentia ordinatur. n. 879.*
14 *Suspensioni lata in cap. 8. sess. 23. Concil. Trid. non subijciuntur Regulares. n. 879.*
15 *Vltramontani suspensi perpetuo, si ordinentur sine dimissorijs recognitis iuxta formam traditam ab Vrbano 8. n. 880.*
16 *Itali ordinati ab alieno Episcopo ad minores sine dimissorijs non gaudent priuilegio fori. num. 880.*
17 *Antiquitus qualiter suspensi, qui ordinabantur ab alieno Episcopo, n. 881.*
18 *Suspensus qui ordinatur sine licentia, aut dimissorijs proprij ordinarij. n. 882.*
19 *Quis absoluat ab hac suspensione. numero 883.*
20 *In quibus casibus suspensio non incurritur. numer. 884.*
21 *Regulares sunt suspensi etiam si à Diœcesano sine dimissorijs ordinentur. nu. 884.*
22 *Qui ordinatur ex falsis dimissorijs qualiter sit suspensus, & puniendus. n. 885.*
23 *Quid de vtente dimissorijs subreptitijs. numero 886.*
24 *Et quid de nulliter professo accedente ad ordines. n. 886.*
25 *Suspensi sunt ordinati ab Episcopo Titulari ordinante sine licentia Diœcesani. numero 887.*
26 *Suspensi sunt, qui ordinantur ante ætatem legitimam. n. 888.*
27 *Suspensi, qui ordinantur extra tempora. numero 889.*
28 *Suspensi ordinati per saltum, aut in Apostasia. num. 890.*
29 *An suspensi ordinati sine titulo. n. 891.*
30 *Religiosi non professi, vel nulliter professi non possunt ordinari sine titulo. n. 892.*
31 *Nulliter professus intra quinquennium est suspensus, si ordines recipiat sine titulo. num. 893.*
32 *Et si ab alieno Episcopo ordinetur. numero 893.*
33 *Post quinquennium nulliter professus, sed diues an sit suspensus si ordines suscipiat. numero 894.*
34 *Et hoc est verum etiam de paupere. numero 895.*
35 *Quid secundum aliquorum opinionem. numero 896.*
36 *Qui inculpabiliter ordinatur non est suspensus. num. 896.*
37 *Ordinatus cum titulo fiduciario. n. 897.*
38 *Suspensi Vltramontani, qui cum ficto, aut fiduciario titulo ordinantur. n. 898.*
39 *Suspensi, qui furtiue ordinantur. n. 899.*
40 *Quemlibet ordinem furtiue suscipiens est suspensus. n. 900.*
41 *Quis possit in hac suspensione dispensare. numer. 901.*
42 *Furtiue suscipiens ordinem est suspensus ab eo solo ordine, quem furtiue suscepit. n. 902.*

Suspen-

43 *Suspensus est, qui excommunicatus ordinatur. num.*903.

44 Non tamen, *qui alia censura ligatur. numero* 903.

45 Quis in hac *suspensione dispenset. n.*903.

46 *Suspensi, qui ordines simoniace recipiunt. numer.*904.

47 *Suspensus, qui ordinatur ab Episcopo in aliena Diœcesi ordinationes habente. n.*905.

872. QVæritur quoque qualiter peccent, & in quibus casibus, & quibus pœnis subijciantur illegitimè promoti. Primò autem ordinatus ab Episcopo excommunicato, vel quomodocumque censurato denunciato, & non tolerato est ipso facto suspensus ab executione ordinis suscepti *cap.* Puiber. *tunc.* 1. *q.* 7. *cap. Ordinationes* 9. *q.* 1. *cap.* 2. *de ordin. ab Epis.* Et sic suspensionem hanc incurrit, qui ordinem suscipit ab hæretico, Schismatico, Simoniaco, degradato, deposito, de omnibus enim istis est eadem ratio, quatenus sunt excommunicati, aut suspensi non tolerati. Hanc tamen suspensionem non incurrunt ordinati ab Episcopo excommunicato non denunciato, sed tolerato Innoc. *cap.* 1. *num.* 3. *de schism.* Panorm. *in cap. veritatis nu.* 46. de dolo, & consumat *& ad cap. probandam n.* 7. *de sent. & re iudic.* Felin. ibid. *num.* 7. Couar. in *cap. Alma mater. p.* 1. §. 6. *num.* 7. Sanchez *de matrim. l.* 3. *dis.* 22. *num.* 15. D. Anton. 3. 4. tit. 27. *cap.* 4. Syluest. *v. irregul.* §. 9. Tabien. *v. irregularitas* 4. *num.* 6. Armilla *num.* 78. Sayr. *l.* 4. *cap.* 14. *num.* 1. Suarez *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 61. *& disp.* 41. *num.* 4. Bonac. *de cens. in particul. disp.* 3. *quæs.* 1. *p.* 10. *num.* 1. Sotus 4. *d.* 25. *q.* 1. *a.* 1. *concl.* 3. Nauar. *cons.* 1. *num.* 2. *de haret.* Palaua *de censur. d.* 4. *p.* 1. §. 1. *num.* 1. Leander. *tr.* 4. *d.* 4. *num.* 1. Barbosa *de off. Epis. all.* 3. *à num.* 17. Tambur. 10. 1. *d.* 1. *q.* 12. Bordon. *resol.* 67. *num.* 67. Et post extrauagantem ad euitanda, hoc non habet difficultatem, vt aduertit Syluester, cum ea vi illius non teneamur vitare nisi excommunicatos, vel denunciatos, vel notorios Clerici percussores.

873. Limitatur assertio principalis, vt non valeat nec dici debeat suspensus, qui ignorantia inuincibili, & à culpa mortali excusante recepit ordinem ab excommunicato non tolerato. Plures tamen huic limitationi non consentiunt, nimirum Io. Andr. *ad cap.* 7. super vltima Gloss. *de ordin. ab Epis. &c.* Præpositus *in sum.* 9. *q.* 1. quos sequitur Fagnan. *cap. quod a prædecessore*, de Schismat. *num.* 35. Couar. *cap. Alma mater par.* 1. §. 6. *num.* 6. Suarez *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 61. post Gloss. *in cap. Si quis a simoniacis* 1. *q.* 1. *& cap. Ab excommunicatis* 9. *q.* 1. Bonac. *de censur. in part. d.* 3. *q.* 1. *p.* 10. *num.* 4. Horum ratio est, quia nemo dat, quod non habet, Excommunicatus verò est priuatus vsu, & exercitio ordinis, & iurisdictionis, hoc igitur dare non potest. Nec obstat, quod suspensio non incurritur nisi ob culpam, quia hæc suspensio in eo, qui ignorat ordinantem esse excommunicatum, non est censura, sed est defectus ex defectu ordinantis procedens. Tum secundò quia iura simpliciter irritant ordinationem factam ab huiusmodi ordinato in odium ordinantis, & iura voluerunt, vt talis ordinans non daret, quod non habet.

874. Sed cum iura huic opinioni resistant, posita limitatio debet admitti. Nam *cap. ordinationes* 9. *q.* 1. sic dicitur. *Ordinationes, quæ ab hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, &c. irritas esse iudicamus, nisi probare valuerint, se cum ordinarentur eos nescisse damnatos.* Non est ergo verum, quod iura omnino simpliciter, & vniuersaliter irritent ordinationes factas ab excommunicatis, sed expresse excipiunt eas, per quas ordinantur illi, qui excommunicationem ordinantis nesciunt. Idem verò habetur *cap. si quis a simoniacis* 108. *q.* 1. & vtrumque *cap. continet* decretum Vrbani 2. in Concil. Placentino. Nec est in contrarium *cap.* 2. *de ordin. ab Epis. &c.* vbi dicitur, quod cum Clerico ignoranter ordinato ab excommunicato potest per Episcopum dispensari, vnde supponitur illum esse suspensum, quia textus ille explicatur per alios textus citatos, vt loquatur de eo, qui cum ignorantia culpabili ordinem ab excommunicato recepit. Nam & ordinati ab Episcopo denunciato est probare ignorantiam probabilem, vt colligitur ex *d. cap. si quis a simoniacis* 108. 1. *q.* 1. *& cap. ordinationes* 9. *q.* 1. Neque enim præsumitur ignorantia excommunicationis denunciatæ, & ideò stare potest, quod in foro Ecclesiæ ignoranter ordinatus ab excommunicato denunciato, licet re vera coram Deo non suspensus indigeat dispensatione.

875. Rationes verò præfatæ opinionis debiles sunt; Secunda enim iam fuit soluta, & ad primam dicitur, quod ordinatus non indiget, vt sibi detur executio, & vsus ordinis dato ordine, quia ad ordinem consequitur connaturaliter, nisi extrinsecus auferatur, probandum igitur erat, non quod ordinans non det executionem, quia eius non est illam dare, sed quod à iure aliquo fuerit ablata ab eo, qui sine culpa ordines suscepit, quod quidem non probatur. Sed imò contrarium iura decernunt, & ideò hanc sententiam tenuerunt Innoc. *in cap.* 1. de Schismat. Panorm. *cap. veritatis num.* 46. de dolo, & contumacia Palaus *de cens. disp.* 4. *p.* 1. §. 1. *num.* 2. & apud eum Alphonsus de Castro, Rodriq. & Gaspar. Hurtado Bordon. *resol.* 67. *num.* 67. Leander *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 1. Quamuis vt dicebatur verum sit, quod in foro externo huiusmodi maneat impeditus ab exercitio ordinis suscepti nisi ignorantiam probabilem probet indicat verò Leander, quod huiusmodi ignoranter ordinatus ab excommunicato non sit propriè suspensus, sed contraxerit ad summum quandam inhabilitatem, quæ illum præcipuè in foro externo impediat ab executione ordinum citans pro se Ægidium. Sed dicitur quod sic ordinatus est verè suspensus, si culpabiliter ordinem recepit, & quod in pœnam etiam culpæ suæ est sic suspensus, vt ex citatis capitibus colligitur. Et sic etiam in foro externo est propriè suspensus, nisi inculpabilem ignorantiam probet vnde est, quod aliquo modo potest esse verum, quod habet Barbosa *ad cap. secundam num.* 2. *de ordin. ab Epis.* Scilicet quod hic ignoranter inculpabiliter ordinatus ab Episcopo excommunicato durante bona fide nec peccat, nec est irregu-

laris si ordine suscepto vtitur, sed bona fide cessante debet abstinere donec cum eo dispensetur. Nam hoc potest esse verum in eo quod iste in foro externo sit suspensus prætensus, & sic tenetur se habere vt talis in foro externo, sed tamen in conscientiæ foro non est suspensus.

876. In hac verò suspensione scienter incursa solus Papa dispensat. Panorm. *d. cap. 2. de ord. ab Epis. &c.* & ibi Barbosa *num.* 2. D. Anton. 3. *p. tit. 27. cap. 4.* Sylues. *v. irregular. §. 9. vers. 7.* Couar. *cap. Alma mater. p. 1. §. 6. num. 6.* Bonacina *d. p. 10. n. 8.* Palaus *d. §. 1. nu. 2. fin.* Et collig. ex *d. cap. 2. de ordin.* in quo permittitur Episcopo vt possit dispensare cum ordinato ignoranter, igitur supponitur id non posse fieri cum ordinato scienter. Sed quod etiam si hæc suspensio sit contracta ignoranter, solus Papa dispenset, quia non sit suspensio ex delicto, sed ex defectu potestatis in ordinante vult Bonac. vbi supra. Sed Bordon. putat posse per Episcopum dispensari etiam si ignorantia sit culpabilis dum non sit supina, & crassa. Barbosa in eodem contextu sibi est contrarius. Nam primo loquens de ordinato ex ignorantia probabili & dicens, quod cessante bona fide debet abstinere donec dispensetur, subdit eum posse obtinere dispensationem ab Episcopo præuia causæ cognitione. Sed paulo infra subdit solum Papam dispensare in hac suspensione contracta per sic ordinatum scienter, vel ex ignorãtia crassa, aut probabili. Quod & voluit *de offic. & potest. Epis. all. 18. num. 10.* Sed dicitur quod hæc suspensio incurritur ex delicto. Oppositum enim non probatur, & dum dicitur, quod venit hæc suspensio tanquam defectus ex defectu potestatis in ordinante id non probatur, nec cum fundamento asseritur; quia vt dicebatur, non est ordinantis dare executionem, sed solum facultatem exequendi, quam secum fert ordo, & ideò ordinator qui dat ordinem dat facultatem exequendi, sed hanc iura suspendunt in eo qui culpabiliter ordinem suscipit ab excommunicato non tolerato. Ideò in hac suspensione Episcopus potest dispensare cum eo, qui ignoranter suscepit ordinem à præfato excommunicato etiam si ignorantia sit culpabilis, dum non sit adeo supina, & crassa, quod meritò censeatur æquiualere scientiæ. Panormit. vbi supra. Syluest. *v. irregularitas n. 9.* Palaus *disp. 4. p. 10. §. 1. num. 2. fin.* Bordon. *d. nu. 67.* Secundo vbi delictum sit occultum in terminis Concil. Trid. *sess. 24. cap. 6.* Idem Palaus vbi supra. Quantum verò ad Regulares Bonac. *d. p. 10. num. 8. in fin.* inquit, quod Religiosi ab huiusmodi suspensione siue ante, siue post Religionis ingressum contracta à solo Papa possunt absolui, nisi peculiaria priuilegia habeant. Sed eos posse absolui, seu dispẽsari à proprijs Prælatis ex Diaz, & Salzedo dixit Bonac. *ad cap. 2. de ordin. ab Epis. &c. num.* 2. Verum qualiter Prælati Regulares possint ab huiusmodi censuris suos absoluere, & in illis casibus in quibus possunt Episcopi suos Clericos, & vlterius ex amplissimis priuilegijs quæ habent, probaui *in tract. de elect. cap. 26. &* 27.

877. Limitatur 4. eadem assertio, vt non procedat in eo, qui ordinatur ab Excommunicato non tolerato per vim, & metum cadentem inconstantem virum. Sed hanc limitationem pariter negant. Suarez *disp. 31. sec. 5. num. 63.* Bonac. *d. disp. 3. p. 10. num. 5.* Sed vbi vis, aut metus sit talis quod excuset à culpa limitatio admitti debet, quia hæc censura culpam supponit. Syluest. *v. irregularitas. §. 9.* Nauar. *cap. 27. num. 244.* Alter. & Auila, apud Bonac. vbi supra, Palaus *disp. 4. p. 10. §. 1. num. 2.* Bordon. *t. 2. resol. 67. num. 67.*

878. Secundò pariter est suspensus, qui suscepit Ordines ab Episcopo, qui loco suo, & dignitati renunciauit *cap. 1. de ordin. ab Epis. &c.* Non incurritur verò hæc suspensio ex susceptione Ordinum Minorum, cum horum collatio etiam non Episcopis competat. Sufficit verò quod subdiaconatum, vel vnum alium ex Sacris Ordinibus suscipiat. Non sufficit etiam quod Episcopus renunciauerit loco, sed requiritur quod renunciaverit loco, & dignitati. Excusatur tamen, qui ex ignorantia probabili, seu ex vi, & metu cadente in constantem virum, & excusante à culpa, aliquem Ordinem Sacrum à simili Episcopo suscepit, & potest Episcopus in hac suspensione dispensare si non fuit contracta scienter, vel ex ignorantia supina, & crassa. Hanc aliqui vocant irregularitatem, sed in materia pœnali in dubio mitior interpretatio habenda est, vide Syluest. *v. irregularitas. num. 10.* Nauar. *cap. 27. num. 241.* Suarez *d. disp. 31. sec. 5. num. 3.* Bonac. *d. disp. 3. q. 1. p. 9. num. 11.* Sayrum *l. 4. cap. 14. num. 8.* Palaum *disp. 4. p. 10. §. 1. num. 1.* Leandrum *tr. 4. disp. 4. q. 2.*

879. Tertiò qui ordinatur à non Diœcesano sine Diœcesani licentia est suspensus. Conc. Trid. *sess. 23. cap. 8* ibi. *Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur: nisi eius probitas, ac Mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione quandiù proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Arbitratur autem Bonacina *de cens. in particulari d. 3. q. 1. p. 11. num. 3.* quod sub hoc canone comprehendantur Regulares, & hoc nedũ si non ordinentur à Diœcesano, sed si ab eo ordinentur sine licentia sui Superioris. Sed cum Pius Quintus *in constit. Et si mendicantium. 41. §. 7.* declarauerit Regulares non comprehendi sub illo decreto *cap. 8. sess. 23.* Concil. Trident. Nam nec Diœcesanus, nec alius quicumque Episcopus præter Papam est proprius Regularium exemptorum Episcopus, ideò Regulares exempti huic suspensioni, non sunt subiecti. Et quod teneantur ordines suscipere ab Episcopo Diœcesano est ex decreto Clem. 8. in quo tamen non est lata aliqua suspensio cõtra ordinatos ab alio Episcopo. Bordon. *res. 67. num. 67. §. 3.* ordinatus.

880. Ex *constitut. autem secretis æterna prouidentia* 33. Vrbani 8. dat. 11. Decemb. 1624. Vltramontani ordinati ad Maiores vel Minores Ordines, aut Clericali tonsura insigniti ab aliquo Italiæ Antistite sine dimissorialibus suorum Ordinariorum literis à Nũcijs Apostolicis, vel Collectoribus recognitis, probatis, & subscriptis, & eorumdem Nunciorum, aut Collectorum subscrip-

scriptionibus Romæ à Vicario Pontificis examinatis, recognitis, & approbatis sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, maioribus etiam arbitrio Pontificis puniendis pœnis. Itali verò, si quos Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo cum falsis dimissorijs, etiam si prædicti sint qualitatibus à Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 16. requisitis, præuia Iudicis Ecclesiastici declaratione fori priuilegio minimè gaudere, sed sicut antea iurisdictioni seculari subiacere compelluntur. Vltramontani verò præfati, si ab aliquo Italiæ Antistite cum falsis dimissorijs, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis promoti fuerint, eadem perpetua censura suspensi sunt ipso facto, puniendi etiã alijs pœnis ad arbitrium Pontificis. Sed tamen sub hac constitutione non comprehendi Regulares aduerterunt Lezana *p.* 4. *v. falsarius. num.* 3. & Cespedes *dub.* 68. Nam in Regularibus cessat ratio finalis illius *const.* Neque enim est periculum, quod Regulares ordinentur sub ficto, aut fiduciario patrimonio, aut quod prohibiti ordinati accedant ad ordines quia regulariter non accedunt nisi dimissi à suis superioribus, nec in Italia recipiuntur nisi veniant cum licentia suorum Superiorum, & recepti in Italia non dimittuntur ad ordines recipiendos, nisi eorum qualitatibus examinatis, & præterea Prælati Regulares in quampluribus impedimentis, & irregularitatibus dispensare possunt cum suis subditis, vnde cum longè diuersa sit ratio de Regularibus ordinandis, & de secularibus, videtur quod dicta constitutio, quę Regularium etiam nullam mentionem facit, ad eos non extendatur. Quod eo magis confirmatur, quod in Regularibus locum non potest habere pœna illa, vt ordinati ad Minores Ordines ab alieno Episcopo cum falsis dimissorijs non gaudeant priuilegio fori, cum illo gaudeant quia professi in Religione. Item duo in illa *constit. decernuntur* scilicet, quod nullus ordinetur sine dimissorijs sui Ordinarij, secundum quod istæ dimissoriæ debeant esse recognitæ iuxta formam ibi præscriptam. Quantum ad primum nec Regulares possunt ordinari sine dimissorijs suorum Superiorum. Et nihilominus quia Vrban. 8. confirmat *constit.* Clem. 4. qui in ordinandis Vltramontanis petebat dimissorias datas ab Episcopo originis, vel beneficij, satis colligitur in ea *const.* sermonem esse tantum de Clericis secularibus, quia Regulares qui ex vi professionis omnino exuunt subiectionem ad Episcopum originis, & alias non habent beneficia, non obligabantur ad habendas alias dimissorias, quam à suis Superioribus. Sic ergo in *constit.* Clem. 4. sermo erat solum de Clericis secularibus, qui sunt subiecti Episcopo originis, aut beneficij, eodem igitur modo etiam in *constit.* Vrbani 8. soli Clerici seculares comprehenduntur, cum Vrbanus 8. *constit.* Clem. 4. confirmet, & illi inhæreat, & quod ipse specialiter præcipit, est illud secundum, scilicet, vt literæ dimissoriæ sint iuxta formam à se traditam recognitæ quod quidem intelligitur statutum de illis Vltramontanis de quibus Clem. 4. & ipse voluerunt non ordinari sine dimissorijs sui Ordinarij, quem esse Episcopum originis, aut beneficij expressérat Clemens Quartus. Et qui Vltramontani sunt Clerici seculares.

881. Et quia nullus Episcopus præter Summum Pontificem est Regularium proprius Episcopus hinc est, quod in hac parte ipsi non subduntur antiquis canonibus prohibentibus ne quis ordinetur à non proprio Episcopo sine licentia proprij. Sic quidem in Concil. Nicœno *cap.* 16. vt habetur *cap. si quis ausus, dist.* 71. *& cap.* 1. 9. *q.* 2 ex Calisto Papa *epis.* 2. *ad Epis. Galliæ* decernitur irrita ordinatio habita sine licentia proprij Episcopi. Qui canones tamen intelliguntur vt huiusmodi ordinatio sit irrita quantum ad ordinis executionem, cum certum sit sic ordinatos recipere ordinis characterem vt ad *d. cap.* 1. considerauit Turrecremanta. Et licet spectato Conc. Nicœno suspensio ista ab executione videatur esse latæ sententiæ, tamen DD quamplures voluerunt legem illam non sumendam in tanto rigore, vt ordinatus sine licentia proprij Episcopi esset propriè suspensus, vel irregularis, sed ita vt sic ordinatus peccaret exercendo Ordinem, antequam ordinatio haberetur rata à proprio Episcopo, sic enim legem illam interprætati sunt Glossa, Io. And. Salzedo, Armilla, Nauar. apud Thesau. in praxi *p.* 2. *v. ordo. cap.* 16. & sic etiam intellexit Sanchez *l.* 7. *consil. cap.* 1. *dub.* 28. *num.* 5. & Suarez *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 14. Nam quod Episcopi proprij ratam habere possent ordinationem sui subditi factam ab alieno Episcopo habetur expressè ex Vrbano Papa *cap. Lugdunensis*, 9. *q.* 2. & tenuerunt ibi Turrecrem. & apud eum Lauren. Archid. & Io. And. Sotus 4. *d.* 25. *q.* 1. *a.* 3. Nauar. Metina, Gabriel. Cuccus, & Rodriq. quos sequitur Sanchez *d. dub.* 28. *num.* 8. & ex Suarez *d. disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 14. Thesau. *d. cap.* 16. Et sic quantum sit ex vi illorum Canonum antiquorũ, ad mentem horum DD. ordinati ab alieno Episcopo sine licentia proprij non erant propriè suspensi, aut irregulares, sed solum impediti ne sine culpa exercerent ordines, donec proprius Episcopus ratam haberet ordinationem. Et nihilominus, cum Regulares ex priuilegijs suis, & exemptione possent ordinari à quocumque Episcopo, erant quoque à præfata huiusmodi lege exempti, & sic in hac parte distingui debet inter licentiam proprij Episcopi, vel etiam inter licentiam Diœcesani, & inter licentiam proprij ordinarij. Quod dicimus est, Regulares non subdi legibus volentibus, vt nullus ordinetur ab alieno Episcopo sine licentia proprij Episcopi, quia non habent proprium Episcopum nisi Papam, à quo habent generalem licentiam ordines suscipiendi. Nec subdi legi præcipienti non sumere ordines sine licentia Diœcesani, quia Regularibus sufficit, quod Diœcesanus non habeat ordinationes generales, per se vel alium. Sed legibus præcipientibus nullum ordinari sine licentia, & dimissorijs sui Ordinarij subiecti sunt.

882. Quinto igitur suspensi sunt, qui ad Sacros Ordines promouentur sine sui Ordinarij licentia aut literis dimissorijs. Ita habetur *ex constit. Sacrorum.* 7. Pij Secundi, quam postea confirmarunt Sixtus Quintus *in constit. Sanctum, & salutare* 91. & Clemens Octauus *in constit. Romanum Pontificem* 40. Et præfata Constitutio Pij 2.

etiam Regulares sine dubio comprehendit. Est verò distinctio inter istam *constitut.* & decretum Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. quod *constitut.* Pij 2. comprehendit solum ordinatos ad Ordines Sacros, sed decretum Concilij comprehendit etiam ordinatos ad Minores Ordines, quod & declarasse S. Congreg. refert Palaus *disp.* 4. *de cens. p.* 10. §. 1. *num.* 4. neutra tamen comprehendit insignitos prima tonsura, quæ propriè non est ordo, nec habet exercitium proprium à quo Clericus possit suspendi. Barbosa *ad d. cap.* 8. circa finem Palaus *d. num.* 4.

883. Distinguuntur verò secundò, quia suspensio, de qua loquitur Pius Secundus, est absoluta, sed suspensio lata à Concil. Trident. est conditionata quandiù proprio Episcopo videbitur expedire, ex quo Maiol. & Paris. apud Thesaur. *p.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. arbitrati sunt illam suspensionem tolli per ratihabitionem proprij Episcopi, & per eam induci absolutionem ab illa, quod verum esse dixit Quarantia *v. ordo*, si Episcopus per hoc intendat auferre suspensionem. Et Tambur. 1. 3. *d.* 2. *q.* 25. *num.* 7. multis citatis vult post Concilium Tridentinum, & hoc sine dimissorijs ordinatum non esse suspensum, nisi ad beneplacitum sui Superioris. Leander autem *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 14. dicit, quod Episcopus potest absoluere ab hac suspensione in casu occulto. Sed respondetur, quod cù illa suspensio lata à Pio 2. non sit reseruata, & licet Sixtus Quintus eam Papæ reseruauerit tamen Clemens 8. *constit.* Sixti 5. reduxit ad terminos *constit.* Pij 2. & Concil. Trident: ideò Episcopus potest ab huiusmodi suspensione absoluere, quia Episcopus à censura non reseruata Papæ absoluere potest, *cap. nuper, de sent. excom.* Vnde coincidunt in idem in hac parte suspensio lata à Pio 2. absolutè, cum decreto Concil. Trid. ferentis suspensionem duraturam ad arbitrium Ordinarij, quia & à censura Pij 2. non reseruata potest Ordinarius absoluere.

884. Non incurritur verò ista suspensio si contingat aliquem ordinari sine licentia vel dimissorijs inculpabiliter, excusante, vel ignorantia probabili, vel metu cadente in constantem virum Bonac. *d. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 10. *num.* 15. Palaus *disp.* 4. *p.* 10. §. 1. *num.* 4. Leander *tr.* 4. *disp.* 4. *q.* 14. & plures ab istis citati. Aduertendum tamen est ad hanc pœnam vitandam non esse necessarias literas dimissorias, sed sufficere proprij Ordinarij licentiam, sed neque esse necesse quod hæc licentia sit data in scriptis. Thesaurus in praxi. *v. ordo. cap* 16. nisi ex vi *constit.* 33. Vrbani Octaui quantum ad Vltramontanos, pro quibus sunt necessariæ dimissoriæ nedum scriptæ, sed iuxta formam ibi statutam recognitæ, & subscriptæ. Huiusmodi verò dimissoriæ, seu licentia non est necesse vt detur ab Episcopo aliquo respectu exemptorum, sed sufficit quod detur ab Ordinario ordinandi, & sic in Regularibus sufficit, quod detur à Superioribus Regularibus. Imò isti suspensi sunt nedum si ordinentur ab Episcopo nõ Diœcesano, sed etiam si ordinentur à Diœcesano sine dimissorijs aut licentia sui superioris, qui est eorum Ordinarius.

885. Qui verò ordinatur cum dimissorijs falsis, si sit stalua ordinatus ab alieno Episcopo ex *constit.* 33. Vrbani 8. non gaudet priuilegio fori præmissa tamen declaratione iudicis Ecclesiastici, sed manet iurisdictioni seculari subiectus in omnibus, & ideò tam in ciuilibus, quam in criminalibus, & tam quantum ad bona, quam quantum ad personam. Thesau. *p.* 2. *v. ordo. cap.* 16. *nu.* 9. Absolutè autem ordinatus ex falsis dimissorijs nedum incurrit pœnas latas contra ordinatos sine dimissorijs, sed vlterius est reus criminis falsi, de quo si via accusationis accedentibus conditionibus ad hoc necessarijs de quibus disserui latè *in tract. de elect. cap.* 25. *q.* 49. *à num.* 569. fit condemnatus conuictus vel confessus manet infamis infamia iuris, & ex consequenti irregularis *l.* 1. *ff. de his, qui not. inf. l. infamem. ff. de publ. iud.* Et crimen falsi committit, qui falsificat literas Ordinariorum, seu publicorum officialium, *l. Eat,* & ibi. DD. *ff. ad l. Cornel. de fals.* Panorm. *in cap. post cessionem, de probat. num.* 5. Felin. *n* 3. *fin.* Guido Papa *decis.* 481. Olac. *dec.* 71 *num.* 10. quos refert, & sequitur Thesaur. *p.* 2. *v. falsum c.* 1. Vbi limitat hoc ex Dias. *cap.* 96 *praxis crim.* non procedere de falso probato via exceptionis, seu incidenter (quamuis tunc sit infamis sola infamia facti Maiol. *l.* 5. cap. 36. *num.* 2.) & ex textu in *l. his. ff. de his, qui not. infam.* Sed aduersus hanc infamiam restitui potest falsarius à suo Episcopo, & sic indirectè dispensari super irregularitate per *cap. At si Clerici.* §. *de adulterijs, de iudic.* Tolet. *l.* 1. *cap.* 62. §. *fin.* Say. *l.* 7. *t.* 12. *n.* 2. Panorm. *in cap. fin. de temp. ordinand. num* 5. Syluu. *v. irregularitas q.* 14. quos sequitur Thesaur. *v. ordo. cap.* 16. *num.* 10. quia crimen falsi est inter minora crimina. *d. cap. fin. de temp. ordin.* & ibi Panor. *num.* 6. Sed & posset falsus Clericus damnari ad triremes si via accusationis procederetur per *l.* 1. §. *vlt ff. ad l. Cornel. de fal.* vbi pœna falsi via accusationis est deportatio Menoch. *de arbit. casu* 306. *num.* 2. *&* *casu* 313. *num.* 7. In deportationis verò locum successit damnatio ad triremes. Clarus §. *fin. q.* 67. Diaz. *cap.* 146. *num.* 3. Salacdo ad Diaz. *cap.* 140. §. *sic equidem.* In quo casu Clericus esset etiam infamis infamia pœnæ. *l. Capitalium* §. *Cætera,* & ibi Gloss. *v. ad tempus. ff. de pœnis.* Molina *tr.* 3. *disp* 9. *num* 19.

886. Literis autem subreptitijs vtens veris tamen non incurrit in pœnas falsantis literas, sed ad summum incidit in pœnas ordinati sine dimissorijs, si subreptio sit talis, quæ literas nullas reddat. Vnde ex prædictis patet quid dicendum de literis datis nulliter professo ante quinquennium, qui in corde suo scit se esse nulliter professum, & intendit reclamare contra professionem. Nam literæ huiusmodi falsæ sunt, quia continent falsam professionem, & ideò talis nulliter professus est falsus saltem quia falsis literis vtitur, & sine literis dimissorijs veris ordinatur. Verumtamen ex hac parte non est suspensus, quia non indiget talibus literis si alias à proprio Episcopo ordinetur. Nam dimissoriæ, seu licentia Ordinarij tunc solum est necessaria, quando ordines recipiendi sunt ab alieno Superiore. Quod si ille habeat sufficiens patrimonium, vel beneficium neque incurrit pœnam ex eo quod ordinetur sine titulo. Et quia præsentatur Episcopo, & ab eo examinatur,

tur, & approbatur videtur, quod non possit dici furtiuè ordinatus, quia ordinatus est sciente Episcopo ordinante. Sed dicitur quod furtiuè ordinatur, quia non Regularis ab Episcopo ordinans de literis, sed de natalibus ætate, & de moribus debet examinari, & approbari, indigetque testimonialibus literis, iuxta formam traditam à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 5. Nulliter verò professus licet sit cognitus quoad scientiam, si examinatur ab Episcopo, furtiuè tamen accedit, & quantum ad natalia, ætatem, & mores, & titulum ad quem ordinari debet accedit non cognitus, prout iuris est. Et ideò subiectus pœnis furtiuè ordinati, & vtentis scienter dimissorijs falsis, & si ab alieno Episcopo ordinatur, etiam est suspensus tanquam sine dimissorijs sui ordinarij Ordinatus.

887. Sexto suspensi sunt, qui absque proprij Prælati expresso consensu aut literis dimissorijs ad aliquem ordinem etiam Minorem promoti fuerunt ab Episcopo Titulari, *etiam* si ille in aliquo loco nullius Diœcesis, etiam exempto, etiam Monasterio cuiuslibet Ordinis resederit. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. Hæc verò suspensio non est, nisi ab ordinibus susceptis à tali Episcopo. Durat verò hæc suspensio donec Prælato ordinati visum fuerit. Et quia Concilium ibi maximè abominatur quod Episcopi alienas oues inscio proprio Pastore quærant, & minus idoneos, rudes, ac ignaros, & à proprijs Ordinarijs reiectos promoueant, & ideo prohibet Episcopos Titulares promouere aliquem ad ordines sine sui Prælati consensu, aut literis dimissorijs; ideò suspensio ista comprehendit etiam Regulares si à talibus Episcopis sine proprij Superioris expresso consensu, aut literis dimissorijs fuerint ordinati.

888. Septimo ordinati ante debitam ætatem à sic susceptis ordinibus sunt suspensi, & si susceptos ordines præsumpserint exercere sunt irregulares *ex constit. cum ex Sacrorum.* 7. Pij 2. Sed vt supra etiam dictum fuit hæc suspensio non afficit ordinatos ad minores ordines, Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 22. Sayr. *l.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. Palaus *disp.* 4. *p.* 10. §. 1. *num.* 6. Cornezo Bauny, Filliuc. Mirand. Tolet. Henriq. Diana, & alij quos sequitur Leander *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 3. nec eum, qui inculpabiliter ordines maiores suscepit. Nauar. *c.* 27. *num.* 154. & *cons.* 3. *de ætat. & qual.* Suarez *d. sec.* 1. *num.* 26. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 182. & 192. Bonac. *de censur. in par. d.* 3. *q.* 1. *p.* 5. §. 1. *num.* 2. & alij plures apud Leandrum vbi supra, qui quidem recedente bona fide non potest in suscepto ordine ministrare ratione irregularitatis ex defectu ætatis prouenientis. Et grauiter peccat si id faciat. Diana *d. res.* 182. Suarez, & Bonac. citati, & alij plures quos sequitur Leander vbi supra. Si tamen ministret non fit iterum irregularis; adueniente verò ætate potest hoc alia dispensatione ministrare. Sed qui mala fide culpabiliter ordinatus fuit, & est suspensus, & si præsumat ministrare fit irregularis, & adueniente ætate, non per hoc potest male susceptum ordinem exercere, nisi fuerit absolutus à suspensione. Et ab ea absolutus, si ætatem non compleuit, eam expectare debet, & qui ante ætatem ordinatur ad sacerdotium, ex eo quod celebrat cum ordinante non fit irregularis, nisi iterum post ordinationem celebret.

889. Octauo qui ordinatur extra tempora sine licentia est suspensus ex vi *constit.* Pij 2. quod tamen supradicta est intelligendum. Qui autem habent ad hoc priuilegium non incurrunt hanc censuram. Et quamuis Bordon. *res.* 67. *num.* 69. §. 6. dicat, fundamentum multum fragile esse fundare se super certis priuilegijs, contra quæ est vsus in contrarium, & Episcopi nullo modo volunt acquiescere; tamen considerari potest, quod vsus in contrarium proueniens ex eo quod Episcopi nolunt admittere priuilegia, ea non tollit. Et ita licet non prosint illa priuilegia ad hoc vt Regulares ordinentur, prosunt tamen, vt si contingat ordinati non subsint censuris latis contra non habentes priuilegia.

890. Nono ordinatus per saltum est suspensus, sed à solo ordine per saltum suscepto. Videantur dicta supra. *num.* 448. Nono à posteriori ordine suspensus est, qui duos eodem die suscepit, vt explicatum est supra *num.* 839. Decimo ordinatus in Apostasia est suspensus ab ordine sic recepto, nec potest in eo ministrare etiã si fuerit Superiori reconciliatus, & egerit pœnitentiam, sicut dictum est supra *q.* 189. *a.* 8.

891. Vndecimo dicuntur suspensi, qui sub nullo, vel ficto, aut fiduciario titulo patrimonij, aut beneficij ad Sacros Ordines ordinati sunt. *c. neminem, & cap. Sanctorum dist.* 70. quam suspensionem innouasse Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. arbitrati sunt Nauar. *cons.* 14. *num.* 4. & *cons.* 46. *num.* 1. & 3. *de tempor. ordinand.* Suarez *de cens. disp.* 31. *sec.* 1. *post num.* 35. Sanchez *l.* 7. *consil. cap.* 3. *dub.* 35. *num.* 12. Bonac. *de cens. in part. disp.* 3. *qu.* 1. *p.* 8. *num.* 1. Leander *tr.* 4. *disp.* 4. *q.* 6. & quamplures alij apud istos, & apud Barbosam *d. cap.* 2. *sess.* 21. Concil. Trident. *numer.* 65. sed cum Sacr. Congregat. Concilij declarauerit per decretum Concilij innouari solum *cap. cum secundum de praebend.* In quo abrogata fuit suspensio illa lata *cap. neminem, & cap. Sanctorum dist.* 70. & in quo non fertur pœna aliqua in ordinatos, sed in ordinantes. Ideoque ordinatum ad Sacrum Ordinem sine titulo non esse suspensum, & si in suscepto ordine ministret non esse irregularem; de qua declaratione fidem faciunt Garz. *de benef. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 27. & 29. & ex Armend. & à Curena Barbosa *ad d. cap.* 2. *sess.* 21. *num.* 67. & nouissimè Reuerendiss. Fagnan. iam eiusdem Sac. Congreg. Secretarius *in d. cap. Cum secundum. num.* 19. Propterea dicendum est ordinatos sine titulo minimè esse suspensos ex vi antiquorum canonum, aut Concilij Tridentini. Quod etiam expressè loquitur de solis Clericis secularibus, vt etiam innouauit Sixtus Quintus *in constit.* 91. contra malè promotos, & adnectunt communiter DD. quorum plures refert Barbosa ad dictum *c.* 2. *n.* 3. Quod tamen limitatur vt sit verũ, quãdo quod aliquis ordinetur sine titulo in culpa est Episcopus. Nam si quis sine culpa Episcopi ordinatur sub patrimonio ficto, vel falso, quia v. g. ordinatus falsis testimonijs decepit Episcopum, in hoc casu suspensionem *d. cap. neminem, & Sanctorum*, nec fuisse abrogatam per *cap. cum secundum, de praebend.* & fuisse innouatam per Concil. Trident. declarauit S. Congr. Concilij die 27. Nouemb. 1610. & propterea censuit

Cle-

Clericum qui adhibito dolo confictoque titulo Episcopum decepit esse ipso iure suspensum. Quã declarationem refert Reverendiss. Fagnanus *ad d. cap. Cum secundum num. 69. de præbend.* & ita tenent Sanchez *l. 7. cap. 1. dub. 35. num. 12.* Nauar. *cons. vlt. de tempor. ordin.* Thesau. *v. ordines c. 11. num. 3.*

892. Nihilominus ex *constit. Romanus Pontifex* 74. Pij Quinti Religiosi, seu seculares more Religiosorum in communi viuentes, & nondum professi ad obseruantiam decreti præfati Concil. Trident. *sess. 23. cap. 2.* (exceptis Religiosis Societatis post vota biennij ex priuilegio Greg. 13.) tenentur sub pœna suspensionis ab exercitio ordinis suscepti, quam præfati incurrant ipso facto, si contra formam præscriptam in Concil. Trid. loco citato fuerint ordinati. Sub Religiosis verò non professis de quibus loquitur Pius Quintus comprehendi etiam nulliter professos censuit Rota in Vrgelen. Canonic. 3. Martij 1595. quam refert per extensum Gar. *d. p. 2. cap. 5. nu. 11. & 12.* Et propterea etiam nulliter professos si suscipiant Ordines Sacros contra formam *d. cap. 2. sess. 23.* Concil. Trident. esse suspensos ab exercitio ordinum susceptorum, dicunt Garz. loco citato. Barbos. *ad d. cap. 2.* & apud eum Sanctarell. Ricc. & Marol. Cespedes *dub. 74.* Thesaur. in praxi *v. ordines cap. 11. num. 3.* Lezana *p. 1. cap. 14. num. 10.* & alij. Quod quidem Garz. ex Rota citata, & Thesaur. *d. num. 3.* ampliat vt sit verum etiam in casu, quod professio sit dubia. Quod tamen negat Cespedes *dub. 80.* ex eo quia per susceptionem Sacrorum Ordinum ratificetur professio, vt declaranit S. Congr. in vna Beneuentana. 20. Decembris 1619. & ita ex hoc quod dubius de professione petit ordinari, & ordinatur conualidat suam professionem. Aliter idem limitat Pasqual. ad Lauret. *p. 1. num. 374.* vt suspensio illa non habeat locum in eo, qui bona fide putans se esse professum ordines suscipit ad titulum paupertatis. Et addit quod recedente bona fide, etiam si nolit ratificare professionem non fit irregularis si ministret in ordine suscepto, quia non est suspensus.

893. Sed in hac parte distingui debet tempus quinquennij in quo nulliter professus, à tempore post quinquennium, in quo nulliter professus via ordinaria non potest audiri iuxta decretum Concil. Trident. *sess. 25. cap. 19.* & in quo professus etiam nulliter iuxta supra probata tenetur manere in Religione etiam si nolit professionem ratificare. Nam intra tempus quinquennij in quo nulliter professus potest reclamare contra professionem, & exire de Religione si sciens, vel culpabiliter negligens aut ignorans ordinatur ad aliquem Sacrum Ordinem est verè suspensus, vt præfati DD. docent. Et hoc est verum etiam si sit in seculo divitiosus, & sibi non desit patrimonium quia de forma Concilij est, vt de hoc patrimonio prius constet Episcopo, suspensio autem à Pio 5. lata est contra ordinatos non seruata forma Concilij. Nec valet dicere, quod nulliter professus suscipiendo ordines ad titulum paupertatis ratificat professionem, quia hoc est verum præsumptiue, & probat quod qui Ordines Sacros ad titulum paupertatis suscepit nedum est præsumptiuè professus, sed ratificauit professionem, vnde & hoc debet exprimere, & nullitatem huius ratificationis probare, vt exeat, sed si ipse non vult professionem ratificare non ratificatur, & sic manet secularis Clericus, seu Religiosus non professus in rei veritate ordinatus sine titulo legitimo contra mentem Pij Quinti, & ideò est suspensus. Non esset tamen talis, si verè sumendo ordinem sacrum professionem ratificaret, quia tunc non esset Clericus secularis vel Religiosus non professus ordinatus sine titulo. Sed & vlterius, si sine culpa Episcopi ordinantis ipse nulliter professus ordinatur sub ficto, & falso paupertatis titulo, est ex hac parte suspensus ex vi *cap. 1. & 2. dist. 70.* & ex vi Concil. Trid supposita *constit.* præfata Pij Quinti. Imò si huiusmodi nulliter professus ordinetur ab Episcopo alieno à quo non posset ordinari sine dimissorijs sui Episcopi. Si esset secularis, esset etiam suspensus ex vi *constit.* Pij II. quia ordinatus sine veris, & legitimis dimissorijs. Nec obstat quod Prælati regulares possunt dare dimissorias etiam Religiosis non professis, quia non possunt dare dimissorias professorum non professis, & sic dimissoriæ obtentæ à nulliter professo ante quinquennium, subreptitiæ sunt, & nullæ, & falsæ ex parte impetrantis, qui etiam potest puniri, quia fallas dimissorias impetrauerit, & eis Episcopum deceperit, & subreptitiè ab eo ordinem extorsecit.

894. Sed si loquamur de nulliter professo post quinquennium, quia ex lege Ecclesiastica tenetur iam esse Religiosus, & permanere in Religione, & se habere vt professus, vt supra probatum fuit, & sic ratione iuris est professus, ille potest cum dimissorijs Superioris sui ordines suscipere. Quia priuilegijs Religiosorum gaudere potest, sicut & eorum onera tenetur portare. Et hoc maximè procedit in eo, qui determinatè vult manere in Religione, licet nolit professionem ratificare, & licet exiret si posset, tamen hoc sibi est impossibile, quia non potest probare nullitatem suæ professionis, vel non potest petere, aut obtinere beneficiũ restitutionis aductus lapsum quinquennij, & sic velit nolit cogitur permanere sub statu paupertatis. Difficultas remanet de eo qui non desperat se posse exire, & exire intendit, vel est anceps, & dubius an exire velit, vel nolit. Iste enim licet præsumptiuè sit professus præsumptione iuris, & de iure contra quam præsumptionem nec indirectè potest ire via ordinaria, tamen potest id facere via extraordinaria restitutionis in integrum per lapsum quinquennij, & ideò est Religiosus verè non professus, qui potest fieri Clericus secularis ordinatus sine titulo. Et sic videtur dicendum, quod comprehendatur sub *constit.* Pij Quinti. Nihilominus dico quod iste si verè habet patrimonium sufficiens vnde viuat in casu, quod exeat à Religione, potest sine culpa, & pœna ordines suscipere. Quia cum Ecclesia illi præcipiat, vt maneat Religiosus, & illũ audire nolit, si velit exire vtitur iure suo si tanquam vnus de alijs accedit ad ordines. Et interim nullum est periculum, quia si exierit habebit sufficiens patrimonium vnde viuat. Nec dimissoriæ eius sunt formaliter falsæ, quia verè sunt præsumptione iuris, & de iure contra quam via ordinaria nec indire-

ctè

sić datur probatio; quia imò Ecclesia prohibet audiri probare volentem. Et dimissoriæ sunt à legitimo Superiore, qui ea lapsu quinquennij præscripsit iurisdictionem omnimodam contra illū. Ideò in hoc casu non tenetur iustificare patrimonium antequam ordinetur, quia habet ius vt ordinetur ad titulum paupertatis.

895. Sed vlterius dicitur, quod etiam si huiusmodi nulliter professus sit pauper in seculo, & hac patrimonio adhuc non est suspensus si ordinetur suscipit, quia Ecclesia non obligat eum ad contraria, & dum obligat eum vt maneat, & se habeat in omnibus tanquam vnus de alijs Religiosis professis, non obligat eum vt tanquam Clericus secularis, vel tanquam Religiosus non professus subdatur præfato decreto *cap. 2. sess. 21.* Concil. Trid. Et tanto magis, quod cessat periculum, & deficit causa finalis Concilij, & Pij Quinti. Quia cum per susceptionem Sacri Ordinis ad titulum paupertatis inducatur professio tacita, iste nulliter professus, & ordinatus ad titulum paupertatis, si voluerit vti extraordinario remedio restitutionis contra lapsum quinquennij, tenebitur in supplicatione exprimere nedum se emisisse professionem, sed quod post illam suscepit Sacrum Ordinem ad titulum paupertatis. Talis enim debet restitui vt possit probare nullitatem professionis in facie Ecclesiæ validæ; quod si professio in facie Ecclesiæ est valida pluribus titulis, & quia emissa, & quia ratificata, vt professus nulliter validè restituatur, & possit exire, non sufficit obtinere facultatem probandi nullam professionem, sed vlterius debet obtinere facultatem probandi nullam ratificationem professionis. Et ex vi solius nullitatis professionis non poterit exire, manente præsumpta ratificatione professionis. Et sic Summi Pontificis erit videre an huiusmodi ordinato pauperi sit concedenda gratia restitutionis in integrū. Quod si in supplicatione nulliter professus exprimat in genere ratificationem præsumptam dicendo post professionem se ingessisse etiam pluries actibus professorum, sed cum intentione non ratificandi professionem, & dicatur hoc esse sufficiens vt gratia restitutionis non sit subreptitia; adhuc dicitur, quod saltem in processu coram iudicibus delegatis debebit nulliter professus exprimere, quod suscepit Ordinem Sacrum ad titulum paupertatis, & probare quod nihilominus professionem non ratificauerit, quo posito validè difficile erit quod elidat præsumptionem illam ratificationis professionis, & sic rarissimè poterit contingere casus, in quo ex beneficio isto restitutionis exeat pauper à Religione, qui non habeat patrimonium; & leges rarissimos casus non respiciunt. Præterquam quod etiam probata nullitate ratificationis professionis præsumptæ ex susceptione Sacri Ordinis, si adhuc exitui obstet paupertas volentis exire non debebit Episcopus, nec poterit concedere exitum inconsulto Pontifice, quia contra iura est vt sit in seculo ordinatus in sacris sine patrimonio, vel beneficio. Et sic nulliter professus post quinquennium suscipiendo Ordinem Sacrum ad titulum paupertatis, si sit pauper in seculo reddit sibi impossibilem exitum sine specialissima dispensatione Summi Pontificis, qui concedendo beneficiū restitutionis in integrum aduersus lapsum quinquennij intelligi debet suæ gratiæ apponere hanc implicitam conditionem, *dum exitus alias non sit contra iura.* An verò saltem grauiter peccet iste nulliter professus, qui sit pauper in seculo, & velit vti beneficio restitutionis in integrum, & tamen suscipiat ordinem Sacrum ad titulum paupertatis, dum nolit decipere Pontificem, aut iudices occultando ordinem susceptum, non video vnde & quare peccet, quia lex prohibens ordinari sine titulo patrimonij vel beneficij illum non comprehendit, & alias non exibit nisi impedimento paupertatis manifestato, & super eo habito Superiorum beneplacito, & alias suscipiendo ordines vtitur iure suo.

896. Et si dicatur esse multorum opinionem, quod nulliter professus etiam post quinquennij possit auctoritate sua exire à Religione, & ad seculum redire. Respondetur quod non est mirum si aliqui ex DD. absolutè dicunt, quod nulliter professus sit suspensus, si Ordinem Sacrum suscipiat, & quamuis non possit negari, quod non adsit lex Ecclesiæ præcipiens ne professi post quinquennium exeant, quia aliqui velint hanc legem tanquam fundatam in præsumptione non obligare eū, qui est nulliter professus, cōsequenter secundū illos dicendū est nulliter professum non posse ordines sacros suscipere non constito prius apud Episcopum de sufficienti patrimonio. Quod tamen limitatur nisi lex naturæ vrgeat ad hoc vt sic professus ordines suscipiat, vel ad vitandum scandalum, vel ad vitandum tam graue damnum, vt fimus in casu in quo lex positiua prohibens ordines suscipere sine titulo non obliget. In omni enim illo casu cessat suspensio lata contra ordinatos vel sine titulo, vel sine dimissorijs in quo Religiosus inculpabiliter ordines suscipere potest sine illis requisitis. Quod si nulliter professus exponat Episcopo nullitatem professionis, sed apud eum constare faciat de sufficienti patrimonio, & ordinandus alia requisita habeat, & legitimas dimissorias, & nihil fiat contra iura poterit ordinari, & nec ordinatus, nec ordinans incidet in censuras. Erunt tamen necessariæ etiam dimissoriales Prælati regularis, quia nondum declarata nullitate professionis professus nulliter est Prælati Regularis subditus.

897. In alio etiam casu ordinatus sine verò titulo est suspensus, scilicet, si ordinetur cum titulo fiduciario in terminis *cap. penult.* de simonia, in quo decernitur, quod si quis ordinauerit, aut ad ordinem præsentauerit aliquam promissionem, vel iuramentum ab eo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eumdem; ordinator à collatione, præsentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos. Et quod hæc censura afficiat etiam ignorantes, dum ignorantia non sit inuincibilis aduertit Palaus *d. §. 1. num. 12.*

898. Sed præterea quod nunc ordinati cum falso, vel ficto, vel fiduciario titulo sint suspensi suspensione reseruata Papæ sine spe dispensationis affirmat Bonac. *d. disp. 3. q. 1. p. num. 31.* & hoc ex *constit. secreti n. num. 33.* Vrbani Octaui. Verum

Vrba-

Vrbanus Octauus ibidem non loquitur vniuersaliter, sed de Vltramontanis, qui ab aliquo Episcopo Italiæ ordines suscipiunt. In eo enim §. 3. *dictæ constit.* est sermo de Vltramontanis ordinandis in Italia, de quibus primo statuitur, vt non possint ordinari sine dimissorijs subscriptis, & recognitis iuxta formam ibi traditam, & aliter ordinatos suspendit. Addit verò quod huiusmodi scilicet Vltramontani sic sine literis præfatis ordinati, & eos, nimirum Vltramontanos, qui cum ficto, aut falso, aut fiduciario titulo scienter se fecerint ordinari nedum sint suspensi, sed etiam alijs pœnis ad arbitrium Pontificis puniendi. Quæ suspensio, & pœna non afficit, nisi eos, qui scienter se cum tali titulo se fecerint ordinari. Quamuis vt supra *num.* 891. dicebatur etiam ex antiquis iuribus, qui sub falso titulo sine culpa Episcopi ordinantur, sint suspensi.

899. Duodecimo furtiuè ordinati incurrunt suspensionem, seu irregularitatem vt non possint nec in susceptis ministrare, nec ad maiores promoueri. Illi autem dicuntur furtiuè ordinati, qui sine ordinatione, & scientia Superioris, & qui sine examine se ingerunt cum multitudine ordinandorum, ignorante ordinatore, & sic ordines suscipiunt. Gloss. *in cap.* 1. *de eo, qui furtiuè ordin.* Panorm. ibi *in sum.* & *num.* 1. Hostien. *in sum.* §. 1. Pasqualig. autem ad Lauretum *p.* 1. *num.* 315. eum generaliter ait dici furtiuè ordinatum, qui sine licentia, & approbatione sui Superioris, inscio Episcopo accedit ad ordines suscipiendos. Ex *cap. autem* 1. & 3. *de eo, qui furt. ord.* habetur quod recipere clandestinè plures ordines eadem die est furtiuè ordinari. Et quidem cum ad ordines suscipiendos requiratur approbatio Episcopi pro ordinibus suscipiendis, ita quod sit necesse, vt ordinandus antequam accedat vt ordines actu suscipiat, prius se præsentet Episcopo ab eo examinandus, & approbandus pro suscipiendis ordinibus, propriè ille furtiuè ordinatur qui inscio Episcopo, vel ordinatore, & ab eo non adscriptus, & approbatus pro suscipiendis ordinibus accedit tempore ordinationis, & ordines suscipit. Et ita hoc est verum, siue furtiuè accipiat omnes ordines, siue vnum tantum, vt si ab Episcopo approbatus pro minoribus accedat, & clandestinè etiam Subdiaconum recipiat. Addit Bonacina *disp.* 7. *de censuris q.* 3. *p.* 4. *num.* 6. illum dici ordinatum furtiuè, qui ficto titulo, aut cum falsis dimissorijs ordines suscipit. Sed hoc non benè dicitur, quia talis non suscipit ordines clandestinè, & occultè, quod propriè importat dictio furtiuè? Fur enim est, qui clandestinè, & occultè alienum aufert. Qui verò non sub ficto titulo, aut cum falsis dimissorijs publicè accedit ad Episcopum, non extorquet lectio, & furtiuè sed fraudolenter, & dolosè, quod propriè loquendo est quid diuersum, & specialiter prohibitum. Ille ergo furtiuè ordinatur, qui nullo modo approbatus, & positus intra numerum ordinandorum accedit, & ordines suscipit. Sed subreptitiè, & dolosè ordinatur qui Episcopum per falsa testimonia decipit, & eius approbationem extorquet.

900. Sed quid dicendum si Regularis furtiuè respectu sui Superioris, eoque inscio accedat ad ordinationes, & pro ordinibus suscipiendis ab Episcopo approbetur, & postea ordinetur? Hunc puto furtiuè ordinari respectu superiorum suorum, sed de eo non est sermo in titulo de eo, qui furtiuè Ord. sed ibi est sermo de eo qui suscipit ordines inscio ordinatore. Et ideò Glossa ait illum furtiuè ordinari, qui citra conscientiam sui Episcopi suscipit ordines. Cum verò Bonac. *disp.* 7. *de cens. q.* 3. *p.* 4. *num.* 6. asserat dici posse accipientem furtiuè Diaconatum esse irregularem, sed accipientem alios ordines esse suspensum, meritò reijcitur à Pasqualig. ad Lauretum. *p.* 1. *n.* 314. Nam in *d. cap.* 1. decernitur suspensio quia Diaconatus fuit susceptus furtiuè, non quia receptus Diaconatus, nec alibi huiusmodi, vel suspensio, vel irregularitas habetur. Et ideò lex illius textus omnes ordinatos ligat, qui furtiuè aliquem ordinem suscipiunt. Non conueniunt verò DD. in explicando, an illud impedimentum, & priuatio executionis ordinum sit suspensio, vel irregularitas. Suarez *de cens. disp.* 42. *sec.* 3. *nu.* 5. Filliuc. *tr.* 20. *num.* 195. Pasqualig. vbi supra, eam vocant irregularitatem. Sed & inter irregularitates eam ponunt Sylues. *v. irregularitas num.* 4. at Bordon. *res.* 67. *num.* 71. §. *Decimotertio*, suspensionem vocat respectu ordinum susceptorum furtiuè, & irregularitatem respectu suscipiendorum. Leander *trac.* 4. *disp.* 4. *q.* 81. suspensionem appellat.

901. Sed quæcumq; illa sit, textus distinguit, & admittit, quod in ea possit Episcopus dispensare; si contra sic furtiuè accedentem non sit lata aliqua excommunicatio, quia in hoc casu, non permittitur vt sine dispensatione Papæ sic ordinatus promoueatur ad maiores ordines, nisi ille factus fuerit Religiosus, &, vt aduertit Bonac. *nu.* 7. excommunicatio non fuerit denunciata, in quo casu poterit cum eo dispensare, vel Episcopus, vel Abbas, si in habitu Religioso pro aliquo tempore laudabiliter fuerit conuersatus. Ex nouo tamen iure Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6 potest Episcopus in huiusmodi aut suspensione, aut irregularitate dispensare si delictum sit occultum. Bonac. vbi supra *num.* 7. Pasqual. *num.* 385. Lezana *v. irregularitas num.* 53. Prælati verò Regulares, & ex *Priuileg.* Pij Quinti sub die 21. Iunij 1571. in Bullar. Rom. & ex alijs pluribus priuilegijs possunt cum suis in huiusmodi dispensare. Pasqual. *num.* 386.

902. Sed si quis plures ordines simul suscipiens solum vnum furtiuè recipiat, est ne suspensus ab exercitio omnium, vel solum ab exercitio ordinis furtiuè accepti, vt si approbatus pro ordinibus minoribus simul furtiuè recipiat Subdiaconatum est ne suspensus solum ab exercitio Subdiaconatus, vel etiam ab exercitio Minorum Ordinum? Barbosa *ad cap.* 2. *de eo, qui furtiuè ord. num.* 3. asserens, quod talis potest dispensari ab Episcopo, vt ministret in Minoribus non furtiuè susceptis, iudicat talem etiam ab exercitio minorum fuisse suspensum, sed ex textu illo *cap.* 2. oppositum deducitur. Non enim dicitur, quod Episcopus possit cum tali dispensare in Minoribus Ordinibus, sed imò mandatur, vt illum ministrare in Minoribus permittat, qui modus loquendi significans illum non esse prohibendum ne in Minoribus ministret, simul explicat id sibi licere, & ab eo ministerio suspensum non esse.

903. Decimo quarto, qui excommunicatus, suscipit ordines si sit Clericus secularis est deponendus, sed si est Regularis est ipso facto suspensus, *ex cap. Cum illorum, de sentent. excommun.* Intelligitur verò de excommunicato excommunicatione maiori, quæ est excommunicatio simpliciter. Et quia textus ibi loquitur de excommunicatione ob violentam percussionem Clerici, quæ est maior. Non tamen intelligitur de suspenso, vel interdicto, quia non est hoc in iure expressum nisi de excommunicato, Suarez *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 58. Bonac. *de cens. in part. d.* 3. *q.* 1. *p.* 6. *num.* 4. & apud eum Syluest. Auila, & Henriq. Palaus *disp.* 4. *p.* 10. §. 1. *num.* 3. Bordon. *res.* 67. *n.* 73. quidquid in contrarium dixerint Couar. & Alterius apud Bonac. & alij plures quos sequitur Leander *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 5. Hæc verò suspensio incorritur non quidem recipiendo primam tonsuram, sed tamen recipiendo nedum maiores, sed minores ordines in maiori excommunicatione, quia suspensio in eo textu fertur contra excommunicatum recipientem Ecclesiasticos ordines; at verò minores ordines sunt ordines Ecclesiastici. Nauar. *cons.* 28. *de sentent. excom.* Bonac. *d. num.* 2. Palaus *d. num.* 3. Bordon. *res.* 67. *nu.* 73. Leander. *tr.* 4. *disp.* 4. *q.* 5. Excusantur autem, qui ex probabili ignorantia (quamuis in foro externo hæc non præsumatur) recipiunt ordines in excommunicatione, vt tradunt Nauar. *cap.* 27. *num.* 241. Panorm. *in d. cap. Cum illorum num.* 15. Hostien. ibid. Suarez vbi supra *num.* 59. Palaus *d. num.* 3. Bonac. *d. num.* 2. Leander. *d. q.* 5. Nec obstat, quod *in d. cap. Cum illorum* præsupponatur, quod etiam ignoranter suscipientes ordinem in excommunicatione sint suspensi, & indigeant dispensatione, quia loquitur de ignorante culpabiliter, & etiam in foro externo, in quo non præsumitur ignorantia inuincibilis. Et de horum DD. oriente eandem pœnam non incurrit, qui per vim, & metum talem recipit ordines, vt excusent eum à lege hac prohibente ordines suscipi, quæ non est diuina, sed Ecclesiastica. Clericum verò excommunicatum scienter suscipientem ordines vult esse ipso facto depositum, & licet verba significent depositionem ferendæ sententiæ, quia dicit tales esse deponendos, tamen DD. communiter colligunt pœnam illam depositionis esse latæ sententiæ cum eius dispensationem reseruet summo Pontifici, & quia suspensio lata contra Regulares est sententiæ latæ. Aduertit verò Bonac. *num.* 5. Regulares manere suspensos nedum ab executione ordinum, sed etiam ab officio, quia *in d. textu* dicitur esse suspensos ab executione ordinis, & officij, non tamen remanent suspensi ab ordinibus ante excommunicationem legitime susceptis, sed solum ab executione ordinum receptorum in excommunicatione. Dispensatio verò ab hac depositione, quoad Clericos reseruatur summo Pontifici; dispensatio verò à suspensione quantum ad Regulares remittitur Prælatis Regularibus quantum ad eos, qui ignoranter se ordinari permiserunt, nisi factum graue fuerit, & notabile, aut violenter contra ignorantiam, aut obliuionem præsumatur. Sed ex iure nouo Concil. Trid. *sess.* 24. *sess.* 6. Episcopi in casibus occultis absoluere, aut dispensare possunt, Prælati verò Regulares idem ex pluribus titulis præstare possunt.

904. Decimo quinto ordinati simoniacè etiã ad primam tonsuram sunt ipso iure suspensi, *cap. per tuas, & cap. penul. de simonia.* Et sunt ipso facto excommunicati *extrauag.* 2. *de simon.* & hæc excommunicatio est reseruata Papæ. Quas pœnas confirmauit Sixtus Quintus in sua *constitut.* contra malè promotos, & voluit sic simoniacè ordinatos esse ipso facto suspensos ab exercitio ordinum susceptorum, & remouet ab omni spe ascendendi ad superiores ordines, & si in ordinibus præsumpserit ministrare voluit esse irregulares, ac priuatos voce actiua, & passiua cum perpetua inhabilitate, & incapacitate, sibi reseruando absolutionem etiam si crimen sit occultum & licet Clemens 8. *d. constit.* Sixti Quinti, *Sanctum & salutare* datam Nonis Ianuar. 1588. reduxerit ad terminos *constit.* Pij 2. & Concil. Trident. per *constit.* quæ incipit *Romanum Pontificem* datam 28. Februar. 1595. tamen eam voluit in robore suo manere quantum ad simoniacè promotos. Sic autem simoniacè ordinati suspensi sunt ab omnibus ordinibus antea etiam non simoniacè susceptis *ex d. cap. per tuas, & extrauag.* Pauli 2. vt ex Syluest. Couar. Auila, & Henriq. habet Leander. *tr.* 4. *d.* 4. *q.* 10. Suarez *disp.* 31. *sec.* 4. *nu.* 32. De hac vero materia multa scripsi *in tract. de elect. toto cap.* 7. quæ ibi videri possunt.

905. Decimo sexto suspensi sunt, qui recipiunt ordines ab Episcopo etiam proprio extra suam Diœcesim sine licentia Diœcesani ordines conferente. Ex Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. Quod est verum vniuersaliter de omnibus ordinibus, etiam minoribus; & idem est si huiusmodi ordines recipiantur ab Archiepiscopo, Concilium enim generaliter loquitur de Episcopis, & eadem Militat ratio, cum nec Archiepiscopus possit exercere Pontificalia in Diœcesibus suffraganeorum nisi in casibus aliquibus. Ita ex Gloss. in *cap. Romana not.* 2. *de off. ordin. in* 6. Couar. *practic. cap.* 9. *num.* 2. Bonac. *de censur. in partic. d.* 3. *q.* 1. *p.* 12. *num.* 1. Cum verò Concil. ibi dicat Episcopum in alia Diœcesi non posse habere ordinationes nisi de licentia Diœcesani, & in personas eidem subiectas; quod hoc non obstante possit etiam ordinare aliorum Episcoporum subditos habentes ab eisdem dimissorias aduertit Barbosa ibi *n.* 29.

SVMMARIVM.

1 *An excommunicatio contra impeditos accedentes ad ordines afficiat Regulares. numero* 906.

2 *Episcopus non habet in exemptos iurisdictionem. num.* 906.

3 *Regulares tenentur ad preces impositas ab Episcopo. n.* 907.

4 *An Episcopus possit cogere Regulares ordinandos ad iurandum se habere aliquod requisitum. num.* 908.

5 *Non obstante protestatione de non ordinandis non approbatos illi ordinantur. n.* 909.

906. Quaeritur praeterea, an ex hoc, quod Regulares sint subiecti Episcopis quoad potestatem ordinis competat Episcopis etiam aliqua iurisdictio super illos. Videtur quod in aliquibus casibus Episcopus conferens ordines habeat iurisdictionem in Regulares. Nam primò, quod Regulares subijciantur excommunicationi, quam Episcopus fert ante ordinationes prohibendo ne aliquis à iure prohibitus accedat ordines recepturus voluit Bonacina *de cens. disp. 7. q. 3. p. 4. num. 7.* Peirin. *ad const.* 1. Iulij 2. §. 16. *num.* 39. Lezana *p. 1. cap. 14. num. 22.* sed Bordon. *resol. 67. num. 78.* ex Bariola *v. Regularis Ordinatus* censet illam excommunicationem non esse latae sententiae, sed ferendae, & hoc ex Pontificali recognito iussu Clem. 8. Et hoc verum est, & sic habetur etiam in Pontificali recognito iussu Vrbani Octaui. Sed etiam si esset latae sententiae non sequeretur, quod ei subderentur Regulares, vt bene probat Cespedes *dub.* 86. Quia illius excommunicationis promulgatio est quid accidentarium potestati ordinis, nec necessarium, quia iura satis per leges obligantes etiam Regulares prouiderunt, ne quis a iure prohibitus ordines suscipiat, vnde non fuit opus ob hanc causam dare Episcopo iurisdictionem in exemptos; nec habetur textus vnde colligatur eam datam fuisse. Vnde Religiosus, qui contra leges delinquit ordines suscipiendo non per Episcopum, sed per proprios Praelatos puniri debet. Neque hoc mirum alicui videri debet, nam ex eo quod Regulares sint subiecti Episcopo in aliquo, non sequitur quod Episcopo sit concessa potestas coercitiua, & quod eos inobedientes possit punire. Vnde cum ex Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. Regulares non possint audire confessiones secularium nisi approbati ab Episcopo; nihilominus eos tales Confessiones audire praesumentes cum non essent approbati non poterat Episcopus punire ex vi Concil. Trid. sed eos punire spectabat ad Praelatus Regulares, prout declarauit San. Congreg. Concilij nona Maij 1597. apud Fagnanum *cap. Sané num.* 25. *de off. deleg.* Vbi quod eadem San. Coug. in Hieracen. 24. Decem. 1613. declarauit quod non Episcopi, sed Praelatorum Regularium erat punire Regulares non obseruantes decretum Concilij de non praedicando in propria Ecclesia sine benedictione, & in alijs sine licentia Episcopi. Et quod nunc ob huiusmodi inobedientiam Episcopus possit punire Regulares est ex speciali *const.* Greg. 15. in Bulla *Inscrutabili*. Licet ergo Regulares sint subiecti Episcopis quantum ad ordines suscipiendos, non per hoc Episcopi habent in Regulares iurisdictionem coercitiuam, vt illos punire possint, & praecipuè per censuras, cum Regulares habeant speciale priuilegium, vt non possint excommunicari. Sed & in casu, quod illa excommunicatio efficeret Regulares, quod nihilominus ab ea, & ab irregularitate incursa suscipiendo ordines in illa excommunicatione possint absoluere Praelati Regulares, & dispensare dicerunt citati Peirin. & Lezana. Qui etiam vult quod pro Regularibus valeat absolutio, & dispensatio data ab Episcopo iuxta Solium á censuris, & irregularitate ad cautelam. Quia haec facultas, & iurisdictio sit illis a Praelatibus Regularibus concessa, ex quo concedunt licentiam recipiendi Ordines, ex hoc enim concedunt ea, sine quibus Ordines non possunt ritè suscipi, ac per consequens etiam facultatem, vt absoluantur, & dispensentur in censuris, & irregularitatibus saltem dubijs, & occultis. Vlterius veró existimat Pasqual. ad Lauretum *par. 1. num.* 330. quod haec absolutio, quam á censuris dat Episcopus ad cautelam valeat etiam pro excommunicatione lata ab eodē Episcopo contra á iure prohibitos accedentes pro ordinibus suspipiendis, quod & voluit Lauretus ibid. sed cum verè illa excommunicatio sit sententiae ferendae non est necesse huiusmodi doctrinas attendere.

907. Secundò Regulares subijciuntur praecepto Episcopi obligantis ad recitandas missas, officia, & alias precationes, quas imponit in ordinatione, quamuis autem Sotus, & Valentia apud Dianam *p. 2. tr. 12.* de horis Canon. putauerint illud esse debitum honestatis, & omittentes peccare venialiter nihilominus Diana ibid. Villal. Suarez, Azor, Layman. Palud. Nauar. Less. quos refert, & sequitur Bonac. de horis Canon. *disp. 1. q. 2. p. 3. num. 2.* & Bordon. *res. 67. num. 79.* volunt hanc omissionem esse peccatum mortale. Et nihilominus dicitur, quod non est necesse asserere, quod hoc praeceptum sit actus iurisdictionis, sed est actus consequens potestatem ordinis, & ex vi illius habitus, vnde non mirum si obligat Regulares, qui quantum ad potestatem ordinis subijciuntur Episcopis.

908. Tertiò videtur, quod Episcopus quantum ad approbandos iurisdictionem habeat, & quod possit eos cogere ad iurandum an ipsi habeant hoc, vel illud requisitum. Nam quod in Concil. 5. Mediolanen. statutum fuerit, quod Regulares antequam promouerentur ad Ordines iurarent se professionem emisisse, aut nullam ratificasse, refert Gauantus *v. ordines maiores num.* 28. apud Bordon. *resol. 67. num.* 77. & approbat Pax Iordan. *l. 3. tit. 6. num.* 26. Sed Episcopos non posse hoc iuramentum praebere vult ibid. Bordon. & Pasqualig. ad Lauretum *p. 1. num.* 477. ait in hoc vsurpari, & violari iurisdictionem Summi Pontificis trahendo subditos ipsius ad subiectionem Ordinarij. Etenim Episcopi non habent ius interrogandi Regulares nisi de doctrina, ex decreto Clem. 8. quod neque est actus iurisdictionis. Cum ergo iuramentum non possit legitime deferri nisi à proprio iudice, cum sit actus iurisdictionis Panorm. *cap. si quis testium*, de testibus Episcopus, cum non habeat in eos iurisdictionem, non potest Regularibus deferre iuramentum de eorum professione. Et si dicatur non deferri ex iurisdictione, sed velut ex conuentione, quia cum Episcopi sit ordines conferre, potest eos nolle conferre nisi sub conditione iuramenti, licet verum sit quod exigere iuramentum non est semper actus iurisdictionis, quia & contrahentes iuramenta exigunt, & sic Episcopus posset sine iurisdictione exigere á Regularibus iuramentum de aliquo ad ordines requisito. Tamen hic aliud obstat, quia nimirum non debet Episcopus grauare Regulares sub conditione conferendi ordines, quos eis conferre tenetur habentibus legitimas dimissorias á suis superioribus, qui suos tanquam

sui

sui ordinis professos petunt ordinari. Quod maxime verum est circa professionem, cum superiorum Regularium sit suos professos cognoscere, & ad hue, vt aliquis habeat ius, vt admittatur ad ordines in foro externo sufficiat, quod Religiosus sit professus in facie Ecclesiæ. Et sic professo non possunt ab Ordinario ordines negari si habeat alia requisita. Nec habet Episcopus vnde regulariter præsumat Regulares accedentes ad ordines non esse verè professos, sed eos tales habere debet qualem habitum portant. Vbi tamen Episcopus haberet rationabile dubium de professione alicuius posset, & teneretur verificare professionem. Sed tamen etiam tunc forsan non sufficeret iuramentum ordinandi.

909. An verò non obstante protestatione illa, qua Episcopus protestatur se nolle ordinare non examinatos, & approbatos, nihilominus si aliquis non approbatus accedat, & ordinetur sit validè ordinatus, Negat Lauretus de Fraochis, p. 1. de Regularium Ordinatione q. 28. Sed oppositum dixerunt, Victoria de Sacram. tit. *de baptis. num.* 34. Suarez *disp.* 13. de Sacram. *sec.* 3. circa conclus. 4. Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 18. *num.* 11. Bonac. *disp.* 2. de Sacram. *q.* 2 *p.* 4. *num.* 16. & Layman, Coninch, Graνad. Portel. Præpositus, Lezana, quos refert, & sequitur Pasqual. ad Laurerum *p.* 1. *num.* 328. Factum enim est contra vagam illam protestationem, quia Episcopus circa singulos accedentes intendit facere, quod facit Ecclesia, & sic actu practico valido, & efficaci vnumquemque illorum ordinat. Addit verò Pasqual. quod deberent Episcopi abstinere ab hac protestatione, ne scrupulos generarent circa validitatem Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Regulares subijciuntur Episcopis quantum ad recipiendum sacra olea. n.* 910. 911.
2 *Oleum sacrum triplex. n.* 910.
3 *Parochis omnia Olea Sancta tribui debent. numer.* 911.
4 *Regularibus Diœcesani tenentur dare gratis oleum infirmorum. n.* 911.
5 *Quando Regulares teneantur olea sacra recipere à Diœcesano. n.* 912.
6 *Oleo benedicto potest non benedictum admisceri. num.* 913.
7 *Missionarij possunt vti oleo veteri. n.* 913.

910. Ad potestatem ordinis etiam spectat Oleum Sanctum conficere, & in hoc Regulares subijciuntur Episcopis, quod Oleum Sanctum ab eis tenentur accipere. Ve verò aduertit Syluest. *v. oleum*, triplex est Oleum Sanctum. Primum & principale dicitur Sanctum Chrisma, quod de oleo, & balsamo conficitur, quo benedicuntur Fontes Baptismales, & Calix, & Patena, Ecclesia, Altare, & puer baptizatus in vertice, & in fronte, & Episcopi quando consecrantur in manibus, & in capite, & omnes fideles dum chrismantur, quod quidem oleum annuatim consecrandum est, & innouandum *cap. si quis de alia de consecr. dist.* 4. & peccatum est vti alio, quam nouo, vt ibi. Secundum est oleum Cathecumenorum, quod dicitur oleum benedictum, siue Sanctum, quo iounguntur baptizandi inter scapulas, & in pectore, & Sacerdotes in manibus, cum ordinantur, & Reges in brachio, & humero, & Ecclesia, & altare ante chrismationem. Tertium est oleum infirmorum, quo inunguntur infirmi in extrema Vnctione, vt *cap. vnico, de sacr. vnct.* Primum solum in die Cœnæ potest confici, *cap. omni temp. de consec. d.* 4. & *cap. quoniam de sent. excom. in* 6. Debent verò Episcopi singulo anno conficere huiusmodi olea, & suis Presbyteris distribuere, crematis veteribus, & non licet veteribus vti postquam noua sunt consecrata, vt declarauit S. Cong. Rit. in Curien. 21. Aug. 1604. & in Naxien. 12. Martij 1606. apud Barbosam *in sum. v. oleum sanctum nu.* 5. Pax Iordan. *l.* 3. *tit.* 5. *n.* 13.

911. Huiusmodi verò olea ab Episcopis recipere debent Regulares Episcoporum enim est huiusmodi olea benedicere, & conficere. Et ideò Regulares ea ab Episcopis tenentur accipere *cap. Veniens de præscrip.* vbi Panorm. *num.* 2. Barbosa *de pos. Epis. alleg.* 31. *num.* 20. Cespedes *d.* 152. Lezana *p.* 4 *v. Oleum sanctum num.* 3. Est verò distinguendum inter Regulares Parochos, & non Parochos. Quia Parochis omnia illa tria olea competunt, quia omnibus illis vtuntur, vel in Baptismo, vel in extrema vnctione, sed vbi Regulares non sunt Parochi solum oleum infirmorum tribuendum est pro Regularium vsu. Hoc enim oleum conseruare possunt pro ipsorum vsu in suis Ecclesijs, neque Episcopi hoc impedire possunt, vt declarauit S. Congreg. Epis. & Regul. in Aesina 13. Iulij 1589. apud Lucernam Regul. *v. Oleum sanctum*, & Barbosam *eod. ver. num.* 3. Quamobrem hoc oleum Regularibus debent Diœcesani pro illorum vsu. Tum quia Prælati Regularium sunt veluti Parochi suorum subditorum, & ideò illis, sicuti cæteris Parochis distribui debet oleũ infirmorum, tum ex *d. cap. Veniens de præscrip.* Si enim Regulares subijciuntur Episcopis quantum ad receptionem Oleorum sanctorum, & in Episcopis est debitum illa ministrandi Cum enim illorum vsus sit necessarius, tenentur Episcopi huiusmodi olea distribuere suis Presbyteris iuxta declarationem S. Cong. Rit. 7. Sept. 1601. apud Barbosam *v. Oleum sanctum num.* 6. In hac autem parte Presbyteri Episcopi dicuntur omnes illi, qui Episcopo subijciuntur, vt ab eo ista recipiant. Et quia correlatiua sunt petere, & dare, & ideò vbi rem ad vsum necessarium, quis tenetur ab aliquo petere, ex hoc alius tenetur concedere. Specialiter verò pro Carmelitis Clem. 8. in Bulla, *Exponi nobis*, 57. præcepit Episcopis, vt Oleum sanctum infirmorum pro illorum vsu promptè, ac liberaliter exhiberi faciant. Nam & hoc est necessarium, vt huiusmodi Olea gratis dentur; & ita vt nec spontè oblatum pro illis accipiatur *cap. ea quæ, de Simon.* Vnde qui de eorum, qui præpositi sunt ad huiusmodi Olea distribuenda tolli debeat consuetudo, qua nolunt ea dare, nisi noua, aut aliquid aliud eis tribuatur, dixerunt Fulc. & Vgol. apud Barbosam *all.* 31. *num.* 21 & Lezana *v. Oleum* san-

sanctum num. 3. Cespedes d. 152 n. 4.

912. An verò teneantur Regulares huiusmodi olea petere à Diœcesano, respondetur ad id teneri de iure communi, nisi Episcopus absit, aut sedes vacet, in hoc enim casu proximus Episcopus adiri potest pro eis accipiendis Barbola d. *all.* 31. *num.* 19. ex Gloss. & Vgol. Lezana *v. oleum sanctum num.* 4. Cespedes *dub.* 152. *num.* 7. Sed ex priuilegio Regulares ad id non teneri, sed posse à quocumque Episcopo recipere oleum sanctum, quia hoc ab Vrbano Tertio in Bulla *cum anteceßor.* 1. concessum fuerit Cruciferis, & per communicationem reliquis, docent Lezana *d. num.* 4. Cespedes *d. dub.* 152. *num.* 6. Priuilegij verò huius mentionem faciunt, etiam Barbosa *ad cap.* 1. *seß.* 14. Concil. Trid. *de extr. vnc. num.* 8. & Lucerna Regul. *v. oleum sanctum n.* 1.

913. Debet autem oleum sanctum tribui in tanta quantitate, vt sufficere possit pro toto anno, cum solum semel in anno huiusmodi olea conficiantur. Quamuis si quantitas olei sancti recepti non sufficiat, possit oleo confecrato aliud non consecratum admisceri, & totum remaneat consecratum, si quod additur sit in minori quantitari, prout aduerterunt D. T. 4. *d.* 23. *q.* 1. *a.* 3. & ibi Sotus, & ex Pitigiano, Barthol. ab Angelo, & Posseuino Barbos. *all.* 31. *num.* 17. & ex Naldo, & Candido Pax Iordan. *l.* 3. *tit.* 5. *num.* 14. Lezana vbi supra *num.* 5. & ad Mare Magnum Eremit. *num.* 49. Sed est expresse definitum *in cap. quod in dubijs de consecrat.* Et quamuis Angelus *v. aqua num.* 1. non faciat calum an aqua non benedicta, quæ admisceretur benedictæ sit in minori, vel maiori quantitate, quam sit benedicta, tamen tenendum esse, quod non benedicta debeat esse minoris quantitatis, vt admixtum benedicto totum sit benedictum, affirmat Baliæus *v. benedictio num.* 11. ex Emanuel. à *v. benedictio num.* 1. Eraddit Basilæus *num.* 11. post Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 13. quod hæc mistio non semel tantum, sed pluries fieri potest. Missionarij tamen priuilegium habent, vt oleis veteribus vti possint Rodriquez *p.* 1. *q.* 31. *a.* 5. refert Greg. 13. concessisse, vt in partibus Indiarum Religiosi possint vti oleo, & chrismate antiquis vsque ad quartum annum. Clemens verò Octauus in priuilegio concessoCarmelitis discalceatis Congregationis Italiæ ad partes infideli[um] missis, quod habetur apud Vercell. de Sacris Miss. *tit.* 4. concessit, vt possint *oleis infirmorum sanctis antiquis in supradictis, & infrascriptis muneribus vti si facta diligentia aliud eiusdem anni habere non potuerunt.* Sed hoc puto esse de iure communi, quia melius est sacramentum extremæ vnctionis conferre cum oleo veteri, quam illud omittere, & sine illo fideles decedere. Vercell. de Sacris Miss. *q.* 89. *v. oleum sanctum num.* 222. merito tamen Diana *p.* 10. *tr.* 16. *reß.* 81. reprobauit opinionem Io. Martiuen. de Sacram. *disp.* 65. *sec.* 3. *n.* 6. volentem simplicem Sacerdotem posse oleum infirmorum benedicere ex delegatione Episcopi, aut in necessitate vti oleo non benedicto, cum materia Sacramenti extremæ vnctionis sit oleum ab Episcopo benedictum. Hoc propterea seruandum est vt vetus oleum non comburatur nisi accepto nouo.

SVMMARIVM.

1 *Regulares subiecti sunt Episcopo quantum ad consecrationem locorum sacrorum.* n. 914.
2 *Episcopi est consecrare Ecclesias, Cœmeteria, altaria.* n. 914.
3 *Episcopus huiusmodi consecrationem non potest inferiori delegare.* n. 914.
4 *Priuilegium Bonifacij Noni pro Prædicatoribus. numero* 915.
5 *Et Honorij* 4. *pro Minorib.* n. 915.
6 *Et pro Eremitis S. Aug.* n. 916.
7 *Et pro Carmelitis.* n. 91[illegible].
8 *Moderatio Leonis X.* n. 918.
9 *Decretum Conc. Trid.* n. 919.
10 *Opiniones* [illegible] n. 9[illegible]
11 *Priuilegia præfata sunt reuocata.* n. 921.
12 *Dispositio Leonis X. non est priuilegium, sed lex communis.* n. 921.
13 *Benedicere Ecclesias, Cœmeteria &c. est proprium Episcoporum.* n. 922.
14 *Potest à Pontifice alijs communicari.* n. 922.
15 *Data facultas Episcopis eam delegandi. nu.* 922.
16 *Concessa sæpius etiam inferioribus.* n. 922.
17 *Regulares Prælati suas Ecclesias benedicere possunt.* n. 923.
18 *Priuilegium Leonis X. pro minimis. numero* 923.
19 *Prælati Regulares solemniter possunt Ecclesias benedicere.* n. 924.
20 *Non tamen alienas.* n. 925.
21 *Nec omnes superiores, sed Prælati Ordinarij etiam locale[s].* n. [9]25.
22 *Prælati Regulares possunt benedicere corporalia, paramenta.* n. 926.
23 *Deuersa priuilegia.* n. 926.
24 *Ex vi illorum Vicarij in absentia Prælati locales non possunt benedicere corporalia &c. numero* 927.
25 *Priuilegium Innoc.* 8. *incertum.* n. 927.
26 *Alia priuilegia incerta.* n. 928.
27 *Regulares non possunt benedicere corporalia &c. ad vsum aliorum.* n. 928.
28 *Prælati Regulares non possunt delegare facultatem benedicendi corporalia &c.* n. 929.
29 *Missionariorum priuilegia.* n. 930.
30 *Prælati Regulares Ecclesias pollutas possunt benedicere.* n. 931.
31 *Episcopi est pollutas Ecclesias consecratas reconciliare.* n. 931.
32 *Multa priuilegia.* n. 9[illegible]
33 *Requiritur aqua benedicta ab Episcopo. numero* 93[illegible].
34 *A quo Episcopo debeat esse benedicta. numero* 934.
35 *D[illegible]* n. 934.
36 [illegible] *erat consecrata eam reconciliare potest simplex Sacerdotes. numero* 935.
37 *D[illegible]* n. 936.
38 *Priuil[illegible] concessa Abba[illegible] ex vi communicationis priuil[illegible] n[illegible] competunt al[illegible]* n. 937.

914. Tertiò Regulares subijciuntur Episcopo quantum ad consecrationem sacrorum locorum *cap. Veniens, de præscrip.* Est verò triplex consecratio, scilicet Cœmeterij altaris, & Ecclesiæ; Ecclesiæ autem consecratio à solo Episcopo fieri potest *c. Nemo, de consec. d.* 1. D.T. 3. *p.q.* 82. *a.* 1. *ad* 3. & à solo Episcopo proprio fieri debet, & non ab alieno nisi de licentia Episcopi, quia alienus Episcopus extra suam diœcesim Pontificalia non potest exercere, Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. Et ideò Episcopus Ecclesiam alterius Diœcesis non potest consecrare *cap. Vna fraternitas, de consecrat. eccl.* Et hoc est verum etiam si Episcopus in aliena Diœcesi fundauerit Ecclesiam. Nam & hanc consecrare ad Diœcesanum spectat *cap. Pia mentis, & seq.* 16. *q.* 7. & Episcopus Ecclesiæ consecrationem non potest delegare, nisi alteri Episcopo, *cap. Aqua, de consecr.* Eccl. Vbi Greg. 9. prohibet hoc delegari simplicibus Sacerdotibus, & consuetudinem id faciendi in Diœces. Bracharen. tanquam coruptelam abrogat. ex quo Canonistæ colligunt, quod ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis non potest Episcopus delegare. Eodem verò modo, & Cœmeterium à solo Episcopo consecratur, benedicitur, & reconciliatur sicut Ecclesia, Syluest. *v. cœmeterium* Hostien. *in sum. de consecrat. Eccles. nu.* 9. Barbosa *de off. Episc. all.* 27. *num.* 29. Lezana *v. Cœmeterium num.* 1. & cæteri communiter. Sed, & altare consecratur a solo Episcopo *cap. nullus Presbyter, & cap. Concedimus de consecrat. dist.* 1. Et quod Episcopus facultatem consecrandi Altaria nulli inferiori possit delegare ex Azor. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 13. & Loter. *q.* 30. *num.* 22. docet Barbosa *d. alleg.* 27. *num.* 23. Vnde est, quod quantum ad hæc Regulares Episcopis subijciuntur.

915. Circa huiusmodi verò Ecclesiarum, aut Cœmeteriorum, vel altarium consecrationem, plura priuilegia fuerunt Regularibus concessa, quæ tamen sunt ex parte reuocata. Bonifacius Nonus in Bulla *Sacræ Religionis* data V. Cal. Maij Pontificatus 13. quæ habetur in Bull. Ord. Præd. *fol.* 92. inter alia eidem ordini concessit, quod. *Si forsan Diœcesani locorum super hoc requisiti infra quatuor mensium spacium id facere recusauerint, vel (quod absit) eosdem fratres, aut alias indebite grauare præsumpserint ex tunc prædicti fratres, eorum Ecclesias Cœmiteria, oratoria altaria à quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam & communionem præfatæ sedis habente, consecrari, & benedici, ac primum lapidem inibi poni facere, quoties fuerit opportunum, vlteriori licentia Diœcesanorum huiusmodi super his minime requisita.* Consimile verò priuilegium concessum fuisse minoribus per Honorium quartum refert Casarub. *v. Altare num.* 2.

916. Sed ampliorem gratiam concessit Iulius secundus minimis *in constit. Dum ad Sacrum Ordinem,* quæ habetur in Bull. Ord. Præd. *fol.* 18. & in Petr. *tom.* 1. est prima huius Pontif. & fuit data anno 1506. quinto Cal. Aug. Pontif. 3. vbi §. 21. & 22. Sic dicitur, *Quodque ordinis Minimorum huiusmodi fratres tunc, & pro tempore existentes prædictam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Villoria, & generaliter omnes alias, & singulas eiusdem ordinis Minimorum Ecclesias, & Oratoria quæcumque recepta, & recipienda nondum consecratas, seu consecrata, facta prius requisitione ab Episcopis locorum eisque recusantibus, vel negligentibus, per quemlibet alium catholicum Episcopum gratiam, & concessionem dictæ Sedis habentem consecrari facere. Atque ipsius ordinis minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vicegerentes, omnes & singulas ordinis minimorum Ecclesias, Cæmiteria, Capitula, & Oratoria, tam in dicta diœcesi Hyspalensi quam vbicunque receptas seu recepta, & recipiendas seu recipienda, solemni benedictione benedicere, ac etiam illas seu illa, & illorum quodlibet sanguinis siue seminis effusione, siue alias quomodocumque pollutas seu polluta, quotiens opus foret (aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, vt moris est, benedicta) reconciliare.* Sed et Eremitis S. Aug. ita concessum fuit in eorum Mari Magno apud Lezanam §. 17. *Pro consecrationibus verò altarium seu Ecclesiarum, pro Oleo Sancto, & quolibet Ecclesiastico Sacramento nullus à vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere: sed hæc omnia gratis vobis Episcopi diœcesani impendant, alioquin liceat vobis, quoscumque malueritis, Episcopos Catholicos adire, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes, qui nostra freti authoritate vobis, quod postulatis, impendant.* Et ibid. §. 21. subditur. *Chrisma vero, oleum consecrationem altarium, seu Basilicarum, ordinationes à Diœcesanis suscipiatis Episcopis, siquidem Catholicè, & rite gratiam, & communicationem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere.*

917. Ioannes quoque 22. prout habetur in eorum Mari Magno apud Lezan. §. 24. consimile priuilegium concessit Carmelitis. *Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vt in quibuscumque locis, quæ nunc obtinetis, & in posterum iusto titulo, dante Domino, obtinebitis, si locorum ipsorum Ordinarij à vobis super hoc humiliter requisiti noluerint, aut recusauerint indebite cœmeteria vestra benedicere, seu etiam consecrare, possitis huiusmodi cœmeteria per aliquem Antistitem gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, quoties opus fuerit facere benedici, & etiam consecrari, idemque Antistes huiusmodi cœmeteria authoritate nostra benedicere, & consecrare valeat, sine iuris præiudicio alieni, deuotioni vestræ tenore præsentium indulgemus.* Et in eodem Mari Magno §. 77. Sixtus quartus addidit. *Pro consecrationibus verò altarium, seu Ecclesiarum pro oleo Sanctorum, & quolibet Ecclesiastico Sacramento, nullus à vobis sub obtentu cuiusuis consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere, sed hæc omnia vobis gratis Episcopi Diœcesani, vt tenentur libere, & gratiose impendant, alioquin liceat vobis quoscumque volueritis Catholicos adire Antistites gratiam & communionem Apost. Sedis habentes, qui Apost. freti authoritate vobis, quod postulatis impendant. Qui si se-*

des

des Diœcesanorum Episcoporum forte vacauerit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta a vicinis Episcopis, liberè, & absque contradictione suscipere possitis, sic tamen, vt ex hoc in posterum proprijs Episcopis nullum præiudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quos Episcopos Romanæ Sedis, vt diximus, communionem, & gratiam habentes, & de quibus plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eis benedictionem vasorum, & vestium, & consecrationem altarium, auth. Sedis Apost. recipere valeatis. Crisma verò, Oleum sanctum, consecrationem altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesani suscipietis Episcopis, si quidem Catholicè, & ritè gratiam, & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerint, & ea vobis voluerint sine prauitate aliqua exhibere.

918. Sed huiusmodi priuilegia moderatus fuit Leo Decimus in Concil. Lateranen. seu in constit. *sua* 22. §. 12. ita decernens. *Nec non ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel altaris, aut cœmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesijs per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi vbi Ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia, & instantia requisitus, sine legitima causa id recusauerit.*

919. Sed & Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. *de reformatione*, sequens edidit decretum. *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.*

920. Quæritur autem primò, an per decretum hoc Concil. Trident. reuocata sint omninò prærecitata priuilegia? Cespedes *dub.* 90. *num.* 7. arbitratur quod in hoc Concilij decreto abrogentur priuilegia concessa Episcopis, non verò priuilegia concessa Regularibus, ex quorum vi vult quod Episcopi hospites in Monasterijs Regularium possint sine licentia Diœcesani Pontificalia exercere, & conferre Ordines saltem Diœcesano ordinationes non habente. Rodriquez verò *p.* 1. *q.* 19. *a.* 4. admittens per Concilium Tridentinum reuocata esse priuilegia supra recensita, nihilominus arbitratur quod etiam nunc Trid. non obstante Prælati Regulares in terminis *const.* Leonis Decimi possint per quemcumque Episcopum alias non impeditum consecrari facere suas Ecclesias, ex eo quod decretum Leonis Decimi sit conforme iuri communi *cap.* 1. *de supplend. negl. Prælatorum*, & *cap. Nihil est vlt. de elect.* Sed Miranda præmissis recensitis priuilegijs Innocentij 4. pro Minoribus, & Io. 22. pro Carmelitis, ait ea non esse reuocata, quia non censentur priuilegia sed ius commune, *ex cap.* 1. *de suppl. neglig. Pr*[illegible]*l.* & *cap. Nihil est. vlt. de electi.* Idem tenuit [illegible] ambur. *t.* 1. *disp.* 23. *q.* 8. *n.* 3. Barbosa *de pot. Epis. all.* 27. *num.* 11. Portell. *v. benedicere. num.* 4. le[illegible] Lezana *v. Ecclesia. num.* 5. & 6. admitt[illegible]as Rodriq. & Mirandæ in casu necessitatis quamuis ex Peyrin. *ad const. primam Iuli* 2 *num* [illegible]. aduertat vix contingere posse casum [illegible] quia non est necesse Ecclesias esse consecratas [illegible]d

sufficit esse benedictas, quod per Prælatos [illegible] lar[illegible] fieri pote[illegible]

921. Existimo priuilegia Reg[illegible] in hac parte reuocata esse per Concilium Tri[illegible], qui quidem prohibet Episcopis exercere [illegible] Pontificalia sub [illegible] priuilegij prætextu, & dictio cuiusuis vniuersalissime distribuit pro quocumq; priuilegio. Non sufficit verò, quod priuilegia sint conformia iuri communi, vt non sint reuocata, si alias non per hoc desinunt esse priuilegia. Casus verò necessitatis si daretur nec exc[illegible]aret, nisi esset tantus, ac talis, vt intraret ep[illegible], per quam benignè lex posset interpretari. Et nihilominus existimo verum esse quod dixit Rodriq. & quod adhuc vigeat lex Leonis X. quia illa non continet priuilegium, sed reuocat priuilegia, & quantum ad id, quod concedit non est priuilegium, sed lex disponens [illegible] quod nedum est conforme iuri communi contexto in citatis *capit.* sed quod exigit ius naturale, & diuinum, quia vbi conueniat Ecclesias Regularium consecrari, non potest Episcopus sine causa negare consecrationem, maximè vbi cum reuerentia, & humili instantia non semel, sed bis, & ter fuerit requisitus, ideò dispositio Leonis X. continet explicationem, & determinationem iuris naturalis & diuini, & est propriè lex, non verò priuilegium; & ideò non continetur sub reuocatione priuilegiorum. Quamuis non sit multum laborandum in asserendis huiusmodi concessionibus, quæ complementum habent per Episcopos, qui vbi [illegible] & aliter de re sentiant priuilegium etiam alias versissimum non habet efficaciam.

922. Quæritur secundò, an *Prælati Regulares* possit solemniter benedicere Ecclesias proprias cœmeteria, & altaria? Benedictio Ecclesiarum, altarium, paramentorum, & similium, quæ ad Dei cultum pertinent non est actus iurisdictionis, sed ordinis, [illegible] vt ex Panorm. *cap. Aqua, de consec. Eccles.* habet Syluest. *v. benedictio num.* 3. huiusmodi benedictio consistit in quadam forma ab Ecclesia tradita, & non in nuda operantis voluntate. Cuius signum est, quod benedicere huiusmodi res non competit Episcopis confirmatis, & non consecratis, quibus tamen competunt ea, quæ sunt iurisdictionis. Vnde quod Episcopus non consecratus non possit benedicere vasa sacra, & [illegible] in quibus adhibetur sacra vnctio determinauit S. Congr. Rituum apud Barbosam *in sum. v.* [illegible] *opus potest. num.* 3. Quia tamen huiusmodi benedictiones in quibus non est vsus Chrismatis [illegible] o de iure diuino sed ex instituto Ecclesiæ [illegible] propriæ Episcopalis officij, nō ita Episcopis [illegible] m conueniunt, quin ex concessione Sum[illegible] Pontificis imò & præscriptione possint a[illegible] competere. Syluest. loco citato. Suarez *t.* 4 *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *cap.* 30. *num.* 1. & 4. Lezana *v. benedicere num.* [illegible] Quamobrem Episcopus ipse ex concessione Summi Pontificis huiusmodi benedictione potest inferioribus delegare. Sic enim, qu[illegible] personis [illegible] dignitate constitutis possit Episcopus delegare benedictionem paramentorum, & al[illegible] viu Ecclesiarum, dunmodo non sit adhibenda sacra vnctio [illegible] m fuisse per [illegible] A[illegible]cam, seu Sacrum Rit. *congreg.* [illegible] Barbosa *v. benedicere num.* 13. & *v.* *Epi-*

Episcopus potest *num.* 5. & in specie quod Episcopus Sacerdoti sibi benè viso possit delegare benedictionem Ecclesiæ existentis in agro, ex declaratione eiusdem S. Congr. tradit idem Barbosa *v. benedicere. num.* 19. *& v. Episcopus potest. n.* 6. Et tamen puto circa hæc aduertendum, non constare an huiusmodi concessiones fuerint vniuersales, & per modum legis perpetuæ. Nec iudicandum est esse tales, quia si tales essent fuissent publicatæ iuxta stylum Curiæ. Fuerunt vero concessiones particulares, & personales datæ in particularibus casibus. Cum quo stat quod Episcopus auctoritate propria non potest huiusmodi benedictiones delegare non Episcopis. Quamuis per Sacram Congreg. pluries Episcopis non residentibus concessum fuerit, vt huiusmodi benedictiones delegare possent. Quod & de facto concessum fuit diuersis Abbatibus, & Decanis per Sac. Congreg. Rit. vt videre est apud Lucernam *Regular. v. benedicere num.* 1. & Barbosam *eod. verbo. num.* 15. & aduertunt *com. DD.*

923. Et quidem quod etiam Prælati Regularium possint benedicere suas Ecclesias, Cœmeteria, Altaria, & Oratoria, habetur nedum ex priuilegio Iulij 2. concesso Minimis, & supra *nu.* 916. recensito, sed etiam ex priuilegio Leonis Decimi concesso Minoribus Obseruantiæ in Bulla quæ incipit *Religionis suadet honestas*, data anno 1514. 3. Februar. & habetur per extensum apud Peyr. *tom.* 1. inter Bullas Leonis 10. sub *num.* 18. & habetur etiam in Bull. Prædicat. *fol.* 232. Et in ea sic conceditur. *Nos igitur qui religiosarum personarum vota, per quæ eorum dispendijs obuiatur, ac commodis, & profectibus prouidetur studio charitatis libenter prosequimur, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore existentibus Generalibus, & Prouincialibus, ac Guardianis vestrorum ordinis, & obseruantiæ, vt Ecclesias, Oratoria, & loca quæcumque recepta, & recipienda nondum consacrata seu consacrata (facta prius requisitione ab Episcopo locorum, eisque recusantibus, vel negligentibus) per quemlibet alium catholicum Episcopum (gratiam, & communionem dictæ sedis habentem) consecrari facere. Ac vestri ordinis Generalibus, & Prouincialibus, Vicarijs, & Custodibus, ac Guardianis pro tempore existentibus præfatis vt omnia, & singula eiusdem ordinis, & obseruantiæ Ecclesias, Cimiteria, & Capitula, & Oratoria vbicunque existentia recepta, & recepta, recipiendas, seu recipiendas ac paramenta, & ornamenta ac alia quæcumque ad diuinum cultum, & vsum vestrum necessaria in quibus Crisma non interuenit, pro vestro vsu tantum solemni benedictione, ac etiam per Vicarium seu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in vestris capitulis generalibus prouide deputandos benedicere. Ac illos, seu illa, & eorum quodlibet, sanguinis, seu seminis effusione, seu alios quomodolibet pollutas seu polluta, quoties opus fuerit aqua per vos (præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poteritis) benedicta reconciliare liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

924. Ex quibus priuilegijs satis est manifestum Prælatos regulares, & nedum Generales, aut Prouinciales, sed etiam Prælatos locales posse huiusmodi Ecclesias solemniter benedicere. Aduertit verò Sorbus *v. benedicere*, & ex eo Lezana *v. Ecclesia, num.* 7. quod benedictio solemnis est illa, quæ fit cum illa solemnitate. *Adiutorium nostrum &c.* & *Sit nomen Domini benedictum*. De quo tamen habeo difficultatem, quia modus hoc benedicendi Episcopalis est, & in Rituali Romano *pag. mihi* 101. vbi habetur ritus benedicendi Ecclesiam nouam, talis modus benedictionis non continetur. Et in priuilegijs habetur quidem quod Prælati Regulares possunt solemniter benedicere Ecclesias, sed non per hoc videtur concessum, quod Prælati benedicant populo, cum illa solemnitate *Adiutorium, &c.* Et erit solemnis benedictio Ecclesiæ si fiat iuxta rubricas Ritualis, & cum solemnitatibus in eo institutis. Et non conceditur Regularibus consecrare Ecclesias, vnde nec eis licet vti solemnitate, quæ pro dedicatione, & consecratione Ecclesiæ descripta est in Pontificali, sed ea quæ pro benedictione habetur in Rituali, vbi nihil habetur de solemni illa populi benedictione.

925. Est etiam hæc benedicendi facultas restricta, vt nullus Prælatus possit secularium, vel aliorum Ordinum Ecclesias benedicere, sed solum Ecclesias sui Ordinis. Et quia Superiores, aut Vicarij, aut Præsidentes, qui in vacantia Prioratus, aut Guardianatus præsunt, sunt Ordinarij Superiores, & habent principale regimen Conuentuum, ideò illis quoque hæc facultas competit. Quam tamen non credo competere Vicarijs, qui in absentia Prælatorum localium Conuentus regunt, hi enim nec Prælati sunt, nec habent nisi delegatam auctoritatem, & subordinatam Prælato locali, quorum sunt Vicarij, vel Ministri. Si tamen Prouincialis ipse mittat vel constituat aliquem Præsidentem Conuentus in absentia Prælati localis cum omni auctoritate Prælati, forsan poterit tanquam Vicarius Prouincialis præfata præstare Prælati igitur etiam locales, qui habent principalem, & ordinariam potestatem super Conuentibus possunt proprias Ecclesias, Cœmeterias, altaria, & oratoria solemniter benedicere, vt traduot Rodriq. *p.* 1. *q.* 19. *a.* 2. Mirand. *p.* 2. *q.* 39. *a.* 1. *concl.* 3. Tambur. *t.* 1. *disp.* 23. *q.* 9. *num.* 3. Bassæus *v. Benedictio num.* 7. Portell. *v. Benedicere. num.* 1.

926. Hinc sequitur, quod Prælati Regulares etiam locales possunt benedicere paramenta, corporalia, & alia ad cultum Dei necessaria, quæ benedictione indigent, & in quorum benedictione non interuenit sacra vnctio. Quod habetur nedum ex supra recensito priuilegio Leonis X. pro Minoribus Obseruantiæ, sed etiam ex Bulla Iulij 2. pro Eremitis Aug. quæ incipit. *Et si ad bene merendum*, datar 7. Iunij 1508. & habetur in Bullar. *d. Ordin. sub nu* 3. & in Bullar. Ord. Præd. *fol.* 248. In ea enim §. 6. sic habetur. *Dedimus præterea tibi potestatem sacrandi, benedicendique corporalia, & ea, quæ sacris vsibus necessaria sunt. Quo quidem munere, tam te, quam qua qui pro tempore erunt, aut Generalis, aut Vicarius fungi posse decernimus*, & vlterius Iulius 2. in citata Bulla *Dũ ad Sacrũ Minimorum*, quæ apud Peyrinum *est prima in* §. 19. sic concessit. *Quodque Generalis, nec non Prouinciales, & eorum Vicarij eiusdem Ordinis Minimorum*

morum, corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica suorum locorum, ac domorum, prater calices, & patenas, benedicere valerent, concessimus, statuimus, & ordinauimus. Rodriquez etiam *p.1.q.19.a.2.* ex Casarub. Capucin. & Collect. *priuileg. Cisterc.* refert Innocentium Octauum concessisse Ordini Cisterciensium Prioribus, & Vicarijs in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiuscumque Monasterij posse benedicere corporalia, vestimenta, coeteraq; ornamenta Ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia tam sui Monasterij, quam etiam vndecumque sint, & Sorbus ibi hoc priuilegium ex *Compend. priuileg. ord.* S. Hieron. refert, vt concessum ab Innoc. 8. Congregat. S. Iustinæ de anno 1487. Sed ex Bullar. Cassinen. video quod hæc facultas benedicendi paramenta *in const. 22. num. 10.* eiusdem Bullar. fuit per Innoc. 3. concessa Abbati Monasterij S. Pauli Romæ, & *in const. 25.* eidem Abbati per Honorium Tertium. Et eidem Abbati *in const. 39. num. 10.* per Greg. 9. & Abbati Monast. Sublacen. *in const. 36.* per Alex. 4. Et Abbati Abbatiæ Florentinæ *in const. 96.* per Sixtum Quartum. Vbi expresse quod posset benedicere corporalia, & paramenta vndecumque transmissa, cum ille Abbas prætenderet se hanc facultatem præscripsisse, & pro Monast. Sublacen. & Specus, *in const. 106.* ab Alex. 6. Et pro tota Congreg. Cassinen. *in const. 156.* a Paulo 3. Sed inter *constit.* Innoc. 8. ibi relatas nulla est, in qua huiusmodi concessio legatur. Pro Fratribus autem Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorum Prouinciarum Galliæ, & Franciæ Greg. 13. *in sua Const. exposcit* 31. in Bullar. Rom. concessit Vicarijs Generalibus, & Prouincialibus, & Ministris, vt huiusmodi vtensilia sacra benedicere possent iuxta tenorem licentiæ, quæ prius fuerat eiusdẽ Ord. Hispaniarũ Superioribus concessa. Pium autem Quintum hoc idem concessisse Hieronym. Hispaniæ, & *cõpend. priuileg. dicti ord.* refert Sorbus *v. Benedicere.* Priuilegij quoque Innoc. 8. vt concessi Congreg. Cassinen. meminit Tambur. *t. 1. d. xx. qu. x. num. 1.* qui ibi & *q. 3. num. 2. recen.* & aliud Priuilegium concessum Abbati Cisterc. & quatuor Coabbatibus, vt paramenta corporalia, &c. tam propria quam aliena benedicere possent. Quod adhuc durare testatur idem Tambur. *num. 4.*

927. Sunt verò circa huiusmodi priuilegium aliqua aduertenda. Primum est, quod hæc facultas benedicendi vniuersalis quoad res benedicendas, cum se extendat etiam ad corporalia, & ad quæcumque deseruientia ad cultum diuinum, in quorum benedictione non admiscetur sacra Vnctio, est quoque vniuersalis quantum ad Prælatos, quibus est concessa, cum se extendat etiam ad Prælatos locales, imò ad Vicarios. Non quidem ex vi omnium priuilegiorum, quia Iulius 2. solum Generali Eremitarum S. Aug. & eius Vicario hanc facultatem concessit. Refert verò Casarub. *v. Benedicere. num. 8.* Innocentium Octauum concessisse quibusdam Congregationibus Augustin. vt Ecclesiæ ornamenta etiam corporalia benedicere possent Vicarij Generales earum, & Visitatores. Pro Minimis autem Iulius Secundus hanc facultatem, eam dedit solum pro Generali, Prouincialibus, & eorum Vicarijs, vt aduertit Peyrinus ad dictam *constitut. num. 44.* Sed concessio Leonis 10. pro Minoribus se extendit etiam ad Prælatos locales. Est autem indubitatum hanc facultatem competere illis Vicarijs, qui in vacantia Prioratus sũt tanquã Prælati ordinarij, & Principales Conuentus, quia isti habent Prælatorum localium auctoritatem, & verè Prælati sunt. Similiter idem possunt ordinarij Superiores paruorum locorum, vt Vicarij Monasteriorum Monialium, qui sunt verè Prælati. Portell. *v. benedicere in add. num. 2.* sed Rodriq. *d. art. 2.* quem sequuntur Portell. *v. benedicere. n. 3.* extendit hoc etiam ad Vicarios, qui in absentia Prælati localis ordinarij præsident Conuentui. Fundatur vero in priuilegio Innoc. 8. à se relato, in quo datur hæc facultas Priori, & Vicario in absentia Prioris. Sed illud priuilegium non est securum, nam nec Rodriq. nec Sorbus, qui illius mentionem faciunt, illud viderunt per extensum ab aliquo relatum, sed ex compendijs illud retulerunt. Et quod magis est, non conueniunt in assignanda Religione cui fuerit concessum. Sorbus illud refert vt concessum Congreg. S. Iustinæ, & vt desumptum ex libro *priuileg. dicti ord. fol.* 132. Et tamen in Bullario dictæ Congreg. S. Iustinæ, seu Cassinen. nulla fit mentio huius priuilegij. Sed Rodriq. illud refert ex Casarub. & *compend. priuilegiorum Cistercien,* & tamen Casarub. *eius priuilegij non meminit. Capuc.* verò eum refert ex *compend. priuileg. Cassinen. seu S. Iustina.* Et neque ex eorum relatione sciri potest an illa concessio fuerit viuæ vocis oraculum, vel solùm compendijs illis illud priuilegium reperiatur, vt concessum immediatè illis Religionibus vel vt sibi communicatum, & ideo forsan non tam in rei veritate, quam ex opinione collectoris insertum. Vnde ex his fides illius priuilegij minus redditur certa. Eo magis, quod in *constit.* Leonis 10. pro Minoribus, cum Vicarij nominentur inter Prouinciales, & Custodes, attento ordine ab eo seruato nominandi prius maiores officiales, videtur dicendum, quod per Vicarios intelligat Vicarios Prouinciales prout intellexit priuilegium illud Sotus *4. d. 13. q. x. a. 3.* & qui sunt maiores Custodibus, & Guardianis, & quod hæc facultas competat etiam Vicarijs Conuentuum vacante Guardianatu, est quia quidquid sit de nomine Guardiani, vel Vicarij, tales Vicarij Guardiani officium habent, cum sint Principales, & Ordinarij præsides Conuentuum. Peregrinus etiam in *compend. priuileg. Theatinorum,* idem sentit, scilicet, quod etiam Vicarij locorum in absentia Prælati localis possint prælata benedicere, sed se fundat in priuilegio Leonis 10. pro Minoribus, ex quo, vt visum est, hoc non colligitur, mihi igitur videtur dicendum priuilegium illud Innoc. 8. esse incertũ nimis, vt super eo prudens se possit fundare, quantum verò sit ex vi *priuil.* Leonis 10. pro Minoribus, facultatem hanc competere Vicarijs Prouincialium etiam non vacante Prouincialatu, si tamen Prouinciales absint à Prouincia; Nam & hoc illis competit ex vi priuilegij Iulij 2. pro Minimis. Nomine enim Vicarij benè intelligi potest, qui ac si præsidet Prouinciæ tanquam principalis in ea existens. Tanto magis, quod Vicarij Prouinciarum in vacantia Prouincialatus cum

cum sint Ordinarij veniunt etiam sub nomine Prouincialis: Sed tamen hanc facultatem puto non competere Vicarijs Prælatorum localium in sola absentia eorum. Nisi quia ex vi *priuil. Leonis 10.* pro Minoribus, hoc priuilegium competit etiam simplicibus Religiosis, si ad hoc sint electi à Capitulo Generali. Et nihilominus non desunt, qui existiment etiam Sacerdotes simplices posse benedicere paramenta, mulalia, & indumenta sacra exceptis corporalibus, & hoc in virtute cuiusdam priuilegij dati à Sixto Quarto, quod refert Rodriquez in Bullario. Propterea hoc posse fieri in Religione Minorum cui concessum fuit hoc priuilegium dixit summa Rosella, & Syluest. *v. benedictio num. 4.* ex hoc asserit idem posse fieri in Ordine Prædicatorum, in quo id esse in vsu, & practicari dixit se scire Portell. *v. benedicere in add. num. 2.* sed hanc tantam amplitudinem non esse in vsu, neque expedire aduertit Suarez. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. cap. 29. num. 11.* & id non licere in Religione Minorum de obseruantia ex decreto *Capit. Meclinen.* voluit Portell. vbi supra. Verum aduertendum est quod priuilegium illud Sixti Quarti fuit viuæ vocis oraculum, quod modo ex *constit.* Greg. 15. & Vrbani Octaui est reuocatum.

928. Considerandum est secundò, quod aliqui extendunt priuilegium, vt Prælati Regulares possint etiam pro vsu aliarum Ecclesiarum benedicere corporalia, & paramenta. Rodriq. *d. q. 19. a. 2. fin.* Peyrinus loco citato *ad §. 19. const. 1. Iulij 2.* Portell. *v. benedicere. num. 3.* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. cap. 29. num. fin.* Anton. à Spir. S. *tr. 2. disp. 3. num. 133.* Sed oppositum est certum, scilicet, quod Prælati Regulares corporalia, paramenta, & c. nisi pro vsu proprio possunt benedicere. Tum quia non est certum quod vnquam illis hoc fuerit concessum. Quia concessio facta per Sixtum Quartum Abbati Abbatiæ Florentinæ, de qua in *constit. 96. in Bull. Cassinen.* non est communicabilis, cum fuerit ei data supposita præscriptione quam dicebat ille Abbas se habere, vnde nec fuit id ei absolutè concessum, sed in eo statu, & conditione in qua Abbas, & Monasterium erant ante vnde non potest hoc competere etiam per communicationem ijs, qui hanc benedicendi facultatem non præscripserunt. Pariter priuilegium concessum ab Innoc. 8. Abbati Cistercij, & quatuor præcipuis Abbatibus eiusdem Ordinis, quod habetur per extensum apud Rodr. *sub num. 5.* in quo expressè conceditur benedicere huiusmodi etiam pro alijs, qui non sunt eiusdem Ordinis, non est vniuersale, nec communicabile, vt etiam infra probatur. Ibi enim conceditur etiam Ordines conferre etiam Subdiaconatus, & Diaconatus, Calices consecrare, & plura alia facere, quæ Mendicantibus non competunt. Et tamen cum omnia illa vnico contextu, & ex eadem ratione, & motiuo illi Abbati concessa fuerint, vel omnia, vel nulla ex vi præcisa dicti priuilegij communia sunt. Nec obstat, quod aliqua ex illis, vt benedicere paramenta communia sint; quia hoc est verùm, quia specialiter concessa sunt, non ex vi communicationis priuilegiorum. Nam alias cum totum illud priuilegium quantum ad omnia, & singula fuit concessum illi Abbati ex speciali gratia, & ex eodem motiuo, & præcipuè quia Abbas ille ab immemorabili erat in possessione exercendi omnia illa vel illorum magnam partem, non est assignabile vnde illud priuilegium censeatur commune quantum ad vnam partem, & non quantum ad aliam, cum vt infra dicetur sit concessum illi Abbati ex causa in qua non communicant non Abbates. Priuilegium verò Innoc. 8. de quo *num. super.* facta est mentio, non est satis certum, & tutum. Tum secundo, quia S. Congregat. Rit. pluries declarauit oppositum in Cremen. 24. Augusti 1609. & 30. Septem. 1628. & 17. Aug. 1629. vbi fuit abrogata omnis contraria consuetudo, & 13. Martij 1632. his verbis. *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religiosorum Prælati etiam ex Societate Iesu habentes priuilegia benedicendi vestes sacras, cæmeteria, & similia, dicto priuilegio vti non possunt, nisi in ijs rebus, in quibus sacra vnctio non adhibetur, & pro seruitio dumtaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum.* Quarum declarationum mentionem faciunt Gauantus *v. Abbas nu. 29. & 30. & v. benedicere num. 6.* Lucerna *Regularium v. benedicere num. 3.* & Lezana *num. 8.* & Barbosa Abbas *num. 1.* Vbi hoc idem sentiunt. An verò non obstantibus huiusmodi declarationibus si non ex vi priuilegiorum, saltem ex vi consuetudinis possint Prælati Regulares vti hac facultate benedicendi similia vtensilia sacra ad vsum aliorum? Affirmat Tamburinus? Quod enim hæc facultas præscribi possit docet Syluest. *v. benedictio. num. 3.* sed quia dicitur, quod S. Cong. Rit. 17. August. 1629. abrogauit omnem consuetudinem in contrarium, videndum esset an abrogauerit centenariam, aut immemorabilem, & an illud decretum fuerit datum in causa, & pro causa particulari, vel potius fuerit vniuersale, & datum per modum legis, & iuxta stylum curiæ publicatum. Nam alias consuetudo legitima in his præualere debet, & maximè si sit immemorabilis, aut centenaria. Nam & quod in *cap. Aqua, de consec. Eccles.* dicatur quod consuetudo Eccl. siæ Bracaren. vt simplices Sacerdotes reconciliarent Ecclesias vocetur corruptela, ex quo deducunt Canonistæ huiusmodi, quæ sunt Ordinis Episcopalis non posse præscribi. Verum est, quia vt aduertit Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. cap. 30. num. 5.* illa consuetudo erat priuata, quæ non valet contra statutum vniuersale nisi sit ab Ecclesia Romana approbata. Cæterum vt habet Syluest. *v. consecratio. nu. 5.* licet ea quæ de iure diuino sunt ordinis Episcopalis non possint præscribi, tamen præscribi possunt ea, quæ ex Ecclesiæ statuto ad Episcopos spectant, inter quæ sunt huiusmodi benedictiones, & reconciliatio Ecclesiarum.

929. Considerandum est tertiò, quod Prælati Regulares huiusmodi facultatem non possunt delegare inferioribus Sacerdotibus. Et si obiciatur, quod Episcopus eam delegare potest Prælati verò habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Respondetur, quod nec Episcopus ea, quæ sunt ordinis Episcopalis delegare potest, nisi id sibi sit concessum a Sede Apostolica, vt ex Panorm. *cap. aqua, de consec.* habet Syluest. *d. num. 3.* Tabien. *cod. verb. num. 1.* & ex Vgol. *de Episc. cap. 3. 3. nu. 5.* Tambur. *l. 1. d. 22. q. 3. num. 4.* Et S. Rit. Cong. sæpe requisita

quisita ab Episc. & à S. Rom. Eccles. Cardinalibus ob iustas causas in suis Ecclesijs non residentibus pro facultate delegandi, eam concessit, aliquando limitando personas in dignitate constitutas. 14 Nou. 1615. aliquando tempus ad sex menses. 14. Martij 1619. Ita aduertit Gauant. in comment. Rubr. Miss. t. 1. p. 4. tit. 19. num 23. Vnde vbi Episcopi dispẽsant est ex concessione S. Congregationis. Nihilominus tamen in terminis priuilegij Leonis 10. pro Minoribus Capitulum Generale potest ad hoc deputare simplices Sacerdotes. Sed bene aduertit Portell. v. benedicere in add. num. 3. hoc non esse in vsu, nec esse necessarium. Nec his obstare debet, quod facultas concessa per modum priuilegij perpetui dignitati, vel officio censeatur ordinaria, & ideò possit delegari; vt docet Syluest. v. Delegatus q. 8. d. 1. & tradunt quam plures alij. quos refert, & sequitur Sanchez l. 2. de matrim. disp. 40. num. 14. quia hæc regula fallit in ijs, quæ sunt potestatis ordinis, quæ delegari non possunt neq; ab Episcopo, vt probatum est, licet in hoc Episcopus sit Ordinarius. Sic ergo nec Prælati Regulares possunt huiusmodi benedictiones delegare quidquid in contrarium dixerit Anton. à Spir. Sancto tr. 2. disp. 1. num. 336.

930. Pro Regularibus verò existentibus in Indijs, & partibus infidelium sunt speciales concessiones. Innocentius 6. in Bulla Cum hora vndecima, data 10. Cal. Aug. Pont. 11. quæ habetur per extensum apud Vercell. de sacris Miss. tit. 6. Vbi num. 23. sic habet. Si contingat vos aliquo casu nostra alt riola non habere, ac vestes Sacerdotales Altaris pallas corporalia, per eos, qui ex vobis sunt presbyteri (cum necesse vobis fuerit) benedicere, vbi Episcoporum copia non habetur. Huiusmodi verò literæ Apostolicæ datæ fuerunt pro fratribus ad terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, &c Indorum, &c. & ad nationes infidelium Orientis & vbique Terrarum Paulus verò Tertius in Bulla Licet debitum 48. quæ habetur etiam in Bull. Societ. fol. 43. & apud Vercell. vbi supra num 7. concessit vt Generalis Societatis ijs, quos mitteret ad partes infidelium ad Prouincias remotissimas, possit concedere, vt vestes Sacerdotales pal as corporalia. calices, altaria, cœmeteria (si Episcopus qui ea faciat Catholicus ibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint. Sed & Clemens Octauus Carmelitis Discalceatis Congregationis Italicæ à Præposito Generali missis ad partes infidelium, in sua constitut. Dominici gregis, data 14. Iulij 1604. apud Vercell. vbi supra num. 9. concessit, vt possint indumenta, paramenta, corporalia, & vasa Ecclesiastica, non tamen ea, in quibus sacra vnctio adhibetur, pro eorum, & aliorum Sacerdotum in illis partibus existentium vsu quæcumque benedicere. Prius quoque Greg. Nonum Minoribus concessisse, quod Fratres presbyteri in terris infidelium existentes, possint vestes Sacerdotales, altaris pallia, & corporalia (cum necesse eis fuerit) benedicere vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, refert Calatub. v. benedicere. num. 2. Postea autem Adrian. 6. vt refert Rodriq. t. 1. q. 19. a. 3. & ex Thoma a Iesu Maria de conuers. gent. in fin. in compend. priuil. v. benedicere, Vercell. vbi supra q. 98. §. 6. v. benedicere num. 18. concesserat quod Prouinciales in terris infidelium remotissimis a Sede Apostolica, aut si Episcopus sit in aliena Prouincia, etiam si non distet per duas diœtas possint prælata sacra vtensilia benedicere. Quod verò Prouinciales possint hanc facultatem delegare Regularibus Sacerdotibus suis subditis ex Veracruz, & Thoma à Iesu Maria affirmat ibi Vercell. d. num. 28. Idem quoque senserat Rodriquez t. 1. q. 19. a. 3. Addens priuilegium Leonis 10. idem concedentis non habere tot limitationes, & ad eius vsum sufficere si Episcopus non sit in Prouincia, ideoque in vacantia Episcopatus esse locum vtendi huiusmodi priuilegio, quod etiam fieri posse putat si Episcopus distet vltra duas diætas. Verum non video quale fundamentum possit fieri in priuilegio Leon. 10. cum fuerit personale, & concessum Fratribus Io. Clapion, & Francisco de Angelis Minoribus, nec constat, quod fuerit vnquam alijs communicatum neque hoc probant, quæ affert Vercell. q. 96. & non futile perpetuum aduertit apud eundem Vercell. Thomas à Iesu Maria de conuers. gent. lib. 12. in compend. priuil verb. confirmatio, . scholio ad dictam Bullam. Priuilegio verò Adriani Sexti licebit vti pro ea parte in qua non fuerit reuocatum, & in terminis eius. Quod quia non vidi in proprio eius tenore expressum, de eo non possum aliud dicere. Alia verò priuilegia Innoc. 6. Pauli Tertij, & Clem. 8 vigent, eisque in eorum terminis vti licet. Potest verò dici, quod non adsit Episcopus quando distat pluquam per duas Diœtas, sumpto argum. ex Bulla Leonis X. supra num. 923. recensita.

931. Possunt etiam Prælati Regulares Ecclesias pollutas reconciliare. De iure autem communi Ecclesia polluta si fuerat consecrata non potest reconciliari nisi per Episcopum Diœcesanum, vel per alium de eius licentia, & hoc cum aqua cum vino, & cinere benedicta, iuxta rubricam Pontificalis, & Manualis Romani. cap. aqua. cap. proposuisti, de consecrat. Eccles. Syluest. v. consecratio num. 8. Sotus 4. d 13. q. 2. a. 3. Mirand. p. 2. q. 39. a. 8. Lezana v. Ecclesia nu. 14 & apud eum Baconius, Sayr. l. 5. de cens. cap. 16. num 18. Azor. p. 1. lib. 9. cap. 4. num. 25. Diana par. 2. tract 1. Miscel. resol. 6. Bassæus v. benedicere num. 10. Henriq. Vgol. Cened. Gambar. Alacd. Filliuc. quos sequitur Barbosa de off. Episc. alleg. 28. num. 55. & refert sic fuisse decisum per S. Congr. Rit. in Cameracen. 9. Febr. 1608. & in Praten. 21. Iulij 1632. & de Cœmeterio in Aret. 9. April. 1633. Vnde est quod Episcopus nec potest hanc facultatem simplici Sacerdoti delegare, & consuetudo in contrarium reijcitur d. cap aqua. Ex eo quia non potest inferioribus demandare ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, vt in d. Cameracen censuit S. Congr. & tradiderunt Panorm. d. cap. aqua, Sylu. verb. consecratio num. 8. Barbosa d. all. 28. num. 56. Vbi tamen refert S. Congr. concessisse alicui Vicario Generali in absentia Episcopi licentiam reconciliandi Ecclesiam pollutam in Galtilen. 24. Sept. 1605. & cuidam Abbati in Rothomagen. 13. Iulij 1606. accepta tamen aqua per Episcopum benedicta.

932. Nihilominus quia hoc spectat ad officium Episcopi ex institutione Ecclesiæ potest per

Pun-

Pontificem alteri ad Episcopo committi. Syluest. vbi supra. Et propterea Prælati Regulares huiusmodi Ecclesias proprias si pollutæ fuerint, possunt reconciliare ex priuilegijs supra num. 916. & 923. recensitis Iulij Secundi pro Minimis, & Leonis Decimi pro Minoribus. Quibus addi potest aliud Priuilegium concessum Abbati Cassinen. & omnibus Abbatibus, Prioribus, & Præpositis eidem Abbati, & Cassinen. Monasterio immediatè subiectis, per Bonif. Nonum *in constit. Vestræ deuotionis*, data Calend. Februar. Pontificatus vodecimo, quæ habetur in Bullar. Cassinen. *sub num.* 45. & in qua sic conceditur. *Quod Ecclesias, & cæmeteria supradicta per aliquem Sacerdotem idoneum reconciliari facere valeatis quoties fuerit oportunum; Aqua prius per aliquem Antistitem, gratiam, & communionem Apostolica Sedis habentem, ut est moris benedicta, vobis, & cuilibet vestrum auctoritate præsentium, concedimus facultatem*. Et propterea Regulares Prælatos posse has Ecclesias pollutas reconciliare tenuerunt Armilla *v. consecratio num.* 12. Rodriq. *p.* 1. *q.* 19. *a.* 6. Miranda vbi supra. Cespedes *dub.* 155. Layman. *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 5. *num.* 12. Barbosa *all.* 28. *num.* 65. Pax *l.* 5. *tit.* 12. *num.* 164. Lezana *p.* 4. *v. Ecclesia num.* 15. Bassæus *v. benedicere num.* 10. Tambur. *de iure Abb. p.* 2. *disp.* 23 *q.* 10.

933. Ad hoc tamen requiritur quod Regulares aquam, vt supra cum vinum, & cinere benedictam accipiant ab Episcopo. Circa quod est aduertendum quod in terminis priuilegij Bonif. 9. pro Cassinen. & Iulij 2. pro Minimis sufficit, quod aqua huiusmodi ab aliquo Catholico Episcopo sit benedicta. Quod tamen Lezana vbi supra *num.* 16 putat esse reuocatum per Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. nisi in casu necessitatis. Sed hoc non deducitur per bonam consequentiam ex eo *cap. In quo solum* prohibentur Episcopi exercere Pontificalia in aliena Diœcesi sine Diœcesani licentia. Cum quo benè stat, quod Regulares possint à quocumque Episcopo accipere aquam vt supra in propria illius Episcopi Diœcesi benedictam. Neque enim est lex quæ prohibeat Ecclesias in vna Diœcesi sub habente facultatem reconciliari per aquā in aliena Diœcesi benedictam. Neque enim aqua perdit benedictionem ex eo quod transportetur de vna in aliam Diœcesim.

934. In terminis vero priuilegij Leonis Decimi pro Minoribus aqua à Diœcesano debet esse benedicta, & tamen si Diœcesanus distet vltra duas diætas, non est necesse accedere ad illum pro aqua illa habēda. Circa quod tria aduertēda sūt; Primum quod Episcopus dicitur distare per duas diætas, & amplius nedum quando est in Diœcesi ad dictam distantiam, sed multo magis si Sedes vacet vel morte, vel renunciatione, vel depositione. Rodriquez *p.* 1. *q.* 19. *a.* 3. Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 22. Portel. *v. benedicere num.* 2. Bassæus *v. benedicere num.* 10. Et apud eum Persicus. Secundum, quod cum diæta sit duplex vulgaris, & legalis, vt habetur ex Gloss. *cap. nonnulli de rescript.* Diana vbi supra voluit priuilegium Leonis intelligi de diæta vulgari, quæ attenditur secundum consuetudinem regionis, & quam in Sicilia dixit esse triginta milliarium. Idem sentit Bassæus. Sed alij communiter priuilegium intelligunt de diæta legali, quæ est 20. milliarium Italiæ, vt ex *l.* 3. *ff. de verb. significat.* Henriq. *l.* 9. *cap.* 27. *num.* 6. in *gloss. l. D. iuncta. l. F.* & *l.* 13. *c.* 51. *num.* 5. in Gloss. *l. D.* Rodriq. *t.* 1. *q.* 19. *a.* 6. *fin.* Mirand. *t.* 3. *q.* 39. *a.* 8. Barbosa *all.* 28. *num.* 65. & apud eum Parlad. Gregor. Malcard. Cabed. Lezana *v. Ecclesia num.* 16. Nam nec censendum est legem vti terminis nisi legalibus; nec est vnde dicamus non sufficere in Sicilia eam distantiam, quæ sufficit v.g. Mediolani. Numerus etiam horum milliarium accipi debet commensurando illum per viam visitatam; vt Barbosa aduertit. Tertium considerandum est, quod in terminis priuilegij Iulij Secundi Prælati locales non possunt rebenedicere Ecclesias pollutas, quod tamen possunt facere in terminis priuilegij Leonis X. pro Minoribus. Etiamsi ex vi priuilegij Iulij, & Leonis, non habetur, quod Prælati possint hanc facultatem delegare, sed in terminis priuilegij Bonifacij Noni pro Cassinen. Prælati etiam locales etiam Priores, seu Præpositi possunt per quemcumque idoneum Sacerdotem Ecclesias suas reconciliare. Sed nunquid in terminis priuilegij Leonis Decimi pro Minoribus posset Guardianus vnius Conuentus alterius Monasterij Ecclesiam pollutam reconciliare? Responderi posset, cum posse si à Superiore illius Monasterij aduocetur. Nam benè intelligi potest priuilegium, vt per Ecclesias proprias intelligat eas, quæ sunt propriæ Religioni, & quod sicut de licentia Diœcesani potest ab alio Episcopo reconciliari Ecclesia in Diœcesi existens, ita & de consensu Superioris vnius Monasterij possit Ecclesia eius polluta per Prælatum alterius Monasterij rebenedici. Teste verò Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *cap.* 30. *num.* 9. in terminis priuilegij concessi ab Innoc. 8. Abbati Cistercij, & quatuor præcipuis Abbatibus, non poterat per ipsos reconciliari Ecclesia polluta ex homicidio. Sed in priuilegijs Iulij 2. & Leonis X. & Bonif. 9. supra relatis, non habetur hæc restrictio.

935. At verò si Ecclesia polluta non erat priùs consecrata, sed solum benedicta, poterit de iure communi reconciliari à simplici Sacerdote, & quidem cum aqua solemni communi exorcizata, & benedicta, vt colligitur ex *cap. si Ecclesia de consecrat.* & tradunt ibid. Gloss. *v. lauetur*. Panorm. ibid. *in fin.* Syluest. *v. consecratio num.* 8. Nauar. *cap.* 27. *num.* 256. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 5. *q.* 5. Sayr. *lib.* 5. *c.* 17. *num.* 31. Mirand. *t.* 1. *q.* 39. *a.* 8. Tambur. *t.* 1 *q.* 13. *a.* 20. *num.* 12. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 91. & *antea p.* 2. *tr.* 1. Miscel. *res.* 6. Fagund. *in præc. Eccles. præc.* 1. *l.* 3. *cap.* 14. *num.* 60. Alter. Homob. Vgol. Aulis, quos sequitur Barbosa *d. alleg.* 28. *num.* 57. Lezana *v. Ecclesia num.* 15. & 16. Et ita huiusmodi Ecclesia si sit Regularis reconciliari potest per quemcumque Regularem Sacerdotem, licet, vt aduertit Lezana, deceat, vt reconcilietur per Prælatum, & imò quod de ea re aduertatur Episcopus prout se à Sacerdote seculari consuetū esse refert Layman. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *num* 12. Nisi casus esset, quod Ecclesia pollueretur dum missa incepta est, quia tunc potest ab ipso Sacerdote reconciliari, vt dixerunt Suarez, & Layman. loco citato. Aduertit quoque Lezana *num.* 17. quod declarationes S. Congreg. quas refert Barbosa *v. in sum. v. Ecclesia* loquuntur de Ecclesia consecrata polluta, & reconcilian-

da. Quamuis quia decet vt Ecclesia reconcilietur à Prælato, vel persona in dignitate constituta. S. Congreg. Rit. in vna Remen. 9. Maij 1609. Ecclesiæ non consecratæ reconciliationem remisit cuidam Archidiacono, & in alia Hydunt. 15. Decemb. 1632. id videatur commissum Vicario Capitulari. Formam verò reconciliandi Ecclesiam per Regulares posuit Portell. v. *Ecclesia reconciliatio*, & addit. At verò Pax. Iordan. *l. 5. tit.* 12. num. 160. ex Tolet. & Rom. existimat, quod sit necessaria ad hanc reconciliationem aqua ab Episcopo cum vino, & cinere benedicta. Sed non est, vnde à communi sententia sit recedendum.

936. Dictum verò cum sit Prælatos Regulares vniuersaliter non posse illa benedicere, in quibus adhibetur sacra Vnctio, videtur hoc habere difficultatem. Nam stante communicatione priuilegiorum, videtur quod sicut Abbates possunt benedicere, & consecrare calices, licet adhibeatur sacra Vnctio, ita hoc conuenire debeat cæteris Prælatis Regularibus. Quod enim Abbates possint Calices benedicere probat Tambur. *t. 1. d.* 53. *q.* 2. & vbi refert declarare S. Congre. Concil. die 5. Aprilis 1620. Cassinen. Abbates ex eorum *priuileg.* posse Campanas, & Calices benedicere. Pariter ibid. *q.* 4. refert priuilegium à Pio 4. 6. Iunij 1565. concessum Congreg. Cassinen. vt singuli Abbates possint altaria portabilia consecrare, & benedicere, quo priuilegio frui possunt alij Abbates habentes communicationem priuilegiorum Congreg. Cassinen. Et ibidem hoc idem quantum ad Cassinen. probat de altaribus fixis ex *declarat. S. Congr. Concilij*. Item *q.* 12. probat Abbates posse consecrare campanas. Sed & Abbates possunt suis conferre Tonsuram, & Ordines Minores, cur ergo ista Mendicantibus non competunt, si ipsi cum Monachis communicant in omnibus priuilegijs?

937. Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. cap. 26. nu.* 18. loquens de facultate conferendi Ordines Minores, & docens facultatem conferendi hos ordines non competere Prælatis Religionum, qui non sunt Abbates, simul asserit in hoc non habere locum priuilegium communicationis, cuius rationem reddit. Tum quia hoc priuilegium sit adeo speciale vt sub generali concessione non censeatur comprehendi. Tum quia hoc priuilegium non pertinet ad canonicum regimen Religionis, sed potius ad quandam dignitatem aliorum Prælatorum, quæ non videtur accommodata statui aliorum Religiosorum, præsertim Mendicantium. Tum tertiò, quia in huiusmodi concessionibus semper vtuntur nomine Abbatis, quod est signum in iure significari peculiarem dignitatem, quam non habent alij Prælati. Tum quartò, quia hæc facultas ordinandi, & benedicendi ex primæua institutione supponit benedictionem Abbatis. Et licet postea fuerit communicata etiam Abbatibus non benedictis, & nec perpetuis, sed triennalibus, hoc factum fuit, quia illis debebatur benedictio quodammodo, & ideò ne omninò priuarentur commodis eius fuit illis permissum ordines Minores suis Religiosis conferre posse. Prælatis autem Mendicantium per se nulla competit benedictio, ideò nec per viam communicationis competit illis hæc facultas licet concessa Abbatibus non benedictis. Lezana *p. 1. c.* 18. *num.* 58 loquens de potestate consecrandi Calices, aras, aut patenas, ait, quod priuilegium Innoc. 8. datum Abbati Cisterc. & quatuor præcipuis Abbatibus, apud alias Religiones nō est vsu receptum, pro quo citat Mirandam *tom.* 2. *q.* 40. *a.* 4. Pariter Anton. à Spiritu Sancto *tract.* 2. *d.* 1. *sec.* 3. *num.* 130. loquens de benedictionibus in quibus adhibetur sacra Vnctio, inquit, quod hoc priuilegium benedicendi calices, &c. nunquam receptum fuit ab alijs Religionibus. Et citat Bordon. *ref.* 17. *num.* 5. & Frag. 2. *p. l.* 11. *disp.* 4. §. 3. *num.* 1. Sed vt benè argumentatur Suarez loco citato, ex hoc quod huiusmodi priuilegia apud alias Religiones non sunt vsu recepta, deducitur, quod aliæ Religiones intellexerunt ea sibi non competere ex vi communicationis. Quare enim eis non vsi fuissent? Quamobrem mihi videtur dicendum cum ipso Suarez, quod priuilegia, quæ ex sui primæua institutione supponunt in vtente consecrationem, vel benedictionem, qualia sunt omnia, quæ ex Ecclesiæ instituto sunt propria Ordinis Episcopalis, non veniunt sub communi concessione, & communicatione priuilegiorum, nisi specialiter sint concessa. Et quod licet aliqua ex istis sint concessa Abbatibus non benedictis, hoc est ratione dignitatis Abbatialis, cui quodammodo debetur benedictio. Et quia vt habet Lezana *v. Altare* Abbatibus concessus est vsus Pontificalium velut Episcopis, quem non habent Prælati Regulares. Quamobrem nec priuilegium concessum Abbati Cistercij, nec alia similia Abbatibus cōcessa, vel quia ipsi ea præceperant, vel ratione benedictionis, aut *dignitatis* Abbatialis, sunt communia non Abbatibus, nisi illis sint specialiter concessa. Et quia benedictiones in quibus admittetur sacra Vnctio, nedum non sunt concessæ Prælatis Regularibus, sed expressè sunt exceptæ, ideò huiusmodi benedictiones illis non competunt.

938. Cæterū nec modo constat, nec conceditur ab omnibus quod Abbates possint consecrare Calices, vel benedicere adhibendo sacram Vnctionem. De hoc enim dubitat Lezana *v. Calix.* *num.* 3. ob decretum S. Congr. Rit. datum anno 1632. in quo decernitur quod Abbates habentes priuilegiū benedicendi paramenta, cœmeteria, & similia dicto priuilegio vti non possunt, nisi in ijs rebus, in quibus non adhibetur sacra Vnctio. Sed tamē videtur loqui S. Cong. de priuilegio huiusmodi paramēta, cœmeteria, & similia, nō verò de priuilegio speciali benedicendi, & consecrandi Calices. Et vt refert idem Lezana ibid. S. Cong. 6. Decemb. 1631. declarauit Abbates non posse consecrare Calices, aut similia in quibus adhibetur sacra Vnctio, nisi ad id habeant priuilegium speciale. Et ideò huic declarationi non est contraria illa alia data anno 1632. Sed conciliantur, quia illa loquitur de priuilegio communi benedicendi paramenta, vel Ecclesiæ vtensilia, quod declarat non extendi ad benedictiones, in quibus adhibetur sacra Vnctio. Quod etiam in ista alia declaratione continetur, sed excipitur casus in quo concessum sit speciale priuilegium benedicendi etiam adhibendo sacram vnctionem. Pariter & in Campanarum benedictione

sacrum

facrum Chrisma adhibetur. Barbos. *de off. Episc. all.* 27. *num.* 46. Et de harum benedictione an ex priuilegio competat Abbatibus dubitat Lezana *v. benedicere*, & fundatur in relata declarat. Sac. Congreg. Sed vt dicebatur, non videtur quod citata declaratio excludat specialia priuilegia benedicendi, cum sacra Vnctione, si dantur. Id verò posse Abbates ex pluribus priuilegijs, scilicet Innoc. 8. pro Abbat. Cistercij, & quatuor alijs pracipuis Abbatibus, Vrbani 2. pro Abbat. Cunen. & Pauli Tertij pro Abbat. Vallis scolarium, & Iulij 3. pro Canonicis Regularibus S. Saluatoris. tenent Tambur. loco citato, Lucerna *v. benedicere* a. 2. & Cesped. *dub.* 152. Itaq; ergo ex vi præcisa quod aliquis sit Abbas benedictus, vel habeat priuilegium exercendi Pontificalia, vel benedicendi paramenta, non potest Abbas benedicere adhibendo sacram Vnctionem. Vnde contra Glossam *in Clem. Attendendum, de stat. Monach.* bene Gemin. *in cap. Abbates, de priuil. in* 6. Sylu. *v. Calix. num.* 2. dixerunt secluso omni priuilegio de iure communi non competere Abbatibus benedicere calicea, & alia in quorum benedictione adhibetur sacra Vnctio, & hoc est quod volunt declaratio relata à Lezana, & alia S. Congr. Concil. relata à Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 30. *num.* 21. Sed tamen ex vi priuilegij specialis Abbatibus competunt præfatis declarationibus non obstantibus benedictiones Calicis, & aliæ, ad quas specialia habent priuilegia. Lucerna Regularium *v. Benedicere* an. 5. *ex declarat.* S. Cong. Concilij sub die 10. Septembris 1614.

939. Et nihilominus huiusmodi benedictiones in quibus adhibetur sacra vnctio minime conueniunt alijs Prælatis Regularibus nisi prout aliquæ conueniunt Missionarijs, vt supra dictum est. Quia verò in benedictione Pixidis pro conseruatione Sanctissimæ Eucaristiæ non adhibetur sacra vnctio, ideo Prælati Regulares præfatam benedicere possunt Suarez vbi supra *num.* 12. Sic enim, & hæc benedictio est vna de illis, quæ alijs ab Episcopis committi possunt, vt ex Rituali Romano constat. Sicut & committi potest benedictio primi lapidis ponendi pro Ecclesia fundamento, ex vi enim priuilegij sæpe citati Leonis X. pro Minoribus conceditur facultas benedicendi, quæcumque ad Dei cultum pertinent, dummodo non adhibeatur sacra vnctio. Quamuis non valeat consequentia ista, in huius, vel illius benedictione non adhibetur sacra vnctio, ergo illa est concessa Prælatis Regularibus, nisi per aliquod priuilegium generale, vel speciale concessa sit. Suarez vbi supra *num.* 9.

SVMMARIVM.

1 *Cura proximorum multiplex.* n. 940.
2 *Delinquentes in administratione Sacramentorum subiecti Episcopo.* n. 941.
3 *Qui delinquunt in administratione Sacramentorum non ex incumbentia non comprehenduntur sub decreto Trid. sess. 25. cap. 1.* numero 942.
4 Qui *administrant sine licentia sacramentum extrema vnctionis possunt excommunicari.* numer. 943.
5 *Regulares habent curam animarum, vel quia parochialis sit vnita, vel quia Monasterium est parochia.* n. 943.
6 *Beneficia vnita subiecta visitationi Episcopi.* n. 943.
7 *Episcopus in beneficijs vnitis potest deputare Vicarios perpetuos.* n. 934.
8 Nisi *aliter fuerit à principio conuentum.* numero 945.
9 *Vel nisi beneficia sint vnita Monasterijs.* numero 946.
10 *Et nisi ab immemorabili regantur per* Vicarium *amouibilem.* n. 947.
11 *Et nisi priuilegium concedens Vicarium amouibilem sit remuneratorium.* n. 947.
12 *Et nisi priuilegium hoc sit concessum post Tridentinum.* n. 947.
13 *Et nisi vnita fuerit Vicaria perpetua.* numero 948.
14 *Et nisi bonum Ecclesiæ requirat oppositum.* numer. 948.
15 *Ad instituendum Vicarium perpetuum requiritur causa iusta.* n. 948.
16 Qualiter *Vicaria perpetua instituenda.* numero 949.
17 *Nominatio Vicarij spectat ad Ecclesiam principalem.* n. 950.
18 Non *potest poni Vicarius amouibilis, vbi est perpetuus.* n. 951.
19 *Concilium non tollit appellationem, quoad deuolutiuam.* n. 952.
20 *Sub decreto Concilij non comprehenduntur membra non vnita.* n. 953.
21 *Ex vi decreti S. Cong. non potest institui Vicarius perpetuus vbi est facultas Pontificia Vicarij amouibilis.* 954.
22 *Qui curam animarum incumbentem Monasterio exercent subduntur iurisdictioni Episcopi.* num. 955.
23 *Qui non exercent curam animarum non subduntur Episcopo.* n. 956.
24 *Episcopus non potest visitare Regularium sacristias &c.* n. 916.
25 *Non delinquentes circa curam animarum non subduntur Episcopo.* n. 957.
26 *Episcopus visitat etiam quantum ad ea, quæ dependent à cura animarum.* n. 958.
27 *Quæ possit Episcopus circa exercentes curam animarum.* n. 958.
28 *Regulares non possunt impedire Episcopum ac visitet.* n. 959.
29 Qualiter *distinguantur decreta Concilij, & Const. Greg. 13. circa administrantes Sacramenta.* num. 960.
30 *Ex vi Const. Greg. 13. Episcopus habet iurisdictionem contra male administrantes Sacramenta, & an possit visitare tabernaculum &c.* num. 961.
31 *Non Capellam existentem intra septa.* numero 961.
32 Non *subijcitur Episcopo, qui delinquit in administratione Sacramentorum circa Regulares.* num. 962.
33 *Nec qui delinquit in alijs à cura animarum.* numer.

IN-

INSPECTIO DECIMA

CAP. QVINTVM.

Regulares qualiter subiecti Episcopi in ijs, quæ spectant ad curam animarum secularium.

940. MVlti sunt casus in quibus Regulares subijciuntur iurisdictioni Episcopi in *ijs*, quæ spectant ad curam animarum secularium, Episcopo subduntur. Cura autem proximorum distinguitur in spiritualem, quæ respicit animæ salutem, & temporalem quæ consistit in procuratione, & administratione bonorum temporalium Regulares verò in cura animarum deseruiunt Episcopis, vel administrando Sacramenta, vel missas celebrando, vel prædicando, & docendo, vel de seruiendo in ijs, quæ ordinantur ad Dei cultum, vel quomodocumque Episcopos in ijs, quæ curam gregis concernunt adiuuando. Quamobrem secundum ista multi casus distinguuntur in quibus Regulares subijciuntur Episcopis.

941. Primus ergo casus habetur ex *constitut. inscrutabili* 18. Greg. 15. & diuiditur in duos. Primus est eius Regularis, qui de licentia Episcopi aliquod Sacramentum secularibus administrat. Secundus est eius, qui in aliquo Sacramento administrando secularibus sine aliqua auctoritate se ingerit, in vtroque enim casu Regularis in ijs, quæ concernunt administrationem Sacramenti factam seculari subijcitur omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, vt patet §. 4. ibi. *Siue aliqui Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia, siue quomodolibet in dicta curia exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, aut alicuius ex illis ad ministrationem de facto absque vlla authoritate se ingerunt. In his, quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodo iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur.*

942. Aduertit verò Reuerendiss. Fagnan. *cap. Grane num. 37. de off. ordin.* hunc casum non subdi dispositioni Concil. Triden. *sess. 25. cap. 11.* cum ibi Concil. loquatur solum de habentibus curam animarum secularium Monasterijs incumbentem, & sic loquitur de exercente curam animarum ex officio, vel ratione officij, & ex incumbentia annexa Monasterio. Sed hic casus loquitur de illis, qui licet ex officio non habent curam animarum, tamen actu de facto, vel cum licentia Diœcesani, vel sine illa aliquod Sacramentum administrant personis secularibus. Et aduertit amplius, quod licet *constit.* Greg. 15. in principio generaliter subijciat Regulares iurisdictioni Episcopi in his, quæ concernunt administrationem curæ animarum, tamen postea in §. 6. *vers. Ita vt Episcopi* limitat ad personas delinquentes in administratione alicuius Sacramenti, prout declarauit S. Cong. Concilij de cuius voto dicta Constitutio edita fuit, & declarationem approbauit idem Greg. 15. Cum verò ex hac Greg. 15. *constit.* Regulares delinquentes in administratione Sacramentorum sint subiecti iurisdictioni Episcopi, iam qui secularibus Sacramenta extremæ vnctionis, Eucharistiæ, aut Matrimonij administrant sine licentia Parochi possunt ab Episcopo nedum denunciari excommunicati, in terminis Clem. 1. de Relig. verum etiam excommunicari, & alijs pœnis pro qualitate culpæ puniri in vi *constit. præfatæ.* Tanquam subiecti iurisdictioni Episcopi, vt delegati Sedis Apostolicæ. In terminis etiam Concil. Trid. *sess. 24 cap. 20. de reformat* causæ matrimoniales spectant ad Episcopum, si Abbas non habeat iura Episcopalia, & proprium territorium, Barbosa *de off. Epis. all. 84 à princip. & ad d. cap. Concilij Tridentini num. 47.*

943. Secundus casus est Regularium habentium curam animarum, hi enim subiecti sunt iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in ijs, quæ spectant ad curam animarum in terminis *cap. 1. de Capell. Monach. & cap. vn. eod. tit. in 6.* & Concil. Triden. *sess. 7. cap. 7. & sess. 25. cap. 11. constit. Inscrutabili* Greg. 15. Distinguitur verò hic casus in duos propter diuersam dispositionem Concil. Trid. Primus est quando animarum cura spectat ad aliquam Ecclesiam vnitam Monasterio Regulari. Secundus est quando Monasterio ipso incumbit animarum cura. De primò sic statuitur in Concil. Trident. *sess. 7. cap. 7. de reform. Beneficia Ecclesiastica curata, quæ cathedralibus collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel Monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis quibuscumque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinarijs locorum annis singulis visitentur, qui sollicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinarijs, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut maiori, vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, priuilegijs, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscumque in præmissis minimè suffragantibus.* De secundo autem ita habetur *sess. 25. cap. 11. de refor. In Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium propter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ, tam regulares, quam seculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præuio examine, per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam ijs Monasterijs, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque alijs Monasterijs, seu domibus in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & parochianos exercent,*

salua

salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel personas iurisdictionem exercent.

944. De beneficijs igitur curatis vnitis Cathedralibus, Monasterijs &c. Duo decernit Concilium Trident. *in d. cap. 7.* Primum est, quod Episcopus ea visitet. Secundum quod procuret ea regi per idoneos Vicarios etiam perpetuos, si eidem Episcopo visum fuerit expedire, assignata illis congrua portione, & sustentatione. Quantum ad primum nulla fit exceptio, sed omnia huiusmodi beneficia subiecta sunt visitationi Episcopi, & quidem tam quantum ad loca, quam quantum ad personas, & quidem etiam si huiusmodi beneficia sint vnita Monasterijs, quæ sunt capita Ordinum, & in quibus resident Generales, vt tanquam declaratum à S. Cong. ex Aldan. tradit Barbosa *ad d. cap. 7. sess. 7.* Quia non habet hic locum exceptio posita *in cap. 11. sess. 25. de regul.* cum ibi sit sermo de Monasterijs, quibus incumbit cura animarum, non verò de beneficijs vnitis Monasterijs. Pariter Episcopus huiusmodi beneficia visitare potest si sint intra fines suæ Diœcesis etiam si Ecclesia cui sunt vnita alterius Diœcesis sit. Imò si eadem beneficia sint nullius Diœcesis, & extra Diœcesis fines, ea visitare potest Episc. si tamen sint secularia, & sua Cathedralis illis sit vicinior, quam sit alia Cathedralis, vt tanquam decisum in *Capuaquen. 4. Febr. 1593.* ex Aldano docet idem Barbosa *ad d. cap. 7. num. 5.* Hæc verò visitatio ex vi Concilij annis singulis fit. Sed quatenus beneficia sic vnita alias sint exempta, & administrentur per Regulares, hæc visitatio non potest fieri nisi quantum ad ea, quæ concernunt curam animarum. Quia Concilium ex hoc dat Episcopis visitandi facultatem, vt procuret curam animarum in huiusmodi beneficijs laudabiliter exerceri, vnde Episcopis dat facultatem visitandi in ordine ad animarum curam, & ex hac limitata intentione Concilij manet limitata visitationis extensio, vt tanta sit, quanta ad finem intentum à Concilio est necessaria.

944. Secundum quod Concilium statuit est, quod Episcopus procuret, vt beneficia vnita regantur per Vicarios idoneos etiam perpetuos, nisi aliter Episcopo pro bono regimine Ecclesiarum expedire videtur. Et quidem conforme iuri communi est, vt Parochiales huiusmodi vnitæ regantur per Vicarios perpetuos *cap. extirpanda §. qui vero, de præben. c. vn. de Capell. Monach. in 6. & Clem. vn. de off. Vicarij* Rota *dec. 2. num. 2. de excessib. Prælator. in nou. & dec. 5. num. 2. p. 7. recent.* Et nihilominus etiam de iure communi Monasterium, aut alia dignitas deputare potest Vicarium amouibilem in Ecclesia parochiali sibi vnita Gloss. in Clem. 1. *v. haberent, de rescript.* & in Clem. 1. §. *eod. ver. de mensa, de supplend. neglig. Præl.* & in Clem. 1. §. *quidem v. ad mensam, de excess. Prælat.* Garz. *p. 11. cap. 2. num. 4.* Rota *dec. 5. n. 7. p. 7. recent.*

945. Primò igitur in arbitrio Episcopi est instituere Vicarios perpetuos rectores beneficiorum vnitorum. Quod tamen limitatur primò, si vnio beneficij sit facta per modum pacti, concordiæ cum Sede Apostolica, cum clausula de seruiendo beneficio per Vicarium amouibilem ad nutum, quia per clausulas derogatorias in decreto Concilij non derogatur concordationibus & quasi pactis à Sede Apostolica approbatis Sanchez *in sum. t. 2. l. 7. cap. 29. num 191.* Flores de Mena Variarum *lib. 1. quæst. 10. num. 41.* Barbosa *ad d. cap. 7. num. 16.*

946. Fallit secundò in beneficijs vnitis Monasterijs Monachorum, & Mendicantium, quia Pius Quintus *in const. ad exequendum &c. 47. §. 5.* statuit, vt à Sup[eri]oribus Monasteriorum nominari possint ex di[ctis] R[e]gularibus Vicarios, seu Parochos, quos si Episcopi inuenerint idoneos ad curam animarum, & vt tales approbauerint, teneantur in Vicarios ad nutum superiorum amouibiles deputare. Itaque igitur, vbi beneficia sint vnita Monachorum, aut Mendicantium Monasterijs, non est in potestate Episcopi instituere Vicarium perpetuum, cum sit in libertate superiorum Regularium seruire illis beneficijs per Vicarium Regularem ad eorum nutum amouibilem. Flores de Mena *num. 40.* dicens sic fuisse declaratum à S. Cong. Cardinal. & Sanchez vbi supra. Et si dicatur, quod Constitutio illa Pij Quinti fuit reducta ad terminos iuris, & Concilij Tridén. per Greg. 13. *in constit. in tanta.* Respondetur, quod quia quantum ad hanc partem *const.* illa Pij Quinti habet rationem declarationis eiusdem Concilij nec est contraria illi, nec est abrogata. Nam in Concilio non fuit statum, quod beneficia vnita Monasterijs, & habentia facultatem, vt deseruirent illis per personas Regulares non possent amplius hoc facere, sed huiusmodi omnino seculares esse deberent, quia Concilium non decernit, vt beneficijs curatis vnitis deseruiatur solum per presbyteros seculares, stante verò quod illis deseruiri possit per Regulares, si hoc concessum fuit Monasterijs non est verisimile quod Concilium voluerit huiusmodi Regulares Vicarios Curatos esse ab obedientia abstractos, & non esse ad nutum Superiorum amouibiles. Et ideò, quod vbi beneficia sunt vnita Monasterijs Monachorum, aut Mendicantium non sint assignandi Vicarij perpetui, post Greg. 13. & ex vi *constit.* Pij Quinti tradidit etiam Pax Iordan. *l. 7. tit. 14. num. 14.* Garz. *de benef. p. 11. cap. 2. nu. 13.* Vbi affert declarationem S. Cong. huius tenoris. *S. D. N. Greg. 13. non habet pro reuocata bullam Pij Quinti de Vicarijs perpetuis in Parochialibus vnitis Monasterijs Regularium, vbi Episcopus ad nominationem Monachorum deputat vnum ex ipsis prævio examine approbatum ad nutum ipsorum amouibilem, & cum Vicario sic deputato debet habitare vnus dumtaxat alius Monachus, ne plures extra Claustrum vacent.* Idem sentit, & hunc sensum accepit S. Cong. Concilij. quæ in vim dictæ *constit.* Pij Quinti declarauit nominationem Vicariorum in beneficijs vnitis Regularibus ad Superiores Monasteriorum spectare, vt videre est apud Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Grauis num. 64. de off. ordinar.* Ex hoc enim sequitur, quod si superior Monasterij [n]ominauerit Regularem, non esse in casu illius [ex]ceptionis Concil. Trid. *Nisi aliter expedire vide[b]itur*, quia non expedit Regulares esse Vicarios perpetuos, & non amouibiles

ad

ad nutum sui superioris. Cum verò in præsenti anno Rota super hac re responsum dederit, iuuat ponere hic particulam decisionis illius datæ 28. Nouembris 1664. quæ est talis. Nec visa fuit vrgere dispositio Sac. Concil. Trident *in sess. 7. cap. 7. de reformat.* Ibi enim Ordinariorum dumtaxat arbitrio remittitur, vt quoties Ecclesiarum regimini expedire dignouerint perpetuos Vicarios adhibeant in quibuscumque Curatis Ecclesijs, tam Cathedralibus, quàm Monasterijs vnitis, nō autē necessitas eligendi Vicarium perpetuum Monacis iniungitur, vt aduertit Barbos. *in collect. ad īdē Conc. num.* 15. *Rota in Hispalen. Iuris amouendi Curatos* 21. Iunij 1641. §. *imò* coram bo. me. Pentingerio, *& in Pampilonen. Iurium Parochialium* 19. Ianuarij 1662. §. *quibus*, coram R.D. meo Beuilaqua; quod tamen arbitrium in actu visitationis præuia partium citatione ab Ordinarijs exercendum legitimam vna cum vtilitate Ecclesiæ causam exquirit, vt tradit Nouar. *cons.* 11. *n.* 7. *de stat. Monac.* Flor. de Men. *var. resol. l.* 1. *cap.* 10. *nu.* 47. Garz. *de benef. p.* 11. *cap.* 2. *num* 8. & 9. *cum seqq.* Barbos. *de off. & potest. Epis. alleg.* 72. *num.* 190. & *in Collect. ad Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. de reformat. num.* 31. *Rota in Mindonen. Parochialis* 3. Martij 1653. in fine coram R.D. meo Zatate, Præterea Sac. Concilij dispositio in hac parte fuit innouata à Piana Constitutione edita expresse Regularibus Mendicantibus, ac Monacis in Ecclesijs Monasterijs annexis deferente electionem Vicarij Regularis ad nutum remouibilis, vt aduertit Gōzal. *ad regul.* 8. Cancell. *gloss.* 5 §. 3. *num.* 53. & 54. vbi ita refert fuisse à S. Congreg. decisum Garz. *de benef. p.* 11. *cap.* 3. *num.* 13. Barbos. *de iur. Eccles. vniuers. l.* 3. *c.* 6. *n.* 8. & 9. & *de off. & potest. Epis. all.* 72. *n.* 190. *vers. qua omnia confirmatis*, & *in Collect. ad Conc. ad sess. 7. cap. 7. de reform. n.* 17. vbi loquitur in specie de Parochialibus vnitis Monast. Ord. Præmonstr. *Rot. in Pampil. Vicariæ de Stella* 28. Martij 1659. § *non obstat* coram R. D. meo Albergato.

947. Tertiò fallit si à tempore immemorabili beneficia vnita solita fuerunt regi per Vicarios ad nutum amouibiles scientibus, & consentientibus Ordinarijs: Nam in hoc casu non poterunt Episcopi instituere Vicarios perpetuos. Quoniam Concilium non derogat consuetudini, & præcipuè immemorabili, cui non intelligitur derogatum nisi eius fiat mentio specialis. Item idem Flores de Mena ibid. *num* 44. Sanchez *d. num.* 191. Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 16. Quarto fallit secundum DD. citandos, vbi priuilegium administrandi beneficium vnitum per Vicarium amouibilem sit concessum remunerationis gratia; quia tunc in reuocatione priuilegij quod debeat fieri specialis mentio priuilegij etiam concessi remunerationis gratia, aliter priuilegium non sit reuocatum probat Flores de Mena ibid. *num.* 46. vbi ex hoc amplectitur hanc fallentiam, & cum sequitur Sanch. *d. num.* 191. Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 40. Quinto fallit, si post Tridentinum facta fuit vnio cum facultate instituendi Vicarium amouibilem ad nutum. Tunc enim Episcopus non poterit contra huiusmodi Priuilegium instituere Vicarium perpetuum in Parochiali vnita. Flores de Mena. *n.* 49. & 50. Sanchez, & Barbosa vbi supra. *Rota decis.* 5. *num.* 4. *p.* 7. *recent.* Et considerandum, quod ad derogandum Concilio Tridentino non est necesse vt fiat eius specialis mentio, vt declarauit Pius Quintus in quodam motu proprio, quod per extensum refert Garzias *de benef. p.* 4. *cap.* 5. *n.* 31. & ex eo retuli ego *in tract. de elect. c.* 26. *n.* 36. & tradunt quàmplures DD. ibidem relati, & alij.

948. Sexto fallit quando particulariter, & per se fuit vnita Vicaria perpetua, tunc enim non potest Episcopus Vicarium perpetuum instituere; quia Trident. non concedit Episcopo facultatem tollendi vnionem, sed assignandi Vicarium parochiali vnitæ. Ita idem Flores de Mena vbi supra *num.* 48. & Sanchez *d. num.* 41. Septimo fallit in omni eo casu in quo vel pax, vel aliud quodcumque faciens ad rectam gubernationem Parochialis exigit Vicarium amouibilem. Nam Concilium expresse hoc excipit, & mandat. Neq; enim hæc Vicarij institutio relicta est liberæ voluntati Episcopi, sed arbitrio boni viri, prout apparet ex illis verbis. *Nisi ipsis Ordinarijs pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* Quamobrem iusta causa requiritur ad hoc vt instituatur Vicaria perpetua, qua deficiente sed oppositum exigente non potest Episcopus instituere Vicarium perpetuum. Idem Flores de Mena *nu.* 47. Sāc. *d. n.* 191. Garz. *de benef. p.* 11. *c.* 5. *n.* 8. Barb. *ad d. c.* 7. *n.* 51. & 55. Vnde si in Episc. causa iusta deficiat instituendi Vicariā perpetuā, potest ab eius institutione appellari, vt præfati DD. aduertunt.

949 Quando etiam instituenda sit Vicaria perpetua nonnulla seruari debent. Nam primo id debet fieri ab Episcopo in actu Visitationis, Concilium enim statuit vt Parochiales vnitæ singulis annis visitentur ab Ordinarijs, qui Ordinarij visitantes prouideant, vt in eis cura laudabiliter exerceatur etiam per Vicarios perpetuos si opus sit. Igitur extra visitationem non debet hoc fieri Garz. *de benef. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 11. Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 31. Vbi quod si aliter instituatur valeat appellatio etiam quantum ad effectum suspensiuum, quia Concilium vbi reprobat appellationem loquitur de Episcopo visitante. Flores de Mena *d. q.* 10. *num.* 75. secundo requiritur, vt citentur partes, & audiantur, cum Episcopus in hoc non habeat nisi arbitrium boni viri regulandum per iura, quæ non permittunt inauditis partibus aliquid in earum præiudicium decerni. Flores de Mena vbi supra *num.* 80. Garz. *d. p.* 11. *cap.* 2. *num.* 10. Tertiò Episcopus prius quam Vicarium perpetuum instituat, debet erigere Vicariam perpetuam, seu titulum Vicariæ perpetuæ. Garzias *d. cap.* 2. *num.* 15. Barbosa *ad d. cap.* 2. *num.* 19. Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Grauc. num.* 64. *de off. ord.* Vbi quod hoc declaratum fuit per S. Cong. Concilij. Vicaria enim perpetua est beneficium, & ideò prius per Episcopū debet erigi Vicaria perpetua, & in titulum beneficij, antequā illi assignetur perpetuus. Addit Vicarius verò Garzias *n.* 16. quod si non constat de erectione Vicariæ perpetuæ, erectio ista, quæ est quid facti non præsumitur, & ideò nō est attendēdus vltimus status nēpe quod sit collata vt Vicaria perpetua, nisi probetur spatio 40. annorū. Imò stante bulla vnionis cū facultate ponendi Vicariū amouibilem, & cū decreto irritante videtur requiri immemorabilis. Licet alias ad inspiciendum an sit Vicaria perpetua, an temporalis attendendus sit vltimus status, vt habetur ex Gonz. *gloss.* 5. §. 3. *n.* 18. dicēte hoc fuisse resolutum in vna *Pampil. decimarum* 1. Apr. 1591.

950. Quando etiam instituendus est Vica-

lus perpetuus nominatio illius spectat ad Superiorem illius Ecclesiæ cui Parochialis est vnita. Quod seruandum est etiam in Vicarijs amouibilibus vbi Parochialis sit vnita Monasterio Regularium prout statuit Pius Quintus in præfata *const.* 47. quam fuisse pluries canonizatam à Sac. Congreg. referunt Gonzal. *ad reg.* 8. Cancell. *gloss.* 5. §. 3. *num.* 53. & 54. Rota coram Buratto *d.* 214. *num.* 1. & *dec.* 419. *num.* 2. & 3. & coram Caual. *in Barchinonen. Parochialis seu Vicariæ* 10. Februar. 1645. & coram Eminentissimo Corrado *in Reatina Vicariæ* 10. Maij, & 28. Iunij 1647. & coram Eminentissimo Ottobono *dec.* 159. *num.* 3. & *dec.* 16. *num.* 15. *p.* 6. *recent.* & de mente Sac. Congreg. in declaratione supra recitata, & horum vtrumq; tanquam à Sac. Congreg. decisum docent Garz. *de benefic. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 295. Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 28. Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Grave. n.* 64. & est de iure antiquo *cap. extirpanda* 30. §. *qui verò*, & *cap. de monachis* 12. *de prabend. cap.* 1. *de Capell. Monach. in* 6 & *Clem.* 1. *de iure patron.* Quamuis verò horum Vicariorum nominatio spectet ad Ecclesiarum principalium Superiores quibus Parochiales sunt vnitæ, tamen Vicarij nominati debent prius examinari, & approbari ab Episcopo, nec alij deputari possunt qui non sint approbati, & constat ex *d. const.* Pij Quinti, & tanquam declaratum à S. Congregatione, docent Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 25. 26. & 27. Pax Iordan. *l.* 7. *tit.* 14. *n.* 13. Fagn. vbi supra. Addit verò Pax Iord. ex Piasec. S. Cong. declarasse, quod Episcopus possit cogere Regulares, vt in Parochialibus tot Ministros deputent, quot erunt necessarij. Et subdit *n.* 15. quod Episcopus possit cogere Regulares ad præstationem iurium, & onerum Episcopalium quacumq; contraria consuetudine non obstante, prout decernitur *c.* 1 *de prab. in* 6. & *Clem.* 1. *de iure patron.* per quam comprobatur, & ampliatur illud *cap.* 1.

951. Quantum verò ad Vicarios amouibiles est etiam aduertendum, quod vbi in aliquo beneficio curato vnito prius erant erectæ vicariæ perpetuæ, non possunt Episcopi instituere Vicarios amouibiles Garz. *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 311. Barbosa *ad d. cap.* 7. *num.* 20. An verò, & quando Vicarius amouibilis possit ante finitum annum seruitij amoueri resoluunt Rebuff. in praxi *t. de dispensat. de non residen. n.* 18. & *p.* 3. *ad leges Gall. de mater. poss. in benef. n.* 9. *glos. va. in pref.* Flores de Mena *d q.* 10. *n.* 34.

952. Cum verò Concilium in præfato decreto nolit admitti appellationes, hoc intelligitur quantum ad effectum suspensiuum, non verò quantum ad deuolutiuum. Garzias *p.* 11. *cap.* 2. *n.* 31. & ex Ric. *dec.* 136. *p.* 2. Barbosa vbi supra *n.* 38.

953. Hæc igitur statuit Concilium *in d. cap.* 7. Non tamen sub eo decreto comprehenduntur Grangiæ, aut membra Monasteriorum, vel quocumque modo ab ipsis dependentia, si non sunt Parochiales vnitæ, quia huiusmodi membra non comprehendi sub decreto illius *cap.* 7. *sess.* 7. Concil. Triden. & *constitut.* Pij Quinti declarauit Sac. Congreg. teste Garz. *p.* 11. *cap.* 2. *num.* 14. & idem tenet Fagnan. *ad d. cap. Grave. num.* 64. *de eas ordin.*

954. Sed quia ex nouis *constitut.* Innoc. X. & decretis Sac. Congreg. super statu Regularium statutum est vt in Grangijs seu paruis Conuentibus in quibus nõ viuunt 6. Regulares, sed fuerunt suppressi, cura exerceatur per Presbyterum secularem qui ad arbitrium Episcopi instituatur Vicarius perpetuus, vel amouibilis ad nominationem Superiorum principaliorum Monasteriorum, dubium est, an, & quando Episcopus possit in illis locis instituere Vicarium perpetuum. Hæc autem sunt verba, quæ in literis d. Sac. Congregationis datis 10. Decembris 1652. & Procuratoribus Generalibus, & mihi inter alios transmissis continentur, scilicet. *Pariments nelle Grancie, e mẽbri, ch'in qualunq; modo hãno annessa la cura d'anime, ò siano Parochiali, non vuole la Sant. S. che detta cura s'eserciti da Regolari, mà che inidà Vescoui Diocesani, a' quali in cõformità se ne dà l'Ordine, si deputino Sacerdoti secolari idonei in Vicarij amouibili ò perpetui, come parerà loro più espediente per il buon governo delle Chiese, da nominarsi da' Superiori de Monasteri, à i quali le dette Grancie, ò membri si appartengono, & da approuarsi da' medesimi Vescoui con l'assegnamento d'vna congrua portione à loro arbitrio sopra i frutti de gl'istessi membri, ò Grancie, conforme alla dispositione del Sac. Concilio di Trento.* In huiusmodi verò literis nullæ derogatoriæ sunt. Inata etiam supra probate Episcopi Vicarios perpetuos dare non possunt, nisi prius erecta Vicaria perpetua. Et pariter rationibus dictis huiusmodi Vicariæ perpetuæ erectio, & Vicarij perpetui institutio non potest fieri nisi partibus citatis, & auditis. Neque hæc institutio commissa est liberæ voluntati Episcoporum, sed arbitrio boni viri, & vt regulanda ex iusta causa petita ex fine optimi gubernij curæ animarum. Et cum non adsit clausula appellatione remota, ab ista institutione Vicarij perpetui, quatenus fiat sine iusta causa, datur appellatio. Vbi verò Monasteria habeant speciale priuilegium, vt curam animarum in Parochiali vnita exercere possint per presbyterum secularem, vel regularem amouibilem ad nutum superioris principalis Monasterij, cuius Parochialis est membrum, tale priuilegium est quidem reuocatum pro ea parte in qua datur facultas regendi Parochialem per Sacerdotem Regularem, non tamen pro ea parte, qua conceditur vt regi possit per presbyterum secularem amouibilem ad nutum, quia huiusmodi derogatoria non reperitur. Ideò vbi in literis vnionis continetur quod Superior Monasterij, cui vnita fuit Parochialis possit illam administrare per Sacerdotem secularem amouibilẽ, non potest in ea Parochiali institui Vicarius perpetuus. In simili verò causa remissa per Signaturã iustitiæ ad R. Fagnan. S. Cong. super statu regularium Secretariũ, emanauit sequens decretum. *Cũ ex Bulla SS. Pauli 3. tribuatur facultas Fratribus Cõuẽtus S. Io. de Canalibus Ord. Præd. Ciuitatis Placentiæ deputãdi presbyterũ secularem, vel sui Ord. regularem ad eorum nutum amouibilem qui curam animarum exerceat in Ecclesia S. Genesij, memorato Conuentui vnitæ, & Episcopus Placentinus in vim Sacri Concilij Trid. & literarum Circularium S. Cong. super statu Regularium in hunc vsq; diem minime deputauerit Vicarium perpetuum in dicta Eccl. S. Genesij præuia erectione Vicariæ perpetuæ eadem S. Cong. partibus auditis censuit literas Circulares non esse attendendas obstare quominus prædicti Fratres potuerint ab ea Cura amouere Curatum ab eis deputatum amouibilem iuxta prædictam Bullam Pauli 3. &c.*

955. In altero autem decreto, quod habet Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* loquitur Concilium de Monasterijs, quibus incumbit

cura

cura animarū, & ex consequenti de eorum membris, quæ tamen non sunt beneficia vnita. Et de his statuit primo, quod personæ tam seculares, quam Regulares, quæ in his Monasterijs exercent curam animarum sint immediatè subiectæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in ijs tamen quæ concernunt dictam curam, & administrationem sacramentorum. Est verò decretum hoc vniversale quantum ad personas, si loquamur de Monasterijs, quæ non sunt capita ordinum, & ideò comprehendit quoscumque Parochos, aut Vicarios, aut quocumque nomine vocentur, qui exercent officium curæ animarum, etiam in Ecclesijs Militum S. Io. Ierosol. vt declaravit Pius Quintus in *constit. Exposcit*, data 22. Septem. 1571. Verum curam animarum secularium exercentes sunt illi qui ad munus Parochi deputati sunt, vel ex incumbenti cura administrant sacramenta. Et sic ex officio sacramenta administrant; sed simplices Sacerdotes qui vel ex licentia Episcopi, aut Parochi aliquod sacramentum administrant, vel etiam id faciunt sine licentia, non comprehenduntur sub hoc decreto, licet comprehendantur sub *constitut. inscrutabili* Gregor. 15.

956. Hæc tamen facultas est limitata quantum ad causam subiectionis, quia subiectio limitatur tantum ad ea quæ spectant ad exercitium curæ animarum, & administrationem Sacramentorum, vnde duo hic continentur. Primum quod Regulares degentes in Monasterijs quibus non incumbit cura animarum, vel si degunt in Monasterijs quibus talis cura incumbit, non tamen ipsi curam animarum exercent, seu ad illam deputati non sunt, non subduntur iurisdictioni, visitationi, aut correctioni Episcopi, quia sub hoc decreto comprehenduntur solum exercentes curam animarum. Vnde Episcopus Ecclesias, Sacristias, tabernacula, pixides, paramenta, officinas, Monasteria Regularium quibus non imminet cura animarum secularium non potest visitare, vt declaravit S. Congr. Concilij apud Quarantam *v. privilegia*, Rodriq. *in Bullar. in Clem.* 8. *in princ.* & Tambur. *de iure Abbat. tit.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *num.* 50. & declaratio est sequentis tenoris, videlicet: *S. Congregatio Concilij censuit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiusuis decreti eiusdem Concilij, nullam habere facultatem quouis tempore in Monasterys, domibus, & Ecclesys Regularium exemptarum, quibus non imminet cura animarum personarum secularium, visitandi sacristias, paramenta, & vasa sacra, altaria, & cætera huiusmodi; aut etiam tabernaculum, seu pixidem in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur.* Propterea eadem S. Congreg. in proposito puncto literas infrascripti tenoris dedit ad Archiep. Genuen. nimirum. *Cum actum fuerit in Sac. Congreg. Cardinalium Concily Tridentini interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quasi possessione Ecclesiar Regularium visitandi, Illustrissimi Patres perspectis scripturis huc ab amplitudine tua non ita pridem delatis, censuerunt debere eam abstinere ab huiusmodi Monasteriorum visitatione, atque Ecclesiarum regularium exemptorum, quibus cura animarum secularium non imminet. Itemque Monialium ijsdem Regularibus subiectarum in his, quæ ad ipsarum clausuram non pertinent. Reliquum est, vt amplitudo tua Sacræ Congregationis responsa prompta, quod suis literis pollicetur, adhæreat, & diu valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die* 26. *Ianuary* 1619. *Har. Cardin. Lancel. lotus*, quæ literæ habentur apud Peyr. *s.* 1. *ad constit.* 2. Sixti Quarti §. 10. *num.* 18. & apud Tambur. loco citato.

957. Sed & vlterius Regulares in Monasterijs exercentes curam animarum si delinquant extra ministerium curæ animarum, & administrationem Sacramentorum, non possunt visitari, corrigi, & puniri per Episcopum, sed eos visitare, corrigere, & punire spectat ad eorum Superiores. Quod & habetur *ex constit.* 22. Leonis X. quæ quæ apud Peyt. *est* 16. §. 3. & ex hoc decreto Concil. Trident. & est de iure communi *cap. fin. de stat. Monach.* & docet Panorm. *cap. cum contingat, de foro competen. num.* 22. & fuisse declaratum à S. Congr. Concilij refert Tambur. *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. *num.* 48.

958. Quantum verò ad ea, quæ spectant ad curam animarum secularium subduntur Episcopo Regulares degentes in Monasterijs, quibus illa incumbit, & eam exercentes. Ad curam verò animarum non spectat solum administratio ipsa Sacramentorum, sed & ea, quæ ab ea dependent, vt media ad eam vt ad finem principaliter ordinata, vt explicant Marc. Antonin. *lib.* 1. *resol.* 102. *num.* 50. Marc. Antonin. de Amatis *dec.* 89. *nu.* 5. Campan. *rub.* 12. *cap.* 13. *num.* 52. quos sequitur Barbosa *ad d. cap.* 11. Concil. Triden. *num.* 15. *& de off. Episc. alleg.* 74. *num.* 20. Tambur. de iure Abbatiatum *disp.* 17. *q.* 3. *num.* 3. Veluti si inquiratur quomodo conseruetur S. Sacramentum Eucharistiæ qua decentia Ecclesiæ ornamenta. Serafin. *dec.* 1067. Vt calicea, & paramenta talia sint, qualia requirit decor celebrationis Missarum, & alia similia, quæ vel ad materiam sacramentorū, vel ad eorum decentem confectionem, aut conseruationem, aut administrationem spectant prout decisum per Sacram Congreg. referunt Franciscus Leo *p.* 2. *cap.* 31. *num.* 3. Campan. *rubr* 12. *cap.* 15. *num.* 49. Barbosa *ad d. cap.* 11. *num.* 15. *& alleg.* 74. *num.* 18. & in terminis Regularium Doctrinaa Indorum administrantium videri posset Rodriq. *t.* 1. *q.* 36. *a.* 3. *&* 4. *& tom.* 2. *q* 64. *a.* 1. Mirand. *tom.* 1. *q.* 42. *a.* 1. Felician. à Vega. *ad cap. cæterum.* 5. *de iud. num.* 56. Ideò Episcopus potest visitare Parochiarum baptisteria, & tabernacula in quibus seruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vt tanquam declaratum in vna Corien. 5. April. 1631. ex Aldano tradit Barbosa *ad cap.* 7. *sess.* 7. Concil. Trid. *num.* 8. Ita tamen vt non per hoc Episcopus possit visitare Monasteriorū sacristias, & tabernacula, & pixides quæ pro vsu Monasterij, & Religiosorum sunt, & non spectant ad curam animarum secularium. Et quia perceptio emolumentorum quæ proueniunt Parochis ex cura animarum ad eandem curam spectat: ideò Episcopus potest Regularem Parochum compellere ne in huiusmodi emolumentis excedat taxam, vt tanquam resolutum in Limana 18. Septembr. 1655. ex Seil. tradit Barbosa *ad d. cap.* 11. *num.* 7. Et quia Congregationes quæ ad disserendum de casibus conscientiæ habentur spectant ad curam

animarum ideò iussu Episcopi tenentur Parochi Regulares etiam Ecclesiarum Militum S. Io. ad illas conuenire, & ita fuisse resolutum sub die 3. Maij 1598. ex Sell. refert Barbosa *n.* 12.

959. Episcopum propterea visitare volentem Parochiales Ecclesias Regularium, & ea quæ ad curam animarum secularium spectant, non possunt Regulares impedire. Et si Regulares recusant illos introducere intra Ecclesias, possunt Episcopi vim inferre; & portas, ac feras frangere. Ionoc. *cap.* 1. & ibi Abbas *num* 5. *de immun. Eccles.* Tuscus *de Visit. l.* 2. *cap.* 16. *post num.* 1. Camp. *rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 52. Tambur. de iure Abbatiss. *disp.* 17. *q.* 3. *num.* 4. Barbosa *ad d. cap.* 11. *num.* 16. *& d. alleg.* 74. *n.* 21. Vnde Episcopus in hoc caso potest impedientes excommunicare etiam non adhibitis monitionibus in ipso actu violentiæ sibi illatæ pro defensione suorum iurium. Genuen. *in prax. cap.* 18. Camp. vbi supra *num.* 53. Tambur. *nu.* 4. Barbosa *num.* 17. Ciarlin *controuers. for. lib.* 1. *c.* 65. *n.* 11. *&* 12. Hoc verò procedit in terminis *constitutionis* 18. Greg. 15. per quam Episcopo concessa est facultas procedendi in his casibus contra Regulares per censuras. In Canone etiam 16. Bullæ *Cœna Domini* sunt excommunicati impedientes Prælatos ne sua Ecclesiastica iurisdictione vtantur. De qua tamen excommunicatione videndi sunt super illam Bullam scribentes. *In capite quoniam de immun. in* 6. excommunicantur, qui in causis Ecclesiasticis impediunt, ne quis impetret literas Apostolicas, vel litiget coram iudice Ecclesiastico, nec non dantes auxilium, consilium, & fauorem. Videantur scribentes super illud *cap.*

960. Est verò discrimen inter decretum *cap.* 11 *sess.* 25. *de Regul. & constit. inscrutabili.* Quod decretum Concilij est ex vna parte vniuersalius, quia se extendit ad quomodocumque delinquentes in exercitio curæ animarum, ideo sub eo comprehenditur Parochus Regularis si delinquat nedum in administratione Sacramentorum, sed si bene v. g. non conseruet Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, si paramentis indecentibus vtatur, si non doceat doctrinam Christianam suo tempore, & si quomodocumque delinquat in cura animarum. Sed ex vi *constit.* Greg. 15. Episcopo subditur Regularis solum si delinquat in administratione Sacramentorum, vt declarauit S. Congregatio Reuerendiss. Fagnano *ad cap. Grone an.* 37. *de off. ordin.* & dictum est supra *num.* 942. Verum quantum ad personas vniuersalior est dispositio Greg. 15. Quia dispositio Concilij comprehendit solos Parochos, seu officium Parochi, siue curæ animarum exercentes ex incumbentia curæ quam habet Monasterium, non verò comprehendit alios etiam si in administratione alicuius Sacramenti delinquant, sed dispositio Greg. 15. comprehendit omnes delinquentes in administrando secularibus aliquod Sacramentum. Est propterea alia distinctio quoad modum procedendi contra delinquentes, quia ex vi *constit.* Greg. 15. Episcopus potest contra Regulares procedere per censuras, sed cum Concilium hoc non exprimat, & alias Regulares habeant priuilegium vt nõ possint excommunicari, &c. Et quando Concilium voluit, vt Episcopi possent procedere per censuras id expressit, ideò Episcopus in terminis decreti *cap.* 7. *sess.* 7. *& cap.* 11. *sess.* 25 *de Regular.* non potest contra Regulares procedere per censuras.

961. Sed & circa constitutionem præfatam Greg. 15. multæ declarationes emanarunt, quarũ plures recensui *tom.* 2. *a.* 1. *pag.* 93. & habentur in Bullar. Rom. post *const. inscrutabili* 18. Inter quas ad rem præsenté facit responsio ad primum dubium, qua est ista. *Ad primum dubium respondit Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum secularium audiantur.* Quo soluta est obiectio, quæ fieri potuisset, quia nimirum & conseruatio Sanctissimi Sacramenti, & loca ad audiendas confessiones deputata ordinantur, & spectant ad quandam curam animarum, & ad administrationem Sacramentorum. Nihilominus S. Congregatio declarauit ex vi *constit.* Greg. 15. non posse Episcopos visitare Tabernaculum, vel confessionalia etiam deputata ad audiendas secularium confessiones; quia, vt dicebatur, in præfata *constit.* non *datur facultas Episcopis* vniuersaliter circa omnia, quæ spectant ad curam animarum, sed solum contra delinquentes in administrando secularibus sacramenta. Imò & in terminis *d. cap.* 11. *sess.* 25. Si Capella in qua exercetur cura animarum, existat intra Monasterium, ius visitandi tributum Episcopo in eo *cap. intelligi* solum respectu personarum exercentium curam animarum in Capella, non verò quod possit visitare ipsam Capellam, & Rota in Placen. coram Plato, & in Ciuitaten. Visitationis 11. Februar. 1594. coram Card. Seraph. tradit Barbosa ibi *num.* 26.

962. Alterius verò declarationis ad rem nostram facientis meminit Barbosa *num.* 19. quam & autheoticam, & impressam in Typographia Reu. Cam. Apostol. se vidisse fatetur, & est ista, *Eam (scilicet constitutionem Inscrutabili* Greg. 15.) *nequaquam subijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum secularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis, ijdem Regulares delinquunt.* Itaque etiam si Regularis delinquat in administratione sacramentorum, si non delinquit in administrando illa secularibus, non subijcitur Episcopi Visitationi. Cum multo minus subijcitur si extra administrationem sacramentorum, & curam animarum secularium delinquat. Vnde tunc a suis superioribus puniri debet. Gallet. in Margar. Casuum *consc. v. Parochus num.* 3. Ric. *res* 513. *num.* 2. *& res* 532. quos sequitur Barbosa *num.* 21. Tambur. *d. q.* 7. *num.* 48.

963. Facultas verò ista data Episcopis, vel à Concil. Tridēt. locis citatis, vel à Greg. 15. non se extendit extra Diœcesim ad Abbatias habentes propriam territorium, & quæ sub nullius Episcopi Diœcesi continentur. Regulares enim intra huiusmodi Abbatias existentes etiam Parochi, etiam Religiosi se sine auctoritate ingerentes in administratione sacramentorum, quatenus delinquant in cura animarum, vel administratione

facia-

sacramentorum puniendi sunt à proprio Abbate seu superiore Abbatiæ habente vtramque iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos. *Rota in Marsicana iurisd.* 27.Iun.1587. coram Robusterio,& in eodem 23.Octob.1589. coram Comitulo, & in Legionen. S. Facundi 19. Martij 1590. coram Card. Pamphilio seniore,& in nullius.11.Febr.159 . coram eodem. Nam facultas data Episcopis in dictis capitibus Concil. Trident. competit etiam Prælatis inferioribus habentibus iurisdictionem, quasi Episcopalem. *Rota in Piscien. iurisd.* 16. Octob. 1580. & 5.Maij 1589. coram Gipsio, & in eadem 20. Octobris 1593. coram Penia, & 15. Iunij 1590. coram Plato. Et in hoc dignoscitur alia differentia inter dispositionem *cap.7.sess.7.& cap.11.sess.25.* Concil. Trident. ex vna parte, & dispositionem *constitut. Inscrutabili* Greg. 15. Quia illa facultas tributa Episcopis per Concilium competit etiam Prælatis inferioribus territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, sed facultas Episcopis tributa per *constit.* Greg. 15. solis competit Episcopis, vt clarè declarauit S.Congr. *in respons. ad* 4. dubium vbi supra. Cum enim 4. dubitatum fuisset. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?* Respondit. *Nõ competere.* Et in 3. dubio cum quæsitum fuisset. *An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tam Seculares, quam Regulares, intelligatur tributa etiam in personas nullius Diœcesis?* Respondit, & *Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.* In quo est aliud discrimen inter decretum Concilij *cap.7.sess.7.de reformat.*& hanc Greg. *constit.* Quod ex virtute illius decreti Episcopus beneficia vnita in nulla Diœcesi existentia visitat si sint secularia, & suæ Cathedrali viciniora. Sed facultate sibi tributa à Greg.15. non potest Episcopus vti in personas nullius Diœcesis etiam suæ Cathedrali su(m)mè vicinis.

964. In hoc verò conueniunt facultates istæ, quod nulla earum data est Episcopis priuatiuè quoad Superiores Regulares, sed cumulatiuè. *Rota in Piscien. iurisd.* 15. Iunij 1590. coram Plato, & in eadem 20. Octobris 1593. coram Card. Seraph. Barbosa *ad d. cap.* 11. *num.*25. & latè hoc probat Reuerendiss. Fagn. *ad d. cap. graue.de off. Ordin.* qui in *cap. cum dilectus.n.*42.*de Relig. Dom.* arbitratur quod facultas data Episcopis in illo c. 11.*sess.*25. sit ordinaria, ex eo quod Concilium dicat, quod huiusmodi Regulares sint Episcopis immediatè subiecti. Sed non est credibile, quod Concilium voluerit priuare Pontificem subiectione immediata, qua illi Regulares subijciuntur. Nec illa dictio immediatè hoc importat, neque enim Pontificis auctoritas est media, & subordinata alicui,& dictio immediatè negat auctoritatem quæ possit esse mediata, & subordinata, & ideò negat auctoritatem superiorum Regularium, vt non sit necesse, quod Episcopus puniat sic delinquentes per Prælatos Regulares, sed possit ille immediatè illos visitare, corrigere, & punire immediatè quantum ad ea, quæ spectant ad curam animarum, quam exercent.

965. Putat etiam Barbosa *ad d.cap.*11.*num.*3. quod Episcopi visitantes Parochos Regulares huiusmodi possint ratione visitationis procurationem exigere, nisi adsit in contrarium consuetudo, vbi ex Aldano dicit ita fuisse decisum in Augustana 26. Iunij 1627.& citat Tambur. *tom.*3. *d.* 5.*q.*11.*num.*49. sed Tambur. *t.*1.*d.*15.*qu.*7.*num.*47. ait Episcopum Parochias Regulares debere visitare absque grauamine, & impensis Monasterij, iuxta statutum Leonis X. in Bulla 22. §. 3. sed Leo ibi excludit insolitum grauamen. Nihilominus cum Innoc. X. paruos Conuentus subiecerit omnimodæ iurisdictioni Episcopi, S. Congregatio super statu Regularium, voluit decernere, an Episcopo visitanti illos debeatur procuratio, dixit tamen in *respons.* ad 9. expedire vt Sanctissimus decernat non licere Episcopis huius visitationis gratia aliquid accipere titulo procurationis.

966. Quamuis verò exercentes curam animarum secularium in Monasterijs sint subiecti Episcopis, tamen nominandi sunt à superioribus Regularibus, & quidem vt amouibiles ad nutum eorumdem superiorum, sic tamen vt necesse sit eos approbari ab Episcopis etiam medio examine, si Episcopo visum fuerit. Fagnan. *ad cap. Graue num.*64.*de off. ordin.* Gonzal. *ad* Reg.8. Cancell. *glos.*3.§.3.*num.*34. Barbosa vbi supra *num.* 24. & 29. Tambur. *d.q.*7. *num.*45. Et possunt huiusmodi Parochi seu Vicarij Parochiales amoueri ad nutum superiorum, non tamen ab Episcopo nisi ex causa legitima.

967. Tandem Concilium excipit Monasteria Cluniacense, & alia quæ sunt Capita Ordinum in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum habent sedem ordinariam principalem, aut etiam vt supra dicebatur Monasteria, aut domus, in quibus Abbates aut alij Regularium superiores iurisdictionem Episcopalem, & temporalem exercent in Parochos, & Parochianos. In regulares enim exercentes curam animarum in his Monasterijs, iurisdictionem non habeat Episcopi, nec eos visitare possunt aut punire.

968. Vltimo aduertendum, quod hucusque dicta respiciunt Ecclesias, & personas exemptas, nimirum beneficia curata vel vnita Monasterijs exemptis, vel ipsa exempta Monasteria quibus incumbit cura animarum. Sed si contingat Regularem exemptum quantum ad sui personam prouideri de beneficio non exempto, sed Episcopo subiecto, Regularis iste quantum ad ea quæ pertinent ad beneficium, vel officium non exemptum erit de iure communi subiectus Episcopo cui illud beneficium seu officium subest. *cap. cum Capella, de priuileg.* Couar. *pract. quæst. cap.*11. *n.*5. Francus *in cap.* 1. §. *illum num.*4. *de verb. signif. in* 6. quos refert, & sequitur Barbauosa. *p.* 2. *qu.* 21. *num.* 31.

969. Et hinc est, quod Regulares exempti subijciuntur Episcopo ratione Capellarum non exemptarum. Panorm. *cap. ex ore. num.*1. & 4. *de priuil.* Vbi Innoc. licet enim probetur exemptio capitis, non ex eo probatur exemptio membrorũ *l. liberar. ff. de adopt.* quia exempta Ecclesia non per hoc censentur exemptæ Capellæ Ecclesiæ accedentes vel connexæ. Gloss. *cap. rogamus* 14.*q.*1. Gloss. *cap. cum & plantare.* & *text. cap. cum Capella,*

pella, de priuileg. Nam potest eximi Ecclesia principalis retenta in potestate Capella. Et ideò exempti possunt conueniri ratione Capellæ non exemptæ coram Episcopo, si non conueniantur ratione Monasterij exempti. Tambur. *t.1.disp.15.q.7.num.54.§.9.*

970. Tertius casus in quo Regulares subijciuntur Episcopis est ex Concil. Trident. *ses.23. cap.15.* in quo statuitur, quod Regulares non possint audire confessiones secularium nisi approbati ab Episcopo etiam medio examine, si id ei visum fuerit. Hoc idem habetur statutum in *constit.inscrutabili* 18. Greg.15. cum hoc discrimine; quia ex vi Concilij, si Regularis in hoc non obediat non est puniendus per Episcopum, sed per suos Superiores; sed ex vi *constit.* Greg.15. puniri potest Episcopum vt per Sedis Apostolicæ Delegatum. Cum verò de huius approbationis necessitate, & de subiectione ista Regularium ad Episcopos quantum ad facultatem audiendi cõfessiones secularium, & eos absoluendi abundè actum sit supra *t.2.q.187.a.1.* non opus est hic aliquid addere, nisi quod ad maiorem comprobationem eorum, quæ ibi dicta sunt, obseruantur aliquę declarationes S. Congr. quas refert Fagn. *cap.graue.num.50.de off.ordin.*

971. Prima est Sac. Congregationis Concilij in hæc verba: *an Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas confessiones præuio examine ad tempus, elapso tempore tanquam semel approbati possint inuito ordinario deinde audire confessiones:* Congregatio *censuit non posse.* Secunda, *an Episcopus volens ex noua causa regulares semel ad confessiones audiendas approbatos examinare, teneatur eam patefacere superioribus regularibus, & an de huiusmodi causa constare debeat, vel sit credendum Episcopo attestanti huiusmodi causam subesse:* Congregatio Concilij *censuit posse Episcopum ex noua causa, etiamsi de ea non constet in actis rursum examinare, ac minus repertum idoneum reprobare regularem semel ad audiendas confessiones approbatum, idque eius arbitrio, quod tamen esse debebit moderatum, atque discretum, ita vt eo non abutatur. Verum vbi hoc facere voluerit, debere id Superioribus regularibus significare, non quidem cum indiuidua expressione causæ; sed tantum exprimendo se velle ob nouam, quæ superuenerit causam ad huiusmodi examẽ procedere.* Tertia. *Conquerentibus Regularibus S. Dominici Neritonen. quod cum sint præuio examine approbati ad confessiones secularium audiendas à Vicario Episcopi, dum Episcopus Romæ moraretur, tunc Episcopus ad suam Ecclesiam accedens velit eos rursus pro audiendis confessionibus examini subijcere:* S. Congreg. Concilij *censuit, posse Episcopũ rursum examinare confessarios regulares à suo Vicario approbatos.* Quarta est S.Congregationis Episcoporũ his verbis. *An Episcopus, qui regulares ad confessiones personarum secularium audiendas approbauit, possit eosdem ex noua causa ab ijsdem confessionibus audiendis suspendere, aut licentias illis concessas reuocare, non obstantibus quibuscumque priuilegijs in fauorem quarumcumque personarum, atque ordinum; & qualis huiusmodi causa esse debeat:* Sac. Congr. negotijs, & consultationibus Episcoporum, ac Regularibus præposita censuit *Episcopum quamuis simpliciter, & absque vlla temporis præfinitione approbauerit regulares ad confessiones personarum secularium audiendas; posse tamen eosdem, si noua causa superuenerit, vt supra suspendere, ac licentias illis concessas reuocare, dummodo causa huiusmodi confessiones ipsas concernat. Cæterum si regulares cum scandalo, aut alias inhonestè viuant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam, cum præcipua ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit integritas vitæ, ac morum honestas vtique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis.* Quinta est S.Cõgregationis Concilij, vt infra. *An Regulares possint personarum secularium confessiones audire virtute licentiarum à prædecessoribus Ordinarijs obtentarum etiam renuente Episcopo Ordinario pro tempore existente:* S. Congregatio *censuit posse, quam diu Episcopus non prohibuerit. Cæterum esse in facultate Episcopi successoris illos rursum examinare, atque prohibere.*

972. Quartus casus est ex decreto S. Congr. Rituum, per quod statuitur, vt non liceat Regularibus etiam in eorum proprijs Ecclesijs Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario; ex causa autem priuata possint, dummodo Sanctissimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita vt ipsa hostia videri non possit. Et de hoc quoq; casu actum est supra *to.2. q.187.a.1.*

973. Quintus casus habetur ex *cap. ad hæc de priuileg. & Clem. 1. & 2. de sepult.* & consistit in hoc quod Ordinarius nedum potest prohibere ne excommunicati nominatim vel vsurarij manifesti sepeliantur in Ecclesia, vel loco sacro etiam exempto existente intra fines suæ Diœcesis, imo Regulares tempore interdicti sepelientes mortuos, vel sepelientes nominatim excommunicatos, & manifestos vsurarios sunt ipso facto excommunicati, nec possunt absolui, nisi prius ad arbitrium Episcopi parti satisfecerint, sed & possunt præcipere, vt si aliquis talis fuerit sepultus exhumetur, & contrauenientes puniri. Panorm. *cap. Sacris. num. 7. de sepult.* Franc. *cap. Episcoporum. num.3.* Felin. *cap. vlt. in fin. de sepult.* Tambur. *t.1. disp.15.q.7.num.54. §.4.* Barbosa *all.105.num.83.* Pax Iordan. *l.7.tit.14.num.152.* sed & de hoc quoque casu dictum fuit *supra tom.2.q.187.*

974. Sextus casus deducitur ex Concil. Trid. *ses.25.cap.13.de reformat.* vbi decernitur, vt in quibuscumque locis ante annos 40. quarta funeralium Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio alijs Monasterijs aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac integrè Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus priuilegijs etiam Mari Magno nuncupatis. Fagnan. *ad d.cap. Graue.num.74.de off.ordin.* At de hoc quoque casu abundè actum est *supra tom.2. q.187.*

975. Septimus casus continetur in Concil. Trid. *ses.22.cap.vn. de obseru. & euit. in celebr. Missarum,* vbi inter alia mandatur Episcopis. *Ne patiantur*

tiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda Sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi &c. Est autem non parua difficultas an per hoc decretum renocata sint antiqua priuilegia Regularium quamobrem opus est in hac parte, & eadem priuilegia, & alia noua inta recensere.

976. Honorius Tertius *in Constit. Postulatis*, data 2. Nonas Maij Pontif. 5. quæ habetur in Bull. Prædicatorum *fol.* 37. eisdem Prædicatoribus concessit vt infra. *Postulastis à nobis, vt cum extra Ciuitates, & Villas frequentius existatis, nec vobis expediat per huiusmodi loca discurrere pro diuinis officijs audiendis, celebrandi vobis vbi Conuentus de ordine vestro fuerit, super altare portatile licentiam præberemus. Nos autem id, vestris postulationibus inclinati concedimus, sine iuris præiudicio alieni.* Hoc idem priuilegium verò de verbo ad verbum eisdem concessit Innoc. 4. secundo Nonas Septembris anno Pontif. primo sed et Greg. XI. *in constit. Virtute conspicuos* 7. §. quæ fuit confirmata in Mari Magno hoc concessit eisdem Prædicatoribus. *In locis in quibus*, inquit, *degitis liceat vobis habere oratoria, in quibus cum altari portatili possitis Missarum solemnia, & alia diuina officia celebrare ac etiam recipere Ecclesiastica Sacramenta.* Sed vniuersalius est priuilegium Prædicatoribus, & minoribus concessum, ab Honor. 3. quod habetur *cap. in his, de priuileg.* vbi continetur concessum illis fuisse, *vt vbicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio, cum altari valeant viatico celebrare*. Et in hac vniuersalitate idem concessit Sixtus Quartus *in constitut.* 7. seu Mari Magno. apud Lezanam §. 39. & 40. similia verò continentur in Mari Magno Minorum §. 39. & Carmelitarum §. 50. & 51.

977. Sed & Paulus Tertius *in constit. licet debitum* concessit Societati, vt infra. *Liceatque Præpositis; & de eorum etiam facultate vniuersis Fratribus, & socijs Societatis huiusmodi in Presbiteratus Ordine constitutis, in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratorio, & in eis, ac quocumque alio honesto, & congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reuerentia, & honore &c. Missas & alia diuina officia celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere, & alijs ministrare &c.* Postea Greg. 13. eidem Societati vsum altaris viatici concessit pro Missionarijs *in constit. quæ incipit. Vsum altaris*, & fuit data 1. Octob. 1579. & habetur in Bull. Societatis *fol. mihi* 93. Idem verò Greg. 13. *in const. decet Romanum Pontificem*, data 3. Maij 1575. & habetur in Bull. Societatis *fol. mihi* 137. eidem concessit, vt infra. *Volumus vt in Oratorijs, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in Domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis resident approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint; Missæ & alia diuina officia, alterius licentia desuper minimè requisita, celebrari possint.*

978. In Bullar. etiam Cassin. *const.* 355. habetur priuilegium Clem. 7. per quod Confratribus Societatis S. Mariæ de Carmelo conceditur facultas faciendi celebrare per Sacerdotem Secularem, vel Regularem in altari portatili; sed & Nicolaus Francus Cardin. legatus Sixti Quarti, et habetur in Bullar. Rodriq. *sub. num.* 44. concessit Monast. S. Benedicti Vallisol. Vt in eius Monasterio, & in alijs eidem subiectis tam in infirmarijs, quam in alijs locis honestis intra septa Monasterij habere altaria portatilia possint. Pium etiam quartum Canonicis Regularibus S. Saluatoris concessisse, et infirmi quibus exire de cubiculo non est permissum possint durante infirmitati Missam in proprio cubiculo super altari portatili per aliquem Sacerdotem celebratam in loco decenti, & honesto audire referunt Peir. tom. 1. *ad const.* Pyrrhi *num.* 34. Lezana p. 3. *v. Altare num.* 15. Peir. autem fatetur se hoc habuisse ex compendio congregat. S. Mariæ Falicn. *tit.* Infirmi §. 5. & ex Pereg. illud refert in Compend. Priuileg. Cleric. Reg. *tit. Missa* §. 3. Et aduertunt præfati DD. hoc priuilegium fuisse concessum anno 1565. post Bullam confirmatoriam Concilij Tridentini. Verum cum non referant Bullam in qua *d. priuilegium continetur*, minimè constat an illud priuilegium sit, vel non sit *viuæ* vocis oraculum.

979. Tandem quantum ad celebrationem Missarum in priuatis Oratorijs sub Paulo Quinto exijt declaratio, & decretum S. Cong. Concilij per quod decernitur solius summi Pontificis esse concedere Oratoria priuata, quod decretum referunt Pasqualig. *dec.* 165. & Cespedes *dub.* 91. & est sequent. tenoris. *Perillustris ac Reuerendissime Domine vti Frater. Tametsi Sacra Cardinalium Congregatio Concil. Tridenti. interpretum optimis innixa rationibus sæpissimè responderit, celebrandi licentias in priuatis Oratorijs non nisi à Sede Apostolica esse concedendas; compertum est tamen per plures Antistites, eiusdem Concilij verbain aliam sensum detorquentes, passim illas, ac nullo prope delectu impertiri. Quæ quidem facilitate nedum ipsi Pontificiam sibi auctoritatem adsciscunt, aliarumque Ecclesiarum, & frequentiam minuunt, & dignitatem, verum etiam (quod summè dolendum est) tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeo sanctum, atque diuinum à Christi fidelibus tractari potest, intra domesticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil ferè inter prophanam, & diuinam domum interesse videatur. Quod sanè teterrimum exemplum, vt de Christiana Repub. euellant Illustrissimi Patres, Amplitudini tuæ cæterisque Archiepiscopis, atque Episcopis vniuersis, Sanctissimi D. N. iussu significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij decreto vnicuique ademptam esse, soloque Beatissimo Romano Pontifici esse reseruatum. proindeque Amplitudini tuæ abstinendum esse ab illis vtcumque tribuendis, ac si quas hactenus vel tuis Antecessoribus aut aliàs quoquomodo, quam ab ipso Summo Pontifice concessas reperieris, nullas, atque irritas esse quamprimum decernas, atque curet curandum, ne vlla illarum ratio imposterum habeatur. Quam quidem Sacræ Congregationis, atque adeo Sanctissimi sua voluntatem libenter Amplitudo tua perficies, harumque litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad singulos istius Prouinciæ Episcopos &c. Romæ die 20. Martij anno M DC. XV.* Fuit verò hoc decretum intimatum

tum Ordinarijs per litteras circulares, vnde sine dubio habet vim legis Pontificæ obligantis ad eius executionem, & ad non intelligendum aliter Concilium Tridentinum in supra recensito eius decreto.

980. His præmissis quæritur an per decretum Concilij sint reuocata supra recensita Regularium priuilegia. Affirmant enim quam plures, nimirum Nauar. in Manual. *cap.* 25. *num.* 82. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 26. *q.* 7. Henriq. *l.* 9. *cap.* 27. *num.* 2. Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 3. *vers.* quarta exceptio, Barbosa *de off. Epis part.* 2. *all.* 23. *num.* 4. Faustus *lib.* 2. de Sacrif. Missæ *q.* 171. Lezana *p.* 1. *quæst. reg. cap.* 21. *num.* 14. Coniuch. *de sacram. q.* 83. *a.* 3. *d.* 1. *num.* 226. Durant. *de ritib. Ecclesiæ l.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Fagnan. *ad cap. Graue num. de off. ordin.* Sed negant Rodriq. *p.* 1. *q.* 43. *a.* 5. Ledesma *p.* 1. *cap.* 20. *diff.* 4. *concl.* 2. Io. à Cruce *l.* 2. *de priuil. cap.* 5. *d.* 7. post *concl.* 4. Hieron. Rodriq. *resol.* 9. *num.* 4. Cardin. de Lugo *disp.* 20. *de Eucharist. sec.* 2. *num.* 51. Portel. *v. Altare num.* 1. Cespedes *dub.* 91. Pasqual. *dec.* 54. Tomas Tambur. de Sacrif. Missæ *l.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Lezana *p.* 3. *v. Altare nu.* 13. Sed huius negantis opinionis ratio non probat. Eius enim ratio est, quia Concilium non prohibet directè vsum Altaris portatilis, sed iubet Episcopis ne permittant celebrare extra Ecclesiam. Et sic dat Episcopis facultatem prohibendi vsum talis Altaris extra Ecclesiam, vel Oratoria ab eo designanda, non tamen prohibet, quin Regulares Episcopo non prohibente possint vti suis antiquis priuilegijs. Sed hæc ratio debilis est, quia Concilium dum nedum concedit Episcopis facultatem prohibendi, sed iubet, vt non permittant celebrari priuatis in domibus, vel omnino extra Ecclesiam, simul id omnino fieri prohibet, quod iubet non permitti. Ideò Concilium derogans expresse priuilegijs Regularium in fine illius capitis, reuocauit omne priuilegium per quod illis concessum fuit celebrare, vel in priuatis domibus, vel omnino extra Ecclesiam. Et eo magis hoc asserendum, quo id supposuit, & expresse asseruit Greg. 13. in priuilegio concesso Societati pro Missionarijs, & supra recensito. Dicendum igitur est, quod priuilegia in quantum sint contraria illi decreto Concilij, & non sint concessa post illud, & cum illius derogatione sunt reuocata.

981. Considerandum igitur, quod Concilium duo prohibet, primum scilicet non celebrari in priuatis domibus; secundum non celebrari omninò extra Ecclesiam, aut publica Oratoria ab eodem Episcopo deputanda, & visitanda. Quantum ad primum igitur Concilium aufert omnino Oratoria priuata, ita quod & Episcopis aufert facultatem ea concedendi ideò, & priuilegia Regularium pro ea parte pro qua concedebant vsum Altaris portatilis in quocumque loco honesto, & decenti, sunt reuocata respectu domorum priuatarum, & Oratoriorum, quæ sunt in priuatis domibus, ita vt nec de solius Episcopi licentia, possint hæc Oratoria admitti, & in eis celebrari, sed sit ad hoc necessaria omnino licentia summi Pontificis etiam si talia Oratoria sint ad solum Dei cultum in perpetuum deputata, vt bene tradiderunt Nauar. *cap.* 21. *num.* 81. Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. vlt. p.* 9. *num.* 11. Miranda *tom.* 1. *q.* 40. *a* 9. *concl.* 3. Lezana *v. Altare* Scotus Ricc. Homob. Fuscus, Fagund. Nald. Gauant. Lugo, Faustus quos refert, & sequitur Pasqual. *dec.* 165. *num.* 2. Et modo amplius constat ex decreto S. Cong. Concilij & Pauli Quinti. Vbi verò detur de licentia Papæ Oratorium priuatum in quo possit celebrari forma concessionis est seruanda, quam ponit Thomas Tamburin. de Sacrif. Missæ *cap.* 3. §. 4. *num.* 1. Quod si in ea ponitur clausula, *per Ordinarium loci prius visitando, & approbanda, ac de ipsius ordinarij licentia, eius arbitrio duratura*, iam in arbitrio Episcopi est vsum talis Oratorij prohibere, & sic etiam Regularibus inhibere ne ibi celebrent ex eo quia prouidere quæcumque in sua Diœcesi spectant ad cultum Dei ad Episcopum spectet, tum ex præfato Concilij Trid. decreto *cap. vn. sess.* 22. tum ex *cap.* 8. *sess.* 21. *de reformat.* tum ex *cap.* 8. eiusdem *sess.* 22. *de reformat.*

982. Secundum quod prohibet Concilium, est celebrare omnino extra Ecclesiam, vel extra oratoria publica ab Episcopo designanda, & visitanda. Et ex hoc vsus altaris portatilis extra Ecclesiam, vel publicum Oratorium est prohibitus, & reuocata sunt priuilegia hunc vsum concedentia. Difficultas tamen triplex hic remanet; prima est, an ex hoc Concil. Trid. decreto reuocatum sit priuilegium habendi intra Monasteria seu Cōuentus Oratoria, & in eis celebrandi. Habere enim Oratoria in Conuentibus, & locis vbi degunt, & in eis celebrare fuit Regularibus concessum, vt patet ex Mari Magno Prædicatorum supra *nu.* 976. ex *priuil.* Pauli 3. pro societate supra *num.* 977. Dicitur verò hoc priuilegium non esse reuocatum per Concilium Tridentinum. Tum quia post Concilium fuit à Greg. 13. concessum Societati, vt patet *n.* 977. Tum quia Oratoria, quæ sunt intra septa Monasterij non sunt omnino extra Ecclesiam. Nec Concilium sine causa posuit illam dictionem *omnino*, sed voluit ex hoc significare, quod ex vi dicti decreti non excluduntur Capellæ, vel Oratoria, quæ sunt in Sacristijs, vel Regularium Capitulis, vel locis Ecclesiæ annexis, & quæ sub nomine Ecclesiæ veniunt in iure. At verò sub nomine Ecclesiæ veniunt etiam Monasteria, & domus Religiosorum, *vt per* DD. *in* rubr. de rebus Ecclesiæ non alienan. & Io. And. *in cap.* 1. de in integrum *restit.* Panorm. *in cap.* 2. *de consuetud.* & Cardin. in Clem. 1. *q.* 3. *de sudit.* Vnde & gaudent eadem Ecclesiastica immunitate qua gaudent Ecclesiæ. Et sic oratoria, & Capellæ erectæ intra Monasteria Regularium non sunt omnino extra Ecclesiam, sed intra Ecclesiam censendæ sunt esse: & ideò non esse contra Concilium Tridentinum si huiusmodi oratoria, vel Capellæ de licentia Prælatorum Regularium ad quos illam dare pertinet, erigantur, & in eis Missa celebretur in terminis priuilegiorum, quæ in hac parte non sunt reuocata, cum eis non obstet decretum Concilij tradiderunt Rodriq. *par.* 2. *quæst.* 75. *a.* 1. Portell. *v. altare num.* 3 Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 9. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 81. *sec.* 3. Fagundez *de prac. Eccles. p.* 1. *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 17. Lezana *p.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. & *p.* 3. *v. altare num.* Villalobos, Henriq. Hieron. Rodriq. quos refert, & sequi-

sequitur Pasqual. *decis.* 174. *nu.* 2. Et in huiusmodi Oratorijs seu Capellis celebrare poterunt etiā Sacerdotes seculares Pasqual. *dec.* 180. Fagund. *d. cap.* 13. *num.* 17. Suarez, Henriq. Faustus, quos refert, & sequitur Cespedes *dub.* 91. In quo tamen considerandus erit tenor priuilegiorum, & an facultas celebrandi sit concessa ipsis tantum Regularibus, vel quia absolutè concessum sit posse in dictis Oratorijs celebrari, nam si priuilegiū concedat facultatem celebrandi in his Capellis solis Sacerdotibus Regularibus, non poterunt ibi celebrare seculares. Si tamen non adsit exclusiua aliorum Sacerdotum non puto eos excludi, per hoc quod soli nominentur Regulares in concessione; quia duo distingui debent, primum est erectio Oratorij, seu Capellæ, secundum est facultas ibi celebrandi. Primum horum est absolutum, & si semel erigitur Oratorium ad Dei cultum, & admissas celebrandas, quia non interest an per hunc, vel alium Sacerdotem ibi celebretur, & locus celebrationi deputetur, per hoc quod subditur, & Regularibus facultas celebrandi conceditur, nisi expressè excipiantur non intelliguntur exclusi Sacerdotes seculares, quin in eo loco ad celebrandum deputato celebrare possint, & sic Regularium expressio non est aliorum Sacerdotum exclusio. Qui verò Missas celebratas in huiusmodi Oratorij, audiunt satisfaciunt præcepto de Missa in die festo audienda, vt tradunt Anoc. Suarez, Toiet. Barb. apud Dianam *p.* 9. *tr.* 8. *res. vlt.* & Thomam Tambur. *de sacrif. miss.* *l.* 1. *cap.* 3. §. 6. & 9. Pasqual. *dec.* 175. *num.* 4. Quia præceptum audiendi Missam non obligat, vt audiatur hic vel ibi, & textus *cap.* 2. de Parochis, iam non est in vsu. Tum quia quando Pontifices volunt, vt per Missam auditam in Oratorio non satisfiat præcepto audiendi Missam id exprimunt, vt solet fieri in licentia habendi Oratoria in domibus priuatis, vt patet apud eundem Tambur. ibid. §. 4. *n.* 1. & 34.

983. Verum dubium esse poterit, an intra septa Monasterij possit erigi Oratorium principaliter pro aliqua Laicorum confraternitate. Videtur enim posse erigi, quia cum huiusmodi Oratoria non erigantur nec in domo priuata, nec extra Ecclesiam omnino, non sunt comprehensa sub decreto Concilij Trident. & sic non videntur prohibita. Verum obstat in contrarium, quod huiusmodi oratorium censendum sit seculare oedū quia fit pro secularibus subiectis Episcopo, & pro cultu Dei exhibendo à secularibus, & quia cultus propterea subest directioni, & iurisdictioni Episcopi, sed etiam quia Oratorium huiusmodi curæ, & administrationi Laicorum est subiectum; cum ex bonis confraternitatis erigi debeat altare, & supellectili Sacra ornari, & expensis eiusdem confraternitatis ei deseruiendum sit; vnde huiusmodi Oratorium visitationi Episcopi, subest vt etiam infra probatur, vnde non potest negari, quod etiam Episcopi sit illud benedicere & cognoscere an in eo sint Missæ celebrandæ, & diuina officia. Non potest ergo erigi sine licentia, & benedictione Episcopi.

984. Secunda difficultas, est an huiusmodi Oratoria, aut Capellæ erigi possint in Grangijs, seu locis ad recreationem Regularium deputatis affirmant Rodriq. *p.* 2. *q.* 75. *a.* 1. Peir. *tom.* 1. *priuil. ad constit. Pirrhi num.* 31. Lezana *p.* 1. *cap.* 21. *n.* 14. & *p.* 3. *v. altare num.* 14. Cespedes *d.* 91. *num.* 2. Pasqual. *dec.* 175. *num.* 1. Dicunt verò non obstare decretum Concil. Triden. Tum quia huiusmodi Grangiæ non sunt domus priuatæ, tum quia non sunt loca extra Ecclesiam, cum sint domus Religiosæ quæ gaudent immunitate Ecclesiastica ex priuilegio Eugen. 4. concesso Ordin. Cistercien. vt ex compend. priuileg. dicti Ord. tit. Grangiæ §. 2. Tum quia huiusmodi Grangiæ sunt loca Religiosorum, quibus ratione professionis competit habere vbi celebrent. Certe Alex. 6. *in constit. Romanus Pontifex, data* 8. *Idus Nouem.* Pontificatus 7. quæ habetur in Bull. Rodriquez. *sub. num.* 14. erigere capellas, vel Oratoria in Grangijs concessit ibi. *Extendentes, & ampliantes eisdem Abbatibus, quod in ipsis Grangijs, & locis, in quibus non sunt Capella, seu Ecclesia, aliquas Ecclesias, seu Capellas, vel Oratoria, seu altaria, in quibus, & ad quæ Missæ, & alia diuina obsequia celebrari possint, sine alicuius præiudicio construendis, & ædificandis Diœcesani loci, & cuiusuis alterius licentia super hoc minime requisita, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, & etiam facultatem concedimus, ac pariter indulgemus.* Sed hoc supposito priuilegio difficultas est an sit reuocatum per Concilium; nam huiusmodi Grangia licet propriè non sit domus priuata, cum sit domus Monasterijs, & Religionis, videtur tamen, quod sit locus extra Ecclesiam, & ex consequenti, quod ibi erigere Oratorium in quo celebretur sit prohibitum. Nam Grangia teste Card. Tusco *v. Grangia* non est locus Sacer, vnde est quod Lezana *v. immunitas num.* 3. ex Barbosa, & Gambacurta tenet Grangiam seu domum, Religiosorum non gaudere immunitate Ecclesiæ, si sit separata ab Ecclesia. Sed dicitur hoc esse verum de iure communi, non verò de iure priuilegiorum. Nam Eugen. 4. vt refert Rodriq. 2. *p. q.* 75. *a.* 2. Cistercienribus concessit, quod *Grangia Monasteriorum Cisterciensium, sicut Ecclesiarum altaria, prauorum hominum in cursu, & violentia libera, & quieta debeant esse; ita vt nemo in eis hominem capere, spolium ac rapinam exercere præsumat in virtute Spiritus Sancti inhibendo statuit.* Hoc autem priuilegium non esse viuæ vocis oraculum ex eo colligitur, quod prohibentur quicumque in virtute Spiritus Sancti in eis Grangijs aliquem capere, quod non consueuit fieri in oraculis viuæ vocis, quia de oraculo viuæ vocis, cum non constet, nisi ex testimonio priuilegiati, cui credere non tenentur in sui præiudicium illi, quibus oraculum præiudicat, ideò huiusmodi præiudicialia tertio in quibus, tertio præcipitur, aut prohibetur aliquid non expediuntur per oraculum, sed per Bullas. Sed & hoc priuilegium teste Card. de Lugo *lib.* 3. *mor. dubia* 15. *num.* 3. approbauit S. Congreg. quia cum per curiam secularem captus fuisset quidam in Grangia Regularium, & ipsi institissent coram Episcopo pro defensione immunitatis, & Episcopus S. Cong. consuluisset, ipsa respondit, *si Capella illa erat in grangia obseruandum priuilegium.* Et si dicatur in eo priuilegio nomine Grangiæ non venire domum rusticam, seu villam recreationis gratia constru-

ctam, sed paruam domum Regularem, quæ est membrum alicuius Monasterij, & seruit pro hospitio Religiosorum, in quo sensu grangiam sumit Diana *p.6. tr. 1. ref.6.* Respondetur nomine grangiæ intelligi etiam villam cum capella in qua Religiosi recreationis gratia adeuntes celebrant. Nam & in hoc sensu accipitur grangia *cap. vlt.* de censibus ibi. *Auctoritate præsentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in Oratorijs, quæ in grangijs vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procurationes quæ ratione visitationis debentur a vobis exigere, vel extorquere præsumat.* Vbi Gloss. *in v. ratione visitationis notat*, quod in illis grangijs licet ibi quandoq; Monachi celebrent, non cōsueuerunt Monachi morari, sed Cōuersi causa colendi agros. Et glossa Marginalis addit, in multis Hispaniæ locis grangias vocari, quæ latinè rura vocant. Et lingua Italica huiusmodi villas granglas vocare solet. Vnde vt habet Card. de Lugo citatus ille Episcopus perstitit in defensione Immunitatis, licet villa fuerit illa, in qua ille captus fuerat. Vnde tandem reus restitutus fuit. Et sic ad effectum fruendi immunitate Ecclesiastica, quod sub nomine Grangiæ veniat nedum Conuentus paruus alterius principalioris membrum, in quo paruo Conuentu perpetuo degunt aliqui Religiosi, sed etiam Villa destinata pro Regularium recreatione, docet etiam Diana *p.10.tr.15.ref.38.in fin.* Et ad hoc le extendit *Priuileg.* Pauli Tertij recensitum *supra n.* 977. Nam & Religiosi sic in communi dicuntur degere, vel pro tempore commorari in domo rurali in qua recreationis gratia Religiosi Sacerdotes morari solent. Et huiusmodi domus nec est secularis, neque priuata, sed simpliciter Religiosa tanquam vsui Religiosorum simpliciter deputata.

985. Tertia difficultas est, an priuilegium altaris portatilis vigeat adeo vt Regulares intra infirmarias Monasteriorum in Cellis infirmorum in loco honesto, & decenti possint celebrare Missam. Affirmant Rodriq. *p.2.disp.75.* vel apud me 76. *n.1. & 2.* Peyr. *to.1.ad const. Pirrhi. n.34.* Lezana *p.3.v.altare.n.15.* vbi quod aliquando in Hispania vidit ita fieri Pasqual. *dec.* 176. Fundantur autem super priuilegio concesso Canonicis Regularibus S. Saluatoris à Pio Quarto. Sed vt dixi non constat an illud priuilegium sit viuæ vocis oraculum, sicut Lezana aduertit non constare de alio priuilegio celebrandi in camera Prioris, quod Portell. *v. Altare num.3.* refert fuisse concessum Hieronym. Verum in hac parte considerandum erit, quod non facile eueniet vt ipsa infirmi cella sit locus decens, & honestus in quo celebrari possit, vt etiam *infra* aduerto ex *priuil.* Clem. 8. pro Carmelitis Discalceatis. Cæterum cum Monasterium censeatur Ecclesia, & sit locus, qui non est omnino extra Ecclesiam, ideò celebratio in loco existente intra Monasterium non est comprehensa sub decreto Concil. Trident. recensito, vnde priuilegium celebrandi in altari portatili non est ex hac parte reuocatum.

986. Quoniam verò in recensitis priuilegijs continetur, quod celebratio Missæ in vsu altaris viatici fiat sine præiudicio Parochiæ, aduertunt Rodriq. *d.q.76.a.1.* Io. de Croce *l.2.de stat.Rel.cap.5. d. 7.* Sixtum Quartum declarasse hoc præiudicium consistere in decimis, & primitijs. Habetur verò hæc declaratio in Mari Magno Carmelitarum in monumento *Ordin. fol. mihi* 185. *concess.* 465. & apud Lezanam § 87. vbi idem Lezana aduertit, quod cum Clemens Quartus, vt habetur in eodem Mari Magno. §. 36. declarauerit hoc præiudicium consistere in oblationibus, decimis, & primitijs, Sixtus Quartus omisit oblationes. Sic enim ait; *Et ne de iure huiusmodi possit aliqua quæstio suboriri: iuris huiusmodi appellatione intelligimus decimas, & primitias dumtaxat, quæ à Laicis solent Clericis exhiberi.* Sed attentis multis iuribus nouis dico hoc præiudicium attendi in his, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem, & alia quæcumque Parochis debita de iure, in alijs verò non.

987. Priuilegium autem Missionariorum in terminis priuilegij Gregor. 13. supra recensiti pro Societate, & in terminis Clem. 8. pro Carmelitis Discalceatis Cong. Italiæ, quod habetur apud Vercell. *de Sacris Missian.tit.4.in princ.* viget sine dubio. Hæc autem sunt verba Clem. 8. ibi *Altaria portabilia cum debitis honore, & reuerentia habere, & super illis in quibuslibet locis, decentibus tamen, & honestis, & ab omnibus actibus humanis seiunctis, & remotis Sacrosanctum missæ sacrificium etiam ante lucem, &c.* Aduertenda verò sunt illa verba ab *omnibus actibus humanis seiunctis, & remotis*, vnde pro celebratione requirit loca non deputata alijs vsibus humanis, sed ab eis seiuncta, & remota. Quo confirmatur id, quod supra dixi, quod difficile est, vt Cellæ infirmorum sint loca decentia pro Missæ celebratione, quia non decet pro reuerentia tanti sacrificij vti loco ad humanos vsus deputato.

988. Quamuis verò facultas, quam Episcopus concedere poterat celebrandi in Altari portatili ex vi *cap. Missarum, de consec. dist.* 1. modo sit reuocata ex vi decreti præfati Concil. Trident. nihilominus in casu contingenti ex iusta causa posse Episcopum concedere, vt celebretur extra Ecclesiam vel alium locum sacrum, quia Concilium intendit tollere abusus, non verò necessariam vtilitatem, tenent Nauar. *cons.5.de priuil.* Sayr. *dec.17.eod.tit.* Bonac. *de Sacram. d.4 q.vlt.p.9.n.10.* & alij quos sequitur Barbosa *ad d. cap.vnic. de obseruand. sess.22.* Concil. Trident. *num.18.* & multo plures quos recenset, & sequitur Pasqual. *dec.* 166. vt si adesset maxima populi multitudo, & parua Ecclesia, aut tempore belli, vel pestis, vel alia simili occasione. Peyr. vbi supra. *num.* 35. sed de his causis videri potest Pasqualig. *decis. 167. & sequent.*

989. In ijs verò casibus in quibus Episcopus potest dare licentiam celebrandi extra Ecclesiam omnino Sacerdotibus secularibus, id potest etiam concedere Regularibus. Cæterum decretum hoc Concilij generaliter comprehendere etiam Regulares quantumuis exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinarijs locorum circa obseruanda, & euitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino seruare teneri, ad idque etiam pœnis ac censuris Ecclesiasticis ab ijsdem Ordinarijs cogi, & compelli posse tanquam decisum à S. Congreg. docet Reuerendiss. Fagnan. *ad d.cap.Graue. num.46.* Quod intelligo de omnibus à Concil. expressis

pressis *in eod. cap. vnico*, verum si v.g. mihi præciperet Episcopus vt in celebratione Missæ vterer Missali Romano; & non celebrarem secundum ritum mei Ordinis Prædicatorum approbatum à Sede Apostolica, non ei obedirem. Eius verò est non permittere quæ superstitiosa aut mala sunt, & scandalum actiuum possunt parere, & vniuersaliter quæ in celebratione missarum ex sacris Canonibus, aut ex lege diuina prohibita sunt, & iudicari debent esse omnibus pensatis contra sanctitatem, excellentiam, & dignitatem tanti sacrificij. & ideò omnia illa, quæ ex virtute Religionis prohibita sunt, vel prohiberi conuenit. Cæterum non potest Episcopus vel proprios Regularium ritus tollere, vel nouas rubricas condere, vel quæ de se nec mala sunt, nec irreuerentiam tanti sacrificij præseferunt, nec speciem mali habent Regularibus prohibere, vel ne eorum priuilegijs vtatur interdicere. Quantum verò *ad extrauag.* Pij V. publicatam die 29. Martij 1566. per quam interdicitur Sacerdotibus tam secularibus, quam regularibus sub pœna suspensionis à diuinis, ne prætextu licentiarum, aut facultatum Missas celebrent tempore vespertino, Regulares subduntur Episcopis, quia etiam Pontifex illis præcipit, vt eandem constitutionem sub prædictis, & alijs pœnis obseruari faciant.

990. Octauus casus continetur in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regul. ibi. Censura, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur*. Est verò hic grauis difficultas, an per hoc Concilij decretum intelligantur reuocata priuilegia Regularium etiam in corpore iuris insertа, & quæ habentur *cap. cum & plantare §. quod si Templarij, & cap. Vt priuilegia, de priuileg. & cap. vlt. eod. tit. in 6. & cap. Alma mater. de sent. excom. eod. lib* Affirmant enim Nauar. *cap. 27. num. 190. & conf. 7. de priuil* Garz. *p. 3. cap. 2. nu. 278.* & sic fuisse declaratum à Sacr. Congreg. Concilij referunt Garz. *p. 5. cap. 8. num. 87. ver. ad* 8. & ex Armendar. Barbosa *de off. Episj. p. 3. alleg. 105. num. 44.* sed non esse reuocata tradunt quamplures. Henriq. *l. 13. c. 48. num. 1.* Rodriq. *p. 2. q. 112. a. 2.* Miran. *p. 2. q. 37. a. 12.* Homob. *tr. 11. cap. 12. q. 1. ref. 1.* Io. de Cruce *l. 2. de stat. Relig. cap. 7. dub. 2. concl. 2.* Sayr. *l. 5. de cens. c. 13. num. 24. & 25.* Peyt. *l. 1. ad causi. 2* Siati 4. *nu. 55.* Lezana *tom. 1. cap. 21. num. 19. cap. 1. & v. interdictum*. Gausnt. *in Manual. v. interdictum, n. 10.* Cespedes *dub. 294 num. 7.* Pasqual. ad Lauret. *p. 1. num. 21.* Bonac. *de censur. extra Bullam Cæna. disp. 2. q. 8. p. 4. num. 11.* Fundantur autem aliqui super *constit.* Pij V. 41. §. 6. sed cum ibi Pontifex non procedat declarando, sed concedendo, si alias priuilegia præfata essent reuocata per Tridentinum, tũ suffragarentur dicta in eo §. 6. cum illa constitutio per Greg. 13. sit reducta ad terminos iuris. Melius alij se fundant in priuilegio Clem. 8. in Bulla, quæ incipit *Sacra Seraphici, &c.* data 27. Oct. 1595. quam per extensum refert Rodriq. *p. 2. mihi q. 113. a. 2.* & in qua Pontifex nulla facta mentione alicuius reuocationis priuilegiorum, concessionem à diuersis Pontificibus factam Ordini Minorum, vt in festo Sanctorum illius Ordinis possint solemni ritu celebrare tempore interdicti etiam

auctoritate Apostolica emanati perinde ac si interdictum appositum non fuisset, extendit, & ampliauit ad festa S. Didaci, & Portiunculæ. Hoc enim priuilegio gaudere alios Religiosos iuxta priuilegium communicationis priuilegiorum, quod habent, præfati DD. affirmant. Neq; oppositum huius declaratum fuit per S. Congregat. quia in declarationibus quas refert Barbosa *de off. Episj. all. 105. num. 44.* expresse est sermo de priuilegijs ante Concilium concessis.

991. Dicitur propterea priuilegia ante Concilium concessa esse reuocata *ex cap. 22. eiusdem sess.* in quo derogatur priuilegijs omnibus contrarijs decretis traditis in ea sessione *sub tit. de Regular.* Vnde etiam si non constet authentice de declarationibus S. Congreg. Concilij, quas Barbosa, & alij referunt, & dato etiam quod illæ non essent emanatæ, tamen priuilegia omnia ante Concilium concessa in hac materia, ex hoc solum dicenda sunt reuocata, quod Concilium absolutè iubet vt censuræ, & interdicta publicentur, & seruentur, *& in cap. 22. illius sess. 25. de Regular.* Cõcilium derogat omnibus priuilegijs contrarijs decretis factis pro Regularibus in ea sessione. Ideò in compendio *Priuileg. Societatis v. interdictũ* post recentis priuilegia dicitur: Non obstantibus priuilegijs mandante Episcopo, nostri interdicta non solum à Sede Apostolica, sed etiam ab Ordinarijs promulgata publicare, ac seruare debent, vt decernit Concil. Trid. *sess. 25. cap. 12. de Regul.* & sic ex vi Concil. Triden. Interdicta non solum Generalia, sed etiam Capitularia, & vnius hominis Regulares publicare, & seruare debent mandante Episcopo. Sub hoc decreto Concilij etiam non comprehenduntur; qui nullius sunt Diœcesis. Decretalis verò alma Mater non continet priuilegium, sed ius commune, ideò non est reuocata per Concilium, quod quidem iubet seruari interdicta; sed iuxta formam ea seruandi à iure communi præscriptam. Addit etiam Renc tendis. Fagnan. *ad d. cap. Graue num. 65.* Sac. Cong. censuisse Episcopum posse prohibere ne Regulares exteros Sacerdotes permittant celebrare, nisi prius ipsi ab Episcopo visis literis commendatitijs admissi fuerint.

992. Nonus casus habetur ex eodem Concil. Trident. *in d. cap. 12. sess. 25 de Regul. ibi. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur*. Per hoc tamen decretum non tribuitur Episcopis maior facultas dies festos indiceendi, quam sit illa, quæ sibi competit de iure. Non potest etiam Episcopus mutare Regularium ritus proprios in Missis celebrandis, & diuina officia persoluenda, quantumuis Regulares in concionibus, & lectionibus quas habent ad populum debeant se conformare Euangelijs, & Epistolis, quibus Clerus secularis vtitur in illis diebus. Barbosa *ad d. cap. 12. num. 4.* Fagnan. *ad d. cap. Graue. n. 66. de off. ord.* Tambur. *t. 1. d. 15. q. 7. nu. 18.* Pax Iordan. *l. 7. tit. 14. num. 43.* Vidi tamen Mediolani Cõcionatores in Quadragesima se conformare Euangelijs, & Epistolis Missalis Romani, non verò Missalis Ambrosiani, quo vtitur Cathedralis, & Clerus secularis illius Ciuitatis. Et ita in hoc seruandæ erunt consuetudines locorum. Posse

verò Regulares in diebus festis inter Missarum solemnia annunciare dies festos, & ieiunia tanquam decisum die 2. Iunij 1620. refert Barbosa ibi. *num.* 5. ex Peyr. *t.* 2. *ad const.* 7. Pij 5. Et imò posse Regulares ab Ordinario compelli denunciare fidelibus in offertorio Missæ Conuentualis festa, & ieiunia quæ occurrunt, ex Rodriq. *t.* 1. *q.* 45. *a.* 7. & Gauant. *ver. Regul. iura sub Episc. num.* 41. tradit Pax Iordan. *num.* 44. Et hoc quidem de Parochis non habet difficultatem, sed de alijs Regularibus non probatur id, ex *cap. vnico sess.* 22. *de obseruand. in celebrat. Miss.* In eo enim decreto datur Episc. facultas in ordine ad celebrationem vt Missæ sacrificium nec ex auaritia, nec cum superstitione, indeuotione, & irreuerentia celebretur, & sic vt ipsa missæ celebratio sanctè, & immaculatè fiat, ad quod non pertinet annunciatio festorum, aut ieiuniorum. Non ergo solidè Rodriquez, & alij deduxerunt ex illo capite, quod Episcopus possit Regulares compellere ad enunciandas festiuitates, & ieiunia. Addit Barbosa *num.* 6. ex Sell. decisum fuisse sub die 5. Decembr. 1626. non posse Episcopum compellere Regulares exercentes curam animarum in eorum Monasterijs ad interessendum diuinis officijs in Cathedrali diebus Sanctorum Patronorum. Addit quoque *num.* 7. *ex eod.* Sell. Regulares compelli posse censuris ad obseruantiam festorum, & ita fuisse resolutum in Hollunen. 31. Iulij 1627. sed huiusmodi DD. has declarationes referentibus non esse necessario credendum constat. Nec in eo *cap.* 12. datur Episcopo facultas nedum procedendi censuris contra Regulares, sed nec procedendi per alias pœnas, & ea iam probatus supra constat satis Episcopis ea eo quod eis subijciantur Regulares non concedi potestatem illos coercendi per pœnas, nisi in casibus expressis, prout pluries S. Congr. Concilij declarauit. Subdit idem Barbosa *num.* 8. Regulares posse compelli ad obseruandum festum, sed non ad eius octauam, & in hoc seruandas esse rubricas Breuiarij, & nouissima decreta S. Congr. Rituum, & ex Aldano ait sic decisum die 21. Iunij 1629. Pax Iordan. *d. num.* 45.

993. Decimus casus colligitur ex Conc. Trid. *sess.* 25 *cap.* 13. *de Regul.* ibi. *Controuersias de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticos personas tam seculares, quàm regulares tum in processionibus publicis, tum in ijs, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbrella, & alijs similibus Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumq; componat.* Facultatem datam Episcopo in hoc decreto intelligendam tantum quando ex ipsa controuersia sequitur scandalum, ex Decian. & Cened. aduertit Barbos. *ad d. cap.* 13. *num.* 7. Sed nisi altera partium spontè cedat, seu partes conueniant non est dabilis casus, in quo non sit timendum scandalum, si partes de præcedentia contendant. Sed distinguendum est in hoc possessorium à proprietate. Nam in lite de possessorio imminente iam processione regulariter interuenit scandali periculum; & ideò datur Episcopo facultas componendi lites in possessorio, ad euitandum scandalum, quod tali contentioni est annexum, sed absolutè definire huiusmodi lites in petitorio, & quantum ad proprietatem, si sint inter exemptos, ad eorum competentem iudicem spectat. Vnde lites huiusmodi inter Regulares tractantur in Sacra *E*piscoporum, & Regularium Congregatione, quamuis pro suo Episcopato easdem præcedentiæ causas cognoscere possit Episcopus. Nec facultas data Episcopo est ligata causæ scandali, sed absolutè illi datur, quamuis motiuum impulsiuum ad illam concedendam fuerit timor scandali, qui persæpe est annexus istis litibus. Quod verò excluditur appellatio intelligitur quantum ad suspensiuum, non quantum ad deuolutiuum, *Rota in Colonien. præced. quæ habetur sub num.* 32. apud Postium *de manuten.* Barbosa *ad d. cap.* 13. *num.* 9. Sicut verò in huiusmodi concertationibus agitur regulariter de possessorio, & resolutio regulariter non admittit tempus, quoniam imminet processio, quæ diu non potest differri, ideò Episcopus in huiusmodi litibus componendis procedit de plano, summariè, sine forma, & figura iudicij prout fuisse decisum ex Leone, & Armendariz, refert Barbosa *num.* 10. Quamuis si resolutio litis non vrgeret procedendum esset seruata iudicij forma. Multa verò dici possent spectantia, ad hanc materiam, quæ ad alium locum reseruantur, cum nunc sufficere debeat, Episcopum esse harum litium competentem iudicem, siue lites sint inter Clericos seculares, siue inter Regulares, siue inter Confraternitates laicales.

995. Vndecimus habetur *ex eod. Concil. eod. cap.* 13. *sess.* 25. *de Regul.* ibi. *Exempti autem omnes, tam Clerici seculares, quàm Regulares quicumque etiam Monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, ijs tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt.* Sub hoc verò decreto comprehenduntur etiam Sacerdotes Ecclesijs inseruientes Militum S. Io. Hierosol. vt S. Congr. Concilij declarauit. Nouar. in Lucerna Regul. *v. process. num.* 8. Barbos. *all.* 78. *de off. Episc. num.* 21. Circa verò hoc decretum considerandum est primo, quæ sint publicè processiones. De hoc extat decretum Pij Quinti in *constit. Etsi Mendicantium* . 41. §. 19. ibi. *De illis processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro Victoria contra Infideles indicuntur.* Adest etiam declaratio S. Congreg. Concilij, quam refert Pyrrio. *ad const.* 7. Pij Quinti §. 29. & est sequentis tenoris, scilicet. *Ordinarius potest præcipere Regularibus, vt eant ad processiones publicas vt puta in festo Corporis Christi, in litanijs, & iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint eius generis, quod in Bulla S. D. N. Pij Quinti. Etsi Mendicantium, publicata 17. Cal. Ianu. anno 1567. comprehenduntur. Et dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem Balla excipiantur.* Obiter verò hic primo aduertendum verum esse, quod pluries dixi, scilicet, *constitut. Etsi Mendicantium* non esse reuocatam per Greg. 13. inquantum est declaratiua Concilij Trident. Nam & sub hac ratione nihil contra dictum Concilium disponit, nec est illi contraria. In præsenti autem puncto procedit declarando, & eam obseruandam, &

iuata

iuxta eam arbitrandum esse, & iudicandum, quæ sint publicæ processiones Sacra Congreg. censuit. Huiusmodi verò est sine dubio processio Corporis Christi. Nec non (quamuis non sint tam solemnes) Litaniarum maiorum in die S. Marci, & Rogationum. Item omnes ad quas consuetudo ipsa legitimè præscripta obligat, vt Pius Quintus declarauit. Pariter omnes illę publicæ sunt, quarum causa est vel pax publica inter fideles obtinenda, vel victoria consequenda contra infideles, quia ita Pius Quintus declarauit. Censentur etiã publicæ, quæ ex causa publica indicuntur, nimirum pro obtinendo aliquo bono, quod immediatè sit publicum, nimirum quod sit bonum totius Ciuitatis. Campanil. *rub.12.cap.13.num.*118. Valenzuela *consil.*184.*num.*25. t.2. Vgolin.*de off. Epis. cap.*20.§.2.*num.*6. Prosper Augus.ad Quar.*v. præcedentia.* Vener.*l.6.exam.cap.*18. quos refert, & sequitur Pasqual. ad Laur. *par. 1. dub.* 205. *num.*3. Barbosa *de off. Epis.alleg.*78.*num.*2. *& ad d.cap.*13. *num.* 40. Lezana *p. 1. cap.9. & p.2. cap.1. num.*50. *& v. processiones*. Et propterea publicæ dicuntur, quæ fiunt pro electione noui Episcopi, & multo magis, quæ fiunt sede vacante pro electione Summi Pontificis, item quæ fiunt tempore pestis, vel alterius flagelli imminentis pro obtinenda salute, & liberatione, aut tempore belli, pro obtinenda pace. Vel in aduentu noui Episcopi, aut Legati Apostolici.

996. *Et* tandem esse in arbitrio Episcopi decernere, quæ sint publicæ processiones tradunt Lauret. *p. 1. ap.* Pasqualig. *num.* 68. Bonac. vbi supra Pax Iordan. *l.7. tit.*14. *num.*57. qui addunt eas publicas dici quæ fiant ex causa graui ab Episcopo indicata, Verum cum arbitrium in his concessum Episcopo, sit arbitrium boni viri, quod per leges est regulandum, cum per legem Pij V. & declarationem Sac. Congreg. habeamus explicatas causas ob quas processiones dicuntur, & debeat censeri publicè, Episcopus ab hac regula nõ debet discedere. Et licet verum sit Regulares debere conuenire ad processiones, quæ fiunt pro obtinenda noui Episcopi, vel Summi Pontificis electione, vel in aduentu noui Episcopi, aut Legati, hæc & aliæ similes continentur etiam sub alio membro dispositionis Pij Quinti, quia ex antiquissima consuetudine huiusmodi processiones habentur à toto Clero tam seculari, quam Regulari. Illæ etiam quæ fiunt pro obtinenda diuina misericordia imminente pestilentia, vel altero communi flagello reduci possunt ad causam obtinendæ pacis cum Deo à nobis offenso. Cæterum nõ est in arbitrio Episcopi ex quacũq; causa etiam sibi visa graui cogere Regulares ad processiones, si vel ad illas non solent illi ex antiqua consuetudine conuenire, vel non fiunt ex causa, quæ reduci possit ad causam pacis, aut victoriæ contra infideles. Ad quam causam tamen spectat etiam gratiarum actio pro pace, vel præfata victoria obtenta, seu pro placata diuina iustitia vniuersitatem peste, fame, aut bello flagellante.

997. Hinc est primò, quod Pasqual.ad Laur. *p. 1. num.* 69. meritò reiecit eundem Lauretum asserentem esse publicam processionem, vbi adest Prælatus, quia præsentia Prælati non facit causã processionis esse publicam, & tamen publicas processiones esse illas quæ fiunt ex causa publica docent citati DD. & imò fuisse declaratum à S. Congreg. affirmant ex Quaranta, *v. præcedentia.* Sicut è contra non teneri Regulares conuenire nisi conueniat Episcopus, tenuerunt Villalobos *p.2.tr.35.diff.5.num.*8. & Rodriq. Hieron. *in compend.resol.*118. Moron.*resp.*12.*nu.*16. quos refert, & sequitur Cespedes *dub.* 118. addens sufficere præsentiam Vicarij Generalis; quod Pasqu. ad Laur. *p.1.num.*24. intelligit procedere, quando Episcopus interuenire deberet, licet ex accidenti non interueniat, & sic iuxta hanc sententiam Regulares non tenentur conuenire ad processiones, nisi ad eas conueniat vel Episcopus, vel Vicarius eius, vel saltem interuenire deberet, quod inquam sic dicitur formaliter, & per se non est necessarium, sed ad hoc, vt Regulares teneantur conuenire sufficit, quod processio sit ex causa modo supradicto publica, nec oppositum colligitur ex *cap. Nimis praua de excess. Prælat.* Quamuis alias verè sit conueniens, vt Episcopus, si adsit, & non sit impeditus legitimè primus conueniat ad processiones quæ pro impetranda diuina misericordia in communibus necessitatibus indicuntur.

998. Hinc pariter sequitur non esse processiones publicas, sed priuatas quæ fiunt occasione indulgentiæ alicui Ecclesiæ concessæ. Bordon. *ref.* 7.*quæst.*45. Cespedes *dub.*213. Pasqual. *d.num.*24. sicut nec publicæ sunt, quæ fiunt occasione quadraginta horarum, quæ habentur in aliqua Ecclesia. Ita DD. citati, & Io. Maria Nouar. *in sum. Bullar.tit.de process.*

999. Circa eundem textum Concilij secundò considerandum est, quod multi ex Regularibus exempti sunt, & non tenentur ad publicas processiones accedere. Et primo à Concilio ipso excipiuntur illi, qui viuunt in strictiori clausura. Tales sunt sine dubio, Carthusiani, & Eremitæ Camaldulenses. Dicuntur etiam esse tales Recollecti Minorum à Portell.*tom.*2.*casu* 107. Cespedes *dub.* 214. & de his intelligunt declarationem S. Congr. quam ex Sorbo *in v. processiones* refert idem Cespedes sed sub his verbis. *Et dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus, qui Collectanei nuncupantur, qui in eadem Bulla excipiuntur, videlicet in quibus fratres sub arctiori clausura degũt; Ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant.* Ita hanc declarationem referunt etiam Lezana *p. 1. cap. 1. num.* 50. sed nec huiusmodi sunt verba S. Congreg. supra ex Peyr. relatæ, sed sunt verba *constit.* Pij Quinti, sed commutata, sic enim habet Pius Quintus. *Quod etiam de illis Conuentibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studijs, & lectionibus vacent.* De his collegijs igitur in quibus modo explicato Religiosi solis vacant studijs intelligitur, quod non teneantur ad processiones.

1000. Secundò excipiuntur illi Regulares, quorum monasteria distant vltra medium milliare à Ciuitate, vel loco in quo habenda est processio. Sic enim declarasse S.Cong. Concilij notant Vgol. *de pot. Epis. cap.* 20. §. 2. *num.*5. Piasecc.*p.*2.*c.*3.*num.*47. Barbosa *de off. Epis.alleg.*78. *num.*42. Lezana *t.t cap.*9.*num.*47. Pasqual.ad Lau.

ret.

Tet. *num.* 65. Cespedes *dub.* 108. Sed ita censuisse Greg. 13. refert Reu. Fagnanus *ad cap. graue. nu.* 65. *de off. Ordinar.* Vbi tamen sit consuetudo, quod Regulares non obstante distantia vltra milliare à Ciuitate conueniant ad processiones, conuenire tenentur. Pax Iordan. *l.7. tit.14. num.60.* quod tamen intelligendum est de illis processionibus ad quas conuenire solent, quoniam potest esse, quod hæc interuentio sit respectu vnius vel alterius, non verò respectu omnium processionum.

1001. Tertiò excipiuntur illi, qui ex consuetudine legitimè præscripta non solent interesse huiusmodi processionibus quantumuis publicis. In his enim multum valet consuetudo, quæ vtique seruari debet. Camp. *rub.12. cap.* 13. referens ita declarasse S. Congregat. Rituum. Rodriq. *p.4. sum. cap.105. num.2.* Bordon. *resol.7. num.134.* quos refert, & sequitur Pasqual ad Laur. *num.24.*

1002. Quartò excipiuntur, qui habent speciale priuilegium Sedis Apostolicæ, vt non teneantur ad processiones has conuenire. Huiusmodi autem priuilegio frui possunt Societas, ex *constit. quacumq.* 36. Greg. 13. Discalceati Carmelitæ *ex constit. Religiosorum*, Clem. 8. apud Lezanam *p. 1. cap.9. num.47.* Clerici Regulares S. Pauli Decolati, *per constit. Rationi.* 5. Sixti 5. apud Pax Iordan. *n.* 91. & alij. De quibus hoc est aduertendum, quod si contingat aliquos ex his aliquando ex suo beneplacito ad aliquam processionem conuenire, non per hoc amittunt priuilegium, vt postea teneantur interuenire, & possint ad id cogi, quoniam priuilegium est facultatis; & possunt interuenire volentes, sed non possunt cogi. Item quia intelligitur conuenisse precario ad Episcopi gratificationem, vnde nullum est acquisitum ius Episcopo. Cald. *cons.* 8. *de Regul.* Felin. *in cap. Dilecti. num.7. de off. ordin.* Vgolin. *de off. Episc. cap.* 20. §. 2. *num.5.* Scip. de Robell. *v. priuilegium. nu.5.* Barbosa *de off. Episc. all.78. num.23.* Pax Iordan. *l.7. tit.14. num.61.* Portell. *v. processio. num.6.* Bordon. *res.* 7. Lezana *v. processio num.3.* Pasqual. ad Laur. *num.24. p.1.*

1003. Quinto excipiuntur qui non sunt vocati: quia Concilium solum iubet vt vocati conueniant. Nec sufficit vocare Regulares per Edictum, sed necesse est eos vocare personaliter secundum Peyr. *ad const.* 1. Sixti 4. §. 11. *num.57.* Bordon. *res.7. num.142.* Lezan. *p.1. cap.9. num.47.* Cesped. *dub.* 108. apud Pasqual. ad Laur. *p. 1. num.70.* quia vocatio non fit per edictum, sed per nuncium, iuxta Gloss. *cap. quod sicut, de elect.* Tum quia vocatio per edictum nisi specialiter sit concessa, est reseruata Principi. Nihilominus dicitur sufficere, si vocentur Regulares ab Episcopo per Edictum, quia sic declarauit S. Cong. *Episc. & Regul. in Eugub.* 1. Maij. 1649. Necesse tamen est, vt Regulares vocentur etiam ad cōsuetas processiones quidquid in contrarium dixerit Laurentius, quia Concilium non concedit compelli nisi vocatos, & sic concedit coactionem sub conditione vocationis. Pasqualig. *d. num.* 70.

1004. Sexto aliqui excipiunt Conuentus in quo degit minor numerus Religiosorum, quam duodecim. Ita Bordon. *resol.7.* qui hoc probat. Tum quia non deceat erigere Crucem cum paruo numero Religiosorum. Tum quia huiusmodi Conuentus æquiparantur Hospitio, in quo existentes nō tenentur ire ad processiones. Bordonū refert Cesp. *dub.* 109. nec impugnat. Sed nec parui Conuentus æquiparantur Hospitio, cū in paruis Conuentibus degant Religiosi permanenter, & non solum per transitum: Nec indecentia est, vbi in Conuentibus pauci Religiosi degunt, quod sub paucis crux erigatur. Et praxis est, vt huiusmodi Religiosi vocari teneantur ad processiones conuenire. Vbi verò in loco degunt quamplures Religiosi licet non teneantur singuli ire ad processiones, quia nec infirmi, nec qui necessario remanent pro inseruiendo Ecclesijs, nec alij legitimè impediti teneantur conuenire, debent tamen tot conuenire, vt in numero competenti accedant.

1005. Pertinet verò ad Episcopum decernere per quam viam transire debeat processio, quod declarasse S. Congr. Concilij refert. Pasqualig. *n.* 73. in hæc verba. Ad Episcopum pertinet cum consensu Capituli constituere, atque edicere, quo & quā processiones dirigi, quasue ad Ecclesias nominatim perduci debeant. Ricc. *dec.379. nu.4.* Valenz. *cons.184. nu.23. vol.2.* Barbosa *d. alleg.78. num.4.* Pasqual. *d. num.73.* Et tamen quod non sit necessarius consensus Capituli, sed consilium ex Aldan. Barbosa *ad d. cap.13. sess.25. de Regul. nu.41. & de off. Episc. all.78 num.4.* refert decisum fuisse à S. Congr. Rituum in Eboren. 18. Maij 1928. vbi quod hoc idem fuerit per Sac. Congreg. determinatum in Cōmen. 7. Februar. 1632. non obstante quod Capitulum vel alij per longum tempus sint in quasi possessione indicendi publicas processiones, vel præscribendi quò, & quā sint dirigendæ. S. Congr. Concilij 16. Februar. 1619. & non obstante etiam immemorabili consuetudine. S. Rit. Congr. in Camarinen. 24. Aug. 1619. Absente verò Episcopo Vicarij est cum consilio Capituli publicas processiones indicere, sicut posset Episcopus. S. Rit. Congr. in Vigilien. 28. Septem. 1630. In huiusmodi verò publicis processionibus omnes Clerici conuenire debent ad Cathedralem. *cap. quoniam. d.38.* Sciaph. *dec.15.* Barbosa *d. alleg. 78. num.* 5. Sub nomine verò Episcopi veniunt Prælati Inferiores territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentes. An verò Episcopus possit conuocare processiones ad Ecclesias Regularium, affirmat Bordon. *resol.7. num.132.* Eo quia Episcopus Pontificalia in Ecclesijs Regularium exercere possit. Sed hoc non est verum de Pontificalibus quibus aliquid iurisdictionis est annexum, conuocare verò processiones ad aliquem locum est iurisdictionis, & ideo quod Episcopus non possit id facere ad Ecclesias Regularium dixerunt. Sanchez *l.6 moral. cap.9. num.32* Rodriq. *t.7. de indulgent. cap.26. §.5 dub.211.*

1006. Considerandum est tertiò, quomodo Episcopus Regulares possit compellere, vt conueniant ad processiones. Multi enim arbitrantur, quod possit eos compellere per censuras. Ita enim sentiunt plures, quos refert & sequitur Barbosa *ad d. cap.13. sess.25.* Concil. Trident. Fundantur verò præcipuè in eo quod ita censuerit S. Congreg. Concilij *ad d. cap.13.* & S. Congreg. Rituum in Ferarien. 27. Iulij 1609. in Tosciana 4. Iunij 1615. Sed DD. qui in huiusmodi declarationi-

cionibus se fundant, eorum tenorem afferre debuissent, vt appareret an loquantur expresse de Regularibus priuilegium habentibus, vt contra eos non possit procedi censuris, si enim hoc non exprimunt, nec de talibus Regularibus intelligi debent. Nam contra expressa statuta eiusdem Concilij est, quod Episcopi contra Religiosos vt supra priuilegiatos procedant censuris, vbi hoc eis à Concilio non est expresse statutum. Nam Concilium *sess.7. cap.14.* expresse approbat, & innouat *cap. Venient. 1. de priu. in 6.* At verò in eo capitulo primo Pontifex decernit quod Episcopi possint procedere contra priuilegiatos exemptos in tribus casibus, scilicet ratione delicti commissi, & contractus initi, & rei existentis extra locum exemptum in Episcopi Diœcesi, & tamen postea decernit, quod si exempti habeant priuilegium vt contra eos non possit procedi censuris, neque hoc possit facere Episcopus in illis tribus casibus, relicta ei facultate procedendi per alias pœnas; igitur lex huius capitis seruari debet, quæ est quod vbi Episcopo datur facultas coercendi, & puniendi exemptos, hoc non fiat per censuras respectu illorum exemptorum, qui habent priuilegium, vt contra eos non possit procedi per censuras. Quod eo magis de mente Concil. Trident. esse intelligitur, quo manifestum est Concilium quando voluit, quod Episcopi possent contra Regulares procedere per censuras id expressit, sicut fecerat in eadem *sess.* paulo ante, scilicet, *cap. 11.* Et amplius id patet quod duo sunt obstacula exemptio à iurisdictione, & priuilegium ne censuretur. Sed quando duo sunt obstacula derogatio vnius non trahitur ad aliud, sed singulis debet derogari. Bald. *in l. 1. num. 27. ad med. C. de Furtis.* Felin. *cap. Nonnulli. num. 21. de rescript.* Puteus *dec. 393. num. 1. cap. 1.* Greg. *dec. 109. num. 6.* Item lex noua disponens aliquid intelligitur, & distinguitur prout distinguebatur antiqua loquens de eadem materia. *cap. cum non expedint. 29. de elect.* Gemin. *cap. cum qui. num. 7.* & ibi Franc. *num. 1. de præben. in 6. Rota in Toletana Capellania* coram Card. Pamphilio apud Garziam. *p. 11. c. 5. n. 234.* Etiam verò ante Concilium Regulares cogi poterant ad processiones, & tamen non poterant excommunicari, vt in terminis explicat. Caldet. *consf. 8. ad med.* Felin. *c. Dilectus nu. 7. de off. Ordinary.* Anfred. *ad Capell. Tholos. dec. 485.* Gambar. *de off. legati l. 7. num. 78.* Sic ergo licet Concil. det facultatem cogendi Regulares ad publicas processiones, non sequitur quod concedat facultatem procedendi contra eos per censuras. Accedit quod S. Congreg. *Episcop. & Regular.* vt refert Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. c. 43. nu. 163.* scripsit Epis. Vercellen. sub die 20. Maij 1616. & inter alia hæc dixit. Vt pœnas contra regulares ab eo impositas reuocet, cum ipse supra regulares nullam iurisdictionem regulariter habeat, eumdemque Episcopum voluerunt, quod dum in tertio capitulo decretorum ab ipso publicatorum dicitur, quod ab ipso cogi possint sub pœnis, &c. Intelligitur quod in particulari tantum processionibus præfatis Regularibus, vt eidem processionibus interueniant etiam sub censurarum ipso facto incurrendarum pœna intimari facere potest, sed cum non obediunt, illos punire non valet. Verumtamen hoc casu eandem S. Congr. de hoc certiorem reddere debet. De hac verò S. Cõg. declaratione mihi certò cõstat, & quāuis illa data fuerit in lingua Italica, sensum tamen eius legitimè expressit Barbosa. Quamobrem vt bene aduertit Pasqualig. ad Lauret *num. 78.* Cum Episcopus censuras comminatas non possit exequi, signum est, quod illæ censuræ sic fulminatæ in rigore, & proprietate non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ, cum ad eas incurrendas necessaria sit discussio causæ in S. Congregat. Quamobrem hanc sententiam, quod scilicet Episcopus non possit cogere per censuras eos Regulares, qui habent priuilegium vt non censurentur, tenent DD. quos supra *num. 668.* & sequent. retuli, & quantum sit præcise ex vi Concilij Tridentini, ità dicendum existimo, quamuis quod in hoc casu particulari decretum est amplius per Pontifices media aliqua S. Congreg. obseruandum sit Pax Iordan. Episcopus Traguriens. ait consultius esse, vt Episcopi à censuris abstineant.

1007. Duodecimus colligitur ex Conc. Trid. *cap. 6. sess. 21. de reformat.* vbi non obstantibus priuilegijs nomen, & officium quæstoris eleemosynarum abolitum est, & præceptum vt Episcopus ipse cum duobus de Capitulo Indulgentias debitis temporibus populo publicet. De hac verò re plura dicta sunt supra *tom. 2. q. 187. a quinto per totum.* Neque pro nunc aliquid addendum occurrit. Nisi quod Regulares nedum non possunt nouas Indulgentias publicare, nisi sint approbatæ per Episcopum. Sed nec etiam possunt reliquias adorandas populo exponere absq; Episcopi licentia, & approbatione in scriptis concedenda. Concil. Trid. *sess. 25. de inuocat. Sanct.* Graziant. *in Manual. v. Sanctorum Reliquia.* Pax Iord. *l. 7. tit. 14. num. 51.* Quod & fuisse decisum à Sac. Cong. in Viterbien. 26. Iunij 1627. refert Barbosa *ad d. locum* Concil. Trid. *num. 11.*

1008. Decimus tertius casus continetur in Concil. Lateran. *sess. 10. de impress. libr.* & in Concil. Trident. *sess. 4. de libr. edit. & ex Indice libror. prohibitorum*, vbi decernitur, quod Regulares non possint libros imprimere neque scriptos cõmunicare, vel euulgare sine licentia suorum Superiorum, & Ordinarij locorum approbatione. De quo videri possunt Rodriq. *t. 1. q. 8. n. 6. & t. 2. q. 104. a.* Hieron Rod. *res. 69.* Lucer. *Reg. v. impressio libr. sum. t. 3. d. 5. q. 11. num. 56.* Barbos. *de off. Episc. p. 3. alleg. 90. num. 14. & ad d. locum* Concil. Trid. *n. 5.* Lezanam *p. 4. v. libri.* Suarez *de censur. d. 23. s. 7.* Thesan. *de pœnit. p. 2. libri.*

1009. Decimus quartus habetur ex Concil. Trid. *ses. 5. de reformat. cap. 1.* vbi sic decernitur. *In Monasterijs quoque Monachorum vbi commodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur, qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis Apostolicæ Delegati eos ad id opportunis remedijs compellant.* Soli verò Monachi sub hoc decreto comprehenduntur. Et videri possunt dicta superius *tom. 2. q. 187. n. 1. inspec. 1. à n. 7.* Vbi etiam positum fuit decretum Sac. Congreg. de propag. Fide pro lectione linguarum. Videri etiam potest Lezana. *p. 4. v. 1155. lectio.*

1010. Decimus quintus continetur *in cap. 8. & 9.*

& 9. *sess. 22. de reformat.* in Concil. Trid. vbi sic habetur. *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum tam in vltima voluntate, quam inter viuos sint executores: habeant ius visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas scholas, siue quocumque alio nomine vocant; non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, siue eorum institutia eleemosynas Montis Pietatis; siue charitatis, & pia loca omnia, quomodocumque, nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto.* Et cap. 9. *Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus, & priuilegijs quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex Constitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda esset; tunc cum ijs adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administrationibus minime suffragentur.*

1011. Circa Confraternitates igitur aduertendum, quod vel habent proprios redditus, vel non habent. Si habent potest Episcopus Confraternitates, & eorum redditu um administratores visitare, computa habere, & qualiter dispensentur eorum bona inquirere, & iudicare. Nec interest, si horum redditu um administratores sint Regulares ipsi, qui sunt exempti, quia quatenus sint administratores redditu um, & bonorum Confraternitatum Laicorũ, quæ exemptæ, non sunt, vel Hospitalium, aut aliorum locorum piorum similium subijciuntur iurisdictioni Episcopi, vt in citato *cap. 9.* continetur. Ratio autem administrationis huius singulis annis reddi debet, & nihilominus eam pluries in anno reperi posse præcipuæ quando Episcopo constiterit rationes dolose fuisse redditas, vel quando redditio non fuit finalis, & plena cum restitutione reliquorum ex Ricc. in praxi *resol.* 134. Barbosa *ad d. cap. 9. num.* 16. Et quia Confraternitates redditus proprios, & eleemosynas expendere debent in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, & in alios pios vsus ad arbitrium Ordinarij, vt disposuit Clem. 8. *in constitut. Quæcumque*, & aduertit Pasqual. ad Lauret *p. 1. num.* 312. Eiusdem Ordinarij est videre an hoc fuerit factum, vel potius per administratores redditus, & eleemosynæ in alios vsus fuerint consumptæ. Nomine verò Ordinarij venit etiam Capitulum sede vacante, quod fuisse decisum ex Armendariz tradit Barbosa *ad d. cap. 9. num.* 22. Vbi *num.* 23. quod Episcopus, aut eius officiales, vel Notarij nihil emolumenti percipere possunt in receptione administrationis bonorum locorum piorum, quamuis etiam ante Concil. Trident. & ab immemorab. tempore consueuerint recipere rationem harum administrationum, cum prædictis emolumentis. Sic enim fuisse resolutum in Barchinonen. & Gerunden. 1. Decemb. 1618. refert Sell. c. 23. *num.* 6.

1012. Quod si huiusmodi rationes recipiendæ sint ab aliquibus alijs ex priuilegio, vel statuto, eisdem debet adiungi Ordinarius. Qui nedum in visitatione, sed etiam extra visitationem, & in casibus à iure non expressis potest huius administrationis rationem exigere. Solus autem vnus casus excipitur à Concilio, si scilicet in fundatione Hospitalis, aut loci pij fundati tamen non per fundatorem Ecclesiasticum, sed Laicum expresse cautum sit Episcopo, vel alio Ecclesiastico Superiore approbante, quod administratores non teneãtur reddere suæ administrationis rationem Ordinario. De quo vide Gonz. *ad reg.* 8. Gloss. 5. *num.* 35. & Gloss. 29. *num.* 3. Rotam *dec.* 33. *p.* 2. Recent. Barbos. *ad d. cap. 9. num.* 27. Concil. Trid. Cæterum in eo *cap. 9.* Non excipiuntur Hospitalia, quæ sunt sub immediata Regum protectione, vnde Episcopus administrationis bonorum horum Hospitalium, vel aliorum quorumcumque, quæ ante Concil. Trid. exempta erant, potest Episcopus exigere. Quod & fuisse resolutum in Neapolit. 11. Augusti 1618. *ex* Sell. *cap.* 23. *num.* 5. aduertit Barbosa *num.* 15. sub hoc tamen decreto non comprehenduntur Monasteria, Conuentus, Domus, vel alia Regularia loca, vnde nec Commendatarij Monasteriorum, nec superiores Regularium tenentur reddere Episcopo rationem administrationis bonorum locorum Regularium, vt ex Armend. tradit idem Barbosa *n.* 18. & 19. *ad d. cap. 9.*

1013. Sed si Confraternitates personarum secularium nullum habent redditum Lezana *par.* 2. *cap.* 15. *num.* 27. refert S. Cong. Epis. & Regul. 31. Ianuar. 1642. declarasse, Ordinarium non posse visitare Confraternitatem quandam erectam in quadam Ecclesia Dominicanorum, qui faciebant totam expensam Altarium dictæ Confraternitatis, eo quod ipsa nullos redditus haberet; sed totam facultatem visitandi dictam confraternitatem apud superiores Monasterij manere. Sed claritatis gratia distinguendum est. Vel enim est sermo de visitatione personarum, vel de visitatione Oratorij, aut Capellæ, in qua erecta est confraternitas. Nam personas seculares non exemptas visitare potest Episcopus, & præcipue potest ab eis exigere rationem administrationis bonorum confraternitatis, neque enim confraternitates Laicorum exemptæ sunt à iurisdictione Ordinarij quantum verò ad loca, seu Oratoria, & Capellas eorum, etiam si Capellæ seu Altaria sint in Ecclesijs Regularium, vel intra septa Monasterij Episcopus potest eas, vel ea visitare, si eis deseruiant seculares confratres, & suppelex sacra eorum, vel earum subministretur ex bonis confraternitatis, vt declarauit S. Cong. Epis. & Reg. in Chilen. 6. Decem. 1616. & S. Cong. Concil. in Nucer. 20. Iunij 1622. & docent Genuen. in praxi *cap.* 21. Grat. *discep.* 481. *num.* 25. Ricciul. *l.* 4. *cap.* 15. *num.* 3. Ciarlin. Contr. For. *cap.* 65. *num.* 6. Barbos. *ad cap.* 8. *num.* 24. *sess.* 22. Concil. Trident. & *in sum. v. confraternitas num.* 31. Lezana

zana p. 2. cap. 15. num. 17. Et paucis ab hinc annis Prior Conuentus N. cum voluisset in hoc intentare litem cum Episcopo contra mentem, & consilium meum; nedum litem perdidit, & fuit resolutum Episcopum posse visitare Altare confraternitatis positum intra Ecclesiam Conuentus pro ea parte pro qua subest administrationi bonorum Laicorum; sed fuit etiam damnatus ad soluendas Episcopo litis expensas. Ego tamen illi præcipi, vt antequam accederet Episcopus pro visitanda Capella coram Notario, & testibus redderet confraternitati quidquid illius expensis factum in eo Altari reperiebatur, & in perpetuum in futurum non permitteret aliquid ad seruitium illius Altaris administrare per confratres. Quod & factum fuit, & sic ablata fuit causa visitationis dicti Altaris. Hac enim ablata, non potest Episcopus confraternitatum Altaria intra Ecclesias Regularium posita visitare, vt fuit decisum per S. Cong. Epis. & Regul. in Papien. 21. Aug. 1615. & in Terracinen. 22. Ianuar. 1616. & in Ostien. 21 Octob. 1656. & docent Gallet. v. *Epis.* Armend. Genuen. & Vgol. quos sequitur Barbosa *ad d. cap.* 8. *num.* 24. Ciarlin. *contr.* For. *cap.* 65. *num.* 6. Lezana *d. c.* 85. *n.* 17.

1014. Decimus Sextus inuenitur in Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. ibi. *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur; ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, & alij suprascripti negligentes fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas, incurrant.* Duo hic genera Regularium distinguuntur, scilicet habentium, vel non habentium curam animarum. Nam Regulares non habentes curam animarum non tenentur conuenire ad Synodum Diœcesanam, nisi sint tales, qui non subduntur Capitulis Generalibus Gauant. v. *Synodus n.* 11. Barbosa *ad d. cap.* 2. *sess.* 24. *num.* 23. Faguan. *ad cap. Quod super his num.* 8. Hodie tamen Abbates, Priores, Guardiani, & alij superiores locales paruorum Conuentuum, qui ex vi Decreti Innocentij Decimi, *vt in paruis* dati die 10. Februar. 1654. subsunt iurisdictioni Ordinarij, ex alio decreto Sanctissimi D.N. Alexandri dato 30. Martij 1661. tenentur vocati ab Episcopo conuenire ad Synodum Diœcesanam. Habetur verò huiusmodi decretum apud Reuerendiss. Fagnanum *ad c. Quanto* 2. 64. *de off. Ordinar.*

1015. Si verò Regulares sint Parochi, vel exerceant sub alio quocumque nomine curam animarum tenentur conuenire ad Synodum. Piasec. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 2. Peyrin. *ad const.* 2. Iulij 2. *n.* 64. Tambur. *tom.* 1. *disp.* 29. *q.* 5. *num.* 4. Barbosa *ad d. cap.* 2. *sess.* 14. *num.* 26. Fagnan. *ad cap. Quod super num. de maior. & obed.* Si tamen Abbas Monachus cuius Monasterio, vel Ecclesiæ imminet cura animarum, eam exercet per Vicarium Secularem ab Episcopo approbatum, non tenetur per seipsum accedere ad Synodum, sed sufficit, si mittat Vicarium, vt declarauit S. Congr. Concil. apud Fagnan. loco citato *num.* 7. Barbos. ex Sell.

num. 27. Debere autem accedere etiam Fratres Capellanos S. Io. Hier. habentes curam animarum, tanquam decisum à S. Coag. docet idem Fagnan. *num.* 9. Vbi *num.* 10. quod etiam ad hoc tenentur Rectores nullius Diœcesis, nimirum ad hoc vt conueniant ad Synodum viciniores Episcopi, à quo visitantur, & hoc fuisse à S. Congr. declaratum, & *num.* 11. quod eadem S. Congr. declarauit non teneri conuenire ad Synodum ratione Parochialium Ecclesiarum exemptum actu exercentem vtramque iurisdictionem spiritualem, & temporalem in Parochos iuxta *cap.* 11. *ses.* 25. *de Regul.* sicut nec tenentur, qui habent speciale priuilegium exemptionis.

1016. Decimus Septimus est, quod Religiosi in die Sabbati Sancti non possunt ante Cathedralem; seu Matricem Ecclesiam pulsare Campanas, sub pœna Ducatorum centum ex decreto Leon. X. in Concil. Lateranen. & Ceremonialis Romani, auctoritate Clem. 8. publicati *l.* 2. *cap.* 27. Quod ceremoniale vim habet legis secundum Rotã *dec.* 5. *de fide Instrum.* apud Mohed. & in Eboren. *exempti* 3. Martij 1600. Coram Sacrato. Consuetudo tamen immemorabilis non est sublata per Lateran. Concilium, aut Ceremon. Clem. 8. vt censuit Rota in *Calguens. iuris pulsandi Campanas* 11. Martij 1619. coram Dunozetto, quæ est 37. apud Tambur *tom.* 3. & in eadem causa 17. Februar. 1620. Coram Verospio, & 29. April. 1624. Coram Merlino, quæ vbi supra est 38.

1017. Decimus Octauus casus est, si Regulares etiam S. Io. Hierosol. in personam Episcoporum delinquunt, Prælatorumque iurisdictionem turbant, aut impediunt ne munus suum exequantur. Sacra enim Cong. teste Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. graue num.* 76. *de off. ord.* censuit eos citra vllam exceptionem per eosdem Ordinarios legitime coerceri, & puniri posse nec non incidere in Bullam, quæ legitur in die Cœnæ Domini. Quam S. Cong. sententiam Greg. 13. ad se relatam approbauit, præterquam quoad illud verbum turbant, quod visum est nimis generale, ideò dixit decretum concipiendum esse contra impedientes iurisdictionem Prælatorum, videndi sunt scribentes super excommunicatione 16. Bullæ Cœnæ.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria Monialium relicta sub cura Regularium.* n. 1018.
2 *Clausura Monialium commissa Episcopo.* numer. 1019.
3 *Episcopi sunt præsentes electioni Abbatissarum* num. 1020.
4 *Confessarij Monialium approbandi ab Episcopo.* num. 1021.
5 *Rationem administrationis bonorum Monialium Episcopi exigunt.* n. 1022.
6 *Episcopus voluntates puellarum explorat.* numer. 1023.

antur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant.

1023. Quintus casus habetur ex Concil. Trid. *sess. 25. cap. 7.* vbi statuitur, quod Ordinarius puellarum Deo dicendarum voluntatem exploret tam ante habitus susceptionem, quam ante professionem, si puella sit maior duodecim annis, at si sit minor, ante professionem dumtaxat. Ita enim S. Congr. hunc textum interpretata est. Sed ne Episcopus ignoret tempus professionis tenetur, Præfecta monasterij eum ante mensem certiorem facere, alioquin suspensa est ab officio, quandiu Episcopo videbitur.

SVMMARIVM.

1 *Distinctio præmittitur. n. 1024.*
2 *Ecclesia exempta seculares visitantur ab Episcopo. n. 1025.*
3 *Textus Concil. Trid. n. 1026.*
4 *Monasteria quæ non reguntur, per Superiores Regulares, & Capitulo subduntur Episcopo. num. 1027.*
5 *Monasteria quæ reguntur per Capitula, & in eis viget disciplina regularis non subijciuntur Episcopo. n. 1028.*
6 *Ecclesias Regulares commendatas visitat Episcopus secundum aliquos. n. 1029.*
7 *Ecclesias in quibus non viget disciplina Regularis si sint subiectæ Capitib. Ordinum non visitat Episcopus. n. 1030.*
8 *Monasteria nullius Diœcesis non possunt visitari etiam si illis immineat cura animarũ. n. 1031.*
9 *Monasteria noua, & parua subiecta Episcopis num. 1032.*
10 *Monasterio paruo restituto, vel vbi non viuunt sex Religiosi subiecta Episcopis. n. 1033.*
11 *Monasteria non possunt erigi sine licentia Episcopi. n. 1034.*
12 *Prohibitio Bonifacij 8. reuocata per Concilium num. 1034.*
13 *Plures Constit. Pontificum. n. 1034.*
14 *Decretum Clem. 8. &c. pro toto orbe, sed Innoc. X. pro Italia, &c. n. 1035.*
15 *Nouos Conuentus erigere non verò erectos ampliare, &c. est prohibitum n. 1035.*
16 *Hospitia non sunt Conuentus. n. 1036.*
17 *Qui possint dare licentiam erigendi nouos Conuentus, & sub qua conditione. n. 1037.*
18 *Attendi debet an nouus Conuentus ferat præiudicium alijs in sustentamento corporali. n. 1038.*
19 *Quorum consensus sit inquirendus. n. 1036.*
20 *Degentes extra Claustra, & delinquentes quando puniat Episcopus. n. 1040.*
21 *An Episcopi extra visitationem possint punire delinquentes extra Claustra. n. 1041.*
22 *Apostatæ, & eiecti quando subiecti Episcopis. n. 1042.*
23 *Causæ miserabilium personarum cognoscuntur ab Episcopo. n. 1043.*
24 *Itinerantes sine licentia in quo subiecti Episcopis. n. 1044.*
25 *Studentes qualiter subiecti Episcopis. n. 1045.*
26 *Renunciationes non fiunt sine licentia Episcopi. n. 1048.*
27 *De nullitate professionis cognoscit Episcopus n. 1048.*
28 *Delinquentes notoriè extra claustra. n. 1049.*
29 *Prædicantes errores, &c. n. 1050.*
30 *Causæ ciuiles quando cognoscendæ ab Episcopo. n. 1051.*
31 *In causis fidei Regulares subditi Ordinarijs, & Inquisitoribus. n. 1052.*
32 *Monetarij puniuntur ab Episcopo. n. 1053.*
33 *Nonnulli alij recensentur casus, qui non sunt veri. n. 1053.*

INSPECTIONIS DECIMÆ.

CAP. SEPTIMVM.

De alijs casibus in quibus Regulares subijciuntur Episcopi.

1024. Circa hanc materiam Regularium in præsenti distingui possunt loca à personis Regularibus, & personas degentes extra claustra ab illis, quæ intra Claustra viuunt. Quantum igitur ad Ecclesias, & loca.

1025. Est primus casus Ecclesiarum, & Monasteriorum in quibus non viget Regularis disciplina, quæ subsunt visitationi Episcoporum. Est verò sciendum, quod Ecclesiarum exemptarum aliæ sunt seculares, aliæ regulares. Si seculares sunt Episcopus eas visitare potest tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, quod procedit etiam si huiusmodi Ecclesiæ sint, vel non sint commendatæ, siue in eis exerceatur, vel non cura animarum Concil. Trid. *sess. 21. cap. 8. de reformat.* Reuerendiss. Fagnan. *ad cap. Graue num. 11. de off. ordin.* quod si huiusmodi seculares Ecclesiæ sint nullius Diœcesis, à viciniori Episcopo, illo scilicet cuius Cathedralis est vicinior, visitari debent Concil. Trid. *sess. 24. cap. 9. de reformat.* Rota *decis. 396. part. 1. recent.* Barbosa ibi *n. 2. & 5.*

1026. Si verò Ecclesiæ exemptæ sunt Regulares, subdistinguitur; Nam vel in eis viget regularis disciplina, vel non viget. Si viget datur alia distinctio, nam vel huiusmodi Ecclesiæ sunt redactæ in congregationem regularem sub regulari Superiore, vel non sunt redactæ, sed sunt immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ. Si sunt huius secundi generis, quia scilicet, licet in eis vigeat regularis disciplina tamen non sũt redactæ in congregationem regularem, tunc sumus in casu *cap. 8. sess. 25.* Concil. Trid. & decretum illius capitis est seruandum, quod est tale: *Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis nõ subsũt, nec suos habẽt Ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata Sedis Apost. protectione, ac directione regi cõsueuerũt, teneantur infra annum à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere, iuxta formam Constitutionis Innocentij 3. in Concilio generali, quæ incipit; In singulis, ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo, & ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exequendis deliberent, & statuant. Quod si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano in cuius Prouincia prædicta Monasteria sunt, tanquam*

Sedis Apostolicæ Delegato, eos pro prædictis causis conuocare. Quod si infra huiusmodi vnius Prouinciæ non sit sufficiens talium Monasteriorum numerus ad erigendam Congregationem, possint duarum, vel trium Prouinciarum Monasteria vnam facere Congregationem. Ipsis autem Congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præsides, vel Visitatores eandem habeant authoritatem in sua Congregationis Monasteria, ac Regulares in eis commorantes, quam alij Præsides, ac Visitatores in cæteris habent Ordinibus: teneanturq; suæ Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere; & ea obseruare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc Sacro Concilio sunt decreta. Quod si etiam, Metropolitano instante, prædicta exequi non curauerint; Episcopis, in quorum Diœcesibus loca prædicta sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, subdantur.

1027. Hunc vero textum Barbosa sic summatim refert. Regulares, inquit, qui ob Prælatorum negligentiam capitulum Generale triennale non conuocauerint, à Metropolitano Prouinciæ, vbi Monasteria eorum sunt, ad id compellendos esse; sin vero illo instante, nedum se in Congregationem nō redegerint, sed nec capitula triēnalia fecerint, Episcopis ordinarijs loci, tanquam à Sede Apostolica ad id Delegatis, subijciuntur. Verum in dicto textu quod intēditur principaliter est, quod Monasteria quæ immediate sunt sub Sede Apostolica, erigantur in Regulares congregationes, & hoc infra annum, quod si id non fecerint, non statim subijciuntur Episcopo, sed datur potestas Metropolitano Regulares horum Monasteriorum conuocare, vt Monasteria huiusmodi erigant in Congregationes regendas per Superiores Regulares, & Capitula generalia. Quod si Metropolitano instante prædicta exequi non curauerint, vt scilicet in Congregationem Regularem eorum Monasteria redegerint, tunc illa Monasteria subijciuntur Episcopo. Et in hoc sensu textum intelligit Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Graue. n.* 13. Non ex hoc ergo Monasteria subijciuntur Episcopis, quia non habeatur Capitulum generale triennale, sed solum si sint Monasteria non erecta in Congregationem Regularem, sed velint esse immediatè subiecta Sedi Apostolicæ, & non regi per Superiores Regulares, & Capitula generalia.

1028. Monasteria verò redacta in Congregationem, & quæ per generalia Capitula, & Regulares Superiores reguntur, & in eis viget disciplina regularis exempta sunt ab Episcopi iurisdictione. *In cap. cum ille 8. sess.* 25. Episcopis subijciuntur sola Monasteria, quæ non reguntur per Capitula generalia, & Superiores Regulares. *Et in cap. 8. sess. 21.* eidem Episcopis subijciuntur Monasteria in quibus non viget disciplina Regularis. Fagnan. *ad d. cap. graue. num. 16. fin.* Si tamen huiusmodi Monasterijs immineat cura animarum, tunc sumus in casu *cap. 11. sess.* 25. & huiusmodi Monasteriorum Ecclesiæ subijciuntur visitationi Episcopi quantum ad ea, quæ spectant ad curam animarum secularium præcisè, vt explicatum est supra in hac eadem *susp. cap. 5. nu. 95.* Quod etiam fallit in casibus in eo Capitulo contentis. Quod si Ecclesiæ Parochiales sint annexæ, & vnitæ Monasterijs tunc sumus in casu *cap. 7. sess. 7.* qui etiam supra *d. cap.* 5. fuit explicatus. Et pro nunc sufficit aduertere, quod domus Parochiales vnitæ Monasterijs in quibus viuunt Regulares Parochi, etiam si in eis non vigeat disciplina regularis, non subijciuntur visitationi Episcopi, vt S. Cong. declarauit, teste eodem Fagnano *d. num.* 16.

1029. Sed si in Ecclesijs Regularibus non curatis non vigeat disciplina regularis, alia datur distinctio. Nam si huiusmodi Ecclesiæ sint commendatæ, Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. Graue. num.* 27. scotit, quod habet locum *cap. 8. sess.* 21. vbi sic habetur. *Quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque ijs, vbi oportet, prouideri æquum est: propterea commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositura nuncupata, in quibus non viget regularis obseruantia, necnon beneficia tam curata, quam non curata, secularia, & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam Apost. Sedis Delegatis, annis singulis visitentur: curentque ijdem Episcopi congruentibus remedijs, etiam per sequestrationem fructuum, vt quæ renouatione indigent, aut restauratione, reficiantur, & cura animarum, si qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia rectè exerceantur, appellationibus quibuscumque, priuilegijs, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, conseruatorijs, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus: &, si in eis vigeret obseruantia regularis, prouideant Episcopi paternis admonitionibus, vt eorum regularium superiores, iuxta eorum regularia instituta, debitam viuendi rationem obseruent, & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitauerint, vel correxerint, tunc ijdem Episcopi, etiam vt Delegati Sedis Apostolicæ, eos visitare possint, & corrigere, prout ipsi superiores possent, iuxta eorum instituta, quibuscumque appellationibus, priuilegijs, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.* Sic igitur visitationi Episcoporum vt Delegatorum Sedis Apostolicæ subduntur Regulares Ecclesiæ, quæ habent has duas conditiones, quod in illis non viget regularis disciplina, & sunt commendatæ. Et aduertit quod illa dictio *etiam*, non sumitur necessario in *d. textu* vt habeat significationem cumulatiuam, quasi Episcopus has Ecclesias visitare possit authoritate Ordinaria, & Delegata, sed illa dictio etiam fuit posita ad distinctionem Ecclesiarum non exemptarum vt sit sensus quod Episcopus etiam Ecclesias illas visitare possit vt Delegatus, si illæ sint exemptæ.

1030. Verum difficultatem facit contra huiusmodi intelligentiam *cap. 20. sess.* 25. in quo sic disponitur. *Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac ceteri prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusue legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prioratus, sua quisque loco, atque ordine, ex officio visitent, etiamsi commendata existant. Quæ cum Ordinum suorum Capitib. subsint, declarat sancta Synodus, in ijs, quæ alias de visitatione Monasteriorum commendatorum desinita sunt, non esse comprehensa, teneanturque quicomque prædictorum Ordinū Monasterijs præsunt, prædictos visitatores recipere, & illorū ordinationes exequi. Ipsa quoq;*

mona-

monasteria, quæ sunt Ordinum Capita, iuxta S. Sedis Apost. & cuiusque Ordinis Constitutiones visitentur. Et quamdiu durabunt huiusmodi commenda. Priores claustrales, aut in Prioratibus Conuentum habentibus, Subpriores qui correctiones, & spirituale regimen exercent, à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum visitatoribus instituantur. In ceteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorũ personas, loca, & iura concernũt, firma sint, & illæsa. Ex hoc enim textu habetur quod Monasteria etiam commendata sint à visitatione Episcopi exempta, & quod in eis non habet locum dispositio *d. c. 8. ses. 25.* Vbi enim in textu dicitur, quod nõ habeat locũ supradicta dispositio, exprimitur in margine, & citatur *cap. 8. ses. 21.* Nec obstat si dicatur quod Concil. in *cap. illo* 20. loquitur de Monasterijs in quibus viget disciplina regularis. Nam de illis eisdem, & omnino loquitur de quibus loquutus fuerat *in cap. 8. ses. 21.* ibi autem loquutus fuerat tantum de Monasterijs in quibus non viget disciplina regularis, & decernitur, quod si sint commendata subdantur visitationi Episcopi, vt patet *in vers. In quibus non viget, &c.* Et quia de Monasterijs in quibus viget disciplina Regularis loquitur in fine *d. cap. 8.* nec subijcit ea visitationi Episcopi, nisi Superiores admoniti ea intra sex menses non visitauerint. Quando ergo *in cap. 20. ses. 25. de Regul.* ait quod Monasteria, quæ Ordinum suorum Capitibus subsunt non sunt comprehensa in ijs quæ alias, scilicet, *cap. 8. ses. 21.* definita sunt eximit omnia Monasteria Regularibus Capitibus subiecta, quæcumque illa sint. Et sic vbi est sermo de Monasterijs Regularium quibus non imminet cura animarum, hæc vnica distinctio attendi debet, quod vel illa reguntur per regulares superiores, & capitula iuxta sancita in *c. 8. ses. 25.* vel nõ reguntur si regũtur nõ possũt visitari ab Episcopo, nisi quantum ad curam animarum secularium, si illis immineat, si verò non reguntur, tunc subsunt visitationi Episcopi. Et ita seruandum est ex textu tum *cap. 8.* tum *cap. 20. ses. 25.* quod Monasteria, quæ suorum Ordinum capitibus subsunt, non sunt subiecta visitationi Episcopi, nisi pro quãto illis immineat cura animarum secularium. Et tanto magis, quod disposita per Concilium *cap. 8. ses. 7.* non habent locum in Ecclesijs regularibus ex sententia S. Congreg. vt refert idem Fagnan. ibid. *num.* 18. ita vt à visitatione Episcopi exemptæ sint etiam Ecclesiæ Monasterijs vnitæ, vel ab eis dependentes, si eis à regularibus deseruiatur. Sic igitur Ecclesiæ omnes regulares subiectæ capitibus Ordinum, & sub visitatione Capitulorum generalium, aut superiorum regularium non sunt subiectæ visitationi Episcopi ex vi *cap. 8. ses. 7.* Concil. Trident. quia ex sententia S. Congreg. ibi non est sermo de Eccles. regular. sed neque ex vi *cap. 8. ses. 21.* quia sub decreto illius *cap.* ex dispositione eiusdem Concil. *cap. 20. ses. 25. de Regul.* non cõprehendũtur Ecclesiæ regulares erectæ in Congregationem, & sui ordinis capitib. subiectæ, etiam si sint commendatæ, solũ ergo huiusmodi Ecclesiæ si in eis exercitetur cura animarum secularium sunt subditæ visitationi Episc. in ijs, quæ spectant ad curam animarum. Vel in casu *d. cap. 8. ses. 21.* si superiores regulares admoniti ab Episcopo eas intra sex menses non visitauerint.

1031. Sed si Monasteria regularia sint nullius Diœcesis, non sunt alicui Episcopi subiecta, nec Episcopus potest in illis aliquam exercere authoritatem, quia *cap. 9. ses. 24.* restringit se ad Ecclesias seculares sicut & *cap. 18. ses. 23.* Et ideò huiusmodi Ecclesiæ regulares nullius Diœcesis liberæ sunt à visitatione Episcopi etiam si illis immineat cura animarum secularium, quia *cap. 11. ses. 25. de Regul.* non habet locum in Ecclesijs nullius Diœcesis, vt patet ibi. *Episcopi in cuius Diœcesi sita sunt.* Et idem procedit siue Ecclesiæ commendatæ sint siue non, quia nec *cap. 8. ses. 21.* loquitur de Ecclesijs nullius Diœcesis, sed solum de exemptis. Solum in casu *cap. 18. ses. 23.* ea beneficia, quæ tenentur contribuere seminario, id facere debent, etiam si nullius sint Diœcesis. Reuerendiss. Fagnan. *ad d. cap. graue num. 19. & 20. & 25. de off. ordinar.* Sic ergo nec Monasteria quæ sunt nullius Diœcesis, nec personæ regulares in eis degentes etiam curam animarum exercentes subsunt visitationi Episcopi. Nam nec *const.* Greg. 15. *de exempt.* priuilegijs comprehendit personas nullius Diœcesis. Vt tamen supra dicebatur in ordine ad ordines suscipiendos subiectæ sunt huiusmodi personæ, viciniori Episcopo.

1032. Secundus casus habetur ex Decreto de celebratione Missarum edito die 21. Iunij 1625. In quo Monasteria ædificanda iurisdictioni Ordinarij subijciuntur, si in eis 12. Religiosi sustentari non possunt. *Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ac præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi vt supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atq; omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligãtur.* Et hoc pro Italia, & Insulis adiacentibus fuit etiam confirmatum ab Innoc. X. *in constit. instaurandæ.*

1033. Tertius, & quartus casus colligitur ex decreto S. Congr. super statu Regularium approbato ab Innoc. X. & incipit *Vt in paruis*, quod fuit datum 10. Februar. 1654. & est seq. tenoris: *Vt in paruis Regularium virorum conuentibus à Sanctiss. D. N. Innocentio PP. X. in Constitutione, quæ incipit Instauranda, primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restitutis, & ipsis religiosibus denuò concessis, piè, & religiosè viuatur: ac regularia instituta quo exactius fieri potest obseruentur: Sanctitas Sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, & singulos conuentus huiusmodi sic, vt præfertur, restitutos, & concessos in literis ab eadem Sac. Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam regulares, quam seculares in eis degentes visitationi, correctioni, & omnimodæ iurisdictioni Ordinarij loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegati, præsentis Decre-*

ti te-

ti tenore plenè in omnibus subiecit, ac subiectos esse declarauit, donec ipsarum reditus eousque adaucti fuerint, vt in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum praescriptum, idque eidem S. Congregationi legitimè constiterit, & eius Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & nō aliter. Interea verò voluit Sanctitas Sua, vt in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltem Religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturae aetatis: alioquin gratia restitutionis, & concessionis huiusmodi nulla sit, & inualida, & Ordinarij locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quae in alijs conuentibus iisdem suppressis per eamdem constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia praedicta restitutionis, & concessionis non emanasset. Insuper quia multi sunt conuentus, in quibus etsi praefixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad obseruantiam Regularis disciplinae, & idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominus siue ob redituum diminutionem, siue ob Superiorem incuriam, vel malam administrationem, siue ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam praedictus numerus cum effectu in eis non alitur cum graui detrimento regularis obseruantiae: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos eiusmodi conuentus, vt praefertur, non suppressos, cuiuscumque sint Ordinis tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Instituti etiam Societatis Iesu, aut grancia, seu membra alterius Monasterij, existentes intra fines Italiae, & Insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex Religiosi eidem probatae vitae, quorum ad minus quatuor vt supra sint sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodae iurisdictioni Ordinarij loci similiter vt Sedis Apostolicae delegati plenè in omnibus praesentis pariter decreti vigore subiectos esse statuit, decreuit, & declarauit. Caeterum quoad Conuentus cum pauciori numero, quam duodecim religiosorum, erectos post diem 21. Iunij 1625. & illorum subiectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum san. mem. Vrbani 8. iussu editum, cui per praemissa aliquatenus derogare non intendit. Et praedicta omnia, & singula in praesenti Decreto statuta, & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari, non obstantibus omnibus, & singulis, quae in antedicta Constitutione voluit non obstare, caeterisque contrarijs quibuscumque. Eadem verò S. Congregatio propositis multis dubijs, pro praefati decreti meliori intelligentia ea soluit, & responsiones seu declarationes fuerunt approbatae à S.D.N. Alexandro 7. Infrascripti autem tenoris sunt dubia, & responsiones S. Congregationis. Posito decreto felic. rec. Innoc. Papae X. super subiectione nonnullorum Conuentuum correctioni, visitationi, & omnimodae iurisdictioni Ordinarij loci tanquam Sedis Apostolicae Delegati, contingit dubitari de infrascriptis.

1. An Episcopus in Conuentibus suae iurisdictioni subiectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.

2. An possit Episcopus à praedictis Conuentibus Religiosos amouere.

3. An Regulares eorumdem Conuentuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationi.

4. An Episcopus in eisdem Conuentibus se ingerere possit in his, quae regularem disciplinam concernunt.

5. An Ecclesia dictorum Conuentuum, & Capella Granciarum, in quibus degunt Conuersi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint.

6. An ipsae Granciae, & Conuersi in eis degentes subsint visitationi Episcopi.

7. Quid in Ecclesijs, seu Capellis Granciarum in quibus nullus degit Conuersus, an similiter subsint Episcopi visitationi.

8. An liceat Episcopo visitare Conuentus tam suppressos, & postea restitutos, quam non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi.

9. An Episcopus visitans huiusmodi Conuentus suae iurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

10. An iurisdictio Ordinarijs locorum tanquam Sedis Apostolicae Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicarijs generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, & alijs inferioribus Praelatis proprium territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

11. An Prouinciales, & alij Superiores Regulares possint eiusmodi Conuentus iurisdictioni Ordinarij subiectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque iurisdictionem in eis exercere sicut poterant ante dictum Decretum.

12. Si Superior Regularis in causa praeuenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conuentibus Ordinario subiectis fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit huiusmodi causam reassumere, ac superiori inhibere.

13. Si è conuerso Episcopus in causa praeuenerit contra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amouere, & in alio Conuentu collocare, & si de facto collocauerit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentum.

14. Si Prouincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conuentu remouere, an Episcopus prohibere possit.

15. Si à Conuentu primum suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus vnus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus vt prius.

16. Quid si à Conuentu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conuentus subiaceat iurisdictioni Ordinarij.

17. An Religioso illo redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum Conuentus recuperet pristinam exemptionem.

18. Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam decreti

cam

effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, vt eiusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conuentus reuiuiscat.

19. *Ad hoc vt gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus denuo remaneat suppressus, propterea quod in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat pracedere declaratoria Episcopi super facto praeuia causae cognitione.*

20. *An ab huiusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam deuolutiuum, quam suspensiuum.*

21. *Cum ex Decreti praescripto quatuor Sacerdotes in his Conuentibus degentes debeant esse maturae aetatis, quaenam dicatur ad hunc effectum aetas matura.*

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet.

Ad 1. Non posse.

Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen prius superiore Regulari, ad quem pertinet, vt eosdem Religiosos assignet in alijs Conuentibus.

Ad 3. Posse compelli.

Ad 4. Posse.

Ad 5. Posse.

Ad 6. Subesse.

Ad 7. Itidem subesse.

Ad 8. Minimè licere antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto.

Ad 9. Expedire vt S. D. N. decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conuentus visitanti quicquam accipere procurationis nomine.

Ad 10. Competere.

Ad 11. Posse sicut prius, non tamen priuatiuè ad Episcopum.

Ad 12. Non posse, nisi ex iusta causa, veluti cum videt Superiorum Regularem ex odio vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia seueritate, vel indulgentia quid duriùs, aut remissius constituere, quam causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amouere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscumque remedijs reuocare, etiam inuocato auxilio Ordinarij, & brachij saecularis si opus fuerit, cuiuscumq; loci, in quo Religiosus ille reperiatur.

Ad 14. Non posse.

Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conuentum remanere suppressum.

Ad 16. Subiacere durante absentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18. Non reuiuiscere.

Ad 19. Debere ita procedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conuentus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere.

Ad 20. Licere ad effectum deuolutiuum tantùm, non autem suspensiuum.

Ad 21. Aetatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

Declarationes suprascriptas S. D. N. ad se relatas approbauit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obseruari praecepit, contrarijs quibuscumque non obstantibus. Datum Romae 27. Iulij 1655.

1034. Quintus casus respicit erectionem nouorum Conuentuum, seu domorum, quia huiusmodi erectio sine Episcopi examine, & licentia fieri nequit. Plura autem circa hoc post Concil. Trident. fuerunt statuta. Et quidem Concil. *sess.* 25. *cap.* 3. in fine sic decreuit. *Nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius Dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Quo decreto sublata fuit prohibitio Bonifac. 8. *in cap. vn de excess. Praelat. in 6. & Clem. cupientes de poenis*, vt ex Sac. Cong. aduertit Fagnan. *ad d. cap. graue. num.* 53. *de off. ordin.* Postea verò Clem. 8. *in const. quoniam.* data 23. Iulij 1603. facultatem hanc Episcoporum ad nonnullas conditiones restrinxit. Successiuè Greg. 15. confirmata *constit.* Clem. 8. multa addidit, in decreto edito 17. Augusti 1622. Postea Vrbanus Octauus omnes licentias erigendi Conuentus non seruatis praefatis Decretis reuocauit, *in constit. sua Romanus Pontifex*, data 28. Augus. 1624. Nouissimè verò Innoc. X. *in constit. instauranda pro Italia*, & adiacentibus Insulis statuit nullum posse erigi nouum Conuentum sine licentia Sedis Apostolicae, vt patet ibi. *Verùm quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa, & radix euellatur, Constitutiones fel. recor. Bonifac. 8. quae incipit, cum ex eo, nec non Clementis 8. incipien. Quoniam ad institutum, aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super erectione nouorum Cōuentuum editas earumdem tenores innouantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cuiusuis alterius instituti, etiam Societatis Iesu in aliqua Ciuitate, Castro, Villa seu loco ad habitandum domos, vel loca quacumque de nouo recipere, seu Monasteria, Conuentus, vel Collegia incipere, vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali planam, & expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda praeuia examinatione Congregationis negotijs Episcoporum, ac Regularium praeposita: si secus egerint, eo ipso incurrant poenas priuationis, & inhabilitatis vt supra inflictas, & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso iure nullae, & inualidae, & domos, ac loca ipsa, ac personae in eis degentes omnimodae iurisdictioni, correctioni, Ordinarij loci plenè in omnibus subiaceant.*

1035. Ex his verò legibus decretum Concil. Trident. & Constitutiones Clementis 8. Greg. 15. & Vrbani 8. sunt pro toto orbe vniuersales, & vbique obligant. Sed constitutio Innocentij 10. obligat solum in Italia, & Insulis adiacentibus. Quamobrem in his partibus solius Summi Pontificis est tribuere licentiam erigendi nouos Conuentus; extra Italiam verò & Insulas adiacentes solius Episcopi licentia sufficit data in terminis decreti Concil. Trid. & *constitut. praefatorum Pontificum.* Actio verò prohibita fieri sine licentia Pontificis aut Episcopi est erigere, fundare, instituere nouos Conuentus vel sine licentia inceptos absolnere;

uere; vnde ex vi dictarum Constitutionum non est prohibitum, vel Conuentus destructos etiam in totum reedificare, vel eosdem ampliare, & dilatare, vel de vno ad alium Conuentum priori relicto transire, seu Conuentum mutare, quia hoc non est nouum Conuentum erigere, instituere, aut fundare. Aliunde verò potest esse prohibitum Conuentum mutare quantum ad locum, & situm si id fiat in praeiudicium aliorum ex non seruata distantia, quae secundum diuersarum Religionum priuilegia seruari debet. Nouam quoque Ecclesiam Episcopo subiectam non possunt Regulares recipere nisi de manu Episcopi.

1036. Nomine autem noui Monasterij, aut Conuentus, venit domus omnis ad habitationem permanentem Religiosorum deputata, quocumque vocetur nomine; non veniunt verò hospitia pura, sed bene veniunt secundum multos hospitia habentia Campanas conuocantes populum, & Ecclesiam pro secularibus apertam. Sed ego puto quod in hoc debeat attendi formalitas habitationis, & domicilij, & quod sub nomine Conuentus, aut Monasterij, aut domus, aut Congregationis non veniant hospitia, si eis permanenter non maneat nisi superior, sindicus, & ministri necessarij, & de reliquo non habitent ibi Religiosi permanentes, sed solum per transitum, & non viuentes ex eleemosynis, sed expensas soluentes, quia huiusmodi domus propriè non est nisi hospitium Religiosum, quod non decet esse sine superiore, & ministris necessarijs ad hospites recipiendos, nec impedit sustentamentum antiquiorum Religiosorum.

1037. Episcoporum verò nomine veniunt Praelati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & territorium. Est verò controuersum an hanc licentiam dare possint Vicarij Episcoporũ, aut Capitulum Sede vacante. Certum est, quod nec Episcopi hanc licentiam dare possunt nisi seruata forma instituta à Clem. 8. & Greg. 15. & aliter data ob decretum irritans, quo munitae sunt Constitutiones dictorum Pontificum, est nulla. Debet igitur postulari, & obtineri consensus aliorum Religiosorum existentium prius in loco, vel in distantia quatuor milliarium, & quia Episcopus licentiam erigendi dare non potest nisi praemissa causae cognitione, ideò de consensu aliorum Religiosorum debet constare in actis, ideò tam illorum, quam Episcopi consensus debet dari in scriptis, quamuis hoc essentialiter non sit de forma. Consensum verò dare possunt etiam Prouincialis, vel Generalis, qui sunt Praelati cuiuscumque Conuentus existentis in Prouincia, vel respectiuè in Religione.

1038. Verum valdè hic est aduertendum, quod finis praefatarum constitutionum est ne antiquiores Religiosi patiantur detrimentum in corporali sustentamento, vt ex *vers. manutenere, & alij posse*, Vel *commodè alere, & manutenere*, manifestè colligitur. Non igitur ex vi praefatarum dictarum constitutionum attendi debet, an forsan diminuetur concursus populorum ad Ecclesiam, vel an alibi celebrabuntur Missae, vel sepelientur mortui, vel Dei cultus augebitur, vel aliud simile futurum sit, quod sit facultatiuum, & in libertate hominum positum, sed solum an antiqui Religiosi in eo numero, in quo solebant, & solent possint sustentari commodè, vel potius an futurum sit, vt ex noui Conuentus erectione notabile detrimentum patiantur in ijs quae spectant ad alimentum, & sustentamentum. Vnde etiam est, quod non debet attendi an antiqui Conuentus patiantur detrimentum in eorum augmento; quia periculum sit vt non possint antiquae familiae augeri. Quia praefatae constitutiones attendunt detrimẽtũ sustentationis eorũ, qui praeexistunt, & nec diuino cultui, nec bono populorũ nec aequitati consonũ est, quod antiquae Religiosorum familiae velint crescere per exclusionẽ aliorũ Religiosorũ.

1039. Ex his verò sequitur, quod vbi qui ingressuri sunt de nouo (maximè si non mendicant) possunt ex dote sibi constituta commodè viuere in numero duodenario, sine detrimento antiquorum quantum ad corporale sustentamentum, Episcopus non tenetur petere antiquorum Religiosorum consensum, imò illis inuitis potest noui Conuentus erigendi licentiam concedere, vt ex lectura dictarum constitutionum satis constat. Quamuis verò in *const.* Clem. dicatur vocandos esse habentes interesse, hoc ex *const.* Greg. 15. explicatur, & est verum de habentibus interesse sustentamenti passiuè vel actiuè. Passiuè respectu aliorum Religiosorum, quia nouus ingressus Religiosorum non debet esse cum detrimento sustentamenti antiquiorum. Actiuè respectu incolarum loci, vt constet an ipsi possint nouos Religiosos intrare volentes alere, & commodè sustentare. Inde est, quod consensus Cleri secularis non est petendus, nec est necessarius. Quia aliunde Clerici habent sustentamentum, vel ex patrimonio vel ex beneficio, vnde Pontifices solum praeceperunt postulari consensum aliorum Religiosorum nulla facta mentione Cleri, & Clericorum. Et inde magis apparet, quod non debet attendi quod populi v.g. non tam frequenter conuenient ad Parochialem vel pro Missis audiendis, vel pro Sacramentis liberis recipiendis, vel pro mortuis sepeliendis, quod per accidens cedet etiam in minus lucrum Clericorum, quia hoc est beneficium à iure omnibus fidelibus concessum, vt in his liberi sint, & Clerici sicut, & alij Religiosi contra hanc libertatem nullum ius habent, & non debent ex hoc posse impedire id, quod per se est maioris honoris Dei, & profectus animarum. Quod si contingat ex abundantia postulari consensum Cleri, si datur sub conditionibus, & pactis repugnantibus Regularium priuilegijs, huiusmodi conditiones tanquam contrariae iuri pro non appositis sunt habendae.

1040. Sextus casus respiciens iam personas Regulares degentes extra Claustra est eius, qui sic extra Claustra degens delinquit. De hoc plura supra tradita sũt in hoc eodẽ tractatu de professione *à n. 488. pag. 486.* Nũc opportunũ est referre decretũ S. Congregationis Conc. editum hoc anno, quod est sequentis tenoris. *Vnanimi consensu D. Episcopi Parmen. & P. Procuratoris generalis Ord. Praedicatorum infrascripta facti species ad verbum imposita fuit, Regularis quidam circa finem May 1663, recessit à Conuentu suae assignationis expulsus à Principe seculari, & iussus exire intra certum terminum temporis à territorio sui dominij, sed in*

pr

principio Augusti eiusdem anni intra eandem Ciuitatem à qua fuerat expulsus, ministros eiusdem Principis captus fuit in habitu Religioso, & ductus ad carceres seculares in quibus detinetur. Praetenditur verò quod intra illud tempus in quo dictus Regularis fuit extra claustra, perpetrauerit multa delicta etiam dimisso habitu, imò gladio accinctus, & armatus sclopetis. Quibus positis supplices petunt D. Episcopus, & P. Procurator generalis. An praenarrata facti species comprehendatur in Decreto Concilij cap.3. sess.6. de reformat. Adeò vt posito Episcopus de huiusmodi Regularis delictis cognoscere, atque in ipsum animaduertere. Vel potius hoc ad illius Superiores Regulares pertineat. Die 9. Februarij 1664. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit in casu de quo agitur cognitionem, & punitionem huiusmodi delictorum ad Superiorem Regularem pertinere. Pro parte autem Religionis duo inter alia allegata fuerunt. Primum quod decretum *cap.3. sess.6.* Conc.Trid. facultatē non dat Episcopis corrigendi regulares degentes extra claustra nisi in visitatione, iuxta supra tradita. Secundum quod Regularis, de quo in casu non degebat extra claustra, sed fugitiuus erat à claustro. Quo tamen motiuo S. Congr. dubium determinauerit mihi non constat.

1041. Aduertit verò Fagnan. *ad d. cap. graue. nu.31. de off. ordin.* quod Episcopi in terminis constitutionis *De salute gregis*, quæ est 10. Pij Quarti de residentia Episcoporum, possunt, etiam extra visitationem procedere contra regulares extra claustra delinquentes, & eos corrigere, & punire, §. 5. ibi, *tanquam à dicta Sede Delegati in quibuscumque Ciuilibus, Criminalibus, vel mixtis causis. contra quoscumq; Clericos Seculares particulares, ac etiam extra eorum Monasteria, seu regularia loca degentes regulares, quomodolibet exemptos authoritate nostra procedere, & causas ipsas cognoscere, finireq; debitè terminare, ac quidquid terminauerint exequi, & obseruari facere, ipsosque exemptos pro tempore delinquentes, iuxta eorum excessus, & delicta punire, corrigere, & omnem iurisdictionem in eos exercere liberè, & licitè valeant.* Verum cum priuilegium exemptionis à iurisdictione Ordinariorum post Pium Quartum fuerit concessum per Greg. 14. in sua *constit.* 17. data anno 1591. 22. Septemb. quæ incipit *Illius, qui pro grege, in §.* 38. Clericis minis[illegible]antibus infirmis, cum hac sola restrictiua, salua tamen decretorum dicti Concilij (scilicet Tridentini) dispositione, si ex vi Concil. Trid. *d. cap.3. sess.6.* de reformatione Episcopi extra visitationem non possunt regulares degentes extra claustra punire, neque id poterunt ex vi dictæ *constit.* Pij Quarti, cui sufficienter fuit derogatum per *d. const.* Greg. 14.

1042. Septimus casus est Apostatarum, & octauus eiectorum. Sed qualiter Apostatæ, aut eiecti subijciantur Ordinario ex vi decreti Clem. 8. de Apostatis, & eiectis *supra q.* 189. *n.* 8. est explicatum.

1043. Nonus casus habetur ex Concil. Trid. *sess.7. cap.14.* Vbi statuitur quod in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem non habeant, coram locorum Ordinarijs tanquam in hoc à Sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint.

1044. Decimus casus est itinerantium sine licentia, de quibus ita statuitur in Concil. Trid. *sess.25. cap.4. Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere etiam praetextu ad Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Sed de hac quoque Episcoporum facultate actum est supra *q.189. n.8.*

1045. Vndecimus casus ex Concil. Trident. ibid. colligitur, vbi praecipitur, quod regulares, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, aliter ab Ordinarijs puniantur. Sed & de Religiosis manentibus in Vniuersitatibus causa studij tractatum est supra *qu.* 189. *d.8. à n.392. pag.448.*

1046. Quando etiam regulares non degant intra claustra, in aliquibus casibus subijciuntur Ordinarijs, vnde duodecimus casus est Nomtiorū renunciantiū suis bonis, quod nō possunt facere sine licentia Ordinarij. De quo dictum fuit in hoc tractatu *de stat. nou. supra inspect.8. n.*129 *pag.*597.

1047. Decimus tertius est cognitio nullitatis professionis quæ spectat ad Ordinarium, & Superiorem Religiosum eius, qui prætenditur nulliter professus, & de quo in hoc eodem tractatu actum est. *inspect.9. à n.*424. *pag.*732.

1048. Decimus quartus casus est Religiosorum degentium intra claustra, sed extra notoriè, & cum scandalo delinquentium. Et de hoc quoque casu latè tractatum fuit supra *q.*189. *nu.*8. *insp. 3. à n.*496. *pag.*491.

1049. Decimus quintus casus est prædicantium errores, & scandala disseminantium: his enim ex vi Concil. Trid. *sess.5. cap.2.* etiam si in proprijs Ecclesijs prædicauerint ab Episcopo munus prædicationis interdici debet. Aduertit verò Fagn. *cap. Graue. num.* 43. *de off. ordin.* quod cum olim Fratres S.Francisci Prouinciæ del Zusco petierint declarari an ipsi vigore suorum priuilegiorum eximentium eos ab Ordinarijs possint, si prædicando aliquod hæreticum vel erroneum protulerint castigari ab Ordinario in vim *d. cap.2.* eorum priuilegia sint post Concilium confirmata S. Congregatio censuit per derogationem priuilegiorum non esse derogatum *d. cap.2. vers. si verò,* nisi in ipsis priuilegijs appareat expressè dispositio, quæ sit contraria dispositioni Concilij. Rursus censuit Congregatio ab Archiepiscopo Mediol. consulta ex Bulla Pij Quarti de professione fidei, regulares conciones habere volentes non teneri facere illam professionem antequam hoc munus assumāt: posse tamen Ordinarios quo tempore concionandi licentiam ex decreto Concil. *sess.* 24. c. 4. dant regularibus, exigere ab eis hanc professionem fidei, si ita ipsis expedire videbitur.

1050. Decimus sextus est ex bulla Greg. 15. de conseruatoribus in qua inter cætera statuitur, vt regulares qui non seruata forma ibi præscripta Conseruatores elegerint, aut eis vsi fuerint, vtraq; voce sint priuati, & careant Conseruatore ad annum, in quo eorum causæ coram Ordinario cognosci

uere; vnde ex vi dictarum Constitutionum non est prohibitum, vel Conuentus destructos etiam in totum reedificare; vel eosdem ampliare, & dilatare, vel de vno ad alium Conuentum priori relicto transire, seu Conuentum mutare, quia hoc non est nouum Conuentum erigere, instituere, aut fundare. Aliunde verò potest esse prohibitum Conuentum mutare quantum ad locum, & situm si id fiat in præiudicium aliorum ex non seruata distantia, quæ secundum diuersarum Religionum priuilegia seruari debet. Nouam quoque Ecclesiam Episcopo subiectam non possunt Regulares recipere nisi de manu Episcopi.

1036. Nomine autem noui Monasterij, aut Conuentus, venit domus omnis ad habitationem permanentem Religiosorum deputata, quocumque vocetur nomine; non veniunt verò hospitia pura, sed bene veniunt secundum multos hospitia habentia Campanas conuocantes populum, & Ecclesiam pro secularibus apertam. Sed ego puto quod in hoc debeat attendi formalitas habitationis, & domicilij, & quod sub nomine Conuentus; aut Monasterij, aut domus, aut Congregationis non veniant hospitia, si eis permanenter non maneat nisi superior, sindicus, & ministri necessarij, & de reliquo non habitent ibi Religiosi permanenter, sed solum per transitum, & non viuentes ex eleemosynis, sed expensas soluentes, quia huiusmodi domus propriè non est nisi hospitium Religiosum, quod non decet esse sine superiore, & ministris necessarijs ad hospites recipiendos, nec impedit sustentamentum antiquiorum Religiosorum.

1037. Episcoporum verò nomine veniunt Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & territorium. Est verò controuersum an hanc licentiam dare possint Vicarij Episcoporũ, aut Capitulum Sede vacante. Certum est, quod nec Episcopi hanc licentiam dare possunt nisi seruata forma instituta à Clem. 8. & Greg. 15. & aliter data ob decretum irritans, quo munitæ sunt Constitutiones dictorum Pontificum, est nulla. Debet igitur postulari, & obtineri consensus aliorum Religiosorum existentium prius in loco, vel in distantia quatuor milliarium, & quia Episcopus licentiam erigendi dare non potest nisi præmissa causæ cognitione, ideò de consensu aliorum Religiosorum debet constare in actis, ideò tam illorum, quam Episcopi consensus debet dari in scriptis, quamuis hoc essentialiter non sit de forma. Consensum verò dare possunt etiam Prouincialis, vel Generalis, qui sunt Prælati cuiuscumque Conuentus existentis in Prouincia, vel respectiuè in Religione.

1038. Verum valdè hic est aduertendum, quod finis præfatarum constitutionum est ne antiquiores Religiosi patiantur detrimentum in corporali sustentamento, vt ex *vers. manutenere*, & *alij* posse, Vel *commodè alere*, & *manutenere*, manifestè colligitur. Non igitur ex vi præcisa dictarum constitutionum attendi debet, an forsan diminuetur concursus populorum ad Ecclesiam, vel an alibi celebrabuntur Missæ, vel sepelientur mortui, vel Dei cultus augebitur, vel aliud simile futurum sit, quod sit facultatiuum, & in libertate hominum positum, sed solum an anti-qui Religiosi in eo numero, in quo solebant, & solent possint sustentari commodè, vel potius an futurum sit, vt ex noui Conuentus erectione notabile detrimentum patiantur in ijs quæ spectant ad alimentum, & sustentamentum. Vnde etiam est, quod non debet attendi an antiqui Conuentus patiantur detrimentum in eorum augmento; quia periculum sit vt non possint antiquæ familiæ augeri. Quia præfatæ constitutiones attendunt detrimentũ sustentationis eorũ, qui præexistunt, & nec diuino cultui, nec bono populorũ nec æquitati consonũ est, quod antiquæ Religiosorum familiæ velint crescere per exclusionẽ aliorũ Religiosorũ.

1039. Ex his verò sequitur, quod vbi qui ingressuri sunt de nouo (maximè si non mendicant) possunt ex dote sibi constituta commodè viuere in numero duodenario, sine detrimento antiquorum quantum ad corporale sustentamentum, Episcopus non tenetur petere antiquorum Religiosorum consensum, imò illis inuitis potest noui Conuentus erigendi licentiam concedere, vt ex lectura dictarum constitutionum satis constat. Quamuis verò in *const.* Clem. dicatur vocandos esse habentes interresse, hoc ex *const.* Greg. 15. explicatur, & est verum de habentibus interresse sustentamenti passiuè vel actiuè. Passiuè respectu aliorum Religiosorum, quia nouus ingressus Religiosorum non debet esse cum detrimento sustentamenti antiquiorum. Actiuè respectu incolarum loci, vt constet an ipsi possint nouos Religiosos intrare volentes alere, & commodè sustentare. Inde est, quod consensus Cleri secularis non est petendus, nec est necessarius. Quia aliunde Clerici habent sustentamentum, vel ex patrimonio vel ex beneficio, vnde Pontifices solum præceperunt postulari consensum aliorum Religiosorum nulla facta mentione Cleri, & Clericorum. Et inde magis apparet, quod non debet attendi quod populi v.g. non tam frequenter conuenient ad Parochialem vel pro Missis audiendis, vel pro Sacramentis liberè recipiendis, vel pro mortuis sepeliendis, quod per accidens cedet etiam in minus lucrum Clericorum, quia hoc est beneficium à iure omnibus fidelibus concessum, vt in his liberi sint, & Clerici sicut, & alij Religiosi contra hanc libertatem nullum ius habent, & non debent ex hoc posse impedire id, quod per se est maioris honoris Dei, & profectus animarum. Quod si contingat ex abundantia postulari consensum Cleri, si datur sub conditionibus, & pactis repugnantibus Regularium priuilegijs, huiusmodi conditiones tanquam contrariæ iuri pro non appositis sunt habendæ.

1040. Sextus casus respiciens iam personas Regulares degentes extra Claustra est eius, qui sic extra Claustra degens delinquit. De hoc plura supra tradita sũt in hoc eodẽ tractatu de professione *à n.488. pag.486.* Nũc oportunũ est referre decretũ S. Congregationis Conc. editum hoc anno, quod est sequentis tenoris. *Vnanimi consensu D. Episcopi Parmen. & P. Procuratoris generalis Ord. Prædicatorum infrascripta facti species ad verbum imposita fuit. Regularis quidam circa finem May 1663. recessit à Conuentu suæ assignationis expulsus à Principe seculari, & iussus exire intra certum terminum temporis à territorio sui dominij, sed in*

pr

principio Augusti eiusdem anni intra eandem Ciuitatem à quo fuerat expulsus, ministros eiusdem Principis captus fuit in habitu Religioso, & ductus ad carceres seculares in quibus detinetur. Prætenditur verò quod intra illud tempus in quo dictus Regularis fuit extra claustra, perpetrauerit multa delicta etiam dimisso habitu, imò gladio uectatus, & armatus sclopetis. Quibus positis supplices petunt D. Episcopus, & P. Procurator generalis. An præenarrata facti species comprehendatur in Decreto Concilij cap. 3. sess. 6. de reformat. Adeò vt posito Episcopus de huiusmodi Regularis delictis cognoscere, atque in ipsum animaduertere. Vel potius hoc ad illius Superiores Regulares pertineat. Die 9. Februarij 1664. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit in casu de quo agitur cognitionem, & punitionem huiusmodi delictorum ad Superiorum Regularem pertinere. Pro parte autem Religionis duo inter alia allegata fuerunt. Primum quod decretum *cap. 3. sess. 6.* Conc. Trid. facultatē non dat Episcopis corrigendi regulares degentes extra claustra nisi in visitatione, iuxta supra tradita. Secundum quod Regularis, de quo in casu non degebat extra claustra, sed fugitiuus erat à claustro. Quo tamen motiuo S. Congr. dubium determinauerit mihi non constat.

1041. Aduertit verò Fagnan. *ad d. cap. grane. nu. 31. de off. ordin.* quod Episcopi in terminis constitutionis *De salute gregis*, quæ est 10. Pij Quarti de residentia Episcoporum, possunt, etiam extra visitationem procedere contra regulares extra claustra delinquentes, & eos corrigere, & punire, §. 5. ibi, *tanquam à dicta Sede* Delegati *in quibuscumque Ciuilibus, Criminalibus, vel mixtis causis contra quoscumq; Clericos Seculares particulares, ac etiam extra eorum Monasteria, seu regularia loca degentes regulares, quomodolibet exemptos authoritate nostra procedere, & causas ipsas cognoscere, finoq; debito terminare, ac quidquid terminauerit exequi, & obseruari facere, ipsosque exemptos pro tempore delinquentes, iuxta eorum excessus, & delicta punire, corrigere, & omnem iurisdictionem in eos exercere liberè, & licitè valeant.* Verum cum priuilegium exemptionis à iurisdictione Ordinariorum post Pium Quartum fuerit concessum per Greg. 14. in sua *constit.* 17. data anno 1591. 22. Septemb. quæ incipit *Illius, qui pro gregis, in §.* 38. Clericis ministrantibus infirmis, cum hac sola restrictiua, salua tamen decretorum dicti Concilij (scilicet Tridentini) dispositione, si ex vi Concil. Trid. *d. cap. 3. sess. 6.* de reformatione Episcopi extra visitationem non possunt regulares degentes extra claustra punire, neque id poterunt ex vi dictæ *constit.* Pij Quarti, cui sufficienter fuit derogatum per *d. const.* Greg. 14.

1042. Septimus casus est Apostatarum, & octauus eiectorum. Sed qualiter Apostatæ, aut eiecti subijciuntur Ordinario ex vi decreti Clem. 8. de Apostatis, & eiectis *supra q. 189. a. 8.* est explicatum.

1043. Nonus casus habetur ex Concil. Trid. *sess. 7. cap. 14.* Vbi statuitur quod in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiam si certum iudicem non habeant, coram locorum Ordinarijs tanquam in hoc à Sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint.

1044. Decimus casus est itinerantium sine licentia, de quibus ita statuitur in Concil. Trid. *sess. 25. cap. 4. Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere etiam prætextu ad Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Sed de hac quoque Episcoporum facultate actum est supra *q. 189. a. 8.*

1045. Vndecimus casus ex Concil. Trident. ibid. colligitur, vbi præcipitur, quod regulares, qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, aliter ab Ordinarijs puniuntur. Sed & de Religiosis manentibus in Vniuersitatibus causa studij tractatum est supra *qu. 189. a. 8. à n. 392. pag. 448.*

1046. Quando enim regulares non degant intra claustra, in aliquibus casibus subijciuntur Ordinarijs, vnde duodecimus casus est Nouitiorū renunciantiū suis bonis, quod nō possunt facere sine licentia Ordinarij. De quo dictum fuit in hoc tractatu *de stat. nou. supra inspect. 8. n. 129 pag. 597.*

1047. Decimus tertius est cognitio nullitatis professionis quæ spectat ad Ordinarium, & Superiorem Religiosum eius, qui prætenditur nulliter professus, & de quo in hoc eodem tractatu actum est. *inspect. 9. à n. 424. pag. 732.*

1048. Decimus quartus casus est Religiosorum degentium intra claustra, sed extra notoriè, & cum scandalo delinquentium. Et de hoc quoque casu latè tractatum fuit supra *q. 189. art. 8. insp. 3. à n. 496. pag. 491.*

1049. Decimus quintus casus est prædicantium errores, & scandala disseminantium: his enim ex vi Concil. Trid. *sess. 5. cap. 2.* etiam si in proprijs Ecclesijs prædicauerint ab Episcopo munus prædicationis interdici debet. Aduertit verò Fagn. *cap. Grane. num. 43. de off. ordin.* quod cum olim Fratres S. Francisci Prouinciæ del Zusco petierint declarari an ipsi vigore suorum priuilegiorum euimentium eos ab Ordinarijs possint, si prædicando aliquod hæreticum vel erroneum protulerint castigari ab Ordinario in vim *d. cap. 2.* cum eorum priuilegia sint post Concilium confirmata S. Congregatio censuit per derogationem priuilegiorum non esse derogatum *d. cap. 2. vers. si verò,* nisi in ipsis priuilegijs appareat expresse dispositio, quæ sit contraria dispositioni Concilij. Rursus censuit Congregatio ab Archiepiscopo Mediol. consulta ex Bulla Pij Quarti de professione fidei, regulares conciones habere volentes non teneri facere illam professionem antequam hoc munus assumāt: posse tamen Ordinarios quo tempore concionandi licentiam ex decreto Concil. *sess. 24. c. 4.* dant regularibus, exigere ab eis hanc professionem fidei, si ita ipsis expedire videbitur.

1050. Decimus sextus est ex bulla Greg. 15. de conseruatoribus in qua inter cætera statuitur, vt regulares qui non seruata forma ibi præscripta Conseruatores elegerint, aut eis vsi fuerint, vtraq; voce sint priuati, & careant Conseruatore ad annum, in quo eorum causæ coram Ordinario co-

gnosci debeant. Item in §. *insuper decernitur*, quod regulares intra tempus ibi præscriptum eligere debeant conseruatorem eiusque electionis documentum infra idem tempus in actis curiæ Episcopalis exhibere, alioquin eo termino elapso quandui conseruatorem seruata forma dictæ *const. non elegerint* coram eisdem Ordinarijs conueniantur, Et infra. Vt conseruatores semel deputati durante quinquennio non possint remoueri, nisi ex causa legitima à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs prout regularibus libuerit approbanda.

1051. Decimus septimus est causarum fidei, Nam ea *cap. ad abolendam de heret. & cap. officij. de heret. in 6.* adiuncta *const.* 26. Pauli Quinti, & Decreto Vrbani 8. 4. Aprilis 1633. *& constitut.* S. D. N. Alex. quæ incipit *Licet aliàs*, & fuit publicata 24. Aug. 1660. regulares in causis fidei subduntur Ordinarijs locorum, & Inquisitoribus priuatiuè quoad Superiores regulares.

1052. Decimus octauus est monetariorum, hos enim priuatiuè ad Superiores regulares correctioni, punitioni, & iurisdictioni Ordinarij subiecit Vrban. 8. in *const. sua* 75. quæ incipit in *in suprema*. Nonnullos alios casus numerat Tamb. *d. q.* 7. qui veri non sunt, vt quod Episc. punire possit regularem sine habitu incedentem extra claustra, quod aliqui dixerunt, sequuti in hoc Francum, *cap. 2. de priuil. in 6.* qui loquitur in terminis illius primi *cap.* ratione cuius Ordinario exempti subiecti sunt, si delinquant extra locum exemptum, & non aduerterunt quod modo regulares non subijciuntur illi decretali, vt abundè satis supra est probatũ. Pariter verum est, quod regulares nõ possunt habere processiones extra ambitũ suarum Ecclesiarũ sine licẽtia Parochi, vel Episcopi sed nõ est verũ, quod possint propter hoc puniri ab Episcopo, nullibi enim hoc est illi cõcessũ nec valet cõsequentia ista, scilicet regulares non possunt facere aliquid, puta non possunt habere processiones extra ambitum Ecclesiæ sine licentia Episcopi, vel Parochi; ergo si habeant sine licentia possunt ab Episcopo puniri, vt iam satis probatum est supra *num.* 265. *etc.* & est certum *ex constit.* Innoc. 10. in causa *Angelopolit.* Pariter, quod dicitur Episcopum posse punire regulares abutentes suis priuilegijs sic absolutè prolatum est plusquam falsum, & Clem. Abusionibus loquitur de quæstoribus eleemosynarum. Idem dicendum de nonnullis alijs casibus, quos recenset idem Tambur *d. q.* 7. *n.* 54. sequens doctrinam aliquorum Canonistarum antiquorum, qui loquuti sunt in terminis *c. 1. de priuileg. in 6.* cui non subijciuntur regulares, per amplissimum priuilegium exemptionis quod habent.

S V M M A R I V M.

1 *Professus incapax dominij. n.* 1053.
2 *Bona professi transeunt in Monasterium. n.* 1053.
3 *Fidei commissum transit quantum ad vsusfructum in Monasterium. n.* 1054.
4 *Bona prohibita alienari ex hoc non prohibentur transire in Monasterium. n.* 1054.
5 *Ius patronatus transit in Monasterium. n.* 1055.
6 *Feudum aliquando transit in Monasteriũ. n.* 1056.
7 *Et maioratus. n.* 1057.
8 *Et Emphyteusis. n.* 1057.
9 *Monasteria exempta à Gabellis. n.* 1058.
10 *Et à Decimis. n.* 1059.

INSPECTIONIS X.

CAP. OCTAVVM.

De effectibus professionis respectu bonorum temporalium.

1053. PRimus effectus professionis in ordine ad bona temporalia est quod nedum priuat professum actuali dominio cuiuscumq; rei, sed etiam reddit illum incapacem dominij. Quod explicatum fuit supra *tom.* 1. *q.* 186. *a.* 7. Iura tamen suitatis transfert in Monasterium, si sit capax dominij, & possessionis bonorum. Bona enim quantum ad illorum dominium tanquam accessoria personæ illam sequuntur, vt cui professus totum se ipsum donat, adueniant quoque per consequentiam eius omnia bona, & iura, & actiones, quibus intuitu professionis non renunciauit, & ad alterius fauorem non disposuit. *Authent. de Monachis §. Illud quoque Authent. Ingressi. C. de Sacros. Eccles.* & ibi DD. quod adeo verum est, vt statuta Principum oppositum disponentia tanquam contraria immunitati Ecclesiasticæ sint prorsus nulla.

1054. Et si bona profitentis sint subiecta fidei commisso, etiam si simus in casu in quo transire debeant in substitutum, tamen hoc non habet locum, nisi post mortem naturalem professi, & interim Monasterium manet vsusfructuarius illorum. Sanchez *lib.* 7. Mor. *cap.* 16. *num.* 19. Bordon. *de profes. cap.* 5. *q.* 23. *f.* Quemadmodum bona quæ professus habet sub conditione, vt ea non possit alienare, non per hoc non transeunt in Monasterium, quia prohibitio alienandi respicit datarium ipsũ, ita vt propria auctoritate alienare non possit; non verò quin si agat id, quod sibi non est prohibitum, & ex quo virtute legis bona transeunt in alium, hic transitus non subsistat. Tum quia professus transferendo bona in Monasterium ea non alienat, cum in Religione de licentia sui Prælati possit vti eisdem bonis. Sanchez *l.* 7. Mor. *cap.* 15. *n.* 67. Bordon. *q.* 24. & sic quantum ad hunc effectum illa bona censentur sua manere, & non esse alienata, cum Monasterium illius personam repræsentet, & gerat.

1055. Pariter ius patronatus in Monasterium transire potest. Si enim competebat professo vt alicuius communitatis membro, quia tunc dominium est apud communitatem illam, ad illam remanet, & non transit ad Monasterium, sed si competebat professo vt particulari personæ, siue in totum, siue pro parte, transit in Monasterium, nisi qui patronatum instituit voluerit illum non transire ad extraneos. Sanchez *l.* 7. *c.* 14. Rodr. *tom.* 2. *q.* 123. *a.* 5. Bordon. *cap.* 5. *q.* 25. Et tunc superior

cum

cum Conuentu præsentabit. Lambert. *l. 2. de iure patron. p. 1. q. 2. a. 12.* Et nulla esset præsentatio si solus superior præsentaret. *cap. Nouit cap. Quanto. cap. Ea noscitur, de his quæ fiunt à Prel.* quamuis patronus potuisset conditionem apponere vt Religiosus ipse de licentia Superioris præsentaret. Rodriq. vbi supra. Bordon. *d. q. 55.* Sed & in hoc casu eum Religiosus, & non alium præsentare posset, quem superior vellet.

1056. Sic feudum quoque transit in Monasterium si seruitium, quod habet annexum sit compatibile cũ statu Religioso, vt latè probat Fagn. *ad c. qua in Ecclesiarũ de const.* Et idem docuerunt Nauar. *com. 2. de Regul. n.* 55. Sanchez *l. 7. cap. 15. nu.* 36. Bordon. *cap. 5. q. 26.* quando tamen seruitium feudo annexum statui Religioso repugnaret, tunc feudum ad Monasterium non transiret.

1057. Ita pariter & maioratus solum non transit in Monasterium, si vel habeat adiunctam iurisdictionem repugnantem Religioni, vel sit institutus ad conseruandam familiam, siue ex quocumque alio præsumatur intentionem instituentis fuisse excludendi Monasterium; sed his deficientibus etiam maioratus in Monasterium transit quando potest transire ad extraneos. Pariter & emphiteusis cum potest ad extraneos peruenire ex vi professionis transit in Monasterium vel durante vita professi, vel etiam aliquando in perpetuum. Rodriq. *t. 2. q. 78. a. 12. §. 4.* Et sic vniuersaliter de alijs bonis dicitur, quæ possunt ad extraneos transire, & quorum Monasterium est capax, nec est in casu singulari, quod hunc transitum impediat.

1058. Alter effectus professionis est, vt Monasteria Religiosorum sint exempta à pedagijs, taxis, impositionibus, & Gabellis. *cap. ea quæ, & cat. de cens. cap. Tua nobis, de Dec. cap. Aduersus, de immun. Eccles. cap. quamquam. de cens. in 6.*

1059. Sed & ex quamplutibus priuilegijs Monasteria exempta sunt à Decimis soluendis.

F I N I S.

Completum Nepis die 26. Aprilis 1664. ad laudem, & honorem Sanctiss. Trinitatis, fauentibus sua intercessione Sanctissima Deipara S. P. Dominico, & Angelico Doctore D. T. Aquinate, cum essem ibi occasione Translationis Corporum Sanctorum Episcoporum Tholomei, & Romani.

INDEX

pag.	num.	Errata	Corrige
3	13 & 14	ſupernalem	ſupernaturalem
		Paulus	Palaus
7	18	nimium	nimirum
13	1	monet	mouet
16	16	diuina	diuinas
22	2	hoc	hos
30	2	eadem	eiſdem
32	14	attiogeret	attingeret
37	5	attenditdus	attenditur
53	23	colceati	calceati
54	25	contra tum	contrarium
58	38	habuerit	habuit
64	53	vouerint	vouerunt
66	56	muta	multa
	65	men	tamen
69	68	iuiſſe	fuiſſe
72	76	in voleutes	dele in
78	89	Eccleſium	Eccleſiaſticos
84	10	Clianiac	Cluniac
94	11	expneſſiſſet	expreſſiſſet
95	17	abnuit	annuit
98	25	diſhuctere	diſcutere
99	35	pueribus	pueris
101	40	identitate	idoneitate
102	42	profeſſionis	profeſſis
110	61	iuerti	aſserti
112	68	temporibus	temporalibus
124	107	debet	habet
125	113	alte	per illud
136	148	experimentum,	experimentumè
146	180	tenentur	teneantur
148	in ſum. n. 56.	cauſa	ſine
150	191	maioris	ſtultis
151	193	hic	huic
160	231	admiſſo	admiſſio
163	238	eum	non
167	248	hoc	hac
173	280	Eſt	Ad
186	25	conuenient	Canonicas
188	31	turtoriu	turturis
188	3	quę	quod
201	14	quia	quin
204	5	ilue	ſiue per
		Religioſis	Religionis
206	11	quod	quos
211	21	patet	partem
212	24	ad illam	illam non
212	26	eſſe	non eſſe
215	29	quis vouit Religioni	qui vouit Religionem
	31	annum	annorum
216	33	ingreſſi	ingreſſui
229	76	hac	hoc
	29	Maſterium	Monaſterium
235	in ſum. n. 1.	tertia	tria
	100	excluſiſo	excluſiſſe
236	102	quis	cui
		eſium	enim
		&	ex
240	121	exiſten ſidoneus	exiſtens idoneus
241	121	obſeruantia	obſeruantias
249	24	qui plures ſimul	quis ſimul
256	46	eſt eiici, quia	eſt, quia
258	53	in	ex
267	27	omiſſo	emiſſo
270	37	deſint	deerunt
284	89	à	Sanctus
289	12	interueniendo	inſeruiendo
290	16	omo, ac	omni
293	23	qui	quod
295	in ſum. n. 1.	non poteſt	poteſt
	n. 6.	ab	ob id
	n. 14.	dat	non dat
295	30	vel	vel ab
300	43	in ijs	in ijs quæ
		non	non ſunt
		quam	quæ
		ad vt	ad non
		neceſſe	neceſſe eſſet

pag.	num.	Errata	Corrige
324	54	verè	verè non
306	61	repudiatio eſt	repudiatio non eſt
310	70	aliud eſt, imo ex hoc probatur quod	aliud eſt, quod
323	118	inſtantiam	datur inſtantia
344	8	impetat	competat
361	78	hoc reuocari	reuocari
371	99	imporales	corporales
395	170	receſſat	ceſſare
415	243	tum	tunc
420	253	Et in hoc ſed ad	Et in hoc ad
431	291	executioni	executioni detur
433	296	mulcis	mulis
455	395	vſque ad quo	vſqueque
		vera	verò
458	904	quæ datur	quædam
455	in ſum. n. 64.	probatione	prohibitione
488	440	verè ſunt	verè non ſunt
493	503	hoc cum leue	hoc non leue
512	562	ſpecificandum	ſpecifica dum
517	586	eum eſſe	non eſſe
520	591	tempore	corpore
523	604	cum ad religionem	ad religionem
		vertitur omnibus	reuertitur cũ omnibus
525	609	obligat	ablegat
528	522	tertia	tria
		ſententiam	ſententiam ferendam
535	638	quis verò	quis vero dicet
535	643	crimen non	crimen
542	4	von	verè
		alius	talis
549	15	vt illam impedimus	aut illam
566	6	ſint	verò
571	25	nimior	maior
564	36	vouit	vouentis
584	79	iam	cum
603	159	fuit	fuiſſet
617	210	nullius	nullum ſus
631	67	mitteretur	inniteretur
635.	68.	ope ob metu	ob metum
		irrita	irrita opè
636	81	promiſſio	promiſſionem
640	97	regularem	regularem vitam
642	102	conuita	cum vita
	109	verè	quæ verè
645	112	& pre	& quæ
646	117	petit, aut quaſi	petit, quaſi
665	185	Et quod	Et propter quam
667	192	Delui	De his
692	293	an	hoc
	2.4	non	Nam
715	365	verè eſt	verè non eſt
721	487	cum fuerit	fuerit
726	406	At	An
727	412	Vel neque de hoc	Vel de hoc
		Dele	
735	431	de iure non tamen ſit nulla	
		Dele	
		Vt ſit ipſo iure nulla,	
		Dele	
757	525	profeſſionis vnus eſt promiſſum adæquatè	
		& lege	adæquatè promiſsũ, quod eſt, &c.
		paupertatis,	paupertas,
758	527	obligatus	obligatus manet
759	532	in genere	in genere videtur
		Dele	
761	538	alia à prædictio	
		& lege	nulla inducat
		obſeruatio	obſeruantia
800	684	exemptionis	exemptionum
		priuilegijs	priuilegiorum
		Apoſtolicis	Apoſtolicorum
	874	Limitatio debet	Limitatio non debet
855	875	Quod ordinatur	Quod qui ordinatus
860	899	Vltramoni	Vltramontani
877	949	Addit Vicarius	Vicarius. Addit
880	962	Cum	Cui
882	970	puniri Epiſcopum	puniri per Epiſcopum

Plura alia, amice Lector, inuenies Errata, in quibus ex vnius, vel alterius literæ falſitate, vocum, vel numerus, vel perſona, vel caſus, vel debita terminatio, & ortographia violatur: quæ ex te ipſo cognoſcere facillimè poteris, & falloes impreſſionis conditioni pro tua humanitate dignaberis condonare.

INDEX RERVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

 dare

ex

MONA-

non

OBSER-

PROFESSIONIS EFFECTVS.

PROFESSIONIS NVLLITATIS.

liget

RELIGIO.

RELIGIOSVS.

Reli-

R E S.

R E S P V B L I C A.

S A N D A L I A.

S E N T E N T I A.

S O C I E T A S.

S O L I T V D O.

S P O N S V S.

S T A T V S.

S T A T V T V M.

RELIGIOSVS STATVS.

RENVNCIATIO.

R E S.

RESPVBLICA.

RESTITVERE.

SANDALIA.

SCANDALVM.

SENTENTIA.